6
39 ME
35

BENEDICTI ARIAE MONTANI HISPALENSIS

COMMENTARIA IN DVODECIM PROPHETAS:

Nunc tandem ab ipſo auctore recognita.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini.
M. D. LXXXIII.

Summa Priuilegiorum.

REGIÆ Catholicæ Ma^{tis} Priuilegiis cautum eſt, ne quis cuiuſcunque ſtatus aut conditionis, *Benedicti Ariæ Montani Hiſpalenſis Commentaria in duodecim Prophetas*, citra Chriſtophori Plantini voluntatem, intra ſex annos imprimat; aliubiue impreſſa in eius ditionis fines importet, aut quouis modo diſtrahat. Qui ſecus faxit, confiſcationis librorum, & pœna; vt latius in Regio diplomate expreſſum eſt; multabitur. Dat. Bruxellis in Conſilio priuato 30. Ianuarij.

In Conſilio verò Brabantiæ, 15. Februarij, M. D. LXIX.

Subſignat.

De Langhe.

Cenſura Doctoris Seb. Baer, ex collegio Cenſorum Antverpiæ Catholicæ Maieſtatis auctoritate, & Epiſcopi delectu inſtitutorum.

COMMENTARIA *clariſſ. & doctiſſ. viri Benedicti Ariæ Montani in omnes Prophetas minores non ſolùm commendanda ſunt, quia pietatem & verum prophetæ ſenſum referunt, verùm etiam quòd ad hæreticorum dogmata extirpanda, & ad pietatem promouendam omnibus concionatoribus plurimum conferant. quod atteſtor*

Sebaſtianus Baer Delphius, inſignis colleg. Eccleſiæ S. Mariæ Hantverp. Plebanus & Canonicus.

AD SANCTISSIMAM MATREM ECCLESIAM CATHOLICAM, ILLIVSQVE PONTIFICEM SVMMVM, ATQVE LEGITIMOS MINISTROS omnes, BENEDICTI ARIAE Montani Hiſpalenſis Epiſtola dedicatoria.

PRIMOS *acceptæ, à te, diſciplinæ, ac per quadraginta & amplius annos, cum parentum & magiſtrorum cura meorum, tum aſsidua opera & diuturna ſacrorum librorũ lectione & meditatione excultæ, fructus tibi, Mater ſanctiſsima, nunc edo, ſatis quidem expectato maturos tempore; quos ſi non proferentis ingenij natura & ope præſtantes, at ipſa ſinceri animi & ſtudij propenſione mei, argumentique dignitate tibi non ingratos fore ſpero.*

Etenim cùm ab ineunte ætate, ex parentum ac propinquorum voto, proprijque animi impulſu in literarum ſtudia incubuerim, & eas artes, quibus liberales doctrinæ atque ingenuæ continentur, ſub optimis ac doctiſsimis præceptoribus didicerim, Theologicæ doctrinæ ſtudio iam tunc à primis annis flagrare cœpi, quòd illa mihi, vel nomine ipſo audito, adeò placeret, vt præter cæteras omnes diſciplinas, quibus animi imbui informarique poſſunt, Chriſtiano ac pio homine iudicaretur digniſsima. nam cùm à Chriſtianis parentibus, ad inſtituendam vitam in ipſa prima pueritia imbutus, inter prima domeſticæ eruditionis initia duplici me parte conſtare cognouiſſem, corpore mortali, ad mortalium parentum naturam effícto, & animo immortali, ad immortalis Dei exemplar expreſſo atque indito; quæque mortalia eſſent, omnia incerta, caduca, mobilia; quæ verò immortalia, eadem optima, æterna, beata, præſtantiſsimamq. naturæ definitionem ſortita cognoſcerem, eorum quæ digniora & ſolidiora, præſtantioraque eſſent, rationem inprimis habendam duxi: cætera verò eatenus obeunda, tractanda, & tenenda, quoad dignioribus inſeruire & miniſtrare poſſe viderentur. Nullam igitur exercendæ vitæ partem potiorem ſum arbitratus, quàm eam qua animi excolerentur humani, hoc eſt, ſcientiarum & ſapientiæ ſtudia: inter quæ ea maximè excellere intelligebam, quibus animus, ea præcipuè parte, iuuatur, qua ad principem auctoremque ſuum refertur. Atque in eiuſ-

modi ineundo ac tenendo inſtituto, felici me conditione in Chriſtiano populo natum eſſe, agnoſcebam; cui totius præcipuæ diſciplinæ præcepta & inſtituta non ex humani ac nunquam fere ſibi conſentientis ingenij coniecturis, ratiocinationibus & obſeruationibus, ſed ex diuini verbi certiſſimis & locupletiſſimis theſauris apud amantiſſimã & benigniſſimam Matrem Eccleſiam, ad vſum communicationemque depoſitis eſſent petenda: Audiebam enim ſapientiæ olim profeſſores, qui grauiſſimo cognomento Philoſophi vocati ſunt, illud impensè ſumma cura ac diligentia, magno aßiduoque labore egiſſe, vt illam conſequerentur doctrinæ formam, quæ humanos animos proximè attingeret, id eſt, vt certam diuinarum humanarumque rerum notionem haberent: ad eamq. quærendam, duo ſibi propoſuiße tractanda genera; quorum alterum in ijs verſaretur cognoſcendis rebus, quæ inferiorem mundi naturã ſpectarent (quam illi Phyſicam partem vocabant;) alterum in ijs, quæ ad præſtantem naturæ dignitatem amplitudinemque referrentur (quæ ab ipſis τὰ μεταφυσικὰ *dicebantur.) Atque in vtroque tractando genere, illos, vtpote qui humani ſenſus acie; ſed quaſi per caliginem multam perſtricta vterentur; aut frequenter & nimium aberraſſe, aut vehementer hallucinatos procul à veri ſtatuendi fine ſubſtitiſſe, longiſſimeque ab ijs fuiſſe ſuperatos; quorum mentibus veri inueniendi vias indagantibus, certa & ſancta religio, diuini verbi & eccleſiaſticæ interpretationis lumen prætuliſſet. quam ob rem, vbi primùm Romanæ linguæ notitia vſcúque imbutus eſſem, (qui mihi primus ad ſapientiam aditus fuit) alacri animo & contento ſtudio, humanarum diſciplinarum caſtra nobiliſſimos duces ſecutus miles non inexercitatus frequẽtaui; in qua militia, me etſi non ſtrenuiſſimè, non tamen cæterorum ætatis meæ ignauiſſimè geſſi, tamdiuque verſatus ſum, quoad per diſciplinæ conſuetudinem & vſum, ac per ætatis peritiam magiſtrorúmque meorum iudicium & conſilium, in optatiſſimum ſacræ Theologiæ Gymnaſium deductus ſum, in quo per quinque iam & viginti verſatus annos, quantum ipſe perpetua excitatione profecerim, (cùm ea ex re, nec plauſum nec lucrum quæſierim) an alijs notum perſpectúmue ſit, nec affirmare poſſũ, nec indicare ipſe curo: Quantum verò gratulatus ipſe fuerim mihi, cui ex Dei beneficio hunc vitæ ordinem adipiſci contigerit, nulla, quamuis longiſſima & diſertißima, oratione explicare queo: Etenim cùm per ſcholaſticas exercitationes primùm deductus (quæ ad verbum Dei purè & doctè tractandum viam muniunt inoffenſam) ad diuinorum librorum ſacraria ſum admiſſus, at-*

que in ipſis foribus, Deo mihi propitio, antiquarum linguarum ſubſidio, & quadam velut luce adiutus fui, viſusque mihi ſum in illum ſuauiſſimum & amœniſſimum paradiſum deduci, ex quo fons egreditur, qui in quatuor diuiſus capita terram omnem percurrit, atque eas, quas perlabitur regiones, auro optimo, gemmis margaritisq. ditat præſtātiſſimis: Viſus etiam mihi ſum in editiſſimo poſitus monte, æternæ gloriæ Chriſti & regni Dei, non quidem formam, amplitudinem & maieſtatem ipſam, quam mortalis homo Adami filius adhuc, ſpectare poteſt nemo, ſed ſpecimen tamen quoddam intueri. cuius admiranda pulchritudine adeo captus fui, vt in eo vno loco tabernaculum vitæ meæ collocare decreuerim, inque his ſedibus quiete, otio, & perpetua meditatione morum, animique mei excolendi facultatem & commoditatem, vt mihi ex diuina benignitate habere poßem, optauerim. Atque equidem per id tempus mihi tantum meoque animo proſpicere ac ſapere cogitabam, ac per omnem prorſus vitam diſcipulum agere conſtituebam; ob eamque rem, ex hominum frequentia remotus, in ſolitudines diſceſſeram, vbi ſacrorum lectioni librorum aſſiduam & perpetuam operam darem; dumque illic lateo, quantum nunquam vel labore & ſtudio conſequi, vel ingenij viribus æquare poſſem, ſingulari Dei beneficio ac dono accepi: id quod ipſe non rarò, tum in frequenti pientiſſimorum virorum colloquio, tum communi ſermone teſtatus ac profeſſus ſum. Cùm verò poſtea, & propria mente, & multorum optimorum & ſapientiſſimorum virorum ſententia atq. auctoritate inductus, intelligerem non mei tantum cauſa natum, aut aliqua bonarum artium, nedum ſacræ eruditionis facultate auctum fuiße me, ſed quæ gratis acceperam, pietatis iure ac lege, cùm fratribus meis communicanda accepiſſe, ijſdemque debere: tametſi doctoris, quod non mererer, nomen & munus recuſare optarem, ingrati tamen ac deſidis Chriſtiani & officium, vel pietatem potius negligentis notam, quam ſummi & maximi viri inurendam mihi minabantur, turpiorem duxi & inſigniorem, quàm vt contemnere, aut ferre, aut inuſtam diſſimulare poſſem, præſertim cùm à multis, de reddenda Deo, talenti mihi crediti, ratione, ſeueriſſimè admonerer. Qua de re vtpote maxima cogitanti mihi illud tandem conſilium probatum fuit, vt vel ignorationis, temeritatis, ruditatis, inſcitiæ, vel incultæ orationis, vel quodcunque huiuſmodi, quod aduerſus perſonam, ingeniúmue meum reperiri, à doctioribus & ſeuerioribus poſſet, nomen ſubirem potius, quàm deſerti erga fratres officij, & impediti, aut ſubducti commodi (ſi

quod

quòd exſpectari ex labore meo poſſet) apud pientiores accuſarer. Cùm diu igitur mecum deliberaſſem, quam potiſſimum ſacrorum librorum deligerem partem, in qua primum operæ meæ penſum conficerem, duodecim Prophetarum explicationẽ opportuniſſimam exiſtimaui, quòd ea iuſtum opus implere poſſet, & præter cætera diuinæ lectionis volumina viſa eſſet raros Græcè & Latinè expoſitores habere, atque eos, qui extarent, liberius illud interpretandi genus, quod allegoricum vocant, plerumque fuiſſe ſequutos: quod quietis quidem Eccleſiæ temporibus iucundum cùm primis ac ſuaue eſt; turbata autem religionis tranquillitate, & diſſidijs ac ſectis in Chriſtianum populum inductis, non perinde ad explicandam confirmandamque veritatem expetitur, atque illa alia ſimplicior ſeuerioribusq. aſtricta legibus, quæ vulgato verbo literalis dicitur. quam verò in diuino explicando verbo rationẽ tenuerim, tibi ſanctiſſima mater, quàm breuiſsimè poſſim, reddere & exponere operæpretiũ duxi.

Cùm ante annos decem coacto poſtremum Tridenti Concilio frequenti Patrum omnium, Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Archimandritarum & Doctorum, cæterorúmque omnium (quos tuos legitimos miniſtros agnoſcimus & veneramur) Senatu de propoſitis argumentis ſententiam ipſe doctorum omnium minimus atque indigniſſimus, dicere quoque iuberer (quo die primum in illo celeberrimo conſeſſu auditus ſum) omnem argumentationis orationiſque meæ materiam, ex ipſis ſacrorum librorum promptuarijs, atque ex maniſeſta diuini verbi veritate me expoſiturum eſſe, profeſſus fui: non equidem, quòd aliorum vel inſtitutum, vel rationem improbarem, qui de re propoſita ſanctorum doctorum aliorúmq. optimorum auctorum recitatis ſententijs diligenter ac doctè diſſererent; ſed quòd id diſputandi genus illius loci ac temporis cõmoditati minus videretur opportunũ, minúſq. cum antiquis exemplis conueniens, atque eorum diſſidiorum, quæ noſtro ſeculo facta ſunt, auctoribus & ſectatoribus (quorum præcipuè informandorum & reuocandorum cauſa Concilium celebraretur) omnino eſſet repudiatũ: cùm illi religionis cauſam à ſe ſtare, affirmare & contendere, ob eam rem, auderent, quòd à noſtris non tam diuini verbi auctoritate, quàm doctorum & interpretum placitis & ſententijs peti ſeſe atque oppugnari cauſarentur: cùm tamen illi ſibi viſi eſſent firmiſſimum præſidium in diuinis libris conſtituiſſe, de quo ſeſe nunquam deiectum iri, ſectatoribus ſuis, quos miſerrimè deceperunt, magna inſcitia, vel potius arrogantia iactare ſolent. Eiuſmodi itaque opinionem & arrogatam ſibi

diuini

diuini verbi facultatem & gloriam, vt vanam omnio & mendacem oſtenderem, ſimulq. vt loci illius, & grauiſſimarum, e quibus agebatur, rerum dignitati inſeruirem, demandatum mihi argumentum, aduerſus ſectariorum, & à diſciplina tua deſciſcentium hominum ſententiam, quanquam doctorum auctoritatem plurimum valuiſſe & valere oportere confirmarem; in eiuſmodi tamen cauſa cũ eiſmodi aduerſariis, omiſsis auctoritatibus, ipſa re, & diuinorum librorm lectione, veritatem exquirere ſum aggreſſus: quid autem & quàm feliciter in eo genere, non quidem proprij ingenij, ſed diuini beneficij ope tuoque Mater voto egerim, ſatis apertè indicare potuit illa ſummo omnium nationum & virorum conſenſu, Deo ſignificata gratulatio, illeq́ plauſus, quo perorata iam ſententia, exceptus fui; non qui vel tantilum laudis mihi ingenioque meo tribui aut ſentirem, aut paterer; ſed ui manifeſtum & inoffenſum Dei verbum omni ex parte ſibi conſeniens & conſtans, atq; ab omni ſectarum & errorum confirmatione logè alienum cùm oſtendiſſem, agnoſci, probari, & ſumma lætitia publicè laudari gauderem. Videbam enim miniſtros illos tuos, quorum ſanctiſſimo officio, ſacrorum librorum cura, interpretatio, propugnatio, & dignitas per Deum patrem, per Chriſtum filium, per ſanctum Spiritum, perque te Chriſti ſponſam commiſſa eſt, theſaurum ſanctiſſimum & pretioſiſſimum ipſisq. chariſſimum, & obſeruatione omni digniſſimum, ſacram inquam ſcripturam, veritatis aduerſariorũ audacia, inſcitia & temeritate vſurpatum, contaminatum, direptum & penè conculcatum, à me atque ab aliis tuarum partium catholicis famulis, reuerentia ſumma, fide integra, & magna cum attendentium vtilitate obſeruari, tractari, & coli; eiúſque verum ac legitimum vſum ab iſtorum arrogantia vindicatum, nobis noſtriſque aſſeri & confirmari. Optimorum igitur patrum ex illo Concilio, atque ſacrarum rerum cognitione præſtantium, aliorumque doctiſſimorum & pientiſſimorum virorum, quos magnos ego auctores habeo, conſiliis & auctoritate inductus ac perſuaſus, hoc diſſerendi & interpretãdi genus, iam olim & perpetuò, in Chriſtiana ſchola probatiſſimum, non in diſputationibus & actionibus modò, ſed in ſacris etiam explicandis libris, obſeruare & perſequi conſtitui, vt præcipuam & copioſiorem, ad id munus conficiendum, ſupellectilem ex diuini verbi inexhauſta & ad omne argumẽtum opportuniſſima lectione pararem, & iis, qui ex varia apud patres & doctos auctores collecta materia noſtræ religionis atq. doctrinæ tabernaculum cõmuniunt, & ſartum tectumque

curant, vſum aliuem non ingratum nec incommodum offerrem, & ijs etiam quibus noſtro ſeculo nullũ, præter diuinum verbum, ſanctum & efficax eſſe putatr, tergiuerſationem impedirem, ac diuinorum etiam ſcriptorum veritatem, non ab illis, ſed à nobis ſtare, demonſtrarem. Cùm igitur vtrique par. & noſtræ & eorum, qui à nobis diſceſſerunt, ſatiſfacere ſtuduerim, & noſtrorum cauſam, re ipſa, ratione, oratione atque ſtudio meliorem ego etiam, omnium minimus, pro mea parte excolerem & defenderem, & illorum ſaluti quam ardentiſſimè cupio, Chriſtiano animo & officio, conſulerẽ; illud ſemel prædictum perpetuò, omnibusq. exceptum volui, me in noſtrarum explicationum ſtatuenda fide, eam auctoritatẽ præcipuè appellare, quæ cunctis maxima & ſumma iure optimo habetur, hoc eſt, ſacrorũ librorum manifeſtum, apertum & irrefragabile teſtimonium. Si vias præterea copias ex varijs cæterorum auctorum claſſibus nõ importunè, pro temporum argumẽtorumq. ratione atq. vſu produxerimus, eas ijs fidei auctoritatis quæ partibus, quas profiteantur, valere & conſtare, & ſuum ſingulis dignitatis gradum aſſcribi tribuiq. oportere, ſicut iam pridẽ à te, grauiſſima atq. integerrima veritatis aſſertrice, illuſtriſſimis præceptis, legibus & inſtitutis eſt definitum.

Accipe igitur mater ſanctiſſima minimi ingenio atq. eruditionis facultate, ac dignitate inter omnes nõ doctores modò, ſed diſcipulos etiam, qui apud te ſunt; at verò pietate & ſtudio in te, eorũ, quos hoc ſeculo alis, non poſtremi filij, munus primum: quod ex tua doctrina, cura & cõmunicatione, ad fratrum meorum vtilitatem acceptum tibi refero. Cuius in primis integrum ac ſincerum iudiciũ, cunctis ſtudiis, actionibus, ſcriptis, orationibusq. meis expecto, ac ſubire cupio, & exſpectandum ſubeundumque mihi ſumma reuerentia perpetuò profiteor, nihil vnquam, neq. notati per te mihi erroris defenſurus, neque adhibitæ correctionis, vt pium & obſequẽtem filium decet, recuſaturus. Quòd ſi labor ſtudiumq. meum tibi vni, ob diuinam, qua gubernaris & abundas, virtutem & ſapientiam, notiſſimo iſto & admirando omnibus erga tuos amore & materno affectu probetur: quidquid reliquum vitæ mihi fuerit, id omne, in ſacris libris, in tuam filiorumq. tuorũ gratiam, & pro ea, quæ mihi ex diuino beneficio contigerit, ingenij & eruditionis facultate, explicandis conſecro: Tibi autem mater ſanctiſſima proſperum & perpetuum diuinæ gratiæ, pacis & tranquillitatis vſum, omnibus etiam filiis tuis magnum erga ſacras diſciplinas amorem, ardentiſſimum ſtudium, pientiſſimamq. erga te obedientiam cupio atq. opto. Antverpiæ Brabantinorum, Lucæ Euangeliſtæ ſolenni die. CIↃ. IↃ. LXX.

BENEDICTI ARIÆ MONTANI IN HOSSEÆ VATICINIA COMMENTARIVM.

PRÆFATIO DE PROPHETICA LEGATIONE.

QVANQVAM ſcelerati illius & callidiſſimi hoſtis, atque omnium malorum primi auctoris artes, conatus & conſilia omnia in ea re conſumantur, vt omnes ad felicitatem aditus hominibus præcludantur; idque ille vt efficiat, denſiſſimas humanis mentibus tenebras afferre quotidie & cogitet, & moliatur; atque illud omnino curet, ne vlla cæleſtis illius luminis portio nobis eluceat, qua verum à falſo, ab honeſto turpe, diſcernere valeamus: quam quidem rem propter humanæ dignitatis inuidiam, & conceptā ſemel diuini honoris æmulationem, is ſemper agitat: tamen illa, quæ maximo ſemper hominum amore diuina abundauit benignitas, hæc & huiuſmodi pericula propulſare nunquam ceſſat. nam quicquid cōſilij, quicquid operę, aduerſarius noſter in turbandis humanis rebus ponit, totum ſapientiſſimè diuina prouidentia eludit.

IGITVR cùm certa quædam ad felicitatem via ſit, eaque duabus partibus contineatur, fide in Deum, & mandatorum, voluntatiſque eius obſeruatione; vtramq. partem in humanis mentibus perturbare pertinaciſſimè diabolus ſtudet ac molitur. Atque fidei quidem puriſſimæ rationes omnes hoc vno negotio iugulari poſſe putat, ſi contrarias, aut abſurdas, aut ſaltem non veras, de Deo, deque diuina natura opiniones inſerat: quibus aut humana opera à Deo omnino negligi, aut Deum humanis moribus libenter accommodari, aut externo quolibet potius, quàm interno ac legitimo delectari cultu, aut alia quauis ratione Dei naturam pro libitu noſtro & variis gentium cogitationibus vel diſtrahi vel definiri poſſe, putetur: ita vt neq. ſimplex omnino, neque adeò pura credatur eſſe; neque quicquam ex diuina dignitate per deorum multitudinem detrahi. His atque huius aliorumque etiam generum, quamplurimis opinionibus mentes hominum callidiſſimus ille ſerpens imbuere ſtudet, vt in ipſo ſtatim religionis limine impingatur, & prima errorum elementa concepta falſam omnino totius vitæ viam terere atque abſoluere cogant. Alteram verò pietatis partem non minore diligentia, atque artibus non diſſimilibus contaminare hoſtis non ceſſat, cùm hominum mores quàm perditiſſimos eſſe curet, atque non rarò huius voti compos, magno hominum malo fiat. Nam cùm humanus appetitus ad voluptatem & ambitionem, atque ad huiuſmodi vitia iā inde ab adoleſcentia ſua procliuis ſit, eaque res hoſtem ipſum primum peruerſitatis auctorem minimè lateat, neque eum decipiendorum hominum rationes fugiant, qui præſtantiſſima olim capita hominumque omnium parentem vnà cum vxore facilè in deceptionem erroremque quondam induxit, indefeſſa opera, aſſiduoque ſtudio, virtutis egentiſſimos, vitiis vehementer præditos homines reddere contendit: quod ſi præſtare poteſt, vt vtroque animus morbo laboret, fidei defectu & morum corruptela, (id verò in primis ſequitur & efficere ſtudet) ſin minus; tamen, vt vel altero afficiatur morbo ſaltem, vel vt non omnino neutro, enixè conatur. Nouit enim vtroque morbo liberos eſſe oportere eos, qui ad æternam felicitatem viam affectant: Gen. 7.

contraque in æternam miſeriam vtriuſuis ægritudinis languore corrui. Atq. harum, quas commemorauimus, rerum exempla quamplurima, vel vna Iſraëlitarum gens diuinos legentibus libros, facilè ſuppeditabit: cùm homines illos, qui apertiore diuinæ naturæ cognitione gaudebant, qui diuinorum conſiliorum ipſius numinis beneficio præter cæteros mortales cõſcij fuerant, qui Dei in ſe ſtudium, benignitatem, prouidentiam, tam aſſiduè fuerant experti, qui maximum de hominum ruina reparanda reſponſum acceperant, qui in cæterarũ gentium lucem, & doctrinam conſti-
Pſal. 31. tuti fuerant ab eo qui annunciat verbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſraël:
„ non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Tamen hos à ſin-
„ cera fidei ratione, & à recta morum via deductos, non raro tranſuerſos egit Sata-
„ nas. Quam quidem ob rem gentem & regionem illam, cuius initia & incrementa augusta atque feliciſſima fuiſſe conſtat, non paucis calamitatibus diuini iudicij ſententia affectam fuiſſe legimus. Verùm enimuero quod diuina miſericordia omnem Satanæ malitiam incomparabili ſuperet interuallo, hos antiqui hoſtis conatus, atq. huiuſmodi cõſilia vires ſuas integras habere, Deus non eſt paſſus. Nam cùm maximè illius gentis perdendæ ſtudio, & cupiditate cõmunis hoſtis arderet, tunc maximè eorum tẽporibus vitæ incolumitati, & rationibus omnibus Deus conſulebat. In iis autem rebus & commoditatibus, quas ad hoſtis frangenda conſilia diuina comparauit prouidentia, frequens illa oraculorum per diuinos vates fuſio cum primis cenſetur. Nam iis viris ad communem hominum vtilitatem ſapientiſſimè Deus eſt vſus, per quos viros, vel heroas potius, diuinæ naturæ ratio, atque arcana conſilia, quantum fas eſſet, populo aperta ſunt: & quæ communis hoſtis artes, quæ fallaciæ, qui conatus, quibusque rebus hæc vitari & eludi poſſent, eſt patefactum. Per hos eoſdem humana mens ad veritatem, atque homines ipſi ad morum & vitæ correctionem ſunt reuocati. Hi præterita commemorabant, præſentium temporum res, ſtatus, eorumque rationes veras docebant, & futura, ſiue fauſta ſiue infeſta forent, à ſe præuiſa canebant: ne eo morbo humana mens laboraret, qui maxima pericula laborantibus procreare ſolet: videlicet rerum inſcitia, & veri ignoratione. Hi demum fuêre, qui de diuina erga totius orbis ſalutem voluntate prolixè polliciti ſunt, & maximi illius Dei beneficij ſpem in hominum piorũ mentibus aluêre. Hos tantæ dignitatis atq. auctoritatis Deus eſſe voluit, vt nulli homini fidem haberi iuſſerit, qui diuerſam, aut alienam operum & vitæ, negotiorumq. rationem ab horum reſponſis atque ſententiis ederet: ita, vt quicunque ſe Meſſiam prophetam & orbis inſtauratorem profeſſus eſſet, nec tamen cum horum vatum definitionibus ad amuſſim quadraret, is, vt vanus ac mendax omnino exploderetur. Sed quia nos in commentando breuitatem ſequi cogitamus, longam de vatum & vaticiniorum rationibus diſputationem conſulto prætermittimus, commodius & prolixius illam, cùm Deus annuerit, facturi. Inter eos vates qui oracula, reſponſa, & ſententias ſuas, literarum monumentis cõmendarunt, duodecim fuêre, qui vulgato veterique vocabulo Minores dicuntur: non quòd ſententiarum auctoritate, rerum aut elocutionis ratione, cæteris poſtponantur; ſed quòd horum ſinguli ſcripturæ modo, & breuitate, impares ſint iis qui Maiores vocantur; quorum quæ extant ſcripta ſingula iuſtum volumen implent. Hęc igitur vna res Minorum nomen non auctoribus, ſed libellis indidit, atque eadem res in cauſa fuit, vt in vnum codicem omnes ſimul conferrentur, ne quid ex illis propter chartarum periret breuitatem. In his autẽ duodecim, primũ lectionis ordine locũ, antiqui ſacrorum librorũ concinnatores Hoſſeæ vatis propterea eſſe voluerunt, quòd ille inter primos vates quorũ ſcripta extant, fuerit vaticinatus. Namque certum quoddam vaticinandi genus à Samuele,

muele, vſque ad poſterioris templi ſecula frequentatum fuiſſe legimus; cuius generis profeſſores, Videntes ſunt appellati, duplici ad rem accõmodato verbo Hhaza & Raa; quorum alterum videre, alterum verò intueri ſiue contemplari, poſſis interpretari. Nam quibus in populi vtilitatem à numine donatum erat, præterita ac futura proſpicere, & publicarum ac priuatarum rerum rationibus prouidere, ij vno agnomine videntes nominati ſunt, eorumque munus videndi verbo fuerat explicatum. Contigit autem non rarò huius generis viris, oblatas rerum imagines, ſiue præteritarum ſiue præſentium, ſiue futurarum, certis quibuſdam modis & rationibus ad id à numine aptati atque comparati, contemplari, & velut in theatro quodam conſtituti ſpectare, ſiue per ſymbola quædam, ſiue per ipſarum rerum ſimulachra, ac ſi res ipſæ ad ſpectandum obiectæ fuiſſent. Atq. id videndi & vaticinandi genus, ſcriptura intuitionem vel contemplationem nominat; quam noſtra verſio frequentiſſimè viſionem interpretatur. Cuius generis illa ſunt: Viſio Eſaiæ filij Amos. & apud Ezechielem: Et quærent, inquit, viſionem à propheta. & multis alijs in locis; ex quibus viſionis nomen certæ cuiuſdam ſignificationis eſſe intelligitur; quæ potius ad internam contemplationem, & ad rerum atque negotiorum obſeruationem, quàm ad videndi ſenſum pertinere videtur. Nam hoc verbo diuinus vates vſus eſt, cùm caneret, Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam: hoc eſt, cùm obſeruauerit malorum vltorem eſſe Deum. At verò ex iis vatibus qui à Samuele & deinceps (vt D. Petrus inquit) fuerunt, quidã hiſtoria, quidã etiam propriis ſcriptis, atq. editis libris, memoriam ſuam ad noſtra vſque tempora propagarunt: neque enim Eliæ, neque eius diſcipuli, atque ſectatoris Elizei, vllum apud nos extat ſcriptum, ſed neq. Ieſu Chriſti & Apoſtolorum temporibus extitiſſe accepimus. Quorum verò ſcripta nũc in manibus omnium ſunt, eadem & noſtræ eccleſiæ recentis etiam ætate vulgata atque nota fuerunt. Igitur in iis qui vaticiniorum ſuorum ſcriptores primi fuère, Hoſſeas & Amos, Michæas atque Eſaias, omnium primi commemorantur. Namq. eodẽ ſeculo quatuor illos fuiſſe ipſis voluminũ initiis declaratur; qui ſub Ozia, Ioatham & Achaz regibus Iudæ ſuo munere functi fuiſſe dicuntur. Verùm enimuero quod inter primos prophetas Hoſſeam collocauimus, non eo dictum accipi debet, quòd hos omnium primos ſcripſiſſe affirmemus, ſed quòd eorum quorum ad nos ſcripta permanarint, & qui ſimul munere functi ſuo ſunt, Hoſſeas, Ioël, atq. Amos cũ Eſaia, eodẽ ſeculo primi fuerunt. Hos verò Obadias & Michæas, quorũ ſcripta extant, præceſſiſſe dicuntur. Nam tẽporibus Achab Obadias floruit; Michæas verò ad decimum regni Ioſaphat annum refertur; erat autem annus circiter ſeptimus & vigeſimus ſupra ter milleſimum, cùm primum Achab rerum eſt potitus. Ne tamen ordinis & temporum rationem prætermiſiſſe videamur, quæ plurimum ad prophetarum explanationem conferre ſolet, nonnulla de his aliiſque rationibus quam breuiſſimè & quam clariſſimè exponere fuerit operæpretium.

[Margin: חזה ראה (beside line 2); Eſa. 1. Ezech. 7. (beside lines 13–14); Ps. 57. (beside line 18)]

A 2 COMMV-

COMMVNES PROPHETICORVM LIBRORVM DISPVTATIONES.

ANTE *igitur quàm ipſam vaticiniorum explicationem aggredimur, communes quaſdam omnibus ferè eorum libris rationes & dubitationes idoneas, de quibus quæratur, & dignas de quibus diſſeratur, duximus: quòd eas ad temporum, nominum, generum, aliarumq́; rerum opportunarum rationem conſiderandã, commoditatis plurimum allaturas arbitraremur. quas neque ij qui ante nos cùm ſumma laude de ſacris rebus ſcripſerunt, prætermittendas putauerunt: de quibus nos non commentantium, ſed diſputantium modo agemus, variis in ſingula argumenta ſententiis in vtramque partem adductis, auctorum autem nominibus celatis, quòd nemini detrahere vnquam cogitemus; noſtram verò ſententiam diſſerendi magis, quàm iudicandi conſilio expoſitam exiſtimari volumus. Primum autem ipſe ordo, ſeriesq́; librorum cauſam rationemq́; ſui inueſtigari poſtulat: videlicet, quamobrem alij alijs præpoſiti fuerint. Id enim nec temerè, aut caſu, nec ſine certo conſilio accidiſſe dicendum eſt, quando neque rerum dignitas, neque religio ipſa hoc dici permittat, neque cogitari diuinæ prouidentiæ patiatur ratio. quæ cùm in minimis rebus magna, certa cõſtantiq́; ſit; in huiuſmodi grauiſſimis & ſummis, maxima conſtantiſſimaq́; fuiſſe, dicenda neceſſariò eſt. Sunt autem qui hunc librorum ordinẽ vaticinandi temporibus adſcribant, & eum vnicuique locum obtineri dicant, quem auctor munere obeundo occupauerit itaque primum Hoſeam vaticinatum, deinde Ioëlem, atque conſequenter alios omnes putãt. Hanc verò ſentẽtiam, cum alia quædam, tum Abdias cum primis infirmat; qui communi omnium antiquorum Hebræorum, qui de temporibus meminerint calculo, Achab regis temporibus fuiſſe exiſtimatur, vt in eius vatis exponendo vaticinio docebimus. Quæ res hunc vatem Hoſeæ, Ioëli, Amoſoq́;, quibus tamen illius liber poſtponitur, ætate, & agenda legatione anteceſſiſſe oſtendit. Atque etiam ex libro ab Hebræis ZEDER GHOLAM, hoc eſt ſeculorum ſeries inſcripto, & ex diſputationibus inſtitutis in tractatum de Paſcha, Hoſeam, Amoſum & Michæam eodem ſeculo vaticinatos fuiſſe accepimus, quod ipſorum quoque diligenter obſeruata lectione indicatur. Quare ſi ex temporum ſerie ordinis ratio petenda foret; conſequenter hos collocari, neque inter Hoſeam & Amoſum, Ioëlem, & inter Amoſum & Michæam, Abdiam atque Ionam inſeri, fuiſſet conſentaneum. His accedit quòd Ioel, Nahhum, & Habbakuq, Manaſſæ regis tempeſtate vaticinandi munere functi, ab iiſdem antiquis Hebræis commemorantur. Quamobrem ſi ex temporibus cuiuſque omnium ordo ſtatuendus fuit, definiri hoc modo debuerat, vt Abdias primus, ſecundus Ionas. poſt hos Hoſeas, Amos & Michæas, collocarentur: deinde Ioël, Nahhum & Habbakuq, qui fuerunt in diebus Manaſſæ, poſt quos Sephonias, qui Ioſia regnante fuit: poſtremi verò Haggæus, Zacharias & Malachias, qui poſt transmigrationem Babylonis fuêre vaticinati. Sunt verò qui dicant duodecim prophetas hos ſic olim à ſeptuaginta interpretibus diſpoſitos in antiquis Græcorum libris aliquando fuiſſe, vt ordine Hoſſeas, Amos, Michæas, Ioël, Abdias, Ionas, Nahhum, Habbakuq, Sephonias, Haggæus, Zacharias, & Malachias enumerarentur; atque his quatuor ternionibus eorum ſeriem fuiſſe indicatam confirment. quod quamuis certum exploratumq́; eſſet; tamen cum ea, quam indicare volunt, temporum ratione & ſerie quibuſdam non conuenire, ex ijs quæ diſſeruimus, deprehenditur. Fuere qui Ioëlem, Nahhum, Ionam, Hoſſeam & Eſaiam ad idem tempus referrent; neque tamen aut ſacrorum librorum, aut antiquorum auctorum auctoritate id ſtatuerent: neque enim ea ratio in Ioële & Nahhum ſatis perſpicua aut conſtans eſt: præterea Amoſum & Michæam ab his prætermiſſos miror; quos eorundem regum temporibus cum Eſaia & Hoſſea vaticinatos fuiſſe ſcriptura indicat. Alia autem tum diſtribuendorum, tum collocandorum, vatum ratio eſt; quæ minus dubitationis afferre videbitur, ſi eo modo res diſponantur,*

סדר עולם
Misnaioth de
פסח

quo

quo tempora olim Iudaicarum rerum (quæ præcipua & conſtantiſſima ratio eſt) adnotatæ ſunt. Solent enim Hebræi tres ætates aut rerum facies conſtituere, ante templum exciſum, in ipſis exciſionis temporibus, & poſt dirutum exciſumq́ue, ac iam denuo reſtitutum templum. Atque hoc modo quidam ex vatibus ad primam, alij ad ſecundam, reliqui ad tertiam (vt ita dicamus) ætatem referuntur. Etenim Eſaiam ante exciſionem fuiſſe, ipſis illius annotatis temporibus docemur; qui vidit in diebus Oziæ, Ioatham, Achaz & Ezechiæ regum Iuda, cuius tamē quòd plura eſſent oracula, iuſtum volumen impleuere, ſeparatimq́ue à duodecim edita ſunt, quos ob breuitatem minores dici, atque ſimul in vno corpore eſſe antiquis placuit: quorum primus, qui ijſdem cum Eſaia temporibus fuerat, Hoſſeas collocatus eſt: proximum verò locum Ioël obtinuit, quòd Hoſſeam ætate & obeundo munere contigerit, Amoſumq́ue anteceſſerit. Namque Amoſus ex vltimis ferè Ioëlis verſibus vaticinio ſuo initium fecit: Dominus de Sion rugiet, & de Ieruſalem dabit vocē ſuam. Atque hanc cauſam nonnulli ex Chriſtianis auctoribus fuiſſe dicunt, quamobrem in Ioëlis libello agendi tempus minus indicatum ſit, quoniam idem vtriuſque fuerit, quod proximè ſequutus Amoſus oſtenderit: quanquam Ioël vel diutius vixerit, vel vaticinandi munere fuerit diutius perfunctus; quippe qui ad Manaſſei tempora pertinuiſſe in ſeculorum ſerie traditur. Amos antē tertium locum propterea ſortitus eſt, quòd in diebus Oziæ vaticinatus fuit, qui tamen intra biennium, (vt in illius commentariis docebimus (munus ſuum abſoluit, cùm Ioël vlterius etiam ſuum prorogauerit. namque vltimum illius vaticinium, Et erit poſt hæc, & effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem; aut Manaſſis tempore, aut paulo antè editum eſſe putari poteſt. Atque ita horum trium vatum ſeries cum temporum ratione aptè conuenire videtur. At verò Abdias, qui hos omnes tres ætate anteceſſerat, librorum ordine, propterea ſecutus exiſtimatur, quòd ipſos ſententiis, oraculis, & dicendi genere inſtruxiſſe primus vt dux & anteſignanus aliquis cognoſcatur. Etenim eadem ferè non ſolùm vaticinia, ſed verba etiam in grauiſſimis argumentis apud Amoſum, Ioëlem & Hoſſeam, atque apud Abdiam obſeruantur. Namque Ioël in libri ſui fine Idumæorum vaſtationem, & Iſraëlis reſtitutionem prædixit: Aegyptus in deſolationem erit, & Idumæa in deſertum perditionis, pro eo quod iniquè egerint in filios Iuda, & effuderint ſanguinem innocentem in terra ſua, & Iudæa in æternum habitabitur, & Ieruſalem in generatione & generationem, & mundabo ſanguinem eorum quem non mundaueram, & Dominus commorabitur in Sion. Amos etiam eadem ferè ſententia librum ſuum abſoluit: Vt poſſideāt reliquias Idumææ & omnes nationes: eo quòd inuocatum ſit nomen meum ſuper eos, dicit Dominus faciens hæc, &c. His autem duobus, quibus tamen tempore prior fuerat, quod de Idumeo excidio, atque de Iſraëlitarum ſalute vaticinando anteceſſerit, proximus librorum ordine acceſſit, vt illud eorum qui diſtribuerint conſilium fuiſſe videatur; oſtendere nimirum Abdiam fuiſſe primum qui de illis rebus dixiſſet: cuius vaticinium alij etiam confirmauerint. Cumq́ue in librorum ſerie Eſaias propter operis magnitudinem atque temporis rationem ante Ieremiam, Ezechielem & Danielem collocatus fuerit, eodem modo Hoſſeam, vt longiori libro cæteris praeuntem, & tempore Eſaiæ æqualem, primum inter duodecim eſſe, conſentaneum viſum fuit. Abdiæ verò quoniam propter eam rem, atque etiam quòd non Iſraëlita, ſed Idumæus genere fuiſſet, cùm primus locus non concederetur, is tamen iure tributus eſt, quem argumenti ſententiarumq́ue ratio poſtulabat. Nam, vt diximus, non ſolùm vaticinia ipſa; ſed orationes & verba ab his ex illo repetita ſunt. Quippe, vt apud Abdiam eſt: Propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob, operiet te cōfuſio. Sic apud Ioëlem Hebraicè ad verbum: Propter iniquitatem in filios Iuda, &c. Apud Abdiam legimus, quoniam iuxtà eſt dies Domini ſuper omnes gentes. Et apud Ioëlem: Quia venit dies Domini, quia propè eſt. Et iterum: Quia ibi ſedebo vt iudicem omnes gentes, &c. Illud etiam quod Abdias dixerat: Et in monte Sion erit ſaluatio, & erit ſanctus, & poſſidebit domus Iacob eos qui ſe poſſederant, & hæreditabunt hi qui ad Auſtrum ſunt montem Eſau, &c. ijſdem ferè verbis imitatus Amos repetiuit: vt poſſideant reliquias Idumææ, & omnes nationes, eo quòd inuocatum ſit nomen meum ſuper eos, &c. Vbi verò Abdiæ vaticinia idoneo argumentis loco repoſita ſunt, cæterorum ſeries ex temporum ratione, vt

In lib. cui titulus דְּבָבָא בַּתְרָא

Hoſſeas. Ioel.

Amos.

Abdias.

Ioël. 3.

Amos 9.

Abdias.

Abd. 1.

Ioël. 3.

Abd. 1.

Ioel. 3.

Abd. 1.

Amos 9.

initio cœperat, deducitur: atque ita poſt Abdiam Ionas primum locum obtinuit, qui in diebus
4. Reg. 14. Ieroboam filij Ioas vaticinatus dicitur, ſicut ſcriptum eſt: Ipſe reſtituit terminos Iſraël ab introi-
" tu Emath vſque ad mare ſolitudinis iuxta ſermonem Domini Dei Iſraël, quem loquutus eſt
" per ſeruum ſuum Ionam filium Amithai prophetam, qui erat de Geth, quæ eſt in Opher. Ex hoc
" autem loco Ionam & Amoſum eodem tempore fuiſſe docemur. Poſt Ionam verò eſt Michæas Moraſtites, cuius vaticinia poſt mortem Ieroboam filij Ioas edita fuiſſe cognouimus. namque Ieroboam in diebus Oziæ vita ceſſit. Michæas autem à temporibus Ioathan, qui Oziæ filius fuit, vſque ad dies Ezechiæ vaticinatus eſt. Michææ autem Nahhum & Habbakuq libri ſubiuncti ſunt,
סדר עולם quòd vterque ad dies Manaſſe filij Ezechiæ in libro de ſeculorum ſerie referantur. Atque horum vaticinia & ſententia & argumento ſimillima inter ſe ſunt. Etenim Nahhum, Niniues, & Niniuitici imperij excidium ob crudelitatem, cum in cæteras gentes, tum in decem tribus à ſe captas & abductas exercitam, prædixit. Habbakuq verò de Babylonis & Chaldæorum exciſione ob grauem & nefariam Iudæorum ſtragem templique profanationem & incendium, atque ob cætera impietatis crimina. Idémque de Nabugodonoſoris familia penitus labefactanda perdendáque egit. At verò Sophoniæ, cui Ioſiæ regis Iuda temporibus vaticinari contigit, locus etiam
Sophonias. poſt Michæam & Habbakuq certo ordine fuit adſcriptus. Atque hæc claſſis eorum eſt qui ante incenſum templum vaticinati fuêre. Ipſo autem vaſtitatis tempore Ieremiam & Ezechielem munus ſuum obijſſe, ipſa eorum ſcripta apertè docent: vt & Haggæum, Zachariam atque Malachiam rebus iam reſtitutis, & ſecundi templi diebus, quos viſitationis dies Hebræi vocant vaticinatos, ex ipſorummet libris accepimus. Atque Abdia eo quem ſignificauimus modo poſterioribus addito, cæterorum omnium ratio & ſeries pulchrè iam conſtare videtur. Hactenus igitur prima nobis quæſtio explicata ſit.

Exiſtit autem ſecundo loco quæſtio ſubdifficilis ex varia annotandi temporis in vatum initijs obſeruatione. Etenim in ſex libris ex his, regum, quorum ætatibus vates munus ſuum obierint, mentio ſit apertiſſima, partim Iudæorum, partim Iſraëlitarum, aliquando etiam Medorum &
Hoſſeas. Perſarum. Vt in Hoſſea: Verbũ Domini quod fuit ad Ioſue filium Beeri in diebus Oziæ, Ioathan,
Amos. Abhaz, Ezechiæ, regum Iuda, & in diebus Ieroboã filij Ioas regis Iſraël. In Amos ſic: Verba Amos qui fuit in paſtoribus ex Thecoagh, qui vidit ſuper Iſraël in diebus Oziæ regis Iuda, & in diebus
Michæas. Ieroboam filij Ioas regis Iſraël. In Michæa verò legimus: Verbum Domini quod fuit ad Michæam
Sophonias. Moraſthæum in diebus Ioathan, Achaz, Ezechiæ regum Iehuda. Sophoniæ autẽ initium illud eſt: Verbum Domini quod fuit ad Sophoniã, &c. in diebus Ioſiæ filij Amon regis Iuda. In Haggæi quoque ſcriptis dicitur: In anno ſecundo Darij regis, in menſe ſexto, in die primo menſis factum eſt
Zacharias. Haggæus. verbum Domini in manu Haggæi prophetæ. Huic ſimile Zachariæ initium eſt: In menſe octauo in anno ſecundo Darij factum eſt verbum Domini ad Zachariam, &c. His itaque ſex vatibus tempora, nominaq́; regum, ſub quibus vaticinati fuerint, adſcribuntur. At verò Ioël, Abdias, Ionas, Nahhum, Habbakuq & Malachias, ſine vlla temporum aut regum notatione leguntur; cùm tamen eorum temporibus reges qui indicari poſſent, non defuerint. Huius autem varietatis cauſa inuenienda eſt, quæ quocumque modo de horum initijs librorum ſtatuatur, tamen obſeruationem, diligentiamq́; ad ſui contemplationem poſtulat. Siue enim horum librorum initia & inſcriptiones ab auctoribus ipſis olim, ſiue ab Eſdra Scriba (vt nonnulli volunt) ſint poſtea adiuncta: eadem tamen vtrobique quærendi ratio manet; (cùm nihil ab illis, neque ab Eſdra quicquam ſine magno iudicio, imò ſine diuino conſilio in hoc genere factum credatur:) quid cauſæ fuerit quamobrem in ſex libris tempora atque nomina diligenter indicata; in alijs verò ſex libris fuerint hæc omnino prætermiſſa. Ad hanc autem abſoluendam quæſtionem cùm nulla apud commentatores ratio conſcripta extet; illa tamen idonea ſatis eſſe videtur, ſi ſtatuamus in vaticiniorum rationibus temporum aut regum notationes non eſſe neceſſariò requirendas. Namque, Prophetis tres fines conſtitutos fuiſſe obſeruauimus; ad quorum aliquem vel omnes etiam actio omnis referenda eſſet. Ex quibus ille primus & maximè vaticinantibus proprius, vt futuræ res, vel quæ ad publi-

cam homi-

*tam hominum ſalutem, vel quæ ad alias regum, regnorum, ciuitatum, terrarum & ſingu-
larum interdum perſonarum rationes pertinerent, anteq̃uam edita eſſent, ex diuino homini-
bus vtiliſsimo conſilio prædicerentur, ſicut ſcriptum eſt: Quia non faciet Dominus Deus ver-* Amos 3.
bum, niſi reuelet ſecretum ſuum ſuis prophetis. Ex qua re illud efficitur, vt & Deum omnia an- "
te etiam, quàm ſint, cognoſcere intelligamus, & hominem mortalem diuini conſilij & arcani "
*compotem atque indicem eſſe poſſe fateamur. Alter verò vaticinij finis eſt, vt hominum mores,
ſtudia atque actiones, Prophetarum conſilio, admonitione, ac doctrina, vel componantur vel
corrigantur. Nam ex eorum qui vaticiniorum conſilia & reprehenſiones olim vel ſecuti ſtudio-
ſe fuerint, vel contempſerint exemplis obſeruato felici, aut duro exitu, poſteri ſibiipſis caue-
re ac proſpicere, ex vatúmque ſententia vitam inſtituere potuerunt & debuerunt; ſicut ſcri-* Hebr. 2.
ptum eſt: Qui per Angelos dictus eſt ſermo firmus factus eſt; & omnis præuaricatio & ino- "
bedientia, iuſtam accepit mercedis retributionem. Tertius autem Prophetarum finis fuit, de "
*rebus maximis, arcanis atque ſpiritualibus diuinorum dictorum ac promiſſorum rationem, ve-
ritatem, atque conſtantiam docere & confirmare. Nam quis vnquam mortalium quic-
quam cogitare, nedum affirmare, de lapſi & perditi humani generis reſtitutione, de verbi Dei
cum humana natura coniunctione, de conceptu, de natiuitate, de morte eiuſdem; quis de ſpi-
ritus, quis de corporis reſurrectione certum aliquid & exploratum dicere poſſet, niſi Deus id
quondam vatum officio indicaſſet, atque frequentibus teſtimonijs ſperandam exſpectandámque
liberationem propoſuiſſet & confirmaſſet? Cùm autem nobis Propheticæ lectionis vtilitas perpe-
tua ſit, nec minus earum quæ geſtæ ſunt rerum exemplum, quàm præſentium obſeruatio, atque
futurorum expectatio; documenti, ſpei, atque commoditatis ad vitam inſtituendam adferat: non
magni retulerit, ſcire quo tempore is auctor ſcripſerit, cuius ſcripta & certiſsima & vtiliſsima
ſemper fore manifeſtum ſit. Nam quæ illis hominibus, quorum ætate vates agebant, præſens actio
fuerat, eadem poſteris præſenti perpetuò conſilio, exemplo, aut documento eſſe poteſt. Quæ ve-
rò de futuris rebus antiquis propoſita, fidem olim diuini verbi auctoritate & miniſtrorum graui-
tate atque conſtantia meruere, eadem ſi geſta iam ſunt, cæterorum quæ nondum fuerint edita,
& ſpem facere certiſsimam, & exſpectationem mouere, propinquiorémque oſtendere valent.
Itaque ex prætermiſſo in vatum libris actionis tempore, nihil quatenus ad ſententiam aut ar-
gumentum de veritatis & fidei pondere; quatenus verò ad finem & legentium vſum per-
tinet, nihil de vtilitatis ſumma decedit. In quibus verò vatibus tempus indicatum eſt; in ijs non
ætatis, qua ipſi vixerint aut egerint, adnotandæ, ſed ſententiæ & argumenti certi commodius ex-
plicandi rationem habitam fuiſſe arbitramur. Namque vbicumque aliquid dictum actúm-
ve eſt, quod ad regem quempiam illiúſve regni res pertineret, conſultiſsimum fuerat ea ad-
notari tempora, ex quorum hiſtorijs vaticiniorum illorum argumentum peti explicaríq; poſſet.
Hoſſeas enim futuram Iehu exciſionem atque Iſraëlis abſolutam abductionem, & Iudæorum ex
Babylonienſi captiuitate liberationem ſingulariter prædixit. Quamobrem ea tempora indicata
ſunt, quæ vel certis ſceleribus & quorundam regum culpa cladem illam commerita fuerant, vel
aliorum etiam principum abſtinentia, cura & ſtudio, clementiam illam atque minus ſeueram in
Iudaicum populum ſententiam impetrauerant. Atque ad hanc rationem illa huius vatis vaticinia
referenda ſunt: Et viſitabo ſanguinem IeZraghel ſuper domum Iehu, & quieſcere faciam regnum
domus Iſraël. Et iterum: Quia non addam vltrà miſereri domus Iſraël, & domus Iuda miſerebor.
Opportuniſsima autem ad hanc rem mentio illa Ioathan, Achaz & Ezechiæ fuit. Quod & E-
zechiæ pietati bonam clementiæ partem in Iudaicis rebus diutius conſeruandis à Deo tributam
fuiſſe exiſtimandum ſit. Nomen etiam Ieroboam filij Ioas propterea eſt appellatum, quòd is ex
familia Iehu fuerit, maiorúmque ſuorum imitator, quam familiam extinguendam penitus fo-
re vates prædixit. Amos etiam quod de Samariæ vaſtatione vaticinatus eſt, atque inſtructas ſibi
ab Amaſea ſacerdote Bethel inſidias, accuſationémque apud regem factam narrauit, Ieroboam
regis Iſraëlis nomine & tempore annotato eſt editus. Idem autem quædam etiam de Iudæis*

 apertè &

*apertè & ſingulariter dixit, quæ vt melius exponerentur, temporis ſignificationem requirebant; vt
in eiuſdem commentariis latius docturi ſumus. In Michææ verò lamentationibus multa nomina-
Mich. 1. tim loca ex tribu Iudæ appellata ſunt: atque vatis ipſius patria eſt etiam indicata. Vt illud: Quia
venit vſque ad Iudam, tetigit vſque ad portam populi mei, vſque ad Ieruſalem. Et illud: Quia in-
firmata eſt in bonum habitans Maroth, quia deſcendit malum à Domino in portam Ieruſalem.
Tumultus quadrigæ ſtuporis habitanti Lachis, &c. Idem etiam: domus Acrib & habitantes Ma-
reſſah. Aliarum item Iudæ vrbium meminit, de quibus quæ dixit cùm priuatè ad Iudæorum gen-
tem (cuius maxima cura vates ageretur) referenda eſſent, ipſis regum temporibus & rebus ac-
commodari oportuit: quorum contemplatione ſententiarum ſumma melius & commodiùs ſub-
duci poſſet. Ob eam itaque rem in inſcriptione fuit: In diebus Ioathan, Achaz, Ezechiæ regum
Sophon. 1. Iudæ, quod vidit ſuper Samariam & Ieruſalem, &c. Sed & Sophonias multa ſingulariter de Ie-
roſolymitanis dixit, quæ temporis rationem certam ad exponendum poſtularent, quam idcirco in-
Cap. 3. dicari conſentaneum fuit. Dixerat enim: Et erit in tempore illo, ſcrutabor Ieruſalem in lucernis,
& viſitabo ſuper viros defixos in feci.us ſuis, &c. Et totum ferè caput: Væ prouocatrix & redem-
pta ciuitas, columba, &c. Et: Lauda filia Sion, &c. Quatuor igitur vatum horum vaticinia quòd
regum tempora & hiſtorias aliqua ex parte ſpectarent, nominibus etiam & diebus annotatis edi-
Haggæus. ta fuêre. Haggæus autem quòd de reædificando templo, deq; illius operis ratione & fine ageret,
Darij regis tempora ſine quibus vaticinij ſententia conſtare non poſſet, ipſemet in ſcriptis ſuis an-
Zacharias. notauit. Zacharias quoque Darij temporum meminit, cuius ipſe monarchiam ad Græcos migra-
turam certo ſibi oraculo prædixerat. Atque hæc cauſa ſatis apertè reddita nobis videtur, quamob-
rem ſex his vatibus temporum regumq; nomina adſcripta fuerint. At verò apud Ioëlem, Abdiam,
Ionam, Nahhum, Habbakuq, & Malachiam nullius ad Iudæa vel Iſraëlis regna priuatè ſpectan-
tis rei ſingularis annotatio, mentióne fit: quamobrem neque regum nominibus explicationis cau-
ſa appellandis, opus fuit. Namque Ioël ſiue de fame in Iſraëlitica regione futura, vt interpretes
putant, ſiue de quatuor orbis imperiis (vt ſuo loco videbitur) vaticinatus fuerit: tamen eius vatici-
nia nec ad Iudæ, nec ad Iſraëlis regnum ſingulari aliqua ratione referuntur; ſed magis omnia il-
lorum regnorum tempora in vniuerſum complectuntur. Abdias etiam Edom excidium, & Iſraë-
litarum reſtitutionem non ſingulariter, ſed generaliter prædixit. Ionæ autem & Nahhum, qui
ambo de Niniues rebus egerunt, & Habbakuq, qui de Nabuchodonoſoris illiúſque familiæ exitio
dixit, Iudæorum & Iſraëlitarum regum nomina adſcribi, nulla ratio poſtulabat; vt neque Mala-
chiæ etiam vaticiniis, qui de omni populi & ſacerdotalium rerum ſtatu magis, quàm de priuato
aliquo ad regnum regemq; pertinente argumento verba fecit. Ex quibus rebus omnibus illud ap-
paret, non tam temporum, quibus vates vel dixerint, vel vaticinati fuerint, quàm argumenti in
opere ipſo ſignificandi cauſa, dies & annos, atque nomina etiam regum ad vaticinia vocari ſole-
re. Atque hactenus ſecunda quæſtio eſt diſcuſſa.*

*Illud autem nobis tertio loco diſputandum occurrit, quidnam in cauſa videatur eſſe, quamob-
rem ex his duodecim vatibus quinque tantùm patrum, aut etiam auorum nomina expreſſe indi-
cata, reliquis verò ſeptem fuerint omnino prætermiſſa. Sunt autem quinq. illi, Hoſſeas filius Beeri,
Ioël filius Pathuel, Ionas filius Amithai, Sophonias filius Cuſſi, & Zacharias filius Barachiæ. Cæ-
teri verò ſunt Amos, Abdias, Michæas, Nahhum, Habbakuq, Haggæus, Malachias; qui tamen non
minus quàm alij patres habuerunt. Huius autem differentiæ cauſam cùm ex ſacris libris apertam
reddere non poſſimus, ex diligenti coniectura inueſtigare debemus. Dico igitur eos qui nomina-
tim appellati ſunt, patres celebres illuſtreſq; illis temporibus & gentibus ſuis notiſſimos fuiſſe:
atque ideo & honoris & fidei etiam faciendæ confirmandæq; cauſa vnà cum filiis ad illas publi-
cas actiones & partes eſſe appellatos, eodem ignominiæ periculo exponendos, ſi vana vaticinia e-
uaſiſſe vnquam accideret. Tantum enim cauſæ actioniſq; ſuæ veritati atque auctoritati vates fi-
debant, vt ſancta etiam parentum nomina teſtimonij loco adhibere, & profiteri minimè dubita-
rent. Reliqui autem, quibus obſcuriores aut minus noti patres contigerant, appellare eos aut indi-
care, nec*

care, nec vaticinij rationibus neceſſarium, neque ſua ipſorum dignitati aut muneri tenendo, aut
fidei confirmandæ, opportunum ſunt arbitrati. Etenim ad vaticinandi legationem legitimè ob-
eundam, nihil generis aut familiæ ratio per ſe confert: neque enim vt in regio aut ſacerdotali mu-
nere, ſic in vaticinij aut legis ferendæ, vel docendæ officio certarum tribuum, aut familiarum per-
ſonæ optantur. Nanque in ſacerdotem præterquam ex Leuitica tribu Aaroniſq́; familia, in re-
gem autē præterquam ex Iuda tribu vngi legitimè poſt Saulē nemini contigit: vaticinari autē &
docere pluribus, nulla certa generis ratione habita, datum fuit. Etenim Moſes, Samuel, Elias, Eli-
ſeus, Nathan, & alij multi, nec eiuſdem familiæ, nec tribus etiam eiuſdem fuêre. Atque adeò huic
aßignando muneri perſonarum magis animos moreſq́; congruos, quàm certum genus à Deo de-
ligi ſolere arbitramur; præſertim cùm ad futurarum rerum prædictionem, vitiorum etiam repre-
henſio adiuncta ſit: nam futura ſolum prædicere etiam Balaamo, etiā Caiphæ, aliiſq́; minus lau-
datis hominibus opportunè aliquando conceditur: temporum autem ſcelera & crimina ex diuini
ſpiritus inſtinctu accuſare, & grauiter carpere, non niſi optimis & integerrimis viris datur.

· *Accidere etiam poteſt, vt in ijs quæ appellantur patrum nominibus, opportuna aliqua ſignifica-*
tio fuerit; quæ cum filiorum ipſorum munere officioq́; conueniat, dignaq́; exiſtimetur quæ ad va-
tum ipſorum partes commendandas etiam petatur: vt Hoſſeæ pater Beeri, quod nomen puteum, בארי
ſiue puteum meum, ſiue putealem Latinè ſonat; ex eo fortaſſe impoſitum, quòd legis & diuinæ do- פתואל
ctrinæ vberrima copia apud ætatis ſuæ homines affluxerit. Ioël dictus filius Pethuel; vt ex nomine
panis ac buccellæ Dei, vati ad annonæ & frugum deſiderandarum imaginem vaticinium editum
fuiſſe videatur. Ionas verò ob vaticiniorum & dictorum conſtantiam & veritatem, patris nomen
Amithai, hoc eſt veracis, appellauerit. At verò Sophoniæ, cui nomen argumentis ab eodem tracta-
tis congruum eſt (ſignificat enim arcana abſconditaq́; Dei) quòd in patris nomine Chuſi nihil ma-
gnum, aut vehementer conueniens obſeruaretur: auorum & maiorum, non aliena nomina ſunt
addita, filij Gadaliæ, filij Amariæ, filij Hhazakiæ; quod Latinè dicere poßimus, filij magnitudinis
Dei, filij dicti Dei, filij fortitudinis & apprehenſionis Dei. Atque ita Zachariæ nomen Barachiæ
patris eſt adiunctum, quod diuinam benedictionem, & affluentem vaticiniorum de humana
felicitate & ſalute copiam ſuppeditatam oſtenderet. Itaque ijs vatibus quorum officiis paterna
nomina reſponderent; ſiue antiqua & vulgata commemoratione appellata fuerint, quemadmo-
dum fieri ſæpe ſolet; ſiue ab ipſis vatibus vſurpata, ſiue denique à librorum inſcriptoribus adiun-
cta; commodè profectò & vtiliter annotata ſunt. Atque equidem nomina hæc pariter cum filiorum
commemoratione vſurpari communi ſermone ſolere, multa in ſacris libris loca indicant. Etenim
& hiſtoria ipſa Ionam filium Amithai nominant: & Chriſtus Zachariam filium Barachiæ, ex
noto iam commemorationis vſu, dixit. Quorum verò paterna nomina indicata non ſint, ea nihil
huic rationi idoneum atque opportunum habuiſſe exiſtimare poſſumus. Illud verò nec alienum,
nec creditu difficile eſſet, ſi hæc patrum nomina diſtinctionis cauſa filijs impoſita dicerentur, quòd
eadem ætate alij atque alij idem nomen ſortiti, patrum aut auorum cognominibus dignoſceren-
tur; quod in antiquis linguis obſeruatum, in Hiſpana etiam ad noſtra vſque tempora factitatum
videmus. vt apud Græcos Aiaces Telamonius & Oileus: apud Latinos L. Tit. Sempronius L. F.
Namque huiuſmodi certa & vulgata olim in perſonis diſtinguendis nota fuit. Itaq. nominibus ijs
quæ eodem tempore pluribus viris fuêre, vſitatam paterni nominis cognominationem addere opus
fuit: cæteris verò, quibus nihil ambigui ad cognoſcendum, nomen ipſum ſolum appellatum reli-
quiſſet, paternum cognomentum ſine vllo incommodo eſt prætermiſſum. Igitur inter ea quæ ex
coniectura afferri à nobis in hoc genere poſſe videntur, hæc viſa ſunt aptißima. Illa verò ex He-
bræorum traditione & iamdiu celebris, & à noſtris etiam Chriſtianis ſcriptoribus ad hanc quæ-
ſtionem expediendam relata ratio eſt: Eos qui in vatum inſcriptionibus patres aut aui appellan-
tur, vates etiam, prophetico munere perſunctos fuiſſe: cæteros autem propterea nō appellari, quòd
vates nō fuerint. Atq. huic ſententiæ fundamentum ex illa Amōſi expoſitione iactum eſt. qui cùm
ſe, aut inſtituto ſuo, aut paterni officij imitatione, vatem euaſiſſe negaret; diuina tantùm præſen-

 tique

tique iuſſione eam, qua fungeretur, legationem ſuſcepiſſe profitebatur. Non ſum, inquit, propheta,
nec filius prophetæ. Qui verò huic ſententiæ ſubſcripſere, illud etiã addiderunt; Pethuelẽ quẽ Ioëlis
patrem ſcriptura adiungit, eũdem & Samuelem illũ celeberrimum Iſraëlitarum vatẽ, vltimum
reip. conſulem iudicemq́ fuiſſe. Atque hæc de patrum nominibus indicandis dixiſſe ſatis fuerit.

Ex hoc autem loco aditus nobis aperiri videtur, vt de patriæ nominibus apud quoſdam vates
expreſſis, apud alios verò prætermiſſis quærendum ſit. Docemur namque Amoſum ex paſtoribus
Thecuæ, Michæam Moraſtitem, Nahhum Elcuſſæũ fuiſſe: de cæteris verò nihil his ſimile legimus.
Atque in maiorum etiam vatum libris nulla de Ieſaiæ & Iezechielis patria mentio eſt, de Iere-
Hier. 1. miæ aũt ſcribitur: Verba Hieremiæ filij Helchiæ de ſacerdotibus qui fuerunt in Anathoth, quæ fuit
in terra Beniamin. Nam ſi ad indicandam tribum & genus vniuſcuiuſque ex vatibus patria ad-
notata eſt, adhuc noua quæſtio exiſtet; curnam quorundam tribus diligenter indicatæ; cæterorum
verò neglectæ aut prætermiſſæ fuerint? Præterea eam patriæ adnotandæ cauſam non fuiſſe, Iere-
miæ ratio oſtendit; cui ſi ad ſignificandam tribum adſcribi quicquam opus eſſet, prætermiſſo om-
nino loci nomine, ex ſacerdotibus genus deductum indicare, abunde ſatis fuiſſet. Vt etiã Ezechielis
generi indicando patrem Chuzi ſacerdotem appellare ſatis fuit. Præterea Nahhum cognomen
illud additum Elcuſſi, quanquam patriæ eſſe dicatur, tamen neque genus, neque tribum indicat,
quando de loco ipſo Elcus ad certam tribus cuiuſpiam ditionem referendo, nihil ex ſacris literis
compertum habeamus. Tantùm autem Mareſſam, vnde Michæas Moraſtites cognominatus eſt,
in Iudææ vrbibus numeratam nouimus. Nec verò de Amos genere & tribu ex eo conſtat, quòd
Thecoë loci facta mentio eſt. Non enim ille Thecoi vel Thecoites fuiſſe dicitur, ſed fuiſſe in paſto-
ribus Thecoagh, hoc eſt, ex illa ruſticæ vitæ exercitatione ad vaticinij munus obeundum legatus.
Thecoagh autem in Aſſeritarum agro ſita dicitur.

Huius autem variæ adnotationis cauſam inuenire triplicem poſſumus ex ipſa rerum conſen-
tanea ratione profectã. Prima autem eſt perſonarũ (vt in paternis nominibus diximus) diſtinctio.
Accidere namque potuit, vt alij atque alij eodem tempore Amoſi, Michææ, Nahhumi vocaren-
tur; quos ſi non per patrum, quòd vel obſcuri, vel iiſdem nominibus dicti eſſent, tamen per locorũ
nomina diſcernendos indicarẽt; vt ferè in humilioris fortunæ hominibus accidit, quibus promptius
& facilius patriæ aut loci vnde venerint, quàm familiæ cognomenta adnotantur. Atque hoc mo-
do Ieſus Chriſtus vel Nazarenus, vel Galilæus ab inuidis & maleuolis humilitatis magis obijcien-
dæ, quàm laudis aut arcanæ ſignificationis cauſa cognominabatur, cùm ab iis qui illius virtutem
atque excellentem dignitatem agnoſcerent, filius Dauid audiret. Itaque perſonæ diſtinguendæ
notationem loci nomen apud hos, vt patris apud alios habere videtur: ex quo fit, vt quorum locus
» adnotatur, eorundem paterni nominis mentio non fiat, præter vnum Heremiam, cui certo & ſin-
» gulari, vt docebimus, conſilio, & loci, & generis, & patris nomen eſt adſcriptum. Secunda etiam
» adnotandi loci cauſa ex libri ipſius argumento, & ſententiarum rationibus peti rectè poteſt.
Namque illa inter Amaſeam & Amoſum diſceptatio loci ad explicandum indicationem poſtula-
bat. Amaſeas enim Bethel ſacerdos dixit: Qui vides fuge tibi in terram Iehudah, & comede ibi
panem, & ibi prophetabis. Cui Amos: Non ſum, inquit, ego propheta, & non filius prophetæ ego,
ſed bubulcus ego, &c. Cuius dicti vt explicaretur ſententia, indicatum nobis initio eſt: Qui fuit
in paſtoribus; namque ille dixit: bubulcus ego, &c. Deinde etiam & loci nomen addi opus
fuit Thecoagh, quæ vrbs ad Aſſeritarum ditionem pertinebat. Quamobrem cùm dixit illi Ama-
ſeas; fuge tibi in terram Iehuda, vt in alterius ditionis & regni loca ſecuritatis cauſa fugeret, ſua-
dere conabatur illi quem ex decem tribubus Iſraëliticis eſſe cognouerat. Nam ſi ex tribu Iuda fuiſ-
ſet, nihil opus erat dicere, fuge tibi in terram Iuda, ſed, redito in terram, &c. Quòd ſi anti-
quorum quoque Hebræorum atq. philoſophorum placitis aſſentiendum eſt; nonnihil etiam ad va-
tis argumentum explicandum loci hæc notatio ſignificationis aſſerre videtur. Aiunt enim Thecoë
homines prudentiores dexterioréſque fuiſſe, cùm ob ſimplicem & facilem victũ, tum verò ob loci
editiorem & montanum ſitum purioremq́ cæli atque aëris vſum, quòd in mõtibus vrbs illa eſſet,

ſicus

*ſicut ſcriptum eſt: Et in Thecoagh clangite buccina; namque ſpeculatores buccina aut cornu ſi-
gnum edituri, editiſſima quæque loca vnde vox audiri longius poſſit, aſcendere conſueuerunt. At-
que hanc eſſe cauſam quidam putant, quamobrem Ioab Abſalonis reſtitutionem cogitans, The-* 2.Reg. 14.
*coiten fœminam ſapientem appellatam ad perſuadendum Regi aſciuerit. Atq. ita in hoc paſtore
Amos ſimilem non ex diſciplina aut educatione, ſed ex loci ingenio innatam prudentiam, quam
ille in reſponſione aduerſus Amaſeam oſtendit, ſignificare voluiſſe ſcriptura videtur. Neq. enim ad
tribum indicandam Thecoë nomen eſt inductum, cùm ea vrbs cuinam tribui adſcripta fuerit, ex
ſacris libris exploratum non ſit, adeò vt Hebræis doctoribus illum in libris Regum locum exponen-
tibus, in tribu Beniamin ſita eſſe dicatur, eadem q́; à D. Hieronymo ſex à Bethlehem Iuda mil-
liaribus diſtare ſcribatur. Igitur non tribus indicandæ, ſed ſentētia potius & argumenti explican-
di cauſa loca adnotari videntur. Atq. eodem quoque conſilio Michææ vati patriæ cognomentū ad-
ditum eſſe arbitramur. Nam cùm ille lugubrē lamentationem pro multarū ex Iudaica tribu vr-
bium excidio feciſſet, inter quas etiam ſuā ipſius patriam cōmemoraſſet, eāq́; acerbiori eſſet ge-
mitu proſequutus, quanā inter cæteras eſſet, initio indicare conſultiſſimum duxit, vt tantus dolor
ex pietate & naturali proborum hominū ſenſu profectus oſtēderetur. At verò Nahhum nō ex eo
Elcuſi cognominatus videtur, quòd patriā ſortitus fuerit Elcus dictam (nullū enim in omni ſacra
Chorographia huiuſmodi loci nomen extat) ſed potius ex ſignificatione ipſa cognomenti rationem
petendā putamus. Significat enim Elcuſi poſteriorē repetitorem, vel ſerotinum; ac verbum ipſum
ad poſteriorem aliquā ex duabus rebus, quæ ſerius edetur, indicandā vſurpari ſolet: ex quo fit, vt è
duabus opportunis in anno pluuijs, poſterior Malkus dicta ſit, quā Latini ſerotinā interpretantur.
Quæ quidē ratio omnis eò pertinere videtur, vt doceamur Nahhum, qui idē cum Iona argumen-
tum de Niniues excidio pertractauerit, poſteriorē tamen vaticinatū fuiſſe, atq. eandem diuinam
ſententiā inſtillaſſe; quæ tandē vrbi illi exitium maturatū allatumq́; eſt. Hanc verò adnotationē
præterquā quòd Chaldæus paraphraſtes apertè indicauit, in ipſius vatis libro ſignificatā obſeruari
contingit, vt nos ſuo loco oſtendemus. Illa demum accurata parentū, generis ac patriæ adnotatio,
quam Ieremiæ initio videmus, ad vatis ſanctitatē, ac ſingularem electionē adornandam ſpectat:
quòd ad tam graue atque ſeuerum vaticinij genus, quale Ieremiæ fidei & diligentiæ commiſſum
creditumq́; fuit, virū deligi oportuerit, paternæ virtutis exemplo, diſciplina, educatione & exer-
citatione probatiſſimum, cuius ad tantam rem ſatis apta natura ac perſona foret. Igitur is electus
eſſe dicitur, cuius pater Helkias fuerit ſacerdos magnus, vir optimus & piiſſimus, qui repertum
inter templi ſupellectilem legis librum ad regem religioſiſſimè tulerat, populoq́; prælegendū cu-
rauerat: deinde etiam quòd idem ex ſacerdotibus fuerit, qui in Anathoth habitarent; quos ob loci
propinquitatem in ſacris frequentandis atque procurandis rebus in templo colendo & celebrando
præ cæteris exercitatiſſimos, atque in omni pietatis ratione ſpectatiſſimos fuiſſe conſentaneum eſt;
quippe cùm Anathoth in ſorte Beniamin ſita omnium ex alijs tribubus ſacerdotalium vrbium
proxima Hieroſolymis eſſet. Atque hæc omnia electionis argumenta diuinum illud reſponſum,
quod illius vatis initio editum eſt, ſignificabat: Priuſquam egredereris ex vtero noui te, &c. Itaq.* Hier.1.
*locorum & patriæ annotationem, non generis ac tribus indicandæ, ſed ſignificationis & argu-
menti explicandi cauſa, quibuſdam vatibus additam eſſe exiſtimamus.*

Tertiam autē huius rei rationem ex antiquorū doctorum atq. interpretū ſententia afferre poſ- Hebræi in
ſumus, qui eos vates quorū patria indicata non fuerit, Ieroſolymitanos fuiſſe omnes aiunt; idq́; ex Doct. in lib.
eo adſtruūt quod ſcriptū eſt, De Sion exibit lex, & verbū Dn̄i de Hieruſalē, *&c. Illā enim*
*vrbē fuiſſe tradūt, quæ ob ſingulare Dei beneficiū, ac templi illius amplitudinē, & regum ſedes, &
prophetarū cōmunis patria fuerit; quod cū certū exploratúmq. eſſet, cæteros, qui ex alijs locis dele-
cti fuiſſent, vt rarū exemplū indicari oportuiſſe dicant, nempe duos tantū, Amoſum & Michæā,
nullū præterea alium. Neq. verò hanc ſententiā Hieremiæ nomine & loco oppoſito refutari, pro-* Hebræi doct. in
*pterea quòd ille cùm ſacerdos fuerit, & maximā tēporis partē Hieroſolymis, & in tēplo verſatus,
ibidemq́; vaticinandi ſpiritu auctus, ab Hieroſolymitana ciuitate alienus non ſit. Quòd ſi Hoſſeas*

& Ionas

& Ionas etiam obiiciatur, quorum neuter Hieroſolymis natus fuit; namque, vt ex ipſorum interpretum & doctorum traditione accepimus, Hoſſeas filius fuit Beeri, qui idem Beerach princeps in Reubenitide tribu. Ionas verò, cuius etiam patria non adnotatur in libri initio, Hieroſolymitanus non fuit, ſed ex Gethhabhepher in ſorte Zabulon; reſponderi tamē ab illis poſſit, hos duos quanquam alijs locis natos, Hieroſolymis tamen ciues adſcriptos vixiſſe, atque ibidem prophetico munere fuiſſe perfunctos. Quibus ex rebus omnibus illud colligitur, quod initio propoſueramus, nomina locorum vatibus ad indicandam tribum non fuiſſe adnotata; namque ea res nihil ad prophetiæ rationem confert; quandoquidem vates omnes quocunque in loco nati fuerint, vnius Dei viuentis nuntij ſunt. in quibus verò illa notata fuerint, in ijs certam argumenti & ſententiæ habitam fuiſſe rationem.

Illud præterea quinto loco adnotatione & diſputatione dignum videtur; quod prophetæ cognomentum tribus tantùm vatibus adiunctum, cæteris verò omnibus prætermiſſum obſeruatur. Quibus autem adiunctum eſt, hi ſunt: Habbakuq, cuius libri initium ſic habet: Onus quod vidit
Habb. 1. *Habbakuq propheta. Haggæus, apud quem legimus, In anno ſecundo Darij, &c. Fuit verbū Do-*
Hagg. 1. *mini in manu Haggæi prophetæ: & Zacharias, qui ita ſcriptum reliquit: In menſe octauo, in anno ſecundo Darij, fuit verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filij Ghido prophetam. Cæterorum verò vatum nullus in proprijs libris propheta cognominatus eſt: qua de re nihil ab antiquis doctoribus, neque ab interpretibus alijs ſcriptum extat. Nobis tamen quænam cauſa huius diligentis annotationis fuerit, inueſtigandum. Principio igitur Habbakuq propterea propheta cognominatus fuiſſe videtur; quòd nonnullis fortaſſe in dubium venire potuiſſet, an prophetico ſpiritus dono auctus inſtructusq; eſſet, an ſancti aliàs ſcriptoris munere dignitateq; functus dicendus foret; vtpote cuius liber, & dicendi genere, & auctoritatis dictis & actionibus vatum conciliandæ conſuetudine, longè ab alijs diuerſam rationem ſequutus videatur; atque ita quanquam à ſpiritu ſancto dictatus exiſtimari deberet; tamen ad prophetiæ gradum non perueniſſe fortaſſe quibuſdam putaretur. Nihil enim in eo libro illis orationibus ſimile auditur: Verbū Domini quod fuit ad Habbakuq: aut, & fuit verbum Domini ad Habbakuq. Neque etiam illis: Sic dicit Dominus: vel dictum Domini: quibus dicendi formulis, vaticiniorum ſuorum auctoritatem diuinam, vaticiniaq; ipſa non propria ſententia edita, ſed Deo dictante excepta atque relata aſſerere plerique omnes vates conſueuere. Præterea cæteri vates, vt non ſuam ſed diuinam planè cauſam, actionem atque orationem quam habent, eſſe confirment, ipſam Dei perſonam ſermonibus inducunt ſuis: vt, Non offeratis mihi ſacrificium vltra incenſum, &c. abominatio eſt mihi. Conſolamini, conſolamini populum meum, dicit Dominus, &c. Cuius rei frequentiſſima apud omnes vates exempla ſunt. At*
Habbakuq. *verò Habbakuq ita orationē inſtituit, vt ſuam ſolius planè eſſe profeſſus videri fortaſſe poſſit. Vſquequò Domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis? Qua-*
Cap. 2. *re oſtendiſti mihi iniquitatem & laborem videre prædam & iniuſtitiam contra me? Et, Nunquid non tu à principio Domine Deus meus, ſancte meus, & non moriemur? Et, Super cuſtodiā meam*
Cap. 3. *ſtabo, & figam gradum ſuper munitionem. Et, Domine audiui auditionem tuam & timui, &c. Ita vt de Nabugodonoſoris impij proſperitate, & Iſraëliticis miſeriis conqueſturus hic auctor, non*
Ps. 73. *tam propheticum dicendi genus quàm pſalmi Aſſaphici formulam ſecutus fuiſſe putetur; Quàm bonus Iſraël Deus, ijs qui recto ſunt corde; mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei. Quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns. Quanquam enim in ſecundo capite dixerit Habbakuq, Et reſpondit mihi Dominus, & dixit, Scribe viſum & explana ſermonem, &c. tamen ea res propheticum dicendi genus non planè demonſtrat, cùm vates poſt querelas illas & diſputationes de improborum proſperitate & ſucceſſibus; tamen extremos illorum caſus & ruinas diuinæ prouidentiæ cogitatis rationibus intellexiſſe & indicaſſe magis, quàm prophetico ali-*
Ps. 73. *quo, & præſenti reſponſo accepto retuliſſe videatur. Vt illud etiam apud Pſalten: Donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligam in nouiſſimis eorum. Et quod Dauid eodem argumento accla-*
Ps. 91. *mauit: Quàm magnificata ſunt opera tua Domine, nimis profunda facta ſunt cogitationes tuæ!*

vir inſi-

vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc, &c. Cùm exorti fuerint peccatores ſicut fœnum terræ, & apparuerint omnes operantes iniquitatē, vt intereant in ſeculum ſeculi, &c. Et illud: Et reſpexit oculus meus ſuper inimicos meos, & de inſurgentibus in me malignantibus audiet auris mea. Iuſtus vt palma florebit, &c. Quæ omnia quanquam vera, certa, & ſpiritus ſancti inſtinctu dicta ſunt, tamen propheticum gradum & nomen non ſunt ſortita. Neq. enim hi quos citauimus ex Pſalmo verſus oſtendunt auctorem à Deo prophetico ſpiritu actum vidiſſe aut audiuiſſe, ea quæ de bonorum & malorū finibus differebantur, ſed ex legis & prophetarum oraculis obſeruata & cognita, diuino inſtinctu & conſilio ſcripta eſſe. vt illud etiam: Audiam quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, &c. Pſ. 35. *Ad huiuſmodi autē ſcripturæ genus Habbakuq librum referri non alienum fortaſſe videretur, ad quod illud etiā facit, quod huius libri fini adnotatū ſit: Oratio Habbakuq pro ignorantiis; vel vt Hebraicè habetur* עַל שִׁגְיוֹנוֹת *cuius ſimilis perſæpe in Pſalmis inſcriptio obſeruatur,* SIGAION LEDAVID, &c. *Igitur huius dubitationis tollendæ penitus cauſa, Habbakuq libro illam inſcriptionem additam eſſe intelligimus:* ONVS QVOD VIDIT HABBAKVQ PROPHETA. *Namq. grauiſſima duo verba illa,* ONVS QVOD VIDIT, *ſolis vatibus, nulli præterea alij auctorum ordini tribuuntur: quamobrem oneris viſioni prophetæ cognomentum addi conſentaneum fuit; ita vt hac inſcriptione apertè & quæſtio ipſa indicetur, & indicata abſoluatur: nimirum Habbakuq quanquam diuerſo à cæteris vatibus dicendi genere vſum, conquerentis & diſceptantis partes oratione agentē; tamen verè Prophetam fuiſſe, atq. propheticū argumentum cauſamq́; genus tractaſſe; idq́; grauiſſimo etiam prophetiæ genere, nempe viſione accepiſſe. Cæteros verò vates, quorū & genus dicendi, & rerū, de quibus agitur, argumenta, prophetiam manifeſtè oſtendunt; huiuſmodi prophetæ cognomēto cōmendari, atq. indicari non fuiſſe opus; atq. ita illud quod hic ſibi à Deo dictum & reſponſum expreſſerit, ſcribe viſum, &c. verè viſum, diuinitusq́; dictatum fuiſſe confirmatur.*

Verùm aliam tamen cauſam eſſe arbitramur, quamobrem Haggæus fuerit propheta cognominatus: quòd ex Hebræorum ſententia vaticinium tantū in terra Iſraël, atq. in ea regione, quæ à Deo in hæreditate Iacob definita fuerat, conſtare poſſe diceretur; atq. adeò magni miraculi loco duci, ſi albi quàm in terra ſancta appellata, aut propheta aliquis extaret, aut vaticiniū ederetur; quòd illa regio gratiſſima præter cæteras & peculiariter delecta ad diuinarū virtutum edenda exempla, credatur; vt in diſputationibus ſuis doctus quidam auctor dialogo inter ſapientem & regem Chozar inducto, diſſeruit. Lib. כוזרי *Atq. ea cauſa adductū Moſem, tanquam ſingularis beneficij, & miraculi exemplum illud ceciniſſe putabant antiqui:* Deut. 32. *Inuenit eū in terra deſerta, in loco erroris & vaſtæ ſolitudinis circumduxit eū, & docuit, & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui. Etenim vaticiniū, id eſt, futurarum rerum cognitio, Dei propria virtus eſſe affirmatur, quam ille cum certis hominibus communicet; ibi tamen cōmunicare ſolum putetur, vbi peculiaribus argumentis maieſtatem, præſentiam, prouidentiamq́; ſuam probare dignatus fuerit: hanc autem regionē illam præcipuè fuiſſe aiunt, in qua & templum ſibi dicari, & ſacra arca, propitiatorio, atq. inciſis legum tabulis, cæleſtiq́; igne ornari voluerit: interim enim dum horum ornamentorū omnium ratio integra conſtaret, prophetia vt comes indiuidua regioni ac genti nō defutura eſſe credebatur; id quod illo loco ſignificatum dicitur: Et loquar ad te deſuper propitiatoriū de inter duo Cherubim, &c. Hinc enim & vaticinij. & ſcientiæ, & intellectus dona ad idoneos homines permanare, illisq́; rebus ſublatis ceſſare exiſtimantur, adeò vt propter eam cauſam ab Hieremia vaticinij defectum indicatum, atq. deploratum aſſerant. Etiam prophetæ non inuenerunt viſionem à Domino.* Thren. ca. 1. *Nam quanquam Ezechiel & Hieremias extra regionem illam vaticinati fuerint, tamen eius muneris ac virtutis, antequam Babylonē, aut aliò migrarent, in vrbe ipſa Hieruſalē compotes fuiſſe dicuntur; id quod de Heremia exploratum eſt; de Ezechiele autem ex eo oſtenditur, quòd in eius libri initio ſcriptum ſit,* הָיֹה הָיָה דְבַר *fuit,* fuit, vel eſſe fuit, verbum Domini ad Ezechielem, &c. *quod ſic interpretantur: Verbum quòd fuerat ad Ezechielem antè, fuit etiam in terra Chaldæorum, &c. Atque antiquiſſimos prophetas, qui in primis ætatibus fuerant, alio prophetiæ munere*

uere præditos, alio genere vſos tradunt, quod magis ad ipſorum dignitatem & ſanctitatem efficiendam atque amplificandam, quàm ad alios homines de futuris rebus erudiendos, atque ſalutis rationem docendos pertineret; quales fuère Noe, Sem, Eber, & Patriarchæ; qui quanquam prophetæ fuerint, non tamen certis legationibus acceptis miſsi dicuntur, nec illorum vaticinia huius generis vſquam extant, neque extitiſſe vnquam certa auctoritate compertum eſt. Itaque qua ratione vncti ad propriam ipſorum ſanctitatem, eadem prophetæ etiam Deiq́; familiaritate & Ps.105. *alloquio vſi dicuntur:* Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. *Altiorem autem prophetiæ gradum, & magis definitum legationis munus ſortitos fuiſſe cæteros exiſtimamus, qui ab expugnata iam & culta per Iſraëlitas regione creati ſunt, id eſt, omnes quotquot à Samuele & deinceps vſque ad templi excidium & ſacrorum monumentorum defectum fuiſſe commemorantur. Namque his temporibus vates auctoritate ſumma de magnis, certis atque apertis cauſis publicè priuatéq́; miſsi ſunt, qui vel populum omnem, vel reges, vel alias etiam perſonas diuini conſilij, voluntatis ac iudicij facerent certiores. Adeò verò de hac re conſtans & communis Iſraëlitarum omnium opinio erat, vt ſecundi templi temporibus vaticinium propterea deficere putaretur, quod ad minorem multò, ac minus elegantem templi ſtructuram illius etiam ſacri apparatus arcæ, propitiatorij, Cherubim, tabularum, &c. defectus deſideriumq́; acceſsiſſet; cùm tamen alia huius deſiderati vaticiniorum vſus cauſa fuerit, quam nos idoneo loco, ſi Deus conceſſerit, indicabimus. Verum enimuero cùm ſecundi templi temporibus Iudaicas res erigere & reſtituere, atque futurum propediem Chriſti aduentum adornare, apparare, orbiq́; indicare Deus decreuiſſet; tres ad eam rem procurandam atque commendandam vates, quos certis & idoneis mandatis traditis legaret, delegit Haggæum, Zachariam & Malachiam; eorumq́; primũ (cuius præter hominum opinionem & ſententiã miſsi ratio, munus atq. auctoritas in dubium venire poterat) prophetæ titulo & cognomine ſignari, fidemq́; hoc modo cæteris duobus & prophetici muneris, & certæ legationis fieri voluit. Atq. ea res, vt teſtata magis, conſtans apertaq́; eſſet, multis in locis apud vatem ipſum ſignificantiſsimis verbis fuit expreſſa: vt ſecundo primi capitis verſu,* Hæc ait Dominus exercituum dicens. *Et tertio verſu:* Factum eſt verbum Domini in manu Haggæi Prophetæ. *Et illud frequenter:* Hæc dicit Dominus exercituũ. *Illud etiam vt grauiſsimi teſtimonij, & publicæ agnitionis atque confeſsionis additum eſt argumentum:* Et audiuit Zorobabel filius Salathiel, & Ieſus filius Ioſedec ſacerdos magnus, & omnes reliquiæ populi vocem Dei ſui, & verba Haggæi Prophetæ, ſicut miſit eum Dominus Deus eorũ ad eos, & timuit omnis populus à facie Domini. *Illud porrò in hanc ſententiam ſignificantiſsimum eſt:* Et dixit Haggæus nuncius Domini de nunciis Domini ad populum dicens: Ego vobiſcum, dicit Dominus. *Quæ quidem verba omnia accuratè repetita eò tendunt, vt demonſtret vaticinandi ſpiritum etiam illo tempore fuiſſe hominibus ad publicam vtilitatem atque eruditionem impertitum. Eandem etiam in Zacharia cognomento rationem reddere poſſumus, cuius vatis actiones paulo poſt Haggæum, vt ſuo loco demonſtrabimus, cœptæ ſunt. Atque Malachiam; quanquam eiuſmodi Prophetæ agnomen non indicauerit; tamen nomen ipſum ſatis ad eam rem afferre auctoritatis indicatum eſt. Nam Malachi, nũcium ſiue nuncium meum ſignificat: nuncius autem maximorum prophetarum proprium officij cognomentum eſt; vt apud Haggæum vidimus, quem nuncium Domini de nuncijs Domini ſcriptura appellauit. Apud eundem etiam Malachiam, Iohannes qui Prophetarum maximus Chriſti iudicio & ſententia pronunciatus eſt, eodem vatis ipſius nomine cognominatur:* Ecce ego mitto Malachi Angelum meum, *ſiue nuncium meum: ita vt non defuerint qui hunc etiam locum de Malachia ipſo interpretarentur. Hebræis itaque aut Hebraicè ſcientibus non neceſſarium fuit, hunc poſtremum vatem prophetam cognominari, quem nomen ipſum miſſum eſſe & nuncium ſatis apertè indicabat. Plus enim ad eam rem oſtendendam auctoritatis & efficientiæ nomen ſolum habere indicatum eſt, quàm ſi cognomento addito exponeretur; atque adeò ob eam rem ea huius vatis libro inſcriptio præpoſita eſt, quæ cum nominis ſignificatione aptiſsimè conue-*

mè conueniret: Onus verbi Domini in manu Malachi. quam nos ſuo loco, ſi Deus annuerit, explicaturi ſumus. Eſt ergo in nomine ipſo Malachi antonomaſia & dignitas quædam indicata, quæ nullo adiuncto cognomine augeri magis potuit. His etiam illud accedit, quòd quibuſdam ex antiquis auctoribus Malachiam eundem & Eſdram eſſe placuerit; alijs verò Mardochæum; ijs autem Malachi non iam nominis, ſed cognomenti loco appellari poteſt, quod ex munere & officio additum fuiſſe exiſtimetur. Atque hactenus quidem quintæ quæſtionis ratio nobis explicata eſt.

Nunc verò deinceps cauſa eſt inquirenda, quamobrem vnicum Nahhum Prophetæ opus inter cætera aliorum vatum omnia, liber dictus ſit. Neque enim cæterorum vatum ſcripta, quòd in vnum corpus vnà cum Nahhum coagmentata fuerunt, aut minus libri, aut breuiores quam hic ſunt, eam ob cauſam hic ſolus libri nomen præ cæteris meruiſſe exiſtimari debet. Atque huius ſingularis & propriæ in hoc vate obſeruationis illa ratio ipſa operis inſcriptione nobis indicari videtur. Cæteros vates omnes ea quæ in mandatis à Deo habuerint, propria ipſorum præſentiaq; actione & oratione fuiſſe executos, vt non ſolùm alij apud Iſraëlitas legationes vnuſquiſque ſuas præſentes obierint; ſed & Ionas etiam apud Niniuitas, ad quos diuino iuſſu legatus venerat, munus ſuum voce, verbis, actioneq; propria expleuerit. Nahhum verò nec Niniuen petere, nec Niniuitas præſentem alloqui, ſed ſcripto & miſſo libro, illorum exitij admonere iuſſum fuiſſe: quamobrem eundem, rationem ſuam ab alijs vatibus diuerſam, certa inſcriptionis formulæ indicaſſe adnotaſſeque arbitramur: Onus Niniue, liber viſionis Nahhum Elchuſæi, &c. Namque vt in huius & Malachiæ vatis commentarijs docebimus, libri & oneris nomina epiſtolam aut literas ad aliquem datas ſignificant.

Illud porrò vltimum & obſeruatione & expoſitione digniſſimum iudicauimus, quod in vatum initijs adnotandis, atque inter ſe conferendis animaduertimus. Etenim ſex formulæ ſunt, quibus prophetarum ſcripta, quæ extant, inchoari ſolent: prima illa eſt quatuor vatibus communis: Verbum Domini quod fuit ad Hoſſeam filium Beeri, vel ad Ioëlem filium Petuelis; vel ad Michæam Moraſtitem, vel ad Sophoniam, &c. Secunda verò eſt, quam totius Ionæ libri initio, & apud alios vates in priuatis vaticinijs, non in libri initio, ſed in corpore ipſo videmus hoc modo: Et fuit, ſiue, Et factum eſt verbum Domini ad Ionam filium Amithai, &c. Et factum eſt verbum Domini ad N. Tertia autem eſt viſionis inſcriptio, quæ quibuſdam apponitur; vt Viſio Abdiæ; Viſio Nahhum Elchuſæi. Viſio Iſaiæ filij Amos. Quarta inſcriptionum ſiue initiorum formula à verborum plurali nomine alicui vati adiuncto pronunciatur: vt verba Amos, verba Hieremiæ. Quinta incipiendi formula nomine oneris exprimitur: vt Onus Niniue, Liber viſionis Nahhum Elcuſæi. Et onus quod vidit Habbakuq. Et onus verbi Domini ad Iſraël in manu Malachiæ. Apud cæteros etiam vates ſæpe verbum illud Onus ad priuata vaticinia exordienda vſurpatum obſeruatur. vt Onus Babel: Onus Iſai.
Tyri: Onus Ægypti, &c. Et apud Zachariam, Onus verbi Domini ad Iſraël: &, Onus verbi Domini in terra Hhadrach. Sexto demum modo à regum nominibus & temporibus indicandis vatum ſcripta initium facere ſolent; vt Haggæi liber: In anno ſecundo Darij. Et Zachariæ prima pagina ſic habet: In menſe quinto, in anno ſecundo Darij. Quã etiam rationem Iezechiel ſecutus, ſic exorſus eſt: Et fuit in trigeſimo anno. Quid igitur cauſa eſt, quãobrem non idem omnibus vaticinijs initiũ, vel à diuina auctoritate ductũ, vt, Verbum Dñi, &c. Quandoquidẽ communis omnibus illis ea ratio ſit, vt à Deo dictata fuiſſe verè dicatur: vel & fuit Verbum Dñi: vel deniq. aliunde, eodem tamen modo factum? neq. enim hanc incipiendi varietatẽ ratione & conſilio vacare putandũ eſt. Nihil enim adeò propriũ cuipiam vel vati vel vaticinio indicatur in his exordijs, quod non idem cõmune etiam cæteris dici poſſe videatur: omnibus namq. diuina ad dicendum auctoritas conſtat; omnibus nomina propria, quibus appellarentur, fuêre; omnibus verba facta; omnibus vel viſione, vel ſpectro, vel ſomnio vaticinium oſtenſum, vel quo genere cuique oſtenderetur, indicare integrum eſſet; ſicut & ijs fuit qui viſionem indicarunt. Deinde

ſi nomen

ſi nomen oneris, vt plerique ex interpretibus, & Chaldæus paraphraſtes, volunt, ita definiendum
eſt, vt propheтiam à vate ex Deo acceptam, vel grauem propheтiam intelligamus; nulla prophetia
vel leuis, vel non ex Deo accepta fuit. Præterea cùm omnes vates alicuius vel Iſraëliticorum, vel
Iudæorum, vel Perſarum regis tempore fuerint; quare non idem omnes à temporum & regum
notatione & nomine initium vaticinijs dederint, eſt inquirendum. Id autem vt magis clarè ac di-
ſtinctè fiat, ſingulorum rationes conſideranda nobis fuerint. Igitur earum quas indicauimus for-
mularum ſententia & argumentum omne, ad tria tantùm genera refertur; quorum primũ eſt
Verbum Domini. *Secundum,* Viſio. *Tertium verò* Onus. *Namque primum genus illas com-*
plectitur formulas: Verbum Domini quod fuit: Et fuit verbum Domini. *Quæ verborum*
tantum ſitu & ordine, non autem ſententia differunt. Idem enim ſignificat verbum Domini quod
fuit, & fuit verbum Domini; niſi quantum hæc poſterior forma cum præcedenti aliqua narratio-
ne contexi & continuari videtur: vt, Et fuit ſol ad intrandum. Et fuit cùm illi ſepelirent
virum, *&c. (vbi nos vertimus* & fuit: *interpres noſter habet, & factum eſt: quod idem nobis ſi-*
gnificat) ſed tamen illud, Et fuit, *ad verbum redditum eſt pro* ויהי *Quod antiqui Hebræi cala-*
mitoſi & grauis argumenti vaticinijs addi ſolere putauerunt. Volunt enim eſſe compoſitam vo-
cẽ ex duabus interiectionibus וי *&* הי *quæ dolorem mæſtitiamq; indicare ſolẽt; ita vt in Iona id*
etiam indicatum velint, quod ab illo vate in naui, mare, & ceti ventre laboris exantlatum fuerit.
Atque ad hoc primum genus Verbum Domini, illa etiam ſexta formula pertinet, quæ regis atque
ætatis mentio fit, vt in Haggæo & Zacharia videre eſt. Nam ſtatim poſt regum nomina, ſubiun-
gitur, fuit Verbum Domini in manu Haggæi prophetæ. fuit Verbum Domini ad
Zachariam. *Apparet itaque hanc formulam hoc genere,* Verbum Domini *contineri. Neque*
enim quamuis verborum ſitu & loco nonnihil diſcrepent; tamen ſententia ab his quæ adnotaui-
mus illa quicquam differunt: Verbum Domini quod fuit ad Hoſſeam filium Beeri, in
diebus Oziæ, Ioatham. *cùm eadem omnibus & verbi Domini inſcriptio, & temporis ac regis*
mentio ſit. Etenim liberum cuique homini & integrum eſt, iiſdem verbis, modò ſententia ſibi ipſi
Matt. 3. *conſtet, pro ſuo arbitratu locatis vti. Sic enim Euangeliſtæ eandem rem iiſdem verbis ſitu tantùm,*
& ſerie variantibus narrare ſolẽt; vt, In diebus autem illis venit Ioannes Baptiſta prædicans in de-
ſerto Iudææ, & dicens, Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Hic eſt enim
qui dictus eſt per Iſaiam prophetam dicentem: Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini,
Marc. 1. *rectas facite ſemitas eius. Sic Matthæus. Marcus verò ſic: Vox clamantis in deſerto, parate viam*
Domini, rectas facite ſemitas eius. Fuit Ioannes in deſerto baptizans & prædicans baptiſmum
Luc. 3. *pœnitentiæ. Lucas autem: Et factum eſt Verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in de-*
ſerto, & venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptiſmum pœnitentiæ, &cet. At-
que ita primam, ſecundam, & ſextam formulam ad primum genus commodiſſimè referimus.
Secundum verò genus, quod nomine viſionis adnotauimus, tertiam formulam complectitur: vt
Viſio Iſaiæ, Viſio Abdiæ, &c. *quo in genere quarta quoque formula continetur, in qua initium*
à verbo, vel verbis & perſona ducitur; niſi aliàs aliud indicatum ſit: vt Verba Amos, *&c. cõti-*
nuò enim huic inſcriptioni ſubiungitur: Qui vidit ſuper Iſraël in diebus Oziæ: *qua oratio-*
ne illud indicatum eſt, verba illa ſibi eo prophetici inſtinctus genere, qui viſio dicitur, fuiſſe dictata.
Illud verò apud Hieremiam, Verba Hieremiæ filij Helchiæ, *ad primum genus pertinere ap-*
poſita narratione declaratur. Quod factum eſt Verbum Domini ad eum. *Idem enim hoc*
atque illud eſt, Verbum Domini quod factum eſt ad Hieremiam. *Verum enimuero cùm*
omnium vatum vaticinia nihilominus eorundem verba dici poſſe videantur, quidnam priuatæ ra-
tionis fuerit in his quorum verbis perſonæ etiam nomen adiunctum eſt, operæpretium fuerit co-
gnoſcere. Nam quod ab antiquis ad hanc rem affertur, id non ſatis commodè hunc nodum expe-
dit: videlicet eos qui ſuum nomen initio profitentur, aſperam, grauem & obiurgatoriam oratio-
nem inſtituiſſe, in eaq; habenda nomen ſuum libertatis & integritatis oſtendendæ cauſa appel-
laſſe; ita vt cùm legimus verba Hieremiæ, verba Amos, reprehenſionem culpæ & vitiorũ contineri
intelliga-

intelligamus. Sed nullus ferè in cæteris vatibus eſt, apud quem reprehenſiones, obiurgationes, atq. grauiſſimæ accuſationes non ſint. Etenim Iſaias, Ezechiel, Hoſſeas, omnes denique cæteri vſq. ad extremum omnium Malachiam, in temporum ſuorum vitia & mores grauiſſimè perorarunt: neque tamen eiuſmodi inſcriptionem habent: Verba Hoſſeæ, &c. Alia igitur huiuſmodi inſcriptionis cauſa & ſignificatio eſt; Quod in his vatum libris præter vaticinia certè quædam rerum, quas vates ipſi aut egerint, aut pertulerint, narrationes contineantur; ita vt non ſolùm verborum & orationum argumenta & exempla, ſed rerum etiam geſtarũ hiſtoriæ ſint: Vt quæ Hieremias ſibi ex ſuſcepto & diligenter facto officio apud regem, principes, ſacerdotes, populum, & Ghabedmelech Aethiopem accidiſſe narrat. Quodq; item Amoſo cum Amaſea negotium fuit, quæ quòd ad hiſtoriam propriè pertinent, hiſtoriæ nomen inſcriptionemq; in his duabus perſonis præter cæteros, quibus nihil tale inter vaticinandum acciderat, meruerunt. Atque ita Verba Amos, Verba Hieremiæ, res ab his vatibus, tum geſtas tum perlatas exponimus eadem ſignificatione, qua exponi illa ſolent: Verba dierum regum Iſraël. & palam: Factum eſt verbum iſtud: Ego Exod.2.
faciam verbum in Iſraël: & reliquum verborũ Salomonis, & omnia quæ fecit, &c. 1.Sam.3. 3.Reg.1.
Quibus in locis & multis alijs verba, res geſtas, dictaq; & facta cuiuſpiam ſignificant: qualia in Hieremiæ & Amoſi libris obſeruantur, vbi præter vaticinia ipſa & legationes quædam etiã propriæ ipſorum res, actiones, orationesq; ſunt, cuiuſmodi nihil in cæterorum vatum libris offendimus; in ijs enim tantum id quod acceptum à Deo fuerit, relatum explicatumq; legitur. Quamobrem vni Deo, vt auctori vnico ac proprio, attribui adſcribiq; ſolet ille titulus; Verbum Domini. Viſio, vel Onus. Tertium autem genus eſt, Onus, in quo quinta, quam indicauimus, formula verſatur. Illud demum in hoc argumento obſeruatione dignum eſt, fieri nonnunquam vt ſingula genera ſingulis, aliquando etiam vt duo ſimul vni vati adſcribãtur; atque hæc etiam coniungendi ratio, varia in alijs atq. alijs ſit. Alterius modi exempla illa ſunt: Verbum Dñi quod fuit ad Hoſſeagh. Verbum Dñi quod fuit ad Ioël, &c. Viſio Iſaię, Viſio Abdię, Onus Ægypti, Onus Babel. Poſterioris illa varia etiam exempla ſunt: Fuit Verbum Domini ad Abraham in viſione. Et Onus Verbi Domini ad Iſraël in manu Malachiæ. Et Onus Niniue. Liber viſionis Nahhum Elcuſſæi. Onus Babel quod vidit Iſaias. Onus quod vidit Habbakuq. Itaq. vnum quidem ſimplex, vel duo varijs modis coniuncta, vni vati; ſed tamen tria omnia ſimul nulli vſquam adſcripta inuenimus.

Exiſtit autem hoc loco non incommoda diſputatio, cuius argumentũ ex antiquorum expoſitorum obſeruationibus proficiſcitur. Legimus enim in expoſitione illius loci apud Iſaiam; Viſio du- Iſa.21.
ra nunciata eſt mihi: decem verborum genera Vatibus familiaria, & veluti propria eſſe, quorum frequentiſſimus vſus apud eius ordinis auctores fuerit; ea ſunt: PROPHETIA. Viſio. Stillatio. Verbum, ſiue Locutio. Dictum. Præceptũ. Onus. Parabola. Ænigma, ſiue Propoſitio, Interpretatio. Quæ ſua, id eſt, Hebraica lingua ſic ſonant: נבואה חזון הטפה דיבור אמירה ציווי משא משל חידה מליצה quorum duriſſimum genus viſio eſſe perhibetur; quòd ſcriptum ſit, Viſio dura nunciata eſt mihi, &c. Hi gradus, vel, vt aptius dicamus, hæc ſtatuum diſcrimina in prophetiæ rationibus ab antiquis recenſentur: quæ ſi ita ſe habeant, videndum eſt primum an noſtra triplex generum partitio ſatis commodè facta ſit; cùm poſuerimus vnum genus, Verbum Domini. Alterum Viſio. Tertium Onus: videntur enim ſeptem aliæ partes adhuc intereſſe. Deinde etiam illud videndum eſt, an decem illa verba ab antiquis obſeruata ſynonyma ſint, eidemq; rei omnia conueniant, an variã ſingula ſignificationem rationemq; ſequantur. Namq. ſi idem omnium pondus, eademq; ratio eſt, illud minimè ſtare poteſt, quod ab ijſdem aſſeritur, duriſſimum genus eſſe Viſionem. Sin verò differre inter ſe dicantur, quænam vniuſcuiuſque ratio propriè ſit, cognoſcere operæpretium fuerit. Tertio autem inquirere oportebit, quidnam antiqui auctores intereſſe putauerint inter Verbum ſiue Locutionem & Dictum, quæ ſeparata ab illis fuêre: adeò vt illud ſæpiſſimè in hoc genere expreſſum adnotetur: Et locutus eſt Dominus ad Moſem dicens: ſiue vt Hebraicè habet, ad dicendum. Præterea quid differat

PARABOLA ab ÆNIGMATE ſiue propoſitione;quæ ab antiquis diſtincta ſunt. Omne enim Ænigma parabolā dici,nihil,vt videtur,prohibet. Illud autem difficilius multo cæteris eſſe videtur, quòd in decē illus prophetiæ formis ſiue verbis Prophetia numeretur,vt cætera nouē formæ à prophetia diſtinguātur. Quod ſi cætera etiā ad prophetiā pertineant, eiuſq; formæ partéſve ſint,inerudita partitio fuiſſe videtur,quæ genus ipſum inter ſpecies, & totū inter partes collocet.

Demum illud in hac ratione eſt quærendum, cur decem illis familiaribus & propriis vatum verbis alia,quæ non minus frequentia atque familiaria eſſe obſeruantur, adnumerata non fuerint. Ea autem decem altera ſunt, Manus Domini: vt ſcriptum eſt, fuit ſuper me manus Domini. Nuntiatio:vt, Viſio dura nūciata eſt mihi. Vocatio: vt,Et vocauit Moſem, Et vocauit Samuelem. & Effatum; quod Hebraicè dicitur נאום in vaticiniorum ſententiis claudendis frequentiſſimum, pro quo noſter interpres reddit: Dicit Dominus exercituum. & Auditio,vt,Et audiui vocem Domini dicentis. Auditionem audiuimus à
Hoſ. 12. Domino: & Inſpectio, quæ Hebraicè ראיה diuerſum verbum à Viſione, vt ſcriptum eſt, Vidi ſiue aſpexi Dominum. Vidi in nocte. & Similitudo,vt,Et in manu prophetarum aſſimilatus ſum. Atq. etiam Somnium & Proſpectio,quæ Hebraicè מראה, & Ap-
Num. 12. paritio. Quæ omnia prophetica verba ſunt,ſicut ſcriptum eſt: Si quis fuerit propheta Domini, in viſione apparebo ei,vel per ſomnium loquar ad illum,&c. ita vt cùm ab antiquis decem notata ſunt, viginti notanda fuiſſe videantur.

Verùm enimuero rebus omnibus diligenter examinatis atque perpenſis, antiquorum accuratam obſeruationem veram atque certam eſſe,nihilq; cum noſtra triplici partitione pugnantem reperimus. Etenim prophetiæ ratio omnis, vel auctorem ipſum,vel ſuſcipientem, vel tertium aliquem ad quem mandatur, ſpectat. Auctorem dicimus Deum vatum mentibus conſilia mandataq; ſua dantem, ad quem relata prophetia, dicitur Verbum Domini; quocumque modo illa ſuggeſta fuerit, ſiue imaginibus, ſpectriſq; obiectis, ſiue expreſſe dictatis verbis;mandatum enim ipſum conſilium & ſententia omnis, Verbum Domini, auctoritatémque diuinam ſortitum eſt. Suſceptorem verò appellamus perſonam ipſam, cui prophetia vel arcanum Dei conſilium creditur;qui cùm vel futuri temporis, vel præſentis quidem, tamen abſentes loco res diuino dono proſpiciat, videns & proſpiciens, hoc eſt רואה וְחוֹזֶה appellatur, atque ex hac ratione prophetia ipſa viſio vel inſpectio dicitur. Nihil autem ad hanc rationem refert, quomodo illi prophetia ſuggeſta ſit, an verbis expreſſis, an imaginibus obiectis;vtcumque enim res demonſtratur, videri tamen & perſpici vatis mente dicitur. Videt enim ille, & diuini ſibi aperti conſilij conſcius
Gen. 15. eſt. Atque ex hac ratione ſcriptum eſt: fuit verbum Domini ad Abraham in viſione dicens: Ne timeas Abraham, &c. etenim verborum illorum expreſſa explicatio, in qua nulla imago, nullum ſpectrum eſt obiectum, tamen in viſione facta fuiſſe dicitur. Neque etiam, quantum ad ſuſcipientem ipſum pertinet, magno diſcrimine differt, an per quietem illi, an in vigilia prophetia contigerit: quanquam quæ dormientibus creditur, Somnium propheticum; quæ verò vigilantibus, Viſio & Proſpectio dicta ſit, ſiue Hebraicè מראה מחזה. Namque vtrumque
Iob. 33. modum vocat ſcriptura חזון vel מראה viſionem vel inſpectionem, ſicut ſcriptum eſt, Per Sō-
Gen. 46. v. 2. nium in viſione noctis, Hebraicè בחלום בחזון לילה: & ſcriptum eſt, Et dixit Deus ad Iſraël in viſione noctis, Hebraicè מראה: Itaque vel vigilantibus, vel dormientibus allata prophetia Viſio & inſpectio dicitur: neque vllum in reipſa diſcrimen eſt; niſi quantum vel noctu, vel interdiu accidat; id quod ſcriptura ipſa indicare apertè ſolet.

At verò quoad prophetiæ perſonam eam ſpectat, aduerſus quam edita eſt; ſiue illa priuatus aliquis, vel publicus homo, ſiue ciuitas, ſiue tota etiam regio ſit, Onus dicitur, Hebraicè משא à verbo נשא quod eſt ferre ſiue portare, quòd ei, in quem allata fuerit, illa diuina ſententia ferenda ſit. Eſt enim verbum נשא commune tam ei qui alteri rem imponit, quàm ei qui ab altero impo-
Mich. 2. ſitam fert; quod vel vno illo exemplo oſtēditur: In die illa ſumetur ſuper vos parabola, &c. Hebraicè ונשא. Tolletur ſuper vos, &c. Itaque omnis prophetiæ natura & ratio, ad tres has

perſonas

perſonas tantùm refertur, ad eam vnde proficiſcitur, ad eam cui creditur, demumq́; ad eam aduerſum quam editur: atque vt ad primam perſonam relata, primum noſtrum genus, Verbum Dñi: ad ſecundam verò ſecundũ genus, Viſio: ad tertiam autem tertium genus, Onus ſpectat: atq. adeò hæc ratio ipſo ſermonis vſu confirmatur. Solet namque dici, Verbum Dñi, ſed Viſio Domini dici non ſolet. Neque enim Deus eſt ille, qui viſionem accipit, ſed propheta: Neque etiam dici ſolet Onus Domini. Quod non obſcurè fortaſsis ab Hieremia ſignificatum eſt: Et propheta & ſacerdos, & populus, qui dicit, Onus Domini viſitabo ſuper virum illum, & ſuper domum eius: Hæc dicetis vnuſquiſque ad proximum ſuum, & ad fratrem ſuum. Quid reſpondit Dominus? & quid locutus eſt Dominus? & Onus Domini vltrà nõ memorabitur: quia onus erit vnicuiq. ſermo eius, & peruertiſtis verba Dei viuentis, &c. Atque ita Onus cùm propriè vſurpatur, ad tertiam perſonam referri ſolet: vt, Onus vallis Viſionis, Onus Tyri, &c. Illud etiam hoc loco animaduertendum eſt, cùm duo ex his generibus coniuncta ſimul ſunt, ſignificatione certa non carere. Nam ſi legamus Verbum Domini cum Viſione, aut videndi verbo iunctum, intelligimus vati per viſionem illud verbum fuiſſe creditum. Sin verò verbum cum onere fuerit, illud ſignificatur conſilium & verbum Domini vati creditum eſſe, eiúſq. rei periculum ad gentem vel hominem certum, quem ſcriptura indicet, præcipuè pertinere. Viſio autem & Onus cùm coniunguntur, Onus illud viſione fuiſſe vati demonſtratum docent. Cur autem huiuſmodi verba nonnunquam ſeparata & diſtincta, interdum verò coniuncta legantur, ex ipſa vaticiniorum ratione & ſententia ſuis in locis erit ſigillatim conſiderandum. Igitur quæ à nobis ad tria illa genera redacta ſunt, eadem omnia ab antiquis ſpecierum enumeratione ſunt explicata, neque ſibi inuicem vlla ex parte aduerſantur. Hier.23.

At verò tria etiam genera antiqui conſtituerunt, ad quæ ea, quæ à nobis adnotata ſunt, verba omnia referantur. Primum genus prophetæ ſiue excipientis; Secundum auctoris, id eſt, Dei; tertium perſonæ, cuius res agitur, rationes continet. Propheticam rationem tribus gradibus perfici dicunt: quorum primus eſt affectio & animatio prophetæ ipſius erga Deum, quæ non natura propriè, ſed conſilio, voluntatéque definitur; ita vt probitate & diuinarum ſtudio rerum conſtet. Namque his affectionibus acta humana mens, ad diuinarum contemplationem, cognitionem, laudémq. rerum rapitur; quæ cùm eum gradũ obtinuerit, ſpiritus ſancti virtutem experta, maxima & diuina myſteria canit, ac iam tum prophetare dicitur, ſicut ſcriptum eſt: Habebis ibi 1.Sam.10.
gregem prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos pſalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipſoſque prophetantes, & inſiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, &c. Secundus prophetici doni gradus eſt Viſio. Etenim humana mens poſt illam priorem diuini ſpiritus inſinuationem purgata, vlterius altiusq́; elata, ad arcana conſilia, resq́; futuras cognoſcendas perducitur; quo in gradu cùm fuerit, videre ac proſpicere dicitur. Nihil autem intereſt ad viſionis nomen obtinendum, an vaticiniorum argumenta obiectis ſpectris intellecta, an expreſsis & dictatis verbis excepta ſint. Tertius denique prophetici muneris gradus, eſt exercitatio, ſiue perfunctio, cùm vates ea quæ viderit, in publicum edere iuſſus, refert & canit, cuiuſcunque argumenti illa ſint, ſiue ad futurarum enunciationem rerum, ſiue ad morum doctrinam ſpectent: hoc autem genus antiqui vocant הטפה Latinè Inſtillationem dicimus, nomine ex illis ſententijs facto: Et ſuper illos ſtillabat eloquium meum. & Non Iob.29.
prophetabis ſuper domum Iſraël, & non inſtillabis ſuper domum idoli, &c. Et apud Amos 7.
Michæam: Ne ſtilletis ſtillantes, ne ſtilletis ſuper iſtos, &c. Ita fit, vt tria illa verba Pro- Mich.2.
phetia, Viſio, Inſtillatio, ad vatem ipſum referantur, quatenus vaticiniorũ gradus aſſequutus fuerit. Tria autem altera auctorẽ ipſum, id eſt, Deum vatum mentes informantẽ reſpiciunt: Locutio, Dictum; Iuſſio ſiue Præceptum. Nam quæ à Deo in vatem proficiſci ſolent munera, nonnunquam alloquio & ſermone expreſſè facto expediuntur, cuiuſmodi ratio vni præter cæteros Moſi frequentiſsimè cõtigit, ſicut ſæpiſsimè ſcriptũ eſt: Et locutus eſt Dñs ad Moſem. Neque

enim huic formæ ſimiles illæ ſunt: Et fuit Verbum Domini : & Verbum Domini quod fuit. *His namque orationibus alius minus, quàm prior ille familiaris allocutionis modus indicatur. Rurſus etiam accidere ſæpe ſolet, vt vates non alloquio, expreßiſq́; verbis audiant; ſed mente & intellectu illuſtrati, exceptum diuinum conſilium ac myſteria doceantur : Atque hic modus* Dictum *vocatur; cuius ſignificandi cauſa vates illud frequenter vſurpant:* Sic dicit Dominus. Et dixit Dominus ad Hoſſeam: Et dixit Dominus ad Iſaiam. *Non vt illis res certis verbis expreſſæ aut dictatæ, vt Moſi leges & præcepta fuerint, ſed quòd certa rerum notitia & copia facta, atque vt propria deinde ipſorum oratione exponeretur, credita mandatáq́; fuerit. At verò*
Num.7. *quoniam Moſi vtrumque contigit, vt & alloquentis ſe Dei vox audiretur (ſicut ſcriptum eſt, audiebat vocem loquentis ad ſe de propitiatorio) atque etiam vt intellectu & mente illuſtrata ratio rerum ſibi creditarum & communicatarum perciperetur, ob eam rem vtrumque verbum* Locutio *&* Dictio, *in Moſaicis narrationibus eſt frequentißimum:* Et locutus eſt Dominus ad Moſem dicens.

Demum tertium illud verbum Præceptio *ſiue* Iuſſio, *ad eos pertinet, qui quanquam Dei vocem, expreſſamq́; orationem audierint; non tamen aliquem ex propheticis gradibus obtinere dicuntur: neque enim vt prophetæ omnes mente illuſtrati arcana rerum percipiunt; neque vt Moſes ſimul cum verbis & oratione animi etiam diuina illa illuſtratione afficiuntur; ſed tantùm quæ dicta ſibi cælitus fuerint auribus & mente pro vniuſcuiuſque captu accipiunt : in quo genere Iſraëlitæ fuerunt, qui in Sina monte decem præcepta è medio nubis, ignis & fumi pronunciata vnà cum tuba ſonitu audiêre: atque etiam diſcipuli tres in monte Thabor, quibus illud diuinum de*
Luc.9. *Chriſto præconium & præceptum eſt auditum:* Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipſum audite. *Ad hoc etiam genus illa pertinet vox, quam cùm multi de Chriſto audirēt, alij tamen aliter interpretati ſunt:* Clarificaui & iterum clarificabo. *Itaq.* Locutio *ad Moſis gradum propriè pertinet :* Dictum, *ad alios prophetas :* Iuſſio *autem ſiue*
Deut.5. Præceptio *ad eos, qui prophetæ non ſunt; ſed eo tamen diuino beneficio ſunt affecti, vt Dei vocem audire potuerint, ſicut ſcriptum eſt:* Quid eſt omnis caro vt audiat vocem Dei viuentis, qui de medio ignis loquitur, ſicut nos audiuimus? *Hæc igitur horum trium verborum diuinum influxum & effectum ſpectantium ratio eſt.*

Sed & tertium illud genus, quo eius aduerſum quem diuina verba fiunt res & rationes contineri diximus, quatuor etiam verbis, veluti partibus & ſpeciebus conſtituitur: ea ſunt, Onus, Parabola, Propoſitio, Interpretatio. *Accidit enim nonnunquam vt propheta impoſitum ſibi & decretum à Deo aduerſus perſonam quampiam onus dicendo exponat, quod propriè* Onus *dicitur à* Parabola, Propoſitione *&* interpretatione *diuerſum, quantum ad ſententiam atque elocutionis formam attinet. Nonnunquam verò fit, vt quæ ipſe viderit, ſimilitudinibus & parabolis propoſitis eloquatur; quarum ſententia tamen aut aperta ſit, aut facilem explicationem habeat. Vt quæ apud Iſaiam ſunt :* Et vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium, & Seraphim, *&c. Atque hæc forma propriè* משל *dicitur, quam Græcè Parabolam ſiue Allegoriam vocamus. Euenit etiam aliquando, vt oratio ex verbis & imaginibus quibuſdam inſtituatur, quorum difficilis, abſtruſa atque recondita ſignificatio ſit, & præcipuum aliquem interpretem ad explicandum requirat : cuius generis ſunt, Ezechielis currus, Zachariæ viſiones, Danielis hebdomadæ, & Ioannis Apocalypſis. Hæc eloquendi abſtruſa & captu difficilis forma, propriè* חידה *Hebraicè dicta, nobis* Ænigma, *ſiue* Propoſitio *vocatur. Eſt autem* חידה *nomen à verbo* חדד *factum, quod acuere ſignificat : acutiſſimam enim eius mentis eſſe aciem oportet, quæ in huiuſmodi dictorum ſententiam penetrare poßit. Non rarò etiam accidere ſolet, vt propheta, quanquam nec παραβολικῶς nec αἰνιγματικῶς eloquatur, tamen ſublimi & eleganti dicendi vtatur genere, réſque omnes amplißimis proſequatur verbis; quorum ſententia quanquam vulgaribus mentibus conſtet; elegantiæ tamen ratio ſine docto interprete conſtare non poßit. Hoc dicendi genus cùm cæte-*

cùm cæterorum vatum omnium commune multis in locis, tum Dauidis in Pſalmis, & Salomonis in Sapientiæ libris, proprium eſt. Idq́; nobis interpretatio ſiue elegantia, Hebraicis autem מליצה *dicitur, à verbo* מלץ *quod Latine dulceſcere, vel ſuaue eſſe, reddere poſſumus; vt ex illo loco obſeruare eſt:* Quã dulcia faucibus meis eloquia tua, *&c. Igitur tria illa prima verba,* Prophetia, Viſio, Stillatio, *prophetam propriè: tria verò altera* Locutio, Dictum, Iuſſio, *auctorem ipſum, id eſt, Deum: quatuor autem poſtrema,* Onus, Parabola, Propoſitio, Interpretatio, *perſonam ſpectat eam, ad quam oratio habenda eſt. Neque verò hic in eam partem diſputare animus eſt; vt omnes has formas, aut certè complures ex his, in eodem vate obſeruari negemus: ſed illud tantum oſtendere voluimus ad quodnam genus, ad quam perſonam, vnaquaque forma pertineat. Nam* Onus *propriè id eſt, quod decretum à Deo aduerſus perſonam aliquam vates exponit.* Parabola *autem &* Propoſitio, *elocutionis genera ſunt à vatibus ipſis pro rerum, temporum, ac perſonarum rationibus ad agendum, perorandumq́; ex diuino tamen conſilio vſurpata, ſicut ſcriptum eſt apud Ezechielem:* Et factum eſt verbum Domini ad me dicens, Fili hominis, propone ænigma, & narra parabolam ad domum Iſraël. *Hebraicè ad verbum ſic eſt: ænigmatiza ænigma & paraboliza parabolam, &c. Hæ itaque ſpecies quòd tribus illis generibus continerentur, ab antiquis in vniuerſum indicatæ ſunt, ſigillatim autem non ſunt notatæ: quòd ad* Viſionis, Locutionis, *&* Oneris *rationem cætera omnes referri putarentur. De illa verò re, de qua quærebamus, quodnam omnium generũ grauiſſimum exiſtimandum eſſet, in quo varias doctorum hominum ſententias collegimus, ſi ad humanæ mentis captum referatur, rectè ab antiquis ſtatutum traditumq́; eſt,* Viſionem *eſſe duriſſimam. Etenim futuras poſt longiſſima tempora, aut abſentes locoq́; remotas res proſpicere grauiſſimum, & humanæ mentis captu longè maius munus creditur. Nam, vt Hieremias inquit,* Quis affuit in conſilio Domini, & vidit & audiuit ſermonẽ eius, &c. *vel vt Hebraicè eſt,* Quis ſtetit *in arcano* Domini, *&c. fuêre autem qui* Locutionem *grauiſſimam eſſe aſſeuerarent: quorum ſententia non tam hominem ipſum conſilij diuini participem, quàm Dei ſublimitatem ſpectat. Maxima enim, atque omnem humanam dignitatem longè ſuperans res exiſtimatur, vt Deus ad humanum colloquium deſcendere, atque arcana ſua conſilia cum hominibus communicare velit, ſicut ſcriptum eſt:* Ecce oſtendit nobis Dominus Deus noſter maieſtatem & magnitudinem ſuam; vocẽ enim eius audiuimus de medio ignis, & probauimus hodie quòd loquitur Deus cum homine, &c. *Alij verò ſunt quibus* Onus *omnium generũ grauiſſimum eſt iudicatum. Quippe his non adeò mirabile videtur humanum animum, cuius origo cæleſtis credatur, diuinas influxiones atque illuſtrationes poſſe capere, neque etiam alienum à diuina benignitate & gratia exiſtimatur, velle Deum conſilia ſua cum vatibus communicare, vtpote quem nullius beneficij, quod poni in hominibus poſſit, auarum eſſe conſtet; ſicut ſcriptum eſt,* Domine quid eſt homo quòd memores eius, &c. *Sed illud vehementer admirandum videretur, velle Deum tam exactam & minutam rationem ſingularum rerum quæ ad aliquam gentem vel perſonam pertinent, cum vatibus tractare; cùm ex Philoſophia doctrina humanus intellectus ad vniuerſalia tantùm à ſeparatis cauſis accipienda aptus idoneusq́; eſſe putetur; ſingularium verò rerum cognitionem ex ſenſibus habere dicatur. Quamobrem vt præter humanæ philoſophiæ rationes nouum & inſuetum, ita etiam grauiſſimum prophetiæ genus* Onus *nonnullis videtur. Illud autem commodè adnotari operæ pretium fuerit,* Prophetare *verbum, &* Prophetia *nomen ad primum illum vaticinij gradum ſignificandum vſurpari, ita vt raptus ille, quo homines ſacris rebus intenti, aliquando ita afficiuntur, vt in diuinas laudes prorumpant, verſus & hymnos ex tempore compoſitos canant; item conciones ſacræ diuino ſpiritu rem & verba ſuggerente, præterea futurarum prædictiones rerum, quæ propriè vaticinia ſunt; deinde ſententiæ grauiſſimæ & conſilia diuinitus data aut relata: hæc inquam omnia prophetiæ, & qui hæc exerceant prophetare dicantur, vt nos aliàs pluribus, modò Deo noſtra conſilia probentur, docebimus. Itaque prophetia ipſam primam mentium agitationem ſignificat. Deinde etiam opportune eſt adnotandum verba illa,* [Locutio, Dictum, & Iuſſio] *gradibus inter ſe diſtare certis, qui non temere à quolibet*

Pſal. 118.
Ezech. 17.
Hier. 23.
Ioan. antiquus.
Deut. 5.
Pſal 8.
Cicero de diuinatione.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

complectantur. Etenim illud exploratum eſt omnem iuſsionem eſſe dictum, omne dictum quoque eſſe locutionem, quæ tamen ratio vice verſa non recurrit; quamobrem huiuſmodi verborum expoſitio recto, vt conſtat, conſequentiæ ordine ab antiquis explicata eſt. Atque hactenus tribus, quas propoſueramus, quæſtionibus fuerit à nobis ſatiſfactum.

Quarta autem noſtra quæſtio, præter verborum interpretationem, nihil ad explicandum difficultatis habet. Namque Manus Domini *vim illam diuinitus in prophetarũ animos illapſam ſignificat, quamobrem à Chaldæo paraphraſte verba illa,* Manus Domini, *hoc modo ſemper explicantur:* Prophetia ab ante Dominum *: quæ verba quòd communia omni diuinæ influxioni eſſent, inter anguſtiora genera poni non fuit neceſſarium. Neque etiam illa commemorari;* Vocatio, Nunciatio, Auditio, *quæ cùm idem quod* Verba & Dicta *ſignificent, in illis generibus,* Locutio, Dictum, Iuſſio, *comprehenſa eſſe cognoſcuntur. Sed illa quoque omnia,* Inſpectio, Aſpectio, Somnium, Similitudo, *continentur in* Viſionis *nomine, quod omnibus, quæ vel interdiu vel noctu obijciuntur, ſpectris commune eſt. Neque enim quicquam aliud eſt* Si-
Oſe. 12. militudo, *quàm ſpecies quæ viſentibus oſtenduntur, ſicut ſcriptum eſt:* Et ego Viſionẽ multiplicaui, & in manu Prophetarũ aſſimilatus ſum. *Denique* Apparitio *ad viſionem quoque refertur. Nunquam enim Deus mortalibus vatibus, ita vt ipſe eſt, ſed aliqua ſpecie inducta*
Iohan. 1. *apparuit, ſicut ſcriptum eſt,* Deũ nemo vidit vnquam, &c. *Neceſſe ergo eſt aliquam rerum ſimilitudinem intueatur is, cui apparere Deus vel angelus dicitur, vt ſuo loco exponendum nobis Deus dabit. Quæ igitur imaginibus & ſpectris videntur, ea omnia ad* Viſionem; *quæ verò expreſsis verbis accipiuntur, ad* Locutionem *ſpectant. His igitur rebus omnibus quæ ad communem omnium prophetarum interpretationem opportuna videbantur, hactenus explicatis, ad expoſitionis opus iam deinceps acceſſuris, Oſeæ primi omnium vatis libri argumentum breuiter exponere conſultiſsimum viſum nobis fuit.*

ARGVMEN-

ARGVMENTVM VATICINII.

CVM POPVLVM ISRAELITICVM, ET IVDÆORUM gentem, reliquumque Solymorum vulgus omnium generum ſuſcepta ſcelera; maximè autem ſimulachrorum ſuperſtitioſus cultus, ad diuinam indignationem frequenter adduxiſſent, atque ea res in cauſſa eſſe poſſet, vt Dei promiſſa per hominum ſcelus aut impedirentur, aut ſaltem retardarentur, maximarum miſericordiarum Deus non oblitus, arcano illi ſuo conſilio deeſſe noluit, quod de hominum ſalute iam inde à principio inſtituerat. Sed quæ res huic negotio obſtare poterant, quominus tandem explicaretur, eas res corrigere, componere, aut prorſus de medio tollere inſtituit. Quamobrem hanc prouinciam ſacris vatibus tradidit, vt antiquorum Dei conſiliorum populum admonerent, & quantum nefas, quanta ab illis flagitia admiſſa ſint, commemorarent; atque decreta in impios grauiſſima ſupplicia (niſi peccare deſinant, & diuinam miſericordiam fide, ſupplicationibus, atque vitæ correctione captent) in illis conſumenda eſſe aſſeuerarent. Namque Dei iuſtitiæ, vt non cedatur, fieri nõ poteſt: cùm homines ſceleribus obligati, tamen oportune ſibi conſulere, & inuenta in ſacris libris remedia quærere negligunt. Igitur Hoſeas vnus ex ſacro vatum collegio Iſraëlitarum ſcelera & Iudæorum cum primis commemorat, & quas illos calamitates ob eam rem accipere ſit neceſſe, exponit. Namque futurum eſſe prædicit, vt Iſraëlis frequentiſſima gens captiua, atq. per totum orbem diſpergenda abducatur. Iuda verò atque Ephraim vtraque tribus ex patria in Babyloniam victoris triumphum ſequuta commigret. Sed Iſraëlitarum diſperſionem atq. exilia diuturna nimis fore prædicit, cùm Iudæorum tamen in patriam reditus ante peractum ſeculum ſit expectandus. Nam & Hieroſolymitanum reſtitui phanum, & illum totius orbis reparatorem ea in vrbe expectari oportebat; cuius promiſſum certiſſimum eſſe, diuina voluit benignitas: tamen quæ inferni hoſtis, & humani ingenij malitia eſt; cùm is, qui à Deo in ſuæ gentis amplitudinem & ſalutem fuerat mittendus, ab iis ingratiſſimè ſit ſuſcipiendus, à quibus gratiſſimè ſuſceptum iri oportuit; Iudæos illud eius ſceleris ſupplicium daturos oſtendit, vt vrbe exciſa, & templo diruto, omni prorſus honore, auctoritate, fortunis omnibus expoliati victorum hoſtium libidini expoſiti, à Dei gratia longè ſemoti, & libertatem & religionis honorem, atque denique omnem decorem amittant. Neque verò eam miſeriam expuere illis integrum vnquam erit, donec inexhauſta Dei miſericordia reuocatæ omnes pariter duodecim tribus, tã ij qui ex Iſraëlitis reiecti, quàm qui ex Iudæis propria culpa fuerant repudiati, in gratiam tandem à Deo recipiantur; quam reſtitutionẽ integram atque ſtabilem fore præcinit; ita vt nunquam rurſus in diuerſa regna, aut in diuerſas factionum partes diſſoluantur; ſed ſtabili in concordia conſtituti, vni regi, & populorum paſtori Chriſto parentes præſtantiſſimæ illius, ad quam homines comparati ſunt, felicitatis compotes euadant. Hactenus totius libri argumentum à nobis eſt propoſitum.

ELOCVTIONIS autem & dicendi genus, quo vates hic vſus eſt, varium & multiplex eſſe conſtat: nam breuibus chartis, multas atque maximas res complectitur, & innumeris affectibus plenus eloquitur: quamobrem obſcurius illum loqui interdum animaduertimus; ſolet enim affectibus concitati hominis concitatus etiam eſſe, atque varius ſermo, qui rem fuſius interdum, ſæpiſſimè contractius, atque breuius efferat. Sed quam animi affectionem refert Vates hic, ea nulla in humanis mentibus excogitari poteſt concitatior: Suſtinet enim perſonam viri vxoris amantiſſimi, eiuſdemque grauiſſima adulterij iniuria ab vxore affecti: cui dolori nullum humanæ leges modum inuenire potuerũt, ergo ſi quis propriam vxorem, quam is ſummo amore & maximis beneficiis ſit proſequutus, in adulterio palam deprehenderit, quanto dolore quantaque ira ardere illum neceſſe ſit, nemo plenè exiſtimare poſſit Sed cùm maximus atque vehementiſſimus amor vltionis impetum & conatum retardet, quibus ille perturbationibus, quibus moleſtiſſimis cogitationibus agatur, quiſnam valeat explicare? Enimuero vterque affectus ſeorſum, neque modum, neque conſilium certum aut habere, aut ſequi poteſt, nempe amor, & violatæ coniugalis fidei dolor; nedum, ſi pariter eundem animum infeſtent, modum aut rationem dicendi vel agendi certam ſequantur: ea nimirum res huic vario atque conciſo dicendi generi, quo Hoſeas vtitur, cauſſa eſt. Adde etiam quòd non ſuas, ſed Dei partes Vates hoc in libro agit, qui cùm vxoris, hoc eſt plebis ſuæ ſit amantiſſimus, idemque ob violati fœderis crimen nimis offenſus, maxima ad vtramque rem explicandam argumenta, maximas atque

appoſitas eloquendi figuras Vati ſuo ſuggerit, quibus & Dei erga plebem amor indicatur, & ſceleris ab illa admiſſi grauitas expenditur. Has autem perturbationes amoris, gratię, iræ atq. doloris,& quæ huiuſmodi animi impulſiones vocantur, Deo ſacræ literæ non tam affectus quàm effectus ratione tribuunt. Etenim quæ in his rebus ad moleſtiam atque mentis imperfectionem pertinent,ea à Deo longiſſimè eſſe aliena,tum ipſa diuinæ naturæ conſideratio,tum arcana volumina docent:quæ verò ad virtutem atque efficientiam ex his rebus pertinere videntur,ea Deo maximè conuenire conſtat. In amore igitur duo ſunt, animi eius,qui amat,perturbatio,& maxima ad beneficentiam propenſio; in violati connubij iniuria duo item ſunt,grauiſſimus ob acceptam iniuriam dolor, atq. iuſtæ pœnæ ſumendæ conſequentia. Ex his quatuor rebus priores duas diuinæ negamus ineſſe naturæ,animi perturbationem atque dolorem;alteras illi relinquimus, beneficentiam atque animaduerſionem. Eſt etiam alia ratio,quamobrem Deus hoc dicendi genere apud homines vtatur, & has animi impulſiones non raro exprimat,nimirum vt homines intelligant,cuiuſmodi eorum ſcelera ſint,quæ ipſum Deum (ſi capere id eius natura poſſet) in eiuſmodi perturbationes iram,odium,inimicitias,vltionis appetitū, & quæ huius ſunt generis, impellere valerêt. Præterea cùm diuina ſcripta ad hoc dictata à Spiritu ſancto ſint, vt ea re homines diuinarum atq. humanarum rerū rationes doceantur,& ad virtutem atq. officia, ad honeſtatem,ad ſalutem deniq. ſuam vocentur,eo eloquendi genere Deus vti conſueuit,quo maximè homines ad has res impelli ſolent. Solent autem vehementiſſimè humani affectus ſimilibus affectibus commoueri. Nam quæ à perturbationibus animi ſunt,dolore,cupiditate,iracundia,metu,quia neceſſitatis vim quandam habenr,afferunt auctoritatem & fidem: atque ea res efficit, vt hoc dicendi genus ſemper in grauiſſimis cauſſis ab oratoribus vſurpetur. Sed nunc de his ſatis. iam verò interpretationem ipſam aggrediamur.

Verbum Domini quod factum eſt ad Hoſſee filium Beeri, In diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, Ezechiæ, Regum Iuda.

AVCTORITATEM atque fidem vaticinio hæc auctoris & Vatis & temporum ratio affert:attentioné etiam ipſa re, de qua dicendum eſt,dignam captat, atque legentium audientiumque animos dociliores reddit:namque cùm nihil vnquam fruſtra & ſine maximo conſilio à numine fiat,conſequens eſt, attentos eſſe oportere homines, dum Deum verba facere parantem audiunt. Nunquam enim accidit, vt Deus aut temerè, aut iocòsè, aut ocioſè loqueretur; ſed quotieſcunque orationem quamuis breuiſſimam habere viſus eſt,magni momenti res,atque negotia,hominibus vtiliſſima tractaſſe,ſemper fuit obſeruatus. Quamobrem ſcriptum eſt: Audiā quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor. Atque hæc res cauſſa Moſi atque aliis ſcriptoribus fuit,vt diuinum aliquem ſermoné relaturi,Dei verbum,illud eſſe præmonerent,his verbis:Et loquutus eſt Dominus ad Moſem dicens:Et loquutus eſt Dominus ad me dicens. Quibus verbis illud indicatur, magnā rem atque auribus animiſq́ue attentis excipiendam eſſe, quam Deus oratione enunciare inſtituerit;eamq́ue rem non humana ſed diuina auctoritate eſſe definiendam. Eodem igitur verbo vſus eſt Hoſſeas,quo Moſes,atque alij vti conſueuerunt, quanquam inflexione diuerſo. Nam quod alij hoc modo proferunt: Et loquutus eſt Dominus; Hoſſeas verbi tantùm in nomen mutatione protulit:loquutio Domini,ſiue verbum Domini; eadem namq. omnibus in locis origo,idem thema eſt: Dabar verbum & dabbar loqui; qua ex re illud efficitur, vt attentis animis hunc Vatē audire oporteat diuinam orationē omni auctoritate præditam,nobis referre parantem. *Verbum Domini quod factū eſt ad Hoſſeam, ſiue, quod fuit ad Hoſſeam filium Beeri* Voluit Deus,qui ſe humanis rebus prouidere ſæpiſſimè teſtatus eſt,ſuorum erga homines conſiliorum,& voluntatis ſuæ interpretes & teſtes vnum atque alterum, & interdum plures ex hominibus ipſis creare; vt quidquid ille ſiue fauſti ſiue infauſti in homines decreuiſſet,id non caſu,ſed diuino conſilio accidere intelligeretur. Atque cùm is nihil agat, cuius aptiſſima ratio reddi non poſſit;omnium verò rationum, quæ Dei nomine reddi hominibus poſſunt,duplex caput, & duo veluti fontes ſint,alterum miſericordia & veritas, alterum verò iuſtitia:ex eo fieri videmus, vt per miniſtros ſuos & cōſilia ſua aperire Deus, & quæ obtemperantibus præmia ex diuina miſericordia, quæ rurſus non obtemperantibus ſupplicia ex iuſtitia diuina compararētur,exponere conſuerit. Qua de re Paulus: Multifariam,inquit,multiſq́. modis loquutus eſt Deus in patribus per Prophetas. & in ſacris annalibus legimus:Mittebatque illis Dominus Prophetas, vt reuerterentur ad Dominum, quos proteſtantes illi audire nolebant. proteſtantes dicit, hoc eſt, diuinum illis conſilium aperientes:quia non faciet Dominus Deus verbum,niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos.

Pſal. 74. · Hebr. 1. · 2. Par. 24. · Amos 3.

uos ſuos prophetas. Namque nihil eſt quod homines perinde tranſuerſos agat, quàm abſentium & futurarum rerum ignoratio, atque impia de diuina prouidentia, opinio: tum denium ad omnium generum ſcelera & maleficia intemperatiſſimè homines accedunt, cùm illud ſibi perſuadent, ſigna noſtra non vidimus, iam non eſt Propheta, & nos non cognoſcet amplius. Igitur ex pluribus, qui à Deo ad eas res de quibus diximus creati fuerunt, prophetis, vnus hic eſt Hoſſeas, qui nomen ſuum conſultò profitetur, ne liber hic fictus ac ſuppoſititius eſſe videatur: atque, vt omnis generis malitiæ his rationibus prouideatur. ſolet namque nominis explicatio fidem rei facere, auctoritatemque conciliare dicẽdis: quam rem à bonis auctoribus perpetuò obſeruatam videmus, maximè verò ab iis qui diuino dictante ſpiritu de rebus ſacris volumina conſcripſêre. Plenæ autem ſunt huiuſce rei exemplis antiquæ, plenæ etiam nouæ chartæ, vt illud: cæcus Barthimæus, filius Timei, Simon Cyreneus, pater Alexandri & Rufi. Psal. 73.

BEERI] ab antiquis & doctioribus Hebræis receptum eſt, & communis obſeruationis lege traditum, ſi cui Vati patris nomen addatur, eum etiam patrem vatis munere fuiſſe functum; auum autem non tam muneris quàm honoris cauſſa nominari. Cæterùm, ſi nulla patris mentio fiat, illum primum, non item patrem fuiſſe vaticinatum; cuius verò certa patria non explicatur, Hieroſolymitanum eum ciuem fuiſſe arbitrantur; niſi ex tribus, vel generis ratione aliud intelligi poſſit. Hanc autem Hebræorum obſeruationem diuus etiam Hieronymus ſe non ignoraſſe ſignificauit. Ex qua verò tribu oriundus fuerit Hoſſeas, adhuc compertum nobis non eſt: niſi quòd D. Iſidorus eum Bethlehemitẽ eſſe dicit, atq. ad Iſaſcaris tribum refert, nullo tamen certo citato auctore. Nec deſunt qui dicant, *Beeri*, quem liber hic patrem Hoſſeæ facit, eandem eſſe Beera principem in Reubenitide tribu à Beaia eiuſdem familiæ duce genitum, qui Beera à Tiglath Pelaſſar abductus fuiſſe in annalibus commemoratur. Quòd ſi aliunde certa hæc ratio eſt; ex diuerſa tamen nominis cadentia non protinus incerta redditur: nam cùm multi in linguis Hebraica, Aſſyria, atque Arabica interdum duplici, nonnunquam multiplici nomine appellentur: & huius nominum varietatis non ſimplex, vt aliâs à nobis dicetur, ratio ſit, vnũ genus eſt, vltimæ literæ vel ſyllabæ mutatio, vt Iethro qui idem Iether nominatur; & Hananiahu, idem ab Ezechiele vate dictus Hanania. 1. Paral. 5. Exod. 4.

In diebus Ozia, Ioathan, Achaz, Ezechia regum Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas Regis Iſrael.

AVCTORIS nomen temporum ratio aptè ſequitur, quæ plurimum ad res de quibus in vaticiniis agitur intelligendas confert: nam quæ res à vatibus vel innuuntur, vel verborum & ſententiarum figuris ſignificantur, eas ab hiſtoriis expoſitas atque explicatas petere conuenit: hiſtoriarum verò exacta ratio, ætatum atque temporum obſeruationibus indicatur. Eorum porrò temporum quæ ad rerum narrationem pertinent, nulla commodior ratio conſignari poteſt, quàm illa quæ cum regum atque principum ætatibus coniungitur. Siquidem rerum varietatem, non tam temporum natura, quam hominum ingenia edunt, hominum autem ingenia, mores ipſos principum plerumque ſequuntur: ferè enim fit vt aut gratia, aut metu, aut imitatione, atq. adeò æmulatione, principum ſententiæ atq. facta valeant: qualemque ſeſe aut rex aut magiſtratus præbuerit, talem ſe etiã populus exhibere ſoleat: quòd ſi negligentiores ſunt qui præſunt & nullam certam retineant ſententiam, tum verò inconſtantiſſimum & officij negligentiſſimum reliquum vulgus efficitur. Præterea regnorum atque regum memoriam & diutius & communius quàm temporum conſtare videmus; quoniam reges ipſi, atque ipſorum geſta frequẽti commemoratione repetuntur. Etenim promptius eſt quo rege, quam quo anno, quóue tempore quid acciderit, meminiſſe. Adde, quòd regum atque principum mentio in vaticiniis propterea etiam fit, quòd ea non priuata ſed publica fuiſſe atque manifeſta, eorumque vaticiniorum rationes ad reges ipſos atque ad regnorum negocia pertinuiſſe intelligantur. Ex qua re diuina miſericordia plurimum commendatur, & diuina iuſtitia recta atque æquiſſima eſſe confirmatur: non ſolum enim priuatos aliquot homines, ſed totum populum cum ſuis regibus ſuarum rerum admonitos eſſe Deus voluit, vt reſipiſcentibus corrigendæ vitæ commoditas & occaſio daretur; negligentibus verò, atque diuinum imperium detrectantibus, nulla excuſatio conſtare poſſet. *Hiſtoriæ & tempora.* *Principum ætatis.*

Pertinent ergo Hoſſeæ vaticinia ad eorum regum tempora, qui in ipſo libri initio nominatim citantur; quibus temporibus non hæc ſolùm, quæ in hoc volumine continentur à vate dicta fuiſſe intelligimus, ſed alia quamplurima cùm priuata tum publica, vt ſui muneris ratio & rerum atque negotiorum commoditas poſtulabat: quam rem aliâs commodius tra- *Vaticiniorum argumenta & præſenti tempore & perpetuo vtilia.*

 dius tra-

dius tractabimus. Sed quæ in hoc libello conſcripta ſunt, quædam velut capita eorum negotiorum eſſe conſtat, & quæ non ſolum ad illorum temporum correctionem, ſed ad ſequentes etiam ætates, atque adeo ad noſtra tempora vtilia fore diuinus voluerit ſpiritus. " Quæcunque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Quòd verò quatuor " Regum Iudæorum temporibus Ieroboam etiam Regis Iſraëlitici tempora connumerantur, id non ob ea ſolummodo quæ ad decem tribus ſpectant, factum dicimus; nam ſi ea vnica cauſſa fuiſſet, cæterorum etiam regum, qui poſt Ieroboam ad Ezechiæ vſque tempora Iſraëlitis præfuerunt, meminiſſe oportuit; quoniam ſuorum etiam temporum hiſtoriæ à vaticiniorum atque prophetarum ſcriptis alienæ non ſunt. Fuerunt autem illis temporibus poſt Ieroboamum, Zacharias, Salum, Menahem, Phaceæ duo, atque Hoſſeas filius Ela Iſraëlitarum vltimus regum, qui aut regnum in Samaria adminiſtrarunt aut tyrannidem exercuerunt. Sed Ieroboamum regem ob eam cauſſam hoc in loco nominatum fuiſſe arbitramur, vt Hoſſeæ tempus quo vaticinatus eſt, ab ipſo initio regni Oziæ conſtituatur. Namque Ozias, qui idem Azarias dictus eſt, vigeſimo & ſeptimo anno regni Ieroboam ſuo iure regnare cœpit, eodem quo pater eius Amazias in Lachis eſt interfectus, is antea pro patre vndecim annis regnum adminiſtrauerat. Igitur Hoſſeam diuinus vaticinandi ſpiritus, primis Oziæ annis afflauit, cùm adhuc Ieroboam rerum apud Iſraëlitas potiretur, atq. hæc res opinionem nonnullis doctis fecit, Hoſſeam primum omnium, qui ad ætatē illam referuntur, prophetarum vaticinij munus fuiſſe exequutum: namque reliqui nimirum Eſaias, Amos & Michæas à diebus Oziæ tantum cœpiſſe commemorantur: & cùm Ozias annis regnauerit quinquaginta duobus, fieri potuit, vt in extrema illius ætate vaticinandi munus reliquis fuerit mandatum; quandoquidem & Iſaias eo anno, quo Ozias mortuus eſt, ſeſe ignito carbone diuinitùs tactum, atque ad legationem initiatum fuiſſe indicare videtur. Filium autem Ioas Ieroboam diſtinctionis cauſſa nominat, duo namque eiuſdē nominis viri regnum apud Iſraëlitas obtinuerunt, quorum alter fuit Ieroboam filius Nabat primus Iſraëlitarum à Iudæis defectionis auctor & dux, qui æternum impietatis ſuæ exemplum ſucceſſoribus regibus, quicunque impij fuerunt, reliquit: alter verò hic, quem huius libri initio vates nominat, filius Ioas, qui in Iſraëlitarū regum ordine duodecimus numeratur. Quòd verò ad linguę & ſtyli rationē attinet: dies hoc in loco pro temporibus atq. adeò pro ipſis eorum, de quibus mentio fit, ætate atque tempeſtate, vſurpatur, ea figura, quam Græci metonymiam dicunt: conſtant namq. tempora diebus potiſſimùm, ex diebus enim menſes atque anni conficiuntur: Quoniam Sol qui maximus temporum eſt index, ſui curſus rationem diebus potiſſimum aptat, ſingulis ſingula in ſignifero circulo ſpatia conficiens: atque ob eam cauſſam frequens hæc in diuinis libris eſt lectio, vt tempora atque ætates dierum nomine diffiniantur. Hunc vatem Hoſſeam ad longiſſimam vſque ſenectam ætatem ſuam extendiſſe, Hebræi auctores arbitrantur.

Iſraëlitarū rex car Iudæ ad notatus. *Iſraelitæ reges Hoſſeæ temporibus.* Ioſeph. lib. 9. cap. 10. *Prophetarum tempora.* Iſa. c. 6. 3. Reg. c. 11. 4 Reg. c. 13. *Dies.* *Tempus. Sol temporum index.* *Hoſſeæ diu vixit.*

Principium loquendi Dominum in Hoſſee.

NOuo & à cæterorum vatum conſuetudine alieno exordio vaticinium ſuum Hoſſeas inchoat, atque ipſa nouitate obſeruationem à legentibus exigit; ea autem res nouam cum vate hoc agendi rationem à Deo ſuſcitatam indicat. Namque ſi à Moſe ad Hoſſeam vſque, præteritorum temporum memoria repetatur, nemo ſanè Propheta in diuinis monumentis inuenietur, quem Deus hoc modo ad vaticinij munus comparauerit, vt quæ ad populum, ac de populo dicenda eſſent, vates ipſe in ſe prius ſuaque actione repræſentaret, adeò vt mirabile fuerit vati, ſe hoc modo compellari, quo antea nemo alius à Deo fuerit compellatus, idque quod ipſi mirabile viſum fuerit, poſteris animaduertendum obſeruandumque reliquerit; ſignum namque id ſemper futurum eſſe intellexit, quo ea res, de qua in ſuis ille ſcriptis ageret, magna atque grauis ex diuina etiam ſententia fuiſſe argueretur: huius ergo hemiſtichij ſententia illa eſt. Attendite (inquit vates) quale principium orationi, apud me, ſuæ dederit Deus, atque rem ipſam grauiſſimam vtique eſſe animaduertite. Vt autem dictionis figuræ atque ſtylo, quantum rerum atque ſententiarum neceſſitas exigit, obſequamur, animaduerſione dignum viſum eſt, hanc conſtructionis formam, videlicet, *loqui in*, frequenter in ſacris literis vſurpari, cùm de vaticinio, aut de diuino ſpiritu atq. prophetico ſermo fit, vt illa, Nunquid in Moſe dumtaxat loquutus eſt Dominus: &c; Nō etiā in nobis eſt loquutus: &c; Spiritus loquutus eſt in me: &c; Audiā quid loquatur in me Dominus.

Exordium noui exempli. Num. c. 12. Pſal. 74.

Et dixit Dominus ad Hoſſeam: Vade, ſume tibi vxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra à Domino.

NON rarò contingere atque vſu venire videmus, vt cùm quis rem aliquam maximi momenti explicare aliis cupiat, non tam verbis & oratione, quàm rebus ipſis, vel earum rerum

Actionis atq. repræſentationis ratio & vſus.

rum rerum de quibus agitur imagine & repræſentatione negotium explicet atque oſtendat. Non enim tanta verborum atque orationis vis, nec tam efficax natura eſt, vt ad ſenſus atque animos permouendos, perinde ac res ipſæ valere poſſint. Nam

Segnius irritant animos demiſſa per aurem, Horat. de arte.
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator.

Si enim animi conceptibus tantùm homines inter ſe agerent, aut ſi negotia ſua rebus in medium adductis atque propoſitis explicare poſſent,
verborum profectò rarus vſus eſſet: Nunc quoniam res ex animi ſententia tractare atque Ariſtot. de
proponere non poſſumus, verbis pro rebus vtimur. Sunt autem verba non tam rerũ, quàm interpretat.
cogitationum animi ſigna, cogitationes verò ipſæ rerum imagines eſſe cognoſcuntur: Mi- lib. 1. c. 1.
nus ergo verbis, quàm cogitationibus humanus animus permouetur, & cogitationibus *Rerum cogitationum &*
minus quàm rebus, ex qua re illud efficitur, vt cùm quis vel ſeipſum, vel alterum maximè *verborum vis.*
commoueri cupiat, verarum aut veriſimilium rerum imaginibus & actionibus ipſis potius quàm orationibus vtatur; nonnunquam etiam vtraque coniungat atque componat, nimirum res & orationem. Atque hæc cauſſa fuit quamobrem Ahias Silonites Propheta diui- *Ahias.*
ſionem Iſraëlitici regni Ieroboamo aſſeuerantiſſimè prædicturus, proprium pallium no- 3. Reg. 11.
uum in duodecim ſciderit partes, & duabus tantùm apud ſe relictis, decẽ Ieroboamo tradiderit. eadem etiam cauſſa Heliſſeo fuit, vt arcum & ſagittas peteret, intenderet, atque in *Heliſſeus.*
Syriam iaceret. Sed & noui Teſtamenti vatibus hoc etiam ſollemne fuiſſe cognouimus. 4 Reg. 13.
Nam cùm quidam Paulo, & adſtantibus ſociis, quæ vincula, & qualis carcer Apoſtolum ipſum Ieroſolymam petentem manerent, prænuntiare pararet, ſuas ipſius manus pedesq́.
Pauli baltheo ligauit, & ita futuræ rei exemplum atque imaginem propoſuit. Neque verò Act. 21.
hoc apud eos homines ſolùm de quibus in ſacris libris mentio fit, ſpectari conſueuit, ſed in
cæterarum etiam gentium moribus atq. actionibus obſeruatur. Alexander Macedo, cùm *Alexander.*
tota iam Græcia in ſuum imperium redacta in Aſiam traieciſſet, vbi primum expoſitus terram contigit, iactis arcu ſagittis, ſolum ipſum Aſiæ petiiſſe, & eius maximæ orbis partis imperium, atque ſummam ſibi promiſiſſe dicitur. Hoc eodem agendi modo Hoſſeas vates ex diuino imperio vſus eſt, vt vaticinio ſuo initium ex rebus atque negotiis daret, & adiuncta etiam oratione proſequeretur. Quid verò illum agere iuſſerit Deus, audiamus; rem nimirum grauiſſimam, & quam niſi diuini imperij auctoritas impoſuiſſet, non leuiter probus quis ferre poſſet. Namque illi mulierem turpem atque adulteriis notatam vxorẽ ducere imperatum eſt; cuius rei vel ex ipſa cogitatione maximis eum moleſtiis confligi, eum cuicunque hoc contigerit, neceſſe eſt: namque huiuſmodi moribus vxorem experiri, quam iam diu duxeris, & bonam atque fidelem antea credideris, moleſtiſſimum quidem eſt, retinere verò grauiſſimum, vlciſci autem promptum, demum expellere vtcumq. admittendum, (humani animi cogitationes & communem naturam deſcribimus, non præcepta aut conſilia damus.) At verò eius quam libidinibus atque fornicis fœtoribus infamem cognoueris, nuptias tibi conciliare velle nouas, mirabile quidem hoc fuerit, & maximi atque patientiſſimi animi opus, nec non & vehementiſſimi atq. omnino ſtupendi amoris indicium. Quòd ſi id etiam eo conſilio agatur, vt mulieris illius deleantur notæ, ſarciatur infamia, mores reſtituantur, atque ad frugem corrigantur, quis non ingentem in eo viro bonitatem & incomparabilem miſericordiam probet atque admiretur? Igitur Deus vt vtrumque ſimul in ſe eſſe oſtendat, maximam videlicet offenſionem, quam ex Synagogæ ſceleribus acceperit, quæ grauiſſimo dolore fortiſſimum quemque virum angere valeat, maximam etiam ſuam bonitatem & miſericordiam, qua anteactæ vitæ ſcelera ferre, & ad bonam frugem reuocare, atque in amicitiam & gratiam vxorem, hoc eſt plebem recipere paratus ſit; totum hoc negotium non tam oratione explicari quàm rebus ipſis repræſentari atque agi vatis ſui miniſterio curat. Nos verò qui explicandi atque declarandi ſacra volumina munus ſuſcepimus, pium atque Chriſtianum lectorem ſemel admonitum eſſe cupimus neceſſatiæ, & ad rem noſtram accõmodatæ obſeruationis, quam fortaſſe ſuſcepta breuitas
ſæpius repetere non patietur. Quod autem admonemus, illud eſt, cùm de Deo ſermo ha- *Sermo commu-*
betur, illis iiſdem verbis nobis eſſe agendum, quæ ad rem de qua agitur, & ad eos quibus *nis ad diuinas*
cum agitur, non ad Deum ipſum accommodari poſſunt. Etenim vt Dei perfectiſſima atq. *res accommo-*
immenſa natura ignota nobis & imperſcrutabilis eſt, ita quibus verbis quaque oratione *datur.*
aptè de illo dicere poſſimus, non eſt compertum. Sed cum Deus ipſe ſublimis humana atque diuina negotia cum hominibus tractare ſua illa maxima bonitate fuerit dignatus, non ſuis illa verbis, quibus ſecum ipſe agere poteſt, ſed noſtris, hoc eſt, quibus cum hominibus agere commodius erat, explicare voluit. Eiuſmodi ergo & nos verborum genere in diuinis ſcripturis aperiendis vtemur, quo ipſe in ipſis ſcripturis, vt ſeſe noſtris cogitationibus ac-

commodet

commodet, vti voluit, qui cùm natura ſua atque omnium hominum conceſſione veraciſſimus omnino ſit:tamē ſæpe in promiſſis aut ſermonibus ſuis humano more iurat; cùm iuſtiſſimus ſit, & nihil non iuſtiſſimè agere putari poſſit: tamen rationem cum hominibus confert, accipit atque explicat. Quamobrem nullam alicui cordato atque ſapienti viro admirationem mouere debet, ſi cùm de Deo à nobis agitur, amoris, iræ, indignationis, vltionis, doloris, atque offenſionis, alia præterea animorum motus atque affectus ſignificantia verba Deo accommodari audiat. nam de rebus ipſis quæ his verbis indicantur, quatenus Deo diuinæque naturæ conueniant, aliàs ſumus philoſophati.

Et dixit Dominus ad Hoſſee.

IN ſuperioribus diximus orationem illam, *Principium loquendi Domini in Hoſſee*; perfectam non efficere ſententiam; ſed hemiſtichium, hoc eſt medium verſum eſſe, quem ſubiuncta oratio compleat, *& dixit Dominus.* Neque verò coniunctio, *Et*, noſtræ reluctatur ſententiæ, cùm variæ in ſacris libris ſignificationis, & non ſimplicis vſus hæc particula ſit: nam præter alia ad quæ accommodari ſolet, ſententiæ initiis abſolutè coniungitur, ſine vlla ad præcedentes orationes relatione: quod & illa coniunctio, *igitur*, apud Latinos præſtare cognoſcitur. Huius obſeruationis multa exempla diligenti lectori paſſim occurrunt; ex
Gen 15. quibus illa ſunt: Et leuauit Abraham oculos ſuos, & dixit: &, Acceperūt farinam, coniece-
2. Reg. c. 4. runtque in ollam. Sic hoc in loco, *Et dixit Dominus*, eandem ſententiam cum illa oratione red-
dit. Dixit igitur Dominus, *Vade*. Verbum hoc nonnunquam non tam corporis & pedum
Vade, verbum. motum, atque inceſſum, quàm animi promptitudinem atque attentionem, & ad ea quæ
Prouer. 6. ſubſequuntur præparationem imperat: vt, Vade ad formicam ô piger, hoc eſt, formicæ ſedulitatem attentè contemplator atque imitator. Venite diſperdamus eos de terra. Venite
Pſal. 82. „ & ambulemus in luce Domini. Igitur Hoſſeas vxorem fornicationum ſibi accipere iube-
Eſa. 13. „ tur: fornicationum autem numero multitudinis dicit, vt negotij grauitas augeatur, & ve-
Fornicationes. ritatis ſignificatio apertiùs referatur, atque diuina miſericordia ad quam tota hæc ratio ſpectat, mirabili commendatione probetur. Neque enim vno tantùm ac ſimplici ſcelere, ſed innumeris & multiplicibus ſeſe Iſraëliticæ & Iudææ gentes contaminauerant, poſtquam à ſimplici & vero Dei cultu ad ſuperſtitionem deſciuerunt. Quamobrem vxorem multis ſtuprorum & turpitudinis notis inſignem ducere iubetur.

Diſputatio de actionibus prophetics. QVANQVAM autem cùm diuinorum librorum interpretationem Chriſtianis atque amiciſſimis viris id efflagitantibus ſuſciperemus, nō id nobis negotium credidimus dari, vt aliorum interpretum, qui ante nos ſumma cum laude in hoc genere verſati ſunt, vel commentationes refelleremus, vel frangeremus ſententias, aut iurati ſequeremur (nam ab omni inuidia atque æmulatione alienos nos fore certum fuit, quoniam pietati atque breuitati vna hac ratione conſuli poſſe putabamus:) tamen cùm in eiuſmodi nodum inciderimus, quem non niſi appellatis iis à quibus fuerit nexus, explicare poſſimus, danda opera eſt, vt quanta cum facilitate & venia id fieri poſſit, & veritatis deſiderio & officio noſtro ſatisfaciamus. Multas enim ab interpretibus ex propria vniuſcuiuſque ſententia erga ſacra ſcripta, quæſtiones inſtitutas accepimus, quas non inueniſſe commodius fortaſſe fuiſſet, inuentas autem prætermittere facilius quidem ac promptius, non tamen fuerit expeditius: vt in huius loci explicatione, quòd Hoſſeas vxorem fornicationis accipere iubeatur. In quo
Chaldeus Paraphraſtes. explicando interpretes in tres ſententias diuiſos videmus. Primus enim omnium Ionathas Vzielis filius, qui ob ſacros libros à ſe Chaldaicè verſos interpretis cognomē inuenit, totū hoc negotiū ex parabolæ rationibus ac locis interpretatur, perinde ac ſi Deus, nihil eorum quæ ſcripta in huius vaticinij initio ſunt, iuxta verborum ſignificationem agi aut intelligi, aut etiam repræſentari præceperit; ſed omnino per ænigmata atq. ſymbola conſiliū ſuum Hoſſeæ propoſuerit. huius autem interpretis eiuſmodi legimus expoſitionem: *Dixit Dominus*
„ *ad Hoſſeam: Vade vaticinare vaticinium contra habitatores ciuitatis inquinatæ, vt non addant peccare, nam rebel-*
„ *lione rebellauerunt incolæ terræ à doctrina Domini. Et abijt, & vaticinatus eſt aduerſus illos, vt ſi pœniterent, igno-*
„ *ſcendum eſſet illis; ſin minus, vt decidunt folia ficuum, deciderent.* Sic ille. atque iuxta hanc rationem hiſtoriam totam producit. cuius ſanè viri interpretatio atque auctoritas anſam doctiſſimo homini Moſi Ægyptio, atque aliis eius gentis non pœnitendis auctoribus, dedit, vt negotium
Moſes Ægyptius. hoc tametſi non omnino ſecundum parabolam dictum, tamen non verè atque re ipſa, ſed viſione quadam prophetica tranſactum exiſtimarent. Nam cùm quædam in propheticis monumentis negotia velut aliarum rerum ſigna atque ſymbola nonnunquam inuenirentur, quæ natura ſua duriora attendentibus videri poſſent, cōſultum illis viſum eſt, ſi ea non reipſa exercita, ſed mentis atque animi cogitatione acta atque repræſentata fuiſſe & crederentur, & traderentur. Ex quo quidem conſilio illud communis obſeruationis nomine

ad arcano-

ad arcanorum voluminum explicationem traditum a b illis eſt, velut præceptum; ſi quid durius, & à perſonarum decore atq. dignitate abhorrens in ſacris offendatur libris, id non reipſa atque actu fuiſſe exercitum; ſed aut ſomnio aut viſione, atque mentis elatione repræſentatum definire oportere. *Regula interpretum.* Vt quòd Iſaias ad Vatem vxorem accedere iuſſus ſit, & procreato ex illo complexu filio nomen Selal Hazbaz imponere. *Iſa. 64.* Ieremias etiam ex diuino imperio lora ac neruos parauerit, & collo aptauerit ſuo, atque ea demum ad finitimarum gentium reges miſerit. *Ierem. 27.* Præterea Ezechielis vxorem è viuis ſublatam fuiſſe, dicente ad ipſum Deo: Ecce ego auferam à te deſiderium oculorum tuorum. & quæcunque huius generis duriora aut indigniora viſa fuerint, ea non verè atque re ipſa, ſed prophetica, vt aiunt, viſione fuiſſe peracta. Addunt præterea nihilominus moueri potuiſſe vates ipſos harum rerum atque negotiorũ imaginibus & ſpectaculis animi cogitatione & prophetica repræſentatione comparatis, quàm ſi rebus ipſis afficerentur. Nam quos diuinus Spiritus ad eam rem inuendam conformabat, omnino permotos atque vera animi affectione actos eſſe conſentaneum fuit. Antiquiores verò Hebræorum ſapientes totã rem hanc in aliam ſententiam diſputant, aiuntque re & veritate hoc nuptiarum & filiorum procreandi negotium, non imagine aut cogitatione fuiſſe peractum, multa tamen cùm hæc ab illis tractantur, non tam fortaſſis ex veritate, quàm ex veriſimilitudine conficta legimus, vt quòd vates longum antea cum Deo ſermonem contulerit, curaueritque atque orauerit Iſraëliticum populum, tot ſceleribus contaminatum, permutari, aliamque adoptari gentem, quę pietatem atque ſanctitatem melius coleret & retineret: Quam rem adeò longe à conficto ſibi initio repetunt atque protrahunt, vt quæ prima in hoc libro leguntur verba vix totius ſermonis medium, ne dum initium eſſe concedant.

Hebræi auctores antiqui. Miſnaioth de Paſſah, c. 8.

Nobis autem cùm in diuina atque arcana voluminum ſanctitate, non ita ingenioſis eſſe fas fuerit, vt pro animi cogitatione & linguæ celeritate, aut addere aut detrahere iis quæ à diuino ſpiritu ſcripta atque tradita ſunt, vel tantillum poſſimus; tutior quædam alia & rectior via eſt terenda, qua acceptum explicandi onus, quantum id à nobis ex diuino beneficio expectari poſſit, perferamus: Tantam eſſe, tamque ſanctam diuinorum verborum maieſtatem, vt nulli hominum in illis quidquam temere ſtatuere liceat, præterquàm, quod ipſa ratio, atque illorum ſeries exigere videantur, innumeris ex ipſo ſacro theſauro depromptis argumentis probare ac confirmare poſſemus, ſi res ipſa non tam manifeſta eſſet, vt noſtram non deſideraret ſedulitatem: vnum tamen ſolum nobis diui Iacobi præceptum repetere non incommodum viſum eſt, quo ſacer ille Apoſtolus hominum in hoc genere licentiam demere, & luxuriantis linguæ impetum cohibere molitur. *Iaco. 3.* Nolite, inquit, plures magiſtri fieri fratres, ſcientes quoniam maius iudicium ſumitis, in multis enim offendimus omnes: ſi quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt. Quòd autem humana lingua, ſi quis ei indulgere, quàm temperare maluerit, ingens malum atq. effrenatum ſit, ſubiungit: omnis enim natura beſtiarum & volucrũ, & ſerpentium & cæterorum domantur, & domita ſunt à natura humana: linguam autẽ nullus domare poteſt, inquietum malum, &c. Igitur in diuinis libris quidquid præter id quod ratio ipſa diuina admittere videtur, pro noſtro arbitratu ſtatuere, omnibus hominibus religio eſt: præterquam iis, quos certis ſignis & irrefragabili auctoritate probatos diuinus ſpiritus ad id munus creauerit, quales fuēre olim diuini Vates, quales Apoſtoli ſpiritu ſancto imbuti, qualis Ieſus Chriſtus ſapientiæ ſpiritu auctiſſimus, qui docebat tanquam poteſtatem habens, non ſicut Scribæ aut Phariſæi. Nam quid facilius, quàm diuina oracula ſuſcipere explicanda; ſi negotium hoc priuatæ interpretationis (quod Petrus negat) eſſet? *2. Pet.* quid rurſus obſcurius, & à veritatis inueniendæ via longius remotum eſſe poteſt, ſi non certam aliquam rationem conſequi oporteat, ſi propriam cuilibet cogitationem ſuſcipere & tueri integrum ſit? Quam ob rem; cùm quis nulla ſacrorum librorũ auctoritate fultus, nullis diuinis ſignis aut ſacri miniſterij certa dignitate probatus, priuata tantum cogitatione aut familiari & domeſtico conſenſu ſiue receptione vſus de rebus iis quæ in ſacris libris tractantur, ſtatuere quidquam viſus fuerit, contrà quàm ipſa diuina verba aut indicare, aut innuere videantur; is profectò non maiorem quàm priuatam apud nos auctoritatem obtinebit. Illud etiam his accedit, quòd huiuſce generis actiones, quæ vatibus à numine præſcribebantur, ſigna atque admonitiones erant, quibus aut principes, aut populos, aut alios ad quos res pertinebat, præmonitos atque edoctos, imò & maximè commotos Deus eſſe voluit. *Signorũ ratio.* Quam verò admonitionem, quem animi motum excitare potuerũt ſigna illa, quæ iis nunquam viſa ſint, quos maximè permoueri opus erat? ſed vatibus tantum intraque illorum mentes acta atq. repræſentata? Signorum cùm varia genera ſint, atque diuerſæ rationes; omnium tamẽ hæc communis natura ac vis eſt, vt ſenſibus primum aut intellectibus percepta aliud quidpiam

Religionẽ maximam in librorum ſacrorum expoſitione obſeruandã eſſe.

à ſeipſis

à ſeipſis indicent atque probent: quæ ſi ſenſibus aut intellectibus non percipiantur, ſigna eſſe non poſſunt: Namque ex imagine ſiue ex re, ſenſibus primùm oblata, & ex ea quæ ſequetur ſignificatione, aut notatione, conficitur id, quod dicimus ſignum. conſequens ergo eſt Hoſſeæ coniugium, & liberorum ſuſceptionem, Iſaiæ ad vatem vxorem acceſſus, Ieremiæ vincula, atque Ezechieli deſideratam coniugem, & quæcunq. huiuſmodi in antiquis libris leguntur, vel reipſa & veritate fuiſſe edita, vel ſigna iure non debere vocari. Neque verò leue apud nos argumentum illud eſt, quòd hæc ſigna hominibus duris ac pertinacibus, & qui verbis atq. oratione difficillimè mouerentur, edi iubebantur: quibus cùm ſollẽne & frequens eſſet, verba apud ipſos à vatibus facta refellere, aut ſi quid durius prædictum ab illis eſſet, vel negare futurum, vel mitius multo atque minus durum, quàm prædictum aut deſcriptum ſit, expectari poſſe, aſſeuerare: pronum etiam facillimumque iiſdem fuiſſet, has res omnes atque hæc portenta, quibus vates ſe viſione prophetica admonitos fuiſſe, atque ex iis vaticinari iuſſos denunciarent, pro ſuis ipſorum ſententiis & votis, non pro veritate interpretari, & conſuetum conſiliorum ac vitæ inſtitutum nihilominus ſeruare ac promouere: Nam ſi diceret Iſaias ſe filio ex viſione procreato nomen indidiſſe; *Accelera diuide ſpolia*; in promptu fuit, vt à ſuæ ætatis hominibus ita res reciperetur; & etiam non reipſa, ſed viſione & imaginatione fore expoliandos. Ieremias etiam ſi nullos ſibi laqueos, nullas cathenas verè indidit, neque ad finitimos tranſmiſit reges, neque publicè geſtauit, neque his ab Hanania vate portentum pernegante in populi conſpectu verè eſt exutus, ſed tantùm hæc ſibi mentis cogitatione accidiſſe narrauit, atque ſimili exemplo rem illis apud quos ſermonem habebat, euenturam prædixit, audire & illud procul dubio potuit, vel ab illo ſibi æmulo Hanania, ſeſe portentorũ ſignificationem perinde admittere, atq. propoſita ab illo fuerit; itaq. futurum eſſe, vt & populi, & principes ij, quibus ea mala portendebantur, eodem etiam modo quo oſtenſa fuerant, experirentur: Oſtenſa autem fuiſſe viſione aut per ſomnium; non aliter ergo quàm per viſionem aut ſomnium illa mala fore expectanda. Adde quòd tam multa ac frequens circunſtantiarum & totius apparatus explicatio rem viſione peractam accipere non permittit. Namque in his narrandis negotiis teſtes adhibentur, deſcribuntur loca, nomina etiam vel locorum vel rerum vel perſonarum appellantur, opportunitates ac momenta temporum conſtituuntur, & quæ plurima huius generis coniungi ſolent, quibus non ad cogitationes indicandas, ſed ad res ipſas oſtendendas, atque ad rei veritatem confirmandam homines vti conſueuerunt: quanquam non inficiemur permultas res ab antiquis patribus atque à vatibus, aut per quietem, aut prophetica mentis agitatione, fuiſſe monſtratas, iiſdemque ſpectris illos arcanarum aut futurarum rerum admonitos fuiſſe, & viſionum ſuarum etiam rationes & ſignificationes aliis tradidiſſe; tamen longè diuerſam harum atque illarum eſſe rerum rationem, vel ex earum comparatione, demonſtrare non fuerit difficile: cùm non omnino & ſimilis narrandi modus in vtroque genere ſeruari, neque argumentorum & circunſtantiarum par pondus, eodemque modo comparatum, afferri ſoleat. Sed & ipſa nimirum ſacra ſcripta quid in viſione actum ſit, quid in ſomniis oſtenſum notis appoſitis, & nonnunquam manifeſtis verbis indicare obſeruantur. Nobis enim qui vix obuia quæque, & ſenſibus expoſita videmus, an quicquam prophetica viſione conſpici à viuentibus hominibus poſſet, planè fuiſſet ignotum, niſi vates ipſi, atque adeò diuinus ſpiritus, nos id fieri poſſe atque ſolere docuiſſent: & cùm hoſtes atque præceptori ſuo infenſum exercitum tantum conſpiceret puer ille Heliſſæi vatis, nihil amplius illi conſpectum arbitraremur, niſi eodem ipſo vate orante Deus pueto innumeras curruum atque armatorum militum myriadas ſpectandas obiiceret: itaq. ipſis illis in locis, in quibus de huiuſmodi viſis agitur, quam rationem ea ſequantur, explicatur. Sic nimirum Abraham inter percuſſas ex fœdere animalium partes dormiens, quæ à numine tradita illi fuêre vidiſſe atque audiſſe fertur: ſic Iacob ſcalam angelorum frequentia celebratam per quietem vidiſſe dictus eſt: ſic Iſaias viſione Dei thronum atq. Seraphinorum miniſteria, ſeque ignito carbone diuinitus tactum conſpexiſſe ipſe ait: ſic Ezechiel longam de ſpectris & ædificationibus ſuis ipſe exædificat hiſtoriam: ſic Petrus quæ de gentibus ad ſalutem admittendis per viſionem acceperat, eodem viſus & mentis exceſſus nomine, narratione iterum atque iterum repetita exponit: quæ verò non viſione, ſed diuino ſuggerente ſpiritu acceperat, ea propriis ſignata notis ad collegas atque ſocios bis retulit: quæ demum reipſa ſunt manifeſtè effecta; vt diuini ſpiritus in Cornelium eiúſque familiam illapſus, productis oſtendit teſtimoniis. Igitur cùm diuinus ipſe ſpiritus indicare atque docere res omnes & poſſit & ſoleat, & quid huiuſmodi viſis oſtendatur, adnotare, nimium ingenioſi, ac neſcio an perinde religioſi fuerit interpretis, ſi quæ res durior viſa fuerit factu, eam rem non ex veritate, ſed ex animi tantùm agitatione, ex ſomnio, ex viſu definire.

De ſpectris propheticis.

Reg. c. 6.

definire. Illa verò ratio, qua quidam vt hoc ſtatuerent adducti ſunt, propheticam electionem non planè perſpectam illis eſſe, probat. Aiunt enim ſi hæc quæ prophetis, vt agerentur, mandata ſunt, reipſa & veritate ſunt acta; conſequens eſſet, Deum id agere vt vatum ſuorum honor atque dignitas deformetur: vtpote quos negotia humillima atque abiectiſſima ſuſtinere iuſſos populo ſpectandos atque ridendos expoſuerit: quibus ſic reſponſum eſſe volumus: Deum non vt reges, ſic & prophetas dignitatis ipſorum cauſa creare ſolitum eſſe: nam regibus vnà cum populorum atque publicarum rerum cura, dignitatem etiam atque honorem defert, totamque eorum familiam in ſplendorem dat, ſicut ſcriptum eſt: Nónne cùm paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſraël factus es, vnxitque te Dominus in regem ſuper Iſraël? At verò in vatibus creandis, non tam eorum honoris, quàm oneris habetur ratio; propterea quòd hi non ſuiipſorum, ſed populorum cauſa mitti ſoleant: nimirum vt aberrantes à recta virtutis via homines ad meliorem frugem corrigant; quæ res, cùm propter morum atque ingeniorum varietatem, non vna aut ſimplici ratione parari poſſit, ex eo fit, vt alio atque alio modo prophetarum opera atque miniſterio Deus vtatur. Itaque non tam vatum, quàm populorum, quorum cauſa parantur Vates, rationes atque res agit Deus. Siquid autem durius illis fuerit imperatum, tamen parêre ſolent, vt qui ſe non ſui, ſed aliorum cauſa ad id officij vocatos agnoſcant. Quam ob rem Ieremias, etſi grauiter illatas ſibi iniurias conqueratur, & inferendas expectet; tamen pergit, & diuina iuſſa forti animi conſtantia faceſſit, væ mihi mater mea (inquit) quare genuiſti me virum rixæ, virum diſcordiæ in vniuerſa terra? non fœneraui, neque quiſquam fœnerauit mihi, omnes tamen maledicunt mihi. Igitur ſi tempora, hiſtorias, & mundi faſtus euoluamus, vates non tam ſibi, quam aliis fuiſſe natos atque creatos, vel ex ipſo eorum docebimur exitu. Ferè enim ab Iſaia, vſque ad Ioannem Baptiſtam nullus occurrit, quem non iniuriis ab hominibus laceſſitum, & crudeli tandem morte affectum ſpectemus: qua ex re fit, vt neque nouum neque mirandum videri debeat, ſi huiuſmodi partium, quæ duræ atque eorum dignitati in hac vita aduerſæ videntur, eos actores ſpectauerimus, quos ſicut oues in medium luporum Deus miſerit. Arbitramur igitur vxoris Ezechielis vatis obitum verè contigiſſe, vt ea re populo futurus ex propriis malis dolor portenderetur: Neq. Iſaiam nudũ per Vrbem inceſſiſſe inficiamur: neq. Hoſſeæ vatis humiles impudicæ feminæ nuptias admiramur; quæ ſi veræ non eſſent, atque adeò paratæ duriſſimæ, non ita aptè vel humanam malitiam, vel diuinam patientiam atque bonitatem indicarent. Namque ipſo ſui ſpectaculo huiuſmodi res magis, quàm relatione hominum animos afficere, & commouere poterant: quibus autem modis id melius potuit præſtari, iis modis vt res ageretur, iubebat Deus; cui tanta corrigendi atque reſtituendi homines cura ſemper fuit. Duxiſſe itaq. Hoſſeam his moribus vxorem, ratio ipſa, quamobrem id agere iuſſus fuerit, declarat, & ſimplex lectio atq. conſuetus ordo probant; in qua ſententia antiquorum auctorum maxima pars eſt, quos & diuus Hieronymus ſacrorũ librorum interpres, ſequitur.

Ad arg. de honore vatum.

Electio regum & prophetarũ.

1. Sam. 15.

Iere. 15.

Hierony.

IGITVR Vxorem fornicationum accipere iubetur Hoſſeas, hoc eſt, quam fornicatam fuiſſe, & libidini expoſitam omnibus eſſet conſpicuum. Nec enim quærenda illi erat virgo aliqua, nec honeſtis moribus vidua, neque item mulier, cuius fama incertis rumoribus laboraret, nimirum quæ à nonnullis amaretur: an verò quicquam præterea turpe admiſiſſet, foret incertum: ſed ea quæ omnem pepuliſſe pudicitiam manifeſtis argumentis probaretur. Nulla autem maiora eius rei argumenta eſſe poſſunt, quàm filiorum citra legitimum thorum procreatio atque ſuſceptio; quo argumento Thamaris fornicationem apud Iudam ſocerum ſuum delatam fuiſſe legimus: Fornicata eſt Thamar nurus tua, atque etiam illa grauida eſt ex fornicationibus; ita vt ſcelus negari non poſſet, quòd vterus non ex legitimo coniugio tumens argueret. huiuſmodi impudicitiæ mulierem inuenire ſibi iubetur Hoſſeas, quam vnà cum filiis maternæ improbitatis teſtibus acciperet, ferret, aleret, adoptaret, & ad frugem inſtitueret: Nam quod verbum Latinè legimus in nonnullis tráſlationibus (*fac tibi filios fornicationum*) id præterquam quòd nuſquam in exemplaribus aut Hebraicis, aut Græcis, neque in emendatioribus vulgatæ editionis Latinis eſt, ipſa matrimonij ratio non neceſſarium eſſe docet: Etenim filios ex quacumque, modò ritè atque legitimè, accepta vxore procreatos; nec lex, nec ratio vlla, fornicationis nota inurit: ſed ad manifeſtam ſtuprorum probationem, filiis auctam, prophetæ vxorem vult eſſe Deus: cuiuſmodi ſtuprum Thamar filij arguerant, niſi aliunde productis argumentis, ex ſocero ſibi fuiſſe conceptos illa defenderet. Sed hanc rem, & Græca interpretatio ſignificare videtur, quæ ex multis nominibus, quibus filij definiuntur, vnum elegit, quod matrem potius, quàm patrem ſpectat *Τέκνα πορνείας* partus fornicationis, deinde, vt ſignificationi imago reſpon-

Gen. 38.

reſponderet, hoc eſt curatum: Namque Hebræorum ſynagogam multis ſuperſtitioſi cultus adulterijs eſſe contaminatam oſtendebat innumerabilis varum ſacrificulorum, atque aliorum hominum turba, quos aræ, templa, ſimulachra, ceremoniæ, & vanum gentilis religionis negotium omne paſcebat, & fouebat. Vatem autem, cùm id de ſe ſpectaculum ederet, & vir alioqui ſanctus atq. honeſtatis dignitatisq. ſuæ ſtudioſus, huiuſmodi coniugij conflictari moleſtiis conſpiceret, admirationem & horrendam aliquam expectationē populo commouere neceſſe erat, & quorſum hæc tenderent, ab omnibus interrogari, quam interrogationem quo ille reſponſo exciperet, ſic à Deo eſt admonitus:

Quia fornicans fornicabitur terra a Domino.

HOC EST, quia his moribus vxorem ſynagogam Dominus Deus fert, quæ cùm quondam illi legitimè coniuncta fuerit & multis cumulata beneficiis, tamen antiquos mores ſuos ſibi renouauit; vtque in adoleſcentia ſua in Ægypto ſuperſtitioni operam dederat, atque à paterna veri Dei religione, ad inſana Ægyptiorum monſtra deſciuerat, nunc demum in eodem, quem ſuxerat, errore verſatur, & multis ex ſcelere procreatis filiis, tamen Dei ſeſe vxorem appellitat, cùm mœcha, atque adulteriis multis notata ſit; & tamen Dei patientia ac bonitate nondum eſt repudiata, imò ferre atque fouere illam parat Deus, & omnem operam nauat, vt illi conſulat, ſi tamen ipſa ſibi conſultum eſſe velit. Verbum *for-*
Futurum tempus. *nicabitur* in futuro tempore conſultò à Latino interprete eſt relictum, quod tamen non tam temporis quàm aſſeuerationis & certitudinis rationem tenet. Nam cùm quid aut certiſſimum eſſe, aut perpetuum, aut in communi vſu & cōſuetudine poſitum ſignificare volunt
Geneſ. 20. Hebræi, id futuri temporis verbo enunciant: vt, opera quæ non fient, feciſti mecum: hoc
Comment. in Habbakuq. eſt, quæ neque ſolent, neque debuêre fieri: quam nos obſeruationem pluribus aliâs explicuimus. Hoc igitur in loco, *fornicabitur*, aſſeuerationis & affirmationis vim obtinet, & commune atque conſuetum id malum eſſe indicat: Ad aſſeuerationem verò eiuſdem verbi repetitio plurimum efficere ſolet: *Fornicans fornicabitur.* Terræ autem nomine homines terram
Terra ſignificatio. incolentes ſignificat: vt, Omnis terra adoret te, & pſallat nomini tuo. namque etſi communis omni animantium generi ſedes terra ſit, nullius tamen cauſſa præterquam homi-
Pſal. 63. nis eam creatā eſſe conſtat. ſiquidē (vt ſcriptum eſt) Cælum cęli Domino, terrā autem dedit
Pſal. 113. filiis hominū: ex quo fit, vt hoc metonymiæ genus frequēter in ſacris ſermonib. vſurpetur.

Et abijt & accepit Gomer filiam Diblaim, & concepit & peperit ei filium, & dixit Dominus ad eum: Voca nomen eius Iezraghel.

ET ABIIT: diuino dicto ſedulò paruiſſe Prophetam verbum hoc ſignificat, & qua diligentia pium hominem diuinis præceptis parêre atque obedire oporteat, perdocet: neque enim quicquam cunctatus fuiſſe vates, neque de ea re quamuis duriſſima verbum vllum feciſſe dicitur; ſed continuò Dei præceptum faceſſentem inueniſſe ſibi vxorem ei negotio apprime idoneam, notæ illa ætate impudicitiæ feminam, cuius nomen vnà cum paterno pronunciat: *Gomer filiam Diblaim*, quorum nominum interpretationes ſectatus Chaldæus interpres totum negotium ad allegoriam, vt diximus, tranſtulit, atque oſtium aliis patefecit, vt hanc etiam explicationis inirent viam, neque tamen illius perſequerentur veſtigia. Nam cùm *Gomer* à verbo conſummationem ſignificante deriuetur, *Diblaim* verò caricas, vel caricarum, hoc eſt, aridarum ficuum par ſignificet; vtramque ſignificationem, pro ſua cuiuſque cogitatione ſinguli tractauêre: quorum omnes referre ſententias præterquam quòd noſtri inſtituti id non eſt, longa fuerit magis quàm benigna materia. Sed quoniam in eum locum incidimus, vt de nominibus propriis dicendi nobis copia facta ſit, quædam pro capitis huius ratione breuiter admonere viſum eſt: nullus enim campus latiùs patêre ſolet iis qui ſacra atque arcana ſcripta omnia ad allegorias transferre ſolent, quàm hic in quo propria locorum aut perſonarum aut etiam rerum nomina continentur, cùm vnuſquiſque putet eam eſſe huiuſmodi interpretationum naturam, ita flexibilem, vt ſequatur, quocunque torqueas.

NON parum igitur refert, vtrum nominum interpretationem, atque imponendorum
De nominum interpretatione. eorum cauſſam ex ipſis ſacris libris proferamus, an aliundè quæramus. Quædam namque nomina diuinitùs aut ex oraculo rebus atq. perſonis facta eſſe; quædam etiam ex hiſtoria ab ipſis hominibus conſultò indita fuiſſe conſtat: nam cùm res aut perſonas negotij alicuius ſigna & teſtimonia eſſe voluit Deus, quo nomine appellanda ſint illa, præmonere ipſe ſolet, ex quo genere illi Eſaiæ vatis filij vnà cum nominibus ſuis fuerunt, quamobrem ipſe vates ait: ecce ego & filij mei, quos dedit mihi Dominus in ſignum & in portentum Iſraël.
Iſa c. 3. Quæ verò ab hominibus ipſis facta nomina ſunt, aut ob præſentium, aut ob præteritarum rerum recordationem, plerumque facta fuiſſe conſtat: cuiuſmodi ſunt Benoni, quem mater ob

terob vehementem atque lethalem,quo in illius partu angebatur, dolorem, ſic vocari iuſſerat,pater verò nomen in Beniamin,ne perpetuò vxoris luctum renouare cogeretur,mutauit.ob futurum autem rerum,aut perſonarum,aut negotiorum euentum,nulla vel rariſſima nomina ab hominibus legimus impoſita: eam namque auctoritatem ſolus ſibi diuinus ſpiritus vendicat,iiſque tãtum in vſum tribuit,quibus ſeſe inſinuare dignatur: vt Noë nomen,quem mater ſic appellari voluit, quòd diuinitus admonita præuiderit eum fore pium,& Deo gratum hominem,& per quem orbis eſſet reſarcienda iactura.

MVLTA præterea in ſacris libris nomina ſunt, quorum quamuis certa haberi poſſit interpretatio, cauſſa tamen,quamobrem indita huic vel illi perſonæ fuerint, nulla redditur. Eam verò cauſſam ſi quis inuenire paret,coniectura vtatur, neceſſe eſt. Atque in locorum quidem multorum appellationibus explicandis facilior multo coniectura eſt, vt Iericho,quod odorem ſiue fragrantiam ſignificat,nomen propter balſamum in eo vico prouenientem factum fuiſſe videri poſſit:nam quod de luna dicitur, longius petitũ eſt:In perſonarum verò ratione nominibus ſuis accommodanda, non ita facilem coniiciendi modum experiere,ſi rem ſapienter perſequi velis. hoc autem illis in primis nominum poſſeſſoribus ita accidere dicimus:nam in iis qui ſecundo aut tertio loco, aut deinceps ita vocati fuerint,non eſt cur multum laboremus;cùm ea nomina aut ex parẽtum voto, aut ex imitatione aliqua,aut etiam ex nominum ipſorum gratia impoſita eſſe credantur.

Locorum nomina. Iericho.

Perſonarum nomina.

IGITVR in iis nominibus quorum interpretationem atq. cauſſam diuina ſcripta proferunt,ingenioſum eſſe quempiam nefas eſt:in quibus verò nominibus nulla neque interpretatio,neque ratio redditur,maximè autem perſonarum; vtrumque reddere incertum fuerit, magis quàm vtile.Quòd ſi coniiciendi genus aliquod ſequi velimus,ſumma in hoc prudentia eſt,quodnam potiſſimum genus ſequi oporteat. Sed quoniam latè patet ratio hæc,& maiorem locum occupat,quàm qui nobis commentationis lege datur,eam in aliud tempus differre conſultius putamus.

CVM ergo in hoc loco duorum generum nomina ſint,& quæ à Deo imponi iubentur, atque in ſignum portentumque impoſita declarantur, qualia filiorum appellationes ſunt, & quæ impoſita iam inuenerit propheta,qualia ſunt vxoris atque ſoceri nomina: illa cum rationibus ſuis conſiderare atque religioſè obſeruare;in his certi nihil ſtatuere eſt animus. nam an caſu ita vocati fuerint pater & gnata, an conſultò atque ex futuræ rei expectatione,neque ſcripturis docemur ſacris,neque affirmare aut negare omnino integrum eſt. Sed ne tamen omnino nihil de his nominibus dicamus, illud quod commodiſſimum ex multis,quas reperire poſſumus,rationibus, & quod cum ipſo de quo agitur negotio conuenire aptius videtur, exponemus. *Gomer*, conſummationẽ ſignificat hæc vox, qua certum pœnarum & ſuppliciorum fore euentum,ita vt tandem perficiatur,quod tamdiu comminatus fuerit Deus,indicari videtur. *Diblaim* verò ficus aridas duas ſignificat, vt vtrumque regnum Iſraëlitarum & Iudæorum debile & viribus fractum, atque ob publica peccata arens oſtenderet.

Et concepit, & peperit ei filium.

CONIVGIVM prolis ſuſceptio ſequitur,niſi aliunde impediatur; ſed vxorem ex diuino imperio,ſibi vates inuenerat,quam editi antea filij nõ ſterilem eſſe declarabant. concepiſſe igitur ex Hoſſea dicitur, non ex fornicatione,vt olim; quamobrem ſubiungit: *& peperit ei filium.* quòd verò additur Ei,interpretationẽ corroborat noſtram. Marem autem primum filium fuiſſe ait,fortitudinis atque roboris ſymbolo vſus,quòd ea, quæ eo nomine ſignificabantur,ſupplicia non leuiter,ſed grauiſſimè atque fortiſſimè à Deo eſſent irroganda:ſiquidem maſculorum corpus in omni animantium genere cùm calidius ac ſiccius natura ſit,plenum eſt,& quaſi pallium,vt Hippocrates ait,denſum tum ad viſum, tum ad tactum,& labor ipſius corroborat corpus,& ad quamcunque rem fortius reddit.

Coniugiũ proles ſequitur.

Hippocr.lib. De glãdibus, & de diæta.

Et dixit Dominus ad eum: Voca nomen eius Iezraghel: quoniam adhuc modicum, & viſitabo ſanguinem Iezraghel ſuper domum Iehu, & quieſcere faciam regnum domus Iſraël.

NOMEN non nouum, ſed tamen noua ratione accommodatum puero imponere iubetur Hoſſeas: namque Iezraghel nomine duo loca vocata fuiſſe, ex diuinis conſtat hiſtoriis. Sæpe autem aut ex conſilio,aut caſu accidere ſolet, vt ad eam rem, quæ iam multo antè conſtabat, noui negotij fiat acceſſio, quòd cum re illa vel nomine vel ratione conueniat; vt quòd prudentiſſima illa femina apud Dauid verba faciens de Nabal viro ſuo dicebat: Ne ponat Dominus meus rex cor ſuum ſuper virum iſtum iniquum Nabal, quia ſecundum nomen ſuum ſtultus eſt, & ſtultitia eſt cum eo. quo in loco ſignificatur, Nabal nomen, quòd forte aut caſu, aut alia ex cauſſa à parentibus fuerat impoſitum, in 1.Sam.25

hominis mores aptè quadraſſe. ſic etiam nomen *Iezraghel*, quod diuini brachij fortitudinem
ſignificat, in iis rebus vſurpari vult Deus, quæ iam verè cum diuino conueniant brachio;
hoc eſt, in ſuppliciis de ſceleratis hominibus ſumptis. nam vt olim dum innocentem Na-
both ſanguinem in valle, cui nomen erat *Iezraghel*, Deus Achab & Iezabel atque eorum li-
beris per Iehu trucidatis vlciſceretur, nomen *Iezraghel*, hoc eſt Dei brachium, commodè v-
ſurpari appellarique poterat. ſic etiam hoc tempore, cùm Iehu impij poſteritatem om-
nem perdendam idem curet Deus, futurum eſt, vt *Iezraghel* mentio frequẽtiſſima iure fiat,
& horrendum illud brachium Domini in publicis atq. priuatis ſermonibus verſetur: nam
Pſal. 88. diuinum brachium virtutem & vlciſcendi facultatem ſignificare non vno in loco accipi-
mus, In brachio virtutis tuæ diſperſiſti omnes inimicos tuos, & illud tuum brachium cum
Ibid. potentia. Itaque hoc in loco Deus iubet Vatem ſuum puero nomen *Iezraghel* facere, vt ſi
quando id nomen iure vſurpatum ſit, nunc maximè vſurpari debeat, cùm Deus impium
Iehu genus virtutis ſuæ brachio ſit vlturus: eam verò nominis cauſſam Deus ipſe profert.

Quoniam adhuc modicum & viſitabo.] Viſitaturum ſe dicit ſanguinem Iezraghel; non quòd
Deus vlciſci paret Achab & vxoris eius necem, atque totius illorum domus interitũ, quæ
Iehu vaſtante iam diruta fuerat: ſiquidem id negotium & Deo ipſo auctore à Iehu fuerat
ſuſceptum, atque eodem probante confectum: dixerat namque propheta Iehu à ſe in re-
4. Reg. 9. gem vncto: *Hæc dicit Dominus, Vnxi te regem ſuper populum meum Iſraël, & percuties domum Achab domini
tui, & vlciſcar ſanguinem ſeruorum meorum prophetarum, & ſanguinem omnium ſeruorum Domini*: eidem ve-
rò ab effecta iam cæde reuertenti, Dei verbis illud eſt relatum: *Quia ſtudioſè egiſti, quod rectum e-
rat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo feciſti contra domum Achab, filij tui vſque ad quar-
tam generationem ſedebunt ſuper thronum Iſraël*: Nihil igitur ſceleris hac in re ab Iehu admiſſum eſſe
legimus, neque eam eſſe huius loci rationem arbitramur, vt impium Achab ſanguinẽ ſuo
imperio fuſum Deus vlciſci pararet: ſed illam huius verſus ſententiam eſſe dicimus: ex quo
Achab illiusque familia ob impiam ſuperſtitionem atque hominum ſanctorum necem:
Deo vltore in valle Iezraghel funditus perierunt, eius rei fama atq. nomen illud non mo-
dò Samariæ, ſed apud vniuerſam Iſraëlitarum gentem omnium ſermone percrebuit, vt
cum diuinam vltionem maximam ſignificare vellent, & totius familię ac dignitatis Achab
repentè extinctæ meminiſſent, nomen *Iezraghel*, hoc eſt brachij Dei, & diuinæ vltionis fre-
quenti mentione audiretur, cùm iam ex antiquo linguæ vſu Domini brachium diuinam
ſignificare virtutem docuerimus.

IGITVR cùm brachium Domini extendi ſoleat in eos qui impio vanorum deorum
cultu flagrent, atque ob eam rem, & ob conſequuta ex ea re ſcelera, tantas in valle Iezra-
ghel pœnas Achab familia dederit; futurum eſſe Deus dicit, vt, non poſt multum tempus
tota Iehu familia, eodem vltionis genere afficiatur, quo Achab in valle Iezraghel fuerat
affectus; nimirum vt eius poſteritas omnis funditus pereat, & Iſraëlitico regno priuetur:
neque quiſquam ex genere Iehu ſuperſit, qui vlterà teneat principatum. Viſitare itaque ſan-
guinem Iezraghel ſuper domum Iehu, idem ſignificat, quod ſimilem ſtragem in domo
Iehu edere, atque in valle Iezraghel in domo Achab fuerat edita: nam in Achab (qui fe-
cerat ſecundum omnia opera Ieroboam filij Nabat) ita ſententia fuerat pronuntiata:
*Perdam omnem domum Achab, & interficiam de domo Achab mingentem ad parietem, & clauſum & nouiſſimum
4. Reg. 10. in Iſraël (ita vt nulla ſit illis reliqua regni ſpes) & dabo domum Achab ſicut domum Ieroboam filij Nabat.* atque
adeo cùm Iehu regem iiſdem ſceleribus diuina notet ſcriptura, quibus neque illius poſte-
ritatem abſoluat, conſequens eſt, vt iiſdem pœnis iure afficiendos pronuntiet, ſicut ſcri-
ptum eſt: *Veruntamen Iehu à peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Iſrael, non receſſit, nec dereliquit vitu-
los aureos, qui erant in Bethel & Dan. nec cuſtodiuit, vt ambularet in lege Domini Iſrael in toto corde ſuo:
non enim receſſit à peccatis Ieroboam qui peccare fecit Iſraël*: hæc culpæ ſumma fuit. ſententiæ etiam
ſumma illi alteri non diſſimilis hæc fuit: *Viſitabo ſanguinem Iezraghel ſuper domum Iehu, & quieſcere
faciam regnum domus Iſrael* Verbum autem, viſitare, cùm quadruplicem obtineat ſignificatio-
nem, ad recordationis & memoriæ rationem frequentiſſimo vſu ducitur: vt, Viſitauit Do-
Deut. 21. Geneſ. 50. minus Sarrã; &, Dominus viſitãdo viſitabit nos: Et quod ad Moſen ipſe dicit Dominus,
Exod. 3. Viſitans viſitaui vos. eadem nimirum ſignificatione ſe Deus hoc in loco ſanguinem Iezra-
ghel viſitaturum profitetur, quòd breui futurum eſſet, vt par domus Iehu ob paria ſcelera
ſtrages Iezraghelitici caſus memoriam renouaret. Eam autem ruinam non ſtatim futuram
prædicit, ſed *adhuc modicum*: vt prædictionis mentio aliquanto antè peruulgata diuinam pro-
uidentiam arguat, & rei diuturnior expectatio attentionem ſimul & religionem homi-
num animis afferat. Præterea vt diuinæ miſericordiæ argumenta repetantur, cuius ea na-
tura eſt, vt quoad fieri poſſit, impiorum differat ſupplicia: Solet enim Deus, etiã cùm iram
ſuam oſtendere velit, & notam facere potentiam, atque brachium ſuum exercere, vaſa iræ

apta in interitum in multa patientia (vt Paulus inquit) ſuſtinere; atque adeò ita euenit: nam
Ieroboam annis quadraginta vno regnum adminiſtrauit, Syros vicit, terminos Iſraëlis ab
introitu Emath vſque ad Aſphaltitem lacum regno ſuo reſtituit. huius verò filius Zacha- 4. Reg. 14.
rias ſexto regni ſui menſe, & regno pulſus & vita priuatus eſt. in quo huic familiæ regnãdi Ioſeph. lib. 9.
finis eſt factus. atq. eam ſententiã habet id quod ſubditur: *Quieſcere faciam regnum domus Iſrael*, hoc cap. 10.
eſt, efficiam vt regnum domus Iſraël in ea familia ceſſet: nõ enim hoc in loco Samariæ va-
ſtatio & Iſraëlitarum ruina prædicitur, quæ interiecto aliquanto tẽpore accidit; ſed id quod
ad Zachariæ necem mox erat conſequuturum. Iehu autem domum ob eam rem appellat,
quòd Ieroboam ex eius poſteris fuit: nam is primus ex gente ſua Achabi domo deleta re-
gnum annis duodetriginta obtinuit. huic filius Iehoiahhas ſucceſſit, qui & ipſe annis de-
cem & ſeptem rerum eſt potitus. poſt hunc Ioas ſedecim annis regno præfuit, quem Iero-
boam ſequutus eſt, filiumq́ue regni hæredem reliquit Zachariam: promiſerat autem Deus 4. Reg. 9.
Iehu ob rem ſtrenuè aduerſus domum Achab geſtam, perpetuum ac certum vſq. ad quar-
tum hæredem familiæ ſuæ fore regnum; quam ſpem & diutius ei prorogaſſet, niſi iam ab
eius tempore Iſraëliticarum rerum tædere illum cœpiſſet: nam cùm Iehu Ieroboami ex-
emplo religionem neglexiſſet, & impietatis ſuæ poſteros ſuos habuiſſet imitatores; effe-
ctum eſt, vt huius tandem familiæ curam ſolueret Deus, eamq́ue extingui & regni digni-
tate priuari curaret. Neque verò alienum videri poterit, ſi Iezraghelis & nomen & hiſtoria
breuiter à nobis tractetur, quantum ex diuinis videlicet didicimus libris: Namque anti-
quius Hoſſea vate hoc nomen fuiſſe, & vnum ex poſteris Iuda ſic fuiſſe appellatum in ſa-
cris annalibus legimus, vbi inter Iudæ filios Iezraghel quidam filius Etham, qui idem Hur 1. Par. c. 4.
dictus fuit, commemoratur. Sed & occurrunt hoc nomine dictæ duæ vrbes, Ioſue choro-
graphiam atque ſacras hiſtorias legentibus; altera in tribu Iudæ, quæ ex deſcriptionis ra- Ioſue 15.
tione in editiore loco ſita fuiſſe videtur; altera verò in ea terræ parte, quæ filiis Ioſeph bello
occupanda ceſſit, in amœniſſima valle (cui ab ipſa vrbe nomen factum eſt) poſita, & Iſſaca- Ioſue c. 17.
ris finitima, neque multum ab Iſraëlitarum regia Samaria diſtans, ita vt ob loci amœnita-
tem, & propinquitatem regiis hortis & pulcherrimo palatio fuiſſet ornata: atque hæc qui-
dem res, impiæ Iezabelis dolo, Naboth necem cum vineæ publicatione attulit. in hanc val- 2. Reg. 9.
lem Ioram Achabi filius, vt ex acceptis in Syriaco prœlio vulneribus recrearetur, ſeceſſerat;
in ea valle à Iehu, cui curru vectus obuiam venerat, ſagitta petitus periit: ea vallis Iezabelem
primùm Iehu iuſſu, præcipitem excepit, & deinde à canibus diſtractam atque dilaceratam
tulit, ita vt is locus initium dicto dederit, quod de regina illa impia vulgò frequenter v-
ſurpandum diuinus prædixerat vates, In agro Iezraghel comedent canes carnem Iezabel, 2 Reg. 2.
& erit ſicut ſtercus ſuper faciem terræ in agro Iezraghel, ita vt prætereuntes dicant; Hæc- “
cine eſt illa Iezabel? In hanc vallem ſeptuaginta filiorum Achab capita à Iehu à Samariæ “
optimatibus ſunt delata: neque hos ſolùm, ſed omnes qui erant reliqui de domo Achab in 2. Reg. 13.
hac valle Iehu percuſſit. itaque vallis hæc totius domus Achab extinctæ teſtis fuit, & eius “
vltionis monumentum, vnà cum nomine ſuo ad æternam memoriam propagauit: atque
hanc memoriam in domum Iehu à ſe exercendam eodem nomine (quod vatis filio im-
poni iubet) ſignificat Deus. *In illa die conteram arcum Iſraël in valle Iezraghel.* Triplicem fuiſſe ra-
tionem quamobrem puero nomen Iezraghel fieri voluerit Deus, ex ipſius verbis do-
cemur, nimirum primum illud ſupplicium, quod domus Achab ob ſuperſtitionem
in valle Iezraghel dederat, cuius exemplo cæteros omnes ab huiuſmodi culpa abſtinuiſſe
oportebat; cùm ſcirent contaminatam religionem diuini brachij fortitudine expiari: De- Iſa. 26.
inde Iehu domus interitum & ruinam, quæ & ipſa cum nihil minus in religione violanda
peccauiſſet, Iezraghel, hoc eſt diuinum brachium vt experiretur neceſſe erat: Cùm autem
ſcriptum ſit; Et ponam in pondere iuſtitiam & iudicium in menſura, neque diuina manus
apprehenſam ſemel ſtateram abiecerit, ſed ſuum cuiq. tribuens iuſto pondere & integra v-
tatur menſura, conſequens fuit vniuerſum populum Iſraëliticum meritas pœnas daturum,
neque Iezraghelis vltionem effugere poſſe eos qui in eadem culpa eſſent, ob quam cul-
pam nomen Iezraghelis notiſſimum atque celeberrimum fuerat. Itaque Deus aliam
cauſam etiam eſſe ait, quamobrem nomen Iezraghel vatis filio factum frequenti mentio-
ne appellaretur: quòd futurum mox erat, vt per omnes Iſraëlitici generis partes, ad caput
vſque ipſum, hoc eſt ad regnum Iuda, diuina vltio peruaderet: *Et erit, inquit, in illa die.*
Ex quo tempore domus Iehu corruit, Iſraëlitarum res diminui ac labi cœperunt, atque
vſque ad Iudaicam transmigrationem deficere: Zacharias enim ſexto regni menſe à Sa- Iſraëlitarum
lum eſt occiſus: Salum à Menahem obſeſſus primum poſt menſem in regia periit: Mena- rerum immi-
hem per annos decem occupatam tyrannidem, non ſine magnis populorum calamitati- nutiones.
bus, protraxit, cùm ipſe vſque ad prægnantium feminarum diruptionem in eos qui ipſius

impetium detrectabant, ſæuierit, & populo imperata maxima pecunia Therſam vrbem Aſſyriorum regis obſidione liberauerit: huius filius Phacea annos duos paternam tyrannidem vix ſuſtentauit, qui & ipſe à Phacea Remaliæ filio exercitus ſui duce inſidias paſſus, in Samaria non longè à valle Iezraghel periit. Hinc autem ſecundi Phaceæ anno decimoquinto poſtquam is tyrannidē primùm occuparat, Teglath Pelaſſar Aſſyriorum Rex totam Galaaditem regionem vaſtauit, cepit atque abduxit, quo in bello Rubenitis & Gaditis tribus & Manaſſe dimidia victorem hoſtem ſunt ſequutæ. Phaceas hic cùm vigeſimum iam annum rebus ita fractis regnaret, ab Hoſſea eſt interemptus, quem & ipſum Salmanaſſar tributarium fecit, ſeptimo occupatæ tyrannidis anno; deinde dum ille de defectione cogitaret, Zabulonis & Neptalim tribus Aſſyriis abducentibus ceſſiſſe legimus, & tandem nono huius anno Samariam captam, & vniuerſam Iſraëlitarum gentem patriis regionibus exulare coactam. Nec verò interea Iudæorum regibus atque populis, aut quies aut tranquillitas erat, nec eos feliciter agere ſinebat Deus, quos violatæ etiam religionis & publicæ iniuriæ ſceleribus alligatos eſſe conſtabat. Igitur Iudæorum res ſi hiſtorias diligenter legerimus, nimis detritas fuiſſe comperiemus, ab eo tempore quo Zacharias Iehu pronepos extinctus eſt, Nabugadnezero regnāte, qui ſanctam vrbē cum fano vaſtauit ſuo, atq. omnem Iudæorum gentem Babylonem migrare iuſſit. Itaq. Iſraëliticæ res, quæ tot per ſecula feliciter floruerant, exigui temporis ſpatio, nimirū intra cētum octoginta & ſeptem annos funditus corruêre, neq. vlla interea regis ætas fuit, quæ ſtrage, cæde, inſidiis, coniuratione & ruina vacaret; atq. hæc cauſa eſt, quamobrē Deus per vatē dicat, *in illa die*. Etenim in narrandis rebus geſtis, illa quæ ab vno inchoantur initio, ad idem tempus, atque adeò ad eum diem quo cœpta ſunt, referuntur. Præterea regnorum atq. ciuitatum ſuæ ætates ſunt, vt hominum atque aliorum animalium ſuæ etiam: vt autem hominum ætates diebus conſtant, ſic publicarum rerum atque regnorum certis annorum centuriis, quaſi diebus ſuis, conſtant. ferè igitur eadem centuria annorum, qua Iſraëliticum regnum defecit, atq. tota gens perpetuo eſt exilio abducta, eadem ferè & Iudaicum regnum fractum atque contritum fuit; interceſſêre namque inter Samariæ & Solymorum vaſtationem anni centum triginta & ſeptem, quam vnam diem regni ætatibus eſſe conſtat; Dei autem negotiis, non diem, ſed exiguam diei partem: quippe qui in pœnis, quas aduerſus gentem aliquam conſtituit, ſumendis, non tardet promiſſionem ſuam, ſed patienter agat, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti: qua de re, hoc eſt, de diuina vltione verba faciens, Petrus ait: Vnum verò hoc non lateat nos chariſſimi, quòd vnus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies vnus. Neque verò inauditus eſt hic dicendi modus aliarum etiam linguarum ſcriptoribus, qui totius actionis tempus ad vnum diē referre etiam ſolent: vt Virgilius, Meſſiſque diem, tempuſque ſerendi. ergo non ceſſaturam Iſraëlitarum calamitatem prædicit Deus, & vſque ad Iudæorum & Beniaminitarum vaſtationem duraturam, quæ extrema calamitatis illius linea futura erat. nam cùm quis eorum qui arcu vtuntur, ita in pugna vincitur vt arcum amittat, atque illum ante oculos ab hoſte frangi conſpiciat, omnem ſalutis & victoriæ ſpem abiicit; quippe cui, quo ſe tueatur, quo propugnet, nihil ſit reliquum. Appellat autem duas has tribus arcum Iſraëliticum, quando totius Iſraëliticæ gentis caput, robur atque decus hæ fuerāt tribus, & quòd inter omnes duodecim tribus, duæ hæ fortiſſimæ fuerant, & quòd eædē præter cætera arma, quibus in bello vtebantur, arcu etiam peritiſſimè vterētur: cuius exempli rationem erga Iudæos Dauid in illa Elegia, quam de Saulis & Ionathæ nece condidit, indicauit. Ad docendum, inquit, filios Iuda arcum. De Beniamin verò poſteritate, ſic ſcriptum eſt; Fortiſſimi & egregij pugnatores tendentes arcum dextra & ſiniſtra, ſaxa iacientes, atque haſtas arcu. Eſt & illud obſeruatione non indignum, cùm nomen Iſraël abſolutè appellatur, integram Iacob familiam, hoc eſt, duodecim tribus ſignificari: nam cùm decem tribus ſeorſum indicantur, aut id fit appoſitione Iuda, aut regnum, aut domus Iſraël, propriis notis nominatur. Sed cùm Iſraël appellatum audimus, Iacob ipſum ſecundum omnes, quæ ex illo natæ ſunt, familias intelligi exiſtimamus, vt, Qui regis Iſraël intende. Bos cognouit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſraël autem non cognouit, populus meus non intellexit: atque adeò ſecundum hanc rationem Iudaica gens arcus Iſraël appellatur. Quoniam verò triplex hæc clades domus Achab, & domus Iehu, & tandem totius domus Iſraël ob eundem vanum deorum cultum cum ſcelere coniunctum, eodem vindice atque auctore Deo eiuſdemque brachij fortitudine contigit: effectum eſt, vt omnes ad vnam primam, quæ à domo Achab in valle Iezraghelis accepta eſt, referrentur; perinde ac ſi dicatur, ſtragem illam Iezragheliticæ vallis nouum ſui exemplum, iterum atque tertiò edituram: cùm perſeueret eadem cauſa, quamobrem ipſa fuerit edita: vt qui earum calamitatum formam & cauſam cognouerint,

Temporis ratio.

Aetates hominum & regnorum.

1.Pet.2.

Georg.2.

1.Paral.12.

Iſrael. notat.

Pſal.

Eſa.10.

uerint, illud inter ſe iactent: Adhuc vallis Iezraghel conſueta ſpectacula edere non ceſſat: non ſecus atque nos, cùm populorum Chriſtianorum calamitoſum vtrimque conflictum ſignificare exemplo volumus, Rauennæ mentionem facimus. Igitur non hæc omnia in eodem loco, in eadem valle Iezraghelis contigiſſe (quoniam neque illic omnia contigêre) ſed vnius exempli omnia, vnius cauſæ atque iudicij vnius fuiſſe, dicemus, & nomen Iezraghel, hoc eſt brachij diuini omnino omnibus aptè conueniſſe. Illud etiam hoc in loco prætermittendum non eſſe indicauimus, quod ad idem argumentum & nomine & re facere exiſtimamus; quandoquidem huius nominis rationem maximam haberi Deus ipſe voluit. Nomen Iezraghel ex verbo, quod ſeminare ſignificat, fieri; vt Iezraghel, ſeminabit Deus, interpretemur: Vallem autem Hebraicè *Ghemeq*, dici, quod profunditatē indicat, propterea quòd vallium natura ea eſt, vt inter montes profundæ iaceant, ſicut ſcriptum eſt: Aſcendunt montes, & deſcendunt valles in locum quem fundaſti eis: & illud Poëtæ; *Iezraghel nomen.* *Pſal. 103.*

Iuſſit & extendi campos, ſubſidere valles. Ouid. meta. 1.

Igitur cùm hæc oratio in valle Iezraghel alteri atque alteri ſignificationi reſpondeat, vtraq. autem nihil à re, de qua ſermo eſt, aliena ſit: cumq. Deus prophetæ ſui filium hoc nomen in ſignum atque portentum habere iubeat, & aſſidua appellatione à parentibus audire, Iezraghel, Iezraghel: præterea & nominis vallis Iezraghel mentionē fieri frequentem velit, ab eadem etiam de nominibus his cogitatione non alienos hominū animos eſſe vult, quæ nobis Deum profundè vltionem & pœnam ſeminaturum repræſentare poſſit: cùm eadem vtriuſque ſignificationis ratio atque finis idem ſit, quamobrem id puero nomen fuerit impoſitum.

Et concepit adhuc & peperit filium, & dixit ei, Voca nomen eius Lo-ruhhama, quia non addam vltrà miſereri domui Iſraël, ſed obliuione obliuiſcar eos.

CVM rebus magis quàm verbis hoc vaticinium conſtare voluerit Deus, atque his imaginibus (quæ vehementiùs quàm oratio vlla animos mouere poſſunt) homines admonendos curauerit, effectum eſt, vt ſecundam prædictionem editurus, ſecundo partu vatis vxorem fœcundam reddiderit; filiæ verò eam matrem eſſe fecit, vt omnino res & nomen futuræ rei, ad quam ſignificandam hæc parabantur, conuenirent. Hactenus primo partu & filij nomine diuinæ vltionis imaginem ſumus contemplati, qua Deus tam in Iudæos quàm in Iſraëlitas pro eorum ſceleribus vſurus erat. Sed tamen quem exitum ea res habitura eſſet, celatum nobis illo primo ſpectaculo fuit; tantum pueri nomine identidem à parentibus, à neceſſariis, à populo omni appellato Diuini brachij robur atque altam eius ſationem audiuimus. Verùm quid tamen has res conſequuturum eſſet, cùm expectari poſſet, hoc ſecundo explicatur partu: An videlicet miſerturus tandem ſit Deus populo ſuo, an non. Oſtenditur autem Deum miſericordia vſurum, non tamen integra omnino & maxima illa ſua vſurum eſſe miſericordia, qua olim Moſe appellante atque orante apud Sinan montem erga totum populum eſt vſus: cui cùm ſupplicium atque abolitionem pararet, pepercit tamen, & maximum illud violatæ religionis ſcelus remiſit & condonauit. Nunc verò futurum eſſe prædicit, vt filiis Iuda miſereatur, atque à Babylonicæ ſeruitutis miſeriis vindicatis, & patriam & poſſeſſionem reſtituat ſuam: At verò decem tribubus, quę à Senacheribo abductæ ſunt, nunquam amplius reditus pateat, ſed per vniuerſum orbem longè lateque diſperſis, & regni ſpe, & religionis ſanctitate, omnibusque iis quæ beatas facere Reſpub. poſſunt, carendum ſit. Itaque cùm ex diuino conſilio vtriuſq. populi res hoc modo ſeſe habere deberent: ex eodem conſilio & filiam vati eique nomen *Lo-ruhhama* contigiſſe legimus. Nam vt femina debilior natura eſt, quàm mas (conſtat enim humidioribus & frigidioribus elementis) ex quo fit vt rara & laxa & velut fluida, tum ad viſum, tum ad tactum ſit, quamobrem infirmitudinis atque debilitatis ſymbolum eſſe ſolet, vt ſcriptum eſt: Gladius ad equos eius, & ad currus eius, & ad omne vulgus, quod eſt in medio eius, & erunt quaſi mulieres. Ad huius autem infirmitudinis rationem non ad plenam quandam atque integram, ſed ad debilem reparationem & ſalutem Iſraël conuertendus fore ſignificatur: quippe cuius, non omnia membra, hoc eſt, non omnes familiæ, ſed duæ tantum in antiquam dignitatem atque in ſuum locum eſſent reſtituendæ. Voca, inquit Deus, nomen eius Lo-Ruhhama. Nulla re magis rerum aut geſtarum, aut gerendarū memoriam, quàm nominibus impoſitis cuſtodiri, argumēto imprimis ſunt diuinæ literæ; deinde omnis aliorum ſcriptorum ac maximè hiſtoricorum & poëtarum turba: Ob hanc enim cauſam olim Segor nomen à Lot fuerat impoſitum: & Bethel loco à Iacob, & Phares ab obſtetrice; &c, "Hippocrates de glandulis & diæta." Ierem. 50. Geneſ. 19.

Tu quoque littoribus noſtris Aeneia nutrix,
Aeternam moriens famam Caieta dediſti. Æneid. 7.

Cauſa autem eſt quòd res nominibus frequenter appellatur: quoties verò aut rem, aut locum

locum aut perſonam in ſermonem adducimus, toties ſeſe nobis nominis impoſiti ratio
repręſentat. Vt oblatum nomen interim explicemus, duabus illud cõſtare partibus iiſdem-
que integris, animaduerti oportet, atque vtramque partem proprio accentu inſignitam, ita
vt ſeorſim altera atque altera, ſint pronuntiandæ; hoc modo *Lo Rubhama*; quod Latinè inter-
pretatum ſonat, non, miſericordiam conſecuta, atque eius rationis illa eſt ſignificatio, cùm
de vtroque populo Iſraëlitarum atque Iudæorum ſeiunctas atque diſcretas ſententias ex
nominis Ieztaghel alluſione pronuntiari iuſſerit Deus, quæſtionem ex ea re conſequutam
non ſimplicem ſed duplicem eſſe oportuit: altera enim quærendum fuit, quiſnam Iſraëlitis
tanti ſupplicij finis eſſet expectandus, num miſericordiæ vſus aliquando habendus, an
prorſus miſericordiæ ſpes omnis abiicienda eſſet? Et Iudæis etiam vter eſſet ſpectandus fi-
nis? vtramque dubitationem breuiſſimo ſententiæ complexu remouet Deus, quantum
nominis breuitate contineri poterat, ad prius rogatum reſpondet Deus: Non. ad poſterius
verò rogatum ſic reſpondet, Miſericordiam conſecuta: ita vt & Iſraëlis regnum ſine reſti-
tutionis ſpe abducendum fore; Iudæis verò ſalutis reditus in patriam ſpem dari, fuerit re-
ſponſum. in nomine itaque pronuntiando & commoratione aliqua ad primam ſyllabam
eſt vtendum; ex reliquis autem, prima atque altera breuium, aut potius ſemibreuium mo-
re ſunt percurrendæ; vltima verò circumflexo accentu atque ſpiritus protractione, vt in
longis fit, eſt efferenda, hoc modo *Lô Ruhhamâ*. huius autem ſententiæ breuitatem, quam
puellæ nomen continebat, ſubiuncta oratione explicat: Quia non addam, inquit, vltrà mi-
ſereri domui Iſraël, ſed obliuione obliuiſcar eos. Nemo eorum, qui iuſto ſupplicio diuini-
tus ob ſua ſcelera afficiuntur, illud verè queri poterit, ſe diuinam iram aut iuſtitiam, non
item miſericordiam fuiſſe expertum; cùm veriſſimum illud ſit, Deum non ſemel, ſed ſæ-
piſſimè miſericordem omnibus ſe præbere, antequam repetitis pœnis iudicem declaret:
Pſal. 114. Sicut ſcriptum eſt, Miſericors Dominus & iuſtus, & Deus noſter miſeretur. miſericordiam
» tamen antiquiorem apud Deum eſſe diuinus Pſaltes canit, propriique muneris & diuini
» ingenij eſſe vt miſereatur: atque adeò miſereri officium eſſe Dei; iuſtum quidem illum eſſe,
ſed iuſtitiam non tam ab ipſo vltrò exerceri, quàm à noſtris prouocari ſceleribus: at verò
Pſal. 114. miſericordiam vltrò ab ipſo tribui, quoniam Deus noſter miſeretur. Id autem ipſum ad-
uerſus Iſraëlis domum fuiſſe præſtitum, teſtes ſunt tot vates diuini conſilij interpretes &
pœnitentiæ præcones, quot impiis Iſraëlitarum manibus extincti fuêre. Altaria, inquit E-
Diuinæ miſericordiæ oportunitas. lias, tua Deus deſtruxerunt, prophetas tuos occiderunt, & ego remanſi ſolus. Hæc cauſa eſt
quamobrem Deus ſe domui Iſraël vlterius miſereri nolle, dicat. Quanquam enim veriſſi-
mum illud ſit, nullum diuinæ miſericordiæ modum, nullum finem eſſe: certum tamẽ tem-
pus, & ſuis terminis definitum eſſe conſtat, quo diuinam miſericordiam mortalibus expe-
Heb. 10. riri licet: huius verò oblati ſibi theſauri contemptores, terribilem quandam iudicij expe-
ctationem manere, & ignis æmulationem, quæ cõſumptura eſt aduerſarios. Verùm enim-
Miſericordię beneficia duplicia. uero hæc hoc in loco miſericordiæ negatio, ad ea bona atque ad commoda ea pertinet,
quæ filios Iſraël dum in patriis regionibus agerent, ſequebantur; quæ iiſdem ab hoſte ab-
ductis perpetuò clauſa ſunt, nunquam amplius capienda. Nam miſericordia ea quæ circa
animorum felicitatem verſatur, non illis hoc in loco negatur, quibus vbicunque terrarum
ſint, modò ipſi ſibi non obſtent, contingere poteſt: modò diuinis verbis & præceptis parẽ-
re, modò illius conſiliis non deeſſe velint, quamobrem ſanctum Ieſu Chriſti Euangelium
» per Apoſtolos curatum eſt, illis quamuis diſiectis atque diſperſis, annuntiari, Iacobus Dei
Iaco. 1. & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruus, duodecim tribubus quæ ſunt in diſperſione, ſalutem.
» *Sed obliuione obliuiſcar eorum*. Si nobis Hebraicè explicandus ſuſceptus eſſet hic liber, quid ver-
bum hoc in loco poſitum ſignificaret, diſputare liberet; Latinam tamen verſionem, eam-
que vulgatam profeſſis, nihil eſt ab oblatis verbis recedendum, niſi quid planè cum ſen-
tentia ipſa pugnet, id quod rectè rem expendentibus, aut nunquam aut quàm rariſſimè ac-
ciderit: igitur ſiue obliuiſci Latinè, ſiue *ἀντιτάσσεσθαι* Græcè, hoc eſt, reniti atque aduerſa-
ri, legamus; eandem rem vtraque indicat ſignificatio, nimirum eoſdem reſtituendi nega-
tionem. Hactenus ratio alterius partis, ex his quibus nomen puellæ conſtabat, eſt explicata,
nẽpe, Lo,: Nũc altera explicatur Ruhhama: *Et domui Iuda miſerebor. & ſaluabo eos in Domino Deo ſuo.*
Quoniam totius orbis ſeruatorem atque expiatorem, & cunctis gentibus expectandum
ducem, ex Iudæ genere naſciturum eſſe olim prædictum fuerat, atq. idem apud Dauidem
iureiurando fuerat confirmatum: propterea vt verbum Dei maneret, Iudæ domum, ſimul
cum Beniaminitica familia, quæ regni ſocietate, & ciuitatis communione, eadem exiſti-
matur, diuina miſericordia reſtituendam fore prædicit; illam verò reſtitutionem eiuſmodi
futuram, vt diuinæ miſericordiæ omnino acceptam ferri oporteat, nullis hominum neque
conſiliis, neque armis, neque copiis, neque rebus denique geſtis, tribui; ſic, vt quicumque

cam

eam rem cogitauerit, diuinæ miſericordiæ atque prouidentiæ opus illud eſſe fateatur. Sic enim euenit, vt poſt ſeptuageſimum annum tranſmigrationis, Zorobabel Iudæorum dux, & Ioſuah ſummus ſacerdos cum Iudæis quadraginta quinque millibus atque trecentis & ſeptuaginta à Cyro rege libertate donati, in patriam redirent, & templum quod ſecundum appellatum eſt, ædificarent. In anno, inquit, primo Cyri regis Perſarum, vt compleretur verbum Domini ex ore Ieremiæ (quo verbo id temporis ſpatium fuerat definitum) ſuſcitauit Dominus ſpiritum Cyri regis Perſarum, & traduxit vocem in omni regno ſuo, etiam per ſcripturam dicens: Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum: Omnia regna terræ dedit mihi Deus cæli, & ipſe præcepit mihi vt ædificarem ei domum in terra Salem, quæ eſt in Iudæa. Igitur nullis hominum, aut conſiliis, aut copiis, aut armis, ſed diuini verbi firmitudine hæc Iudæis contigit liberatio: atque ita Chaldaicè legimus, in Deo ſuo, in verbo Dei ſui. *Non ſaluabo eos in arcu, & gladio, & bello, & in equis, & in equitibus.* Hæc enim omnia humana præſidia ſunt, quæ diuino deſtitutis auxilio, impedimenta potius quàm copiæ aut præſidia fuerint appellanda, & quibus ij qui diuinæ miſericordiæ curæ ſunt, minimè omnium egeant, ſicut ſcriptum eſt: Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini ſperauimus; ipſi obligati ſunt, & ceciderunt, nos autem ſurreximus, & erecti ſumus. Vtriuſque populi ſalutem & miſericordiam alteri negatam, alteri conceſſam ciuiliter definire oportet, quando Iudaicarum rerum ratio, atque reſtitutio, quæ ciuilis fuit. alterius partis explicat rationem: *Et ablactauit Lo, Ruhhama, & concepit & peperit filium, & dixit ei, Voca nomen eius Loghami, quia vos non populus meus, & ego non ero veſter Deus.* Primi filij procreationem & nomen tantum deſcripſerat; de ablactatione autem nihil dixerat. Nunc verò ante tertium partum ablactationis filiæ meminit. Huius autem loci ſententiam ſignificationibus eius verbi, quod Latinè ablactare eſt, aperiri poſſe arbitramur. Gamal enim ablactare pariter, & rependere, ac retribuere ſignificat. Itaque cùm puellam ablactatam fuiſſe dicat, retributionem populo Iſraëlitico factam eſſe oſtendit; quippe cùm diuina ſententia decretum ſit, Iudæos in patriam reſtituendos fore; Iſraëlitas verò minimè fore: Quoniam hæc eorum retributio erat, vt qui prius à vera religione, à fidei atque Eccleſiæ ſocietate deſciuerant, qui diutius in impietate perſeuerauerant, qui maximis ob eam rem ſceleribus ſeſe contaminauerant, eas quas darent pœnas diutius ſuſtinerent; Ablactatam eſſe Lo-Ruhhama propterea dicit, quòd illius ætatis homines, qui primi è Palæſtina atque è ſedibus propriis eiecti abductique ſunt, ſine vlla reſtitutionis ſpe, vitam in ſeruitute tranſegerunt, cùm tamen multi ex Iudæis qui Babylonem commigrauerant, in patriam tandem reſtituti redierint. Itaque Iudæi tametſi cum Iſraëlitis Iezraghelis vltionem fuerint experti, tamen Iſraëlitica ablactatione, hoc eſt retributione, affecti non ſunt. Tertium autem filium à vatis vxore editum fuiſſe, quem Deus *Loghami* iuſſerit appellari, nomine videlicet tribus ex partibus compoſito, quod tamen vno pronuntiatur accentu: Significat autem, *Non populus meus:* quo nomine integram Iſraëlitarum & Iudæorum repudiationem, quæ tandem Euangelij tempore erat futura; cùm Iudæorum atque Iſraëlitarum gens poſt eiectum vineæ hęredem, & regno, & dignitate omni, ac demum diuina gratia fuerint expulſi. Nam cùm totum Iſraëliticum genus appellatum fuerit à Deo Populus meus, ſicut ſcriptum eſt: Pars autem Domini populus eius Iſraël funiculus hæreditatis eius: illi tamen officium non ex dignitate præſtiterint, neque eius dignitatis atque honoris auctorem Deum agnouerint, atque adeò in ea re deteriores atque ſtupidiores iumentis ſeſe præbuerint: Cognouit enim bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui, Iſraël autem non cognouit, populus meus non intellexit: hac ingratitudine, atque hac culpa commeriti ſunt, vt nomen Populi mei deponentes, huic oppoſitum, Non populi mei nomen acciperent; & diuino auxilio atque cura orbati, illa nimirum quam priuatè à Deo experiebantur, & patria, & regno & ſacerdotio, omni denique antiqua dignitate carerent. Quam quidem rem ita prædicit atque explicat Deus: Quia vos non populus meus, & ego non ero veſter; Latinus interpres explicationis cauſa addidit, Deus. Eſt autem argumentum à relatiuis petitum: quorum alterum ſi negatur, & alterum negari neceſſe eſt. Cùm igitur ſeſe Deus priuata atque familiari quadam prouidentia huius populi curam ſuſcepiſſe, multis modis fuerit olim teſtatus, ipſumq. populum ad ſanctitatem diuinæ ſimilem vocarit, vt ſcriptum eſt: Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter: conſequens fuit, vt cùm illi ſanctitudine caruiſſent, diuina etiam illa cura, qua familiariter fouebantur, carerent. Atque hæc quidem res, vt ab illis caueretur, illud diuino præmonente ſpiritu audierant, Date Deo veſtro gloriam antequam contenebreſcere faciat, & offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos; expectabitis lucem, & ponet eam in tenebras, & in vmbram mortis.

Eſdr. 1.
Ioſeph. li. 11. cap. 1.
Pſal. 19.
גמל
Deut. 32.
Iſai. 1.
Leuit. 19.
Ierem. 13.

Et erit numerus filiorum Iſraël quaſi arena maris, quæ ſine menſura eſt, & non numerabitur. Altiſſimi conſilij atque incomparabilis ſapientiæ Deus nullum bonum inchoauit, quin omni impedimento omnique difficultate ſuperata, perficeret: atque ita futuris rebus à ſe inſtitutis, conſuluit, vt quidquid aduerſum accideret, ſua illa conſilia nullo modo aut frangi aut minui poſſent; ſed certiſſimum ſemper haberent exitum. Pollicitus fuerat olim ille ſummus omnium gubernator, & totius miſericordiæ pater, Abrahamo cultori ſuo pientiſſimo ſobolem atque poſteritatem ſtellis & maris arenæ menſura & numero parem eſſe facturum; quam rem iam præſtare incœperat, dum ex vno Iacobo nepote tot hominum millia, quot in diuinis recenſentur hiſtoriis, Abrahamo edidiſſet. Nunc verò cùm populum hunc à ſe abdicandum per Vatem prædiceret, tamen conſilium illud ſuum quod primum propoſuerat, minimè repudiandum eſſe dicit: Nam qui potens eſt ex lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ, idem ex gentibus alium populum ſibi adoptare, & verum Abrahæ ſemen ex illis ſuſcitare poteſt. Neque verò ſi gentem eam, quæ ex Abrahamo iuxta carnem oriunda erat, abieciſſet, promiſſionem diuinam protinus nullam, atque fruſtratam ſuo exitu eſſe conſequebatur; quando illi Abrahæ filij, quibus tantum diuina ſcripta tribuunt, nō ij propriè ſint, quos ex illius ſemine conſtat fuiſſe ortos: Nam neque Iſmaël, qui verus atq. certus Abrahami filius fuit, aut paternum nomen, aut hæreditatem obtinuit: ſed illo tantùm appellationis & promiſſæ hæreditatis iure vti oportuit eos qui Abrahami filij iuxta eam
Gen. 21. rationem qua Iſaac filius illi contigerat, futuri eſſent, ſicut ſcriptum eſt: In Iſaac vocabitur tibi ſemen. at verò Iſaac non ſecundum naturam, ſed ſecundum promiſſionem filius parentibus ſuis contigit, qui Abrahamo annum agenti centeſimum ex vxore ſterili, & iam longo etiam æuo ad conceptionem inepta promiſſus, & promiſſis credenti donatus eſt. Itaque Iſaac non tam humana opera Abrahamo natus, quàm ſingulari Dei benignitate donatus fuiſſe exiſtimatur. atque adeò potius promiſſioni atque fidei, quàm naturali virtuti generatio illa fuit tribuenda: Igitur ſi iis abiectis atque abdicatis filiis, qui tantùm humanam & carneam naturam ſapiunt, qualis filius fuerat Iſmaël, alios cultori ſuo Abrahamo Deus ſuffecerit, qui ad Iſaac ſimilitudinem promiſſi ac donati fuerint, & paternam illius fidem, vt Iſaac fuerint imitati; ex ea re efficitur, vt nunquam Deus conſilium ſuum aut repudiaſſe, aut tranſtuliſſe, ſed potius exequutus fuiſſe dicatur: Abraham non tam ſibi na-
Rom. 9. tum, quàm donatum filium agnouit. Iſaac filius ſuum ortum, nomen, atque omne hæreditatis ius non naturæ ſed diuinæ promiſſioni accepta retulit; igitur qui ex fide fuerint, ſiue ex gentibus illi in familiam ſint recepti, ſiue ex lapidibus ac ſaxis ad hæreditatem obeundam effecti, ij benedicentur cum fideli Abraham, & verè Iſraëlitæ erunt, (vt diuus inquit Paulus.) Totum hunc locum quoad caput ipſum definitur, ad gentium vocationem, quas Deus per Ieſu Chriſti Euangeliū in filios adoptauit, pertinere à Spiritu ſancto docemur.
1. Pet. 2. Vſus eſt autem vates hoc in loco orationis figura, quæ Græcis Anthypophora, Latinis verò occupatio dicitur: ea eſt cùm aduerſarij redargutionem aut interrogationem cita reſpon-
Deut. 18. ſione præuenimus, vt illud: Quòd ſi tacita cogitatione reſponderis; quomodo poſſum ſcire verbum quod os Domini non eſt loquutum: hoc habebis ſignum, &c. Igitur redargutionem omnem vates remouet, dicens, etiamſi filij Iſraël ſecundum carnem ob violatam religionem, ob neglectam fidem & pietatem repudientur, tamen ingentem populum futurum eſſe, qui Iſraëlis fidem, religionem nomenq. tueatur: ita vt diuina promiſſio nulla ex parte otioſa videri poſſit. namque ea hominum & populorum multitudine Iſraëliticum nomen & genus propagandum fore pollicetur, vt propoſito Abrahæ innumerabili numero aptè
Gen. reſpondeant. Vt autem quàm magna poſteritatis multitudo illum eſſet ſequutura, Abrahæ indicaretur, prædictum fuerat: Erit ſemen tuum vt arena quæ eſt in littore maris, atque vt ſtellæ cęli quæ numerari non poſſunt. Quantus autem futurus fuerit Chriſtianus populus, nimirum ex omnibus hominum nationibus, tam Iudæis quàm iis quæ circumciſæ non fuerant, coactus, his arenarum & ſtellarum figuris vates declarat; alluditque ad vtrumque ſymbolum, quod olim Abrahæ fuerat explicatum: nam ſi populū in vnum cumulum colligas, non magis quàm arenam maris metiri poſſis; ſi verò ſingulos oculis & digito numerare pares, numerandi finis nullus profectò fuerit. *Et erit numerus filiorum Iſraël, ſicut arena maris quæ ſine menſura eſt infinita.* ſic populum Chriſtianæ religionis cultorem, latiſſimè per totum orbem eſſe propagandum, vt modus omnis humanus excedatur; quem ſi in numerum redigere quis curet, *Et non numerabitur,* vt neque ſtellæ omnes quæ in cælo ſunt numerari poſſunt: illud hoc in loco admonere placuit, quod multum ad aliorum locorum explicationē contulerit; ſæpe in diuinis libris accidere, vt cùm alicubi ad alterum locum alludatur, non integra fiat alluſio, ſed vna parte explicata, aliæ tantùm indicentur partes. huius generis nullum aliud exemplum præter id quod in promptu eſt ſubiicere libet: plura verò attentius

egentibus paſſim occurrent: quæ quoties contigerint, ſic ſunt explicanda, vt quid cuique
parti accommodari aut natura aut cõſuetudine ſoleat, imprimis intelligatur, & ex accom-
modationis ratione, ſi quid in alluſionibus deerit, reponatur: vt in hoc exemplo dum men-
ſuram atq. numerum legimus, & rei natura & ſermonis vſus atq. conſuetudo fert, vt men- Ierem. c. 33.
ſura ad arenam, numerus verò ad ſtellas referatur; vt ſcriptum eſt: Quemadmodum non "
numeratur militia cæleſtis, & non menſuratur arena maris; ſic multiplicabo ſemen Dauid "
ſerui mei & Leuitas miniſtrantes mihi. Itaque locus hic ſic eſt explicandus. Numerus filio-
rum Iſraël erit copioſiſſimus, vt arena maris, quæ copioſa eſt adeò, vt menſuram omnem
contemnat; & non numerabitur numerus filiorum Iſraël, vt neq. cæleſtis militia numerari
poteſt. Nam tametſi neutrum infinitum ſit, neq. altera natura numero, vel menſura careat
altera; homini tamen aut alteram metiri, aut memorare alteram negatum eſt, vtrumq. verò
Deo eſt attributum, qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat, Pſal. 146.
idemq́. arenam maris metitur, & pluuiæ guttas numerat. Non ſolùm autem apud ſacros Eccle. 1.
auctores, ſed etiam apud cæteros vtraque natura ad immenſitatem referri ſolet. ſic poëta, Catullus L. 7.

Quàm magnus numerus Libyſſæ arenæ
Laſerpiciferis iacet Cyrenis.
Aut quàm ſydera multa cùm tacet nox, &c.

Et erit in loco vbi dicetur eis, Non populus meus vos, dicetur eis, Filij Dei viuentis. Magnam atque admira-
bilem rerum permutationem, quæ diuina miſericordia Chriſti Ieſu opera facta eſt, hoc in
loco Dei nomine vates prædicit, numerum futurum eſſe, vt gentes, quæ ob veritatis inſci-
tiam & religionis veræ defectum, nec populi etiam Dei nomen habebant, in ea dignitate
locabuntur, vt verè filij Dei, nedum populus Dei audire poſſint. Quam quidem dignita-
tem Ieſu Chriſti opera atque efficientia repererunt. namque ille totius eccleſiæ caput con-
ſtitutus effecit, vt filij ius, hæreditatem, & nomen, quod natura ipſe ſua, & iuſto obedien-
tiæ officio poſſidebat, cum ſuis omnibus membris communicaret: id quod ex illis membris 1. Ioan. 3.
vnum huiuſcemodi ſermone teſtatur: Videte qualem charitatem nobis dedit Pater, vt fi- "
lij Dei nominemur & ſimus. Ad hanc ſalutem, ad hanc laudem vocatæ gentes, quæ quon- "
dam ab illo longè aberant, tamen venientes admiſſæ ſunt, vt ſcriptum eſt: Quæſierunt me, "
qui antea non interrogabant; inuenerunt me, qui non quæſierũt me. Et dixi: Ecce ego, ecce "
ego ad gentem, quæ neſciebat me, & quæ non inuocabat nomen meum. Quod ad linguam Iſa. 65.
attinet, prius verbum, *Dicetur*, ad temporis rationem non eſt reuocandum: ſed meminiſſe
oportet obſeruationis eius, quam nos ſemel explicatã, nunquam neglectã volumus, nempè
futurum verbum aliquando aut naturã rei, aut conſuetudinem ſignificare; idq́. vbi conti-
gerit, temporis rationẽ haberi non oportere; ſed vel rem de qua agitur, aut ad naturã aut ad
conſuetudinem eſſe referendam, vt in ſuperioribus, *fornicans fornicabitur*; id eſt, manifeſtum eſt
eam fornicari ſolere: ſic etiam hoc in loco, *vbi dicetur non plebs mea vos*: idem cum illa oratione Ioan. 1.
eſt *vbi dici ſolebat, non plebs mea vos*; ibidem dicetur *Populus Dei viuentis*, in quo vita eſt; vita verò "
lux hominum eſt. quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, "
non quidem ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo natos & viuentes; ni- "
mirum quia filij Dei viuentis erunt, tunc cùm in vnum corpus cum Chriſto ipſorum ca-
pite coniuncti atque cooptati fuerint. *Et congregabuntur filij Iuda & filij Iſraël pariter, & ponent ſibi-
met caput vnum, & aſcendent de terra.* Omnes homines quicunq. fidei confeſſione & obedientia
præſtiterint, quacunque ex gente ſint, in numero filiorum Iuda, & Iſraëlis reponendos eſſe
diuina ſcripta docent; quandoquidem vnum ouile, & vnus futurus erat paſtor. Atq. huius
quidem rei huiuſmodi ordinem & rationem diuina ſtatuerat ſapientia, vt primi omnium
Iudæi & Iſraëlitæ in vnum conſilium idemque votum conuenientes, caput ſibi vnũ con-
ſtituerent Chriſtum: deinde verò ab his res adeò præclarè gereretur, vt ex vniuerſo homi-
num genere multarum copiarum acceſſio fieret, omnesq́ in vnum gregem diuino ſpiritu
ductum recipiendæ eſſent: hæc autem Patrem ſuum Ieſus Chriſtus vt efficerentur, orabat,
Pater, inquit, ſancte, ſanctifica eos quos dediſti mihi in veritate: Sermo tuus veritas eſt, ſicut "
tu me miſiſti in mundum, ita ego miſi eos in mundum, & pro eis ſanctifico meipſum, vt "
ſint & ipſi ſanctificati in veritate: Non pro eis autem rogo tantùm, ſed pro eis qui credituri "
ſunt per verbum eorum nunc, vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, & vt "
ipſi in nobis vnum ſint; & credat mundus, quia tu me miſiſti: & ego claritatem quam dedi- Ioan. 17.
ſti mihi dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus, ego in eis, & tu in me, vt ſint con- "
ſummati in vnũ. Pater quos dediſti mihi, volo, vt vbi ego ſum, & illic ſint mecum, & no- "
tum faciam eis nomen meum, & notum faciam, vt dilectio qua dilexiſti me, in eis ſit, & "
ego in ipſis. Hac oratione pro ſua reuerentia exauditus, illud impetrauit, vt poſt aſcenſum Act. 1.
ſuum, dum diſcipuli ex Iudæis & Iſraëlitis numero centum & viginti pariter in eodẽ loco

Act.2. conſtituti ac vnanimi oratione perſeuerarent,diuinum ſpiritus ſancti donum acciperent,
„ & diuinorũ promiſſorum compotes efficerentur. Atque adeò hi cæteros ex Iudæis & Iſ-
„ raëlitis ad eandemdignitatem vocabant, in qua & alias etiam gentes locandas eſſe aiebant:
Act.3. Vobis, inquit, eſt repromiſſio & filiis veſtris,& omnibus qui longè ſunt, quoſcunq. ad-
„ uocauerit Dominus Deus noſter. Interim autem Dominus augebat, qui salui fiebant quo-
tidie in idipſum, & multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna: Igitur huiuſ-
modi arcanum, negotium omne hoc in loco per vatem ſuum prædicit Deus: nempe futu-
rum vt diſcipuli ex Iudæis & Iſraëlitis diuini ſpiritus opera Chriſtum ſibi conſtituant ca-
put, vt qui olim capti & peccati vinculis irretiti infernæ tyrannidi parebant, & diſſipati
atque exules terram incolebant alienam, aſcenderent tandem de terra captiuitatis ſuæ,
& in terris adhuc agentes, tamen cælos animo menteque conſcenderent, ibidemque
maxima negotia obirent, quam rem ab ipſis teſtatam legimus. Noſtra, inquiunt, conuer-
„ ſatio in cælis eſt. *Quia magnus dies Iezraghel.* Dictũ à nobis eſt Iezraghelis nomine maxima Dei
geſta ſignificari,& celeberrimam quamq. vltionem, qua ſcelera expiare, & hoſtibus ſuis
Malach.3. terrorem iactare maximũ Deus conſueuerit: Magnus autem diuinæ vltionis dies ille fuit,
quo Chriſti diſcipuli ſpiritus ſancti igne expurgati & recreati, Chriſti triumphum vel eius
Act.4. nominis hoſtibus inuitis prædicabant, & virtute magna teſtimonium reſurrectionis red-
Act.2. debant; eamque rem non niſi diuino brachio geſtam eſſe aſſeuerabant. Dextera, inquit,
„ Dei exaltatus Chriſtus & promiſſione ſpiritus ſancti à patre,accepta effudit hoc donum,
„ quod vos videtis & auditis,in diſcipulos ſuos. ſubiungit autem hiſtoria: Fiebat autem ma-
„ gnus omni animæ timor: Multa quoque ſigna & prodigia per Apoſtolos in Ieruſalem fie-
„ bant,& metus erat magnus vniuerſis; *Quia magnus dies brachij Dei.*

CAPVT II.

*Dicite fratribus veſtris Populus meus, & ſorori veſtræ Miſe-
ricordiam conſecuta.*

IN FREQVENTI vſu auctoribus omnibus eſt, vt cùm rem aliquam,
quam facere certum eſt, etiam futurã prædicent, ea etiam quæ rem ipſam
aut conſequi, aut ſimul cum illa eſſe poſſint, acſi præſens iam eſſet, oratio-
ne admoneant atque ſuadeant, aut alio modo agitent ac perſequantur.
Sic Propertius, cùm Athenas iter à ſe inſtitutũ caneret; quanquam non-
dum domo exiiſſet, quia tamen proficiſci ſtatuerat, dicebat: *Nunc agite ô ſocij
propellite in æquora nauem*,&c. Hac auté dicendi figura nulli frequentius quàm
ſacri vates vtuntur; qui cùm futura tanquam præſentia præuideant, eos animi affectus in-
duunt, quos mouere illis ipſa rei ratio idonea eſſet: Itaq. abſentes tanquã præſentes compel-
lant, alloquuntur, hortantur, deterrent, excitant, animant, atq. adeò auditorum animos ſua
Eſa.40. oratione velut rei iamiã gerẽde ſpectatores reddũt: Sic Iſaias: Conſolamini, cõſolamini po-
pulũ meum, loquimini ad cor Ieruſalẽ. Hanc eandem rationẽ ſecutus vates noſter Hoſeas,
dum ex Dei perſona, quã in hoc vaticinio ſuo ſuſtinet, maximam atq. admirabilẽ in huma-
nis rebus mutationem Chriſti opera faciendam eſſe prædixerit: ita vt diuinam ſalutem non
ad Iudæos ſolùm, ſed ad gentes etiam peruenturam caneret, perinde quaſi in ipſo iam ne-
gotio eſſet, miris affectibus actus, lætiſſimo ſalutis Euangelio, gentes admonendas curat, nec
Dionyſ.in minus certas reddere, quàm ſi ipſa earum iam ſalus adeſſet: Igitur alloquitur Deus alterum
hunc locum populum Iſraëlitarum, vt benignitatem diuinam gentibus annuntient, atque ea re ipſi ma-
ximè lætentur, quòd qui ſingularis erat populus, nunc multarum gentium acceſſione au-
Act.10. ctus ac propagatus ſit, atq. innumeros fratres & ſorores eiuſdem ſecum dignitatis habeat.
„ Neque vero ſecus res ipſa ſeſe habuit, cùm Petrus diuino oraculo & ſpectatæ viſionis ſigni-
„ ficatione, certior factus, audierit: Quod ego ſanctificaui, tu cõmune ne dixeris: quamobrem
Act.c.15. ipſe apud ſuæ gentis conſeſſum teſtatus eſt: Mihi oſtendit Deus neminem immundum di-
„ cere hominem; nam in omni gente qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, hic acceptus eſt
illi: ex qua re effectum eſt, vt gentes ab Iſraëliticis diſcipulis & voce & ſcripto fratres appel-
„ larentur. Apoſtoli & ſeniores fratres iis qui ſunt Antiochiæ & Syriæ, & Ciliciæ fratribus
ſalutem. Iubet itaque Deus, vt à Iudæis gentes fratres atque ſorores appellentur, quæ ſeſe
ad cæleſtis ciuitatis largitionem & communicationem diuina miſericordia vocatas eſſe co-
gnoſcant: fratres auté & ſorores multitudinis numero, propterea dicit, quòd gentiũ populi
& turbæ innumeræ, variæque, tum linguis, tum religionibus & ſententiis, ac viuendi inſti-
tutis eſſent; cùm tamen Iſraël vnus populus vnaque ſynagoga tantum dicetur. Atque adeò
Act.14. hanc ipſam rem Paulus apud Lyſtrios ſignificabat; Nos, inquit, annuntiamus vobis con-
uerti

uerti ad Deum, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt: qui in præteritis «
generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas. Atque eadem hæc res in cauſa eſt, «
quamobrem in Hebraica lingua atque in diuinis libris non niſi numero multitudinis gen-
tes appellentur, quotieſcunque aut in ſermonem de Dei populo, aut de religione inciditur; ,, Pſal. 115.
vt, Simulachra gentium argentum, &c.

Iudicate matrem veſtram, iudicate, quoniam ipſa non uxor mea, & ego non vir eius.

SI dicendi artem in vatibus perſequi velimus, illud in omnibus ferè illorum libris fre- *Demonſtratiuum genus cū*
quenti vſu obſeruarum inueniemus, demonſtratiuum genus ſimul cū deliberatiuo eſſe *deliberatiuo.*
permiſtum, ſic vt in principio propoſitio quædā ſtatuatur, quæ eos de quibus ſermo eſt ſce- *Orationis pro-*
leribus contaminatos eſſe aſſeueret: hanc propoſitionem confirmatio ſequitur, quę tantum *phetica par-*
indicatione criminum, enumerationem cum rerum amplificatione coniunctam continet: *tes.*
Deinde verò dehortatio atque diſſuaſio accedit multis modis diſtincta atq. exornata, ma-
ximè autem pœnarum atque ſuppliciorum prædictione: Vltimum locum aduocatio re-
net, quæ promiſſionibus diuinis plena, homines ad magnam ſpem vocat, & ad virtutis ac
pietatis ſtudium incitat. Igitur præter exordium quatuor partibus prophetica oratio con-
ſtar, propoſitione, confirmatione per indicationem ſiue narrationem, diſſuaſione, atque vl-
rima ea, quam nos παράκλησιν ſiue aduocationem nominamus. Hactenus Propheta noſter
exordio, propoſitione atque confirmationis parte vſus eſt, interiecta interim diuina ſen-
tentia, quæ in illius ſeculi homines fuerat lata: nunc deinceps tertiam ſuſcepit partem, cuius
ratio omnis in dehortando ſiue diſſuadendo verſatur. Agit verò Hoſſeas Dei partes, cuius
perſonam dicendo ſuſtinet: alloquitur autem prophetas alios & viros bonos ac pios qui-
cunque in populo illo erant, eoſdemq. hortatur, vt communibus rationibus & ſaluti con-
ſulant. Nam cùm boni viri non ſibi ſolis nati ſint, ſed natalis quoque eorum partem, eamq. *Tyrannorum offi-*
maximam patria, partim amici, partim etiam cæteri homines ſibi vendicent; neceſſe eſt, vt *ſiuum.*
cùm res poſtulet, ſeſe erga publicas res non negligentes, ſed virtute ſua dignos præbeant;
atque eo maximè ſi periculum imminere intelligatur, quod niſi declinetur, communi-
cari etiam ipſis neceſſe eſt. Quanto autem latius malum peruagatur, tanto pluribus medi-
cis vti conuenit, vt commodius & maturius afflictæ, aut deficienti ſanitati ſuccurratur. Ne-
que verò locus vllus, aut negligentiæ, aut ambitioni, aut æmulationi ob eam cauſam relin-
quendus eſt, quòd ea cura atque labor pluribus imponitur; quoniam virum bonum in iis
quæ ad Rempublicam & religioné pertinent, non tam quid à ſe laudis & commodi, quàm
quid à Repub. incommodi accipi poſſit ſi ſolus ipſe rem gerat, curare oportet. Quamobrem
Ieſus Chriſtus, cui vni humanas res expedire poſſe datum fuerat, magnam bonorum mi-
niſtrorum copiam, qui cæteris hominibus laborarent, dari deſiderabat: Meſſis quidem mul- Matth. 9.
ta eſt, operarij autem pauci; rogate ergo Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem «
ſuam. Sic Deus prophetas omnes atque optimos quoſque, & integerrimos in populo viros «
ad eam curam, eumq́ue laborem capiendum hortatur, vt matris propriæ animum ab im-
piæ ſuperſtitionis turpitudine auertant. *Iudicate matrem veſtram, iudicate.* Repetitio ipſa vehe-
mentiam habet & contentionem, atque rei conficiendæ deſiderium certiſſimum indicat:
vt, Benedictum nomen maieſtatis eius, & dicet omnis populus, fiat, fiat. Ducite ab vrbe Pſal. 71.
domum mea carmina, ducite Daphnim. Iudicare autem iubet matrem quòd expoſtu- Virg. Eclog.
lare eos cum matre, eamq́ue multis modis initis acriter ipſorum opera reuocari velit. Hoc
enim ſignificat verbum Ribu Hebraicum; pro quo interpres interdum iudicare, interdum «
contendere & rixari vertit: vt, Iudica Domine nocentes mihi, impugna impugnantes me. ריבו
quem locum ex verborum ratione reddere ſic poſſumus; Iurga Domine iurgantes me: ,, Pſal 34.
namque apud Hebræos Rib, id quod apud Latinos iurgium ſignificat. Eſt autem iurgium
coniunctorum familiarium aut vicinorum concertatio atque diſſenſio; qualis fuit illa
inter paſtores Abraham & Lot, quæ Hebraicè Rib dicitur, Latinè etiam, *& fuit*, in-
quit, *iurgium inter paſtores, &c.* Excitantur vates atque boni piiq́ue viri à Deo, vt ma-
trem ſuam ob eam cauſam obiurgent, quòd ſacrum coniugij ius, quo cum Deo de-
uincta fuerat, vſque adeò apertè & impudenter violauerit, vt ſignis etiam atque aper-
tiſſimis argumentis ſuos mores impudicitiamq́ue ſuam profiteri non erubeſcat, ac ſi
nullum, quem metuat, quem reuereatur, cuius dignitatis atque honoris rationem habeat,
virum agnoſceret: ſed omni iam maritali iugo excuſſo, omni prorſus pudore neglecto *Feminarum*
(quæ duo feminarum vincula & frena quædam eſſe ſolent,) quod in procliui ei ſexui eſt, *frena.*
ad omnem laſciuiam prolabatur, atque libidinem ſuam, tum cultu, tum inceſſu, & totius
oris corporisq. habitu præ ſe ferat. hanc verò turpitudinem femina cùm compleuerit, ni-
hil ſibi metuendum putat, niſi forſan ſollicitudine cognatorum & neceſſariorum ab errore

aliqua ex parte reuocetur; qui cùm videant illius feminæ vitia, & infamiã ad ſe quoq. pertinere, & notam illorum generi etiam inuri, nihil nõ tentant, quo ad meliorem frugẽ illam reuocent; vtque ſibi ea in re conſulant, omnia experiri ſolent. Atq. adeò ſi quis his moribus mulierem corrigi deſiderat, eam curã cognatis & neceſſariis iniicit. ſic Poëta quidam olim;

Catullus. *Propinqui, quibus eſt puella curæ,*

Amicos medicosq́; conuocate, &c. Itaque quod frequenti more & conſuetudine fit, id hoc in loco à Deo exprimitur, vt corrigendæ ſynagogæ curam propinquis filiisque illius, quorum nimirũ id maximè intereſt, iniiciat. [*Quoniam ipſa non vxor mea, & ego non vir eius.*] Cauſſam addit quamobrem ipſam à filiis obiurgari velit; ſcilicet quòd eò impudicitiæ venerit, vt proprium virum non magis quàm ſi nullus eſſet, reuereatur: atque hæc exiſtimatione potius quàm ipſa re, à Deo dicta ſunt. neque enim hactenus ſynagogam ille repudiauerat; nam & hæc & quæ ſequuntur, non repudiandi animo, ſed admonendi magis atque deterrendi fuêre prædicta. Omni namque cura repudiatæ vxoris vir ſolutus, quidquid illa deinceps agat, patiaturque, ſecurus negligit: At verò Deus ſynagogam ad frugem redire, & futuris malis cauere peroptat: qui & apud Iſaiam nondum ſe iſtorum matrem repudiaſſe,

Iſai. 50. teſtatur: Hæc dicit Dominus: Quis eſt iſte liber repudij matris veſtræ, quo dimiſi eã? Hu-

» ius itaque loci ſententia eſt: obiurgate matrem veſtrã vos, nam me non magis audit, quàm

» ſi nullo coniugij iure exiſtimet audiendum. vos ergo illam iurgiis aſſiduè proſequimini: fieri etenim ſæpe ſolet, vt cùm fruſtra potiſſimas in corrigendo rerũ rationes, atq. artes experti fuerimus, minores etiam adhibeamus; interdum verò aliis atque aliis appellatis, nullum lapidem non moueamus, dum id quod maximè fieri decuerit, efficiatur. Sic Ofellus cùm alia ratione homines à ciborum luxuria deterrere non poſſet, ait;

Hora. ſerm. lib. 2. ſaty. 2. *At vos, Præſentes Auſtri coquite horum obſonia: quamuis putet aper, rhombusq́; recens,* &c.

Indeclinabiles voces. Atque in omnibus auctoribus potiſſimum ſacris indeclinabilium partium exactam percipere oportet cognitionem. Namque ea non parum luminis ad ſententiam purè atque eleganter explicandam afferre ſolet: Eſt autem apud Hebræos vox, CHI, quæ ferè cauſalis coniunctionis vim obtinet, cum quadam tamen varietate pro rerum & ſententiarũ ratione diſtinctam, quam in loco obſeruare operæpretium fuerit. Vnum autem genus eſt, quod admirationem quandam ſimul cum indignatione habet, & triſte neſcio quid, atq. auribus puris indignum inſinuat; dicentem verò iratum atque ægrè ferentem repræſentat, vt apud

» Malachiam Deus: Magnum eſt nomen meum in gentibus, & vos polluiſtis illud, quia di-

Malach. 1. citis, Menſa Domini contaminata eſt, & cibus eius vilis. Hoc eſt, quia ita apud vos cogita-

» tis, atque ſtatuitis. Idem officium cõiunctionis QVONIAM hoc in loco eſt, quod & apud Latinos in dictione, NAM, non ineleganter obſeruatur: vt cùm irati atque ſtomachantis potius affectum, quàm cauſæ rationem explicat; vt, *Nam quis te iuuenis confidentiſſime noſtras*

Georg. 4. *Impulit.* *Nam quid Sol te, inquit, rerum patremq́; Deumq́; Dicimus,*

Fracaſtorius de Syphili. *Et ſacras vulgus rude ponimus aras?* Illud interim hoc in loco docemur, quot quibusq́. modis Deus ſceleroſos atque flagitioſos homines ab errore reuocet, vtque omnia prius tentet, quàm damnet quemquam: Præterea quibus artibus fratrum commodis & ſaluti à nobis quamuis iniuria laceſſitis, quamuis offenſis, ſit proſpiciendum.

Auferat fornicationes ſuas à facie ſua, & adulteria ſua de medio huberum ſuorum.

MAXIMAM Dei miſericordiam agnoſcere oportet, qui tot ſceleribus, tot adulteriis à ſynagoga offenſus, tamen nondum repudij ſtudio, ſed eius corrigendæ atque ad ſanitatem & fidem reuocandæ flagret deſiderio; quod ſi eueniat, præteritam culpam igno-

Iſa. 30. ſcendam ſibi eſſe pollicetur; ſicut ſcriptum eſt: Propterea expectat Dominus, vt miſereatur veſtri. ſi verò turpiſſimè ſuſceptam à ſe illa viam perſeuerare & tranſigere cogitet, futurum eſſe certiſſimè, vt non ſemper mariti ſui patientia abutatur, dabit namq. pœnas ſcelere dignas. Itaque totius obiurgationis filiorum aduerſus matrem finis hic eſt, vt auferat fornicationes ſuas à facie ſua. Solent enim aliquando mulieres impudicitiæ ſuæ notas ſibi ipſis apponere, nimirum cultu vſæ nimio, & qui pudicam feminam honeſtoque viro coniunctam dedecet; maximè autem hunc ſexum ſtudioſa faciei medicatio accuſat: nam quæ vno viro contenta eſt, & cõiugalem fidem ſanctè ſeruare cogitat, ſatis culta eſt, ſi moribus & vitæ ſanctitate, ac totius corporis puritate hunc ſibi retinere ſtudeat. *Vni ſi qua placet, culta*

Propertius l. 1. eleg. 2. *puella ſat eſt*, inquit ille. Quæ verò medicata facie foras prodit, quæ nimio ſtudio ornari amat,

Iuuen. ſat. 6. ea aliis quàm viro proprio placere malle creditur: *Mœchis foliata parantur*, inquit ille. Hæc

Luc. 3. res grauiter offendere ſolet virum probum, qui propriam vxorẽ à domeſtica cura, à labore

» ad huiuſmodi ſtudium tranſlatam videt. hoc vt ingratiſſimum Deo vehementer exagita-

» runt vates, Apoſtoli vetuerunt, ſancti & boni viri omnes ſunt deteſtati. Dixit Dominus

Deus pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion,& ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant,&c.in die illa auferet Dominus ornamentũ calceamentorum, & lunulas,& torques,& monilia,& armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelidas, & murænulas,& olfactoria,& inaures,& annulos,& gemmas in fronte pendentes, &c. & erit pro ſuaui odore,fœtor,& pro zona funiculus, & pro criſpāti crine caluitium, & pro faſcia pectorali,cilicium. Quoniam autem ab initio libri ſub coniugij repræſentatione Dei cum Iſraëlitico populo negotium explicari cœptum eſt, ad hanc imaginem omnia nobis reuocanda ſunt. Solent viri Hebræo more vxores ſibi deſpondere, deſponſas munere aliquo & teſtibus additis,quibuſdam etiam verbis conceptis ſibi ſacrare, ſacratis tabulas obſignare, atque proferre,in quibus quid ab vxore afferatur, quid etiam viro dotis nomine vxori addatur,ſcriptum ſit:deinde tandem vxor ad viri ædes cum pompa ducitur; vtrique autem cum vita,& cura,res omnes communes ſunt,& iura etiam communia:ſiverò ob malè conſeruatam gratiam repudietur,cauſa imprimis eſt cognoſcenda; quæ ſi de turpitudine allegatur,plenaque non adducitur probatio,vxor cum rebus ſuis, atque iis etiam quæ à viro dotis nomine fuerant addita,accepto libello reiicitur:ſin verò de turpitudine certò cōuinci potuit,ſine tabulis & mariti donis inanis excluditur:qua de re plura in Deuteroſeon libro. Igitur cùm Deus ſynagogā virtutibus & animi opibus omninò nudā ſua maxima miſericordia ſibi ſpopōdiſſet,tū multis in Ægypto editis ſignis,multis donis ex Ægypto abductā, multis in ſolitudine collatis beneficiis,adhibitis grauiſſimis teſtibus cælo & terra ſibi eandē ſacraſſet: eā præterea,agris,vrbibus,prouinciis,diuitiis, in promiſſa patribus terra auxiſſet; adhæc maxima & celeberrima pompa in ædes,hoc eſt,in ſanctæ religionis locum deduxiſſet:illa tamen ingratè nimium atque impiè coniugij fidem & nomen reiecit, & dereliquit Dominum factorem ſuum,& receſſit à Deo ſalutari ſuo. Atqui nec eam fidem violare,nec eum cultum prodere,quem tanto Domino,marito ſuo,præſtari oportuit, erubuit: verùm omne obſequium ad alienos Deos,à quibus nullum acceperat beneficium, tranſtulit:quin & illis templa innumera in ſui mariti vrbibus exædificauit, aras conſecrauit,ſigna compoſuit & curauit,diſciplinam atque ſacerdotia inſtituit, hoſtias produxit, ſacra fecit, atque omni prorſus ſcelere quodcunque ex his fontibus oriri ſolet, ſeſe contaminauit; demum eouſque in hac rabie inſaniaque proceſſit,vt libidinis ſuæ notas publicè geſtare verita non ſit;omnia enim fora,compita,plateas,vias,agros,ſiluas,lucos ſignis, ſtatuis atque delubris ornauit,& thure atque vnguento loca omnia compleuit, ſeſeque diis vel nolentibus venditauit & proſtituit, à quibus tamen illa rebus commodis nullis, niſi tantùm infamia & dedecore,aucta eſt. Vt igitur in matrona medicata facies & nimius ornatus libidinē prodit;ita in ſynagoga ornatus ille,atque vanorum Deorum cultus, quo ciuitates publicè ornabantur,manifeſti adulterij certiſſima probatio erat. nam facies apertiſſima corporis totius pars eſt, cui quidquid patens eſt & publicū ſimilitudine reſpōdet. Atq.adeò hac etiam ſimilitudine Ieremias vates vſus eſt,dum illis vanum atque omni vtilitate carens, huius rei ſtudium exprobrat. Cùm te,inquit,veſtieris coccino, cùm donata fueris monili aureo, & pinxeris fuco faciem tuam,fruſtra componeris. *Et adulteria ſua de medio huberum ſuorum.* Per Synecdochen adulterij ſigna pro adulteriis ipſis dicit: Atque hubera quidem non ſine nota à feminis nudantur,quoniam libidinis ſedes quædam in ea corporis parte eſt; namque venæ quædam & viæ ſunt,quibus ab vtero ad mamillas acceſſio fit, quamobrem quæcunque pudorem ac pudicitiam profitetur,toti corpori atque iis velandis maximè partibus curam adhibere debet,quæ decus atque honeſtatem ſui oſtentione minuere poſſunt,vt ad talos ſtola demiſſa,& circundata palla ſit: etenim quæ liberalius & dignius educata eſt, vel hominum conſpectus faſtidire, vel ſui ipſius pudore confundi vehementer ſolet,vbi forte aliqua minus decoro habitu vti cogatur: id quod Babyloni illi gentium Reginæ euenturum prædixerat vates: Tolle molam & mole farinam, denuda turpitudinem tuam, diſcooperi humerum & reuela crura. Quod ſi cruribus atque humeris nudis conſpici grauius ac turpius, ingenuæ mulieres putant; nedum fuerit ignominioſum, mammas, in quibus maius impudicitiæ momentum eſt,nudas geſtare: Atq. adeò alia improbitatis in vxoribus ſigna potius,quàm hæc maritis ferenda eſſe, docti & boni viri ſunt arbitrati quidam rectè.

Connubiorum Hebræorum ritus.

Repudium.

Deuteroſeon in tract. de libello & de ſanctis tabulis.

Hippocrates de glandulis

Horat li. 1 Sermo. Sat.

Iſa. c 47.

Galen. de vſu partium.

Sed cantet potius quàm totam peruolet vrbem
Audax, & cœtus poſſit quàm ferre virorum:
Cumq; paludatis ducibus præſente marito
Ipſa loqui recta facie, ſtrictiſq; mamillis.

Iuuen. Satyra 6.

Quæcunque autem iis moribus ſunt,vt quod venale habent,apertè geſtent,atque vbera nudent,ſolent vnguentorum alabaſtris,floribus,amuletis, atque amatoria carmina continentibus tabellis eum ſinum qui inter mammas eſt complere, vt hoc modo inſaniā ſuam

manifeſtiſſimè

manifeſtiſſimè prodāt:quæ res & in iis Iſaiæ verſibus,quos paulò antè retúlimus,deſcribitur.
Sic etiam Hebræorum populus totus nugis magis abundabat, & in medio vberū ſuorum, hoc eſt doctorum atque magiſtrorum,à quibus doctrinæ ſucco alendus erat, & quodammodo imbuendus,ſuperſtitioſas religionis diſciplinas carmina de Diis deorumq́. pueris compoſita,& rationē ſuffituum atq. vnguentorum, quorum vſus in illis cultibus erat;
multa deniq. atque turpiſſima huius generis inquinamenta continebat,vt ſcriptū eſt: Qui
populum iſtum beatificant,ſeducentes ſunt;& qui beatificantur, præcipitantur. Habuiſſe
autem iſtos ſuas doctrinæ & diſciplinarum rationes,quibus munus ſuum ornarent,& po-
3.Reg.18. pulū varietatis amatorē detinerēt,vel ex illo loco cōſtare poteſt: Clamabāt ergo voce ma-
gna,& incidebant ſe iuxta ritum ſuū cultris & lanceolis,donec perſunderentur ſanguine.

Ne fortè expoliem eam nudam & ſtatuam eam ſecundum diem natiuitatis ſuæ,& ponam eam quaſi ſolitudinem.

QVÆ pœnæ,quanta animaduerſio Iudæorum gentem manerent,quæ ſuperſtitionem quàm pietatem colere,& ſuſcepti ſceleris curſum tenere maluiſſet;deinceps exponit vates,vt quæ nec pudore(quæ loca hactenus conſiderata ſunt)reuocaretur, ſaltem pœnarum metu(qui improbis hominibus ferè vnicus eſſe ſolet terror)de impietatis via deflecteret:agit quoque vt ij,ad quos ſermo eſt, hoc eſt boni & ſancti viri maternæ ſaluti ſtudioſius proſpiciant,neque vllis vel grauiſſimis minarum rationibus parcant, dummodo matrem ſuam ad ſanam mentem reuocare, atque ab impendente ſubtrahere calamitate conentur. Non enim vel magis durus vel minus pius filius eſt, qui, quibus modis id fieri poteſt,inſaniæ morbum à parentibus depelli curat. Oſtenditur etiam ex hoc loco quàm iuſtè ſeuerum iudicem Deus aduerſus eos homines agat,qui miſericordem patrem toties experiri neglexerint,qui toties pœnas minatum contempſerint, ſicut ſcriptum eſt: Quia reli-
Iſa.30. quiſtis verbum hoc,idcirco erit vobis iniquitas hæc,ſicut interruptio cadens. Quod autem
honeſtis mulieribus turpe eſſe debet, quod maximè ignominioſum, hoc à Deo ad populū deterrendum prædicitur. Turpe enim eſt etiam iis quas docuimus legibus atque moribus illis vxorem repudiari,multò turpius abſq. tabulis exigi, omnium verò turpiſſimū nudam extrudi. Igitur cùm Deus propter ſuam miſericordiam hanc Iſraëlitarū gentem, in communi hominum humilitate iacentem,nihilq́. præter cæteros mortales egregiū olim ſortitam,ab humillimis initiis, ad tantum euocauerit honoris gradum, vt eam magno beneficiorum cumulo auctam vxorē ſibi acceperit,eidem voluntatem & conſilia ſua communi-
Pſal.147. cauerit,myſteria crediderit,ita vt non fecerit taliter omni nationi,& iudicia ſua non mani-
Ezech.16. feſtauerit eis:quam rem elegantiſſimè idem Deus apud Ezechielē commemorat: Hæc dicit Dominus: Radix tua & generatio tua de terra Canaan:pater tuus Amorrhæus & mater tua Chetæa: Et quando nata es in die ortus tui non eſt præciſus vmbilicus tuus, & aqua non es lota in ſalutem,nec ſale ſalita,neq. inuoluta pannis: Non pepercit ſuper te oculus, vt faceret tibi vnum ex his, miſertus tui, ſed proiecta es ſuper faciem terræ, in abiectione animæ tuæ,in die quo nata es: Tranſiens autē per te, vidi te conculcatam in ſanguine tuo, & dixi tibi cùm eſſes in ſanguine tuo, viue; dixi,inquam,in ſanguine tuo viue; multiplicatam quaſi germen agri dedi te,& multiplicata es, & grandis effecta: & ingreſſa es & perueniſti ad mundum muliebrem,vbera tua intumuerunt,& pilus tuus germinauit, & eras nuda & confuſione plena: Et tranſiui per te,& vidi te,& ecce tempus tuū,tēpus amantium,& expādi amictum meum,& operui ignominiā tuam,& iuraui tibi,& ingreſſus ſum pactum meum,ait Dominus Deus,& facta es mihi: Et laui te aqua, & mundaui ſanguinem tuū ex te, & vnxi te oleo: Et veſtiui te diſcoloribus, & calciaui te hyacintho, & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus: Et ornaui te ornamento,& dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum: Et dedi inaurem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo,& ornata es auro & argento,& veſtita es byſſo & polymito,& multis coloribus;ſimilam & mel,& oleum comediſti,& decora facta es vehementer nimis, & profeciſti in regnum: Et egreſſum eſt nomen tuum in gentes propter ſpeciem tuam,quia perfecta erat in decore meo,quem poſueram ſuper te, dicit Dominus Deus. Et habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es in nomine tuo, & expoſuiſti fornicationem tuam omni tranſeunti,vt eius fieres,&c. Vniuerſa hæc commemoratio,exprobratio quædam eſt gentis beneficij immemoris,in qua omnia,quæ nobis de legitimo cōiugij more dicta ſunt, percōmodè indicantur. Cùm itaq. prouidentia vltra reliquas nationes egregia Deus erga gentem illam fuerit vſus(id quod hiſtorias & tēpora ab Ægyptiaca ſeruitute ad Ieſu Chriſti ætatem voluentibus facilè cōſtare poterit)cumq́. tantum illa gens ingratitudinis flagitium admiſerit, vt proprij & veri Dei oblita, pietatem & cultum ad eos Deos transferret;

quibus

quibus nihil omnino acceptum ferre poterat:hac culpa illud ſibi commerita eſt, vt omni
honore,dignitate,ornatu denudata,lege,prophetis & aliis huius generis exturbata bonis,
diuinam illã erga ſe prouidentiam deſiderare omninò,& nihil egregiũ præter cæteras gen-
tes experiri;imò ſeſe vltra alienatiſſimam quamq. à Deo gentem longè inferius poſitã ſen- Acto.13.
tire cogeretur.quæ res ab eo demum tempore illis euenit,cùm ab Apoſtolis audierunt:Vo- “
bis oportebat,primum loqui verbum Dei,ſed quia repellitis illud , & indignos vos indica- “
tis Euangelij gloriæ Chriſti, ecce conuertimur ad gentes, ſic enim præcepit nobis Domi- “
nus.Ex illo enim tempore Deus huius ſeculi excæcauit mentes incredulorum,vt non ful- “
geat illis illuminatio Euangelij gloria Chriſti , vt iudicentur omnes qui non crediderunt 2.Cor.4.
veritati,ſed conſenſerunt iniquitati: Hoc autem eſt eam nudã ponere , videlicet omnibus “
iis bonis,rebus omnibus,quibus ſingularem ob gratiam abundauerat , fore carituram. *Se-* “
cundum diem natiuitatis ſuæ. Cùm apud Chaldæos agebat, inq. illa gentium ignobilitate atque
obſcuro errore verſabatur,antequam Abrahamo patre ſuo euocato, egregiam præter cæ- Ioſu.24.
teras nationes Dei in ſe prouidentiam experiri cœpiſſet,ſicut ſcriptum eſt:Trans fluuium “
habitarunt patres veſtri ab initio,Thare pater Abraham & Nachor,ſeruieruntq.diis alie- “
nis.Tuli ergo patrem veſtrũ Abraham de Meſopotamiæ finibus,& adduxi cum ad terram
Chanaan,multiplicauiq.ſemen eius,&c.Igitur Iudæos ,'niſi ab illis moribus, ab illa men-
te deſiſterent , ad antiquam ſuam conditionem transferendos prædixerat Deus ; & quo-
niam non deſtiterunt,tranſlatos hactenus videmus,ita vt inter omnes gentes diſperſi ſine
lege,ſine rege,ſine prophetis,ſine vlla ciuitatis aut reipublicæ ſpecie, omnibus omniũ na-
tionum,linguarum,religionum & ſectarum hominibus ludibrio expoſiti , exulem atque
miſerrimam prorſus vitam agant. Extat enim libellus à Beniamino quodam Cantabrico Profectiones
Iudæo quadringentis ab hinc annis editus,cui titulus eſt, Profectiones ſiue itinera Binia- Biniamin.
min. is cùm medicus atq.aſtrologus eſſet, cognoſcendarum rerum ſtudio incenſus & artis
fretus præſidio,vniuerſum penè terrarũ orbem,præter eam terræ partẽ,'quæ noſtris tem-
poribus ad occidentẽ inuenta eſt,peragrauit ac nullum ferè locũ adiit, in quo Iudæorum
ſiue Iſraëlitarũ copiam non offenderet,quorum ſummã quæ ſingulis in locis eſſet, ſubdu-
ctam eodẽ in libello reddidit;quẽ,cùm eſſemus Tridenti,Conſtantinopoli nobis allatum
cum Martino Ayala digniſſimo tunc Secobienſiũ, nunc Valentinorũ Pontifice,& Ioanne
Delgado apud Tydenſes Canonico,magna cum voluptate legimus:ij autẽ vt ſunt publicæ
vtilitatis ſtudioſiſſimi,cum Latinis hominibus librum(quoniã Hebraicè conſcriptus eſt,)
cõmunicari deſiderabant. *Et ponam eam quaſi ſolitudinem.* Ea terrarum portio,ſolitudo,in ſacris
libris dicitur,quæ propter ſolis aut cæli intemperiẽ,& propter aquarũ inopiam,quas ſpõtè
natura aliàs proferre copioſè ſolet,omnẽ ſui vſum hominibus,atq.adeò cæteris animanti-
bus negat,præterquã malefico ſerpentũ generi,cuius naturæ frequẽs eſſe ſolet,ſicut ſcriptũ Deut.8.
eſt:Dñs ductor tuus fuit in ſolitudine,in qua erat ſerpens flatu adurẽs, & ſcorpio & dipſas, “
& nullę omnino aquę;qui eduxit riuos de petra duriſſima,& cibauit te mãna in ſolitudine. “
Itaq.cũ minatur Deus atq.dicit,Et ponã eam quaſi ſolitudinẽ: eius conditionis & miſeriæ “
memoriã renouat,ad quam conditionẽ & miſeriã venerant, cũ olim in Arabiæ ſolitudinẽ
ſunt perducti;in qua nihil aut ad eſum aut ad potũ,aut omnino ad vitã idoneũ niſi diuino
beneficio & miraculo habere potuerunt.nã loci natura nihil illis præter metus & terrores,
nihil deniq.præter exitiũ,aut promittere aut ſuppeditare poterat,ſicut ſcriptum eſt: Qua- Vbi ſupra.
draginta annis duxit te per deſertũ,vt affligeret te,& afflixit te penuria;nimirũ earũ rerum
penuria,quæ in humanos vſus natura procreare ſolet. adeò ad huiuſmodi conditionẽ Iu-
dæorũ populi venêre,vt omnibus cæleſtibus bonis,quibus per deſideratũ Chriſtũ affluere
potuerãt,carẽtes,& veritatis cognoſcẽdæ fame & ſiti laborẽt, & omni illa gratia cuius ſeſe
indignos reddidere deturbati,errabundi atq. excæcati,pro pietate ſuperſtitionẽ,pro veri-
tate figmẽta,pro ſabbathiſmo atq.quiete laborẽ;deniq.pro luce tenebras experiãtur: quæ
maxima eorũ calamitas à vate olim præuiſa atq.deplorata fuerat. Fuerũt,inquit,principes Thre.2.
eius in gẽtibus,nõ eſt lex,& prophetæ eius nõ inuenerũt viſionẽ à Dño: Atq.adeò nihil il- “
li,dum iſtã conditionem ferunt,ſibi ipſis vel promittere, vel ſpectare magni, valent;vtpote
qui iure in reprobum ſenſum dati vſq.adeò ſunt,vt in bonũ locum niſi priuata prouiden-
tia miraculoq.reſtitui non poſſint;id quod ſub iſtorũmet perſona vates affirmat & preca-
tur:Conuerte,inquit,nos Dñe ad te,& conuertemur,innoua dies noſtros ſicut à principio. Thren.5.
Verùm enimuero Dei benignitate,& maxima illa miſericordia futurum ſperamus , vt in
gratiam aliquando reſtituti,diuinis illis beneficiis atque honoribus fruantur,quibus in ea,
qua nunc vagantur ſolitudine,carent: Namque eos non ita offendere paſſus eſt Deus , vt
irreparabili prorſus ruina caderent : Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc (ait Rom.11.
Paulus) vt non ſitis vobiſmetipſis ſapientes,quòd cæcitas ex parte contigit Iſraël , donec “ Iſa.59.
plenitudo “

plenitudo gentium intraret,& ſic omnis Iſraël ſaluus fieret, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex
Sion qui eripiat & auertat impietatem à Iacob,& hoc illis à me teſtamentum,cùm abſtu-
lero peccata eorum. Quòd liberalitatis diuinæ beneficium,vt quam certiſſimè illis contin-
gat,idque vt ſine noſtra inuidia fiat,optamus. Eheu conditionem temporis huius: *Et ſtatuam*
eam velut terram inuiciam,& interficiam eam ſiti: Earum quæ præceſſerunt minarum expoſitio hęc
Sitis. eſt,cuius figuræ vſus in ſacris libris eſt frequentiſſimus: Sitis verò verbi Dei, & ſacræ penu-
riam diſciplinæ arcana adnotatione ſignificat; namque nulla ſitis grauior, aut nocen-
tior eſt, quàm æſtuans diuinæ veritatis deſiderium, quo humanus animus miſerrimè
Amos 8. moritur,ſicut ſcriptum eſt: Ecce dies venient,dicit Dominus,& mittam famem in terram,
" nõ famem panis neq. ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini,& cõmouebuntur à mari
" vſque ad mare,& ab Aquilone vſque ad orientem circuibunt, quærentes verbum Domi-
" ni, & non inuenient. In illa die deficient virgines pulchræ atque adoleſcentes in ſiti.

Et filiorum eius non miſerebor, quoniam filij fornicationum ſunt. Quia forni-
cata eſt mater eorum; confuſa eſt,quæ peperit eos.

NON ſolùm in illam gentem, quæ ſcelus illud ſuſceperat, niſi reſipiſcant, ſed in filio-
rum etiam poſteritatem,ſeſe animaduerſurum eſſe minatur Deus. Nam cùm filij pa-
ternam impietatem magis imitarentur, quàm damnarent,cõmeriti ſunt & patrij & pro-
prij ipſorum ſceleris pœnas ſuſtinere. Neque id tanquam iuſtitiæ diuinæ ignari perpeſſi
ſunt,namque talem ſuam eſſe naturam, Deus apud Moſem fuerat teſtatus: Ego ſum, in-
Exod. 21. quit,Dominus Deus tuus zelotes,viſitans iniquitates patrum in filiis,in tertiis & in quartis
" odientibus me. Propterea autem & in materno ſupplicio filiorum etiam pœnas memi-
niſſe Deus voluit,vt integram iuſtitiæ ſuæ imaginem exprimeret, & vel hac ratione ma-
trem ab inſania & rabie,ad ſanitatis cogitationem reuocaret: Etenim omnes etiam perdi-
tiſſimis moribus matres, ſi non ſuis,ſaltem filiorum rebus conſulere,& potiora illis, quàm
ſibi ipſis vota facere conſueuerunt; id quod neglexiſſe extremæ omnino impietatis fuerit,
Iſai 49. ſicut ſcriptum eſt: Nunquid obliuiſci poterit mulier infantem ſuum,vt non miſereatur fi-
" lio vteri ſui? Ob eam autem rem filios eius appellat: *Quoniam filij fornicationum ſunt:* ij certè qui
" ab illa ex eo tempore quo Deo fuerat infenſa ac deinceps,procreati, iiſdemque morum &
impietatis modis educati fuêre: eos namque filios,qui impudicis complexibus procrean-
tur,vt certo atque legitimo patre carentes, ad matrem tanquam ad certum caput, referre
diuinæ atque humanæ leges ſolent. ſi quid præterea vitij, ſi quid probri filiis inſit, eius rei
culpam in matres potius, quàm in patres conijci videmus. Sic Saul Ionatham mulieris
peruerſæ filium appellat; ſic paſſim ſacræ hiſtoriæ ſuperſtitionis, & impietatis filio-
rum, cauſam matribus adſcribunt. Atque hæc profectò cauſa eſt quamobrem horum
ipſorum qui matris nomine hoc in loco appellantur poſteritas, illud & à Ioanne, &
Matth. 4. à Ieſu Chriſto, atque à Stephano etiam audierit: Genimina viperarum. quòd nimi-
rum paternam menſuram ſuis etiam illi ſceleribus & impietatis imitatione complebant:
vnde & prophetarum ſanguinem omnem ſuper ſe veniſſe,& illi ipſi,& quæ eos ſecuta ſunt
ſecula cognouerunt. Atque adeò ad hanc rationem pertinet quod in antiquis ſtatutis ſuis
Iſraëlitæ cauerãt,ne quis filium ex gentili femina, aut etiam ex ſerua ſuſceptum ſibi, ſed
Miſnaioth matri potius aſcriberet: huius autem appellationis cauſam Deus addit: *Quia fornicata eſt mater*
de ſanctifi- *eorum, & genitrix eorum confuſa eſt.* Quicunque autem illegitimè natus eſſet, ad eum neque pa-
catione nu- tris hæreditas,neque nomen venire poterat,quamobrem huiuſmodi homines à Synagoga
ptiarum c. 3. Et Camh. in exſcindebantur. Confuſam autem dicit,id eſt, adulterij criminibus notatam; cuiuſmodi
Zacha. c. 9. mulieres Romani damnatas appellabant, nimirum quæ adulteriorum multorum publi-
Miſnaioth cè conuictæ togam induere in manifeſtum impudicitiæ ſuæ ſignum legibus cogebantur,
de ſanct. nu. cap. 4. vt eſt apud Poëtam:

Iuuen. Sat. 2. *Eſt mœcha Labulla,*
Damnetur ſi vis, etiam Carphinia, talem
Non ſumet damnata togam, &c. Verùm enimuerò alias venia digniores
inuenias, vt ſunt, quæ accuſatæ cùm ſint, tamen defenſione aliqua vtuntur, & crimen
à ſe reijcere ſtudent. equidem harum miſerabilis damnatio eſt, ſed peiores multò
ſunt, quæ crimen vultu, inceſſu, & toto habitu profeſſæ, verbis etiam atque oratione
tueri & fouere ſtudent; & quæ cauſſas quærunt, quibus ſcelus poſſint defendere. Nam
hoc duræ nimium ceruicis atque incircumciſi cordis argumentum eſt maximum, vt
Iſai. 5. ſcriptum eſt: Væ qui dicitis bono malum, & malo bonum, ponentes lucem tene-
" bras, & tenebras lucem: & vt Paulus ait: Lætantur in confuſione ſua. Igitur maximè
Philip. 3. confuſa horum genitrix:

Quia

Quia dixit: Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam & linum meum, oleum meum, & potum meum.

DIVINAM naturam non ex otio, ſed ex actione & vtilitate ab hominibus cognoſci, & quoad eius fieri poteſt, definiri, ſacræ imprimis literæ, & prophanæ docuêre. Namque bona ſacrorum ſermonum pars in diuinis beneficiis oſtendendis conſumitur, vt Dei certa natura ab hominibus cognoſcatur, atque adeò quæ prima nobis de diuina natura inſeritur cognitio, non niſi à beneficij enarratione inchoatur: In principio creauit Deus cælum & terram, &c. quamobrem & cùm verum Deum, iis qui dij non ſunt, eſſe tamen putantur, ſacra carmina comparant, quæ ab illo plurima, quæ nulla ab iſtis commoda capiantur, oſtendere ſolent. Qui facit mirabilia magna ſolus. & iterum: Quoniam omnes dij gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit. Sed & imperitorum etiam gentilium vulgus, non ob aliam cauſſam diis ſuis arcum, ſagittam, haſtam, clypeum, fuſcinam, fulmen dabant, niſi quòd naturæ vi nihil agentem Deum cogitare nequibant. Ipſi qui maximè omnium irridentur Ægyptij, nullam belluam niſi ob aliquam vtilitatem quam ex ea caperent, conſecrauerunt. Tota autem opinionum peruerſitas illa fuit, vt ijs potius rebus beneficia accepta referrentur, à quibus minimè fuerant accepta, atq. ij pro diis haberentur & agnoſcerentur, qui aut nulla, aut non propria vi mortales iuuare poterāt: is autem cuius vera & immenſa atq. conſpicua virtus ex collatis beneficijs fuerat oſtenſa paulatim in obliuionem traditus, velut ignotus aliquis Deus iudicaretur, vt Paulus dicebat: Viri Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſos vos video: Præteriens enim vidi ſimulachra horum, & inueni aram in qua ſcriptum erat, Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis, Deum qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, qui non longè ab vnoquoque noſtrum eſt, in ipſo enim viuimus & mouemur & ſumus; ſicut & quidam veſtrorum poëtarum dixerunt. Hac peruerſitate opinionum errantem vxorem ſuam ſynagogam inſaniſſe Deus ait, ita vt gloriam, gratitudinem & laudem quam illi Deo attribuere debuit, cuius ſcilicet beneficio in illa locata fuit dignitate; tamen in quas res fas non fuerat, transfunderet, in ſolem, lunam & ſtellas, in cæteraſque naturas, quæ à Deo ipſo non vt numina, ſed vt mundi mortaliumque miniſtræ haberentur, conditæ fuerunt, vt ſcriptum eſt: Sol & luna, omnes ſtellæ & lumen, Cæli cælorumque & aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt laudent nomē Domini: Quia ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt; ignis, grando, nix, glacies & ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. Quoniam autem coniugij atque adulteriorum allegorijs in hac oratione Deus elegantiſſimè vſus eſt, hactenus eandem rationem perſecutus, amatores ſynagogæ eos vocat, quos illa pro dijs colebat, à quibus ſe beneficijs affectum putabat, nimirum Phœbum, Dianam, Bacchum & Mineruam, ſiue Solem & Lunam atque aſtra, ſiue quocunque nomine eadem appellarent: Nam cùm horum lumine & motu rerum earum quæ in hoc inferiori mundo gignuntur, ortus, accretiones, copias, decretiones, & interitus fieri quidam viderent, primam ipſis virtutem atque auctoritatem falsò tribuerunt. in qua re multum omnes quidem gentes, ſed plurimū Iſraëlitæ peccauêre; quibus illud certum perſuaſumque eſſe debuit, non ex huiuſmodi aſtrorum vi, ſed ex ſingulari Dei benignitate & promiſſione ſibi contingere, vt rerū omnium præter communem naturæ vſum, copia ſuppeditaretur aſſidua. Namque is dixerat: Dabo vobis pluuias temporibus ſuis, & terra gignet germen ſuum, & pomis arbores replebuntur, apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem, & comedetis panem veſtrum in ſaturitate. Solem verò, & Lunam, quæ eadem Minerua olei inuentrix dicebatur, eos eſſe, per quos annonæ atque frugum omnia genera hominibus contingerent, vulgaris fuit gentium perſuaſio.

Diuina natura ex beneficiis cognoſcitur. — Gen. 1. — Pſalm. 71. — Pſalm. 95. — Acto. 17. — Pſalm. 48. — Leuit. 26. — Verg. lib. 1. Georgic.

———Vos ô clariſſima mundi
Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum,
Liber & alma Ceres, veſtro ſi munere Tellus
Chaoniam pingui glandem mutauit ariſta. & aliàs;
———Oleæq; Minerua Inuentrix, &c.

Hos amatores ſuos atque adeo adamatores Hebraicè gens illa vocabat, quòd ſibi vt tot frugibus, tot fructibus abundaret, non niſi his amicis atque propitiis contingere poſſe putaret, quod & aliàs profiteri non erubeſcebat. Ex quo tempore, inquiunt, ceſſauimus ſacrificare reginæ cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio & fame conſumpti ſumus. Neque verò illud alienum videri cuiquam debet, quòd amatores ſuos nominet, & inter hos etiam Lunam reponat. namque harum naturarum quæ neque mares neque feminæ ſunt, indiſcretum genus eſſe antiqui voluerunt. Quamobrem & Lunæ duplex nomen apud

Ieremi. c. 44. — *Solis & Lunæ vis.*

men apud Hebræos eſt, alterum maſculinum Iareah, alterum femininum Lebana. Sed & vanæ illius Theologiæ Antiſtites diis ſuis non alterum tantum ſexum, ſed vtrumque attribuerunt; atq. ex hoc fit, vt Venerem interdum marem, feminam nonnunquam effingerent. Atque hæc quidem res vel Orphei carminibus ab Apuleio citatis, explicari tota poteſt.

Apul. lib. de Mundo.

Iupiter eſt caput & medium, Iouis omnia nunnur;
Iupiter eſt fundamen humi, ac ſtellantis Olympi;
Iupiter & mas eſt, & neſcia femina mortis, &c.

Qui dant mihi panes meos & aquas meas, lanam meam & linum meum,
oleum meum & potum meum.

NAM Luna montibus, ſiluis atque fontibus præeſſe credebatur, & terræ vim addere qua fructus proferret idoneos, ob attributam illi humidã naturam, ex quibus cauſſis Tergeminæ nomen obtinuit:

Virgil.

Tergeminamq; Hecaten, & triplicis ora Dianæ. Sed & feminis in partu auxiliari credebatur, quòd humore atque calore ſuo vteros vehementer afficiat:

Catull.

O Latonia maximi	*Montium domina vt fores,*	*Tu Lucina dolentibus,*
Magna progenies Iouis,	*Siluarumq; virentium,*	*Iuno dicta puerperis;*
Quam Mater prope Deliam	*Saltuumq; reconditorum,*	*Tu potens Triuia & notho es*
Depoſuit oliuam:	*Amniumq; ſonantium.*	*Dicta lumine Luna.*

Vellera etiam pecudum huius virtute aſtri augeri dicuntur: ex qua re illa Endymionis paſtoris manauit fabula, qui ob vellerum pulchritudinẽ adamatus à Luna fuiſſe cõfingitur.

Ouidius.

Latmius Endymion, non eſt tibi Luna pudori.

Oleum meum & potum meum.

Potus.

POTVM non ſolùm pro vino dixit, ſed pro omni quod ex quauis re paratur poculo, ſiue ex pomis, ſiue ex ordeo, vel quacunque id natura humida efficiatur. conficiebatur enim potus apud Hebræos ex frumentis, pyris, malis punicis, cornis, meſpilis, ſorbis, moris, nucleis pineis ex herbis, aſparago, cumila, origano: quę omnia, quamuis vini nomen non propriè ſortiantur, ſicera tamen & potus in ſacris libris dicuntur; de quibus paſſim in antiquis Deuteroſibus mentio fit. iiſdem verò rebus maximè præeſſe Sol credebatur, quòd varia caloris ac ſiccitatis efficientia res omnes ad temperatam naturæ perfectionem perducat; vnde & rerum omnium dictus eſt auctor, & variis nominibus pro varia virtute fuit appellatus, namque idem Apollo, Mercurius & Mars, atque aliud aliudque eſt.

Miſnaioth de decimis. Macrob lib. 1. Saturnal.

Propter hoc ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria,
& ſemitas ſuas non inueniet.

OPTIMI atque diligentiſſimi medici munere fungitur Deus, cùm homines vitiis & luxuria propter rerum abundantiam laborãtes, penuria afficit, vt morbo liberet; nam quæ ex abundantia proficiſcuntur mala, difficillimæ curationis ſunt, neque alia re melius quàm ſubductione ſanantur. Huiuſmodi morbos medici Plethorias ſiue repletiones vocant. Quanta ergo miſericordia Deus erga homines vtatur, vel ex eo manifeſtum eſt, quòd grauiſſimè offenſus, tamen non perdere, ſed reſtituere cogitat. quam quidem ob rem ea ſe moliturum Deus prædicit, quibus hoc effici poſſit, vt ad ſanam mentem atque ad officium tandem ægrotantes reuocentur: Igitur maximam illam bonorum copiam, quibus populus ille affluebat, ſubducet; ita vt & fame, & aliarum rerum penuria laborent, atque cæleſtium influxuum effectus fruſtra expectent; deinde etiam ab hoſtibus abducti, omnem cultum, omnem operam quam diis impenderant, vanam fuiſſe intelligant, ſeque ad veri Dei atque Domini ſui tantùm de ſe meriti voluntatem nutumq. conuertant. Vtitur autem pulcherrima ſemitarum atque viæ tranſlatione quæ frequens in diuinis literis eſt, atque adeò in iis libris in quibus de moribus agitur. nam cùm omnibus animantibus & maximè hominibus motus ad hoc datus ſit, vt ea quæ ſibi profutura putant motu quærant, & quæ nocitura videntur motu etiam declinent, atque ad eam rem viarum commoditas inuenta ſit, qua certius atque expeditius moueri atque agi homines poſſint, hanc ſimilitudinem à corporis motibus ad animi affectus commodiſſimè tum ſacri, tum cæteri auctores tranſtulerunt. Si quis verò alterius iter impedire cogitat, nullam neque promptiorem, neque magis certam viam ſequi poteſt, quàm ſi vias corrumpat & diſſipet: hoc autem plenius fieri ſolet macerie atque aggere extructo, & ſentibus ſpiniſque inductis. Hanc eandem tranſlationẽ, imò hanc eandem cauſſam, rationemque ſecutus vates dixit: „Circumædificauit aduerſum me, vt non egrediar: Concluſit vias meas lapidibus quadratis, ſemitas meas ſubuertit. Spinas autẽ pro omni impedimento & pro omni votorum difficultate ſæpe vſurpari manifeſtum eſt: „Maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi. Et apud Poëtam:

Hip. Aphor. lib. 1. Plethoria. Medicorum officium. Morbi ex proſperitate. Miſericordia. Semita via. Animantium motus. Itineris impediendi ratio. Thren. 3. Spinæ. Geneſ. 3.

Pro molli viola, pro purpureo Narciſſo
Carduus & ſpinis ſurgit Paliurus acutis. Virg. Eclog. 5.

Viam & ſemitas, expoſitione repetit, qua in figura diuinus ſermo frequens eſſe ſolet: vt, Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. neque verò temerè hoc vſurpatur: namque non vnus ſolet eſſe propoſiti vrgendi in negotiis modus. Cùm ergo propter multarum rerum affluentiam, fructuum atque annonæ copiam, linum, lanam, oleum, pacem, & propter variarum rerum felicem ſucceſſum inſanierit populus, & his commoditatibus multos ſibi amatores cumulauerit, omnia hæc minus proſperè illis ceſſura prædicit Deus. Illa verò perſonarum ſubita mutatio, viam tuam & ſemitas tuas, non noua in ſacris carminibus eſt, maximè cùm dicentis affectus in ſermone indicatur. Pſal. 24.

Et ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos, & quæret eos, & non inueniet. & dicet: Vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quàm nunc.

NON aliàs magis homines religionem colere, & vota frequentare ſolent, quàm in miſeris & afflictis rebus. nam cùm diuinam naturam benignam eſſe ſuis ipſius rationibus conſtet, atque ab afferendo malo alienam: ex eo fit, vt cùm homines in mala grauiſſima atque publica inciderint, ex propria ipſorum culpa magis, quàm ex numinis odio vel ſtudio orta eſſe interpretentur. hanc cogitationem pœnitentia & votorum atque ſupplicationum frequentatio ſequitur; ſed ſuperuacaneum tamen interdũ experiuntur ſtudium; nimirum cùm res non ex certo conſilio atque ſcientia, ſed ex errore geritur: nam ſi minus rectè, qua in re peccatum ſit, perpendatur; nunquam profectò certa reſipiſcendi via iniri poterit, neque certus ad placandum Deum, atque ad malum depellendum aditus aperiri: eueniétque, vt cùm non abſit culpa, pœnarum potius acceſſio, quàm detractio fiat. Magni ergo intereſt malorum cauſſam (qualis potiſſimùm ſit) perſpectam habere, & pœnitendi officium ad diuini conſilij artem normamque dirigere, ſicut in eum qui in laborioſiſſimis, ſed ſuperuacaneis rebus, curam omnem conſumit, ſcriptum eſt: Vtinam attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet quaſi flumen pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurgites maris. Hunc igitur errorum & ſcelerum morbum, quo populus ille laborabat, indicat Deus, & quæ ex his ſequutura eſſet mendoſa atque inutilis pœnitentia: item quo pacto per diuinam iuſtitiam atque miſericordiam, tanquam inſani ad mentem atque ſanitatem potius eſſent reuocandi, prædicit. Nam cùm ſe minus feliciter agere ex calamitatibus cognoſcerent, protinus ad ſuperſtitionis cultum ſtudioſiùs curam ferebant, & frequentiam Deorum, quam ex inſania admiſerant, hoſtiis cæſis, ceremoniis & ludis inſtitutis curabant: hoc enim eſt curare amatores. Quanquam verò hoc pacto res deterius illis indies cederent, neque quicquam ex hac religione compendij, ſed diſpendij plurimum ſeſe facere animaduerterent; non tamẽ præpoſteram religionem ſibi ſuſceptam damnarunt; ſed perſtare in eadem, & cum vaniſſimis Diis verum atque viuentem Deum cultus & ſacrorum communicatione ſociare moliti ſunt. atque ob hanc cauſſam dixit: *vadam*, videlicet poſt amatores meos, quòd primo conſilio nondum deſiſtat, ſed nouo atque auctiori vtatur, nempè hoc, *& reuertar ad virum meum priorem*, quia bene erat mihi tunc magis quàm nunc: Ita ſe putabant pleniſſimè religionis totius momentis omnibus conſulturos, ſi Deum illum antiquiſſimum, cuius propriam in ſeipſos prouidentiam iam inde à principio ab Ægyptiis temporibus fuerant experti, colerent; neque tamen aſtrorum & cælorum interim, quæ ab ipſis putabantur numina, cultus rationeſque negligerent: nam ſi maximè illi prouidentiam concedebant, his curam influxuum atq. communem vtilitatem cum cæteris etiam gentibus tribuebant. quamobrem melius ſecum agi poſſe ſperabant, ſi vtriſque & Deo antiquo ipſorum viro ac Domino, & diis terrarum dominis vota atque ſacra facerent, quàm ſi diis ſolis illo neglecto idem præſtarent. nam neque nunc malè illis res cedere, cùm diis faciunt, dicunt; ſed ex comparatione melius ceſſiſſe cùm virum ſuum olim colerent: fatentur ergo, & optimè ceſſuras cum vtriſque. ijs rebus hiſque inſaniæ erroribus illud optimè conſonat, quod ſcriptum de hoc populo fuit: Et rememorati ſunt, quia Deus adiutor eorum eſt, & Deus excelſus redemptor eorum eſt. Et dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, neque fideles habiti ſunt in teſtamento eius. quis autem error fuerit, quo ad tantum inſaniæ redacti ſunt, Deus ipſe per Vatem exponit. Iſa. 48. Pſal. 77.

Et hac neſcivit quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum & argentum multiplicaui ei & aurum, quæ fecerunt Baal.

NAM cùm à teſtamento diuinaque lege aſſidua meditatione recolenda ad gentium philoſophiæ, aſtronomiæ, atque adeò ad eorum ſuperſtitionis ſtudium ſeſe tranſtu-

liſſent, vanis opinionibus decepti, atque per iſtarum rerum antiſtites deluſi, maximum numen ad frugum & rerum omnium copiam gignendam, Soli atque Lunæ, & aſtris, cæteriſq́ue naturis tribuerunt; quippe ea aſtra rebus omnibus, etiam metallis & mineralibus, quæ inter terræ viſcera gignuntur, præeſſe omnino putantur. Quæ res quanquam ita ſe habere aliàs poſſet, vt ex cæli aſtrorumq́ue momentis, rerum ortus atque interitus, in his quæ ſub cælo ſunt, efficerentur; nullo tamen numine, nullis diuinis honoribus ea colenda eſſe cenſeri oportuit, quæ non ſponte ſua, ſed conſilij imperiiq́ue diuini efficientia, quidquid ab ipſis præſtatur, efficiunt. Si enim in teſtamento Dei fideles haberentur, agnouiſſent ſanè

Gen. 1. „ quod ſcriptum eſt, verum eſſe: Et fecit Dominus luminaria magna, vt præeſſent diei & no-
„ cti, & vt eſſent in ſigna & tempora & momenta, & ſtellas etiã in eiuſmodi miniſteria comparauit. Quoniam & ſi maximè in annorum atque temporum ratione aſtrorum natura aliquid poſſet; non tamen tam exundantem, tam aſſiduam, & continuato ſucceſſu felicem rerum copiam, quanta Hebræis contingebat, ex cæli aſtrorumq́ue virtute, ſed ex diuina potius prouidentia prouenire credi par fuerat. Nam in cæleſtibus vt motuum, & conuentionum atque concurſionum, ita temporum & prouentuum varietas eſt; neque ab iis luminibus ſua mutari poteſt ratio, vt aliter atque aliter pro diuerſo concurſionum genere in iis

Pſalm. 95. „ quæ infernè ſunt, efficiatur; ſicut ſcriptum eſt: Ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mãdauit, & crea-
„ ta ſunt; ſtatuit ea in æternum, & in ſeculum ſeculi; præceptum poſuit, & non præteribit. Ergo quòd perpetuò frumenti atque aliarum rerum, quibus mortalis hæc vita carere non debet, ſucceſſu fruerentur, non cælo, non cæleſtibus aſtris, non vanis numinibus, ſed vero antiquoq́. Domino, à quo hæc promiſſa fuerant, accepta referri oportuit, & hoc beneficiũ oblatis decimis, primitiis, primogenitis, atque hoſtiis frequentatis, (vt in ipſis fœderis tabulis vtrimque pactum conuentumq́ue fuerat) profiteri: at verò illi contra ius, contraq́ue fas per ſummum ſcelus, quibus diuitiis opibuſq́ue ex Dei benignitate florebant, in ſuperſtitione

בעל ſtudioſiſſimè exercenda ſunt abuſi. hoc nimirum eſt, quod dicit, *Et argentum & aurum multiplicaui, quod fecerunt Baal.*] Baal nomen eſt genericum, non vnum aliquem certum Deum, vt Apollinem, aut Liberum, aut Mercurium ſignificans; ſed eam in vniuerſum notionẽ comprehendit, quæ diuinæ naturæ conuenit; ſiue illa natura vnica ſit, vt verè eſt, ſiue in plures partes (vt antiqua putauit vanitas) diffuſa ſit: Significat enim imperium, dominationemq́ue, & nutum illum, quo ea quæ infra ſe poſita ſunt, gubernantur, & aguntur; nam nomen Baghal à verbo Baghal, deducitur, quod Præeſſe, dominari, atque ſubigere Latinè reddi poteſt. Hanc eandem rationem Latinus ſermo explicare conatus, cõmune diis vocabulum Numen, fecit à verbo Nuo, ſiue à nutu deriuatum, quòd Deorum nutu atque vultu, cuncta regi atque agi putarent, vt apud Poëtam eſt:

Olli ſubridens diuûm pater atque hominum Rex,

Virg. Æn. 1. *Vultu quo cælum tempeſtateſq; ſerenat.* Itaque Baal ſiue numen, ſiue Dominum vertamus, rem ipſam etſi non aſſequuti fuerimus ob Hebraicorum verborum maieſtatem, tamen fortaſſe propriùs conſequemur. Porrò deorum ſimulachra, ex quàm pretioſiſſima atque diutiſſimè duratura materia facere ſumma apud gentes religio fuit; ſanctiſſima autem atque auguſtiſſima argentea aureaq́ue putabantur.

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus, at tu

Virg. Eclo. 3 *Si fœtura gregem ſuppleuerit, aureus eſto.* Igitur in his inſaniis aurum atque argentum, quorum parciſſimi eſſe ſolent homines, profuſius illi conſumebant, ſicut ſcri-

Ierem. 10. „ ptum eſt: Argento & auro decorauit illud, clauis & malleis compegit, vt non diſſoluatur.
„ Itaque hoc in loco copiarum atque diuitiarum abuſus damnatur: cuiuſmodi damnatione vtinam nos Chriſtiani immunes eſſemus, vt bonarum rerum vſum non ad libidines, non ad ambitionem, non denique ad prauiſſima & corruptiſſima, ſed ad rectiſſima quæque ha-

Euſ. Emiſſ. de Epiph. Domini, Homil. 4. beremus, ſed vt Euſebius ait: Rebus quæ bonæ factæ ſunt, malus malè vtitur.

Idcirco conuertar, & ſumam frumentum meum in tempore ſuo, & vinum meum in tempore ſuo; & liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius.

CVM in omnibus quæ circa homines geruntur, diuinæ veſtigia appareant prouidentiæ, tum maximè in iis quæ aduerſa videntur, elucent, quãquam aliquibus tunc latêre exiſtimentur. Nouit namque Deus quale hominum ingenium ſit, & quàm facilè ſecundo rerum ſucceſſu, ad inſaniam atque ad ſcelera adigatur. Ex quo fit, vt cùm illi cõſultiſſimum eſſe velit Deus, vitiorum fomenta ſubducat; charior enim eſt Deo homo, quàm ſibi.

———Nos animorum Impulſu, & cæca magnaq; cupidine ducti,
Diuitias petimus, rerum quoque plurima; at illis
Notum quis rerum fecundus, qualis & vſus.

Cùm

Cùm ergo rerum copia,ad ingratitudinem atque adeò ad impietatem adacti ſint homines,ita vt aliis potius,quàm Deo bonorum omnium auctori,ſi quid illis boni contigerit,acceptum referant,maximæ prouidentiæ conſilium eſt,vt earum rerum inopia & ſubtractione ad ſanitatem reuocentur,atque(vt in medicorum præceptis eſt,)abundantiæ malum defectus curet.Quamobrem Deus ita hoc loco populum inſania liberandum prædicit, nimirum annona illis & cæterarum rerum copia negata,vt cùm maximè ſe cæli atque aſtrorum beneficio,rebus omnibus affluentes fore ſperarent,tum maximè vanas ſuas ſpes atque opiniones experirentur: & tandem (quod ſuo bono noluerunt) ſuo edocti malo, verum omnium bonorum auctorem ſolum Deum agnoſcant: Qui producit ventos de theſauris ſuis, qui parat terræ pluuiam,qui dat iumentis eſcam illorum, & pullis coruorum inuocantibus eum: & hunc agnitum cæteris damnatis vanitatibus ament, colant, ſolumque venerentur,& adorent. Idcirco inquit Deus, quia hæc gens ſtultiſſima magni intereſſe putauit, ſi mecum etiam cæli aſtra, atque alia falsò dicta numina compon(er)et & coleret, neque mihi ſoli diuinos honores tribuendos eſſe cenſuit; ſed & virum antiquum & amatores retinendos curauit,vt ego mihi honorem laudemque meam iure meo vendicem: curabo, vt cùm maximè illis omnia tempora fauere, aſtra omnia conducere, omnia denique commoda congruere videantur, & rerum omnium abundantia pleno cornu promitti, tum maximè omnia hæc vana mendacia atque totius efficientiæ expertia euadant; hoc eſt, ſumere frumentum & vinum in tempore ſuo;ſiue vt Hebraicè legitur, in opportunitate atq. maturitate ſua:id eſt,cùm aptiſſimus ſeſe illis annus oſtenderit atque præbuerit. [*Conuertar.*] Promiſerat Deus ſe ſingulari & benigniſſima prouidentia genti huic conſulturum, vt quamuis cæteris gentibus cæli atque aſtrorum & temporum conſtitutio annonam negarent;illis tamen nihil eſſet metuendum, quos non niſi ex ſola diuina prouidentia pendere oportebat,ſicut ſcriptum eſt: Audite verbum quod locutus eſt Dominus ſuper vos domus Iſraël, iuxta vias gentium nolite diſcere,& à ſignis cæli nolite metuere, quæ timent gentes: quia leges populorum vanæ ſunt.Igitur cùm Deus etiam inuitis & negantibus ſignis omnibus, huic populo omnia quæ ad vitam neceſſaria eſſe putantur, ſuppeditaret:id non ſine miraculo fieri manifeſtum erat, vt hac ratione Deus bonorum omnium auctor probaretur: id cùm apud iſtos ob ſtultitiam parum valuerit,alio miraculo huic oppoſito ſe vſurum prædicit; nimirum quòd omnibus aſtris, ſignis omnibus & temporibus plenam concedentibus copiam, ſolus tamen Deus illis inopiam moliatur ſummam; vt quod probari illis proſperitate non potuit, miſeria rurſus atque indigentia ſentiatur. Conuertar igitur ab inſtituta ratione,ad eam quæ huic oppoſita eſt;nam antea negantibus aſtris ego illis omnia donabam, nunc omnibus læta omnia promittentibus temporibus atque ſignis, ego tamen negabo. [*Linum meum & lanam meam, frumentum meum, & vinum meum.*] Quid enim habuère, quod non acceperant;quod ſi acceperant,quare gloriabantur quaſi non accepiſſent aut aliis potius; quàm mihi accepta hæc referebant? Intelligent itaque meum fuiſſe, cùm non ab alio accipere quàm à me poſſint,& intelligent quos in vſus ea conuerti oportuit quæ à me accepiſſent;an in honeſtam vitæ ſuæ traductionem, in cultum honoremque meum, an in turpiſſimos Deorum amores exercendos, atque in vitæ luxus, & ſuperſtitionis libidinem, cùm res omnes non ad vtentium libidines,ſed ad Domini voluntatem atque conſilium referri debeant. [*Liberabo.*] auferam: hoc verbo ſacræ literæ vtuntur, cùm quid ab aliquo tanquam ab iniuſto poſſeſſore poſtliminio reuocatur; id quod iam in iis quorum poſſeſſio aut vſus iniuria non vacat,plerumque accidere ſolet. Sic Iacob ad vxores: Sed & Deus abſtulit ſubſtantiam patris veſtri,& dedit mihi.& ille rurſus:Sed & Deus tulit opes patris noſtri:& eas tradidit nobis,ac filiis noſtris. vtrobique id verbum Hebraicè legimus, quod hoc in loco,*liberare*,Interpres vertit:detinentur enim res huiuſmodi dominis, velut inuitæ, & ad dignos transferri ſeſe optant,vt ſcriptum eſt:Quia lapis de pariete clamabit, & lignũ quod inter iuncturas ædificiorum eſt,reſpondebit.

Aphor. lib. 2 — Pſal. 134. — Ierem. 10. — Gen. c. 31. — Hab. c. 2.

Et nunc reuelabo ſtultitiam eius in oculis amatorum eius, & vir non eruet eam de manu mea: Et ceſſare faciam omne gaudium eius, ſollemnitatem eius, neomeniam eius, Sabbatum, & omnia feſta tempora eius.

CVM illis omnem calamitatem & futurum annonæ pecorum & cæterarum rerum defectum prædixerit;atque his modis ſuam in illos indignationem teſtatam fore oſtenderit,quid ex his conſequuturum ſit,continuo ſubiungit,nimirum ineuitabile dedecus atque ignominiam,& totius lætitiæ antiquæ ingens deſiderium.Meritò enim quis carere cogitur rebus iis,quas à legitimo vſu ad ſummum nefas prauè tranſtulerat.Hoc autem à Deo per tranſlationẽ dicitur.Etenim ſi quis maritus ſiue vir alius mulierem menſtrui ſanguinis fœditate laborantem,nudo corpore conſpiciendam exponat;id efficiet, vt cùm à cæteris, tum verò

Conſentaneum fuit, vt harum etiam rerum abdicatione ſuæ tantæ ſtultitiæ, imò potius
impietatis pœnas luerent, & quàm falſa de iis rebus, deque numinum natura opinati eſſent,
ſuo tandem malo diſcerent. [*Et corrumpam*, inquit, *vineam & ficulneam eius:*] quæ ſibi non à
Deo ſuo, ſed à numinibus illis ob illorum curatas religiones donata eſſe, atque conſeruata
prædicabat; neque fidelis in viri ſui fœdere fuerat, à quo hæc etiam dotis & ſponſaliorum
nomine acceperat, quæ ſummis laudibus ob eam etiam rem proſequi par fuerat. Namque
in eiuſdem fœderis tabulis ſcriptũ erat: Dominus enim tuus introducet te in terrã bonam, " Deut. 8.
terram riuorum, aquarumque & fontium, in cuius campis & montibus erumpunt fluuio- "
rum abyſſi, terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus & malogranata & olıueta "
naſcuntur; terram olei ac mellis, vbi abſque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum "
omnium abundantia perfrueris, cuius lapides ferrum ſunt, & de montibus eius æris metal- "
la fodiuntur. Vt cùm comederis & ſatiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo, pro terra "
optima quam dedit tibi. Sed tamen hæc omnia beneficia, gens illa peruersè omnino inter- "
pretabatur, cùm huiuſmodi dona mercedem ſuã meretricis more diceret, quam ob turpem
vſum ab amatoribus accepiſſet: Itaq. ſibi primam cauſſam quare acceperit, tribuebat; nem-
pè numinum cultum & religionẽ, deinde verò ſibi ea iure vendicari aſſerebat, quæ non gra-
tis, ſed meretriciæ mercedis nomine data eſſe aiebat. Vt enim meretricis quæſtus quamuis
turpis, proprius tamen eſſe cenſetur, neque tam donum, quàm merces dici conſueuit; ita
hæc non donorum, ſed propria opera, imò propria nequitia comparatæ mercedis titulo, ea
omnia ſibi attribuenda eſſe prædicabat: Qua in re quanta peruerſitas, quantum flagitium
admitteretur, manifeſtum eſt, cùm non ſua opera, ſed Dei beneficio, huiuſmodi dona ſibi
acceſſiſſe in fœderis tabulis ſcriptum ſignatumque cognoſcere oportuiſſet. Illud autem in-
terim obſeruatione dignum eſt; in ſacris libris vuarum & ficuum nominibus, fructus om-
nes alios, & poma præter frumentũ, vinum, atque oleum contineri: Idque adeò fit, ob præ-
ſtantiam qua cætera poma ab iis fructibus ſuperantur: Nam ficus & vuæ quemadmodum
inter fructus autumnales principatum obtinent, ita fugacibus omnibus magis nutriunt, Galen. de fa-
minimumq. praui ſucci (vt à medicis traditur) habent; ita vt vtroq. hoc genere, tutius quàm cultatib. ali-
aliis omnibus ſatiari poſſis. Quamobrẽ cùm de fructibus agitur tam autumnalibus quàm ment. lib. 2.
fugacibus, hoc vtrumque genus in ſacris commemoratur libris, quibus interdum mala pu-
nica, & palmæ adduntur; quæ etiã naturæ & ſucci qualitate his proximè accedere viden-
tur. vnde & Galeno de ficubus diſputãti frequens carycarũ ſiue caryotarum mentio iniecta
eſt. Commodiſſimè autem terræ vaſtationẽ & gentis etiam abductionem vinetis & ficu-
bus corrumpendis ſignificauit: namque vbi hæc perduntur, ſiue ab hoſte, ſiue ab aliqua alia
cauſſa, pronum eſt, vt ſolum ab incolis vertatur. nunquam enim huiuſmodi populatur ho-
ſtis, niſi cùm extremum omnino vrbibus ac gentibus excidiũ animo meditatur; quod ſi a-
gris, vineis, atque arboribus parcit, non pernicioſiſſimum bellũ ab eo parari, ſed imperium
propagandum curari interpretari poſſis. ſic ille apud Iſaiam dux cum populo agebat. Hæc
dicit rex Aſſyriorum: Facite mecum benedictionem, & egredimini ad me, & comedite v- " Iſa. 36.
nuſquiſque vineam ſuam, & vnuſquiſque ficum ſuam, & bibite vnuſquiſque aquam ciſter- "
næ ſuæ. His autẽ omnibus carituros diuini iudicij ſententia, & hoſtium opera nunc prædi- "
citur; ita vt quæ illis chariſſima atque cultiſſima fuerant, in ſaltus & ſiluas redigantur: nam
cultoribus abductis ſilueſcere etiam cultiſſima quæque videmus: ſi quis autẽ fructus naſca-
tur, is degener atque ruſticus redditur, & feris in vſum cedit. Quàm verò certum hoc vatici-
nium fuerit, ipſe ad hæc vſque tempora declarat euentus: Namque Iſraëlitica regio, quæ
feraciſſima ac maximè felix diuino beneficio fuerat, dum populi ſacra religio, dum regna
manerent, nunc ſterilis admodum atque effœta, fructus fert infelices; & quod Iudæis eſt
inuidioſiſſimum, barbaris gentibus edendos: vt illud aptiſſimè lamentari poſſint;

——*En quò diſcordia ciues*
Perduxit miſeros, en quis conſeuimus agros?
Conſere nunc Ọ Iudæe *pyros, pone ordine vites.*

[*Beſtia agri.*] Et de vineis ipſis, & feris, & de terræ atque populi per hoſtes vaſtatio-
ne, ſine vllo ſententiæ diſpendio pariter interpretari poſſumus. nam cum verborum ſen-
tentia, ita tranſlationi quadrat, vt nihilominus integra ſimplexque præter tranſlationẽ con-
ſtare poſſet, ad vtrumque referri, atque literalem, vt appellant, ſenſum, vtrimque aptari
poteſt; vtrique enim rationi ſententia conſentire re ipſa & euentu intelligitur: Vt in agno
Paſchali verum fuit nullum os rumpi; idem etiam verum in ſacro agno pro totius orbis
ſceleribus expiãdis immolato fuiſſe planum eſt: ita verũ fuit vineta cum ficetis hortorum-
que omni pulchritudine fuiſſe Iudæis per hoſtem vaſtata, in ſaltumque redacta & fera-
rum etiam expoſita pabulis, & gentem ipſam eiuſque regionem hoſtiũ vaſtationi ceſſiſſe:

gentem autem vineæ nomine ſignificari, & hoſtem feræ ſimilitudine deſcribi, non vno in
Pſalm.79. „ loco legimus: vt, Exterminauit eam aper de ſilua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Deus
„ virtutum conuertere, reſpice de cælo, & vide, & viſita vineam iſtam.

Et viſitabo ſuper eam dies Baalim, quibus accendebat incenſum, & ornabatur inaure ſua, & monili ſuo, & ibat poſt amatores ſuos, & mei obliuiſcebatur, dicit Dominus.

IN EA calamitate atque pœna, quam populus ob flagitia ſubiturus ſemel eſſet, eos hæſituros prædicit, quantum diuturna inſania, qua colendis ſimulachris flagrauerant, exigere videatur: Conſtat autem illos per omnia Iudicum tempora, & per Regum Iſraëlitarum atque etiam Iudæorum ætates ad vſque Babylonicæ abductionis annos hanc culpam ſuſtinuiſſe; eorum autem poſteros, hoc eſt, qui reſtituti fani temporibus vixêre, variis atque innumeris flagitiis fuiſſe nobilitatos: quorum vnum illud omnium maximum fuit, quòd ad omnium vatum à ſe ſuiſque maioribus occiſorum ſanguinem, etiam veri illorum ipſorum Regis & Domini Christi necem addiderunt, & paternam menſuram tanto admiſſo in ſe crimine compleuerunt; quibus ex rebus omnibus effectum eſt, vt à Romanis victi atque abducti diuturnis cooperiantur miſeriis, quas expuere illis omnino integrum non ſit, & veriſſimum illud ſibi a Deo prædictum, agnoſcant.
Leuit.26. „ Quod ſi de illis aliqui remanſerint, tabeſcent in iniquitatibus ſuis in terra inimicorum ſuorum, & propter peccata patrum ſuorum
„ & ſua affligentur, donec confiteantur iniquitates ſuas, & maiorum ſuorum recordentur,
„ quibus præuaricati ſunt in me, & ambulauerunt ex aduerſo mihi. Accendere autem incenſum, pro omni colendi & ſacrificandi opere dictum eſt. namque vnum ex iis negotiis, quæ cultus cauſſa aduerſus Deum à mortalibus ſuſcipiuntur, eſt thuris & odoriferarum reſinarum ſuffitus: hæc enim ſacris aris cremantur. Speciem ergo pro toto ſacrorũ genere poſuit, quod & aliarũ etiam linguarum auctoribus familiariſſimum eſt. Quoniam autem vt Deorum ſibi amorẽ & voluntatem conciliaret, omnibus vtebatur ornamentis, & tum maximè, cùm eorum numinũ quæ ab eo colebantur, feſti concelebrarentur dies (omni namq. pompa omniq. apparatu, diis colendis vacabat) propterea variis is populus miſeriis affligendus eſſe diuino prædicitur oraculo, vt quantum quamdiuq. veri Dei ſui oblitus vanis cultibus multo cum molimine & veſtiũ aliarumq. rerum pretioſiſſimarum apparatu operam dederit, tamdiu tãtumq. eo habitu eoq. viuẽdi genere vſurus ſit, quæ captiuæ & miſerrimæ genti conueniant, vt iuſta rerũ viciſſitudine correcta atq. edocta gens iſta quantũ Deum qualemque ſibi maritum neglexerit ſuo malo perſentiſcat. Perſtat autẽ diuina oratio in adulteræ feminæ allegoria; huiuſmodi enim mulieres, quidquid ornatus moniliũ & deliciarum comparare ſibi potuêre, id omne in alliciendorum amatorum cura atque ſtudio conſumunt:

Iuuen. ſat.6. *Mœchis foliata parantur;*
Emitur his quidquid graciles huc mittitis Indi.

Propter hoc, ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.

HABENT diuinæ cõminationes ſuam cataſtrophen, quam inexhauſta Dei miſericordia ſæpiſſimè profert; neque vnquam tam iratus eſt Dominus in populum ſuum, quin
Habac.3. natiuæ interim miſericordiæ (vt Propheta cecinit) recordetur: Etenim promptior & pronior multò ad hanc rem, quàm ad vltionẽ, quamq. ad ſumendas pœnas natura ſua eſt. Qui ſupplicia publicè decernere in populos ſolet, non tam vt eos perdat, quàm vt eorũ tandem miſereatur: interim verò iuſtitiæ diuinæ ſatisfiat; idq. efficiatur, vt qui ſecundis rebus abuſi vſq. ad impietatẽ inſanierint, aduerſis correpti ad ſanitatẽ reuocentur, ac demum proſperioribus atq. magis ſecundis diuino beneficio tandẽ perfruantur, ſicut ſcriptum eſt:
Ierem.2. „ Arguet
„ te malitia tua, & auerſio tua increpabit te: Scito & vide quia malum & amarũ eſt reliquiſſe
„ te Dominum Deũ tuum, & non eſſe timorem mei apud te, dicit Dominus exercituum. Et
Ierem.29. „ iterum: Ecce ego cogito cogitationes pacis, quas ego cogito ſuper vos, cogitationes pacis, &
„ non afflictionis, vt dem vobis malorum finẽ & patientiam: Ergo poſt triſtem illam, ſed iu-
„ ſtam tamen pœnarum & captiuitatis multiplicisq. miſeriæ prædictionem, quam Deus populo Iudaico exponendam Prophetæ mandauit, lætiſſimũ ex miſericordia ſua exitũ curauit etiam promittendũ: Nempè futurum tandem eſſe, vt Iudæus, imò totus Iſraëliticus populus antiquæ ſynagogæ filius ad Deum ſuum conuerſus, maxima atq. pretioſiſſima dona quorum cauſa electus olim fuerat, diuina ex liberalitate accipiat, hoc eſt, ſpirituali illa atq. cæleſti benedictione, & æterni conſortio regni, cum maximo atq. admirando potius quàm explicando bonorum cumulo, quæ Deus iis qui ſe diligunt parauerat, fruatur. [*Propter hoc*] quia ita inſaniæ morbo victa eſt, vt non alia ratione quàm pœnarũ reuocari poſſit, ego tantum his

tum his pœnis efficiam, vt eam tandem mentis ſuæ, hoc eſt bonæ cõpotem eſſe, atq. ab ea
quam nunc ſibi per errorem finxerit, deſiſtere faciam: hoc enim lactare eſt, quauis ratione
quocunq. id modo fieri poſſit, aliquem, vt ſententiam mutet, pellicere, ſiue ex bona in ma-
lam, ſiue ex mala in bonã ea fiat commutatio. Cùm autem mala omnino ſententia in huius
gentis animis inſederit, vt à Deo ad vanitatẽ, ad ſuperſtitionemq́. conuerſi viuant, lactatu-
rum ſe eos prædicit Deus, & ad pœnitentiam reuocaturum, vt Euangelij lætiſſimo accepto
nuntio, ad antiquum dignitatis locum multò etiam felicius reſtituãtur, quantum videlicet
cæleſtibus bonis, quibus augendi ornandiq́. ſunt, terrena, quibus olim aucti fuerant, cedere
natura ſua ſolent. [*Et ducam eam in ſolitudinem.*] Vt olim primis recentis adhuc Eccleſiæ tem-
poribus Iudæi in primis & Græci omnes, quotquot Euangelio credentes Spiritum ſanctum
atq. filiorum adoptionem acceperant, inter cæteros homines, tanquam inter ſiluestres feras,
& noxia atq. malefica animantium genera vitam agebant ſimpliciſſimam, ſanctam atq. in-
nocentiſſimam (ſicut ſcriptum eſt: Vt ſitis ſine querela, & ſimplices filij Dei ſine reprehen- " Philip. 2.
ſione, in medio nationis prauæ & peruerſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mũdo, ver- "
bum vitæ continentes) ſic futurum eſſe Deus reſpondet, vt cùm totus Iſraël ad pœniten- "
tiam reuocatus, reſtituendus ſit; parem porrò vitam illiſq́. primis Chriſtianis ſimillimam
agat, verbum vitæ continens, cuius virtute moleſtiſſima quæque, quæ illi mundus & recto-
res tenebrarum harum offerre poſſint, conſtanter perferat; neq. vllo incommodo à propo-
ſita ſibi ſpe deiiciatur, quominus ad æternam, quò vocatur atq. ducitur, patriam victor per-
ueniat. quod autem Paulus verbum vitæ dixerat, id Deus hoc in loco ad cor loqui dixit: eſt
enim Hebraicæ linguæ tropus, vt cùm apud aliquem blandiſſimè & pro voto verba fiunt,
eiuſmodi oratio hac phraſi ſignificetur: *locutus eſt ad cor eius*, hoc eſt blandè, amicè, cõmodè
atq. ex animi ſui ſententia eum compellauit, & ſi quid mœroris aut metus inerat, id totum
leniſſima oratione prorſus ademit. Sic Iſaias: Conſolamini, conſolamini populum meum, " Iſa. 40.
loquimini ad cor Ieruſalẽ. At verò ſolitudinis nomine hoc in loco non tã ſermonis ſimpli- "
citate, quàm tranſlationis figura cæterarum gentium atq. hominum frequentiam ſignifica-
ri, inter quos pij perinde viuunt, ac ſi inter feras & belluas verſarentur, ex Ezechielis ſcriptis
docemur, qui eandem ipſam rem planius, adiuncta videlicet atq. præſenti nota expoſuit: Et " Ezech. 20.
adducã vos de populis, & cõgregabo vos de terris in quibus diſperſi eſtis in manu valida, & "
in brachio extento, & in furore effuſo, regnabo ſuper vos, & adducã vos in deſertum po- "
pulorum, & iudicabor vobiſcum ibi facie ad faciem. Et quoniam in eum locũ incidimus,
qui in vatum omnium ſermone plurimus & celeberrimus eſt; operæ pretium facturi vide-
mur, ſi de eo nunc breuiter & commodè dicamus, quantum ad vatũ de ea re explicanda ar-
gumenta ſatis eſſe videatur, commodius & longius eandem rem aliàs ſi Deus annuerit tra-
ctaturi, vbi multa quæ iam parata nobis ſunt ſacrorum ſcriptorum teſtimonia producen-
tur; quibus non ſolum doceri homines veritatem poſſint, ſed ad diuinæ benignitatis admi-
rationem, ad vitæ in melius mutationem, ad maximam immortalitatis atque felici-
tatis ſpem rapi atque impelli queant. Igitur vt olim cùm humanæ reparationis ima-
go, & quædam quaſi ſpecies à Deo præberetur Iſraëlis filijs, quibus duriſſima quæ-
dam ſeruitus apud Ægyptios fuerat, præclaram & veram Dei virtute & beneficio liberta-
tem recuperauerant, & antequam promiſſam atq. paratam ſibi in patria quietem viderent,
totos quadraginta annos in ſolitudinibus verſati, diuinæ prouidentiæ ſemper addicti fue-
runt, in eademq́. ſolitudine ingentibus Dei beneficiis ad omnes caſus peruincendos vſi, cæ-
leſtibus paſti cibis vitam quandã ſupra mortalem conſuetudinẽ traduxerunt, donec opta-
tam requiem caperentes omni prorſus eo labore, omni ſolicitudine, omni motu & vagatio-
ne, quibus in ſolitudine exercebantur, caruêre: ſic & in ea liberatione, quæ Chriſto aucto-
re hominum generi futura à vatibus prædicebatur, eandem prorſus imaginẽ veritate ipſa
conſequendam eſſe, & ab antiquis expectatum fuit, & ab iis qui eius rei donum experimen-
to deguſtauerunt, fuit affirmatum: Namque hi poſtquam Chriſti opera & beneficio diui- 1. Pet. 4.
num atque promiſſum ſpiritum acceperunt, ſeſe grauiſſima illa qua vitiis & peccatis ſer-
uiebant ſeruitute, à filio liberatos confeſſi ſunt, & quod reliquum vitæ in carne fuit, id to-
tum Deo dicatum fuiſſe eorum ipſorum teſtimoniis conſtat; ita vt per totã vitam nihil ab I Philip. 4.
eis niſi Deo gratum ageretur; nihil tã graue, nihil tam inimicũ aut infenſum eſſet, quod non Roma. 8.
diuina ope peruinceretur. itaq. nulla re impediti ſunt quominus æternã illã in cęleſti patria,
qua nunc perpetuò cum Deo fruuntur, requiem caperent. Huius veritatis olim innumera
argumenta atque innumera fuerunt prolata ſigna, quæ ſi nunc rariora oſtenduntur, id non
diuinæ promiſſionis, aut veritatis infirmitate, ſed hominum vitio & culpa accidit, qui ab iis
legibus, & conditionibus quibus hæc maxima Dei dona accipiuntur abalienati ſeſe tanto
teſtimonio indignos reddiderunt. Eſt tamen abundè ſatis in diuinis libris teſtimoniorum,

quæ petere omnibus licebit, quicunque diuinam veritatem non ignorare cupiunt, iiſque veriſſimis & certiſſimis ad ſuam vtilitatem velut lucerna lucente, in loco caliginoſo vti, donec dies illuceſcat, & Lucifer in illorū cordibus oriatur. Ad hanc autem ſpem hoc in loco Iſraëlis filij à Deo vocantur, quos in gratiam tandem ſuam reſtituendos idem promittit.

Et dabo illis vinitores eius, ex eodem loco, & vallem Achor ad aperiendam ſpem, & canet ibi iuxta dies iuuentutis ſuæ, & iuxta dies aſcenſionis ſuæ de terra Aegypti.

QVANQVAM vulgatam editionem, quæ communis & frequens omnibus Eccleſiæ noſtræ hominibus eſt, ſequuturos nos profitemur; tamen vt res poſtulare videbitur, exemplaria Hebraica, Chaldaica atque Græca, interdum conſulere & recitare non pigebit, ſaltem manifeſtioris explicationis cauſſa. Nobis enim dum hæc ſcribebamus, multis linguis ſacri libri conſcripti, ante oculos erant, quos omnes quoad eius fieri poterat, huic vni quam vulgatam appellamus, editioni ad explicationem ſeruire volebamus. Igitur quod hoc in verſu legimus, *Dabo illi vinitores eius, ex eodem loco*; Ex Chaldaica paraphraſi verſum vide-
ואמני לה ית tur, in qua ſic ſcriptum: *Vaamani lahiath parnazzaba*: hoc eſt, Et parabo ei gubernatores eius:
פרנסהא Namque Hebraica ſic habent: *Venathatlu la eth cheramečha*. Græca verò huic conſonant mul-
ונתתי לה את tum: Καὶ δώσω αὐτῇ τὰ κτήματα αὐτῆς: Et dabo ei poſſeſſiones ſuas ſiue pignora ſua. Quòd
כרמיה ſi vineę & poſſeſſiones quid hoc in loco ſignificent, aperuerimus, quid vinitorum atque gubernatorum ratio velit, fuerit etiam profectò manifeſtum: hæc enim relationem quandam inter ſe habere, ſeſeque mutuò exponere videntur, poſſeſſio, & poſſeſſor, ſiue gubernator; vinea & vinitor. Olim cùm Iſraëliticus populus Ægyptiaca ſeruitute liberatus eſt, non ſtatim in promiſſum atque deſideratum Regnum fuit admiſſus, nam quadraginta annis in Arabiæ ſolitudinibus angelum quendam, & Dei miniſtrum ſecuti ducem, vagati ſunt: interim potiundæ patriæ deſiderio & promiſſionis ſpe conſolabantur: neque per totum illud tempus promiſſam in requiem ingreſſi ſunt, ſed cùm iam & errandi & laborum ſtatutus adeſſet finis, & Iericho munitiſſima vrbe capta, primam regni poſſeſſionem, primos iam agros occupaſſent, vident cum maxima ſua calamitate impetus & conatus ſuos retardari, vt & parum abfuerit quin ſpe etiam poſſidendi regni deiicerentur: Namque ob ſacrilegum nefas Ghachani filij Carmi magna virorum multitudo à paucis Ghai vrbis incolis turpiſſimè fuſa & cæſa eſt, ita vt cor populi liquefieret, factumque eſſet quaſi aqua: neq. verò prius ſpem diuini verbi promiſſionibus redintegrare potuerunt, quàm ſcelus ſtatutis in auctorem eiuſque familiam dignis ſuppliciis expiatum foret: ex qua re nomen loco inditū fuit;
Ioſue 7. nam vallis Ghacor appellari Ioſuæ iuſſu cœpta eſt. At verò in ea liberatione, quam Deus populo ſuo maximam parauit, quamque per omnes vates ſuos, atque per noſtrū Hoſſeam prædicendam curauit, ſecus omnia ſperanda piis hominibus erant: Namque ij quibus diuini ſpiritus donum in Chriſtianæ teſtimonium veritatis contigit, primitias quaſdam & arram atque pignus æternæ hæreditatis, etiam dum hanc vitam agerent, dum mundi huius ſolitudines frequentarent, Dei beneficio acceperunt, & necdum ad cælum ſublati, tamen cum Deo, cum beatiſſimis ſpiritibus conuerſabantur, & maxima atque inenarrabili voluptate eademque diuina afficiebantur, & diuinum regnum, cuius nouiſſima abſoluta poſſeſſio in cælis futura erat, intra ſe non ſolum ſpe, ſed vſu quodam poſſidebant. Namque ſacri ſpiritus virtute quam in ſe experiebantur ſupra omnem mortalem aleam conſtituti verè Dei filij & diuinarum rerum participes effecti fuerant: cuius rei quamplurima à nobis teſtimonia citari poterant, niſi breuitatis ſtudio auocaremur. Vnum vero atque alterum
Rom. 8. » confirmationis cauſſa attuliſſe non pigebit: Quicunque, inquit, ſpiritu Dei aguntur, ij filij
» Dei ſunt. Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum
» adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba pater: Ipſe enim ſpiritus, teſtimonium
Epheſ. 1. » reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei: Si autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei,
» cohæredes autem Chriſti. & alio in loco: Signati eſtis, ait, ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt
Philip. 3. » pignus hæreditatis noſtræ, in redemptionem acquiſitionis in laudem gloriæ ipſius: & con-
» uerſatio noſtra in cælis eſt. Hunc autem ſpiritum non imputatione aut vana aliqua opinione, ſed re ipſa ſanctiſſimi illi diſcipuli obtinebant. Atque ex iis, quæ dicta à nobis ſunt, illud planum atque apertum eſſe videtur, quod Deus per hunc vatem promittit. [*Et dabo ei vineas ſuas, vel poſſeſſiones ſuas, ſiue pignora ſua, ex eodem loco*:] nimirum ex deſerto ipſo gentium, in quo vitam degent antequam ad patriam perueniant; ex eo inquam loco diuinæ hæreditatis poſſeſſores erunt ſpiritu promiſſionis ſancto per Chriſtum accepto. Hebraicus co-
משם dex habet MISAM, Chaldaicus MITHAMAN, Græcus ἐκεῖθεν, quod Latinè vertere
מתמן poſſis, exinde, ſi linguæ id admittat vſus. Vineas autem dixit proprias ſe illi daturum, vt antitheton

titheton faceret eius rei quam ſuperius dixerat,& corrumpam vineam eius, & ficum eius; namque omnia in melius vertenda, & multo auctius multoque auguſtius à numine vltro offerenda promittuntur. [*Et vallem Achor ad aperiendam ſpem.*] hoc eſt, vallis Ghacor deſperationis olim cauſſam Iſraëlitis penè dederat, cùm optatæ atque deſideratæ diu quietis primum limen iam tenerent: contrà verò nunc iis accidet, quos ego, inquit Deus, in requiem meam ſum vocaturus, qui non deſperationis, ſed ſpei ianuam primo ingreſſu ſibi aperiri cognoſcent, ſicut ſcriptum eſt: Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei. Et iterum: Nihil igitur damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto. Hæc ſententia Hebraicè optimè explicatur ſic: *Et vallem Achor ianuam ſpei*, ita vt pro ea quæ illis acciderat perturbatione, quæque nominis loco imponẽdi cauſſa olim fuerat; hi contrà in maximam futuræ in cælis perfectæ poſſeſſionis regni ſpem ingrediantur. [*Et canet ibi iuxta dies iuuentutis ſuæ.*] Iuuentam illius gentis vocauit ætatem, eam in qua à Deo ex duriſſima ſeruitute in libertatem reconciliata eſt, & tranſmiſſo rubri maris vado in ſponſam & coniugẽ accepta: illo namq. tempore tanto Dei beneficio deuincti filij Iſraël, vnà cum Moſe duce ſuo, celeberrimum illud carmen gratiarum actionis in diuinæ miſericordiæ laudem cecinère: Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum & " Exod 15.
aſcenſorem proiecit in mare, fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſa- "
lutem, iſte Deus meus, & glorificabo eũ, Deus patris mei, & exaltabo eum, &c. Verè quidem "
hoc carmen ab Ægyptiaca ſeruitute liberatis, cantatum quondã fuerat; ſed veriſſimè olim à Diaboli tyrannide liberandis cantandum fore diuinus prædicit ſpiritus. Namque hi maximo illo quod experturi in ſe fuerant beneficio obſtricti totam vitam in diuinis laudibus illuſtrandis tranſacturi erant; quod profectò officium verè ab iis præſtitum fuiſſe legimus, " 1. Pet. 2.
qui Chriſto auctore tanti diuini beneficij compotes facti ſunt, ſicut ſcriptũ eſt: Qui vocauit "
vos è tenebris in admirabile lumen ſuũ, vt ſimus in laudẽ gloriæ ipſius, & virtutes eius annuntietis. his itaq. illud veriſſimè cantatum eſt: Fortitudo mea, laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. cuiuſmodi carminibus meditandis atque canendis operam daturum eſſe populum à Deo liberatum, & diuino donatum beneficio prædixit Hoſeas:

Et erit in die illa, ait Dominus: Vocabit me vir meus, & non vocabit me vltrà Baalim, & auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabuntur vltrà nominis eorum.

EX IIS locis quæ plurima paſſim in ſacris libris occurrũt aduerſus eos qui linguarum ſtudium ſuperuacaneũ ducunt, vnus hic eſt, cuius integrãatq. germanam ſententiam cum ſuis ſalibus & tropis nemo planè callere poſſit, niſi rem ipſam ad verborum Hebraicę linguæ vim atque rationem reuocauerit; atque adeò ſi quiſpiam diuino ſpiritu illuſtrante ſacras literas doceatur, tamen huiuſmodi locorum vim, & ſignificationem non ſine linguæ, in qua ſcripta ſunt, mentione & cognitione, eodem Spiritu aperiente, percipiet. ſed hæc de linguarum neceſſitate diſputatio longior eſt, quàm vt nobis commentationi intentis pe ſſit inſtitui. Igitur in Hebraica lingua nomen *Baal* in eorum nominum genere continetur, quæ בעל
plurimis ſignificandis rebus, ſiue caſu, ſiue conſulto, ſiue ex pari, ſiue ex impari etiam ratione impoſita ſunt; cuius generis res homonymas Dialectici vocant: Nam Baal nomen à verbo *Baal* factum eſt, quod verbum præeſſe, dominari, ſubigere, & nuere etiam ſignificat: בעל
Ipſum autem nomen ad dominium, ſiue ad nutum, cui parère oporteat, pertinere videtur; quamobrem & ad vxoris maritum, & ſeruorum, vel gentis dominum, aut cuiuſcunque rei naturam accommodatur, ea ratione, qua homines atque alia regit, ſibique ſubiicit: cui ſignificationi Latinum Numen reſpondere iam docuimus. Cùm verò nullũ nec Latinum nec Græcum compertum hactenus nobis nomen ſit, quod huic ad amuſsim reſpondeat; commodum fuerit, vt quacunque lingua id petere liceat, in huiuſmodi vocibus explicandis petamus. Eſt autem in lingua Hiſpanica nomen *Amo*, quod cum *Baghal* ſi non omnino quadrat, plurimum tamen conuenire videtur. Namque hoc nomen perſæpe in rerum & perſonarum dominis vſurpatur. Præterea vxores etiam maritos hoc nomine dicunt: ita nomen *Amo* ad dominum, ad maritum, atque ad numen non inconcinnè accommodatur: Itaque *Baghal* dominum, maritum, atque numen ſignificat. Eſt & aliud apud Hebræos nomen ISS, quod Latinè virum interpretamur. Id verò non ſolùm hominem ea ratione איש
qua mas eſt, & à femina diſtinctus, ſed etiam qua animi virtutibus excellit: præterea qua feminæ alicuius maritus eſt, ſignificat; quibus notionibus & viri nomen apud Latinos ſeruire ſolet; Virum enim hominem maſculum vocamus, & eum qui aliqua animi virtute vtitur. ex qua re illud frequens eſt, vt virum bonum quempiam appellemus; atque etiam qui mariti officio apud feminas funguntur, eatum dicuntur eſſe viri. Vt, Vir gregis ipſe Virgil. Eclo.
caper deerrauerat. Illud etiam non parum ad huius loci explicationem contulerit, quod 7.

de horum

de horum nominum Etymologia indicauimus: *Baghal* à verbo deduci, quod imperium quoddam & dominium ſignificet,& metus neſcio quid adferat; quemadmodum dominus apud Latinos odioſum nomen erat, & iis ſeruitutem quandam denunciabat, quibus aliquis dominus eſſet: quod quidam ex antiquis poëtis eleganter ſignificauit:

Tibull.lib.2. Eleg 4. *Sic mihi ſeruitium video, dominamq́; paratam,*
Iam mihi libertas illa paterna vale.

Quamobrem Auguſtus dominum ſe vocari vetuit; quòd leuius ſuum imperium dominio eſſe voluerit. Alterum verò nomen I s s, quod Latinè Vir vertitur, nihil omnino odij, ſed commendationis plurimum continet:nam maſculam excellentiam in eo, de quo dici-
Iudic.7. tur,oſtendit;vt Gedeon filius Ioas vir Iſraël, hoc eſt princeps, & dignitatis eximiæ homo:
1.Sam.c.27 &,Nónne vir tu es?quis ſimilis tui in Iſraël? Habet etiam nomen I s s, aliquid grati, & iucundi,quod animos tantum conciliet,quantum contrà *Baghal* alienat. Ab hoc autem eodem themate,oculi pupilla,qua nihil toto corpore charius eſſe ſolet,I s s o n dicitur. Harum noſtrarum obſeruationum ſumma hæc eſt: *Baghal* dominum,maritum & numen ſignificat,deductum à verbo,quod dominium & imperium ſua ſignificatione complectitur: Hiſpanicè dicimus Amo. Vir maſculum & coniugem atque gratioſum ſignificat hominem. Dicit itaque Deus,tale ſe ac tam ſanctum & magnum amicitiæ & coniugij fœdus eum ſua gente initurum,vt deinceps nulla ſuſpicio cadere, nullaque offenſio atque ita irarum nihil intercedere poſſit. Nam durum illum ſpiritum,quo peruerſè acta atque à viro ſuo aliena deſciſcebat, in nouum ſpiritum mutaturus, & renouaturus erat Deus, eundemque ſpiritum ita
Pſalm.51. confirmaturus in eorum viſceribus,vt fidele ſemper ſanctumque ac ſtabile Dei & Eccleſiæ
Deut.30. coniugium perſeueraret; ſicut ſcriptum eſt: Circuncidet Dominus Deus tuus cor tuum, &
„ cor ſeminis tui,vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo,& in tota anima tua,vt
„ poſſis viuere. Atque adeò tantus huic genti erga Deum ſuum amor,tam ab omni ſeruitutis metu alienus, tamque ab omni externo ac vano cultu & ſuperſtitione abhorrens animus, vt nominibus etiam & verbis deſueſcat,quæ illorum affectuum, quibus olim malè laborabat, recordationem aliquam afferre poſſint: & iis ſolùm vtatur nominibus & verbis, quæ animi affectui,amori,fidei, reuerentiæ & pietati integræ, aptè reſpondeant: Quamobrem futurum,vt cùm de coniugij rationibus verba fiant,non nomine Baalim,ſed nomine I s s vtendum ſit. Nam cùm Baghal, vt diximus,maritum,& numen,& ſubactorem,ſiue dominum ſignificet, nihil erit, cur vllum huius nominis vſum habere oporteat; ſed eius potius, quod cum præſentibus rebus magis conueniat,ita vt non Baghali,hoc eſt maritum meum, ſed I s s i, hoc eſt virum meum, verè præſtantiſſimum atque principem meum, & mihi chariſſimum, me deinceps appellet. Nam ſi iterum me Baghali appellaret; ſe iiſdem affectionibus teneri, neque ſui corruptorum adhuc eſſe oblitam, ſuſpicio eſſet. Vt autem ea omnia,quibus me olim & offendere, & irritare ſolebat, damnata ſibi atque antiquata eſſe oſtendat;nullam omnino mentionem,vel nominum illorum quibus olim vtebatur, facere æquum erit. Quàm autem aptè, quàm propriè coniugis affectus, hoc in loco exprimatur, qui vxorem à ſe ob adulteria abalienatam in gratiam reuocat,quis non videt? Namque huiuſmodi nullam omninò memoriam, nullam recordationem illorum amatorum quibus vſæ fuerint, ſupereſſe in illis volunt: nam ſi quæ etiam maledicendo amatoris ſui nomen aliquando proferat, ab ea amorem non penitus eſſe exutum argumento eſſe ſolet; & qui hoc non vident mariti, fatui putantur.

Catull.de Lesbiæ marito. *Mule, nihil ſentis; ſi noſtri oblita taceret,*
Sana eſſet. Hunc penitus affectum è viſceribus gentis & coniugis ſuæ euellendum curaturus erat Deus; ita vt nulla omnino recordatio; ſed neque per contumeliam reliqua illis eſſet,propterea addit,& auferam nomina Baalim de ore eius,& non recordabitur vltrà nominis eorum: Et quæ me nunc virum ſuum non putat eſſe,nec appellare vult(vt antè dixeram)me olim virum ſuum ſibi chariſſimum, qui tanta tamque præclara beneficia in eam auguſtiſſimè contulerim,ore pleno cantabit. Quòd autem nomina Baghalim dicit, id ad propria vniuſcuiuſque eorum,qui ab antiquis colebantur, Deorum nomina pertinet nam ſuum cuique nomen erat præter Baghal, quod omnibus erat commune. Hoc in loco præter ea quæ explicata à nobis ſunt, multa erant obſeruanda; quæ breuitatis gratia prætermittimus; in quibus vnum illud eſt, quòd Euangelio in gentibus propagando vanorum deorum, & mutorum ſimulachrorum cultus erat abolendus: quæ res totis antiquæ legis temporibus non contigit. Namque non ſolùm ſuperſtitio apud exteras gentes non eſt imminuta; ſed & Hebræos ipſos, quibus maximè prohibita tunc erat, peruaſit, corrupit & perdidit. ſecus autem Euangelicis temporibus euenit: quippe cùm, quocunque aliqua Ieſu Chriſti notitia perlata eſt; etiam ſi eius doctrina ab omnibus non ſit recepta, antiqua

tamen

tamen deorum ſuperſtitio omnino eſt exploſa. Etenim nullus huic vanitati cultus apud Chriſtianos, nullus apud Arabes & Mauros, nullus apud Turcas; ſed neque apud eos Indos, qui ad Gangem fluuium habitant, vllus ſpectatur. Omnes hi quamuis non eundem Chriſtum Saluatorem agnoſcant; eundem tamen Deum, ſummum naturæ humanæ bonum colunt atque adorant, ſicut ſcriptum eſt: Et erit Dominus in Regem ſuper omnem terram; in illa die erit Deus vnus, & nomen eius vnum: futurumq́. eſt Dei beneficio vt & Chriſtus vnus ab omnibus recipiatur, cùm omnes ad Deum verè conuerſi, atq. verè Iſraëlitæ facti, quærent Dominum, Deum ſuum, & Dauid Regem ſuum, & paucbunt ad Dominum, & ad bonum eius in nouiſſimis diebus. & alio in loco: Quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocet nomen Domini, & ſeruiant ei humero vno. Omnia autem hæc non tam humana opera & ſtudio, quàm Dei beneficio euentura eſſe dicuntur. namq. hæc tanta rerum mutatio, tam præclara humani ſpiritus renouatio non noſtrum, ſed Dei opus eſſe poteſt: quamobrem dicit, *Auferam*: de quibus maximis, & præſtantiſſimis negotiis Apoſtolus dicebat: Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.

Hoſeæ 3. Soph. 3. 2. Cor. 3.

Et percutiam cum eis fœdus in die illa cum beſtia agri, & cum volucre cæli, & cum reptili terræ, & arcum & gladium, & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter.

SVMMÆ tranquillitatis & quietis deſcriptio ad cæteras animantes, atque adeò ad inanimata vſque producitur: ſic enim Sibyllina folia, ſic poëtarum carmina, cùm aut ætatem auream deſiderant, aut reſtituendam vaticinantur, omnia tranquilla, quieta, & mitiſſima fore prædicant, quæcunque aut hominibus nocere, aut hominum laboribus, conatibus, votiſque officere ſolent. maximam præterea frugum, & bonorum omnium copiam ſpontè ac diuino munere prouenturam promittunt:

Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ
Vbera, nec magnos metuent armenta leones. Virgil.
Ipſa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet & ſerpens, & fallax herba veneni Eclog. 4.
Occidet, Aſſyrium vulgo naſcetur amomum.

Huiuſmodi tropis & ſymbolis omnium linguarum poëtæ humanam felicitatem, pacem, & vitæ quietem deſcribere conſueuêre; ſiue natura (quæ prima poëtarum magiſtra eſt) id illis ſuggerat; ſiue ſacræ & arcanæ literæ, quibus hæc ratio iam inde à principio familiariſſima fuit, aliqua ex parte notæ fuerint. Nemo enim ferè ex vatibus eſt, qui felicitatem illam deſcripturus, quæ hominibus per diuinum Meſſiam fuerat afferenda, non in his locis elegantiſſimè peruoluatur, vt: Quia cum lapidibus agri fœdus tuum, & feras agri pacificas reddam tibi. Et apud Iſaiam: Et habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit, vitulus & leo & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos: vitulus & vrſus paſcentur, ſimul requieſcēt catuli eorum, & leo quaſi bos comedet paleas, & delectabitur infans ab vbere ſuper foramina aſpidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet: non nocebunt, & nō occident in vniuerſo monte ſancto meo. Et quæ plurima in hanc ſententiam in ſacris libris paſſim occurrūt, eoſdem etiam locos Deus apud vatem noſtrum excitat, vbi futuram temporis Euangelij felicitatem deſcribit, & promittit: nempè fore, vt cùm in ſumma pace atque amicitia cum numine agant ipſo, ob adoptionem filiorum, ob ſpiritum ſanctum acceptum: maximam etiam animorum tranquillitatem, quietem maximam in ſeipſis experiantur; vt iam peccatorum & ſcelerum monſtra, quibus antea miſerrimè affligebantur, minus horreant; atque alias etiam, quibus iuſti in hac vita ab iniuſtis exercentur, calamitates & ærumnas cōſtantiſſimè ſuperent: vt ab iiſdem ipſis, qui hæc in ſe experti ſunt, ſcriptum extat: Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem; ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. & alio in loco: Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia? an nuditas, an fames? an perſecutio, an gladius? ſed in his omnibus ſuperamus, propter eum qui dilexit nos. Huius autem rei ſignum futurum erat, quòd beſtias omnes, ſerpentes, & monſtra cætera, quæ hominibus infeſta eſſe ſolent, contempturi eſſent. Cuius rei ſatis manifeſtum periculum Paulus apud Melitenſes fecit, coniecta vipera, quæ illius digito hæſerat, in ignem, maximo ſpectantium ſtupore, dum illæſus perſeuerat. Quam etiam ob rem Apoſtolis à Chriſto dictum eſt: Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Hoc ergo ingens Dei beneficium, hæc futura in ſuos ſibique chariſſimos cura atque prouidentia hoc in loco prædicitur: *& feriam eis pactum:* hoc eſt in eorum vtilitatem & commodum, ſingulari ac propria prouidentia ferarum, aliorumq́ue noxiorum animalium naturam ita temperabo, vt iis quos ego dilecturus ſum, nocere nullo modo poſſint: hoc eſt ferire pactum cum his beſtiis & reptilibus; nempè effi-

Iſai 43. Epheſ. 6. Rom. 8. Acto. vlt. Luc. 10.

hæc eſt dos à Deo, qua Eccleſia perpetuo atque ſtabiliſſimo coniugio deuincienda fuit:
Rom. 9. nempè iuſtitia, vt iuſtiſſimi viri iuſtiſſima coniux eſſet: Iudicium, vt nihil in ea, eiuſque
actionibus deprehenderetur, cuius honeſta ratio reddi non poſſet: Miſericordia & miſe-
rationibus; quoniam non volentis neque currentis opera; ſed Dei miſerentis dono, hæc
illi danda erant: nam vt ſeſe illi traderet Deus, vt Spiritum ſanctum ſuum in illius ſan-
ctificationem donaret, vt eam maieſtatis ſuæ templum atque ſedem perpetuam efficeret,
miſericordiæ ineffabilis amoris dona hæc fuerunt; quæ nullis humanis negotiis aut arti-
bus comparari potuerunt: nedum à gente ob ſcelera, & violatam aduerſus Deum ſuum fi-
dem repudiata; ſed Chriſti Ieſu opera & conciliatione omnia hæc illi contigerunt. quod
quidem ipſum iam iam præſtandum vates Zacharias agnoſcens, miris laudibus efferebat:
Luc. 1. ſicut ſcriptum eſt: Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum daturum ſe
nobis; Vt ſine timore de manu inimicorum liberati, ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia
Ephes. 5. coram ipſo omnibus diebus noſtris, Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit
nos Oriens ex alto. Idem præſtitum & effectum teſtatur Paulus: Viri, inquit, diligite vxo-
res veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſeipſum pro ea, vt illam ſanctifica-
ret, mundans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ, vt exhiberet ipſam ſibi glorioſam Eccle-
ſiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta, & imma-
culata. Horum nominum iuſtitiæ, iudicij, quod Zacharias & Paulus ſanctitatem dicunt;
miſericordiæ & miſerationum definitiones, longiores explicationes in alium locum con-
ſultò differimus. *Et ſponſabo te mihi in fide.* Dictum à nobis ſuperius eſt, hæc omnia quæ à ſpon-
ſo arrarum nomine dari conſueuerunt, quibus ſponſa Hebraico more ſanctificata dicitur,
propriè ſponſi dona eſſe; non ſponſæ patrimonium, aut aliud quidpiam ab ea ex paterna
domo allatum; ſed quod omninò debeat illa ſponſo acceptum referre. Nam quæ ad matri-
monij vſum res afferuntur, vt in triplici ſunt genere, ſic & triplici etiam nomine vocari
conſueuêre. quæcunque enim ab illa ad vitæ atque vſus communionem dotis nomine,
aut hæreditatis iure, afferuntur, *Celub*, hoc eſt caniſtrum, ſiue caniſtratum dicuntur: Quæ
כלוב vero matri propria fuerant, quocunque modo ea ſibi vendicare is poſſit, *Tzon Barzel*, hoc
צאן ברזל eſt pecus ferreum, ſiue peculium appellantur: Quæ autem à viro ſponſalium ritu atque
קדושים iure accepta in vxoris poteſtatem tranſeunt, ea proprio nomine ſanctitates, ſiue ſancta di-
cuntur; quòd eiuſmodi earum rerum interuentu vxor viro ſanctificata, in coniugij officium
atque obſequium cedat, tanquam iis donis empta illi & proprij iuris effecta fuerit. Igitur
Iuſtitia, & Sanctitas, ſiue Iudicium, Miſericordia & Miſerationes, non tam à ſponſa Ec-
cleſia allata ad hoc ſacrum coniugium, quàm accepta fore, ſacra acta definiunt. Eſt enim
altera iuſtitiæ ratio, qua homines iuſti; altera qua propriè iuſtificati dicuntur: ſic etiam de
iudicio, ſic de miſericordia, & miſerationibus eſt ſentiendum; de quibus aliàs nos plura, &
exactius. *Deſponſabo te mihi in fide,*]quam promiſſis meis habueris; efficiâque, vt fides illa maxi-
mè in te adaugeatur. *& ſcies quòd ego Dominus*, vel vt Hebraicè & Græcè legitur, *& ſcies Dominum:*
Ierem. 31. idem autem hoc cum illo eſt: Quia omnes agnoſcent me à minimo eorum vſque ad ma-
ximum eorum.

Et erit in die illa, exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cælos, & illi exaudient terram, &
terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum, & hæc exaudient Iezrahel.

SI à ſuſceptæ breuitatis compendiis digredi animus eſſet; latiſſimus ſe nobis campus ape-
riebat ad diſputandum de natura rerum, deque iis quæ fiunt in ſublimi, atque de ha-
rum omnium gubernatrice prouidentia: quibus de rebus non minus iucundè ac ſuauiter,
quàm verè ex diuinis arcaniſque libris philoſophari poſſemus. Sed dabit Deus & his quo-
que commoditatem & tempus. Nunc verò quàm eleganter, quàm poëticè res deſcribatur;
& ſi non perſequi, indicare tamen commodiſſimum erit, ac mihi quidem natura ad poëti-
cam facultatem comparato, & in antiquorum poëtarum libris non parum à puero olim
verſato, (abſit à confitente arrogantiæ ſuſpicio) cætera omnia, quæcunque Græcis & Lati-
nis auctoribus extant poëmata, omnem cum ſacris ſcriptis cōparationem omnino formi-
dare, & tanquā ſidera reliquā ſolis aduētu & luce obſcurari viſa ſunt. Nā quid tā elegans in
hanc quæ nobis ante oculos poſita ſententia eſt, afferri poſſit, quàm eſt illud apud Maronē;

Georg. 1. *Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther*
Coniugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore fœtus:

Sed nihil hæc ad noſtri vatis dignitatem, atque elegantiam; maximè ſi Hebraicè ſuis nū-
meris, & pedibus quibus conſtat, accommodetur ſententia. [*Exaudiam exaudiam cælos, & illi*
exaudient terram. &c.] Siue vt Hebraicè legitur, *Reſpondebo cælis, & illi reſpondebunt terræ.* Omnia
igitur

igitur ad diuinam ſpectare prouidentiam, hoc loco, & multis aliis docemur: neq́ue quicquam in rerum natura eſſe, quod non egeat diuino conſilio & nutu. Neque verò de peccatis nobis ſermo eſt, quæ vt huiuſcemodi ſunt, non in rerum natura numerari, ſed contra rerum naturam exiſtimari debent. cætera autem omnia & ſi maximè officium ſuum & munus pręſtare inſito appetitu cupiant: nihil tamen quicquam ſine diuino à quo pendent nutu, efficere poſſunt. Orant quidem illa omnia Deum vocibus & precibus propriis, quamuis eorum linguæ minus à nobis intelligantur: orant, inquam, vt hominibus (in quorum vſum facta productaque ſunt) officio & vtilitate prodeſſe, à Deo ſinantur. Sed peruidet tamen Deus quid opus ſit, quid maximè humanis rebus conueniat: atque ita naturas rerum nutu & voluntate ſua temperat, vt pro ſui conſilij ratione, non pro rerum ipſarum appetitu & viribus gerantur. Homines igitur annonam & frumenta, aliaq́ue telluris munera expectant: at illa deſiderant temperiem & fœcunditatem: tellus verò ipſa cæleſtem viciſſitudinem & temporum opportunitatem requirit: cælum denique diuino conſilio paret. Itaque vbi luxu & nimia proſperitate homines ab officio ad libidinē declinant, ſubductione opus eſt. tunc verò natura ceſſat & fructus quàm tenuiſſimos proferre aut omnino negare iubetur. Rurſus verò vbi homines pietatis & liberalitatis diuinæ non indigni fiunt, proſpera omnia ac feliciſſima in humanos vſus Dei conſilio atq. auſpicio redduntur, ſicut ſcriptum
eſt: Poſuit flumina in deſertum, exitus aquarum in ſitim: Terram fructiferam in ſalſugi- Pſalm. 104.
nem à malitia inhabitantium in ea. Et rurſus: Poſuit deſertum in ſtagna aquarum, & ter- "
ram ſine aqua in exitus aquarum, & collocauit illic eſurientes, & conſtituerunt ciuitatem "
habitationis, & ſeminauerunt agros, & plantauerunt vineas, & fecerunt fructum natiuita- "
tis. Vt verò in ſuperioribus triticum, oleum, vinum, & cæteras humanæ vitæ commoditates, quæ aſtrorum virtutibus & numinibus falsò tribuebantur, ad ſe reuocatum iri comminatus eſt; ſic iam modò rebus & moribus hominum in melius mutatis, & diuini ſpiritus dono compoſitis abundè omnia in melius ceſſura, cælum, terram, fructus & annonam votis reſponſura promittit. Illud autem maximè in mentem venire, & ſæpius cogitatione repeti oportuerit; cùm de huiuſmodi felicitatibus à vatibus ſermo fit, non tam ad terrena, & corruptibilia reſpiciendum eſſe, quàm ad cæleſtia & incorruptibilia, quibus humanus animus ornatur, augetur, atque beatus efficitur. nam vt pictores, quas pulcherrimas eſſe volunt rerum aut hominum vel diuorum effigies; antequam ſuis coloribus ad viuum effingant, & ſplendoribus ornent; certis lineis, creta aut carbone deſcribunt; neque tamen eas lineas perpetuò durare volunt, imò ſuperinductis coloribus penitus delent atque occultant. ſic Deus has terrenas, quas ſcripturæ vocant benedictiones, velut vmbras quaſdam, & primas lineas eſſe voluit earum rerum atque diuitiarum, quæ in futura tempora producendis ad perſectionem hominibus parabuntur. In qua allegoria cælum diuinum auxilium & gratiam; terra verò humanam naturam; fructus autem hominum officia, actiones & opera ſi-
gnificare ſolent. Atque hæc res elegantiſſimè Pſalmis decantata explicatáque eſt: vt, Bene- Pſal. 84.
dixiſti Domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob; remiſiſti iniquitatem plebis tuę, "
operuiſti omnia peccata eorum. & cùm hanc rationem perſecutus fuerit vates, ſubiungit: "
Veritas de terra orta eſt, & Iuſtitia de cælo proſpexit. Etenim Dominus dabit benignita- "
tem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Hanc rerum viciſſitudinem hoc in loco Deus per
vatem promittit, quam ſæpe aliàs ſub hac dicendi figura delineauerat: vt apud Ezechielem Ezech. 36.
Deus, Vaticinare, inquit, ſuper humum Iſraël: Et dices montibus & collibus, iugis & valli- "
bus: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego in zelo meo, & in furore meo locutus ſum, eò quòd "
confuſionem gentium ſuſtineretis, idcirco leuaui manum meam, vt gentes quæ in circuitu "
veſtro ſunt, ipſæ confuſionem ſuam portent: Vos autem montes Iſraël ramos veſtros ger- "
minetis, & fructum veſtrum afferatis populo meo Iſraël. Atque adeò hanc felicitatem cæleſtem cum omnium promiſſionum ſucceſſu eueniſſe iis, quos ſibi in filios adoptauit Deus, teſtatur Apoſtolus: Benedictus Deus qui benedixit nos in omni benedictione, non car-
nali, ſed ſpirituali in cæleſtibus. Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſe- Epheſ. 1.
mus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate. [*Et exaudiam, dicit Dominus, exaudiam.*] "
Pulchra repetitio vnius verbi ad rem aſſeuerandam frequens eſt, Amen Amen dico vobis: " Ouid. Meta-
& apud alios auctores: *Neſcis temeraria, neſcis Quem fugias.* Quamuis Chaldæus paraphra- morph. lib.
ſtes prius verbum ad homines referat ſic, *Et reſpondebo precibus veſtris*, &c.

[*Et hæc exaudient Iezrahel.*] Omnia pro votis populi Dei euentura omnia in melius conuertenda atque verborum etiam ipſorum ſignificationes & rationes commutandæ promittuntur: ita vt nihil triſte, nihil non felix fauſtumq́ue eueniat iis, qui in diuinam gratiam, in filiorum libertatem reconciliati fuerint. Vtitur autem Deus pulcherrima permutatione, quæ plurimum ad ſententias atque ad orationes exornandas valet. Ea eſt cum aut

hiſſent, vanis opinionibus decepti, atque per iſtarum rerum antiſtites deluſi, maximum numen ad frugum & rerum omnium copiam gignendam, Soli atque Lunæ, & aſtris, cæteriſque naturis tribuerunt; quippe ea aſtra rebus omnibus, etiam metallis & mineralibus, quæ inter terræ viſcera gignuntur, præeſſe omnino putantur. Quæ res quanquam ita ſe habere aliàs poſſet, vt ex cæli aſtrorumque momentis, rerum ortus atque interitus, in his quæ ſub cælo ſunt, efficerentur; nullo tamen numine, nullis diuinis honoribus ea colenda eſſe cenſeri oportuit, quæ non ſponte ſua, ſed conſilij imperiique diuini efficientia, quidquid ab ipſis præſtatur, efficiunt. Si enim in teſtamento Dei fideles haberentur, agnouiſſent ſanè
Gen. 1. „ quod ſcriptum eſt, verum eſſe: Et fecit Dominus luminaria magna, vt præeſſent diei & no-
„ cti, & vt eſſent in ſigna & tempora & momenta, & ſtellas etiã in eiuſmodi miniſteria comparauit. Quoniam & ſi maximè in annorum atque temporum ratione aſtrorum natura aliquid poſſet; non tamen tam exundantem, tam aſſiduam, & continuato ſucceſſu felicem rerum copiam, quanta Hebræis contingebat, ex cæli aſtrorumque virtute, ſed ex diuina potius prouidentia prouenire credi par fuerat. Nam in cæleſtibus vt motuum, & conuentionum atque concurſionum, ita temporum & prouentuum varietas eſt; neque ab iis luminibus ſua mutari poteſt ratio, vt aliter atque aliter pro diuerſo concurſionum genere in iis
Pſalm. 95. „ quæ infernè ſunt, efficiatur; ſicut ſcriptum eſt: Ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mãdauit, & crea-
„ ta ſunt; ſtatuit ea in æternum, & in ſeculum ſeculi; præceptum poſuit, & non præteribit. Ergo quòd perpetuò frumenti atque aliarum rerum, quibus mortalis hæc vita carere non debet, ſucceſſu fruerentur, non cælo, non cæleſtibus aſtris, non vanis numinibus, ſed vero antiquoq; Domino, à quo hæc promiſſa fuerant, accepta referri oportuit, & hoc beneficiũ oblatis decimis, primitiis, primogenitis, atque hoſtiis frequentatis, (vt in ipſis fœderis tabulis vtrimque pactum conuentumque fuerat) profiteri: at verò illi contra ius, contraque fas per ſummum ſcelus, quibus diuitiis opibusque ex Dei benignitate florebant, in ſuperſtitione
בעל ſtudioſiſſimè exercenda ſunt abuſi. hoc nimirum eſt, quod dicit, *Et argentum & aurum multiplicaui, quod fecerunt Baal.*] Baal nomen eſt genericum, non vnum aliquem certum Deum, vt Apollinem, aut Liberum, aut Mercurium ſignificans; ſed eam in vniuerſum notionẽ comprehendit, quæ diuinæ naturæ conuenit; ſiue illa natura vnica ſit, vt verè eſt, ſiue in plures partes (vt antiqua putauit vanitas) diffuſa ſit: Significat enim imperium, dominationemque, & nutum illum, quo ea quæ infra ſe poſita ſunt, gubernantur, & aguntur; nam nomen Baghal à verbo Baghal, deducitur, quod Præeſſe, dominari, atque ſubigere Latinè reddi poteſt. Hanc eandem rationem Latinus ſermo explicare conatus, cõmune diis vocabulum Numen, fecit à verbo Nuo, ſiue à nutu deriuatum, quòd Deorum nutu atque vultu, cuncta regi atque agi putarent, vt apud Poëtam eſt:

Virg. Æn. 1.
Olli ſubridens diuûm pater atque hominum Rex,
Vultu quo cælum tempeſtateſq; ſerenat.

Itaque Baal ſiue numen, ſiue Dominum vertamus, rem ipſam etſi non aſſequuti fuerimus ob Hebraicorum verborum maieſtatem, tamen fortaſſe propriùs conſequemur. Porrò deorum ſimulachra, ex quàm pretioſiſſima atque diutiſſimè duratura materia facere ſumma apud gentes religio fuit; ſanctiſſima autem atque auguſtiſſima argentea aureaque putabantur.

Virg. Eclo. 7.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus, at tu
Si fœtura gregem ſuppleuerit, aureus eſto.

Igitur in his inſaniis aurum atque argentum, quorum parciſſimi eſſe ſolent homines, profuſius illi conſumebant, ſicut ſcri-
Ierem. 10. „ ptum eſt: Argento & auro decorauit illud, clauis & malleis compegit, vt non diſſoluatur.
„ Itaque hoc in loco copiarum atque diuitiarum abuſus damnatur: cuiuſmodi damnatione vtinam nos Chriſtiani immunes eſſemus, vt bonarum rerum vſum non ad libidines, non ad ambitionem, non denique ad prauiſſima & corruptiſſima, ſed ad rectiſſima quæque ha-
Euſ. Emiſſ. de Epiph. Domini, Homil. 4. beremus, ſed vt Euſebius ait: Rebus quæ bonæ factæ ſunt, malus malè vtitur.

Idcirco conuertar, & ſumam frumentum meum in tempore ſuo, & vinum meum in tempore ſuo; & liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius.

CVM in omnibus quæ circa homines geruntur, diuinæ veſtigia appareant prouidentiæ, tum maximè in iis quæ aduerſa videntur, elucent, quãquam aliquibus tunc latere exiſtimentur. Nouit namque Deus quale hominum ingenium ſit, & quàm facilè ſecundo rerum ſucceſſu, ad inſaniam atque ad ſcelera adigatur. Ex quo fit, vt cùm illi cõſultiſſimum eſſe velit Deus, vitiorum fomenta ſubducat; charior enim eſt Deo homo, quàm ſibi.

——— Nos animorum Impulſu, & cæca magnaq; cupidine ducti,
Diuitias petimus, rerum quoque plurima; at ille
Notum quis rerum ſecundus, qualis & vſus.

Cùm

Cùm ergo rerum copia,ad ingratitudinem atque adeò ad impietatem adacti ſunt homi-
nes,ita vt aliis potius,quam Deo bonorum omnium auctori,ſi quid illis boni contigerit,ac-
ceptum referant,maximæ prouidentiæ conſilium eſt,vt earum rerum inopia & ſubtractio- Aphor.lib.1
ne ad ſanitatem reuocentur,atque(vt in medicorum præceptis eſt,)abundantiæ malum de-
fectus curet.Quamobrem Deus ita hoc loco populum inſania liberandum prædicit, nimi-
rum annona illis & cæterarum rerum copia negata,vt cùm maximè ſe cæli atque aſtrorum
beneficio,rebus omnibus affluentes fore ſperarent,tum maximè vanas ſuas ſpes atque opi-
niones experirentur: & tandem (quod ſuo bono noluerunt) ſuo edocti malo, verum om-
nium bonorum auctorem ſolum Deum agnoſcant: Qui producit ventos de theſauris ſuis, « Pſal.134.
qui parat terræ pluuiam,qui dat iumentis eſcam illorum, & pullis coruorum inuocantibus «
eum: & hunc agnitum cæteris damnatis vanitatibus ament, colant, ſolumque venerentur,
tur,& adorent. Idcirco inquit Deus, quia hæc gens ſtultiſſima magni intereſſe putauit, ſi
mecum etiam cæli aſtra, atque alia falsò dicta numina componeret & coleret, neque mihi
ſoli diuinos honores tribuendos eſſe cenſuit; ſed & virum antiquum & amatores retinen-
dos curauit,vt ego mihi honorem laudemque meam iure meo vendicem: curabo, vt cùm
maximè illis omnia tempora fauere, aſtra omnia conducere, omnia denique commoda
congruere videantur, & rerum omnium abundantia pleno cornu promitti, tum maximè
omnia hæc vana mendacia atque totius efficientiæ expertia euadant; hoc eſt, ſumere fru-
mentum & vinum in tempore ſuo;ſiue vt Hebraicè legitur, in opportunitate atq. maturi-
tate ſua:id eſt,cùm aptiſſimus ſeſe illis annus oſtenderit atque præbuerit. [*Conuertar.*] Pro-
miſerat Deus ſe ſingulari & benigniſſima prouidentia genti huic conſulturum, vt quam-
uis cæteris gentibus cæli atque aſtrorum & temporum conſtitutio annonam negarent;illis
tamen nihil eſſet metuendum, quos non niſi ex ſola diuina prouidentia pendere oporte- « Ierem.10.
bat,ſicut ſcriptum eſt: Audite verbum quod locutus eſt Dominus ſuper vos domus Iſraël, «
iuxta vias gentium nolite diſcere,& à ſignis cæli nolite metuere, quæ timent gentes: quia «
leges populorum vanæ ſunt.Igitur cùm Deus etiam inuitis & negantibus ſignis omnibus,
huic populo omnia quæ ad vitam neceſſaria eſſe putantur, ſuppeditaret:id non ſine mira-
culo fieri manifeſtum erat, vt hac ratione Deus bonorum omnium auctor probaretur: id
cùm apud iſtos ob ſtultitiam parum valuerit,alio miraculo huic oppoſito ſe vſurum prædi-
cit; nimirum quòd omnibus aſtris, ſignis omnibus & temporibus plenam concedentibus
copiam, ſolus tamen Deus illis inopiam moliatur ſummam; vt quod probari illis proſpe-
ritate non potuit, miſeria rurſus atque indigentia ſentiatur. Conuertar igitur ab inſtituta
ratione,ad eam quæ huic oppoſita eſt;nam antea negantibus aſtris ego illis omnia dona-
bam, nunc omnibus læta omnia promittentibus temporibus atque ſignis, ego tamen ne-
gabo. [*Linum meum & lanam meam, frumentum meum, & vinum meum.*] Quid enim habuêre,
quod non acceperant;quod ſi acceperant,quare gloriabantur quaſi non accepiſſent aut aliis
potius; quàm mihi accepta hæc referebant? Intelligent itaque meum fuiſſe, cùm non ab
alio accipere quàm à me poſſint, & intelligent quos in vſus ea conuerti oportuit quæ à me
accepiſſent;an in honeſtam vitæ ſuæ traductionem, in cultum honoremque meum, an in
turpiſſimos Deorum amores exercendos, atque in vitæ luxus, & ſuperſtitionis libidinem,
cùm res omnes non ad vtentium libidines,ſed ad Domini voluntatem atque conſilium re-
ferri debeant. [*Liberabo.*] auferam: hoc verbo ſacræ literæ vtuntur, cùm quid ab aliquo
tanquam ab iniuſto poſſeſſore poſtliminio reuocatur; id quod iam in iis quorum poſſeſſio
aut vſus iniuria non vacat,plerumque accidere ſolet. Sic Iacob ad vxores: Sed & Deus ab- « Gen.c.31.
ſtulit ſubſtantiam patris veſtri,& dedit mihi.& ille rurſus: Sed & Deus tulit opes patris no- «
ſtri:& eas tradidit nobis,ac filiis noſtris. vtrobique id verbum Hebraicè legimus, quod hoc
in loco,*liberare*,Interpres vertit:detinentur enim res huiuſmodi dominis, velut inuitæ, & ad
dignos transferri ſeſe optant, vt ſcriptum eſt: Quia lapis de pariete clamabit, & lignũ quod « Hab.c.2.
inter iuncturas ædificiorum eſt,reſpondebit.

Et nunc reuelabo ſtultitiam eius in oculis amatorum eius, & vir non eruet eam de manu mea: Et ceſſare faciam omne gaudium eius,ſollemnitatem eius,neomeniam eius,Sabbathum, & omnia feſta tempora eius.

CVM illis omnem calamitatem & futurum annonæ pecorum & cæterarum rerum defectum prædixerit;atque his modis ſuam in illos indignationem teſtatam fore oſtenderit,quid ex his conſequuturum ſit,continuo ſubiungit,nimirum ineuitabile dedecus atque ignominiam,& totius lætitiæ antiquæ ingens deſiderium. Meritò enim quis carere cogitur rebus iis,quas à legitimo vſu ad ſummum nefas prauè tranſtulerat. Hoc autem à Deo per tranſlationẽ dicitur.Etenim ſi quis maritus ſiue vir alius mulierem menſtrui ſanguinis fœditate laborantem,nudo corpore conſpiciendam exponat; id efficiet, vt cùm à cæteris,

Conſentaneum fuit, vt harum etiam rerum abdicatione ſuæ tantæ ſtultitiæ, imò potius impietatis pœnas luerent, & quàm falſa de iis rebus, deque numinum natura opinati eſſent, ſuo tandem malo diſcerenr. [*Et corrumpam, inquit, vineam & ficulneam eius:*] quæ ſibi non à Deo ſuo, ſed à numinibus illis ob illorum cutatas religiones donata eſſe, atque conſeruata prædicabat; neque fidelis in viri ſui fœdere fuerat, à quo hæc etiam doris & ſponſaliorum nomine acceperat, quæ ſummis laudibus ob eam etiam rem proſequi par fuerat. Namque in eiuſdem fœderis tabulis ſcriptũ erat: "Dominus enim tuus introducet te in terrã bonam, terram riuorum, aquarumque & fontium, in cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyſſi, terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus & malogranata & olíueta naſcuntur; terram olei ac mellis, vbi abſque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris, cuius lapides ferrum ſunt, & de montibus eius æris metalla fodiuntur. Vt cùm comederis & ſatiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo, pro terra optima quam dedit tibi. Deut. 8. Sed tamen hæc omnia beneficia, gens illa peruersè omnino interpretabatur, cùm huiuſmodi dona mercedem ſuã meretricis more diceret, quam ob turpem vſum ab amatoribus accepiſſet: Itaq. ſibi primam cauſſam quare acceperit, tribuebat; nempè numinum cultum & religionẽ, deinde verò ſibi ea iure vendicari aſſerebat, quæ non gratis, ſed meretriciæ mercedis nomine data eſſe aiebat. Vt enim meretricis quæſtus quamuis turpis, proprius tamen eſſe cenſetur, neque tam donum, quàm merces dici conſueuit; ita hæc non donorum, ſed propria opera, imò propria nequitia compararæ mercedis titulo, ea omnia ſibi attribuenda eſſe prædicabat: Qua in re quanta peruerſitas, quantum flagitium admitteretur, manifeſtum eſt, cùm non ſua opera, ſed Dei beneficio, huiuſmodi dona ſibi acceſſiſſe in fœderis tabulis ſcriptum ſignatumque cognoſcere oportuiſſet. Illud autem interim obſeruatione dignum eſt; in ſacris libris vuarum & ficuum nominibus, fructus omnes alios, & poma præter frumentũ, vinum, atque oleum contineri: Idque adeò fit, ob præſtantiam qua cætera poma ab iis fructibus ſuperantur: Nam ficus & vuæ quemadmodum inter fructus autumnales principatum obtinent, ita fugacibus omnibus magis nutriunt, miuimumq. praui ſucci (vt à medicis traditur) habent; ita vt vtroq. hoc genere, tutius quàm aliis omnibus ſatiari poſſis. Galen. de facultatib. aliment. lib. 2. Quamobrẽ cùm de fructibus agitur tam autumnalibus quàm fugacibus, hoc vtrumque genus in ſacris commemoratur libris, quibus interdum mala punica, & palmæ adduntur; quæ etiã naturæ & ſucci qualitate his proximè accedere videntur. vnde & Galeno de ficubus diſputãti frequens carycarũ ſiue caryotarum mentio iniecta eſt. Commodiſſimè autem terræ vaſtationẽ & gentis etiam abductionem vinetis & ficubus corrumpendis ſignificauit: namque vbi hæc perduntur, ſiue ab hoſte, ſiue ab aliqua alia cauſſa, pronum eſt, vt ſolum ab incolis vertatur. nunquam enim huiuſmodi populatur hoſtis, niſi cùm extremum omnino vrbibus ac gentibus excidiũ animo meditatur; quod ſi agris, vineis, atque arboribus parcit, non pernicioſiſſimum bellũ ab eo parari, ſed imperium propagandum curari interpretari poſſis. ſic ille apud Iſaiam dux cum populo agebat. "Hæc dicit rex Aſſyriorum: Facite mecum benedictionem, & egredimini ad me, & comedite vnuſquiſque vineam ſuam, & vnuſquiſque ficum ſuam, & bibite vnuſquiſque aquam ciſternæ ſuæ. Iſa. 36. His autẽ omnibus carituros diuini iudicij ſententia, & hoſtium opera nunc prædicitur; ita vt quæ illis chariſſima atque cultiſſima fuerant, in ſaltus & ſiluas redigantur: nam cultoribus abductis ſilueſcere etiam cultiſſima quæque videmus: ſi quis autẽ fructus naſcatur, is degener atque ruſticus redditur, & feris in vſum cedit. Quàm verò certum hoc vaticinium fuerit, ipſe ad hæc vſque tempora declarat euentus: Namque Iſraëlitica regio, quæ feraciſſima ac maximè felix diuino beneficio fuerat, dum populi ſacra religio, dum regna manerent, nunc ſterilis admodum atque effœta, fructus fert infelices; & quod Iudæis eſt inuidioſiſſimum, barbaris gentibus edendos: vt illud aptiſſimè lamentari poſſint;

——En quò diſcordia ciues
Perduxit miſeros, en quis conſeuimus agros?
Conſere nunc ô Iudæe *pyros, pone ordine vites.*

[*Beſtiæ agri.*] Et de vineis ipſis, & feris, & de terræ atque populi per hoſtes vaſtatione, ſine vllo ſententiæ diſpendio pariter interpretari poſſumus. nam cùm verborum ſententia, ita tranſlationi quadrat, vt nihilominus integra ſimplexque præter tranſlationẽ conſtare poſſet, ad vtrumque referri, atque literalem, vt appellant, ſenſum, vtrimque aptari poteſt; vtrique enim rationi ſententia conſentire re ipſa & euentu intelligitur: Vt in agno Paſchali verum fuit nullum os rumpi; idem etiam verum in ſacro agno pro totius orbis ſceleribus expiãdis immolato fuiſſe planum eſt: ita verũ fuit vineta cum ficetis hortorumque omni pulchritudine fuiſſe Iudæis per hoſtem vaſtata, in ſaltumque redacta & ferarum etiam expoſita pabulis, & gentem ipſam eiusque regionem hoſtiũ vaſtationi ceſſiſſe:

gentem autem vineæ nomine ſignificari, & hoſtem feræ ſimilitudine deſcribi, non vno in
Pſalm.79. „ loco legimus: vt, Exterminauit eam aper de ſilua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Deus
„ virtutum conuertere, reſpice de cælo, & vide, & viſita vineam iſtam.

Et viſitabo ſuper eam dies Baalim, quibus accendebat incenſum, & ornabatur in aure ſua, & monili ſuo, & ibat poſt amatores ſuos, & mei obliuiſcebatur, dicit Dominus.

IN EA calamitate atque pœna, quam populus ob flagitia ſubiturus ſemel eſſet, eos hæſituros prædicit, quantum diuturna inſania, qua colendis ſimulachris flagrauerant, exigere „ videatur: Conſtat autem illos per omnia Iudicum tempora, & per Regum Iſraëlitarum at„ que etiam Iudæorum ætates ad vſque Babylonicæ abductionis annos hanc culpam ſuſtinuiſſe; eorum autem poſteros, hoc eſt, qui reſtituti fani temporibus vixêre, variis atque innumeris flagitiis fuiſſe nobilitatos: quorum vnum illud omnium maximum fuit, quòd ad omnium vatum à ſe ſuiſque maioribus occiſorum ſanguinem, etiam veri illorum ipſorum Regis & Domini Chriſti necem addiderunt, & paternam menſuram tanto admiſſo in ſe crimine compleuerunt; quibus ex rebus omnibus effectum eſt, vt à Romanis victi atque abducti diuturnis cooperiantur miſeriis, quas expuere illis omnino integrum non ſit, & ve-
Leuit.26. „ riſſimum illud ſibi a Deo prædictum, agnoſcant. Quod ſi de illis aliqui remanſerint, tabe-
„ ſcent in iniquitatibus ſuis in terra inimicorum ſuorum, & propter peccata patrum ſuorum
„ & ſua affligentur, donec confiteantur iniquitates ſuas, & maiorum ſuorum recordentur,
„ quibus præuaricati ſunt in me, & ambulauerunt ex aduerſo mihi. Accendere autem incenſum, pro omni colendi & ſacrificandi opere dictum eſt. namque vnum ex iis negotiis, quæ cultus cauſſa aduerſus Deum à mortalibus ſuſcipiuntur, eſt thuris & odoriferarum reſinarum ſuffitus: hæc enim ſacris aris cremantur. Speciem ergo pro toto ſacrorū genere poſuit, quod & aliarū etiam linguarum auctoribus familiariſſimum eſt. Quoniam autem vt Deorum ſibi amorē & voluntatem conciliaret, omnibus vtebatur ornamentis, & tum maximè, cùm eorum numinū quæ ab eo colebantur, feſti concelebrarentur dies (omni namq. pompa omniq. apparatu, diis colendis vacabat) propterea variis is populus miſeris affligendus eſſe diuino prædicitur oraculo, vt quantum quamdiuq. veri Dei ſui oblitus vanis cultibus multo cum molimine & veſtiū aliarumq. rerum pretioſiſſimarum apparatu operam dederit, tamdiu tātumq. eo habitu eoq. viuēdi genere vſurus ſit, quæ captiuæ & miſerrimæ genti conueniant, vt iuſta rerū viciſſitudine correcta atq. edocta gens iſta quantū Deum qualemque ſibi maritum neglexerit ſuo malo perſentiſcat. Perſtat autē diuina oratio in adulteræ feminæ allegoria; huiuſmodi enim mulieres, quidquid ornatus moniliū & deliciarum comparate ſibi potuêre, id omne in alliciendorum amatorum cura atque ſtudio conſumunt:

Iuuen.ſat.6. *Mœchis foliata parantur;*
Emitur his quidquid graciles hinc mittitis Indi.

Propter hoc, ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.

HABENT diuinæ cōminationes ſuam cataſtrophen, quam inexhauſta Dei miſericordia ſæpiſſimè profert; neque vnquam tam iratus eſt Dominus in populum ſuum, quin
Habac.3. natiuæ interim miſericordiæ (vt Propheta cecinit) recordetur: Etenim promptior & pronior multò ad hanc rem, quàm ad vltionē, quamq. ad ſumendas pœnas natura ſua eſt. Qui ſupplicia publicè decernere in populos ſolet, non tam vt eos perdat, quàm vt eorū tandem miſereatur: interim verò iuſtitiæ diuinæ ſatisfiat; idq. efficiatur, vt qui ſecundis rebus abuſi vſq. ad impietatē inſanierint, aduerſis correpti ad ſanitatē reuocentur, ac demum proſpe-
Ierem.2. „ rioribus atq. magis ſecundis diuino beneficio tandē perfruantur, ſicut ſcriptum eſt: Arguet
„ te malitia tua, & auerſio tua increpabit te: Scito & vide quia malum & amarū eſt reliquiſſe
„ tē Dominum Deū tuum, & non eſſe timorem mei apud te, dicit Dominus exercituum. Et
Ierem.29. „ iterum: Ecce ego cogito cogitationes pacis, quas ego cogito ſuper vos, cogitationes pacis, &
„ non afflictionis, vt dem vobis malorum finē & patientiam: Ergo poſt triſtem illam, ſed iu-
„ ſtam tamen pœnarum & captiuitatis multiplicisq. miſeriæ prædictionem, quam Deus populo Iudaico exponendam Prophetæ mandauit, lætiſſimū ex miſericordia ſua exitū curauit etiam promittendū: Nempè futurum tandem eſſe, vt Iudæus, imò totus Iſraëliticus populus antiquæ ſynagogæ filius ad Deum ſuum conuerſus, maxima atq. pretioſiſſima dona quorum cauſa electus olim fuerat, diuina ex liberalitate accipiat; hoc eſt, ſpirituali illa atq. cæleſti benedictione, & æterni conſortio regni, cum maximo atq. admirando potius quàm explicando bonorum cumulo, quæ Deus iis qui ſe diligunt parauerat, fruatur. [*Propter hoc*] quia ita inſaniæ morbo victa eſt, vt non alia ratione quàm pœnarū reuocari poſſit, ego tantum his

tum his pœnis efficiam,vt eam tandem mentis ſuæ, hoc eſt bonæ cõpotem eſſe, atq. ab ea
quam nunc ſibi per errorem finxerit,deſiſtere faciam:hoc enim lactare eſt, quauis ratione
quocunq.id modo fieri poſſit,aliquem,vt ſententiam mutet, pellicere, ſiue ex bona in ma-
lam,ſiue ex mala in bonã ea fiat commutatio. Cùm autem mala omnino ſententia in huius
gentis animis inſederit, vt à Deo ad vanitatẽ, ad ſuperſtitionemq́.conuerſi viuant,lactatu-
rum ſe eos prædicit Deus,& ad pœnitentiam reuocaturum, vt Euangelij lætiſſimo accepto
nuntio,ad antiquum dignitatis locum multò etiam felicius reſtituãtur, quantum videlicet
cæleſtibus bonis,quibus augendi ornandiq́.ſunt,terrena, quibus olim aucti fuerant,cedere
natura ſua ſolent. [*Et ducam eam in ſolitudinem.*] Vt olim primis recentis adhuc Eccleſiæ tem-
poribus Iudæi in primis & Græci omnes,quotquot Euangelio credentes Spiritum ſanctum
atq.filiorum adoptionem acceperant,inter cæteros homines,tanquam inter ſilueſtres feras,
& noxia atq.malefica animantium genera vitam agebant ſimpliciſſimam,ſanctam atq.in-
nocentiſſimam (ſicut ſcriptum eſt: Vt ſitis ſine querela, & ſimplices filij Dei ſine reprehen- " Philip. 2.
ſione,in medio nationis prauæ & peruerſæ,inter quos lucetis ſicut luminaria in mũdo,ver- "
bum vitæ continentes) ſic futurum eſſe Deus reſpondet, vt cùm totus Iſraël ad pœniten- "
tiam reuocatus,reſtituendus ſit; parem porrò vitam illisq́. primis Chriſtianis ſimillimam
agat,verbum vitæ continens,cuius virtute moleſtiſſima quæque, quæ illi mundus & recto-
res tenebrarum harum offerre poſſint,conſtanter perferat;neq.vllo incommodo à propo-
ſita ſibi ſpe deiiciatur,quominus ad æternam,quò vocatur atq.ducitur,patriam victor per-
ueniat.quod autem Paulus verbum vitæ dixerat,id Deus hoc in loco ad cor loqui dixit:eſt
enim Hebraicæ linguæ tropus,vt cùm apud aliquem blandiſſimè & pro voto verba fiunt,
eiuſmodi oratio hac phraſi ſignificetur: *locutus eſt ad cor eius,* hoc eſt blandè, amicè,cõmodè
atq.ex animi ſui ſententia eum compellauit,& ſi quid mœroris aut metus inerat, id totum
leniſſima oratione prorſus ademit. Sic Iſaias: Conſolamini, conſolamini populum meum, " Iſa.40.
loquimini ad cor Ieruſalẽ. At verò ſolitudinis nomine hoc in loco non tã ſermonis ſimpli- "
citate,quàm tranſlationis figura cæterarum gentium atq.hominum frequentiam ſignifica-
ri,inter quos pij perinde viuunt,ac ſi inter feras & belluas verſarentur,ex Ezechielis ſcriptis
docemur,qui eandem ipſam rem planius,adiuncta videlicet atq.præſenti nota expoſuit:Et " Ezech. 20.
adducã vos de populis,& cõgregabo vos de terris in quibus diſperſi eſtis in manu valida,& "
in brachio extento, & in furore effuſo,regnabo ſuper vos, & adducã vos in deſertum po- "
pulorum,& iudicabor vobiſcum ibi facie ad faciem. Et quoniam in eum locũ incidimus,
qui in vatum omnium ſermone plurimus & celeberrimus eſt;operæ pretium facturi vide-
mur,ſi de eo nunc breuiter & commodè dicamus,quantum ad vatũ de ea re explicanda ar-
gumenta ſatis eſſe videatur,commodiùs & longiùs eandem rem aliàs ſi Deus annuerit tra-
ctaturi,vbi multa quæ iam parata nobis ſunt ſacrorum ſcriptorum teſtimonia producen-
tur;quibus non ſolum doceri homines veritatem poſſint,ſed ad diuinæ benignitatis admi-
rationem, ad vitæ in melius mutationem, ad maximam immortalitatis atque felici-
tatis ſpem rapi atque impelli queant. Igitur vt olim cùm humanæ reparationis ima-
go, & quædam quaſi ſpecies à Deo præberetur Iſraëlis filijs, quibus duriſſima quæ-
dam ſeruitus apud Ægyptios fuerat, præclaram & veram Dei virtute & beneficio liberta-
tem recuperauerant,& antequam promiſſam atq. paratam ſibi in patria quietem viderent,
totos quadraginta annos in ſolitudinibus verſati, diuinæ prouidentiæ ſemper addicti fue-
runt,in eademq́.ſolitudine ingentibus Dei beneficiis ad omnes caſus peruincendos vſi, cæ-
leſtibus paſti cibis vitam quandã ſupra mortalem conſuetudinẽ traduxerunt, donec opta-
tam requiem capientes omni prorſus eo labore,omni ſolicitudine, omni motu & vagatio-
ne,quibus in ſolitudine exercebantur,caruẽre:ſic & in ea liberatione, quæ Chriſto aucto-
re hominum generi futura à vatibus prædicebatur, eandem prorſus imaginẽ veritate ipſa
conſequendam eſſe,& ab antiquis expectatum fuit,& ab iis qui eius rei donum experimen-
to deguſtauerunt, fuit affirmatum: Namque hi poſtquam Chriſti opera & beneficio diui- 1.Pet.4.
num atque promiſſum ſpiritum acceperunt, ſeſe grauiſſima illa qua vitiis & peccatis ſer-
uiebant ſeruitute, à filio liberatos confeſſi ſunt,& quod reliquum vitæ in carne fuit, id to-
tum Deo dicatum fuiſſe eorum ipſorum teſtimoniis conſtat; ita vt per totã vitam nihil ab Philip.4.
eis niſi Deo gratum ageretur;nihil tã graue,nihil tam inimicũ aut infenſum eſſet,quod non Roma.8.
diuina ope peruinceretur.itaq.nulla re impediti ſunt quominus æternã illã in cęleſti patria,
qua nunc perpetuò cum Deo fruuntur, requiem caperent. Huius veritatis olim innumera
argumenta atque innumera fuerunt prolata ſigna, quæ ſi nunc rariora oſtenduntur,id non
diuinæ promiſſionis,aut veritatis infirmitate,ſed hominum vitio & culpa accidit,qui ab iis
legibus,& conditionibus quibus hæc maxima Dei dona accipiuntur abalienati ſeſe tanto
teſtimonio indignos reddiderunt. Eſt tamen abundè ſatis in diuinis libris teſtimoniorum,

 quæ petere

quæ petere omnibus licebit,quicunque diuinam veritatem non ignorare cupiunt, iiſque veriſſimis & certiſſimis ad ſuam vtilitatem velut lucerna lucente,in loco caliginoſo vti,donec dies illuceſcat,& Lucifer in illorũ cordibus oriatur. Ad hanc autem ſpem hoc in loco Iſraëlis filij à Deo vocantur,quos in gratiam tandem ſuam reſtituendos idem promittit.

Et dabo illis vinitores eius, ex eodem loco,& vallem Achor ad aperiendam ſpem,& canet ibi iuxta dies inuentutis ſuæ,& iuxta dies aſcenſionis ſuæ de terra Aegypti.

QVANQVAM vulgatam editionem, quæ communis & frequens omnibus Eccleſiæ noſtræ hominibus eſt, ſequuturos nos profitemur; tamen vt res poſtulare videbitur, exemplaria Hebraica,Chaldaica atque Græca,interdum conſulere & recitare non pigebit, ſaltem manifeſtioris explicationis cauſſa. Nobis enim dum hæc ſcribebamus, multis linguis ſacri libri conſcripti,ante oculos erant,quos omnes quoad eius fieri poterat, huic vni quam vulgatam appellamus,editioni ad explicationem ſeruire volebamus. Igitur quod hoc in verſu legimus,*Dabo illi vinitores eius,ex eodem loco*;Ex Chaldaica paraphraſi verſum videtur,in qua ſic ſcriptum:*Vaamani lahiath parnazzaha*: hoc eſt, Et parabo ei gubernatores eius:
ואמני לה ית פרנסהא
Namque Hebraica ſic habent: *Venathathi la eth cherameiha*. Græca verò huic conſonant multum:Καὶ δώσω αὐτῇ τὰ κτήματα αὐτῆς: Et dabo ei poſſeſſiones ſuas ſiue pignora ſua. Quòd
ונתתי לה את כרמיה
ſi vineç & poſſeſſiones quid hoc in loco ſignificent,aperuerimus,quid vinitorum atque gubernatorum ratio velit,fuerit etiam profectò manifeſtum:hæc enim relationem quandam inter ſe habere,ſeſeque mutuò exponere videntur,poſſeſſio,& poſſeſſor, ſiue gubernator; vinea & vinitor. Olim cùm Iſraëliticus populus Ægyptiaca ſeruitute liberatus eſt,non ſtatim in promiſſum atque deſideratum Regnum fuit admiſſus, nam quadraginta annis in Arabiæ ſolitudinibus angelum quendam,& Dei miniſtrum ſecuti ducem, vagati ſunt: interim potiundæ patriæ deſiderio & promiſſionis ſpe conſolabantur:neque per totum illud tempus promiſſam in requiem ingreſſi ſunt, ſed cùm iam & errandi & laborum ſtatutus adeſſet finis,& Iericho munitiſſima vrbe capta,primam regni poſſeſſionem, primos iam agros occupaſſent,viderunt cum maxima ſua calamitate impetus & conatus ſuos retardari, vt & parum abfuerit quin ſpe etiam poſſidendi regni deiicerentur: Namque ob ſacrilegum nefas Ghachani filij Carmi magna virorum multitudo à paucis Ghai vrbis incolis turpiſſimè fuſa & cæſa eſt,ita vt cor populi liquefieret,factumque eſſet quaſi aqua: neq. verò prius ſpem diuini verbi promiſſionibus redintegrare potuerunt, quàm ſcelus ſtatutis in auctorem eiuſque familiam dignis ſuppliciis expiatum foret:ex qua re nomen loco inditũ fuit;
Ioſue 7. nam vallis Ghacor appellari Ioſuæ iuſſu cœpta eſt. At verò in ea liberatione, quam Deus populo ſuo maximam parauit,quamque per omnes vates ſuos, atque per noſtrũ Hoſſeam prædicendam curauit,ſecus omnia ſperanda piis hominibus erant: Namque ij quibus diuini ſpiritus donum in Chriſtianæ teſtimonium veritatis contigit, primitias quaſdam & arram atque pignus æternæ hæreditatis,etiam dum hanc vitam agerent,dum mundi huius ſolitudines frequentarent,Dei beneficio acceperunt, & necdum ad cælum ſublati, tamen cum Deo,cum beatiſſimis ſpiritibus conuerſabantur, & maxima atque inenarrabili voluptate eademque diuina afficiebantur,& diuinum regnum, cuius nouiſſima abſoluta poſſeſſio in cælis futura erat,intra ſe non ſolum ſpe,ſed vſu quodam poſſidebant. Namque ſacri ſpiritus virtute quam in ſe experiebantur ſupra omnem mortalem aleam conſtituti verè Dei filij & diuinarum rerum participes effecti fuerant: cuius rei quamplurima à nobis teſtimonia citari poterant, niſi breuitatis ſtudio auocaremur. Vnum vero atque alterum
Rom.8. „ confirmationis cauſſa attuliſſe non pigebit: Quicunque, inquit, ſpiritu Dei aguntur, ij filij
„ Dei ſunt. Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore,ſed accepiſtis ſpiritum
„ adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba pater: Ipſe enim ſpiritus, teſtimonium
Ephes.1. „ reddit ſpiritui noſtro,quòd ſumus filij Dei: Si autem filij,& hæredes,hæredes quidem Dei,
„ cohæredes autem Chriſti.& alio in loco: Signati eſtis,ait, ſpiritu promiſſionis ſancto,qui eſt
Philip.3. „ pignus hæreditatis noſtræ,in redemptionem acquiſitionis in laudem gloriæ ipſius:& con-
„ uerſatio noſtra in cælis eſt. Hunc autem ſpiritum non imputatione aut vana aliqua opinione,ſed re ipſa ſanctiſſimi illi diſcipuli obtinebant. Atque ex iis, quæ dicta à nobis ſunt, illud planum atque apertum eſſe videtur,quod Deus per hunc vatem promittit. [*Et dabo ei vineas ſuas,vel poſſeſſiones ſuas,ſiue pignora ſua,ex eodem loco:*] nimirum ex deſerto ipſo gentium, in quo vitam degent antequam ad patriam perueniant; ex eo inquam loco diuinæ hæreditatis poſſeſſores erunt ſpiritu promiſſionis ſancto per Chriſtum accepto. Hebraicus co-
משם dex habet MISAM, Chaldaicus MITHAMAN, Græcus ἐκεῖθεν, quod Latinè vertere
מתמן poſſis,exinde,ſi linguæ id admittat vſus. Vineas autem dixit proprias ſe illi daturum, vt antithetou

titheton faceret eius rei quam ſuperius dixerat,& corrumpam vineam eius, & ficum eius; namque omnia in melius vertenda, & multo auctius multoq́ue auguſtius à numine vltro offerenda promittuntur. [*Et vallem Achor ad aperiendam ſpem.*] hoc eſt, vallis Ghacor deſperationis olim cauſſam Iſraëlitis penè dederat, cùm optatæ atque deſideratæ diu quietis primum limen iam tenerent: contrà verò nunc iis accidet, quos ego, inquit Deus, in requiem meam ſum vocaturus, qui non deſperationis, ſed ſpei ianuam primo ingreſſu ſibi aperiri cognoſcent, ſicut ſcriptum eſt: Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei. Et iterum: Nihil igitur damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto. Hæc ſententia Hebraicè optimè explicatur ſic: *Et vallem Achor in ianuam ſpei*, ita vt pro ea quæ illis acciderat perturbatione, quæq́ue nominis loco imponẽdi cauſſa olim fuerat; hi contrà in maximam futuræ in cælis perfectæ poſſeſſionis regni ſpem ingrediantur. [*Et canet ibi iuxta dies iuuentutis ſuæ.*] Iuuentam illius gentis vocauit ætatem, eam in qua à Deo ex duriſſima ſeruitute in libertatem reconciliata eſt, & tranſmiſſo rubri maris vado in ſponſam & coniugẽ accepta: illo namq. tempore tanto Dei beneficio deuincti filij Iſraël, vna cum Moſe duce ſuo, celeberrimum illud carmen gratiarum actionis in diuinæ miſericordiæ laudem cecinẽre: Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum & " Exod 15.
aſcenſorem proiecit in mare, fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſa- "
lutem, iſte Deus meus, & glorificabo eũ, Deus patris mei, & exaltabo eum, &c. Verè quidem "
hoc carmen ab Ægyptiaca ſeruitute liberatis, cantatum quondã fuerat; ſed veriſſimè olim à Diaboli tyrannide liberandis cantandum fore diuinus prædicit ſpiritus. Namque hi maximo illo quod experturi in ſe fuerant beneficio obſtricti totam vitam in diuinis laudibus illuſtrandis tranſacturi erant; quod profectò officium verè ab iis præſtitum fuiſſe legimus, "1. Pet. 2.
qui Chriſto auctore tanti diuini beneficij compotes facti ſunt, ſicut ſcriptũ eſt: Qui vocauit "
vos è tenebris in admirabile lumen ſuũ, vt ſimus in laudẽ gloriæ ipſius, & virtutes eius annuntietis. his itaq. illud veriſſimè cantatum eſt: Fortitudo mea, laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. cuiuſmodi carminibus meditandis atque canendis operam daturum eſſe populum à Deo liberatum, & diuino donatum beneficio prædixit Hoſſeas:

Et erit in die illa, ait Dominus: Vocabit me vir meus, & non vocabit me vltrà Baalim, & auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur vltrà nominis eorum.

EX IIS locis quæ plurima paſſim in ſacris libris occurrũt aduerſus eos qui linguarum ſtudium ſuperuacaneũ ducunt, vnus hic eſt, cuius integrã atq. germanam ſententiam cum ſuis ſalibus & tropis nemo planè callere poſſit, niſi rem ipſam ad verborum Hebraicę linguæ vim atque rationem reuocauerit; atque adeò ſi quiſpiam diuino ſpiritu illuſtrante ſacras literas doceatur, tamen huiuſmodi locorum vim, & ſignificationem non ſine linguæ, in qua ſcripta ſunt, mentione & cognitione, eodem Spiritu aperiente, percipiet. ſed hæc de linguarum neceſſitate diſputatio longior eſt, quàm vt nobis commentationi intentis pe ſſit inſtitui. Igitur in Hebraica lingua nomen *Baal* in eorum nominum genere continetur, quæ בעל
plurimis ſignificandis rebus, ſiue caſu, ſiue conſulto, ſiue ex pari, ſiue ex impari etiam ratione impoſita ſunt; cuius generis res homonymas Dialectici vocant: Nam Baal nomen à verbo *Baal* factum eſt, quod verbum præeſſe, dominari, ſubigere, & nuere etiam ſignificat: בעל
Ipſum autem nomen ad dominium, ſiue ad nutum, cui parẽre oporteat, pertinere videtur; quamobrem & ad vxoris maritum, & ſeruorum, vel gentis dominum, aut cuiuſcunque rei naturam accommodatur, ea ratione, qua homines atque alia regit, ſibiq́ue ſubiicit: cui ſignificationi Latinum Numen reſpondere iam docuimus. Cum verò nullũ nec Latinum nec Græcum compertum hactenus nobis nomen ſit, quod huic ad amuſſim reſpondeat; commodum fuerit, vt quacunque lingua id petere liceat, in huiuſmodi vocibus explicandis petamus. Eſt autem in lingua Hiſpanica nomen *Amo*, quod cum *Baghal* ſi non omnino quadrat, plurimum tamen conuenire videtur. Namque hoc nomen perſæpe in rerum & perſonarum dominiis vſurpatur. Præterea vxores etiam maritos hoc nomine dicunt; ita nomen *Amo* ad dominum, ad maritum, atque ad numen non inconcinnè accommodatur: Itaque *Baghal* dominum, maritum, atque numen ſignificat. Eſt & aliud apud Hebræos nomen ISS, quod Latinè virum interpretamur. Id verò non ſolùm hominem ea ratione איש
qua mas eſt, & à femina diſtinctus, ſed etiam qua animi virtutibus excellit: præterea qua feminæ alicuius maritus eſt, ſignificat; quibus notionibus & viri nomen apud Latinos ſeruire ſolet; Virum enim hominem maſculum vocamus, & eum qui aliqua animi virtute vtitur. ex qua re illud frequens eſt, vt virum bonum quempiam appellemus; atque etiam qui mariti officio apud feminas funguntur, earum dicuntur eſſe viri. Vt, Vir gregis ipſe Virgil. Eclo.
caper deerrauerat. Illud etiam non parum ad huius loci explicationem contulerit, quod 7.

de bonum

de horum nominum Etymologia indicauimus: *Baghal* à verbo deduci, quod imperium quoddam & dominium ſignificet,& metus neſcio quid adferat; quemadmodum dominus apud Latinos odioſum nomen erat, & iis ſeruitutem quandam denunciabat, quibus aliquis dominus eſſet: quod quidam ex antiquis poëtis eleganter ſignificauit:

Tibull. lib. 2. Eleg. 4. *Sic mihi ſeruitium video, dominamq; paratam,*
Iam mihi libertas illa paterna vale.

Quamobrem Auguſtus dominum ſe vocari vetuit; quòd leuius ſuum imperium dominio eſſe voluerit. Alterum verò nomen Is s, quod Latinè Vir vertitur, nihil omnino odij, ſed commendationis plurimum continet:nam maſculam excellentiam in eo, de quo dicitur,oſtendit; vt Gedeon filius Ioas vir Iſraël, hoc eſt princeps, & dignitatis eximiæ homo: &,Nónne vir tu es?quis ſimilis tui in Iſraël? Habet etiam nomen Is s, aliquid grati, & iucundi,quod animos tantum conciliet,quantum contrà *Baghal* alienat. Ab hoc autem eodem themate,oculi pupilla,qua nihil toto corpore charius eſſe ſolet,Is s o n dicitur. Harum noſtrarum obſeruationum ſumma hæc eſt: *Baghal* dominum,maritum & numen ſignificat,deductum à verbo,quod dominium & imperium ſua ſignificatione complectitur: Hiſpanicè dicimus Amo. Vir maſculum & coniugem atque gratioſum ſignificat hominem. Dicit itaque Deus,tale ſe ac tam ſanctum & magnum amicitiæ & coniugij fœdus cum ſua gente initurum,vt deinceps nulla ſuſpicio cadere, nullaque offenſio atque ita irarum nihil intercedere poſſit. Nam durum illum ſpiritum,quo peruersè acta atque à viro ſuo aliena deſciſcebat, in nouum ſpiritum mutaturus, & renouaturus erat Deus, eundemque ſpiritum ita confirmaturus in eorum viſceribus,vt fidele ſemper ſanctumque ac ſtabile Dei & Eccleſiæ coniugium perſeueraret; ſicut ſcriptum eſt: Circuncidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui,vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo,& in tota anima tua,vt poſſis viuere. Atque adeò tantus huic genti erga Deum ſuum amor,tam ab omni ſeruitutis metu alienus, tamque ab omni externo ac vano cultu & ſuperſtitione abhorrens animus, vt nominibus etiam & verbis deſueſcat,quæ illorum affectuum, quibus olim malè laborabat, recordationem aliquam afferre poſſint: & iis ſolùm vtatur nominibus & verbis,quæ animi affectui,amori,fidei, reuerentiæ & pietati integræ, aptè reſpondeant: Quamobrem futurum,vt cùm de coniugij rationibus verba fiant,non nomine Baalim,ſed nomine Is s vtendum ſit. Nam cùm Baghal, vt diximus,maritum,& numen,& ſubactorem,& ſuic dominum ſignificet, nihil erit, cur vllum huius nominis vſum habere oporteat; ſed eius potius, quod cum præſentibus rebus magis conueniat,ita vt non Baghali,hoc eſt maritum meum, ſed Is s i, hoc eſt virum meum, verè præſtantiſſimum atque principem meum, & mihi chariſſimum, me deinceps appellet. Nam ſi iterum me Baghali appellaret; ſe iiſdem affectionibus teneri, neque ſui corruptorum adhuc eſſe oblitam, ſuſpicio eſſet. Vt autem ea omnia,quibus me olim & offendere, & irritare ſolebat, damnata ſibi atque antiquata eſſe oſtendat;nullam omnino mentionem,vel nominum illorum quibus olim vtebatur, facere æquum erit. Quàm autem aptè, quàm propriè coniugis affectus, hoc in loco exprimatur, qui vxorem à ſe ob adulteria abalienatam in gratiam reuocat,quis non videt? Namque huiuſmodi nullam omninò memoriam, nullam recordationem illorum amatorum quibus vſæ fuerint, ſupereſſe in illis volunt: nam ſi quæ etiam maledicendo amatoris ſui nomen aliquando proferat, ab ea amorem non penitus eſſe exutum argumento eſſe ſolet; & qui hoc non vident mariti, fatui putantur.

Catull. de Lesbiæ marito. *Mule, nihil ſentis; ſi noſtri oblita taceret,*
Sana eſſet. Hunc penitus affectum è viſceribus gentis & coniugis ſuæ euellendum curaturus erat Deus; ita vt nulla omnino recordatio; ſed neque per contumeliam reliqua illis eſſet,propterea addit,& auferam nomina Baalim de ore eius,& non recordabitur vltrà nominis eorum: Et quæ me nunc virum ſuum non putat eſſe,nec appellare vult (vt antè dixeram) me olim virum ſuum ſibi chariſſimum, qui tanta tamque præclara beneficia in eam auguſtiſſimè contulerim,ore pleno cantabit. Quòd autem nomina Baghalim dicit, id ad propria vniuſcuiuſque eorum,qui ab antiquis colebantur, Deorum nomina pertinet nam ſuum cuique nomen erat præter Baghal, quod omnibus erat commune. Hoc in loco præter ea quæ explicata à nobis ſunt, multa erant obſeruanda; quæ breuitatis gratia prætermittimus; in quibus vnum illud eſt, quòd Euangelio in gentibus propagando vanorum deorum, & mutorum ſimulachrorum cultus erat abolendus: quæ res totis antiquæ legis temporibus non contigit. Namque non ſolùm ſuperſtitio apud exteras gentes non eſt imminuta; ſed & Hebræos ipſos, quibus maximè prohibita tunc erat, peruaſit, corrupit & perdidit. ſecus autem Euangelicis temporibus euenit: quippe cùm, quocunque aliqua Ieſu Chriſti notitia perlata eſt; etiam ſi eius doctrina ab omnibus non ſit recepta, antiqua

Iudic. 1. 2. Sam. c. 17. Pſalm. 51. Deut. 30.

tamen deorum ſuperſtitio omnino eſt explosa. Etenim nullus huic vanitati cultus apud Chriſtianos, nullus apud Arabes & Mauros, nullus apud Turcas; ſed neque apud eos Indos, qui ad Gangem fluuium habitant, vllus ſpectatur. Omnes hi quamuis non eundem Chriſtum Saluatorem agnoſcant; eundem tamen Deum, ſummum naturæ humanæ bonum colunt atque adorant, ſicut ſcriptum eſt: Et erit Dominus in Regem ſuper omnem "
terram; in illa die erit Deus vnus, & nomen eius vnum: futurumq; eſt Dei beneficio vt & Hoſſee 3.
Chriſtus vnus ab omnibus recipiatur, cùm omnes ad Deum verè conuerſi, atq. verè Iſraë- "
litæ facti, quærent Dominum, Deum ſuum, & Dauid Regem ſuum, & pauebunt ad Do- " Soph 3.
minum, & ad bonum eius in nouiſſimis diebus. & alio in loco: Quia tunc reddam populis "
labium electum, vt inuocet nomen Domini, & ſeruiant ei humero vno. Omnia autem hæc non tam humana opera & ſtudio, quàm Dei beneficio euentura eſſe dicuntur, namq. hæc tanta rerum mutatio, tam præclara humani ſpiritus renouatio non noſtrum, ſed Dei opus eſſe poteſt: quamobrem dicit, *Auferam*: de quibus maximis, & præſtantiſſimis negotiis Apo-
ſtolus dicebat: Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, ſed " 2. Cor. 3.
ſufficientia noſtra ex Deo eſt.

Et percutiam cum eis fœdus in die illa cum beſtia agri, & cum volucre cæli, & cum reptili terræ, & arcum & gladium, & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter.

SVMMÆ tranquillitatis & quietis deſcriptio ad cæteras animantes, atque adeò ad inanimata vſque producitur: ſic enim Sibyllina folia, ſic poëtarum carmina, cùm aur ætatem auream deſiderant, aut reſtituendam vaticinantur, omnia tranquilla, quieta, & mitiſſima fore prædicant, quæcunque aut hominibus nocere, aut hominum laboribus, conatibus, votiſque officere ſolent. maximam præterea frugum, & bonorum omnium copiam ſponte ac diuino munere prouenturam promittunt:

Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ | *Vbera, nec magnos metuent armenta leones.* Virgil.
Ipſa tibi blandos fundent cunabula flores. | *Occidet & ſerpens, & fallax herba veneni* Eclog 4.
Occidet, Aſſyrium vulgo naſcetur amomum.

Huiuſmodi tropis & ſymbolis omnium linguarum poëtæ humanam felicitatem, pacem, & vitæ quietem deſcribere conſueuêre; ſiue natura (quæ prima poëtarum magiſtra eſt) id illis ſuggerat; ſiue ſacræ & arcanæ literæ, quibus hæc ratio iam inde à principio familiariſſima fuit, aliqua ex parte notæ fuerint. Nemo enim ferè ex vatibus eſt, qui felicitatem illam deſcripturus, quæ hominibus per diuinum Meſſiam fuerat afferenda, non in his locis elegantiſſimè peruoluatur, vt: Quia cum lapidi-
bus agri fœdus tuum, & feras agri pacificas reddam tibi. Et apud Iſaiam: Et habitabit lupus Iſai 43.
cum agno, & pardus cum hœdo accubabit, vitulus & leo & ouis ſimul morabuntur, & puer "
paruulus minabit eos: vitulus & vrſus paſcentur, ſimul requieſcẽt catuli eorum, & leo quaſi "
bos comedet paleas, & delectabitur infans ab vbere ſuper foramina aſpidis, & in cauerna "
reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet: non nocebunt, & nõ occident in vniuer- "
ſo monte ſancto meo. Et quæ plurima in hanc ſententiam in ſacris libris paſſim occurrũt, eoſdem etiam locos Deus apud vatem noſtrum excitat, vbi futuram temporis Euangelij felicitatem deſcribit, & promittit: nempè fore, vt cùm in ſumnia pace atque amicitia cum numine agant ipſo, ob adoptionem filiorum, ob ſpiritum ſanctum acceptum: maximam etiam animorum tranquillitatem, quietem maximam in ſeipſis experiantur; vt iam peccatorum & ſcelerum monſtra, quibus antea miſerrimè affligebantur, minus horreant; atque alias etiam, quibus iuſti in hac vita ab iniuſtis exercentur, calamitates & ærumnas cõſtan-
tiſſimè ſuperent: vt ab iiſdem ipſis, qui hæc in ſe experti ſunt, ſcriptum extat: Non eſt nobis Ephes. 6.
colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem; ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus "
mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. & alio in lo- "
co: Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia? an nuditas, an fames? Rom. 8.
an perſecutio, an gladius? ſed in his omnibus ſuperamus, propter eum qui dilexit nos. Hu- "
ius autem rei ſignum futurum erat, quòd beſtias omnes, ſerpentes, & monſtra cætera, quæ hominibus infeſta eſſe ſolent, contempturi eſſent. Cuius rei ſatis manifeſtum periculum
Paulus apud Melitenſes fecit, coniecta vipera, quæ illius digito hæſerat, in ignem, maximo Acto. vlt.
ſpectantium ſtupore, dum illæſus perſeuerat. Quam etiam ob rem Apoſtolis à Chriſto di-
ctum eſt: Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper om- Luc. 10.
nem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Hoc ergò ingens Dei beneficium, hæc futura "
in ſuos ſibique chariſſimos cura atque prouidentia hoc in loco prædicitur: *& feriam eis pactum*: hoc eſt in eorum vtilitatem & commodum, ſingulari ac propria prouidentia ferarum, aliorumque noxiorum animalium naturam ita temperabo, vt iis quos ego dilecturus ſum, nocere nullo modo poſſint: hoc eſt ferire pactum cum his beſtiis & reptilibus; nempè effi-

cete vt quamuis naturæ ſuæ malitiam & vim in cæteras gentes exprimant; tamen ab his, quos diuinus amor exceperit, vel omnino abſtineant, vel ſi quid contrà conentur, nullam valeant experiri. *Feriam eis pactum cum beſtia agri;* ſic Hebraicè in datiuo legitur: vt pactum cum beſtiis in gratiam piorum feriatur. Quod ſi cum brutis & ſenſus expertibus fœdus eſt feriendum, vt omninò ab iis noceri non poſſit; nec ab hominibus etiam periculum expectandum eſſe conſentaneum videtur; ſed vt & in ſumma pace agatur, belloque omnes fores claudantur, nec ſit armorum vllus vſus: Cùm Spiritus ille pacis & coniunctionis homines ſit afflaturus, hoc pacto, vt dum non propriæ, ſed aliorum vtilitati ſtudent, omnem belli anſam præcidant. Contingit autem hoc veriſſimè iis qui in hac Dei filiorum dignitate locantur: hi enim ob domitum diuino munere appetitum, ob ſedatas animi perturbationes, pacem cum Deo, cum animis ſuis, cum cæteris hominibus ſeruant. Atque hæc quidem noua viuendi ratio primorum Chriſtianorum temporibus apertè ſuſcitata fuit, qui in ſumma pace per totam vitam degerunt. & quanquam inter ſe, & locis diuerſi, & genere, & lin-

Ioan. 17. " gua eſſent; amotis tamen & pacis ſtudio coniunctiſſimi fuerunt. Hanc autem gratiam diui-
" na illa oratione Chriſtus à patre ſuo impetrauit: Non pro eis, inquit, tantùm rogo, ſed pro
" iis qui credituri ſunt, per verbum eorum in me, vt omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me, &
" ego in te, vt ipſi nobis vnum ſint: vt credat mundus, quia tu me miſiſti, qui auctor pacis, & animorum coniunctionis futurus, tuis oraculis prædictus fueram. Quoniam apud Iſaiam

Iſai. 4. legitur: Et iudicabit gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: Non leuabit gens contra gentem gladium, neque exercebuntur vltrà ad prœlium. & apud Hoſſeam: Arcum & gladium, & bellum côteram de terra. Quicunque verò hoc pacto affecturus eſſet eos qui in ſe crederēt; vt animorum tranquillitatem, coniunctionem ac pacem veram illis afferret, hic verè is erat, quem à ſe mittendum Deus prædixerat. Huius autem veritatis argumentum ſatis manifeſtum in Apoſtolo-

Acto. 4. rum hiſtoriis reperire licet, vbi ſic legimus: Multitudinis credentium erat cor vnum, & ani-
" ma vna; nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat. Sed & apud exte-
" ras etiam nationes huius rei teſtimonium confirmatum eſt: nam quo tempore Chriſtus Ieſus in terris Auguſto Cæſare imperante conuerſatus eſt, in toto orbe belli tumultus ceſſauit. Et Neronis temporibus cùm Euangelium per omnes nationes propagaretur, Senatus Popul. Q. R. pace terra marique parta Ianum occluſiſſe in antiquis numiſmatibus legitur; vt ex his omnibus planum atque manifeſtum eſſet, maximum pacis autorem adeſſe; cùm maximæ atque diuinæ pacis, quam ille in ſuorum animis peperiſſet, ſcintillæ quædam redundarent, quæ cæteris etiam gentibus quietē dare poſſent. *Et dormire eos faciam fiducialiter.* Ex conſequenti antecedens confirmatur; nam ſomnus profundus & quietiſſimus non contin-

" git, niſi ſecuris, nihil metuentibus, atque ab omni ſolicitudine alienis. In pace in idipſum

Pſal. 4. dormiam & requieſcam, quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. Latini in vtramque aurem dormire dicunt. Cuiuſmodi ſomno ſecuriſſimè fruebatur vinctus, & in

Acto. 12. carcere duriſſimo coniectus Petrus, nihil Herodis Regis iram & vim, nihil Iudæorum expectationem curans, cùm ab Angelo excitatus, & liberatus eſt. *Beſtia agri, volucres cæli, & reptili terræ.* In triplex enim hoc genus infeſtas atque maleficas animantes, ſacra philoſophia diuidit; cuiuſmodi ſunt leones, lupi, & pardi, ac vrſi & aquilæ, & quæ ad hanc naturam referuntur multæ aues; locuſtæ etiam & quæcunque agris nocere ſolent: ſerpentium verò natura ferè omnis pernicioſa eſt. *Arcum & gladium.* Argumentum eſt à deſtinatis, ſine quibus res effici non poteſt: nam ſi hæc ſublata ſunt, bellum ſepultum eſſe conſequitur.

Et ſponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in iuſtitia & iudicio, & in miſericordia & miſerationibus, & ſponſabo te mihi in fide, & ſcies quia ego Dominus.

HACTENVS reconciliationis initia atq. præambula quædam ſcripta ſunt; nunc verò deinceps ipſam reconciliationem planam atque integram prædicens, addit; & quibus ea rationibus, quibus ceremoniis ſit celebranda, deſcribit. Quoniam verò locus diuinus planè eſt, & maxima atque hominibus vtiliſſima myſteria continet, quæ commodè aperiri non poſſunt; niſi ipſa ſimplex ratio, ad quam hæc arcana referuntur, explicetur: nonnihil prius de ſponſalibus, repudiis & reconciliatione, quæ inter Iſraëlitas antiqua conſuetudine fieri ſolent, altiùs repetere operæpretium eſt. Iam diximus quòd ſiqua mulier viro ſuo in dedecoris ſuſpicionem veniat, legum & iudicum permiſſu repudiatur: verùm ſi ſuſpicionis argumenta certa ſint, quæ iudicibus probari poſſint, iis rebus omnibus eam expoliare licebat, quæ ſponſalium iure aut mariti liberalitate accepiſſet; vt ſine honore & ſine rebus ad vitam commodis eiiceretur. quòd ſi maritus vel temporis interuallo longiore, vel conceptę de vxore opinionis mutatione, odium atque iram depoſuiſſet; neque tamen illa alteri viro

interim nupſiſſet, repudiatam reuocare poterat, atque in antiquam gratiam, & vitæ coniu- Miſnaioth de libello c. 6. & 7.
giique conſortium admittere. Hæc de repudio & reuocatione: De ſponſalibus quam bre-
uiſſimè deinceps. Coniugiorum ritus huiuſmodi erat: principiò inter iuuenum parentes Miſnaioth de ſanctis nup. c. 1.
nuptiæ in certum diem conſtituebantur. quòd ſi parentes alicui non eſſent, res ad eos per-
tinebat quibus iuuenes vel naturæ lege, vel iure alio curæ eſſe debuere: poſt hos, conſenſus
iuuenum exigebatur: ſimul ac ij conſenſiſſent, puella arrabonis nomine, aut argentum, aut
tabulam aliquam publicè ſignatam accipiebat, quibus ſeſe illi traditam, & velut venditam
profiteretur. his acceptis muneribus, quæ prius libera & ſui iuris, arrata, ſponſata, atque ſan-
ctificata dicebatur: ſanctificata, hoc eſt ei tantum in coniugium atq. in omne iuſtum obſe-
quium deſtinata, à quo ea munera accepiſſet; exinde vltro citroque alter alterius eſſe dice-
batur; tandem conueniebatur, vxorque à paterna in coniugis domum ducebatur. Hæc
omnia recolenda nobis ſunt, vtpote quæ in hoc capite ſignificentur. nam & Synagoga
virum ſuum ad iram ſuis adulteriis concitaſſe conuicta eſt; ob eamque rem, obque obſti-
natam mentem, vt omnibus etiam acceptis à marito beneficiis expoliata repudiaretur,
commerita fuit. Verùm multa prius à Deo vehementer amante mouenda fuerant, quò
illa ad mentem atque ad ſanitatem reuocaretur, ac tandem abnegatam & depoſitam viri
appellationem reſumeret, & frequentaret; ita demum illa in gratiam recipienda, atque
in inuiolabile coniugij fœdus, reuocanda erat. quæ res in præſenti verſu prædicitur: nam
non ſemel, ſed ter deſponſandi verbum repetitur: id quod myſterio non caret, cùm terna-
rius numerus certitudini in omni idiomate ferè apud omnes auctores ſeruiat. quamobrem
certa atque firma deſponſatio fore docetur. Præterea etiam adorandum arcanum Tri-
nitatis indicari hoc in loco aſſerimus; quoniam quæ deſponſata Chriſto Eccleſia fuit,
Patri etiam & ſancto Spiritui deſponſata fuiſſe dicitur. Hoc dicendi genere Chriſtus a-
pud Ioannem vſus eſt, cùm gregem ſuum Petro atque Apoſtolis paſcendum commenda- Ioan. 21.
ret: ter enim dixit, Paſce meas oues, meos agnos; vt eum gregem totius Trinitatis pro-
prium eſſe affirmaret. *Sponſabo te mihi in ſempiternum:* Antea enim in diuina gratia nunquam
permanſerat Synagoga: nam cùm tabernaculum illud frequentabatur, quod à Moſe fa-
bricatum in Sylo fixum eſt, & illi in fœdere, & teſtamento eius non permanſiſſent, re-
pulſi atque repudiati ſunt, ſicut ſcriptum eſt: In iram concitauerunt eum in collibus
ſuis, & in ſculptilibus ſuis, ad æmulationem eum prouocauerunt: Audiuit Deus & Pſalm. 77.
ſpreuit, & ad nihilum redegit valde Iſraël: Et repulit tabernaculum Sylo, tabernaculum "
ſuum vbi habitauit in hominibus. Sed neque in illo celeberrimo fano, quod Salomonis "
impenſis & auſpiciis ædificatum ac dedicatum fuit, diuina maieſtas, & ſingularis in eum
populum prouidentia permanſit: Namque deſiderata illis iuſtitia, deſideratum iudicium,
demum deſiderata ſanctitas & miſericordia eſt, quod & multis in locis ab Amos Prophe- Amos c 2.
ta notatur. Et tandem ſeculi vitio atque hominum culpa, ſecundum illud templum ab
Eſdra reſtitutum, atque ab Herode magnificentiſſimè perfectum cum ſuis cultoribus
damnatum, periit: ſicut ſcriptum eſt: Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Ex Luc. 13.
quibus manifeſtum fit antiqua illa ſponſalia cum ſynagoga æterna non fuiſſe: At verò
quas nunc ter repetito verbo pollicetur nuptias, ita firmas ac ſtabiles fore prædicit, vt nul-
lo tempore ſui finem metuere poſſint; quippe quæ iis donis, iis arris, iucundæ, atque
celebrandæ ſunt, quæ nulla ætate, nullo tempore corrumpantur aut vitientur. Non enim
pecuniis, non terrenis pollicitis, & donis, non legum tabulis in lapide inciſis, & publicè
ſignatis, vt olim peragenda res erat, ſed cæleſtibus, & planè diuinis, quibus Deus ſpon-
ſam ſuam ita ornaturus erat, vt nullo non tēpore placere ſibi, & gratiſſima eſſe poſſet: Nam
quæ ea eſſe debebant? nempè Iuſtitia, Iudicium, Miſericordia, & Miſerationes, atque Fi-
des, quibus beneficiis ſemper illam honeſtam, ſemper pulchram, ſemper omni vitio ca-
rentem, ſemper ſibi amabilem redditurus erat: & quoniam ſponſi erga nouam ſponſam a-
mor vehemens, ardens, & omni ex parte dulcis eſt; ſemper eam ſponſæ amore ab ſe aman-
dam pollicetur. [*Sponſabo te*, inquit, *mihi in ſempiternum.* Vt nullo tempore primus ille atque
recens erga te amor tepeſcat. Hanc eandem rem alio in loco prædictam atque confirma- Ierem. 31.
tam videre eſt: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Iſraël, & domui Iuda "
fœdus nouum: non ſecundum pactum quod pepigi cum patribus veſtris in die qua appre- "
hendi manū eorum, vt educerem eos de terra Ægypti: Pactū quod irritum fecerunt, & ego "
dominatus ſum eorū, dicit Dominus: Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſraël, "
poſt dies illos; dicit Dominus; dabo legem meā in viſceribus eorum, & in corde eorū ſcri- "
bam eam: Et non docebit vltra vir proximū ſuū, & vir fratrem ſuum dicēs: Cognoſce Do- "
minum: Omnes enim cognoſcent me, à minimo eorum vſq. ad maximum, ait Dn̄s: Quia "
propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius. Hæ ſunt arræ, "
hæc eſt

hæc eſt dos à Deo, qua Eccleſia perpetuo atque ſtabiliſſimo coniugio deuincienda fuit:
Rom. 9. nempè iuſtitia, vt iuſtiſſimi viri iuſtiſſima coniux eſſet: Iudicium, vt nihil in ea, eiuſque
actionibus deprehenderetur, cuius honeſta ratio reddi non poſſet: Miſericordia & miſe-
rationibus; quoniam non volentis neque currentis opera; ſed Dei miſerentis dono, hæc
illi danda erant: nam vt ſeſe illi traderet Deus, vt Spiritum ſanctum ſuum in illius ſan-
ctificationem donaret, vt eam maieſtatis ſuæ templum atque ſedem perpetuam efficeret,
miſericordiæ ineffabilis amoris dona hæc fuerunt; quæ nullis humanis negotiis aut arti-
bus comparari potuerunt: nedum à gente ob ſcelera, & violatam aduerſus Deum ſuum fi-
dem repudiata; ſed Chriſti Ieſu opera & conciliatione omnia hæc illi contigerunt. quod
quidem ipſum iam iam præſtandum vates Zacharias agnoſcens, miris laudibus efferebat:
Luc. 1. ſicut ſcriptum eſt: Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum daturum ſe
nobis; Vt ſine timore de manu inimicorum liberati, ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia
coram ipſo omnibus diebus noſtris, Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit
Ephes. 5. nos Oriens ex alto. Idem præſtitum & effectum teſtatur Paulus: Viri, inquit, diligite vxo-
res veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſeipſum pro ea, vt illam ſanctifica-
ret, mundans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ, vt exhiberet ipſam ſibi glorioſam Eccle-
ſiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta, & imma-
culata. Horum nominum iuſtitiæ, iudicij, quod Zacharias & Paulus ſanctitatem dicunt;
miſericordiæ & miſerationum definitiones, longiores explicationes in alium locum con-
ſultò differimus. *Et ſponſabo te mihi in fide.* Dictum à nobis ſuperius eſt, hæc omnia quæ à ſpon-
ſo arrarum nomine dari conſueuerunt, quibus ſponſa Hebraico more ſanctificata dicitur,
propriè ſponſi dona eſſe; non ſponſæ patrimonium; aut aliud quidpiam ab ea ex paterna
domo allatum; ſed quod omninò debeat illa ſponſo acceptum referre. Nam quæ ad matri-
monij vſum res afferuntur, vt in triplici ſunt genere, ſic & triplici etiam nomine vocari
conſueuêre. quæcunque enim ab illa ad vitæ atque vſus communionem dotis nomine,
aut hæreditatis iure, afferuntur, *Celub*, hoc eſt caniſtrum, ſiue caniſtratum dicuntur: Quæ
כלוב verò mariti propria fuerant, quocunque modo ea ſibi vendicare is poſſit, *Tzon Barzel*, hoc
צאן ברזל eſt pecus ferreum, ſiue peculium appellantur: Quæ autem à viro ſponſalium ritu atque
קדושים iure accepta in vxoris poteſtatem tranſeunt, ea proprio nomine ſanctitates, ſiue ſancta di-
cuntur; quòd eiuſmodi earum rerum interuentu vxor viro ſanctificata, in coniugij officium
atque obſequium cedat, tanquam iis donis empta illi & proprij iuris effecta fuerit. Igitur
Iuſtitia, & Sanctitas, ſiue Iudicium, Miſericordia & Miſerationes, non tam à ſponſa Ec-
cleſia allata ad hoc ſacrum coniugium, quàm accepta fore, ſacra acta definiunt. Eſt enim
altera iuſtitiæ ratio, qua homines iuſti; altera qua propriè iuſtificati dicuntur: ſic etiam de
iudicio, ſic de miſericordia, & miſerationibus eſt ſentiendum; de quibus aliàs nos plura, &
exactius. *Deſponſabo te mihi in fide,*] quam promiſſis meis habueris; efficiamque, vt fides illa maxi-
mè in te adaugeatur. *& ſcies quòd ego Dominus,* vel vt Hebraicè & Græcè legitur, *& ſcies Dominum:*
Ierem. 31. idem autem hoc cum illo eſt: Quia omnes agnoſcent me à minimo eorum vſque ad ma-
ximum eorum.

Et erit in die illa, exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cælos, & illi exaudient terram, &
terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum, & hæc exaudient Iezraghel.

SI à ſuſceptæ breuitatis compendiis digredi animus eſſet; latiſſimus ſe nobis campus ape-
riebat ad diſputandum de natura rerum, deque iis quæ fiunt in ſublimi, atque de ha-
rum omnium gubernatrice prouidentia: quibus de rebus non minus iucundè ac ſuauiter,
quàm verè ex diuinis arcaniſque libris philoſophari poſſemus. Sed dabit Deus & his quo-
que commoditatem & tempus. Nunc verò quàm eleganter, quàm poëticè res deſcribatur;
& ſi non perſequi, indicare tamen commodiſſimum erit, ac mihi quidem natura ad poëti-
cam facultatem comparato, & in antiquorum poëtarum libris non parum à puero olim
verſato, (abſit à confitente arrogantiæ ſuſpicio) cætera omnia, quæcunque Græcis & Lati-
nis auctoribus extant poëmata, omnem cum ſacris ſcriptis cõparationem omnino formi-
dare, & tanquã ſidera reliqua ſolis aduentu & luce obſcurari viſa ſunt. Nã quid tã elegans in
hanc quæ nobis ante oculos poſita ſententia eſt, afferri poſſit, quàm eſt illud apud Maronẽ;
Georg. 2. *Tum pater omnipotens fæcundis imbribus æther*
Coniugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore fœtus.
Sed nihil hæc ad noſtri vatis dignitatem, atque elegantiam; maximè ſi Hebraicè ſuis nu-
meris, & pedibus quibus conſtat, accommodetur ſententia. [*Exaudiam exaudiam cælos, & illi*
exaudient terram. &c.] Siue vt Hebraicè legitur, *Reſpondebo cælis, & illi reſpondebunt terræ.* Omnia

igitur ad diuinam ſpectare prouidentiam, hoc loco, & multis aliis docemur: neque quic-
quam in rerum natura eſſe, quod non egeat diuino conſilio & nutu. Neque verò de pecca-
tis nobis ſermo eſt, quæ vt huiuſcemodi ſunt, non in rerum natura numerari, ſed contra re-
rum naturam exiſtimari debent. cætera autem omnia & ſi maximè officium ſuum & mu-
nus pręſtare inſito appetitu cupiant: nihil tamen quicquam ſine diuino à quo pendent nu-
tu, efficere poſſunt. Orant quidem illa omnia Deum vocibus & precibus propriis, quamuis
eorum linguæ minus à nobis intelligantur: orant, inquam, vt hominibus (in quorum vſum
facta productaque ſunt) officio & vtilitate prodeſſe, à Deo ſinantur. Sed peruidet tamen
Deus quid opus ſit, quid maximè humanis rebus conueniat: atque ita naturas rerum nutu
& voluntate ſua temperat, vt pro ſui conſilij ratione, non pro rerum ipſarum appetitu &
viribus gerantur. Homines igitur annonam & frumenta, aliaque telluris munera expe-
ctant: at illa deſiderant temperiem & fœcunditatem: tellus verò ipſa cæleſtem viciſſitudi-
nem & temporum opportunitatem requirit: cælum denique diuino conſilio paret. Itaque
vbi luxu & nimia proſperitate homines ab officio ad libidinē declinant, ſubductione opus
eſt. tunc verò natura ceſſat & fructus quàm tenuiſſimos proferre aut omnino negare iube-
tur. Rurſus verò vbi homines pietatis & liberalitatis diuinæ non indigni fiunt, proſpera
omnia ac feliciſſima in humanos vſus Dei conſilio atq. auſpicio redduntur, ſicut ſcriptum
eſt: Poſuit flumina in deſertum, exitus aquarum in ſitim: Terram fructiferam in ſalſugi- Pſalm. 106.
nem à malitia inhabitantium in ea. Et rurſus: Poſuit deſertum in ſtagna aquarum, & ter- "
ram ſine aqua in exitus aquarum, & collocauit illic eſurientes, & conſtituerunt ciuitatem "
habitationis, & ſeminauerunt agros, & plantauerunt vineas, & fecerunt fructum natiuita- "
tis. Vt verò in ſuperioribus triticum, oleum, vinum, & cæteras humanæ vitæ commodita- "
tes, quæ aſtrorum virtutibus & numinibus falsò tribuebantur, ad ſe reuocatum iri commi-
natus eſt; ſic iam modò rebus & moribus hominum in melius mutatis, & diuini ſpiritus
dono compoſitis abundè omnia in melius ceſſura, cælum, terram, fructus & annonam vo-
tis reſponſura promittit. Illud autem maximè in mentem venire, & ſæpius cogitatione re-
peti oportuerit; cùm de huiuſmodi felicitatibus à vatibus ſermo fit, non tam ad terrena, &
corruptibilia reſpiciendum eſſe, quàm ad cæleſtia & incorruptibilia, quibus humanus ani-
mus ornatur, augetur, atque beatus efficitur. nam vt pictores, quas pulcherrimas eſſe volunt
rerum aut hominum vel diuorum effigies; antequam ſuis coloribus ad viuum effingant, &
ſplendoribus ornent; certis lineis, creta aut carbone deſcribunt; neque tamen eas lineas
perpetuò durare volunt, imò ſuperinductis coloribus penitus delent atque occultant. ſic
Deus has terrenas, quas ſcripturæ vocant benedictiones, velut vmbras quaſdam, & primas
lineas eſſe voluit earum rerum atque diuitiarum, quæ in futura tempora producendis ad
perfectionem hominibus parabuntur. In qua allegoria cælum diuinum auxilium & gra-
tiam; terra verò humanam naturam; fructus autem hominum officia, actiones & opera ſi-
gnificare ſolent. Atque hæc res elegantiſſimè Pſalmis decantata explicatáque eſt: vt, Bene- Pſal. 84.
dixiſti Domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob; remiſiſti iniquitatem plebis tuę, "
operuiſti omnia peccata eorum. & cùm hanc rationem perſecutus fuerit vates, ſubiungit: "
Veritas de terra orta eſt, & Iuſtitia de cælo proſpexit. Etenim Dominus dabit benignita- "
tem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Hanc rerum viciſſitudinem hoc in loco Deus per
vatem promittit, quam ſæpe aliàs ſub hac dicendi figura delineauerat: vt apud Ezechielem Ezech. 36.
Deus, Vaticinare, inquit, ſuper humum Iſraël: Et dices montibus & collibus, iugis & valli- "
bus: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego in zelo meo, & in furore meo locutus ſum, eò quòd "
confuſionem gentium ſuſtineretis, idcirco leuaui manum meam, vt gentes quæ in circuitu "
veſtro ſunt, ipſæ confuſionem ſuam portent: Vos autem montes Iſraël ramos veſtros ger- "
minetis, & fructum veſtrum afferatis populo meo Iſraël. Atque adeò hanc felicitatem cæ-
leſtem cum omnium promiſſionum ſucceſſu eueniſſe iis, quos ſibi in filios adoptauit Deus,
teſtatur Apoſtolus: Benedictus Deus qui benedixit nos in omni benedictione, non car-
nali, ſed ſpirituali in cæleſtibus. Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſe- Epheſ. 1.
mus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate. [*Et exaudiam, dicit Dominus, exaudiam.*] "
Pulchra repetitio vnius verbi ad rem aſſeuerandam frequens eſt, Amen Amen dico vobis: "
& apud alios auctores: *Neſcis temeraria, neſcis Quem fugias.* Quamuis Chaldæus paraphra- Ouid. Metamorph. lib.
ſtes prius verbum ad homines referat ſic, *Et reſpondebo precibus veſtris, &c.*

[*Et hæc exaudient Iezrahel.*] Omnia pro votis populo Dei euentura omnia in melius con-
uertenda atque verborum etiam ipſorum ſignificationes & rationes commutandæ pro-
mittuntur: ita vt nihil triſte, nihil non felix fauſtumque eueniat iis, qui in diuinam gra-
tiam, in filiorum libertatem reconciliati fuerint. Vtitur autem Deus pulcherrima permu-
tatione, quæ plurimùm ad ſententias atque ad orationes exornandas valet. Ea eſt cum aut

verbum aliquod, aut tota oratio ab alia in aliam ſignificationem mutatur. quod cùm multis modis fiat, vnus ex ambiguo elegantiſſimus eſt modus. fit autem, verbo ex altera in alteram ſignificationem permutato, vt Cicero Verrem, vetè Verrem appellare in orationibus ſolebat. Hoc itaque in loco vt hactenus nominis Iezraghel durior fuerat obſeruata ſignificatio, quatenus brachium Dei, & diuinam vltionem referebat; dumque ea ſignificandi ratio maneret, nihil mitius, quàm fructuum & victus ſubductionem, quàm captiuitates & miſerrimas ſeruitutes audiebamus; quarum calamitatum ratio talis reddebatur. *Quia magnus eſt Iezraghel.* hoc eſt brachij diuini *dies.* ſic rurſus pace iam atque amicitia conciliata, cùm omnium rerum optimarum maximam fore copiam, maximam felicitatem promittat, nomen etiam *Iezraghel*, ad rationem alteram reuocandum prædicit; qua ſemen diuinum ſignificari poteſt. nam qui olim calamitatibus vexati, & ſupplicijs affecti erant, *Iezraghel*, hoc eſt, Brachium Domini maximo cum dolore audierant. rurſum tot virtutibus, tot donis, tot dignitatibus cumulati, & aucti, *Iezraghel*, hoc eſt ſemen diuinum, & filij Dei maxima cum voluptate audient: vt ſcriptum eſt; Et vocabuntur in ea fortes iuſtitiæ, plantatio
" Domini ad glorificandum. Et omnes qui viderint eos agnoſcēt illos, quòd iſti ſunt ſemen,
" cui benedixit Dominus. Par ergo eſt, vt triticum, oleum, vinum, & quæ iis rebus ſignifican-
" tur, animorum virtutes; ac deinde tellus alma parens, cælumque benignum, & Deus ipſe Pater natorum vota ſecundet. Vt autem alteram *Iezraghel* ſignificationem reſpiciendā eſſe doceret, eodem verbo vſus promiſſiones ſuas noua acceſſione cumulauit. pollicetur enim ex paruo pij generis & nominis initio ingentem ſobolem, & maximā diuini nominis gloriam fore propagandam; neq. verò intra eos tantùm, qui ſecundū carnem Iſraëlitæ eſſent, arcendam fore hanc ſponſam Eccleſiam, ſed per omnes orbis partes maximo cum pij populi & diuinæ gloriæ incremēto peruaſuram eſſe, ita vt ex paucis Iſraëlitis, qui iuxta carnis & ſpiritus rationem, hoc nomine appellari meritò potuerunt, ingens Iſraëlitarum ſit prouenturus numerus, qui ſpiritu verè Iſraëlitæ ſint. Atque vt agricolis plures ex vno qui ſeminatur modij colligentibus proueniunt: ſic ex paucis hominibus, qui ad Euangeliū ſeminandum in omnes terrarum regiones erant mittendi, maxima hominum, qui ad cæleſte regnum pertineant, copia gignatur. Sic ille, cuius auſpicio atque auxilio hæc ſeges ferebatur,
" dicebat: Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminauit in agro
" ſuo; quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus: cùm autem creuerit, maius eſt omni-
" bus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniant & habitent in ramis eius. Huc etiam
" pertinent, quæ de fermento in tribus farinæ ſatis abſcondito, ſapientiſſimè ab illo diſerta ſunt. Huius rei cauſſa Deus hoc in loco addidit:

Et ſeminabo eam mihi in terra.

EAM, intelligo ſementem ſiue ſemen, id quod *Iezraghel*. hoc eſt diuinum ſemen appellatur. Neque verò ſperare debebant Iſraëlitæ, vt à locis & regionibus iis quas diſperſi incolebant, ad eam Syriæ partem, quæ olim illis diuinæ ſortis dono contigerat, reducerentur: nam tam anguſtis ſpatiis tanta hominum multitudo quî capi poſſet? ſed vbiuis gentium illi forent, ibidem diuina ciuitate donandi, atque in filios & ſemen Dei adoptandi, & ſuorum, nec non & vicinarum gentium acceſſione augendi erant: Seminabo, inquit, eam in terra:
" non in terra Canaan, ſed in vniuerſum in terra dixit, vt & vnus ex iis qui ſeminati ad hanc
Rom.9. " rem fuerunt, hunc eundem locum interpretatur: Vt oſtenderet, inquit, diuitias gloriæ ſuæ
" in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam, quos & vocauit, non ſolùm ex Iudæis,
" ſed etiam ex gentibus, ſicut in Hoſſea dicit: Vocabo non plebē meam, plebem meam. Antiquiſſimi etiam Hebræorum, & qui circa ſalutis humanæ tempora fuerunt, hanc ſeminationis rationem hoc modo explicabant.

Et miſerebor eius quæ fuit abſque miſericordia, & dicam non populo, Populus meus es tu: & ipſe dicet, Deus meus es tu.

NIHIL in humanis Rhetorum præceptis, ad faciendam in narrationibus fidem magis commendari ſolet, quàm vt rerum geſtarum ordo ſerieſque ſeruetur: atque vt quidque primùm geſtum erit, ita primùm exponamus, & rerum ac temporum ordinem conſeruemus, vt geſtæ res erunt; aut vt potuiſſe geri videbuntur. In diuinæ autem eloquentiæ rationibus nihil minus hac obſeruatione neceſſarium videtur. neque enim Deus humanarum artium præceptis parēre cogitur; ſed vt ſapientia & conſilio omnia ſuperat, ſic noſtrarum obſeruationum anguſtiis non contentus, liberiori campo exultat, atque contemptis etiam rurſus humanarum viarum diſpendiis, & circuitionibus, maxima atq. artificioſiſſima compendia ſibi ipſe facit, eademque diſcipulis ſuis, iis, inquam, quos ipſe docendos ſuſcepit, facillima reddit. Cauſſa autem quamobrem ad faciendam fidem temporum ratio & rerum ordo

ordo apud nos deſideratur, nulla alia eſt quàm mentis noſtræ tenuitas, & maxima ad cognoſcendum ingenij imbecillitas; nec non & rerum ipſarum ac negotiorum fluxa & labens natura: quoniam apud nos res non ſimul omnes conficiuntur, ſed temporum momentis, quæ ſequantur, indigent: cum tempore enim ipſo naſci, produci, & confici obſeruantur. Vt verò temporum partes inter ſe coniunguntur, præteritum præſenti, & futuro præſens, ita rerum partes inter ſe & antecedere, & coniungi, & conſequi ſolent. Nobis autem huiuſmodi rerum ſeries obſeruare, omniaque ad hanc rationem reuocare aſſuetis, quicquid diſcrepauerit, alienum prorſus, atque abſurdum, & ad fidem faciendam ineptum, videtur: vtpote quibus multi temporum modi ob naturæ imbecillitatem præſentes eſſe nequeant, multarum etiam rerum coniuncta narratio tanquam anguſto vaſe reſpuatur. Conſequens ergo eſt, ſi quid iuxta humana præcepta & artes narrandum nobis ſit, temporum atque ordinis rationes expectari oportere: alias narrationem dilucidam minus videri. Verùm enimuero Deus qui omnem humanam rationem & cogitationem infinitè ſuperat; tempora omnia, & rerum deſpicit ſeries, extraque omnem menſuræ modum poſitus, cęlum, terram, maria, mundum; denique totum pugno comprehendit, neque tamen manum complet. ex quo fit, vt nihil illi præteritum, nihil futurum, nihil detractum aut deſideratum, nihil nouum eſſe poſſit; ſed omnia præſentia ſint, omnia viuant, omnia denique iam facta, atque certa ſint; ſiue ea apud nos incerta, ſiue infecta, ſiue expectata, ſiue certa, facta atque peracta fuerint. Igitur nobis, ſi de rebus quæ apud nos geruntur, ſermo habeatur; cum illis duobus generibus & rerum ipſarum & noſtræ cognitionis eſt temperandus. Deo verò ſermonem ſuum ad ſuam illam, quæ humanas omnes definitiones tranſcendit, cognoſcendi rationem transferre integrum eſt; ita vt ea quæ geſta iam ſunt, cum iis quæ olim gerentur, & omnia cum præſentibus rebus coniungat atque componat: Quoniam, vt inquit Habbakuq, mundi ac æternitatis itinera eius ſolius ſunt, illique ſoli manifeſta, & in illius tantùm poteſtate, vt à filio eius accepimus, conſtituta. Etenim poëtæ etiam qui facultatẽ ſuam, non tam arti, quàm Deo acceptam referri volunt; & ſeſe diuino impetu ad canendum excitari, agique iactitant; huiuſmodi Rhetorum de narrationibus præceptiones contemnere ſolent, & diuinum quoddam dicendi genus vtcunque imitari conari, temporum ac rerum ſeries prætermittunt: *Et iam nunc, dicunt, iã nunc debentia dici Pleraq. differunt, & præſens in tempus omittunt*; & *In medias res non ſecus ac notas* auditorem *rapit, atque Iam modò me Thebis, modò iam me ponit Athenis.* De qua re dictum nobis fuſius eſt in iis libellis, quos nuper de Chriſtianis Rhetoricis carmine componebamus. Omnis autem hæc in quam incidimus diſputatio, eò pertinet, vt quoties in diuinis libris, maximè autem in vatum oraculis rerum & temporum ſeries vel confuſa, vel turbata, vel certè minus dilucida videbitur, tenuitatem noſtram agnoſcentes, diuinæ artis modos, rationeſque admiremur, atque ad eam excellentiam, ad eumque ſublimem cognoſcendi gradum animis, ſtudio & votis omnibus contendamus; vt doctrinæ huius partem aliquam Dei dono conſequi poſſimus. Hoc itaque in loco Deus omne Iudæorum æuum tribus ferè verſibus explicat, omnemque eorum hiſtoriam vno, atque eo non longo capite complectitur: namque antiqua illorum ſtatus memoria ab Ægyptiis vſque temporibus repetita, quas ob cauſſas abiiciendi eſſent, commemorauit: deinde reconciliationis promiſſionem adiecit, quòd diuinæ miſericordiæ beneficio in coniugij regnique ſocietatẽ, vnà cum gentibus aliis erant conuocandi: ſed quia plerique illorum importuni, contumaces, atque diuinæ vocationi increduli futuri erant, eoſdem omni dignitate, omni tam diuino quàm humano ſplendore meritò cariturós, atque interim gentes in eorum locũ eſſe ſufficiendas prædixit. Tandẽ verò (quæ maxima Dei benignitas, quæ ineffabilis miſericordia eſt) vitæ ac regni aditus illis eſſe patefaciendos. neq. tamen verendum poſthac eſſe, ne de loco & de certa re ac poſſeſſione deturbentur. Hæc itaque omnia diuerſis temporibus euentura; quoniam ad vnam hanc gentem, atque adeò ad vnum regnum pertinebant; quòd ſemel præuiſa à Deo ſunt, & præſentia illi ſemper fuēre, ideò pauciſſimis verſibus comprehenſa, & vna ferè periodo ſunt coniuncta. Nomina autẽ *Lo-ruhhama, & Lo-ghami*, hoc eſt non miſericordiam conſecuta, & non populus meus, vnà cum rationibus & rebus ipſis Deus à ſe eſſe commutanda promittit, vt iam deinceps miſericordiam conſecuta, & populus meus appelletur. atque Deus ipſe viciſſim, Deus meus, à populo ſuo audiat. [*Et ipſa dicet Deus meus.*] Gubernatorem & præſidem conſilio, ſtudio, curaque prouidentem ſignificat vox *Elohi*; itaque curæ ſe eſſe Deo ſuo agnoſcit. Habet autem affectũ Hebraicè nomen, *Deus meus*, eò quòd in vocandi caſu poſitum acclamationem & amorem ſtudiumque maximum indicat: nam longiſſimæ orationis, quam is, qui amore affectus maximo inſtituere vix poſſet, compendium quoddam vocandi caſus, eſſe ſolet; maximè autem ſi non tam proprio nomine, quàm alio quopiam quod ad rem ad affectumque pertineat, quis compellatur: ſic Paulus: Acce-

Habac. 3.
Act. 1.
Hor. in arte.
אלהי
Rom. 8.

piſtis, inquit, ſpiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba Pater. Hactenus ergo totius Iudæorum hiſtoriæ ſumma quædam nobis præſcripta eſt: atque ad hanc eandem diuus Paulus animo & cogitatione conuerſus, plenam ſuæ gentis reſtitutionem prædixit: Rom.11.
» Nolo, inquit, vos ignorare fratres myſteriũ hoc, vt non ſitis vobiſmetipſis ſapientes; quòd
» cæcitas ex parte contigit Iſraël, donec plenitudo gentiũ intraret, & ſic omnis Iſraël ſaluus
» fieret, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion qui eripiat & auertat impietatem à Iacob. & hoc
» illis à me teſtamentum; cùm abſtulero peccata eorum, ſecundum Euangelium quidem ini-
» mici propter vos: ſecundum electionem autem chariſſimi, propter patres. Sine pœnitentia
» enim ſunt dona & vocatio Dei. Sicut enim aliquando & vos non crediſtis Deo, nunc
» autem miſericordiam conſecuti eſtis propter incredulitatem illorum. Ita & iſti nunc non
» crediderunt in veſtram miſericordiam, vt & ipſi miſericordiam conſequantur. Hæc Paulus. At verò nos hoc in loco pium lectorem admonendũ eſſe exiſtimauimus, vt omni ſtudio, ardentibus votis, aſſiduiſque precibus à Deo miſericordiam efflagitemus: atq. illud deprecemur, ne vt Iudæorum rebellio occaſionẽ nobis ad Euangelium atq. ad regni ſocietatem dedit; ſic noſtra impietas illis aditum ad reconciliationem aperiat. neque ea nos excludamur ianua, quæ illis ad miſericordiam eſt concedenda. Amen. Scimus profectò quid vereamur, & quamobrem hoc prædixerimus, ea nobis neque leuis, neque incerta ratio eſt.

CAPVT III.

Et dixit Dominus ad me, Adhuc vade, & dilige mulierem dilectam amico & adulteram, ſicut diligit Dominus filios Iſraël, & ipſi reſpectant ad Deos alienos, & diligunt vinacia vuarum.

NON POSSE non obſcuram atque difficilem libri huius lectionem videri, demonſtratum nobis in ſuperioribus eſt. Huius autem difficultatis inter alias cauſſas vnam illam coniecimus, quòd ſub amantis viri, atque eiuſdem vehementer ob adulterium dolentis perſona, ſermo inſtituatur. namque vtraque perturbatio, ſi quem corripiat, inquietum diuerſumque agitat, atque in varia multiplicique cura & cogitatione verſari cogit. Eius autem rei index certiſſimus ſermo eſt: videmus enim ab iis, qui huiuſmodi diſtinentur curis, nunc hunc, nunc illum ſermonem & arripi & dimitti, ſæpius accuſari, interdum damnari, femineamque impudicitiam exprobrari, non rarò inuidiam in riuales concitari, in amatam mulierem contemptum odiumque effundi: rurſus hæc mitigari, & eam tandem affectionem, quæ antiquior fuerat, amorem nimirum, plus cæteris omnibus valere. Quamobrem de pace, de reconciliatione, de amore demum redintegrando cogitatur, atque agitur; atque vt tota hæc res ac ratio illuſtrior nobis fiat, exemplum aliquod habere non pigebit. Neque verò nimium referre puto, vnde illud petatur; quando illud nobis non ad vitæ documentum aliquod, ſed ad rei, de qua loquimur, ſimilitudinem eſt dirigendum. *Dum tu Lydia Telephi*, &c. Tandem ſubiungitur,

Horat. lib. 1. od. 13.

Felices ter & amplius,
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Diuulſus querimoniis
Suprema citius ſoluit amor die, &c.

Igitur cùm iam Deus per vatem ſuum, multas huiuſmodi cogitationes & curas aptiſſimo ſermone expreſſerit, tandem iram omnem in pacem & gratiam vltrò offerendam ſibi mu- Ierem.c.19.
» tatam eſſe prædicat, ſicut ſcriptum eſt: Ego enim ſcio cogitationes, quas cogito ſuper vos,
» cogitationes pacis non afflictionis, vt dem vobis finem & patientiam; & inuocabitis me, &
» ibitis, & orabitis me, & ego exaudiam vos; quæretis me, & inuenietis, cùm quæſieritis me in
» toto corde veſtro, & inueniar à vobis, ait Dominus; & reducam captiuitatem, & congrega-
» bo vos de vniuerſis gentibus, & de cunctis locis, ad quæ expuli vos. De his autem cogitationibus totus hic ſermo cum vate inſtituitur, prædiciturque quid interim futurum ſit, dum Iſraëlitica gens omnino in gratiam cum Deo reuertatur. Namq. hactenus duo nobis tempora, duo gentis huius ſtatus deſcripti ſunt, atque in altero quidem antiqua eius hiſtoria breuiſſimè fuit propoſita, qua rudis ille populus diſciplinæ ignarus, totius honoris inops egenusque fuerat, vt Dei beneficio repentè auctior extiterat, & à Deo ad maximum honorem fuerat euocatus. In altero verò eiuſdem populi ingratitudinem atque inſaniam complexi ſumus, & quas ob fidem atque religionem violatam pœnas ſubiturus ſit; & tandem eundem in gratiam diuina benignitate reuocandum cognouimus. Supereſt tertius ille ac medius gradus, quem ille, dum optatiſſimus malorum & calamitatum finis adſit, cõplebit.

Hic

Hic demum gradus hoc in capite deſcribitur atque prædicitur: Sed illa tamen cauſa inprimis repetitur, quare ſic illis conſultum eſſe velit Deus; nimirum quia nihil odit eorum quæ fecit: homines autem præcipuè quamuis indignos, amat; pro quibus vnicum & chariſſimum ſibi filium ad mortem dedit. Verumenimuerò vt inſtituta ſemel ſermonis & prædicendi ratio modusque ſeruaretur, eam de qua agitur, rem magnam atque diuturnam futuram non verbis tantùm, ſed ſignis etiam expreſſam eſſe voluit Deus. Iubet itaque vatem ſuum nouam aliam cum muliere rationem inire, vt ante oculos poneretur tanquam imago quædam & repræſentatio rationis eius, quæ ab ipſo Deo aduerſum Synagogam deinceps eſſet ſuſcitanda: ideò autem alia ratione cum mulieris perſona agi opus erat, dignitate, honore, regno, & ciuitatibus ſuis expulſa, ob antiqua & præſentia ſcelera; adeoque ob repulſam Meſſiæ ſuo ab ipſa illatam, quamdiu diuina reconciliatio eſſet expectanda. Namq; longè aliter actum iri oportebat, quàm ante abdicationem actum, aut poſt reſtitutionem eſſet agendum: Atque eæ partes vnius tantùm rationis & modi ſpectatione ſatis aptè agi ac repræſentari commodè non poterant: ſiquidem antea cum ſynagoga Deus, perinde ac vir cum amata ſibi non tamen integris moribus prædita vxore, ſe habuit. Tandem verò ad ſanitatem bonamque frugem reſtitutam ſibi tanquam viro bono vxorem bonam, chatiſſimam, atque gratiſſimam curæ eſſe futuram eſt pollicitus; vtraque autem res à vate noſtro cum vna vxoris illius, quam duxerat, perſona commodè repræſentata eſt. Sed quoniam aliud iam negotium non ex coniugij legibus & officiis gerendum eſt; aliud agendi genus, aliusque modus obſeruandus proponitur.

[*Et dixit Dominus ad me: Adhuc vade:*] Attentionem multam magnam futuræ rei expectationem initio ſtatim molitur, cùm verba denuò ſibi à numine facta, nouumque ſermonem quaſi de re noua & maxima inſtitutum, referat: Porrò particula illa, *adhuc*, nouam deinceps agendi rationem ſuſcitandam ſignificat; eademque particula in ſimili ſententia vti Deus ipſe ſolet; vt, Adhuc vna plaga tangam Pharaonem & Ægyptum: Sic hoc loco: Adhuc vade, atque aliam rationem inito. Ire autem imperandi modo poſitum, agendi ſedulitatem & maturitatem ſuadet, vt ſuperius: Vade & ſume tibi vxorem fornicationis. Ioan. 3. Exod. 11. Oſee 1.

[*Et dilige mulierem dilectam amico & adulteram.*] Hæc totius negotij imago, & repræſentatio eſt: Nam cùm Deus futuram ſibi aduerſus Iſraëliticam gentem abnegationem & excluſionem eſſet cōminatus; vel certam potius partim ob ſpectata iā, partim ob præuiſa in iis ipſis ſcelera prædixiſet, & tandē futurum eſſe promitteret, vt in miſericordiā atque in gratiam reciperentur: quo tamen pacto cum illis interim agendum eſſet, incertum & ignotum eſſe potuit. atq. ea ignoratio, & incertitudo in cauſa fuit, vt multi ex illis ſpem omnē animumq. deſpondentes, præcipites irent; multi rurſus certæ pollicitæ ſpei non ritè ſancteque innixi, vitiis & voluptatibus per totam vitam ſecuri liquefierent, & mollitie diffluerent: alij demum illud fieri omnino poſſe negarent, vt deſerti ac deſtituti à Deo vel diem vnum peragerent, tum quòd filij Abrahæ Iſaac & Iacob eſſent; quorum ſobolem à Deo deſertam eſſe non decebat: tum etiam quòd omni naturæ prorſus videatur repugnare, vt res aliquæ à diuina prouidentia neglectæ atque dimiſſæ, durare valeant, ſicut ſcriptum eſt: Auertente te faciem tuam turbabuntur, auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. Itaque vt huiuſmodi hominum animis hæſitationes dubitationesque remouerentur, hoc & agendi & dicendi genus inſtitutum eſt, quo oſtenderetur, non vt anteà feliciter, non vt futuris temporibus feliciſſimè illis eſſe prouidendum; ſed prouidendum eſſe tamen, vt nec ipſi funditus perirent, nec omnino nullum ſemen Abrahæ ſupereſſet; ex quo maxima illa iuſtorum & piorum hominum ſoboles eſſet propaganda, ſicut ſcriptum eſt: Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & Gomorræ ſimiles eſſemus. Expendenda autem inprimis ſingula verba ſunt, & cum ſuperioribus componenda; ex quorum cognitione & comparatione, certa nobis conſtare poſſit interpretatio: Initio enim vates vxorem accipere feminam impudicam, atque ex eadem filios ſuſcipere iuſſus eſt; nunc verò dilectam amanti viro mulierem, eandem libidinibus indulgentem, non accipere, ſed amare imperatur. Vt ergo magnum inter vtramq. actionem diſcrimen eſt, ſic eorum negotiorū quæ his imaginibus ſignificantur, alia atq. alia omnino ratio obſeruatur: Nam quam ſuperius accipere iuſſus eſt vxorem, eam, legitimā ſibi certis coniugij legibus ſtatisque ceremoniis (quæ ab Hebræis Lekahhim, hoc eſt, acceptiones dicuntur) duxit. Nunc verò amici affectu amare, non vt vxorem aut accipere, aut habere imperatur; ſed quod vſu ſæpè venire videmus meretriculis, quæ corpore quæſtum faciunt: vt vnus tamen præcipuus ſibi deligatur, cuius ſeſe nomini, & protectioni committant; hic autem amicus ſociusque appellatur, cui ne qua amicæ iniuria fiat, prouidere cura eſt. Namque huiuſmodi natura, & ſexus viri conſilio ac cura deſtituta, diu bene agere, & conſeruari haud quaquam poteſt. Pſal. 103. " " Iſaie. 1. " " לקחים

poteſt, ſicut ſcriptum eſt: Mulieres ſeptem apprehendent virum vnum dicentes: Panem
Iſai.c.4. noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur, tantummodo inuocetur nomen
» tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum, &c. Huiuſmodi præſtantem hominem
Hiſpanicè ſignificantius quàm Latinè amicum dicere ſolemus, Græcè ἑταῖρον, Hebraicè
רע vero Reagh: vtraque quidem poſteriora nomina, multò quàm illud Latinum, aut Hiſpa-
num, aptiora ſunt: Nam alios præter eum qui deſcriptus eſt, amatores & riuales appellari
ferè apud omnes eſt conſuetum. Hactenus quidem deſcripta nobis imago eſt, nunc verò
deinceps res ipſa cum imagine eſt componenda: Olim Deus ſynagogam legitimis cere-
moniis, & multis additis beneficiis in vxorem acceperat; illa vero officij immemor ſui, &
ſceleribus multis, & turpiſſimis ſuperſtitionis adulterus ſeſe contaminauit. Quamobrem
viri ſui ſtomachum atque iracundiam non ſemel fuit experta; nondum illis temporibus
rupto coniugio, nec vxoris nomine, neque dignitate amiſſa: nam lex & ſacerdotium & re-
Vide Ioſippum vbi ex profeſſo idẽ oſtenditur. gnum, tametſi nonnihil interrupta & debilitata ſunt, non tamen ſunt omnino ſublata; do-
nec in lapidem offenſionis, atque in petram ſcandali impegêre; quo admiſſo ſcelere, & con-
iugij nomine, & viri officio meritò ſpoliati ſunt, ſicut ſcriptum eſt: In ſceleribus veſtris di-
Iſai.50. » uiſi matrem veſtram, quia veni, & non erat vir; vocaui, & non erat qui mihi reſpondere vel-
let. Quia verò cogitauerat Deus illam ſibi in tempora illa felicia reponere, docet nunc in-
terim quo officij genere erga eandem functurus ſit: nimirum amore eo, quo quis femi-
nam aliis amatoribus proſtitutam in ſuam tutelam ſuſcipit. Huiuſmodi verò hominis ſic
amantis illa inprimis cura eſſe debet, ne quid deſideretur, quod ad vitam alendam perti-
net. Eam curam ita temperari ab eo neceſſum eſt, vt quoad fieri poſſit, ſuo conſilio, & opera
ad meliorem mentem & frugem redeat: audiat illa ſæpè eundem ornatus, & cultus, totiuſ-
que victus luxuriem vera atque vehementi oratione arguentem: audiat amatorum turbas,
hoc eſt, maximum feminarum dedecus damnantem. ad vnius autem, id eſt, ſui tantum a-
morem, fidem conſuetudinemque reuocantem percipiat; ſeſeque illi demum, ſi reſipiſcat,
perpetuò amantem ac vtilem non tam amatorem, quàm maritum futurum eſſe promitten-
tem ſentiat: Hoc munus, hoc officium, hæc cura eſt amantis, ſiue ſocij: qualem ſe aduerſus
huiuſmodi mulierculam præſtare vates noſter iubetur. Si quis verò huius curæ atque offi-
cij exemplum aliquod deſideret; quando ad huiuſmodi genus tota hæc ratio à numine ipſo
reuocatur, is primi Propertij libri elegiam ſecundã legat, in qua huius rei imago abſolutiſſi-
Propet.lib. 1 eleg.2. mè depingitur. Hoc itaque modo ſynagogam, quamdiu in repudio permanſerit, amatam à
Deo eſſe conſtat. nam neque iis quibus antè vſa fuerat beneficiis, neque eadem dignitate
vtitur, neque curas illas, & correptiones, & iurgia in ſe diuina experitur; ſed promiſſæ tan-
tùm reuocationis ſpe alitur, & in diuinorum librorum lectione verſata, ſimulachrorũ cul-
tum, & cætera impia ſcelera horrere & vitare diſcit; ac interim vitæ muneribus vtitur po-
tius quàm fruitur, donec optata illa, feliciſſimaque dies adſit; cùm è tenebris, & vmbra mor-
tis, in qua nunc iacet, in lucem tandem atque in vitam prodeat. hic diuini amoris erga gen-
tem illam modus, hæc ratio eſt. Ob eam verò cauſam, quòd ad hanc veritatem ſimilitudo
& imago ipſa reuocabatur, dictum eſt vati: Amato feminam amore amici, ſic enim Deus
amabit filios Iſraël; vt imago potius rem quàm res imaginem imitetur. [*Quia ipſi reſpectant*
ad deos alienos.] Inter alia multa officia, quibus *Vau* particula apud Hebræos fungi obſerua-
tur, vnum eſt, quòd relatiua quandoque fit: quam particulam propter frequentem coniun-
gendi vim, in noſtram coniunctionem, ET, interpretes ferè ſemper vertere ſolent: ſed ta-
men ad quod officium reuocari poſſit, ipſa ſententiæ ratio, & contextus rerum facilè indi-
Pſal.48. cabit. Relatiuè autem hîc ponitur, & alibi non raròo, vt Homo in honore, & non intellexit,
comparatus eſt iumentis. ita enim ad verbum ſonat ille verſus. Huius autem loci hîc con-
textus eſt: Amato tu feminam dilectam amico, & adulteram, ſicut amat Dominus filios
Iſraël; qui & ipſi ad alienos Deos reſpectant. Atqui cùm hæc inter Deum & vatem ageren-
tur, Iſraëlitæ ad deos alienos reſpectabant. & quoniam de hoc ſtatu iam cogitabat Deus,
eumque quamuis futurum, tamen ante oculos vati ſuo præuidendum prædicendumque
veluti præſentem ponebat: idcirco totus de præſenti ſermo eſt; apud Deum enim nihil fu-
turum, nihil varium aut permutatum eſſe poteſt; ſed ille immenſus amor quem natura ha-
bet, alia atque alia ratione, ad alias & alias res refertur; neque amorem ille ſuum, ſed ego a-
mandi mei rationem aliam atque aliam muto. namque vt ſol radio ſuo, & calore omnia
complet & fouet, & tamen pro varia rerum natura & aptitudine hoc minus, illud magis,
aut citius, aut tardius virtutem eius experitur; ita Dei immenſa ac ineffabilis amoris erga
2.Tim.2. homines vis, pro cuiuſque capacitate in ſingulos infunditur; & vt Paulus ait: Varia vaſorum
» ratio atque natura eſt: alia enim lignea, alia fictilia, quædam argentea, & aurea quædã ſunt;
» ſed ad honorem partim, partim verò ad contumeliam apta eſſe conſtat. Qui ergo emun-
dauerit

dauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum: Nam per Deum natura cùm bonum, tum ſupremum non ſtat; ſed per vaſa ipſa quò minus omnia magnam atque vtiliſſimam diuinæ beneficentiæ partem capiant. Reſpectare autem ad deos alienos dicuntur, vt hoc dicendi genere ac tropo vetiti amoris ſcelere flagrare arguantur: Etenim nullæ corporis noſtri partes, amorem quamuis celatum apertius, quàm oculi indicant. Is enim ſenſus eſt, per quem maximè ea perturbatio concipitur, & concepta foueri maximè ſolet, ſicut ſcriptum eſt: Oculi tui videbunt extraneas. Ex quo fit, vt ſi quis amorem ſuum maximè diſſimulare velit; tamen cùm id præſens eſt quod amatur, non poſſit ſibi temperare, quin oculos animumque ſubinde defigat. Proditur autem hoc modo vel inuitis amantibus amor. Quamobrem ſibi hac in parte conſultum eſſe optabat vates, vt oculi ſui ad verum Dei amorem & cultum, ab omni vana, & incommoda perturbatione reuocarentur: Auerte, inquit, oculos meos, ne videant vanitatem; in via tua viuifica me. [*Et diligunt vinacia vuarum.*] Pulcherrimè aptiſſimeque ſuſceptam allegoriam perſequitur: adeò quippe cõiuncti eſſe ſolent, & mutuis officiis ſe iuuare Bacchus & Venus; hoc eſt ebrietas & libido, vt nunquam inter auctores alterius mentio fiat, quin altera continuò ſubiiciatur; eſt enim vtrique & alliciendi & nocendi par poteſtas: nam vtraque hominem de virtutis & ſapientiæ gradu, de mente denique deturbat; vtraq. alteri cùm aptè conueniat, vtraq. etiam alteri coniuncta in crimen vocatur, vt apud hunc eundẽ vatem Deus inquit: [*Fornicatio & vinum, & ebrietas auferunt cor.*] Sic ille cùm amoris atque fidei proditæ amicam inſimularet, ebrietatem vt criminis huius argumentum ſatis idoneum obiiciebat: Prou. 23. "Pſal. 118.

> *Vror, ſeu tibi candidos*
> *Turparunt humeros immodicæ mero*
> *Rixæ: &c.* Horat. lib. 1. Od. 13.

Neque verò hoc in loco Iudæa gens à Deo, ebrietatis accuſatur, namque aliàs & eiuſmodi vitij notabitur. ſed cùm maximũ crimen (cuius cauſa hæc oratio habetur) ſit vanorum deorum cultus, quod ſub adulteriorum allegoria afferri cœptum eſt, vtitur hoc argumento tanquam certiſſimo, quòd legis, & diuinorum myſteriorum ignara ebria, atque à ſenſu & mente aliena, nihil niſi ſuperſtitionem & nefarios cultus amet, ac ſequatur, ſicut ij qui intemperanti ſeſe vino atque ebrietati dediderunt, Veneri, & turpiſſimis voluptatibus indulgere ſolent, ſicut ſcriptũ eſt: Ne intuearis in vino, quando flaueſcit: cùm ſplenduerit in vitro color eius, ingreditur blandè, & in nouiſſimo mordebit, vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet: ex qua re illud ſequetur quòd Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruerſa. quam etiam ob rem quidam dicebat: Prouer. 23.

> *At nequis modici tranſiliat munera Liberi, &c.*
> *Monet Sithoniis non leuis Euius,*
> *Cùm fas, atque nefas exiguo fine libidinum*
> *Diſcernunt auidi.* Horat. lib. 1. Od. 18.

Vinacia vuarum. Pocula vini, ſiue lagenas potius, Hiſpanicè garrafas: vt eos vehementer ebrios oſtenderet, qui non calices & pocula modò, ſed totas lagenas exhauſerint. Vuarum autem pro vini dixit metonymia poëtica ad rem exaggerandam vſus, qui tropus non infrequens diuinis carminibus eſt, vt ſanguinem vuæ biberet meraciſſimum, & in externis poëmatibus; Deut. 32. Horat. lib. 2. Od. 20.

> *Cæcubam, & prælo domitam Calæno*
> *Tu bibes vuam: &c.*

Et fodi eam mihi quindecim argenteis & coro hordei, & dimidio coro hordei.

IVSSVS vates eam rem agere, qua futuræ aduerſus Iudæos prouidentiæ imago quædam repræſentanda fuerat, continuò ſe diuina iuſſa faceſſiſſe ait, & in ſocietatem accepiſſe mulierem, quam ſibi quindecim argenteis, & homer hordei, & dimidio homer hordei pactam oſtendit. *Fodere* hoc in loco idem quod mancipare ſignificat, tranſlatione ab illis ſumpta, qui ſeruos libertatem negligentes perforata auricula ſibi ex lege & conſuetudine addicebant. Cùm autem argenteis quindecim & hordei homer atque Lethec (quod dimidium eſt homer) illam ſibi obligatam dicat; non autem legitimis acceptionibus, & dote, & totius rei familiaris vitæ atque victus communicatione, vt cum dilecta vxore fieri conſueuit, oſtendit iis rationibus à Deo, Iſraelitico populo conſulendũ fore, quæ cum eorum conditione in illo rerum ſtatu aptiſſimè conuenirent, non illis præclaris & abundantibus rationibus, quibus olim eis fuerat prouiſum, vt tritico, vino, oleo, lino & lana,

 & demum

& demum rerum omnium copia affluerent, ſed vt victu eodemque tenui, nimirum hordei, nec tamen geminata menſura, atque cultu etiã penè ſeruili quindecim argenteis comparato non deficerentur; cæteris præterea quæcunque ſuauiorem & iucundiorem vitam faciũt, magiſtratibus, honoribus, prædiis & agris, regibus priuatis & publicis rebus, atq. adeò ciuitatibus carerent. Atque ad hunc locum Iudaicas res deueniſſe, in eoque hactenus eſſe, nemo, qui & illorum hiſtorias legerit, eoſdemque vbicumque gentium vitam degunt, viderit, neſcire poteſt.

Hierony.
Camhi.
Salo.
Ambroſ.
Epiſt. 39.

Et quoniã in hoc loco, vt ferè in omnibus aliis, quibus numerorum, aut menſurarum mentio intermittitur, variè tum Hebræi, tum Græci, tum etiam Latini interpretes omnes commentantur, atque rem ad allegoriam reuocantes, propriam quiſque aut ex arte, aut ex cogitatione ſua, diuinationem in medium affert: non alienum erit, ſi nos aliquid etiam proferamus, quod tamen legentium iudicio ſit permittendum. neque verò aliorum ſententias enumerare, aut in noſtra commentaria tranſcribere animus fuit; ne vltrà quàm vellemus, voluminis magnitudo, & commentationis modus excreſceret: Satis enim fuerit eos qui excellere hac in parte videtur, auctores in libri noſtri margine indicaſſe. Inprimis illa nobis vſurpãda eſt cogitatio, multa verba in Hebraica, vt in aliis linguis, eſſe quæ agnominationis figura, aut variæ ſignificationis ratione, ab vna ad aliam rem transferri

Cic. lib. de orat.

poſſint, atque hac ſignificationum deriuatione non infrequenter auctores vti ſolere, multamque de hac re, atque de hoc elocutionis ornamento, longam eſſe apud dicendi artifices

Horat. lib. 1. epiſt.

diſputationem, cuius generis illud eſt: *Aſinaq; paternum Cognomen vertas in riſum & fabula fies*: Igitur conducta ſibi mulier quindecim argenteis à vate narratur, quibus vitam interim tueri poſſet, quoad illa in meliorem mentem mutata, redeuntis tandem ad ſe amorem & curam maiorem experiretur: Atque illud hac imagine indicari videtur, quibus potiſſimum rebus atque conſiliis adiutus Iſraël, & ad diuturnam illam ſpem fortiter tenendam, inſtructus eſſe poſſit: Nulla autem illis commodiora, & magis ad eam rem apta eſſe probantur, quàm aſſidua ſacrorum librorum lectio, in quibus certa loca ſunt, quæ de hac re conſulentibus ſatis idoneam ſuppeditare poſſint ad ſperandum materiam. Nam quod ſemel à Deo in hominum vtilitatem promiſſum eſt, id niſi noſtra impediatur culpa, vt ſuccedat neceſſe eſt. Atque ad eam ſpem alendam plurimum confert ingens & indefeſſa arcanorum

Rom. 15.

voluminum lectio, ſicut ſcriptum eſt: Quæcunque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Quindecim itaque inprimis vates fuêre, apud quos oracula, de hac Iſraëlitica reſtitutione funduntur. ij autem ſunt, Dauid Rex primus in quibuſdam pſalmis, ſecundus Iſaias, Ieremias tertius, quartus Iezechiel, Hoſſeas quintus, ſexto loco Ioël, ſeptimus Amos, octauus Gobadias, nonus Michæas, decimus Habakuq, Sophonias, Daniel, Aggæus, Zacharias cum Malachia, quindenarium hi numerum complent: neque quiſquam alius præter hos vates eſt, qui de hac re verba faciat manifeſta. Atque hanc ſententiam coniiciendi hæc ſimpliciſſima ratio eſt: Numerus quindenarius vt occurrit ſine vlla alia diuinatione præſenti intentione conueniens

Pſal. 84.
כסף

admittitur. Argentum autem Hebraicè *Chezzeph* dicitur à verbo *Chazzaph*, quod concupiſcere rem aliquam, ad eamque attentum eſſe ſignificat, vt in Pſalmo: Concupiuit, & defecit anima mea in atria Domini, quando veniam & apparebo, &c. Ita autem ad vatum lectionem Iſraëlitæ vehementer attenti, & earum rerum quæ illis proſpera prædicuntur deſiderio affecti ſunt, vt vates ille viſendi diuini templi ſpe atq. deſiderio affectus erat: Namque in his præter multam & maximam ſapientiam calamitatum ſuarum finem, & multa futuræ atque ſperandæ felicitatis teſtimonia contineri creduntur: quamobrem mirum in

2. Pet. 1.

modum illis attendunt. quo verbo etiam diuus Petrus ad eoſdem de ea re ſcribens, vſus eſt: Habemus, inquit, firmiorem propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes. Certè quindecim illi ſunt, quibus attendere, quos aſſidua lectione verſari expediat; ad quorum prædictiones & promiſſa tanquam ad lucem aliquam aſpiciendum ſit; vt Lucernæ, inquit Petrus, lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris. Atque de quindecim argenteis hactenus: nunc verò de Ghomer hordei, & de Lethec, hoc eſt dimidio Ghomer hordei, erit deinceps dicendum. Homer menſuræ genus apud Hebræos erat, de qua nos in noſtris De ſiclo diſputationibus exactius Dèo duce agemus. Nomen verò ipſum complementum ſiue cumulum ſignificat: nam cùm ranas Ægyptiis

Exod. 8.

infeſtas, Moſe perniciem illam deprecante, Deus extinxiſſet, in hammarim hammarim, hoc eſt in cumulos cumulos aceruatim à populo comportatas fuiſſe legimus. & apud Hab-

Habakuq 3.
חמר

bakuq cumulum aquarum multarum pro mari, dictam legimus. ſignificat ergo homer cumulum: Lethech verò dimidium homer cùm ſit, eius etiam acerui, ad quem Homer refertur, dimidium ſignificabit. atqui & hordei nomen certæ cuiuſdam ſignificationis eſt, quæ ad hanc rationem non minus quàm ſuperiora aptè referre placet: nam turbo, procella, &

tempe-

tempeſtas,& maxima quæq. calamitas nomine & verbo ſaghar ſignificantur, quæ ad idem etymon cũ hordei nomine referũtur: vt in Pſalmo: Et in circuitu eius SAGHAR MEOD, id eſt tempeſtas valida. & iterũ dixit, & ſtetit ſpiritus Saghar, id eſt procellę. Nomine igitur Seghorim, id eſt hordeorum in hac ſignificatione vſurpato ipſa ſeſe totius ſententiæ ratio detegit atque aperit. nam vt ad longam iſtam ſeruitutis miſeriam, reſtitutionis ſpe ferendã atq. leniendam, quindecim vatũ lectio illis proponitur, ſic etiam ea ſcripta cognoſcenda, atque animo verſanda indicantur, quibus ſcriptis omnis futurarum illis calamitatum & miſeriarum ſumma præfinitur. Atque duo præcipuè loca ſunt, in quibus hac de re agitur: Alter eſt ſeptimũ ſupra vigeſimũ libri Deuteronomij caput: Alter verò Leuitici vigeſimum & ſextum, quibus locis imprecationes & diræ populo illi pronuntiantur, ſi legem, ſi fœdus diuinum neglexerit, atque ruperit. Sunt autem in Deuteronomio nonaginta octo numero quæ calamitatum aceruum, atque cumulum, hoc eſt, homer, complent: In Leuitico verò quadraginta quinque tantùm ſunt, quæ lethec, hoc eſt dimidium homer abſoluunt. Hæc vates pronunciat haurienda illis eſſe prius quàm miſeriis, quibus ſcatent, extricari contingat; atque ad eorum in ſacris libris cognitionem adhortatur: namque ita fiet, vt ipſi non caſu, ſed diuino conſilio eò ſeſe veniſſe agnoſcant, & futuræ rurſus reſtitutionis promiſſis, atque ſpe alantur, quæ ex illis eiſdem locis, vbi diræ atque imprecationes continentur, petere licebit: ſunt enim hæc illis continuò ſubiectæ. Atque adeò ex hac cumuli atque dimidij dirarum cumuli aſſidua cogitatione magnum illi fructum conſequentur: quippe & iuſtum Dei iudicium inprimis agnoſcent, malumque ſuum prouidentiæ ſpe ac fide ſolabuntur, atque meliorum rerum deſiderio affecti diuinam miſericordiam aſſiduis precibus appellabunt, vt iis tandem malis feliciorem finem atque exitum det.

Pſal. 58. Pſal. 10. שעורים

Deut. 27. Leuit. 26.

Et dixit ad eam, Dies multos expectabis me.

PRO ratione conceptæ ſimilitudinis decorum omne, atque omnis œconomia à vate conſeruatur. namque hoc in loco vates eius partes agit, qui mulierculæ pluribus quondam amatoribus proſtitutæ, curam gerit, quique eam ad ſanitatem atque officium reuocare ſtudet: quod duabus rebus potiſſimum efficitur, victu & cultu parcius ſuppeditato, & oratione ad hanc rem accommodata, qualem anteà apud poëtam indicauimus. Igitur cùm vates priorem partem ſoluerit; hanc alteram breuibus quidem verbis, tamen idoneis ſententiis adiungit: Oſtendit enim ſe ira & dolore commotum, quòd tot procos ſibi præferri, & addi videat. Cæterùm quia id non doloſè, verùm vt ira percitus cogitat, opus eſſe; vt quamdiu ipſe ſeceſſerit, illa quoque conſilium mentemque mutet: & vt frugi feminam ſeſe gerat: vt tandem mutatis vitæ moribus, habitu, & officio amantis ſopitum amorem excitet; ita fiet vt cum eo in gratiam reuertatur, & in ſpem coniugij veniat. [*Dies multos expectabis me.*] Hebraicè & Græcè, ſedebis mihi: quo verbo id vitæ & cultus genus ſignificatur, quo viduæ, aut quæ viros ſuos vel amiſſos deſiderant, vel diutius abſentes exſpectant, vel iratos atque diſſidentes ſibi reuocare ſtudent, vti conſueuêre: cuiuſmodi vitæ genus Thamar illa referre nobis poterit, quam ſedere apud patrem ſuum, donec futurus illi maritus creſceret, Iudas ſocer iubebat. Sedebis itaque mihi, hoc eſt nomini meo addicta, neq. alium præter me appellabis. Quod ſi quis huiuſmodi conſilio, mente atque habitu mulieris exemplum ex aliis auctoribus deſideret, vnum ſatis profectò aptum ex Propertio petere licebit, libro 3. Elegia 6.

Geneſ. 38.

Propert. lib. 3 eleg. 6.

Non fornicaberis, neque eris viro: & ego expectabo te.

LEGES imponit mulieri, quibus teneri illa debeat, ſi modò reconciliatum ſibi virum velit: atque altera quidem honeſtiſſima lex illa eſt, vt à libidine omni abſtineat, & mœchorum conſuetudine abiecta ad viri optimi deſiderium penitus reuocetur: quem tamen non ita citò facilem experietur; quippe diebus multis iucundiſſima illius conſuetudine caritura eſt, ſcilicet vt ſentiat, quanto priuata bono ſit: atque reditum ſibi, aliquando pro dignitate amplecti & conſeruare diſcat. [*Non eris viro.*] Hæc altera lex eſt, vt ferat viri proprij deſiderium, durum illud quidem, ferendum tamen: nam leuius fit patientia quidquid corrigere eſt nefas, inquit ille. [*Et ego expectabo te.*] Hebraicè & Græcè; Et ego tibi, ſubaudiendum, non ero, hoc eſt viri officio aduerſum te non fungar. Nam ſuperior negatio inferiorem etiam orationem negat. Eſt autem locus à relatiuis. Hæc verò vatis oratio atq. prædictio eſt, qua apud eam quam ſibi conduxerat mulierem, vſus ipſe fuit. At verò quoniam futuri Iſraëlitarum ſtatus imago, & repræſentatio quædam hæc fuerat, ne quis aliter rem interpretaretur, rationem ipſam atque interpretationem (vt nihil apertius) continuò ſubiecit: vt

cit: vt ſi quis cuius rei cauſa illa ab ipſo agerentur, rogaret, reſpondet idem, nempè fore vt Iſraëlitarum gens diu Reipublicæ, atque omnis religionis vſu, dignitate, atque luce careat, vt neque ſacrarum & prophanarum rerum ius, & morem antiquum retineat, neque eum qui per ſcelus inductus eſt, ſeruet. Vt autem hoc explicaret, argumenta à deſtinatis ſumpſit, ſine quibus res geri non conſueuêre, hoc modo:

Quia dies multos ſedebunt filij Iſraël ſine rege, & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine ephod, & ſine theraphim.

HÆC omnia enumerauit, quorum vel ad ſtatam puramque Dei religionem, vel ad vanorum deorum cultum atque ad ſuperſtitionem vſus erat, quibus demptis, vſum Horat. lib. 1. Od. 11. quoque eorum demptum eſſe conſequitur, vt illud: *nec turpem ſenectam degere, nec cithara carentem.* [*Sedebunt.*] Vt ad viduarum, atque relictarum mulierum rationem, ſic ad obrutas Threno. 1. „ vaſtataſque reſpublicas, aptiſſimè verbum hoc transfertur: vt, Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo! Eſt enim miſerorum ſedere, cùm præ ærumna, & animi dolore nihil agere, atque adeo ſeſe præ imbecillitate ægrè ſuſtentare ipſi poſſint. *Sine Rege;* cuius conſilio & authoritate publicæ res adminiſtrentur. *Et ſine principe* alio, quem illis ex propria gente ſibi adhibere liceat: namque olim quamquam apud Babylonem Iudæi exularent, principe tamen quodam Ieroſolymitanæ vtebantur reliquiæ: nunc verò & aliarum gentium, apud quas miſerè vitam agunt, legibus & regibus vel inuiti obtemperant, & neque principis nomen inter ſe appellare audent, quamuis caput quoddam captiuitatis dictum, in quocumq. loco ſunt, ſibi præficiant, quod tamen nullo principis fungatur officio. [*Et ſine ſacrificio, & ſine altari.*] Hebraicè poſterius hoc, *ſtatua* dicitur, vt eos diuino prorſus cultui, tam proprio quàm alieno operam daturos eſſe neget: nam vt ſacrificium ad puram & conceſſam illis ſacrorum rationem, ſic ſtatua ad vanum gentilium ſimulachrorum pertinet cultum. quòd ſi altare quis malit legere, vt Latina noſtra verſio habet, aliud eſſe exiſtimet altare oportet à ſacrificio conceſſo; neque enim geminarentur nomina, ſi res eadem vtrobique indicaretur. [*Et ſine ephod & ſine theraphim:*] Quoniam humanæ res ſine diuino conſilio, nec rectè adminiſtrantur, nec ſuccedunt; oracula olim neceſſaria fuêre. Hæc autem aut vera certaq. ſunt, qualia quæ à Deo vero funduntur: aut incerta, aut vana, qualia à dæmone vel fundebantur, vel ab eius miniſtris atque ſacerdotibus fingebantur, quibus vulgus erroneã fidem habebat. Cùm igitur Iſraëlitæ ad impium ſacrorum morem à vero cultu tranſierint, diuinandi etiam rationem & modum gentibus conſuetum obſeruabant: namque Hebræis ex Ephod, ex Vrim & Thummim, vera & certa; Gẽtibus verò ex certis ad certam tẽporis horam, & ſyderum aſtrorumque coniunctionem aptatis ſignis atque imaginibus, ex auibus, extis, ex tripode, atque aliis ex rebus, vana & incerta petebantur reſponſa: vtroque genere deſtituendos Iſraëlitas vates prædicit. Singulas autem ſpecies in ſingulis generibus tantum Psal. „ dixit, conſueta autoribus dicendi figura vſus; vt, Conteres naues Tharſis, pro quibuſcumq. Horat. Od. 24. nauibus: &, *quodcunque minabitur Eurus Fluctibus Heſperiis:* Eurus pro vento dictum. Atque ad hunc locum Iudæorum res deueniſſe, eumque hactenus tenere, certius eſt, quàm vt probationem noſtram deſideret. nam neque Ieroſolymis, ſi qui ex ea gente degunt, ſacra patrio more faciunt, cùm templum illud, in quo ſolo hæc exerceri fas fuerat, à Barbaris ſit occupatum, & Machometano ritu frequentetur: (Extra vrbem verò ſacris operam dare nefas illis eſt:) Neque etiam prophanis gentium cultibus, & ſacrificiis vacant, quæ ab Euangelicæ propagationis tempore per totum ferè orbem obſoleuerunt.

Et poſt hæc reuertentur filij Iſraël, & quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid Regem ſuum, & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius in nouiſſimo dierum.

SVPERIORVM promiſſorum hæc confirmatio eſt, atque aſſeueratio, quæ eorum ad quos pertinet ſpem, iteratione atque repetitione redintegrat: In præcedenti autem capite res omnis propoſitionis forma prædicta fuerat: in hoc autem diſpoſita, & vnicuique parti ſua tempora ſunt tributa; atque ita temporum & rerum diſtinctione vaticinij ratio certior atque explicatior apparet, & ſperantium animi reuocantur, ex obſeruata antecedentium & præſentium rerum ſerie ad futuram tranquillitatem expectandam: *Et poſt hæc,* conuertentur vocati à Deo Iſraëlitæ, atque Euangelij voce rurſus inuitati emollitis iam diuina miſericordia eorum cordibus, quæ hactenus ob propriam ipſorum culpam obduruerant, reuertentur ab iſta, in qua nunc iacent, miſeria, ad nouam illam atque deſideratam felicitatem. [*Et quærent Dominum Deum ſuum.*] cuius regnum intra ipſoſmet futurum eſt: quærent in toto corde & in tota anima, & mente, damnatis prioribus omnibus cogitationibus & ſtudiis,

ſtudiis,quæcunque veritati,& conſilio diuino aduerſabantur. [*Et quærent etiam Dauid Regem eius,*] Ieſum Chriſtum verum Dei vnctum, cui Dauid ſolium perpetuò poſſidendum à Deo traditum eſt, cuiuſque regni finis futurus eſt nullus. hunc eundem ipſum ſibi regem & iudicem vniuerſorum à Deo lectum, datumque agnoſcent: huius imperiis, vt planè diuinis obtemperabunt. nam vt Deo, ſic & Chriſto eius, & credere & obtemperare oportet: Creditis in Deum,& in me credite,inquit ille:& Pater etiam,hic eſt,inquit, filius meus dilectus,in quo mihi benè complacui,ipſum audite. Vt autem diuinæ naturæ dignitatis, & imperij eiuſdem communionem in Chriſto indicaret, Zeugmate figura elegantiſſimè eſt vſus,vnoque verbo vtriuſque obſequium & cultum,patris videlicet & filij,eſt complexus. [*Quærent Deum,& Dauid Regem eius.*] Sed quod Dauid antiqui ſecundum carnem patris nomine nepotem ipſum verum & certum atque æternum regni hæredem appellaret, res ipſa, ius,& ratio poſtulabant: Quamobrem & eiuſmodi creber atque conſuetus vatibus eſt ſermo, vt apud Ezechielē: Ego Dominus ero eis in Deum, & Dauid ſeruus meus princeps in medio eorum: atque apud alias etiam gentes,qui eiuſdem imperij aut dignitatis erant, primi ſui imperij auctoris nomen gerebant; vt à primo Iulio Cæſare omnes, dicti ſunt Cæſares. Horum autem ſtudium atque cura omnis,cùm eum felicitatis complexerint gradum, nulla alia erit,quàm vt ſummam erga ſe Dei benignitatem agnoſcentes, atque in animo cogitantes Deum ipſum tantorum auctorem bonorum perpetuo cultu revereantur,& bonum ipſum ſibi dono datum , hoc eſt ſpiritus diuini munus decentibus officiis, & totius vitæ integritate atq. ſanctitate tueantur, ſicut ſcriptū eſt: Satagite vt certā veſtram vocationem & electionem faciatis, hæc enim facientes non peccabitis aliquando:& iterum alio in loco: Nolite contriſtare ſpiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis: Hæc erit vita ſolutorum iſtis,in quibus verſantur, miſeriis Iudæorum,ad quam vtinam diuino munere quàm citiſſimè traducantur, neque nos tamen tanta felicitate, & honoribus tantis excludamur. Amen.

Luc. 1. Act. 2. Ioan. 12. 14. Matth. 6. Ezech. 34. 1. Pet. 1. Ephes. 4.

CAPVT QVARTVM.

Audite verbum Domini filij Iſraël, quia iudicium Domini cum habitatoribus terræ.

HACTENVS Iſraëliticarum rerum initia, progreſſus, & incrementa, atque earum fines, diuino ex oraculo cognouimus: denique omnia quæ ad illos pertinebant negotia in breuem quandam ſummam redacta ſunt. tota autē res à Deo cum vate acta eſt, ita vt futuram in eam gentem, eiuſq. poſteros animaduerſionem, & totius conſilij ſui rationem cum illo communicaret,& ſeſe iudicē integerrimū oſtenderet,& promiſſa miſericordia patrem pientiſſimum, amantiſſimumq. virum probaret. Nam Deus vt iuſtiſſimus atque ab omni iniquitate alieniſſimus eſt, ita ſuorum iudiciorū rationem hominibus bonis tamen,& ſapientibus (quales prophetæ ſunt) probandam aperire conſueuit, nequid horum aut caſu receptum, aut negligentis numinis, vel priuato odio agentis, libidine effuſum putetur, ſicut ſcriptum eſt: An eſt malum in ciuitate quod Dominus non fecerit? Quia non faciet Dominus Deus verbum , niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos prophetas. Hactenus ergo ſe iudicem apud vatem geſſit, & conſilia aperuit ſua. nunc verò deinceps cum populo ipſo agit , cuius criminibus & ſceleribus irritatus , eam quam audiuimus ſententiam pronunciauit, & ſtabiliuit, & ſermonem apud omnes, præcipuè verò apud Iſraëlitas habet; quo in ſermone primùm accuſatoris perſonam, deinde etiam iudicis ſuſtinet, atque vtrique officio propriæ partes attributæ ſunt. Eſt autem totius orationis argumentum hoc : Inprimis quantum gens illa ab officio , à diuinæ legis obſeruantia, ad vitia atque ad libidines degenerarit, oſtenditur. præterea quemadmodum ex illis malis in impudentiam, & inde in grauiſſimum atque turpiſſimum impietatis morbum delapſa ſit: eoque morbo ſacerdotes & principes obnoxios arguit: quamobrem captiuitatis & magnarum miſeriarum pœnas omnibus primùm eſſe ſuſtinendas confirmat,qui primi tantam ſint culpam commeriti: quin etiam eaſdem ad poſteros ſuos, vt meritorum, ita ſuppliciorum hæredes eſſe redituras. Statim ergo in ipſo accuſationis initio exordio vtitur diuinis accuſationibus familiari,quo & attentionem,& docilitatem parat,& rem ipſam cognitu neceſſariā docet,& parata attentione quid acturus in primis ſit, proponit; nimirum ſe illius ſeculi & gentis mores turpiſſimos accuſaturum. quam eandem dum ille accuſat, ſuorum criminum cognitricem adeſſe vult, vſque adeò accuſationē quam factitat, iuſtam atque irrefragabilem eſſe profitetur: Deinde verò propoſitam confirmat cauſam,& demum dicendo iure iudicis munus exequitur. [*Audite verbum Domini filij Iſraël.*]

Amos 3.

Ab accuſatoris & à rei ipſius de qua agitur magnitudine, attentionem captat: quòd accuſator Deus ſit, qui non odio, non ira, non propriis commodis, non denique alio vllo vitio, ſed rei ipſius indignitate, ad accuſandum moueatur; quòd filij Iſraël rei ſint, quos præter alios omnes homines, iuſtos atque integros eſſe oportuit, quoniam Iſraële patre gaudebant, in quem tanta beneficia Deus contulit, vt ob eorum beneficiorum recordationem nomen illi Iacob in Iſraël mutauerit, vt aſſidua nominis appellatione, & dignitatis & officij ſui admonerentur. Itaque non tam Iacob, quàm Iſraëlis filios in crimen vocat, quibus hoc ipſum quòd à Deo in crimen vocari poſſint, grauior quædam culpa eſt. *Audite*, autem ſimplex verbum protulit, neque verborum copia longum exordium eſſe voluit; tum vt cauſæ ſe potius, & rebus ipſis, quàm verbis inniti oſtenderet; tum quòd verbum ipſum longæ orationis vice ſeruire in diuinis ſermonibus ſolet, neque vnquam niſi in re maxima atque grauiſſima vſurpatur, quam ipſorum, apud quos agitur cognoſcere interſit: vt, Audite verbum
Iſai.c.1. Domini principes Sodomæ: Audite hoc omnes gentes, auribus percipite, qui habitatis or-
Pſal.8. bem. Vt autem, *verbum Domini*, dixit, rem conſilio diuino agitatam atque putatam oſtendit.
דבר nam DABBAR pro quo verbum vertimus animi inprimis cogitatum, deinde effatum ipſum ſignificat, vnde & pro toto negotio aliquo accipitur. Neminem præterea excipit cùm filios Iſraël appellet, non plebem, non principes, non etiã ſacerdotes ipſos, quia Iſraëlis nomine omnis Iacobi poſteritas, habita diuinorum beneficiorum atque promiſſorum ratione, appellatur. [*Quia iudicium Domino eſt cum habitatoribus terræ.*] Cuiuſmodi cauſa, & quo in genere agenda ſit, proponit: Nam cauſam in iudicio dicturus eſt aduerſus populum, qui conditioni & pacto non ſteterint; quamobrẽ creditas ea conditione res, & iuſtas etiam pœnas ab illis eſſe repetendas. Itaque hoc hemiſtichium totius orationis propoſitionem &
ריב ſtatum continet. Iudicium hoc in loco litem interpretamur: nam quod Hebraicè eſt *Rib*,
Pſal.34. contentionem, litem, controuerſiamque vertere, ratio ipſa, & locorum ſententia docet; vt,
" Iudica Domine nocentes mihi, Hebraicè *rib adonai ibeni*, id eſt Litiga Domine cum litigan-
Habba.1. " tibus mecum: de quo verbo nos plura in Habbakuq diſſerebamus. Itaque lis eſt Domino aduerſus eos, qui Cananæam terram incolunt: quos omnes in ius & iudicium Dominus ipſe vocat: quos cùm nemo deſerti officij arguat, Deus ipſe ſuas partes agere, atque aduerſarios accuſare cogitauit. [*Cum habitatoribus terræ.*] Articulus Hebraicè & Græcè nomini terræ appoſitus, certam terram de qua ſermo fiat, indicat; nimirum eam, quæ ab iis quorum iudicium poſtulat, tenebatur. Totius autem actionis argumentum huiuſmodi eſt. Deus Iſraëlitis regionem, ex qua Cananæos expulit, cum omnibus rebus & fortunis poſſidendam ea conditione tradidit, vt impietate omni, iniuria, atque ſceleribus alieni (quamobrem
Deut. 11. primi poſſeſſores expulſi fuerant) pietatem, officium, atque vitæ integritatem colerent: id quod ſi ab illis purè ſanctéque obſeruaretur, ſeſe iiſdem propitium, dextrum atque fauſtum
Pſal.104. fore à principio ad finem vſque anni futurum receperat; ſin minus id præſtarent, ſe prædixerat vltorem, & vindicem, aſſertoremque teſtibus cælo ac terra, ſicut ſcriptum eſt: Et dedit illis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt, vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius exquirant. At verò cùm iſti conditionibus, legibuſque violatis animos ſuos ab hac pietatis atque virtutis cura ad ſummam infamiam impietatemque traduxerint, & quemadmodum patres eorum in arcum prauum conuerſi fuerint, non ſolùm Dei minus ſecundam in ſe prouidentiam, ſed magnam indignationem, meritò ſunt experti. Repetit ergò ſuum ius Deus, & ab iniuſtis poſſeſſoribus terram vindicare parat, ob eam cauſam quòd incolæ conditionibus acceptis, non permanſerint: namque hæc iuſtiſſima ad
Ierem.5. repetendum cauſa eſt. Sic apud Ieremiam eodem iure poſtulantem Deum audiuimus: Cir-
" cumite vias, & aſpicite, & conſiderate; & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facien-
" tem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei ciuitati. Igitur cùm litem ſibi eſſe cum *habitatoribus terræ* propoſuerit, habitationis & terræ nominibus pactum violatum eſſe ſubindicauit: nam de habitatione, & aduerſus habitatores cauſa ſibi tractabatur. Propoſitionem autem hanc ſubiecta partitione confirmat, ita vt nullum officij genus fuerit, quod iſti non violauerint; nulla rurſus ſceleris forma, quam non ſtudio ſummo atque actionibus ſuis expreſſerint.

Non eſt enim veritas & non eſt miſericordia, & non
eſt ſcientia Dei in terra.

CVM pietas & virtus duobus officiorum generibus definiantur, quorum alterum ſit eorum quæ erga Deum, alterum verò eorum, quę erga homines fieri oporteat, vtrumque genus ab Iſraëlitis proditum fuiſſe criminatur: & vtinam nos etiam Chriſtiani, quibus maius donum iiſdem conditionibus creditum eſt, huiuſmodi crimen effugere poſſimus.

Nobis

Nobis autem ſingulæ ſeorſum formæ deſcribendæ ſunt, vt quid vnumquodque horum ſit, & ad quod genus referri poſſit, intelligatur. Negationem verò propterea præmiſit, quòd iis quæ deſiderantur, virtutum & officiorum conditionibus terram poſſidendam acceperant, vt ſcriptum eſt: Vt cuſtodiant iuſtificationes eius. Etenim iuſtificationes non tam præceptis negatiuis, quàm affirmatiuis continentur. Nam ſi quis non furetur, non peieret, non hominem occidat, non continuò iuſtus eſt, niſi idē & Deum ardentiſſimè amet, & eius cauſa in homines etiam ſit beneficentiſſimus. Itaque non ſolum nemini noceri, ſed nemini officium cùm opus eſt, non præſtari oportet, quibus ex vtriſque rebus fit, vt diuinus ſermo cùm aliquem commendare vult, à malo declinantem, & bonum facientem teſtetur, vt Vir fuit in terra Hus, nomine Iob, ſimplex & rectus & timens Deum, & recedens à malo cunctis diebus vitæ ſuæ. Deſiderantur ergo in primis officia in Iſraëlitica gente, ob quorum defectum de diuinorum poſſeſſione donorum meritò deturbandi erant. Atque tria in primis commemorat virtutum genera, quorum ſtudium & aſſiduam exercitationem ab illis celebrari volens Deus perpetuam ipſe materiam, & certas occaſiones obtulerat. ſunt autem officiorum genera hæc, veritas, miſericordia & Dei ſcientia, quorum cauſa illis ad terram incolendam admiſſis, primitias, decimas, agrorum requiem & iubileorum tributa imperauerat; quibus rebus omnibus, & ad veritatem, & fidem, & ad miſericordiam, atque ad tantorum beneficiorum auctoris Dei cognitionem aſſuefactos eſſe voluit. Hæc autem omnia ipſius terræ poſſidendæ, legibus continebantur, quæ cū minus præſtita ab illis eſſent (quemadmodum ex aliis locis manifeſtum eſt) deſiderari in terra dicuntur. Veritatem autem hoc in loco definimus eam virtutem quæ iuſtitiæ omnis fundamentum eſt, per quam damus operam, ne quid aliter, quàm confirmauerimus, fiat, aut factum aut futurum ſit. atque hæc ipſa in debitis numeratur officiis; illa verò altera quæ ſequitur, non tā ad debita, quàm ad ea quæ vltro præſtantur officia pertinet: Miſericordia ea eſt animi virtus ad opem ferendā & hominum indignorum calamitates ſubleuandas. Quiſnā verò in eo cui veritas ſancta non eſt, requirat miſericordiam? ſed neque Dei ſcientiam, cùm hanc apud eos, qui à veritate atque à miſericordia deſciuēre, quàm minimam eſſe manifeſtum ſit. Neque enim vera atque integra Dei ſcientia conſtare omnino ſine officio poteſt, ſicut ſcriptum eſt: Pater tuus comedit, & bibit, & fecit iudicium & iuſtitias, tunc benè erat ei: Iudicauit cauſam pauperis & egeni, tunc benè erat ei: nunquid non hoc eſt cognoſcere me, dicit Dominus? Igitur diuina ſcientia religionem, pietatem, & virtutum officiorumque ſtudium continere videtur, ob eamque cauſam hunc locum ſic explicat Chaldæus interpres: *Neque ſunt qui ambulent in timore Dei in terra.* Hæc itaque illis officia, hæc ſtudia, hi mores publicè fuerant priuatèque colendi, ſed ceſſēre pietas fideſque:

In quorum ſubiēre locum fraudeſq; doliq;,
Inſidiæq; & vis, & amor ſceleratus habendi.

Pſal.104. — Pſal.16. — Iob 1. — De inuẽt. lib.1. — Tuſcul.4. — Ierem.22. — Ouid. metamor. lib.1.

Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.

OMNES fraudum & ſcelerum partes in hæc velut genera relatæ ſunt, quibus non ſolùm terra infamis erat, ſed homines ipſi vbicunque eſſent, flagrabant. *Maledictum* iuramenta vana & irrita ſignificat; & quia in variis iurandi modis ille magis eſſe formidabilis videtur, qui per execrationes & imprecationes fit, hunc præ aliis omnibus protulit; qui ſi violetur atque rumpatur, cæterarum quoque omnium ſanctitatem negligi, atque violari facilè arguit. Eſt autem Hebraicè *Alah* verbum infinitum, quod cum imprecationibus & deteſtationibus iurare ſignificat, idque Græcus interpres rectè vertit Ἀρά: eius iurandi modi initium tale apud Hebræos erat, Si feci, vel ſi non feci, ſiue facio, ſiue faciam, hæc atque hæc mala in caput deſcendant meum: quam rem iurare in caput Græci dicebant:
Comedam, inquit, flebile nati Sinciput elixi Phariaq; madentis aceto. Huiuſmodi iuramento vt grauiſſimo vſum Petrum Euangelia indicant: Quod genus & inter alia Chriſtus Dominus vetuit: Neque per caput, inquit, tuum iuraueris: Atque in hoc primo ſcelere, & religionis, & fidei publicæ proditionem intelligimus. [*Mendacium.*] primum illud nomen in quacunque re interpoſitum iuſiurandum, atque idem neglectum, hoc ſecundum certæ rei & debitæ negationem ſignificat, vt depoſiti vel crediti, vel officij, atque muneris cuiuſuiſmodò debitum ſit. Nam mentiri verbum, pro eo quod eſt fidem datam fallere, & Hebræi & Latini frequenter vſurpant, vt, Filij alieni mentiti ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt, & ſi mentitus fuerit proximo ſuo depoſitum repetenti. [*Homicidium.*] ſcelerum numerum ſimul & grauitatem auget. eſt enim homicidium hominum generi in primis pernicioſiſſimum, & numini vehementer inuiſum, cùm id animal vita priuatur, cuius vitæ

אלה — ἀρά. — Iuuenal. ſat. 13. — Matt.26. — Matt.5.

cauſa totus hic inferior orbis productus ſit. Omne autẽ iniuriarũ genus, quæ ab aliis hominibus in alios perueniunt,vel in perſonis ipſis,vel in re,vel in honore atq; dignitate verſatur, nullum autẽ genus intactum,nullũ non vehementer exercitũ illis eſſe dicit,cùm homicidia & furta,atque ſtupta commemoret:ſed & dicendi modus ipſe ſcelerum numerum auget,& ſtudium indicat;nam infinitiuo modo Hebraicè ſic legimus,*imprecari, & mentiri, & occidere, & furari, & fornicari*: qua oratione communem omnibus,& maximè frequentatam iniuriarum eſſe exercitationem oſtendit: Quam rem & ſequenti hemiſtichio explicat: *Immundauerunt & ſanguis ſanguinem tetigit.*] Hebraicè ruperunt,& ſanguines in ſanguines contigerunt;vt non priuatam,ſed publicam peccandi licentiam demonſtraret. rupiſſe legũ ait & æquitatis pudoris & timoris etiam vallum, ita vt nullus locus, nullum tempus ſuſcipiendis, admittendiſque vacet flagitiis,neque quidquam obſtet, quin omnia loca, tempora, & capita omnia ſceleribus redundent: Nam

Iuuen. Saty. 13.

Quæ tam feſta dies, vt ceſſet prodere furem,
Perfidiam,fraudes, atque omni ex crimine lucrum
Quæſitum, & partos gladio, vel pyxide nummos?

hoc eſt,ſanguines ſanguinibus contactos eſſe,vt effrenata nullis ſuppliciis,nullo exilio, vinculis aut damno coërcita, nulla religione cohibita humana libido,diuina omnia atque humana iura nefariis polluerit ſceleribus,ita vt completa videatur eorum eſſe malitia,quæ rupto omni prorſus obice , omni diruta macerie,continuis flagitiis omnia compleat. Verbum autem *ruperunt*, vel *immundauerunt*, quamuis ad præcedentia omnia referatur, cùm adulteriis proximũ ſit, in eo genere nullum libidinis modum prætermiſſum eſſe docet:*ſanguines* verò iniuriarum ſignificationem multis in locis vſurpare iam notius eſt,quàm vt exemplorum copia opus ſit; vt, Libera me de ſanguinibus Deus. hoc in loco ſanguinis contactus,mutuas & continuas iniurias ſignificat. ad hunc autẽ ſtatum,vbi res hominum defluxerint, pronum eſt, vt diuinum iudicium atque vltionem expectent,qualẽ & Amorrhæi eiuſdem regionis incolæ,vbi iam ſua ipſorũ completa fuit iniquitas,experti ſunt:ſicut ſcriptum eſt; Cuſtodite leges meas atq; iudicia;& facite ea,ne & vos euomat terra,quam intraturi eſtis,& habitaturi: Nolite ambulare in legitimis nationum,quas ego expulſurus ſum ante vos:omnia enim hæc fecerunt,& abominatus ſum eas: nunc verò quando & ab iſtis omnia hæc admiſſa atque exercita ſunt:

Pſal. 50. Gene. 15. Leuit. 20.

Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea: in beſtia agri, & in volucre cæli: ſed & piſces maris congregabuntur.

CVM terra animantium omnium,& hominum præcipuè ſedes ſit, fieri perſæpe ſolet vt in lætis & in mœſtis rebus ab habitatoribus ad ipſam ſermo ratioque transferatur, & ridere & lugere terra dicatur;nec id in ſacris libris ſolùm , ſed etiam in externis auctoribus paſſim obſeruatur: Vt,*Aret ager,vitio moriens ſitit aëris herba*. Vt autem lætitia & riſus felicitatis & nitoris,ſic contrà mœſtitia atque luctus miſeriæ ſordium atque vaſtationis eſt comes. Nihil autem ita lætum atque iucundum , vt regio & hominibus, & vtilibus animantibus frequens eſt;nihil rurſus ita horridum,aut ita triſte,vt vaſtatos, & incultos terræ tractus videri, maximè ſi frequentiæ atque culturæ relicta veſtigia humanarum rerum viciſſitudinem & ruinam teſtentur:Igitur propter peccata populi iſtius, terram vaſtandam, atq; omni ornatu,omniq; nitore ſpoliandam eſſe prædicit, & decernit, ita vt mœſta terra & lugens vtpote regibus viduata,& filiis orbata ſuis viſatur;neque ſolùm homines, ſed quadrupedes etiam in ea,atque aues eſſe deſiderandas, quòd complura harum animantium genera hominum,vel cura,vel cultura,vel etiam opera ad viuendum indigeant:non ſolùm enim pecora & armenta vitam ſine humana cura tueri non poſſunt,ſed & feræ plurimæ,vt leones, lupi,vrſi & vulpes,quibus niſi ex hominum rebus vnde rapiant, ſuppetant copiæ,non facile eſt aut propagare,aut tueri genus ſuum.auium verò maxima pars, ex agris, hortis, & vinetis atque ſiluis, ab homine cultis, alitur. quòd ſi homines terris atque agris omninò cedant, illa etiam genera omnia cedere conſequens eſt : ſicut & Ieremias in eandem ſententiam dixit:Intuitus ſum,& non erat homo, & omne volatile cæli receſſit : Inſpexi & ecce locus paſcuus & fertilis deſertum erat. Atque hoc in loco beſtiam agri, pro omni animantium genere,ex quo vſus aliquis hominibus percipitur,dixit iuxta figuram cunctis auctoribus notam;ſicut Adria pro omni mari,& pecus,pro armentis etiam vſurpatur. huiuſmodi etiam illud eſt: Hæc eſt beſtia quam comedetis; cùm aliàs nomen hoc ad feras tantum accommodetur.quòd ſi propria ſignificatione nomen vſurpari velis, erit argumentum ex contentione ductum,ſiue,vt Dialectici loquuntur, à maiori .nam ſi feris regionem ad viuendum incommodam fore prædicit, longè multò profectò incommodiorem pecoribus etiam futuram ſignificat. [*Sed & piſces maris congregabuntur.*] Neque enim ſolùm ad terrarum

Virg. Eclog. 7. Ierem. c. 4. Leuit. 10.

rum

tum tractus, ſed ad ſtagna etiam, fluuios & lacus, atque adeò ad mare ipſum terris illis vicinum, ea calamitas pertinebit, adeò omnia effœta & ſterilia Dei indignatione reddẽtur, ſic- Pſal. 106. ut ſcriptum eſt: Poſuit flumina in deſertum, exitus aquarum in ſitim: Terram fructiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea. Vt enim Dei cura atque prouidentia, quibus conſulit, vbertatem & felicitatem maximam affert; ita rurſus, quas negligit ad maximã ſterilitatem, atque adeò ad internecionem, vel eo ipſo ſolum quòd negligit, conuertit, vt ſcri- Pſal. 103. ptum eſt: Omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tẽpore, dante te illis colligent, aperiente te manum tuam omnia replebuntur benedictione; auferente autem te faciem turbabuntur, auferes ſpiritum eorum & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. Congregari autem hoc in loco interire ſignificat, & in pereuntium numerum, & gregem colligi, tum ex frequenti verbi vſu: vt, Congregatus eſt ad patres ſuos; tum etiã ex rei pictura, & viua deſcriptione: nam cùm piſces vagum genus, dum viuunt, caſu aliquo in mari, aut fluminibus, aut in ſtagnis intereunt, magnam eorum copiam ad littus aut ripas, ſiue ad margines, ab vndis ipſis proiectã videre eſt. Chaldæus & Græcus interpretes, alter *lizagerun*, hoc eſt pauci fient; alter *Ecleipſuſin*, hoc eſt, deficient, verbum vertẽre, vt *congregari*, in numerũ breuiſſimum Ἐκλείψουσιν. redigi, exponerent. Diuinam profectò iram ad hæc vſque tempora Syriæ pars, quæ Iſraëlitis ceſſerat, teſtatur; quæ cùm vbertate nulli olim cederet, poſt acceptam à Tito cladem nulli alij orbis regioni non inuidet. [*In volucre cæli.*] Cum volucre cæli, ſic Græcè, & non Geneſ. 32. incommodè: vt, In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum.

Veruntamen vnuſquiſque non iudicet, & non arguatur vir: populus enim tuus ſicut hi, qui contradicunt ſacerdoti.

NVNQVAM aliâs peius Reſpub. habet, quàm cùm nullus in ipſa correctioni relinquitur locus: Nam etiam inter perditiſſimos mores, ſperandũ eſt, ſi vir bonus quiſpiam extiterit, cuius oratio inter ciues valeat; ſin verò nullus vitæ ſanctitate & oratione id præſtate poſſit, vt reliquorum mores arguat, vt virtutem doceat, atque ſuadeat, actum conclamatumque eſt. Atque in religioſa diuinoque iure ſtabilita Republica, hoc ſacerdotũ munus officiumque eſt, vt etiam ſi reliqua plebs corruptiſſimis ſit moribus, illi tamen ſalubribus præceptis, oratione vitæque integritate mouendo, hortandoque populum, ad mentem reuocent, & reducant, ſicut ſcriptum eſt: Docebunt iudicia tua Iacob. & alio in loco: Ibis, inquit, ad ſacerdotem. Quod ſi eò morbus proceſſerit, vt in medicos etiam ipſos, hoc eſt ſacerdotes peruaſerit, quænam ſalutis reliqua erit ſpes? quis ei parebit, qui ſibimet non cauerit? & quis ab eo conſilium petet, qui ſibi non ſapiat? maximè verò cùm inſania laboretur, cuius curationem nemo niſi ſanus ſuſcipere poſſit. Nihil igitur in huiuſmodi rerum atque morum ruina ab hominibus expectandum, niſi Deo noſtri cura ſit, vt ipſe vel verbis, vel minis aut flagellis, & ſuppliciis, aut etiam aliis quibus ea inſania curatur remediorum generibus, humanarum rerum ſaluti conſulat. Igitur cùm ad hunc locũ Iſraëlitarum Reſpublica deueniſſet, & litẽ aduerſus eos inſtituerat Deus, vt in ſuperioribus vidimus: Quia iudicium cum habitatoribus terræ. Nunc verò quam ob cauſam, his etiam accuſatoris partibus vſus ſit, exponit; quia nimirum apud eos, quorum id agere intererat, nemo ſit cui ea tutò tradi poſſit prouincia: nam à planta pedis vſque ad caput, non eſt in eo populo ſanitas, Iſai. c. 1. ſed à principe vſque ad ſacerdotem omnes ſtudent auaritiæ: nihil autem leuius ſacerdotum vitia, & perditi mores populo, quàm nequiter viuendi, & liberius peccandi exemplum afferre ſolent, vt ſcriptum eſt: Si Sacerdos qui vnctus eſt, peccauerit, delinquere faciens po- Leuit. 4. pulum: nihil etiam huiuſmodi ſacerdotis reprehenſio & admonitio, atque ad virtutem reuocatio in impudente iam & propter turpe exemplum contemnente populo, efficere ſolet, niſi vt multa accuſans & maledicens totidem & ipſe bona cum venia, audiat malefactaque noſcat ſua. Hoc itaque eſt illud, quòd à Deo per vatem dictum hoc ſermone eſt: Nimirum eſſe neminem qui peccantem arguere poſſit populum, quando iam ſacerdoti turpitudinem etiam ſuam obiicere populus ipſe didicerit. Atque ob eam cauſam arguatur fruſtra, id quod maximam in populo ipſo impudentiam, & diuinæ apud eos legis contemptum, atque negligentiam arguit. Solet namque leuiſſimum hominum vulgus, non tam legis grauitatem & pondus, quàm miniſtri auctoritatem, ſummo cum errore æſtimare, cuius erroris tollendi cauſa Dominus dicebat: In cathedra Moſis cùm ſederint ſcribæ & Phariſæi, omnia quæcunque vobis dixerint facite, ſecundum autem opera illorum ne feceritis. *Veruntamen.*] Multam atque variam indeclinabilium partium vim Matth. 13. in omnibus linguis eſſe, nemo vel mediocriter eruditus eſt, qui neſciat. namq. eadem pars alium atque alium animi motum, diuerſis in locis, & ſermonibus indicat; & ſi quid eſt in linguis, quod negotium interpretantibus faciat, cùm verbum verbo reddere fideliter curant,

curant,hoc vnum in primis eſt:verborum enim & nominum conſtantem rationem,& par pondus plerumque reddere poſſis, particularum verò vt conſtans omninò ratio ſit,efficere non poteris.Quis in alia lingua vocem inueniat ſimplicem,quæ cum voce Latina, V T, paribus numeris conueniat: varijs profectò vocibus nobis fuerit vtendum, ſi exactè ſententiam,& cogitationes,quæ ſermonibus exprimuntur,conſequi velimus. ex rebus verò multis,quas ob res venuſtas, & decor, ſermoniſque puritas ex alia in aliam linguam vertentibus,integra atque ſimplex non contingit, vnus eſt earum partium, quas indeclinabiles vocant vſus.Igitur apud Hebræos vox eſt *Ach*, pro qua interpres noſter plerumque reddit,*verùm* & *veruntamen*,quæ apud illos non ſemper aduerſantis fungitur officio, ſed alio atque alio in genere animi motibus & conceptionibus inſeruit. Vnum genus eſt, cùm is qui loquitur aliquid interea affirmare non ſine indignatione vult, non autem omninò imperare, quamuis imperatiuo modo ſit vſus;verùm ita imperat,vt non ex ſua mente,ſed ex rei more alicna culpa id eueniſſe affirmet: quale eſt illud Ariadnæ apud Catullum: *Et iam nulla viro iurantifemina credat.* Sic hoc in loco accipiendum eſt, *veruntamen*, ac ſi dicat ſuperuacaneam hoc tempore reprehenſionem fore,cùm integer nemo reprehendere alios poſſit, nemoque rurſus patienter ſe ab alio viro notari ferat: licebit itaque, veruntamen, vocem ad Catulli imitationem, etiam explicare ſic. Et iam nemo alium notabit,neque quiſquam quempiam reprehendet,cùm id importunum omninò atque improbum apud iſtos iudicetur. Hiſpanicè ſic ſententia hæc efferri poteſt: *Ni avn hauria quien caſtigue ni quien ſea reprehendido.* Italicè autem:*Purgia non ſara chi reprenda*.Gallicè,*Toutefois on n'aura qui reprendre*.Græcus interpres vocem Veruntamen ὅπως reddidit,varia etiam vſus voce. [*Populus enim tuus.*] cauſſam profert,quamobrem reprehenſionis inter eos nullus ſit vſus. quoniam,inquit,ſacerdos,cuius id intererat, ſi id agat,ſua etiam delicta agnoſcere timet; quippe qui nec ita ſit vitæ integræ nec pudicæ, vt alienam corrigere poſſit impunè. [*ſicut qui contradicit ſacerdoti.*] *Sicut* non hîc ſimilitudini,ſed aſſeuerationi atque affirmationi ſeruit,vt illud: Iura mihi ſicut dies hæc: & illud, Facti ſunt principes Iuda,ſicut aſſumentes terminum,hoc eſt,vt te aſſumentes.Latinus ſermo coniunctione V T eodem modo vtitur:

Catul.Argonau.

Ge: neſ 13. Oſeæ 5.

Horat.lib. 2, ſerm. Sat.4.

Longa quibus facies ouis erit,illa memento,
Vt ſucci melioris, & vt magis alba rotundis
Ponere, &c.

Omninò illud ſtatuimus,eos qui linguarum peritiam negligunt,magno ſeſe intelligendi vſu fructuque, vel ob vnam hanc indeclinabilium vocum rationem priuare. [*Populus tuus.*] ad ſecundam perſonam eleganter populum retulit;nam in ironiis,irriſionibus,& reprehenſionibus cùm ſecunda perſona tanquã ad eam rem inducta, ſermo non inconcinnè inſtituitur, vt:

Iuue. Saty. 1
Horat. Epiſt. lib. 1.

Omne in præcipiti vitium ſtetit. vtere velis,
Totos pande ſinus.
Et tuus hic populus ſapiens & iuſtus in vno,&c.

Poteſt etiam hoc in loco pronomen *tuus*,ad terram ipſam per apoſtrophen referri; nam de terræ iure hac in cauſſa agitur:quam expoſitionem nos aptiorem eſſe arbitramur, quaſi ad Deum aut Iſraëlem patrem ſermo referatur;Deus enim ipſe verba per vatem facit;ſed de Iſraële nulla hactenus in hac oratione facta mentio eſt. [*contradicunt.*] propriè hîc litigare ſignificat, ita vt liceat litigantibus cauſſam ſuam vtrimque pari agere iure. Perſuaſit itaque ſibi iam populus non ferendas eſſe ſacerdotum reprehenſiones, cùm ab illis non vitæ ſanctitate, non cauſſa ipſa ſuperari ſe credat. Itaque ſi quid acerbius à ſacerdotibus audit, contumeliam iniuriamque interpretatur, quamobrem inuectiuis & ipſe contrà vtitur:

Et corrues hodie, & corruet etiam propheta tecum nocte:
tacere feci matrem tuam.

POPVLI aduerſus ſacerdotes ſermonem refert, quo ſe carpentes excipere ſolitus ille erat. nam ſacerdotes aut diuinæ legis atque præceptorum populum admonebant, aut prophetarum etiam dicta,& ſermones proponebant:non pauci autem falſi vates inter illos erant,quorum aut mores & facta cum dictis diſcreparent, aut mendax omninò legatio & vaticinium eſſet;quippe qui non iuſſi aut miſſi à Deo,ſed in populi gratiam ambitiosè vaticinium profiterentur. idque à populo non vno argumento deprehenſum fuerat: huiuſmodi ſermonibus ab eo ſacerdotes excipiebantur, vt ſuorum etiam errorum atque ſcelerum admoniti,ſibi interim cauerent, alioqui eum ipſis quos obiiciebant prophetis malè & citiſſimè perituri. [*Et corrues.*] Præceſſiſſe ſermones aliquos appoſita coniunctio indicat,quæ hoc loco ſententias illatione connectit,vt illud: Dic ad eos qui linunt abſque temperatura. *Et corruet paries*,&c. Nam vt apud Arabes coniunctio *Phe*, & iuncturæ & conſequentiæ

Ezech. 3.

quentiæ nota eſt,ſic etiam & apud Hebræos *Vau*. Quid,inquiunt, ſacerdos populum accuſas?quid legis prophanationem obiicis?quid vates eorumque dicta, atque minas auribus noſtris inculcas? Nam & tu nequior populo reprehenſor ades,vt tuis viciſſim moribus nos opponere , & æqua etiam aut maiora mala tibi prædicere nefas non fuerit, quos tu vitæ turpitudine & exemplo nihilominus offendis:Corrues tu igitur hodie,& paulò pòſt propheta etiam,cuius nos minis & prædictionibus territas.nam tu hodie,corrues,& illum non diu caſus ſuus exſpectabit,ſed nocte corruet: Itaque oratio hæc, popularis ad ſacerdotes reiectionis confirmatio quædam eſt. [*Nocte*:] punctum colon voci huic apponendum eſt, ſic [*Tu hodie,& propheta nocte: Tacere feci matrem tuam.*] Si verſionis huius verbis ſingulis religioſè adhærendum nobis eſt,membri huius ſententia fuerit, vt Deus dicat nihil habere ſynagogam,quod Deo arguenti accuſantique obiicere poſſit:etenim ſi maximè ſacerdotibus & prophetis poſſit obiicere, illi,inquit,ſacerdotum maledicta, & reprehenſiones tacitè atque æquo animo audire non ſolent; quippe quos totidem maledictis, aut etiam pluribus proſequantur.at verò in accuſante,& in iudicium vocante tacere coguntur,vt qui veram ſui accuſationem eo auctore audiant cui nihil obiici poſſit.Ideò hoc accuſandi munus, iis quorum id agere referebat prætermiſſis ipſe ſuſcepi, ego ipſe accuſo non ſacerdos quiſpiam,ego prædico non vates aliquis, qui aut ad populi gratiam, aut ad ſui admirationem comparatus acceſſiſſe putetur. Hæc nobis de hac re ad verſionis huius rationē commoda viſa fuit interpretatio:ſimplicior verò quædam alia,magiſque cohęrens Hebraicam phraſim,& ſermonis vim ſecutis,explicabitur: Nam cùm Hebraicè mater in recto potiùs, quàm in accuſandi caſu ſit,& verbum id pro quo,*tacere feci*,Latinè legimus, propriè ſimilari,aut ſimilem eſſe vertere poſſis, ſi rationem verbi, atq. coniugationis vniuerſam ſpectes, ita verti non incommodè poſſe putauimus, *Et ſimilis ero matri tuæ*, aut *referam matrem tuam*,aut, *videbor mater tua*,vt caſus ſcilicet caſui reddatur. etenim omnia hæc verſu vno comprehenduntur.

Et corrues hodie, & corruet etiam propheta tecum nocte: & videbor mater tua.

HÆC autem verſionis huius(ſiquidem illa alicui probabitur) ſententia eſt: Cùm iniquum videri alioqui poſſet,& nefas eſſe exiſtimari, vt vice rerum perturbata populus ſacerdotem ſuum corripere auderet; quippe cùm ius æquitaſque exigat, vt à ſacerdote populus,non à populo ſacerdos corripiatur: Inſinuatione vſus eſt populus, qua officium ſuum apud ſacerdotes tueretur, non enim quòd ſibi in ſacerdotes animaduertendi officium populus vt priuatus vſurparet,id à ſe tentarum dicit;ſed quòd totius Reipublicę nomine, quaſi mater quædam erga ſacerdotes eſſet. Vt enim ſingulos filios & dicto parentes ſacerdotibus eſſe oportet atque decet;ita totam ciuitatem ipſam, & Iſraëliticam vniuerſitatem matrem ſacerdotibus eorumque rebus conſulentem eſſe non abſonum aut iniquum eſt. Igitur vt mater filios quos diligit,corripit: ſic ſacerdotes ſuos, à populo corripi, & maternis affectibus,atque durioribus increpationibus officij eos admoneri non dedecet; quamobrem dicit : *Nam videbor mater tua*.] hoc eſt, quod mihi quidem priuato nomine non licebat,materno tamen(quod iure profiteri poſſum)nomine licebit.atque huiuſmodi inſinuatione ſeruus ille vtebatur,quem herus ſe corripientem minus æquo animo ferebat: *Dauus ne? ita Dauus amicum Mancipium domino*. Hanc verò ſententiam præterquam Horat.lib 2. ſerm.Sat.7.
quod Hebraicum exemplar poſtulat,Græca etiam adiuuat editio, ὁμοίωσα τὴν μητέρα σου.

Conticuit populus meus, eò quòd non habuerit ſcientiam.

OSTENDIT quam ob cauſſam in vitia,in ſcelera,demum in impietatis morbum delapſus ſit populus;atque huius labis reos ſacerdotes etiam facit,quos & vehementer ob eam culpam accuſat,atque damnat.nam res ſic ſe habet, vt populus niſi agendarum rerum admoneatur,cùm per ſe ipſe rudis & indoctus ſit,à propria libidine, atque à corrupta natura opinionibus acceptis,totum ſe aut in otiū,aut in non probanda ſtudia tradat;quocirca ea prouincia ſacerdotum ordini decreta eſt,vt diuina lege,& ſapientia, atque idoneis conſiliis inſtructi ipſi alios doctrina, diſciplina, & vitæ etiam exemplo in officio continere ſtudeant:id ſi non præſtetur,actum iri de populi ſalute. idque maximè ſi populus non ſolùm ſacerdotum reprehenſionem non ferre,ſed vitæ etiam magiſtrum ſacerdotibus ſeſe iactare auſus fuerit;quod certè temeritate,& quadam impatientia fit:nam ſi à populo vitæ ſanctæ ac ſapienter agendæ rationē expectes, tacebunt profectò & obmuteſcent. *Eò quòd non habuerit ſcientiam*.] Si autem eadem ratio ad ſacerdotes reuocetur, atque periculū facere velis,an quis eorum officio reſpondeat,nihilò magis ſapientes eos,quàm populū inuenies: ſed cùm morum atque vitæ iuxta diuinas leges & præcepta inſtituendæ normam ab his

expectari

Deut. 31. expectari oporteat,ſicut ſcriptum eſt: Et ſcripſit Moſes legem hanc, & tradidit eam ſacerdotibus filiis Leui. deprehendes eorum quamplurimos neque librum ipſum contigiſſe vnquam,& ſi qui ſint,quibus ea aliquando cura fuerit,vt diuinis libris voluendis operam darent;tamen id ſtudij genus iam diu ab illis nauari deſitum eſſe, ſiue eos ſocordia atque deſidia emarceſcentes, ſiue obſeruandæ à populo diſciplinæ deſperantes laboris eius iam olim tædere cœperit; ſiue, quod omnibus commune , augendæ rei & cupidis, & ad propria commoda atque ad voluptatem intentis ea diuinæ legis aut diſcendæ aut retinendæ cura fuerit abiecta. Itaque ſacerdotes huius rei in culpa ſunt,quia ſcientiam diuinam repulerunt,aut ſi quibus aliqua eius contigerat pars, tamen ſocordia & remiſſione omnino excidit. Minatur autem illis pœnas,quòd tam illi quàm eorum populus,apud quos id muneris & dignitatis ſuſtinebant, Deo ipſi offenſo negligendi repudiandique ſint, vt quantum noceat diuinam neglexiſſe legem, vtrique ſuo magno malo ſentiant.

Quia tu ſcientiam repuliſti; repellam te ne ſacerdotio fungaris mihi.

Malac. 3. INDIGNVS enim munere & dignitate eſt,quiſquis eas artes,quibus illa inſtruitur dignitas,neglexerit. Huius verò dignitatis ars diuinæ legis ſcientia eſt,vt ſcriptũ eſt: Labia
„ ſacerdotis cuſtodient ſcientiam,& legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini eſt.

Et quia oblita es legis Dei tui, obliuiſcar filiorum tuorum & ego.

NAM ſi id,quo tueri rempublicam oportet, reiiciatur, ipſam etiam labefactari atque obrui neceſſe eſt. Diuinis autem legibus religioſa reſpublica temperatur, & conſeruatur,talemque nunquam prouidentia deſtituit. at verò ſi ab officio receſſerit,conſequens eſt Deum illi minus propitium fore. [*Oblita.*] *Oblitus* Hebraicè,Chaldaicè,& Græcè. nam ſacerdotes alloquitur: aut ſi genus femineum mauis, ad ſacerdotum congregationem referendum eſt: Filios tuos populares, qui omnes diſciplinæ gratia ſacerdotum filij ſunt: aliàs autem mater populus appellari ſolet,cùm ratio ad vniuerſam concionem reuocatur.

Secundum multitudinem eorum ſic peccauerunt mihi: Gloriam eorum in ignominiam commutabo.

AMPLIFICATIO eſt, qua ſacerdotum atque ſacrorum miniſtrorum ſcelus immodicè auctum oſtenditur. neſcio quo malo hominum vitio fit, vt quæ parua in initio ſunt,magnumque virtutis & probitatis documentũ prę ſe ferunt,eadem tamen increſcente hominum (quorum id curare intereſt) multitudine, cùm maximè amplificatum iri ſperare oporteret, ſpem omnem contrario euentu fallant; & cùm nihil magis expetendum
Deuter. 1. ſit,quàm vt ſacrorum ac religionis ſocietates, ſumma hominum frequentia ornentur atq.
„ celebrentur,quod & Moſi in votis fuerat,cùm diceret: Dominus Deus patrum veſtrorum
„ addat ad hunc numerum multa millia,& benedicat vobis, ſicut locutus eſt. tamen ab ipſa frequentia & multitudine peruertantur res alioqui natura ſua & inſtitutione ſanctiſſimæ. Quid eſt per Deum immortalem in iis,quæ ad inſtituendam, temperandam , conſeruandamque Rempublicam neceſſaria ſunt,ſacerdotio dignius? ſanctius? vtilius? quæ ſocietas vt magis indies augeretur & creſceret,exoptandum fuerat! nam ſi vnus vir Aaron in eo
Malac. 2. ordine tantum fructum cæteris hominibus ferebat,vt de eo ſcriptum extet: Lex veritatis
„ fuit in ore eius , & iniquitas non eſt inuenta in labiis eius , in pace & æquitate ambulauit
„ mecum,& multos auertit ab iniquitate; quantum fructum ſperari oportuit ſi plures eiuſdem officij idem præſtitiſſent munus? optandum profectò,expetendumque maximè, at-
Leuit. 11. que cum Moſe dicendũ fuerat: Quis tribuat vt omnes homines prophetent, & vt det eis
„ Dominus ſpiritum ſuum? Verùm enimuerò hoc ampliſſimum collegium vbi ſumma fre-
„ quentia auctum eſt, ſic à Deo accuſatur: *Secundum multitudinem eorum, ſic peccauerunt mihi.*]

Hoc eſt ſimul atque ſacerdotes hi dignitatis atque inſtituti ſui obliuiſci, & humana ſapere cœperunt, (vt ſunt res hominum) ſua vnuſquiſque curauère, & religionis meæ ſtudio neglecto, auaritia, & cupiditatibus exarſerunt, & quò maior eorum numerus fuit, eò vehementius aut mutuo exemplo , aut contentione ingenium ſuum in eas artes intenderunt , quibus diuitiæ, ac res eæ quæ ab hominibus appetuntur, parari atque ſeruari ſolent. Hoc verò malum illorum multitudine atque frequentia mirum in modum auctum eſt. nam malitia atque morum peruerſitas (quæ hominum ſunt) ibi viuunt ac vigent maximè, vbi maximus eſt hominum conuentus, qualem cauſſam de eiuſmodi rebus atque ingeniis hominum diuinæ literæ indicare ſolent; ſicut ſcriptum eſt: Cum-
Geneſ. 6. que cœpiſſent homines multiplicari, &c. ſubiungit autem: Vidensque Dominus quòd multa malitia eſſet in terra.

Sic pec-

Sic peccauerunt mihi.

QVANQVAM nullum in legem peccatum ſine legiſlatoris ipſius offenſione ſit,atq. in hoc culpa eſt,quòd peccantem ipſum à Deo(vt à Theologis dicitur) auertat:tamen quodam modo,imò quodam inſigni modo ſacerdotum peccata,atq.eorum qui munere & officio ad Deum propius accedunt(quos propinquos ſuos Deus ipſe appellat) offenſione ſua Deum propius attingere videntur, atque animaduerſionem & pœnas ab auctoribus ſuis grauiores vehementioresque repetendas poſtulare: nam ſi ij qui præter cætera alios à peccatis reuocare debent,perfidia & iniquitate contaminentur;quid ſani,quid puri atq. integri in reliquo hominum genere fuerit? hoc nimirum ſignificabat negligentiſſimus ille ſacerdos Heli cùm filios ſuos allocutus diceret: Nolite filij mei, non eſt bona fama,quam ego audio,vt tranſgredi faciatis populū Domini. Si peccauerit vir in virum, placari ei poteſt Deus:Si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Hac grauiſſima culpa & maleficio ſeſe implicant ſacerdotes atq. reges, qui cùm ob dignitatis amplitudinem,reliquos homines minimè timeant,Deum ipſum,quem iudicē atq. vindicem metuere obſeruareq́.debent,contemnere etiam audent.atq.hoc illud eſt,quod Dauid ſupplex confitebatur:Tibi ſoli peccaui,& malum coram te feci.Itaq. illud emphaſim non paruā habet; *Peccauerunt mihi.* Ergo cùm id quod illis vt muneris ſui partē quàm rectiſſimè atq.expeditiſſimè vnuſquiſq.curaret,adiumēto eſſe debuiſſet,hoc eſt collegarū frequentia & celebritas,contrà in negligentiæ occaſionē,& in ſuorum cuiuſq. commodorum materiam & facultatem conuerſa fuerint;meritò factū eſt, vt maieſtas, amplitudo & dignitas, quam ex collegij ſui celebritate promittere ſibi ſperareque potuerunt, ſecus ceſſiſſe, & in ſuum ipſorum dedecus atque ignominiam tandem verſa & mutata omnia conſpiciat.

1.Sam.2. " "

Pſal.51. "

Gloriam eorum in ignominiam commutabo.

GLORIA Hebraicè *Cabod* dicitur, quod nomen pondus, grauitatem magnitudinemq́. propriè ſignificat. nam quos honore dignos exiſtimamus, graues atque auctoritate ſua grauiter à nobis ſuſcipiendos iudicamus.Ignominia verò contraria omninò ſignificatione Kalon,quod leuitatem ſignificat, nominatur:huic ſignificationi nomen aptiſſimum Romani fecerunt,Vilipendium. Igitur quod Hippocrates de arte ſua dolens,lugensq́. dixit:Medicina artium nobiliſſima redacta eſt in vilipendium malignitate vtentium: hoc nos maximo cum animi dolore referre poſſumus, cùm in eum locū ſacræ res deuenerint, vt vtentium malignitate & negligentia ampliſſimus ſacerdotū ordo à ſua diuina illa grauitate,ad leuitatē fuerit deductus.Populi autem ac vulgi eiuſmodi ingeniū eſt,vt eos,quibus maximum honorē tribuere iure debeat, quamcunq. vel leuiſſimam occaſionē nactus ſumma deſpicientia & contēptione proſequatur,vt eſt ille inhoneſtæ potius quàm honeſtæ fabulæ auidiſſimus decantator;ſicut ſcriptum eſt:Quando procedebā ad portas ciuitatis,& in platea parabant cathedram mihi:Auris audiens beatificabat me,oculus videns teſtimoniū reddebat mihi.Et paulò pòſt:Nunc in eorum canticū verſus ſum,& factus ſum eis in prouerbium:Abominantur me,& longè fugiunt à me,& faciē meam conſpuere non verentur.Ergo ſacerdotibus quibus maximos honores decreuerat Deus,his contrà maximam ignominiam ob deſertum officiū,decernit,vt adhuc Iudæorū Repub.ſalua à populo ipſo contemnerentur, atq.eadem rurſus vaſtata,atq.exterminata ab hoſtibus capti, deriſi & contēpti à victoribus,patrio more cantare rogarentur; vt ſcriptū eſt: Quia illic interrogauerunt nos,qui captiuos duxerunt nos,verba cantionum;& qui abduxerunt nos,Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Deprecandū verò eſt vt hoc Dei in ſacerdotes teſtimonium,& iudicium non ad hæc vſq.Chriſtianorum ſecula pertineat. Quemadmodum verò officium omne à ſacerdotibus peruerſum fuerit,adiuncta oratione exponit Deus:Etenim illa magna in rebus peruerſitas eſt,ſi nulla rerum pars in eodē loco, in quo primùm inſtituta eſt,conſiſtere ſinatur;ſed perturbata omnia,confuſaque reddantur, & quod primum eſſe oportuit,id poſtremo loco ſit.Publicis verò muneribus & negotiis,maximè autem ſacris, quæ hominibus à Deo data ſunt, hic modus atque ordo eſt adhibitus, vt qui ea curarent,officio in primis ſatisfacerent ſuo, hoc eſt communem populi rem ſtrenuè in primis agerent;deinde ab iis,quibus miniſtrabant,mercedem ſuam non tam cupidè,quàm iuſtè acciperent. Cùm autem ita humano ingenio corrupta omnia atque deprauata eſſe deprehenduntur,vt officio atque curæ nihil loci ſit,ſed ambitio atque auaritia omnia occupauerint, & munus atque officium ſpe prædæ potius, quàm præmium ipſum mercedis loco accipiatur; tum verò maxima labes atque pernicies rebus ipſis publicis infertur, tum iuſtiſſima in adminiſtratores ipſos accuſatio atque damnatio eſt.hanc verò in ſacerdotum moribus atque officiis peruerſitatem ſubiuncta oratione indicat accuſatque Deus.

כבוד קלון Hippoc. de arte lib.1.

Iob 29.30. " " " "

Pſal.135. " "

Peccata, inquit, populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum ſubleuabunt animas ſuas.

QVORSVM pertinuit tanta in eligendo ſacerdote, non ſolùm morum, verumetiam membrorum integritatis inquiſitio? quorſum tam exacta annorum, ætatis, neceſſitudinum atque ſocietatis ratio? quorſum tam crebræ, ſanctæ, ſtatæ, ſolemneſque in eodem initiando ceremoniæ? quorſum illi illa omnium aliarum rerum vacatio data eſt? Num omnia hæc ad id vnum comparata eſſe videri poſſunt, vt otio, inertia atque deſidia hebeſcentes ſacerdotes aliorum ſudoribus atque laboribus fruerentur; an ad id potius, vt quę ad populum pertinent, diuina omnia diligenter atque aſſiduè curantes à populo ipſo cibaria, quibus alantur, accipiant: ita vt hoc illorum ſtudium, hæ partes ſint, populorum ſuorum animis conſulere; hoc rurſus populi officium ea quæ ſuppediirent ad cultum & ad victum ſacerdotibus ſuis parare, ſicut ſcriptum eſt: Præceptum ſempiternnm eſt in generationes veſtras, vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & prophanum, inter pollutum & immundum: doceatiſque filios Iſraël omnia legitima mea, quæ locutus eſt Dominus ad eos per manum Moyſi. hoc fuerat præceptum ſempiternum ſacerdotibus, hoc proprium illorum officium ac munus, hæc illis cura perpetuò ſuſtinenda fuit. At verò ne locata ſibi ex ſacrificiorum portionibus, cibaria, vt legem aliquam, ſibi inſtituta eſſe, ac non potius vt laborum mercedem tributa exiſtimarent, alio interiecto ſermone, alio dicendi modo vſus legiſlator ſubiunxit: Locutuſque eſt Moſes ad Aaron, & ad Eleazar & Ithamar filios eius, qui reſidui erant, dixit: Tollite ſacrificium quod remanſit de oblatione Domini, & comedite illud quod datum eſt tibi, & filiis tuis, de oblationibus Domini, pectuſculum quoque quod oblatum eſt, & armum qui ſeparatus eſt edetis, in loco mundiſſimo, tu & filij tui, & filiæ tuæ tecum: tibi enim ac liberis tuis repoſita ſunt de hoſtiis ſalutaribus filiorum Iſraël. cùm de officio agit, præceptum, inquit, eſt: vbi verò de mercede, datum & repoſitum ait. Contrà verò illi & officio & omni religionis atque populi cura abiecta, victum, cultum, cibariaque ſua tantum curabant, perinde quaſi hoc vnum præcepti nomine traditum illis fuiſſet. Nullam, inquit Deus, aliam ſacerdotij partem tuentur, niſi tantum *peccata populi mei comedere*, hoc eſt, ad hanc rem ſe inſtitutos putant; ob hanc vnam ſacerdotia appetierunt, & conſecuti ſunt, vt peccata populi mei comedant: hoc eſt, hoſtias pro peccatis oblatas: namque victima ipſa quæ pro peccato mactatur, peccatum frequentiſſimè in ſacris libris dicitur, vt in eodem loco Moſes dixerat Aaroni: Quare non comediſtis peccatum in loco ſancto? quo in loco Latinus interpres nomen *hhata*, quod peccatum ſignificat, non ad verbi vim, ſed ad ſententiam potius, hoſtiam pro peccato, vertit. Cùm autem non ſolùm ex peccato, ſed ex aliis etiam victimis & hoſtiis, vt ex iis quæ *minha*, hoc eſt, oblationes propriè dicuntur, ex delicto, ex pacificis & ſpontaneis quædam partes ad ſacerdotum victum decretæ ſint, cur peccati magis, quàm aliarũ victimarum hoc in loco meminerit, id cauſſæ fuit, quòd omnia alia genera præter delictum, non tam animi offerentium obligatione, quàm ſponte & voluntate offerantur; delicti etiam victimam (quo ſacrificio grauiſſima ſcelera expiantur) rariùs mactari contingat. Cùm verò peccati hoſtia peccantes religionis lege obliget, horumq. maxima multitudo, atq. aſſidua peccandi frequentia ſit, fit vt in hoc genere frequentiora ſacrificia ſint. Atque hæc quæ dicta nobis de his generibus ſunt, ſacros diligentius libros euoluentibus facilè patêre poſſunt. His accedit quod ex hoc genere quàm ex cæteris maior mactatæ victimæ portio ſacerdotibus ſorte obuenit. Quamobrem hoc genus apud eos, qui ſacerdotia ſpe prædæ ineunt, maximi momenti eſt; nimirum quo magnos & vberes quæſtus ſibi propoſuerint. Quantũ verò in hoc à ſacerdotibus peccatum ſit, ex eo percipi poteſt, quòd quæ pars illis ex victimis, quæ pro peccato offeruntur, obtigit, ea lege deſtinata eſt, vt meminerint populi peccata ſibi ſuſcipienda atq. ſuſtinenda fore, curentq. tum doctrina, atq. etiam morum & vitæ exemplo, vt libidinum peccatorumq. conſuetudini reſiſtant, & quantum in ipſis eſt, totam cauſſam ſuſcipiant, ac ſeſe peccatis illis pro populo reos ſupponant, diuinamque miſericordiam ſupplici precatione exorent. ſic enim de hac re illis eſt indictum: Cur non comediſti hoſtiam pro peccato in loco ſancto? quæ ſancta ſanctorum eſt, & data vobis, vt portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conſpectu Domini. Magnum quidem omnia hæc myſterium habuere, atque ad noui teſtamenti rationes accommodata præclaras nobis ſignificationes portendunt; quas nos in communem Chriſtianorum vtilitatem aliquando obſeruari atque aperiri deſideramus. Ergo cùm ſe ad hanc rem animo & cogitatione conuertere, atque frequentiam peccatorum populi potius formidare atque deprecari ſacerdotes debuiſſent, illi contrà, perinde quaſi nihil aliud in ea re quàm priuatæ eorum commoditates continerentur, optare atque procurare ſibi imperauerant, vt quàm maxima peccantium atque

peccatorum

Leuit. 10.

Ibid.

Leuit. 10.

peccatorum eſſet copia, quæ ſuam illis mercem cum quæſtu compendioque ſuppeditaret. Hinc illa tam ſupina negligentia erga diuinæ legis ſtudia diſciplinam atque doctrinam; hinc in cumulandis rurſus traditionum oneribus maxima ſolertia; hinc in tota illa captionum, legum, obſeruationum, pollutionum, ſatisfactionum, oblationum (quibus miſerè populorum animæ irretirentur) laqueorum tela ordienda maxima diligentia, de qua ſcriptum eſt: Væ filij deſertores, dicit Dominus, ordientes telam, & non ex me conſulentes conſilium; ſed non per ſpiritum meum; nimirum quia diuina lege, diſciplina & ſacerdotio ipſo, non vt Dei inſtrumento ad populi vtilitatem; ſed vt ligone aliquo ad mercedes quàmplurimas ſibi accipiendas, quæſtu magis, quàm officio ipſo ducti, contra ius & fas vſi fuerunt. atque hoc eſt quod addidit: *Et ad iniquitatem eorum leuauerunt animam ſuam.*]

Quemadmodum enim mercenarius, cui non aliunde victus ſuppetit quo alere vitam poſſit, ſuas operas aliis, non laboris ſtudio (improbat enim vehementer laborem) ſed mercedis ſpe locat, ſicut de mercenariis ſcriptum eſt: Eadem die reddes ei precium ſuum ante ſolis occaſum, quia pauper eſt, & ad illud leuauit animam ſuam: ſic in exemplari legimus, hoc eſt, quia minimè ille tibi ſeſe ſuamque operam locaſſet, niſi inopia coactus victum ſibi ex ea re parare ſtatuiſſet. ita iſti, inquit Deus, animas ſuas ad populi iniquitatem locauerunt, cùm precij atque mercedis nomine & ratione omnem ſacerdotij dignitatem, officiumque omne definierint. his etenim ſi ſine humano præmio & emolumento officium eſſet faciendum, nihil minus, quàm ſacerdotium in votis eſſet. Heu quiſnam iſta cogitando animi dolore & lacrymis temperare valeat? Quod verò ad orationis rationem attinet, vtrumque verbum in hoc verſu futuri temporis eſt, *comedent, ſubleuabunt*, quod tempus ex Hebraicæ linguæ vſu ad eorum rationem accommodari ſolet, quæ vel conſuetudinis vel officij cauſſa perpetuò talia ſint, aut eſſe conſueuêre. itaque futurum hoc in loco non pro futuro tantùm tempore, ſed pro omnibus temporis partibus inſtanti, præterito atque futuro vſurpatur, hoc modo, *comedent*, comedere ſolent; *ſubleuabunt*, ſubleuare ſolent: qua de re largè & copioſè nobis commentario in Habbakuq ſcribendum eſt.

Deut. 24.

Habba. 1.

Et erit ſicut populus ſic ſacerdos, & viſitabo ſuper eum vias eius,
& cogitationes eius reddam ei.

HIC VERSVS formulam quandam concludit, qua diuinum iudicium in ſacerdotes continetur: ſumma autem Dei æquitas nobis hoc in loco cognoſcenda proponitur; qui nullam in iudicio perſonam agnoſcat, ſed æquiſſimum rerum æſtimatorem & iudicẽ omnibus hominibus ſe præbeat, ſicut ſcriptum eſt: Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo: videlicet, ne quamuis ſummum & altiſſimum dignitatis gradum obtinuerit, pœnam & animaduerſionem eò loci non aſcenſuram eſſe ſibi perſuadeat: namque diuina lex neminem excipit nominatim, ſed vnumquemque officium proprium ſequi & intueri iubet, quamobrem ſacerdotibus ipſis in arca teſtimonij ſeruanda lex, atque eadem coram omni populo recitanda & explicanda creditur & committitur, ſicut ſcriptum eſt: Omnis autem populus, & omnes maiores natu, duceſque ac iudices ſtabant, ex vtraq. parte arcæ in conſpectu ſacerdotum: Nihilq. ex iis quæ Moſes iuſſerat reliquit intactum, ſed vniuerſa replicauit coram omni multitudine Iſraël, mulieribus ac paruulis, & aduenis qui inter eos morabantur. Vt verò diuina lex nullum nominatim excipit, ita nemo eſt, qui in officio violando culpæ pœnam poſſit effugere. [*Sed erit ſicut populus, ſic ſacerdos.*]

Exod. 32.

Deut. 31.

Similitudo hæc non ſupplicij eſt, ſed conditionis, ne videlicet aut ſacerdos populi peccatum ob dignitatis ſuæ amplitudinem non ad ſe pertinere putaret, aut rurſum populus omnem peccatorum ſuorum pœnam in ſacerdotes tanquam in auctores reiiciendam abſoluendamque arbitraretur, & illorum negligentiam excuſaret. ob eam rem de diuini iudicij ſententia pronuntiatum eſt, quicunque violatæ legis culpam ſuſtinuerint, eoſdem ſceleris ac conſcientiæ pœnas, eſſe laturos. At verò ſupplicium tantò in quenquam grauius eſſe decretum, quantò quiſque ſtultè minus, ac magis ambitioſè peccauerit, ſicut ſcriptum eſt: Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſraël, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me: Si dicente me ad impium, morte morieris; tu non annuntiaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via ſua impia, & viuat, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Quod ſi à populo, vt à proprij interitus miniſtro; à ſacerdote autem vel propheta ob negligentiam, vt ab auctore pœnæ repetuntur grauiſſimæ, quantas illas à ſacerdotibus & prophetis repetendas eſſe exiſtimandum eſt, qui iiſdem aut maioribus etiam ſceleribus obligati, populo non ſolùm ob negligentiam minimè profuerunt, ſed ob pernicioſum exemplum vehementer etiam nocuerunt? Quamobrem ſubiungit: *Et viſitabo ſuper eum vias eius, & cogitationes eius reddam ei.*]

Ezech. 3.

Viſitandi verbum in iudiciorum etiam ratione vſurpatur,atque ſic vertit Græcus inter-
pres,& iudicabo. Propria autẽ huius verbi ſignificatio eſt, quam Latini curandi ſiue pro-
curandi verbo enuntiant. Diligenter igitur curandum ſibi eſſe Deus ait,vt rationes & con-
ſilia omnia quæcunque ſacerdotes ad proprium cuiuſque commodum inierunt, in ſuam
מעליהם calamitatem & perniciem recidiſſe ſentiant. *cogitationes eius; maghallelam*, excogitata conſilia,&
ad curam ac meditationẽ reuocata hæc vox ſignificat. Excogitauerant enim modum,atq.
viam facilem ſeſe iniiſſe putauerant,qua maximum quæſtum minimo negotio facerent,
ſcilicet,ſi per illos oſcitantes,aut nihil agentes,liberius peccare populo liceret.hanc itaque
munierant viam ei,quam Deus ipſis indicaſſet atque tradidiſſet longè diſſimilem.Conſe-
quens ergo fuit,vt qui à diuina via,diuinoq́.conſilio ad ſua tantum cõmoda amplificanda
deflexiſſent,ſuas illas rationes ad maximum malum tandẽ euaſiſſe ſentirent. namque quò
ad ſcelera patranda impudentior eſt auſus, eò maiorem perniciem ſuis auctoribus parit;
» ſicut ſcriptum eſt: Ecce parturit iniuſtitiam, & concepit dolorem, & peperit iniquitatem:
Pſalm. 7. Conuertetur dolor eius in caput eius,& in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet. Itaque
» cùm hæc peccandi populo licentia ſacerdotum negligentia vltrò procurata diuinam iram
incitauerit; ira verò reos in iudicium ſeuerum atque æquum vocauerit, grauiſſimarum
pœnarum eos omnes participes eſſe,neceſſe eſt, quicunque ſcelerum ſocietate inter ſe fue-
runt coniuncti; conuerteturq́ue conceptus dolor populi in caput eius, & in ſacerdotem
tanquam populi verticem,iniquitas eius deſcendet. *Et viſitabo ſuper eum.*] Tam ad ſacer-
dotes ipſos quàm ad populum oratio refertur,quoniam illi omnes vnum Reipub. corpus
conſtituunt,& omnes ſcelere,& communi inter ſe conſcientia,& conſequenti iudicij pe-
Iſa. 1. riculo obnoxij ſunt,vt ſcriptum eſt: A planta pedis vſque ad caput non eſt in eo ſanitas,
» ſed à principe vſque ad ſacerdotem,omnes ſtudent auaritiæ. Cæterùm,vt accuſatio ſacer-
dotes ipſos, tanquam principes & auctores delicti, premit; ita ſententia lata eoſdem om-
nium primos attingit.

*Et comedent, & non ſaturabuntur: fornicati ſunt, & non ceſſabunt: quia Dominum dereliquerunt in non cuſto-
diendo.*

IVSTISSIMÆ ſententiæ,ac diuini iudicij formula hæc eſt,vt ſtudiis, & malis cupidi-
tatibus ſuis,contrarias omnino res vnuſquiſque experiatur. ſic illud in feminatum luxus
Iſa. 3. pronuntiatum legimus: Et erit pro ſuaui odore fœtor;& pro zona,funiculus; pro criſpanti
crine,caluitium,&c. Sic in ſacerdotes ſententia fertur iuſtiſſima, vt qui vni tantùm auari-
tiæ ſtuduerant,atque victimarum copia famem explere putauerant, contrà quantò plus
victimarum,atque aliarum rerum congeſſerint, tantò vehementius eſurire, & omnium
commodorum inopia laborare ſe ſentiant: & quoniam illud etiam cogitauerant, vt malè
partas ex prophanato ſacerdotio res filiis ſuis, quos ex damnato concubitu ſuſceperant,
relinquerent,atque hac ratione nomina ſoboleſq́ue ſuas ad infinitam poſteritatem pro-
pagarent,omnia hæc contrà euentura Deus prædicit, vt neque ipſi rebus partis fruantur,
neque quam cogitabant poſteritatem aſſequantur vnquam. Nam totam illam hæredum
ſobolem,quibus faciendis,locupletandis atque ſtabiliendis operam dederant, cum rebus
ipſis & diuitiis, vel non ſucceſſuram, vel quàm citiſſimè perituram eſſe affirmat, quemad-
modum iam ſuperius dixerat: Oblita es legis Dei tui, obliuiſcar filiorum tuorum & ego.
פרץ. Quod ad lectionem attinet, pro verbo Latino, ceſſabunt, Hebraicum exemplar habet pa-
raz,quod prorumpere,& propagare ſignificat,atque ita in Chaldaicis legimus; *Accipient vxo-
res, & non gignent filios;* Græca autem interpretatio habet κατευθυνθῶσι, non alienum à ſenten-
tia verbum;ſignificat enim dirigere & adminiſtrare. Illud etiam animaduerſione dignum
eſt,quòd cùm homines duplici cauſa rerum ſuarum ſatagere ſoleant, vt ſcilicet habeant
vnde & ipſi alantur,& filiis prouideant ſuis,& quamuis maximis aucti diuitiis, atque for-
tunis locupletati,tamen victui ſuo conſulere ſe dicant: vtrique cauſæ diuina ſententia ac-
commodatur, vt comedentes nunquam ſaturentur, atque liberis indulgentes optata ca-
reant poſteritate. Quàm verò ad viuum mores noſtri hac oratione exprimantur,maximo
cum animi dolore pientiſſimo cuique obſeruandum eſt. *Quia Dominum dereliquerunt in cuſto-
diendo.*] Pronuntiatæ ſententiæ cauſam iuſtiſſimus æquiſſimuſq́ue iudex addit, atque cri-
1. Samu. 2. minum omniũ & totius culpæ ſummã explicat, hoc ſupplicij genere, eos ſubiiciendos eſſe
» pronuntians, nempe inedia & gloriæ ac poſteritatis defectu: ſic enim ſcriptũ eſt; Loquens
» locutus ſum vt domus tua,& domus patris tui miniſtraret in conſpectu meo, vſque in ſem-
piternum. Nunc autem abſit hoc à me; dicit Dominus: ſed quicunque honorificabit me,
glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. *Dominum dereliquerunt in non
cuſtodiendo.*] Ne quis humanæ ſapientiæ, vel potius imperitiæ locus relinquatur, neu quod
ad effugiendum crimen diuerticulum reperiatur, abſoluta definitione cauſam ſuam con-
firmat

firmat Deus. Namque vſque adeò callida hominum ſtultitia eſt, vt quæ ſeparari natura non poſſunt, tamen ingenio ſeparare contendat, ſibiq́ue in ea re ſatisfaciat, in qua minimè Deo ſatisfieri certum eſt. Nam ſi quis Deum eſſe, eundemq́ue ſummũ bonum confeſſus, nulla pietate, nullo officio, nullis virtutibus illũ colat, & tamen non odio haberi, ſed etiam amari ſibi dicat, atque in ea re diſputet; parum hæc cognitio & amor à cognitione & amore, quo mali dæmones erga Deum affecti ſunt, diſtare videtur. Diuina verò ſapientia ſimplicius multò de hac re ſtatuens atque iudicans cognitionem amoremq́ue erga Deum cum ipſius cultu coniunctam eſſe definit. Nam ſi cognoſcere & negare, ſi amore adhærere, & deſerere idem ſunt, eundem etiam animum imbuere vtraque hæc poſſunt. Quicunque enim Deum in notitia ſe habere atque amare profitetur, factis autem negat, ac deſerit, perinde forè in culpa eſt, atque is, qui diuinæ naturæ inſcitia aut contemptione laborat. Quid vocatis me domine domine, & non facitis voluntatem patris mei? Hæc diuini filij vox eſt. Igitur vt omne fraudis & aſtutiæ oſtium filijs deſertoribus occludatur, ſimpliciſſima atq. veriſſima deſertionis ratione argumentatio tota colligitur. [*Quia Dominum dereliquerunt in non cuſtodiendo.*] Quippè hic ſimpliciſſimus certiſſimusq́ue deſertionis modus eſt, nempè pietatem non cuſtodire; nam vt ipſe alio in loco dicit: Si Pater ego, vbi eſt cultus mei? ſi Dominus, vbi eſt timor mei? Hebraicè hæc oratio negatione caret: *In cuſtodiendo*, hoc eſt dum ſibi ſuiſque rebus conſulentes, diuinis rebus minimè conſultum eſſe voluerunt. *Cuſtodiæ* autem nomen in ſacris idem quod officium apud Latinos ſignificat, nempe id quod vnumquemque hominum pro muneris & conditionis ſuæ ratione facere oporteat, vt illud: Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper ſtationem meam. cuius tranſlationis rationem nos aliàs Deo annuente proſequemur: neq. verò ſatis Deo viſum eſt, deſerti officij crimen illis obiicere, niſi etiam id ſubiuncta oratione confirmaret. Quamobrem ex ſuis illorum ſtudiis argumentum producit fortiſſimum, quo illos ab officio omni alienos eſſe demonſtret.

Rom. 1. Malach. 1. Habba. 2.

Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt.

QVI fieri poteſt, inquit Deus, vt apud eos, qui mente ipſi non conſtant, officium vllum ſtare poſſit? Et cùm iſti ſe totos vino ac Veneri tradiderint, quidnam ab eis expectari oportuit? niſi id quod ea ſtudia conſequi natum eſt; nimirum dementia & furor, ex qua re nullum dedecoris, nullum probri, nullum impietatis genus oriri poſſe non creditur. Nam vino intemperantius hauſto cordis regnum occupari teſtis eſt ille, qui periculum primus omnium fecit. Ita verò Veneri amicum eſſe vinum, vt ab eius conſuetudine nullis naturæ ac virtutis legibus, nullo dedecore, nullo pudore abſterreatur, teſtis etiam Lot exemplo ſuo nobis eſſe poterit. Quamobrem ſcriptum eſt: Ne intuearis vinum quando flaueſcit; cùm ſplenduerit in vitro color eius, ingreditur blandè, & in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet: Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruerſa. Veneris autẽ ſodalem propterea Bacchum gentium poëtæ fecerunt, quòd ad humanos animos expugnandos atque ſibi ſubiiciendos vterque ſimul conſpirent.

Gen. 9. Gen. 19. Prou. 23. Horat. lib. 3. Od. 18.

[*Fornicatio, vinum & muſtum.*] Sic Hebraicè, vt ab eis ebrioſitas ſtudioſius conquiſita eſſe oſtendatur. non enim ſolùm vino veteri, ſed & nouo indulgebant, vt miſtione ſuauiora pocula parantes, ebrietatem & petulantiam copia atque arte grauiorem ſibi molirentur: namque antiquum & nouum vinum ſimul commixtum, alterum vehementiores vires, alterum verò crebriores exhalationes ſuppetit; atque ita coniunctis viribus faciliorem & certiorem de corde victoriam vtrumq. ſimul reportar. Cor in ſacris alteram hominis partem, hoc eſt animum, ſignificat: namque cùm duplex noſtri pars ſit, corpus & anima, alterum caro, alterum verò cor metonymicè dicitur, vt: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deũ viuum. Quod verò ad differendi & dicendi pertinet artem, confirmatio eſt, in qua argumentum ab eo loco ductum eſt, qui à repugnantibus dicitur: namque pietatis & ſapientiæ cultus, & ebrietatis atque Veneris ſtudiũ, cùm vtrumque de occupando in humanis animis regno contendat, maximè inter ſe pugnant: quòd ſi alterum obtinuerit, alterum expelli neceſſe eſt. Væ, inquit Iſaias, qui conſurgitis mane ad ebrietatẽ ſectandam, & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis, cithara, & lyra & tympanũ & tibia in conuiuiis veſtris, & opus Domini non reſpicitis, neque opera manuum eius conſideratis. Eſt autem huiuſmodi argumentum à repugnantibus firmiſſimum, vt illud:

Pſalm. 84. Iſa. 5. Ariſtot. lib. 2. Topic.

Hæc opera, atque hæc ſunt generoſi principis artes, &c.

Populus meus in ligno ſuo interrogauit, & baculus ſuus annuntiauit ei; Quia ſpiritus fornicationum decepit eos, & fornicati ſunt à Deo ſuo.

Iuuen. Saty.

ACCVSATIONIS alteram partem ſequitur, in qua populum reum agit, & quoniam ex ſacerdotum negligentia, & culpa, populi ſcelera nata atque aucta ſunt, ideò vbi illorum

crimen recenſuit,ad huius impietatem atque ſcelera notanda ſeſe deinceps conuertit. Totius autem cauſſæ,caput hoc eſt:Gentem vero Deo ac viuenti electam & dicatam maximis & innumeris beneficiis deuinctam,ac multis nominibus multiſque modis Dei in ſe ſui peculiarem curam expertam à cultu atque religione, ſuo ſcelere ad ſuperſtitionem & impietatem defeciſſe. Coniecturalis autem ſtatus in hac accuſatione tractatur. namque impietatis ſcelus animo conceptum,quamuis ipſorum malitia & impudentia, Deo,qui corda hominum & renes ſcrutatur,abſconditum non ſit;tamen cùm publicè accuſatur, ſuis argumentis & teſtimoniis agitari ſolet,ne humana audacia & malitia, quæ occultum ſcelus cogitatione abſcondere & negare non poteſt,publicum accuſantis crimen à ſe remouere contendat.Cùm autem ad coniecturalem conſtitutionem tractandam ſigna obſeruentur, certiſſima euidentiſſimaque flagitij ſigna hoc in loco proponuntur. nullum enim cauſſæ certius ſignum eſt, quam ipſe effectus: in effectus autem coniectura inſtrumenta, quæ ad efficiendum comparari ſolent,apponuntur. Vtroque ergo argumento in hac conſtitutione tractanda Deus eſt vſus:Quod populus in ipſo manifeſto impietatis & perfidiæ facinore,cum armis,quibus illud cõmitti ſoleat,deprehenſus manifeſte fuerit. [*Populus meus.*] Emphaſim habet:Indigniſſimũ enim eſt id ſcelus à populo Dei viuentis eſſe conceptum, quo etiam ab iis qui à Deo alieni ſunt,nullum grauius patratum ſit; cuiuſmodi ſuperſtitio, & vanus ſimulachrorum cultus eſt. Et cùm iam olim ſeſe ſuaque omnia mihi tradiderit, & actionum ſtudiorumque ſuorum rationes,& inſtituta, atque auſpicia ex me vno cum maximis atque certiſſimis ſucceſſuum exemplis petierit, cùm tot legibus, tot præceptis, inſtitutis,& oraculis abundarit,tamen nunc ſui atque mei oblitus ad impietatem animũ ſuum traduxit,& mutas ſtatuas conſulit atque colit. [*In ligno ſuo.*]

Lignum hoc in loco ſimulachra, deorumque ſigna atque inſtrumenta ad diuinationem comparata ſignificat. Huius explicationis argumento eſt propoſitio *In*,quæ inſtrumentum

Pſalm. 31. in ſacris indicare ſolet:vt,In chamo & freno maxillas eorum conſtringe. Multa autẽ apud gentes erant inſtrumenta,quibus ſortes,oracula atque auguria capiebantur, vt aues, ignes, aquæ,flatus,exta,tripodes,menſæ,delubra,atque alia,ex quibus vnum genus erant baculi, perticæ & virgæ,certis ominibus & ceremoniis ad eam rem inauguratæ, qualis in collegio augurum lituus incuruus erat,cuius formam in numiſmatibus antiquis conſpicimus.Quæ omnia ſuo in loco diligentius tractanda,nunc nobis percurrenda ſunt.Igitur cætera inſtrumentorum genera naturam rerum apud eos,qui ſapienter conſiderant, vaniſſima ab hoc ligneorum,& ſenſu motuque carentium inſtrumentorum vanitate ſuperari deprehenduntur.Quamobrem ſuperſtitionis,& impietatis ſummæ argumentum eſt , quòd populus id tractat,quo maxima vanitas in eo ipſo vanitatis negotio ineſt. *In ligno ſuo* à ſe facto atq. parato,*baculus ſuus annunciauit ei*:non reſpondit;ſed annuntiauit:nam ligni & baculi naturæ impoſſibile quidem eſt vt reſpondeat, tamen ſi conſulentis ipſius manu moueatur, vertatur, aut coniiciatur,caſu vel agentis arte euenit,vt in hanc aut illam partem inclinet aut cadat, & quodam crepitu ſonet,in certam cæli conſtitutionem dirigatur;ex quibus rebus non reſponſa,ſed ſignificatiões atque denuntiationes quaſdam parari falsò,ſibi iſti perſuadent. In ligno ſuo quod ipſe dolauit atque ad eam rem comparauit,Et baculus ſuus ab ipſo motus & tractatus annuntiauit ei.Summa autẽ peruerſitas eſt,ab ea te duci poſſe putate,quam ipſam à te duci atque agi oporteat. Baculus autem nullum hominem viſu oculiſque præditum ducere ſolet,neque quiſquam eſt qui baculum ſuum quam viam tenere atque ſequi oporteat,interroget:ſi quis autem baculo tentans iter agit,is planè cæcus eſt ; qui ſi baculo ſuo fidem habens ire pergat,periculum ſibi ipſi tandem creet, fuerit neceſſe. Locus ergo à factis deſtinatiſque eſt , & antithetis atque contentionibus res tota tractatur, & quod ad

Iſa. 1. actionem atque pronuntiationem pertinet,indignantis habitu, geſtu, & voce pronuntiata oratio eſt,quo maior rei fides & vehementior adhibeatur:vt illud, Cognouit bos poſſeſſorem ſuum,& aſinus præſepe domini ſui,Iſraël autem non cognouit, populus meus non intellexit. & illud apud exteros auctores:

Iuuen. Sat. 2

Segmenta, & longos habitus, & flammea ſumit
Arcano qui ſacra ferens nutantia loro
Sudauit clypeis ancilibus.

Ex crimine autem facti oblato & demonſtrato concepti à populo ſceleris argumentationem concludit: *Spiritus enim fornicationis decepit eos, & fornicati ſunt à Deo ſuo.*] Scelus animo conceptum in facinus tandem erupit,vt negari non poſſit.Perſeuerat autem in allegoria coniugij, quam inſtituerat, & populum coniugalis fidei pollutæ atque violatæ accuſat.Amplificat verò crimen ab impudentia atque audacia,quæ eò proruperat,vt non modò in cubiculis, aut intra domos, & tecta, ſed in agris, ſiluis,& montibus publicè proſtituatur,& locorum opportunitates, non verecundiæ,

cundiæ,ſed voluptatis cauſſa ſequatur: *Spiritus fornicationis.*] Spiritus cum poſſeſſiuo caſu iunctus,vehementem ad agendum impetum ac vim humanos animos occupantẽ atque agentem indicat,ſiue ea affectio bona,ſiue vitioſa ſit,ſiue etiam diuinitùs delata,ſiue à malo dæmone excitata fuerit, ſiue diuturna ſit,ſiue ex repentina cauſſa commutetur. Eſt autem tranſlatio à ventis ſumpta,qui cùm vehementiùs in mare incumbunt, naues non pro nautarum conſilio,ſed ſuo arbitrio pellunt. ſic ſpiritus fortitudinis in Nabugodonoſor, ſpiritus mendacij in falſis prophetis,& in populo ſpiritus erroris ſæpiſſimè obſeruatur. Hunc malum ſpiritum Latini furorem vocant: *Hic furor ipſe Dat venum,* inquit ille. ſed & in hac ſignificatione regio ſpiritu aliquem eſſe Tullius dixit: Et quoniam à ventorum natura ad animum tranſlata ſimilitudo eſt,aptiſſimo verbo decipiendi eſt vſus. [*Spiritus fornicationis decepit eos.*] Hebraicè planius, *errare fecit eos,* hoc eſt,tempeſtatis ritu,non quò lex & ratio, ſed quò animi impetus volebat, impulit.atque hoc modo à Deo ſuo,in quem omne illorum iter dirigi oportuit, ad idolorum & vanitatis cultum ſtudiumque conuerſi ſunt,& quocunque illos animi impetus, errorque rapit,eò conrendunt. [*Fornicati ſunt à Deo ſuo.*] Hebraicè de ſub Deo ſuo: hoc eſt legitimo atque auguſto viri ſui Dei cubili,& puluinari tegetem & lupanaria per ſummum nefas atque audaciam prætulerunt. Eccle.3. Iuuen.Sat.1

Super capita montium ſacrificabant,& ſuper colles accendebant thymiama: Subtus quercum & populum,& terebinthum; Quia bona erat vmbra eius.

ACCVSATIONEM criminis per ſpecies confirmando amplificat,& impudentiam atque audaciam oratione exaggerat,cùm nullus locus etiam publicus ſit, quem non ſtupris atque adulterijs ſuis gens illa,hoc eſt,Dei vxor ſynagoga compleuerit, atque ea loca maximè frequentarit,à quibus longiſſimè abeſſe debuit;quod certè ſummam illorũ erga Deum ſuum contemptionem arguit.nam vt gentium deluſa antiquitas,locis quibuſdam diuinitatem ineſſe putauit,ita ea loca numinibus ſuis dicata ad templorum ædificationem,ad ſacrificiorum vſus,& ritus aptauit.Huius generis loca, montes erant & ſiluæ, atque arboribus frequentes luci; ſed & arbores ipſas in Deorum tutela eſſe voluêre: Lactant.de vera relig.

Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Iaccho,
Formoſa myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo. Virg.in Buc. Eclog.7.

Hæc & huiuſmodi loca omnia non ſolùm vitata,ſed penitus diruta atque exciſa illis promiſſam terram occupantibus eſſe voluit Deus: Subuertite,inquit,omnia loca,in quibus coluerunt gentes, quas poſſeſſuri eſtis,Deos ſuos ſuper montes excelſos & colles,& ſubter omne lignum frondoſum. Capita montium eadem à Latinis vertices vocantur editiſſimi, quos cælum ipſum propius attingere putabant, & ad numinum maieſtatem adorandam liberiores, auguſtioreſque eſſe iudicabant,in quibus quæ tẽpla ædificabantur phana vocata ſunt, propterea quòd conſpicua,atque omni ex parte patentia eſſent. [*Et ſuper colles adolebant thymiamata.*] Duo cultus genera,victimarum mactatio,& thuris ſuffitus fuêre, ad quæ ritus cæteri, & ceremoniæ omnes referuntur, vt illud: Deut.12. Vitruu.lib.1

Quid velint flores, & acerra thuris
Plena, miraris: poſituſq; carbo in
Ceſpite viuo. Horat.lib.3. Od.8.

Sub quercu:] Quæ Ioui ſacra fuit: *Populo.*] quæ Herculi, & *Terebintho.*] ſic vertit nomen *Ela*,vetus interpres.Ex Hebræis verò quidam cum Chaldæo Ionatha *Butma*,hoc eſt,caſtaneum;alij vlmum interpretantur.Nomen *Ela*,Græcus interpres *δένδρου συσκιάζοντος*,hoc eſt,arboris coadumbrantis reddidit,qua circuitione lucum ſignificauit: vtcumque ſit,has omnes arbores, quò frondium pulchritudine & proceritate atq. opacitate gratiores videbant,eò diuinis honoribus frequentandis commodiores eſſe putabant:idcirco ſubiungit: *Quia bona erat vmbra eius.*] Pronomen ſingulare ad ſingulas arbores refertur. De his ritibus ſacrorum nos aliàs fortaſſis, quæ ad totam hanc rem in ſacris libris elucidandam facere poſſint,dicemus. *Sacrificabant,Adolebant.*] Hebraicè, Sacrificabunt, adolebunt; nam hoc verbi tempore, conſuetudo (vt in alio loco diximus) ſignificatur,hoc eſt,ſacrificare, & adolere ſolent; à qua ratione imperfectum præteritum apud Latinos & Græcos non eſt alienum.

Propterea fornicabuntur filiæ veſtræ, & ſponſæ veſtræ adulteræ erunt.

PAVLVS Apoſtolus ad Romanos ſcribens aptiſſimum huius loci explicationi facit ſermonem: Quia commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & ſeruierunt creaturæ potius quàm Creatori: Propterea tradidit illos in paſſiones ignominiæ, &c. Rom.1.

Fieri enim nonnunquam ſolet, vt peccati pœna, peccatum etiam ſit, diuino videlicet iudicio id permittente, in grauiorem damnationem eorum qui impietate ac ſcelere ſeſe vltro obligauerint. Ex idolorum autem cultu atque ex ſuperſtitionibus (quam rem omnem animorum fornicationem ſacri libri nominant) corporum etiam turpiſſima ſtupra ac libidines oriri antiquas hiſtorias atque monumenta legentibus manifeſtius eſt, quàm vt explicatione noſtra indigeat: id in primis diuina ex permiſſione fit: nam à Deo alienati homines, cupiditatibus ſuis, hoc eſt, malis & effrenatis libidinibus permittuntur. Tum id etiam iiſdem ipſis rationibus, ſtudiis, & actionibus, quibus in ſuperſtitione homines vtuntur, effici natum eſt. namque idololatriæ varia genera, exquiſita loca, certi dies, certæ noctiū aut dierum horæ, certi ad eam rem miniſtri, iuuenes, puellæ, eunuchi, imberbes, tum præterea ritus, & ceremoniæ quibus hæc peraguntur, vt conuiuia, compotationes, luſus, cantus, decurſiones, ludi, ſpectacula, fabularum actiones, & quæ eiuſmodi ſunt, omnia hæc non tam religionis quàm voluptatis atque animi cauſſa comparata videntur; adde impias de Deorum natura & officiis opiniones, quòd hi mares, illæ feminæ, amatores illi, virginum & puerorum raptores, & perditiſſimarum voluptatum exempla, auctoresque narrentur. Quid verò ex his rebus ſperari poteſt, niſi illud quod ſcriptum eſt: Sedit populus manducare & bibe-
Num. 11. „ re, & ſurrexerunt ludere. Igitur corruptam & contaminatam religionis puritatem, morum etiam conſuetudiniſque malæ corruptelam ſequi neceſſe eſt. cùm maiores natu propria voluntate & ſtudio, iuniores verò ſeniorum exemplo, omni ſeſe ſceleri contaminandos tradiderint: idcirco non mirandum eſſe Deus dicit, ſi filiæ, & nurus corruptorum & perditiſſimorum hominum corruptiſſimæ & perditiſſimæ etiam ipſæ euaſerint, cùm ille ſexus, atque illa ætas natura ſua ad libidinem voluptatemque procliuis, eorum, quos reuereri, à quibus in officio contineri debuit, negligentia & exemplo ad omnem luxuriæ licentiam libera euadat.

Non viſitabo ſuper filias veſtras, cùm fuerint fornicatæ, & ſuper ſponſas veſtras cùm adulterauerint.

VSQVEADEO ſanctum, & ab omni non ſolùm facto, verùm opprobrio quoque turpi intactum Iſraëliticum populum eſſe, & ſeruari ſibi Deus voluit, vt honeſtatis & deco-
Leuit. 9. ris eius cauſſam ipſe ſuſceperit, atque promulgatis legibus, ſi quis aliqua ex parte Iſraëlis nomen, honorem ſanctitatemque polluerit, ſceleris ſe vindicem conſtituerit. Virginum autem, nuptarumque ſtupra & adulteria, maximam & diuturnam familiis infamiæ labem aſpergunt. quamobrem maxima cura & ſtudio vnuſquiſque ſuarum filiarum, atque ad ſe pertinentium feminarum integritati & famæ in republica bene iuſtituta, cauere atque prouidere ſolet. Summi autem vitij ſignum manifeſtum eſt, ſi quo in populo hæc ratio negligatur. Idcirco huic rei editis legibus Deus prouidit, vt populi ſui puritatem atque ſanctitatem publicè & priuatè tueretur. nam ſi qua filia, ſi qua nurus adulterij aut ſtupri ſcelere familiæ ſuæ ſplendorem maculaſſet, huic cum ignominia & dedecore mori, pœna & fami-
Leuit. 20. liaris ac publicè maculæ expiatio erat. quibus de rebus in hunc modum ſcriptum eſt: No-
„ lite ambulare in legitimis nationum, quas expulſurus ſum ante vos. Omnia enim hæc
„ fecerunt, & abominatus ſum eas. Ego Dominus Deus veſter qui ſeparaui vos à cæteris populis: Et ne proſtituas filiam tuam, ne polluatur terra, & contaminetur piaculo. & alio in loco: Si mœchatus fuerit quis cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum coniu-
Deut. 22. ge proximi ſui, morte moriatur & mœchus & adultera. De virgine autem ſic: Si verè fuit ei
„ obiectum, quòd virginitas in ea non ſit inuenta, eiicient eam extra fores domus patris ſui,
„ & lapidibus obruent eam viri ciuitatis illius, & morietur: Quia nefas fecit in Iſraël vt for-
„ nicaretur in domo patris ſui, & auferes malum de medio tui. Hæc eſt diuina viſitatio in
„ eos, qui nefas in Iſraël faciunt. Quòd ſi Iſraël ipſe, cuius famæ & ſplendori Deus priuatè conſulebat, ſcelus publicè admittat, foueat ac probet, flagitiiſque atque dedecoris plenus ſit, ipſe profectò leges de filiarum honeſtate vindicanda repudiare, atque Deum ea cura liberare velle videtur. Quamobrem Deus qui publicam patrum honeſtatem requirebat, & priuatam filiarum conſeruandam ſuſceperat, ad patentes vt ſceleris primos, ac maximos auctores ſupplicio afficiendos conuerſus, filiarum, quæ minori in culpa ſunt, pœnam interim negliget, ac dum ipſas libidinosè agere permittit, violati publicè officij pœnas à parentibus repetet: *Non viſitabo ſuper filias veſtras.*] Imò potius ad veſtrum dedecus, in iſtarum flagitiis interim conniuebo. nam quid me veſtris priuatis rebus intentum eſſe oportuit, ne qua vobis labes ac macula ab aliis fiat, cùm vos omni turpitudine atque nefario ſcelere vitam veſtram omnem ſtudioſe, imò ambitiosè fœdatam commaculatamque eſſe volueritis?

Quoniam ipſi cum meretricibus conuerſabantur, & cum effeminatis ſacrificabant, & populus non intelligens vapulabit.

CVM VIRI ipſi parentes, mariti, & fratres non ſolùm animo ſuperſtitionibus & vanis cultibus tradendo, ſed corpore etiam omnibus flagitiorum libidinibus contaminando aſſiduam operam dent; nunquid his veniam cenſura mea dabit, & vexabit mulierculas & puellas, populum videlicet proprio conſilio ex ætatis & naturæ imbecillitate carentem, atque eorum, quorum id intererat, cura deſtitutum & mala diſciplina deprauatum? [*Populum non intelligentem.*] mulierculas vocat: namque vna Eua huius populi prima mater exemplo nobis eſſe poteſt, quàm facilè huiuſmodi natura ſeducatur, & quàm citò voluptatum deſiderio, niſi aliundè cohibeatur, exæſtuare poſſit, ſicut ſcriptũ eſt: Videns igitur mulier quòd eſſet bonum lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis aſpectuque delectabile, tulit de fructu illius & comedit. Gene. 3. [*Et populus non intelligens vapulabit.*] Ironicôs, aut interrogatiuè potius, quàm cum aſſeueratione legendum eſt: nam argumentatio hæc per contentionem, ſiue, vt Dialectici dicunt, per comparationem maioris & minoris concluditur, vt illud:

De nobis poſt hæc triſtis ſententia fertur. Iuuen. Sat. 2

Chaldaicè hic locus per interrogationem non inconcinnè legitur, hoc modo: *Et populus generationis quæ non ſtudet legi an non colidetur?* Videlicet exemplo, & conſuetudine maiorũ ſuorum. Græcè autem totus hic locus ad ſpiritualis fornicationis rationem paraphraſticè tractatur ſic: Quia ipſi cum meretricibus commaculabantur, & cum initiatis ſacrificabant, & populus intelligens implicatus eſt cum fornicatione. [*Cum meretricibus & cum effeminatis:* Hebraicè, *& cum ſcortis.*] Gentium atque idola colentium celebritates & frequentiæ huiuſmodi impudico mulierum genere refertæ erant: *Nam quo non proſtat fœmina templo?* Iuuen. Sat. 9 vt aiebat ille. Omnium autem rerum atq. negotiorũ, quæ ab hominibus inuenta & inſtituta ſunt, euentũ obſeruari oportere, atq. an eiuſmodi res Deo probentur indicari poſſe, tum ex hoc loco, tum ex multis aliis docemur. Nam quæ res nõ ex diuino, ſed ex humano conſilio incœpta atque inſtituta improbandos & turpes plerumq. partus edere ſolet, eam rem Deo non probari planum eſt. ex qua re factum eſt, vt hypocriſis, & humanæ ſimulationis rationem ex operibus obſeruandam Chriſtus indicauerit. Cæterùm neque filiabus, & nurubus propterea impunè peccare licebit, quòd ſuper eas ſe non viſitaturum dicat Deus. Namque hoc in loco non de æterna animorum, ſed corporum temporali pœna agitur, quæ de auctoribus potiſſimum ſumi ſolet. & quanquam ij etiam, qui aliena auctoritate aut conſilio deliquerunt, eadem plectantur pœna: cauſa tamen in iudicio cum auctoribus ipſis agi ſolet, atque hoc in loco iudicialis, vt diximus, cauſa tractatur. Idcirco dicit, *non viſitabo*, quod apud ſacros auctores in iudiciorum rationibus vſurpatur, vt apud Samuelem Deus, Viſitaui quæcumque fecit Amalec Iſraëli. 1. Samu. 15.

Si fornicaris tu Iſrael, non delinquat ſaltem Iuda.

MALORVM hominum & impiorum conſuetudines, amicitiæ & familiaritates quantum bonis etiam viris nocere ſoleant, non vno tantum exemplo compertum eſt. Nam ſi quis impiorum ſocietatibus aſſueſcat, conſuetudine & familiaritate inductus, in idem genus morbi delabitur: Quamobrem contagionem huiuſmodi ſæpiſſimè ſacri deprecantur auctores: vt, Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moueat me. Pſal. 36. Hæc res cùm vtriſque vehementer obeſt, tum iis maximè, à quibus malorum contagiones proficiſcuntur, in alioſque manant. At verò Deus nihil omnino mali in hominibus eſſe vult, qui non ſolùm legibus & præceptis ſingulorum peccata coërcet; ſed præcipua & maxima cura peccandi exemplis & contagionibus cauet, & priuatis legibus, grauioribus pœnis, atq. alio expiationum genere aduerſus eos vtitur, qui conſuetudine, familiaritate, aut alio modo pernicioſum exemplum prodidêre, vt ſcriptum eſt: Et facta eſt ira Domini contra Iudã & Ieruſalem propter delictum: nam de hoc genere in illo loco ſermo eſt. Leui. c. 4. & 5 Igitur Iſraëlitæ, qui ſeſe ſuoſque filios omni ſcelerum genere contaminauerant, ne etiam vicinis ſuis ſua contagione obſint, hoc in loco à Deo deterrentur; iubenturque vt ſi minus ſuorum flagitiorum Parali. c. 24. pœnas atque ſupplicia horreãt, ſaltem alienarum culparũ crimen ſuſcipere formident. Duplex ſceleris admittendi occaſio Iudæorum genti ab Iſraëlitico populo dabatur, altera locorum & viarum, altera verò ſacri ſermonis & vocum cõmunio erat. & quoniam locus id exigere videtur, breuis quædã topographiæ ratio hîc nobis habenda eſt. Cùm primùm Ieroboam nouarum rerum auctor & dux regnum Iſraëliticum occupauit, ſtabiliendi imperij rationẽ impiam quidẽ, callidam tamen & ad tempus idoneã excogitauerat. nam cùm hominũ ſocietas atq. coniunctio nulla re magis, quàm religionis cõmunione ſeruetur; ne populus conſuetæ religionis colendæ deſiderio Ieroſolymitanũ templũ frequẽtando familiaritatem & conſuetudinẽ cum Iudæis retineret, atq. hoc pacto minus certa ipſe dominatione

vteretur,

vteretur, ex duobus à ſe conflatis vitulis aureis, alterum in Dan, alterum verò in Bethel conſecrauit, atque horum ſacra per ſacerdotes à ſe ex popularibus creatos curauit. Hoc itaque pacto (vt res hominum ſunt) euenit, vt maiori plauſu atq. frequentia ſuperſtitio, quàm vera pietas coleretur. Præterea populus Gilgal locum religionis cauſa frequentare cœpit, eo nomine quòd ipſorum pater Iacob à Deo in eo loco admonitus, Iſraëlis etiam nomen accepiſſet. atque hæc loci dignitas ad veterem religionem turpandam & permutandam multum apud illorum animos momenti habuit, vt ſcriptum eſt: Omnis malitia eorum in
Oſe. 9. Gilgal, quia ibi exoſos habui eos. *Propter malitiam adinuentionum eorum.*] Adinuentionum malitia & calliditas illa fuit, quòd ſeſe non alium quàm verum Deum Iacob, & in eo loco, in quo eum Iſraëli viſum fuiſſe apud omnes conſtabat, coli profiterentur; atque hac ratione facilè vulgò perſuaderi potuit. Neque verò iſti ſuis tantùm popularibus, ſed vicinis, etiam Iudæis imponere huiuſmodi fraude potuerunt. Iſraëlitis autem vel templum Bethel, vel id etiam quod in Gilgal erat, aut ſupplicationum, aut ſacrificiorum factitandi cauſa petentibus per Iudæorum & Biniaminitarum regionem iter neceſſariò faciendum fuit. namque Bethel (quæ olim Luza dicta eſt) in ſorte Biniaminiticę tribus ſita erat, à qua non nimiũ di-
Ioſu. 19. ſtabat Gilgal. Igitur ex viarum atque itinerum commerciis, vocabulorumque & ſermonis ſacri communicatione effectum eſt, vt à Iudæis & Biniaminitis eadem loca atque eadem templa ſancta quoque haberentur, & religioſè colerentur. Minus ergo grauiter ferendum eſſet, ſi Iſraëlitæ Deum ipſum à quo verè per ſummam impietatem deſciuerant, prædicare etiam & nominare deſinerent; nec non ſi templa, ſtatuas, & ſacra in Dan tantùm, aut etiam in aliis locis, intra ſuos tamen limites inſtituentes, ab aliorum regionibus exemplo ſuo corrumpendis, abſtinuiſſent. Hoc igitur eſt quod dicit: *Si fornicaris tu Iſraël, non delinquat ſaltem Iuda.*] Namque iſti falſis nominis mei appellationibus & prædicationibus, atque templorum celebritate, quæ templa per ſummũ nefas in ſua regione abs te ſancta & effata habentur, eadem tecum implicati ſunt ſcelerum ſocietate. *Delinquat*, verbum Hebraicum *Aſſam* (pro quo ſæpiſſimè interpres reddit delinquere,) de ea culpa dici ſolet, quæ ab alio profecta in alium etiam permanauit; vt ſi quis alteri vt peccet impulſor ſit, de vtroque *Aſſam* dicatur: vt Iſaac à Rege Geraræ obiurgatus audiit: Quare impoſuiſti nobis? poterat quiſque coire cum vxore tua, & induxeras ſuper nos grande Aſſam. & illud clarius: Si ſacerdos qui vnctus eſt, peccauerit, delinquere faciens populum: quo in loco vox Aſſam eſt. eadẽ ſignificatione verbum, delinquere, Latinum à Cicerone frequenter vſurpatur.

Et ne aſcenderitis in Beth-auen.

Ioſu. 16. LVZAM olim, poſtea Bethel à Iacob dictam in loco edito ſitam fuiſſe ex Ioſue deſcriptione accepimus: Cecidit, inquit, ſors filiorum Ioſeph, à Iordane contra Iericho, & aquas eius, ab oriente ſolitudo, quæ aſcendit de Iericho ad montem Bethel. à quo loco oppidum nomine Beth-auen, non procul aberat. Vt autem Bethel Dei fortis domum, ita Beth-auen domum vanitatis ſignificat. namque *Auen*, res eſt vana, & cui nulla vtilitatis, ſed incommodi potius ratio ſubeſt, ex qua iniquitatis operarij in ſacris appellantur: ex vicinitate autẽ & euentu nomen *Bethel* in *Bethauen* per antiphraſim mutatur. qui enim locus olim ob diuinam viſionem Iſraëli patri domus Dei dictus eſt, nepotibus eius in domum mendacij eſt com-
Amos 5. mutatus: atque ita Amos vates cenſuit: Et Bethel erit inutilis: quo in loco pro inutilis Latinè, *Auen* Hebraicè eſt.

Neque intraueritis, Viuit Dominus.

HIS VERBIS apud eos, quibus nomen Dei ſanctiſſimum erat, iuſiurandum olim comprehendebatur. Huiuſmodi verò iuramenta, quòd à religionis argumento deuenerant, auertenda Deus vehementer curat: itaque ſatius eſſet, ſi ſuo tantùm non aliorum etiam periculo peccarent. Propterea autem cùm eos à Bethel & Gilgal reuocaſſet, nullam Danitici templi fecit mentionem, quòd is locus ab Iſraëlitis peti poterat, nullo Iudææ termino obiter decurſo.

Quia ſicut vacca laſciuiens declinauit Iſraël.

ISRAELITARVM petulantiam vehementi oratione patefacit & arguit: Vſqueadeò, inquit, intemperanti & inuerecundo ingenio Iſraël eſt, vt effrenata mente omne ſcelus atq. nefas licenter percurrat; neque cogitet, num ſibi malum, num aliis detrimentum, illa ſua licentia & conſuetudine afferat. Aptiſſima verò ſimilitudine ad hanc rem explicandã Deus vſus eſt: nam Iſraëliticum populum iuuencæ indomitæ ſimilem eſſe dicit, quæ vberiores paſtus nacta, in eiſque aliquandiu commorata, pinguior reddita, iugum aſpernatur, dominum contemnit, ac iam ſuis paſtibus, & locis non contenta, alienos agros pererrat, in vicinorum

norum ſata irrumpit, quæ petulantiæ magis, quàm famis explendæ cauſa, decerpit. Non ſecus Iſraël facit, cui cùm felicioribus locis, & regionibus, etiam cùm regno, regioque nomine vti contigerit, laſciuiam ſuperſtitionis licentiam ſibi ipſi propoſuit; qua etiam dum nimium abutitur, aliena loca voluptatis atque animi gratia peruagatur. etenim non contentus templa, & ſtatuas in Dan erexiſſe, in Gilgal & in Bethel non diuinitatis alicuius, ſed licentiæ ſuæ ſimulachra collocauit. Hoc autem animantium genus inter omnia quæ hominis ad vſum cicurari nata ſunt, interim dum indomitum perſeuerat, petulantiſſimum eſt, non ſolùm enim ſequentem dominũ fugere (vt indomiti equi faciunt) ſed petere etiam vltro, & cornu ferire ſolent. atque ob hanc naturæ ſimilitudinem Chriſtus apud Pſaltem dicebat: Circumdederunt me vituli multi. Cùm autẽ in omni animantium genere feminæ natura ſua magis impotentes, & ſtultæ magis ſint, ex eo fit, vt quouis impetu & quouis appetitu vehementius etiam quàm mares agantur. & quia ſub vxoris imagine Iſraëlitarum gens accuſata à Deo eſt, percommodè vitulæ ſimilitudine res eſt explicata. Eſt prærerea neſcio quid elegantiæ ac decoris in femineis animantium nominibus; quamobrem ab antiquis auctoribus libentius ea nomina vſurpabantur: vt; Quemadmodum deſiderat cerua ad fontes aquarum: Et Poëta; Pſal 40. Virgil. Geor. lib. 3.

Scilicet ante omnes furor eſt inſignis equarum.

Huiuſmodi petulantiam venuſtè ſatis, ſed minus eleganter, quàm à vate noſtro Hoſſea ab Anacreonte & Horatio deſcriptam legimus; namq. illi genus equorũ petulans quidem expreſsêre; Hoſſeas verò vaccarum genus petulantiſſimum & procaciſſimum vſurpauit, Anacreont, od. ſtrom. 64

Quæ velut latis equa trima campis Horat. lib. 3 od. 11.

Ludit exultim, metuitq; tangi, &c. Huiuſmodi orationum, & ſententiarum collationibus quantum à ſacris auctoribus laudatiſſimi quiq. ex prophanis ſuperentur, facilè intelligent ij, qui dicendi ſplendorem & elegantiam in diuinis libris requirunt: de qua re nos in cõmentariis noſtris nonnunquam, ſed proprio opere latius Deo annuente agemus. [*Quia ſicut vacca.*] *Quia* hoc in loco non tam cauſam quàm explicationem atque aſſeuerationem cum dicentis animi impetu & vehementia continet, vt illud: Iucundus homo qui miſeretur, & commodat; diſponit ſermones ſuos in iudicio; hic eſt carminis finis: ſequentis verò principium eſt: Quoniam in æternum non commouebitur. quibus in locis vox, quoniam, vehementer affirmat, remque exaggerat, quod &, nam, apud Latinos facit: vt Nã me hercule, inquit, Antonius, &c. [*Laſciuiens declinauit.*] Hebraicè *zzarera zzarar*, hoc eſt errans errauit, ſiue laſciuiens laſciuiuit: nam verbum *zzarar* petulanter agere ſignificat, vt: Si genuerit filium homo contumacem & proteruum. & illud: Qui exaſperant non exaltentur in ſemetipſis: in his locis & aliis verbum zzarar eſt. Pſal. 111. Cicer. de ora. lib. 2. סרר Deut. 21. Pſal. 66.

Nunc paſcet eos Dominus quaſi agnum in latitudine.

EANDEM adhuc tranſlationem vrgens huius petulantiæ exitum dignum prædicit, videlicet breui futurum eſſe, vt Iſraël, cui velut iuuencæ indomitæ proprius locus anguſtus videbatur; neque ſatis idoneus, in quo laſciuiæ ſuæ ludos curſuſque conficeret: atque ob id vicinos quoque agros temerè percurrebat, & corrumpebat, captiuus ductus per totum orbem diſpergatur, ac non ſine ſuo magno malo, latioribus quàm optauerat vtatur ſpatiis. id verò Deo auctore illis accidet, cuius prouidentia huiuſmodi prædictionibus atque euentibus arguitur. Nam cùm pœna ſcelerum, vel peccantium votis omninò contraria, vel ſimilis etiam omninò ſit; quanquam id vaticinio prædictum non fuerit; tamen non caſu, ſed certo conſilio res euenire exiſtimanda eſt: Caſus enim nullam rationum & conſiliorum conſequentiam habet: conſilium verò vel maximam habet. Vt autem iuuencæ errantis deſcriptione petulantiæ & exultationis imago eleganter explicata eſt, ſic etiam ſumma miſeria atque calamitas, ſumma etiam animi ægritudo & vitæ perturbatio, & magna confuſio agni in ſpatioſo loco errantis ſimilitudine exprimitur. Oues omnium animantium timidiſſimæ ſunt, & ſi quod conſilium, ſi qua cogitatio, aut his ſimile aliquid in aliorũ naturis ineſſe putatur, ea re oues omninò carere videntur: ex eoque fit, vt humana cura, & diligentia hoc genus magis, quàm cætera indigeat; vnde ſumma rerum perturbatio & confuſio huius generis imaginibus depingitur, vt ſcriptum eſt: Vidi vniuerſum Iſraël diſperſum in montibus ſicut oues abſque paſtore, & dixit Dominus: Non habent iſti dominos, &c. & illud: Eratis enim vt oues errantes. Illud verò hoc in loco miſeriæ amplificationem habet, quòd in genere ouium agnus vſurpatus fuerit, cui præter eam quæ ex natura eſt, ætatis etiam imbecillitas accedit. Quæ verò magis apta erroris metus & perturbationis imago exprimi potuit, quàm ſi quis agnum ſolum in vaſta ſolitudine relictũ effingat? qui cùm nullo conſilio ſit, curſu parum, viribus nihil omnino valeat, herbarũ & paſtus immemor, 2. Para. 18. 1. Pet. 2.

erroribus

erroribus & balatu loca omnia peruagatur & complet, & omnia metuit, omnia fugit, & tamen his rebus omnibus periculum ſibi magis, quàm ſalutem parit. Infelix profectò, & miſerum ſpectaculum, & quod dolorem non ſolùm ipſi, qui in ea miſeria eſt, acerbiſſimum
Matth. 9 faciat, ſed ſpectantium etiam animos commoueat, ſicut ſcriptum eſt: Et videns turbas viſcerum dolore tactus eſt ſuper eas, erant enim diſperſæ tanquam oues non habentes paſtorem. In hac etiam ſimilitudine exteri auctores à noſtris longo interuallo ſuperantur: illi enim hanc rem hinnuli aut damulæ imagine deſcribunt: quod genus, quanquam cæteris rebus agno par eſſet, tamen curſu ad fugam longè antecellit, quod vnum ſalutis præſi-
Iſai. 5. dium ſæpe eſt, cùm contra & hoc etiā agni careant. *Nunc paſcet.*] Et temporis breuitatē & pœnæ comminationem indicat vox *Nunc*, vt illud: Et nunc quid faciam vineæ meæ?

Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum. Separatum eſt conuiuium eorum, fornicatione fornicati ſunt: dilexerunt afferre ignominiam protectores eius.

SINGVLAREM Iſraëlitarum inſolentiam & contumaciam indicat hoc loco Deus, quos eò proteruitatis proceſſiſſe dicit, vt diſciplinam omnem & correctionem reiiciant. Namque cùm bonorum ſummam in voluptate & idololatriæ ſcortatione ſibi ipſi ſtatuerint, atque in huiuſmodi ſtudia toti incumbāt, nullum correctioni locum relinquunt. Vbi verò quis non errore, non ignoratione coactus, ſed conſultò ſuam ipſe miſeriam tuetur, quid facias illi? ſinas miſerum eſſe libenter. Extremus autem infelicitatis gradus eſt, ſi cui ob culpam ſuam, ob contemptum ſuum, diuina correctio, caſtigatioque negetur. Etenim dum caſtigationi locus eſt aliquis, nonnullum etiam ſpei ſupereſſe putandum eſt. Quanta verò diuinorum iudiciorū ſit æquitas, vel ex eo perſpicitur, quòd antè quàm aliquis pœna damnetur, ad extremam vſque correctionem à malitia ad pœnitentiam reuocatur. Neq. quiſquā propterea deſtituitur, quòd ad hoc natus fuerit; ſed quòd ipſe vt iuſtiſſimè deſtitueretur, fuerit commeritus. Quamobrem ne quis ſuam damnationem diuinæ voluntati, ſed propriæ malitiæ & contemptioni aſcribat; Deus ipſe in damnatiſſimis & reprobatiſſimis hominum cauſſis rationem, quamobrem damnati reprobatique ſint, reddere ſolet: Prius enim quàm in Pharaonem horrendam indurationis ſententiam ferret, Moſi præ-
Exod. 4. dixerat: Ego ſcio quòd non dimittet vos Rex Ægypti, vt eatis; niſi per manum validam. Hanc ergò rationem hoc in loco perſequitur Deus: Iubet enim vatem ſuum, ne iam plus operæ in Iſraëlitis corripiēdis fruſtrà conſumat, qui perinde ſuperſtitionis ſtudio incumbunt, acſi neceſſitudine aliqua idolis coniuncti ſint. hoc eſt quod dicit, *Particeps idolorum Ephraim.*] Ieroboam, qui primus vitulorum & impietatis auctor Iſraëlitis fuit, ex tribu Ephraim erat: ideò hanc ſuperſtitionem, vt partum quendam ſuum Ephraitæ fouebant, & tuebantur. Alludit autem ad vaccæ allegoriam, cui Iſraël ſimilem dixerat: nam ita vitulos ſuos aureos Iſraël amat, vt vacca ſuos. Totum verò indomitæ iuuencæ ſtudium, vel pabulo conſumitur, vel ludo & curſitatione abſoluitur. Idcirco ait, cùm ſeſe ille coërceri non patiatur, *Dimitte eum.*] Nullas enim alias res agere vult, quàm vel conuiuiis, vel idololatriæ fornicationi, intendere. itaque nullum tempus illi aut à voluptatis, aut à ſuper-
Iſai. 5. ſtitionis ſtudio vnquam vacat, ſicut ſcriptum eſt ab Iſaia: Væ qui conſurgitis manè ab ebrietatem ſectandam & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis, & opus Domini non reſpicitis: hoc eſt quod dicit: *Separatum eſt conuiuium eorum.* id eſt, *Poſtquam exempta fames epulis, menſæq; remota; Fornicati fornicati ſunt.*] Quis igitur interea reprehenſioni locus erit?
חבור *Particeps* Hebraicè *hhabur*, id eſt coniunctus, colligatus. [*Dilexerunt afferre ignominiam protectores eius.*] Vnumquodque hominum ſtudium, & ars vnaquæque, etiā inutilis, proprias quaſdam orationes habet earū ſectatoribus familiares, quas illi libenter vſurpant: cuiuſcemodi illud in ore omnium helluonū eſſe ſolet: Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Solent verò ſacri auctores cùm de his rerum & ſtudiorum generibus agunt, eiuſmodi ſermones & voces inducere, vt per eam orationis figuram, quæ Mimeſis dicitur, rem ipſam expreſſius effingant: & cùm hoc interdum fuſius, interdum preſſius, & vno tantum verbo fiat, accidit ſæpe, vt ea loca paulò obſcuriora reddantur. qualis locus eſt in Euangelio: Vos
Marc. 7. autem dicitis corban, hoc eſt munus, &c. Quamobrem ſacrorum ſcriptorum interpretem nihil horum ignorare oportet, ſuſcepto officio ſatis facere cupientem. Igitur vt locus hic nobis commodius explicetur, meminiſſe oportet, voluptati deditos non ſolùm ſummum in ea re bonum ſibi propoſuiſſe, ſed id quod ignominioſum verè eſt, & turpiſſimum, vt honeſtiſſimum cæteriſque rebus anteferendum iactare conſueuiſſe, & cætera præ his ſtudia damnare; adeò vt quod aliis ſummum dedecus & probrum videtur, illis contrà ſummum iudicetur decus, ſicut ſcriptum eſt: Quorum Deus venter eſt, & gloriantur in ignominia ſua. Similes autem ſermones, ſimileſque voces ab iſtis vſurpari manifeſtum eſt, vt: Perfruere

fruere vino cum vxore quam diligis, cunctis diebus inſtabilitatis vitæ tuæ: Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, neque ſapientia, neque ſcientia erit apud inferos, quò tu properas. & illud Anacreontis: Eccle c.9. " "

Religatus at papyro, / Tunicam Cupido collo / Mihi poculum miniſtret: / Rota nam velut curulis
Properat volucris ætas? / Roſeas meo corollas / Capiti feraſq; odores, / Mihi & voces amicam.
Etenim priuſquam ad orci / Rapiar nigri choreas, / Volo diſsipare curas. Anacreon.

Ex hoc ſermonum genere eſt verbum *Afferre*, quod à noſtro vate interpretatione refertur: vox enim eſt vini cupidorum epulaſque petentium: vt Salomon referens inquit, Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes, Affer, Affer; & apud Latinos, appone, funde, præbe, &c. Hæc ſtudia atque hi ſermones cùm omnibus hominibus, tum maximè principibus ignominioſa ſunt, vt ſcriptum eſt: Beata terra cuius Rex nobilis eſt, & cuius principes veſcuntur in tempore ſuo ad reficiendum, & non ad luxuriam. At verò Principes hi Ephraitæ, & vaccæ Iſraëliticæ defenſores voluptatibus conſumpti, ſummam ignominiam ſummum bonum ducentes, verbum illud frequentare dilexerunt, Affer, Affer. Prou. 30. Eccle. 10.

Ligauit eum ſpiritus in alis ſuis, & confundentur à ſacrificiis ſuis.

DIVINÆ ſententiæ decretum hoc eſt, quo Iſraëlitica diſperſio futura prædicitur; 4. Reg. 17.
qua pœna Hoſſea Rege afflicti ſunt anno ab orbe condito ter milleſimo, ducenteſimo, de- Ioſeph. li. 9.
cimo tertio; Regni verò Iſraëlitarū ducẽteſimo quadrageſimo tertio, vt ex libris Regum, c. vltimo.
ex Ioſephi hiſtoriis, atque ex aliis auctoribus accepimus. Vt autem hanc diſperſionẽ lon- R. Camhi.
gè lateque diſſipandam veriſſimè atque appoſitiſſimè ſignificaret, dicit illos à Domino R. Salom.
ventis per vniuerſum orbem aſportandos fuiſſe commiſſos. Nam cùm primùm illi à vero R. Leui Gerſoni.
Deo ad vanitatem deſciuêre, ventis ſeſe cõmittere viſi ſunt. Venti verò velociſſimi eſſe, &
omnia loca citiſſimè peruagari, atque mandata Dei diligentiſſimè perferre creduntur, vt
ſcriptum eſt: Qui ponis nubem aſcenſum tuum, & ambulas ſuper pennas ventorū, & qui Pſal. 103.
facit angelos ſuos ſpiritus, &c. Cùm autem illos non certo alicui ſpiritui, ſed ſpiritui tradi- "
tos dicat, omnium ventorum poteſtati permiſſos, & in quatuor mundi plagas diſſipandos
eſſe indicat. Nam præter id, quòd vehementes hi ſpiritus venti nomine dicuntur, qui vbi Ioan. 3.
volunt ſpirant, & neſcimus vnde veniant, aut quò vadant; plagæ etiam atque regiones
mundi ventorum nominibus deſignantur; vt, Venient Angeli, & conuocabunt electos à Marc. 13.
quatuor ventis. Tum demum Iſraëlitas, quos nunc ludere & laſciuire vehementer delectat, luſiſſe, & idololatriæ indulſiſſe vehementiſſimè ſerò pudebit. Alligauit iam eum populum ſpiritus in alis ſuis.

CAPVT QVINTVM.

AVDITE *hoc ſacerdotes, & attendite domus Iſraël, & domus Regis auſcultate, quia vobis iudicium eſt.*

IVSTISSIMVS atq. ſanctiſſimus omniū iudex Deus, qui vt neminem damnet, neminẽ omninò in culpa eſſe cupit; cùm tãdem diuinarū legum & æquitatis ratio poſtulat, vt hominum cauſa in iudicium ducatur, æquiſſimum & diligentiſſimum ſeſe iudicẽ & rerum æſtimatorẽ præbet. Et quoniam æquiſſimum iudiciū neminem indicta cauſa damnari patitur, neq. actorem ſolùm, ſed reum etiam ipſum, vel qui rei cauſam defendat, audiendum eſſe ſtatuit; ideò in qualibet cauſa iudicanda, ſuo officio ſemper ſatisfacit Deus, qui neminem vnquam damnat, antequàm in iudicium vocatum, aut nullam, aut vanam, aut ineptam criminis depulſionem habuiſſe conuincat: Alioqui, inquit Paulus, quomodo iudicabit Deus hunc mundum? Igitur cùm in his prophetæ noſtri ſermonibus dies Iſraëlitis dicta fuerit, & hactenus accuſatione, & crimine inferendo tranſacta res ſit; nunc altera iudicij tractatur pars; in qua ſi quid pro reo dici poſſit, expectatum eſt; & cùm nulla criminis diluendi idonea conſtiterit ratio, tum demum exquiſita damnationis ſententia pronunciatur; atque accuſationis præcedentis exordium fuerat: *Quia lis eſt Domino cum habitatoribus terræ.* Defenſionis autem ſubiectæ initium eſt: *Quia vobis iudicium eſt.* Accuſationis autem formula poſtulat, vt omnes in crimen vocentur, quicunque culpæ & ſceleris participes ſunt: Defenſio autem eos ad dicendam cauſam admittit, qui maximè dicere & poſſunt, & debent; quales ſunt ij, quorum auctoritate & conſilio præcipuum ſcelus eſt admiſſum, atq. idcirco omnibus in iudicium vocatis, defendendi cùm ius tum auctoritas regiæ familiæ præcipuè tribuitur. Triplicẽ autem ordinẽ inter accuſandum

propheta

propheta appellauerat: in ſacerdotes enim dixerat: *Quia repuliſti tu me, repellam & ego te, ne ſacerdotio fungaris mihi.* In populum verò: *Populus meus in ligno ſuo interrogauit.* In magiſtratum autem: *Dilexerunt afferre ignominiam principes eius.* Eoſdem etiam ordines eadem ſerie ad defenſionis ſuæ redargutionem audiendam compellat, ne quis videlicet iniquius ſecum actum cauſaretur, quòd non ad dicendam cauſam fuiſſet admiſſus. Atque ordines illi ſic appellantur: *Audite hoc ſacerdotes: Et attendite domus Iſraël, Et domus regis auſcultate.* Cauſæ grauitatem & ſeueritatem hæc exquiſita attentionis petitio arguit: Accuſando quidẽ, ſemel omnibus dixerat, *Audite.* Nunc verò incremento vſus, *audite, attendite, & auſcultate,* dicit. Nam Deo cauſam dicturo, cuius oratio ſimplex, pura, vera, atque omnis erroris, calliditatis, & ſimulationis expers eſt, ſatis fuerat dixiſſe, *Audite;* quippe qui criminum enumeratione, & explicatione, ac ſimpliciſſima probatione ſuſceptum accuſatoris munus expleturus erat. Nunc verò cùm cauſa ipſa hominum & defenſio (ſi qua illis reliqua eſt) refellenda à vate ſuſcipiatur, cùm negationibus criminum occurrendum, deriuationibus obuiandum, excuſationi, tranſlationi, tergiuerſationi, diſſimulationi, & denique his rebus omnibus, quas humana calliditas, non vt culpam, ſed vt culpæ pœnam declinet, tentare ſolet, reſiſtendum ſit, ne quid ſuarũ artium prætermiſſum, aut intercluſum ſibi eſſe homines cauſari poſſint: nunc cùm eorum cauſa pro ipſis, & aduerſus eos, atque ipſorum artibus, & modis agenda eſt, attentiſſimis auribus

ריב atque animis eſſe iubentur. *Quia vobis iudicium eſt.* In ſuperiori oratione dixerat *Rib,* quod iurgium ſignificat. huiuſmodi autem accuſatorij ſermonis ratio eſt: Namque accuſator criminum & flagitiorum atrocitate commotus, concitato ſermone in reum liberius inuehitur; contrà, reus ſedatiore oratione, & rationibus magis, quàm perturbationibus vtitur. quanquam autem iudex vtramque partem audiat, ſententiam tamen dicturus defenſionis potius, quàm accuſationis vim & pondus æſtimat, quamobrem dicit: *Quia vobis iudi-*

משפט *cium eſt.* Nomen *Miſpat,* iudicium à ratione profectum ſignificat, vt primo capite Habbakuq à nobis dicitur, hoc eſt, quia ſiquid à vobis dici poterat, antequam ſententia pronuncietur, ego ipſe exquiſitiſſimè dicere & refellere etiam paratus ſum. Vos autem in primis appello principes & magiſtratus populi, quoniam præcipuo quodam iure iudicium vobis eſt, atque ad vos maximè pertinet. Huius verò rei rationem reddens, ait:

Quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi, & ſicut rete expanſum ſuper Thabor.

Midras Thãhuma volumine Thaganioth. 3. Reg. 12. TRADVNT Hebræi in libro qui Midras Thanhuma inſcribitur, & in Ieiuniorum volumine, Ieroboamum hortis arcibusque in montibus Thabor & Miſpa extructis, excubias collocaſſe, quibus populus impediretur, ne ſtatis diebus feſtis Ieroſolymam peteret, pœnamque capitis contrà intentantibus indixiſſe; quod non ſine principum & magiſtratuum ſuorum conſilio à Ieroboamo ſtatutum eſſe credendum eſt. ſic enim legimus: Et excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite aſcendere vltrà in Ieruſalem, &c. Hæc omnia excogitato conſilio decreta & edita eſſe hiſtoria indicat. Nullam ergo his defenſionem ſupereſſe dicit, quorum conſilia & opera populus in idololatriæ ſcelus fuit impulſus. Atque ſtatus hic coniecturalis eſt, in quo rei facultas & voluntas quæruntur. Atqui voluntatis facultas eſt index: facultatis verò multa indicia, aut ex antecedentibus rem ipſam, aut ex iis quæ cum ea ſimul ſunt, aut ex conſequentibus ſumuntur: conſequentia autem indicia, maximè verò quæ diuturna ſunt, rem ipſam certiſſimè arguunt. Igitur ſi domus regia hoc à ſe crimen depellere nitatur, nihil efficiet; quã teſtes horti ſunt, & adhuc conſpiciuntur in Thabor & Miſpat turres, & excubiæ poſitæ regis & Senatus conſulto; quibus tanquam feras & aues laqueis irretitas, miſeros Ieroſolymam tendentes trucidauerint. *In ſpeculatione.* Nomen proprium & Græcus & Latinus interpres, vt appel-

Pſal. 75. lariuum verterunt: ſic aliàs etiam facere ſolent: vt; Et factus eſt in Salem locus eius, & ha-

Ioſue 11. bitatio eius in Sion: vbi nomen proprium Salem ex ſignificatione reddidere: Et factus eſt

Ioſue 19. in pace locus eius. Miſpat autem & Thabor montes ſunt editiſſimi, alter in confiniis Iuda,

Pſal. 75. & Biniamin non procul ab Ephraitis; alter verò in ſorte Iſcariotidis tribus. Cùm autem commodiſſima ad venationem loca montes ſint, ſicut ſcriptum eſt, Montes excelſi ceruis: appoſitiſſima venationis tranſlatione vates in hac oratione eſt vſus.

Et victimas declinaſtis in profundum, & ego eruditor omnium eorum.

HEBRAICE ſic: *Et mactare, inclinare profundauerunt:* Græcè verò, *& venatores indaginem fixère.* Amplificat rem, & culpam auget à conſilio, à certa & manifeſta voluntate arguens: Nam coniecturæ, in quibus rebus voluntas & facultas oſtenditur, nullam aliam probationẽ deſiderant. Quæſtio itaque eſt, quiſnam huic idololatriæ populo auctor fuerit, accuſatur domus regia; hi crimen in populum deriuare conantur; occurritur; ab accuſatore argumenta manifeſta

manifeſta afferuntur;conſilij & facultatis deinde teſtimonio res confirmatur. Primum & grauiſſimum argumentum voluntatis & facultatis laquei Miſpat,& Thabor rete ſunt; deinde cædes in locis illis iſtorum conſilio, auctoritate,atque etiam decretis frequenter patratæ:à quibus vehementer, profundè, & imperioſè ſancitum eſt, vt citra miſericordiam quicunq. in via quæ ducit Ieruſalem ſecundū dies feſtos comprehenſus eſſet, mactaretur atq. iugularetur. Atq. ita explicamus *mactare,inclinare profundauerunt*. Vehementi & profunda voluntatum inclinatione,atq. omni ſtudio ad necem eorum,qui ſuis de ſuperſtitione decretis non obtēperaſſent,incubuerunt. nam profundare,eſt vehementē alicui rei operam dare:vt,Conuertimini ſicut profundaſtis diſceſſionem domus Iſraël. Sed cùm totam domum regiam,hoc eſt principes,& iudices omnes huius criminis reos fecerit, ne quis à ſe crimen depellere, & in ſocios & collegas tranferre poſſet, aſſerens ſe ab eo conſilio atque adeò à culpa alienum fuiſſe;eiuſmodi tranſlationem vates infringit, oſtendens ſuo ipſius teſtimonio neminem eorum culpa vacare;cùm nullus ex iis ſit, quem vates ipſe non ob hanc rem arguerit,atque reprehenderit; & ab hac ſententia, fruſtra tamen, deterruerit. Quamobrem ſubiungit: *Et ego eruditor omnium eorum.*] Hebraicè ego Muſar, id eſt increpatio & obiurgatio, omnibus illis; non modò enim ſingulos obiurgaui, verùm illis omnibus,ego ipſa obiurgatio fui. Exaggeratione hac vſus vates, certiſſimum illorū conſilium, & conſtantiſſimam in hoc ſcelere omnium voluntatem fuiſſe demonſtrat;& cùm omnes dicit,neminem excipit iuxta ſacrorum librorum dialecticam, quam regulam diuo Paulo præceptore didicimus. Atque ob hanc rem omnes initio compellauerat.

Eſa 31.

מוסר

Hebr. 1.

Ego ſcio Ephraim & Iſraël non eſt abſconditus à me: Quia nunc fornicatus eſt Ephraim, contaminatus eſt Iſraël.

POPVLVM etiam redarguit vates, qui cùm vitium publicè concipere, & fouere maximè ſoleat,tamen crimen à ſe propulſare,& in principes ſuos conferre conſueuit; idque maximè excuſationi ſibi fore exiſtimat, ſi peccati conuictus, ſe non ſua ſponte, non ſuo exemplo,ſed magnis auctoribus ad peccandum adductum fuiſſe dicat: cùm illud veriſſimum ſit,nullam eſſe tantam principum potentiam, vt leges non ſolùm iniquas, ſed neque etiam æquas ſine populi conſenſu ſancire aut ſtabilire valeat. Namque intercedente populo,neque Sauli in religioſa re aduerſus proprium filium ex edicto & iūreiurando decernere integrum fuit,ſicut ſcriptum eſt: Dixitque populus ad Saul,ergóne Ionathas morietur?qui fecit ſalutem hanc magnam in Iſraël? hoc nefas eſt: Viuit Dominus ſi ceciderit capillus de capite eius in terram. Itaq. cùm Iſraëliticæ nouē tribus,in Ephraim regiam familiam,illa autem in principes ipſos & ſacerdotes, hoc eſt in domū regiam culpam transferre conaretur: criminis tranſlationi vates occurrit,docetque illos,à quibus iniquæ leges acceptæ ſint,tam in vitio eſſe,quàm eos,à quibus propoſitæ,& latę fuerint. In omni autem iniqua lege ferenda populus culpa non caret, maximè verò cùm de ſuperſtitione & vano cultu leges eduntur,quod ex populi voto & ſtudio fieri planum eſt. Etenim & veteres olim legum latores,varias leges & ritus in populi gratiam tulēre; cùm videlicet probè cognouiſſent,nulla magis re vinciti populū poſſe,quàm religione; creduli enim animi facilè ſuperſtitioni credunt & concedunt, ſicut ſcriptum eſt: Prophetæ prophetabant mendacium, & ſacerdotes applaudebant manibus ſuis, & populus meus dilexit talia. Ita cùm nefaria hæc ſuperſtitio,non tam ſtudioſè à principibus edi,quàm à populo libenter ſuſcipi conſueuerit,idcirco in accuſatione ſubiungit: *Ego ſcio Ephraim & Iſraël, non eſt abſconditus à me,quia nunc fornicatus eſt Ephraim.* Cui nihil iucundius aut gratius fuit, quàm vt quod proprij ingenij inſolentia vehementer cupiebat, id ſibi per leges atque principum & ſacerdotum placita liceret,eodem ſcelere contaminatus eſt Iſraël. Nam quod Rex optauerat, populum videlicet à Deo quàm maximè alienatum in ſuam gratiam pellicere, facilè obtinuit, id quod Deus reginæ per Ahhiam vatem teſtatus eſt: Et tradet Dominus Iſraël propter peccata Ieroboam, qui peccauit, & peccare fecit Iſraël. Neque verò ſolùm teſtimonio diuino & prophetico res aſſeueratur,ſed voluntatis etiam declaratione, & certiſsimis indiciis demonſtratur: Nam vbi iam ſuperſtitione populus imbutus fuerit, ſi quis extet princeps, qui eiuſmodi ſtudia reſtinguere moliatur, tamen fruſtra tentet; namque populus eandem voluntatem retinebit, & nouis excogitandis rebus concepti ſceleris cauſam tuebitur. Etenim Hoſſeas Elæ filius Iſraëlitarum decimus ſeptimus Rex, qui non perinde atque alij,qui ante eum regnauerant,malus fuiſſe in diuinis libris dicitur,lucos atque hortos à Ieroboamo vanæ religionis cauſa conſitos,excidiſſe,in annalibus Hebræorum commemoratur,& tamen nihil effecit: Nec enim idololatriam minuere, nec populum aliqua ex parte corrigere potuit,ſicut ſcriptum eſt: Et irritauerunt filij Iſraël verbis non rectis Do-

Laërtius in vita Ageſilai

1.Reg.14.

Vide Platonem in lib. de Republica.

Ierem 5.

1.Reg.14.

2.Reg 17.

Lib. de ſerie mundi.

2.Reg.17.

ctis Dominum Deum ſuum, & ædificauerunt ſibi excelſa in cunctis vrbibus ſuis, à turre cuſtodum, vſque ad ciuitatem munitam; feceruntque ſibi ſtatuas & lucos in omni colle ſublimi,& ſubter omne lignum nemoroſum. Itaque vitulis & delubris à Ieroboamo inſtitutis,non contenti,excelſorum etiam à Rege lucorum deſiderio affecti,ſinguli ſibi lucos & ſtatuas faciebant. Hoc vulgi ingenium,hæc ſtudia, cùm manifeſtè vates comperiſſet, & res non coniectura, ſed oculis & manibus teneretur,dixit:

Non dabunt cogitationes ſuas, vt reuertantur ad Deum ſuum.

COGITATIONES dare in aliquam rem,eſt in eam ſtudioſè intendere. Cùm autem quis animum ad certa ſtudia,quibus nimium delectatur,contulit,nullis conditionibus dimoueri poterit,vt ad alias res agendas abducatur; quantum enim temporis atque operæ ſtudiis ſuis non impenderit,id totum ſibi periiſſe ducit. Vide ergo quantum ſibi bonum populus iſte in vano cultu ſtatuerit,vt vel animo de reſipiſcentia cogitare, & Dei ſui meminiſſe id magno temporis diſpendio,& cogitationum iacturæ aſcribat. Tantum vitioſa & corrupta conſuetudo valet, vt viam etiam ad pœnitentiam hominibus præcludat.

Quia ſpiritus fornicationum in medio eorum eſt.

Sic Ariſt. lib. de motu animantium. QVID ſit ſpiritus fornicationum,iam diximus. In medio autem eſſe, idem eſt quod principem locum obtinere & regnare, atque cordis regnum & ſedem occupare, vt: Riſit Sarra in medio ſui.&,Afferamus ad nos arcam fœderis Domini de Silo,& veniat in me-
Gen. 18. dium noſtri, vt ſaluet nos de manu inimicorum noſtrorum. Atqui cùm oportuerit hos Deum in medio ſui habere,eundemque vnum ſibi vt ſummum regem,& ſalutis auctorem
Deut. 4. præficere, ſicut ſcriptum eſt: Neque eſt alia natio tam grandis, vt habeat Deos in medio ſui, ſicut Deus noſter adeſt in cunctis obſecrationibus noſtris: tamen adeò inſanierunt,vt fornicationis ſpiritu agitati,Dei notitiam non habeant: Dei inquam, qui ſeſe illis nomine illo ineffabili *Adonai*,cognoſcendum tam multis argumentis oſtenderat.

Et reſpondebit arrogantia Iſraël in facie eius.

NON ſolùm coniectura, argumentatione, & teſtimoniis, ſed expreſſo etiam ſigno actionem ſuam confirmat in Iſraël: Quædam enim mulieres impudicæ ſunt,quæ tamen animi morbū diſſimulant, & honeſtatem ficto ſermone & vultu prætexunt,ſic vt ingenio ac diligentia in arguendo opus ſit: Aliæ verò contrà ſic vultū & inceſſu ſeſe produnt, vt nihil horum ſit neceſſe; imo adeò perfrictæ frontis ſunt, vt impudicitiam ſuam palam ia-
Prouer. 7. » ctent,vt ſcriptum eſt: Ecce occurrit ei mulier ornatu meretricio garrula, & vaga. Eſt autem vultus maximus ſimulationis, & diſſimulationis artifex, vt quod animus non præſtat, confingere vultus poſſit: At cùm frontem ipſam atque oculos vitium occuparit, tum probitatis ſpeciem omnem exulaſſe manifeſtum eſt. Sic igitur Iſraëlis nefarium ſcelus ab Hoſſea hoc expreſſo ſigno arguitur: Non enim ſolùm idololatriam ſecretò, atque intra priuatos parietes coluerat, ſed impotentiſſimè fornicationis ſpiritu actus, ebrietate, ludis, & ceremoniis, atque aliis huiuſmodi factitandis, verbis etiam in verum Deum impudentibus effutiendis improbitatem ſuam palam
» profitebatur,vt ſcriptum eſt:Et irritauerunt filij Iſraël verbis non rectis Dominum Deum
» ſuum, &c. Itaque nihil diligentiæ nec laboris in oſtendenda Iſraëlitarum improbitate à nobis requiratur, ait vates, cùm ipſe ſeſe omni turpitudinis nota inſignem præbeat, cùm ſummum dedecus, ſummum decorem putet, ſicut ſcriptum eſt: Væ co-
Eſai. 28. ronæ ſuperbiæ,ebrijs Ephraim & flori decidenti, gloriæ exultationis eius, qui erant in
» vertice vallis pinguiſſimæ, errantes à vino. [*Et reſpondebit.*] Reſpondere in loco, te-
Deut. 5. » ſtificari eſt, vt: Non reſpondebis contra proximum tuum falſum teſtimonium: &
Eſai. 3. illud, quod huic ſententiæ ſimillimum apud Iſaiam eſt: Agnitio vultus eorum reſpon-
» debit eis, & peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, neque abſconderunt. Atque hic extremus improbitatis gradus eſt, ad quem cùm quis peruenerit, proximum eſt, vt præceps ruat: propterea ſubiunxit:

Et Iſraël & Ephraim corruent in iniquitate ſua.

NAM cùm ipſe amentiſſimus, & omnibus conſiliis præceps, ſponte cuaſerit,ipſe ſibi,atque imitatoribus ſuis exitio fuit,ſicut ſcriptum eſt:Perditio tua ex te Iſraël. [*Iniquitate ſua.*] Declinationem à recta, ſimplici & tuta via ſignificat nomen iniquitas, à verbo
Iob 8. *Ghauah*,quod declinationem & peruerſionem ſonat,vt: Nunquid Deus peruertit iudicium, & ſi omnipotens peruertit iuſtitiam.

Et Iudas etiam ruet cum eis.

NON ſolùm domus regia,qui primi ſcelus admiſêre,atq. Iſraël qui ſuſcepêre,ſed etiam Iuda,qui ob conſuetudinem hoſtmitati ſunt,corruent;hoc enim diuinæ iuſtitiæ eſt,vt anima quæ peccauerit,ſiue ſponte ſua,ſiue aliorum impulſu & auctoritate ſcelus admittat, ipſa moriatur: Eſt autem hæc argumentatio à minori. Etenim ſi is qui alterius impulſu ſcelus ſuſcepit,criminis non eſt expers,nedum is erit cuius auctoritate aut etiam exemplo peccatum eſt.Quod ad dicendi artẽ pertinet, obliqua notatione vſus eſt vates: Ea fit cùm in alterius accuſatione,alter obliquè eadem aſpergitur nota:vt,Filij hominis vſq.quo graui corde, quo in loco Saul notatur?& in ethnicis auctoribus: Non quæro quis percuſſerit, nihil eſt Glaucia quod metuas, non excutio te ſi quid fortè ferri habuiſti. Pſal. 5. Cicer.pro Sext. Roſcio Amerino.

In gregibus ſuis & in armentis ſuis vadent ad quærendum Dominum, & non inuenient: Ablatus eſt ab eis: in Dominum præuaricati ſunt,quia filios alienos genuerunt: deuorabit eos menſis cum partibus ſuis.

ACCVSAVERAT Iſraëlem atque eodem in crimine Iudam etiam accerſiuerat: cùm autem nulla vtriſque purgationis ratio ſupereſſet,quod neque fortuna, neque neceſſitate, neque imprudentia factum excuſari poterat, vna illis in hoc cauſæ genere reliqua fuerat pœnæ declinandæ via, quam deprecationem Rhetores nominant: Eius vſus eſt, cùm fatebimur nos peccaſſe,neque imprudenter, aut neceſſariò, aut fortuitò feciſſe dicemus,& tamen ignoſci nobis poſtulabimus: Et hæc cauſa ante Deum ſæpiſſimè in ſacris venit libris, vt: Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam, &c. Hanc verò deprecationis viam fruſtra iſtis tentandam eſſe dicit, qui in eum ſcelerum & culpæ locum peruenerint, vt veniam & impunitatem aſſequi ex iuſto Dei iudicio non valeant: Nam vt in Habbakuq prophetæ commentariis diſſerimus, quanquam miſericordia ditiſſimus in omnes inuocantes ſe Deus ſit,exiſtunt tamen aliquando tempora,in quibus diuina miſericordia à ſceleratiſſimis hominibus fruſtra ad effugiendã pœnam imploretur. Ergo cùm tanta inſolentia tantaq. impudentia fuerint,vt ſceleribus & flagitiis nullum hactenus modum ſtatuerent,& libidines ſuas nec fronte etiã vel ſupercilio contexerint, ac tamdiu reuocati,atq.expectati,diuina tamen patientia fuerint abuſi; quando ad pœnæ deprecationem admittentur, qui non antè à ſcelere deſiſtere voluêre, quàm ad ſupplicium rapiantur?tum verò etſi frequenti hoſtia diuinam effugere pœnam ſtudeant, tamen ſuſtinere cogendi ſunt: Videmus enim quanto ſtudio Ioſeas Rex publicam rem & religionem correxerit,ſuoſque ad officium reuocandos curauerit; cùm imminentem propter impietatem populo ſuo ruinam magnopere timuiſſet;& tamen, vt ſcriptum eſt; Non eſt reuerſus Dominus ab ira furoris ſui magni,quo iratus eſt furor eius contra Iudam,propter irritationes,quibus prouocauerat eum Manaſſes.Dixit itaque Dominus: Etiam Iudam auferam à facie mea,ſicut abſtuli Iſraël.Atque adeò hæc huius orationis ſententia eſt. [*In gregibus ſuis.*] hoc eſt,Quanquam totos mihi greges,tota armenta, ſua,non aliunde rapta aut malè acquiſita ſacrificent,& tum demum veniam petant, cùm iam in promptu vltio ſit, tamen non impetrabunt à Domino *qui ablatus eſt ab eis*, & ſua ipſorum nefaria culpa repulſus.fruſtra enim miſericordiæ auxilium implorat,qui contra miſericordiæ rationem facit. Cùm autem Dominus ſeſe miſericordem,hoc eſt,nomine ſuo, *Adonai*,dignum hactenus in iſtos præbuerit,fueritq.per ſummam impudentiam & contemptionem reiectus,ipſi ſibi vt miſericordiam non conſequerentur,cõmeruêre;quia ſcilicet *in Dominum præuaricati ſunt*. Hoc in loco nomen tetragrammaton eſt; ad cuius nominis arcanam interpretationem omnis miſericordiæ ratio accommodatur.*Præuaricati*,*Bagad* Hebraicè debito officio aliquem fraudare eſt,quod verbum ſæpè interpres ſpernere reddit; vt: Non poterit vendere eam, cùm ſpreuerit eam: &,Filios enutriui,& exaltaui, & ipſi ſpreuerunt me.Ita ergò indigni miſericordia ſunt,qui miſericordem toties ſpreuerint. Nam in deprecatione,ignoſcendi ratio, ex tribus locis quæritur: Vnus eſt,ſi plura, aut maiora officia, quàm maleficia, videbuntur conſtare: Secundus, ſi qua virtus aut nobilitas erit, in eo qui ſupplicabit. Atque hos locos Ezechias ægrotans tractabat:Obſecro,inquit,Domine,memento quæſo quomodo ambulauerim coram te in veritate,& in corde perfecto,& quod bonũ eſt in oculis tuis fecerim. Tertius locus eſt,ſi qua ſpes erit vſui futura, ſi ſine ſupplicio diſceſſerit. Huius rei cauſa Dauid dicebat: Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur: Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ,& exultabit lingua mea iuſtitiam tuam,&c. Atq. de primo quidem loco populus hic à vate deiectus eſt,dicente: *In Dominum præuaricati ſunt.*] Secundum verò & tertium obtinere non poſſunt,cùm adeò impia iſtorũ vita, adeò flagitioſa eſſe oſtendatur, vt neq.de ipſis, neque de ipſorum filiis quicquam boni ſperari poſſe credatur. Non modò enim hi omnem vitam flagitioſiſſimam vixerunt, ſed gentium connubiis

Ad Heren. lib. 2.

Pſal. 51.

4. Reg. 23.

בגד

Exod. 8.

Eſai. 38.

Pſalm. 50.

atque affinitatibus ſeſe contra ius,contra fas deuinxerunt , ex quibus matrimoniis filios
ſuſcepêre,qui maternæ ac paternæ impietatis diſcipuli,atque imitatores ſcelus & ſuperſti-
tionem in ventura ſecula,nepoteſque propagent; atque hoc eſt , quod dicit: *Gennerunt filios*
Deut. 7. *alienos*. A genere Iſraëlitico,& à vera religione alienos, cùm hoc illis cautum eſſe lex volue-
" rit: Neque ſociabis cum eis coniugia,filiam tuam non dabis filio eius , neque filiam illius
" accipies filio tuo:Quia ſeducet filium tuum ne ſequatur me , & vt magis ſeruiat diis alie-
nis,iraſceturque furor Domini, & delebit te citò. Et quoniam citò delendos eſſe, qui hu-
iuſmodi in ſe ſcelus admiſiſſent, diuina lex prædixerat: Propterea in iudicij ſententia dici-
rur: *Et nunc deuorabit eos menſis cum partibus ſuis*:] *Nunc*, & proximum tempus ſignificat, & il-
lationem etiam ex antecedentibus habet, ac ſi dicat,proximum eſt , vt cito & breuiſſimi
temporis ſpatio,nimirum intra menſem abſumantur, & in captiuitatem abductis magna
partium,generis,familiarum,atque etiam hæreditatum, & locorum confuſio & perturba-
tio accidat: Neque enim aliqua tribus integra in vnum aliquem certum locum migrabit,
ſed vt ipſi cum gentibus per nefaria connubia ſeſe miſcuêre,ita ſparſi atque commiſti in-
ter gentes cum ſumma ignominia miſeram vitam degent. *Deuorabit*, abſumet, vt nomen
eorum & partes,atque hæreditatis rationes perturbentur & deleantur. *Menſis* autem ſpatio
eam rem tranſigendam prædicit, vt pœnæ ratio legi reſpondeat;in qua legitur : *Et delebit te*
citò. Magnæ ergo prouidentiæ ſignum eſt,ſi pœna legi omnino quadret,magnam verò con-
ficiendi celeritatem ſignificat,cùm tantus populus,tanta rerum,vrbium,agrorum,& regni
Zach. 11. felicitas intra menſtruum tempus omninò funditus ruat, vt illud: Et ſuccidi tres paſtores
in menſe vno. Quod ſi quis eum menſem, in quo hæc acta ſint, curioſius inquirat, inue-
Ieiuni. 5. Cham. in Ier. 2. Barbenel in hunc locum niet in libro Ieiuniorum,& in aliis auctoribus menſem AB, qui noſtro Iulio reſpondet,
fuiſſe;in quo multas & magnas calamitates Iſraëlitæ acceperint. Scribunt enim nona die
menſis AB, iudicium de exploratorum peccato fuiſſe editum; eadem die templum pri-
mum & ſecundum item fuiſſe dirutum;eadem die aliquot poſt annis templi ſolum fuiſſe
exaratum;duas ciuitates Iſraëlitico populo frequentiſſimas Cether & Alexandriã eadem
eiuſdem menſis die expugnatas. Denique cùm ex Hiſpania migrare coacti ſunt, qui fuit
annus ab initio mundi 5252. extremam edicti diem nona eiuſdem menſis terminauit.
Eodem etiam menſe Samariam fuiſſe captam Salomon Iarhius , atque hunc ſecutus Ly-
ranus,tradunt: Vt hic menſis Iſraëlitis impiè agentibus funeſtus fuiſſe videatur.

Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama: Vlulate in Beth-auen.

POST accuſationem & defenſionẽ iudicij ſententia pronuntiari ſolet: Atq. hæc hoc in
loco iudiciorũ formula exprimitur. Sollenne autem fuit,& diuinitus inſtitutũ,vt quoties
de magnis & diuinis rebus cum populo agendum eſſet, buccina ac tuba certis in locis ca-
neretur,vt eo cantu excitatus populus ad audiendũ,id quod ſua maximè intererat,conue-
Pſal. 80. niret;ſicut ſcriptũ eſt: Buccinate in Neomenia tuba in die ſollennitatis veſtræ, quia ius in
" Iſraël eſt,& iudiciũ Deo Iacob. Teſtimonium in Ioſeph poſuit illud,&c. Cauſa verò quã-
" obrem in his potiſſimùm locis cani iubeatur, illa nimirum fuit, quòd aduerſus Iſraëlitas
& Iudæos ſententiã dicturus Deus, quã potiſſimum iudicij formã atq. rationem initurus
ſit,oſtendit,vt res non temerè ac fortuito,ſed conſultò acta & tranſacta videatur: atq. hoc
Iudic. 11. modo diuinæ iuſtitiæ æquitas,& populi culpa inſignior atq. illuſtrior oſtẽdatur. Cæterùm
vt locũ hunc intelligamus, animũ ad hiſtoriam reuocare, & nefarij illius ſtupri meminiſſe
oportet,quod à nonnullis petulantiſſimis ex Biniaminitica tribu Leuiticæ cuidã cõcubinæ
Bethlehẽ venienti per vim eſt illatũ. Videmus enim vt cõmuni cæterarũ tribuũ ſententia,
& non ſine diuinis oraculis totus Iſraël in Biniaminiticæ tribus perniciẽ vrbiſq. exitium
cõſpirauerit,& bello vtrinq. ſuſcepto in primo & ſecundo prœlio,tametſi Biniaminitanos
Iſraëlitæ numero & copiis ſuperaſſent;tamẽ ex Iſraëlitis cæſos fuiſſe,& vltra triginta mil-
lia occubuiſſe,omnino incolumi aduerſa acie,vt ne vnus ceciderit. Quæ res cùm non caſu,
ſed conſilio,atq. reſponſo diuino geſta eſſet, Deũ Iſraëlitis pluſquã Biniaminitis ob impie-
tatẽ & ſcelera infenſum,declarare potuit: In tertio tandẽ cõflictu Biniaminitę etiam iuſto
ſupplicio perierunt,cùm ex viginti quinq. millibus & ſexcentis ſolũ ſexcenti fuga euaſe-
rint. Atq. adeò hanc rẽ imaginẽ quandã & quaſi præludiũ inſtantis calamitatis fuiſſe oſten-
dit Deus: nã vtriſq.& Iſraëlitis & Biniaminitanis infenſum ſe eſſe demonſtrauerat,quam-
obrem vtroſq. diuinam miſericordiã pœnitentia, non irã ſcelere ſibi conciliari oportue-
rat. Cùm autẽ illud correctionis velut documentũ iſti neglexerint & contẽpſerint,hoc in-
tegrũ & iuſtum iudiciũ vt experiantur neceſſe eſt. Quoniã verò antiquum hoc exemplum
renouare decreuit,ad eandẽ imaginẽ contemplandã auditores reuocat. *Clangite tuba in Ga-*
baa.] Mementote,inquit,antiquæ illius ſtragis Biniamin, qui cũ ſcelus in Gabaa admiſiſ-
ſent,omnium Iſraëlitatum impetum primum ſemel atq. iterum frangere, deinde cum ſua

ſumma pernicie demum excipere coacti ſunt. *Rama* autẽ vrbs eſt in Biniaminitica tribu,in loco excelſo ſita,quod & nomẽ ipſum declarat: Eſt & alia in ſorte Neptali, ſed hîc de vtrã- nam mentio fiat,locus ipſe indicat. *Beth-auen* etiam in eadem Biniaminitica tribu eſſe ex deſcriptione Ioſue accepimus: Et ſors, inquit, tribus Biniamin contra occidentem ad montana conſcendens habet exitus ſuos ad ſolitudinem Beth-auen. Altiſſima autem loca ad ſonandum commodiſſima eſſe conſtat: Etenim ab his locis propter liberum aëris tra- ctum latius expanditur,atq. longius auditur ſonus. *Clangere, vlulare, Buccina, & Tuba.* Canendi varios modos, atque inſtrumenta diuerſa à Deo in lege ad celebrem & ſollemnem populi conuocationem inſtituta ſignificant;quarum rerum rationes opportuno in loco Deo annuente explicabimus.

Ioſue 18. Ioſue 19. " " Ioſu.18. Num.c.10.

Poſt tergum tuum Biniamin.

VT CÆTERÆ omnes,inquit,tribus in tuam pernitiem coniuratæ,atque in te irruentes,maiorem cladem prius pertulêre,quàm tibi attulerint;ſic futurum nunc eſt,vt & Iſraëlitæ,& tu impietatis pœnas detis;illi tamen maiores & maturiores ſubeant. Atque hoc eſt quod dicit:

Ephraim in deſolatione erit.

VT DVAS tribus vno Biniamin nomine appellat,ſic decem alias Ephraim appellatione Synecdochicωs nominat: Namque Reges ex Ephraim erant;ergo vt olim,cùm te inſequerentur Iſraëlitę,citiùs & grauiùs ſunt caſtigati:ſic nunc non in correctionem,ſed in deſolationem eorum res deuenturæ ſunt. Etenim quid nunc futurum eſſet, niſi reſipuiſſent, iam tunc à me certiſſimis ſignis & imaginibus protendebatur; atque adeò

In die correctionis in tribubus Iſraël oſtendi fidem.

HOC eſt huius veræ pugnæ diuinæ illud antiquum iudicium,& quod quaſi præludium fuit.

Facti ſunt principes Iuda quaſi aſſumentes terminum: ſuper eos effundam quaſi aquam iram meam.

IAM ſententia per partes in ſingulos pronuntiatur. Eſt autẽ hæc diuinorum iudiciorũ formula,vt notatæ cuiuſq. prius culpæ, & in caput atque ſummam redactæ,iuſta deinceps pœna conſtituatur. Quod vel in prima illa trina ſententia in ſerpentem,in Euam,atque in Adamum lata,videre eſt: Quia feciſti hoc,maledictus eris: Quia hoc feciſti,multiplicabo ærumnas tuas: Quia audiſti vocem vxoris tuæ,maledicta terra in opere tuo. Eandem hoc in loco formulam per ſingulas exprimit partes. Primùm in Iudam ſententia pronunciatur,qui vt dignitate, & acceptis beneficiis præſtantiſſimus, ſic deſerti officij culpa obligatiſſimus fuerat. Culpa eſt,quòd facti ſunt *quaſi aſſumentes terminum.* Maximũ flagitium etiam ex legis edicto erat,ſi quis agrorum ſuorum terminis non contentus, alienos corrumpere tentaret: Huiuſmodi enim nefarios auſus dira imprecatione lex proſequebatur. Maledictus,inquit, qui transfert terminos proximi ſui. Atque hac diuina cautione non tantum agrorum limitibus religioſè cuſtodiendis,ſed multò etiam magis religionis ac pietatis definitionibus obſeruandis eſt prouiſum, vt præſcriptis finibus vnuſquiſque contentus, ab alienis ritibus,legibus,ceremoniis,denique vniuerſo cultu,mentem,oculos, & manus abſtinerent. Principes autem Iuda primùm pauperiorum agros cupidè appetierant, & limites nefariè tentauerant,vt apud Ezechielem legimus: Et non depopulabuntur vltrà principes populum meum,ſed terram dabunt domui Iſraël,ſecundum tribus eorum: Deinde etiam ipſi in vicinorum impias leges & iura inuaſerant, & definitum religionis limitem vlterius promouerant. Qui huiuſmodi igitur fuerint, atque in dira, & talia vitioſa inciderint,paribus noxiæ pœnis tenentur. Pœnæ autem ſunt, *Effundam ſuper eos iram meam, quaſi aquam.*] Vehementibus & variis calamitatibus affligendos eſſe,hoc tropo prædicit: namque aquarum effuſio,immoderatam profuſionem ſignificare ſolet: Etenim ex rebus iis, quarum nobis aſſiduus & neceſſarius eſt vſus,nulli minus, quàm aquæ parcitur: Vinum, lac,oleum,mel,& quidquid eiuſmodi eſt,etiam ſi corruptiora, aut ad vſum ineptiora reddita ſint,tamen non temerè effunduntur: Aquam verò etiam puriſſimam ſi quis in vaſe inueniat,quo ad alia opus ſit,profundit. Itaque effundere ſicut aquam iram,idem eſt, quod iræ non parcere,quo minus vniuerſa in illos profundatur; quale & illud eſt: Effuderunt ſanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Ieruſalem. Quod ad orationis vim pertinet,particula illa,*quaſi*, non ſolùm ſimilitudinem, ſed aſſeuerationem rei ſecum affert, vt illud in ſuperioribus fuit: *Populus tuus ſicut hi qui contradicunt ſacerdoti.* Sic hoc in loco eandem vim obtinens,oſtendit,principes ad id ſcelus ſtudioſè incubuiſſe.

Gen.3. " Deut.27. Ezech.45 " Pſal.78. Superius 4.

Calumniam patiens eſt Ephraim: fractus eſt iudicio: quoniam cœpit abire poſt ſordes.

ISRAELITARVM culpam verſus hic continet, qui quanquam neceſſitatis excuſa-

 tionem

tionem habere videantur, nullam tamen habent, quominus iudicium ſubeant grauiſſimum: Nam principiò quidem Ephraim, principum, magiſtratuum, & ſacerdotum imperio, decretis & edictis, vt ſcelus admitteret, coactum ſe dicere potuit. Iam illa primùm animaduertenda in eo culpa eſt, quòd nullis præmiis, nullis minis, nullis quamuis iniquis conditionibus, vt ſceleratiſſimo conſentiret imperio, adduci debuerat. quòd ſi populus diuino timore imbutus, communi voluntate, legibus intercederet, nulla profectò regibus ad eaſdem ſtabiliendas reliqua fuit poteſtas. Oportuerat ergo vitam illis omnem potius, quàm vim & perſeuerantiam ad principum improbitatem refringendam defuiſſe. Quamobrem nulla illis propterea excuſatio eſt, quominus in iudicium vocatis, cauſa eſſet cadendum. Quòd ſi non modò impiis regum conſiliis & imperiis non reſtitiſſe, ſed vltro etiam conſenſiſſe, conuicti ſunt (vt ſuperius dicebatur: *Ego ſcio Ephraim, & Iſraël non eſt abſconditus à me:*) quonam patrocinio cauſſam ſuam tueri poſſunt? Etenim regia iuſſa tum rata & firma eſſe oportet, cùm diuinis præceptis & honeſtè viuendi inſtitutis nō repugnant. quam rem Salomonis regis præcepto docemur: Ego, inquit, os regis obſeruo, iuxta rationem iuramenti
Eccle.8. Dei: Ne feſtines recedere à facie eius, neque permaneas in opere malo; quia omne quod
» voluerit, faciet. Quòd ſi maximè ſermo regius plenus poteſtate ſit, neq. dicere ei quiſquam
» poſſit, quare ita facis; tamen, inquit Salomon, qui cuſtodit præceptum Dei, non experie-
» tur quidquam mali. Manifeſtum igitur eſt Ephraim fractum iudicio eſſe, & cauſſa cecidiſſe, quoniam non ſolùm impias leges non reiecit, ſed quod maximè flagitioſum eſt, ſceleratiſſima regis imperia ſciens & volens ipſe eſt exequutus. [*Quoniam cœpit.*] conſultò, & ſponte: *Abire*, non trahi, non cogi, aut impelli; ſed *Abire poſt ſordes*, hoc eſt, poſt impuriſſimum & prophaniſſimum Ieroboami præceptum, ita vt Ieroboam non tam duras leges impoſuiſſe, quàm populi libidini largitus eſſe videri poſſit. *Quoniam cœpit.*] Verbum hoc voluntatem & ſtudium ad rem agendā ſignificat, cùm quis non alieno impulſu, ſed ſuo conſilio & libidine rem aliquam aut actionem init, à qua non facilè diuelli poſſit. Sic Deus homi-
Gene.11. num pertinaciam olim etiam oſtendit: Ecce, inquit, vnus eſt populus, & labij vnius; cœpe-
» runtque hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant. *Abire*,
» vltrò, non trahi; vt, Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorū. *Sordes*; Hebraice *ſzaua* præ-
מג ceptum propriè ſignificat; & Latinus interpres aliam verbi originem ſecutus, commodè
מג vertit ſordes, nam *ſzaua* ſordeſcere, *ſzauah* præcipere eſt.

Et ego quaſi tinea Ephraim, & quaſi putredo domui Iuda.

O DIVINÆ clementiæ infiniti atque inexhauſti theſauri, quæ tamdiu cunctatur, vt miſereatur noſtri: vt cùm homines ſceleribus obligati, debitas meritaſq. pœnas diuino iudicio perſoluere debeant, minus tamen graues quàm iuſtas interim pendunt, & caſtigatorem potius quàm vltorem Deum experiuntur, donec peccatorum expleta & cumulata menſura diuinam tandem iuſtitiam in ſe prouocant, & inuitam concitant; ſicut ſcriptum eſt:
Gen.6. Videns autem Deus, quòd multa malitia eſſet in terra, & quòd cuncta cogitatio hominum
» eſſet intenta ad malum, tactus dolore cordis intrinſecus; delebo, inquit, hominem quem
» creaui, &c. Non ſolùm ergo punire nollet; ſed cùm animaduerſio omninò neceſſaria eſt, tunc paulatim & leniter caſtigat, pungit, flagellat, corripit, ſi quo modo tandem ſentiant, & reſipiſcant. Et quanquam in ſententia, omnem iram profuſurum ſeſe prædixerit, ſenſim tamen prius inſtillat: quòd ſi omninò in vitiis perſeuerauerint, tunc demū profundit, ſicut
Ierem.5. ſcriptum eſt: Domine, oculi tui reſpiciunt fidem; percuſſiſti eos, & non doluerunt; attriuiſti
» eos, & renuerunt accipere diſciplinam, indurauerunt facies ſuas ſupra petram, &c. Hoc
» temperamentum atque hunc modum à ſe ſeruandum eſſe, prædicit Deus, curaturumq. vt leuioribus calamitatibus paulatim deterantur atque erudiantur potius, quàm perdantur.
Iob 13. Hanc verò rem appoſitiſſima ſimilitudine indicat, cùm illorum res paulatim à ſe opprimendas, & tanquam veſtem tinea, & ligna carie arrodendas: nam ſi quis ex ſacris annalibus harum rerum memoriam eruat, comperiet iam ab huius Prophetæ temporibus, ad vtriuſque populi abductionem multas paulatim calamitates Iſraëlitis omnibus exhauſtas
4.Reg.16. fuiſſe. In Iudaicis rebus Achaz anno ab ædificatione templi ducenteſimo quinquageſimo nono Aſſyriorum regem adorauit: tertio pòſt anno à Phacea & Raſin obſeſſus eſt: Ezechias iuſtus, patrem ſine honore ſepeliuit: magni etiam in ciuitate tumultus, dum hic religionis res corrigit, fuēre, anno ducenteſimo ſeptuageſimoquinto, qui primus huic regi an-
2.Paral. 34. nus regni fuit. Cumq. hic vſque ad decimumquintum annū regnaſſet, Iudæa à Senacherib
Ioſeph.li.10 vaſtata, & Ieruſalem obſidionis periculo diuinitus liberata eſt. Manaſſes impius horribiles
cap.10. ciuium ſuorum cædes fecit. Iudæa à rege Babylonico magna manu fuit infeſtata, rex dolo
Miſnaiothde captus eſt: Ammon decimus & octauus rex domeſticis inſidiis periit: Ioſiæ regis tempore
Meghila.9. oleum ſacrum ſublatum eſt, & ſacerdotes vngi deſiēre: Hic rex dum regnum ſuperſtitio-

ne pur-

ne purgare ſtudet, in multos animaduertit. Iehoachim xx. Iudæorũ rex, tertio regni menſe in Ægyptum captiuus migrat: regioni tributum eſt imperatum. Poſt annum v. Ioſias à Pharaone in Madin vulneratus, periit. Iehoachin anno viij. regni ſui Nabugodonoſori tributum pependit: tertio pòſt anno ab eodem occiſus, & qui huic ſucceſſit Iehoachin intra tertium. Poſt hunc Sedechias primo anno Babylonem tributa conferre eſt coactus: huius anno nono vrbs obſeſſa, vndecimo tandem vnà cum templo diruta eſt. Atque hæc & alia huiuſmodi Iudæis accidêre. Iſraëlitæ verò interea non mitiora paſſi ſunt: namque huius Prophetæ diebus Phul Terſam obſedit, cui Menahem tyrannus vt exercitum ſolueret, maximam pecuniam dedit. Phacea filius Menahem, Phacæ dolo periit. Anno decimotertio Ioathan regis Iudæ; Phaceæ verò Iſraëlitarum regis decimoquarto, Theglath-Pelaſſar totam Galaaditen regionem vaſtault, cepit & abduxit. Deinde Phacea rex ab Hoſſea per inſidias occiditur, anno regni ſui vigeſimo. Hunc Hoſſeam Salmanaſſar ſeptimo pòſt anno tributo ſubiecit; vndecimo anno tributa negata ſunt. ex qua re cùm periculũ timeretur, Suæ Ægyptiorum regis auxilium imploratur. Poſt rebellionẽ demum anno nono Samaria capta fuit, decemque tribus abductæ. Quoniam autem Iſraëlitarum res breuiori temporis ſpatio, videlicet intra quadraginta & nouem annos, protritæ ſunt: Iudæorum verò calamitates maiori etiam cum tumultu vſque ad centeſimum ac nonageſimum annũ ſunt protractæ: idcirco dicit, *Et ego quaſi tinea Ephraim, & quaſi caries domui Iuda.*] Etenim tinea veſtes corrodit, ſicut ſcriptum eſt: Sicut veſtimentum quod comeditur à tinea. Rekab verò, hoc eſt caries, quam putredinem nonnunquam vertit interpres, duriora, vt lignum atque oſſa, tentat & perdit, iuxta illud: Exiſtimauit, vt lignũ carie abſumptum, æs; & illud etiam: Vita carnium ſanitas cordis; & caries oſſium inuidia. Atque illæ illis vtriſque calamitates diuino conſilio venturæ eſſe ſignificantur; quamobrem dicit: *Et ego ſicut tinea.*] Quaſi dicat: Namque iſti (vt ſunt ingenia hominum) rem non conſilio, ſed caſu accidiſſe interpretaturi, atque ob id rebus ſuis non rectè conſulturi erant: nam cùm ſibi ab hoſtibus bellum parantibus cauerent, arbitrati ea mala hominum odio potius, quàm Dei conſilio ſibi impendere, rebus ſic afflictis opem & auxilium, non à Deo, ſed ab aliis hominibus iiſdemque impiis, petebant: atque ita omni ſcelerum genere cumulati, contrarios conſiliis ſuis, hoc eſt, exitiales exitus habuerunt. Quamobrem ait:

4.Reg.24. Ioſeph.li.10 cap 6. 2.Par.35.36 4.Reg.15. 4.Reg.15. Ioſeph.lib.9 cap.12. Ioſeph.lib.9 cap.13. 4.Reg.17. Ioſeph.lib.9 cap. vltimo. Iob 13. Iob 4. Prouerb.14.

Et vidit Ephraim languorem ſuum, & Iudas vinculum ſuum, & abijt Ephraim ad Aſſur, & miſit ad regem vltorem.

AFFLICTAS vtriuſque populi res, languoris & vulneris tranſlationibus deſcribit: namque vt morbus & vulnus corpus humanum labefactare & corrumpere etiam ſolent, niſi curentur: ita Reſpublica aſſiduis calamitatibus labefactata, ad interitum tendit, niſi certo præſidio foueatur. veruntamen iſti ſuæ ſalutis perfugium & præſidium firmius ſibi in hominibus, hoc eſt, in carne & ſanguine, quàm in Deo, collocauerunt. *Et abijt Ephraim ad Aſſur.*] Hoſſeas filius Ela tributo quotannis collato, pacem cum Aſſyriorum rege paciſcebatur, atque hoc modo quieti ac tranquillitati ſuæ conſuluiſſe arbitrabatur. *Et miſit ad regem vltorem.* Hebraicè eſt, *ad regem Iareb*, & Grecè *Iarem*,] vt regionis aut vrbis nomen eſſe videatur, quod & Hebræis interpretibus receptum eſt, quibus *Iareb*, vrbs eſt in Aſſyria: namque Achaz à Raſim & Phacea oppreſſus, magno publici & ſacri auri atque argenti pondere, per legatos miſſo, Theglath Pelaſſar Aſſyrij regis auxilium ſibi iunxit: Vel ſi vltorem regem cum Chaldæo paraphraſte interpretari placet, agnomen eſſe Aſſyriorum regum intelligamus oportet, qui totius orbis vindices dicebãtur. Rerũ enim ſumma & imperium penes Aſſyrios illis temporibus erat. Quod ad orationis rationẽ facit; ex duabus partibus, quas antè aſſumpſerat, alteram in conſequenti explicat, alteram indicat, hoc modo: Et vidit Ephraim: & Iudas. *ſ. vidit quoque*; & abiit Ephraim; & miſit, videlicet Iudas: eſt enim hic quidam Zeugmatis modus. *Vinculum ſuum.*] Per Synecdochen vulnus ſuum: nam vt vulnerum curationis pars eſt ligatio, ita eadem & vulneris ſignum eſſe ſolet. vt apud Iſaiam: Non ſunt ligata, & non ſunt fota oleo. Ligationum autem detractio, vulnera iam ſanata arguit. In eadem verò verborum tranſlatione permanens, auxilium humanum fruſtra illis petendum eſſe prædicit, quamobrem eos incurabiles oſtendit, ita vt ad diuinam prouidentiam res ſit neceſſariò reuocanda. Etenim medicorum huiuſmodi eſt ſacramentum, eos qui à morbis victi ſunt non curare, vtpote quorum ægritudines diuinæ potius, quàm naturali efficientiæ aſſcribi oportuerit, atque ob eam rem ſubiungit:

Vide Platonẽ in regno. 4.Reg.17. 4.Reg.16. Iſa.1. Hippoc. de medic. & iureiurando.

Et ipſe non poterit ſanare vos, nec ſoluere poterit à vobis vinculum.

OMNIA hæc à vate ante prædicta, quàm acta atque ſpectata eſſent, diuinæ prouidentiæ argumenta illis eſſe potuerant & debuerant, vt cùm primũ cædi cœpiſſent, ipſi vel

diuinum implorarent,vel nullum aliud ſperarent auxilium, & tamen illi contrà fecerunt: namque fortuna magis quàm culpa calamitoſos ſe eſſe iudicantes,& ſingulas calamitates, vt humanam viciſſitudinem,non vt diuinam caſtigationem,& paternam clementiam interpretati,tamen vincere & perfringere omnino nitebantur, cùm ſe non funditùs perdi, ſed corrodi ſenſim & minui intelligerent.atque adeò his cogitationibus, conſiliis, & ſtudiis, Deum, quem caſtigatorem & patrem habebant, iudicem atque vltorem, experiri commeriti ſunt. Hæc itaque res ſubiuncta oratione prædicitur:

Quoniam ego quaſi leæna Ephraim, & quaſi catulus leonis domui Iuda; ego rapiam, vadam, & tollam, & non eſt qui eruat.

ITA FIET vt malis contra eorum conſilia & conatus adauctis,atque ad vltimum exitium productis,veritatem tandem agnoſcant. Magnam verò illorum pernitiem duorum eiuſdem generis animalium ſimilitudine deſcribit. Duo Hebraica nomina ſunt *Sahhal* & *Chephir*,quæ in leonum genere non rarò vſurpantur, atque *Sahhal*, (pro quo Latinus interpres interdum leonem,ſæpe autem leænam vertit; Græcus autemÁntherã,) fortiſſimum in eo genere animal,& truculentiſſimum eſſe conſtat,quod non ſolùm viribus præſtet, ſed
Iob.4. voce etiam magis terribili ſit.vt apud Iob: Rugitus leonis,& vox *Sahhal*, & vt Baſiliſcus
Pſal.81. inter ſerpentes nocentiſſimus,ſic in ferarum genere *Sahhal* feriſſimus eſſe vel ex illo verſu arguitur:Super Sahhal & baſiliſcum ambulabis,& conculcabis leonem, & draconẽ. *Cephir* autem leunculus eſt catulo maior,qui iam rapere,& prædas capere didicit,atque ſolus ſine matre audet:hic ob ætatis feruorem audacior eſt,atque hominem minus etiam,quàm maiores leones formidat;ex quo fit,vt impetum in eum faciat,& audaciam ferociamq́.ſuam, atque prædæ auiditatem,voce etiam truculentiore prodat;ſicut ſcriptum eſt: Mater tua
Ezech.19. leæna inter leones cubauit,& in medio leunculorũ enutriuit catulos ſuos, & eduxit vnum de catulis ſuis,qui Chephir factus eſt,& didicit capere prædam,& hominem comedere.Et
Prou.26. alio in loco:Sicut fremitus leunculi,ita regis ira:Latina lingua propter verborum inopiam omnes has differentias duobus tantùm nominibus leonum & catulorũ ſignificat. Huiuſmodi demum regia atrocitate,atque ſimilibus viribus in Iſraëlem & Iudam vſurũ ſe Deus prædicit,vt qui tineæ ſimilem contempſerant,iam regem fortiſſimum, potentiſſimum vltorem,denique *Sahhal* & leunculum ſentiant. Quanquam verò præda & exitium vtroque animali ſignificetur,ratio tamen diuerſa vtriuſque prædæ faciendæ indicatur:namq́. *Sahhal* præda facta ſiluas petere,& deſertiora loca penetrare conſueuit.quamobrem Iob cùm ab-
Iob 28. ditiſſimum & nulli animantium peruium locum deſcriberet,dixit: Non calcauerunt eam ſemitam filij ſtruthionum,nec tranſiuit per eam *Sahhal*.Sic igitur abducendos Iſraëlitas eſſe prædicit,vt fuſi atque diſſipati omnes mundi plagas,atque adeò ignotiſſimas orbis terræ partes exilio penetrent:atque ita diſperſi mutuo auxilio,vt reſtituantur,nunquam ſibi eſſe poſſint.Filiorum verò Iuda tametſi omnes ſimulatque integras copias capiendas fore,& non longè à patria migraturas prædicat,tamen nullis viribus,nullis conſiliis diuinæ virtuti obſiſtere poſſe,quominus id quod decretum in eos ſupplicium fuerit, omnino ſubeant:
Gen.49. Siquidem leunculus eodem in loco rapere,& prædam deuoraturus cubare intrepidè ſolet: idemque canum latratus,& paſtorum minas ac voces ita contemnit; vt nunquam niſi expletus,& ſaturatus diſcedat.Hanc leonum naturam illo in vaticinio deſcripſit Iacob: Catulus leonis Iuda,ad prędam aſcendiſti,fili mi,requieſcens accubuiſti vt leo,& quaſi leæna: quis ſuſcitabit eum? Hanc ob cauſſam illud Deus dicit: [*Et ego,*] non caſus aut fortuna; [*capiam*] bello; [*vadam*] abducendo [*& tollam*] migrare cogam [*& non eſt qui eripiat:*] namque vt ad expectandum patientiſſimus eſt Deus,ita ad puniendum fortiſſimus,vt ſcriptum
Pſalm.7. eſt: Deus iuſtus, iudex fortis & patiens.

Vadam & reuertar ad locum meum, donec deficiatis, & quæratis faciem meam.

HACTENVS officium ſuum oſtenderat Deus, & ſe iudicem iuſtum fortemque eſſe declarauerat;cui officio cùm res,moreſque hominum poſtulant,vt non ab eo ſatisfiat,fieri non poteſt,quamuis hoc ipſum(ſi ita loqui liceat)inuitus faciat.nollet enim Deus vllam iudiciorum & pœnarum materiam in hominibus eſſe: nollet,inquam; imò certiſſimo iureiurando obteſtari ſolet,nulla re minus quàm hominum pœnis, & exitio, nulla ſe magis quàm eorundem ſalute delectari. Per memetipſum iuraui,ait Dominus,nolo mortem peccatoris,ſed magis vt conuertatur & viuat.Nunc iam ſuam illam benefaciendi voluntatem, ſuum miſericordiæ flagrantiſſimum ſtudium aperit,nunc, vt ſolet, ad ſe homines allectare & inuitare incipit,vt nullus videlicet ſit, qui in perſpectiſſima Dei erga homines beneuolentia ſpem nõ habeat.Principio autẽ anthypophoræ reſpondet:nam cùm Iſraëlitarum

& Iudæo-

& Iudæorum loca habitatoribus vacua relinquenda eſſe prædixiſſet, & rogari à quopiam
poſſet; Quid igitur facies nomini illi tuo magnò? nónne te miſericordiſſimum, nónne ho-
minum amantiſſimum prædicare ſoles? nónne ob miſericordiæ ſtudium templi anguſtias,
& tabernaculorum humilitatem non es aſpernatus? nónne tu dixiſti, Et erit nomen meum
ibi? Reſpondet Deus maieſtatis & præſentiæ argumenta ab eo loco ad cælum ſibi interim 4.Reg.8.
reuocanda eſſe, ac tamdiu ſuſtinendá, dum iſti calamitatibus & miſeriis eruditi reſipue-
rint, & diuinam fidem & miſericordiam implorare didicerint; namque hoc modo atque
hac ratione non ſolùm in diuinam gratiam, atque in propriam patriam reſtituentur, ſed &
maximi illius atque immortalis beneficij conſortes fient, quo totum ſibi hominum genus
obligare parauerat Deus: & cuius beneficij proferendi cauſſa, Hebræi ex omnibus homini-
bus electi fuerant. [*Vadam & reuertar ad locum meum.*] Diuinæ maieſtatis ſedem cælum eſſe
Salomon ipſe teſtatus fuerat, cùm illum ſupplicationibus & votis ad templum vocaret 3.Reg.8.
ſuum. Vt exaudias, inquit, deprecationem ſerui tui, & populi tui Iſraël, quodcunque ora-
uerit in loco iſto, & exaudies in loco habitaculi tui in cælo, ſicut ſcriptũ eſt: Cælum eſt ſe- Iſa.61.
des mea. Ad hunc locum ſe reuerſurum dicit, non quòd omnia loca infinita illa ſua natura
& virtute non compleat, ſed quod gratiæ & prouidentiæ, beneuolentiæq́. ſuæ argumenta
manifeſtiora in illo loco, in illoque templo edere dignatus fuerat, ſicut ſcriptum eſt: Notus Pſal.75.
in Iudęa Deus, in Iſraël magnum nomen eius, & factus eſt in Salem locus eius, & habitatio "
eius in Sion &c. [*donec deficiatis.*] Hebraicè ad verbum *donec ad delinquant ſe*, hoc eſt, donec "
ſe delicti reos agnoſcant, & non ad caſum, non ad humanum odium, ſed ad diuinam caſti-
gationem calamitates referant ſuas. [*Et quærant faciem meam.*] Non quærant Aſſyrios, non
humanum auxilium, quod vtile & ſalutare illis eſſe non poteſt; Sed faciem meam. Quem-
admodum enim ex ſacræ philoſophiæ diſciplina, quibus rebus faciem ſuam auertit Deus, Pſal.113.
eas res turbari & interimi neceſſariò infertur, (vt ſcriptum eſt: Auertente te faciem tuam
turbabuntur;) ſic vultum illum, benignumque ſpiritum ſuum referente, aperienteq́. Deo
omnia rurſus recreantur & reſtituuntur: Emitte, inquit, ſpiritum tuum, & creabuntur, & Pſal.44.
renouabis faciem terræ. Atque vt illi ſupplicantes quæruntur, Quare faciem tuam abſcon-
dis, & obliuiſceris inopiæ noſtræ, ita orantes petunt: Faciem tuam illumina ſuper ſeruum
tuum. Prædicit autem confeſſionem & ſupplicationem illam, qua Iudæi iam in patriam
reſtituendi vſi ſunt; Deus meus confundor, & erubeſco leuare faciem meam ad te, quo- Eſd.6.
niam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput noſtrum, & delicta noſtra creue- "
runt vſque ad cælum. Quam orationem totam ad hunc locum explanandum relegere, o- "
peræprecium fuerit.

CAPVT SEXTVM.

IN *tribulatione ſua, manè conſurgent ad me.*

SI DEVS noſtris & piorum hominum votis annuerit, vt commentatio-
nis noſtræ opus ad optatum perferamus exitum, in commoda, oppoitu-
naque loca aliquando veniendum eſſe ſperamus, vt de diuina eloquen-
tia, quæ omnem humanam ſuperat artem, aliqua ex parte diſſerendum
ſit. Tunc inter frequentes quibus vates vtuntur dicendi exornationes &
figuras diuinarum Parecbaſeon ratio à nobis tradetur, quę vaticiniorum
ſermonibus propria quadam conueniunt elegantia, cuiuſmodi figura
hoc in loco vates, vel potius Deus apud vatem vſus eſt, qui à calamitate minori ad maio-
rem, ab exigua terrenæ ſalutis mentione, ad maximam illam ſpiritualis ſalutis commemo-
rationem eſt egreſſus, ad quam omnis diuinarum ſcripturarum ratio, omnis vatum prædi-
ctio, omnis veteris teſtamenti pertinet apparatus, ſicut ſcriptum eſt: Vos eſtis filij prophe- Act.3.
tarum, & teſtamenti, quod diſpoſuit Deus ad Abraham. & quoniam de hac re hoc in loco
varia, ſublimi, atque prophetica & figuris referta oratione agitur, ſumma nobis prius to-
tius rei tenenda eſt. Igitur vaticinium hoc Iſraëlitarum reſtitutionem non terrenã illam
& carnalem, ſed ſpiritualem & cæleſtem continet; cuius auctorem Deum, pontificem au-
tem atque miniſtrum Chriſtum fore prædicit: eius verò eam futuram eſſe rationem, vt
Hebræi qui propria culpa toto orbe diſperſi miſerè ſeruiebant, deploratis & deſperatis re-
bus Deum reperarint, innocentque qui ſua inexhauſta miſericordia præſtò illis erit; quos &
ad veram Chriſti notitiam adducet, qua vitæ æternæ ratio conſtat. Interim verò populum
ipſum ſcelerum arguit, atque ad erroris ſui cognitionem, & emendationem, ſanitatemq́.
reuocat: deinde ſuam erga eoſdem fidem ſemper ſibi confirmatam eſſe affirmat, neque vl-
lam vnquam officij ſui partem fuiſſe prætermiſſam, quominus aut illi ſuum dignitatis &

gratiæ gradum tenerent, aut propria culpa deiecti ſuam ipſius benignitatem rurſum obtinerent. *In tribulatione ſua.*] Hebraicè tribulatio ſiue anguſtia, emphaſim & adnorationem articulo adiunctam habet, quæ cùm adeſt, certam aliquam rem & notatu dignam eſſe indicat: Nulla autem Iudæis & Iſraëlitis maior, diuturnior, & grauior calamitas accidit, quàm ea in qua nunc ſunt, poſtquam à Tito poſt Chriſti mortem & reſurrectionem victi, oppreſſi atque abducti fuerunt, quam iam amplius mille & quingentis perferunt annis, in ſumma vitæ miſeria, in maxima veri ignoratione, in maximis tenebris, & miſerrima animorum cæcitate, æuum agentes. *Manè conſurgent ad me.*] *Sahhar*, verbum, pro quo Græcus vertit ὀρθρίσουσι, diligenter & ſolicitè quærere aliquid eſt, quo verbo eorum animus & ſtudium notatur, qui neglectam vtiliſſimam ſibi rem, ſuo tandem periculo docti deſiderant atque reperiunt: cuiuſmodi illud eſt, quod à Sapientia dicitur:
Prouerb. 1. Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruent: quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia; tunc inuocabunt me, & non exaudiam: manè conſurgent, & non inuenient me. Igitur Iudæi qui nunc ignorantiæ atque erroris ſomno ſepulti iacent, qui nunc reprobationis veterno affecti toto corpore dolentes non ſentiunt, vbi excitati, ſenſerint quanto in periculo ſint, cùm eos vitæ conditionisque ſuæ pudebit, & tædebit, tunc Dominum diligenter quærent, ita vt etiam quòd nunc in his malis ſint, miſericordiæ fuerit adſcribendum: namque his artibus prodigi atque rebelles filij erudiri & reuocari à Deo ſolent.

Hippocrat. aphor. lib. 2. Luc. 15.

Venite & reuertamur ad Dominum, quia ipſe cepit & ſanabit nos, percuſſit & curabit nos.

ELEGANTI Proſopopœia horum fides atque pœnitentia deſcribitur, quandoquidem diuina dona non capiuntur, niſi ab iis qui credentes, pœnitentiæ veræ operam dant, vt ſcriptum eſt: Pœnitemini, & credite Euangelio. Itaq. cum vulnera ſua ſentiunt, ſalutem ſibi à Deo ſperandam fide proponunt, atque ad eam petendam communi pœnitentiæ ſtudio incumbunt. [*Venite.*] Hoc verbum hoc in loco ſtudiorum excitationem magis, quàm corporis motum explicat: vt, Venite exultemus Domino, &c. Communis autem cura ſalutis & vitæ commendatur, dum vnuſquiſque non tam quæ ſua, quam quæ etiam aliorum ſunt, curat: Præterea mutua excitatio, & commune ſtudium ad agendas res, multum momenti, multum etiam ponderis ad diuinam miſericordiam & prouidentiam nobis conciliandam habet; ex qua cogitatione illæ voces ſunt: Laudate Dominum omnes gentes: Omnes gentes plaudite manibus: Venite adoremus & procidamus ante Dominum. & alia huius generis quamplurima, vt ex multarum perſonis facierum eius quæ in nobis eſt donationis, per multos gratiæ agantur, inquit Paulus: *Reuertamur ad Dominum*, animo, cogitatione, actionibus, ſtudiiſque omnibus illum quæramus, ab ea viuendi ratione quam antehac tenuimus, & ab vſitata conſuetudine recedentes. nam quæ Pœnitentia virtus dicitur, his rationibus definitur, vt ſcriptum eſt: Declina à malo, & fac bonum; inquire pacem, & perſequere eam. [*Dominum.*] Nomen illud ineffabile & arcanum, quod miſericordiæ rationibus præcipuè explicatur, hoc in loco, & in omnibus aliis ab hoc Propheta appellatur, pro quo Latinus interpres Dominum plerumque reddit. *Quia ipſe cepit & ſanabit nos.*] Fidem hæc oratio indicat, quæ in omnibus, quæ ad pietatem pertinent, actionibus fundamentum iacit: namque accedentem ad Deum primum oportet credere quòd ſit, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit. Credunt ergo inflictas ſibi à Deo plagas, non vt perirent, ſed vt reſipiſcerent; atque hoc non tam ad vltionem, quàm ad miſericordiam pertinuiſſe. namque cùm illi, populus eius & oues paſtionis eius fuiſſent, & paſtorem contemnentes, ſepta & paſtionum terminos corrumpentes, aberraſſent: illum, quem paſtorem contempſerant, leonem experti ſunt, qui non eò rapuit vt deuoraret penitus, ſed vt captum pecus in ſuam ditionem poteſtatemque redigeret: captas ergo & miteſcere atque parere volentes oues non vorabit, ſed fouebit, paſcet, & cuſtodiet; & ſi quæ inter capiendum vulnus acceperint, ſanabit & curabit; tanta eſt eius bonitas, & tam ardens benefaciendi ſtudium. Quanquam autem fides priùs quàm pietatis actio animo concipiatur, opera tamen & actiones, prius nobis, quàm ipſa fides, oſtenduntur: atque hæc cauſa eſt, quamobrem maxima illa, & illuſtriſſima opera à credentibus ſuſcepta, fidei teſtimonium ab Apoſtolo nominentur. Et hi, inquit, omnes teſtimonio fidei probati, & inuenti ſunt, Ita fit, vt ſi quis diligenter ad opus accingatur, fidem ſuam probet. Ego oſtendam tibi ex operibus fidē meam,

Marc. 1. Pſalm. 94. 1. Cor. 13. Pſalm. 106. Pſalm. 46. 2. Corin. 1. Pſalm. 35. יהוה Hebr. 10. Hebr. 11. Iaco. 2.

Iacobus

Iacobus aiebat. Quamobrem cùm fidem ſuam hi profiteri volunt, orationem à certo fidei argumento, hoc eſt, ab actione & ſtudio inchoant. Atque hic quidem arguendi ac demonſtrandi modus maximum apud homines pondus habet, cùm ex ſigno cauſa reperitur. Huiuſmodi verò argumentandi genere vti nos docebat ſummus ille ac diuinus præceptor: Ex operibus, inquit, eorum cognoſcetis eos. Dicitur autem apud Peripateticos demonſtratio à poſteriori, apud antiquiſſimos verò auctores argumentatio à ſigno; in diuinis libris teſtimoniũ nominatur. *Cepit.* Venatorium verbum eſt, rapuit, vt ſuperius dixerat, ego rapiam: Ipſe, inquiunt, rapuit, non Aſſur, nõ Titus, ſed ipſe Dominus; ob eamq́. cauſam nobis non humanum auxilium, ſed diuinum omnino eſt quærendum. [*Percuſſit & curabit nos.*] Hebraicè eſt, ligabit nos. Duobus modis nocere ſolent feræ dum prædas faciunt; aut enim dente vulnus inferunt, aut fugientem pecudem violentia atque impetu opprimunt & confringunt. vulneratis medicina, hoc eſt fomenta, confractis verò colligationes præcipuè remedio ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum eſt non alligaſtis.

Ariſto. Poſter.1. Hippocrat. Hebr.11. Ezech.34.

Viuificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius.

MAGNVM hac oratione, atque his verbis myſterium enuntiatur: Etenim de maximo illo ſacramento reſurrectionis mortuorum Chriſti agitur, quod ſacramentum vſque ad diuini ſpiritus aduentum celatum tacitumq́ue fuit. Tunc verò reuelatum eſt ſanctis, quibus voluit Deus notas facere diuitias ſacramenti huius in gentibus. reuelabitur etiam publico multorum experimento, cùm venerit qui eripiat & auertat impietatem à Iacob. Nobis autem ipſa primùm ſimplex verborum explicatio tractanda eſt, deinde ſi minus apertè myſterium explicetur, venia eſt danda, quãdo eiuſmodi res hæc eſt, vt iis qui Dei dono participes eius facti ſunt, vel vnius verbi ſignificatione percipiatur; qui verò expertes adhuc ſunt, his niſi longiſſima & perpetua oratione inſtituta, myſterij pars aliqua declarari non poſſit. Orandum itaque nobis, & aſſiduis precibus petendum cum D. Paulo, vt impleamur agnitione voluntatis eius in omni ſapientia, & intellectu ſpirituali; interim nos officio noſtro, prout res feret, ſatisfacere conabimur. [*Viuificabit.*] Sanitatem integram verbum hoc, cùm de morbis & vulneribus agitur, ſignificat, id eſt ſanos incolumesq́ue reddet nos: vt, Ite & conſulite Deum Acharon, vtrum viuere queam de infirmitate mea hac. & alio in loco: Dixitq́ue Iſaias, Afferte maſſam ficuum. quam cùm attuliſſent, & poſuiſſet ſuper vlcus eius, vixit, ſic Hebraicè. *Poſt duos dies.*] Quamuis Iſraëlitarum plagæ & calamitates, ſi humanis rationibus conſiderentur, diuturniores fuiſſe videantur; tamen ſi cum illa ſalutis æternitate conferantur, breuiſſimè ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Non ſunt condignæ paſſiones temporis huius ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Temporis autem rationes in ſacris libris ſic percipiuntur, vt duorum dierum ſpatio breuiſſimum, menſis verò nomine breue, dierum autem appellatione, longius tempus, hoc eſt annus, definiatur; vt illud: Si verò biduo, aut vno menſe, vel diebus, fuiſſet nubes ſuper tabernaculum, &c. Itaque exhauſtos dolores proximæ ſalutis, & æternæ vitæ ſpe conſolantur. *Et die tertia ſuſcitabit nos.*] Hebraicè ſtabiliet nos: quod breui futurum eſſe, & credant, & dicant, vt acceptam Dei dono ſalutem perpetuò retineant. *Et viuemus in conſpectu eius.*] nunquam illius prouidentia deſtituti, ſed faciem eius in nos ſemper attentam experti: Etenim in quemcunque Deus vultum ſuum & oculos intendit, huic ſtabilem felicitatem fore conſentaneum eſt; quamobrem ſacer ille vates orabat: Ne proiicias me à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Itaque animos iam erigunt, & promiſſionis diuinæ fide, in eam ſpem adducuntur, vt breuiſſimè futurum eſſe dicant, cùm omnem erroris, ignorationis, peccatorum captiuitatis, pœnarum ac duriſſimæ ſeruitutis miſeriam expuentes, diuina ac perpetua felicitate fruantur. Verùm enimuerò cùm ſe tertia die ſtabiliendos, & perpetuò intentis Dei in ſe oculis vſuros affirment; non mundanam aliquam & fluxam felicitatem (qualem hactenus ſomniarunt) ſed diuinam quandam ſtabilem ac certam ſibi promittunt, qualemq́ue illi aſſecuti ſunt, quicunque à priſtinæ vitæ conuerſatione cum Chriſto commortui, tertia die conſurrexerunt. At verò tertia illa ſalutis & reſurrectionis dies iam orbi illuxit, perpetuò dum mundus manſerit duratura, ac nos qui in hæc noui teſtamenti tempora vehementer antiquis patribus optata, atque ſperata peruenimus, hunc diem præſentem habemus: ſi tamen diuino dono nobis eam illuceſcere

Rom.1. " Rom.11. Coloſ.1. " 4.Reg.1. 4.Reg.2. Rom.8. " Num.9. Pſal.50. " Rom.8.

illucere contingat,atque per noſtra ſcelera,per culpam noſtram non ſtet, quominus diui-
na illa luce fruamur:Scio equidem,ſcio,quid dicam,quo modo autẽ me explicem,neſcio;
res eſt planè diuina,quam tracto,quam neque humanus oculus vidit,neque auris audiuit,
neque in cor hominis aſcendiſſe compertum eſt. Norunt optimè filij Dei quicunq. ſpiri-
tu Dei aguntur,quid ipſe dicere vellem,ſi mihi quo modo dicendum eſſet diuinitus dare-
tur: Norunt illi optimè,atque apertiſſimè,quæ huiuſmodi vaticiniorum ſententia, quod
Heb 4. argumentum ſit. Et ecce nunc tempus acceptabile,ecce nunc dies ſalutis; & rurſus: Donec
2.Pet.1. hodie cognominatur,in nobis feſtinemus ingredi in requiẽ ipſius.& rurſum : Donec dies
eluceſcat,& lucifer oriatur in cordibus veſtris.Hanc diem quæ lachrymas,fletum luctum-
Phil.3. que omnem leuatura,& gaudium atque integram lætitiam allatura ſit, Iſraëlitæ hoc ora-
culo ſperare iubentur,quæ vtinam illis citiſſimè,ſine noſtra tamen inuidia contingat, vt è
tenebris & caligine in diuinam lucem euocati, cognoſcant verum Deum, & quem miſit,
Ieſum Chriſtum filium ſuum;qua cognitione æternæ vitæ conſortes fiant,ſicut ipſi ſibi ex
diuinis promiſſionibus ſpondere poſſunt.

Sciemus ſequemurq́; vt cognoſcamus Dominum.

His verbis illa ſumma felicitas deſcribitur,qua hi fruuntur, quibus voluit Deus notas
facere diuitias ſacramenti huius;cuius qui participes extitêre,omnia quæcunque antè no-
uerant,quæcunque maximi fecerant,vt ſtercora reputant,ob eminentẽ in ſe Chriſti ſcien-
tiam ad cognoſcendum eum & virtutem reſurrectionis eius,& ſocietatem paſſionũ illius.
[*Sciemus ſequemurq́;.*] Poſtquam enim ſalutarem Dei eiusque filij notitiam quis habuerit,ac
ſemel illuminatus eſt,& guſtauit bonum Dei verbum, nullis rebus, nullis viribus, nullis
Rom.8. quamuis maximis periculis ab eius amore & ſtudio abſtrahitur,ſicut ſcriptum eſt:Certus
ſum enim quòd neq.mors,neque vita,neque angeli,neq. principatus,neque virtutes,neq.
inſtantia,neq.futura,&c.poterũt nos ſeparare à charitate Dei,ſed omnes libenter ſequun-
tur,poſtquam admiſſi ſunt in penu illud ditiſſimum, omni ſuauitate refertum: Trahe me
poſt te,inquit illa,& ſequemur. [*Vt cognoſcamus Dominum.*] Hoc enim inter diuinas pro-
Cant.1. miſſiones expectandum proponebatur,futurum ſcilicet cùm deſideratiſſima illa ſalus ho-
Eſai.11. minibus reddenda eſſet, vt impleatur terra ſcientia Domini. & apud Ieremiam pollice-
tur Deus: Non docebit vltrà vir proximum ſuum, ſed omnes ſcient me à minimo vſque
ad maximum.

Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius.

Ioan.1. Nostra tempora deſcribuntur, in quibus iam hæc diuina vitæ ac veritatis lux ex-
orta plurimis hominibus illuxit,qui virtute magna certiſſimum de Chriſto teſtimonium
reddidêre, & eum eſſe veram lucem dixêre, quæ illuminat omnem hominẽ. Verùm quia
homines dilexerunt tenebras magis quàm lucem , non omnibus ſeſe hæc lux manifeſta-
Apoc.3. uit;& quoniam in promptu eſt,vt iis qui eam admiſerint,luceat,ſicut ſcriptum eſt: Ego ſto
ad oſtium & pulſo; ſi quis aperuerit mihi,intrabo ad eum,& oſtendã ei meipſum.Ob eam
rem egreſſum eius in promptu,proximumq́. eſſe dicit,perinde atque ſolis exortus auroræ
eſt proximus; namque olim nox erat cùm huius lucis aduentus deſiderabatur, nunc verò
iam nox illa præceſſit,dies autem appropinquauit,conſequens itaque eſt,vt iis qui in tene-
bris & vmbra mortis iacere non amant,his ſol iam iam ſit exoriturus. Hanc rem atque
2.Cor.11. adeò hanc felicitatem Euangelij gloriæ Chriſti illuminationem Paulus nominat,qua in-
credulos huius ſeculi Iudæos iure caruiſſe dicit:ſed cùm illi ea cæcitate,quę ex parte con-
tigit Iſraëli,tandem liberabuntur, tunc demum ſe illa maxima felicitate afficiendos ſpe-
rant; nempe:

Et veniet quaſi imber temporaneus & ſerotinus terræ.

Pulcherrima atque appoſitiſſima ſimilitudine futuram hominum in melius
mutationem & felicem ſtatum prædicit: nam quemadmodum terræ natiua fœcunditas
ſolis calore,& imbrium opportuna ſaturitate manifeſtatur , maiori ſcilicet frugum fru-
ctuumque vbertate & copia,vt apud poëtam eſt:

Virg.Geor.2 *Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther*
Coniugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit magno commixtus corpore fœtus. De ſole ſcriptum eſt: Ne-
Pſalm.18. que eſt qui ſe abſcondat à calore eius: namque omnia fouet,omnia recreat. De pluuia ve-
rò ſcriptum eſt:Quomodo deſcendit imber de cælo,& inebriat terram, & germinare eam
Eſa.55. facit,& dat ſemen ſerenti,& panem comedenti.Sic etiam futurum eſſe dicit, vt ij quibus
diuinus ſol illuxerit,diuini etiam ſpiritus virtutibus irrigati,vbertimis bonorum operum
Pſalm.84. fructibus abundent,ſicut ſcriptum eſt:Etenim Dominus dabit benignitatem,& terra no-
ſtra

ſtra dabit fructum ſuum. De ſole auté illo ſic: Et orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ,& ſanitas in pennis eius. [*Sicut pluuia temporanea & ſerotina.*] Tametſi vna atq. altera in anno pluuia aliæ terrarum regiones contentæ non ſint, ſed aſſiduas potius irrigationes deſiderent, vt Belgica; tamen ei regioni quam incolendam Deus Iſraëlitis donauit, ita ſe peculiari quadam cura conſulturum promiſerat, vt duobus tantùm imbribus temporaneo & ſerotino iiſdemque certiſſimis irrigata, eximia frugum vbertate, & copia cultores iuuaret ſuos,& perpetuum diuinæ erga ſe prouidentiæ proferret argumentum. Erat autem alterius pluuiæ tempus opportunum in menſe Marhheſuan, qui noſtro Octobri reſpondet, quo menſe ſementem agricolæ faciunt; alterius verò in Nizzan primo ſolaris anni menſe, cùm Sol Arietem occupat. Vterq. verò imber & qui ex eorum virtute capiebantur, tempeſtiui atque vberrimi fructus, à commuſſis naturæ contemplatione, ad auctoris ſui Dei agnitionem attendentium animos aduocabant, ſicut ſcriptum eſt: Dabit pluuiam terræ veſtræ temporaneam & ſerotinam, vt colligatis frumentum & vinum. Igitur cùm humanæ naturæ terram diuini ſpiritus vi fœcundat Deus, eiuſmodi fructus adeo elegantes, adeò vberes redduntur, vt diuinam potius quàm humanam virtutem redoleant, ſicut ab iis ipſis, qui eo modo affecti ſunt, affirmati ſolet: Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Et alio in loco: Deus, inquit, eſt qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate ſua: nimirum de huiuſmodi fructibus, illis in locis ab Apoſtolo agebatur.

Malach.4. Cambi.Ier.3 Deut.11.

Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda? miſericordia veſtra, quaſi nubes matutina, & quaſi ros manè pertranſiens.

PROMISERAT Deus futurum aliquando eſſe, vt Iſraëlitæ & Iudæi malis & calamitatibus eruditi, ad mentis ſanitatem redirent, & diuinam miſericordiam, & maximã illam benignitatem fide & pœnitentia conſequerentur. His quippe hoſtiis, vt Paulus ait, promeretur Deus. Nunc cauſſam profert, quamobrem non alia ratione, quàm calamitatibus, & miſeriarum diuturnitate eos à tenebris ad lucem, à mortis vmbra ad vitæ vſum reuocare ſtatuerit. Duplex modus eſt quo viri vxores ſuas, à quibus iniuria affecti ſunt, & quas perdere nolunt quia amant, ab errore auertere conſueuerunt: Primò enim conſiliis & monitis res agitur, quod & primum & humaniſſimũ officium eſt, adhibitis ad eam rem amicis neceſſariis & optimis viris. Quòd ſi id fruſtrà ſe expertos cognouerint, tunc altera tentatur ars, quæ contumacibus & duris ingeniis difficilior quidem & grauior, magis tamen apta eſſe multis periculis comprobatur. Expellitur vxor; minis, calamitatibus, & difficultatibus afficitur, donec ſentiens illa, ſuamq. ſummam improbitatem & perfidiã agnoſcens, ab optimo atque humaniſſimo coniuge, & culpæ abſolutionem, & errati veniam ſupplices manus tendens, impetret. Si verò ad hanc ſimilitudinẽ commentationẽ noſtrã referamus, Deum hoc loco videmus prioris modi omnem attem, omnia momenta ſibi obſeruata eſſe, confirmare priuſquam alteram experiri partem opus eſſet: namque amicis omnibus, & bonis viris conuocatis, eius corrigendæ ſtudium & curam non ſolùm commiſerat, ſed etiam cõmendauerat; ſicut ſcriptum in ſuperioribus eſt: Iudicate matrẽ veſtram, iudicate, ne fortè, &c. Cùm verò eum laborẽ fruſtra ſuſceptũ, fruſtra tẽpus in ea re cõtritum eſſe conſtet, mirandum profectò non eſt, ſi altera illa difficilior quidem, magis tamen idonea adhibeatur ars. [*Quid faciam tibi Ephraim.*] Primos ſceleris auctores regiam Iſraëlitarum familiam & per metonymiam totum populum appellat, deinde horum imitatores. [*Quid faciam tibi Iuda?*] Niſi hoc facio, inquit, vt te durioribus pœnis & caſtigatione ab improbitate diuellam, quid faciam cùm multis minis & admonitionibus à ſententia non ſis reuocatus? Nam ſi aliquando tandem poſt multam & meam diligentiam, & prophetarum ſedulitatem poſt leuiores intentatas minas, & impoſitas plagas nonnihil reſipiſcere viſus es, id inſtabile fuit; quippe minimis momentis, maximæ tibi ad vitioſam conſuetudinem mutationes factæ ſunt. [*Et miſericordia veſtra, quaſi nubes matutina.*] Si qua ſanctitatis aut pietatis cogitatione, & cura vos aliquando tacti fuiſtis, ea repentè relaxata vt nubecula aliqua matutina ſolis calore diſcuſſa euanuit. [*Et quaſi ros manè pertranſiens.*] Cuius vim aura & calor prius conſumpſit; quàm herbæ atque ſata experirentur. [*Miſericordia.*] Cùm ad Deum hoc nomen refertur, notum eſt quid ſignificet: cùm verò ad homines, iuſtitiam & ſanctitatem atque omne virtutis ſtudiũ ſignificare ſolet. Vt pro eo quod non eſt recordatus facere miſericordiam: namque vocabulum Hebraicum *Hhezed*, abundans beneficium definitur. Si quis verò virtutem & pietatem profitetur, eum diligenter & flagranti ſtudio in eam rem incumbere oportet, ita vt non imminuta, ſed aucta, atque abundanti virtute præditus eſſe dicatur: hinc fit, vt Hebræi *Hhazidim* nominent eoſdem, quos Latini

Sup.2. Pſalm.108. חסד חסיד

Pſalm. 5. Latini ſanctos dicunt, quale illud eſt: Scirote quoniam mirificauit Dominus ſanctũ ſuũ.
Hanc ob cauſſam Deus hoc in loco dicit: Cùm ego vt miſericordiam vobis tribuam, non
ſolùm virtutem, ſed ſanctitatem & miſericordiam in vobis requiram, inuenio tamen non
4. Reg. 10. ſolùm miſericordiam, ſed omnem virtutis conſtantiam deſiderari: Nã Iehu rex Iſraël, qui
religionis & regni rebus corrigendis proſpicere viſus, Baal de Iſraël deturbaſſe dicitur, ſegniter & tamen negligenter, imò potius impiè rem geſſit, cùm ipſe ſeſe impietatis ſcelere
contaminauerit, priſtinamq́. conſuetudinem in populi gratiam fouerit, ſicut ſcriptum eſt:
4. Reg. 21. Veruntamen à peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Iſraël, non receſſit. Apud
Iudæos verò tamdiu res melius habuêre quamdiu Ezechias & Ioſias rerum potiti ſunt,
4. Reg. 23. ſed his ſuceſſerunt Manaſſes & Ioachaz, quibus impietatem non tantùm tueri, ſed propagare etiam ſtudium fuit: Siquidem *fecerunt malum in oculis Domini, & eos qui ante ſe
regnauerant, non modò impietate æquarunt, ſed etiam ſuperarunt.

Propter hoc dolaui in prophetis, & occidi eos in verbis oris mei.

SVAM diligentiam & ſedulitatem teſtimonijs & irrefragabilibus argumentis oſtendit,
cùm non ſolùm eos admonendos, ſed omni officio & aſſiduitate erudiendos, corrigendosq́. curauerit: Teſtes, inquit, ſunt tot vates, tot diuini homines, quorum ſedulitate, diligentia, patientia, ego vſus, vos autem eſtis abuſi, ita vt mandata mea illis credita, nihil aliud quàm exitium ipſis peperiſſe videantur: Vſus ego iis fui ad veſtram eruditionem, vt
latomus ferramentis ad cædendos lapides vti ſolet. Adeò verò difficiles, adeoq́. duros vos
præbuiſtis, vt veſtra aſperitate ferramenta, partim detrita, partim retuſa, aut confracta perierint, & nihil præterea aut boni, aut culti in vobis fuerit effectum. [*Dolaui in Prophetis.*]
*חצב Verbum eſt lapicidarum dolare *Haſzab*, & ſæpè à ſacris auctoribus in ea re vſurpatur: vt;
Eſa. 51. Aſpicite ad rupem ex qua exciſi eſtis. [*In prophetis.*] *In* particula ad inſtrumentum accommodatur, vt: Domine ſi percutimus in gladio? & in funda, in lapide. Animaduertendum autem eſt, quam rationem in prophetis mittendis Deus ſequatur, nimirũ eam quam
lapicida in ferreis inſtrumentis comparandis ſequitur: quæ conflantur, acuuntur, & probantur, vt dum lapides coluntur, ipſa interim atritiora atque imminuta reddantur. quòd
ſi adeò duri lapides contingant, vt præter inſtrumentorũ conſumptionem nihil amplius
præſtetur, tum verò merita lapidum improbatio eſt, ita vates ad populi eruditionẽ electi à
Deo ſunt, vt non tam ipſorum honoris & commoditatis, quàm publicæ vtilitatis haberetur ratio. ferendum autem eſſet, ſi aliquo vatum incommodo, tamen populus in diſciplina
proficeret: ſed cùm omni opera, omni labore in ea re conſumpto, nihil eruditionis, nihil
culturæ, nihil aliud, quàm conſumptorum & à populo ipſo occiſorum vatum deſiderium
relinquitur, conſequens eſt populũ illũ meritò repudiari. [*Et occidi eos in verbis oris mei.*] Sermones & mandata mea vatibus illis credita, nihil aliud in duritie veſtra effecerunt, niſi
quòd perdendorum atque necandorum vatum occaſionem vobis ingratiſſimis & crudeliſſimis hominibus attulerint: Dura ceruice & incircuncisi corde ſemper vos ſpiritui ſan-
Act. 7. ctorestitiſtis, ſicut patres veſtri & vos: Quem prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri, & occiderunt eos: ſic D. Stephanus. [*Et occidi.*] Cum affectu & dolore pronuntiatur, vt qui chariſſimam & pretioſiſſimam rem, in inutilia & vana ſe impendiſſe fruſtra videat. Sic Deus dum vates ſuos ſanctiſſimos atque integerrimos viros, quibus mundus dignus non erat, in viliſſimæ, & contumaciſſimæ gentis correctione procuranda, à ſe fruſtra
conſumptos conqueritur, & vehementem dolentis affectum imitatur, & maximæ ingratitudinis ac ſceleris populum ipſum arguit, iuſtiſſimamque imminentis pœnæ ſententiam
fore comprobat. atque hoc eſt quod dicit:

Et indicia tua quaſi lux egredientur.

EX his quæ dicta & commemorata ſunt, acre illud & ſeuerum iudicium in illos pronuntiatum, vſque adeò æquum & purum, hoc eſt, ſine exceptione eſſe affirmatur, vt à nemine poſſit improbari; quandoquidem illud non ſolùm legitimam, & maturam criminum & cauſſæ cognitionem, ſed longam etiam emendationis expectationem fuerit conſecutum, ita vt ſi quis huius iudicij manifeſtam æquitatem non videat, is eo modo ſolis
Ezech. 13. lucem redarguere & negare poſſit: hæc huius hemiſtichij ſententia eſt. *Et*, coniunctio aſſe-
Heſichius. & uerat & infert, vt illud: Et dabo lapides prægrandes deſuper irruentes. [*Indicia tua.*] Re-
in Homerũ Euſtach. ctiſſimè Græcus interpres *κρίματα* vertit, & Chaldæus *denin*, vtrumque enim non tam cauſſæ
cognitionem, quàm ipſum iudicis calculum, & iudicij ſententiam ſignificat, hoc eſt, pronuntiatæ à me in vnumquemque veſtrum ſententiæ, rationes ſolis luce clariores ſunt. ſic
Exod 12. Deus apud Moſem iudiciorum nomen vſurpat: Percutiam omne primogenitum in terra
Ægypti ab homine vſque ad pecus, & in cunctis diis Ægypti faciam iudicia. [*Quaſi lux egredientur.*] Hebraicè *quaſi lux egredietur*. Zeugma eſt, hoc eſt clara & manifeſta prodibunt,
vt ſolet

vt ſolet lux. In ſacro ſermone iudicium prodire, vel egredi, vel exire eſt cauſſa tractata &
cognita ſententiam proferri, vt illud: A facie tua iudicium meum prodeat: &, Cùm iudi- Pſalm.17.
catur exeat condemnatus: idem verbum iuridicum *Iaſza*, omnibus illis in locis eſt. Pſalm.109. יצא

Quia miſericordiam volui, & non ſacrificium, & ſcientiam Dei plus quàm holocauſtum.

OMNEM ſiqua populus vti poterat exceptionem hoc pronuntiato præcidit Deus,
cùm nihil ab illis actum intereà eſſe demonſtrat, quod ad iram placandam diuinam aut ad
ſuam culpam expiandam eſſet idoneum. nam cùm religionis ſumma, & quoddam ca-
put hoc ſit, vt homines diuinæ & humanæ naturæ cognitione, & ſacro timore imbuti,
omni cogitatione, omnibus ſtudiis, actionibus ſuis, pietatem atque æquitatem cumprimis Luc.10.
colant, ſicut ſcriptum eſt: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Et pro-
ximum tuum ſicut te ipſum. Et ſi quid interim per humanam fragilitatem peccatum fue-
rit, id rurſus correctum in poſterum, ingenua confeſſione ſacrificiisque oblatis expietur:
Cumque hanc pietatis colendæ rationem certam omnibus eſſe oportuerit, contra com-
miſſum eſt, vt homines pietatem ipſam, & officij ſtudium, quod totius rei fundamentum
eſt, abiiciant: Si quid tamen aut retinere, aut repetere ſtatuant, eam partem eligant, in qua
difficultatis & operæ minimum, atque minus etiam vtilitatis ſit, qualia ſunt ceremoniæ
& ſacrificia, quæ ſi ritè & ſanctè facta non ſint, vana & ſine fructu illis, à quibus fiunt, red-
duntur; ſicut ſcriptum eſt in huiuſmodi principes Sodomorum & populum Gomorræ: Iſa.1.
Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum? plenus ſum. &c. Itaque ſacrificiorum "
frequentatio iis ad ſalutem conducit, qui priorem pietatis partem, hoc eſt, miſericordiam
ſectantur. Nam cùm duæ pietatis partes ſint, quarum altera in recta atque exacta animo-
rum inſtitutione; altera in ſacrorum frequentatione poſita eſt (de ea gente loquimur, quæ
verè & diuinitus traditæ religionis eſt particeps) vtriq. parti purè, ſimpliciter & ſanctè in-
cumbi oportuerat. ſed potiſſima cura & ſtudium priori eſt adhibendum; ita vt ſi altera ne-
ceſſariò prætermittenda, vel alteri poſtponenda fuiſſet, prioré optare conſultius eſſet, ſicut
ſcriptum eſt: Cùm offers munus tuum ante altare (quod ad poſteriorem partem nempe ſa-
crificiorum pertinet) & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduerſum te Math.5.
(quod pertinet ad priorem, hoc eſt, ad miſericordiam) relinque ibi munus tuum ante alta- "
re, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuũ. Quinimò & po- "
ſteriorem partẽ aliquando deſinere, priorem verò nunquam eſſe deſituram, in ſacris arca- "
niſque literis eſt traditum. namque antiqua illa ſacrificia iamdiu deſiiſſe manifeſtum eſt;
ex quo Euangelij lux vmbras illas diſcuſſit, cùm tamen pietatis & miſericordiæ lex Euan-
gelij aduentu non ſublata, ſed confirmata magis & ſtabilita fuerit, de qua lege ſcriptũ eſt: Matth.4.
Nolite putare quia veni ſoluere legẽ, ſed adimplere: Noſtra verò ſacrificia tunc frequen- 1.Corin.13. "
tari etiam deſinent, cùm prophetiæ euacuabuntur, cùm linguæ ceſſabunt, &c. ſed charitas "
nunquã excidet. Igitur cùm ex his duabus partibus, priorem ſibi delegerit Deus; eandem- "
que certam, perpetuamque, atq. ſanctam ab hominibus ſeruari voluerit, & ſine hac alteram
vel repudiandam, vel illis non vtilem fore prædixerit: tamen quæ maxima peruerſitas eſt,
vel vtraque ab hominibus corrumpitur, vel poſterior tantùm, eademque nec integra,
nec ſancta retinetur: ita fit vt hoc modo nunquam illis cum Deo conueniat: namq. ille ſa-
crificiorum frequentiam nunquam ab eis requiſiuit; miſericordiæ verò ſtudium atque ex-
ercitationem ſemper exegit: Non in ſacrificijs tuis arguam te, inquit, neq. in holocauſtis Pſalm 49.
tuis [*vt ſint*] in conſpectu meo ſemper. & alio in loco: Quum veneritis ante conſpectum Iſa.1.
meum, quis quæſiuit hæc de manibus veſtris? Quin potius lauamini, mundi eſtote, auferte "
malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite peruerſe agere, diſcite benefa- "
cere, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillum, defendite viduam, &c. Hoc modo religionis "
res tractandas & conſiderandas docebat Chriſtus, cùm hac ſententia vſus, dixit: Euntes
diſcite quid eſt, Miſericordiam volui, & non ſacrificium: *Volui* Hebraicè *Hhaphaſzthi*, optaui; חפץ
cuius verbi vſus eſt, cùm voluntas electionem ſequitur: id eſt optio, non vobis, ſed mihi eſt
danda; ego autem ſemper ad veſtram vtilitatem officium ſacrificio prætuli, atque iam in-
de à principio voluntatem hanc meam vobis aperui, vt miſericordiam ſine ſacrificio ma-
gis, quàm ſacrificium ſine miſericordia optarem: voces *& non*, non abſolutã negationem,
ſed adiunctam etiam habent comparationem, ita vt à ſe non omninò reſpui ſacrificia, ſed
miſericordiam expoſci dicat, nam & ſacrificiis annuit ille quidem, quæ tamen à bonis, mi-
ſericordibuſque factitantur; iis autem, quæ à malis & miſericordia vacuis offeruntur, vt ad
veram animorum ſalutem cedant, neque oculos quidem adiicit, ſicut ſcriptum eſt: Aſpexit Gene.4.
autem Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain autem & ad munera eius non reſpe- "
xit, quia eius opera mala erant, ait Ioannes. Quòd verò ex comparatione, non autem ab- 1 Ioan.3.
ſolutè

ſolutè negatio vſurpata ſit, ſubiecto hemiſtichio declaratur: *Et ſcientiam Dei magis quàm holocauſta.*] Diximus in ſuperioribus præſtantem Dei cognitionem maximam rem maximeque eſſe expetendam, eamque diuinum eſſe donum, quod nemo hominū propria opera ſibi comparare valeat, accipere tamen à donante poſſit; præmiumque hoc eſſe iis, qui fide & pœnitentia Deum quærunt. Nunc autem Dei cognitionem in hominibus requiri Deus ipſe ait, vt videri poſſit id non tam diuino dono, quàm humana opera poſſe contingere. Hanc difficultatem & dubitationem nominum diſtinctione tollemus, ſi prius de rebus his, nonnihil accuratè diſſeramus. Eorum quæ ad humanā felicitatem pertinent, quædam ſunt quæ noſtris viribus, noſtroque negotio non efficiuntur, ſed Deum habent agnoſcuntque auctorem; nimirum quæ diuina omninò ſunt & ſpiritualia: cuius generis ſunt, gratia, peccatorū remiſſio, realis ipſa (vt ita dicam) iuſtificatio, commortificatio cum Chriſto, & conreſurrectio, diuini ſpiritus infuſio, Chriſti in membris noſtris arcana atque admirabilis habitatio, & generis huius quæcunque ſunt, quæ ij quibus contigêre non viribus tribuunt ſuis, ſed ipſi Deo penitus accepta referunt; ſicut ſcriptum eſt: Nemo poteſt venire
Ioan.6. ad me, niſi pater meus traxerit eum. & illud: Gratia ſaluati eſtis per fidem, & hoc non ex
» vobis, donum enim Dei eſt. Sexcenta diuinarum ſcripturarum loca ad hanc rem ſunt; quæ tamen breuitatis ſtudio prætermittimus, cùm rem ipſam indicare ſatis eſſe arbitremur. Ex hoc genere cognitio illa Dei eſt, quam antea vates optandam & aliquando ſperandam Hebræis prædixerat, de qua & nos nonnihil diximus, pluraque in mente animoque noſtro dici à diuino ſpiritu petiuimus. Cæterùm aliud etiam genus eſt rerum, quod
1.Cor.4. tametſi ſine diuina ope, gratia & auxilio effici pararique non poſſit, ſicut ſcriptum eſt:
» Quid habes quod non accepiſti? tamen quodam modo illi virtuti, quæ à Deo donata eſt, humanæ naturæ, voluntati, ſtudio, & conatibus non immeritò tribuuntur; quippe cùm propter hæc agenda atque exercenda homo ipſe natura confirmatus eſt, tum à Deo neceſſario & opportuno auxilio nunquam fuerit deſtitutus. In hoc genere numerantur pœnitentia, fides, & ſcientia; non illa fides & ſcientia, quæ infuſæ à Theologis propriè appellantur, hoc eſt, quæ totæ à Deo omnino ſunt, ſed quæ acquiſitæ dicuntur, & humano ſtudio & opera, Deo ſeſe adiutorem præbente in nobis fiunt; de quibus plura aliàs opportunè ex diuino auxilio diſſeremus. Hæc verò atque alia quæcunque huius generis ſunt, Deus ex iis hominibus requirit, quibus illa alterius generis à ſe donanda ſeruantur; huiuſmodi æquiſſimis atque honeſtiſſimis poſtulationibus ſæpè Deus erga homines vtitur, qualis illa
Deut.10. eſt: Et nunc Iſraël quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum
» tuum, & ambules in viis eius, & diligas eū, ac ſeruias ei in toto corde tuo, & in tota anima
» tua, cuſtodiasque mandata Domini, & ceremonias eius, quas ego hodie præcipio tibi, vt
» bene ſit tibi. Verùm enimuerò ſcientia hæc, quam ad hoc poſterius rerum genus ſpectare
Dei cognitio duplex. dicimus, vt non eadem cum illa altera priori eſt, ſic non iiſdem verbis ſignificatur: Duplex namque Dei cognitio eſt; altera, qua ipſe in hominum mentes illapſus, imperſcruta-
Apocal.2. bilem hominibus ſui ſuarumque rerum notitiam aperit, vt ſcriptum eſt: Dabo ei calcu-
» lum candidum, & in calculo nomen meum nouum ſcriptum, quod nemo ſcit niſi qui accipit. Huiuſmodi donum miſericordiæ opus omnino eſt, atque ob eam rem cognitio Dei hæc, nomine illo arcano, quod miſericordiam maximè indicat, definitur; cuius nominis vis & efficientia tunc primùm oſtendi cœpit, cùm Deus liberandis ab Ægyptia ſeruitute Iſraëlitis operam dabat, in exemplum maximè illius miſericordiæ, qua in animorum ſeruitute repellenda vſurus aliquando eſſet: Altera verò Dei eſt notitia, qua homines vel ex humanæ mentis virtute & cogitatione, vel ex rerum naturæ contemplatione, vel ex diuina per vocem aut ſacras arcanaſque literas, doctrina (atque hæc ratio cæteris huius generis præſtat) in diuinæ naturæ cognitionem ita veniunt, vt ſi minus quid ſit Deus aſſequi poſſint, quid tamen non ſit, intelligere valeant, ſpiritumque eſſe non ignorent, & quid ab hominibus velit, quid non velit, cognoſcant. vtramque hanc Theologiam & naturalem videlicet, & (vt conſueto verbo vtamur) reuelatam, tum apud multos eius diſciplinæ pro-
Pſal.147. feſſores diſcimus, tum in illo Pſalmo breuiſſimè atque elegantiſſimè docemur. Alterum
» quidem genus: Qui dat niuem ſicut lanam, nebulam ſicut cinerem ſpargit, mittit cryſtal-
» lum ſuum ſicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit? atque hoc modo notitiam ſui gentibus omnibus aperire Deus dicitur. Alterum autem genus eſt, quod ſcriptis
» libris, annuntiat verbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſraël: Non fecit taliter omni
» nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Hæc igitur illa Dei cognitio eſt, quæ ex omnibus hominibus requiritur; quam ſi quis ignorauerit, ignorabitur, vt ait Apoſtolus, ſed notitia hæc non illo nomine arcano, ſed alio nempe *Elohim*, definitur, quod nomen rectorem, gubernatorem atque rebus hominum prouidentem ſignificat, quibus notis cognoſci ab ho-

ab hominibus quicunque rationis ſunt compotes, vel ex naturæ animaduerſione, vel ex
ſacrorum librorum lectione poteſt. atque adeo vtrumq. hoc ſui cognoſcendi genus Deus
Moſi indicabat, cùm diceret: Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac & Iacob, in Deo Exod. 6.
omnipotente, & nomen meum, Adonai, non indicaui eis. Igitur vt eò redeamus, vnde no- "
ſtra deducta eſt oratio, hanc ſcientiam *Elohim magis quàm holocauſta* ex hominibus à ſe exigi Sic Porphyr.
Deus affirmat; quam quiſquis habuerit, non falſas de religione opiniones accipiet, atque lib. de ſacrif.
primò Deum animum ſpiritumque eſſe cognoſcet, magisq́. ſpiritu & veritate colendum,
quàm externo tantùm eoque otioſo cultu adorandum intelliget: neq. tamen interim hæc
aut omittet, aut negliget, ſed externa, & ſpectabilia, ad interna atque ſpiritualia accom-
modabit, & miſericordiam atque officium ſacrificio anteponet, vel (quod pręſtantiſſimum
fuerit) vtraque ritè, legitimè, atque ſanctè coniunget. Etenim quæ ſecus eſt, ea non recta
cognitio Dei eſt, ſed quæ homines ad impietatẽ impellat magis, quàm ad veram inſtituat
pietatem; ſicut ſcriptum eſt: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à Eſa. 1.
me, ſed fruſtra colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. "

Heu primæ ſcelerum cauſſæ mortalibus ægris, Naturam neſcire Deûm, inquit ille. Sill. Ital.
Iſraëlitæ & Iudæi ſeſe cauſſam ſuam in iudicio viciſſe putabant, quòd aliquam religionis
imaginem aut reſtitutam ſibi aut retentam iactarent, vel ex eo ipſo quòd Hoſſeas filius
Ela hortos ab Ieroboamo conſitos demolitus, copiam ipſis Ieroſolymitanum templũ pe- 4. Reg 12.
tendi fecerat; ſiue quòd Ioſias vanorum Deorum phanis, arisq́ue dirutis, ceremonias atq.
ſacrificia in templo curauerat inſtauranda; cùm tamen ea non modò imago, ſed neque
vmbra quidem religionis ac pietatis verè dici poſſet, quòd nimirũ religionis virtus, pietas,
miſericordia, ac denique officium omne proditum illis eſſet: quamobrem non ſolùm in
iudicio non liberari, ſed ſi illorum perfidiæ & contumaciæ ratio tantùm habenda eſſet, ne- Iacob. 2.
que miſericordiam ſperare poterant, ſicut ſcriptum eſt; Iudicium ſine miſericordia illi, qui
non facit miſericordiam.

Ipſi autem ſicut Adam tranſgreßi ſunt pactum: ibi prævaricati ſunt in me.

CÆTERAS omnes criminis effugiendi vias vtrique populo iam Deus intercluſerat;
vnum autem illis reliquum erat, ſcilicet, aſylum, quò ſe reciperent, vnum perfugium, à
quo etiam excluduntur: nam qui ſuam cauſam alia ratione defendere non valebant, in
terræ, quam incolerent, ſanctitate & dignitate, ſalutis ſuæ præſidiũ collocabant; nimirum
aſſerentes terram, quæ ab ipſis coleretur, ſanctam atque Deo gratam, ipſorum etiam ma-
ioribus promiſſam, deſertam, & cultoribus ſuis vacuã relinqui poſſe, non eſſe timendum.
cuiuſmodi debiles ſpes ſibi ipſis proponere homines in rebus alienis ſolent, cùm nullas
proprias ac domeſticas habent, quibus poſſint fidere. ſic Iudæi & apud Iſaiam templi ſan-
ctitatem & maieſtatem de omni alio præſidio deiecti appellabant, Tẽplum Domini, tem-
plum Domini: Cælum, inquit Deus, eſt ſedes mea, & terra ſcabellum pedum meorũ; quæ Eſai. 66.
eſt iſta domus, quam ædificaſtis mihi, & quis locus requietionis meæ. Cùm ergo iſti re- "
gionem quam tenerent iam inde à principio ſibi paratam & deſtinatam intelligerent, ex " Deut. 32.
quo diuidebat altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam; namque tunc conſtituit "
terminos populorum [*terra Canaan*] iuxta numerum filiorum Iſraël: eademq́ue Abraham "
pollicitus fuerit: Semini, inquit, tuo dabo terram hanc, & in illa die pepigit Dominus pa- Gen. 12.
ctum cum Abraham dicens: Semini tuo dabo terram à fluuio Ægypti, vſque ad flu- Gen. 15.
uium magnum Euphratem. tametſi omnibus aliis rationibus conuictos ſe intelligerẽt, ta-
men terram quam poſſidebant, ita ſanctam eſſe putabant, vt nunquam cultoribus, habita-
toribusq́ue ſuis, quibus promiſſam acceperant, vacuam fore crederent; quaſi verò habita-
tores propter terram, & non potius terra propter habitatores fuiſſet comparata, & quaſi, vt
Chriſtus ait, ſabbatum non propter hominem inſtitutum, ſed homo propter ſabbatum
creatus exiſtimari debeat. Quamobrem eiuſmodi terræ rationem iſtam eſſe docet, in qua
nulla ſtabilis permanendi poſſit eſſe fiducia: Nam quando Deus cum Abraham de ea re
paciſcebatur, æquiſſima illa lex atque conditio inſtituta eſt, vt pietate atque vitæ ſanctitate
Deum ſemper colerent, & numen ipſum ſibi propitium ſemper eſſe officio faciendo cura-
rent. Lege pactionem: Ambula coram me, & eſto perfectus, ponamq́ue fœdus meũ inter Gen. 17.
me & te, & multiplicabo te vehementer nimis: Daboq́. tibi & ſemini tuo terram peregri- "
nationis tuæ, & omnem terram Canaan in poſſeſſionem æternam. Ac ne Abrahamo tan- "
tùm lex dicta & conditio propoſita videri poſſet, iterum atq. iterum clarius etiam repeti- "
tur: Dixitq. iterum Deus ad Abraham, Et tu ergo cuſtodies pactũ meum, & ſemen tuum
poſt te in generationibus tuis. His conditionibus Deus cũ Abrahamo tranſegit, cùm pro- "
mitteret; cùm verò pacta & promiſſa exoluere illius filiis pararet, eaſdem conditiones lon-
ga oratione repetiit: Iuxta morem regionis Cananæorũ, ad quam ego introducturus ſum

Leuit.18. vos,nõ agetis;facietis iudicia mea,& præcepta mea ſeruabitis,& ambulabitis in eis:Omnes
» execrationes iſtas fecerunt populi terræ, qui fuerunt ante vos,& polluerunt eam : Cauete
» ergò ne & vos ſimiliter euomat cùm paria feceritis. Horum quidem pactorum conuentorumque conſtantia perpetuæ poſſeſſionis ius conſtare illis poſſet, & perſequi liceret, non autem terræ ſolummodo dignitate & promiſſionibus allegandis: ſed cùm ipſi à pacto diſceſſerint,nihil magis loci ſanctitudine & diuinis pollicitationibus poſſeſſionem ſuam tueri poſſunt,quàm primus ille hominum parens Adam ſuam eſt tutatus: Nam nec cæli, nec aëris temperatione,nec ſoli vbertate, nec fructuum omnium copia, nec etiam dulciſſimarum limpidiſſimarumque aquarum abundantia,nullis denique rebus,quæ locum aliquem felicem atque illuſtrem efficere poſſunt, terra hæc cum illa delitiarum paradiſo comparanda eſt,quam diuina manus in hominis gratiam plantauerat, atque inenarrabilibus ornauerat commodis,adeò vt arbores etiam eſſent, quorum fructibus vitæ hominum ad æternam vſque ætatem propagati poſſent. Hunc locum non ſolùm promiſſione,ſed etiam donatione diuina poſſeſſionis iuriſque ſui Adamus fecerat;à quo tamen quia in conditione atque pacto non manſit,meritiſſimè expulſus atque exturbatus, & omni redeundi ſpe deiectus fuit,ita nulla loci ratio eſt à Deo habita,quominus ille humanis cultoribus & dominis vacuus relinqueretur: Etenim qui poſſeſſionis ius violat, quo iure de poſſeſſione agat,non habet. Cùm ergo Adam *ibi*, hoc eſt in paradiſo leuiſſimum obſeruantiæ onus, à donante impoſitum abiecerit, poſſeſſionis iure meritò eſt priuatus. Quale verò poſſeſſionis ius experiri poterunt filij Iſraël, cùm Deus iuſtus iudex ſit, qui paribus in cauſis ſimili iudicio vti conſueuit,ſicut ſcriptum eſt:Ego Deus, & non mutor. Atque adeò antiquum illud Dei de Adamo iudicium, huius rei ſuæ præiudicium fuiſſe, interpretari illos oportuerat,ſi ſaperent,maximè cùm ſibi prædictum fuiſſe negare non poſſint: Cauete ergò, inquit,ne & vos ſimiliter euomat cùm paria feceritis. [*Ibi præuaricati ſunt in me:*] Cùm terra, quam incolerent, mea eſſet, meaque liberalitate illis in vſum ceſſiſſet: tamen in me dominum terræ præuaricati ſunt. Quanquam autem terram non nominat,tamen de illa ſermonem fieri aduerbium locale arguit, *ibi*, quod argumenti genus à coniugatis apud dialecticos dicitur. *Præuaricati ſunt ibi*. Adam in ſuo loco & iſti in ſuo;quamobrem inde vtriq.meritò ſunt expulſi. Hunc locum expoſitores Græcam fortaſſe verſionem ſecuti, nõ ad Adam primum,ſed ad quemlibet hominem referunt,præter Lyranum,qui interpretationem noſtram breuibus indicat verbis: Aptiſſima autem hæc qua vſi ſumus, expoſitio eſt.

Galaad ciuitas operantium idolum ſupplantata ſanguine.

CVM de ſacrificiis hactenus ageret oratio, ad Iudæos præcipuè pertinere videbatur, apud quos & templum ſtabat, & ſacrificiorum rationes,tametſi nec integræ nec puræ, tamen aliquo modo conſtabant: Nunc verò deinceps Iſraëlitæ cæteri eodẽ inuoluuntur crimine,imprimiſque Galaaditarum gens,qui vt loca occupauerant feliciora,ita ptoteruiores euaſerant, perinde ac ſi loci amœnitas,& vbertas ad luxuriam, non autem ad officiũ præ-
Mich.7. ſtandum ſorte illis obtigiſſet: nam paſtionis & frugum vbertate eam regionem fuiſſe fer-
Zach.10. tilem & Michæas & Zacharias declarant. Ex libris Paralipomenon accepimus Efrielem
1.Par.2.& 7. quendam ex filiis Manaſſes ex Syra concubina Machir filium genuiſſe: Machiro prognatum Galaad nomen regioni dediſſe, quæ inter Iordanem & Baſſam & Libanum ſita, & montis Libani ramentum,& campeſtrem etiam planiciem continet. Hanc autem regio-
1.Paral.17. nem dimidiæ tribui Manaſſes ſorte obtigiſſe,ex eodem accepimus libro: & in Pſalmis le-
Pſal.60.108. gimus: Meus eſt Galaad & meus eſt Manaſſes. Illud autem neſcio quo malo hominum
»
Vide Hipparchum in etyma Arabiæ. genio,vel potius vitio,accidit,vt quò ditiora & magis amœna quiſque populus incolit loca,eò magis ſit vitiis obnoxius:quod inde fortaſſe manat, quòd rerum affluentia & opes libidini fomentum ac materiam ſuppeditent;ſicut ſcriptum eſt: Incraſſatus eſt dilectus &
Deut 32. recalcitrauit. Quam etiam cauſam diuina hiſtoria in nefariis Sodomorum flagitiis ſignificat:Antequam Dominus euerteret Sodomam & Gomorram, vniuerſa terra irrigabatur,
Gen.13. ſicut paradiſus Domini: ita etiam accidit, vt Galaaditas ſecunda fortuna vehementer
4.Reg.10. transuerſos egerit,ac ſuperbia corruperit, vt cùm Deum Iſraëliticarum rerum tædere cœpiſſet,in hos omnium primos calamitas peruaſerit, percuſſeritque eos Azaël in vniuerſis finibus Iſraël,à Iordane contra orientalem plagam omnem terram Galaad & Ruben & Manaſſe ab Aroer,vſque ad torrentem Arnon. In hac regione vrbes quædam ex earũ nu-
1.Paral.6. mero erant, quas ad ſacerdotum habitationem & homicidarum perfugium ſanctas eſſe voluit lex;quarum nomina erant Ramoth in Galaad & ſuburbana eius, Maanaim cum ſuburbanis ſuis, Heſbon & Ieſer cum ſuburbanis ſuis. At verò cùm eam regionẽ propter ſacerdotum frequentiam,& propter Aſylorum religionem ſanctiſſimis & innocentiſſimis cultoribus abundare oportuerit, contrà deprehenſum eſt eam eſſe ciuitatem operantium iniqui-

iniquitatem,& conciliabula hominum inſidiatorum,qui ſanguine & cæde viuerent. *Supplantata.* Idem ſignificat ſupplantare in ſacris quod inſidias facere: atque ſupplantator dicitur,à quo cùm periculum nullum timeatur, maximum tamen offertur, vt: Qui edebat panes meos magnificauit ſuper me ſupplantationem. Vnde & meritò nomen fratri Iacob impoſitum aſſerebat Eſau,à quo bis ſupplantatus,hoc eſt inſidias bis ipſe fuiſſet paſſus. Eſt autem ſynecdoche figura,ſupplantata ſanguine, hoc eſt innocentum cædibus & inſidiis plena,cuius ſtudia omnia inſidiis & cædibus conſumuntur. Sententiam autem hanc ſubiunctis verſibus aperit. Pſal.40.

Et quaſi fauces virorum latronum, particeps ſacerdotum in via interficientium pergentes Sichem.

SVPERSTITIONEM & vanum cultum propter regni ſtabilitatem à regibus inſtituta,& legibus firmata fuiſſe iam vidimus; quæ res de communi principum atq. ſacerdotum conſilij ſententia facta,& à populo ſuſcepta fuit: nam ſi cum principum imperiis & poteſtatibus ſacerdotum ſententia atque auctoritas coniungatur, facilè qualiber res populo perſuaderi poteſt. Non ſolùm autem in hac re ſacerdotes ſuperſtitionis auctores, ſed vindices etiam ſeſe præbuerant,atque iidem illi,quos pax,quos humanitas,quos miſericordia maximè decebat, crudeliſſimi ac pernicioſiſſimi poteſtatis adminiſtri, atq. ſatellites erant: Nam ſi quis contra illorum ſententiam,vel agere,vel conari aliquid voluiſſet,proſcriptionis de capite & bonis ſuis latam pœnam primis ſacerdotum ſententiis damnatus ſubire cogebatur;ex qua præda ac rapina,& res & numerus illorum indies augebatur: id quod ſi quis earum rerum quæ Heliæ tempeſtate geſtæ ſunt,hiſtorias legerit,adeò clarè & manifeſtè cognoſcet, vt noſtris non indigeat probationibus: eò autem crudelitatis & ſæuitiæ ſacerdotes proceſſerant, vt cùm nequiſſimis & ſceleratiſſimis hominibus fœdere, ac nefaria ſocietate coniuncti,latronum ritu palantes,vias aſſiduè infeſtarent,atque ex inſidiis homines occiderent. [*Et quaſi fauces virorum latronum.*] Quanquã hic locus clariùs alio modo verti poterat,tamen ſie vt occurrit, erit nobis explicandus: Quoniam latrones loca opportuna ad graſſandum deligere ſolent,qualia ſunt anguſtiæ, & viarum aſperitates. Huiuſmodi ad inſidias innocentibus hominibus faciendas loca & ſtationes ab his Galaaditis hominibus vnà cum ſacerdotibus electa fuiſſe dicit:Ita fauces pro locis anguſtis accipiũtur, vt Corinthus in anguſtiis & faucibus Græciæ poſita eſſe dicta eſt,& Æmilius in faucibus macelli ſedebat. [*Particeps ſacerdotum.*] Nam vt ſacerdotes in illo latrocinio principes erant, cæteri verò qui cum illis fuerant,ſocij & ſceleris atque prædæ participes dicuntur. [*Interficientium,*] Hebraicè propriè eſt *occident*; quod verbum mortem homini per iniuriam & vim oblatam ſignificat;cùm autem in futuro tempore ſit, ſtudium & aſſiduitatem homicidiorum indicat. Hi verò Galaaditæ eas præcipuè vias ad ſcelus hoc occupauerant, quæ Sichem ab Ieruſalem,aut aliunde petentes ducerent. Erat autem Sechem vrbs Samariæ metropolis: (Nam hic non de altera Sichem,vbi oſſa Ioſeph repoſita ſunt, agitur:) Quamobrem multas & frequentes ad eam vrbem vias fuiſſe conſentaneum eſt. in nonnullis Latinis codicibus, Nomen *Sichem* in accuſandi caſu eſt legendum;nam Hebraicè eſt *Sechemah*; quam deſinentiam locorum nomina habent,cùm ad illa eſt iter; vt Ieruſalaimah, Mizraimah, idem eſt quod in Ieruſalem & in Mizraim. Maximam autem illorum iniuriam eſſe arguit, qui calumnia quadam & nimis callida interpretatione, quoſcunque in via qua itur Sichem offendiſſent,occidebant,non ſolùm ab vrbe,ſed ad vrbem ipſam iter facientes. Quoniam autem hæc iniuria per ſummam calliditatem, fraudem, & dolum apud hos extiterat,proptereà affirmando ſubiungit: Cicer.orat.

Quia ſcelus operati ſunt.

HEBRAICE *zimah fecerunt.* Eſt autem zimah excogitatæ malitiæ nefariũ commentum:vt,ne proſtituas filiam tuam,ne contaminetur terra,& impleatur zimah.& alio in loco:Qui ſupra vxorem filiam duxerit matrem eius, ſcelus operatus eſt; viuus ardebit cum eis,nec permanebit tantum nefas in medio veſtri. Vtrobiq. pro ſcelus & nefas eſt zimah: itaque portentoſum aliquod flagitium conſultò ſuſceptum ſignificat. זמה Leuit.19. Leuit.20.

In domo Iſrael vidi horrenda, ibi fornicationes Ephraim, contaminatus eſt Iſrael.

EOS qui ſcelere & flagitio præexcelluiſſent, hactenus notauerat Deus; nimirum qui non vnum atque ſimplex peccatum ſuſceperant, ſed ſuperſtitioni dolum, calliditatem, auaritiamque addentes,non ſolùm parricidiis ſeſe contaminauerant,ſed omni ſcelere cooperuerant. Nunc verò reliquis omnibus, hoc eſt vniuerſæ Iſraëli ſuperſtitionis & violatæ coniugalis fidei notam inurit: Nullam enim eſſe tribum affirmat, quæ Ephraim ſententiam atque exemplum vitulis colendis, lucis, aris, phaniſque celebrandis ſecuta non fuerit. itaque nullam apud eos terræ partem hac religionis violatione vacuam atque puram eſſe oſtendit: Nam quanquam primum apud Ephraitas ſcelus conceptum atque

1.Reg.16. admiſſum,libenter tamen à cæteris ſuſceptum atque perfectum eſt: Neque enim ſatis eis fuerat,vt ambularent in peccatis Ieroboam filij Nabat, niſi in alijs atque alijs temporibus aliæ atque aliæ cultuum rationes impiæ, & regum conſilio, & voluntate ſua initæ eſſent. Igitur vt totum populum contaminatum, & turpitudinis nota inſignem demonſtraret, affirmat rem indicijs aut teſtimonijs aliunde productis non egere, cùm ipſi Iſraëlitæ apertè ac palam in ore atque in oculis omnium ſeſe flagitijs nobilitarent. *Vidi*,inquit,*vidi* ipſe in domo tota Iſraël horrenda atque nefanda ſpectacula. Et quamuis Ephraim princeps atq. auctor huius fornicationis & infamis ſuperſtitionis fuerit, atque ibi apud eos in Dan & Bethel prima huius morbi fuerint initia; corruptionis tamē vis, & contagio in totā Iſraëlis familiam permanauit: hoc eſt quod dicit: *Ibi fornicationes Ephraim, contaminatus eſt Iſraël.*] Ephraim familiam regiam,reliquum verò populum Iſraël,nominat: Hebraicè eſt,ibi fornicatio Ephraim,& repetendum erat aduerbium, ibi contaminatus eſt Iſraël: ſed apoſiopeſi eſt vſus propter indignationem; nam familiaris hæc figura eſt iis, qui ira aut alia perturbatione commoti,plura vultu indicant, quàm verbis proferunt, vt illud: Seruate mihi
2.Reg.18. in puero,in Abſalon,deficit verbum. Vehementer autem ſeſe ſcelere ante oculos poſito irritatum oſtendit: Nam quæ quis indigniſſima viderit, taceri & celari non oportere ar-
Perſius ſat.1 bitratur, vt ille aiebat: *Vidi, vidi, ipſe libelle.* Nulla ergò Iſraëlitis ſeſe defendendi ratio,nulla ad effugiendum via,nec locus relictus eſt: ipſi enim propria audacia atq. impudentia rationes omnes ſuas iugularunt, illi ipſi monſtratam per vates miſericordiæ viam inire noluerunt,ipſi locorum omnium ſanctitatem prophanis cultibus atque omni flagitio polluerunt,non ſolùm in Iuda,ſed in Gilgad atque in Ephraim, vnde & toti prouinciæ labes eſt illata.Quid igitur faciam tibi Ephraim?quid niſi illud alterum faciā, quod faciendum prædixi, & quod fieri oportere manifeſtum eſt: Et tibi Iuda quid faciam? qui non leuioribus ſceleribus obligatus es?

Sed & Iuda pone meſſem tibi, cùm conuertero captiuitatem populi mei.

QVOMODO cùm diuina miſericordia iuſtitiæ conueniat, docet hoc in loco vates: Nam quanquam miſericordiæ promiſſiones firmiſſimas eſſe ſemper Deus voluerit, tamen cùm hominum vitiis & peccatis id poſtulantibus iudiciorum ratio ineunda eſt, ita res temperatur,vt neque Deus iuſtitiæ non ſatisfaciat, neque ſuæ deſit miſericordiæ. Huius rationis ignoratio homines in maximum errorem inducere poteſt.Iudæi cùm ex diuino reſponſo intellexiſſent, fore, vt ille totius orbis vindex,rex atque ſeruator, ex eorum familia eſſet oriturus,hanc promiſſionem ſanctam & ratam eſſe credentes,aut nullas aut exiguas calamitates aduenturas, etiam ſi improbè vixiſſent, ſibi perſuadebant; cùm fieri non poſſe arbitrarentur,vt repelleret Dominus plebem ſuam, in qua tantum opus edere moliebatur. Non ſolùm autem ſe non perdendos,ſed neque patrium ſolum relicturos putabant,cùm tantæ Dei promiſſiones & præclara initia ſucceſſu ſuo fruſtranda, non crederent. Atque hæc res admirabilis illis videbatur, quoties aliquo modo premerentur; atque in ea re diſputabant, quî fieri poſſet, vt Deus ruinam, aut calamitatem illis, & ſuum illud maximum opus, (quod non niſi ſe ſaluis edi conueniret,) moliretur. atque hic locus diffu-
Habbak.3. ſius à nobis in commentariis Habbakuq tractatur. Verùm enimuerò ita res gerenda ac gubernanda erat,vt in ſuſcepto conſilio Deus permaneret, neque tamen interdum improborum ſceleribus conniueret;verùm improbitatem & audaciam caſtigando comprimens,
Pſal.89. meritas opinionis ſuæ pœnas in certam diem reſeruaret: Ea autem dies futura erat, vbi ille ſuum conſilium abſoluiſſet, miſſoque ſeruatore populum ſibi variis terræ partibus diſperſum colligeret;qui diaboli,in quam abducti erant,ſeruitutem, illius virtute & opera repellentes,in diuini regni ciuitatem reciperentur; neque ſolum libertatis, ſed adoptionis etiam filiorum perpetuæ poſſeſſionis ius haberent: Nam ſi filij & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Hæc itaque ſumma conſilij diuini fuit, vt Iudæis interim clementer agens parceret,neque tamen indulgeret Deus,dum ille ſibi mundaret populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. quòd ſi caſtigati atque admoniti interdum non reſipiſcerent,tum vero cumulatæ improbitatis cumulatas tamdiu pœnas darent,quoad in diuturna ſeruitute,multis ærumnis & miſeriis preſſi,diuinam tandem miſericordiam & fidem implorantes cum cæteris Iſraëlitis experirentur:Scriptum eſt enim:In
Pſal.88. æternum ſeruabo illi miſericordiā meam,& teſtamentum meū fidele ipſi, & ponam in ſe-
" culum ſeculi ſemen eius,& Thronum eius ſicut dies cæli: Si autem dereliquerint filij eius
" legē meam,& in iudiciis meis nō ambulauerint:Si iuſtitias meas prophanauerint, & man-
" data mea non cuſtodierint; viſitabo in virga iniquitates eorū, & in verberibus peccata eorum: Miſericordiam autē meam non diſpergam ab eo,neq.nocebo in veritate mea, neque prophanabo

prophanabo teſtamentum meum,& quæ procedunt de labiis meis non faciã irrita. Igitur cùm in idem impietatis crimen Iudæi cum Iſraëlitis vocati cauſam ſuam nihilo magis quàm illi obtinuerint;& tamen Iſraëlitis ex iudicij ſententia maturior, longior ac grauior pœna,quàm Iudæis decreta videretur;ne aut diuina æquitas,aut Iudæorum crimen in dubium alicui venire poſſet, exceptionis ratio explicatur: Primùm,quòd cùm Iſraël quaſi vacca laſciuiens primus declinauerit, & admittendi ſceleris auctor Iudæis fuerit, priorq. terram, in qua plantatus fuerat, polluerit, prior etiam pœnas ſubire & ſuſtinere debuit, atq. plantatum euulſionem inde primum incipere, vbi primùm labes eſt facta; namq. hoc modo & iudiciorũ æquitati, & promiſſæ miſericordię negotio, optimè conſuli viſum eſt, hoc eſt quod dicit; *Etiam Iuda. Etiam*, poſteriorem locũ occupat hæc coniunctio. *Pone meſſem tibi.*] Quoniam mentio de terræ dignitate facta eſt, cui plurimum iſti omnes fidebant,à qua ſe diuelli poſſe,ne inculta relinqueretur,non putabant,& tamen Iſraëlitis cùm conſtituta ſit ſua ad migrandum dies, ſua etiam, & Iudæis conſtituitur, qua de terra cedendum illis,perinde atque ſegetibus certum quo metantur tempus eſt.Id autem erit, *Cùm reduxero captiuitatem populi mei.*] Non potuit clariùs prædici tempus illud aureum, quo Deus Meſſiam ſuum miſſurus fuerat, vt filios Dei qui in diſperſione erant,congregaret: Namque hic Ioan.1.
eſt verus Dei populus,quem ipſe ſibi omnibus ex gentibus elegit, quorum ſecundũ fidem "
genus ex Abraham,ſecundum veterem hominem mortificatio, & noui hominis regene- "
ratio à Deo per Chriſtum,qui non ex ſanguinibus,neque ex voluntate carnis,neque ex vo- "
luntate viri,ſed ex Deo nati ſunt, per lauacrũ regenerationis, & renouationis ſpiritus ſancti in libertatem ab ea ſeruitute vindicati,cui per totam vitam fuerant obnoxij. Itaque Iudaica meſſis,hoc eſt ſtrages,in eam diem dilata eſt, cùm iam Deus non plebem ſuam, plebem ſuam vocaſſet,& non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam; cùm Iudæi non ſolùm maiorum ſuorum,ſed ſuis etiam ſceleribus obligati,impietatis implerent menſuram,& vltionem omnis ſanguinis,qui effuſus eſt à ſanguine Abel,vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ,ſibi ipſi pararent: Eo enim tempore regnum Dei auferendum ab illis erat,& genti fructum eius facienti concedendum;ita euenit vt ſimul erga hos iudicium,erga gentes miſericordia exerceretur. Atque hoc modo neque iuſtitiæ ſuæ, neque miſericordiæ conſilio Deus vnquam defuit. Atque adeò hoc myſterium vatum temporibus enunciatum anno mundi ferè quater milleſimo trigeſimo quarto, Chriſti verò trigeſimo ſeptimo explicatum eſt, cùm Dominus vineæ miſſis exercitibus ſuis agricolas perdidit, ſeptima die Septembris eius anni cùm iam Euangelium in vniuerſo mundo eſſet Rom.11.
auditum; cuius myſterij cauſa, Paulus exclamabat: O altitudo diuitiarũ ſapientiæ & ſcien- "
tiæ Dei,quàm incomprehenſibilia iudicia eius,& inueſtigabiles viæ eius! *Pone meſſem tibi.*] "
Eleganti tranſlatione ſermonem exornauit, quandoquidem hæc lis habitatoribus terræ intenta eſt,qui in terra illa tanquam ſeges aliqua ſeminati fuerant,hos omnino iam aridos demetendos eſſe dicit: atque meſſis nomine ſtragem illam ſignificauit, qua Iudæi vel perdendi,vel penitus erant abducendi;qualis calamitas non fuit ab initio omnis creaturæ, "
ita vt niſi Deus abbreuiaſſet dies illos, non ſaluaretur vlla caro. Sic apud Ieremiam de Baby- "
lonis vaſtatione prædictum eſt: Adhuc modicum & veniet tempus meſſionis eius. & Syl- Ierem.51.
lani temporis meſſem Latini dixerunt. Cicer.

CAPVT SEPTIMVM.

CVM ſanare vellem Iſraël, reuelata eſt iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ, quia operati ſunt mendacium, quia fur ingreſſus eſt ſpolians, & latrunculus foris.

DIVINORVM vatum libri multis & grauiſſimis de cauſis difficiles explicatus habent, ex quibus vna eſt eius quæ à vate ſuſtinetur perſonæ ignoratio. conſueuêre enim perſæpè vates pro negotiorum, pro hominum apud quos agitur, pro temporum ratione, aliam atque aliam perſonam induere, quam ſi quis non agnouerit, fruſtra ſpectet agentem. Nam neque quid agatur, neque quàm rectè aut commodè agatur, intelliget. Quam quidem ob rem eum, qui ſacros libros explicandos ſuſcipit, ſapientem & plurimarum rerum oportet eſſe peritum, ſiue ea facultas ex multarum facultatum diſciplina, ex rerum tractatione & vſu, ſiue, quod maximè optandum eſſet, ex diuino ſpiritus ſancti beneficio habeatur. Atque harum omnium facultatem rerum & copiam dono Dei oblatam, D. Paulus ſcientiam multis in locis nominat, cuius ſe non rudem 2.Cor.11.
neque expertem fuiſſe profitetur: Et ſi imperitus, inquit, ſermone, non tamẽ ſcientia: quòd "
ad omnia ſacratum literarum intelligenda myſteria diuino ſpiritu auctus eſſet. Ad hunc

ſapientiæ gradum vt perueniamus,contento pietatis & orandi ſtudio, curſuq. nobis omnibus eſt laborandum, vt ſcriptum eſt: Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter,& non improperat,& dabitur ei. Intereſt ergo diuinorum vatum interpretis,quæ quo in loco partes agantur,intelligere,vt referre ipſe poſſit,& eos qui legent docere. Hactenus Hoſſeas Deum maritum vxori iratum, accuſatorem & iudicem aptiſſimis orationibus expreſſit: Nunc verò hoc in loco vates ipſe officium & nomen tuetur ſuum: Nam vates non ſolùm vt futura enuntient,creantur; ſed etiam vt hominũ mores integros,religioſos, iuſtoſque eſſe aſſiduis orationibus, conſiliis atque exhortationibus procurent. Hanc curam & aliis & vati noſtro iniunctam fuiſſe iam intelleximus: Iudicate,iudicate matrem veſtram, dicebat Deus,iudicate. Eam curam diligenter ſuſtinuiſſe, nihil tamen ſe effeciſſe vates hoc in loco oſtendit & dolet. Quòd verò in ea re tantæ operæ ac laboris conſumpti nullus fuerit fructus, eos apud quos agebat in culpa eſſe dicit, qui vitæ & ſaluti ſuæ conſultum eſſe noluerunt, atque in eo explicando, optimi & fideliſſimi medici officio functum ſe eſſe oſtendit; cuius imaginem quandam & ſimilitudinem intueri oportet, vt orationis totius rationem poſſimus comprehendere. In primis autẽ commune illud medicorum præceptum eſt diligenter tenendum, quod totius artis caput & principium eſt: In morbis curandis non ſolum medici aſſiduitatem & curam,ſed ægrotantis etiam,& eorum qui adſunt,officium & diligentiam eſſe requirendam; etenim ægrotanti fruſtra medicum quantumuis fidelem adduxeris, ſi curari ſeſe ille non patiatur: non enim ſolum ſeipſum opus eſt præſtare opportuna facientem, ſed & ægrotum, & eos qui adſunt,& quæ extra hæc ſunt,inquit Hippocrates. Sicut igitur grauiſſimi morbi, & vulnera quædam ſunt, quæ ſua natura, curari, niſi diuinitus, non poſſunt; & alia, quæ non natura, ſed ægroti negligentia & culpa inſanabilia fiunt; atque eos qui huiuſmodi fuerint, tanquam à morbis & à ſeipſis victos omnino deſerere, in medicorum iuramentis præceptum, & diuinis in libris eſt conſultum: Curauimus, inquit, Babylonem,& non eſt curata; derelinquamus eam. Oſtendit principio vates ſe, dum fidem officiumque ſuum his præſtaret, eorum inſolentiam & culpam ita apertè cognouiſſe, vt teſtari poſſit per eoſdem commiſſum fuiſſe, quominus curentur: *Cum ſanare vellem Iſraël.*] Hebraicè eſt curare: Nam vt corporum morbi & vulnera, ita animorum peccata & ſcelera, vitia ægritudineſque ſunt: vt ſcriptum eſt; Ego dixi, Domine, miſerere mei, ſana animam meam, quia peccaui tibi. Atque vt illa fomentis, vnguentis, ligaturis, euacuationibus, & continentia; ſic hæc diuinis ſermonibus, conſiliis, reuocationibus, exhortationibus, & pœnitentia curantur, ſi tamen maturè & opportunè fuerint quæſita remedia. Etenim neglectis & iam deſperatis morbis vetat Hippocrates adhibere medicinam, ob eamq. rem ſcriptum eſt: Tempus occidendi & tempus ſanandi. Itaque cùm opportunè remediis ſubuenire vellet Iſraëli, ſingularem ſuam inſolentiam & contumaciam ægrotantes ipſi medico atque omnibus medicinis neglectis prodiderunt: huius rei cauſa dicit: *Reuelata eſt iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ.*] Peruerſitatem & contumaciam hæc nomina ſignificant. Iniquitas enim ex Hebraico verbo reddita, propriè peruerſitas & deuiatio eſt: Malitia verò quod Græcum κακοήθεια aptè exprimit, ſingularem animi morbum, qui vultu etiam & corporis habitudine cognoſci manifeſtiſſimè poſſit: ſic Pharao ſeptem boues à ſe per quietem viſas macilentas & malas viſu fuiſſe depingit: ſic Ioſeph duorum qui in carcere erant ſociorum animi morbum ex vultu indicans, rogauit cur malæ ſunt facies veſtræ? ſic etiam Hoſſeas morbum Iſraëlitarum intimas totius corporis venas peruaſiſſe, atq. ægrotantem ipſum ita victum eſſe oſtendit, vt curationem tamen non admittat. Vt autem in corpore caput & facies principatum obtinet, atque in iis grauiſſimorum morborum primæ ad indicandum notæ, & indicia medici reperire conſueuêre, primaq. eius artis præcepta à vultu & facie inchoant; ſic & noſter hic medicus cùm curare vellet Iſraëlis corpus, quod tota ipſa Iſraëlitarum ſocietas erat, caput ipſum & faciem regni primùm contemplatus, magni, diuturni & deſperati morbi notas & manifeſta ſigna deprehendit: Corporis autem totius faciem Ephraim regiam tribum, Samariam verò vrbem regiam caput nominat, ex quibus totius corporis morbi & ægrotationes naſcantur. Eadem tranſlatione vſus eſt & Iſaias: A planta, inquit, pedis vſque ad caput non eſt in eo ſanitas. Samariam autem caput fuiſſe illo teſtimonio comprobatur: Caput Syriæ Damaſcus, & caput Ephraim Samaria. O diuinorum ſcriptorum conuenientiam, atque rerum & ſententiarum admirandũ conſenſum! Quantò verò maiori ſtudio remedia adhibebat illis, tantò illi ſeſe rurſus nequiores, improbiores, tantò ſe magis perfidos præſtabant; ita vt morbus indies & augeretur, & per omnes corporis partes & venas omnes venenum permanaret: hoc eſt, dum vates diligentiſſimus medicus increpationibus, obiurgationibus, conſiliis, & crebris aſſiduiſq. huiuſmo-

Iacob. 1. | Supr. c. 2. | Hip. Aphor. lib. 1. | Hipp. lib. de aere, aquis & locis. | Gale. de Criſib. lib. 100. | Hippoc. iuſiurandum. | Ierem. 51. | Themiſt. in poſter. | Plato in Philoſophia. | Pſalm. 40. | Eccle. 3. | Hippoc. de de Prognoſt. lib. 1. c. 1. | Iſai. 1. | Iſai. 7.

iuſmodi exquiſitis remediis apud eos vteretur,namq. extremis morbis extrèma remedia Aphor.
ſunt adhibenda,ſicut ſcriptum eſt: Liuorem & vlcus abſterges in malo, & plagas penetra- Prouer. 20.
lium ventris; illi verò contrà eaſdem ipſas res auidiſſimè appetebant, quibus animi mor- "
bus augeretur,ſicut ſcriptum eſt: Super quo percutimini adhuc additis rebellionem, om- Iſai. 1.
ne caput ad languorem, & omne cor infirmum. Qualibus verò appetendis, & communi "
impetu ſiue ratione requirendis rebus,morbum & furorem ſuum ipſi alerent, ſubiuncta
partitione exponit. *Operari ſunt mendacium, quia fur ingreſſus eſt ſpolians, & latrunculus foris.*] Tan-
tum abeſt vt reſipiſcant, vt in ipſis curationis horis palam officium omne & contemnant
& prodant,atque leges diuinas quibus obſeruandis ſalutem ſperare poterant,violent atq.
euertant. Namque operari *Seker* pro quo mendacium vertimus, eſt debitum officium per Seker.
ſummam iniuriam deſerere,vt illud: Iura ergo ne mentiaris mihi,& poſteris meis.& illud: Gen 24.
Si feciſſem in animam meam audacter. Itaque *Seker* officij violationem ex ſingulari auda- 2.Samu. 18.
cia interpretari poſſumus;& cùm iſti neque in Deum, neque in homines impiè agere de-
ſiiſſent,ac non ſolum officium violarent, vt qui nec pactis aut conuentis ſtarent, ſed ad in-
iuriam faciendam vlterius etiam proruperant, vtpote furtis, rapinis ſeſe domi, foris verò
latrociniis exercentes,ob eam rem dicit: *Fur ingreſſus eſt ſpolians, & latrunculus foris.*] Atque in
hac re animaduertendum eſt,quanta mala publicè & priuatè ex violata religione oriri ſo-
leant: Etenim iis artibus exiguo & ad ſpeciem pio initio maximam labem & perniciem
integris hominum rebus ac moribus communis ille hoſtis diabolus inferre conſueuit;cùm
religionis nomine impietatem ſuadet, atque eam quæ verè licentia eſt, libertatem inter-
pretatur;per licentiã verò amicorum & fratrũ diſſidia facit:hinc autem maximũ campum
ad iniurias faciẽdas aperit. Qua quidẽ ego in re expreſſam noſtrorum temporũ imaginem
maximo cum animi mei dolore intueor,cùm,prò Dei ſummi fidem,tot ac tanta Chriſtia-
norum loca,poſtquam ſemel religionis,obtento nomine(quæ mera impietas eſt) diſſenſio
facta eſt,per ſummam licentiam omni officio, iuſtitia & religione vacua, multis proditio-
nibus,furtis,rapinis,cædibus,latrociniis, ſtupris, adulteriis, & omnibus iniuriarum atque
ſcelerum generibus, omni infamia flagrare videam. Scilicet hæc nobis ſpectacula para-
bant,qui primi peruertendæ religionis, & diſſidij faciendi auctores fuerunt, qui dum li-
bertatem promitterent,calumniæ,iniuriæ,atque omnis luxuriæ licentiam dederunt. Præ-
cipita Domine,& diuide linguas eorum;ſana Domine populum tuum,miſerere, miſerere
rudis atque imperitæ multitudinis plebis tuæ,quæ duces ſecuta cæcos quantum pericu-
lum adierit, non peruidet. Sed vatem noſtrum audiamus.

*Et ne fortè dicant in cordibus ſuis omnem malitiam eorum me recordatum: nunc circumdederunt eos adinuen-
tiones ſuæ, & coram facie mea facta ſunt.*

CERTISSIMA argumenta atque indicia morbi à vate notantur, vt apertior eorum
culpa ſit,qui cùm morbum ſuum celare non poſſint, tamen negare conentur, atque ideò
curari ſe non patiantur,ſed neque curatione indigere credant. Ea eſt enim hominum ma-
litia,atque in ſeipſos indulgentia, vt alienorum vitiorum callidiſſimi, ſuorum verò negli-
gentiſſimi æſtimatores ſint;quòd ſi ab aliquo liberè & verè arguantur, id non veritatis, ſed
maledicti ſtudio fieri interpretentur, aut ſi maximè antiqua ſua vitia fateantur, præſentia
tamen diſſimulent,& negent;huiuſmodi rei à vate noſtro occurritur iam. Cùm enim in
promptu eſſet Iſraëlitis,vt ſeſe valere dicerent, ob eamque rem neque medico neque me-
dicina egere; illudque adderent, Vatem odio atque maledicendi ſtudio antiqua illis vitia
obſeruata,nunc denuò repetere,atque obiicere;quorum iam obliuiſci potius, quàm me-
miniſſe oporteret;quòd illud humani & candidi,hoc moroſi & callidi atque hominis ex-
probrandi occaſionem ambitioſè magis,quàm iuſtè quærentis eſſet:cuiuſmodi querimo-
niam Iob apud Deum humano quodam ſenſu habebat: Vt quæras, inquit, iniquitatem Iob 10.
meam & peccatum meum ſcruteris: Hac dementia deprauatos Iſraëlitas Hoſeas redar- "
guit,oſtenditque ſe non illis antiqua peccata repetere,ſed noua & præſentia obiicere, quæ "
palam omnibus ſint,quæque ipſi vultu atque inceſſu fateantur. [*Ne fortè dicant in cordibus.*]
Hebraicè eſt cordibus in datiuo;hoc eſt,ne ſibi indulgentes, perſuadeant, me odio magis,
quàm eorum ſanitatis deſiderio flagrantem, omnem eorum malitiam in memoriam re-
duxiſſe, atque præſentis ægritudinis nomine notaſſe. Ego præſentis morbi notas adeò
manifeſtas eſſe affirmo, vt ſi ſe ſanos affirmare velint, ſuã maximam inſaniam prodant.
[*Etenim nunc circumdederunt eos adinuentiones ſuæ.*] Nunc antiquis vitiis nouas ægrotandi cauſas
adiunxerunt,quando vitulis Ieroboami parum contenti,plurimis & aſſiduis adinuentio-
nibus ſuperſtitionis rationem auxerant & ornauerant. [*Et coram facie mea facta ſunt.*] Vt
non opus ſit antiquis,& à noſtra memoria remotis,ſed præſentibus vti indiciis, vt præſens
illorum morbus arguatur me præſente,me inquam curare ſtudente,inſaniunt.

In malitia ſua lætificauerunt regem, & in mendacijs principes.

TOTVM corpus iam malè habere,& à planta pedis vſque ad caput nullam in eo eſſe ſanitatem oſtendit: Namque caput primùm laborare incœpit, interim verò corpus ſine morbo eſſe videbatur,ſed capite malè affecto,corpus ipſum mali expers non erat: latebat tamen virus & membrorum omnium venas occultè penetrabat, quas vbi occupauit totius corporis vitium & corruptionem perfecit. Cum ergò Rex ambitionis & tyrannidis cauſa idololatriæ morbo ægrotare cœpiſſet, & principes atque ea omnia quæ circa caput erant,malè haberent,cætera totius populi membra infirmiora quidem & magis,quàm caput ipſum imbecilla,idem vitij conceperunt, ita vt totum corpus æquali valetudinis habitu vſum morbi ſenſu iam careret; & cum ad deprecandum & curandum morbum ſenſus, dolorque incitent, hi propterea incurabiles effecti ſunt; quod non ſolum ægrotantes non ſentiunt,ſed etiam gaudent, & rident,atq. ſuo gaudio caput ipſum exhilarant,vnde morbi initia facta ſunt:conſequens ergo eſt eos dementia affectos,atque mentis ſtupore oppreſſos eſſe. Quicunque enim aliqua parte corporis dolentes non ſentiunt,ſignum eſt in his mentem ægrotare. *In malitia ſua lætificauerunt Regem.*] Mirum dictu eſt, quàm vehementer populus regum ſtudiis & cupiditati morem gerat, in malis etiam moribus, quantum diligentia & imitatione præcurrat,ita vt principes veri tempeſtatū ſuarum venti eſſe videantur,qui vel leni flatu ac nutu ſuorum temporum mores aut agitare,aut turbare,aut contrà feliciter etiam ducere poſſint,ſicut ſcriptum eſt: Princeps qui libenter audit verba mendacij,omnes miniſtros habet impios.& iterum:Multi,inquit,quærunt faciem principis. Itaque hos adeò inſaniiſſe ſuperſtitionibus dicit,vt caput ipſum ſuperſtitionis, hoc eſt regem non ſolùm in dubium rei benè geſtæ vocent,ſed etiam oratione laudent, imitatione,moribus & adinuentis rebus probent. [*Et in mendacijs.*] Hebraicè in negatione ſiue in defectione. Negare autem ſiue deficere,in ſacris, antiquum & certum conſilium repudiare,& nouas res moliri eſt; & qui huiuſmodi ſunt, negatores dicuntur. hoc verbo vtitur Pſaltes cùm dicit: Filij alieni mentiti ſunt mihi. Cùm ergo principum conſilio & edicto iſti vitulos colere iuberentur, & illud audirent, Hi ſunt dij tui Iſraël, qui eduxerunt te de terra Ægypti:Hanc negationem populus auctis adinuentionibus, & nouis ſuperſtitionibus in ſuam libidinem & in principum gratiam repertis, ſuperauit.

Hippocrat. Aphor. lib. 2. — Prouerb. 20. — » — » — Pſalm. 18.

Omnes adulterantes quaſi clibanus ſuccenſus à coquente: quieuit paululum ciuitas à commiſtione fermenti, donec fermentaretur totum.

COMMVNEM idololatriæ morbum per omnes totius Reipublicæ partes, tanquam calamitoſam tempeſtatem, peſtemque peruaſiſſe demonſtrat, quia in re ſignis vtitur euidentibus,quod notarum genus in certiſſimis argumentis à medicis ponitur: nulla enim alia re magis morbus cognoſcitur, quàm ex vitalium aut animalium actionū impedimento, difficultate,vel peruerſitate,vt ſi quis non ſentiat,non intelligat, & non moueatur, vel ſecus quàm ſani ſolent, hæc & alia his conſentanea faciat. Cùm ergo iam omnium hominum tam plebeiorum quàm principum ſtudia & actiones corrupta eſſe videantur, conſequens eſt omnes ægrotare: quòd ſi initio morbi ſigna non niſi in capite,& in iis quæ circa caput ſunt,apparuerant,tamen iam corpus capitis vitio laborare incœperat,ſed interim non deprehendebatur malum,dum ſenſim per venas & membra omnia permanabat;quæ poſtquam occupauit,tunc demum nulla corporis pars officio munereque ſuo rectè functa eſt. Igitur principio cœperunt reges & principes effrenata ſuperſtitionis libidine & cupiditate ardere; cuius incendij flamma tantùm in iis lucebat, tanquam ſi pectore ardentem furnum ferrent,ad quem omnes maſſæ percoquendæ referrentur: Id verò tunc accidit, cùm decreto principum pronuntiatum eſt: Hi ſunt Dij tui Iſraël, &c. Hac tranſlatione vates idololatriæ ſtudium notauit aptiſſimè;nam piſtoria ars triplici negotio & cura perficitur:in primis quærendum eſt fermentum, quo maſſa vitietur omnis, fermento addito maſſa ſubigitur,& dum tota maſſa fermentatur,furnus incenditur,tunc demum panes coquuntur. Prima igitur maſſæ pars regia familia fuit, ex qua vitium ad omnem populum manauit,quod humana concupiſcentia,quæ corruptionis totius principiū eſt,fouit;donec iam totū fermentatum,atq. ſuperſtitionis amore incitati omnes fuêre; tunc verò maximè idololatriæ ſtudio flagrare cœptum publicè ac paſſim fuit,tunc vnuſquiſq. corruptas iam, & fermentatas erga vanum cultum cogitationes coquendas in medium protulit. Qua in re conſiderandum eſt, quàm ardenti & propenſo animo homines ad vitia, & ſuperſtitiones prolabantur, quantumque mala illa cupiditate, quam concupiſcentiam Theologi vocant,ad eam libidinem procliues ſint,cùm ex paruis initiis maxima in ea re incendia concipiantur, ſicut modico fermento grandes maſſæ corrumpi ſolent. Operæprecium autem

Vt Galenus lib. de natu. facult. 3. & de locis affect. primo. — 1. Cor. 5. — »

fuerit videre,quàm eleganter acceptam à medicis tranſlationē vates perſequitur. Vt enim corporis humani corruptiones & vitia tametſi in membris regnent, non tantum tamen periculum creant,neque tam manifeſta ſunt cùm membra peruadunt & penetrant, quantum cùm iam omnibus occupatis & victis humoribus,febres pariunt, & æſtus ardentiſſimos concitant:ſic hoc loco vates populum Iſraëliticum morbo ſuperſtitionis grauiſſimo cū æſtu febrique,hoc eſt cum manifeſtiſſima libidine iactari demonſtrat. *Omnes adulterantes quaſi clibanus ſuccenſus.*] Adulterantes ſuperſtitione & idololatria,& iis quæ hanc peruerſitatem ſequi nata ſunt ſtupris quaſi clibanus ſuccenſus à coquente: Reges & regum familiam coquentes,& primi auctores nominantur,qui ad ſuam vtilitatem, ad quæſtum ſuum primi furnum hunc ædificauerant & incenderant: reliquum vero vulgus panis conficiendi, ſubigendæ maſſæ & coquendæ ſocietate & communicatione cum regibus ipſis coniungit. Ardere autem in ſacris & prophanis libris, pro vehementi impetu ac ſtudio alicuius rei vſurpatur:vt, Exardeſcet ſicut ignis zelus tuus: &, Cum exarſerit in breui ira eius. Sic Pſal.79.
etiam apud Latinos,auaritia,amore,& ſtudio aliquis ardere dicitur,& in cupiditatibus ardere à Salluſtio dictum eſt. Fermenti autem nomine corruptelam & contagem,labemque omnem ſignificari, totis antiquarum ceremoniarum libris eſt manifeſtum: & Chriſtus, Cauete, inquit, a fermento Phariſæorum. Pſal.2. Salust.2. Leuit.23.

Dies regis noſtri: cœperunt principes furere à vino, extendit manum ſuam cum illuſoribus.

DIXIMVS ex actionibus perturbatis, naturalium facultatum læſionem & corporis morbum deprehendi, eodemque modo animorum corruptelam & internæ ægritudinis ex operibus & ſtudiis hominum cognoſci. Hanc autem partem hoc in loco docet vates, oſtendens eos in eam idololatriæ inſaniam incidiſſe, vt illa etiam regia vota fuerint debacchati,qui non ſolùm diis illis qui à regibus conſecrati fuerant, ſed regibus ipſis feſtos dies atque ludos inſtituerant, & natales principum omni vitiorum genere inſignes effecerant. Reſpondet autem hic verſus illi,quem ſuperius cantauerat: In malitia ſua lætificauerunt regem. Vtitur verò inductione perſonæ, *Dies regis noſtri:*] Eo quòd populus ipſe natalem regis ſui, ſiue diem qui regni initium fuiſſet, annuis celebritatibus ſanctum eſſe voluerat,quem magna frequentia celebrandum indixerit. Populi vox erat *Dies regis noſtri.* Hac inductione ſtudium & adulatio vulgi erga regem ſignificatur. quibus autē rebus dies ille coleretur,ſua,non populi oratione vſus continuò ſubiungit:Conſueuêre olim dies natalitios regum ſollemnibus pompis,& laudatoriis orationibus celebrare, atque in his regum triumphos,victorias,& res rectè in bello & in pace geſtas recolere, futuris temporibus bene ominari,Deo regem ſuum commendare. Iſti verò nihil horum factitabant, ſed voluptatibus, & deliciis omnibus celebritatem inchoantes, iniuriis & cædibus finiebant. cum enim ſumma licentia bibebatur,tum dicteriis & pernicioſiſſimis ſalibus, imò & fellibus vnuſquiſque ab aliis aſpergebatur;hinc probra,infamiæ,rixæ,hinc poſtremò cædes ſecutæ ſunt:namque eiuſmodi licentiæ,tales ſolent exitus ſpectari. [*Cœperunt principes furere à vino:*] Hebraicè eſt, *Cœperunt principes vrere ex vino.* hoc eorum ſtudium fuit, hæc feſti celebritas vino & vtribus poſitis,bibendo certare. Cum verò vinum copiam dicendi maiorem fecerit,tunc nullius nomini,famæ & æſtimationi parcere,ſed vnuſquiſque *Quolibet in quemuis opprobria fingere ſæuus,* vt ille aiebat. [*Extendit manum ſuam cum illuſoribus.*] Illuſores idem ſunt qui irriſores, de quibus dictum eſt: Qui erudit illuſorem, iniuriam ſibi ipſi parit. Hi ſunt quibus nihil ſanctum eſt,nihil à detractione tutum;namque diuina pariter & humana derident,omnia contemnunt,& neque leges,neque iudicia vlla verentur, ſicut ſcriptum eſt: Teſtis illuſor deridet iudicium. Horum opera maximæ atque frequentes iniuriæ, iurgia, rixæque & turbæ concitantur:Eiice,inquit,deriſorem,& exibit cum eo iurgium,& ceſſabunt cauſæ & contumeliæ. Ab huiuſmodi hominum genere cùm longè regum ratio voluntasque abhorrere debeat,tamen dum vino & voluptatibus ſimul indulgetur, non abalienantur;imò *manum ſuam extendit rex cum illuſoribus.*] ita vt omnes eandem agant rem, eodem irridendi ſtudio delectentur: & quidem in conuiuiis popularibus,& in iis quæ voluptatis cauſa dantur cœnis, huiuſmodi irriſionum maxima eſt frequentia, vt ſcriptum eſt: Irriſio vini & tumultus ſiceræ. Atqui huiuſmodi actionibus morbi vis manifeſtè arguitur; verùm quid hæc præludia conſequi poſſint, facile conicere eſt, nimirum à vino & ſcommare inſidiæ & nocendi ſtudia, quæ omnia Reipublicæ morbum oſtendunt, & interitum protendunt. Quòd ſi aliquandiu quieſcat æger dum dormit,morbi tamen cauſæ & humorum corruptiones augentur, vt expergefactus vehementius crucietur; eam rem ſubiecta oratione vates explicat:

Horat. Prou.9. Prou.19. Prou.22. Prou.20.

Quia applicauerunt quaſi clibanum cor ſuum, cùm inſidiaretur eis: tota nocte dormiuit coquens eos, manè ipſe ſuccenſus quaſi ignis flammæ.

INITIA, progreſſus & fines iniuriarum faciendarum appoſitiſſimè deſcribuntur: Nam
dum conuiuiis & cœtis vinoque coram regibus & principibus ſuis vacarent, dicacitare &
irriſione ſeſe excitabant, tantumque regis præſentia prohibebantur, ne res manu armiſque
gereretur. quòd ſi quieſcere interea & abſtinere viſi erant, tamen odia & ſorbebantur, &
coquebantur, inſidiæque tantiſper parabantur, dum nocendi commoditas atque matura
opportunitas haberi poſſet; ea cùm contingeret nullo ſcelere, nulla iniuria abſtinebatur;
ita vt per occaſionem, neque iudicibus, neq. regibus etiam parceretur. Nam tametſi innu-
meræ regum & principum cædes, quæ apud Iſraëlitas factæ ſunt, Diuini iudicij ſententia
fuerint factæ, occaſionem tamen ex priuatis odiis habuêre. Hoc verò ſi quis illorum anna-
les euoluerit, facilè intelliget. Itaque populum omnem cum regibus & principibus ſuis
totam videlicet Rempublicam grauiſſimè ægrotare, & exitio proximam eſſe manifeſtum
erat: Quemadmodum furnarij noctu furnos incenſos occludere ſolent, quibus conceptus
ignis, tamdiu fouetur, donec manè furnarij manu excitatur; tunc verò ſcintillas, tunc flam-
mas euomit. Itaque eleganti tranſlatione morbum, febrem, & animorum furorem, atque
faciendæ iniuriæ appetitum depinxit; quem appetitum furnarij ſiue coquentis nomine
ſignificauit. Eandem omnino rem, eandem ſententiam apertiore oratione vates alius di-
Mich. 2. xit: Væ qui cogitatis iniquitatem & ad operandũ malum, in cubilibus veſtris, in luce ma-
tutina faciunt illud, quoniam valet manus eorum. *Cùm inſidiaretur eis.*] Verbum imperſo-
naliter accipimus: namque Hebraicè eſt, cùm inſidiantur ipſi; atque hoc modo clarior
ſententia eſt.

Omnes calefacti ſunt, quaſi clibanus, & deuorauerunt iudices ſuos, omnes reges eorum ceciderunt, non eſt qui clamet in eis ad me.

OMNI hominum ordini eundem impietatis & ſceleris ignem fuiſſe ſubiectum, ita vt
nulla ætas, nulla conditio eſſet, quæ non flagraret, apertè oſtendit: cùm populum omnem
clibano ſimilem dixerit, qui vbi flammas in ſe concepit, omnia incendit, & conſumpſit.
namque vbi populus religionis & honeſtatis modum fineſque tranſiuit, omnes alios ordi-
nes, vel vi, vel imitatione & obſequio, ad ſua demum ſtudia transfert; vt ignis cùm vires
ſumpſit, omnia incendere & conſumere ſolet, quæcunque aut corripit, aut extinguendi
etiam cauſa excipit. quæ res vel in Moſe obſeruari poteſt, quem impius & incredulus po-
pulus incredulitate ſua penè implicuerat; ſicut ſcriptum eſt: Et vexatus eſt Moſes propter
Pſal. 105. eos, quia exacerbauerunt ſpiritũ eius. Ergo cùm omnis populus impietatis ſtudio, vt cli-
banus, arderet; effectum eſt, vt iudices etiam & principes eaſdem flammas conciperent,
ſicut ſcriptum etiam eſt: Prophetæ prophetabant mendacium, & ſacerdotes applau-
Ierem. 5. debant manibus ſuis, & populus meus dilexit talia. Conſequens autem erat, vt qui iiſ-
dem ſceleribus implicati eſſent, periculis & pœnis communicarent, ſicut ſcriptũ eſt: Quid
igitur fiet in nouiſſimo eius? Omnes itaque eodem morbo laborabant, & multi ex illis ob
eam cauſam interibant: maximè verò hæc calamitas in principibus ipſis & regibus ſpecta-
batur, qui partim ſuorum dolo, partim hoſtium armis peribant. At verò cùm hic morbus
ad extremum exitium tendere videretur, in eiuſmodi morbi conſtitutione multum pre-
ces & vota laborantium valere ſolent, cùm iam à medicis deſperatur ſalus. Sed cùm iſto-
rum intereſſet ad me in tanta calamitate & ægritudine clamare, vt ille cùm ægrotaret ſa-
Pſalm. 4. nitatem exoptans atque ſperans clamabat: Domine Deus ſalutis meæ, in die clamaui &
nocte coram te, &c. tamen nemo iſtorum eſt qui clamet ad me. [*Deuorauerunt iudices ſuos.*]
Tranſlationis ſermonẽ eleganter obſeruauit: Hebraicè eſt, comederunt ſiue conſumpſe-
runt iudices ſuos: Namq. ignis comedere & conſumere dicitur: vt, Deus noſter ignis com-
edens eſt, & in igne zeli eius deuorabitur omnis terra. Et aſtrorum igni ætheriſq. flam-
ma conſumi, Cicero in Philoſophicis dixit. Vſq. adeò igitur morbo inſaniuit hic populus,
vt quamuis maximis periculis, & membrorum ſuorum afflictionibus & reſolutionibus
tamen nunquam ſentiat, neq. à medico, neque à Deo opem imploret. *Non eſt qui clamet ad me.*]
Dei oratio eſt, cuius perſonam interdum vates ſuſtinet, vt hactenus medici ſuſtinuerat.

Ephraim in populis ipſe commiſcebatur, Ephraim factus eſt ſubcinericius panis qui non reuerſatur.

MORBI cauſæ & initia explicantur, & quamobrem æger curari non poſſit, oſtendi-
tur: nam ex actionibus (vt diximus) morbum cognouimus: Cùm enim populum antea
ſanctum, ſobrium, caſtum, abſtinentem, & pium, epulis deinde, vino, ſomno, iocis, & volu-
ptatibus omnibus, item auaritiæ, latrociniis, inſidiis deditum viderimus, atque ideò à Deo
alienum, ſic vt illũ repudiarit, nouaque numina inſtituerit; manifeſtum eſt in grauiſſimum
morbum

morbum & inſaniam incidiſſe populum eum,qui huiuſmodi ſtudiis teneatur. Morbi ergo quærenda eſt cauſa,atque hæc in primis abſcindenda;deinde vitioſæ affectiones ipſæ,quæ iam hæſerunt, curandæ. Illud verò mirum admodum eſt, vnde tanta in Ephraim cõmutatio morum;vt ijs quibus ipſe maximè alienus erat,nunc ita vehementer deditus ſit.Inuenit tandem cauſam quam aperit manifeſtè;nimirum quòd commiſti ſunt inter gẽtes, quibus cùm omnis vita & conſuetudo vitioſa & flagitioſa ſit,fieri non potuit, vt qui aſſueuerint non contaminarentur. quam quidem ob rem horum familiaritate & conſuetudine interdictum illis eſſe lex voluit,qui ſelecti & ſeparati à reliquis nationibus propterea ſunt, vt ab earum ſtudiis abhorrentes officium ipſi & pietatem virtutemq́ue omnem inter ſe conſeruarent,& religionis veræ ſacrarium quoddam eſſent. Caue, inquit, ne cum habitatoribus terræ illius vnquam iungas amicitias,quæ ſint tibi in ruinam:Ego Dominus Deus veſter,qui ſeparaui vos à cæteris populis,vt eſſetis mei. Peruiderat namque Deus nihil hominum ingenio tam promptum eſſe,quàm à veteri & probata diſciplina per familiaritatem & conſuetudinem ad peregrinos mores vſumq́ue transferri. Atque huic rei non ſolùm diuino iudicio,ſed hominum etiam eorum qui ſapientiam profeſſi ſunt, cautum atq. prouiſum eſt; nam & Lacedæmoniorum præceptis & inſtitutis, neque ciues peregrinari, neque hoſpites vltra tres dies in ciuitate manere permittebantur: maximam namque labem rebus integris hæc res infert. Hæc itaque malorum cauſa fuit, quòd *Ephraim in populis ipſe commiſcebatur.*] Ephraim pro Iſraële dixit;namque ex filiis Ioſeph, alter hic fuit aui adoptione maior,& iure potior,quem Iſraëlis,hoc eſt ſuo nomine honorificè appellandum fore auus ipſe prædixerat: Inuocetur, inquit, ſuper illos nomen meum, & in te benedicetur Iſraël,& dicetur, faciat tibi Dominus ſicut Ephraim. Vtitur autem exornatione,quam antitheton vocant. Ephraim quem ſanctiorem,atque à cæteris populis longius ſeparatum eſſe oportuit,ipſe tamen cum populis cõmiſcebatur,ipſe ſibi turpitudinis ac ſceleris contagionem molitus eſt: *Aſpice quid faciant commercia,* inquit ille. Cùm autẽ morbi cauſam abſcindi primum, atque contrariis remediis affectionem curari ipſam oportuerit; cauſa autem his mali fuerit, à Deo ſuo ad populos Deo inuiſos deſciuiſſe; hi tamen neque cauſa auelli, neque remediis vti idoneis volunt,ſed adhuc populorum amicitias, & ſtudia quærunt,ac mala ſua iiſdem quibus orta ſunt, contagiis augent. *Ephraim factus eſt ſubcinericius panis qui non reuerſatur.*] Antiquorum medicorum artis more ſimilitudinibus rem explicat; quoniam ea ratio ad docendum aptior,atque ad memoriam eſt accommodatior. Oſtendit autẽ quo in ſtatu Iſraëlitarum res ſint. Etenim cùm ex gentium conſuetudine, & ſocietate, ea, in quibus erat,mala,eaſq́ue moleſtias contraxiſſet,neque etiam in duris rebus ab illa conſuetudine recedere vellet, ægritudine indies acriore facta, ad exitium citato curſu ferebatur, atque in morbo conſeneſcens ſalutis aditum præcludebat; ſentiebat ille quidem malum, pericula experiebatur,inſidias & bella quotidie patiebatur, & timebat, morbo tandem & malis omnibus vrgeri ſe videbat,& tamen remedia non vbi inueniri poſſent, ſed ab ipſis gentibus,vnde origo malorum fuerat,quærebat,atque hoc modo calamitas tantùm augebatur;nulla verò ſalutis ſpes erat;nihil enim aliud inuocatum gentium ſubſidium illis præſtabat,niſi vt eorum abſumptis opibus ruinam maturaret:namque gentium ſocietatem & auxilium non ſine maximo facultatum ſuarum detrimento habere poterant. Atque hæc res eleganti ſimilitudine à Deo per vatem oſtenditur. Vt enim libum ſuper carbones coniectum,ſi non verſetur,ea parte qua ignẽ accipit,exuritur,& perit; ſuperiori verò parte qua humorem conſeruat,non probè coquitur. eius verò libi hoc modo vſti atq. exiccati, eam partem,qua vtile quicquam ſupereſt,comedi,cætera reiici ſolent: Sic Iſraëlitarum res habebant,qui malis & doloribus exuſti,cùm in propoſito perſeuerarent,gentes ſibi aduocabant vicinas,à quibus malũ quidem,& ſuarum,quæ ſupererant,fortunarũ damnum & iacturam,nullũ verò aliud auxilium experiebantur; ſed vt placenta ſiccior & aridior reddita eſt,ſic iſtis malum inueteraſcere,& curatu difficillimũ indies reddi, intelligi oportuit; ipſi tamen verum malorum remediũ non quærebant: vnicum autem & certiſſimũ remedium illud erat, vt Deum, qui vitæ & ſalutis origo ac fons eſt,cognoſcerent,& appellarent.

Galen. in methodo. li. 7 & lib. de conſtitutione artis medicæ.

Exod. 34. Leuit. 20.

Vide Laertiũ & Liuium.

Gen. 48.

Iuuen. ſat. 3.

Comederunt alieni, (quorum fidem implorabant,) *robur eius, ipſe neſciuit: ſed & cani effuſi ſunt in eo, & ipſe ignorauit.*

ITA vt morbo ad multam ætatem atque ad ſenectam vſque (quæ morti viciniſſima eſt) producto, & vnà cum valetudinis detrimento, naturalium etiam virium defectu laboret: *& tamen ipſe ignorauit.*] In ſumma ignorantia non morbi malorumq́ue ſuorum, ſed veri & certi ſuæ ſalutis auctoris Dei adhuc illum verſari dicit, vt apud Iſaiam: Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui, Iſraël non cognouit, populus meus non

Iſa. 1.

non intellexit. Repetitio nominis *Ephraim Ephraim* affectum habet, & commiſerationem ex præteritarum rerum recordatione, & præſentium comparatione mouet: vt;

Horat. lib. 3. Od. 3. *Ilion, Ilion, Fatalis, inceſtusq; iudex, &c.*

Et reſpondebit ſuperbia Iſraël in faciem eius: nec reuerſi ſunt ad Dominum ſuum, & non quæſierunt eum in omnibus his.

OSTENDERAT quo in loco res Iſraëlitarum eſſent, & qualis morbi eorum eſſet conſtitutio, nunc deinceps oſtendit, quanam illi mente ſint; nimirum inſaniſſimo capite, & ſtultiſſimo corde, qui tot malis preſſi, tamen gloriam Deo non dabant, nec ſe culpæ reos confitebantur, nec morbi cauſas eas, quæ relatæ ſunt, eſſe concedebant, ſed opportuna conſulentem ac facientem medicum ſuperbè inſolenterque vrgebant, atq. inſolentiam ſuam vultu etiam ipſo ſuperciliiſque palam proferebant; & perinde ac ſi nihil à Deo aut paterentur, aut ſperarent, ita nulla Dei cura, nullo timore tacti auxilium ſibi vnde ſolùm veni-

Pſal. 120. re poterat, non quærebant, ſicut ſcriptum eſt: Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram; neque pœnitentiæ ſtudiis, ad eum à quo deſciuerant, reuertebantur, ſed adhuc ad hominum opem, qui ſanare non valerent, imò qui perdere magis, & nocere ſolummodo poterant, confugiebant: nam præter alios morbos, à mentis etiam ſanitate alieniſſimi fuerant, adeò vt celeriter in ſuum malum, in ſuamque perniciem aduolarent. ac perinde atque columbis accidit, vt paleis in agro proiectis, eſcas ſubeſſe putantes, aucupis inſidias non antè præuideant, quàm incidant; ita iſtis euenit, quibus in afflictis rebus auxilium à gentibus petitur, à quibus nullum ſubſidium, ſed certiſſimum illis periculum ſit, ſicut

Exod. prædictum illis in lege fuerat: Non inibis cum eis fœdus, neque cum diis eorum; non habitent in terra tua, ne fortè peccare te faciant in me, & ſeruias diis eorum; quod tibi certè erit in captionem. Hoc non ſemel Iſraëlitis prædictum fuerat: & tamen

Factus eſt Ephraim, quaſi columba ſeducta non habens cor.

CÆTERA auium genera tametſi retibus & pedicis, aliiſque capiantur dolis, tamen

Prouer. 1. præuiſas inſidias fugiunt, & rete formidant; quamobrem cura aucupibus eſt, ne præſentibus auibus retia extendantur, ſicut ſcriptum eſt: Quia fruſtra tenditur rete ante oculos pennatorum, fugiunt enim reti præuiſo, & ſeſe vocibus mutuis à periculo deterrent. Columba verò vt volatu velociſſima, ſic corde & cogitatione tardiſſima eſt, adeò vt venientem ad ſe aucupem minus caueat, & retia tendentem minimè ſentiat, cumque aliquando in arboribus conſidens, tamdiu expectet & maneat, quoad in ambiens rete exagitata decidat; ex quo fit, vt non tam aucupis arte, quàm ſua ſtultitia videatur eſſe ſeducta. Sic etiam Iſraël toties præmonitus, vt à gentium etiam finitimarum commercio & conſuetudine caueret, dolos & inſidias, retia atque ſcandala ſibi apud eos certa eſſe; tamen non ſolùm finitimas, ſed remotiores etiam gentes vltrò ipſe longè petit volatu, atque vtilitatem ſibi eos allaturos ſperat, apud quos incõmodis multis ſemper eſt affectus. Alia etiam ſtultitiæ nota in columbis viſitur, quæ cùm pullos ſuos à turrium dominis raptos deſiderare identidem cogantur, tamen eaſdem turres perpetuò habitant, iiſdemque nidis fœtus ſubinde rapiendos fouẽt: id quod cæteris auium generibus ſemel iterumque orbatis inpoſterum cauetur. Non ſecus verò Ephraitæ habebant quibus aliarum gentium conſuetudo quanquam perpetuò detrimenta incommodaque attuliſſet, ſubinde tamen repetebatur, ſic videlicet:

Ægyptum inuocabant, & ad Aſſyrios abierunt, & cùm profecti fuerint, expandam ſuper eos rete meum, & quaſi volucres cæli detraham eos.

NAM Ægyptij antiqui ipſorum hoſtes erant, Aſſyriorum verò potentia ſuſpecta illis eſſe debuit. Eos autem ego (inquit Deus) periculi auctores eis reddã, quos ipſi ſibi ſalutem opemque laturos ſperabant. itaque iis gentibus, quibus ipſi pro auxilio, ego aduerſus illos pro retibus vtar, & vt aues liberè per aërem vagantes aucupis arte decidunt, ſic iſti de dignitatis ſuæ gradu me caſtigatore Aſſyriorum opera deiicientur, & capti abducentur, ſicut ſcriptum eſt: Si ponendo poſueris in animo tuo vt reuertaris in Ægyptum, erit vt gladius quem timueritis, ibi apprehendat vos. & alio in loco: Væ qui deſcendunt in Ægypũ ad au-

Eſai 31. xilium, in equis ſperantes & habentes fiduciã in quadrigis, quia multæ ſunt; & ſuper equitibus, quia præualidi nimis, & non ſunt confiſi ſuper ſanctum Iſraël, & Dominum non requiſiuerunt: Ipſe autem ſapiens [auceps & venator] adduxit malum, & verba ſua non abſtulit, & conſurget contra domum impiorum, & contra auxilium operantium iniquitatem. *Columba*] Auium omniũ ſimpliciſſima columba eſſe dicitur; in qua tamẽ omnis prudentiæ ratio deſideratur; quamobrem huius ſimplicitatem cum ſerpentis prudentia coniunctam

iunctam in ſuis diſcipulis Chriſtus vult. *Non habens cor.*] Cor pro ſapientia vſurpatur in ſacris, eò quòd ſapientiæ ſedes iuxta diuinam philoſophiam in corde præcipuè ſit, vt ſcriptum eſt: In labiis ſapientis inuenitur ſapientia, & virga in dorſo eius qui indiget corde. Neque verò hæc ratio Academicos Philoſophos latuit, qui nõ, vt quidam Peripatetici, in cerebro, ſed in corde ſapientiam locarunt. Cordatos etiam homines Latini hanc ob cauſam dicebant; & cor habere idem quod ſapere apud eos ſignificabat: vt, *Solus in cunctis animabus hircus habet cor.* Columbam autem præter cæterarum auium naturam felle carere experimento videmus; ex quo fit vt illa ſimpliciſſima etiam aliarum omnium ſit. Iſraëlitæ corde & ſapientia defecti, ſaluti ſuæ malè conſulebant, nam cõmuni ſententia & ſtudio, Deo qui opem ſolus ferre poterat, neglecto, auxilium ab eis eſt petitum, à quibus pernicies timenda fuit: & quia omnis populi vox & ſententia fuerat, vt ad Aſſyrios atque Ægyptios ſubſidij cauſa iretur, eam rem illis contra ceſſuram Deus prædicit:

Matt. 10. Videtur conſonum peripateticæ diſciplinæ. Prouerb. 10. quòd cor omnium cogitationum ſoos ſtatuat. Ariſtoteles. Galen. & Hippocrat. in cerebro ſtatuunt. Galen. de locis affect. & de formatione fœtus lib. 9. Martialis.

Cadam, inquit, *eos ſecundum auditionem cœtus eorum.*

AVDITVS eſt enim eorum cœtus decernere publicis impenſis ad gentes eundum eſſe: vt ergo auditi ſunt ſic cædentur: Ipſi quidem cogitant & ſtatuunt Aſſyrios & Ægyptios petere, vt calamitatem fugiant; ego verò per eoſdem ipſos calamitatem illis afferam, ita vt quod voluêre, quod petiêre, id habeant. cupiêre Ægyptios, habebunt, ſed quales antè experti fuerant: Aſſyriorum etiam potentiam atque vim perferent. Huius rei cauſa illud non ſine affectu & amplificatione profert:

Væ eis quoniam receſſerunt à me, vaſtabuntur quoniam præuaricati ſunt in me, & ego redemi eos, & ipſi locuti ſunt contra me mendacium.

INTERNECIONEM eis atque exitium prædicit, eò quòd ſalutaria aſpernati ægritudini ſeſe vltrò ipſi dediderint: Etenim cùm vna tantum certa illis eſſet ad ſalutem via, hoc eſt, vt Deum, qui ſolus ſanare & poſſet & vellet, ſupplici voto & pœnitentia atque continentia ad ſe reuocarent; tamen ab hac ratione ſe iſti quàm longiſſimè abalienauerunt, & ſuum interitum ipſi ſibi attulerunt, ſicut ſcriptum eſt: Perditio tua ex te Iſraël, ſalus autem ex me. Quamobrem & alio in loco ab eodem Deo ob hanc ipſam rem incuſantur: Audite cæli & dirumpimini: Duo enim mala fecit populus meus, & me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas pertuſas, quæ continere non valent aquas. Commoratur igitur in firmiſſimo argumento, oſtendens eos non tam morbi natura, quàm propria culpa, ſtultitia, & vitio fore inſanabiles; atque hoc totius orationis firmamentum, propoſitio, & commemoratio eſt, quam præcipuè à capitis huius initio tractat. [*Vaſtabuntur quoniam præuaricati ſunt in me.*] Hebraicè verbum eſt Paſſagh, quod eſt alicuius auctoritati & nomini detrahere, cui plurimum tribui debeatur; vt, Filios enutriui & exaltaui, & ipſi præuaricati ſunt in me. & Iſraëlitæ præuaricati ſunt in domum Dauid. ſic etiam in Deum præuaricati ſunt, quem nec plagarum nec ſalutis auctorem confeſſi ſunt, nec gloriam illi dederunt, qui dixit: ego occidam, ego viuere faciam, percutiam & ego ſanabo, & non eſt qui de manu mea poſſit eruere: Et cum nullus alius ſit à quo ſalutem ſibi ſperare aut potuiſſent, aut debuiſſent; tamen negauerunt me & mendacia locuti ſunt in me, prouidentiam & humanarum rerum curã mihi detrahentes: Nunquid, inquiunt, ſcit Deus & ſi eſt ſcientia in excelſo? [*Et ego redemi eos, & ipſi locuti ſunt contra me mendacia.*] In præterito, ſic locus eſt explicandus, Cùm nullum alium ſeruatorem in afflictis & deſperatis rebus ſuis præter me fuerint vnquam experti, tamen peruerſè de me & ſentiunt & loquuntur. Sin verò futurum tempus, vt in Hebraico exemplari eſt, exponamus; ſeſe paratum ad ſanandum ſignificat Deus, ſed eos ipſos ſibi ſuiſque cõmodis officere: *Et ego redimam eos:* Hoc eſt, & poſſum & cupio ex iis malis eos liberare, tamen repudior ab eis. Hæc huius orationis ſententia eſt, quam facilè agnoſcet quiſquis Hebraici futuri vim perſpectam habeat.

Hoc in Iohe 13. Ierem. 2. Iſai. 1. 1. Reg. 12. Deut. 33. Pſalm. 72.

Et non clamauerunt ad me in corde ſuo, ſed vlulabant in cubilibus ſuis: ſuper triticum & vinum ruminabant, receſſerunt à me.

ILLORVM inſaniam adhuc exagitat, oſtendens quàm auerſi à ſanitate ſint, quibus cùm morbus vehementer ingraueſcat, adeò, vt præ miſeria & dolore gemere & vlulare cogantur; tamen Dei ſeruatoris auxilium ipſi non implorent, & medicinã nullam admittant, ſed tantum ciborum & voluptatum deſiderio teneantur, quibus frui per morbũ non liceat: Namque ægrotis inſipientibus vehementius ciborum & potuum, quàm ſalutis deſiderium eſt: neque tam graue eſt quòd ſanitate, quàm quòd cibi appetentia, & guſtus ſuauitate deſtituantur: Morbus enim vitioſa offenſione & faſtidio cibos ab ægrotantibus alienat. Hi verò obſtinatis ægris ſimiles, qui medicamenti nulla, cibi verò magna cura tangantur; nam

tur;nam cùm oportuerit me, qui origo & fons ſalutis ſum,ab iis animo totaque mente in-
uocari,tamen noctu de rebus ſuis,de annonæ penuria,de vini & frumenti defectu potius,
quàm de me cum animo ſuo cogitant. [*Non reclamauerunt ad me in corde ſuo.*] Hoc eſt nun-
quam eis in mentem venit vt ad me clamarent, [*ſed vlulabant in cubilibus ſuis:*] Tranſlatio à
grauiſſimo morbo ſumpta eſt, quo qui correpti ſunt, & in lecto cubare & vlulare ſolent.
Eſt autem clamare implorantis auxilium; vlulare verò muliebriter tantum dolentis atque
gementis, qui quid ſentiat queritur & gemit; qua ratione miſeriam expuat non cogitat.
Iſraëlitæ temporum & rerum calamitatem deplorabant, atque in cubilibus ſuis, quæ co-
gitationum officinæ ſunt, illud tantum curabant, quibus rationibus famem frumenti atq.
muſti inopiam cauerent, neque me iſtorum damnorum ſua ipſorum culpa auctorem
agnoſcebant,neque qui ſolus mederi,& reſarcire poſſem inuocabant, ſed *receſſerunt à me*, fon-
te vitæ, & ſalutis, bonorumque omnium parente.

Et ego erudiui eos, & confortans brachia eorum, & in me cogitauerunt malitiam.

Optimi & ſolertiſſimi medici diligentiam,ſtudium & curam,rurſus oſtendit; ſtultiſ-
ſimi verò ægroti negligentiam & culpam arguit:nam cum medicus qui ſeſe præſtet oppor-
tuna facientem,& morbum arte curare inſtituat,ſanitatem ægroto promiſerit, tamen ne-
glectus fuerit & repudiatus,non iniuria,ſed ſua maxima culpa, & meritò ægrotus perire
dicendus eſt. Exponit & comprobat officium ſuum Deus, cùm non ſolùm ipſe ſe præſtò
fuiſſe,vt opem ferret Iſraëli ægrotanti,oſtendat, ſed etiam omnia meliora fuiſſe pollici-
Hippocrat. tum,& prædixiſſe vt ille ſanitatis ſpe concepta mente conſtaret, & ad omnia quàm rectiſ-
ſimè ſeſe haberet:quæ res plurimum in curandis ægritudinibus valet. Itaque omni ſtudio
ſanitati Iſraëlis conſultum à ſe fuiſſe demonſtrat, cui non ſolum ſalutem afferre volebar,
Ezech. 18. ſed vltrò etiam promittens animum addere parabat, vt ſcriptũ eſt: Conuertimini ad me,&
" quare moriemini domus Iſraël? per memetipſum iuraui, dicit Dominus, nolo mortẽ pec-
" catoris,ſed magis vt conuertatur à via ſua mala,& viuat. Ego,inquit,ipſe admonui eos ma-
li & reparationis ſuæ:Ego confortaui brachia eorum ne deſponderent animum. Eſt enim
Iſai. 35. hic habitus conſolantis,& meliora omnia promittentis:vt illud, Confortate manus diſſo-
lutas,& genua debilia roborate:dicite,puſillanimes confortamini,& nolite timere: Et ta-
men ipſi ſalutem à me promiſſam ita interpretabantur, vt crederent futuram, ſed eam ab
hominibus tamen potius,quàm ab ipſo Deo & ſperarent & peterent. Huius rei cauſſa &
cogitauerunt malitiam: ita vt promiſſione & exhortatione mea abuterentur, & cùm ſanitatem
cuperent, non legitimè eam quærerent.

Reuerſi ſunt vt eſſent abſque iugo, facti ſunt ſicut arcus doloſus.

Medicus hac lege ſanitatem promittit,ſi parêre medicinæ legibus ægrotus velit, ſi
abſtineat, ſi ſuſtineat, ſi demum ſeſe curantis conſilio,& fidei poteſtatique permittat. At
verò ægroti quidam adeò proterui eſſe deprehenduntur, vt medici promiſſiones admit-
tant quidem, leges verò & conſilia repudient, & ad alias remedij inueniendi rationes, ab
iis quæ veriſſimæ & certiſſimæ ſunt ſeſe traducant. Iſraëli pœnitentia denuntiata promiſſa
curatio eſt, ille ſalutem quidem ſperare, ſed quoniam ille iugum pœnitentiæ imponi ſibi
recuſabat, ab hominibus potius, quàm Deo ſalutem accipere cogitauit, atque ita factus
eſt, *ſicut arcus doloſus*;qui cùm non æquabili arte, neque materia apta confectus ſit, ſagittas a-
liò,quàm quò à ſagittario dirigitur, mittit: Oportuerat enim eos peccatum ſuũ agnoſcen-
tes anteactæ vitæ pœnituiſſe, & Deum quem confiterentur vitæ auctorem omni ſtudio
colere,& propitium ſibi omni pietate atq. votis omnibus reddere. Illi verò cùm periculo
3.Reg.8. per Heliam vatem veri Dei facto cæterorum Deorum vanitatem cõmuni ſententia dam-
naſſent,& Adonai veritatem frequentiſſimo theatro incredibili clamore & plauſu com-
probaſſent,tamen nec deinceps ſicut Deum adorauerunt, ſed falſa numina nihilominus
colentes ad homines potius, quàm ad Deum auxilij cauſſa confugerunt: *Facti enim ſunt
ſicut arcus prauus.*] Quam quidem ob rem oſtenſa illis ſalutis ſpes præcidetur,vt ab iis homi-
nibus à qnibus auxilium petierint,exitium atque ignominiam patiantur.

Cadent in gladio principes eius à furore linguæ ſuæ.

Omnia illis ſecus,quàm ſperata fuerint,ceſſura prædicit;ex ea enim ægritudine Rem-
publicam illorum leuandam nõ eſſe,ſed principum exitio, populi etiam calamitatem eſſe
coniungendam: Namque principes gladio perituros ait;vt planè in Regum libris periiſſe
eos legimus.Huius autem rei cauſa fuit, quòd eorum linguã qua Deo detrahere auſi ſunt,
auxilium aliunde procurantes,deteſtatus fuerit Deus:quem verò ipſe deteſtatur,is vt cor-
Prou.21. ruat neceſſe eſt,ſicut ſcriptum eſt: Et quem deteſtatur Dominus corruet ibi. *Furorem* autem
diuinam

diuinam indignationem & deteſtationem hoc in loco definimus: Eſt enim Hebraicè verbum Zagham quod deteſtari & execrari ſignificat: quo verbo vſus eſt Balaam, De Aram adduxit me Balac Rex Moabitarum de montibus orientis: Veni, inquit, & maledic Iacob, & deteſtare Iſraël. Quanam (excipit) ratione deteſter quem Deus non eſt deteſtatus? Huiuſmodi autem deteſtatio linguam detrahentem merito inſequitur, vt ſcriptum eſt: Ventus Aquilo diſſipabit pluuias, & facies deteſtans linguam detrahentem. Ita demum eueniet, vt horum principes detrahentis linguæ vltricem deteſtationem diuinamq. indignationem experti, non ſolùm calamitatibus, ſed probris omnibus & maledictis apud Ægyptios vexentur. Nam cùm Dei beneficio Ægyptiacā olim ſeruitutē repellentes Ægyptum remeare fuiſſent prohibiti; redeuntes tamen hoc effecēre, vt Ægyptiacum auxilium diuinæ anteponerent virtuti, & ſeſe ludibrio Ægyptiorum exponerent, qui calamitatem illis exprobrabant præſentem, à qua non tam diuina, quàm ſua ope defendi poſſe arbitrabantur, atque adeò ad miſerrimas res huiuſmodi irriſio, tanquam cumulus miſeriarum, accedit, quam Sarcaſmon Rhetores vocant, quo miſeris & calamitoſis hominibus inſultatur; quale illud eſt: Alios ſaluos fecit, ſe ipſum ſaluum facere non poteſt, &c. Hanc itaque rem ſubiuncta oratione ſignificat:

Margin: זעם Num. 23. " Prou. 24. Marc. 15.

Iſta ſubſannatio eorum in terra Ægypti.

TERRA enim Ægypti non ad ſuam vtilitatem, ſed ad ſeruitutem, & calamitatem, qualia olim perpeſſi ſunt, ad irriſionem denique ſui paratā intelligere oportuit, ſicut ſcriptum eſt: Onus Iumentorum Auſtri in terra tribulationis & anguſtiæ, leæna & leo ex eis vipera & regulus volans portantes ſuper humeros iumentorum diuitias ſuas, & ſuper gibbum camelorum theſauros ſuos ad populum qui eis prodeſſe non poterit. Non fuerunt in auxilium & in aliquam vtilitatem, ſed in confuſionem & in opprobrium.

Margin: Iſai. 30. " "

CAPVT OCTAVVM.

IN GVTTVRE tuo ſit tuba, quaſi aquila ſuper domum Domini, pro eo quòd tranſgreßi ſunt fœdus meum, & legem meam præuaricati ſunt.

EX INNVMERIS ferè diuinorum ſcriptorum teſtimoniis atq. exemplis accepimus, nihil ab humanarum cauſſarū iudice Deo fieri, cuius non rectiſſima atq. iuſtiſſima ratio reddi poſſit, & quæ iis ipſis in quos iudiciū exercetur, debeat probari: cuiuſmodi rationes non rarò ab eodē Deo allatę efficiunt, vt qui natura ſimpliciſſimus atq. immutabilis ſit, idē ſemper æquiſſimus iudex eſſe demonſtretur, ſicut ſcriptū eſt: Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum: Mandaſti iuſtitiā teſtimonia tua & veritatem tuam nimis. Huius maximæ veritatis exemplum à vate nobis hoc in capite ponitur; ita vt planè nullus locus iis relinquatur, qui ad diuinam potius voluntatem, quàm ad veritatem & rationem quæſtiones de damnatione hominum reuocant, cùm nunquam Dei voluntas ab æquitatis ratione in iudicio deflectere ſoleat. Nam tametſi in ſcelerum pœnis repetendis, non eadem cum omnibus hominibus formula agatur; quidam enim leuiores, quidam grauiores, alij ſeriùs, alij verò maturiùs pœnas ſubeunt; huiuſmodi tamen iudiciorum diſſimilitudo, varietates etiā iuris atq. æquitatis ipſi Deo perſpectas habet. Cùm igitur hactenus Iſraëlitarum & Iudæorum tractata cauſſa, & ſententia lata fuerit, iamq. pœnæ repetendæ tēpus inſtat (cuius ratio, modus atq. ſeries diuerſa in Ephraitis atq. in Iudæis futura eſt) & appropinquantis pœnæ periculum per Vatē denuntiari, & totius rei, vt gerenda eſt, rationē reddi curat, Deus. Eſt autē totius rei argumentū hoc: Deus per Aſſyriorū reges ab Iſraëlitis & Iudæis pœnas paulò poſt huius Vatis tēpora repetiuit; ſed ita actū eſt, vt Iſraëlitarum res ab hoſte labefactatæ perirent; Iudæorū verò ita afflictæ eſſent, vt penè deficerent: in cauſſa autē fuit quòd Iudæorum neq. tam nefaria, neq. tam antiqua ſcelera fuerint, neq. tanta in errore futura eſſet, quanta Iſraëlitarū contumacia. Hanc autē rationem publico præconio omnibus hominibus notā, manifeſtam, teſtatamq. eſſe voluit Deus; quamobrem contentiſſima voce Vatem proclamare, & totius negotij ſeriē atq. cauſſam exponere iubet: *In gutture tuo ſit tuba.*] Quoniam eiuſmodi res eſt, quam nulli hominum ignoratam aut incertam eſſe oportuerit; cùm homines iudicia, decretaſq. in eos pœnas, non tam ſuæ ipſorum culpæ, quàm meæ voluntati aſſcribere, atq. adeò hanc totam rem ad prædeſtinationis (quā ipſi non ſatis ſapienter intelligunt) rationes referre ſoleant; proptereà nō modò humana voce, ſed tubæ ſono tibi contendendū eſt, vt mandatū hoc meum quàm fieri poſſit manifeſtiſſimè exponas. Igitur guttute tuo pro tuba vtere, & dicito: *Quaſi aquila ſuper domum Domini.*] Conficiendæ rei celeritatem hac ſimilitudine & dicendi tropo indicat.

Margin: Pſalm. 118.

Proiecit Iſraël bonum, inimicus perſequetur eum.

SICVT & alio in loco ſcriptum eſt: Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis, dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſraël, abalienati ſunt retrorſum. Cùm ergo ſeſe à bono, hoc eſt à Deo ſuo, ab eiuſque conſilio alienauerint, pronum fuit, vt in ſummam miſeriam deciderent, ſicut ſcriptum eſt: Et dilexit maledictionem & veniet ei; & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Ne verò Iſraël culpam in reges ſuos deriuaret, quorũ legibus ille inuitus paruiſſet: quòd Iudæis Ezechias optimus Rex præeſſet, Iſraëlitis verò Hoſſeas filius Ela impius, & non pientiores alij antè præfuiſſent, hanc defenſionem ſic infringit Deus, vt vel huius etiam rei, quòd impiis regibus vſi ſint, culpam populus ipſe ſuſtineat. Iam enim hoc primum animaduertendum in eis eſt ſcelus, quod ipſi ſibi ex ambitioſa feſtinatione, & populari tumultu ac ciuili diſcordia non autem ex diuino conſilio reges creauerunt: Nam tametſi Ieroboamo per Ahiam Silonitem pallij diſciſſi imagine futura in Iſraëlitis diſſenſio, & regni diuiſio prædicta fuerit; non tamen id populus in creando rege peruidebat, aut curabat, vt ea ratione diuinum ſequeretur conſilium; non enim Deus illi conſultus fuit, ſed temeritate potius quàm pietate res acta eſt: Neque verò promiſſio certa & perpetua obtinendi principatus Ieroboamo fuerat, ſed ea dumtaxat lege: Si audieris, inquit, Deus omnia quæ præcepero tibi, & ambulaueris in viis meis, & feceris quod rectum eſt coram me, &c. Itaque nec regni ſtabilitas Ieroboamo promiſſa ſimpliciter, nec de eo perficiendo Iſraëlitæ ex diuina promiſſione cogitabant, nunquam enim vt oraculum conſulerent, curauerunt: quòd ſi maximè Ieroboamus ex Dei ſententia principatum obtinuit, ea tamen nunquam ab iis eſt ſciſcitata; quiſnam præter vnum Iehu filium Namſi ex diuina ſententia, ac non potius propria libidine rex eſt conſtitutus? Nulla itaque ratione illi crimen in reges tranſlatum, à ſe depellere poſſunt. huius rei cauſa dicit Deus:

Eſa. 1. " " | Pſal. 108. " | 1. Reg. 11. "

Ipſi regnauerunt, & non ex me; principes extiterunt, & non cognoui. "

HEBRAICE eſt, *ipſi regnare fecerunt, principes inſtituerunt, quos ego non cognoui*; hoc eſt, *non probaui.* Sed quid opus eſt regum impietatem obiicere, quando impiis legibus non ſolùm populus intercedere, ſed obſiſtere etiam publicè & potuerit & debuerit? Neque enim regis imperio ita parêre populum oportet, vt æquitati diuinarum legum, atque religionis auctoritati detrahatur: quemadmodum illi decreto, quod de Ionatha deuouendo factum à rege fuerat, quanquam regiis iuriſiurandi ſacramentis firmato, ſapienter à populo eſt interceſſum. Ergo cùm Ieroboamo impietatem ſuadenti, atque etiam imperanti intercedere & reſiſtere debuiſſent, & regibus etiam aliis, à quibus ad huiuſmodi nefaria ſcelera impellebantur, ſi tamen impelli ad eas res populus poteſt: tantum abfuit vt id populus faceret, vt vltrò etiam ipſe proprio ſtudio, & ſumptu impietatem auxerit & propagauerit: Neq. enim ſatis viſum fuit vitulos à Ieroboamo poſitos colere, niſi populus ipſe tributim ad ſuam voluptatem & libidinem plures nouos deos de ſuis ſumptibus ſibi conſecraret. Itaque neque coacti, neque inuiti, ſed ſponte ac libenter grandem pecuniam ad ſtatuas publicè contulerunt.

Aurum ſuum, & argentum ſuum fecerunt ſibi idola, vt interirent.

NVLLA re magis populi voluntas erga ſuperſtitioſum ſimulachrorum cultum argui potuit, quàm quòd aurum ſuum & argentũ ſuum alioqui auarus ad eam rem contulerit. Etenim quod argento comparatur, charum atque expetitum ei qui comparat eſſe oportet. Hoc etiam argumento eos qui in ſolitudine erant inflãmato ad idololatriã ſtudio raptos fuiſſe ab Aarone apud Moſen probatum eſt. Ne indignetur, inquit, dominus meus, tu enim noſti populum hunc, quòd pronus ſit ad malum: Dixerunt mihi, Fac nobis Deos qui nos præcedant, &c. Quibus ego dixi: Quis veſtrum habet aurum? Tulerunt & dederunt mihi, & proieci illud in ignem, egreſſuſque eſt hic vitulus. Nullam ergo Iſraëlitæ nefarij ſceleris ſui excuſationem habent, qui nõn ſolùm impietatem admiſerunt, ſed auro etiam atque argento non regio, ſed ſuo vltrò emerunt. Maximum autem auri atque argenti pondus in eam vaniſſimam rem illis fuiſſe impenſum ſubiuncto teſtimonio oſtendit. *Vt interirent.*] Verbum ad aurum & argentum refertur: tantam, inquit, auri atque argenti vim ad ſtatuas contulerunt, vt multum ſuis fortunis detraxerint, quod certè ſummè rem ſibi deſideratam, ſummeque gratam arguit. Quoniam autem vitulorum ſimulachra non diuinitatis alicuius, ſed impietatis populi certum ſignum fuerat, cuius cultu nullũ auxilium, ſed maximum potius exitium ſibi procurauerant: huius rei cauſſa dicit illos ſibi damnum & malum proprio ſumptu & labore quæſiiſſe, qui vitulum conflauerint, à quo profligati fuerint; cumque diu in eo ſcelere perſeuerauerint, maturam ipſi ſibi atque etiam diuturnam calamitatem importauerunt: atque ob hanc rem dicit:

Exod. 32. " "

Proiectus eſt vitulus tuus Samaria, iratus eſt furor meus in eis, vſquequo non poterunt emundari?

HEBRAICE eſt, *Proiecit vitulus tuus Samaria*, ſignificatq́. Iſraëlē cuius regia Samaria fuit, cornu petitum & proiectum eſſe ab eo vitulo, quem ipſe ſibi aluerat, tranſlatione ad rem accommodata pulcherrimè vſus: Nam ipſi ſibi exitium & pepererunt & aluerunt, quamobrem iratum ſe illis Deus oſtendit. Significat autem abductionem & captiuitatem Iſraëlitarum, qui propria idolomaniæ culpa à ſuis ſedibus eiecti ſunt, perinde ac ſi cornibus vituli, quem ipſi enutrierant, expulſi & exturbati fuerint. Quoniam autem hæc maxima in illis culpa fuerat diuturna, à qua nulla ſeſe defendere excuſatione potuerant, propterea infert: *Vſquequo non poterunt emundari?*] Hoc eſt, tanta illorum culpa tam turpis cauſſa eſt, vt quæri meritò poſſit, non ſolùm quomodo ſeſe excuſare poterunt; ſed etiam quando ſcelus expiare tandem valeant? nam in quo nullus culpæ modus fuerit, in eo nullum pœnæ & expiationis modum ſtatui æquum eſt. Quoniam vituli mentio facta eſt, quem à Ieroboamo in Samaria conflatum legimus, cuius ſceleris crimen regi fortaſſe ſuo referre populus contenderet, vt qui aliorum crimina ſuſtineret, hanc ſaltem partem depelleret, oſtendit Deus hanc etiam culpæ notam ita populo eſſe inuſtam, vt abluere ipſi non poſſint: Namq. alios Deos, quos colendos ſuſceperant, à finitimis gentibus conſuetudinis commercio auectos fuiſſe dici poſſet, ita vt gentium auctoritate, conſuetudine, atque impulſu, Iſraël peccaſſe videatur: Vitulorum verò cultum in Iſraël natum atque auctum fuiſſe, quem à nullis finitimarum gentium acceperint, ſed tanquā propria ſuæ gentis numina ipſi proprio conſilio atque auctoritate conſecrauerint: ſicut in decreto edictum fuit; Hi ſunt dij tui Iſraël. Dij tui, inquit: atque ea res à Ieroboamo neque occultè facta, neque aliunde aſportata eſt, ſed in Iſraël in media Samaria publicè vitulus eſt conflatus, atq. adeò ab artifice Iſraëlita, ita vt figuram, conſecrationem, & omnem ſuæ diuinitatis opinionem ſolis debeat Iſraëlitis: neque alio nomine quàm Iſraëlis, aut Samariæ vitulus appelletur, namque in Samaria natus atque ex ea vrbe in Dan & delatus & ſacratus fuerat:

Quia ex Iſraël ipſe eſt, & artifex fecit illum, & non eſt Deus.

NAM ALIORVM deorum ſimulacra cum diuinitatis opinione ab aliis gentibus accipere potuerunt, & minus fortaſſe culpæ eſſe in ea re videri poſſet, ſi aliorum ſententiis & conſiliis acquieſcerent, & eorum fidei, à quibus cultum ceremoniaſque accipiebant ſeſe committerent. poterat hæc quidem vtcumque deceptio videri, ſi ita exiſtimarent gentes à quibus eam religionis rationem ſuſcéperint, non fieri veriſimile errorem ſuum tamdiu fouiſſe, ſi in errore ſe eſſe crederent; denique hæc atque his ſimilia falsò quidem, vtcumque tamen cogitari de alienis religionibus potuêre. at verò in vituli ratione nullus planè locus huiuſmodi erroribus aut exceptionibus relictus eſt, cùm ipſi conſilio inito hunc potius, quàm alium Deum ſuum eſſe voluerint, hæc illis figura magis placuerit, & ad eam rem artificem parauerint, à quo vbi fuſus vitulus eſſet, qui antea nihil aliud quàm aurum vel argentum erat, Deus renuntiaretur, nouus Deus recenter intra ipſorum vrbem natus, imò potius factus, cui homo artifex figuram pro diuinitate dederit, cùm numquam apud alias vicinas gentes vituli imagini niſi apud has olim in deſerto, & nunc Samariæ diuini honores fuerint decreti, ſicut ſcriptum eſt: Ipſi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus, &
Deut. 32. » irritauerunt in vanitatibus ſuis, hoc eſt, in vanis inuentis ſuis, quæ nulla neque veritatis neque deceptionis ratione tueri poſſint. [*Et non eſt Deus:*] ſed nouum ipſorum figmentum & excogitatum monſtrum artificis opera factum, & communi totius populi furore acceptum; itaque cùm de illo inſtituendo à rege & principibus conſuleretur, cùm decerneretur, cùm ad artificem deferretur aurum, cùm in fornace conflaretur, cùm denique ſtatueretur & conſecraretur; populus aderat, qui non ſolùm non aduerſari, ſed etiam maximo cum applauſu excipere deprehenſus eſt. Eſt autem adeò proprium ipſorum inuentū hoc, vt neque à gentibus vllis finitimis antea traditum ſit, neque ab vllis deinceps ſit admittendum: Conſueuêre enim duces & ſummi Imperatores deorum ſimulachra, & ſtatuas, quæ in expugnatis vrbibus colerentur, integras ſeruare, & ad vrbes ſuas, tum religionis, tum etiam monumenti cauſſa traducere, & in propriis templis vel in publicis & celeberrimis locis ſtatuere. cuius rei exempla multa in hiſtoriis paſſim occurrunt. Verùm enimuerò erga Samariæ vitulum nulla neque diuinitatis, neque artificij, neque alterius rei præterquam vtilitatis ratio ab hoſte habebitur, qui capta vrbe & collecta præda vitulos in auri ſolummodo vſum comminuet; tantùm abeſt, vt diuinis honoribus proſequatur. Planè manifeſtum eſt, vitulorum colendorum errorem proprium Iſraëlitarum eſſe, neque illos cum gentibus vllis hoc ſcelus communicaſſe: Nam quòd de Api Ægyptiorum Deo à quibuſdam dicitur, longè aliud eſt, cùm Apis bos grandior ſit, isq́. viuus, & certis maculis inſignitus, atque

alio nomine ab Ægyptiis, quàm vitulus iſte fuſilis Iſraëlitarum colatur. quibus de rebus
aliàs plura dicenda ſunt; neque enim longas de ſingulis argumentis diſputationes com-
mentationis noſtræ anguſtiæ capere poſſunt.

Quia in aranearum telas erit vitulus Samariæ.

QVI nullis gentibus antea dedicatus aut notus, ſolis verò Iſraëlitis cultus, atque pecu-
niæ ſuæ detrimento conſecratus, in nullum tandem vſum, ſed in contemptum erit & de-
ſpectionem; Hebraicè eſt, *in Sciſſilia erit vitulus.* Eſt appoſitiſſima ad ſententiam lectio, ſignifi- שבבים
cans ea parte tantum vſui fore hoſtibus, qua cultoribus ſuis detrimento & damno fuerit:
nam qua aurum eſt, vtile eſſe potuit, ſi in nummos cuderetur; hac verò inutilis fuit Iſraë-
litis qui aurum in eo conflando conſumpſerant. ſapientiores itaque multo hoſtes qui vi-
tulum in laminas atque fragmenta redigent; nimirum quis verus eius vſus ſit, intelligen-
tes; contra verò ſtultiſſimi Iſraëlitæ, qui materiæ vtilitate neglecta figuræ conformatæ di-
uinum vſum ſperauerant, atque in hac re multum conſilij, operæ, induſtriæ ac ſpei colloca-
uerant; ſed omnia vana hæc illis atque inutilia fore, imò in magnum malum euaſura præ-
dicuntur.

Qui ventum ſeminabunt, & turbinem metent, culmus ſtans non eſt in eo, germen non faciet farinam; quòd ſi fecerit, alieni comedent eum.

QVI ſeminat & laborem ſuſcipit & ſumptum facit, & tempus etiam in ea re conſumit,
ſed tamen hæc omnia ſpe fructus, vt Paulus inquit, perferuntur. peruidere autem vnum- 1. Corint. 9.
quemque oportet, quid ſeminauerit: neque enim aliud ex ſemente ſperare licet, quàm id
quod ſeminis natura producere poteſt. atque ex hoc errore, & huius rei ignoratione mul-
torum labores non ſolùm vanos, ſed etiam inutiles euadere diuina ſapientia docet, cùm
quiuis ex quacunque re quam ſeminauerit, maximas ſibi maximorum fructuum ſpes pol-
liceatur, etiamſi iacti ſeminis natura eiuſmodi fructus non ferat. Cæterum cùm fructus tan-
dem non pro opinione, ſed pro rerum quæ ſeminatæ ſunt natura colligantur, tum verò
ſors hominibus ac non potius imprudentia ſtultitiaque accuſatur. Heu heu quantus &
quamplurimus error humanis in mentibus verſatur. Cùm itaque Iſraëlitæ ventum ſemi-
nauerint, & maximo labore & ſumptu vanitatis ſtudiis operam dederint, turbinem me-
tant neceſſe eſt. Ventus intra terram conceptus cùm eruperit, puluerem ſecum excitat, &
turbinem efficit; turbo autem occurrentium oculos, aures & nares atque os infeſtat, totum
denique corpus turbat atque circumagit, vt ſcriptum eſt: Ita perſequêris eos in ira tua, & in
turbine tuo turbabis eos. Quemadmodum autem ventus vanitatem cum maximo appa-
ratu ac impetu in ſacris ſignificat, vt apud Iob: Vſquequò loqueris talia, & ventus multi- Iob 8.
plex ſermo oris tui? Sic turbo vltionem grauem & celerrimam refert, quale illud eſt: Do- " Nahum 1.
minus in tempeſtate, & turbine via eius. Talem profectò ſuorum ſtudiorũ exitum ab iſtis "
eſſe expectandum prædicit Vates, vt fuſi, perturbati, & ea in quam incubuerant, impietate
inuoluti rapiantur, deiiciantur, & diſſipentur: vt in eo ipſo in quo quis peccauit ex diuini
iudicij ſententia puniatur. Cum autem ex vanitate nihil præter vanitatem ſperari poſſit,
tranſlationem ſumptam perſecutus non ſolùm veris fructibus, ſed etiam iucunditate om-
ni & voluptate fruſtrandos eos eſſe præcinit, cùm illa ſeges non ad ſpicam, ſed neq. ad cul-
mum ſit peruentura. atque hoc eſt quod dicit: Culmus ſtans non eſt in eo. Eſt autem cul-
mus canna in ſegete cùm iam ad nodos vſque creuerit, nodorum enim vi continetur vt
conſiſtere rectus poſſit: vt illud,

Et veneratâ Ceres, vt culmo ſurgeret alto. Et illud: Septem ſpicæ pullula- Horat. ſerm. lib. 2. ſaty. 2.
bant in culmo vno. Illud enim veriſſimum eſt omnis humanæ infelicitatis initium & ca- Gen. 14.
put religionis prophanationem eſſe, & idolorum cultu maxima rebus publicis eſſe inue-
cta mala; ſicut ſcriptum eſt: Infandorum enim idolorum cultura omnis mali cauſſa eſt, & Sapient. 14.
initium & finis: Aut enim filios ſuos ſacrificantes, aut obſcura ſacrificia facientes, aut in- "
ſaniæ plenas vigilias habentes, neque vitam, neque nuptias mundas iam cuſtodiunt, ſed & "
alius alium per inuidiam occidit, aut adulterans contriſtat, & omnia commixta ſunt, San- "
guis, homicidium, furtum & fictio, corruptio & infidelitas, turbatio & periurium, tumul- "
tus bonorum: & cætera mala quæ in eodem loco à Sapiente commemorantur, quibus ma- "
lis quæ abundauerit Reſpublica, quemnam non dico bonum fructum, ſed neq. culmum
ſperare à Deo poſſit: profectò neque animorum vllis internis, neque externis etiam bonis
cumulabitur? [*Germen non faciens farinam.*] Vt vano & inutili labore conſumpto omnis vti-
litatis ſpe fruſtrentur. Quod ſi fortè aliquid farinæ confici poſſit, id erit quàm exiguum &
tenuiſſimum, neque in ſuum tamen, ſed in hoſtiũ vſum cedet, à quibus & libertate ſimul,
& fortunis omnibus exturbentur. [*Quòd ſi fecerit, alieni comedent eum.*] Perſiſtit adhuc in tranſ-
latione, quam deinceps porrò explicat:

Deuoratus eſt Iſraël, nunc factus eſt in nationibus quaſi vas immundum.

QVAM ipſis calamitoſus fuerit error, oſtendit, qui in aduerſis rebus amicitias & ſocietates cum gentibus inire cupierunt, quas maximis damnis & ſumptibus, ſuarumque fortunarum diſpendio initas ſine vllo ſuo emolumento tamdiu retineant, quoad nihil illis quod ſociis donaretur iam ſupereſſet: Namque huiuſmodi hominum fœdera, quæ non religione aut officio, ſed commodis tantùm atq. vtilitate ſancita ſunt, facilè rebus aduerſis franguntur, ſicut ſcriptum eſt: Ecce non eſt auxilium meum in me, & neceſſarij quoque mei receſſerunt à me; fratres mei præterierunt me ſicut torrens qui raptim tranſit in conuallibus. Hanc etiam ſociorum fidem expertus eſt Iſraël, quos interim dum ſine vllo ipſorum diſpendio aut periculo donis datis, muneribusque onerare potuit, retinuit. Poſtquam verò exhauſtus iam ipſe fidei ac præſidij periculum in eis facere voluit, vel nullos inuenit, vel deriſores in ſe expertus eſt: Ægyptiis munera miſſa fuerant, Aſſyrij ſæpe auro & argento fuerant aucti, Phul à Menahem argenti rudis & cælati mille talenta acceperat, atque cùm ſic funditus exhauſtus atque deuoratus fuerat Iſraël, tum demum [*Factus eſt in nationibus quaſi vas immundum:*] quod cùm cibis quibus plenum fuerat inane à cœnantibus eſt relictum, reiici atque ob ſordes faſtidiri ſolet: Sic Iſraël communi odio & faſtidio repudiatus eſt à nationibus, quibus ſe plenum non ſeruandum ſed abſumendum præbuerat. *Deuoratus eſt Iſraël.* Rem futuram præterito tempore prophetica certitudine dicit; nunc, poſtquam deuoratus eſt, faſtiditur ab omnibus, cùm nihil in eo vtilitatis, ſed tantùm ſordium & miſeriarum feces fuerint reſiduæ: ſic rem igitur vti futura eſt præſenti facundia atque oratione depingit, vt iam agi dicere poſſis quod paulò pòſt re ipſa fuerat ſpectandum.

Iob 6.

Quia ipſi aſcenderunt ad Aſſur: onager ſolitarius ſibi Ephraim, munera dederunt amatoribus ſuis.

REM, quam ſub tranſlatione dixerat, narratione explicat, & ſimilitudine exornat. Oſtendit autem quam ob cauſſam fortunis & diuitiis primùm exhauſti, deinde ab iis quos ſocios putabant fuerint reiecti: Quoniam, inquit, cùm diuinæ diſciplinæ iugum detrectarent, & libertatem, ſiue potius licentiam illam, quam ipſi ſibi largiti fuerant, retinere vellent, perinde atque onager aliquis qui nullo hominis imperio ſed ſuo ipſius impetu in ſolitudine agitur, nunc hos, nunc illos amicitiæ atq. ſocietatis cauſſa perebant. Itaque ad Aſſyrios muneribus miſſis, ac tributo collato aſcenderunt, quibus non officij, ſed vtilitatis gratia admiſſi, vbi inutiles eſſe cœperunt, faſtiditi continuò fuêre. Cæterùm, hos ego, inquit Deus, qui ſeſe homines, & in ſeruitutem meam natos eſſe obliti, onagri libertatem affectauêre, eò deducam, vt multis venatoribus circundati, & capti frena & capiſtra ore accipiant, & grauiſſima onera, atque importunum equitem dorſo ferant. Onager licentiæ & libertatis imaginem in ſacris exprimit: Namque id animal hominis imperia, præter cæteras belluas, auerſatum ſolitudine delectatur, ſicut ſcriptum eſt: Quis dimiſit onagrum liberum, & vincula eius quis ſoluit? Cui dedi in ſolitudine domum & tabernacula eius in terra ſalſuginis: Contemnit multitudinem ciuitatis & clamorem exactoris non audit. Circumſpicit montes paſcuæ ſuæ, & virentia quæque perquirit. Huius ergo animantis imaginem per ſummam inſolentiam ſibi induerat Ephraim, qui non quò vocabatur, ſed quò liberet eundum ſibi eſſe in animum induxerat, ſicut ſcriptum eſt: Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam onager ſe liberum natum putat.

Iob 39.

Iob 11.

Sed & cùm mercede conduxerint nationes, nunc congregabo eos, & quieſcent paulisper ab onere regis & principum.

Iſai. 8.

HVMANAM ſapientiam, ſtudia, & conatus nihil aduerſus diuina conſilia valere oſtendit, ſicut ſcriptum eſt: Inite conſilium, & diſſipabitur: loquimini verbum, & non fiet: imò propriis artibus & conſiliis decepti homines, capi & perire ſolent: namque faruos, vt Salomon ait, ſua ipſorum interficit auerſatio: incolumia omnia ac ſalua perpetua fore ſibi promiſerat Iſraël, ſi cum Aſſyriis & Ægyptiis fœdus quacunque conditione ſanciret. quamobrem illorum ſocietates & amicitias magno ſibi pretio comparauit; quo factũ eſt, vt minoris ab hoſte, quem ſociũ putabant, fierent, ipſiq. ſtipendio ſoluto inimicum exercitũ aduerſum ſeipſos conducerent. Ait itaq. Deus, efficiam vt illi non gratis mercedem accepiſſe videantur, ſed cum auro atq; argento meo vſi fuerint, ego rurſus illorũ opera contra Iſraëlitas vtar, qui ſe his muneribus ſaluos beatosq́. fore putauerant. [*Congregabo eos.*] populos videlicet & gentes, qui iam ſtipendio accepto conducti ſunt, & quoniam tædere iam cœperat Iſraëlitas munerum & tributorum quæ in annum regibus & principibus Aſſyriis conferebantur, grauiſſimumq́. illud onus putabant, & quod cùm ſuſtinere ipſi nõ poſſent, negare cogitauerant, eueniet vt congregati contra ſe exercitus tantũ pondus perferre cogantur, vt leuiſſimum eis illud onus meritò exiſtimetur, quod ſaluis rebus ſuis depoſuerant.

Prou. 11.

Namque ſæpe vſu venire videmus, vt quæ grauiſſima mala hominibus iudicari ſolent, eadem poſteriorum calamitatum comparatione, optabiliora iudicentur, ſicut ſcriptum in hoc genere eſt: Et erunt poſteriora hominis illius peiora prioribus. [*Et quieſcent pauliſper.*] Hebraicè eſt, & dolebunt parum ab onere regis & principum, dolore illo, ad eum dolorem collato videlicet, quem ex bello abductione, & miſeriis ærumniſque illis, quibus denuò prementur, accipient. Quod ſi Latinè vulgatæ editionis ſententiam quis aſſequi cupiat, eos interim à tributi penſione quieturos eſſe ſignificat, dum Deus Aſſyriorum exercitus aduerſus eos colligeret: namque hac occaſione Aſſyrius rex arrepta bellum Iſraëlitis intulit, cùm illi tributa intolerabilia eſſe arbitrati, conferre deſtiterunt, vt in Iſraëlitarum regum libris legimus, ita *quieſcent pauliſper ab onere*. Aliquantulam quietem iudicari poſſe onus regis dicit, ſi cum futuris laboribus comparetur, qui quietē illam conſequentur; atq. hæc eadem cum ſuperiori expoſitione ferè eſt, ſed quam ex Hebraica lectione explicuimus ſententiam, ea cum re ipſa & oratione aptius & commodius cohærere videtur. Retulimus verò pronomen illud ad nationes, quoniam nationum nomen Hebraicè maſculinum eſt. Quàm ſit autem verum leuiora onera tributorū quàm belli & captiuitatis videri, res ipſa comprobat; nam tributis exoluendis regum tantùm & principum onera ſuſtinentur. Cæterùm, in bello & captiuitate, non ſolùm regum, ſed multò etiam magis populorū & vulgi iniurias, opprobria, oppreſſiones, atque intolerabiles moleſtias, victi, patiuntur, dum abiectiſſimus quiſque ex plebe quidlibet in victos & miſeros licere ſibi putat & audet crudeliter: Atque ideo Iſraëlitæ præ omnibus miſerrimis hominibus his miſeriis & ærumnis premuntur, qui per totum orbem diſperſi, omnibus ferè hominibus ludibrio & deſpectui ſunt, & vitam variis nocentium libidinibus atque moribus expoſitam habent. huius tanti mali cauſſam repetit Deus: Luc.11. 2.Reg.17.

Quia multiplicauit Iſraël altaria ad peccandum, facta ſunt ei altaria ad peccandum: ſcribam ei multiplices leges meas, quæ aliena reputata ſunt.

ELEGANTISSIMA antitheſi ſumma Iſraëlitarum peruerſitas notatur, cuius antitheſeos, huiuſmodi ſententia eſt: Iſraël genus ad diuinos cultus electum, ad ſanctitudinem vocatum, rationem omnem officij commutauit, quibus non ſatis fuit peccatis & ſceleribus parentum pollui, niſi etiam ipſi plura ſibi ſcelera adinuenirentur atque accumularentur: Nam parentes eorum altaria vitulis erexerant, quibus filij non contenti, nouas aras, templa, lucos nouos, alioſque cultus addiderunt, ſcilicet vt nulla vitæ aut temporis pars peccato illis & turpitudine vacaret, quemadmodum de Achab ſcriptum eſt: Qui addidit Baal, & lucos, &c. Hoc ergo eſt quod dicit, *Facta fuerunt Iſraël altaria ad peccandum*: Satis altarium fuerat; & ſatis ſuperque ad peccandum inſtructorum, & tamen ipſe *multiplicauit altaria ad peccandum*. Perinde quaſi Iſraël ad hanc vnā rem ab initio inſtitutus eſſet, nempe ad peccandū: Ita omni ſtudio, omni conatu ſumma ope curauit, vt quāplurimas peccandi commoditates haberet, & propter eam cauſſam multiplicauit, prouexit atq. auxit: Nam quod quiſque ſua intereſſe credat, id auctum atque abundans eſſe maximè cupit; contrà verò quod alienum & ſuperuacaneum putet, id quantò abundantius, tantò etiam moleſtius ducit, & vehementius faſtidit. Ita Iſraëlitæ peccatorū opportunitates quāmplurimas eſſe ſibi voluerunt, atque ob eam cauſſam primis maiorum ſuorum altaribus, noua etiam altaria addiderunt, quaſi hæreditatem impietatis ampliaturi: leges autem à me ſcriptas, illiſque traditas, in quibus ſeſe per totam vitam exercerent, tanquam alienas à ſe reiecerunt. [*Scribam ei multiplices leges meas.*] Oratio cum affectu pronuntiata eſt, quali vti homines ſolent, cùm magnam curam & operam aliqua in re ſibi conſumptām, quæ tamen non ex ſententia ceſſerit, indicare volunt, vt illud:

——— *En quis conſeuimus agros?* Virg. Eclog.

Inſere nunc Melibœe pyros, pone ordine vites. Huiuſmodi & illud eſt: Ego autem cùm illi in moleſtia eſſent, induebar cilicio, humiliabam in ieiunio animam, &c. [*Multiplicauit altaria ad peccatum: facta ſunt ei altaria ad delictum.*] Hebraicè, *Et erant ei altaria ad peccatum*. ita eadem vtrobique Latinarum vocum ſignificatio eſt peccati & delicti. Ergo æquiſſima rerum viciſſitudo erit, vt cùm Iſraël magno apparatu à me traditam legem repudiarit (cuius obſeruatione & cultu ſanctum illum eſſe oportuit) atque ſanctitatem peccato cumulauerit, ad eamque rem multo altarium vſus fuerit numero, ſic miſſa ab illo ad Aſſyrios amicitiæ & fœderis cauſſa, pecunia à me in conducendi aduerſus eum militis mercedem, atq. ſtipendium conuertatur. [*Scribam ei.*] Futurum pro imperatiuo ſæpe in ſacris vſurpatur: vt, Altaria eorùm deſtruetis, & lucos ſuccidetis. Cùm autem prima perſona imperatiuus careat, commodiſſimus certis in locis futuri vſus eſt. Pſalm.34.

Hoſtias muneris mei offerent, & immolabunt carnes, & comedent, & Dominus non ſuſcipiet eas, nunc recordabitur iniquitatis eorum.

QVÆ modò dicta ſunt de multiplici altarium vſu ad peccandum, de diuinarum legum repudio ad omnem Iſraël pertinebant tam ad Iudæos quàm ad Ephraitas; namque in eadem ſuperſtitionis & impietatis culpa vtroſque fuiſſe manifeſtum eſt, atque vtroſque etiam pœna dignos, ſed cum Iudæis mitius fuit agendũ non propter merita, ſed propter orationem ſupplicem, atque in regis gratiam: neque enim aliquam egregiam virtutem in Iudæorum populo experiri poſſis, quamobrem illis eſſet parcendum. ideo futurum erat, vt cùm Iſraëlitas Aſſyrij perderent, quaſi Aquila ſuper domum Domini aduolarent. Iam ſi qua virtus, ſi qua pietatis ſpecies obiici à Iudæis poſſe videbatur, eam nullam eſſe demonſtrat: quippe qui religionis imagine propoſita non officio, non pietati, ſed ſuis tantùm commodis ſeruiebant: Ferè enim fit vt in rebus quæ pietatem & diuinum cultũ cum vſu aliquo coniuncta habent, homines eam partem accipiant, quam vſui ſibi eſſe intelligant, in eandemque vſque ad vitium incumbant: eam verò quæ pietatem propius attingat, & quæ præcipua eſt, omnino deſerant; vt quod Chriſtus in Euangelio ſumma reprehenſione & ſtomacho verbis atque etiam verberibus eſt inſectatus, ſacram ædem, quæ ad pietatis
Luc. 19. ſtudium ad ſupplicationum frequentiam fuerat conſecrata, in latronum ſpeluncam, ſacerdotum & populi auaritia fuiſſe mutatam. Huiuſmodi exemplum hoc in loco à Deo damnatur. quòd Iudæi tametſi ſacrificia in templo diuini honoris nomen prætendentes facerent, tamen ea non ad pietatem, ſed ad ſuam ipſorum vtilitatem atque voluptatem factitarent. Cùm enim hoſtiarum maximè pacificarum magnis portionibus veſci ſacrificantibus ipſis liceret, ſignificat eos non religionis ſed voluptatis & cœnarum ſtudio, nulla interim pietate, nullo diuino timore tactos, ſacrificia frequentare. [*Hoſtias muneris mei offerent.*] Hoc eſt, ſi quas hoſtias ſeſe nomini meo mactare iactent, eiuſmodi munere me ſibi propitium neceſſariò fore dicunt, quòd non deceat hoſtias mihi ingratas ſine ipſorum vlla vtilitate cædere; imò, inquit Deus, ipſi ſibi immolant non mihi, ipſi mactatis carnibus veſcuntur, & Dominus non ſuſcipiet eas. neque enim aut ſale conditæ aut ritè & ſanctè immolatæ ſunt, vt Deo gratæ, & in eorum à quibus præbentur pietatis memoriam acceptæ eſſe poſſent: Etenim in iis ſacrificiis, quæ purè ſanctéque fiebant, illa hoſtiarum pars quæ Deo ſeparabatur, in odorem ſuauitatis concremata aſcendebat, & in iucundam commemora-
Leuit. 2. tionem pietatis eorum à quibus offerebantur, ſicut ſcriptum eſt: De qua adolebit ſacerdos memoriale muneris partem farris fracti, & olei, ac totũ thus. Et alio in loco: Odor, inquit,
Leuit. 6. ſuauiſſimus monumentum Domino. Itaque victimæ piorum hominum pietatis monumenta erant, quibus Deus ad gratiam atque beneficentiam illorum religionis atque virtutis, à quibus offeruntur recordatus excitaretur; contrà verò impurorum ſacrificiorũ odores memoriam impietatis eorum, à quibus oblata ſunt Deo excitabant, ſicut ſcriptum eſt:
Prou. 15. Victimæ impiorum abominabiles ſunt apud Deum: Vt quid mihi, ait Deus, thus de Saba
Ierem. 7. affertis, & calamum de terra longinqua? holocauſtomata veſtra non ſunt accepta, & victimæ non placuerunt mihi. quid ergo ſuis illis ſacrificiis ſibi litauerint, docet Deus, nimirum quod ſcelerum huius populi recordatio, & digna ſceleribus pœna ſibi fuerit repetenda.

Nunc recordabitur iniquitatis eorum, & peccata eorum viſitabit, ipſi in Ægyptum conuertentur.

CVM DEVS iniquitatis recordatur, pœnas repetere parat. idem etiam fit cùm pecca-
Pſal. 109. ta viſitat: vt illud, In memoriam redeat iniquitas patrum eius, & peccatum matris eius non
Num. 14. deleatur: & illud, Viſitans peccata patrũ in filios, &c. Quòd verò periculo illo quod vtrique populo intendebatur, liberatus fuerit Iuda; non eſt quòd ipſe ſecurè agat, cùm tanta eius populi iniquitas, tanta impietas ſit, vt pœnas effugere non poſſit; ſua eis dies eſt etiam conſtituta, cùm iniquitatis eorum recordatio, & peccatorũ etiam erit viſitatio. vniuerſus enim Iſraël impiè egit, vniuerſus ergo pœnas penſurus eſt. Itaque vtriuſque populi vaſtationem prædicit, hoc eſt Samariæ & Ieroſolymitani templi excidium: id autem ſuo tempore futurum eſſe docet: Nam viſitandi verbum ad eas res accommodatur, quæ cùm neglectæ eſſe
Gen. 21. viderentur, tamen euenit vt diligenter à Deo curari iudicentur: vt, Viſitauit Dominus
Exod. 4. Saram. &, Viſitauit Dominus filios Iſraël. &, Audierunt quòd viſitauerit eos Dominus: Quoniam verò multi ex Iſraëlitis Samaria capta, & ex Iudæis vrbe diruta in Ægyptum migrauêre, contrà quàm præceptum illis fuerat, tantum nefas ſilentio præterire non oportere Deus iudicauit: quòd in tempore viſitationis peccatorum & iniquitatis, non ad pietatem, non ad officium conuertendi, ſed impio animo in Ægyptum fuerint commigraturi. quæ res maiorem illis calamitatem allatura fuit, ſicut etiam à Ieremia prædictum eſt: Et
Ierem. 4. aſſumam reliquias Iudæ, qui poſuerunt facies ſuas, vt ingrederentur terram Ægypti, &

habitarent ibi, & conſumentur omnes ibi in terra Ægypti, & cadent in gladio & fame, & «
conſumentur, à minimo vſque ad maximum in gladio & fame morientur,& erunt in iuſ- «
iurandum, & miraculum,& in maledictionem,& in opprobrium. Hanc etiam rem noſter «
hoc in loco ſignificat vates, quis tandem ſit vtriuſq. populi impietatis futurus exitus. Neque verò in his ſolùm rebus peccauerunt illi quòd exterarum nationum auxilia atq. amicitias exoptauerint,& carnem & ſanguinem ſibi præſidio fore arbitrarentur,ſed quòd neque cùm iam vanum hoc conſilium ſibi eſſe intelligerent, cumque viderent eos quos ſocios arbitrabantur hoſtes eſſe, cùm nullum iam præſidium in hominibus collocarent; tamen nec his rebus eruditi, nec periculis admoniti Dei factoris ſui meminerunt, & perinde ac ſi nullus eſſet,ac ſi nunquam in eos beneficus fuiſſet,ita nunquam de ipſo cogitauerunt; ſed quoniam tutela atque præſidio hominum deſtituti erant, ad locorum munitiones ſeſe conuertebant, vt locorum atque ædificiorum operibus munitionibuſque ſepti, in tuto eſſe ſibi viderentur: iis autem rationibus, his conſiliis effectum eſt, vt non ſolùm homines, ſed Deum etiam ipſum,quem omnino contempſerant, ſibi hoſtem redderent. Porrò qui hominum omnium in ſe odium concitauerint,qui Deum ſibi infenſum reddiderint,quonam loci aut operoſæ molis præſidio,ſaluti ſuæ conſulere poſſint? hominéſne implorent? at vel nullos,vel omnes inuidos experientur. an locorum vrbiumque munitione ſeſe ab hoſtium incurſione armorumq. impetu tueantur? rurſum illis infenſus eſt Deus,qui funeſtos ignes eorum vrbibus,arcibus,templiſque inferre poſſit. nullo ergo pacto effugere poterunt,quibus cum homines feri & immaniſſimi tum Deus fortiſſimus in cælo & in terra hoſtes fuerunt: Tota adeò hæc res ſubiunctis verſibus à Vate prædicitur.

Et oblitus eſt Iſraël factoris ſui, & ædificauit delubra.

HEBRAICE pro delubra Hecal legimus, quæ vox arcem regiam palatiumque ſignificat, vt illud: Et erunt filij tui Eunuchi in Hecal regis Babyloniæ. & illud: Simia manibus vtitur,& moratur in Hecal regis. Cùm autem nonnulla templa, & ad religionis cultum,& ad loci atque vrbis præſidium magna mole ædificari ſoleant, euenit vt ea etiam Hecal nominentur: cuius generis ædificia, baſilicas hoc tempore nonnulli dicunt. Huiuſmodi verò delubra & baſilicas multas ædificabat Iſraël,quæ ad & deorum cultum,& ad populi in rebus aduerſis perfugium aptæ accommodatæque eſſent; vt veri Dei ſui obliti,à quo facti, hoc eſt amplificati,ornatique fuerant,ad vanorum deorum tutelas,& caduca ædificia confugerent. Non alienum profectò fuerit hoc in loco architectorum præceptum commemorare, qui arte ſua & conſilio vanorum numinum religiones augebant. Nam præcipere illi ſolent,vt is locus ad deorum templa ſeligatur, qui fontium aëris cæliique natura opporrunus ad ſalubritatem ſit,vel ad perfugium tutus; idque artis induſtria adiuuari volunt,vt his commoditatibus maiores (inquit Vitruuius) de diuinitate concipiantur opiniones. Hanc rem etiam Vates noſter innuit,oſtendens templa munitiſſima ab Iſraëlitis ad populorum tutelam exædificari.

2.Reg.20. Prou.30. היכל Vitruuius l.1

Sed & Iuda etiam multiplicauit ciuitates munitas.

CVM locorum ſitu opportuniores ad defenſionem vrbes haberet (nam montes in Iudæa frequentiores ſunt) ad hæc operum etiam moles addidit, ſed fruſtra: Namque Deus vltor,qui è cælo poſſet ignem immittere militibus ſuis,hoc eſt Aſſyriis vrbes,oppida, munitiones,templa,palatia & regias incendendi copiam facturus erat,hoc eſt quod dicit:

Et mittam ignem in ciuitates eius: Ad Iudam refertur: *Et deuorabit ædes illius:*

HEBRAICE palatia illius: quod pronomen ad regnum Ephraim pertinet. Solet autem ignis in ſcripturis pro hoſtili vaſtatione vſurpari, vt: Ignis comedit ſpecioſa deſerti,& flamma ſuccendit omnia ligna regionis. Hoc autem in loco vtrumque prædicit,hoſtilem manum, qua velut igni omnia erant conſumenda, & ignem, quem templo & aliis munitiſſimis locis verè fuerant hoſtes ſubiecturi, ſicut ſcriptum eſt: Et ſuccendit domum Domini,& domum regis,& domus Ieruſalem, omnemque domum munitam extra Ieruſalem combuſſit igni. *Factoris ſui:* facere hoc in loco pro amplificare & ornare accipimus: vt illud apud Samuelem: Dominus qui fecit Moſen & Aaron.

2.Reg.25. « Samu.1. «

CAPVT NONVM.

NOLI *lætari Iſraël,noli exultare ſicut populi,quia fornicatus es à Deo tuo, dilexiſti mercedem ſuper omnes areas tritici.*

NON rarò accidere ſolet, vt qui ſuis ſtudiis proprioque negotio calamitatem ſibi creaſſe videantur, præter cæterarum miſeriarum ſenſum, inimicorum hominum inſultationem excipiant, à quibus & elapſæ felicitatis memoria repetita, præſentique obiecto euentu ſuſceptorum conſiliorum ratio irrideatur. Hoc genus Sarcaſmos à Græcis dicitur, de qua in oratoriis etiā inſtitutionibus mentio à nobis fit. Huius generis exempla in multis auctoribus plurima ſunt,quale eſt illud: Alios ſaluos fecit,
Matt.27. » ſeipſum ſaluum facere non potuit. Vah qui deſtruis templum Dei,& in triduo reædificas; & quæ his adiuncta ſunt.& illud: Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in vanitate ſua, &c. atque etiam apud exteros:

Æneid. 11. *En agros & quam bello Troiane petiſti, Heſperiam metire iacens.*

Iſraëlitarum ergo improba conſilia,operoſa negotia, & ardentiſſima impietatis ſtudia diuinam etiam inſultationem præter pœnas & ſupplicia ſubire commerita ſunt: quæ res vt inſontibus indigna eſt, ita contrà his, qui digna ſceleribus atque inſolentiſſimis auſis ſupplicia pendunt, eſt digniſſima: æquum enim eſt ſtultum ſtultitiæ ſuæ non ſolùm pœnas dare, ſed opprobrium etiam audire: quemadmodum illum qui magno ſumptu exiguo conſilio ædificare cœperat,neque tamen perfecit, non modò damnum,ſed ſtultitiæ etiam
Luc.14. opprobrium meritò pati debere Chriſtus dixit. Igitur in imaginem Iſraëlis è ſummo honoris & felicitatis gradu deiecti, quam animo fuerat vates intuitus, hoc loco inſultat, vt non ſolum ærumnis, ſed obiurgationibus & opprobriis tardus populi huius animus excitatus, aliquando tandem ſentiat & reſipiſcat. Oratio verò ipſa à comparatione exordium ducit: Olim cùm Iſraël rebus ſuis integris frueretur, non ſolùm præ cæteris gentibus ſa-
Deut.4. pientia & veræ religionis cultu,ſed etiam fortunarum pleniſſima copia beatiſſimus fuerat,
» ſicut ſcriptum eſt: Et obſeruabitis & implebitis opere; hæc enim eſt ſapientia veſtra & intellectus, vt audientes vniuerſi præcepta hæc dicant: En populus ſapiens & intelligens, gens magna,&c. Nunc verò poſtquàm illum ſplendorem & dignitatem amiſit, inter gentes diſperſus nullis nationibus non inuidet, cùm non ſolùm religione & diuina tutela deſtitutus ſit,ſed earum etiam rerum commoditatibus, quibus regna, vrbes, hominumque conuentus florere ſolent, (idque iure optimo) careat: vt qui rebus omnibus fuerit abuſus, omnia deinceps deſideret, omniaque hominibus cæteris inuideat. Oſtendit itaque Deus Iſraëlitis toto orbe diſperſis,nullam fore publicæ lætitiæ cauſam, quemadmodum multa accidere ſolent populis & ciuitatibus,quorum vſu hilaritas & lætitia publicè percipitur,vt annonæ copia,pacis commoda,triumphi atque id genus alia. [*Noli lætari Iſraël, noli exultare.*] Vt lætitia animi gaudium eſt,ita exultatio lætitiæ eſt index, quæ alacritate quadam in hominibus deprehenditur,vtrumque Iſraëlitis negatur, qui nec exultare, nec lætitia qua exultent,frui poterunt. *Sicut populi.*] Cùm iam tu populus eſſe deſieris,atq. in gentibus diſperſus nullam populi aut rei publicæ formā tueàris, ex quo fit, vt nullius publicæ lætitiæ particeps eſſe poſſis, ſed in medio exultantium populorum aliorum lætitiæ miſer atq. inuidens ſpectator fias:Huius autem rei cauſa affertur. *Quia fornicatus es à Deo tuo:*] Cuius populus
Deut.32. tu fueras,à quo in populi & regni formā florentiſſimi fueras comparatus: Hunc vbi tu per
» ſummum idololatriæ ſcelus adulteriumque excluſeris,in eum locum deuenies,vt amplius
» populus non ſis, ſicut ſcriptum eſt:Ipſi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus,& irritauerunt in vanitatibus ſuis, & ego prouocabo eos in eo, qui non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo illos. Neque verò ob hanc rem ſolùm notantur, quòd Reipublicæ ſtatū ipſi ſua culpa labefactauerint, quamobrem reipublicæ nomine & dignitate meritò caruēre; ſed quòd iis rebus quæ publicæ lætitiæ populis cauſa eſſe ſolent,nefariè fuerint abuſi,ſicut ſcriptum eſt: Incraſſatus eſt dilectus,& recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus & dilatatus. *Dilexiſti mercedem ſuper omnes areas tritici.*] Iam illa maxima rerum peruerſio, maximum illud ſcelus fuit, quòd frumenti atque annonæ copiam non eò quò maximè relatam oportuit, retuleris: namque vt eius rei promiſſionem olim, ſic copiam quocumque tempore mihi acceptam referre, necnon & decimis primitiiſque exoluendis gratias agere debuerunt. tu verò contrà non Dei dona,ſed amatorum,hoc eſt, deorum vanorum à te cultorū tui mercedem interpretatus, ſummum pretium exiſtimaſti,ac debitam Deo gratitudinem in feſtos ludoſque nefarios mutauiſti, & in ſingulis areis lætitiæ, atque exultationi in amato-

rum

rum tuorum gratiam vacabas: tantæ tibi voluptati fuit, quòd te à diis amatum credideras. Ex multis autem occaſionibus, & popularis lætitiæ temporibus vnum meſſis & trituræ tempus eſt, ſicut ſcriptum eſt: Et lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe multa. Quam meſſem non diuini muneris, ſed meretriciæ mercedis loco Iſraëlitæ duxerunt: Vadam, dicebant, poſt amatores meos qui dant panes mihi, &c. Meritò ergo carere debuerunt iis commodis quibus ad ſuam libidinem abuſi ſunt. [*Area & torcular non paſcet eos.*] Primùm in patrio ſolo fruges deficient, vt quæ vicinis etiam ſuppeditarent, iam illis non ſufficiant; adeò vt proprio agro ali nequeant, & cùm maximè vites vuarum vberratem promiſerint, nullam tamen vini vtilitatem præbeant: Nam vbi multa cura nimio labore vindemia facta fuerit, ex magna vuarum copia, qualẽ illa regio proferre ſolebat, (quæ vno botro duos milites onerauerat) exigua admodum muſti proueniet vis, idq. etiam ſeruatum & conditum corrumpetur, ita vt ſpem omnem cultori mentiatur ſuo, hoc eſt quod ait:

Iſai. 9. Supr. c. 2. " Num. 13.

Et vinum mentietur eis.

EX QVA re grauiori damno afficiendi ſunt, quàm ſi omnino fuiſſet negatum. [*Mentietur:*] Verbum aptiſſimè ad agricolarum ſpes tranſlatum, vt: *Mentietur opus oliuæ*; & illud: *Spem mentita ſeges*. Illa etiam lætitiæ publicæ non parua cauſa eſt, cùm populo per quietem & tranquillitatem lauto & eleganti victu & cultu, cæteriſque pacis commodis frui in patria licet. id licuerat aliquando Iſraëli, dum Deum pietatemque colebat, cui ab ipſo legiſlatore omnia etiam quæ ad victum cultumque pertinerent præcepta tradita fuerant, quibus præceptis præter arcanam ſignificationem etiam humanæ munditiæ, elegantiæ, ac ſanitati conſulebatur, cui hæc omnis felicitas ſanctiſſimis initiis fuerat promiſſa, ſicut ſcriptum eſt: Benedictus eris ingrediens, & benedictus eris egrediens: Emittet Dominus benedictionem ſuper omnia opera manuum tuarum, benedicetque tibi in terra quam acceperis: Suſcitabit te Dominus ſibi in populum ſanctum, ſicut iurauit tibi ſi cuſtodieris mandata Dei tui. Huiuſmodi autem rerum munditia atque vſu carituros eſſe prædicit eos, qui ſuis ſceleribus commeruerunt vt domo, & patria exules, aut apud Aſſyrios captiui, aut apud Ægyptios profugi agerent, apud quos non eleganti ac mundo victu, vt in patria, ſed ſordido & impuro, qualis in illis regionibus prophanis & hoſtilibus contingere potuerat, vterentur. Hæc adeò ſubiuncti carminis ſententia eſt:

Habac. 3. Horat. Deut. 28. " "

Non habitabunt in terra Domini, reuerſus eſt Ephraim in Ægyptum, & in Aſſyriis pollutum comedit.

TERRAM Domini, terram Iſraëlis vocat, quam ille ſanctam præ cæteris regionibus, ſibique ſingulari prouidentia fouendam ſuſceperat, quam ſceleribus diu contaminatã eſſe minimè patiebatur: Eius namque non ſe dominos, ſed inquilinos putare oportuit Iſraëlitas; Dominum autem terræ Deum agnoſcere, cætera verò numina vana, & à terræ poſſeſſione aliena exiſtimare, ſicut ſcriptum eſt: Populus iſte ibit poſt deos alienos à terra, quam ingredientur, vt habitent in ea. [*Reuerſus eſt Ephraim in Ægyptum.*] Cùm Samaritanæ res affligerentur, nec Iudaicæ in tuto eſſent, multi ex Ephraitis contrà quàm præceptum illis fuerat Ægyptum petiêre. Verùm enimuerò hoc etiam veram pietatem atque diuina inſtituta deſerentes commeruere, vt malorum pondere oppreſſi, Ægyptumque ſubſidij cauſa petentes, tamen hoſtilẽ potius, quàm ſalutarem regionem experirentur, ſicut ſcriptum eſt: Et reducet te Dominus in Ægyptum per viam, de qua dixi tibi, vt eam amplius non videres, ibi venderis inimicis tuis in ſeruos & ancillas, & non erit qui emat: [*Et in Aſſyriis pollutum comedit.*] Captis enim & abductis non qualis expetitur, ſed qualis contingit victus & vita colitur. Sic apud Ezechielẽ legimus: Hæc dixit Dominus; Sic comedent filij Iſraël panem pollutum inter gentes, ad quas eiiciam eos. Porrò autem feſtis diebus agitandis, & ſacris ritè peragendis non leuis populorum exultatio eſſe ſolet. Atque hoc etiam fructu Iudæos in captiuitate priuatum iri prædicit, quibus antiqua illa feſtorum, victimarum & ſacrorum epulorũ conſuetudo in ſordes atq. luctum conuertenda ſit, nemoq. apud eos erit, qui huius miſeriæ particeps non fiat: nam neq. apud exteras nationes, apud quas captiui detinentur, feſtis, epulis atque hoſtiis operam dare poterunt, neque iis qui in Iudæa reliqui fuerint, id integrum erit, quibus nullum in quo hæc fiant, templum extabit: quamobrem

Deuter. " Deut. 28. " Ezech. 4. "

Non libabunt Domino vinum, & non placebunt ei.

IN ſacris enim vina libabant Domino, atque ea re Deum ad ſua conuiuia vocatum ſignificantes, placandum ſibi ſperabant: Cæterùm iam deinceps non placebunt ei. Quoniam autem omnis hæc lætitia & nitor ille, elegantiaque ſacrorum & publica ſanctarum epularum profeſſio ceſſatura, & memoriam ſui cum luctu & ſordibus fuerat relictura, ſubiungit:

Sacrificia eorum quaſi panis lugentium, omnes qui comedent eum contaminabuntur.

PER certos quoſdam dies, dum mortuorum funus curabatur, dum lachrymis & mœrori apud neceſſarios vacabatur, tota familia polluta iudicari ſolebat, quorum cibos ſordibus & luctu contaminatos, quicunque comederet, immundus erat. Igitur Iudæis per totam vitam apud hoſtes agentibus in ſquallore, ſordibus & luctu, non alia epularia ſacrificia, non alia ſacra, quàm aſſiduam quandam feralem cœnam factitandam eſſe præcinit; vt quemadmodum nullus calamitatis expers erit, ita nemo ſit qui pollutum & luctu lachrymiſque contaminatum panem non comedat. Neque verò eos apud gentes ſacrificiis vacaturos pollutis, ſed horum loco lachrymis, luctuque conficiendos eſſe ait.

Quia panis eorum animæ ipſorum non intrabit in domum Domini.

לחם Gen. PANIS cùm ex vocabulo Hebraico *Lehhem* transfertur, omnem cibum ſignificat: vt, Sederunt ad comedendum panem. Vſuros itaque eos cibis qualibuſcunque vt vitam tantùm alere in tantis miſeriis poſſint, non vt gaudere, aut aliis voluptatibus, commoditatibuſque frui queant; quippe cùm ea res in domo Domini (quæ non extabit) peragenda non fuerit: *Sed panis eorum animæ ipſorum:*] Animam pro vita hoc in loco accipimus, ex nomine

נפש Matth. 5. Hebraico Nephes, ſicut & in Euangelio: Nónne anima plus eſt quàm eſca? Non ergo ſacris cibis, non mundis, ſed communi atque adeò polluto victu vitã ſibi propagabunt, atque ea cauſa veſcentur, vt viuant, non etiam vt fruantur: Neque verò loci ſolùm commoditate carituros, ſed temporum etiam occaſionibus atque ſpatiis fore excludendos dicit, vt neque aſſiduè, neque certis diebus etiam repetere ſolemnia, lætitiamque publicè obſeruare poſſint. Quandiu enim ſedes ſuas tenuêre, certos dies lege ſibi traditos, atque inſtitutos obſeruarunt, quibus ſaltem Ieroſolymam conuenire & ſacra factitare potuerunt & debuerunt: Nunc verò quando ex Iudæis alij in Babylone detenti, alij apud Ægyptios profugi erant, ſi maximè illis adhuc templum ſtaret, tamen ea erit locorum diſtantia, ea viarum incommoditas, ea libertatis carentia, vt nulla neque ad dies feſtos redeundi ſpes ſit reliqua. huius rei cauſa dicit:

Quid facietis in die ſolemni, in die feſtiuitatis Domini?

QVO videlicet tempore olim frequens oblationum ſpontanearum, additorum, pacificorum feſti, & pacificorum lætitiæ, aliorumque ſacrorum operum celebritas erat, quam ad rem vocari admittique ſolebatis. quid ergo nunc facietis tantis interuallis diſiuncti, tot viarum, negotiorum difficultatibus, & eorum, apud quos agetis, tyrannorũ imperiis præpediti, quid facietis? nulla profectò ſpes vobis eſt reliqua, non ſolum ſingulis annis Ieroſolymam petendi, ſed neque ampliùs quoad vixeritis redeundi: namque vobis vaſtitatẽ terrarum veſtrarum fugientibus, & ad frequentes populos commigraturis, iterum in patriam remigrare integrum non erit, ſed quæ loca vobis ad vitæ præſidium optaueritis, eadem morituris ad ſepulchrum deſignata exiſtimatote. Hoc eſt quod dicit:

Ecce enim profecti ſunt à vaſtitate, Ægyptus congregabit eos, Memphis ſepeliet eos.

Eſai. 19. Ezech. 30. Herod. lib. 2 MEMPHIS celeberrima illis temporibus Ægypti vrbs fuit, quæ olim Noph, ſiue Moph, dicta, nomen in Memphim mutauit; namque Chaldæus interpres pro Noph & Moph, Mephis reddit: hanc Herodotus à Meui Rege, Euſebius verò ab Epapho Iûs filio conditam fuiſſe ſcribit. In populo itaque alieno miſerè vitam acturi, Iſraëlitæ prædicuntur, atque adeò frequentiſſimo populo, vt loci celebritate magis offendantur, vbi hoſpitibus & fugitiuis pauperibus & miſerrimis in tanta frequentia anguſtè habitare neceſſe ſit; eoque grauius erit exilium, quòd nulla ſpes reditus, neque poſt mortem reliqua erit, vt etiam ſepulturæ honore, funere & iuſtis exequiis carendum illis ſit; quibus neque ſuo more ſuauiter viuere, neque honeſtè etiam mori liceat, & tamen integra in tanta inopia, & in tantis ſordibus vitam colentes, antiquæ patriæ & commoditatum ac vitæ delitiarum totiuſque illius vitæ cultus recordatione cruciabuntur, ſuamque & patriæ vicem dolebunt, quam olim cultiſſimam tenuerunt; nunc verò incultam atque horrentem eſſe audient; & miſerabiliter lamentabuntur.

Deſiderabile argentum eorum vrtica hæreditabit.

LAVTITIAM omnem & delitias reique familiaris nitorem ſacræ literæ hoc verbo *deſiderare*, & vocibus ab eo deductis ſignificat: vt apud Iſaiam, Et omnia deſiderabilia nóſtra

Eſai. 64. verſa ſunt in vaſtationem. & illud: Recordata eſt Ieruſalem dierum afflictionis ſuæ, & præ-

Threno. 1. uaricationis omnium deſiderabilium ſuorum, quæ habuerat à diebus antiquis. Ex comparatione ergo miſeriæ dolorem auget, cùm futurum eſſe prædicat, vt domus illorum maximæ & ſumptuoſiſſimæ, in quibus magna olim nituerat res, horridæ, incultæque & vrticis plenæ reddantur. [*Deſiderabile argentum eorum.*] Hoc eſt delitioſas illas ædes, in quibus nullum

lum fictile erat, ſed omnia argento tum fuſo, tum cælato plena, vbi multorum vaſorum
Deliacorum & Tyriorum vſus erat, nullus tandem argenti modus, ſicut ſcriptum eſt: Re- Iſai. 2.
pleta eſt terra argento & auro, & non eſt finis theſaurorũ eius, hæc omnia ruina & vaſtatio Dioſcor. li. 4
perdidit, vrticaſque in eorum locum repoſuit. Eſt enim vrtica aſpera herba, igneo pruritu c. 89.
vrens, quæ in incultis prouenit agris, maximè autem in ruinarum ruderibus, ſicut ſcriptum Eſai. 34.
eſt: Et orientur in domibus eius ſpinæ & vrticæ. & illud: Per agrum pigri tranſiui, & vidi Prou. 24.
eum vrticis plenum. Herba hæc vulgo notiſſima eſt, & nudis corporibus auerſanda. Vide
ergo in quem horrorem delitiæ illæ deuenerint, vt qui nuper argento in omne miniſte-
rium fuerãt vſi, iam copbinis & fictilibus (neq. id ſatis opportunè) vtantur, & domus ipſæ
etiam quæ auro atque argento nituerant, quæ totæ maximis delitiis affluebant, nunc ſpinis
atque vrticis horreant. Locus ex comparatione oratoria eſt, ex quo loco commodiſſima in Threno. 1.
miſerrimis rebus argumenta ad dolorem ducuntur: vt, Quomodo ſedet ſola ciuitas plena
populo, &c. & illud:

Pro molli viola, pro purpureo narciſſo Carduus & ſpinis ſurgit paliurus acutis. Eclog. 5.

Lappa in tabernaculis eorum.

EXPOLITIONE res augetur, & amplificatur; vt quum nihil magis deſiderabile quàm
illæ domus, fuerit; rurſus nihil magis horridum incultumque ſit. Quod Latinè verſum eſt
Lappa, Hebraicè eſt *Hhuabh*, quod noſtra ſententia paliurum ſignificat; nam eo nomine pro-
priè hamus piſcatoris dicitur, & in aculeatorum arbuſtorum generibus, illud quod vncis
in hami modum ſpinis, qualis paliurus, eſt, de quo ſcriptum eſt: Carduus Libani quæ eſt in 2. Reg. 14.
Libano miſit ad cedrum dicens, &c. eſt in eo loco *Hhuabh*: Namque lappa quæ Xanthion Dioſcor. li. 4.
Græcis eſt, neque ſpinis horret, neque in ruinis ita copioſè prouenit, quanquam ſecundum c. 122.
oppida plurimum naſcatur, læto tamen & pingui ſolo, atque lacubus exiccatis, vt à Dioſ-
coride traditum. à nobiſque eſt ſæpè obſeruatum.

*Venerunt dies viſitationis, venerunt dies retributionis, ſcitote, Iſraël, ſtultum prophetam, inſanum virum ſpi-
ritualem, propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudinem amentiæ.*

HABET Sarcaſmos ſua incrementa & ſuos inſultationis augendæ gradus, ſuaſq. com-
moditates ad victoriam quærit. Optima autem commoditas eſt, cùm ad conſiliorum &
ſententiarum comparationem ventum fuerit; & quæ potior ſententia & plauſibilior viſa
fuerat, inanis atque leuiſſima euentu ipſo redarguta fuerit, tunc enim melioris conſilij au-
ctores meritò in ſtultam opinionem inſultant; huiuſmodi illud eſt: Lætabitur iuſtus cùm Pſal. 57.
viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris, & dicet: Vtique ſi eſt fructus "
iuſto, vtique eſt Deus iudicans eos in terra. Hunc ergo etiam locum ad inſultandum Deus
occupat, & ſtultam impiorum ſententiam euentu irridet, atque veritatis & ſapientiæ præ-
dicat victoriam. Vſque adeò inſanierant Iſraëlitæ, vt non ſolùm officium, ſed officij conſi-
lium omne repudiarent, impietatemque ſuam ſapientiam vocarent, repertis in ea re mini-
ſtris, qui ad gratiam non ad veritatẽ loquerentur. Huius generis multa atq. manifeſtiſſima
exempla quotidie in hominũ moribus eduntur. Mittebantur à Deo aſſiduè vates, per quos
populus impietatis admoneretur, & ad ſanã mentem promiſſionibus, minis, pœnis prædi-
ctis reuocaretur. At verò illis non ſolùm impietas retinebatur; ſed pientiſſimorum homi-
num, imò potiùs Dei fideliſſima repudiabantur conſilia; prætetea falſi quærebantur vates,
qui pro mendacio aduerſus veritatem, pro ſtultitia contra prudentiam, contra conſiliũ ab
opinione ſtantes, ſanctorũ virorum negabant prædictiones. atq. de hac quidem re Ieremias
cum Hannania ſapienter diſſerebat: Veruntamen, inquit, audi verbũ hoc quod ego loquor Ierem. 28.
in auribus tuis, & in auribus vniuerſi populi, prophetæ qui fuerunt ante me ab initio & an- "
te te, & prophetauerunt ſuper terras multas, & ſuper regna magna de prælio & de afflictio- "
ne, & de fame: Propheta qui vaticinatus eſt pacẽ cùm venerit verbũ eius, tunc ſcietur pro- "
pheta quem miſerit Dominus in veritate Quoniam autem Iſraël hanc erga prophetarum "
rationes inſtiterat viam, non qui potiorem & grauiorem, ſed qui leuiorem, & ad ſuam li-
bidinem magis accommodatam ſententiam ſequeretur, cùm venerit verbum, tunc ſcie-
tur vter verè propheta fuerit. Hæc autem ſcientia ſtultorum hominum eſt, qui conſilio &
rationibus erudiri cùm nolint, tandem ſuo malo magno & periculo docentur. Huius ergo
futurarum rerum imaginis præſens ſpectator Hoſſeas, diuinis verbis in Iſraëlitarũ ſtulti-
tiam inſultat, quo populum illum inepti ac ſtulti conſilij ſui, vel ipſo euentu pudeat ac pi-
geat. *Venerunt*, inquit, *dies viſitationis, venerunt dies retributionis Domini*:] qui reddet tandem vnicui-
que iuxta opera ſua, inquit Paulus. *Viſitationis*, hoc eſt cùm Deus ſe humanarum rerum cu-
ra tangi teſtatur, quam veritatem homines opinione, ſententia, conſiliis, ſtudiiſque
ſuis negantes, pœna tandem & ſenſu docentur; ſicut ſcriptum eſt; Qui per angelos factus Hebr. 2.
eſt ſer-

" eſt ſermo firmus,factus eſt; & omnis præuaricatio & inobedientia iuſtam accepit mercedis retributionem. De viſitatione,quid ſit, iam diximus. Retributionis verbum iuſtitiam atque æquitatem, non iram, non temeritatem, non caſum aut fortunam confirmat, non denique figmenta alia,quibus impij impietatem ſuam tuentur. [*Venerunt dies, venerunt.*] Repetitio certitudinem habet hoc in loco,quæ inſultantibus peropportuna eſt: vt, Cecidit,cecidit Babylon illa magna: & apud peregrinos auctores, *Audiuere Lyce dij mea vota, dij Audiuere Lyce.* [*Dies:*] Dierum nomine certum ad vltionem tempus ſignificatur.docemur autem

Apoc.18. Horat.lib.4. Od.13.

impunitatem improborum non infinitudine temporis, ſed certo breuiſſimoque ſpatio definiri.ſiue enim tempus finitum, ſiue infinitum exiſtimetur, dies tamen certam temporis partem ſibi vendicant,eamque quæ ſignari præſcribique poſſit. O ſtultiſſimum hominum conſilium,qui in rebus agendis in pœnitentia, in omni deniq. vitæ ſtudio, nullam dierum rationem habent,temporis autē neſcio quam habent;cùm Deus tamen illis dies non tempus ad cogitandum proponat.frequens enim apud vates omnes dierum mentio eſt, propterea quod quæcunque à Deo dicta ſunt,ea certiſſima & certiſſimo conſilio tractata,firmataque interpretari oporteat. Et quoniam ij dies verorum & mendacium prophetarum periculum faciunt,ita vt qui antea falsò ſententiam dicerent, mutare ſuo malo cogantur, ob eam rem dicit: [*Scitote Iſraël ſtultum prophetam:*] Hebraicè eſt: *Cognoſcent Iſraël ſtultum prophetam.*] Stultum autem prophetam vocat,non ſolùm quòd mendax ſit, ſed quòd vaticinando nullam ſapientiæ aut conſilij ſpeciem & formam adumbret; namque ſumma ſtultitia eſt,ſi quis homines ingenio ſuo ad vitia procliues ſecuros eſſe,& nihil timere iubeat;atque hoc modo ad voluptatem inſtituere vitam doceat. namque ad eam rem, quam homines ſuo ingenio libenter agunt,& ſequuntur,quid opus eſt diuinum oraculum addere?ergo ex ipſo prophetiarum argumento prophetæ vanitas argui poſſet, etiam ſi maximè vates ille ſe diuinitus miſſum & ſignorum auctoritate probatum prædicaret, ſicut ſcriptum eſt: Si

Deut.13.

" ſurrexerit in medio tui prophetes, aut qui ſomnium ſe vidiſſe dicat,& prædixerit ſignum
" atque portentum, & euenerit quod locutus eſt, & tamen dixerit tibi, Eamus & ſequamur
" deos alienos,quos ignoras,& ſeruiamus eis:non audies verba prophetæ illius,aut ſomnia-
" toris, &c. Hac lance,his ponderibus examinari oportuit eos, quicunque ſe prophetas, & Dei nuntios profiterentur: atque adeò hæc cauſa à nobis in Tridentino Concilio publicè perorata eſt aduerſus eos,qui pietatis ſpeciem,non vita fortaſſe, ſed vitæ inſtitutione offerentes,Chriſtianam morum diſciplinam reſtitui non oportere publicè affirmarent. huiuſmodi homines diuina Sapientia, *Prophetas ſtultos & inſanos viros ſpirituales* appellat. *Virum ſpiritualem*,Hebraicè eſt *virum ſpiritus.*] Eſtque elegantiſſimum atque ad eam rem accommodatum ſchema verbi,quod Græcè ἀνταναkλασις dicitur,cùm eiuſdem verbi contraria ſignificatio petitur;vt illud apud Ciceronem: Verrem à populo verrentem eſſe appellatum,quòd omnia verreret.ſic hoc loco cùm ſpiritus & ventum ſignificet,& naturam quandam corporis expertem, cuius naturæ illapſu aut ductu, & agitatione animi hominum excitari ſolent: atque hoc modo affecti, viri ſpirituales dicuntur. Vates ad contrariam ſignificationem alludit,& viros venti, hoc eſt vento ac vanitate mendacioque plenos ait; cuiuſmodi ſignificatio vento in ſacris imaginibus tribuitur, vt apud Ieremiam de huiuſmodi ſpiritualibus

Quint.li.11. c.2. In Ver.Ora. 7.

Ierem.5.

" viris,qui populo fucum faciunt,ſcriptum eſt: Negauerunt Dominum,& dixerunt,non eſt
" ipſe,neque veniet ſuper nos malum;gladium & famem non videbimus.Prophetæ fuerunt in ventum locuti,& reſponſum non fuit in eis,hæc ergo euenient illis,&c. Sic Cicero Imperium extraordinarium, populare, ac ventoſum eſſe dixit. Igitur viri iſti ſpirituales, qui populi gratiam venantur, ſpirituales ita appellantur, vt ventoſos interpretari conueniat. Ergo euentu ipſo declarabitur populo, quales viri ſui ſpirituales fuerint, quorum furores ille tantis plauſibus proſecutus eſt.id verò quamobrem acciderit explicatur: *Ob multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudinem amentiæ:*] Tanta enim fuit amentia tua,tantum virtutis odium,vt pro vero falſum,pro vaticinio vanitatem probaueris, vt hæc etiam pars ad tuæ culpæ cumulum acceſſerit: Hebraicè eſt *ſuper multitudinem.*

Speculator Ephraim cum Deo meo: propterea laqueus ruinæ factus eſt ſuper omnes vias eius.

EXPOSITIONE atque interpretatione culpam amplificat, & inſaniam populi manifeſtat,atque rem totam explicat:docet enim Ephraim, hoc eſt Iſraëlitas ſibi infelicitatem comparaſſe,qui non ſolùm à Deo vero deſciuerunt,(quòd peſſimum eſt,vt nullo alio egerent indice, quo ſe Deo inuiſos eſſe agnoſcerent) ſed etiam Dei benignitate & miſericordia abuſi ſunt:nam cùm prophetas veros habuerint, à quibus impietatis admoniti ad officium reuocarentur,horum autem dicta & ſermones,horum conſilia,horum prædictiones reapſe cum veritate, cum diuinis legibus & verbis maximè conſtarent; ita adeò contra ſe

rationem

rationem ipſam & diuinam legem,& multorum grauiſſimorumque vatum teſtimonia habebant.his autem omnibus repudiatis ipſi ſibi prophetas creabant, quos cōſulerent,à quibus,quænam Dei erga eos voluntas eſſet,docerentur, perinde quaſi Deus ſibi non conſtaret,atque per alios atque alios vates, alia atque alia diſſimilia ſibique diſſentanea dicturus eſſet; & tamen cùm ab iſtiuſmodi vatibus nihil verum,ſed popularia omnia,atque ad gratiam efficta afferrentur,iſtorum potius noui exempli vatum,quàm illorum probatę auctoritatis teſtimonio & verbis fidem habebant: ex qua re effectum eſt, vt ipſi ſibi periculum molirentur,ipſi ſibi cauſa eſſent cur perirent. [*Speculator Ephraim cum Deo meo:*] Titulus falſorum prophetarum hic erat:namque propheta ſpeculator conſtitutus eſt,qui mentis impulſu,atque toto officij ſui genere,tanquam ex ſpecula aliqua futuram tempeſtatem,& pericula omnia obſeruet,atque proſpiciat,nec vnquam ſpeculator, niſi periculi cauſa eſt. Sic Deus apud Ezechielem: Fili hominis,inquit,ſpeculatorem dedi te domui Iſraël,& audies Ezech. 3. 33.
verbum de ore meo,& annuntiabis eis. Igitur cùm à veris vatibus Iſraëlitæ ad bonam frugem vocarentur,cùm venturæ calamitatis(niſi inſanire deſtitiſſent)admonerentur, huiuſmodi ſeuerioribus viris ipſi non credentes, alios ſibi inſtituebāt, qui numquid mali à Deo metuendum eſſet,ſpecularentur. vt autem impia res pietatis nomine honeſtaretur, inſigni & pulchro titulo eiuſmodi prophetæ appellabantur. [*Speculator Ephraim cum Deo meo.*] Ita vt Deum à ſe non repudiatum, ſed retentum potius atque conſultum eſſe profiterentur. Vtitur autem ea exornatione in dicendo vates,quæ Græcis Mimeſis, Latinis Imitatio dicitur, Matt. 5.
vt:Quicunque ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis,minimus vocabitur,&c. Atq hæc ad Sarcaſmon aptè pertinet, vt *Cantando tu illum.* Quàm vtile porrò fuerit illis hoc inuētum Virg. Eclo. 3
pulcherrima antitheſi vates noſter docet: *Laqueus ruinæ factus eſt ſuper omnes vias eius:*] Qui ſpeculandi cauſa inſtitutus erat,vt rationibus Iſraëlitarum proſpiceret & conſuleret, ipſe verborum ſuorum laqueo auctores ſuos,hoc eſt populum irretiuit & cepit; namque huius ſpeculatoris conſiliis, exhortationibus, huius vanis prædictionibus omnes quas inierunt errorum vias ſecuti,perierunt. Hic qui pacem & familiaritatem diuinam promiſerat, hic idem ſecuritate illa quam promittebat,diuinum odium ſuis in populum obſequiis ſtruxit; hoc eſt quod dicit:

Inſania in domo Dei mei:

HEBRAICE odium & furor in domo Dei mei. Perſtat autem in Mimeſi & antitheſi: Eſtque hæc ſententia.Quem iſti ſpeculatorem Dei ſui inſtituerant,is ruinæ atque odij auctor euaſit. Præterea Deum ſuum, quem iſti non ſibi iratum huius verbis credebat, hunc ſibi infenſum Deum ſuum, hunc inimicum experientur, vt videant qua ratione Deum ſuum appellent, longè profectò alia quàm ipſi exiſtimauerant:ſic verborum inanes apud iſtos vſurpationes, & ſine vlla re & veritate fuiſſe à Vate arguuntur, & meritò irridentur. [*In domo Dei mei.*] Ducta oratio eſt ex ſimilitudine eorum, qui in magna familia apud Dominum plurimum poſſe videntur,qui ſe cæteros familiares in gratia Domini retinere profeſſi,tamen committunt,vt tum ſibi ipſis in primis,tum ſua cauſa cæteris inuidiam parent: Ita qui denuntiandi atque declinandi periculi cauſa in ſpeculis collocatus erat; idem ipſe laqueus ad capiendum populum factus eſt. Ex qua quidem re Iſraël ſtudioſè & pertinaciter peccaſſe arguitur, qui non ſolùm præmonitus diuinis conſiliis non acquieuerit, ſed poſt admiſſum ſcelus ad pœnitentiam & ad ſanitatem per nuntios ſpeculatores, & prophetas ſuos reuocantem Deum non audierit,imò conſilio aduerſus eum per mendaces vates inito,officium repetentem contempſerit. Manifeſtum ergo eſt hos in ſceleribus & flagitiis ſuſcipiendis altiſſimas egiſſe radices, atque ad Gabaitarum exemplum inſaniiſſe. vt enim illi olim, neque rogati obſecratiq́ue à maleficio, neque poſteà admoniti, & poſtulati de ſententia deſiſtere voluerunt,quæ res illis pernities & exitium fuit,ſicut ſcriptum eſt:Et Iudic. 19.
noluerunt fratrum ſuorum filiorum Iſraël audire mandatum, ſed ex cunctis vrbibus, quæ ſortis ſuæ erant,conuenerunt in Gabaa, vt illis ferrent auxilium, & contra vniuerſum populum Iſraël dimicarent. Eodem modo Ephraitæ nunc contra fas communi ſtudio impietatem ſuſcepēre, neque ſe vllis rationibus de eo curſu reuocari paſſi ſunt, ſed additis etiam impiorum vatum conſiliis, in ſententia permanſerunt: Quamobrem ait;

Profundè peccauerunt ſicut in diebus Gabaa:

QVÆ res exitio eis, ſicut & illis futura eſt: nam Deus vltor

Recordabitur iniquitatis eorum, & viſitabit peccata eorum.

QVID ſit,recordari & viſitare,in diuinis ſermonibus,vtq́. vtrumq. verbū ad prouidentiam referatur,dictum iam à nobis eſt. Simile verò ſeueritatis exemplum,quod in eis, vt in Gabaitis edendum fore ſuperius prædictum fuerat. ex ſceleris ſimilitudine etiam æquiſſimum fore nunc porrò oſtenditur; dixerat enim vates: Clangite tuba in Gabaa, &c. Supra 5.

Quaſi

Quaſi vuas in deſerto inueni Iſraël, & quaſi prima poma ficulneæ in cacumine eius vidi patres eorum, ipſi autem intrauerunt ad Baal Peghor, & abalienati ſunt in confuſionem, & facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt.

IVSTISSIMA vltio,& inſultatio eſt,in eos qui & ſcelerati & ingrati etiã ſunt: Namq.
in nocentem & iniurium ſeuerius proferre iudicium æquum eſt: in iis verò qui accepti beneficij immemores,aduerſus eum,a quo humanè amiceque tractati fuerint, ingratè, iniu-
Prou. 17. ſtè,& contumelioſè ſe geſſerint,omnia cum ſummis exprobrationibus conſumere ſuppli-
» cia fuerit æquiſſimum,ſicut ſcriptum eſt: Qui reddit malum pro bono,non recedet malum
de domo eius. Huius quidem argumenti hęc lectio eſt,qua Deus non ſolùm Iſraëli ad ſupplicium damnato inſultat quòd ſceleratus,ſed etiam quòd ingratiſſimus fuerit: Namque à
Deo ſuo à quo maximis beneficiis præter cęteros omnes mortales affectus fuerat,per ſummum nefas ſeſe abalienauit. Duplex autem ſcelus fuiſſe, quo ſeſe Iſraël contaminauerat,iam ſuperiori huius vatis lectione edocti ſumus; vnum genus fuit illegitimũ ſtupri
atq.adulterij ſtudiũ,quo populus ille vehementiſſimè exarſit; alterũ fuit ſuperſtitionis impia ac temeraria cupiditas,quam ſpiritualem fornicationem vocant,qua incredibilẽ etiam
in modum flagrauit. Hæc flagitiorũ genera adeò antiqua eſſe apud Iſraëlitas docet Deus,
vt ob eam cauſam ſæpiſſimè ab ipſis fuerit reiectus. Commemorat autem ſuum in illos
ſtudium,quod vbi cum illorum impietate confert,quàm iuſtè damnatæ fuerint comparatione intelligitur. Quoniam verò in omni & officij & iniuriæ genere animus in primis agentis ſpectatur,neque tantum quid actum, quàm quo ſtudio & voluntate ſit actum quæritur; ob eam rem quo ipſe animo in illos,& qua rurſus voluntate illi in ſe fuerint oſtendit:
Profitetur autem illos ab initio gratiſſimè à ſe fuiſſe ſuſceptos, quam rem aptiſſimis ſimilitudinibus explicat. Nam ſi quis dum per ſolitudinem iter agit eſuriens vuas in vite fortè
maturas præter opinionem inueniat,aut primas & præcoces in ſummis ficulneæ ramis videat ficus, vehementer delectatur ob inſperatam temporis & loci commoditatem, cùm
propter opportunitatem, tum propter deſiderium etiam, atque ob fructuum ipſorũ præſtantiam,cùm in omni fructuum genere hæc duo plurimum excellant, quemadmodum
alio in loco diſſerimus: Ad eundem modum Iſraël in ſolitudine inuentus, cùm aliquẽ pietatis fructum afferre videretur, Deo gratus fuerat,vt in tãto veræ religionis deſiderio, cùm
totus orbis in veri Dei ignoratione,atque in errore verſaretur, hic vnus populus qui præ
cæteris diuinam erga ſe prouidentiam & curam fuerat expertus, verum Deum ſanctè caſteque coleret. [*Quaſi vuas in deſerto.*] Res omnes vehementer gratas eſſe cùm maximè deſiderantur, ſi tunc ſuppetant, ex hoc loco docemur, ſicut & Poëta cecinit:
Virgil. Eclo. 5. *Tale tuum carmen nobis diuine poëta, Quale ſopor feſſis in gramine, quale per æſtum*
Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere riuo.

Quanquam autem Iſraël primò in Ægypto inuentus, indeque fuerat eductus; tamen
cùm ſeductus à cæteris gentibus fuit, & in deſerto populi ac Reipublicæ formam præceptis,legibus atque inſtitutis diuinis cepit; tunc verò gratiſſimus, & Deo chariſſimus eſt ha-
Ierem. 2. bitus, atque vt deſideratus & primus quidam fructus cum gaudio exceptus, quemadmo-
» dum apud Ieremiam Deus ipſe ait: Recordatus ſum tui miſerans adoleſcentiam tuam, &
» charitatem deſponſationis tuæ,quando ſecuta es me in deſerto in terra quæ non ſemina-
» tur: Sanctus Iſraël Domino,primitiæ frugum eius,&c. Cùm verò ad ea vſque tẽpora ſuam
prouidentiam & ſtudium nulli totius orbis nationi præter cæteras adhibuiſſet (neq, enim
aliquem antea populum habuerat peculiarem) ob eam cauſam totum orbem arbori, Iſraëlem verò primis fructibus ſimilem dicit; cùm tandem futurum eſſet, vt ex eo populo veri
Isai. 49. Dei notitia, & humanæ ſalutis ſemen per vniuerſum orbem ſpargeretur, ſicut ſcriptũ eſt:
» Poſui te in lucem gentium, vt ſit ſalus mea vſque ad extremum terræ; interim autem dum
» hæc parabantur, Iſraël primus ficulneæ fructus & præcox erat; atque vt Ieremias dicit: Primitiæ frugum Domini. Ficus inter omnes arbores bifera præcipuè eſt,quæ cùm autumno
copioſiſſimum fructum ferat,æſtate etiam non ita abundanter,ficus tamen ſuaues profert,
quas præcoces vocant; ſic Iſraëlis illa tempeſtiua vocatio gentium vocationem tempore &
maturitate præcucurrit. [*Quaſi prima poma ficulneæ in cacumine eius, vidi patres eorum:*] Non de Abraham, Iſaac & Iacob primis huius gentis parentibus,ſed de iis qui in deſerto fuerant,ſermo eſt,quos patres, hoc eſt, maiores horum,qui vatis huius tempore erant,vocat; illi autem
primi defectionis & ſcelerum auctores, & domeſtica ad imitandum exempla poſteris ſuis
fuerunt, quam rẽ Chriſtus perſæpe,& D. Stephanus celeberrima illa oratione ſua aliquan-
Ierem. 2. do perſecutus eſt. de quibus patribus & in eodem loco Ieremias ait: Hæc dicit Dominus;
» quid inuenerunt patres veſtri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me & ambulauerunt
» poſt vanitatem, & vani facti ſunt? hoc ingratitudinis ſcelus, hoc loco illis exprobratur:

Nam

Nam pro ſummo amore, pro maximis officiis ſeſe maximè leues atque ingratos, & ſi id
commodè dici poteſt iniurios præbuêre. [*Ipſi autem intrauerunt ad Baal Phegor, & abalienati ſunt in
confuſionem*:] In vanorum numinum penè infinitis nominibus explicandis, magnus qui-
dem neque valdè tamen, vtilis labor eſt ſuſcipiendus, ſi quis animum ad eam rem appule-
rit, & tamen non planè certam de omnibus rationem aſſequetur. de hoc Deo atque eius
nomine, nobis aliorum ſententias legentibus, nihil affirmatione dignum viſum eſt; ſed ex
ipſa tamen verbi ſignificatione ſecundum diuinorum librorum rationem petita Baghal
Phegor deſiderij Deum interpretari libuit, cuius ſimulachrum aperto ore auentium deſi- Num.12.
derantiumq́ue habitu fuiſſe coniicimus: quam quidem interpretationem ſuo in loco, ſi nos
eò Deus deduxerit, diſputabimus. Hic fuit Moabitarũ Deus, cuius ſacris filij Iſraël in gra-
tiam Madianitidarum initiati ſunt. Quoniam autem libidines & adulteriorum ſtudia eis
hoc loco præcipuè exprobrantur, quibus ſtudiis in idololatriam prolapſi ſunt, ob eam rem
neque vituli, neque aliorum ſcelerum, quibus ſeſe in ſolitudine contaminauerant, ſed hu-
ius tantum meminit, in quo ſummum nefas flagransq́. libido fuit; nam cùm fœminæ ama-
torum obſequio & comitate valde delectentur, illi vt muliercularum voluntati morẽ ge- Num.22.
rerent, pollutarum epularum participes vltrò fuêre, ſicut ſcriptum eſt: Morabatur autem "
eo tempore Iſraël in Setim, & fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt "
eos ad ſacrificia ſua: at illi comederunt & adorauerunt deos earum. hoc eſt quod dicit eos
eò inſaniæ propter libidinem proceſſiſſe, vt ad nefarij etiam cultus communicationem de-
uenirent. & à Dei ſui cultu atque amore alienarentur: [*In confuſionem*,] Hoc eſt in dede-
cus & turpitudinem, qua ſanctitatem illam ſuam, atque amoris erga ſe mei dignitatem
fœdarunt. Etenim cuius quis vehementi amore tenetur, ad id animum ſtudiumque ſuum
conuertit, atque aliud horrens huic ſeſe penitus inſinuat, ita vt de quouis homine ex iis re-
bus, quibus affectu, atque animo affinis eſt, exiſtimare conſentaneum ſit. Igitur cùm ſeſe
Iſraëlitę turpiſſimarũ & prophaniſſimarum mulierũ amori tradiderint, pari ſe odio dignos
præbuêre: *Et facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt.*] Iam huius loci ſententia explicata eſt.

Ephraim quaſi auis auolabit gloria eorum à partu & ab vtero & à conceptu.

INTER alias populi fœlicitates primas tenet ſobolis multitudo: namque ex ea fami-
liarum ciuitatum & gentium origo, propagatio, ac non vulgaris parentum, atque progeni-
torum ſplendor & amplitudo eſt; ſicut ſcriptum eſt: Gloria ſenum filij filiorum. Atque hac Prou.17.
quidem gloria in qua excelluiſſe Iſraëlem aliquando legimus, ſimul cum aliis fruſtrandum "
prædicit, vt non minus in hac, quàm in aliis rebus illi ſit cæteris populis inuidendum: Et-
enim malè atque illegitimè ſuſcepti filij exitiales exitus habere ſolent, ſiquidem vel in lu-
cem non veniunt, vel non creſcunt, vel nati & adulti quàm citiſſimè abolentur, ſicut ſcri-
ptum eſt: Multigena autem impiorum multitudo non erit vtilis, & ſpuriæ plantationes Sapi.4.
non dabunt radices altas, neque ſtabile firmamentum collocabunt, & in ramis in tempore "
germinabunt, infirmiter poſita à vento commouebuntur, & à nimietate ventorum era- "
dicabuntur, &c. In eundem itaque exitum Ephraitarum familiaris atque paterni exempli "
imitatricem libidinem ſpectare prædicit, eamq. infelicitatem incredibili feſtinatione pro-
peraturam. Maxima enim ſobolis pars variis caſibus, antequam vitæ commodis fruatur,
peribit; reliqua verò quæ ſuperfuerit, tamen immaturos ſortietur interitus: atque hoc mo-
do eorum gloria & generis ſplendor celerrimè quaſi auis auolabit: *A partu*.] Simul ac in
lucem editi fuerint, antequam in primum circuncisionis & nominis honorem adducan-
tur. Alij verò *ab vtero*, ante legitimum naſcendi tempus abortibus extinguentur. Alij au-
tem *à conceptu*, quò quo minus generari poſſint vterorum ſterilitate impedientur; ſi qui verò
illis nati cum ætate adoleuerint, ex his malis hæc euadent deteriora, quòd immaturè alij,
alij verò intempeſtiuè rapti, dolorem etiam parentibus cum deſiderio relinquent. atque
hæc res ſic prædicitur:

Quòd & ſi enutrierint filios, abſque liberis eos faciam in hominibus:

HEBRAICE ſterilificabo eos ab homine: Vt quamuis homines ipſi ſint, tamen ex tur-
pi atque illegitimo complexu geniti, gignẽdis hominibus ſibi ſimilibus inhabiles, & inepti
fiant. Vt muli & vt cæteræ ex malè mixtis generibus natæ animantes, quæ tametſi viuere Vide Ariſt.
& ſupereſſe poſſint, gignere tamen & procreare haud quaquam valent. Neque verò gloria in hiſtoria
ſolùm & ſplendore, atque illis ornamentis, ſine quibus neque vita ipſa chara eſt, eos ſpo- animantiũ.
liandos atque ſobolis ſucceſſione carituros, ſed multis etiam incommodis & difficultati-
bus afficiendos eſſe prædicit, ita vt vitæ illos tædere iam poſſit, quam in tantis malis miſer-
timam acerbiſſimamque ducent. In cauſa autem erit, quòd Deum à ſe alienatum ſentient,
à quo ipſi ſe vltrò abalienauerant; Nam qui vitæ bonorumque omnium auctorem repu- Deut.31.
diarint, eos maximis malis onerari neceſſe eſt; ſic enim legimus; Et abſcondam faciem "
meam

Quaſi vuas in deſerto inueni Iſraël, & quaſi prima poma ficulneæ in cacumine eius vidi patres eorum, ipſi autem intrauerunt ad Baal Peghor, & abalienati ſunt in confuſionem, & facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt.

IVSTISSIMA vltio,& inſultatio eſt,in eos qui & ſcelerati & ingrati etiã ſunt:Namq. in nocentem & iniurium ſeueriùs proferre iudicium æquum eſt:in iis verò qui accepti beneficij immemores,aduerſus eum,à quo humanè amiceque tractati fuerint, ingratè, iniu-
Prou.17. ſtè,& contumelioſè ſe geſſerint,omnia cum ſummis exprobrationibus conſumere ſuppli-
» cia fuerit æquiſſimum,ſicut ſcriptum eſt:Qui reddit malum pro bono,non recedet malum de domo eius.Huius quidem argumenti hęc lectio eſt,qua Deus non ſolùm Iſraëli ad ſupplicium damnato inſultat quòd ſceleratus,ſed etiam quòd ingratiſſimus fuerit:Namque à Deo ſuo à quo maximis beneficiis præter cęteros omnes mortales affectus fuerat,per ſummum nefas ſeſe abalienauit. Duplex autem ſcelus fuiſſe, quo ſeſe Iſraël contaminauerat,iam ſuperiori huius vatis lectione edocti ſumus; vnum genus fuit illegitimũ ſtupri atq.adulterij ſtudiũ,quo populus ille vehementiſſimè exarſit;alterũ fuit ſuperſtitionis impia ac temeraria cupiditas,quam ſpiritualem fornicationem vocant,qua incredibilē etiam in modum flagrauit. Hæc flagitiorũ genera adeò antiqua eſſe apud Iſraëlitas docet Deus, vt ob eam cauſam ſæpiſſimè ab ipſis fuerit reiectus. Commemorat autem ſuum in illos ſtudium,quod vbi cum illorum impietate confert,quàm iuſtè damnatæ fuerint comparatione intelligitur. Quoniam verò in omni & officij & iniuriæ genere animus in primis agentis ſpectatur,neque tantum quid actum, quàm quo ſtudio & voluntate ſit actum quæritur;ob eam rem quo ipſe animo in illos,& qua rurſus voluntate illi in ſe fuerint oſtendit: Profitetur autem illos ab initio gratiſſimè à ſe fuiſſe ſuſceptos, quam rem aptiſſimis ſimilitudinibus explicat. Nam ſi quis dum per ſolitudinem iter agit eſuriens vuas in vite fortè maturas præter opinionem inueniat,aut primas & præcoces in ſummis ficulneæ ramis videat ficus, vehementer delectatur ob inſperatam temporis & loci commoditatem, cùm propter opportunitatem, tum propter deſiderium etiam, atque ob fructuum ipſorũ præſtantiam, cùm in omni fructuum genere hæc duo plurimum excellant, quemadmodum alio in loco diſſerimus: Ad eundem modum Iſraël in ſolitudine inuentus, cùm aliquē pietatis fructum afferre videretur, Deo gratus fuerat,vt in tãto veræ religionis deſiderio, cùm totus orbis in veri Dei ignoratione,atque in errore verſaretur, hic vnus populus qui præ cæteris diuinam erga ſe prouidentiam & curam fuerat expertus, verum Deum ſanctè caſteque coleret. [*Quaſi vuas in deſerto.*] Res omnes vehementer gratas eſſe cùm maximè deſiderantur, ſi tunc ſuppetant, ex hoc loco docemur, ſicut & Poëta cecinit:

Virgil. Eclo. 5.

Tale tuum carmen nobis diuine poëta,
Quale ſopor feſſis in gramine, quale per æſtum
Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere riuo.

Quanquam autem Iſraël primò in Ægypto inuentus, indeque fuerat eductus; tamen cùm ſeductus à cæteris gentibus fuit, & in deſerto populi ac Reipublicæ formam præceptis,legibus atque inſtitutis diuinis cępit;tunc verò gratiſſimus,& Deo chariſſimus eſt ha-
Ierem.2. bitus. atque vt deſideratus & primus quidam fructus cum gaudio exceptus, quemadmo-
» dum apud Ieremiam Deus ipſe ait: Recordatus ſum tui miſerans adoleſcentiam tuam, &
» charitatem deſponſationis tuæ,quando ſecuta es me in deſerto in terra quæ non ſemina-
» tur:Sanctus Iſraël Domino,primitiæ frugum eius;&c. Cùm verò ad ea vſque tẽpora ſuam prouidentiam & ſtudium nulli totius orbis nationi præter cæteras adhibuiſſet (neq. enim aliquem antea populum habuerat peculiarem)ob eam cauſam totum orbem arbori,Iſraëlem verò primis fructibus ſimilem dicit; cùm tandem futurum eſſet, vt ex eo populo veri
Iſai.49. Dei notitia, & humanæ ſalutis ſemen per vniuerſum orbem ſpargeretur, ſicut ſcriptũ eſt:
» Poſui te in lucem gentium, vt ſit ſalus mea vſque ad extremum terræ;interim autem dum
» hæc parabantur,Iſraël primus ficulneæ fructus & præcox erat;atque vt Ieremias dicit:Primitiæ frugum Domini. Ficus inter omnes arbores bifera præcipuè eſt,quæ cùm autumno copioſiſſimum fructum ferat,æſtate etiam non ita abundanter,ficus tamen ſuaues profert, quas præcoces vocant:ſic Iſraëlis illa tempeſtiua vocatio gentium vocationem tempore & maturitate præcucurrit. [*Quaſi prima poma ficulneæ in cacumine eius, vidi patres eorum:*] Non de Abraham,Iſaac & Iacob primis huius gentis parentibus,ſed de iis qui in deſerto fuerant,ſermo eſt,quos patres,hoc eſt,maiores horum,qui vatis huius tempore erant,vocat;illi autem primi defectionis & ſcelerum auctores, & domeſtica ad imitandum exempla poſteris ſuis fuerunt. quam rẽ Chriſtus perſæpe,& D. Stephanus celeberrima illa oratione ſua aliquan-
Ierem. 2. do perſecutus eſt. de quibus patribus & in eodem loco Ieremias ait: Hæc dicit Dominus;
» quid inuenerunt patres veſtri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me & ambulauerunt
» poſt vanitatem, & vani facti ſunt? hoc ingratitudinis ſcelus, hoc loco illis exprobratur;

Nam

Nam pro ſummo amore, pro maximis officiis ſeſe maximè leues atque ingratos, & ſi id
commodè dici poteſt iniurios præbuêre. [*Ipſi autem intrauerunt ad Baal Phegor, & abalienati ſunt in
confuſionem:*] In vanorum numinum penè infinitis nominibus explicandis, magnus qui-
dem neque valdè tamen, vtilis labor eſt ſuſcipiendus, ſi quis animum ad eam rem appule-
rit, & tamen non planè certam de omnibus rationem aſſequetur. de hoc Deo atque eius
nomine, nobis aliorum ſententias legentibus, nihil affirmatione dignum viſum eſt; ſed ex
ipſa tamen verbi ſignificatione ſecundum diuinorum librorum rationem petita Baghal
Phegor deſiderij Deum interpretari libuit, cuius ſimulachrum aperto ore auentium deſi- Num.12.
derantiumque habitu fuiſſe conijcimus: quam quidem interpretationem ſuo in loco, ſi nos
eò Deus deduxerit, diſputabimus. Hic fuit Moabitarũ Deus, cuius ſacris filij Iſraël in gra-
tiam Madianitidarum initiati ſunt. Quoniam autem libidines & adulteriorum ſtudia eis
hoc loco præcipuè exprobrantur, quibus ſtudiis in idololatriam prolapſi ſunt, ob eam rem
neque vituli, neque aliorum ſcelerum, quibus ſeſe in ſolitudine contaminauerant, ſed hu-
ius tantum meminit, in quo ſummum nefas flagransq. libido fuit; nam cùm fœminæ ama-
torum obſequio & comitate valde delectentur, illi vt muliercularum voluntati morẽ ge- Num.22.
rerent, pollutarum epularum participes vltrò fuêre, ſicut ſcriptum eſt: Morabatur autem "
eo tempore Iſraël in Setim, & fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt "
eos ad ſacrificia ſua: at illi comederunt & adorauerunt deos earum. hoc eſt quod dicit eos
eò inſaniæ propter libidinem proceſſiſſe, vt ad nefarij etiam cultus communicationem de-
uenirent. & à Dei ſui cultu atque amore alienarentur: [*In confuſionem,*] Hoc eſt in dede-
cus & turpitudinem, qua ſanctitatem illam ſuam, atque amoris erga ſe mei dignitatem
fœdarunt. Etenim cuius quis vehementi amore tenetur, ad id animum ſtudiumque ſuum
conuertit, atque aliud horrens huic ſeſe penitus inſinuat, ita vt de quouis homine ex iis re-
bus, quibus affectu, atq; animo affinis eſt, exiſtimare conſentaneum ſit. Igitur cùm ſeſe
Iſraëlitę turpiſſimarũ & prophaniſſimarum mulierũ amori tradiderint, pari ſe odio dignos
præbuêre: *Et facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt.*] Iam huius loci ſententia explicata eſt.

Ephraim quaſi auis auolabit gloria eorum a partu & ab vtero & à conceptu.

INTER alias populi felicitates primas tenet ſobolis multitudo: namque ex ea fami-
liarum ciuitatum & gentium origo, propagatio, ac non vulgaris parentum, atque progeni-
torum ſplendor & amplitudo eſt; ſicut ſcriptum eſt: Gloria ſenum filij filiorum. Atque hac Prou.17.
quidem gloria in qua excelluiſſe Iſraëlem aliquando legimus, ſimul cum aliis fruſtrandum "
prædicit, vt non minus in hac, quàm in aliis rebus illi ſit cæteris populis inuidendum: Et-
enim malè atque illegitimè ſuſcepti filij exitiales exitus habere ſolent, ſiquidem vel in lu-
cem non veniunt, vel non creſcunt, vel nati & adulti quàm citiſſimè abolentur, ſicut ſcri-
ptum eſt: Multigena autem impiorum multitudo non erit vtilis, & ſpuriæ plantationes Sapi.4.
non dabunt radices altas, neque ſtabile firmamentum collocabunt, & in ramis in tempore "
germinabunt, infirmiter poſita à vento commouebuntur, & à nimietate ventorum era- "
dicabuntur, &c. In eundem itaque exitum Ephraitarum familiaris atque paterni exempli "
imitatricem libidinem ſpectare prædicit, eamq. infelicitatem incredibili feſtinatione pro-
peraturam. Maxima enim ſobolis pars variis caſibus, antequam vitæ commodis fruatur,
peribit; reliqua verò quæ ſuperfuerit, tamen immaturos ſortietur interitus: atque hoc mo-
do eorum gloria & generis ſplendor celerrimè quaſi auis auolabit: *A partu.*] Simul ac in
lucem editi fuerint, antequam in primum circuncisionis & nominis honorem adducan-
tur. Alij verò *ab vtero*, ante legitimum naſcendi tempus abortibus extinguentur. Alij au-
tem *à conceptu*, quo quo minus generari poſſint vterorum ſterilitate impedientur; ſi qui verò
illis nati cum ætate adoleuerint, ex his malis hæc euadent deteriora, quòd immaturè alij,
alij verò intempeſtiuè rapti, dolorem etiam parentibus cum deſiderio relinquent. atque
hæc res ſic prædicitur:

Quòd & ſi enutrierint filios, abſque liberis eos faciam in hominibus:

HEBRAICE ſterilificabo eos ab homine: Vt quamuis homines ipſi ſint, tamen ex tur-
pi atque illegitimo complexu geniti, gignẽdis hominibus ſibi ſimilibus inhabiles, & inepti
fiant: Vt muli & vt cæteræ ex malè mixtis generibus natæ animantes, quæ tametſi viuere Vide Ariſt.
& ſupereſſe poſſint, gignere tamen & procreare haud quaquam valent. Neque verò gloria in hiſtoria
ſolùm & ſplendore, atque illis ornamentis, ſine quibus neque vita ipſa chara eſt, eos ſpo- animantiũ.
liandos atque ſobolis ſucceſſione carituros, ſed multis etiam incommodis & difficultati-
bus afficiendos eſſe prædicit, ita vt vitæ illos tædere iam poſſit, quam in tantis malis miſer-
rimam acerbiſſimamque ducent. In cauſa autem erit, quòd Deum à ſe alienatum ſentient,
à quo ipſi ſe vltrò abalienauerant: Nam qui vitæ bonorumque omnium auctorem repu- Deut.31.
diarint, eos maximis malis onerari neceſſe eſt; ſic enim legimus: Et abſcondam faciem "
meam

„ meam ab eo,& erit in deuotationem: Inuenient eum omnia mala & afflictiones;ita vt dicat,in illo die verè quia non eſt Deus mecum, inuenerunt me hæc mala. atque ob hanc cauſam additur:

Væ eis cùm receſſero ab eis.

QVO in loco illud obſeruatione dignum eſt Deum nobis, neque vltrò, neque temerè vnquam,ſed noſtris ſceleribus reiectum repudiatumque abeſſe: Qui cùm Iſraëlitas tantis reprehenſionibus, tot minis fuerit proſecutus, tamen nondum ſe abeſſe dicit, ſed poſtremò tandem abfuturum,cùm modis & rationibus omnibus tentatis, minimè tamen fuerit admiſſus;tunc væ illis cùm receſſerit ab eis, neque vnquam veriùs væ, quàm cùm receſſe-
Deut. 31. rit:recedet autem ab iis,qui priores ſeſe alienauerint,ſicut ſcriptum eſt: Et ego abſcondam,
„ & celabo faciem meam in die illo, propter omnia mala quæ fecit, quia ſecutus eſt deos alienos; non modò propter mala, ſed propter omnia mala quæ fecit; quia tamdiu expectat Deus,vt miſereatur noſtri,quoad aucto malorum cumulo,ipſe omninò fuerit excluſus. O diuinam miſericordiam, ò maximam hominum in hac re culpam, atque maximũ eorum errorem,qui diuinam voluntatem primam huius infelicitatis cauſam eſſe volunt,cui nihil eorum quæ ab ipſo facta ſunt,odio eſſe ſacra ſapientia confirmat. Verùm huius breuis hemiſtichij grauiſſimam ſententiam colliget, qui attentè conſiderauerit, quo in loco Iſraëlitarum res hoc tempore ſint, ex quo illi ob repulſum Chriſtum animorum cæcitate mulctandi fuerunt. Quam quidem rem, quoniam nunc perſequi opportunũ non eſt,indicaſſe ſatis fuerit. Maxima porrò Iſraëlis calamitas, & maxima in eo Dei indignatio, comparatione oſtenditur : quòd reliquæ huic vicinæ gentes in ſumma pacis & otij tranquillitate vitam placidè ducant: Iſraël vero continuis bellis vexatus, ad exitium properare videatur. Atque hoc non ad caſum,vel fortunam, non ad hoſtium imperandi libidinem, qui & cæteris etiam vicinis negotium facere poſſent; ſed ad diuinam prouidentiam & illorum maximam culpam ſpectare interpretari oportuit.atque adeò ad hanc comparationem faciendam Tyrum produxit florentiſſimam illis temporibus vrbem, & Iſraëlitis omnium maximè vicinam: fuit enim Palæſtinæ regionis inſula, Phœnicum populo refertiſſima, in mari ſecundum continentem ſita,& loci natura & induſtria munita, nulliſque rebus, quæ opulentas beataſque Reſpub. facere poſſunt, deſtituta. cuius ſitum & fortitudinem ſi quis in-
Q. Curtius. telligere deſideret, Q. Curtium poſt Ezechielem legat.:Hanc ab Aſſyriis Agenoris ſociis fundatam inter Chananæorum vrbes maximam antiquiſſimamque fuiſſe apud Iſaiam le-
Iſai. 23. gimus:quæ cùm multis nominibus feliciſſima fuiſſe à vatibus atque aliis ſcriptoribus traditur, nulla re magis,quàm partu (vt Plinius inquit) clara fuit: Namque eam Tharſis geni-
Plin. lib. 2. tricem, hoc eſt celeberrimorum Africæ populorum ex ſacris literis accepimus : Vrbibus genitis Lepti Vtica,& illa imperij Romani æmula terrarum orbis auida Carthagine etiam
Ierem. 47. Gadibus extra orbem conſitis. Hæc Plinius. Quæ quidem apud Ieremiam & Ezechielem
Ezech. 26. 27 non obſcurè ſunt tradita. Ex hac autem re felicitatis & fortunarum cõtentionem vates noſter facit: cùm finitimam Ephraitis vrbem Tyrum à ſe prophetico ſenſu in ſumma pace & tranquillitate florentem videri dicat; adeò, vt ſobole maximas etiã vrbes & frequentes populos compleat, atque multiplici partu gloriam & ſplendorem ſuum augeat. Cùm tamen Iſraël contrà vel filios non procreet, vel quos procrearit aſſiduis bellis vexatus, quotidie hoſtibus ad necem producat; Tyro lætandum & exultandum eſt, Iſraëli autem vehementer fuerit eiulandum. hanc verò contentionem his verbis tractat:

Ephraim (vidi) Tyrus erat fundata in pulchritudine, & Ephraim educet ad interfectorem filios ſuos.

Horat. lib. 3. APPELLAT Ephraim ob commiſerationem; nam vocandi caſus abſolutè poſitus af-
Od. 17. fectum dicentis indicat, vt: *Pater ô relictum Filia nomen.* [Vidi] Orationem amplificat, & rem vehementer aſſeuerat; habet namque magnam ad affectus concitandos vim, cùm ſeſe
Pſal. 54. quis rei, quam aut docet, aut laudat, aut lamẽtatur, ſpectatorem fuiſſe ait, vt: Præcipita Domine,& diuide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate.
Horat. lib. 3. quod & ille: *-- Signa ego Punicis Affixa delubris, & arma Militibus ſine cæde (dixit) Direpta vidi:*
Od. 5. *vidi ego ciuium,* &c. [*Tyrus erat fundata in pulchritudine:*] Hebraicè eſt *in naueh;* quod nomen ad
נוה habitationis felicitatem & quietem refertur; namque à verbo *Nauah* deducitur, quod habitare ſignificat. Ex ea itaque re fortunarum contentio eſt, quòd Tyrus in ſumma tranquillitate conſtituta, felici partus abundantia vtatur ad habitandum , & incolendum terras: Ephraim verò filios ſuos ab hoſtibus interficiendos quotidie producat. Et quoniam in miſerrimis rebus id quod minus eſt miſerum eſt eligendum, ſatius eſſe putat vates, vt nulli illis naſcantur liberi, quàm vt ad necem atque ſtragem, maximo cum parentum dolore, & ſumma hoſtium gloria naſcantur: atq. ob eam rem miſeratione commotus Deum orat, vt

liberorum procreationem illis impediat, quo pœnam, quae ex diuino iudicio mulctandi erant, leuiorem tamen ſubirent: namque æquiore ferrent animo, infantes ab ortu præripi, aut debilitata virtute perire, quàm grandiores adultoſque crudeliter ab hoſtibus trucidari: propterea dicit,

Da eis Domine quod daturus es:

NAM quis non malit diuina potius, quàm humana manu caſtigari. aut quis Dauidis exemplo non dicat? Coarctor nimis, ſed melius eſt vt incidam in manus Domini (multæ enim miſericordiæ eius ſunt) quàm in manus hominum. Quid ergo eligit Vates. 2.Reg.24.

Da eis vuluam ſine liberis:

HEBRAICE eſt vuluam orbantem, hoc eſt vterum vel non concipientem, vel fœtus minimè fouentem.

Et vbera arentia.

VT SI qui nati fuerint, tamen lactis defectu pereant, id enim & minus miſerum, & parentibus minus moleſtum fuerit. atque ea res cùm ad naturæ rationem attingat, ad tuam potius prouidentiam, quàm ad humanam referri poterit voluntatem.

Omnes nequitiæ eorum in Galgal, quia ibi exoſos habui eos propter malitiam adinuentionum eorum, de domo mea eijciam eos, non addam vt diligam eos.

DETESTABILE illud antiquorum Iſraëlitarum exemplum nuper accuſauerat, qui communi conſenſu & populari impetu alienæ atq. prophanæ conſuetudinis cauſa Deum repudiauerant, quod ſcelus niſi Phinees expiandum curaſſet, parum abſuit quin funditus perirent, Deo eam ſui repulſam vlciſci iam incipiente. Nunc verò oſtendit filios parentum exemplum imitatos, diuinum in ſe odium iterum publicè concitaſſe, cùm in terram promiſſam deducti, legibus, imperio, atque præſidio diuino iam diu vſi, & beatæ ac liberæ Reipub. commodis omnibus florentes, tamen nouarum rerum cupiditate flagrantes ex finitimarum nationum æmulatione Regem hominem appetiuerant, nimirum quòd per ſuperbiam & ambitionem illos ſimplicis illius tranquillæ, faſtuque carentis Reipublicæ tæderet: ita dum regum nomen & ſplendorem affectant, dum humana ſuperbia turgent, dignitatem illam nulli rei comparandam atque omnibus gentibus inuidendam aſpernantur ac reſpuunt; qua ſe reſque ſuas diuino conſilio & cura, gubernari, tueri, atque agi, Deoque maximo & immortali, vt proprio Rege vti ac frui, gloriari poterant; quemadmodum admoniti aliquando fuerant ab ipſo: Quæ eſt, inquit, alia gens, aut tam grandis natio, vt habeat Deos appropinquantes ſibi ſicut & vos? Euenit autem vt qui Deo rege à ſua Republica eiecto, hominem appetiſſent, cæteras omnes, quæ hanc conſequi natæ ſunt, res ſuſciperent, vt adulationem, gratiam, obſequium, atque alia omnia quibus homines reges ſuos non tam officio ſæpe, quàm vitio proſequuntur. Hæc autem regni cupiditas nunquam in illis extincta fuit, neque rebus præter ſententiam cedentibus, ad antiquum Reipublicæ, & diuinæ gubernationis ſtatum animo ſeſe atque ſtudio conuerterunt: imò humani regis tædio ob iniuriam affecti, non diuinum, ſed humanum etiam regis præſidium quæſierunt, nouoſque ſibi conſtituerunt principes, quorum libidini parentes vſque ad idololatriam inſanirent. Quamobrem iam diu eſſe Deus ait, quòd illos meritò oderit, ſuſpectoſque habuerit, ex quo tanta voluntatis inclinatione ad humanam pompam & regium nomẽ propenſos, atque in ſententia perſtituros proſpexerit, ita vt rebus ea cauſſa afflictis, tamen de reuocando Deo, quo tam benigno, amico, atq. vt ita dicam, officioſo vſi fuerant, nunquam amplius in mentem illis venerit cogitare. Quoniã verò hæc Dei regis repudiatio primùm in Galgalis fuit, quo in loco per Samuelem Dei verbis & nomine, quid ſua ipſorum referret, admoniti, tamen à propoſito non ſunt deterriti. ob eam rem dicit: *Omnis malitia eorum in Galgal*] Quod ſtudium eorum in eo loco perſpectum fuit, atque ob eam rem *exoſos habui eos,*] ex illo tempore, quo ab illis ſum repudiatus; quam rem ſignis editis, ac Samuele interprete teſtatus ſum: Nunquid, inquit, nõ meſſis tritici eſt hodie? inuocabo Dominum, & dabit voces & pluuias, & ſcieris & videbitis, quia grande malũ feceritis in conſpectu Domini petentes vobis regem. Hoc ſtudium atque adeò hoc exquiſitum conſiliũ contra fas, contraque ius firmatum ſacræ literæ adinuentionem vocant: vt, Da eis ſecundum opera eorum, & ſecundum nequitiam adinuentionum ipſorum retribue illis. Meritò autem à domo regia exulant, meritò regis gratiam & voluntatem à ſe alienatam experiuntur, qui tantum aduerſus regem ſcelus admiſere, vt priores repudiarint, & eam ſententiam pertinaciter imprudentiſſimeque fuerint perſecuti. ob hanc autem rem addit: [*E domo mea eijciam eos*] Domum ſuam terram Iſraëlis appellat, quam ipſe præ cæteris orbis regionibus magna tutela fouebat, in qua vrbem ſibi ſanctam elegerat, & ædem illam toto orbe celeberri-

Deut.4.

1.Sam.12.

Pſal.28.

Pſal.75. mam optauerat, vbi regiis fungeretur officiis,ſicut ſcriptum eſt: Notus in Iudæa Deus, in Iſraël magnũ nomen eius, & factus eſt in Salem locus eius, & habitatio eius in Sion, &c.
Pſalm.67. Hoc in loco ſeſe regẽ,illos autem regiam familiã inſtituerat: Et viderunt, inquit,ingreſſus tuos,ingreſſus Dei mei,& regis mei,qui eſt in ſancto. Futurum autem propediem erat, vt partim ſuis vrbibus extorres,partim aut pulſi aut profugi,locum illum & ædem antiquam & celeberrimam, quæ nulla iam eſſet, atque quod maximè miſerum eſt, antiquam illam regis ſui gratiam deſiderarent;fruſtra tamen: *Quia non addam vltrà,vt diligam eos:*] Hoc eſt,non vltrà in eundem aut patriæ,aut gratiæ meæ locum reuertentur. Etenim ea Reipublicæ & religionis facie & forma qua illis temporibus vtebantur perpetuò caruêre: Cùm verò reuocandi in gratiam in nouiſſimis(vt ſcriptum eſt) diebus fuerint,non ad illam vmbram, ſed ad noſtram Chriſtianorum lucem, admittendi ſunt. Ratio autem quamobrem amplius diligendi non ſint,ea affertur,quòd hactenus patienter egerit,& quanquam offenſus,tamen expectauerit,quoad animum & ſtudium à ſe alienatum reducerent,& quoniam regiarum potius,quàm ſuarum partium eſſe omnes voluerant,obſeruatum à ſe fuiſſe,an aliquis aliquando extaret princeps,à quo ad officium reuocarentur, cùm illis liberum fuiſſet populi ſtudia & animos in quamuis partem flectere; & tamen nullus princeps fuit, qui diuinarum rerum cura tangeretur: Quinimo

Omnes principes eorum recedentes:

ID QVOD Iſraëlitarum regum hiſtorias legentibus, planum fiet.

Percuſſus eſt Ephraim, radix eius exiccata eſt, fructum nequaquam faciet: quòd etſi genuerit, interficiam amantiſſima vteri eorum.

QVIS non in ſacris libris maximam eloquentiam cum ſumma ſapientia coniunctam obſeruat,& miratur?Pudet profectò ingenij & iudicij eorum, qui cùm ſanctos libros ſententiarum & ſapientiæ fructibus refertos fateantur,elocutionis tamen ornamentis ſteriles eſſe arbitrantur,& quod inani quadam præter rerum naturam verborum luxuria diffluentes non videant, illud quod veræ eloquentiæ proprium eſt copioſiſſimè & elegantiſſimè cum maximo ſplendore & grauitate dicere in illis non agnoſcunt:ſed redarguendi hos aliquando locum ſpero nanciſci,vt qui in auctoribus legendis præter vtilitatis rationem,ſuauitatem etiam & dictionis ſplendorem venantur, vel hoc etiam nomine,ſtudium omne, omnemque operam in ſacris arcaniſq; voluminibus occupent,quòd in iis præter ſummam vtilitatem,ſummam etiam eloquentiæ iucunditatem eſſe certò ſciant. Nunc verò,vt quod inſtitutum eſt, agamus; orationis totius,quæ in hoc capite habita eſt, Epilogum breuiter explicabimus. Eſt enim hic elegans dictorũ peroratio,quę ſumma capita continet & repetit. Quoniam in demonſtratiuo genere hæc inſultantis Dei oratio inſtituta fuit,quæ comparatione alienæ felicitatis in miſerias inſultaret Iſraëlitici populi,neque iam verè populi; quippe qui nullis populi commodis aut ſplendoribus eſſet vſurus,ſed per terrarum orbem diſperſus cum magna inuidia, & animi dolore, cæterorum populorum tranquillitatẽ, ipſe in maxima tempeſtate poſitus,ſpectaturus eſſet. Perorationem ergo commodiſſimè collocatam,miro artificio Vates conſtruxit: namque res non vt orata eſt,ſed vt gerenda fuerat,eſt diſpoſita. atque oratio quidem à præuiſione futuri tẽporis,dum inter populos Iſraël detineretur, ad cauſſas ipſas rectè ſuis gradibus proceſſit, quòd inter gentes nec fructibus terræ,nec liberis & ſobole feliciter eſſent vſuri,imò verò antequam diſſiparentur, in patria adhuc manentes ſobole deſtituendi & adultis etiam filiis orbandi erant; adeò vt orauerit Vates,filios aut nondum natos,aut quàm primum natos,potius extingui. Sed quoniam diuinam ſententiam ſtare intellexerat, rem conuerſo ordine repetit, & ab eo quod primum futurum erat,ad poſtremum vſque recurrit,quo primis ipſis rebus, paulò pòſt futuris vaticinij veritas intelligeretur,& ſequentium expectaretur euentus; atque illi quibus poſteriores res acciderent diuinam prouidentiam & iuſtitiam ad ſe etiam pertinere cognoſcerent, vt ad patres maioreſque ſuos planè pertinuiſſe compertum eſt. Ne autem Epilogus dicendi figura atque exornatione deſtitutus eſſet, aptiſſima arboris ſimilitudine eſt compoſitus,qua Vates rem magis explicuit, & vehementiore impulſu legentium animos mouit: Ait enim Ephraim à Deo percuſſi radices aruiſſe, vt arbor quæ ramis reſectis,tamen viuit,aliosque profert ramos, eadem ſi trunco ſecurim grauiter patiatur, tametſi non omnino cadat, tamen ex vulnere ſolis atque aëris iniuriam ſentit; quæ cùm ad radices vſq; permanat,cauſſa eſt vt areſcat;radicum verò vitium toti arbori interitũ affert. ſic regni Iſraëlitici truncus Ephraim fuit, radices verò reges atque principes, rami & folia reliquæ tribus: Impetus in truncum factus eſt, principes victi, capti, occiſi, & abducti ſunt, rami ergo fructum nequaquam facient. Contigit autẽ areſacta radice, flores aliquando & fructus quoſ-

dam

dam prorumpere,qui tamen citiſſimè cum totius arboris interitu decidunt. Hæc res manifeſtior apud agricolas eſt,quàm vt noſtra indigeat aſſeueratione, ob quam ſimilitudinem ait: *Etſi genuerint,interficiam amantiſſima vteri eorum.*] Iam hoc ſuperius eſt explicatum. Poſt hæc autem illa eos diuturna calamitas expectat:

Abijciet eos Dominus Deus meus.

DEVM ſuum appellat vates, non autem Deum illorum:

Quia non audierunt eum, & erunt vagi in nationibus.

HACTENVS peroratio. nunc quando prima illa omnia eueniſſe diuina ex ſententia legimus,exilium hoc,in quo adhuc ſunt, illis eodem conſilio contigiſſe agnoſcamus; nam & hæc perinde atque illa,prædicta certiſſimè fuerant. Timeamus ergo & nos,ne fortè ſimile quid patiamur: Etenim & nobis annunciatum eſt, quemadmodum & illis: Qui habet aures audiendi, audiat.

CAPVT DECIMVM.

VITIS *frondoſa Iſraël,fructus adæquatus eſt ei: ſecundum multitudinem fructus ſui multiplicauit altaria, iuxta vbertatem terræ ſuæ, exuberauit ſimulachris.*

DVPLICEM à Vate cauſſam afferri diximus, quamobrem Iſraëlitæ liberorum iactura mulctarentur;altera fuit libidinoſa & intemperans alieni thori appetentia, qua iam à principio flagrauêre; eam verò Vates fuerat hactenus perſecutus: Altera vero fuit ardens ſuperſtitioſæ ſimulachrorum culturæ ſtudium,quod genus etiam ſpirituale adulterium ſacræ literæ nominant;atque hæc quoque pars à Vate vrgetur,qui non leuius hoc libidinis genere, quàm altero Iſraëlem flagraſſe affirmat: Namque olim cùm Amonitidarum amore arſiſſent horum patres, impio etiam idololatriæ ſcelere ſeſe polluerunt. Quamobrem non mirandum eſt, ſi filios vtriuſque flagitij habuerint imitatores. Res autem allegoria inducta peroratur, hæc verò à vite ſumitur, cuius plantæ imagine potiſſimùm Iſraëlitæ in ſacris libris depinguntur: Namque vt hæc ſi generoſa ſit, omnes arbores alias non proceritate,non figura & ſpecie,ſed fructu antecellit: ſic Iſraëlē præ cæteris populis felicē eſſe voluerat Deus,non tam belli,virium,& rerum geſtarū gloria,quàm Reipublicæ tranquillitate,quiete, & veritate rerum omniū quæ ad virtutem veram referri poſſunt. Secundum quam ſimilitudinē dictum eſt: Vineam de Ægypto tranſtuliſti,eieciſti gentes,& plantaſti eam,dux itineris fuiſti in conſpectu eius,&c.& illud: Vinea Domini exercituum Iſraël domus eſt,& delectatio plantationū eius viri Iuda. Hęc vinea optimo ſolo cōſita,ſumma cura atq. arte culta,quòd fructus vel nullos, vel malos reddiderit, ſolo plantarum vitio effici manifeſtum eſt,ſicut ſcriptum eſt: Quid enim debui facere vineæ meæ, quod non feci?ſed expectaui vt faceret vuas,& fecit labruſcas. Igitur ex fructu arboris natura arguitur: Etenim ſi cætera optimè ſeſe habeant, & tamē infelices proueniant fructus, ad arboris vitium res eſt referenda,ſicut ſcriptum eſt: Non poteſt arbor bona malos, neque mala bonos fructus facere. Itaque ex arbore fructus,ex fructu etiam arboris natura,vt ex cauſſis euenta,atque ex euentis cauſſæ conſiderantur. Cùm ergo Iſraël iam pridem degeneris naturæ vitem moribus expreſſerit, nihil mirum ſi partus ſuo ingenio ſimillimos ediderit. Hæc eſt illius verſus ſententia: *Vitis frondoſa Iſraël,fructus adæquatus eſt ei.*] Frondoſam hoc in loco interpres vertit pro vacua,& opportunis fructibus carente,ac ſi frondibus tantùm exuberaret: Hebraicè autem propriè eſt *Boqueq*, quod vacuum ſignificat atque inane: nam quo in loco Latinè legimus: Ecce Dominus diſſipabit terram, & nudabit eam, Hebraicè eſt *Boqueq*,diſſipans & nudans. [*Et fructus adæquatus eſt ei.*] Cùm vitis vacua omnique bono & generoſo ſucco carens fuerit,fructus quales natura ſua fert, producit, & cùm Iſraëlitarum patres labruſcas olim pro vuis fecerint, & ſimiles ſibi partus, hoc eſt, ſimiles propagines ediderint,atque harum omnium plantarum tam patrum,quàm filiorum idem ſtudiorum,morum atque operum fructus,eiuſdemque naturæ fuerit;patres autem ad idololatriam degenerauerint;conſequens fuit vt filij qui non meliori ſtudiorum atq. operum fructu,ſed maiori luxurie perfluebant,paternam impietatem propagarent, atque iam non vno vitulo,neque vno Baalphegor,vt olim patres,contenti plures vitulos & innumera ſimulachra atque altaria in Bethel,in Dan,& in omnibus quas incolebant ciuitatibus adderent. Propterea dicit: *Secundum multitudinem fructus ſui, multiplicauit altaria.*] Terræ & feliciſſimi ſoli fœcunditate,in quo ſita,plantataque fuerat,hæc vitis abuſa eſt: Nam opes omnes, omnemque rerum copiam quibus diuina benignitate fruebatur,à diuino & vero cultu ad prophana myſteria, atque ad ſuperſtitioſas vanorum ſimulachrorū ceremonias tranſtulit;

Pſalm.
Iſai. 5.
Matt. 7.
בקק
Iſai. 24.

& quo maiore felicitate vtebatur,eò vehementius in illud ſuperſtitionis ſtudium incumbebat,in eaque re magnas conſumebat diuitias. itaque ſucco & alimento feliciſſimæ terræ ad improbiſſimorum fructuum copiam augendam eſt abuſa; ob eam rem addidit: [*Iuxta vbertatem terræ ſuæ,exuberauit ſimulachris.*] Ita quod ad diuinum cultum illis fuerat ſuppeditatum,id ad impios vſus relatum eſt. Hæc autem oratio Hebraicè & elegantiam & ſignificationem certam habet: namque ſic legimus: *Secundum bonitatem terræ ſuæ, benefecerunt ſimulachra.*] Eſt enim in Dialectica locus à coniugatis, hoc eſt, tantum ſtudium, tantum ſumptum & curam ſimulachris & ſtatuis optimè,artificioſiſſimeque faciendis impenderunt, quantum terræ vbertate,& commodis iuuabantur. Namque olim qui rem tenuem ſortiti erant,ligneos aut luteos, aut ad ſummum lapideos ſibi deos faciebant; quibus verò abundantia & rerum ſuppeteret copia,iis eburnei, argentei, atque etiam aurei ſumma arte ,& Virg.Eclo 7 ſculptorum ingenio dij ponebantur, quemadmodum ille canebat:

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus, at tu

Sapien. 13. *Si fœtura gregem ſuppleuerit, aureus eſto.* Atque hæc res ſubtiliter & copioſè à Sapiente,decimotertio libri capite diſſeritur. Ergo Iſraël ingenio ad ſuperſtitionem & vanum cultum procliuis ſuarum rerum commoditates omnes, occaſionem nactus, in ſuàm libidinem conuertit. Quando autem huius libidinis explendæ, exercendique ingenij occaſionem primum habuerit,ſequentibus indicatur carminibus; oſtenditurque id fuiſſe,ex quo ciuilis diſcordia & ſeditio illa concitata eſt, atque ob regni diuiſionem variis vti legibus & Reipublicæ formis licuit:eiuſmodi enim tempus opportunum cuique eſſe ſolet ad propria ſtudia,cupiditateſque ſequendum, cùm & principes & factionum duces populis, quorum animos ſibi deuincire parant, nihil non permittant, imò & vltrò offerant,aut legibus ad popularem libidinem factis ſanciant. Cùm itaque regnum inter Roboam & Ieroboam populari ſeditione & tumultu diuiſum eſt, tunc & religionem violare, tunc aras & ſtatuas multiplicare licuit;id quod ab ipſis ſerò tamen intelligetur,cùm ærumna & malo eruditis priora vota omnia damnabuntur. hoc eſt quod inquit:

Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt.

HEBRAICE eſt,*Nunc ſe in culpa eſſe dicent*, hoc eſt,iam nunc cùm malis oppreſſi fuerint, culpam ſibi adſcribent,atque tantorum malorum initium ad illam diuiſionem cordium referent,qua olim laborauerunt,cùm reges ſibi non iure ſed libidine inſtituerent. Hæc autem diuiſio atque animorum diſſenſio præter idololatriæ crimen,exitiū illis grauiſſimum atque certiſſimum attulit,quod in religionis & regni concordia perſeuerantibus,non fuerat metuendum. Vide ergo quò reciderint res Iſraël, & quò diſcordia ciues deduxit miſeros,vt tandem ſtultitiam ſuam agnoſcentes,facta infecta optarint;atq. hæc diſſenſio,quam iſti idololatriæ commoditatem interpretati fuerant,in qua re ſuas opes & terræ fructus copiaſque inſumpſerant,eadem diſſenſio efficiet tandem, vt aris & ſtatuis ſuis confractis & excisis intelligant & fateantur nihil horum illis aut legitimum aut vtile,aut omnino commodum certumque fuiſſe: Non Deos, non Reges, non Principes, non quidquid denique inſolenter & ſtultè agentibus,aut vtile,aut magnum,aut pulchrū fuerat iudicatum: namque hæc illorum verborum ſententia eſt:

Ipſe confringet ſimulachra eorum, & depopulabitur aras eorum.

IPSE nimirum tumultus,ipſe animorum diſſenſus, quo à legitimo rege deſciuerant, ipſe idem regis illis faſtidium & nauſeam pariet, & factio etiam, quæ erigendi ſimulachra cauſſa fuerat,eadem illa abiiciendi & deſerendi cauſſa erit;adeò vt neq. regum imperium, neque nomen obſeruent , aut metuant, imò ſe illegitimis regibus hactenus vſos fuiſſe fateantur,ex quo diuiſionem & diſſidium meditari, & à religionis & regni concordia atque à Domino Deo ſuo animos abalienare cœperunt.

Quia nunc dicent,Non eſt rex nobis: non enim timemus Dominum: & rex quid faciet nobis?

QVAMVIS feram,tamen nonnullam ſententiæ mutationem,hæc oratio indicat, quæ ſi nihil illis boni efficiat, illud tamen præſtiterit,quòd proprio dicto confeſſionibuſq. conuicti diuini iudicij æquitatem vel inuiti prædicabunt. [*Quia nunc,*] rebus iam mutatis, [*dicent,Non eſt nobis rex:*] Regem vt diximus olim ſingulari ſtultitia,& cupiditate ſibi poſtu-
1. Samu.8. lauerant,cùm ad Samuelem huiuſmodi orationem habuerunt: Da nobis regem qui exeat
» ante facies noſtras,& pugnet prœlia noſtra. Hac oratione regē ab irato Deo,tamen regem
Acto.13. extorſerant virum Iemini Saulem,cuius vel ipſa ſpecies imperio digna videbatur,bellandi gnarum & ad rem gerendam ſanè ſtrenuum;ſed quem hominem tandē non Deum,& regni adminiſtratio,& exitus ipſe arguerit,ita vt poſtulati regis pœnitere illos oportuerit.deinde regibus bonis vſi ſunt Dauide & Salomone,nihil tamen egregiū horum temporibus

experti ſunt,quod vincere, imò nec æquare poſſet illam Reipublicę formam,qua Deo gu-
bernante ſine vllis ſumptibus fuerant vſi. ſucceſſit Ieroboam,cuius imperium durius eſſe,
quàm vt ferri poſſet, arbitrati: non tamen animum aut ſtudium ad Deum conuerterunt,
ſed nouos reges vltrò ſibi magis adeò ex ſua voluntate & populari tumultu,quàm ex diui-
no conſilio,aut quæſito oraculo inſtituerunt: Tantum nimirum à Deo Deique timore ab-
alienati & ad regni ambitionem procliues fuerant, vt tota res iam libidine gereretur. Ve-
rùm enimuerò quàm malè illis hoc ceſſerit, ſingulorum regum tempora, ſimulque totius
regni exitus docuère: Tum verò tot inutilium regum pertæſi ſuam dementiam accuſa-
bunt, qui & religione, & timore Dei relicto, cuius in tutela ac præſidio illi atque illorum
omnes res latebant,reges ſibi inſtituerint,qui verè reges non fuerunt;neque legitimè inſti-
tuti. [*Non eſt rex nobis:*] neque verè rex,neque qui nos vllo regio iuuerit officio.Quid enim
diuinum timorem deſerẽtibus nobis rex caro & ſanguis præſtare poſſet?cùm enim Deum
regem haberemus,cuius imperium obſeruantes ſalui & incolumes eſſe potuimus, quid
nobis præſtare rex poſſet: [*Quia non timuimus Dominum, & rex quid faciet nobis?*] Argumentum
ex comparatione eſt, idque duplex:hoc modo: Qui timet Dominum regem ſibi, & tuto-
rem præficit Dominum, hoc præſidio vſis nihil timendum aliud eſt; ergo qui Dominum
non timet,huius tutela caret.hoc autem præſidio ſi quis depulſus eſt,nulla alia re tutus eſſe
poteſt,ſicut ſcriptũ eſt: In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis eius erit ſpes. Igitur Prou. 14.
timentibus nobis Deum, ſuperuacaneus erat rex, non timentibus omnino inutilis. nullus
itaque rex nobis,qui vel nihil omnino prodeſſe,vel multum etiam nocere poſſit,nullus,in-
quam, cenſendus eſt. *Et rex quid faciet nobis?*] Quid faciet, pro eo quod eſt, quid præſtiterit, Iſai. 10.
vſurpatur,vt:Quid facietis in die tribulationis & calamitatis?Quòd ſi nihil nobis rex pro-
fuit, nihil profectò niſi noſtrarum rerum detrimentum & populorum calamitatem illa
diſſenſio attulit;ideoque oportuerat regem non legitimum iam diu exactum fuiſſe, neque
regio nomine,neque fœdere, aut iureiurando deuinctis : namque id iuſiurandum quo in
repudiando Dauidis regni hęrede,atque in adoptando nobis non legitimo rege vſi ſumus,
impium nefariumque fuiſſe,& quod non conſeruare præſtitiſſet,res ipſa declarat. Etenim
quas res ſuſcipere non decet;eas iureiurando firmari nefarium ſit : nam ſi impio negotio
iurandi religionem addideris,id efficies vt cumulatiorem & grauiorem tibi pœnam pares:
quemadmodum qui venenatas herbas ſeminaturus terræ ſolum prius diligenti cultu pa-
rat,ex quo vberior veneni meſſis ſit expectanda. ex hoc autem loco docemur malis nego-
tiis malitiam iureiurando non firmitudinem addi & ſcelus & pœnæ etiam cumulum, ſi
iuſiurandum ſeruetur,augeri. quale deteſtandum exemplum ab Herode rege in illo nefa- Marc. 6.
rio conuiuio proditum quondam eſt.quamobrem huiuſmodi iuramenta, vel negligi vel
publica auctoritate infringi, quàm conſeruari præſtiterit. cui rei rectiſſimè olim Iſraëlis è
concilio aduerſus Saulis votum de Ionathæ nece conſultum eſt; atque adeò ob hanc rem
ab Hoſſea ſubiungitur:

Loquimini verba viſionis inutilis, & ferietis fœdus, & germinabit quaſi amaritudo iudicium ſuper ſulcos agri.

TOTIVS verſus ſententiam explicuiſſe iam nobis videmur, ſed verborum quædam in
vulgata editione, & in Hebraico exemplari varietas eſt; namque Hebraicè ſic legimus:
[*Locuti ſunt verba maledictionis vana, ferire fœdus, & germinabit, &c.*] Vt oſtendat conceptis verbis,
& imprecationibus certis firmatum illis fuiſſe pactum cum regibus ſuis, ne Ieroſolymam
aut regis,aut religionis cauſſa repeterent,néue ab inſtituto ſibi rege deſciſcerent. hæc om-
nia cùm impiè & nefariè acta,atque tranſacta ſummo conſilio, & ſingulari cura fuerint,
maius iudicium illis,hoc eſt plus pœnarum, grauiusq́. ſupplicium peperêre, vt quibus no-
centes herbæ ſua natura fœcundæ in culto & arato agro ſeruntur, abundantior multò, &
vberior veneni colligitur copia;hoc enim cultura efficit,ſicut ſcriptũ eſt:Qui colit terram, Eccl. 10.
inaltabit aceruum.*Maledictio* quid ſit,iam in ſuperioribus diximus. *Amaritudinis* autem voca- Supr. 4.
bulum ad impietatem, ad praua ſtudia, ad quæcunque etiam mala quæ hominibus acci-
dunt,transfertur, vt illud: Ne ſit in vobis radix germinans fel & amaritudinem. Deut. 29.

Ad vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ.

ISRAELITÆ non ſolùm in crimine fuerunt, quòd regem ſibi per tumultum & diſſi-
dium conſtituiſſent,ſed quòd ea etiam commoditate vſi idolorum cultum,ad quem inge-
nio procliui fuerant,commodè ſuſceperunt, Vtriuſque autem rei,regni videlicet & ſuper-
ſtitionis curam & patrocinium Samaritana ciuitas ſuſcepit; quæ reges quorum regia ipſa
erat tuebatur,& vitulum Bethel qui proximus fuit,magna celebritate frequentabat.Cùm
ergo vtriuſque culpæ pœnas Iſraëlitæ commeriti & daturi eſſent, ſupplicium illud cõmu-
ne omnibus fore prædicit,totumque Iſraëlitici regni corpus eſſe plectendum,ita tamen vt

primùm cætera membra, ipſum autem caput poſtremum petatur, quo ſupplicij perpeſſio grauior & diuturnior ſit,& pœnæ cauſſa culpaque intelligatur, cùm ad ipſa vſque regni & idololatriæ capita pertineat:nam cùm Bethel capta, vitulus deiectus & comminutus in fruſta fuerit,religionis eius auctoritatem & fidem labefactari,eamq́ue Deo vltori odio eſſe intelligi conſentaneum fuit:idem autem ipſum de regno exiſtimari oportuerit, quòd penitùs tolli atque radicitus extrahi compertum ſit. Rem ergo hoc ordine gerendam eſſe docet,vt primùm cæteræ Iſraëlitarum vrbes,deinde Bethel vitulorum religione celebris, poſtrema Samaria expugnetur, diripiatur & diruatur. Cùm autem à cæteris locis ad Bethel hoſtis peruenerit,tum verò Samaria vicina ſibi metuet vehementer: namque ſi nulla virtus in Deo ſuo boue illo fuit,vt reſiſtere hoſtibus, pro ſuaq́ue vrbe atque æde propugnare poſſet,quonam modo Samaritanos qui in eius tutela fuerant,defendet?eorum qui ſequuntur verſuum hæc,quam expoſuimus,ſententia eſt; verba tamen in vulgata editione, atque in Hebraico exemplari nonnihil variant;ſic Hebraicè: *Ad vitulas Bethauen pauebunt vicina Samariæ,quando duxerit ſuper eum populus eius,&c.*] Virulas numero multitudinis vocat, cùm vnus tantùm vitulus à Ieroboamo in Bethel poſitus fuerit;ſiue quòd, vt ferè in templis fieri ſolebat,ad illius vituli inſtar plures alij ex priuatis votis fuſi, ſculptiq́ue fuiſſent;ſiue quòd ex linguæ & orationis elegantia eum numerum ad contemptum & ludibriũ vſurpet, quemadmodum contemptus cauſſa vitulas femineo genere dixit, cùm infirmum numen & imbelle,abiectæq́.conditionis ſignificare voluiſſet.eſt autem hoc & aliis linguis in vſu,vt plurali numero res ſingulares maximè cùm concitatior & feruentior oratio eſt,efferatur,vt:

Ouid.Meta. *Præmia magna petis, quæ ſi tibi magna videntur,*
Ex illis ſcopulis vbi erant affixa, petiſſes.

Sed & feminei generis per contemptum vſus in noſtris linguis eſt, vt apud Perſium:

Perſ.Saty.1. *Ne mihi Polydamas, & Troiades Labeonem*
Prætulerint. Placet autem omnia verba hæc per irriſionem dicta accipere,cùm de vno tantùm vitulo ſermo fiat, quod & ex adiunctis pronominibus coniicimus. [*Quando luxerit ſuper eum.*] Aut ſi duos vitulos malis intelligere,ad alterum qui in Dan fuerat,referenda oratio eſt: namque ambo Samariæ fuſi fuerant, & alter prior in Bethel dicatus, deinde alter in Dan fuerat delatus, ſed non tam moueri Samaria potuit & pauere vitulo qui in Dan,quàm eo qui erat in Bethel ablato. Etenim non perinde longinquiorum vt proximorum calamitatibus homines mouentur, cùm ea quæ longè accidunt,nunquam ad ſe peruentura plerumque putent. quæ quidem negligentia multos populos decipere ſolet.

Iuuē.Sat.13 *Si curant igitur cunctos punire nocentes,*
Quando ad me venient? aiebat ille.id quod etiam à Sapiente inductum eſt: Ne

Eccli.16. dicas, inquit, in populo magno non agnoſcar; quæ eſt enim anima mea in tam immenſa

Horat. Sup.c.2. creatura? *Cum verò paries ardet proximus, iam tua res agitur.* Nominat autem Bethauen, eam quæ Bethel dicebatur, vt nominis inuidia in locum etiam ipſum deriuetur,& præcepto diuino ſatisfiat, quo non amplius Bethel, ſed Bethauon eam appellari neceſſe fuerat. Cùm ergo populus Bethauen vituli ſui ruinam & calamitatem magno & publico planctu & luctu proſequentur,cùm ſacrificuli vlulabunt, tunc Samariæ vicina proximaque ciuitas maximo pauore perhorreſcet:

Et æditui ſuper eum exultauerunt.

QVANDO, inquit,ſacrificuli vitulum lugebunt,quem antea ludo,cantu,& lætitiæ plenis ſacris celebrabant; lugebunt autem,

Ob gloriam eius , quia migrauit ab eo.

כמרים ÆDITVOS Latinus interpres vertit quos Hebræi *Comarim* vocant : Erant autem homines variis collegiis ad aliam atque aliam numinum & ſacrorum rationem comparati, veſtibus etiam à cæteris hominibus diſtincti, quales fuerant Iſidis, Cybelis & Anubis famuli,& apud Siculos Venerij; cuius generis hominum maxima multitudo in Iſraël & Ieruſalem etiam eſt inducta:atque hoc genus illud eſt quod à Ioſia rege extinctum in Iudæa

4.Reg.23. fuit,quos Aruſpices in eo loco vertit interpres: Et deleuit,inquit,aruſpices,quos poſuerant

„ reges Iuda ad ſacrificandum in excelſis per ciuitates Iuda in circuitu Ieruſalem, & eos qui

„ adolebant incenſum Baal,& Soli,& Lunæ,& duodecim ſignis & omni militiæ cæli. Latini verò hos omnes,qui ſancto & legitimo ritu ſacerdotes non erant, aut ſacrificulos communi verbo,aut famulos adiuncta nota vocant,vt famulos Iſidis,Lunæ,Solis,&c. Hos autem certis ſaltationibus & choreis ſacra ſua peragere puto;quam rem nomē ipſum *Comar*, quod reuolutionem ſignificat,indicare videtur. [*Et æditui ſuper eum exultauerunt.*] Deeſt relatiuum,

qui,qui ſuper eum exultauerant,vt illud: Iudica me Domine ſecundum iuſtitiam meam, Pſalm.
& ſecundum innocentiam meam ſuper me, hoc eſt, quæ ſuper me eſt.

Siquidem & ipſe in Aſſur delatus eſt, munus regi vltori.

CAVSSAM publici luctus Bethauenitarum maximè autem ſacerdotum reddiderat, nimirum quòd vituli gloria migrauiſſet, quòd diuinis honoribus priuatus vitulus fuiſſet: hanc cauſſam expolitione aperit, quòd non ſolùm Iſraël ſalua vituli religione, ſed etiam vitulus ipſe,cum Danitico etiam ſimulachro, cumq. omnibus aliis ciuitatum atq. ædium ornamentis, & omni pretioſa ſupellectili prædæ & ſpoliorum nomine ſublatus, ad regem non vituli forma,imò confractus,& auri tantùm æſtimatione deferendus eſſet. [*Munus regi vltori.* Hebraicè, *Munus regi Iareb.*] quod cognomen Aſſyriorum regum vel ex ciuitate, vel ex officio fuiſſe iam diximus: Hoc autem nouæ ac tanto ſtudio excogitatæ religionis pudendo exitu neceſſe erit, vt Ephraitas ſuorum conſiliorum iam pudere incipiat: namq. illa re ſublata & euulſa in qua totum regni ſui firmamentum atque robur ſeſe habere putauerant,cætera omnia quæcunque huic rei innitebantur, corruere conſequens fuit. Cùm verò Ephraitæ vt populi erga ſe ſtudia conſeruarent atque retinerent, vitulorum cultum & religionem à ſe excogitatam tuerentur:cumque hæc illis diuino conſilio & hoſtiũ opera corruiſſet, iam à ſe populi animos abalienatos, imò in ſui odium inuidiamque conuerſos, ob deprehenſam fallaciam, intelligere debuere, id propterea ait:

Confuſio Ephraim capiet, & confundetur Iſraël in voluntate ſua:

QVONIAM vtroſque Ephraim,hoc eſt regiam familiam,& Iſraël populum,conſilium ſpeſque ſua fruſtrata eſſent: *In voluntate ſua:* Hebraicè, *In conſilio ſuo,*] quod ad rem atque ad regnum ſtabiliendum fuerant ſecuti.Atque res quidem hoc ordine geſta eſt,vt primùm omnes Iſraëliticæ vrbes, oppida omnia celerrimè victa & capta fuerint: Deinde verò Bethel vanæ illius religionis caput, poſtremo loco Samaria cũ rege ſuo fuerit expugnata. Igitur Iſraëlis calamitas & ſibi ipſis, & Ephraim pudori fuit, multò autem magis Bethel cum vitulo ſuo exciſo, quæ omnibus Iſraëlitis qui iam abducti fuerant, ſudorem maximum, Ephraitis autem & Samariam incolentibus cum maximo pudore,maximum etiam metum attulit. At verò quoniam Samaria non ſtatim vt obſeſſa fuit, in hoſtium poteſtatem venit,ſed bellum atque obſidionem per triennium tolerauit; ne hac tam diuturna patientia aliquid proſperi promittere ſibi poſſent, præmonentur à Vate huiuſmodi longam moram ad calamitatis atque miſeriæ incrementum potius, quàm ad aliquam ſalutis ſpem pertinere: Namque tandem longæ obſidionis malis oppreſſi, & fracti, hoſtibus ſuccumbent,tantò demũ crudelioribus, quantò deditionis deſperatione & cõtentione vehementius irritatis, eò quippe miſeriarum & calamitatum redigendi à victoribus ſunt, vt optandum potius fuerit viuos ſe montibus operiendos,obruendoſque obiicere,quàm crudeliſſimis hoſtibus manus dare. Atque eleganti profectò ſimilitudine tota hæc res explicatur. Ait enim Samariæ in obſidione conſtantiam ſpumis in rapidiſſimo flumine actis,perſimilem fore, quæ quamuis defluentibus velociſſimè maximoque impetu aquis, aliquamdiu extare,& creſcere in altum videantur,tandem ſubitò commotæ vehementi aquarum curſu, & vi diſſipantur, vt breui omnes omnino euaneſcant; ſic adeò Samaria cum rege ſuo, cæteris Iſraëlitarum populis hoſtium cedentibus poteſtati,obſiſtere tamen ipſa,atque manere videbatur,ſed tandem ſpuma fuit:Siquidem & ipſa etiam corruit,& fuſa diſſipataque adeò eſt,vt nullus ſupereſſet cultor, quinimo loca omnia vaſtata atque deſerta redderentur,& in frequentibus olim maximaque celebritate claris templis, ariſque ſolitudo eſſet. Hæc adeò tota ſententia duobus illis verſibus continetur:

Tranſire fecit Samaria regem ſuum quaſi ſpumam ſuper faciem aquæ. Et diſperdentur excelſa idoli, peccatum Iſraël: Lappa & tribulus aſcendet ſuper aras eorum: Et dicent montibus, Operite nos; & collibus, Cadite ſuper nos.

EXPLICATA iam ſententia verborum nobis ratio habenda eſt: *Tranſire fecit Samaria regem ſuum:* Hebraicè ſic legimus: *Similis eſt Samaria rex ſuus:* Hoc eſt, Samaria cum rege ſuo ſimilis erit ſpumæ ſuper faciem aquæ,cuius natura eſt non vt permaneat,ſed vt eadem, qua ſublata aliquamdiu fuerit leuitate deferatur,atque euaneſcat. [*Et diſperdentur excelſa idoli:* Hebraicè eſt, *excelſa Auen,* hoc eſt *Bethel,*] vt Chaldæus interpres exponit. Interim enim dum Samaria obſidebatur,Bethel locus reddebatur vaſtior, cùm loci ſolitudine ipſa, tum etiam hoſtium manu,qui in Samaritanorum odium & contumeliam,nouas Bethel ruinas quotidie edebant; idque non præter diuinum conſilium,vt videlicet longo ac diuturno opprobrij ſui ſpectaculo Iſraëlitæ magnum ea ſuperſtitione in ſe Dei odium conciraſſe

intelligerent,quòd non niſi tam longa vltione ſatiari poſſet. ob eam autem rem illud ap-
poſitum eſt: *Peccatum Iſraël:*] Namque Samariæ vitulus crimini nefario Iſraëlitis fuerat.
[*Lappa & tribulus aſcendet ſuper aras eorum.*] Vaſtationem & ſolitudinem maximam hac deſcri-
ptione depingit;cuius rationem , vnà cum nominibus ipſis plantarum iam antea ſumus
perſecuti. [*Et dicent montibus,Coperite nos.*] Non in ſalutem,ſed in grauiſſimam,miſerrimamq́.
calamitatē,ex illa longæ obſidionis tolerantia euaſuros ſignificat, cùm quotidiano Bethe-
licæ ruinæ ſpectaculo hoſtis in ſe crudelitatem atq. ſæuitiam coniicere liceat; qui ſi in im-
meritos parietes & lapides tantū inſoleſcit,quantū in ſeipſos quorū odio hæc fiunt,ſęuien-
dum eſſe exiſtimari oportuerit? Præ metu ergo hoſtilis crudelitatis minus miſerū,potiusq́.
optandū videbitur, idq́. omnibus votis poſcent, vt irruentibus in ſe montibus abſorbean-
tur: Namq. ſi nihil aliud contigerit leuius,tamen & citò perire, & ſepulchro nō carere lice-
bit. [*Et collibus, Cadite ſuper nos.*] Explicatio eſt, qua & votum, & calamitatis metus amplifi-
catur,& verbum, dicent, idipſum ſignificat, cùm tanto eos eius rei deſiderio teneri oſten-
dat, vt quamuis ſurdas atque inanimes res,tamen voce & clamore appellent. Simili ora-
tione horribilem illam per Romanum exercitum Iudaico in populo edendam ſtragem,
Chriſtus ſeruator noſter Ieroſolymitanis feminis , dum ad ſupplicium pro nobis produ-
ceretur,præcinebat.atque vt hoc in loco, ita etiam in illo argumentum à cōparatione du-
ctum eſt,hoc modo: Si in lapides & parietes Bethel tantùm furiunt Aſſyrij , quantum in
Luc.22. Samaritas,quos maximè inuiſos habent,debacchabuntur? Et Chriſtus: Si in viridi ligno
" hoc fit,in arido quid fiet?

Ex diebus Gabaa peccauit Iſraël.

NVLLAM omnino virtutem,nullam honeſtam probabilemq́ue rationem in homini-
bus eſſe,quæ eadem excellentiſſima in Deo, tanquam in fonte non ſit, ipſa diuinæ naturæ
ratio manifeſtè docet & oſtendit: Quid enim in homine egregium commendari poteſt,
Iob 10. quod non idem illius immenſæ lucis vmbra,& veluti quædam imago ſit : Nunquid ſicut
dies hominis dies tui, aut anni tui ſicut humana ſunt tempora ? dicebat Iob; vt hominem
nulla ex parte Deo comparandum eſſe ſignificaret. vnde illud omnium Theologorum
commune axioma eſt, quæcunque creaturis inſunt bona , in Deo eadem eminentiſſima
eſſe:namque vt probata in homine miſericordia,iuſtitia,ſapientia,virtus, & quæcunq. alia
honeſti ratio in Deo excellentiſſimis modis non probetur,à diuinæ naturæ conſideratione
longè eſt alienum. hoc argumento miſericordiæ in Deo excellentiam vltra omnem hu-
Luc. 11. manam comparationem Chriſtus probabat:Si ergo vos cùm ſitis mali, noſtis bona data
dare filiis veſtris,quantò magis pater veſter qui in cælis eſt, dabit ſpiritum bonum petenti-
bus ſe. Hanc eandem argumentationem Deus hoc in loco apud Iſraëlitas tractat, quos æ-
quitatis contentione vrget:Oſtendit ſe non minus æquum,atque incorruptum iudicem &
vindicem cauſſa grauiſſima id exigente futurum, quàm illi ipſi, apud quos verba facit, ali-
quando ſeſe iudices & vindices præbuerint, peccati quidem magni,quod tamen ſi cum
hoc quod in crimen nunc vocatum eſt,conferatur, leuius multò fuerit iudicandum. Itaq.
non eſſe cogitandum Deum ſeueriſſimè atque iuſtiſſimè non eſſe iudicaturum, ſi ſanctè
Gen. 15. & iuſtè iudicare laus etiam in hominibus eſt. Abſit à te Domine(dicebat Abraham) vt hoc
" facias:an qui iudicas omnem terram,non facies iudicium? namque iudicium non tam ho-
minum,quàm Dei proprium eſt,atque ab ipſo iuris & æquitatis normam præceptaq́. ho-
mines habent,ſicut ſcriptum eſt: Ne timeatis à facie cuiuſquam,quia iudiciū Domini eſt.
Deut.1. Quoniam verò hæc quam diximus ſententia ſequentibus verſibus inuoluta eſt, ipſum ar-
" gumentum Dialectico modo prius nobis erit diſponendum:Si Iſraël,inquit Deus,in nefa-
rio crimine ſeuerum ſe atque integrum iudicem præbuit, & vt ego ipſum in grauiore ſce-
lere acrem diligentemq́ue iudicem agam, æquum conſentaneumq́ue eſt ; ſed in Gabaita-
rum cauſſa Iſraëlitæ ſeuero vſi ſunt iudicio.conſequitur ergo eorum cauſſam à me iuſtè &
ſeuerè iudicari oportere, atque eò magis quò leuius Gabaitarum, quàm hoc ipſorum pia-
culum eſt. hæc argumentationis ſumma eſt,quæ quidem non ſimplex eſt,ſed duplex: Nam
& duas res probandas ſuſcipit,illos incorruptos & integros iudices olim fuiſſe,& Gabaita-
rum crimen leuius fuiſſe ex quo conſequitur, diuinum in hos ipſos iudicium acre & ſe-
uerum eſſe oportere:iam ſingulas argumentationis partes tractemus. [*A diebus Gabaa pecca-
uit Iſraël.*] Grauiori, inquit, crimine nunc Iſraël tenetur, quàm olim Biniaminitæ, cùm in
Gabaa vltionis cauſſa concurſum eſt,tenebantur. propoſitio ex iis quæ perorata iam ſupe-
rius ſunt, manifeſta eſt:Illic enim libidine & ſtupro à paucis hominibus peccatum eſt, &
iniuria vir vnus, vnaq́ue mulier ſunt affecti ; hic verò præterquam quòd pluribus ſtupris
omnis Iſraël ſeſe contaminauit, & regni populiq́ue ſocietas atque concordia diſſipata , &
diuina religio inductis ſuperſtitionibus, & nefario cultu violata eſt. [*Ergo à diebus Gabaa pec-*
cauit

rauit Iſrael:] Particula *à*, ſiue *ex*, non temporis nota, ſed comparationis eſt coniunctio: vt, Et iuſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis; Et, Deſcendit hic in domum ſuam iuſtificatus ab illo. Atque alia paſſim huiuſmodi exempla ſunt: Igitur cùm Iſraël maiori crimine obligatus ſit, maiori pœna dignus erit, ſed ipſe facto impetu crimen Gabaitarum ſeuerè eſt vltus. ergo iuſtè agetur, ſi ſceleris ipſe ſui me iudice pœnas luat. Quòd verò Iſraëlitæ, hoc eſt Samaria & Ephraim iuſtum & incorruptum iudicem tunc egerint, & rei indignitatem ferre non potuerint, ipſiuſmet & conſiliis & factis probatur: nam re cognita communi conſilio bellum Gabaitis denuntiarunt, ſimul atque intulerunt. Matt.11. Luc.18.

Ibi ſteterunt.

Cùm ſcelus illud grauiſſimè, & iniquo admodum animo tuliſſent, vtpote qui eo tempore alieniores à ſcelere erant; multoque quàm Beniaminitæ, iuſtiores: nam niſi illi tunc innocentia, & ſceleris odio Biniaminitis præſtitiſſent, nunquam profectò tam audacter tamque impudenter facerent, vt propriorum delictorum conſcientia ſtimulati, in fratres animaduerterent, liceretque Beniaminitis admiſſo ſcelere ſecurè agere, neque à fratribus ſuis timere, quos ipſi reprehenſi redarguere ac reprehendere viciſſim poterant. hoc eſt quod ait:

Non comprehendet eos in Gabaa prælium ſuper filios iniquitatis:

HEBRAICE ſic: *non continget eos prælium ſuper filios peruerſitatis*: hoc eſt, numquam illis ſuſceptum fuiſſet bellum in Gabaa contra Biniaminitas, qui maximi & nefarij ſceleris damnati erant. nemo enim tanta impudentia, tamque ſingulari audacia præditus eſt, vt criminoſum alterius maleficium accuſandum, nedum vindicandum ſuſcipiat, cuius maleficij ipſe expers non ſit. Conſtat ergo Biniaminitas illa tempeſtate in noxa fuiſſe, Iſraëlitas verò multò fuiſſe innocentiores, & propterea hos in illorum vita iuſtitiæ, æquitatis & ſeueritatis laudem ſibi quæſiſſe, ac tanto ſtudio, tantaque coniuratione meritas debitasq́. pœnas fuiſſe proſecutos. Qua ergo ratione fieri poteſt, inquit Deus, vt ego qui æquiſſimus rerum æſtimator, ſanctiſſimusque & iuſtiſſimus index ſum, æquitatis & iuſtitiæ cupiditate atque ſtudio non tenear? præſertim cùm grauior magiſque damnata cauſſa hæc quàm illa ſit? imò hoc mihi vehementer deſiderandum eſt, neque antea ceſſandum, quàm deſiderio meo ſatisfiat.

Itaque iuxta deſiderium meum corripiam eos, congregabuntur ſuper eos populi.

VT ILLI olim communi conſenſu ad bellum Biniaminitis inferendum conſpirantes in Gabaam conuenerunt, ita etiam me auctore & impulſore multorum populorum in eos concurſus fiet. hoc autem his continget,.

Propter duas iniquitates eorum.

GEMINVM ſcelus, alterum effrenatæ libidinis, qua vltrà quàm dici poſſit exarſerunt; alterum verò idque longè grauiſſimum idolorum culturæ & ſuperſtitionis, qua geminatis etiam vitulorũ ſimulachris ſeſe contaminauerunt; cùm illi ob vnum libidinis ſcelus, idq́. paucorum hominum audacia ac temeritate admiſſum, tanto ſtudio & conſpiratione in totam tribum animaduerterint.

Ephraim vitula docta diligere trituram, & ego tranſiui ſuper pulchritudinem colli eius, aſcendam ſuper Ephraim, arabit Iudas, confringet ſibi ſulcos Iacob.

REM QVAM hactenus ſimplici oratione tractauerat, nunc deinceps perpetua tranſlatione (quam allegoriam dicunt) amplificat, atque in primis quæ fuerint Iſraëlitarum ſtudia, quæ opera & artes, deinde qui illis harum rerum exitus futuri ſint, docet. Eſt autẽ hæc ſententia: Humanum ingenium otioſum eſſe non poteſt; quod ſi honeſtis ſtudiis non teneatur, procliue eſt, vt vitioſitatem ſectetur: Quamobrem Deus homines ad honeſtatem atque ad officium inſtruit & docet, vt his animus occupatus, aditum vitio præcludat. Hæc diuina religio agit, in eoque verſatur, vt honeſtam ac veram homini voluptatẽ, tanquàm optimum finem proponat; viamque qua ad hæc perueniatur, muniat atque demonſtret; quam qui fuerit perſecutus, propoſitis tandẽ fructibus præmiiſque fruetur, ſicut ſcriptum eſt: Declina à malo, & fac bonum, & inhabita terram, & paſceris in diuitiis eius. Itaq. ſtudia & exercitationes præſcribit vera religio, quibus vera bona, atque ea quæ maximè ab hominibus expetitur felicitas, Dei dono percipitur. At verò & falſa & ſuperſtitioſa, humanos animos non ad virtutem, ſed ad libidinem inſtruit: nam prætermiſſis fidei ac officij præceptis, vitioſa ſacrificia, ludos & ſaltationes, aliaque huiuſmodi præcipit, in quibus homines non ad virtutem, non ad futuri præmij ſpem, ſed ad præſentes tantùm voluptates exercentur. Itaque neutri ceſſant, ſed altera pars honeſtum laborem ampliſſimæ mercedis ſpe ſuſcipit; altera verò futurum negligens, in ipſo laboris articulo fructũ ſuum percipere ſtudet. Pſalm.37.

ſtudet. Atq. eius quam nũc diſſeruimus, rei imago arationis & trituræ ſimilitudine à Vate deſcribitur: nã bos qui arat, non præſenti fructu vtitur, ſed futuræ vtilitatis ſtudio laborem
„ fert; qui verò triturat, præſente fruitur mercede, ſicut ſcriptum eſt: Qui arat, debet in ſpe
Ierem. 50. arare. Et: Non alligabis os boui trituranti. & apud Ieremiam: Impinguati eſtis ſicut vitula
„ triturans. Ergo vt ad Vatis lectionem noſtra accommodetur oratio, Ephraim in hoc loco reprehenditur, quem vitulæ & iuuencæ ſimilem ſæpe aliâs fecit, quæ cùm in diuinæ legis veræque religionis agro arare potuiſſet & debuiſſet, tamen iugi impatiens, ſuperſtitionis potius optauit trituram, in eaque ſeſe exercuit; vt iis deliciis, quas tritura illa ſuppeditat, libidinem ſuam expleret. qua quidem re Iuda etiam adduci potuit, vt Ephraim fortunis inuidens, ſtudia quoque æmularetur, atque ab aratro ad trituram tranſiliret; quemadmodum re vera factum eſt: Quippe Iſraëlitarum exemplo Iudæi ab officio ad ſuperſtitionis ſtudia ſunt traducti. ait igitur: [*Ephraim vitula docta diligere trituram.*] Quam ego ad arandum legibus conditis & propoſitis inſtitueram, tamen ipſa trituram ſtudioſè amauit, in eaque ſeſe exercuit, ob hanc rem doctam fuiſſe dicit: Quoniam verò hac licentia atque petulantia diuinam in ſe iram prouocauerat, & duram ſibi commerita fuerat ſeruitutem, in quam citò à Deo traden da erat: ideò ait nihil aliud eam ſibi illa licentia paraſſe, quàm vt ceruicẽ ſuam craſſam, nouo iugo idoneam redderet; iamque tempus eſſe opportunum, vt ſub hoſtium iugum mittatur, quando ceruix eius Dei manu contrectata, & ad iugum idq. duriſſimum ſatis apta viſa fuerit. [*Ego tranſiui ſuper pulchritudinem colli eius.*] Ego, inquit, manu collum eius tractaui, quod & tolerandi iugi diſſuetudine, & deliciarum vſu ſatis obeſum, ſatiſque forte, & ad ſeruitutis labores ſuſtinendos ſatis idoneum inueni. vnde intelligimus non ſolùm iudicandi cauſſam à Deo obſeruari, verumetiam ſumendæ pœnæ opportunitatẽ; ſicut ſcri-
Pſal. 72. ptum eſt: Deiecisti eos dum alienarentur. Quoniam verò opportunum erat iam, vt hoſtibus domanda, frangendaque hæc vitula traderetur, ſubiungit: *Aſcendam ſuper Ephraim:* Hebraicè eſt, *Geſtare faciam Ephraim.*] quòd ab Aſſyriis populis, quos ſupra memorauit, circundatus, capiendus, frangendus, & ſub iugum mittendus ita eſſet, vt non modò iugum & aratrum, ſed ſeſſorem etiam ferre cogeretur: quod quidem ſeruitutis genus vitularum naturæ duriſſimum incommodiſſimumque eſt, cùm tantùm equos, aſinos, mulos & camelos ſuſti-
Nehemiæ 7. nendo oneri, boues autem trahendo aptos eſſe ex ſacra philoſophia conſtet. Ex hac autem
1. Paral. 12. re illud euenturum eſſe dicit, vt Iudæi, & cæteri Iſraëlitæ qui à diſſenſionis tempore apud Iudæos permanſerant, atque ſtudiorum Ephraim æmuli iam erant, ſpectato alterius populi periculo ſibi caueant, & in deſertas iam à ſe arationes, de integro incumbant. hoc eſt quod dicit, *Arabit Iudas, confringet ſibi ſulcos Iacob.*] Sic enim factitatum in libris Regum legimus; nam Ezechiæ & Ioſiæ filij eius temporibus, tam Iudæi quàm Iſraëlitæ cæteri, & qui ab extrema illa calamitate Samariæ fuerant reliqui conſiliorum vitæque rationem in melius mutauerunt. At verò aliarum tribuum reliquiæ, non iam illo Iſraëlitis ſplendore clari, ſed ad Iacob humilitatem redacti hi penè ſequentes glebam confringent, hoc eſt arationem legis atque religionis obſeruantia eo quo poterunt modo iuuabunt: Totus enim religionis cultus arationis tranſlatione deſcribitur, ſed boues arare ſolent; hominum autem cùm non pares vires ſint, cura eſt, vt glebas quæ arantibus bobus relictæ ſunt, ligonibus obfringant, aruum æquent & complanent. Sua ergo ex parte Iſraëlitarum reliquiæ, quod poterunt in religionis negotio agent. [*Confinget ſibi ſulcos.*] Hebraicè eſt, *Complanabit ſibi:* aptè autem dictum eſt, *Iacob confringet ſibi glebas.* Quòd cùm illis iam ob conditionis ſuæ humilitatem, ob afflictas & labefactatas res, integram religionis formam & rationem tractare non liceat, tamen id quod vel pauperrimo cuique integrum eſt, cordis ſui duritiem emollire, atque hominis pœnitentis partes corrigendis moribus agere curabit.

Seminate vobis ad iuſtitiam, & metite in ore miſericordiæ, innouate vobis nouale. tempus autem requirendi Dominum, cùm venerit qui docebit vos iuſtitiam.

OPPORTVNO admodum loco commune Prophetarum omnium argumentum vrget, atque quorum intereſt audire, auribus inculcat: Nam cùm de virtutis & pietatis ſtudiis ſub arationis tranſlatione mentionem feciſſet, & vtrumque populum Iudaicum & Iſraëliticum vitularum nomine appellaſſet, nunc eidem tranſlationi inſiſtens, totius Iſraëlitici negotij erga Deum, atque Dei rurſus erga ipſos conſilij ſummam explicat, & quodnam ſibi in hac re cum aliis vatibus commune deſiderium fuerit, addit; deinde ab illis aut officio proprio, aut conſilio diuino, & vatum deſiderio ſatisfactum fuiſſe negat. id quo facilius intelligatur, ſumma paulò altius nobis repetenda eſt. Humanum genus ſummum illum originalis iuſtitiæ gradum, de quo primorum parentum ſcelere deiectũ fuerat, nullis ſuis nec conatibus, nec aut ſtudiis aut actionibus obtinere iterum potuiſſet, niſi diuinæ miſericor-
diæ &

diæ & liberalitatis infinitæ conſilio, reſtitutio atque ſalus illi expediretur: Huius verò magni conſilij interpretem ac miniſtrum proprium filium vnicum eſſe voluit Deus, qui ſua illa inenarrabili ad mortem vſque obedientia efficere potuit, vt humano generi propter corruptam naturam ſuperis inuiſo, diuina iuſtitia & gratia reſtitueretur. quomodo autem hoc negotium gerendum eſſet, nec non vtrum in eodem dignitatis loco, in quo fuerat collocatus, an altiore ac meliore ſtatuendus homo eſſet, nunc diſputare non laboremus, quando neque res, neque commentationis breuitas id capere videtur: illud tamen ſtatuere operæpreciumeſt, hominem ſua opera & ſtudio ex illis inimicitiis in opportunam iuſtitiam diuinamque gratiam nunquam redire potuiſſe, niſi pacis & amicitiæ auſpex atque internuntius adeſſet, qui generis ſcelere expiato, amicitiæ & gratiæ rationes procuraret. huius verò rei promiſſio ex diuina liberalitate miſericordiaque fuit, nullis in homine, vt Theologi aiunt, præcedentibus meritis, quamobrem id à Deo promitteretur: Verùm enimuerò tantum hoc tamque admirabile donum non quibuſlibet, ſed dignis tantum paratum eſſe voluerat Deus; dignos autem eſſe eos definiuit, qui fide erga promiſſionem, & bonis operibus, hoc eſt Deo probandis officiis, quorum quidem exercitatio in noſtra poteſtate diuina adiuuante gratia eſt. Ob horum verò officiorum ſtabilem & certam poſſeſſionem homo iuſtus nominatur, non quidem iuſtitia illa diuina, quæ ſaluos reſtitutosque facit, atque in antiquum ſtatum, ac dignitatem maximam reſtituit; namque hoc vnius Dei donum, & Chriſti eius opus eſt, ſicut ſcriptum eſt: Non ex operibus iuſtitiæ Tit. 3. quæ fecimus nos, ſed per ſuam miſericordiam ſaluos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis ſancti ſpiritus, &c. Igitur duas iuſtitiæ rationes ſtatui oportet; alteram diuinam prorſus, hominibus Dei dono atque miſericordia contingentem, cuius qui participes ſunt, Dei filij diuinæque conſortes naturæ dicuntur eſſe; alteram verò quæ humana cura, ſtudio & exercitatione vnà cum Dei auxilio & gratia conſtat, atque adeò poſteriorem hanc vnà cum fide ab eis requiri, qui priorem illam diuinam expetunt, ſi modò habiles & idonei ad eam præſtandam ſint, totis ſacris libris eſt manifeſtum: Pœnitemini & credite Euangelio, diuinæ huius iuſtitiæ nuncius ac procurator dicebat. Quicunque Marc. 1. Luc. 10. Acto. 3. verò hanc rationem in Theologica diſciplina non conſiderarunt, circa eam quam profitebantur fidem naufragauerunt; in quo errore multos noſtro tempore verſari video, qui vtinam aliquando ad veritatem dirigantur. Huius olim promiſſionis nuntios Vates, cõſcium verò populum Iſraëliticum eſſe Deus voluerat, vt ij apud quos orbis redemptor naſciturus erat, huius etiam prærogatiuæ ſorte cæteris gentibus, nationibusque præſtarent, ſicut ſcriptum eſt: Qui ſunt Iſraëlitæ quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, quorum patres, ex quibus eſt Chriſtus ſecundum Roma. 9. carnem. Nullam igitur occaſionem Vates prætermittere ſolent, quin opportunè, importunè hanc rem inculcantes, vrgeant atque inſtent, admoneantque maximè illius diuini doni ab eis ſperandi, officijque faciendi, vt eam ſtabiliant ſpem; vt hoc in loco Hoſſeas, cùm de religionis ſtudiis virtutiſque exercitationibus ſub arationis imagine verba feciſſet, aptè ſuum erga illos animum aperit, & quanto illorum vtilitatis deſiderio teneatur, exponit: Vtinam, inquit, veſtri officij recordaremini, vtinam rationem, parteſque veſtras cogitaretis; exiguo enim atque breui labore maximum quæſtum, emolumentumque faceretis: namque ea virtutis exercitatione quæ diuinis præceptis præſcripta eſt; iuſtitiam illam conſequeremini; quam qui fidem Dei promiſſis habent, ex illius benignitate ſunt accepturi. Atque hæc illorum verſuum ſententia eſt: *Seminate vobis ad iuſtitiam.*] Date operam humanis ſanctiſque officiis: huiuſmodi namque ſeges diuina virtute & miſericordia vobis ſuo tempore iuſtitiam feret illam, quam eius auctor Deus Chriſto procurante eſt largiturus; ad quam iuſtitiæ meſſem pertinebunt, quæcunque à vobis rectè, piè, ſanctèque geſta, & acta fuerint, ſicut ſcriptum eſt: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam, videlicet per Chriſtum ſuo Gen. 15. tempore afferendam. [*Et metite in ore miſericordiæ.*] Imperatiuus pro futuro Hebraico more ad futuræ rei certitudinem, quaſi certam illis metendi copiam faciat: Metetis profectò, inquit, metetis non quantum ſeminaueritis (id enim perexiguum eſt ad meſſis magnitudinem atque excellentiam) ſed in ore miſericordiæ, hoc eſt pluſquam petere, aut etiam intelligere poteſtis. ea enim miſericordiæ ratio eſt, vt vltrò donet, & vltra quàm cogitari poſſit donum adaugeat, ſicut ſcriptum eſt: Quoniam magna eſt, vſque ad cælos miſericordia Pſal. 56. tua. [*In ore miſericordiæ.*] Os pro ratione & menſura non rarò in Hebraico ſermone vſurpatur, vt Ioſeph dictus eſt dediſſe panem patri fratribuſque ſuis in ore paruuli, hoc eſt, quantum pueris, qui ſæpe panem petunt, petere libuiſſet. Pulcherrima ergo comparatione, quanto incremento ſparſum ſemen meſſis ſuperatura ſit, ſignificauit: nam qui ſeminat

iuxta

iuxta ſuam & agri ſui menſuram ſeminat; ſeminat enim ad os modij, aut ad ſummum ad
Leuit.27. os ſacci; neque æſtimandus eſt ager qui ſeminatur vltra menſuram ſeminis vt in Leuitico
ſcriptum eſt: Igitur vos, inquit Deus, iuxta menſuram veſtram, & in ore ſaccorum veſtrorum ſeminabitis: colligetis autem in ore miſericordiæ, quæ, vt iam diximus, ad vſque cælos magna eſt. O admirandam Dei noſtri benignitatem, beati qui illius miſericordiæ & fidei res actioneſque ſuas credunt, quibus tantus ex tam exiguo ſemine percipitur fructus! Quoniam autem his ſtudiis eos intentos eſſe oportuit; quicunq. tanti diuini beneficij conſortes eſſe vellent, neque ſemel tantum aut bis, ſed aſſiduè virtuti operam dare, ſicut ſcriptum
Matth.10. eſt: Non qui incœperit, ſed qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. ob eam rem addit: [*Nouate vobis nouale.*] Hoc eſt, ſingulis annis arate, voſque in diuinæ legis præceptis exercete; neque enim id nunc incommodum eſt, aut importunum, quinimo vobis integrum eſt, vt omni conſilio, ſtudio, atque conatibus omnibus Deum quæratis. [*Tempus autem requirendi Dominum.*] Hebraicè eſt, *Opportunitas eſt inquirendi Dominum.* Futurum enim eſt, vt veniat iuſtitiam & felicitatem maximam iis allaturus, quos, quantum in aratione profecerint, non pœnitebit. [*Cum venerit & qui docebit vos iuſtitiam.*] Hebraicè eſt, *Donec veniat & doceat vos, vel influat in vos iuſtitiam.* Iuſtitiam illam diuinam, quam qui eſuriunt & ſitiunt, ſa-
Matth.5. Pſal.84 Iſai.45. turabuntur, de qua ſcriptum eſt: Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit. Hanc autem ipſe idem qui allaturus erat, docturus etiam fuit, ſicut ſcriptum eſt: Rorare cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra & germinet ſaluatorem, & iuſtitia exoriatur ſimul: Ego Dominus creaui eum. Hæc erat officij ratio, ad quam ſæpiſſimè vates hic noſter atque alij omnes Iſraëliticum populum reuocare conati ſunt; neque vlla temporis aut rerum opportunitas fuit, in qua illorum hac in parte cura ac diligentia deſideraretur: cùm tamen Iſraëlitæ negligentium & diſſolutorum hominum partes importunè, atque impiè ſemper agerent; nam quo magis à vatibus amicè & ſtudioſè admonebantur, eo ſe illi ad virtutem ſegniores, ad vitia autem & ad impietatem promptiores præbebant. atq. ea quidem res ſæpè illis à vatibus exprobrata eſt, vt hoc in loco:

Araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis, comediſtis frugem mendacij: confiſus es in viis tuis, & in multitudine fortium tuorum.

EXPROBRATIO eſt ex antitheſi, docens, quantum illi à vocatione officioq. ſuo ſeſe abalienauerint, ego, inquit, admonui, hortatuſque ſum vos ſæpiſſimè, vt ſeminaretis ad iuſtitiam metendam, vos autem araſtis impietatem, in eaque re plurimũ ſtudij, laboris, operæque multum conſumpſiſtis: iuxta hanc verò ſementem & culturam meſſuiſtis vobis iniquitatem; namque ex ſuperſtitioſo ſimulachrorum cultu non alios mores ſperari licuit, quàm quos illa diſciplina inſtituit; tales enim euaſêre cultores, quales de diis, quos colebãt,
" opiniones acceperãt. Sicut ſcriptũ eſt: Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui con-
Pſal.134. fidunt in eis. Tales autem à vobis percipi fructus oportuit, qualem meſſem habuiſtis. Meſ-
" ſis fuit iniquitas, ergò cùm ad vſum ventum eſt, mendacium comediſtis. Mendaciũ comedere, eſt fruſtrari ſpe ſperati fructus, inaniaque omnia vora experiri, quemadmodum dictum eſt: Et muſtum mentietur in ea. Significat autem hac oratione, totum illud impietatis & ſuperſtitionis ſimulachrorumque colendorũ ſtudium, omnes opiniones, omnes ſpes quas de diis conceperant, omnia denique quæ ſibi vel proprio errore, vel futiliũ aruſpicum atque vatum reſponſis pollicebantur, vana & inania fore: atque ex tanto apparatu, labore, ſtudio, impenſa, mendacium ſolummodò eſſe colligẽdum. Ipſam autem ſtultitiam eorum oſtendere volens ſubiungit: [*Quia confiſus es in via tua in multitudine fortium tuorum.*] Quantò ſimplicior, tutior, magiſque compendioſa ſit vera religio, quàm falſa colentibus, non rarò in ſacris libris docemur: Nam qui verum Deum purè & ſanctè colũt, ipſa religione & pietate ſeſe contra omnem aduerſum euentum muniunt, ipſaque lege docentur, neq. in equis neque in equitibus, neq. in vllis humanis opibus, ſed in ſola Dei virtute ſibi collocare præ-
Pſal.19. ſidium. Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Domini ſperabimus: Ipſi obli-
" gati ſunt, & ceciderunt; nos autem ſurreximus, & erecti ſumus. Hæc veræ religionis riteque
" obſeruatæ ratio, hæc certa via eſt. Qui verò aliam viam pietatis & religionis, imò potius ſuperſtitionis & erroris inſiſtunt, magnam ſpem collocant in hominum conſilio, ope ac præ-
Ierem.17. ſidio, in quo nulla ſtabilis poteſt eſſe fiducia, ſicut ſcriptum eſt: Maledictus homo qui con-
" fidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum. Iſraëlitæ hac via & ſuis & ſociorũ quos
" vocabant opibus fidebant & nitebantur: vbi verò ad periculum eſt ventum, non auxilium, ſed maturius atque grauius exitium ſibi comparari iuſtè ſentiunt. idcirco horum improbat conſilium, aitque: [*Quia confiſus es in via tua, & in multitudine fortium tuorum:*] Coniunctio illa *& in multitudine* in exemplari non eſt; expoſitionis autem cauſa ab interprete, vel librario eſt addita.

addita. Nam ſenſus eſt: in iſta via, quam tibi per errorem muniuiſti, confiſus es in multitudine fortium tuorum. Quòd verò multitudinis numperum ſubitò in ſingularem mutat, id ſollemni Hebraicæ linguæ exemplo fit.

Conſurget tumultus in populo tuo, & omnes munitiones tuæ vaſtabuntur, ſicut vaſtatus eſt Salmana à domo eius, qui iudicauit Baal in die prælij matre ſuper filios alliſa:

OSTENDIT quid illis hoc, quod excogitarant, præſidium præſtiterit, nimirum vt maiori impetu, ac tumultu & grauiori ruina perirent; maior enim moles grauiori caſu corruit: Quo enim magis muris, turriumque extructione detentus & retardatus eſt hoſtis; quò magis vi, & præſidiis impeditus, eò ad vltionem crudelior eſt effectus. Itaque nec hominibus, nec opibus atque ædificiis defendi poterunt; imò vt non ſimpliciter perire liceat, ipſe ruinæ & tumultus maximi ſonitus & pauor efficiet. conſurget ergo tumultus, cùm dicit: *conſurget*, maximum fore ſignificat tumultum, qui miſto populi pereuntis clamore & corruentium ædificiorum ſonitu vehementer excreſcens conſurgat, vt illud apud poëtam:

Auditumq; Medis Heſperiæ ſonitum ruinæ.

Et omnes munitiones tuæ vaſtabuntur.] Quoniam verò præcedentium temporum exempla futurarum rerum euentus credibiles magis efficere, atque ante oculos proponere ſolent, hiſtoriam illis temporibus notam, noſtris verò non planè compertam citat, quo ſimilis exitus fidem, imaginem, terroremque iniiciat. Hiſtoria verò huiuſmodi fuit: Salman quidam bello armiſque potens, Arbelam locum virorum murorumque præſidiis (vt huius vatis oratione & ſimilitudinis ratione indicatur) munitiſſimum, obſeſſam tandem expugnauit: qua victoria, ita in victos ſæuitum eſt, vt nulli vel ætati, vel ſexui parceretur, ſed vſque eò graſſaretur hoſtis, vt etiam pueros atque infantes in conſpectu matrum, deinde matres ſaxis & muris colliſas crudeliſſimo mortis genere necaret. Ad huiuſmodi itaque euentum atque ſpectaculum præparari ſe Samaritas ſuis artibus, munitionibus & propugnaculis prædicit, vt poſt filios matres etiam muris & lapidibus, quibus magnifica illa conſtiterant ædificia, illidantur; vt duriſſimo ſpectaculo matres primum crudeliter animo, deinde corpore etiam cruciatæ quò ſerius, hoc pereant miſerius. [*Sicut vaſtatus eſt Salmana à domo eius qui iudicauit Baal in die prælij.*]. Vulgatæ Latinæ verſionis auctor ſic tranſtulit Chaldaicam magis & Græcam, quàm Hebraicam lectionem ſecutus; putoque illum dum hæc legeret, & verteret, ad Gedeonis hiſtoriam animum conuertiſſe, reliquiſſeque nobis lectionem, quæ ad eam rem, quam octauo Iudicum capite legimus, referri vtcumque poſſet. Sed Hebraicum exemplar ſic habet: *Sicut vaſtauit Salman, domum Arbeel in die prælij:*] Qua in lectione Salman belli imperator & dux proponitur. Domus verò Arbeel locus & populus cui bellum illatum eſt. Quòd autem quidem ad Salmanaſar referunt, quem primo Oſeæ filij Ela regis Iſraël anno Arbelam trans Iordanem crudeliſſimè vaſtaſſe dicunt; id ſi temporum ratio pateretur, facilè nominum ſimilitudo admitteret; namque Salman, & Salamanazer, vt Hebraicè vocatur, eiuſdem hominis nomina eſſe nihil prohibet, cùm vox Nezer principum Aſſyriorum agnomen eſſe videatur, quod & Nabugodonoſor nomen indicat, qui ſua lingua Nabugodonezer dicebatur. Sed vates hoc loco præſentis, vel præteriti temporis hiſtoriam ad futuram rei ſimilitudinem explicandam citat: cùm verò vates hic vſque ad Ezechiam Iuda regem munus ſuum propheticum fuerit executus, fieri potuit vt hoc vaticinium in illo primo Oſeæ anno, quo Arbela vaſtata eſt, ederetur: & vates præſenti, & adhuc in oculis ſermoneque omnium recenti imagine timendam cladem proponeret. Quando- 4.Reg.17.
quidem Oſeas filius Ela anno duodecimo Achaz regis Iuda regnare cœpit, cuius primis annis vexata bello Samaria & tributo promiſſo ſoluta, tandem nono capta eſt. Atque nomen etiam ipſum domus Arbeel, non ab re viſum nobis eſt cõſiderare, quod & ad ſequentis verſus explicationem conducere iudicabitur. Ex Etymologia autem nominis locum fuiſſe coniicimus, in quo numen aliquod religioſè coleretur; namque Hebraicè vocatur Beth-arbeel, quod Latinè domum Dei Inſidiatoris interpretari poſſumus: Etenim *Beth*, do- בית ארבאל
mum ſignificat, quod nomen alij adiunctum vel familiam, vel populum, vel locũ aliquem notat: vt, Bethel, Bethlehem, Beth Saon; interdum etiam locum numini cuipiam ſacrum deſcribit: vt Beth Dagon, quo in loco Deus aliquis marinus præcipuè colebatur. Eſt ergo Ioſue 15.
huiuſmodi verſus ſententia, hominum pereuntium gemitus, clamor, tumultus, & munitionum vaſtatio talis erit, qualis in Domo Arbeel fuit in die prœlij, cùm præter vaſtationem crudeliſſimè in populum ab hoſtibus ſæuitum adeò eſt, vt infantes etiam ante oculos matrum, deinde & matres ipſæ colliderentur; neque quicquam illis aut populi frequentia, aut loci munitiones, aut numinis etiam ſui ſuperbum & terribile nomen profecêre. quſ, cùm Deus inſidiator diceretur, hoſtibus timori eſſe potuit, ne Dei illius inſidiis perirent:

ſed

ſed tamen ciues cultoreſque eius potius, quàm hoſtes inſidias paſſos expertoſque dicere potueris. Ita & Iſraëlitis euenturum prædicitur, quos ex quibus confidebant res, virorum copiæ, bellandi peritia, operum munitiones, maximè autem nomen illud magnū Bethel, quod Dei fortis domum ſignificat, ingenti cum clade & tumultu vaſtare magis quàm periculo liberare poterunt. huius ergo rei cauſa ſubiunxit:

Sic faciet vobis Bethel, à facie malitiæ iniquitatum veſtrarum.

HEBRAICE ſic: *Propter malitiam malitiæ veſtræ* qua verbi repetitione ſceleris genus nō errore aut ſtultitia, ſed conſilio, ſtudio, pertinacia atque malitia Iſraëlitis ſuſceptū ſignificat. qualis apud illos vituli cultus fuerat: Namq. illud flagitium nō nouo conſilio, ſed antiquo, ac iam damnato exemplo repetitum atque admiſſum eſt: olim enim in deſerto, cùm vitulum coluiſſent, quid ea res illis profuiſſet, imò quantum obfuiſſet, intellexerant; nunc autem quo ſupplicij genere, qua pœna digni erant, qui ad vomitum reuerſi improbitatē non celare, ſed impudenter atque conſtanter profiteri videbantur. quam obrem ait: *propter malitiam malitiæ veſtræ.*] Hoc eſt malitioſam malitiam veſtram: nam præterquàm quòd adiectiuum (quo Hebraica lingua caret) poſſeſſiuus caſus explet, ſententiam & rem quoq. hic dicendi modus auget: maius enim quid innuit, filius diuinitatis eius, quàm filius diuinus eius, vt apud Latinos ſcelus plus eſt quàm ſceleſtus. Quoniam verò cura vatibus eſt rem gerendam certis notis deſcribere, vt maior vaticinio fides habeatur, ſiue ea deſcriptio propriis, ſiue tranſlatis verbis, aut ſimilitudinibus explicetur: propterea hoc in loco Iſraëlitici regis exitus, ita vt fuit, adiuncta ſimilitudine prædicitur: Namq. Oſeas filius Ela, qui euerſionis Samariæ tempeſtate Iſraëlitis præerat, etiam inter maximas anguſtias, & calamitates poſitus; tamen pertinax obſidionem ſuſtinebat, & belli vim præferebat ſpe diei. id eſt, melioris euentus, cui tamen eundem obſidionis & regni finem conſtitutum eſſe vates prædicit; & id eſt quod ait:

Terent. in Heauto. act. 2. ſcen. 3.

Sicut mane tranſit, pertranſit rex Iſraël:

HEBRAICE: *Sicut aurora tranſit:*] Aurora enim cùm media inter noctem & diem ſit, breuiſſima eſt; neutrum tamen appellari poteſt, vt ex illo Iob: expectet lucem, & non videat eam, neque ortum ſurgentis auroræ. itaq. qui poſt eas tenebras diem expectabat, auroram vidit, id eſt, obſidionis finem: diem verò, id eſt pacem & quietem non vidit, quia cum regno amiſit.

Iob 3.

CAPVT VNDECIMVM.

QVIA *puer Iſraël, & dilexi eum: & ex Aegypto vocaui filium meum.*

INGRATO atque immemori animo nihil eſſe improbius nihilque perpetuo dignius ſupplicio omnium, qui rectè de officio ſenſerunt, cōmunis ſententia eſt, ſicut ſcriptūeſt: Qui reddit malum pro bono, non auferetur malum à domo eius. is tamen flagitioſiſſimus eſt, quicunq. ingratitudinem irriſione & contumelia cumulat; atque iis rebus quas beneficij & gratiæ loco acceperit, in eius, à quo humanè tractatus ſit, iniuriam, atque incommodum abutitur; de quo ingratorum hominum genere ſcriptum eſt: Ne des panes tuos peccatori, ne ipſe ſit te potentior. Hoc flagitiū Deus optimus maximus & natura ſua beneficentiſſimus hoc in loco verbis exagitat, exprobratq. populo illi paterna officia, quibus illi per nefas in contemptum Dei impietatemque eſt abuſus. vt res autem planior fiat, cogitandus nobis altera parte pater eſt amantiſſimus, qui filio omnibus in rebus, omnibus in locis proſpiciat & caueat, ne aut ille lædatur, aut fatigetur; & ætatis imbecillitati ſemper conſulat. rurſus altera parte filius ruſticis moribus & maligno ingenio ſtatuēdus eſt, qui paternæ humanitatis & officij immemor, iis ſe dedat, quæ patri maximè diſplicent; ſic vt iam illum pœniteat; qui ſua lenitate, & educandi liberalitate, maiora filio ad libidinem & temeritatē fomenta auxiſſe videatur: nam pro amore & reuerentia negligentiam & contemptum filius reponit. An verò patrē illum, & tam degeneris filij & tanto erga eum officio iurè non tædeat? an nō filio pœnā caſtigationemq. tantò paret duriorem, quantò illum cura diligentiaq. ſua improbiorem deterioremque euaſiſſe intellexerit? Huiuſmodi ergo orationis eius, quę hoc capite continetur, argumentū eſt: vt Deus ſe ab Iſraële, quem ſummo amore, omni officio, omni cura filij loco tractauerit, ingratiſſimè atq. impiiſſimè exceptum fuiſſe queratur. quod iniuriæ genus tantò grauius eſt, quantò maiorem ſecum contemptum affert, maiorem conſilij diuini improbandi occaſionem cæteris gentibus præbet: quippe cùm hic ſolus populus qui præ omnibus aliis dilectus & ſuſceptus ſit, omnium

Prou. 17.

Eccl. 12.

omnium euaſerit ingratiſſimus. Primùm enim ſententiam diuinam & conſilium, deinde ſtudium & officium huic populo neglecta fuiſſe conſtabit: Namque Deus peculiari amore & prouidentia Iſraëlitas proſecutum ſeſe fuiſſe dicit, quòd ea gens præ omnibus aliis miſera atque afflicta, & conſilij auxiliiq. egens videbatur, tanquam paruulus aliquis puer parentibus orbatus, & omni humana cura deſtitutus, quem ſi quiſpiam humaniſſimo animo in hac fortuna offenderit, miſericordia motus ad ſe alliciat, foueat, & curet, proq. filio habeat cum magna ſpectantium admiratione, qui illius benignitatem & pueri ſortem laudare & prædicare non ceſſant. ita etiam Deus maxima illa ſua miſericordia Iſraëlem apud Ægyptios in ſumma miſeria agentem à ſe ſuſceptũ fuiſſe dicit: *Quia puer Iſrael & dilexi eum:*] Erat enim tanquam puer viribus conſilioque egens, omni humano auxilio curaque deſtitutus, omnium hominũ ludibrio & iniuriis expoſitus. huiuſmodi pueri cùm nemo hominũ miſereretur, ego miſertus ſum, & dixi, clamor filiorũ Iſraël venit ad me, vidiq. afflictionẽ eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur, & ſciens dolorẽ eius deſcendi, vt liberẽ de manu Ægyptiorum, hoc eſt, & dilexi eum, quo miſeriorẽ vidi, eo vehementiore erga eum amore ſum affectus, adeò vt hæredem illum mihi inſtituendum curauerim, ſicut ſcriptũ eſt: Dilexi vos, ait Dominus, & ſi dixeritis, qua in re dilexiſti nos? Nõnne frater fuit Eſau Iacob, & Iacob dilexi, &c. Vſque adeò autem à ſe dilectum fuiſſe ait Iſraëlem, tantoque ſtudio ſuſceptum, vt ſtatim pro filio & habuerit & prædicauerit; quod excelſi, magnificentiſſimi & planè regij animi opus ſit, humillimo atque miſerrimo loco iacentẽ quempiam ad ſummum ſplendoris gradum extollere. itaq. diuina miſericordia & benignitas, populum omnium abiectiſſimum, ad eam lucem vocare voluit, vt filium ſibi adoptare, atque appellare publicè non fuerit dedignatus. ſic enim per legatos ſuos apud Pharaonem egit: Hæc dicit Dominus, filius meus primogenitus Iſraël: Dixi tibi, dimitte filium meum, vt ſeruiat mihi: non modò filium ſuum, ſed primogenitũ appellauit, quòd cùm omnes gentes Deo curæ ſint, ipſumque omnium patrem, auctorem, gubernatoremq. eſſe conſtet, tamen huic genti omnium tum temporis abiectiſſimæ primogeniti prærogatiuum ius dare voluit, ob hanc rem dicit: *Ex Aegypto vocaui filium meum:*] Vocare duo in ſactis, vt etiam in Latino ſermone, ſignificat, videlicet appellare, & ex aliquo loco adducere atque inuitare, vt: De vẽtre matris meæ vocauit me nomine meo, & vocauit Iacob filios ſuos. Sic Latinè ſeptem fuiſſe dicuntur, vno tempore qui ſapientes & haberentur & vocarentur. ad vtramque autem ſignificationẽ locus hic pertinet, nam & filij appellati ſunt, cùm diceretur: Filius meus primogenitus Iſraël, & vt filij inuitati atque educti: Dimitte (inquit) filium meum vt ſeruiat mihi. Quanquam autem hic locus de Iſraële in eam quam diximus ſententiam explicatur, tamen de Ieſu Chriſti ab Ægypto euocatione rectiſſimè intelligi Euangeliſta citante docemur. ſed quoniam hæc res maiorem diligentiam, longioremque moram deſiderat, quàm quæ prophetiam hanc breuiter commentantibus conceditur, conſultò ad ſuum tempus integra reſeruabitur, vt vel cùm ad eum Euangelij locum ventum Deo duce fuerit, vel commodius aliquod ſpatium nacti illud exponamus, videlicet quid ab Euangeliſtis ſignificetur, cùm dicitur: vt impleretur quod dictum eſt per prophetam, &; vt ſcriptura impleretur. Eſt enim ea res, vt cognitu digniſſima; ita non cuiuis planè aperta. nunc verò de Iſraële hoc dictum exponimus: Hunc enim Deus à ſe filium appellatum, & ex Ægypto euocatum, quem pro filio haberet, aleret, liberaliterque educaret & confirmaret, apud hunc & apud alios etiam vates profeſſus eſt: Filios (inquit) enutriui & exaltaui, & ipſi ſpreuerũt me.

Exod. 2. Malach. 1. Exod. 4. Eſai. 49. Cicer. in Rhet. Horat. lib. 2. ſaty. 3. Matth. 2. Iſai. 1.

Vocauerunt eos: ſic abierunt à facie eorum. Baalim immolabant & ſimulachris ſacrificabant.

STVDIORVM comparatione Iſraëlis arguitur flagitium: Oſtenderat namque Deus quo animo, quo ſtudio erga eos fuerit, quos in maxima miſeria atque inopia conſtitutos non ſolùm auxilio iuuerat, ſed nominis honore filios appellando decorauerat; pro quibus beneficiis illi contra non ipſum patrem vocauerunt, neque vocati paruerunt, ſed deos potius quos ignorabant, à quibus minimè vocabantur, vltrò ipſi vocauerunt, vltroque ſecuti ſunt; & non ſolùm voto atque animo, ſed rerum ſuarum ſumptu & diſpendio coluerunt, ſicut ſcriptum eſt: Dereliquit Deum factorem ſuũ, & receſſit à Deo ſalutari ſuo: prouocauerunt eum in alienis diis, & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt, immolauerunt dæmoniis & non Deo, diis quos ignorabant: Deum qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui, vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus eſt, quia prouocauerunt eum filij ſui & filiæ. Hanc paternã iracundiam, hanc ſuam à filiis irritationem, his rebus procuratam Deus exponit dicens: *ipſi verò vocauerunt eos,*] nempe deos alienos: namque tota oratio per Zeugma ad nomen Baghalim pertinet, quod deos gentium, vt diximus, numero multitudinis ſignificat. Ego, inquit, vocaui eos, ipſi autem vocauerunt, non me, ſed

Deut. 32. Sup. 2.

me,ſed illos.ſic enim & in obteſtatione illa dictum erat: Noui recenteſque venerunt; venerunt quia vocati,hoc eſt,inducti ab illis ſunt.Ego vocaueram eos vt ſeruirent mihi;ipſi vocauerunt deos,quibus ſeruirent,deos inquam à quorum facie abierant,abductique fuerant per me. Namque eos ego ab omnium aliorum deorum vanitate & ſuperſtitione, ab omnium populorum familiaritate,atque impia conſuetudine deductos ad meum cultum reuocaueram; quibus dixeram ego Dominus qui ſeparaui te de omnibus populis vt ſeruias
Deut.10. » mihi.hanc rem atque adeò hanc auocationem ita illi ſeruauerunt, vt aſcitos & inuitatos ſibi deos frequentibus ſacrificiis proſequerentur. [*Sic abierunt à facie eorum,*] ſi ſcilicet hoc abire & recedere eſt,ſi hoc eſt recedere à diis. ſed quomodo abierunt?non ſolùm vocauerunt deos,ſed etiam *Baalim immolabant, & ſimulachris thura adolebant,* vt eos odoris ſuauitate ſibi conciliarent,& propitios atque amicos redderent: Neque verò ea re ſolùm me prouocauerunt,quòd vocantem me deſerentes, alienos ſibi deos vocauerint, ſed quòd indulgentia, cura, diligentiaque mea illa paterna erga eos, contra me honoremque meum abuſi ſunt:
Ierem.31. Namque eo tẽpore quo ego Iſraëlem ex Ægypto eduxi,ita tractaui vt puerum mihi chariſſimum tenerum exiguis viribus.propterea autẽ illius imbecillitati parcere atq. indulgere,quàm labori inſtare malui. igitur illum deducendum manu apprehendens, breuiſſimis itineribus agebam,eſurientem ac ſitientem cibo potuque abundè vt puerum, explebam; curabamque,ne qua illis aut victus aut cultus cura eſſet,& ne illis cibos ſibi non ſolùm parare,verùm ne ferre quidem opus eſſet,hoc etiam ipſe agebam: Nam & perpetuũ flumen illos ſequentem deducens, cibi ſingulis diebus quantum ſatis eſſet, idque ſuauiſſimum & delicatiſſimum,ſuppeditabam;tum etiam breuibus interuallis certa ad ceſſandũ quieſcendumque loca,in quibus diutius commorarentur, præuidebam: proſpiciebamque ne aut interdiu æſtuaret, aut noctu algeret,ne calceus, néue veſtis illi vnquam deterior inutiliorque eſſet.Denique nihil earum rerum deſideratum illis fuit, quibus amantiſſimi patres diligentiſſimæque nutrices ſuis ſolent pueris proſpicere, ita vt paterni materniique officij atque ſtudij munus erga Iſraëlem diligenter à me obitum,abundeque fuerit expletum.cæterùm ea omnia à me curata propter eam cauſam ſunt, vt ſaluus & incolumis, integriſque viribus in promiſſas paratasque à me illi ſedes perductus, me patrem ac Dominum coleret,quemadmodum illi meo nomine prædictum obteſtatumq. fuerat: Recordaberis cun-
Deut.8. » cti itineris per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per deſertũ: Dedit
» tibi cibum manna quod ignorabas tu & patres tui, veſtimentum tuum quo operiebaris ne-
» quaquam vetuſtate defecit,& pes tuus non eſt ſubtritus: cùm quadrageſimus annus eſt, vt
» recogites in corde tuo,quia ſicut deducit filium ſuum homo, ſic Dominus Deus tuus de-
Deut.32. duxit te,vt cuſtodias mandata Domini Dei tui, & ambules in viis eius: Dominus enim
» Deus tuus introducit te in terram bonam,&c. Hæc itaque ratio,hic modus, atq. hæc cauſa diuinæ erga Iſraëlem curæ fuit,vt quàm molliter, quàm clementer tractaret, nunc apprehenſa manu ſenſim pedetentimque deducens,nunc humeris baiulans, omnibuſque modis fouens & recreans illius vires,vt cùm ſatis ætatis ac roboris iam haberet,vires laboremque ſuum ad cultum meum impenderet,non ad impietatem inſumeret. At verò ille contra omnia fecit;nam me cultuque meo neglecto virium roboriſq. ſui firmitudine ad Deos alienos, ligneos, lapideos, aureos, & ex omni materia factos ex aliis locis in regionem domumque meam aſportandos eſt vſus. hoc eſt quod dicit:

Et ego quaſi nutritius Ephraim: portabam eos in brachiis meis.

HEBRAICE eſt: *Et ego pedetentim deduxi Ephraim: accepit eos ſuper brachia ſua: & neſcierunt quòd curauerim eos.* atque hoc modo apertior antithetorum collatio eſt: Ego, inquit, Ephraim deduxi, ego illi indulſi, ego vires eius recreaui, vt ille deos alienos in brachiis ſuis geſtaret, meorum videlicet in ſe beneficiorum,tantæque paternæ clementiæ atque indulgentiæ immemor. Mihi incolumitatem omnem vires roburque ſuum acceptum referri oportuit. [*Et neſcierunt quòd curauerim eos,*] cùm nullum alium ſanitatis firmitudiniſque ſuæ auctorem agnoſcere debuerint;atque ea rẽ ſibi timere ne malè impenſæ conſumptæq. in alieno cultu vires aliquando eſſent deſiderandæ,quibus per me refectis augeri expediret, vt videlicet contra meam voluntatem,atq. adeò in meam inuidiam deintegrò vterentur. Nam recreationem & ſanitatem,vireſque hac lege atque hoc pacto illis ego promiſeram, ſi mihi mo-
Exod.15. rem gerere,& in meo cultu ſeſe exercere vellent , ſicut ſcriptum eſt: Ibi conſtituit eis præ-
» cepta atque iudicia dicens: Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum eſt coram
» eo feceris,& obedieris mandatis eius,cuſtodieriſque omnia præcepta illius, cunctum lan-
» guorem quem poſui in Ægypto, non inducam ſuper te: Ego enim ſum Dominus Deus
» tuus curans te. illi autem cùm recreati, ſani & incolumes in terram ducti eſſent, vt mihi

modius ſeruirent,& terræ poſſeſſione in meum obſequium fruerentur, perinde quaſi omnia hæc ſuæ virtuti referenda eſſent, ita immemores beneficij, vires operamque ſuam ſimulachris aſportandis & colendis conſumpſerunt, cùm prædictum illis antea fuiſſet: Ne dixeris in corde tuo, fortitudo mea,& robur manus meæ, hæc mihi omnia præſtiterunt: ſed recordaberis Domini Dei tui, quòd ipſe vires tibi præbuerit, vt impleret pactum ſuum ſuper quo iurauit patribus tuis, vt præſens indicat dies Sin autem oblitus Domini Dei tui ſecutus fueris deos alienos, colueriſque illos & adoraueris, ecce nunc prædico tibi quòd omnino diſpereas. Vrgetur autem hoc in loco Ephraim præcipuè, quia ipſe ſeditionis & inſtituendæ ſuperſtitionis princeps auctorque fuerat.

In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis; & fui eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum, & declinaui ad eos vt veſcerentur.

ALIORVM etiam beneficiorum memoria rem amplificat & perſequitur, ſimul oſtendens, quàm conſtanter ipſe in paterna miſericordia humanitateque perſeuerauerit, cùm illi contrà omnium immemores beneficiorum nunquam ſuis partibus ſatisfecerint. Hactenus quidem quo in loco illorum res in Ægypto fuerant, antequam diuinam miſericordiam experirentur, expoſuit, & deinde, in quo gradu fuerint ab ipſo poſiti declarauit, viq. decorati, quibus modis in itinere tractati, donec in feliciſſimam illam regionem deducti ſunt; nunc verò vbi optatas ſedes nacti ſunt, (eò enim ducti fuerant) deinceps illud oſtendit, qualis illis conditio fuerit, vt Domino Deo ſuo ſeruirent & morem gererent, ſicut ſcriptum eſt: Et dedit illis regiones gentium,& labores populorum poſſederunt, vt cuſtodiant Pſal. 104 iuſtificationes eius,& legem eius exquirant. Quoniam autē ſeruitus Hebraicæ culturæ nomine dicitur, ex eo nomine & vitulæ imagine, quæ non ſemel apud hunc vatem expreſſa eſt, cōmoda ac non obſcura tranſlatione vſus oſtendit Deus, quàm iuſta ac clemens Iſraëlitis apud ſe fuerit ſeruitus, qui non perpetuo labore vexati ſint, vt antea apud Ægyptios, vbi aſſiduè ſine fructu diu noctuque duriter ſeruiebant: immò humaniſſimè tractati & ſuæ imbecillitati conſulere & indulgere iubebantur, ita vt in facili labore exercerentur potius, quàm frangerentur. [*In funiculis Adam traham eos:*] Futurum verbum à tempore aliquando abſolui,& conſuetudinem adſignificare, iam ſæpe aliàs diximus. Igitur quomodo à ſe tractari exercerique conſueuerint, exponit. Summa, inquit, humanitate erga eos ſemper ego fui, quos non duris funibus iugo aut aratro alligatos intolerabilem laborem cogebā ſubire, nec vt boues iumentaque, ſed vt homines tractabam: nam quemadmodum homo humanitate atque orationis lenitate facilius ac melius, quàm funibus, & verbis, quàm neruis commodius trahitur, ita ego eos ad iugum cultumque meum trahendos, immò potius alliciendos curabam *in vinculis charitatis.* ſeipſum expolitione declarat: Neque enim imperio & virga, vel clamore & terrore vt iumenta in ſeruitutem redactos, ſed benignitate, amore & orationis lenitate ad obſequium inuitatos & allectos voluit, quam ad rem huiuſmodi funiculis vſus eſt Deus: Et nūc Iſraël quid Dominus Deus tuus petit à te: niſi vt timeas Dominum Deum tuum,& ambules in viis eius,& diligas eum, ac ſeruias Domino Deo tuo in Deut. 10. toto corde tuo,& in tota anima tua, cuſtodiaſque mandata Domini, & ceremonias quas ego hodie præcipio tibi, vt benè ſit tibi. Et Domini Dei tui cælum eſt, & cælū cæli, terra,& omnia quę in ea ſunt;& tamen patribus tuis conglutinatus eſt Dominus & amauit eos, elegitque ſemen eorum poſt eos, id eſt, vos, de cunctis gentibus, ſicut hodie cōprobatur. Hæc ſunt vincula charitatis & amoris, quibus non vt boues, ſed vt homines ad ſe ſuumque cultum trahendos curauerat Deus. Atque adeò in ipſo cultu exercitationeque conſtitutis, quanta clementia, quantaque cura conſuleret, adiuncta oratione docet: *Et fui eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum, & declinaui ad eos vt veſcerentur.*] Ita, inquit, eorum imbecillitati conſulebam, vt boni & clementes aratores facere ſolent, qui boues ſuos non vſque ad laſſitudinem exercent, ſed etiam ante operarum terminum detracto iugo pabuloque oblato recreant, & bis aut ter etiam per diem requieſcere permittunt, ſicut ſcriptum eſt: Nouit iu- Prou. 12. ſtus iumentorum ſuorum animas. huiuſmodi conſilio & clementia ſe erga Iſraëlitas Deus fuiſſe teſtatur, quos non contento curſu ſemper exerceri laborareque voluit, ſed quoſdam illis dies, quædam ſolennia ſacra, denique certas horas conſtituit, quibus diuino cultui, ſacrificiis, hoſtiis, aliiſque oblationibus vacarent; cuius generis fuere Sabbatha, anniuerſariaque illa tria feſta, Calendæ, & meſſis ac vindemiæ tempora, necnon & tertius atq. ſeptimus annus: Namque his temporibus ſuam operam certam ſuorumque fructuum portionem in diuinæ legis obſequium, in publica vota & ſupplicationes, in ſacerdotum, in pauperum, in ſuoſque ipſorum vſus impendere debuerunt; reliquo autem tempore ſibiipſis proſpicere & conſulere permiſſi ſunt. Cumque hos omnes ab Ægyptiaca ſeruitute emptos, Dei opera & beneficio liberatos, cum primogenitis familiarumq. principibus viris li-

beratori emptorique ſuo perpetuò ſeruire oportuiſſet, tamen (quæ illius ſumma fuit cle-
Num. 3. mētia) Leuitica tribu perpetuo ſibi pro cæteris omnibus tribubus addicta contentus fuit, ſicut diuinis verbis teſtatum, ſcriptumque eſt: Ego tuli Leuitas à filiis Iſraël, pro omni primogenito qui aperit vuluam in filiis Iſraël, eruntque Leuitæ mei; meum enim eſt omne primogenitum, ex quo percuſſi primogenitos in terra Ægypti, ſanctificaſti mihi quidquid primum naſcitur in Iſraël ab homine vſq. ad pecus, mei ſunt. Ego Dominus. Atq. hæc illorum verborum ſententia eſt: *Sicut exaltans iugum ſuper maxillas eorum.*] Hoc eſt: Et ego ſuſtuli interim iugum quod ſuper maxillas eorũ erat. Hoc autem in earum regionum morem refertur, vbi boues non in fronte, vt apud Hiſpanos, ſed in ceruicibus iuga ſuſtinent, namque eo modo iugum maxillis imminet. eſt autem Hebraici ſermonis obſeruatio, vt relatiuus
Pſal. 7. in antecedente interdum lateat; vt ſecundum innocentiam meam ſuper me, quæ eſt ſuper me, ſic iugum ſuper maxillas eorum quod erat ſuper maxillas. [*Et inclinaui ad eos vt veſcerentur:*] Et nolui, vt mihi tantùm laborarent & ſudarent, ſed meorum agrorum fructus partem maximam illis in vſum permiſi, imò vltrò conceſſi, vt ij faciunt, qui ſolutis à labore iuuencis fœnum, aliasq́. commodas eſcas manu porrigunt; ſic ego illis paſtum largè & copioſè ſuppeditaui: quamobrem oportuit illos tantorum beneficiorũ nunquam fuiſſe
Deut. 7. oblitos, ſicut ſcriptum eſt: Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam, terram
» riuorum, aquarum & fontium, in cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyſſi.
» Terram frumenti, hordei ac vinearum, in qua ficus & malogranata, & oliueta naſcuntur,
» terram olei ac mellis, vbi abſque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium
» abundantia perfrueris, cuius lapides ferrum ſunt, & de montibus eius metalla fodiuntur.
» Obſerua & caue nequando obliuiſcaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius, atque
» iudicia & ceremonias, quas ego præcipio tibi hodie.

Non reuertetur in terram Aegypti, & Aſſur rex eius. quoniam noluerunt conuerti.

IAM crimen culpamque coarguit, quòd earum quæ commemoratæ ſunt rerum immemores, imò & dignitatem decoremque ſuum negligentes, id appetiuerint, quod maximè erat deteſtandum. Nam cùm tam diuturno tamque manifeſto periculo & incommodo Ægyptiorum in ſe animum & voluntatem (cuiuſmodi eſſet) perſpexiſſent, nullum tantum periculum eſſe potuit, cui non ſe potius quàm Ægyptiis iterum committere debuiſſent; maximè verò cùm vetitum hoc illis non ſemel in lege eſſet. Antiquorum enim malorum auctores Ægyptios, Deum autem beneficentiſſimum fuerant experti; quo auctore è ſeruis filij facti ſunt, mutataque ſuprema ſeruitus in maximam libertatem, & inopia in copiam fuerat. ad quem igitur in aduerſis erat confugiendum? an ne ad Deum qui ſemper ſalutaris ac præſens inuentus fuerat, an ad Ægyptios, quorum nuſquam fuit præſidium co-
Gen. 20. gnitum. [*Igitur non reuertetur in terram Aegypti:*] Non decuit eum reuerti in terram Ægy-
» pti; hæc enim eſt vis futuri temporis apud Hebræos, vt illa Abimelech ad Abraham obiurgatio declarat: quod non fiet feciſti nobis. Non ſolùm autem illis Ægyptus non fuerat petendus, ſed neque Aſſur etiam; nam quamuis hunc inimicum anteà non ſenſiſſent, non tamen vtilem nouerant; & cùm periculum fidei atque auxilij facerent, certè intellexerunt inutilem, is enim præter intolerabilis tributi exactionem, nihil apud illos effecit. Non igitur Ægyptus illis auxilij cauſa petendus; quippe qui antiquus & capitalis hoſtis erat. non etiam Aſſyrius, qui tametſi apertus inimicus non eſſet, tamen neque rex erat, qui eorum res & in bello & in pace tueretur, ſeque pro illorum & Reipublicæ ſalute dubiis caſibus committeret; vt facere reges ſolent, quo eos qui in eorum fide ſunt tueantur: vt fecit Dauid qui pugnas Domini atque Iſraël pugnauit. Quid ergo aut hoſtem illum, aut hunc nec regem, nec amicum adire oportuit? cum Deus adeſſet, cùm præſens eſſet, cuius in ſe miſericordiam, cuius fidem & in aduerſis & in ſecundis ſemper perſpexerant; quem vnum patrem, regem, tutorem, creatoremque agnoſcere & decuit & oportuit. cur non potius ad hunc, quàm ad iſtos ſeſe oculis animoque conuerterent? cum interrogatione admirationeque legendum eſt, nunquid inquit Aſſur rex horum fuit, *Quoniam noluerunt conuerti?* ad me videlicet commune illorum perfugium & ſingulare preſidium? Quamobrem cùm illi à certa ſalute ad certum malum, atque ad incertum auxilium transfugerent, ſequitur vt certam calamitatem ſibi ſtruxerint.

Et cepit gladius in ciuitatibus eorum, & conſumet electos eius & comedet capita eorum.

CEPIT non à cœpi, ſed à capio præteritum eſt, quod cum coniunctione, &, in futurum mutatur, vt à nobis cum diuo Hieronymo pluribus in locis eſt adnotatum. Hebraicè autem

autem eſt, cadet gladius in ciuitatibus eorum, &c. populi & principum calamitatem ſtra-
gemque prædicit: ſed vt melius intelligatur oratio, ſic diſtinguenda eſt, vt hemiſtichium
vſque ad verbum, *comedet*, pertineat, & in eo loco ſit comma: deinde verò ſequatur *capita eo-
rum*. quod Hebraicè ſic eſt: *Ob conſiliarios eius*. Eſt autem hæc ſententia: non ſolùm populum
ore gladij periturum, ſed principes, electosque etiam & fortiſſimos quoſque, qui aut ipſi
conſilio præfuerint, aut illorum conſilio paruerint, qui ſtatuerant ſatis præſidij populo in
ſuis rebus, in diis, in Ægyptiis atque Aſſyriis futurum. itaque, *capita*, in noſtra verſione au-
ctores conſiliariosque ſignificant.

Populus meus pendebit ad reditum meum, iugum autem imponetur eis ſimul, quod non auferetur.

SIC NOSTRA verſio habet: ſed quoniam nonnihil inter verſionem hanc, & He-
braicum exemplar variatur, Hebraicam ſubiicere placuit interpretationem; quam vbi
commentati fuerimus, ſi quid varietatis in vulgata relictum ſit, quod non attigerimus, id
non erit nimis obſcurum. [*Et populus meus pendent ad reditum meum, & ad excelſum vocauerunt eum;
in vniuerſum non eſt qui exaltet.*] Importunam quandam improbitatem & ſingularem Iſiaë-
litarum inſolentiam accuſat, qui non ratione, non æquitate, ſed æmulatione atque con-
tentione cum Deo agant, & ij qui Ægyptiis, qui Aſſyriis inimiciſſimis & inutilibus ho-
minibus fracto animo atque humili ſupplicant; vſque adeò aduerſus Deum inſoleſcant
& ſuperbiant, vt nemo illum imploret, nemo ſupplicet, ſed illum potius ſibi, quàm
ſe illi cedere contendant. O maximam inſaniam & ſingularem hominum improbita-
tem! O noſtrorum morum deteſtandam imaginem! Vt autem hæc res planior, intel-
lectuque facilior reddatur, prius nominum quorundam, quæ ad hanc ſententiam
pertinent, ratio nobis explicanda eſt: Duo nomina Hebraica ſunt; alterum Theſſu-
ba, quod Latinus ſæpe vertit pœnitentiam; alterum verò Meſſuba, quod reditum ſi-
ue reditionem, ſæpe autem auerſionem Latinus interpretatur. Pœnitentiæ verò, hoc
eſt, Theſſuba, nota omnibus ſignificatio eſt; Meſſuba verò ſiue reditus, ſiue auerſio di- תשובה
catur, contumacia, & propoſiti tenacitas, atque id quod pœnitentiæ & conſilio mutan- משובה
do opponitur, eſt. vtraque autem res in ſacris arcaniſque libris non ſolùm hominibus, ſed
Deo etiam tribuitur: namq. vt homines ante actæ vitæ, improborumq. ſtudiorum pœnite-
re, conſiliumque mutare dicuntur, ſic Deus decretæ in peccatores pœnæ ac minarum,
pœnitere, atque ab eo conſilio ad ſalutis & pacis cogitationes dicitur conuerti; ſicut ſcri-
ptum eſt: Repentè loquar ad populum & ad gentem aliquam, vt perdam & deſtruam
illam, ſi conuerſa fuerit gens illa & egerit pœnitentiam à via ſua mala, agam & ego pœ- Ierem. 18.
nitentiam de malo, quod cogitaui facere aduerſus eam. Hominum verò meſſuba, hoc "
eſt auerſio, non ſemel in diuinis voluminibus notatur, qui in peccandi propoſito manen- "
tes diuinam iram in ſe magis ac magis prouocant, atque augent, extremamque ſibi hac re "
moliuntur perniciem, ſicut ſcriptum eſt: Auerſio paruulorum interficiet eos. cuiuſmodi Prou. 1.
autem ea ſit, Deus ipſe apud Ieremiam ſic declarat: Nunquid vidiſti quæ fecerit auerſa-
trix Iſraël? abiit ſibimet ſuper omnem montem excelſum, & ſub omni ligno frondo- Ierem. 3.
ſo: & fornicata eſt ibi. Et dixi cùm feciſſet hæc omnia, ad me reuertere, & non eſt re- "
uerſa. Hæc hominum auerſionis notatio eſt, vt non ſolùm peccato ſeſe contamina- "
uerit, ſed etiam vt meliora monentis conſilio parere, atque de ſententia deſiſtere no-
luerit. Huic quidem diuina auerſio ſimilis eſt, cauſa verò vtriuſque omnino eſt diſſimi-
lis: Homini enim mala mens & animus malus, impietas corruptaque ſtudia auer-
ſionem pariunt & fouent; Deo autem æquitate, iudicio & iuſtitia ducto, pœnarum, ſup-
pliciorum atque vltionis ſententia firma conſtat, eaque non antea mutatur, quàm ſua ho-
minibus legitimè opportuneque mutata ſit, ſicut ſcriptum eſt: Super hoc accingite vos Ierem. 4.
ſaccis, & vlulate, quia non eſt conuerſa ira furoris Domini à vobis. & iterum: Non con- Ierem. 30
uertet iram indignationis Dominus: donec faciat & compleat cogitationem cordis ſui, "
in nouiſſimo dierum intelligetis ea. Huiuſmodi diuina auerſio eſt. Nunc ergo rerum ac "
nominum ratione expedita locus nobis eſt explicandus. Cùm inter aliquos diſſidia "
apertæque ſimultates exercentur, ſolent boni viri vtriuſque partis ſtudioſi de reconcilia-
tione diligenter agere; ea res perfici non poteſt, niſi altera pars alteri aliqua in re con-
cedat, aut prior ſatisfaciat; quòd ſi diſſidium inter diſpares ſit, ius, æquitas, ac ratio ipſa
poſtulat, vt maiori minor cedat; contrà ſumma eſt improbitas minorem contendere, vt
ſibi à maioribus cedatur. deinde & illud eſt æquiſſimum, vt qui prior laceſſebat, idem
prior ſatisfaciat; iniquiſſimum verò, ab eo qui iniuriam, aut offenſionem exceperit,
vt iram prior deponat contentionemque remittat, poſtulare. cæterùm cùm hoc neque
lex, neque ratio vlla ferat, illud maximi excelſique animi & ſummæ clementiæ opus

 eſt, ſi

intelligerent, quòd non niſi tam longa vltione ſatiari poſſet. ob eam autem rem illud appoſitum eſt: *Peccatum Iſraël*:] Namque Samariæ vitulus crimini nefario Iſraëlitis fuerat. [*Lappa & tribulus aſcendet ſuper aras eorum.*] Vaſtationem & ſolitudinem maximam hac deſcriptione depingit; cuius rationem, vnà cum nominibus ipſis plantarum iam antea ſumus perſecuti. [*Et dicent montibus, Operite nos.*] Non in ſalutem, ſed in grauiſſimam, miſerrimamq. calamitatẽ, ex illa longæ obſidionis tolerantia euaſuros ſignificat, cùm quotidiano Bethelicæ ruinæ ſpectaculo hoſtis in ſe crudelitatem atq. ſæuitiam conijcere liceat; qui ſi in immeritos parietes & lapides tantũ inſoleſcit, quãtũ in ſeipſos quorũ odio hæc fiunt, ſæuiendum eſſe exiſtimari oportuerit? Præ metu ergo hoſtilis crudelitatis minus miſerũ, potiusq. optandũ videbitur, idq. omnibus votis poſcent, vt irruentibus in ſe montibus abſorbeantur: Namq. ſi nihil aliud contigerit leuius, tamen & citò perire, & ſepulchro nõ carere licebit. [*Et collibus, Cadite ſuper nos.*] Explicatio eſt, qua & votum, & calamitatis metus amplificatur, & verbum, dicent, idipſum ſignificat, cùm tanto eos eius rei deſiderio teneri oſtendat, vt quamuis ſurdas atque inanimes res, tamen voce & clamore appellent. Simili oratione horribilem illam per Romanum exercitum Iudaico in populo edendam ſtragem, Chriſtus ſeruator noſter Ieroſolymitanis feminis, dum ad ſupplicium pro nobis produceretur, præcinebat. atque vt hoc in loco, ita etiam in illo argumentum à cõparatione ductum eſt, hoc modo: Si in lapides & parietes Bethel tantùm furiunt Aſſyrij, quantum in
Luc. 22. Samaritas, quos maximè inuiſos habent, debacchabuntur? Et Chriſtus: Si in viridi ligno
» hoc fit, in arido quid fiet?

Ex diebus Gabaa peccauit Iſraël.

NVLLAM omnino virtutem, nullam honeſtam probabilemque rationem in hominibus eſſe, quæ eadem excellentiſſima in Deo, tanquam in fonte non ſit, ipſa diuinæ naturæ ratio manifeſtè docet & oſtendit: Quid enim in homine egregium commendari poteſt,
Iob 10. quod non idem illius immenſæ lucis vmbra, & veluti quædam imago ſit: Nunquid ſicut dies hominis dies tui, aut anni tui ſicut humana ſunt tempora? dicebat Iob; vt hominem nulla ex parte Deo comparandum eſſe ſignificaret. vnde illud omnium Theologorum commune axioma eſt, quæcunque creaturis inſunt bona, in Deo eadem eminentiſſima eſſe: namque vt probata in homine miſericordia, iuſtitia, ſapientia, virtus, & quæcunq. alia honeſti ratio in Deo excellentiſſimis modis non probetur, à diuinæ naturæ conſideratione longè eſt alienum. hoc argumento miſericordiæ in Deo excellentiam vltra omnem hu-
Luc. 11. manam comparationem Chriſtus probabat: Si ergo vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quantò magis pater veſter qui in cælis eſt, dabit ſpiritum bonum petentibus ſe. Hanc eandem argumentationem Deus hoc in loco apud Iſraëlitas tractat, quos æquitatis contentione vrget: Oſtendit ſe non minus æquum, atque incorruptum iudicem & vindicem cauſſa grauiſſima id exigente futurum, quàm illi ipſi, apud quos verba facit, aliquando ſeſe iudices & vindices præbuerint, peccati quidem magni, quod tamen ſi cum hoc quod in crimen nunc vocatum eſt, conferatur, leuius multò fuerit iudicandum. Itaq. non eſſe cogitandum Deum ſeueriſſimè atque iuſtiſſimè non eſſe iudicaturum, ſi ſanctè
Gen. 18. & iuſtè iudicare laus etiam in hominibus eſt. Abſit à te Domine (dicebat Abraham) vt hoc
» facias: an qui iudicas omnem terram, non facies iudicium? namque iudicium non tam hominum, quàm Dei proprium eſt, atque ab ipſo iuris & æquitatis normam præceptaq. ho-
Deut. 1. mines habent, ſicut ſcriptum eſt: Ne timeatis à facie cuiuſquam, quia iudiciũ Domini eſt.
» Quoniam verò hæc quam diximus ſententia ſequentibus verſibus inuoluta eſt, ipſum argumentum Dialectico modo prius nobis erit diſponendum: Si Iſraël, inquit Deus, in nefario crimine ſeuerum ſe atque integrum iudicem præbuit, & vt ego ipſum in grauiore ſcelere acrem diligentemque iudicem agam, æquum conſentaneumque eſt; ſed in Gabaitarum cauſſa Iſraëlitæ ſeuero vſi ſunt iudicio. conſequitur ergo eorum cauſſam à me iuſtè & ſeuerè iudicari oportere, atque eò magis quò leuius Gabaitarum, quàm hoc ipſorum piaculum eſt. hæc argumentationis ſumma eſt, quæ quidem non ſimplex eſt, ſed duplex: Nam & duas res probandas ſuſcipit, illos incorruptos & integros iudices olim fuiſſe, & Gabaitarum crimen leuius fuiſſe ex quo conſequitur, diuinum in hos ipſos iudicium acre & ſeuerum eſſe oportere: iam ſingulas argumentationis partes tractemus. [*A diebus Gabaa peccauit Iſraël.*] Grauiori, inquit, crimine nunc Iſraël tenetur, quàm olim Biniaminitæ, cùm in Gabaa vltionis cauſſa concurſum eſt, tenebantur. propoſitio ex iis quæ perorata iam ſuperius ſunt, manifeſta eſt: Illic enim libidine & ſtupro à paucis hominibus peccatum eſt, & iniuria vir vnus, vnaque mulier ſunt affecti; hic verò præterquam quòd pluribus ſtupris omnis Iſraël ſeſe contaminauit, & regni populique ſocietas atque concordia diſſipata, & diuina religio inductis ſuperſtitionibus, & nefario cultu violata eſt. [*Ergo à diebus Gabaa peccauit*

cauit Iſraël:] Particula *à*, ſiue *ex*, non temporis nota, ſed comparationis eſt coniunctio: vt, Matt.11.
Et iuſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis; Et, Deſcendit hic in domum ſuam iuſtificatus ab illo. Luc.18.
Atque alia paſſim huiuſmodi exempla ſunt: Igitur cùm Iſraël maiori crimine obligatus ſit, maiori pœna dignus erit, ſed ipſe facto impetu crimen Gabaitarum ſeuerè eſt vltus. ergo iuſtè agetur, ſi ſceleris ipſe ſui me iudice pœnas luat. Quòd verò Iſraëlitæ, hoc eſt Samaria & Ephraim iuſtum & incorruptum iudicem tunc egerint, & rei indignitatem ferre non potuerint, ipſiuſmet & conſiliis & factis probatur: nam re cognita communi conſilio bellum Gabaitis denuntiarunt, ſimul atque intulerunt.

Ibi ſteterunt.

Cùm ſcelus illud grauiſſimè, & iniquo admodum animo tuliſſent, vtpote qui eo tempore alieniores à ſcelere erant; multoque quàm Beniaminitæ, iuſtiores: nam niſi illi tunc innocentia, & ſceleris odio Biniaminitis præſtitiſſent, nunquam profectò tam audacter tamque impudenter facerent, vt propriorum delictorum conſcientia ſtimulati, in fratres animaduerterent, liceretque Beniaminitis admiſſo ſcelere ſecurè agere, neque à fratribus ſuis timere, quos ipſi reprehenſi redarguere ac reprehendere viciſſim poterant. hoc eſt quod ait:

Non comprehendet eos in Gabaa prælium ſuper filios iniquitatis:

HEBRAICE ſic: *non continget eos prælium ſuper filios peruerſitatis*: hoc eſt, numquam illis ſuſceptum fuiſſet bellum in Gabaa contra Biniaminitas, qui maximi & nefarij ſceleris damnati erant. nemo enim tanta impudentia, tamque ſingulari audacia præditus eſt, vt criminoſum alterius maleficium accuſandum, nedum vindicandum ſuſcipiat, cuius maleficij ipſe expers non ſit. Conſtat ergo Biniaminitas illa tempeſtate in noxa fuiſſe, Iſraëlitas verò multò fuiſſe innocentiores, & propterea hos in illorum vita iuſtitiæ, æquitatis & ſeueritatis laudem ſibi quæſiſſe, ac tanto ſtudio, tantaque coniuratione meritas debitasq. pœnas fuiſſe proſecutos. Qua ergo ratione fieri poteſt, inquit Deus, vt ego qui æquiſſimus rerum æſtimator, ſanctiſſimusque & iuſtiſſimus iudex ſum, æquitatis & iuſtitiæ cupiditate atque ſtudio non tenear? præſertim cùm grauior magiſque damnata cauſſa hæc quàm illa ſit? imò hoc mihi vehementer deſiderandum eſt, neque antea ceſſandum, quàm deſiderio meo ſatisfiat.

Itaque iuxta deſiderium meum corripiam eos, congregabuntur ſuper eos populi.

VT ILLI olim communi conſenſu ad bellum Biniaminitis inferendum conſpirantes in Gabaam conuenerunt, ita etiam me auctore & impulſore multorum populorum in eos concurſus fiet. hoc autem his continget,

Propter duas iniquitates eorum.

GEMINVM ſcelus, alterum effrenatæ libidinis, qua vltrà quàm dici poſſit exarſerunt; alterum verò idque longè grauiſſimum idolorum culturæ & ſuperſtitionis, qua geminatis etiam vitulorũ ſimulachris ſeſe contaminauerunt; cùm illi ob vnum libidinis ſcelus, idq. paucorum hominum audacia ac temeritate admiſſum, tanto ſtudio & conſpiratione in totam tribum animaduerterint.

Ephraim vitula docta diligere trituram. & ego tranſiui ſuper pulchritudinem colli eius, aſcendam ſuper Ephraim, arabit Iudas, confringet ſibi ſulcos Iacob.

REM QVAM hactenus ſimplici oratione tractauerat, nunc deinceps perpetua tranſlatione (quam allegoriam dicunt) amplificat, atque in primis quæ fuerint Iſraëlitarum ſtudia, quæ opera & artes, deinde qui illis harum rerum exitus futuri ſint, docet. Eſt autẽ hæc ſententia: Humanum ingenium otioſum eſſe non poteſt; quod ſi honeſtis ſtudiis non teneatur, procliue eſt, vt vitioſitatem ſectetur: Quamobrem Deus homines ad honeſtatem atque ad officium inſtruit & docet, vt his animus occupatus, aditum vitio præcludat. Hæc diuina religio agit, in eoque verſatur, vt honeſtam ac veram homini voluptatẽ, tanquàm optimum finem proponat; viamque qua ad hæc perueniatur, muniat atque demonſtret; quam qui fuerit perſecutus, propoſitis tandẽ fructibus præmiiſque fruetur, ſicut ſcriptum eſt: Declina à malo, & fac bonum, & inhabita terram, & paſceris in diuitiis eius. Itaq. ſtudia & exercitationes præſcribit vera religio, quibus vera bona, atque ea quæ maximè ab hominibus expetitur felicitas, Dei dono percipitur. At verò & falſa & ſuperſtitioſa, humanos animos non ad virtutem, ſed ad libidinem inſtruit: nam prætermiſſis fidei ac officij præceptis, vitioſa ſacrificia, ludos & ſaltationes, aliaque huiuſmodi præcipit, in quibus homines non ad virtutem, non ad futuri præmij ſpem, ſed ad præſentes tantùm voluptates exercentur. Itaque neutri ceſſant, ſed altera pars honeſtum laborem ampliſſimæ mercedis ſpe ſuſcipit; altera verò futurum negligens, in ipſo laboris articulo fructũ ſuum percipere ſtudet. Pſalm.37.

ſtudet. Atq. eius quam nũc diſſerimus, rei imago arationis & trituræ ſimilitudine à Vate deſcribitur:nã bos qui arat,non præſenti fructu vtitur, ſed futuræ vtilitatis ſtudio laborem
» fert;qui verò triturat,præſente fruitur mercede, ſicut ſcriptum eſt: Qui arat, debet in ſpe
Ierem.50. arare. Et: Non alligabis os boui trituranti.& apud Ieremiam:Impinguati eſtis ſicut vitula
» triturans. Ergo vt ad Vatis lectionem noſtra accommodetur oratio, Ephraim in hoc loco reprehenditur, quem vitulæ & iuuencæ ſimilem ſæpe aliâs fecit, quæ cùm in diuinæ legis veræque religionis agro arare potuiſſet & debuiſſet, tamen iugi impatiens, ſuperſtitionis potius optauit trituram,in eaque ſeſe exercuit;vt iis deliciis, quas tritura illa ſuppeditat,libidinem ſuam expleret.qua quidem re Iuda etiam adduci potuit, vt Ephraim fortunis inuidens,ſtudia quoque æmularetur,atque ab aratro ad trituram tranſiliret;quemadmodum re vera factum eſt: Quippe Iſraëlitarum exemplo Iudæi ab officio ad ſuperſtitionis ſtudia ſunt traducti.ait igitur: [*Ephraim vitula docta diligere trituram.*] Quam ego ad arandum legibus conditis & propoſitis inſtitueram, tamen ipſa trituram ſtudioſè amauit, in eaque ſeſe exercuit,ob hanc rem doctam fuiſſe dicit: Quoniam verò hac licentia atque petulantia diuinam in ſe iram prouocauerat, & duram ſibi commerita fuerat ſeruitutem, in quam citò à Deo tradenda erat:ideò ait nihil aliud eam ſibi illa licentia paraſſe,quàm vt ceruicẽ ſuam craſſam,nouo iugo idoneam redderet; iamque tempus eſſe opportunum, vt ſub hoſtium iugum mittatur,quando ceruix eius Dei manu contrectata, & ad iugum idq. duriſſimum ſatis apta viſa fuerit. [*Ego tranſiui ſuper pulchritudinem colli eius.*] Ego,inquit, manu collum eius tractaui,quod & tolerandi iugi diſſuetudine,& deliciarum vſu ſatis obeſum,ſatiſque forte, & ad ſeruitutis labores ſuſtinendos ſatis idoneum inueni.vnde intelligimus non ſolùm iudicandi cauſſam à Deo obſeruari, verumetiam ſumendæ pœnæ opportunitatẽ; ſicut ſcri-
Pſal.72. ptum eſt:Deieciſti eos dum alienarentur. Quoniam verò opportunum erat iam, vt hoſtibus domanda,frangendaque hæc vitula traderetur,ſubiungit: *Aſcendam ſuper Ephraim:* Hebraicè eſt,*Geſtare faciam Ephraim.*] quòd ab Aſſyriis populis, quos ſupra memorauit,circundatus,capiendus,frangendus,& ſub iugum mittendus ita eſſet,vt non modò iugum & aratrum,ſed ſeſſorem etiam ferre cogeretur: quod quidem ſeruitutis genus vitularum naturæ duriſſimum incommodiſſimumque eſt,cùm tantùm equos,aſinos,mulos & camelos ſuſti-
Nehemiæ 7. nendo oneri,boues autem trahendo aptos eſſe ex ſacra philoſophia conſtet. Ex hac autem
2. Paral. 11. re illud eucnturum eſſe dicit,vt Iudæi, & cæteri Iſraëlitæ qui à diſſenſionis tempore apud Iudæos permanſerant, atque ſtudiorum Ephraim æmuli iam erant, ſpectato alterius populi periculo ſibi caueant,& in deſertas iam à ſe arationes,de integro incumbant. hoc eſt quod dicit, *Arabit Iudas,confringet ſibi ſulcos Iacob.*] Sic enim factitatum in libris Regum legimus;nam Ezechiæ & Ioſiæ filij eius temporibus, tam Iudæi quàm Iſraëlitæ cæteri,& qui ab extrema illa calamitate Samariæ fuerant reliqui conſiliorum vitæque rationem in melius mutauerunt. At verò aliarum tribuum reliquiæ, non iam illo Iſraëlitis ſplendore clari, ſed ad Iacob humilitatem redacti hi penè ſequentes glebam confringent, hoc eſt arationem legis atque religionis obſeruantia eo quo poterunt modo iuuabunt: Totus enim religionis cultus arationis tranſlatione deſcribitur, ſed boues arare ſolent; hominum autem cùm non pares vires ſint,cura eſt,vt glebas quæ arantibus bobus relictæ ſunt,ligonibus obfringant,aruum æquent & complanent. Sua ergo ex parte Iſraëlitarum reliquiæ, quod poterunt in religionis negotio agent. [*Confringet ſibi ſulcos.*] Hebraicè eſt, *Complanabit ſibi:* aptè autem dictum eſt, *Iacob confringet ſibi glebas.* Quòd cùm illis iam ob conditionis ſuæ humilitatem, ob afflictas & labefactatas res, integram religionis formam & rationem tractare non liceat,tamen id quod vel pauperrimo cuique integrum eſt,cordis ſui duritiem emollire,atque hominis pœnitentis partes corrigendis moribus agere curabit.

Seminate vobis ad iuſtitiam, & metite in ore miſericordiæ, innouate vobis nouale.tempus autem requirendi Dominum, cùm venerit qui docebit vos iuſtitiam.

OPPORTVNO admodum loco commune Prophetarum omnium argumentum vrget,atque quorum intereſt audire,auribus inculcat:Nam cùm de virtutis & pietatis ſtudiis ſub arationis tranſlatione mentionem feciſſet,& vtrumque populum Iudaicum & Iſraëliticum vitularum nomine appellaſſet, nunc eidem tranſlationi inſiſtens, totius Iſraëlitici negotij erga Deum,atque Dei rurſus erga ipſos conſilij ſummam explicat, & quodnam ſibi in hac re cum aliis vatibus commune deſiderium fuerit, addit; deinde ab illis aut officio proprio,aut conſilio diuino, & vatum deſiderio ſatisfactum fuiſſe negat.id quo facilius intelligatur,ſumma paulò altius nobis repetenda eſt. Humanum genus ſummum illum originalis iuſtitiæ gradum,de quo primorum parentum ſcelere deiectũ fuerat, nullis ſuis nec conatibus, nec aut ſtudiis aut actionibus obtinere iterum potuiſſet, niſi diuinæ miſericordiæ &

diæ & liberalitatis infinitæ conſilio, reſtitutio atque ſalus illi expediretur: Huius verò magni conſilij interpretem ac miniſtrum proprium filium vnicum eſſe voluit Deus, qui ſua illa inenarrabili ad mortem vſque obedientia efficere potuit, vt humano generi propter corruptam naturam ſuperis inuiſo, diuina iuſtitia & gratia reſtitueretur. quomodo autem hoc negotium gerendum eſſet, nec non vtrum in eodem dignitatis loco, in quo fuerat collocatus, an altiore ac meliore ſtatuendus homo eſſet, nunc diſputare non laboremus, quando neque res, neque commentationis breuitas id capere videtur: illud tamen ſtatuere operæpreciumeſt, hominem ſua opera & ſtudio ex illis inimicitiis in opportunam iuſtitiam diuinamque gratiam nunquam redire potuiſſe, niſi pacis & amicitiæ auſpex atque internuntius adeſſet, qui generis ſcelere expiato, amicitiæ & gratiæ rationes procuraret. huius verò rei promiſſio ex diuina liberalitate miſericordiaque fuit, nullis in homine, vt Theologi aiunt, præcedentibus meritis, quamobrem id à Deo promitteretur: Verùm enimuerò tantum hoc tamque admirabile donum non quibuſlibet, ſed dignis tantum paratum eſſe voluerat Deus; dignos autem eſſe eos definiuit, qui fide erga promiſſionem, & bonis operibus, hoc eſt Deo probandis officiis, quorum quidem exercitatio in noſtra poteſtate diuina adiuuante gratia eſt. Ob horum verò officiorum ſtabilem & certam poſſeſſionem homo iuſtus nominatur, non quidem iuſtitia illa diuina, quæ ſaluos reſtitutoſque facit, atque in antiquum ſtatum, ac dignitatem maximam reſtituit; namque hoc vnius Dei donum, & Chriſti eius opus eſt, ſicut ſcriptum eſt: Non ex operibus iuſtitiæ Tit. 3.
quæ fecimus nos, ſed per ſuam miſericordiam ſaluos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis ſancti ſpiritus, &c. Igitur duas iuſtitiæ rationes ſtatui oportet; alteram diuinam prorſus, hominibus Dei dono atque miſericordia contingentem, cuius qui participes ſunt, Dei filij diuinæque conſortes naturæ dicuntur eſſe; alteram verò quæ humana cura, ſtudio & exercitatione vnà cum Dei auxilio & gratia conſtat, atque adeò poſteriorem hanc vnà cum fide ab eis requiri, qui priorem illam diuinam expetunt, ſi modò habiles & idonei ad eam præſtandam ſint, totis ſacris libris eſt manifeſtum: Pœnitemini & credite Euangelio, diuinæ huius iuſtitiæ nuncius ac procurator dicebat. Quicunque Marc. 1. Luc. 10. Acto. 3.
verò hanc rationem in Theologica diſciplina non conſideratunt, circa eam quam profitebantur fidem naufragauerunt; in quo errore multos noſtro tempore verſari video, qui vtinam aliquando ad veritatem dirigantur. Huius olim promiſſionis nuntios Vates, cõſcium verò populum Iſraëliticum eſſe Deus voluerat, vt ij apud quos orbis rédemptor naſciturus erat, huius etiam prærogatiuæ ſorte cæteris gentibus, nationibuſque præſtarent, ſicut ſcriptum eſt: Qui ſunt Iſraëlitæ quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, quorum patres, ex quibus eſt Chriſtus ſecundum Roma. 9.
carnem. Nullam igitur occaſionem Vates prætermittere ſolent, quin opportunè, importunè hanc rem inculcantes, vrgeant atque inſtent, admoneantque maximè illius diuini doni ab eis ſperandi, officijque faciendi, vt eam ſtabiliant ſpem; vt hoc in loco Hoſſeas, cùm de religionis ſtudiis virtutiſque exercitationibus ſub arationis imagine verba feciſſet, aptè ſuum erga illos animum aperit, & quanto illorum vtilitatis deſiderio teneatur, exponit: Vtinam, inquit, veſtri officij recordaremini, vtinam rationem, parteſque veſtras cogitaretis; exiguo enim atque breui labore maximum quæſtum, emolumentumque faceretis: namque ea virtutis exercitatione quæ diuinis præceptis præſcripta eſt, iuſtitiam illam conſequeremini; quam qui fidem Dei promiſſis habent, ex illius benignitate ſunt accepturi. Atque hæc illorum verſuum ſententia eſt: *Seminate vobis ad iuſtitiam.*] Date operam humanis ſanctiſque officiis: huiuſmodi namque ſeges diuina virtute & miſericordia vobis ſuo tempore iuſtitiam feret illam, quam eius auctor Deus Chriſtò procurante eſt largiturus; ad quam iuſtitiæ meſſem pertinebunt, quæcunque à vobis rectè, piè, ſanctèque geſta, & acta fuerint, ſicut ſcriptum eſt: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam, videlicet per Chriſtum ſuo Gen. 15.
tempore afferendam. [*Et metite in ore miſericordiæ.*] Imperatiuus pro futuro Hebraico more ad futuræ rei certitudinem, quaſi certam illis metendi copiam faciat: Metetis profectò, inquit, metetis non quantum ſeminaueritis (id enim perexiguum eſt ad meſſis magnitudinem atque excellentiam) ſed in ore miſericordiæ, hoc eſt pluſquam petere, aut etiam intelligere poteſtis. ea enim miſericordiæ ratio eſt, vt vltrò donet, & vltra quàm cogitari poſſit donum adaugeat, ſicut ſcriptum eſt: Quoniam magna eſt, vſque ad cælos miſericordia Pſal. 56.
tua. [*In ore miſericordia.*] Os pro ratione & menſura non rarò in Hebraico ſermone vſurpatur, vt Ioſeph dictus eſt dediſſe panem patri fratribuſque ſuis in ore paruuli, hoc eſt, quantum pueris, qui ſæpe panem petunt, petere libuiſſet. Pulcherrima ergo comparatione, quanto incremento ſparſum ſemen meſſis ſuperatura ſit, ſignificauit: nam qui ſeminat

iuxta

iuxta ſuam & agri ſui menſuram ſeminat; ſeminat enim ad os modij, aut ad ſummum ad
Leuit. 27. os ſacci; neque æſtimandus eſt ager qui ſeminatur vltra menſuram ſeminis vt in Leuitico
ſcriptum eſt: Igitur vos, inquit Deus, iuxta menſuram veſtram, & in ore ſaccorum veſtrorum
ſeminabitis: colligetis autem in ore miſericordiæ, quæ, vt iam diximus, ad vſque cælos
magna eſt. O admirandam Dei noſtri benignitatem, beati qui illius miſericordiæ & fidei
res actioneſque ſuas credunt, quibus tantus ex tam exiguo ſemine percipitur fructus!
Quoniam autem his ſtudiis eos iuuenros eſſe oportuit; quicunq. tanti diuini beneficij conſortes
Matth. 10. eſſe vellent, neque ſemel tantum aut bis, ſed aſſiduè virtuti operam dare, ſicut ſcriptum
eſt: Non qui incœperit, ſed qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. ob eam
rem addit: [*Nouate vobis nouale.*] Hoc eſt, ſingulis annis arate, voſque in diuinæ legis præceptis
exercete; neque enim id nunc incommodum eſt, aut importunum, quinimo vobis
integrum eſt, vt omni conſilio, ſtudio, atque conatibus omnibus Deum quæratis. [*Tempus
autem requirendi Dominum.*] Hebraicè eſt, *Opportunitas eſt inquirendi Dominum.* Futurum enim eſt,
vt veniat iuſtitiam & felicitatem maximam iis allaturus, quos, quantum in aratione profecerint,
non pœnitebit. [*Cùm venerit & qui docebit vos iuſtitiam.*] Hebraicè eſt, *Donec veniat &
Matth. 5. doceat vos, vel influat in vos iuſtitiam.* Iuſtitiam illam diuinam, quam qui eſuriunt & ſitiunt, ſa-
Pſal. 84. turabuntur, de qua ſcriptum eſt: Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit. Hanc
Iſai. 45. autem ipſe idem qui allaturus erat, docturus etiam fuit, ſicut ſcriptum eſt: Rorate cæli deſuper,
& nubes pluant iuſtum, aperiatur terra & germinet ſaluatorem, & iuſtitia exotiatur
ſimul: Ego Dominus creaui eum. Hæc erat officij ratio, ad quam ſæpiſſimè vates hic noſter
atque alij omnes Iſraëliticum populum reuocare conati ſunt; neque vlla temporis aut rerum
opportunitas fuit, in qua illorum hac in parte cura ac diligentia deſideraretur: cùm
tamen Iſraëlitæ negligentium & diſſolutorum hominum partes importunè, atque impiè
ſemper agerent; nam quo magis à vatibus amicè & ſtudioſè admonebantur, eo ſe illi ad
virtutem ſegniores, ad vitia autem & ad impietatem promptiores præbebant. atq. ea quidem
res ſæpè illis à vatibus exprobrata eſt, vt hoc in loco:

Araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis, comediſtis frugem mendacij: confiſus es in viis tuis, & in multitudine fortium tuorum.

EXPROBRATIO eſt ex antitheſi, docens, quantum illi à vocatione officioq. ſuo ſeſe
abalienauerint, ego, inquit, admonui, hortatuſque ſum vos ſæpiſſimè, vt ſeminaretis ad iuſtitiam
metendam, vos autem araſtis impietatem, in eaque re plurimũ ſtudij, laboris, operæque
multum conſumpſiſtis: iuxta hanc verò ſementem & culturam meſſuiſtis vobis iniquitatem;
namque ex ſuperſtitioſo ſimulachrorum cultu non alios mores ſperari licuit,
quàm quos illa diſciplina inſtituit; tales enim euaſêre cultores, quales de diis, quos colebãt,
" opiniones acceperãt. Sicut ſcriptũ eſt: Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui con-
Pſal. 134. fidunt in eis. Tales autem à vobis percipi fructus oportuit, qualem meſſem habuiſtis. Meſ-
" ſis fuit iniquitas, ergò cùm ad vſum ventum eſt, mendacium comediſtis. Mendaciũ comedere,
eſt fruſtrari ſpe ſperati fructus, inaniaque omnia vota experiri, quemadmodum dictum
eſt: Et muſtum mentietur in ea. Significat autem hac oratione, totum illud impietatis
& ſuperſtitionis ſimulachrorumque colendorũ ſtudium, omnes opiniones, omnes ſpes
quas de diis conceperant, omnia denique quæ ſibi vel proprio errore, vel futiliũ aruſpicum
atque vatum reſponſis pollicebantur, vana & inania fore: atque ex tanto apparatu, labore,
ſtudio, impenſa, mendacium ſolummodò eſſe colligẽdum. Ipſam autem ſtultitiam eorum
oſtendere volens, ſubiungit: *Quia confiſus es in via tua in multitudine fortium tuorum.*] Quantò
ſimplicior, tutior, magiſque compendioſa ſit vera religio, quàm falſa colentibus, non rarò
in ſacris libris docemur: Nam qui verum Deum purè & ſanctè colũt, ipſa religione & pietate
ſeſe contra omnem aduerſum euentum muniunt, ipſaque lege docentur, neq. in equis
neque in equitibus, neq. in vllis humanis opibus, ſed in ſola Dei virtute ſibi collocare præ-
Pſal. 19. ſidium. Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Domini ſperabimus: Ipſi obli-
" gati ſunt, & ceciderunt; nos autem ſurreximus, & erecti ſumus. Hæc veræ religionis riteque
" obſeruatæ ratio, hæc certa via eſt. Qui verò aliam viam pietatis & religionis, imò potius ſu-
perſtitionis & erroris inſiſtunt, magnam ſpem collocant in hominum conſilio, ope ac præ-
Ierem. 17. ſidio, in quo nulla ſtabilis poteſt eſſe fiducia, ſicut ſcriptum eſt: Maledictus homo qui con-
" fidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum. Iſraëlitæ hac via & ſuis & ſociorũ quos
" vocabant opibus fidebant & nitebantur: vbi verò ad periculum eſt ventum, non auxilium,
ſed maturius atque grauius exitium ſibi comparari iuſtè ſentiunt. idcirco horum improbat
conſilium, aitque: *Quia confiſus es in via tua, & in multitudine fortium tuorum:*] Coniunctio illa
& in multitudine in exemplari non eſt; expoſitionis autem cauſa ab interprete, vel librario eſt
addita.

addita. Nam ſenſus eſt: in iſta via, quam tibi per errorem muniuiſti, confiſus es in multitudine fortium tuorum. Quòd verò multitudinis numerum ſubitò in ſingularem mutat, id ſollemni Hebraicæ linguæ exemplo fit.

Conſurget tumultus in populo tuo, & omnes munitiones tuæ vaſtabuntur, ſicut vaſtatus eſt Salmana à domo eius, qui iudicauit Baal in die prælij matre ſuper filios alliſa:

OSTENDIT quid illis hoc, quod excogitarant, præſidium præſtiterit, nimirum vt maiori impetu, ac tumultu & grauiori ruina perirent; maior enim moles grauiori caſu corruit: Quo enim magis muris, turriumque extructione detentus & retardatus eſt hoſtis; quò magis vi, & præſidiis impeditus, eò ad vltionem crudelior eſt effectus. Itaque nec hominibus, nec opibus atque ædificiis defendi poterunt; imò vt non ſimpliciter perire liceat, ipſe ruinæ & tumultus maximi ſonitus & pauor efficiet. conſurget ergo tumultus, cùm dicit: *conſurget*, maximum fore ſignificat tumultum, qui miſto populi pereuntis clamore & corruentium ædificiorum ſonitu vehementer excreſcens conſurgat, vt illud apud poëtam:

Auditumq; Medis Heſperiæ ſonitum ruinæ.

Et omnes munitiones tuæ vaſtabuntur.] Quoniam verò præcedentium temporum exempla futurarum rerum euentus credibiles magis efficere, atque ante oculos proponere ſolent, hiſtoriam illis temporibus notam, noſtris verò non planè compertam citat, quo ſimilis exitus fidem, imaginem, terroremque iniiciat. Hiſtoria verò huiuſmodi fuit: Salman quidam bello armiſque potens, Arbelam locum virorum murorumque præſidiis (vt huius vatis oratione & ſimilitudinis ratione indicatur) munitiſſimum, obſeſſam tandem expugnauit: qua victoria, ita in victos ſæuitum eſt, vt nulli vel ætati, vel ſexui parceretur, ſed vſque eò graſſaretur hoſtis, vt etiam pueros atque infantes in conſpectu matrum, deinde matres ſaxis & muris colliſas crudeliſſimo mortis genere necaret. Ad huiuſmodi itaque euentum atque ſpectaculum præparari ſe Samaritas ſuis artibus, munitionibus & propugnaculis prædicit, vt poſt filios matres etiam muris & lapidibus, quibus magnifica illa conſtiterant ædificia, illidantur; vt duriſſimo ſpectaculo matres primùm crudeliter animo, deinde corpore etiam cruciatæ quò ſerius, hoc pereant miſerius. [*Sicut vaſtatus eſt Salmana à domo eius qui iudicauit Baal in die prælij.*]. Vulgatæ Latinæ verſionis auctor ſic tranſtulit Chaldaicam magis & Græcam, quàm Hebraicam lectionem ſecutus; putoque illum dum hæc legeret, & verteret, ad Gedeonis hiſtoriam animum conuertiſſe, reliquiſſeque nobis lectionem, quæ ad eam rem, quam octauo Iudicum capite legimus, referri vtcumque poſſet. Sed Hebraicum exemplar ſic habet: *Sicut vaſtanit Salman, domum Arbeel in die prælij:*] Qua in lectione Salman belli imperator & dux proponitur. Domus verò Arbeel locus & populus cui bellum illatum eſt. Quòd autem quidem ad Salmanaſar referunt, quem primo Oſeæ filij Ela regis Iſraël anno Arbelam trans Iordanem crudeliſſimè vaſtaſſe dicunt; id ſi temporum ratio pateretur, facilè nominum ſimilitudo admitteret; namque Salman, & Salamanazer, vt Hebraicè vocatur, eiuſdem hominis nomina eſſe nihil prohibet, cùm vox Nezer principum Aſſyriorum agnomen eſſe videatur, quod & Nabugodonoſor nomen indicat, qui ſua lingua Nabugodonezer dicebatur. Sed vates hoc loco præſentis, vel præteriti temporis hiſtoriam ad futuram rei ſimilitudinem explicandam citat: cùm verò vates hic vſque ad Ezechiam Iuda regem munus ſuum propheticum fuerit executus, fieri potuit vt hoc vaticinium in illo primo Oſeæ anno, quo Arbela vaſtata eſt, ederetur: & vates præſenti, & adhuc in oculis ſermoneque omnium recenti imagine timendam cladem proponeret. Quandoquidem Oſeas filius Ela anno duodecimo Achaz regis Iuda regnare cœpit, cuius primis 4.Reg.17.
annis vexata bello Samaria & tributo promiſſo ſoluta, tandem nono capta eſt. Atque nomen etiam ipſum domus Arbeel, non ab re viſum nobis eſt cõſiderare, quod & ad ſequentis verſus explicationem conducere iudicabitur. Ex Etymologia autem nominis locum fuiſſe coniicimus, in quo numen aliquod religioſè coleretur; namque Hebraicè vocatur Beth-arbeel, quod Latinè domum Dei Inſidiatoris interpretari poſſumus: Etenim *Beth*, domum ſignificat, quod nomen alij adiunctum vel familiam, vel populum, vel locũ aliquem בית ארבאל
notat: vt, Bethel, Bethlehem, Beth Saon; interdum etiam locum numini cuipiam ſacrum deſcribit: vt Beth Dagon, quo in loco Deus aliquis marinus præcipuè colebatur. Eſt ergo Ioſue 15.
huiuſmodi verſus ſententia, hominum pereuntium gemitus, clamor, tumultus, & munitionum vaſtatio talis erit, qualis in Domo Arbeel fuit in die prœlij, cùm præter vaſtationem crudeliſſimè in populum ab hoſtibus ſæuitum adeò eſt, vt infantes etiam ante oculos matrum, deinde & matres ipſæ colliderentur; neque quicquam illis aut populi frequentia, aut loci munitiones, aut numinis etiam ſui ſuperbum & terribile nomen profecêre. quî, cùm Deus inſidiator diceretur, hoſtibus timori eſſe potuit, ne Dei illius inſidiis perirent:

ſed tamen ciues cultoreſque eius potius, quàm hoſtes inſidias paſſos expertoſque dicere potueris. Ita & Iſraëlitis euenturum prædicitur, quos ea quibus confidebant res, virorum copiæ, bellandi peritia, operum munitiones, maximè autem nomen illud magnũ Bethel, quod Dei fortis domum ſignificat, ingenti cum clade & tumultu vaſtare magis quàm periculo liberare poterunt. huius ergo rei cauſa ſubiunxit:

Sic faciet vobis Bethel, à facie malitiæ iniquitatum veſtrarum.

HEBRAICE ſic: *Propter malitiam malitiæ veſtræ.* qua verbi repetitione ſceleris genus nõ errore aut ſtultitia, ſed conſilio, ſtudio, pertinacia atque malitia Iſraëlitis ſuſceptũ ſignificat. qualis apud illos vituli cultus fuerat: Namq. illud flagitium nõ nouo conſilio, ſed antiquo, ac iam damnato exemplo repetitum atque admiſſum eſt: olim enim in deſerto, cùm vitulum coluiſſent, quid ea res illis profuiſſet, imò quantum obfuiſſet, intellexerant; nunc autem quo ſupplicij genere, qua pœna digni erant, qui ad vomitum reuerſi improbitatẽ non celare, ſed impudenter atque conſtanter profiteri videbantur. quam ob rem ait: *propter malitiam malitiæ veſtræ.*] Hoc eſt malitioſam malitiam veſtram: nam præterquàm quòd adiectiuum (quo Hebraica lingua caret) poſſeſſiuus caſus explet, ſententiam & rem quoq. hic dicendi modus auget: maius enim quid innuit, filius diuinitatis eius, quàm filius diuinus eius, vt apud Latinos ſcelus plus eſt quàm ſceleſtus. Quoniam verò cura vatibus eſt rem gerendam certis notis deſcribere, vt maior vaticinio fides habeatur, ſiue ea deſcriptio propriis, ſiue tranſlatis verbis, aut ſimilitudinibus explicetur: propterea hoc in loco Iſraëlitici regis exitus, ita vt fuit, adiuncta ſimilitudine prædicitur: Namq. Oſeas filius Ela, qui euerſionis Samariæ tempeſtate Iſraëlitis præerat, etiam inter maximas anguſtias, & calamitates poſitus; tamen pertinax obſidionem ſuſtinebat, & belli vim præferebat ſpe diei. id eſt, melioris euentus, cui tamen eundem obſidionis & regni finem conſtitutum eſſe vates prædicit; & id eſt quod ait:

Terent. in Heauto. act. 2. ſcen. 3.

Sicut mane tranſit, pertranſit rex Iſraël:

HEBRAICE: *Sicut aurora tranſit:*] Aurora enim cùm media inter noctem & diem ſit, breuiſſima eſt; neutrum tamen appellari poteſt, vt ex illo Iob: expectet lucem, & non videat eam, neque ortum ſurgentis auroræ. itaq. qui poſt eas tenebras diem expectabat, auroram vidit, id eſt, obſidionis finem: diem verò, id eſt pacem & quietem non vidit, quia cum regno amiſit.

Iob 3.

CAPVT VNDECIMVM.

QVIA *puer Iſraël, & dilexi eum: & ex Aegypto vocaui filium meum.*

INGRATO atque immemori animo nihil eſſe improbius nihilque perpetuo dignius ſupplicio omnium, qui rectè de officio ſenſerunt, cõmunis ſententia eſt, ſicut ſcriptũ eſt: Qui reddit malum pro bono, non auferetur malum à domo eius. is tamen flagitioſiſſimus eſt, quicunq. ingratitudinem irriſione & contumelia cumulat; atque iis rebus quas beneficij & gratiæ loco acceperit, in eius, à quo humanè tractatus ſit, iniuriam, atque incommodum abutitur; de quo ingratorum hominum genere ſcriptum eſt: Ne des panes tuos peccatori, ne ipſe ſit te potentior. Hoc flagitiũ Deus optimus maximus & natura ſua beneficentiſſimus hoc in loco verbis exagitat, exprobratq. populo illi paterna officia, quibus illi per nefas in contemptum Dei impietatemque eſt abuſus. vt res autem planior fiat, cogitandus nobis altera parte pater eſt amantiſſimus, qui filio omnibus in rebus, omnibus in locis proſpiciat & caueat, ne aut ille lædatur, aut fatigetur; & ætatis imbecillitati ſemper conſulat. ruſus altera parte filius ruſticis moribus & maligno ingenio ſtatuẽdus eſt, qui paternæ humanitatis & officij immemor, iis ſe dedat, quæ patri maximè diſplicent; ſic vt iam illum pœniteat; qui ſua lenitate, & educandi liberalitate, maiora filio ad libidinem & temeritatẽ fomenta auxiſſe videatur: nam pro amore & reuerentia negligentiam & contemptum filius repoſuit. An verò patrẽ illum, & tam degeneris filij & tanto erga eum officio iurè non tædeat? an nõ filio pœnã caſtigationemq. tantò paret duriorem, quantò illum cura diligentiaq. ſua improbiorem deterioremque euaſiſſe intellexerit? Huiuſmodi ergo orationis eius, quę hoc capite continetur, argumentũ eſt: vt Deus ſe ab Iſraële, quem ſummo amore, omni officio, omni cura filij loco tractauerit, ingratiſſimè atq. impiiſſimè exceptum fuiſſe queratur. quod iniuriæ genus tantò grauius eſt, quantò maiorem ſecum contemptum affert, maiorem conſilij diuini improbandi occaſionem cæteris gentibus præbet: quippe cùm hic ſolus populus qui præ omnibus aliis dilectus & ſuſceptus ſit,

Prou. 17.

Eccl. 12.

omnium

omnium euaſerit ingratiſſimus. Primùm enim ſententiam diuinam & conſilium, deinde ſtudium & officium huic populo neglecta fuiſſe conſtabit: Namque Deus peculiari amore & prouidentia Iſraëlitas proſecutum ſeſe fuiſſe dicit, quòd ea gens præ omnibus aliis miſera atque afflicta, & conſilij auxiliíq. egens videbatur, tanquam paruulus aliquis puer parentibus orbatus, & omni humana cura deſtitutus, quem ſi quiſpiam humaniſſimo animo in hac fortuna offenderit, miſericordia motus ad ſe alliciat, foueat, & curet, proq. filio habeat cum magna ſpectantium admiratione, qui illius benignitatem & pueri ſortem laudare & prædicare non ceſſant. ita etiam Deus maxima illa ſua miſericordia Iſraëlem apud Ægyptios in ſumma miſeria agentem à ſe ſuſceptũ fuiſſe dicit: *Quia puer Iſrael & dilexi eum:*] Erat enim tanquam puer viribus conſilioque egens, omni humano auxilio curaque deſtitutus, omnium hominũ ludibrio & iniuriis expoſitus. huiuſmodi pueri cùm nemo hominũ miſereretur, ego miſertus ſum, & dixi, clamor filiorũ Iſraël venit ad me, vidiq. afflictionẽ eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur, & ſciens dolorẽ eius deſcendi, vt liberẽ de manu Ægyptiorum, hoc eſt, & dilexi eum, quo miſeriorẽ vidi, eo vehementiore erga eum amore ſum affectus, adeò vt hæredem illum mihi inſtituendum curauerim, ſicut ſcriptũ eſt: Dilexi vos, ait Dominus, & ſi dixeritis, qua in re dilexiſti nos? Nonne frater fuit Eſau Iacob, & Iacob dilexi, &c. Vſque adeò autem à ſe dilectum fuiſſe ait Iſraëlem, tantoque ſtudio ſuſceptum, vt ſtatim pro filio & habuerit & prædicauerit; quod excelſi, magnificentiſſimi & planè regij animi opus ſit, humillimo atque miſerrimo loco iacentẽ quempiam ad ſummum ſplendoris gradum extollere. itaq. diuina miſericordia & benignitas, populum omnium abiectiſſimum, ad eam lucem vocare voluit, vt filium ſibi adoptare, atque appellare publicè non fuerit dedignatus. ſic enim per legatos ſuos apud Pharaonem egit: Hæc dicit Dominus, filius meus primogenitus Iſraël: Dixi tibi, dimitte filium meum, vt ſeruiat mihi: non modò filium ſuum, ſed primogenitũ appellauit, quòd cùm omnes gentes Deo curæ ſint, ipſumque omnium patrem, auctorem, gubernatoremq́. eſſe conſtet, tamen huic genti omnium tum temporis abiectiſſimæ primogeniti prærogatiuum ius dare voluit, ob hanc rem dicit: *Ex Aegypto vocaui filium meum:*] Vocare duo in ſacris, vt etiam in Latino ſermone, ſignificat, videlicet appellare, & ex aliquo loco adducere atque inuitare, vt: De vẽtre matris meæ vocauit me nomine meo, & vocauit Iacob filios ſuos. Sic Latinè ſeptem fuiſſe dicuntur, vno tempore qui ſapientes & haberentur & vocarentur. ad vtramque autem ſignificationẽ locus hic pertinet, nam & filij appellati ſunt, cùm diceretur: Filius meus primogenitus Iſraël, & vt filij inuitati atque educti: Dimitte (inquit) filium meum vt ſeruiat mihi. Quanquam autem hic locus de Iſraële in eam quam diximus ſententiam explicatur, tamen de Ieſu Chriſti ab Ægypto euocatione rectiſſimè intelligi Euangeliſta citante docemur. ſed quoniam hæc res maiorem diligentiam, longioremque moram deſiderat, quàm quæ prophetiam hanc breuiter commentantibus conceditur, conſultò ad ſuum tempus integra reſeruabitur, vt vel cùm ad eum Euangelij locum ventum Deo duce fuerit, vel commodius aliquod ſpatium nacti illud exponamus, videlicet quid ab Euangeliſtis ſignificetur, cùm dicitur: vt impleretur quod dictum eſt per prophetam, &; vt ſcriptura impleretur. Eſt enim ea res, vt cognitu digniſſima; ita non cuiuis planè aperta. nunc verò de Iſraële hoc dictum exponimus: Hunc enim Deus à ſe filium appellatum, & ex Ægypto euocatum, quem pro filio haberet, aleret, liberaliterque educaret & confirmaret, apud hunc & apud alios etiam vates profeſſus eſt: Filios (inquit) enutriui & exaltaui, & ipſi ſpreuerũt me.

Exod. 2. Malach. 1. Exod. 4. Eſai. 49. Cicer. in Rhet. Horat. lib. 2. ſaty. 3. Matth. 7. Iſai. 1.

Vocauerunt eos: ſic abierunt à facie eorum. Baalim immolabant & ſimulachris ſacrificabant.

STVDIORVM comparatione Iſraëlis arguitur flagitium: Oſtenderat namque Deus quo animo, quo ſtudio erga eos fuerit, quos in maxima miſeria atque inopia conſtitutos non ſolùm auxilio iuuerat, ſed nominis honore filios appellando decorauerat; pro quibus beneficiis illi contra non ipſum patrem vocauerunt, neque vocati paruerunt, ſed deos potius quos ignorabant, à quibus minimè vocabantur, vltrò ipſi vocauerunt, vltroque ſecuti ſunt; & non ſolùm voto atque animo, ſed rerum ſuarum ſumptu & diſpendio coluerunt, ſicut ſcriptum eſt: Dereliquit Deum factorem ſuũ, & receſſit à Deo ſalutari ſuo: prouocauerunt eum in alienis diis, & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt, immolauerunt dæmoniis & non Deo, diis quos ignorabant: Deum qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui, vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus eſt, quia prouocauerunt eum filij ſui & filiæ. Hanc paternã iracundiam, hanc ſuam à filiis irritationem, his rebus procuratam Deus exponit dicens: *ipſi verò vocauerunt eos,*] nempe deos alienos: namque tota oratio per Zeugma ad nomen Baghalim pertinet, quod deos gentium, vt diximus, numero multitudinis ſignificat. Ego, inquit, vocaui eos, ipſi autem vocauerunt, non me, ſed

Deut. 32. Sup. 2.

me,ſed illos.ſic enim & in obteſtatione illa dictum erat: Noui recenteſque venerunt; venerunt quia vocati, hoc eſt, inducti ab illis ſunt. Ego vocaueram eos vt ſeruirent mihi; ipſi vocauerunt deos, quibus ſeruirent, deos inquam a quorum facie abierant, abductique fuerant per me. Namque eos ego ab omnium aliorum deorum vanitate & ſuperſtitione, ab omnium populorum familiaritate, atque impia conſuetudine deductos ad meum cultum reuocaueram; quibus dixeram ego Dominus qui ſeparaui te de omnibus populis vt
Deut.10. ſeruias
„ mihi. hanc tem atque adeò hanc auocationem ità illi ſeruauerunt, vt aſcitos & inuitatos ſibi deos frequentibus ſacrificiis proſequerentur. [*Sic abierunt à facie eorum,*] ſi ſcilicet hoc abire & recedere eſt, ſi hoc eſt recedere à diis. ſed quomodo abierunt? non ſolùm vocauerunt deos, ſed etiam *Baalim immolabant, & ſimulachris thura adolebant*, vt eos odoris ſuauitate ſibi conciliarent, & propitios atque amicos redderent: Neque verò ea re ſolùm me prouocauerunt, quòd vocantem me deſerentes, alienos ſibi deos vocauerint, ſed quòd indulgentia, cura, diligentiaque mea illa paterna erga eos, contra me honoremque meum abuſi ſunt:
Ierem.31. Namque eo tẽpore quo ego Iſraëlem ex Ægypto eduxi, ita tractaui vt puerum mihi chariſſimum tenerum exiguis viribus. propterea autẽ illius imbecillitati parcere atq. indulgere, quàm labori inſtare malui. igitur illum deducendum manu apprehendens, breuiſſimis itineribus agebam, eſurientem ac ſitientem cibo potuque abundè vt puerum, explebam; curabamque, ne qua illis aut victus aut cultus cura eſſet, & ne illis cibos ſibi non ſolùm parare, verùm ne ferre quidem opus eſſet, hoc etiam ipſe agebam: Nam & perpetuũ flumen illos ſequentem deducens, cibi ſingulis diebus quantum ſatis eſſet, idque ſuauiſſimum & delicatiſſimum, ſuppeditabam; tum etiam breuibus interuallis certa ad ceſſandũ quieſcendumque loca, in quibus diutius commorarentur, præuidebam: proſpiciebamque ne aut interdiu æſtuaret, aut noctu algeret, ne calceus, néue veſtis illi vnquam deterior inutiliorque eſſet. Denique nihil earum rerum deſideratum illis fuit, quibus amantiſſimi patres diligentiſſimæque nutrices ſuis ſolent pueris proſpicere, ita vt paterni materníque officij atque ſtudij munus erga Iſraëlem diligenter a me obitum, abundeque fuerit expletum. cæterùm ea omnia à me curata propter eam cauſam ſunt, vt ſaluus & incolumis, integriſque viribus in promiſſas paratasque à me illi ſedes perductus, me patrem ac Dominum coleret, quemadmodum illi meo nomine prædictum obteſtatumq. fuerat: Recordaberis cun-
Deut.8. „ cti itineris per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per deſertũ: Dedit
„ tibi cibum manna quod ignorabas tu & patres tui, veſtimentum tuum quo operiebaris ne-
„ quaquam vetuſtate defecit, & pes tuus non eſt ſubtritus: cùm quadrageſimus annus eſt, vt
„ recogites in corde tuo, quia ſicut deducit filium ſuum homo, ſic Dominus Deus tuus de-
Deut.32. duxit te, vt cuſtodias mandata Domini Dei tui, & ambules in viis eius: Dominus enim
„ Deus tuus introducit te in terram bonam, &c. Hæc itaque ratio, hic modus, atq. hæc cauſa diuinæ erga Iſraëlem curæ fuit, vt quàm molliter, quàm clementer tractaret, nunc apprehenſa manu ſenſim pedetentimque deducens, nunc humeris baiulans, omnibusque modis fouens & recreans illius vires, vt cùm ſatis ætatis ac roboris iam haberet, vires laboremque ſuum ad cultum meum impenderet, non ad impietatem inſumeret. At verò ille contra omnia fecit; nam me cultuque meo neglecto virium roboriſq. ſui firmitudine ad Deos alienos, ligneos, lapideos, aureos, & ex omni materia factos ex aliis locis in regionem domumque meam aſportandos eſt vſus. hoc eſt quod dicit:

Et ego quaſi nutritius Ephraim: portabam eos in brachiis meis.

HEBRAICE eſt: *Et ego pedetentim deduxi Ephraim: accepit eos ſuper brachia ſua: & neſcierunt quòd curauerim eos.* atque hoc modo apertior antithetorum collatio eſt: Ego, inquit, Ephraim deduxi, ego illi indulſi, ego vires eius recreaui, vt ille deos alienos in brachiis ſuis geſtaret, meorum videlicet in ſe beneficiorum, tantæque paternæ clementiæ atque indulgentiæ immemor. Mihi incolumitatem omnem vires roburque ſuum acceptum referri oportuit. [*Et neſcierunt quòd curauerim eos,*] cùm nullum alium ſanitatis firmitudiniſque ſuæ auctorem agnoſcere debuerint; atque ea rẽ ſibi timere ne malè impenſæ conſumptæq. in alieno cultu vires aliquando eſſent deſiderandæ, quibus per me refectis augeri expediret, vt videlicet contra meam voluntatem, atq. adeò in meam inuidiam de integrò vterentur. Nam recreationem & ſanitatem, vireſque hac lege atque hoc pacto illis ego promiſeram, ſi mihi mo-
Exod.15. rem gerere, & in meo cultu ſeſe exercere vellent, ſicut ſcriptum eſt: Ibi conſtituit eis præ-
„ cepta atque iudicia dicens: Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum eſt coram
„ eo feceris, & obedieris mandatis eius, cuſtodieriſque omnia præcepta illius, cunctum lan-
„ guorem quem poſui in Ægypto, non inducam ſuper te: Ego enim ſum Dominus Deus
„ tuus curans te. illi autem cùm recreati, ſani & incolumes in terram ducti eſſent, vt mihi
com-

modius ſeruirent,& terræ poſſeſſione in meum obſequium fruerentur,perinde quaſi omnia hæc ſuæ virtuti referenda eſſent, ita immemores beneficij, vires operamque ſuam ſimulachris aſportandis & colendis conſumpſerunt,cùm prædictum illis antea fuiſſet: Ne "
dixeris in corde tuo,fortitudo mea,& robur manus meæ,hæc mihi omnia præſtiterunt:ſed "
recordaberis Domini Dei tui,quòd ipſe vires tibi præbuerit, vt impleret pactum ſuum ſu- "
per quo iurauit patribus tuis, vt præſens indicat dies Sin autem oblitus Domini Dei tui "
ſecutus fueris deos alienos,colueriſque illos & adoraueris, ecce nunc prædico tibi quòd omnino diſpereas. Vrgetur autem hoc in loco Ephraim præcipuè, quia ipſe ſeditionis & inſtituendæ ſuperſtitionis princeps auctorque fuerat.

In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis; & fui eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum, & declinaui ad eos vt veſcerentur.

ALIORVM etiam beneficiorum memoria rem amplificat & perſequitur, ſimul oſtendens,quàm conſtanter ipſe in paterna miſericordia humanitateque perſeuerauerit, cùm illi contrà omnium immemores beneficiorum nunquam ſuis partibus ſatisfecerint. Hactenus quidem quo in loco illorum res in Ægypto fuerant,antequam diuinam miſericordiam experirentur,expoſuit,& deinde, in quo gradu fuerint ab ipſo poſiti declarauit, vtq. decorati, quibus modis in itinere tractati, donec in feliciſſimam illam regionem deducti ſunt;nunc verò vbi optatas ſedes nacti ſunt, (eò enim ducti fuerant) deinceps illud oſtendit,qualis illis conditio fuerit,vt Domino Deo ſuo ſeruirent & morem gererent,ſicut ſcri- Pſal. 104.
ptum eſt: Et dedit illis regiones gentium,& labores populorum poſſederunt,vt cuſtodiant "
iuſtificationes eius,& legem eius exquirant.Quoniam autẽ ſeruitus Hebraicæ culturæ nomine dicitur, ex eo nomine & vitulæ imagine,quæ non ſemel apud hunc vatem expreſſa eſt,cômoda ac non obſcura tranſlatione vſus oſtendit Deus,quàm iuſta ac clemens Iſraëlitis apud ſe fuerit ſeruitus, qui non perpetuo labore vexati ſint, vt antea apud Ægyptios, vbi aſſiduè ſine fructu diu noctuque duriter ſeruiebant: immò humaniſſimè tractati & ſuæ imbecillitati conſulere & indulgere iubebantur,ita vt in facili labore exercerentur potius, quàm frangerentur. [*In funiculis Adam traham eos:*] Futurum verbum à tempore aliquando abſolui,& conſuetudinem adſignificare, iam ſæpe aliàs diximus. Igitur quomodo à ſe tractari exerceri que conſueuerint,exponit.Summa,inquit, humanitate erga eos ſemper ego fui,quos non duris funibus iugo aut aratro alligatos intolerabilem laborem cogebã ſubire,nec vt boues iumentaque,ſed vt homines tractabam: nam quemadmodum homo humanitate atque orationis lenitate facilius ac melius,quàm funibus, & verbis, quàm neruis commodius trahitur,ita ego eos ad iugum cultumque meum trahendos, immò potius alliciendos curabam *in vinculis charitatis.* ſeipſum expolitione declarat: Neque enim imperio & virga,vel clamore & terrore vt iumenta in ſeruitutem redactos,ſed benignitate, amore & orationis lenitate ad obſequium inuitatos & allectos voluit, quam ad rem huiuſmodi funiculis vſus eſt Deus: Et nũc Iſraël quid Dominus Deus tuus petit à te:niſi vt timeas Do- Deut. 10.
minum Deum tuum,& ambules in viis eius,& diligas eum,ac ſeruias Domino Deo tuo in "
toto corde tuo,& in tota anima tua, cuſtodiaſque mandata Domini, & ceremonias quas "
ego hodie præcipio tibi,vt benè ſit tibi. Et Domini Dei tui cælum eſt, & cælũ cæli, terra,& "
omnia quę in ea ſunt;& tamen patribus tuis conglutinatus eſt Dominus & amauit eos,ele- "
gitque ſemen eorum poſt eos,id eſt,vos, de cunctis gentibus, ſicut hodie cõprobatur. Hæc "
ſunt vincula charitatis & amoris,quibus non vt boues, ſed vt homines ad ſe ſuumque cultum trahendos curauerat Deus. Atque adeò in ipſo cultu exercitationeque conſtitutis, quanta clementia,quantaque cura conſuleret, adiuncta oratione docet: *Et fui eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum, & declinaui ad eos vt veſcerentur.*] Ita, inquit, eorum imbecillitati conſulebam,vt boni & clementes aratores facere ſolent,qui boues ſuos non vſque ad laſſitudinem exercent,ſed etiam ante operarum terminum detracto iugo pabuloque oblato recreant, & bis aut ter etiam per diem requieſcere permittunt,ſicut ſcriptum eſt: Nouit iu- Prou. 12.
ſtus iumentorum ſuorum animas.huiuſmodi conſilio & clementia ſe erga Iſraëlitas Deus fuiſſe teſtatur,quos non contento curſu ſemper exerceri laborareque voluit, ſed quoſdam illis dies,quædam ſolennia ſacra,denique certas horas conſtituit, quibus diuino cultui, ſacrificiis,hoſtiis,aliiſque oblationibus vacarent; cuius generis fuere Sabbatha, anniuerſariaque illa tria feſta,Calendæ, & meſſis ac vindemiæ tempora,necnon & tertius atq. ſeptimus annus: Namque his temporibus ſuam operam certam ſuorumque fructuum portionem in diuinæ legis obſequium,in publica vota & ſupplicationes, in ſacerdotum, in pauperum, in ſuoſque ipſorum vſus impendere debuerunt; reliquo autem tempore ſibiipſis proſpicere & conſulere permiſſi ſunt. Cumque hos omnes ab Ægyptiaca ſeruitute emptos,Dei opera & beneficio liberatos,cum primogenitis familiarumq. principibus viris li-

autem eſt,cadet gladius in ciuitatibus eorum,&c. populi & principum calamitatem ſtra-
gemque prædicit: ſed vt melius intelligatur oratio, ſic diſtinguenda eſt, vt hemiſtichium
vſque ad verbum,*comedet*,pertineat, & in eo loco ſit comma:deinde verò ſequatur *capita eo-
rum*.quod Hebraicè ſic eſt:*Ob conſiliarios eius.* Eſt autem hæc ſententia: non ſolùm populum
ore gladij periturum,ſed principes, electoſque etiam & fortiſſimos quoſque, qui aut ipſi
conſilio præfuerint,aut illorum conſilio paruerint, qui ſtatuerant ſatis præſidij populo in
ſuis rebus,in diis,in Ægyptiis atque Aſſyriis futurum.itaque,*capita*, in noſtra verſione au-
ctores conſiliatioſque ſignificant.

Populus meus pendebit ad reditum meum, iugum autem imponetur eis ſimul, quod non auferetur.

SIC NOSTRA verſio habet: ſed quoniam nonnihil inter verſionem hanc, & He-
braicum exemplar variatur, Hebraicam ſubiicere placuit interpretationem; quam vbi
commentati fuerimus, ſi quid varietatis in vulgata relictum ſit, quod non attigerimus, id
non erit nimis obſcurum. [*Et populus meus pendens ad reditum meum, & ad excelſum vocauerunt eum;
in vniuerſum non eſt qui exaltet.*] Importunam quandam improbitatem & ſingularem Iſraë-
litarum inſolentiam accuſat, qui non ratione, non æquitate, ſed æmulatione atque con-
tentione cum Deo agant, &.ij qui Ægyptiis, qui Aſſyriis inimiciſſimis & inutilibus ho-
minibus fracto animo atque humili ſupplicant; vſque adeò aduerſus Deum inſoleſcant
& ſuperbiant, vt nemo illum imploret, nemo ſupplicet, ſed illum potius ſibi, quàm
ſe illi cedere contendant. O maximam inſaniam & ſingularem hominum improbita-
tem! O noſtrorum morum deteſtandam imaginem! Vt autem hæc res planior, intel-
lectuque facilior reddatur, prius nominum quorundam, quæ ad hanc ſententiam
pertinent, ratio nobis explicanda eſt: Duo nomina Hebraica ſunt; alterum Theſſu-
ba, quod Latinus ſæpe vertit pœnitentiam; alterum verò Meſſuba, quod reditum ſi-
ue reditionem, ſæpe autem auerſionem Latinus interpretatur. Pœnitentiæ verò, hoc
eſt, Theſſuba, nota omnibus ſignificatio eſt; Meſſuba verò ſiue reditus, ſiue auerſio di- תשובה
catur, contumacia, & propoſiti tenacitas, atque id quod pœnitentiæ & conſilio mutan- משובה
do opponitur,eſt.vtraque autem res in ſacris arcaniſque libris non ſolùm hominibus, ſed
Deo etiam tribuitur:namq.vt homines ante actæ vitæ,improborumq.ſtudiorum pœnite-
re,conſiliumque mutare dicuntur, ſic Deus decretæ in peccatores pœnæ ac minarum,
pœnitere, atque ab eo conſilio ad ſalutis & pacis cogitationes dicitur conuerti; ſicut ſcri-
ptum eſt: Repentè loquar ad populum & ad gentem aliquam, vt perdam & deſtruam
illam, ſi conuerſa fuerit gens illa & egerit pœnitentiam à via ſua mala, agam & ego pœ- Ierem. 18.
nitentiam de malo, quod cogitaui facere aduerſus eam. Hominum verò meſſuba, hoc "
eſt auerſio, non ſemel in diuinis voluminibus notatur, qui in peccandi propoſito manen- "
tes diuinam iram in ſe magis ac magis prouocant, atque augent, extremamque ſibi hac re "
moliuntur perniciem, ſicut ſcriptum eſt: Auerſio paruulorum interficiet eos. cuiuſmodi Prou. 1.
autem ea ſit, Deus ipſe apud Ieremiam ſic declarat: Nunquid vidiſti quæ fecerit auerſa-
trix Iſraël? abiit ſibimet ſuper omnem montem excelſum, & ſub omni ligno frondo- Ierem. 3.
ſo: & fornicata eſt ibi. Et dixi cùm feciſſet hæc omnia, ad me reuertere, & non eſt re- "
uerſa. Hæc hominum auerſionis notatio eſt, vt non ſolùm peccato ſeſe contamina- "
uerit, ſed etiam vt meliora monentis conſilio parere, atque de ſententia deſiſtere no-
luerit. Huic quidem diuina auerſio ſimilis eſt, cauſa verò vtriuſque omnino eſt diſſimi-
lis: Homini enim mala mens & animus malus, impietas corruptaque ſtudia auer-
ſionem pariunt & fouent; Deo autem æquitate, iudicio & iuſtitia ducto, pœnarum, ſup-
pliciorum atque vltionis ſententia firma conſtat, eaque non antea mutatur, quàm ſua ho-
minibus legitimè opportuneque mutata ſit, ſicut ſcriptum eſt: Super hoc accingite vos Ierem. 4.
ſaccis, & vlulate, quia non eſt conuerſa ira furoris Domini à vobis. & iterum: Non con- Ierem. 30
uertet iram indignationis Dominus: donec faciat & compleat cogitationem cordis ſui, "
in nouiſſimo dierum intelligetis ea. Huiuſmodi diuina auerſio eſt. Nunc ergo rerum ac "
nominum ratione expedita locus nobis eſt explicandus. Cùm inter aliquos diſſidia "
apertæque ſimultates exercentur; ſolent boni viri vtriuſque partis ſtudioſi de reconcilia-
tione diligenter agere; ea res perfici non poteſt, niſi altera pars alteri aliqua in re con-
cedat, aut prior ſatisfaciat; quòd ſi diſſidium inter diſpares ſit, ius, æquitas, ac ratio ipſa
poſtulat, vt maiori minor cedat; contrà ſumma eſt improbitas minorem contendere, vt
ſibi à maioribus cedatur. deinde & illud eſt æquiſſimum, vt qui prior laceſſebat, idem
prior ſatisfaciat; iniquiſſimum verò, ab eo qui iniuriam, aut offenſionem exceperit,
vt iram prior deponat contentionemque remittat, poſtulare. cæterùm cùm hoc neque
lex, neque ratio vlla ferat, illud maximi excelſique animi & ſummæ clementiæ opus

eſt, ſi à potentiori eodemque prius laceſſito nuntij curatoreſque ad eum qui in noxa eſt, mittantur, qui admoneant, hortentur & prædicent, atque omni conſilio & ſtudio laborent, vt quàm maturè ad gratiam fiat reconciliatio; qui teſtentur maiorem facilem paratumque eſſe ad inimicitiam deponendam, & quàm optimè de minori promerendum; modo is prior, vt æquum eſt, ſententiam mutare ſuumque facere velit officium; admoneantque interim dignitatis atque amplitudinis, in qua is ſit conſtitutus, qui offenſus fuerit, qui vltro inuitet & roget. Quoniam verò ſupplicio dignum eum eſſe exiſtimemus, qui deteriorem cauſam parteſque obtinens, tamen rogatus atque admonitus, neque cedat, neque ceſſurum ſeſe eſſe dicat, niſi maior idemque potentior, & qui iuſtiſſimam cauſam tuetur, ab ira prius & odio, atque à pœna maloque inferendo deſiſtat. Hoc modo ſuam Iſraëlitarumque rem ſeſe habere Deus teſtatur: Quos cùm offenſus iratuſque per vates ſuos ſæpe vtriuſque cauſæ admonuerit, ad gratiamq. inuitauerit, perducendæ tamen ſententiæ æmulos ſe etiam habere intelligat, nolle enim eos contentionem auerſionis prius remittere, quàm ipſe remittat. Quanquam ipſe rex ac Deus ſit, & altiſſimum diuinumque ſolium teneat, illi verò populus eius, homines terram incolentes, terram non ſuam, ſed Dei ipſius. Iam vero verſuum ſententia patêre omnibus videtur. [*Populus meus pendebit ad reditum meum,*] quid ſit reditus, vtque eadem auerſio ſit, diximus. Ergo cùm mea auerſio expectare debeat, quoad iſti ſuam deponant, atque ad me conuertantur, ſicut ſcriptum eſt: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, tamen iſti cùm ſint populus meus, mecum auerſione contendunt, perguntque auerſi eſſe, quamdiu ego ab eis auerſus fuero, cùm ipſi me vltrò ſceleribus admiſſis commouerint, cùm ipſi primi inimicitias prouocauerint, me non ſolùm relicto, ſed etiam diis alienis, immò & populis, principibus & mihi infenſis & ſibi hoſtibus poſtpoſito? *& ad excelſum vocauerunt eum.* quamuis à meis miniſtris vocatus hic populus, quamuis dignitatis amplitudiniſque meæ ſæpe fuerit admonitus, quamuis excelſi appellatio, quæ mihi vni conuenit, grauiſſima apud illos eſſe debuerit, vt cederent, vt priores conuerterentur, vt gloriam Deo ſuo darent, tamen omnino nemo eſt qui honorem gloriamque, nemo qui primas mihi tribuat. hic illorum verborum ſenſus eſt, *In vniuerſum non eſt qui exaltet.*] me Dominum ac principem, cui cedendum ſit, agnoſcat & officio faciendo fateatur.

Quomodo dabo te Ephraim? protegam te Iſraël? quomodo dabo te ſicut Adama? ponam te ſicut Seboim? Conuerſum eſt in me cor meum: pariter conturbata eſt pœnitudo mea.

INNVMERA profectò ſunt in ſacris vatibus loca, quæ non ſolùm breuem commentationem, ſed iuſta volumina ad ſui contemplationem explicandam poſtulabant; inter quæ ea præcipuè ſunt, vbi de diuinis virtutibus, ſiue, vt Theologi vocant, àtributis mentio fit: cuius generis poteſtas, iuſtitia, ſapientia, & miſericordia ſunt. ſed nos tum ingenij, tum commentationis anguſtia coacti, maximarum huiuſmodi rerum tractationem breuiter attingentes, cætera in aliud tempus felicioribus ingeniis cogitanda tractandaque ſeruamus; nam quæ tam beata eruditionis copia, quæ tanta eloquentia, vt huic loco pro dignitate tractando ſatis eſſe poſſit? in quo Deus tum miſericordia, tum æquitate iuſtitiaque ſua in eas anguſtias adductus eſſe videatur, vt num ingrato æmuloque populo cedat & parcat, an meritum exitium paret, illi ſit deliberandum: nam cùm illi propoſitam ſibi reconciliationis gratiæ æquiſſimam conditionem reſpuiſſent, omnem indignationem ſubire, plenumque diuini furoris calicem exhaurire, commeriti fuerant, hoc iuſtitia, hoc ratio poſtulabat. Rurſus cùm tanta in Deo miſericordia ſit, vt ſuper omnia opera eius eſſe prædicetur, tantæque extent populo huic, tamque graues apud maiores eorum promiſſiones, quid faciat nomini illi ſuo magno Deus? remittat ne omnino Iſraëli contentionem, cedat, parcat, adeat ne vltrò eorum improbis moribus, & corruptæ aſſentetur voluntati? Abſit, Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos. Igitur inter tanta hæc diuinæ iuſtitiæ & miſericordiæ momenta, inuenienda atque ineunda ratio eſt, qua vtrique parti ſatisfiat, & iuſtitiæ videlicet & miſericordiæ; atq. adeò in ea re ſpectanda ſapientia eſt. Huiuſmodi argumentum toto hoc capite ad finem vſque continetur: Principio enim Dei vox atque oratio, clementia miſericordiaque pleniſſima auditur, illud cogitantis & deliberantis, num populus ille meritis ſuppliciis afficiendus ſibi miſericordiſſimo Iſraëliſque amantiſſimo ſit. Deinde iuſti principis ſuamque dignitatem tuentis ſententia enuntiatur: Non decere Deum hominibus cedere, neque impunè improbis & ſibi æmulis eſſe permittere, Poſtremo loco modus inuenitur,

Exod.

Pſal.

quomodo

quomodo nec iudicio liberentur, nec miſericordia excludantur. Duorum autem nominum quibus in hoc loco appellatur, Deus videlicet & ſanctus, indicanda prius ſignificatio eſt, deinde Elegia ipſa eſt explicanda: Eſt enim verè Elegia lugubri carmine Hebraicè conſcripta. Multa apud Hebræos nomina eſſe conſtat, pro quibus omnibus Latinè vel Deus, vel Dominus redditur; quorũ nominum non eadem ratio, neque eadẽ ſignificationis nota eſt. harum verò differentiarum negligentia magnum profectò detrimentum non ſolùm orationis nitori, ſed etiam rerum atque ſententiarum ponderi afferet: ſiquidem nunquam temerè primo quoque oblato nomine quibuſlibet in locis appellatur Deus, ſed alio atque alio iuxta rerum & ſententiarum argumenta maximo cum delectu dicitur. atque hæc res proprium ſibi tempus maiuſque ad differendum dari poſtulat. Hoc autem in loco vbi legimus: Quia Deus ego ſum, & non homo, Hebraicè eſt, quia *El* ego ſum? *El* autem fortem maximaque virtute præditum ſignificat; atque eum quem Hiſpani, Itali & Galli vno nomine valentem appellant. Itaque hoc nomen ad id diuinum attributum pertinet, quod à Theologis potentia, fortitudo, ſiue virtus dicitur. Ideoq. nobis diuina explicantibus, cùm hoc nomen occurrerit, fortis ſiue fortiſſimus reddetur. Sed & *ſanctus* nomen certæ cuiuſdam ſignificationis eſt: Nam ſeparationem à communibus vulgaribusque rebus indicat, & grauitatem auctoritatemque præ cæteris eximiam dicit. eiuſque nominis vim, ſi quis breuiter intelligere cupiat, ex oppoſito nomine facilè arguet: *ſancto* enim in ſacris, *commune*, opponitur. quidquid itaque à communi & vulgari diſtinguitur, ſanctum dicitur: idque eſſe definitur, quòd cæteras res cum quibus cõparatur grauitate, pondere atq. dignitate longiſſimo ſuperat interuallo: ita ſancta vaſa ſanctæq. veſtes dicuntur, quæ nec in prophanos vſus, nec vulgo omnibus expoſita ſunt. Ita Deus ſanctus appellatur, quòd illius vel nomẽ ipſum apud homines non leue, non cuiuis temerè adeundum, ſed grauiſſimum auguſtiſſimumq. eſſe oporteat, neque fas cuiquam ſit illum illiuſque rationes & res, vel contemnere, vel temerè & pro libidine arbitrioque tractare. maieſtatis itaque nomen hoc eſt, quam ſemper ſi quis minuere tentaret, ſeueriſſimis pœnarum exemplis editis Deus conſeruauit; id quod Nadab & Abiud in ſeipſis publico ſpectatoque ſupplicio probauêre. Quamobrem Moſes dixit: Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi, & in cõſpectu populi glorificabor. Iam ad Threnum explicandum accedamus. Primùm illa lugubris vox bis repetita auditur: qua vehemens ex aliena calamitate dolor acceptus indicari ſolet. Quomodo? ſic Ieremias lamenta gemituſque ſuos incipiebat: Quomodo ſedet ſola ciuitas? quomodo obſcuratum eſt aurum? Igitur cùm Ephraitæ, &, qui horum ſtudia ſequuti fuerant, Iſraëlitæ, non ſolùm ſceleribus impietateque, ſed ſua illa pertinacia & diuinæ auerſionis æmulatione commeriti fuiſſent, vt ex humanæ naturæ finibus exterminarentur. atque ea res duriſſima diuinæ benignitati paternæque clementiæ videretur, in hos gemitus, in hæc doloris & luctus plena verba proruptum eſt: *Quomodo te dabo Ephraim? protegam te Iſraël?* Hebraicè eſt: *tradam te Iſraël? Quomodo te dabo ſicut Adama? ponam te ſicut Seboim?*] Adama & Seboim duæ vrbes ex quatuor illis quæ cælo tactæ funditusque euerſæ olim ob incolentium ſcelus impietatemque fuerunt; in eo agro ſitæ quem Iordanis fluuius irrigabat. His vt ſcelere atque impietate, ita & pœna ſupplicioque Ephraitas pares fore dixit Deus, niſi id miſericordia interceſſiſſet, vt cum illis mitius clementiuſque ageretur. Ephraim autem præpoſitus eſt, vt princeps tribus & ſceleris atque impietatis apud cæteras auctor, *Ephraim ſicut Adama* dandum, & *Iſraël ſicut Seboim* ponendum præcinit; neque verò Sodomæ & Gomorræ meminit, quoniam illarum vrbium imaginem, vt dignitate atque auctoritate, ſic flagitio, ſic etiam pœna Iudæorum ſenatus populuſque exprimebat, ſicut ſcriptum eſt: Audite principes Sodomæ, auribus percipite populus Gomorræ. Hoc ex culpæ; ex pœnæ verò ſimilitudine illud eſt dictum: Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & Gomorræ ſimiles eſſemus. *Quomodo te dabo, & tradam.*] iudicis decretas pœnas iamiam repetituri hæc verba ſunt: ſed illa interrogationis repetitio dolorem maximum affectumque indicat iudicis Dei non vltrò, ſed eorũ ſceleribus adducti, vt capitis pronuntiet ſententiam. Eſt autem huiuſmodi nonnunquam repetiti verbi vis, vt miſerationem doloremque augeat, vt illud, *occidit, occidit, Spes omnis & fortuna noſtri Nominis Haſdrubale interempto.* Quoniam autem non ſolùm quid dicatur, ſed quomodo, qua arte dicatur, interdum obſeruare conſilium eſt. (namque & dicendi ratio plurimum ad dicentis affectus exprimendos momenti habet) Meminiſſe oportet eam Elegiarum legem, eam dicendi agendique artem eſſe, vt nullam legem certam, nullam artem ſequi videantur; atque illam in his ſummam conſtantiam eſſe, nulla perpetua ordinis rerum ratione, aut ſerie ſibi conſtare: id autem ex lugentium dolentiumque more fieri, qui nunc hoc, nunc illud cogitant, aliud interdum, rurſus aliud conſilium capiunt. ſi quis huius rei exemplũ ſatis elegans habere in alienis li-

[Margin: אל; Leuit. 10.; Thren. 2.; Eſa. 1.; "; "; Horat. lib. 4. Od. 4.; 1. Reg. 4.]

nis libris cupiat, Ianni Pannonij epiſcopi Threnum de morte matris legat, aut Hiſpanam antiquam illam ſententię & carminis ſono lugubrem næniam, cuius initium eſt: *O pino pino, ò pino florido*. In noſtris autem legat, Dauidis de Saulis & Ionathæ nece lamentationem, vel ea quæ modò citauimus Ieremiæ carmina, vbi modò alia, modò alia res agi petiq. videtur: Namq. vates iam Dei iram, ſuarum populiq. calamitatū cauſam citat, iam ſe ſuoſq. ciues, iam patres ſuos in culpā vocat; & quæ eiuſmodi apud optimos auctores maxima in hoc dicendi genere, & concors diſcrepantia eſt. Atque hæc oratio optimè in his Oſeæ, ſiue Dei potius carminibus obſeruatur: Quippe nunc Deus miſericordem dolentemque agit, & de diſſimulanda pœna cogitare videtur, qui iudicem nuper clementem, æquum tamen egerat. inquit autem [*Conuerſum eſt in me cor meum: pariter conturbata eſt pœnitudo mea:*] tanta mea eſt miſericordia, tamque inuitus pœnas repeto, vt nunc mihi cor dolore conuellatur, viſceraque commoueantur. & parum abeſt, quin me conſilij, quod aduerſum vos inierim, pœniteat. *Pariter conturbata eſt pœnitudo mea;* commota eſt, ad miſericordiam indulgentiamque inclinare & propendere videtur. Hactenus clementis patris oratio lamentatioque pertinuit, nunc deinceps Dei fortis & ſancti neque vnquam hominum moribus & temeritati cedentis ſermo ſubiungitur:

Non faciam furorem iræ meæ? non conuertar vt diſperdam Ephraim? quia Deus ego & non homo: in medio tui ſanctus & non ingrediar ciuitatem.

ORATIO conciſa eſt nonnullis quidem vocibus deficiens, aliis verò abundans; quales eorum ſunt, qui commoto ſunt animo, quorum magis vox ipſa & ſpiritus, quàm oratio mentem ſententiamque exprimit. vt

Æneid. 1. *Méne incœpto poſſe deſiſtere victam? Nec poſſe Italia Teucrorum auertere gentem?*

Non faciam, inquit, non faciam vt cedam hominibus iſtis, eorumque ſuccumbam voluntati, atque illorum arbitratu temperem furorem iræ meæ. Non deſiſtam de ſententia, neque iuſtum æquumque conſilium mutabo quod de Ephraim perdendo cepi. [*Non conuertar vt diſperdam Ephraim?*] Obſeruanda in primis diſtinctionum & punctorum ratio eſt, quam nos ex Hebraico exemplari correximus, deinde ſingulis membris vſque ad carminis medium, interrogatio eſt apponenda. Carminis autem medium in Ephraim eſt. Deliberat ergo Deus num ob miſericordiam ceſſandum ſibi ſit, & in promiſſionibus propoſitoq. antiquo manendum, ita vt ab eo propoſito ad vltionem exitiumque Ephraim non conuertatur, liceatque Ephraim impunè peccaſſe, quem Deus ob ſuam miſericordiam, nō ſolùm ad amicitiam & reconciliationem ſponte ſua vocauerit, ſed prior remiſſa contentione vltrò obierit, & ingratum, aliàs nolentem receperit, cùm Ephraim cedere hactenus, Deumque ſuum & admonitus & inuitatus adire, priorque auerſionem deponere pertinaciter recuſauerit, tamen ea re ſumptuoſius inſolentiusque ſeſe iactare poſſit; quòd Deum pertinacia, æmulatione, contentioneque vicerit, atque ob miſericordiam cedere priorem coëgerit? Hoc verò abuti diuina miſericordia & patientia, non vti, eſt. & quodnam magis pernicioſum hominibus edi poteſt exemplum, vel ad humanam impietatem fouendam atque augendam, vel ad diuinam maieſtatem minuendam & contemnendam, quàm vt minori maior cedat, vt bona cauſa à mala, vt miſericordia ab impietate, vt ab indigniſſima atque leuiſſima humilitate maxima & grauiſſima maieſtas non ſubmiſſione, non ſupplicationibus, non iis quibus decuit, artibus & modis, ſed pertinacia, ſuperbia, atque æmulatione ſuperetur? Ergo quid diuina fortitudine, quid ſanctitate illa tremenda adorandaque fiet? Rei profectò æquitas iusq. poſtulant, vt diuinæ dignitati & maieſtati potius conſulatur, quàm vt humanæ impietati & ſuperbiæ ſuccumbatur. ob eam autem rem, atque ob eam cogitationem ait: [*Quia Deus ego ſum, & non homo, in medio tui ſanctus, & non ingrediar ciuitatem.*] Quia. Hæc vox auerſatiua nonnunquam cum vehementi aſſeueratione in ſacris ſermonibus eſt, vt:

Pſal. 112. Iucundus homo qui miſeretur & commodat, diſponit ſermones ſuos in iudicio. hactenus alterum hemiſtichium, ſubiungitur altero: Quia in æternum non commouebitur. ſic hoc in loco aſſeuerationem propoſitique certitudinem ſimul cum cauſa indicat: *Quia ego fortis ſum & non homo*, quiſpiam ignauiſſimus & imbellis, cui ob ignauiam & metum cedendum ſit, *& ſanctus in medio tui*, qui ingenium naturamque meam à vulgari conſuetudine abhorrentem, nec vilem, aut quorumlibet importunitati aut temeritati cedentem, neque in impietate atque ſceleribus conniuentem, iam ſæpe vobis teſtatus fuerim, non ſine magno eorum qui contrà moliti fuerint, malo, qui maieſtatem meam ſemper illæſam intactamque eſſe voluerim & conſeruauerim. Nunc verò tibi Ephraim tam grauiter offenſus, tam audacter, tam ſuperbè irritatus, tam inſolenter exceptus, non me ſubmittam, ciuitatem tuam, cuius ego rex fueram, à qua per ſummam impietatem ſingulatemque tuam auda-

audaciam excluſus,neque vnquam abs te reuocatus ſum, non repetam, non ingrediar vltrò: Excluſiſti,non reuocas,non ſupplicas,redeam? *non ingrediar ciuitatem*: Hebraicè, *& non veniam in ciuitate*. habet egregiam ſignificationem oratio;namque diſtinctio eſt *& non veniam: in ciuitate*: non inquit adibo te, neque vltrò excipiam te in ciuitate ipſa. ſatis tibi enim fuerat miſſos à me nuntios habuiſſe qui voluntatem meam declararent, ſatis etiam fuerat illud intellexiſſe, me ſi modò vltrò adires & ſupplicares, obuiam tibi venturum, excepturumque libenter,noluiſti tamen auerſionem tuam deponere, quoad deponerem ipſe meam. noluiſti procedere ad ſupplicandum, illud expectaſti, vt ego vltrò venirẽ vſque ad vrbem, atque in ipſa vrbe tibi pacem gratiamque offerrem,& confirmarem;non veniam profectò ad te in ciuitate.

Poſt Dominum ambulabunt : quaſi leo rugiet , quia ipſe rugiet , & formidabunt filij maris; Hebraicè, *filij à mari*.

CERTVM fixumque ex deliberatione conſilium plenum prudentiæ & ad vtramque partem,id eſt,ad iuſtitiam & miſericordiam aptiſſimum nobis hoc in diſticho aperitur;& quam rationem diuina ſapientia inierit, vt Iſraëlitæ nec meritarum pœnarum, nec maximæ illius atque inexhauſtæ miſericordiæ expertes eſſent,oſtenditur: Nam illis vt omnino in tantis ſceleribus atque impietate ignoſceretur,nec ius,nec ratio, nec futurorum temporum patiebantur exempla; rurſus vt non penitus noceretur, diuina intercedebat clementia.Conſilium igitur eſt eos,quos malis potius & miſeriis, quàm indulgentia & obſequio erudiri oporteat, in abductionem atque captiuitatem tamdiu vexandos tradere, quoad maturum tempus adueniat,cùm diuina voce,hoc eſt,Chriſti Euangelio reuocati, tandem illam expuant miſeriam,atque in perpetuam gratiam reducantur. exclamare profectò atque diuinæ ſapientiæ ineffabiles artes arcanaque conſilia admirari hoc in loco libet:O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: Quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia illius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?quos conſtituit modos, quas vias munit, quibus ſumma quæ ab ipſo parata eſt felicitas,hominibus tandem perferatur. viſus eſt nobis Iſraël à Deo ita alienatus, vt neque admonitus neque inuitatus reſipiſcere & redire voluerit.viſus Deus propriæ maieſtati atque ſanctitudini conſulens furoris ſui iram in eos effundere decreuiſſe,& tamen in hac tam calamitoſa re maximam Iſraëli ipſi commoditatem contineri intelligimus: Nimirum quòd qui illius antiquæ per vates vocationis repulſam, tanto ſibi damno maloque fuiſſe ſenſerint, vbi ipſum Deum per filium perque Euangelium ſuum denuo vocantem audierint. aduolent vndique omnes,& ſummo ſtudio vocantem ſequantur,maiorem grauioremque ſibi calamitatem timentes ſi nunc obſequantur,quàm fuerit ea,quam ob violatas vatum legationes ſunt hactenus perpeſſi.Si enim,inquiunt,qui per nuntios dictus eſt ſermo,factus eſt firmus,& omnis præuaricatio & inobedientia iuſtam accepit mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus,ſi tantam neglexerimus ſalutem, quæ non per nuntios, ſed per Dominum narrandi initium acceperit? [*Igitur poſt Dominum ambulabunt*.] Conuerſionem integram Iſraëlitarum Euangelij tempore futuram præcinit, & quo ſtudio, qua mente redeundum illis ſit,deſcribit ſimul,& Euangelij dignitatem,auctoritatem,& duplicem illius actionem indicat. Qui antè,inquit,æmuli rebelleſque erant, qui dura ceruice & incircunciſo corde ſeſe præbuerant,Dominumqne ad ſe, non ſe ad Dominum venturos eſſe contendebant, tunc ſupplices & parentes Dominum ſequentur. Euangelij autem auctoritatem ita declarat,vt Domini ipſius verbum ab eodem Domino publicè pronuntiatum eſſe dicat,& Chriſtum Euangelij auctorem & miniſtrum verè Deum confirmet. Ita etiã Paulus in hanc ſententiam diſſerebat:Nouiſſimè,inquit, locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hęredem vniuerſorum,per quem fecit & ſecula,qui cùm ſit ſplendor patris & figura ſubſtantiæ eius,&c. [*Quaſi leo rugiet: quia ipſe rugiet*.] Diuinam Euangelij vocationem leonis rugitui aſſimilauit: Nam quemadmodum ad leonis in ſiluis rugitum animalia cætera,maximæ autẽ feræ metu territæ contremiſcunt,leonum autẽ filij ad eſcas procurrunt (Siquidem certa leoni rugienti præda eſt,ſicut ſcriptũ eſt: Nunquid rugiet leo in ſilua,niſi habuerit prædam? nunquid dabit catulus leonis vocem de cubili ſuo, niſi aliquid apprehenderit?)Sic etiam Euangelij vox à Chriſto miſſa magna omnium qui audierint cõmotio eſt: illa enim vox ſpem, lætitiam, & felicitatem filiis, feris autem alieniſque & incredulis hominibus metum, horrorem, & exitium affert, ſicut ſcriptum eſt: Deo autem gratias, qui odorem notitiæ ſuę manifeſtat per nos.Nam Chriſti bonus odor ſumus in iis qui pereunt, & in iis qui ſalui fiunt,aliis quidem odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam. De qua gemina Euangelij virtute grandis nobis & interpretabilis ad dicendum ſermo eſt,

[Marginal notes: Hebr. 2. (beside "legationes ſunt hactenus…"); Hebr. 1. (beside "dicat,& Chriſtum…"); Amos 4. (beside "dem certa leoni…"); 2 Corint. 2. (beside "minibus metum…")]

quem ſuo tempore Deo adiuuante perſequemur. Ob hanc autem rem dixit: *Quaſi leo rugiet.*] Et vt rem expolitione confirmaret, addidit: *Quia ipſe rugiet.*] Ipſe Deus per filium ſuum diuinæ ſuæ naturæ conſortem vocem & terroris & conſolationis plenam mittet, eademque vox in Apoſtolis audietur, qui Chriſti ſpiritu verè prædıti atque aucti erunt. [*Et formidabunt filij à mari.* Hebraicè propriè eſt, *Et trepidabunt filij à mari.*] Integram quidem Iſraëlitis reſtitutionem & ſalutem Euangelij virtute & efficientia futuram præſcribit; quę tamen non eodem tempore omnibus, qui in diſperſione per totum diffuſi ſunt orbem, continget: Nam ex duabus mundi partibus oriente & occaſu illi cæteros præcurrent, qui occidentalem plagam incoluerint, deinde verò alij ſuo tempore exiguo autem interuallo, reliqui omnes quoſcunque orientalis pars tenebit, tanta celeritate ad ſalutem ſuam properabunt, vt columbinis alis volaſſe videantur. [*Et trepidabunt filij à mari.*] Iſraëlitæ cùm ab Aſſyriis abducerentur, partim ad occidentem relegati, partim per orientales regiones ſunt
Abdias. diſſipati. horum omnium plenam vocationem integramque reſtitutionem futuram ſacri vates, alij apertis vocibus, alij obſcuris orationibus præcinuerunt. Abdias autem omnium
» clariſſimè, Et transmigratio exercitus huius filiorum Iſrael, quæ cum Cananeis eſt vſque ad
» Galliam, & captiuitas Ieruſalem quæ fuerit in Hiſpania, hæreditabunt vrbes Auſtrales. Magnam verò occidentalium Iſraëlitarum trepidationem futuram prædicit, quoniam ea pars prima omnium vocanda extimulandaque ad ſalutem eſt. ſed id tamen non ſine turba & tumultu fiet: Namque ex iis alij Euangelij ſalute cognita, alij metu acti & nouarum rerum tumultu trepidantes ad Euangelij lucem è tenebris venient, alij autem fugient, & ſolum vertent, atque occidentalia loca omnino deſtituent. Quæ res cùm noſtris temporibus iam acta atque impleta ſit, argumentum atque ſpem nobis facit, propediem futurum, vt cætera etiam quæ reliqua ſunt perſpiciantur. Plena fuit ſuperioribus annis populo Iſraëlitico Germania, Gallia, frequentiſſima etiam Hiſpania vſque ad noſtra ferè tempora fuit. Sed nunc rari admodum in Germania, nullus in Gallia; in Hiſpania nullus eſt omnino, qui Iſraëliticum nomen illud carnale tueatur. omnes vel Euangelicæ lucis ſole illorum animis exorto vel principum conſilio & diligentia Chriſtianam religionem iamdiu profeſſi ſunt. & ſi qui adhuc in tenebris manere voluerunt, certè regionibus his ceſſere. Namq. Gallia iam ante annos 250. Hebræorum gente vacua eſt, Hiſpaniæ autem finibus anno à Chriſto nato 1490. ex Caſtellæ regno, ex Luſitaniæ verò prouincia vltimi omnium migrauerunt; cùm multi interim ex eis Chriſtianũ nomen eſſent profeſſi. Cæterùm qui nunc ex eo genere reliqui ſunt, pauci certis in Italiæ oppidis agunt, alij autem omnes aut Aſiam & Turcarum terras, aut Africam & Ægyptum incolunt. Igitur eorũ qui à mari, hoc eſt, ab occidentali mundi plaga erant, res vt ſeſe eſſent habituræ, illo verbo aptiſſimè expreſſum eſt: *Et trepidabunt filij à mari.*] namque vt apud Hebræos HARAD, ſic apud Latinos trepidare huius eſt ſignificationis, vt agendæ rei ſollicitudinẽ cum turba & tumultu indicet; vt illud

Horat lib. 2. Ode. 4. & 11 *Cuius octauum trepidauit ætas Claudere luſtrum.* Et illud:
Nec trepides in vſum poſcentis æui pauca. Filios verò nominat Iſraëlitas,
Roma. 9. quorum eſt adoptio filiorum, qui olim etiam filij dicti publicè in Ægypto fuerant. perſtat autem in propoſito, oſtenditque qua ratione, quomodo cum filiis quos indulgentia arripuit, agi oporteat.

Et auolabunt quaſi auis ex Aegypto, & quaſi columba de terra Aſſyriorum; & collocabo eum in domibus ſuis, dicit Dominus.

EXTREMAM illam Iſraëlitarum reſtitutionem celerrimam fore non ſolùm hoc volandi verbo, ſed auis & columbæ nominibus ſignificat: Siquidem columbam maxima atque conſtanti volandi pernicitate valere, & Noë nuntio, & aliis etiam experimẽtis eſt de-
Pſal 10. monſtratum. quamobrem Dauid optabat: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & vo-
» labo? Ecce elongaui fugiens. Iam verò Iſraëlitas omnes quicunque reliqui nunc ſunt, vel ad Ægyptios, vel ad Aſſyrios pertinere diximus: Etenim qui nunc apud Turcas rerum potitur, idem Babylonis Aſſyriorumq. Tyrannus, atq. idẽ Ægypti princeps eſt. in huius autẽ ditione & poteſtate ferè omnes Iſraëlitæ ſunt; alij enim Aſiam, Ægyptum, & Africam alij
Gen. 10. incolunt. Totã Africam autẽ eamq. præſertim, quæ noſtro mari abluitur, ad Ægypti genus
» in ſacris referri Moſe auctore didicimus. ait enim: At verò Miſraim (qui Ægypto nomen dedit) genuit Ludim & Anamim & Laabim, & Nepthium, &c. At verò oratio ipſa volan-
צפר di comparatione augeſcit: Eſt autem huiuſmodi auiũ, & maximè minorũ, genus omnium
Iſai. maximè præpes. Hebræis Ziphor dicitur, vt hirundines, alaudæ, cardueles, aliæque huiuſ-
» modi ſunt; de quibus ſcriptũ eſt: Sicut aues volantes, ſic deſcendet Dominus vt liberet populum ſuum. ſed omnes & celeritate & contentione columba vincit. [*Et collocabo eos in domibus ſuis*

bus ſuis, dicit Dominus.] Stabilem & firmam eorum felicitatem fore confirmat, vtpote qui diuina manu collocandi in domibus ſuis & in æternis tabernaculis conſtituendi eſſent; neq. enim ſolum incõparabili magnitudine, ſed æternitate etiam atque ſtabilitate noui Teſtamenti felicitas antiquum illum veteris Teſtamenti ſtatum & faciem erat ſuperatura, Ierem. 31.
ſicut ſcriptum eſt: Ecce dies veniet, dicit Dominus, & feriam domui Iſraël & domui Iuda "
pactum meum, non ſecundum pactum quod pepigi cum patribus veſtris in die qua ap- "
prehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti; pactum quod irritum fece- "
runt, & ego dominatus ſum eorũ, dicit Dominus. Sed hoc eſt pactũ, quod feriam cum do- "
mo Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meã in viſceribus eorum, & in cor- "
de eorum ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum, &c. "

CAPVT DVODECIMVM.

CIRCVMDEDIT *me in negatione Ephraim, & in dolo domus Iſraël: Iudas autem teſtis deſcendit cum Deo, & cum ſanctis fidelibus.*

EX REBVS iis quæ grauiſſimorum librorum lectionem obſcuram difficilemque reddere poſſunt, vna eſt, cùm ea quæ ab auctore perpetua oratione fuerant conſcripta, in diuerſa capita ab aliis diuiſa diſtinctaq. ſunt: Accidit enim nonnumquam eo in loco intercipi orationem, vbi magnæ ſententiæ diſiunctio hiatuſque fiat, vel aliàs aliis partibus ita aſſui, vt neque ſermo neque ſenſus cohæreat. Huiuſmodi vitia nos in antiquorum auctorum libris non rarò deprehendimus, ac præcipuè in Lactantij Firmiani ſcriptis, quæ perpetua oratione dictata fuiſſe multa loca importunè interrupta declarant; in quibus capita non ad ſententiæ rationem, ſed ad legentis patientiam & ad ſpiritus contentionem interciſa fuiſſe videntur. Ex ſacris autem libris pleroſque integros nulliſque capitibus diſtinctos ab auctoribus ſuis emanaſſe exemplaria ipſa tum Hebraica & Chaldaica, tum Græca, & Latina quædam docent. Facta autem eſt capitum diſtinctio, ex quibus nonnulla vel cum antecedentibus vel cum ſequentibus periodis cognationem habent; quod vt ſententia atque oratio liberè fluat, diligenter obſeruare oportuerit. vt in hoc loco qui in noſtris Latinis codicibus vltimus vndecimi capitis verſus eſt, ex ſententiæ obſeruatione atque ex Hebraicæ lectionis nota duodecimi initium eſſe apparet. Hæc breuiter de hac re ſemel adnotaſſe atque admonuiſſe operæpretium duximus. Iam verò nos ad noſtrum munus penſumque reuocemus.

ACCVSAVERAT antehac Deus Iſraëlem maximi illius & nefarij piaculi ſuperſtitionis atque ſimulachrorum cultus, idque facinus multis exagitauerat nominibus, videlicet adulterij, inſaniæ, & flagitij; poſt hæc ingratitudinis & cæterorum quæ audita iam nobis fuêre. Sæpè enim contingit vt in vna atq. eadem re plura contineantur crimina, quæ omnia ſiquis vnum tantum eſſe arbitretur, nunquam profectò diſpoſitè accuſare tractareque poſſit. opus igitur eſt, non ſolùm ingenio, verumetiam iudicio & artificio quodam ſingulari, vt ea quæ plura in vno coniuncta ſunt crimina diſtingui ac ſeparari diligenter poſſint. In vno Mercurij Tyndaritani ſigno quod à Verre fuerat ſublatum, multa Tullius crimina, pecuniarum captarum, peculatus, maieſtatis, ſceleris, crudelitatiſq. notauit, ne cui mirum videri debeat, quod eadem res, idem Iſraëlitarum flagitium, tam ſæpe à Vate noſtro repetatur, tantiſque agitetur vrgeaturque modis Imò ne quod uobis peccatum ſimplex & leue eſſe exiſtimetur, vel ob conſuetudinẽ, vel ob nominum definitionumq. ignorationem: cùm Deo accuſatori & iudici omnium rerum genera, omnes formæ parteſque ſingulæ notiſſimæ ſint, qui quo quidque nomine ſit appellandum proprio certiſſimoque pondere expendere ſolus ſciat: Vtpote qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. Nunc igitur Iſraël tantis nominibus à Deo ob vnum facinus accuſatus in doli proditioniſque crimen denuo vocatur. vt qui principi regique ſuo inſidias pararit, atq. ad illius regiam vſque hoſtes opportunè induxerit. Quoniam verò oratio in definitiuo ſtatu verſatur, primum omnium doluſ eſt nobis definiendus. Eſt autem dolus malum ſtudij ſimulatione aduerſus immerentem paratum; quod ſi aduerſus benemerentem ſit, omnis flagitij ſuperat inuidiam. Hanc definitionem nobis diuina indicat ſapientia. Qui relinquunt, ait, iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas. Et, ne machineris proximo tuo malum, & ille tibi fidit Igitur criminis propoſitio eſt: quòd cùm ſeſe Iſraëlitis crediderit, regemque apud eos egerit, & optimum & clementiſſimum, vltroque in medium eorum ad habitandum commigrauerit, inter quos ſanctus omnino atque ab aliarum gentium vulgaribus & prophanis diis ſeparatus eſſe & haberi voluerit, tamen ab Iſraëlitis ita fuerit acceptus, vt per

Cic. in Ver. acti. 6.
Pſal. 146. "
Prou. 2. "
Prou. 6.

eos ad ipſum alienis diis aditus ſit patefactus;& hoc modo ſeſe erga Deum Iſraël geſſerit, quòd gentibus ſeparatum atque inacceſſum Dominum non fidelis populi ſtudio cuſtodiendum,ſed perfidorum dolo prodendum circūſepierit: [*Circumdedit me in negatione Ephraim; & in dolo domus Iſraël.*] Cùm ad me,inquit Deus,ſanctiſſimum nulli vnquam Deorum vanorum acceſſus, neque diuinorum honorum communicatio mecum eſſe potuerit, cumq́. ego huius maieſtatis apud homines conſeruandæ cauſſa meipſum Iſraëlitis crediderim, Iſai.42. ſicut ſcriptum eſt:Ego Dominus,hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus.nihil tamen tantum ſibi ſculptilia aut petere aut etiam cupere potuerunt, quantū ipſis ab Iſraële vltrò eſt oblatum;non enim ſolùm meorū honorum partem,ſed ſummam ipſam integram,mihi detractā illis concedere auſi ſunt.Prior autem Ephraim,hoc eſt Iſraëlitarum regia familia circumdedit me negatione, me prior negauit, prior dixit:Hi ſunt Dij tui Iſraël qui eduxerunt te de terra Ægypti;domus verò Iſraël,hoc eſt reliquæ nouem tribus,dolo & fraude me circumdedit,illi enim cùm primùm Ephraim me negauit, ſtatim diuinos honores nouis ſacratis Diis decreuit & tribuit, ſicut ſcriptum 3.Reg.12. eſt:Et fuit verbum hoc in peccatum, ibat enim populus ad adorandum vitulum in Dan. idque illis ex commoditate admiſſum eſt,poſtquam tabernaculum apud eos fixi atque domum mihi ædificandam locaui,in qua regio more adeundus, ſalutandus, colendusq́. ipſis fueram,circumdederunt me,non quem veneratione & cultu, ſed quem dolo atque proditione proſequerentur.At verò Iuda etſi offenſionibus quidem multis,non tamen negatione aut dolo meam minuit maieſtatem,ſed frequentando templo atque ſacrificiis faciendis adhuc officium retinet. [*Iudas autem teſtis deſcendit cum Deo. Hebraicè ſic:Iudas autem adhuc deſcendit cum Deo.*] Iudæorum in hac re conſtantiam probat, qui quanquam numero & copiis imminuti debilitatiq́ue fuerint,tamen religionem fidemque retineant. deſcendiſſe autem dicuntur ab illo ſplendore & frequentia:qua illorum vrbs celebrabatur,quo tempore omnes tribus rege ex Iudæorum familia vtebantur. nunc verò ex quo diſſidium factum eſt, deſcendit quidem Iuda,de illo ſplendoris gradu,ſed tamen cum Deo & cum ſanctis fidelibus permanſit: Neque enim à Deo deſciuit, neque paternam religionem & pietatem deſeruit,ſed cum ſanctis qui ſunt in terra eius, & cum antiquis patribus voce & mente de retinenda religione fideq́ue ſeruanda conſenſit: [*Et cum ſanctis fidelibus.*] Sanctos appellat ſcriptura eos qui ſanctiſſimum verum atque vnicum Deum purè ſanctéque colunt, ſicut Pſalm. Leuit.30. ſcriptū eſt:Sancti eritis mihi quoniam ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter. quanquam verò longè alia in nouo atque in veteri teſtamento ſanctitudinis ratio multoque illuſtrior Pſalm.9. ſit,tamen ſanctos olim fuiſſe & à prophano gentium more remotos Deoque gratiſſimos homines nulli non conſtat.Sanctis,inquit,qui ſunt in terra eius, mirificaui volūtates meas in eis.Neque verò totam Iudæorum gentem ſanctam eſſe confirmat,cùm illis temporibus multis etiam ſceleribus contaminatam fuiſſe conſtet, ſed quod ſanctorum partes & religionem non deſeruerint, neque Deum ſuum quemadmodum Iſraëlitæ, prodiderint, hoc Leuit.13. aſſerit & probat Deus.hanc adeò rem Iudæorum rex Abias apud Ieroboamum eſt profeſſus:Vos,inquit,habetis grandem populi multitudinem,& vitulos aureos quos fecit Ieroboam in Deos,& eieciſtis ſacerdotes Domini filios Aaron atque Leuitas, & feciſtis vobis ſacerdotes ſicut omnes populi terrarum: Noſter autem Dominus Deus eſt,quem non relinquimus:ſacerdotesq́ue miniſtrant Domino de filiis Aaron, Leuitæ ſunt, in ordine ſuo. Holocauſta quoque offerunt Domino per ſingulos dies mane & veſperi & thymiama iuxta legis præcepta confectum,& proponuntur panes in menſa mundiſſima;eſtq́.apud nos candelabrum aureum & lucernæ eius,vt accendantur ſemper ad veſperam:nos quippe cuſtodimus præcepta Domini Dei noſtri quem vos dereliquiſtis. Hæc nobis longius recitata ideò ſunt,vt illud quod dictum eſt manifeſtum fiat: *Iudas autem deſcendit, adhuc cum Deo & cum ſanctis fidelibus*,vt ſanctorum appellatione,non ſolùm pij iuſtique viri, ſed ſacerdotes,ſacrificia,legitimæ ceremoniæ & quæcunque ad diuinam maieſtatem purè & ſanctè colendam pertinent,intelligamus, quorum omnium ratio apud Iudæos adhuc integra perſeuerabat. itaque hac ex parte longo interuallo Iſraëlitas antecedebant Iudæi.

Ephraim paſcit ventum & ſequitur æſtum,tota die mendacium & vaſtitatem multiplicat & fœdus cum Aſſyriis iniit, & oleum in Aegyptum ferebat.

CONSTANTIAM & pertinaciam in ſcelere Iſraëlitarum eſſe docet, vt criminis grauitas & turpitudo culpæ magis etiam hoc argumento augeatur. ait autē Ephraim adhuc in propoſito ſuſceptoque conſilio permanere,& nefarium illud ſcelus quo ſe obſtrinxerat magis indies ac magis fouere, neque ſuorum ſtudiorum vanitate damnare, ſed vanioribus adhuc conſiliis cumulare:Non ſolùm enim Deum ſuum eiuſque religionem diis aliis prodidit,

didit,quos regni rerumque ſuarum firmamentum fore ſperauerat, ſed nunc etiam non ſe-
mel ea opinione deceptus ad Deum officiumque ſuum non redit;quin potius ad homines
confugit,quorum non magis certum,quàm eorum quos Deos eſſe opinabantur, auxilium
erit;periculum verò & detrimentum fuerit certiſſimum, namque vel dij veri vel falſi ſunt;
ſi veri, & liberare periculo valent, quorumnam hominum auxilium diuino maius expe-
ctari poteſt?ſi falſi & vani dei ſunt,qui nec iuuare poſſunt,nec nocere,quorſum attinet ho-
mines aut inuidia,aut odio flagrantes implorare,quorum nullæ aduerſus Deum à quo ipſi
ſic defecerant,vires eſſe poſſunt ad iuuandum;ad nocendum autem non erunt ineptæ? Er-
go ad priorem inſaniam hanc etiam addidit poſteriorem,vt non ſolùm Dei ſui ſtudium in
vanorum deorum, ſed in imbecillium, aut etiam inimiciſſimorum hominum mutauerit;
eamque adeò rem vrgeat atque inſtet. Hanc verò cauſam tranſlationibus, aut prouerbiali
ſermone pronuntiat: *Ephraim paſcet ventos.* Ventum paſcere,eſt inania atque inutilia ſequi ſtu-
dia:nam ſiquis ſe ventorum paſtorem profiteatur, eoſque regere & compeſcere certa ra-
tione inſtituat,is profectò magno labore maximam ſibi pariet vanitatem;neq. enim venti
aut regi,aut certis in locis contineri ſe patiuntur,ſed vbi volunt ſpirant,& audis vocem eo- Ioan.
rum,& neſcis vnde veniant,aut quò vadant;namque omnium linguarum cõmuni ſermo-
ne ventus aliquando vanitatis exprimit imaginẽ.Quod autem additur: *& ſequitur æſtũ,* He-
braicè autem *& ſequitur Subſolanũ.* id ſignificationem etiam auget; nam Subſolanus præter-
quam quod ventus eſt, omnium ventorum in Aſiæ regionibus eſt nocentiſſimus: ſunt Horat lib.1.
enim quibuſdã terræ partibus quidam venti præter cæteros infeſti,vt Italis Auſter,qui idẽ Od.14.
Mytilenenſibus ægritudines,Corus tuſſim affert:ita Subſolanus orientalibus & meridianis Vitruuius li.
regionibus nocet,ſicut ſcriptũ eſt: Sicut ventus Subſolanus diſperdã eos. Et iterum: Ecce 1.c.7. Ierem. 17.
plãtata eſt,ergóne proſperabitur?nónne cùm tetigerit eã Subſolanus ſiccabitur? & in areis Ezech.17.
germinis ſui areſcet?Huiuſmodi rebus & ſtudiis intentus Ephraim: *tota die mendaciũ & va-
ſtitatem multiplicat,*] quoniam videlicet ſuperſtitionis vanitatẽ hominum imbecillium, atq.
etiam inimiciſſimorũ auxilium petendo, non ſine ſuarum rerum ſumptu & interimento
auxiſſet;nã *Fœdus cum Aſſyrijs inijt,& oleum in Aegyptum ferebat.* poſterius hemiſtichium priores al-
legorias & prouerbia explicuit: Namq.deorum vanorũ cultus ventus quidã & vanitas eſt,
Ægyptiorum verò Aſſyriorumq.amicitiæ & fœdera,præterquã quod dãnoſæ illis eſſent,
nocentes etiã erant & peſtiferæ.*oleum* pro muneribus omnibus quæ ex Iſraële in Ægyptum
aſportabantur,poſitũ eſt:namq.vt aliarum rerum, olei etiam optimi Iſraëlitarũ regio fera-
ciſſima fuit,ſicut ſcriptum eſt: Iuda & terra Iſraël ipſi inſtitores tui in frumẽto primo: Bal- Ezech.27.
ſamum,& mel,& oleũ,& reſinam propoſuerunt in nundinis tuis. Hactenus quidẽ criminis
totius argumentũ & propoſitio eſt. Nunc porrò crimẽ ipſum accuſatioq. ſequitur,quã be-
neficiis cõmemoratis fidei olim receptæ,nũc verò lata poſtulatione perorat. Argumẽtatur
autẽ ex comparatione,hoc modo:Si Iudæorũ gens quæ religionis fidẽ nunquam violauit,
in crimen à Deo vocatur;eo nomine,quòd officio non ſatisfecerit;quomodo Iſraël crimen
effugiet, qui ſimul & religionem deſeruit & officium? Hæc huius verſus ſententia eſt.

Et iudicium Domini cum Iuda, & viſitatio ſuper Iacob: iuxta vias eius & iuxta adinuentiones eius reddet ei.

IVDICIVM hoc in loco pro lite accipitur & contentione:nam Hebraicè eſt RIB,cu- רִיב
ius verbi ſignificatio cùm alibi, tum in Habbakuq commentariis longius nobis explicata
eſt:Lis,inquit,eſt Domino cum Iuda,ergo viſitatio eſt ſuper Iacob iuxta vias eius & iuxta
ſtudia,quæ ſequutus eſt,poſtquam nouas res moliri cœpit. hoc enim adinuentionis Latinè
redditum nomen ſignificare hoc in loco debet:namq. *Maghalal* Hebraicè eſt,quod ad frau- מעלל
dem, dolum, atque ad nouarum rerum cupiditatem pertinet, de quo & nos iam diximus
ſuperius. Neq. verò quid viſitatio diuina in hoc loco ſit latere poterit,ſi quæ iam in hunc
vatem ſunt à nobis conſcripta,teneantur: Namque idem fere viſitare,quod cauſſam alicu-
ius cognoſcere eſt;cognita autem Iſraëlis fraude,doloque malo,atq.perfidia, æquum ſeue-
rumq. de factis iudicium faciendum eſt. Sed quòd Iacob nominauit,certa notatione non
caret: Nam cùm duo eidem nomina fuerint Iacob & Iſraël, prius illud priuatum eius ſta-
tum, eamque conditionẽ ſignificat, in qua fuerat ante quàm diuinis promiſſionibus & be-
neficiis auctus cumulatuſque eſſet,dum adhuc illo nomine tantum vt Iſaac filius,atq.Eſau
frater,non vt Deo gratus acceptuſque appellaretur. In eo igitur ſtatu reus Iacob conſtitui-
tur,vt quo pluribus maioribuſq.beneficiis affectus fuiſſe doceatur, eò grauiorem culpam
arguatur ſuſtinere. Ad orationis autẽ rationem illud obſeruandum non incommodè eſt,
Coniunctionem *&* in ſacris argumentationibus,(maximè autẽ cùm ex contentione argu-
mentũ ducitur,)illationẽ innuere conſueuiſſe,vt in ipſo eodem Iacob negotio cùm nomẽ
illud humile mutare iuberetur, hac argumentandi figura angelum vſum fuiſſe legimus.

Nequa-

Gen.32. Nequaquam,inquit,appellaberis Iacob, ſed Iſraël: quoniam ſi contra Deũ fortis fuiſti, &
» contra homines præualebis:ſic Hebraicè,vbi Latinus interpres pro,*&*, reddidit, *quanto magis*,idque quam optimè.ſic etiam hoc in loco comparationis vim habet: *Et viſitatio ſuper Iacob.*] Id eſt, quanto magis Iacob iudicij cognitione dignus eſt?

In vtero ſupplantauit fratrem ſuum, & in fortitudine ſua directus eſt cum angelo.

PROPOSITIONEM confirmatio ſequitur,cuius ratio & modus eſt,vt primo loco diuina beneficia,ſecundo,pacta & fœderis conditiones exponantur,poſtremo officium deſideretur;& illud in ſcelus & defectionem mutatum deprehendatur.Beneficiorum verò expoſitio ordine ab exordio repetitur: Namque peculiari Dei prouidentia iam inde ab ortu ſuo Iacob ductum fuiſſe conſtat.Primum enim cùm gemini vtero gererentur,alterque natura maior & maturior,cumque ſuo vterque loculo ſeparati,inuoluti,incluſique eſſent,neque membrorum vllus adhuc motus aut vllus eſſe ſecundum naturam poſſet vſus, vt alter alterum aut apprehenderet, aut teneret: tamen Iacob Eſau fratris apprehenſo atque contento calce diuinam ſui curam teſtabatur, ſeque Deo tantùm:non fratri natu maiori nec hominibus ceſſurum eſſe prædicebat.Iam verò ſimile iſtud prouidentiæ erga ſe argumentum erat,atque excellentius longè portentum, quod qua nocte illi cum angelo luctæ virtutiſque certamen contigit, fortiſſimè ſuſtinuit atque vicit: [*In fortitudine ſua directus eſt cum Diis.*] Sic Hebraicè, Hoc eſt,nunquam ceſſit, ſed fortiſſimè reſtitit non modò hominibus,ſed Diis. Erat etiam ſignum hoc futurũ,ſi in officio Iacob manere & perſeuerare vellet.vt nemini nec hominibus nec diis cederet,vnico dũtaxat excepto Deo,cuius prouidentia & beneficio hæc ab eo vincebantur; namque omnibus gentium diis natura & virtute angeli præſtant: quando gentium dij aut dæmonia aut muta & virtutis expertia ſimulachra ſint.Indecorum autem erat angeli victorem diis virtute minoribus ſuccumbere.quòd autem vicerit angelum confirmat vates:

Inualuit, inquit, *ad Angelum, & confortatus eſt.*

ITA vno Deo minorem ſeſe hactenus exhibuerat Iacob; id verò cùm ſecundum naturam fieri in homine non poſſit, Deo acceptum referri oportuit, cuius beneficio ſuperior
Gen.32. euaſerat iis,quibus ſeſe imparem cognouerat,vt apud Deum cuius fidem implorabat,fue-
» rat profeſſus.Minor tamen,inquit,ſum omnibus miſerationibus,tuis & veritate tua,quam
» expleuiſti ſeruo tuo.Erue me de manu fratris mei Eſau,quia valde eum timeo, &c. ſic ille ſupplex adoranſque petebat non hominem,non Deum alium præter Deum,quem patris ſui Abraham , patris ſui Iſaac Deum appellauit,Deum ſibi perpetua tutela conſulentem,
» quem ſibi hoc modo præcipientem audierat:Reuertere in terram tuam; & in locum nati-
» uitatis tuæ, & benefaciam tibi. Hæc eſt eius hemiſtichij ſententia:

Fleuit & rogauit eum.

HEBRAICE: & ſupplicauit ei. tantis ergo beneficiis affectus Iacob ad ſanctiſſimam religionis & fœderis cum Deo conditionem deſcendit,ſeque & filios nepoteſq. ſuos Deo
Gen.35. perpetua fide & cultu obſeruando addixit;quæ res vt facilior teſtatiorque fiat,pacti totius
» nobis recitanda ſumma eſt.Interea locutus eſt Deus ad Iacob:ſurge & deſcende Bethel,&
» habita ibi,facque altaria Deo, qui apparuit tibi quando fugiebas Eſau fratrem tuum (non
» vlli alij inquam Deo)Iacob verò conuocata omni domo ſua ait: Abiicite deos alienos qui
» in medio veſtri ſunt, & mundamini ac mutate veſtimenta veſtra. apparuit autem iterum
» Deus Iacob poſtquam reuerſus eſt de Meſopotamia Syriæ,& venit in Bethel, benedixitq.
» ei dicens: Non vocaberis vltra Iacob,ſed Iſraël erit nomen tuum:& appellauit eum Iſraël,
» dixitque ei:Ego Deus omnipotens.Creſce & multiplicare: gentes & populi nationum ex
» te erunt,reges de lumbis tuis egredientur, terramque quam dedi Abraham & Iſaac dabo
» tibi & ſemini tuo poſt te.Et receſſit ab eo.Ille verò erexit titulum lapideum in loco quo lo-
» cutus fuerat ei Deus, libans ſuper eum libamina, & effundens oleum. vocanſque nomen loci illius Bethel. Quoniam verò hæc omnia non cum Iacob ſolùm, verùm cum tota eius poſteritate acta & tranſacta ſunt,atque ob eam rem altare poſitum ſacrificia facta & lapis ad perpetuum monimentum eſt fixus; ideo addidit:

In Bethel inuenit eum, & ibi locutus eſt nobiſcum.

ERGO Iſraël nomen ab angelo impoſitum à Deo confirmatum eſt, propterea quòd ab illa prioris conditionis humilitate ad eum auguſti diuinique nominis ſplendorem vocatus eſt,vt potens cum diis appellaretur:illam verò vim illamque fortitudinem, illud deniq. nomen ita interpretari oportuit,vt vni viuenti veroque Deo cui nomen Adonai eſt, nulli præterea alij cederet & pareret,nulli ſeſe permitteret & crederet. hic enim Deus ſolus fortiſſimus eſt,cuius virtute prouidentiæ,omnia pericula ſuperauerat, Deus videlicet Abraham

ham & Iſaac patrum ſuorum, ac ne fortè filiis Iacob commune Dei nomen aliquem errorem pareret, illiq́ue Deo ſuam felicitatem adſcriberent, à quo non acceperant: ob eam rem teſtatiſſima nominis appellatione admoniti doctiq́ue fuêre, ſicut ſcriptum eſt: Dixitq́ue Exod. 3.
Deus ad Moyſen: Ego ſum Adonai, Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, "
Deus Iacob miſit me ad vos: hoc nomen mihi eſt in æternum, & hoc memoriale meum in "
generatione & in generationem. Itaq. non potuerunt verum Deum ignorare vt inſcientes "
cultum aliò traducerent; cùm ſatis illis apertum teſtatumq́ue fuiſſet, cui Deo maiores ſui felicitatem ſuam, cui etiam ipſi ſuam deberent: & quibus ille modis, quo cultu atque officio obſeruandus, retinendusq́ue ſibi perpetuò eſſet; ſi modò Iſraëlis ſplendorem, dignitatem, & nomen tueri ſtuderent. hoc eſt quod Vates noſter ait:

Et Dominus Deus exercituum Adonai memoriale eius.

NOMEN Hebraicum quatuor literis conſtans IHVH, quod proprium Dei veri nomẽ יהוה
eſt, cùm ſuas, quibus pronuncietur, vocales in ſacris libris non habeat. alterum ex duobus diuinis nominibus ADONAI, vel ELOHIM ſui dat in lectione vicarium, pro quibus vel DOMINVS vel DEVS Latinus reddit interpres. Huius igitur verſus illa breuiter ſententia eſt; Ille nimirum Deus Iacob colendus ſemper atq. omni officio retinendus fuit, cuius virtutem, curam, atque prouidentiam ipſe patresq́ue ſui vbique fuerant experti. nullũ autem alium illis fuiſſe conſtabat præter ADONAI fortiſſimum Deum exercituum, cuius nutu omnia gubernantur, cuius maximos & fortiſſimos exercitus in cælo, in terra, atque adeò in ipſo aëre eſſe rebus vbique pro voluntate ſua geſtis, ipſius etiam Iacobi cauſſa probauit; quamobrem hoc illis nomen ſanctiſſimũ perpetuò eſſe debuit, *Adonai memoriale eius*.] Quo autem officio coli illum retineriq́ue oportuiſſet, nempe fide & virtutis obſeruatione perpetua, ſequenti verſu declaratur:

Et tu ad Dominum Deum tuum conuerteris: miſericordiam & iudicium cuſtodies, & ſpera in Deo tuo ſemper.

MEMINISSE oportet futurum tempus verborum ad officium perpetuò faciendum accommodari. docet autem Iſraëlis officium fuiſſe Dei ſui partem perpetuò ſequi, & quem ſemper ſibi prouidentem optarent, ſemper iis quæ maximè illi gratæ ſunt, artibus, fide, ac pietate colere, atque hoc modo ſemper illius ſibi tutelam promittere. [*Ad Deum tuum*, quem ſcires eſſe ADONAI, *conuerteris*:] omni ſtudio, inquit, ad illius colendam religionem intentus eſſe, fidemq́ue illi integram inuiolatamq. ſeruare debuiſti. [*Miſericordiam & iudicium*.] *Miſericordia*, pro omni erga proximum pietatis genere poſita eſt. *Iudicium*, æquitatem & totius officij ſignificat rationem. hoc vobis erat præſtandum; namque his rebus vera pietas conſtat, fide & miſericordia, ita vt qui alteram ab altera ſepararit, & magnum religionis detrimentum & totius veræ vtilitatis iacturam faciat, ſicut ſcriptum eſt: In hoc glorietur qui Ierem. 9.
gloriatur, ſcire & noſſe me quia ego ſum Dominus qui facio miſericordiam & iudicium & "
iuſtitiam in terra: hæc enim placent mihi, ait Dominus. Hactenus prima & ſecunda con- "
firmationis pars, hoc eſt, beneficiorum commemoratio, fœderis atque conditionum recitatio; nunc deinceps iniquitatis ac perfidiæ exprobratio eſt: nam qui iudicium obſeruare iubebatur, pietatem pro tantis beneficiis reddere debuit, idq. ſedulò & diligenter ſummoq. ſtudio præſtare, ſiquidẽ hæc iudicij & iuſtitiæ vis & ratio eſt, vt in omnibus pactis & commerciis integritas ſemper & veritas obſeruetur, omnisq́ue fraus, imò omnis fraudis abſit ſuſpicio. Si ergo Iacob iuſtè cum Deo agere iudiciumq́ue obſeruare voluiſſet, qua fide, qua religione teneretur? Tunc demum beneficiis à Deo collatis ſeſe non dignũ præbuiſſet, hoc eſt, rerum omnium copia, pace, & incolumitate: at verò ille vbi hæc omnia accepiſſet, tamen eum à quo acceperat debito palam fraudauit obſequio, & eò impudentiæ atque audaciæ proceſſit, vt nihilominus iuſtum ſe rerum ſuarum poſſeſſorem iactet, & prædicet, nihilq́ue ſibi ſuisq́ue rebus ea parte metuat quòd malè ſint partæ. Itaque in hoc commercio maxima iniquitas maxima fraus eſt admiſſa:

Canaan in manu eius ſtatera doloſa, calumniam dilexit.

EXEMPLO propoſito oſtendit Deus Ephraitas, hoc eſt Iſraëlis filios non regis optimi fidelem populum, non patroni & tutoris præſtantiſſimi optimum clientem, vel pupillum egiſſe, ſed mercenarium & venalitium mercatorem eumq́ue fraudulentum, qui magnas ſibi copias ex maxima fraude ſperarit, cui conſuetudo religionem & metum ademit, atque Prouer. 31.
audaciam impudentiæ etiam coniunxit. [*Canaan*] mercatorem ſignificat, vt Sindonem fecit & vendidit, & cingulum tradidit Cananæo. Quoniam Cananæorum natio præ cæteris maximè ex mercatura quæſtum faciebant; ideoque vafra magis & callida, orti enim à Cham Noahi filio paternam impietatem quaſi hæreditariam imitabantur. Ergo Iſraëlis

filius

filius Ephraim mutatus eſt in Canaan mercatorem filium Cham, in cuius manu bilanx doloſa eſt. [*Calumniam dilexit.*] ita fraudis ſtudioſus eſt, vt dum ſibi conſulat, quemuis fraudare pro nihilo ducat:

Et dixit Ephraim: Veruntamen diues effectus ſum, inueni idolum mihi, omnes labores mei non inuenient mihi iniquitatem, quam peccaui.

SVMMA Iſraëlitarum impudentia notatur, qui non ſolùm antiquis beneficiis immemores, ſed præſentibus ac perpetuis ingrati fuerunt, perinde enim & ſe & rem gerebant, iactabant & prædicabant, ac ſi nulla fraude aut iniuria, ſed iuſto labore partæ fuiſſent, nec diuino beneficio eſſent acceptæ referendæ. [*Veruntamen.*] Affirmationẽ habet, vt: Veruntamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt. [*Diues effectus ſum.*] Mea diligentia & induſtria non alicuius alterius auxilio, aut beneficio. Hæc ſententia verbo Hebraico indicatur, quod non ditari, ſed diteſcere ſignificat. Ac ſi dicat: *contigit mihi diteſcere*, quando huiuſmodi Latina verba præteritis deſtituuntur temporibus. [*Inueni mihi idolum.* Hebraicè, *Inueni vim mihi.*] *Vim*, pro facultatibus & copiis poſitum. vt apud Latinos ingens auri atque argenti vis dicitur. *Omnes labores mei non inuenient iniquitatem quam peccaui.*] Hic duplex crimen eſt; alterum, quòd ſuo labore ſuaque induſtria diuitias opesque partas affirmat, quod ſanè ad perfidiam ſpectat, cùm ea ſibi ex diuino beneficio contigiſſent: alterum, quòd non modò iis corradẽdis, verùm conſeruandis fraudem abeſſe, affirmabant; cùm iam in dictis etiam fraus & impietas deprehendatur. Etenim agros, & prædia, domos ac villas, cæteraſque opes & vires etiam, & induſtriam, quibus hæc ab illis culta & tractata ſunt Deo à ſe deberi fateri oportuit, ſicut ſcriptum eſt: Ne poſtquam comederis & ſatiatus fueris, domos pulchras ædificaueris, & habitaueris in eis, habueriſque armenta boum & ouiũ greges, & argenti & auri, cunctarumque rerum copiam, eleuetur cor tuum & non reminiſcaris Domini Dei tui qui eduxit te de terra Ægypti, de domo ſeruitutis, & ductor tuus fuit in ſolitudine magna atq. terribili, &c. Ne dicas in corde tuo: Fortitudo mea, & robur manus meæ, hæc mihi omnia præſtiterunt, ſed recorderis Domini Dei tui, quòd ipſe vires tibi præbuerit, vt impleret pactum ſuum ſuper quo iurauit patribus tuis, ſicut præſens indicat dies. [*Non inuenient iniquitatem.*] Nihil mihi in rebus ſtudiisque meis aut fraudis, aut peccati obiici poteſt, quippe omnia iuſto labore parta honeſto etiam vſu tractata ſint; itaque nihil ex me iure quiſpiam requirat, cùm nemini quicquam debeatur.

Pſalm.

Deut. 7.

Et ego Dominus Deus tuus de terra Aegypti, adhuc ſedere te faciam in tabernaculis, ſicut in diebus feſtiuitatis.

ANTIQVORVM beneficiorum immemores fuiſſe cõmemoratione ipſa confirmauit; nunc etiam præſentibus beneficiis ingratos re ipſa & ſuarum rerum memoria renouata arguit: namque non ſolùm Iacob tantis beneficiis affecti, quem Deus tot caſibus ſuperiorem fecerat, ſed ſui etiam ipſorũ obliti; quos omnibus rebus egentes è ſumma miſeria & ærumna liberauerat, atque ad eam quam ſibi mendoſè adiudicabant regionem propria virtute magnis miraculis & prodigiis emptos traduxerat. hoc eſt quod dicit: *Ego Dominus Deus tuus de terra Aegypti.*] vbi nulli tibi agri, nullæ diuitiæ, ſed extrema fuerat inopia; nunc autem de his regionibus abductum te ad antiqua tabernacula tua conuertam, vt noris an tuis laboribus ſine vlla iniuria aut iniquitate parta & cõſeruata fuerint ea, quæ abs te poſſidebantur. [*Adhuc ſedere faciam te in tabernaculis ſicut dies ſtatos.*] Sic Hebraicè eſt: Significat autẽ his verbis eum ſtatum, & eam quam nunc Iſraëlitæ ferunt conditionem: cùm per totum orbem diſperſi nullos agros, nulla prædia, nullas omnino ſtabiles ſedes habẽt: ſicubi verò maximè quieſcere videntur, domos tantum easque vel conductas, vel ſi proprias, non magnificè tamen extructas poſſident, vt qui ſibi migrandum eſſe perſuaſum habeant. hoc vero viuere in tentoriis eſt. tabernaculis autem numero multitudinis dixit, cùm ſermo cũ vno Ephraim eſſet, eò quòd ſæpe illi mutanda forent, nulla ſtabilis ſedes, nullum certum habendum domicilium. neque verò maiorem explicationem locum hunc deſiderare arbitramur, quàm euentum ipſum, & præſentem Iſraëliticarum rerum ſtatum. tamdiu autem hanc illis pœnã ferendam ſuſtinendamque eſſe prædicit, quoad præfixæ conſtitutæque dies fuerint peractæ, quarum certus numerus quibuſdam vatibus prædictus fuit, quibuſdam etiam erat prædicendus. [*Sicut dies ſtatos,*] Hebraicè *Moghed*, certum præfinitum tẽpus ad aliquid faciendum ſignificat, quod Hiſpanicè propriè *Plazo* dicitur. Latinus interpres ob linguæ inopiam nunquam ſimplici verbo reddit, ſed interdum certum tempus, nonnunquam verò hoc tempus, vel feſtum tempus, vel feſtum, hoc eſt, obſeruandum diem. vt, Secundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius, id eſt, legitimo pariendi tempore cùm rediero erit Saræ filius. Concepit & peperit filium in ſenectute ſua tempore, quo prædixerat ei Deus. & illud:

Iuriſconſulti diem dicere Alciatus in Parergis.
Gen. 17.
Gen. 21.

& illud: Conſtituit eis tempus dicens, cras faciet Dominus verbũ illud. In omnibus his locis eſt *Moghed*. Cum autem nihil eorum, quæ ad homines pertinent, temerè vel caſu fiat, aut maneat, ſed diuina omnia gubernentur prouidentia, non ſolum hæc Iſraëliticæ calamitatis tẽpora ab eo prouiſa, ſed prædicta conſtitutaq́ue eſſe docet Deus. [*Sicut dies ſtatos.*] *Sicut*, non ſimilitudinis, ſed quantitatis coniunctio hoc in loco eſt; namq. Hebraicè C H particula & ad qualitatis ſimilitudines & ad quantitatis æqualitates & rationes accõmodatur, vt illud: Et fuit ſicut retrahere manum ſuam egreſſus eſt alter. hoc eſt, vbi ille manũ retraxit. Tamdiu ergo tabernacula habitabis, tamdiu vagus domo patriaq́ue exul eris, quoad præſcriptorum dierum adſit finis. quos dies non ſolùm à ſe præſcriptos, ſed vatibus etiam prædictos expoſitosq́ue fuiſſe docet, ſicut ſcriptum eſt: Quia non faciet Dominus Deus verbum, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos prophetas. Certi ergo dies (ſiue ſolemnitates, ſiue tempus maturum & iuſtũ, ſiue quouis nomine Latino appelles id quod *Moghed* Hebraicè) nominati à Deo ſunt, quibus Iſraëlitæ in ærumna atque miſeria eſſent. id quod factum eſſe Ieremias teſtatur: Vocauit, inquit, aduerſum me tempus vt contereret electos meos. non ſolùm autem iis vatibus qui illa tempeſtate & antè fuerunt, communicatũ hoc temporis certi conſilium fuiſſe, ſed aliis etiam communicandum fore pollicetur, quibus ſolis calamitatis finis & Iſraëliticæ reſtitutionis ſacramentum notum eſſe voluit Deus, cuius in poteſtate tempora & momenta ſunt. ex multis verò modis quibus prophetę futurorumq́ue conſcij viri à Deo agi ſolent, celeberrimi ſunt, allocutio, viſio, ſimilitudo. Atq. allocutio quidem in ſomnis fit, qualis ea qua Abrahã, Iacob, Samuel, Laban, Abimelech, & Ioſeph etiam vir Mariæ moniti doctiq́ue fuerunt. de qua propriè ſcriptum eſt: Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. itaq. Deus vt apparet viſione ſic in ſomnio alloquitur. Similitudo autem eſt, cùm certis prouerbiis & ænigmatibus aut aliter oſtentis res futura repræſentatur; quorum ratio niſi aliunde aperiatur, iiſdẽ ipſis vatibus obſcura & intellectu difficillima eſſe ſolet. cuius generis multa apud omnes vates, apud Danielem verò atque apud Ioannem Theologum plurima leguntur. Iſraëliticarum ergo calamitatum rationem ex viſione quibuſdã vatibus iam Deus oſtenderat: imaginem verò & ſimilitudines futurum erat vt vatibus oſtenderet. Iccirco dicit:

Exod. 9. מועד — כי — Gen. 38. — Amos 3. « — מועד — Thren. 1. — Num. 12. « «

Et locutus ſum ſuper prophetas, & ego viſionem multiplicaui.

VT QVAM teſtatiſſima omnibus res eſſet, nec ad caſum, neque ad fortunam referri à quoquam poſſet. de futuro autem dicit:

In manu prophetarum aſſimilabor.

NAMQVE Hebraicè cætera in præterito, hoc in futuro dicitur. Significat itaq. tempus hoc nonnullis vatum certa ratione fuiſſe declaratum, vt ex illo loco patet: Vocauit aduerſum me tempus, aliis in viſione oſtenſum. quemadmodum ex viſione doctus Iſaias dixit: Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus & Gomorræ ſimiles eſſemus. Danieli autem & Ioanni Theologo futuris poſt illa tempora vatibus rem hanc per ſimilitudines creditam fuiſſe legimus: Tu autem Daniel claude ſermones & ſigna librum vſque ad tempus ſtatutum, plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſententia. & paulò inferius: Et dixi viro qui erat indutus lino, qui ſtabat ſuper aquas fluminis; Vſquequò finis horum mirabilium? & audiui virum qui indutus erat lino, qui ſtabat ſuper aquas fluminis, cùm eleuaſſet dextram & ſiniſtram ſuam in cælum, & iuraſſet per viuentem in æternum, quia in tempus & tempora & dimidium temporis, & cùm completa fuerit diſperſio manus populi ſancti complebuntur vniuerſa hęc. Subiungit autem Vates: Et ego audiui & non intellexi. Plenæ etiam ſunt Apocalypſis chartæ huiuſcemodi ſimilitudinibus & imaginibus, vt illud: Et hic ſapientia eſt, qui habet intellectum computet numerum beſtiæ; numerus enim hominis eſt, & numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex; qua ſimilitudine nihil obſcurius dici poſſe arbitror.

Thren. 1. Iſai. 1. « « — Dan. 12. « « « « « « « « « «

Si in Galaad idolum: ergo fruſtra erant in Galgad bobus immolantes nam & altaria eorum quaſi acerui ſuper ſulcos agri.

DEFENDEBAT Ephraim nihil ſibi vitio dari, nullamq́ue in rebus ſuis iniquitatem inueniri poſſe, cùm plena tamen eorũ loca ſuperſtitionibus, plena fanis & altaribus nefariis eſſent, quibus nominibus maxima ipſorum erga Deum perfidia augebatur. quoniam verò ſua quiſque non perinde ac alterius vitia perſpicit, horum exemplo & præiudicio ſuæ impietatis Ephraitæ atq. Iſraëlitæ cæteri redarguuntur. Duo autẽ exempla citantur, quorũ ob ſimilem culpam ſimile eſt iudicium, indeq́ue argumentum à minori depromitur, cuius illa ſententia eſt: Ij qui Galaad habitabant, ex Iſraëlitarum genere & familia fuerunt. hos autem iniquitatis reos fuiſſe & diuina ſententia & ſupplicij euentus declarauit. Sententia ſuperius hæc fuit: Galaad ciuitas operantium iniquitatem. Euentus autem quòd illa gens cum

cum iis tribubus, quæ trans Iordanem fuerant, abducta in captiuitatem fuit, hoc eſt, cum Ruben & Gad, & dimidia tribu Manaſſes. Neque verò ſolùm Galaaditis nocuit ſuperſtitio, ſed vicinis etiam & finitimis eorum Gilgalitis qui & pari culpæ obnoxij pari pœna affecti fuerunt, id quod altaria eorum deſerta & vacua teſtabantur. Conſequens ergo eſt Ephraitas qui eadem ſtudia ſequantur ſimilem culpam ſuſtinere, ſimilemque pœnam eſſe ſubituros. Erant vero Galaaditis Galgalenſes vicini, Iordanis ſolum alueo vtrorumq. agros dirimente. facilè autem Galaaditarum vicinitate ſuperſtitionis peſtis Galgalim attingere potuit; atque ex ea cauſſa certa & continuata fuit vtriuſque ruina; namque vtrique ſimul abducti in captiuitatem fuerunt, & ſi qui reliqui fuerant, tamen cum Zabulone & Neptalim, qui proximi illis etiam erant, funditus è ſuis ſedibus euerſi ſunt. [*Si in Gilgad idolum,* Hebraicè: *Si in Gilgad iniquitas.*] Nam reſpondet illi orationi Ephraitarum: Omnes labores mei non inuenient iniquitatem mihi, quam peccauerim. Quòd ſi in Gilgad iniquitas eſt. & vlterius: ſi Galgal culpa non vacat. qua ratione ſeſe Ephraim extra omnem culpam cauſamque ponet: cùm iiſdem ſtudiis teneatur, atque eadem quæ illis admiſſa fuerant, admittat. Atque in argumentationis propoſitione duplex pars eſt; altera quidem eſt, Iniquitas eſt in Galaad; altera verò, & vanitas eſt in Galgal. priorem hypotheticæ partem ſuperius confirmarat, alteram opportunè cōfirmat, nempe Galgal vanitatis reum eſſe. probat autem ex facto ſic: *Erant in Galgal bobus immolantes.*] probat etiam à deſtinatis, cùm aras commemoret fabricatas, in quibus ſacrificia fierent. Probat ex euentis eorum vaſtatione demonſtrata, cum altaria plurima extare dicat, quæ ab hoſtibus diruta non fuerint, & tanquam terminorum aceruì in agris, ſic impietatis & ſuperſtitionis teſtes atque iudices aræ illæ in Galgalis viſantur. eſt autem verſus hic aliquanto difficilior, propterea quòd indeclinabiles dictiones & puncta Hebraicam proprietatē non omnino reddunt: nam Hebraicè ſic legimus: *Si Gilgad iniquitas, certè vanæ fuerunt, in Galgal, boues immolauerunt: etiā altaria eorum vt acerui ſuper ſulcos.*] Si ergo in Gilgad iniquitas fuit, neque illic ſolùm, ſed etiam apud Galgalas vanè actum eſt, cùm boues immolatæ fuerint; id quod altarium frequentia vt aceruorum in agris multitudo relicta docet: conſequitur Ephraim integritatem innocentiamq. ſuam falſo iactare atque defendere. in hoc autem enthymemate concluſio omiſſa eſt, quoniam ea in antecedentibus orationibus fuerat explicata, vbi dictum eſt: Canaan in manu eius ſtatera doloſa, dilexit calumniam. Namque in illo loco propoſitio collocata eſt, quæ in ſequentibus argumentationibus concluſio fieret. Oportet autē ſacrorum librorum interpretem in his argumentandi rationibus eſſe exercitatiſſimum; quandoquidē magna verborum breuitate maxima argumentationum momenta continentur. [*Bobus immolantes.*] non datiui ſed effectiui caſus eſt: namque Hebraicè eſt accuſatiui. cùm dicit autem boues immolaſſe, magno ſumptu maximum incommodum ſibi ipſis quæſitum reprehendit.

Fugit Iacob in regionem Syriæ & ſeruiuit Iſraël in vxorem, & in vxorem ſeruauit. In propheta autem eduxit Dominus Iſraël de Aegypto, & in propheta ſeruatus eſt.

ALIO argumento iniquitatém & perfidiam Ephraitarum ac totius Iſraëlis confirmat, ita vt Iſraëlem ſuo ipſius præiudicio, ſuoque gladio iuguleт: namq. exemplum non ex aliena, ſed ex propria cauſſa petit, ita vt criminis vim ſubterfugere non valeat, neque etiam iudicij periculum declinare, cuius iudicij auctor idem ipſe fuerat, qui reus eſt conſtitutus. Igitur Iacob patris iudicio Ephraim damnatur: quippe cùm domeſticum exemplum legis loco eſt habendum. Tota autem oratio hanc habet ſententiam, Iacob, cùm nondum honore aut dignitate aliqua functus eſſet, nondum aliud, quàm priuatum nomen tueretur, imò dum in miſera eſſet conditione, vtpote patria profugus in aliena regione degens atque ob inopiam ſeruire coactus, tamen non gratis hoſpiti Laban & nō malè de ſe merenti ſeruire voluit, ſed mercedis nomine id quod habuit ſummum pretium pactus eſt: non enim aurum, aut argentum, non oues, nec armenta, ſed incomparabilis formæ & virtutis puellam patri chariſſimam popoſcit, ita vt ſeruitutem & gregum cuſtodiam magno, non pretio, ſed præmio redemerit, tanto ſe, & ſtudiumque operamque ſuam fieri, æſtimarique voluit Iſraël: & tamen Iſraëlis filij ſummam Dei erga ſe curam, ſtudiū, cuſtodiam nullo pretio, nullo obſequio aut gratitudine dignam putarunt; cùm Deus non coactus, non inuitus, ſed vltrò ac ſpontè de illis curam ſuſceperit, atque aliis ſibi chariſſimis miniſtris mandauerit, dum pro maiori beneficio liberius impenſo diutius atq. accuratius dato maior eſſet referenda gratia, quòd ſi non gratia, ſaltem merces aliqua, qua iuſtitiæ & rerum æquitati ſatisfieret. vt verò facilior ad iudicandum res eſſet, comparatione argumentatio tractata eſt, perſona cum perſona, tempore cum tempore, rebus cum rebus comparatis, cuius forma huiuſmodi eſt: Iacob fratrem ſuum fugiens, inops & miſer, qui tantum in baculo ſuo

traie-

traiecerat Iordanem, venit in agrum Aram, vbi hoſpitio à Laban exceptus eſt homine quanquam ſanguinis neceſſitudine coniuncto,tamen ſuarum non profuſo rerum neq. admodum etiam liberali;& cùm ibi vnde viueret nō haberet niſi operas locaſſet ſuas,ille pro mercede heri filiam popoſcit,atque adeò vxorem obtinuit, ſi non eam, tamen neque genere neque dignitate minorem eiuſdem Laban filiam maiorem natu atque iure prælatam: tum vero ſeruitute innouata, & eodem temporis ſpatio iterato,alteram vxorē quam amabat,ſimili pactione accepit,ita vt duas chariſſimas filias pater paſtori operarioque ſuo tradere pacto cogeretur; tanti ſuam operam Iacob æſtimauerat. Hactenus altera comparationis pars breuiter tractata eſt; altera autem ſic habet: At verò Dominus Deus qui nihil cuiquam debet,cùm omnibus abundet; qui non iure aliquo aut pacto, ſed propria ſolùm miſericordia & benignitate Iſraëlem duriſſimæ ſeruitutis ergaſtulis ſolutis in libertatem aſſeruit,miſſoque Propheta,qui ſuas partes ageret, vt id negotium diuinum eſſe conſtaret, eductusque eſt Iſraël ex Ægypti longa ſeruitute. quantam autem huius beneficij gratiam eſſe oportuit,cùm breuem ſeptem annorum ſeruitutē tanti æſtimauerit Iacob? Præterea ſi ouium cuſtodia ſeptem aliis annis non minori,quàm alterius vxoris præmio fuerit redempta,quánam æſtimatione dignū fuit, quòd Iſraël ipſe non à quocunque, ſed à Deo, nec id vulgari modò,ſed per prophetam tantis ſignis,portentis,tanta beneficiorum magnitudine & aſſiduitate paſtus ſeruatusque quadraginta annos in ſolitudine, tandemq. in patriam deductus vſus eſt perpetua prouidentia atq. prophetarum procuratione,per quos diuina in illos cura & ſtudium teſtatiſſimum erat: namque prophetica adminiſtratio nō humana,non vulgaris,ſed planè diuina eſt,cùm nihil à vatibus aut agatur, aut dicatur, quod non ex oraculo petitum acceptumque ſit,ſicut ſcriptum apud Ieremiam eſt.

Vnde & Deus ipſe apud Samuelem confirmat ſe exactum & repudiatum fuiſſe, quòd Vatis ſui adminiſtrationis illos tædere cœperat. iam verò huius comparationis ſententiam quantum licuit breuiter explicuiſſe videmur; porrò orationem ipſam contexamus: [*Fugit Iacob in regionem Syriæ.*] in alienam regionem priuatus profugusque commigrauit,& tamen in ea fortuna & conditione dignitatem quandam habere & futura ampliſſimam ſibi promittere viſus eſt,ita vt iam Iſraëlem illum quem poſtea egit,meditaretur;& cùm ſeruitute locataque opera victum quærere ob inopiam cogeretur, [*tamen ſeruiuit Iſrael in vxorem.*] qualem autem optauerit vxorem hiſtoria docet. iam cùm ob ſeruitutem vxorem mercedis loco accepiſſet: rei atque verbi duritatem,magnitudine præmij & coniugij nominis iucunditate compenſaret, etiam in leuiori nomine paſtionis non minori pro dignitate ſe geſſit: quippe qui non iam Domini,ſed ſoceri ſui oues [*In vxorem ſeruauit & pauit.*] hæc autē omnia ſi cum Dei erga Iſraëlem beneficiis conferantur, tanto iudicabuntur minora, quanto perſona perſonam,res rem,tempus tempora,conditio ſuperat conditionem. Etenim Dominus ipſe Iſraëlē è ſeruitute in qua conſtitutus erat;& non ex Syria vbi minus malè agere potuit,qui etſi profugus,tamen apud ſui generis & cognationis homines verſabatur,ſed [*Ex Ægypto*] manu excelſa & prophetæ miniſterio certo ac manifeſto diuinæ curæ & tutelæ argumento [*eduxit.*] & poſt hæc Iſraël ipſe non oues,non boues eius, non armenta,ſed ipſe Iſraël ſeruatus cuſtoditusque fuit,totque annos inenarrabilibus miriſque modis paſtus & educatus. At verò Iſraël, qui maximam ſeruitutis curæque ſuæ rationem haberi voluit,diuinæ erga ſe curæ,benignitatis & beneficentiæ nullam ipſe habuit. quantis ergo ſuppliciis, quantis execrationibus dignus pro iſta iniquitate atque ingratitudine eſt? qui dum ſuas opellas tanti faciat, mea tanta beneficia vel recordatione putet indigna. vehementer profectò acerba beneficentiſſimo cuique hæc cogitatio eſt, & quæ non ſolùm beneficentiam tardare,ſed pœnam atque vltionem parare accelerareque valeat. Quamobrem ſubiungit:

> *Ad iracundiam me prouocauit Ephraim in amaritudinibus ſuis, & ſanguis eius ſuper eum veniet, & opprobrium eius reſtituet ei Dominus ſuus.*

DEI IRATI & ob contemptum offenſi oratio hæc eſt: namque maximi excelſique animi grauiſſimè contemptionem tolerant; neque enim leuiter ferri poteſt, eorum nullam,vel leuiſſimam haberi rationē,quę ſummò ſtudio,maxima cura, aſſidua opera, multa etiam cũ rei ipſius grauitate collata collocataque apud aliquem fuerint; qui tamen bene de ſe merentem ſumma & illiberali excipiat obliuione. Hanc autem acerbitatem,amaritudinem Deus vocat,& huius ſceleris reos non minus, quàm ob homicidium vel aliud indigniſſimum facinus admiſſum grauiſſima pœna dignos cenſet, vt qui iniurij in beneficos fuerint;quod grauiſſimum genus iniuriæ eſt. ob eam autem rem ait: *Et ſanguis eius ſuper eum veniet.*] Hebraico tropo vſus, ſignificat eius quo ſe aſtrinxerant, ſceleris pœnas eſſe illis

ſoluendas. [*Et opprobrium eius reſtituet ei Dominus ſuus.*] Quemadmodum ille Dominum ſuum intra ſe ductum contempſit, ſic ipſe in ignominiam, opprobrium & contemptionē à Domino ſuo adduceretur. quæ res tanto erit æquior atque iuſtior, quanto in omni officij & dignitatis cauſſa herus melior, quam ſeruus iure eſt. [*Dominus ſuus,*] à quo emptus & redemptus, atque hactenus ſumma clementia & cura tractatus eſt.

CAPVT DECIMVMTERTIVM

LOQVENTE *Ephraim horror inuaſit Iſraël: & deliquit in Baal, & mortuus eſt.*

DIVINORVM iudiciorum æquitatem cogitatione admirari, quàm verbis & oratione conſequi iis, qui arcanos legunt libros, multo profectò fuerit facilius: Nam cum Deus qui omnium cæleſtium, terreſtrium & infernorum rector & iudex eſt, dicto tantum & placito ſententiā in quemuis proferre poſſet, tantam tamen in iudicio exercendo æquitatis rationem à ſe obſeruari teſtatum omnibus eſſe vult, vt ab iis quos in iudicium vocat ſententiæ ferendæ normam rationemque nōnunquam petat, atque iudiciis vtatur, quibus vel in pari, vel in minori cauſa illi fuerint vſi, vt omnis impiis & temerariis effugiendi, vel elabendi occaſio præcludatur. Sic olim Dauid regem in Vriæ & Bethſabees cauſa propria ipſius Dauidis damnauit ſententia. ſic diuinus eius filius verſutorum Phariſæorum & ſcribarum collegia, vt iuſtiſſimam in ſeipſos ſententiam pronuntiarent, ſapienter effecit. ita hoc in loco Ephraimas Iſraëlemque omnē temeritatis & ſtultitiæ ſuæ pœnas ſibi ipſis ſuo iudicio ſtatuiſſe demonſtrat; atque horum omnium iudicia & ſententias in leuiori cauſa prolatas ad illorum grauiſſimam cauſam transfert: Nam Dauid de oue per fraudem iniuriamque rapta ſibi tulerat ſententiam. Phariſæi de vinea per ſeruorum & hæredis cædem occupata, ſeſe eidem calculo obnoxios reddiderunt. Ephraim verò ob Salomonis ædificia maximas excitauerat tragœdias. Sed in diuino iudicio Dauid reus conſtituitur, & pro oue rapta Vriæ vxor atque ipſius Vriæ nex profertur. in Phariſæorum iudicio pro vinea religio, pro ſeruis prophetæ, pro hærede Dei filius occiſus, ad crimen referuntur. atque in hac Ephraitarum cauſa pro ſumptuoſis Salomonis regis operibus ſimulachrorum obiicitur cultus. Deinde verò temeritatis atque improbitatis arguitur Iſraël, qui ea quæ ſibi improbata damnataque fuerant, tamen ipſe admiſerit, & nouarum ſemper rerum ſtudio arſerit. Principio itaque à Ieroboam hiſtoria ſermo inchoatur, qui maximos in Iſraëlem tumultus concitauit; quorum hanc prætexuit cauſam, quòd Rex in ædificia ſuperuacanea nimiū operæ atq. impenſæ collocarit, qua in re publicæ pri-
3.Reg.11. uatæque populorum facultates vehementer vexarentur, ſicut ſcriptum eſt: Ieroboam quoque filius Nabat Ephrathæus, de Sareda ſeruus Salomonis (cuius mater erat nomine Serua, mulier vidua) leuauit manum cōtra Regem. & hæc eſt cauſa rebellionis aduerſus eum, quia Salomon ædificauit Mello, & impleuit voraginem ciuitatis patris ſui Dauid. Hæc cauſa cùm popularis admodum eſſet, applauſu excepta fuit, ita vt leuis populi facilior eſſet aucupatio, publicæ vtilitatis & priuatorum commoditatis ſtudium profeſſo: Nam cùm vectigal apud ſuos colligeret, ipſe tributorum & ſumptuum grauitatem in regis inuidiam accuſabat: Contrà ac alij, qui dum regum videntur ærario conſulere, inuenta noua exactione, populum & ærarium depopulantur. Ieroboamus verò ambitionem ſimulato publico bono occultabat, atque ita populi animos ſibi deuinxit, vt cùm adeundus illis & conueniendus de ea re Roboam eſſet, hic conſilij dux & ſermonis interpres eligeretur, atque defectionem à rege molientibus, ex Ægypto vbi profugus erat reuocatus, idem potiſſimè illis præficeretur, qui non propriis, ſed priuatorum commoditatibus conſulturus crēdebatur,
3.Reg.12. ſicut ſcriptum eſt: Miſerunt ergo & vocauerunt eum: venit ergo Ieroboam & omnis multitudo Iſraël, & locuti ſunt ad Roboam, dicentes: Pater tuus duriſſimum nobis iugū impoſuit, &c. & paulò inferius: Factum eſt autem cùm audiſſet omnis Iſraël quòd reuerſus eſſet Ieroboam, miſerunt & vocauerunt eum congregato cœtu, & conſtituerunt eum re-
3.Reg.12. gem ſuper omnem Iſraël. Huius itaque ſententiæ verſus ille primus quamlibet verbis conciſus & breuiſſimus eſt. *Loquente Ephraim horror*, ſic diſpungenda membra ſunt. Ephraim autem vocat domum Ioſeph, in qua tributis exigendis præerat Ieroboam: is primùm tribum ſuam omnem oratione & regis accuſatione mouit; hæc deinde tribus alias excitauit, atque ita nouarum rerum cupiditas ex regis inuidia, & ex gratia aduerſus Ieroboamum, excitata eſt. quem quidem popularem primùm obſcurum motum, deinde apertum tumultum, ac demum publicam inuidiam, vates noſter nominat horrorem. *Loquente* (inquit) *Ephraim* horror & tremor animorumque turbatio & tumultus excitata ſunt. His autem ille rationibus

populi ad ſe animos, non tam conciliauit, quàm rapuit. ob eam rem dicit: *Inuaſit Iſraël*, Hebraicè dicitur, *præfuit ipſe in Iſraël*. At verò Ieroboam ita malè populo conſuluit, vt idololatriam impietatemque ſummam inſtitueret & confirmaret; quæ res multo grauior multoque ſumptuoſior Iſraëlitis fuit, quàm Salomonis fuerant ædificia; namq. illa ad publicam vrbis vtilitatem & ornamentum pertinebant, quæ ſemel perfecta longo tempore integra ſine ſumptu durare poterant. Baalim autem cultus præterquam quòd ipſo conflandi & ſculpendi opere, atque etiam materia maximi pretij fuiſſe conſtant, ſine magna etiam & aſſidua impenſa magnoque inſtrumento procurari non potuit. Quoniam autem id quod aliis vitio & culpæ dederat Ephraim ipſe multo grauius admiſit, atque eiuſdem rei improbandæ ſimul & admittendæ auctor cæteris Iſraëlitis fuerat; nam qui Salomonis filium ob ſumptus metum repudiauerant, Ieroboamum cum maiori & turpiori damno receperunt, ideò ait: *& deliquit in Baal, & mortuus eſt*, ob eam rem regno pariter & vita priuatus, quam rem ipſe iam in alio iudicauerat, ſatisque idoneam duxerat, ob quam regnum is cuius proprium erat amitteret. Vſus eſt autem verbo, deliquerat, quod, vt iam dictum nobis eſt, non ſolùm peccare, ſed aliis peccandi auctorem eſſe ſignificat. Atque hæc res in ſententia oraculoque diuino expreſſa fuit: Propter peccata Ieroboã, qui peccauit & peccare fecit Iſraël. 1.Reg.14.
Hactenus Ieroboami iniquitas, & Iſraëlis ſtultitia atque temeritas oſtenſa eſt. At verò populi culpa fuit, quòd non iudicio, ſed temeritate diſſidium Iudæ & Beniamin fecerit, atque à Roboamo defecerit: Namque ea quam prætexuerat, diſſenſionis cauſa, nulla fuit; quippe cùm multò grauiora tributa ſub nouo rege libenter tolerauerit. Itaque populari magis impetu & nouitatis ſtudio (quo vitio vulgus vehementer laborat) quàm vel ratione vel neceſſitate res acta fuit. Neq. verò ſe Iſraëlitæ Ieroboami fuco deceptos primùm dicere poſſunt, atque in eam ſpem veniſſe, vt cuius orationem popularem audiebant, eius vtile experirentur imperium; poſtea tamen quàm regium ſubiêre iugum, potentia & vi coactos id quod exigebatur contuliſſe: Namque eam excuſationem inanem ſtultamque eſſe res ipſa docet, cùm mortuo Ieroboamo atque omni eius familia extincta, integrum illis fuerit, vel ad legitimum regem redire, vel nouum ſibi honeſtis & vtilibus conditionibus inſtituere, vel certè illud nefarium ac maximo ſumptu ſuſceptum idololatriæ ſcelus de medio tollere pœnitentiaque expiare: Iam enim qui deliquerat in Baal, mortuus fuerat, ſed in ea re id quod populus appeteret regem potius peruidiſſe, quàm imperaſſe quod refugeret, ipſa populi voluntas atque ardens poſt extinctum regem ſtudium declarauit, cùm multò turpiora in eo genere flagitia cum maiori ſuarum rerũ detrimento admiſſa porrò fuerint: Nam præter Ieroboami vitulos, alia etiam ſimulachra & ſigna communi ac priuata pecunia à populo poſita & ſacrificia conſtituta nefaria, atque ad eam rem, leges & inſtituta ceremoniæque inuentæ & additæ. ob eam autem rem dicit,

Et nunc addiderunt ad peccandum: feceruntq; ſibi conflatile de argento ſuo: quaſi ſimilitudinem Idolorum, factura artificum totum eſt: his ipſi dicunt, immolate homines vitulos adorantes.

HEBRAICA proprietas nonnihil variat ſic: [*Et nunc addiderunt ad peccandum, fecerunt ſibi ſtatuam ex argento ſuo iuxta prudentiam ſuam, ſimulachra opus artificum totum id: his ipſi dicunt, ſacrificantes hominem vitulos oſculabuntur.*] Hanc lectionem ſi explicabimus, nihil in vulgata interpretatione obſcuri relinquetur. Totius autem orationis ſententia ex ſuperiori argumento manifeſta eſt; ſingula porrò verba ſunt nobis expendenda. *Nunc*, poſtquam Ieroboam mortuus eſt, ipſi ſcelus auxerunt; non modò enim vitulos impiè conflatos non abiecerunt, ſed etiã ſtabilierunt, atque omne id ſuperſtitionis genus nouis additis & conſecratis ſtatuis adauxerunt, poſteriorumque cultuum inuentione priores ſanctos ratosque eſſe voluerunt. [*Et fecerunt ſibi ſtatuam.*] Singularis pro plurali Hebraico more, vt ouem, capram, pro ouibus & Hor.lib.1. Od.4.
capris. & apud Latinos, *flore, terræ quem ferunt ſolutæ*. plures enim ſtatuas feciſſe, & in ſuperioribus, & in hoc verſu dicuntur. *ex argento ſuo.*] vltro factas eſſe ſtatuas docet, cùm dicat, ſuo, vltroque ad eam rem collatam ſuam à ſingulis pecuniam. Argenti nomine apud Hebræos, Chaldæos & Arabes omnem pecuniam totumque diuitiarum genus ſignificari, cuicunque harum linguarum peritia eſt, aſſiduo vſu fit manifeſtum, ſed & Latinè id obſeruatur cùm Horatius de recto diuitiarum vſu illud cantauerit: *Nullus argento color eſt auaris, &c.* Gallicè Horat.lib.2. Od.2.
etiam pro omni nummorum & pecuniæ genere ſolum hoc nomen *argent*, vſurpatur. Ergo voluntatem & peccandi ſtudium declarat, quòd non gratis, ſed pecunia, eaque non aliena, non coacta ſed ſua, neque ab alio quoquam potentiori vel adacti vel adducti, ſed *iuxta prudentiam ſuam*, hoc eſt, proprio ſtudio & cura propria cogitatione ſimulachra facienda populus ipſe Iſraëliticus artificibus locauerit. prudentiam autẽ ſuam non ſolùm ob voluntatem & conſilium poſitum eſt, ſed ob ſignorum & ſimulachrorũ formas habitus & ſitus, quæ à

colentibus & ſacrificantibus effingi ſolebant. Alius enim Iouem ferertium, alius ſeruatorem ponebat; aliis Neptunus tridenti innitens, aliis Phocis & Hippopotamis vectus placebat. Si quis autem orationis & verborum rationem diligenter obſeruet, inſcriptionum profectò characterem & dicendi genus deprehendet, quali huiuſmodi ſtatuæ olim inſcribi ſolebant, quibus ſimul eorum qui conſecrauerant nomina, religio, & ſtudium memoriæ proditum atque poſteritati teſtatum eſſe voluerunt. Huiuſmodi inſcriptionum verba à Vate referuntur, vt ipſorum verborum ſententia peccatum voluntatis Iſraëlitarum arguatur: tametſi verò verba ipſa nonnihil Græcis & Latinis figura diſcrepent, ſententiæ tamen ponderibus æqualia omnino ſunt. idem enim in his Hebraicis ſignificatur: STATVAM EX ARGENTO SVO SECVNDVM PRVDENTIAM SVAM FECERVNT. atque in illis Latinis: STATVAM DE SVA PECVNIA FACIENDAM CVRAVERVNT, quod Latini dicunt, faciendum curauit, id Hebraicè, ex ſua prouidentia facere. Neque commodius aliquod argumentum ad probandum populi in ea re ſtudium & voluntatem produci potuit, quàm ſi ex ipſis inſcriptionibus lapidea aut ænea baſi inciſis, verba propria referrentur. Sunt autē loci ex quibus arguit Vates à deſtinatis, à ſequentibus ſignis, à ſcripto, & ſententia. O Deum immortalem, quanta eruditione, quanta ſapientia, quibus argumentorum neruis, quibus eloquentiæ luminibus omnia tractantur, quæcunque ad noſtram vtilitatem ſcripta ſunt! Igitur argenti expenſæ, inſcriptionesq́. ipſæ rem conſilio & voluntate factam teſtantur, & peccatum manifeſtè arguunt, quod tantò grauius eſſe conſtabit, quantò plura in hoc genere fuerunt deprehenſa. propterea addit *Simulachra*: plura non vnum tantum ſimulachrum: Quanquam autem magna argenti atque auri vis in ſignorum materia conſumebatur, non minor tamen impenſa in opus ipſum atque ſculptorum artem fiebat. Namque ad eam rem maximi deligebantur artifices, quos non niſi maximo pretio conducere contigit: creſcebat enim ſimulachrorum maieſtas & diuinitas ex artificum opinione & fama, vt Myronis hoc, illud Phidiæ, Parhaſij illud opus
Sap. 14. eſſet, ſicut ſcriptum eſt: Prouexit autem ad horum culturam & hos qui ignorabant, artifi-
» cis eximia diligentia: Ille autem volens plus placere ei, qui ſe aſſumpſit, elaborauit arte ſua.
» vt ſimilitudinem in melius figuraret, quanto demum pretio huiuſmodi artificia conſtarēt,
Cic. in Ver. act. 6. vnum ſat nobis erit ex ipſis gentibus teſtimonium recitare: audiamus Tullium. Veruntamen à vobis arbitror ſpectari oportere, quanti hæc eorum iudicio qui ſtudioſi harum rerum ſunt æſtimentur, quanti vænire ſolent: in auctione ſignum æneum non magnum HS CXX. millibus vænire non vidimus? Simulachrorum igitur ingens multitudo maximum ipſorum flagitium arguit, qui à proprio rege ob ſumptus ad regem non minus ſumptuoſum defecerint, atque eo mortuo plura ſibi ſimulachra cum maximis etiam impenſis & in materia & in opere conſumendis addiderint, operibus non ſolum ſuperuacuis, ſed etiam turpiſſimis & impiis, quorū ratio non ſine magno etiam rerū ſuarum intertrimento retineri poterat. Quod autem addit: [*Opus artificum totum illud*,] ad id pertinet quod illis Salomonis diebus res ſuas, publicam & priuatam pecuniam in operibus faciundis, & in artificibus alendis conſumi querebantur, & opus illud quo vrbis ſuperior pars inferiori coæquata eſt, melo appellabant, quod impletionem ſignificat, atque alio modo acceptum vox eſt ſuperuacuum aliquid accuſantis ac indicantis; quod verti ad verbum poteſt, *Quid id?* eſt itaque argumentum ex ſimili dicto ad ſimile dictum. exornationes autem in verbis ſunt, quæ eſocolon & homioptoton dicuntur. id eſt, per membrum & ſimilis verborum cadentia. MELO, ſignificat, quid id: huic aliam vocē noſter Vates opponit COVLO totidem ſyllabis atque eadem deſinentia dictum; quod verti poteſt: *totum id.* fuerat autem populi & Ieroboami dum Salomonis ſtructuras improbarent, illa vox prouerbialiter vſurpata, præter artificum & fabrorum alimenta & paſtus Melo? *quid id?* ad hoc Deus reſpondet, & in veſtris ſimulachris num minora damna; num minus graues ſumptus ſunt, num hæc impenſæ alij cuique præterquam artificibus vtiles ſunt? atqui opus artificū. *coulo*, totum id. [*His ſacrificantes hominum vitulos oſculabuntur.*] vt qui inſtitutum à Ieroboamo vitulorum cultum auguſtiſſimum eſſe, & maximum velint, eosq́ue inter Deos ſuos præſtantiſſimos definiant, quibus etiam illud gratiſſimum eſſe confirment, ſi cæteris etiam ſimulachris honores diuini decernantur. *Sacrificantes hominum*, hoc eſt quicunq. hominum his rem diuinam fecerint, perinde vitulis grati erunt, ac ſi oſcula figerent; quod genus in antiquis deorum obſequiis numerabatur. vnde & Herculis ſimulachro æneo rictus & mentū pau-
Cic. in Verr. act. 6. lò attritius fuiſſe, Tul. Cicero ait, quòd in precibus & gratulationibus non ſolùm id venerari, ſed etiam oſculari deberent. Verùm enimuero omnia hæc impetu magis & libidine, quàm prudenti conſilio acta ab Iſraëlitis ſunt; qui dum rebus ſuis conſulere ſe dicerent, minimè conſulebant: Nam & hæc maxima rerum profuſio & dilapidatio erat, atque hæc quidem

quidem re Deum bonorum ſuorum vnicum auctorem & præſidium iratum magis indies irritauerant. Quamobrem quis ſit expectandus exitus prædicit: nimirum illos illorumq́ue res, opes, dignitatem, conatus & conſilia omnia in fumum atque in ſummam inanitatem eſſe vertenda.

Iccirco erunt quaſi nubes matutina & ſicut ros matutinus præteriens, & ſicut puluis turbine raptus ex area, & ſicut fumus de fumario.

ILLOS cum facilitate ſua ſubitò & citò perituros his ſimilitudinibus docet: namq. nubes matutina, quæ noctu vaporibus coaluit, ſolis orientis radiis facilè diſſipatur. Nec verò ros manè pertranſiens diuturnior multo eſt, vtpote qui à noctis frigiditate ortus, ſimilem cum nube materiam habet: & ab eadem etiam cauſa facilè abſumitur: nam qui tota nocte deſcendit ros terræ ſuperficiem nonnihil humectat, atque herbis & paſtionibus ſuccum, vnde alantur aliquantulum ſuggerit, *Et quantum longis carpunt armenta diebus Exigua tantum gelidus ros nocte reponit.* qui verò ſub auroræ aduentum decidit antequam plantis aut terræ incumbat præſente ſole conſumitur. quamobrem eadem hæc ſimilitudo ad eandem euaneſcendi celeritatem exprimendam bis à vate noſtro vſurpata eſt, vt ſuperius: Quia miſericordia veſtra vt nubes matutina, & ſicut ros manè pertranſiens. [*Et ſicut puluis turbine raptus ex area:*] Quiſquilias illas & ramenta ſignificat, quæ paleis ventilatis diſſipantur. Hiſpani *tamo* nominant; quas ſi violentior venti aut turbinis vis impulerit, longè latéque diſſipat. ſimilis omnino fumi è fumario erumpentis diſiectio eſt. ſingula autem ſimilitudinum membra & ſui contemplatione, & rei cui apponuntur imagine propriam ad conſiderandum cauſam habent: Namque nubes matutina & ros eodem ipſo in loco, eodem ſpacio vbi decidunt, ſola caloris vi pereunt; quiſquiliis verò ventorum impetu actis area ipſa, quæ prius referta erat, purgatur; & circumiacentia loca, nonnunquam etiam & remota ſordeſcunt. Sed & fumi denſiſſima nubes, quam foci feneſtræ euomunt, in altum tolli atque inde longè latéque diſiici ſolet. Similes autem omnino exitus Iſraëlitarum res habituras eſſe, & ipſa ſimilitudinũ ratio ſignificauerant, & euentus docuit. Namque ex iis alij cum omnibus bonis fortuniſq́ue ſuis in ſuis locis & vrbibus vel fame, vel peſte, vel bello, perierunt: alij in captiuitatem abducti per Syriam, Armeniam, Mediam & finitimas gentes diſperſi ſunt; magnæ præterea illorum turbæ in vltimos vſque terrarum orbis fines exulauerunt. Vt autem rerum cognitionis & antiquitatis ſtudioſis, aliqua etiam parte inſeruiamus, illud admonendum duximus, vbi de fumo mentio fit, Hebraicè eſſe [*Et ſicut fumus de feneſtra.*] Ex quo loco intelligimus caminorum vſum, quo fumus ex focis liberè prodiret, Hebræis olim fuiſſe; quorum & vſus & nomen apud Græcos & Latinos auctores à noſtri temporis architectis deſideratur. erant autem illis tales extra tectũ aut muros formæ, quales columbarum in turribus feneſtra, & quales aquæ ductuum cataractæ; namque idem nomen *aruba* columbariam feneſtram, cataractam, & camini ora ſignificat. Igitur ſimiles omnino Iſraëlitis expectari oportuit euentus, nimirum quibus maximus ſuarum rerum abuſus fuerat, & maxima à Deo bonorum omnium parente ac fonte abalienatio; à quo quicunq. remotus eſt, nullis bonis, nulli omnino ſaluti affinis eſſe valet. ſicut ſcriptum eſt: Sine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. Eius rei cauſa ait:

Ariſt. 3. Met. — Virg. Geor. 2 — Sup. c. 6. — ארבה — Ioan. 1.

Ego autem Dominus Deus tuus de terra Aegypti, & Deum abſque me neſcies: & ſaluator non eſt præter me.

PRIMVM illud crimini tibi fuit, quòd compendij cauſa regem tuum abieceris, iam legitimum, iam regni & regiæ familiæ hæredem. Deinde quòd maiora rerum tuarum feceris diſpẽdia, demum quòd ſi maximè anguſtæ & miſeræ tibi res ſub illis regibus fuiſſent, ſalus à me vno & remedia erant quærenda; quem ſalutis vnicum auctorem iam inde, ex quo ab Ægypto eductus es, fueras expertus: Tu tamen contrà me contempto & deſpecto, aliorum deorum auxiliis & tuis legibus atque conſiliis tibi prouidendum putaſti, idq́ue vaniſſimè; namque eo præditus ingenio es, vt nunquam tibi rectè conſulere poſſis; Iam diu eſt quòd neque me in aduerſis rebus petere, neque in ſecundis agnoſcere conſueuiſti: Cùm in ſolitudine ageres, me quanquam illius maximæ libertatis vnicum auctorem tantis ſignis teſtatum & cognitum; ſi quid tamen tibi minus ex ſententia, vel paulum accidiſſet, me inquam meoſq́ue miniſtros probris & detractionibus proſequebaris: vbi verò tibi bene & pro votis erat, tum verò tui meiq́ue maximè nulla memoria, nulla habebatur ratio, ſed perinde me curabas, quaſi vel tibi nullus, vel tui fuiſſem negligentiſſimus.

Ego noui te in deſerto, in terra ſolitudinis.

VBI animum mentemq́ue tuam non vno tantum periculo perſpexi, vbi vel leui ſiti & vniuſdiei fame, vel faſtidio, contra Dominum & contra Moſem murmurabas.

Exod. 33. *Iuxta paſcua ſua impleti ſunt & ſaturati ſunt, & eleuauerunt cor ſuum & obliti ſunt mei.*

» SICVT ſcriptum:Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Igitur neque tibi nouum aut inſuetum,neque mihi mirandum aut diſſimulandum eſt,quòd antiquum tuum morem & exemplum,quo iam inde à principio vixeris,nunc retineas & reuo-

Deut. 32. ces:namque benè prophetauerat de vobis Moſes dicens:Impinguatus eſt dilectus & recal-
» citrauit,incraſſatus,impinguatus & dilatatus dereliquit Deum factorem ſuum,& receſſit à
» Deo ſalutari ſuo,&c.ipſi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus,& ego prouocabo il-
» los in eo qui non eſt populus, quia ignis ſuccenſus eſt in furore meo, &c. Æquiſſimum ergo fuerit,ſi eos qui me in aduerſis rebus negligunt,in ſecundis deſpiciūt & produnt, vindici ipſe proſequar animo; & in hoſtium manus traditos modis omnibus infeſtem.

Et ego ero eis quaſi leæna & ſicut pardus in via Aſſyriorum.

TRADENDOS illos in hoſtium poteſtatem & ſuo ſtudio & inuentis perdendos ait: quemadmodum enim leæna & pardus iter facientibus hominibus ſecundū vias inſidiantur,ſic ex eorum inſtitutis, viis, & rationibus pericula illis creanda diuina ſapientia & iuſtitia decreuit. *In via Aſſyriorum.* Hebraicè eſt,in via inſidiabor.

Occurram eis quaſi vrſa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum, & conſumam eos quaſi leo, beſtia agri ſcindet eos.

VRSA fera eſt magis viribus valens,quàm ſæuitia nocens;fugit enim hominis conſpectum,& vocem in ſiluis formidat,nec niſi vel coacta & incluſa,vel laceſſita nocet:nullo verò tempore magis ſæuit,quàm cùm venatorum aut paſtorum induſtria catellis orbata eſt. Namque dolor viribus & fortitudini ſtimulos addit,quamobrē non ſine maximo illi tunc

Ariſt. in problem. occurritur periculo. hoc autem feminæ præcipuè propriū eſt,quarum natura non minus fera ad ægritudinem perferendam eſt impotens. Transfertur verò ſimilitudo hæc ad fortiſſimum quemque, ſed non tam animi natura & ingenio, quàm grauiſſimæ iniuriæ dolore ferocem;his enim tardius incenſa ira difficilius extinguitur, & non niſi multa vltione ſedatur.quamobrem eadem à Chuſai in illa Abſalonis deliberatione vſurpata ſimilitudo

1. Sam. 17. eſt.Tu noſti patrem tuum,inquit, & eos qui cùm illo ſunt, viros eſſe fortiſſimos & amaro animo,veluti ſi vrſa raptis catulis in ſaltu ſæuiat.Cauſam autem quamobrem catulorū deſiderium hoc animal præ cæteris impotentius ferat, vel apud alios auctores legere continget,& vel à nobis,ſi Deus id etiam annuerit,aliàs expectare licebit. Atque huiuſmodi naturam ſeſe imitaturum Deus prædicit, vt quò magis inuitus atque grauioribus offenſionibus ad nocendum fuerit irritatus,eò magis horribilem & diutumorem edat ſtragem. [*Et dirumpam interiora iecoris eorum*, Hebraicè, *& abſcindam clauſuram cordis eorum:*] vt ſęuiſſimæ feræ raptæ animantis pectus vſq.ad præcordia diffindere,& cor ipſum primū deuorare ſolent,ſic iſtorum cordis penetralia aperienda curabo,quo turpiſſima & impiiſſima conſilia excogitari & celari conſueuerant.atque hac ſimilitudine nihil Deum latere poſſe docemur, qui corda,renes,atque præcordia omnia rimatur. [*& comedam eos ibi quaſi leo, beſtia agri ſcindet eos:*] Non ſolùm aliena manu,ſed ſua etiam Deus ad vltionem vtitur: Etenim quibus grauiſſimè infenſus eſt,iis corporis atque animi pœnas decernere, etiam in hac vita ſolet: ſed à corpore pœnas per miniſtros exercitusque ſuos ſumit per famem,peſtem,gladium,ac bellum; animorum autem cùm nulla eis poteſtas eſſe poſſit, vltionem & ſupplicium ipſe ſibi vendicat,ipſe ſumit;namque grauiſſimis & moleſtiſſimis cogitationibus immiſſis cor exedit,& perpetua criminatione, terrore ac dolore conſumit. cuius rei teſtis vnus nobis Cain eſſe potuit,quem exagitatæ conſcientiæ tumultus perpetuò incertum, vagum atque inſtabilem habuit,cogitationibus inter ſe inuicem accuſantibus.

Iuue. ſat. 13.
Pœna tamen vehemens, ac multo ſæuior illis,
Quas & Ceditius grauis inuenit, aut Rhadamantus,
Nocte dieq; ſuum geſtare in pectore teſtem.

Hanc adeò vltionis partem ſibi diuina vendicat vis, corpori autem cruciatus & tormenta per alios quibus id aut mandatum aut permiſſum eſt,adhibet. atque vtramque hanc rem hoc hemiſtichio ſignificauit: [*& comedam eos ibi in corde cordisq; clauſura quaſi leo:*] Qui cor potiſſimùm petere ſanguinemque qui circum præcordia diffunditur, exugere conſueuit; cæteras verò corporis partes lupis, canibus,vulpibus,atque aliis feris lacerandas relinquere. Igitur ego corda illorum abſumam;reliquum verò, *beſtia agri ſcindet eos*, namque hoſtibus immaniſſimis cædendi, trahendi,abducendique tradentur;atque hæc omnia partim ſimplici,partim figurata atq.tranſlata oratione dicuntur,vt illa in execrationibus & minis dicta ſunt. Et mittam in vos beſtias

Leuit. 26. agri,quæ conſument vos & pecora veſtra:& ad paucitatem cuncta redigam;& deſertæ viæ veſtræ fient. Ex his autem illud colligitur,Iſraëlem nunquam bene, ſemper malè ſibi conſuluiſſe,

ſuluiſſe, Deumque ſolum eſſe, qui ſemper illis quàm optimè conſultum eſſe voluerit & curauerit, atque præſtare potuerit; eoſque ſtultiſſimos quos propria temeritas à diuina tutela auxilioque experendo ad alia conſilia rraduxerit: namque Deo non propitio nihil boni, irato atque infenſo plurimum omnino mali ſibi promittere, atque expectare neceſſe fuerat. Hanc adeò concluſionem huiuſmodi epiphonémate colligit Deus:

Perditio tua Iſraël: tantummodo in me auxilium tuum:

HEBRAICE, *Corruptio tua Iſrael.* nam ſi à principio conſilia omnia, conatus, actionesque tuas animo ac mente recolas, inuenies profectò maximarum calamitatum & miſeriarum totiusque infelicitatis te fuiſſe tibi auctorem: rurſus verò, ſi mearum erga te rerum geſtarum monimenta repetere memoria voles, vnicum & certiſſimum tibi in afflictis rebus ſubſidium, in obrutis & perditis remedium, in recuperatis præſidium, vnicum denique ſalutis perfugium, me tibi ſemper fuiſſe comperies. Hoc eſt quod ait: *modò in me auxilium tuum.*

Vbi eſt rex tuus? maximè nunc ſaluet te in omnibus vrbibus tuis, & iudices tui de quibus dixiſti: Da mihi regem & principes. Dabo tibi regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.

CONFIRMATIO ſuperiorum eſt cum amplificatione: Eſt enim duplex in propoſitione membrum, alterum Iſraëlem ſemper ſibi malè conſuluiſſe, alterū verò ſolum Deum benè illis ſemper proſpexiſſe. prior pars iam probata ex ſuperioribus eſt; poſterior porrò ſuperioris etiam confirmatione probatur: namq. nō ſolùm ſibi Iſraëlitas nō rectè vnquam conſuluiſſe, ſed neq. alios qui conſulerent, perſpexiſſe aut commodè optaſſe confirmat, ita quocunque modo curam ſui aut ipſi ſuſtinuerint, aut alij præterquam Deo ſuſcipiendam commendauerint, vehementer opinione ſpeque falſi ſunt. Nam cùm ob violatam religionem, atque ob negligenter præſtitam pietatem malè ſecum olim ageretur, non placati Dei auxilio, ſed propria opera & conſilio ſaluti rebusq. ſuis ſuccurrere voluerunt. Id cùm minus ſucceſſiſſet, aliam parum etiam vtilem cogitationem ambitioſè magis quàm ſapienter ſuſcepēre; neque enim reuerſis Deum ſuum repetere & reuocare conſilium fuit, ſed abiicere omnino, humanumque regem, qui Deo ſuccederet, poſtulare. Congregati ergo vniuerſi maiores natu Iſraël venerunt ad Samuelem in Ramatha, dixeruntque ei: Ecce tu ſenuiſti 1. Sam. 7.
" & filij tui non ambulant in viis tuis, conſtitue nobis regem vt iudicet nos, ſicut & vniuerſæ
" habent nationes. Hoc etiam illis vitio & culpæ datur, quòd regem & principes ſibi poſtulauerint, quos maiorum etiam turbarum grauiorumque ſumptuum auctores experti ſunt. Nam poſtquam Saul regno inauguratus eſt, plurima tributa, impenſæ, ſeditiones, odia, diſſidia, ciuilia bella, innumera denique mala atque damna addita illis ſunt: & quoniam exterorum bellorum cauſa ſibi regem optaſſe dixerunt, neque melioris aut felicioris conditionis in exteris bellis fuēre, nónne exiguo tempore quo Saul regnauit, ſuas res domeſticis malis vexatas & externis multò etiā magis quàm antea protritas fuiſſe ſenſerunt? nónne tandem regis ipſius exitus cum maxima ſuorum ſtrage ſuffragij & deſiderij temeritatem & ſtultitiam illis declarauit? huius igitur rei cauſa ait: *Vbi eſt rex tuus*, vbi iſta regis tui geſta, vbi non modò vlla per regem imperij propagatio, ſed vel rerum & fortunarum tuarum tutela, aut ſalus vlla fuit? nónne domeſticæ & bellicæ adminiſtrationis cauſa regem vobis petieratis, nónne illa communis omnium vox fuit: Rex erit ſuper nos, & erimus nos 1. Reg. 8.
" quoque ſicut omnes gentes, & iudicabit nos rex noſter, & egredietur ante nos & pugna-
" bit bella noſtra pro nobis: quæ ergo iſta poſt acceptum regem aut publicarum aut priuatarum pacis aut belli egregia commoditas eſt? quam vobis ſalutem attulit tanta regis & iudicum copia, qui ex veſtra vobis ſententia contigerant? *Saluet te in omnibus vrbibus tuis.*] proferte, inquit, vnum aliquod mihi, aut publicum in toto regno, aut priuatū in aliqua vrbium veſtrarum egregiæ ſalutis atque vtilitatis exemplum? quippe hoc ſibi promittebat & perſuaſum habere videbatur illa communis omnium ſententia & publica vox: *Da mihi regem & principes.*] Hæc omnia inſultando dicta à Deo ſunt; eſt enim vſus grauiſſima illa dicendi exornatione, quam ſarcaſmon nominant: Namq. interrogatio idonea ad inſultationem eſt, vt quid habet illius illius, &c. Mimeſis etiam figuræ cōmodus in exprobrationibus eſt vſus. [*Dabo tibi regem in furore meo.*] quamquā res præterita iam facta ſit, tamen futuro tempore ideò enuntiatur, quòd inductione figura vſus ſit auctor, in qua res & negotia ad ſuum ſtatum cogitatione referuntur; qui enim volunt vel culpam, vel alienam ſtultitiam exprobrare, rem ipſam & perſonarum habitum ante oculos ponunt, vt inde melius totum negotium percipiatur. Itaque poſt Mimeſim da mihi, da mihi, aptè collocatur inductio: *Dabo tibi*, ac ſi diceret: cùm tu à me meoque propheta temerariè & tumultuoſè regem efflagitares, neque admonitus ineptam remitteres contentionem, inuitus atque iratus magis quàm lubens illud dixi: *Dabo tibi regem in furore meo.*] Etenim ſic Samueli dixerat Deus: Horat. lib. 3. Od. 1. Sam. 9.

Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi; non enim te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. quoniam verò non exorato, ſed irato Deo rex illis ex ſententia contigerat, eius incommodiſſimiq; commoditatis breuiſſimus vſus fore prædicitur: Nam quod quis inuitus dat, idem breui indignatus rurſus auferre ſolet. velut ſi pater filio ob improbitatem & importunitatem id quod minimè expedire intellexerat & prædixerat, tamen concedat, vbi inutilem eius vſum aliquantiſper permiſerit, tolerare tamen diutius non poteſt, quin iratus tandem caſtigatione etiam addita auferat: ita à Deo rex Iſraëlitis in furore datus, in indignatione ſublatus eſt. Vtraque autem res teſtimonio non caruit furoris diuini; namque in concedendo rege teſtes fuerunt voces, tonitrua, & pluuiæ in media æſtate ſereniſſimo
1.Sam.12. die ad prophetæ vocem repentè immiſſæ; ita vt populus maximo terrore commotus Samuelem rogauerit: Ora pro ſeruis tuis ad Dominum Deum tuum ne moriamur: addidi-
„ mus enim peccatis noſtris malum hoc vt peteremus nobis regem. Indignationis verò in
1.Sam.13. auferendo argumentum fuit ipſe regis exitus cum grauiſſima etiam populi calamitate &
„ pernicie, ſicut ſcriptum eſt: Videntes autem filij Iſraël, qui erant trans vallem & trans
„ Iordanem, quòd fugiſſent viri Iſraëlitæ, & quòd mortuus eſſet Saul, & tres filij eius, reliquerunt ciuitates ſuas, & fugerunt; tantùm abfuit, vt à rege & principibus defenderentur. Manifeſtum itaq. ex his omnibus rebus eſt, ſtultè & temerariè ſemper Iſraëlitas egiſſe, qui neque ſibi proſpicerent; neque quomodo proſpiciendum eſſet vnquam intelligerent.

Colligata eſt iniquitas Ephraim, abſconditum peccatum eius. Dolores parturientis venient ei, ipſe filius non ſapiens: nunc enim non ſtabit in contritione filiorum.

PERTINAX Ephraitarum ſtultitia atque improbitas notatur, qui tantis teſtimoniis & argumentis conuicti, tamen iniquitatem ſceluſque ſuum occultare, atque diſſimulare contendant: Nam cùm toties iam inde ab antiquo in maximis ſceleribus & flagitiis deprehenſus Iſraël, & redargutus fuerit; tamen in omni periculo ſe ſui ſimilē ſemper præbuit, ſemper eadem conſilia & ſtudia ſecutus, ſemper eandem proteruitatem, eandem audaciam, eandem ſtultitiam, perfidiam retinuit & tractauit. neque vnquam niſi maximis malis tortus culpam ſuam profeſſus gloriam Deo dedit. hoc exemplum ſecutus Ephraim tantorum
Supr.12. flagitiorum culpā occultare hactenus & diſſimulare, imò & negare ſtuduit. Dixerat enim: Cuncti labores mei non inuenient mihi iniquitatem quam peccaui: ſed tamen futurum eſſe prædicit vt malis & ærumnis preſſus iniquitatem ſuam vel inuitus confiteatur, atque id ſcelus, quod tanto ſtudio ſuppreſſum & impudentia negatum eſt, tandem in lucem prodatur; vt ſtultis puellis accidere aliquando ſolet, quæ cùm in paterna domo vitiatæ vterum gerant, reprehenſæ à patre, aut ab iis quibus curæ ſunt, id tamen pernegant, & iuramento addito, & diris atque imprecationibus etiā in ſe, imò conuitiis in eos qui admonent, vtuntur. at verò dies facinus prodit, & alienis etiam deregit: ita dum famæ ineptè tacendo proſpiciunt, eidem maiori pudicitiæ diſpendio officiunt: non ſecus Ephraim qui peccatum ſuum occultare ſtuduerat tum cùm fateri conſultius eſſet, imò cùm minus fuiſſet ignominioſum illi indicare, qui ignoſcere & reſtaurare poſſet, aduentante calamitate inimicis profitebuntur, ob propria facinora illos in has coniectos eſſe ærumnas, quo facto apud eos ſuam ignominiam teſtabuntur: vtpote qui doloris partuſque impatientia gloriam Deo dederint. [*Nunc enim non ſtabit in contritione.*] non perferet neque diſſimulabit dolorem.

De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ô mors, & morſus tuus ô inferne, conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis.

ADHUC in propoſito ſuſceptoque argumento perſeuerat Deus, oſtenditque Iſraëlitas nullam rationem aut viam vnquam ad ſuam felicitatem tentaſſe, quin laborioſam inutilemque defenderint, nullam etiam eſſe experturos quæ ſuccedat; atque in omnibus illorum conſiliis & cœptis maxima latere pericula, ac funditus eos perditum iri, niſi perpetuò Deo curæ foret, quemadmodum illorum res aut caſuræ retinerentur, aut iam labefactatæ reſtituerentur: namque toties antè à miſeriis & ſpontaneo caſu reuocati nunquam cauere didicerunt, quouſque omni felicitate deiecti in ſummo mortis, doloris & inferni periculo conſtituti ſunt, vbi ſolùm doloris impotentia, clamorem & eiulationem, nihil præterea aut conſilij, aut facultatis, quo ſibi opem ſalutemque ferre poſſent, habuere, ſed ad antiquæ illius Ægyptiacæ ſeruitutis imaginem maiori ærumna preſſi, ſeruatorem aliquem denuò deſiderent, qui propria miſericordia & virtute reſtituendi curam ſubeat. Verum enimuerò ſeruator nemo alius eſſe præter Deum poteſt, (ſolius namque Dei munus id eſt) qui quamuis diu offenſus & indigniſſimè laceſſitus, tamen prius impietates illorum, quibus

obnoxij erant,quàm propriæ naturæ & miſericordiæ obliuiſcetur, eosque à morte & in-
ferno liberabit,ſicut ſcriptum eſt: Ego ſum,ego ſum,qui deleo iniquitates tuas propter me. Iſaiæ.
Hæc horum verſuum ſententia eſt. *De manu mortis liberabo eos.*] Hebraicè *de manu inferni*. cùm "
enim illi propria culpa ſeſe morti & inferno addixerint, neque aut ſpem aut rationẽ vllam "
ſalutis ſuo conſilio aut virtute inuenirent,hoc munus & negotium mihi vni ſuſcipiendum
& tranſigendum eſt;atque ratio quædam & via eſt munienda,vt morte & inferno ſupera-
tis,expugnatis & expoliatis,nationes aliæ & etiam Iſraëlitæ ad ſalutem atque ad vitam re-
uocentur. Hoc autem illis gratiæ munere continget; vbi enim abundabit delictum, abun- Epheſ.
dabit & gratia; quoniam cùm eſſemus filij iræ, Deus autem qui diues eſt in miſericordia, "
propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos,& cùm eſſemus mortui peccatis,conui- "
uificauit nos in Chriſto,cuius gratia(ait Apoſtolus)ſaluati eſtis. Huius gratiæ & ſalutis lar- "
gitione Iſraëlitas etiam aliquando vſuros,& in hoc & in aliis locis vates prædixerũt. [*Ero
mors tua ô mors, & morſus tuus ô inferne.*] Cauſam non nobis,ſed ſibiipſi cum morte & cum in-
ferno agendam eſſe Deus confirmat: Nemo enim hominum eſſe poſſet,qui aut ſe,aut alios
mortis & inferni ore & faucibus eriperet, niſi Deus ipſe filius veniret & ſaluaret nos, &
mortem morte extingueret,ac de peccato damnaret peccatum, vt eriperet nos qui per to-
tam vitam obnoxij eramus ſeruituti. Sed hunc locum ſignificantius magiſque ad verbum
diuus Paulus ſic vertit: Abſorpta eſt mors in victoria; vbi eſt mors victoria tua? Vbi eſt
mors ſtimulus tuus? atque hæc quidem verſio cauſam omnem & iudicium morti & infer-
no eripit, vbi iuſtitiæ rationem,atque ius vni Deo tribuit,qui in illa expeditione quã com-
pleturus erat in Ieruſalem peccato de medio ſublato victoriam de hoſtibus erat reporta-
turus triumphans,nos palam in ſemetipſo & expolians principatus & poteſtates, ita vt vi-
ctrici morti omnis victoria è manibus erepta ſit,omniaque arma detracta: nam peccato ex- Matth.6.
piato,& peccati corpore deleto atque extincto,nullum telum,nullus eſt morti ſtimulus re- 1.Cor.15.
lictus. Stimulus autem mortis peccatum eſt. Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam "
per Ieſum Chriſtum Dominũ noſtrum Interrogationes autem, *vbi vbi*, ad ſarcaſmon perti-
nent,atque ad eam orationem,qua victi à victoribus cõpellari ſolent, aut ab aliis qui ſubi-
tum & grauiſſimum eorum qui victi ſunt caſum admiratione excipiunt; vt, Vbi eſt Deus Iſa.36.
Emath & Arphat,vbi eſt Deus Sepharuaim?& quoniam hæc voluntas, hoc diuinæ miſe-
ricordiæ conſilium immutabile, omnino hac in re fuit; perpetuum etiam porrò fore dici-
tur,neque metuendum eſſe,vt conſilij huius Deum vnquam pœniteat. Qui conſtantia ſua
quod ſemel hoc in genere propoſuerit perficiendũ omnino recipit,ob eam rem ait: *Con-
ſolatio abſcondita eſt ab oculis meis*. Hebraicè eſt: *& pœnitudo abſcondita eſt, &c.*] Eſt enim idem ver-
bum quod in illo loco Exodi: Et pœnituit Dominum ne faceret malum,quod locutus erat Exod.32.
ad populum ſuum. Nunquam ergo maximum hoc conſilium Iſraëliticæ ſalutis ſibi abii-
ciendum eſſe,quoniam,vt Apoſtolus ait,ſine pœnitentia ſunt dona Dei & vocationes. To- Rom 11.
tius igitur lectionis huius hæc ſententia fuit,Iſraëlitas ſemper ſibi exitium & calamitatem
fuiſſe molitos. De illis autem tuendis & ſeruandis ſolum Deum perpetua cura & ſollicitu-
dine tangi, interim tamen Ephraitas præſentis temeritatis pœnas daturos, vt propriis tan-
dem malis eruditi, quàm vtiles ipſi ſibi fuerint, iam aliquando intelligant.

Quia ipſe inter fratres diuidet, adducet vrentem ventum Dominus de deſerto aſcendentem: & ſiccabit venas eius, & deſolabit fontem eius: & ipſe diripiet theſaurum, omnis vaſis deſiderabilis.

[*Quia ipſe inter fratres diuidet:*] Ephraim nomen habuit à PARA verbo, quod diuidere & multiplicare ſignificat,eſtque proprium vel arborum ramorum brachia producentiũ, vel fontium etiam multiplici riuulo diductorum. Vtriuſque autem tranſlationis ſimilitudinibus huic tribui ſortes olim fuerant datæ, ſicut ſcriptum eſt: Filius accreſcens, filius accreſcens,& eximius fons. & de Ephraim Ioſeph filio ſic prædictum fuerat: Frater eius minor maior erit illo, & ſemen illius creſcet in gentes. Hæc familiæ Ioſephi, hæc Ephraitarum accretio, hæc maxima propagatio & ramorum riuorumque diductio fuit, qua ipſi tamen abuſi cùm fuerint,vt aliquando priuarentur, meruêre; namque dum ipſis cum fratribus ſuis Iuda Beniamin,& cæteris animorum & ſtudiorum conſenſio concordiaq́. eſſet, tum magna etiam & ramorum & rerum fuit felicitas; vbi verò ſeditio & diſcordia ambitioſè concitata eſt, omnis felicitatis detrimentum ſuo merito eſt conſecutum. Quia ergo ipſe ſuperbia & ambitione elatus inter fratres ſuos diuortium fecerat, quos confirmata potius concordia ſeruare & propagare oportuerat: *Ideò adducet Dominus ventum vrentem,*] Regem Aſſur in ſpiritu furoris ſui. Hac verò venti tranſlatione propterea vſus eſt, quòd fontis & arborum allegoriam antè vſurpauiſſet; vt autem felicitatem & propagationẽ illis nominibus & imaginibus expreſſerat, ſic calamitatem & diſſipationem Subſolani venti,

quem propriè Hebraicè nominat, appellatione indicauit. Quoniam Subſolanus ventus, vt iam ex ſuperioribus edocti fuimus, eiuſmodi ſtragem in ſatis, arboribus & fontibus edere
Exod.14. ſoleat, ſicut ſcriptum eſt: Flante vento ſubſolano & vrente tota nocte qui vertit in ſiccum, &c. Naturæ verò ratio ac rerum œconomia obſeruatur in eo quod dicitur, *de deſerto.* Nam venti in ſolitudinibus vehementer aſſidueque verſantur & ſæuiunt. Tota autem hæc allegoria ad hiſtoriam pertinet: Etenim Aſſyrij per quos calamitatem Deus Iſraëlitis moliebatur & ſtruebat, his regionibus oriuntur: inter Iſraëlis autem & Aſſyriorum vrbes magna
Cambhi in hunc locum vaſtitas & ſolitudo eſſe dicitur. At huius venti auctor & excitator Deus fore prædicitur, ne videlicet caſu, ſed ſummo conſilio res geri exiſtimetur, & ita in ipſius rei euentu ſcriptum eſt: Er excitauit Dominus Deus Iſraël ſpiritum Phul regis Aſſyriorum & ſpiritum
2.Parali.5. 2.Reg.15. Theglath Phalneſſer regis Aſſur. & de Regis Menahem temporibus ſcriptum eſt: Venit
Ibid. Phul contra Iſraël. ſub Phacea verò venit Theglath Phalneſſer rex Aſſur. Tandem ſub
2.Reg.17. & 18. Hoſſea Elæ filio: Aſcendit Salmaſar rex Aſſur, & obſedit Samariam, &c. Hi autem omnes Iſraëliticæ ruinæ auctores fuêre, atque hoc modo exſiccatæ venæ, & fontis vbertas exhauſta eſt, omniſque ramorum & fructuum copia ac pulchritudo defecit; non enim ſolùm tribus omnes abductæ, diductæ, ac diſſipatæ fuerunt, ſed omnes etiã opes & theſauri direpti, & ipſe ventus, inquit, diripiet *theſaurum omnis vaſis deſiderabilis.*] Vaſis nomine inſtrumentum omne omniſque ſupellex Hebraicè ſignificatur. Sic bellica, muſica, & ruſtica vaſa dicuntur. ita omnibus opibus & diuitiis quibus delectabatur, quibus ſe ſemper vſurum iacta-
Sup.12. » bat, erit Ephraim ſpoliandus. dixerat enim: Veruntamen diues effectus ſum, inueni facultates mihi, &c.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

PEREAT *Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum ſuum; in gladio pereant, paruuli eorum eliſdantur, & fœtæ eius diſcindantur.*

HIC verſus cum ſuperiori ſententia cohærens continuusq; eſt, quo in verſu vehementiſſima Dei erga ſcelerum auctores & duces indignatio oſtenditur, quos non pari cum cæteris ſupplicio, ſed multò etiam grauiori afficiendos pronuntiet. Atque in hoc quidem loco poſtquam ſuæ Iſraëlitis atque Ephraitis pœnæ & calamitates fuerant decretæ, grauiſſima & acerbiſſima in Samariam ſententia pronunciatur, quæ cùm Iſraëlitarũ regum regia eſſet, totius impietatis caput & fons fuerat, quòd illius auctoritate & conſilio idolorum cultus inſtitutus, conſeruatuſque fuit. Atq. hæc in qua huiuſmodi pronuntiatur ſententia acerbitatis & doloris pleniſſima oratio, caput ipſum tantorum malorum petit, & diris atque imprecationibus excipit: Dolet enim vehementer Deus quòd Samaria & ſibi ipſi & omnibus decem tribubus ſummo ſtudio & conſtantia tantum malum ſeminarit & fouerit. quemadmodum autem in culparum & pœnarum ſocietate fieri ſolet, vt primum de ſceleris miniſtris & ſociis pœnæ ſumantur, aliique alio tempore producantur; poſtremus autem omnium ipſe coniurationis princeps atque auctor ad ſupplicium poſtulatus rapiatur, qui eò maiores dabit pœnas, quò maiori omnium odio inuidiaq. fla-
1.Paral.5. grat; ſic apud Iſraëlitas res acta eſt: Siquidem primi omnium Ruben, Gad, & dimidia tribus
» Manaſſes à Phul Aſſyriorum Rege abducti ſunt in Lahela & in Habor, & in Ara, & in flu-
» uium Gozan vſque ad diem hanc. deinde Aion & Abeldomus Maacha & Ianoë, Cèdes
» & Aſſor, & Galaad & Galilæam, & vniuerſam terram Neptalim, Theglath Phalneſſer in Aſſyrios tranſtulit, & ita alij alio tempore pœnas dedere, donec tandè poſtrema omnium capta Samaria ac omni crudelitatis exemplo vaſtata eſt: nulli enim aut ætati aut ſexui hoſtes pepercerunt, quin conceptam ex deditionis deſperatione iram ſæuitia in captos vſi explerent; & quoniam eius crudelitatis duo manifeſtiſſima argumenta ſunt infantium illiſio
2.Reg.15. & grauidarum exciſio, ſicut ſcriptũ eſt: Tunc percuſſit Menahem Thapſam & omnes qui
» erant in ea, & terminos eius de Therſa, noluerant enim aperire ei, & interfecit omnes præ-
» gnantes & ſcidit eas. Sic etiam in Samariã ſæuitum eſt, quæ vt maximè omnium exacerbauit Dominum Deum ſuum, ita poſtrema omnium miſerrimum atque crudeliſſimum tulit ſupplicium.

Conuertere Iſraël ad Dominum Deum tuum, quoniam corruiſti iniquitate tua.

HABENT duriſſimæ & acerbiſſimæ vatum orationes ſuam cataſtrophen, grauiſſimaq. dicendi initia, & progreſſiones leuiſſimo ac placidiſſimo abſoluunt exitu: Nam cùm præcipuum horum conſilium ſit, homines ab errore, à tenebris, à morte, ad veritatem, ad lucem atque ad vitam reuocare; & difficillimum opus ſit, malam vitæ & morum conſuetudinem,

quæ radicibus altiſſimè actis in naturam penè verſa fuerit, orationis & verborum vi euellere, neceſſe eſt, vt multo verborum & ſententiarum apparatu, multo dicendi etiam impetu res agatur, excitandi homines à vitiorum veterno ſunt, qui ſuum morbum non ſentientes, nec periculum metuentes omni arte atque ſtudio iuuandi reuocandique ſunt: Difficillimum enim eſt eos qui dolentes non ſentiant curare, quamobrē adhibenda in loco difficillima etiā remedia ſunt, quippe qui mēte iuxta Hippocratē laborant. Iā verò vbi ęgrotus ſuum malum ſentire, & periculum metuere, & ſibi cauere ac parcere potuerit, meliora omnia ſperare & promittere, & lenioribus medicamentis interdum etiam & fomentis vti licebit; iam ſanitatis commoda præſentium incommodorum comparatione prædicare atque oſtendere, tum etiam qua ratione ſanitas quæri & inueniri poſſit præcipere. Omnes autem ferè prophetæ, quorum ſcripta & monumenta extant, commune hoc argumentum habent, vt prius homines ſuorum malorum admoneant, eorum inquam quæ ſuo ſtudio atque opera ſibipſi pepererunt; deinde diuinam miſericordiam, reſtitutionem & ſalutem offerant & promittant; & quibus rebus hæc peti haberique poſſint deinceps doceant. Eſt autem huius totius rationis ſumma illa, Hominum res Deo auctore integras, ipſorum verò culpa labefactatas & perditas vnius Dei beneficio corrigi, atque in melius etiam poſſe reſtitui; neceſſe autem ad eam rem eſſe, vt ipſi ſeſe fide & pœnitentia vitæq. in melius mutatione præparent: Nam quibus in animis altera ex his rebus deſideretur, fides aut pœnitentia, iis negatū omnino eſt diuina ciuitate, vita, pace, & ſummo bono frui, ſicut ſcriptum eſt: Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. Hactenus ergo priores prophetici muneris partes actæ atque tranſactæ ab Hoſſea ſunt: Nunc deinceps poſteriores atque iucundiores pro dignitate peraguntur; namque in ſumma miſeria & in extremo calamitatum gradu conſtitutis, & iam ſua mala ſentientibus, vaticinij officio pœnitentiæ lex indicitur, & maxima illa ſalus promittitur & offertur, cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt; ille enim Chriſto auctore atque curatore, non ſolùm eos qui ex gentibus, ſed eos etiam qui ex Iſraël in tenebris & vmbra mortis ſedebant è poteſtate tenebrarum in admirabilem lucem ſuam eductos & ſanctorum conſortes fideique domeſticos reddidit, ſuperædificatos ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Atque hæc quidem communis omnium vatum ad agendum cauſa eſt. Hic omnis officij eorum finis, hoc initium à Deo alienatos homines fide & pœnitentiæ legibus & conditionibus proponendis & perſuadendis in ſummam gratiam per Chriſtum reducere. Igitur Iſraëlitas eo quem deſcripſimus ſtatu, atq. in qua nunc ſunt conditione tamdiu vſos, ardenti ſtudio compellat, atque ad ſalutem reuocat Hoſſeas, hortaturque vt pœnitudine atque iis quæ neceſſaria ſunt artibus præparatis oblatum vltrò à Deo promereantur beneficium: cuius tanta dignitas & magnitudo futura eſt, vt continuis laudibus & gratiis agendis vacent. Vtitur autem Vates iuris atque æquitatis rationibus in huius orationis initio: Etenim Iſraëlitæ in hæc mala propterea inciderant, quòd ſceleribus ſuis irritatum atque vltrò prouocatum Deum conuerſione placare noluerunt; ſed ipſi potius decreuerunt auerſione cum illo contendere; quamobrem iam ſuis malis & periculis doctos, & quid ſua ipſorum interſit ſatis intelligentes, hortatur, vt priores ad Dominum ſuum pœnitudine, animo, cogitatione atque ſtudiis cōuertantur; quandoquidem illis nunquam Deus iniuriam aut malum attulerit, ſed ipſi primùm Deo ingrati, iniurijque & ſibipſis nocentes & ruinæ cauſa fuerint. huius autem ſententiæ hic verſus eſt: *Conuertere Iſraël ad Dominum Deum tuum, quoniam corruiſti in iniquitate tua.*] Æquiſſimum namque eſt, vt minor ad maiorem, Iſraël ad Dominum Deum ſuum, à quo ex humili Iacob ſublimis Iſraël factus eſt, cōuertatur; atque id eò maximè, quòd tu tuis ſtudiis offenſionem illi, tibi autem ruinam fueris molitus; neque enim te ille deiecit, ſed te ipſum tu cùm ab eo deficeres deiecisti; ita adeò cùm tu ſemper tibi tuorum incommodorum auctor extiteris, ille ſolus reſtitutor & ſeruator fuit & eſſe ſemper poteſt. Quando itaque non tibi aliunde ſalus eſt, qua ſalute tute ipſum priuaſti, ſi viuere, ſi ſeruari cupis, tu prior ad Dominum, hoc eſt ad ſalutem vitamque tuam conuertere.

Hippocrat. Aphor. ſect. 1.

Luc. 13.

Tollite vobiſcum verba: & conuertimini ad Dominum, & dicite ei, omnem aufer iniquitatem & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.

OMNIS oratio hæc in ſuaſorio genere verſatur; cuius loci ſunt, honeſtas, neceſſitas & facilitas. Primus verſus ad neceſſitatem & honeſtatem pertinuit; non ſolùm enim honeſtum erat vt conuerterentur, ſed illis etiam maximè neceſſarium. Hoc verò carmen facilitatis continet argumenta: Nullus enim hoc in genere modus magis ad perſuadendum eſſe poteſt idoneus, quàm vt quæ honeſta atque vtiliſſima probaueris, eadem actu parata que

facillima

facillima eſſe oſtendas. Igitur difficillima conuerſionis ratio Iſraëlitis fieret, qui è propriis locis eiecti, exules, patria, templo, ſacrificiorum copia, & ceremoniarum commoditate carentes conuerſionis ſuæ ſibi argumenta & ſigna oſtendi non poſſe putarent; hoc metu à Vate liberantur, qui eam illorum profeſſionem ſatis idoneam eſſe confirmet, quam ſupplicis orationis certa ac ſimplex confeſſio ſignificet & probet, nec ab illis in eo gradu conſtitutis, holocauſta, nec victimas, nec alias res niſi animi cogitationes & corrigendæ vitæ conatus, & apertam culparum confeſſionem ſuarum exigit: His enim ſacrificiis, his donis &
Ioel. 2. diuinæ placantur iræ, & maxima beneficia contingunt, ſicut ſcriptum eſt: Conuertimini
» ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, fletu & planctu; ſcindite corda veſtra & non veſti-
» menta. Huius autem rei cauſa ait: *Tollite vobiſcum verba.* non enim ſacrificia alia, non victimæ, nō holocauſta illa antiqua exiguntur, quæ nec præſtari à vobis tunc poterunt, nec
Pſalm. 51. ſi maximè poſſent, tamen aliquid ea iam conferrent, ſicut ſcriptum eſt: Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique, holocauſtis non delectaberis. Sed ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Huiuſmodi ſacrificij profeſſionem eos docet Hoſſeas, atque inſtituendæ orationis rationem formulamque præſcribit, vt communi conſilio & ſententia conuerſi ad Dominum, dicant: *Omnem iniquitatem aufer, & accipe bonum:*] id quod nos præſtare poſſumus, fidem, conuerſionem & orationem. Supplicis orationis hæc formula eſt, & animi verè pœnitentis profeſſio, atque diuinam miſericordiam implorantis vox: Principio enim iniquitatem & peccata confitentur ſua, quibus ſe manifeſtè teneri fatentur, neque alia ratione ſeſe expedire poſſe, niſi ſola diuina miſericordia, & remiſſione; tamen ſe ita animatos eſſe, vt omni ſtudio & conſilio, atque omnibus conatibus conuerſioni incūbant, & vota pro liberatione nuncupent, quæ liberati ſanctè tandem exoluant. Vota autem hymnorum & laudum diuinarum, quæ iam nunc Deo grata eſſe percupiant. *Omnem iniquitatem* (inquiunt) *aufer.*] Non vno aut ſimplici ſcelere, ſed multis & variis ſeſe alligatos eſſe hac oratione confitentur, qui nullam in omnibus laboribus ſuis inuenire poſſe iniquitatem olim defendebant, nunc iam nulla negatio, nulla excuſatio eſt, quin in omni ſe iniquitate eſſe fateantur, agnoſcantq. ſibi nullam aliam defendendi aut liberandi ratione͂, vel iniri poſſe vel placere, niſi deprecationem & diuinæ appellationem miſericordiæ. Hanc itaque ſuam omnium eſſe vocem commu-
Ibid. nem, hanc perpetuò retinendam orationis ſententiam: *Omnem iniquitatem aufer.*] Ne reſpi-
» cias peccata noſtra, ſed ſecundum magnam miſericordiam tuam dele iniquitate͂ noſtram, vtere illo magnæ miſericordiæ exemplo, vt omnis iniquitatis noſtræ cuiuſcunque generis ea fuerit, ſiue adulterij, ſiue perfidiæ, ſiue repulſæ & inſaniæ, ſiue proditionis, omnis deniq. ſceleris obliuiſcaris, ac tantum animi ſupplicis & ſua antiqua facta damnantis ac te tuamque fidem appellantis, profeſſionem & orationem, atq. vota intuearis & probes; hoc enim probari tibi placereque, hoc in bonorum ratione numerari ſolet, ſicut ſcriptum eſt: Con-
Ezech. 33. Ierem. uertimini ad me, & quare moriemini Domus Iſraël? & in quacunq. hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius amplius non recordabor. Aufer ergo omnem iniquitatem, vt fidei tuæ conſtantiam veritate probes. dixiſti omnium iniquitatum recordationem tibi deponendam, noſtra eſt omnis iniquitas; propoſita tibi ergo eſt tuæ maximæ miſericordiæ oſtendendæ materia. Ne ergo reſpicias peccata, ſed animum ſupplicem tibi ſeſe dedentem, tuam fidem implorantem, quidquid mali in nobis fuit deteſtamur & damnamus, quod præſtare boni poſſumus, vltrò præſtamus & profitemur, cor contritum & humiliatum, veram ſententiæ & voluntatis mutationem: *accipe bonum,* Fidem & pœnitentiam noſtram: Neque enim iſta facilitate & miſericordia honori nominique tuo quicquam detrahi, imò vero plurimum apud homines, apud ſuperos, atque etiam apud inferos laudis addi accumularique poteſt; cùm non ſolùm alios omnes miſericordiæ admiratores, ſed nos etiam perpetuos benignitatis & clementiæ tuæ præcones ſis habiturus, qui qualis nobis olim erga te mens, quàm iniqua, quàm impia voluntas, qualis tua erga nos ſemper, atque nunc maximè fuerit miſericordia, toti orbi manifeſtemus; quid ergo ex maiori beneficio, niſi maiorem tui nominis laudem & prædicationem tibi paraueris? hoc autem nos præſtituros recipimus, vt perpetuis te laudibus proſequamur, hoc commune omnium, nec tibi ingratum votum eſt, nec hominibus inutile exemplum: nam doce-
Pſal. 51. bimus iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. *Reddemus vitulos labiorum noſtrorum,* qui placebunt tibi pluſquam vituli nouelli cornua producentes & vngulas. Hæc ſumma
Pſal. 68. & argumentum ſupplicis orationis eſt. Sed quoniam perfecta pœnitentia non ſolùm futuræ vitæ in melius correctione, ſed prioris corruptæ deteſtatione definitur, ſicut ſcri-
Pſal. 36. ptum eſt: Declina à malo, & fac bonum. Ob eam rem inter deprecatoriæ orationis membra præteritorum etiam conſiliorum, actionumque confeſſionem & damnationem

præcipit iis, qui ſuis cogitationibus & conatibus perniciem potius ſibi, quàm ſalutem fuerant moliti. quippe cùm vnica ad ſalutem via diuinæ veræque religionis purum ſtudium ſit, atque ſalus ipſa omnium & incolumitas in vno Dei præſidio ſit collocata. Dolent ergo quòd ad Aſſyrios atque ad Ægyptios auxilij cauſa deſciuerint, à quibus nulla auxilia, multa verò & maxima incommoda, mala, dolores, luctuſque perceperint: Etenim in ſecundis rebus nulla ab hominibus auxilia expectari, in aduerſis nulla ſperari debent, cùm felicibus & potentibus hominibus homines alij ſuperuacui videantur, imbecillis autem & miſerrimis omnino inutiles ſint. Solius itaq. Dei ſalus eſt, qui & felices tueri & humillimos tollere poteſt & ſolet; qui ſe ob hanc rem pupillorum tutorem legitimum eſt profeſſus, vt miſerrimo cuique, quò ſe in patronum adoptaret, aditum aperiret.

Aſſur non ſaluabit nos: ſuper equum non aſcendemus, nec dicemus vltra: Dij noſtri opera manuum noſtrarum: quia eius qui in te eſt miſereberis pupilli.

DVPLEX peruerſitatis genus, ſed ſpecies triplex Iſraëlitis fuerat, ex quibus multa manauerant ſcelera; alterum genus quòd ſimulachra pro diis coluerant: alterum, quòd diuino auxilio neglecto, humanum implorarãt, & Aſſyrios ob militum virtutem, Ægyptios verò ob equorum ferociam in ſocietatem vocauerant; verùm à Diis quos putabant, nihil vtilitatis, ab hominibus verò multum etiam mali & damni acceperunt: eaque ſocietas impietatem illis auxit, ſalutis verò rationes minuit. Huiuſmodi autem errorem & ſcelus deteſtati confitentur. [*Aſſur non ſaluabit nos.*] neque vlla amplius nobis Ægyptiorum equorum habebitur ratio. [*Super equum non aſcendemus,*] ex contento continens intelligitur; nam equorum præcipua laus apud Ægyptios eſt, ſicut ſcriptũ eſt: Væ deſcendentibus in Ægyptum, in auxilium & in equis ſperauerunt quia præualidi ſunt. [*Neque dicemus vltra: Dij noſtri opera manuum noſtrarum.*] Stultiſſimum enim fuiſſe fatemur, eos Deos noſtros appellaſſe, ab uſq. auxilium expetiiſſe, quos nos Deos fecerimus, quique ſeipſos à nobis, ſi perdere vellemus, liberare non poſſent. [*Quia eius qui in te eſt miſereberis pupilli.* Hebraicè eſt: *Quia in te miſericordiam conſequetur pupillus.*] Significat in vno Deo omnium præſidium & ſalutem eſſe, argumento à minori ducto atque enthymemate cõuerſo, hoc modo: Cùm ij qui in extrema miſeria & conſilij atque auxilij inopia ſunt, te vnum ſuarum rerum præſidium, & ſalutis perfugium paratum habeant (quales pupilli ſunt) manifeſtum eſt te omnibus afflictis ſalutarem fore, ſicut ſcriptum eſt: Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor, & tuo ergo ipſius teſtimonio & frequenti multorum noſtroque experimento cognitum eſt, te vnicum miſeris omnibus eſſe ſalutis perfugium. Nos ergo te vnum cognoſcimus, vnumque appellamus ſeruatorẽ. Atque in hoc loco diuinæ illius ſalutis imaginem intueri mihi videor, quæ per Chriſtum verè fidelibus & pœnitentibus contingebat, qui omni iugo & circunſtanti peccato depoſito perpetuis laudibus vacabant, ſicut ſcriptum eſt: Vt ſimus in laudem gloriæ gratiæ ipſius, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & traduxit in admirabilem lucem ſuam, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius in laudem ipſius. De qua ſalute inferius nonnulla, in alio loco plura à nobis dicenda ſunt. Hactenus Iſraëlis conuerſionem, pœnitentiæ ſtudium & ſupplicationem, ac prophetam ad eam rem adhortantem audiuimus: nunc deinceps Dei facilitatem benignitatemque admirari operæpretium fuerit.

Iſai. 31.

Pſalm. 10.

Coloſ. 1.

Sanabo contritiones eorum: diligam eos ſpontaneè: quia auerſus eſt furor meus ab eis.

O MAXIMAM Dei miſericordiam & ad ignoſcendum promptiſſimam naturam, qui quo tempore illius inimicos ad conuerſionẽ vates vocabat & hortabatur, imo & rogabat, ipſe nondum rogatus aut poſtulatus, gratiam tamen ſuam, pacem & conciliationem vltro pollicetur; neque hoc tantum ſe præſtiturum, ſed prius amaturum promittit, tantamq. deinde felicitatem prædicit futuram, quantam neq. oculus vidit, neque auris audiuit, neq. humana aſſequi potuit cogitatio. Quo animo autẽ, qua mente, & quanta alacritate hæc à Deo promiſſa, atq. prædicta fuerint, ipſa Hebraicorum carminum ratio, atq. orationis ſtructura indicat, ipſa etiam lætiſſimorum verborum congeries manifeſtat: Namq. oratio hæc animi lætitia geſtientis eſt, atque eius qui maximis & diuinis beneficiis Iſraëlem afficere, iam tum tenditque fouetque. Hactenus enim duriori carminis genere, verbiſq. eſt vſus grauiſſimis, quæ non tam ex animi dicentis cupiditate, quàm ex neceſſitate rei prolata videri poſſent; nunc verò non pronuntiata, ſed erumpens oratio eſt, mentẽ ad beneficentiam procliuem, ac maximè promptam probans. Huiuſmodi autem menſuris Hebraicum carmen conſtat: *Vocantibus medebor, Amaboq; hos libenter, Procul iamq; ira abeſto, &c.* Ex quibus omnibus intelligimus diuinam naturam ad beneficentiæ, miſericordiæ & gratiæ effectum, multò quàm ad minas, ad odia, atque ad pœnas eſſe promptiorem, itaq. ſuæ magis temperare, quàm benignitati parcere ſolitã eſſe, ſicut ſcriptum eſt: Ipſe autem miſericors & propitius fiet:

1. Cor. 2.

Pſalm.

„ fiet peccatis eorum. Et abundauit vt auerteret iram ſuam, & non effudit omnem indignationem ſuam. Igitur cùm primum hortantem Iſraëlitas Vatem, & ad meliorem mentem reuocantem Deus audiuit, antequam illi ſeſe perſuaſos oſtenderent, ipſe ſeſe placandum propitiumque pollicetur, atque omnes odij & iræ ſuæ cauſas illis penitus præciſurum ait, ita vt ſemel in gratiam reductis, nulla amplius amicitiæ infringendæ, aut cauſa aut occaſio offeratur: Namque perfectam atque integram ait, omnino fore eis reconciliationis rationem, ad ſe conuerſis: neque enim ſolùm vulnera ſananda, ſed omnium vulnerum & malorum fontem & cauſam ipſam extirpandam eſſe. Quippe auerſio ipſa omnino tollenda ab illis ita eſt, vt nunquam amplius à Deo auerſi alienatique ſint; eo verò clauſo & obturato fonte perpetuum illis & certum veræ religionis ſtudium, perpetua pax & perpetua erit felicitas. Hoc autem diuini ſpiritus & ignis baptiſmate efficietur, quo diuinæ leges in illorum cordibus dandæ, & mentibus conſcribendæ ſunt. atque hoc quidem beneficium Chriſti virtute & opera conſtabit. [*Sanabo contritiones eorum* Hebraicè eadem ſignificatione: *Sanabo auerſionem eorum.*] Ita peccati & iniquitatum vim & efficientiam ſibi ex illorum cordibus radicitus tollendam & euellendam Deus ipſe in ſe recipit. Neque verò aliam huius eximij beneficij cauſam indicat, niſi vnum tantum amorem ſuum, quo eos diliget. *Amabo eos ſpontaneè.* Etenim ſi quis eum à quo læſus atque iniuria affectus ſit, quem perdere etiam potuerit, ſeruare malit & ſecurum eſſe iubeat, laudatur quidem maximè ea viri humanitas, tamen idem vt amet, cogi, rogari, aut poſtulari non ſolet,: quòd ſi vltrò amauerit, maximæ admirandæque benignitatis argumentum præbuerit. Deus autem non ſolùm Iſraëlem ſibi ſanandum omnino, ſed etiam vltrò, & ſpontè amandum ſuſcipit: *ſpontaneè*, non coactè, non
Epheſ. 3. vllo legis iure, ſed vltrò, quo maximè meæ miſericordiæ inenarrabilis vis ex his appareat
Rom. 5. rebus. Quem quidem diuinum erga homines amorem ſupereminentem ſcientiæ charitatem Dei Apoſtolus nominat. de quo alio in loco: Commendat, inquit, charitatem ſuam
„ Deus erga nos, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt, & cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius. Opportunitatem autem huius amoris, vnam illam eſſe dicit, quòd iram omnem depoſuerit, & auerſionem ſuam abſtulerit. Atque in hoc loco diuinæ ſapientiæ ſtudioſis illud cogitandum obſeruandumq. proponitur; Dei perpetuum eſſe amorem; eius verò effectum aliquando iuſta ira intermitti; nec enim diuina natura amoris expers aliquando eſt, cùm ipſe Deus charitas ſit; nec etiam neutra in Deo affectionis eſt vis, ita vt neque amet, neque oderit; nihil enim odit eorum quæ fecerit; amat autem ſemper, & ſolem ſuũ oriri facit ſuper bonos & malos; ſi quando verò iratũ ſe præbet, ea patris vel iudicis magis, quàm hoſtis indignatio eſt. Ob eam rem ait: *Amabo eos quoniam auerſus eſt furor meus ab eis.*] amorem ſpontaneum, hoc eſt, proprium, appellat: furorem verò auerſione mutabilem declarat. Hanc autem reconciliationem, quæ ſit ſecutura felicitas, ſubiunctis verſibus deſcribitur.

Ero quaſi ros Iſraël: germinabit ſicut lilium, & erumpet radix eius vt Libani.

QVICVNQVE naſcentis Eccleſiæ Chriſtianæ, & diuini ſpiritus largiſſimo influxu irrigatæ imaginem aliquam ex noui teſtamenti libris expreſſam animo fuerit contemplatus, ac mutationem illam admirandam hominum ſiue regenerationem cæteris hominibus ſtupendam aliqua ex parte cognouerit, is profectò earum ſimilitudinum, quibus hæc felicitas ſignificatur, vmbram aliquam ſequi poterit: Namq. propriam & expreſſam ipſius rei effigiem intueri illis tantummodo contingit, quibus notas facere voluit Deus diuitias myſterij huius, vt in ſe diuini ſpiritus vim & virtutẽ habere poſſent. In eundem ergo locum Iſraëlitarũ res peruenturas oſtendit, in quo primorum Chriſtianorum res olim fuêre. Hoc autẽ diuinæ virtutis opus & donum fore docet. *Ero quaſi ros Iſraël: germinabit ſicut lilium.*] Antitheſis eſt eorum quæ dicta fuerant, venas ſcilicet Iſraël fore exiccandas: nunc diuino vitalique ſpiritu augendos atque propagandos ſtabiliendoſque eſſe prædicit. vt ros perpetuò
Eſai. 55. deſcendens non matutinus, ſed qualis ille eſt, de quo ſcriptũ eſt: Quomodo deſcendit im-
„ ber & nix de cælo, & illuc vltrà non reuertitur, ſed inebriat terram & germinare eam facit,
„ & dat ſemen ſerentibus & panem comedentibus, &c. Solet autem felicitas varijs ex agricultura ſimilitudinibus ſignificari apud vates. In omni verò herbarum natura nullũ genus eſt quod propagationis copia lilia vincat; maximè autem cùm pingue ſolum nacta ſunt, & aſſiduis commodiſque roribus irrigatum: etenim ex ſingulis eius bulbi ſectionibus ſingula etiam interdũ bina aut terna capita naſcuntur; eius autem floris odor fragrantiſſimus omnium eſt, & longè lateque diffunditur. Magnam imago hæc Iſraëlitarum futuram copiam eamq. feliciſſimam, Deoq. in primis gratiſſimam ſignificat: namq. illi fragrantiſſimi illius
Gen. 27. veſtitus pars futuri ſunt, cuius odorem præſagiens Iſaac pater dixerat: Ecce odor filij mei,

ſicut

ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Cuius quidem veſtitus myſterium ſuo loco aperiendum nobis eſt. Igitur felicem Iſraëlitarum propagationem ſanctiſſimas eorum rationes Deo quam gratiſſimas futuras liliorum nomine docuit; deinde verò huius tanti honoris ſtabilitatem & conſtantiam adiuncta etiam ſimilitudine oſtendit: namque liliorum Theophr. li. 1. de ſtirpib.
quanquam copioſa ſoboles, non tamen conſtans & perpetua natura eſt, cùm ex herbarum genere ſit earum quæ & molles & breues radicum fibras habent. quamobrem, totius naturæ auctor atque maximus cultor Deus, magnum in hac re efficienda opus moliturum ſeſe dicit, & pluribus ex naturis compacturum, quò admiranda illa felicitas perfecta, firma, ſtabiliſque ſit: vt ſi quis maximus effingendi artifex pulcherrimam quandam feminea forma Cic. de inuentione.
ſtatuam facere cogitans, plures virginum formas ſimul intueatur, atque ex ſingulis ea quæ incœpto operi conueniant obſeruet & imitetur, quale opus Græcum illum ſculptorem expreſſiſſe dicunt. Multarum itaque plantarum genera ad tantæ felicitatis exprimendã imaginem Deus componit. vt liliorum odorem & fœcunditatem cum cedrinarum radicum firmitate, cum perpetuo oliuæ virore, cum tritici fructu, vitis propagine & ſucco coniungat: quibus omnibus ex rebus id quod dicimus perpetuæ felicitatis ſimulachrum conflatur. [*Erumpet radix eius vt Libani.*] ex continente contentum arguitur; nam ex multis arborum etiam fructiferarum generibus in Libano ſponte prouenientibus nulla natura magis quàm cedrorum in eo monte celebratur, quòd ramorum pulchritudine & ſtipitis proceritate atque duranti firmitudine omnibus aliorum locorum cedris antecellat, ſicut ſcriptum eſt: Et diſputauit Salomon de lignis à Cedro quæ eſt in Libano vſque ad hyſſopum quæ 4 Reg. 4.
egreditur è pariete. Igitur vt Anticyræ nomine Helleborum intelligimus; quanquam aliæ etiam in ea inſula herbæ naſcantur, ſic Libanus proprias Cedros arborum omnium præſtantiſſimas ſui commemoratione commendat. Itaque felicitas illa ſtabilis fore ſignificatur, quæ radicibus plurimis & altiſſimis vt cedrus Libani defigenda erat. Quanto autem altiores radices arbor egerit, tantò ramis pluribus & productioribus ornabitur; ſic Iſraëlis per Chriſtum in gratiam recepti pulchritudo omnibus gentibus conſpicua longè lateque erit, ſicut ſcriptum eſt: Omnes qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui Iſa. 61.
benedixit Dominus. hoc eſt quod ait:

Ibunt rami eius. Hebraicè, *Ibunt virgulta eius.*

VT PAREM patribus filiorum dignitatem futuram ſignificet; eam autem non terrenam aliquam, ſed planè cæleſtem definire oportet, ſicut ſcriptum eſt: Ecce dies venient, dicit Dominus, & effundam de ſpiritu meo ſuper omnẽ carnem, & prophetabunt filij veſtri Ioel. 2.
& filiæ veſtræ, & iuuenes veſtri & ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt. Huius autem eximij ſplendoris nitorem perpetuum fore ait nullis aut temporum aut rerum vel caſibus vel viciſſitudinibus expoſitum, ſed magis oliuæ inſtar ſemper virentem.

Et quaſi oliua erit gloria eius, & odor eius vt Libani.

OLIVÆ enim proprium Epitheton in ſacris eſt Raghanan, quod virens & ſpecioſum רענן
interpretes vertunt apud Ieremiam: Oliuam ſpecioſam, vberem, pulchram, vocauit Dominus nomen tuum. & illud: Ego autem ſicut oliua ſpecioſa in domo Dei. Erit itaq. quaſi Ierem. 11. Pſal. 52.
oliua gloria eius, quæ perpetuo diuinæ gratiæ rore irrigata fructũ ſuum dabit in tempore Pſalm. 1.
ſuo, & folium eius non decidet. Virtutum autem omnium luminibus & ornamentis ſic illuſtrandos eos docet, vt ſuauiſſimos odores incendant ſibimet, hoc eſt, dignitatis atque amplitudinis argumenta & teſtimonia omnibus probent hominibus: Etenim iucundus odor opinionis atque honeſtæ famæ ſymbolum eſt, vt: Oleum effuſum eſt nomen tuum, ado- Cant. 1.
leſcentulæ dilexerunt te nimis. [*Et odor eius vt Libani.*] Omnium qui à ſcriptoribus celebrantur montium Libanus in Syria feliciſſimus atq. amœniſſimus eſſe perhibetur, quem non ſolùm ſiluestrium, ſed earũ etiam, quæ humano cultu aliàs indigere ſolent, plantarum generibus multis copia veſtit & ornat. Aiunt quippe (id quod & nos ab eius regionis hominibus accepimus) etiam medica mala limonũ & citronũ genera varia eo in loco ſpontè gigni, & herbarum atq. florum eximiam copiam, ex quibus gratiſſimus odor miſceatur, & loci cõmendetur amœnitas. vt etiam ex pluribus ſacrorũ librorum lectionibus docemur; ex quibus illa eſt: Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor Libani. & illud: Nardus, crocus, Cant. 4.
fiſtula, cinamomum cum vniuerſis lignis Libani: quam ob cauſſam mons bonus à Moſe antonomaticòs dicitur: Tranſibo, inquit, & videbo montem iſtum egregium Libanum. In Deut. 4.
huiuſmodi autem dignitate in hoc florenti & iucundo rerũ ſtatu eos ſemper acturos verſaturoſque præcinit vates, ita vt Libani vmbram nunquam ſint relicturi.

Conuertentur ſedentes in vmbra eius.

SEMPER, inquit, in Libani vmbra verſabuntur, ſemper eundem vitæ & dignitatis ſtatum retinebunt. Hanc verò ſpiritualium rerum imaginem ad antiquum illud Iſraëliticæ

pacis & quietis exemplũ terrenum reuocare licet, cùm propria illis regio quę Libano monti adiacet, habitaretur: eorum verò felicitatem nunquam intermorituram, ſed aſſiduis Dei beneficiis perpetuò renouandam confirmat Vates, vt quibus tritici vſus optimus aſſiduuſque eſt, videlicet iis qui pingue & fertile terræ ſolum ſortiti annonæ caritatem non timẽt.
Matth. 6. Atque triticum inter frumentorum genera alia & ſapore alendi virtute lõgè præſtat, ſicut
Pſal. 103. ſcriptum eſt: Et panis cor hominis confirmat. ergo pane illo quotidiano cæleſti alentur, qui vtinam nobis hodie diuino munere & beneficio contingat.

Et vinent tritico.

EX HIS autem rebus ſuauiſſimum & generoſiſſimum fructum expectandum eſſe conſequitur: Non enim poteſt arbor bona malos fructus facere. Erit ergo tanta tamq. inſignis ſtudiorum & actionum ſuarum commendatio, tanta vbertas, quanta generoſiſſimæ vitis eſſe ſolet, quæ in optimo plantata ſolo & palmitum multitudine & ſuauiſſimi vini copia cultorem iuuat. Huiuſmodi naturæ ſimilitudinem gerent & moribus exprimẽt, qui in vite vera Christo manentes palmites Dei cura & beneficio culti, ſuauiſſimum bonorum operum fructum reddent; ita vt dicere iure poſſint: ſufficientia noſtra ex Deo eſt.

Et memoriale eius ſicut vinum Libani.

Georg. lib. 2. MONTIVM & iugorũ ſitus vineis optimis maximè ſunt idonei. *Denique apertos Bacchus*
Pſal. 80. *amat colles*: ſicut ſcriptum eſt: Operuit montes vmbra eius. Quamobrem Libanus mons vt aliis etiam plantis, ita & vitibus etiam generoſiſſimis abundat, & illius oræ vinum nunquam
Aſſaph. ſine laude cõmemoratur. In libris Aſſaph medici Hebræi hæc in primis cùm odoris atq. ſaporis elegantia, tum etiam præſtanti ad medicinam virtute cõmendantur. In primis Libaniticum, Hermoniticum Carmelitenſe, & Iſraëliticorum montiũ Ieroſolymitanum, id præterea quod in Samaritanis & Cappadociæ montibus naſcitur, atq. vltimo loco Ægyptium, huiuſmodi vini genera, cùm optima & ſuauiſſima ſint olfactuque præſtantiſſima, ſemper cum laude commemorantur. vt enim apud Latinos auctores Chyi, Setini, & Falerni nomina ſemper in vini laudibus vſurpantur, ſic etiam apud Syros Libaniticum. Hoc autem dicto ſignificatur tantam fore in reſtitutis Iſraëlitis operum & ſtudiorũ actionumque omnium gratiam, vt nunquam de eis mentio niſi honoris ac laudis plena fiat.

Ephraim quid mihi vltrà idola? ego exaudiam, & dirigam eum ego vt abietem virentem: ex me fructus tuus inuentus eſt. Hebraicè ſic: *Ephraim quid mihi vltra ad idola: ego reſpondi & direxi eum, ego vt buxus virens. ex me fructus tuus inuentus eſt.*

INTER alia plurima argumenta, quibus diuina iuſtitia & miſericordia commendatur, & humana damnatur peruerſitas, vnum eſt, quòd nemo hominum qui in iudiciũ vocandi & ſcelerum atq. auerſionis rei faciendi ſunt, vel ſe officij ſui admonitum atq. à peccato deterritum, vel vbi peccauerit reprehenſum & reuocatum non fuiſſe cauſſari iure poſſit: Etenim iis qui ſacros antiquóſque libros vtilitatis cauſſa relegunt & obſeruant, vel ex vno arcano Geneſeos volumine, in quo vniuerſa humanorũ morum ratio, & omnis ferè quæ de Deo haberi ab hominibus meditatione poteſt notitia, continetur; huius de quo nobis ſer-
Gen. 4. mo eſt argumenti inſigne illud petitur exemplum: cùm Deus Cainum à concepti parricidij admiſſione deterrebat, & poſt commiſſum ad confeſſionem & pœnitentiam vocabat,
Pſalm. 51. vt iuſtificetur Deus in ſermonibus ſuis, & vincat cùm iudicatur; qui neminem hominẽ perire vellet, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti; cui nemo dicere poſſit ſibi virtutis & vitij viam atque vtriuſq. fines & exitum non fuiſſe monſtratos ac prædictos: nihil enim quod ad docendos, inſtituendos, admonendos, retinendos, tuendos, reſtituendosq. homines facto opus eſſet, à Deo vnquam eſt prætermiſſum, ſicut ſcriptum eſt: Quid debui facere vineę
Iſai. 5. meæ quod non feci? Huius argumenti verſus hi ſunt, quibus totius libri perorratio continetur, in qua ſe Deus officio ſuo ſatis ſuperq. feciſſe dicit; cùm nõ ſolùm iudicis, ſed aduocati, ſed monitoris etiam partes ſic egerit, vt nihil requiri, nihil omnino poſſit deſiderari: namq. cùm Ephraim de idolorũ vanitate, de ſua ad ignoſcendum própitudine ad beneficentiam certa & immobili voluntate, & fide deniq. ad ſumendas de pertinacibus pœnas immobili ſententia ſatis iam diu ſeſe diſſeruiſſe egiſſeq. confirmat; reliquum autẽ eſſe, vt ſapientiſſimus quiſq. hæc cogitet, & quid ſua interſit, præuideat, ſibiq. conſulat, atque diuinæ cauſſæ rationibus omnibus probatis omnem iniquitatem, malũ, culpam, cunctam deniq. calamitatem & pœnas omnes humanis moribus & improbitati adſcribat. Nominat autẽ præcipuè Ephraim, quòd is eius culpæ potiſſimus auctor fuerit, & idolorũ cultum ille in primis coactus fuerit ſuſtinere. in qua cauſſa cùm nihil prætermiſſum fuerit quod dici poſſit, cùm nulla defenſio vel excuſatio, vel alia etiam effugiendi aut deriuandi criminis relicta ratio ſit, reliquum eſt, vt ipſe Ephraim rebus ſuis opportunè prouideat: ſin minus vbi grauiſſimis ſuppliciis fuerit affectus, ſuam improbitatem, non Dei aut iram incuſet aut negligentiam.

[*Ephraim,*] appellandi caſus eſt, quo reus rogatur, num aliquid in idolorum crimine vel negare vel reprehendere, vel deſiderare poſſit. [*Quid mihi vltrà ad idola?*] quid, inquit, pluribus iam agendum mihi de idolis eſt, quod non cumulatè dixerim, & egerim? ego reſpondi, quidquid in hac cauſſa reſponderi potuit aut oportuit. Reſpondere autem hoc in loco pro verba facere vſurpatur, vt: Reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi pater, &c. Hanc cauſſam omnino cùm vicerim, tamen tibi quo modo liberari & reſtitui poſſes prædixi & præcepi; ita eadem opera & maximam meam tibi & omnibus miſericordiam & maximam etiam probaui iuſtitiam, meque qualis ſim oſtendi, nimirum in criminibus afferendis veracem & integerrimum, in condonandis verò vehementer propitium. [*Et ego direxi eum.* Quemadmodum cauſſam quam defendere & tueri non poterat, tamen deprecari valeret. Quòd ſi tibi aut mali aut incommodi aliquid omnino præter animi ſententiã euenerit, id tuis moribus, culpæ & inconſtantiæ non meæ aut iræ aut inimicitiæ aſſignari oportuerit; namque nulla apud me aut naturæ aut ingenij voluntatiſue inconſtantia & mutatio eſt, & quẽ me ſemel eſſe declaraui, eum ſemper fore profiteor; perinde atque buxus quæ nullo tẽpore natiuam ligni ſoliditatem, aut colorem aut frondium ramorumque viriditatem amittit. Hoc eſt quod dicit: *Ego vt buxus virens.*] vt diuinam naturam & voluntatem perpetuam, ſibiq. conſtantem certamq. eſſe ſignificet; illos autem ſibi proſpicere & conſulere oportere, nam quem ſeſe erga illos præſtiterit, eundem erga ſe experturos & percepturos perpetuò prædicit; ſicut ſcriptum eſt: Si volueritis & audieritis, bona terræ comedetis. quòd ſi nolueritis & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos, quia os Domini locutum eſt. atque hæc huius orationis ſententia eſt. [*Ex me fructus tuus inuentus eſt.*] Fructum nominat fidei & pœnitentiæ & probatorum operum præmium, quod Dei promiſſione, fide, atque beneficio contigit; iis quidem, qui ſecundum propoſitum gratiæ Dei, gloriam & immortalitatem quærunt, quibus bonorum omnium auctor Deus, malorum autem ſibi homines fabri ſunt, Deus verò iudex: Neque enim ille vt bonorum, ita etiam malorum eſt auctor & principium, ſed præmio afficiendos ſua ipſius manu proprioque munere ornat: Supplicio verò dignos cùm iudicauerit, tortoribus ad eã rem deſtinatis & ſatellitibus, nonnunquam etiam humani generis hoſtibus permittit; ſicut ſcriptũ eſt: Eſto conſentiens aduerſario tuo dum es in via, ne deferat te ante iudicem, & iudex tradat te miniſtro, & miniſter tortori, & in carcerem mittaris, &c. Scito igitur Ephraim omnem rationem tibi expoſitam eſſe, teq. ſceleris tui conuictum curare oportere ne pereas. Caue ergo tibi, vt qualem tibi expedit, te præſtes: namq. ſi tibi tu quidem diſſimillimus fueris, ego tamen mei ſemper ero ſimillimus, à quo vno honeſtorum laborum tuorum fructum percipias, ab aliis autem vel diis vel hominibus fructum nullum, ſed damni malique plurimum tibi paratum eſſe prædico.

Isaiæ 1. Matt. 5.

Quis ſapiens, & intelliget iſta? intelligens, & ſciet hæc? quia recta via Domini, & iuſti ambulabunt in eis, & præuaricatores corruent in eis.

QVÆCVNQVE diuini ſpiritus conſilio literarum monumentis ad poſteritatem tradita ſunt, ea perpetuam, certam, atque vtilem omnibus doctrinam continent; neque enim quæ apud Iſraëlitas atque alias etiam gentes geſta olim fuêre, tanta cura nobis tradi obſeruarique mandaſſet Deus, niſi eadem maximè ad nos attinere peruidiſſet. atq. in ea re non ſolùm illuſtria inſtituendæ vitæ exempla, ſed maximas etiam totius ſapiẽtiæ rationes propoſitas eſſe intellexiſſet. Quam quidem ob rem ſapienter ſimul & cõmodè hunc libro ſuo finem Hoſſeas eſſe voluit, vt ad eorum quæ dicta & perorata ſunt contemplationẽ ſapientiſſimum quemque inuitaret, quòd ea magnam diuinarum humanarumq. rerum notitiam accuratè conſiderantibus aperire valeant. Igitur quicunque ſapientia præditus huius totius libri partes momentaque omnia intelliget, & omnium quæ in ea narrantur origines, progreſſiones & conſequentia obſeruabit, is profectò rationes omnes diuinas probabit, nihilq. in illis offendet. Namque Deum hominũ amantiſſimum & diſſimulantẽ peccata propter pœnitentiam, cognoſcet, nihilque magis ex eis requirentem, quàm vt aut integris moribus perſeuerent; aut ſi corruerint, tamen fidei & pœnitentiæ rationibus reuocati, ei ſeſe reſtituendos credant & committant: Neq. enim ſibi impiorũ caſum placere, neq. iudicij in eos exercendi auidum natura, imò miſericordiæ omnibus hominibus impartiendæ eſſe deſiderantiſſimũ; atque ei rei illum ſemper ſtudere, vt quamplurimis ſalutẽ afferat & vitã: cuius ſi qui expertes fuerint, id ſua ipſorum culpa, non diuino ſtudio aut voluntate accidere. Atq. hæc quidẽ ratio bonis & ſapientibus viris adeò manifeſta, adeò certa eſt, vt ad eã normam vitã inſtituant ſuam, cùm diuinam voluntatẽ immutabilem, conſtantem & ſui ſemper ſimilem eſſe certò ſciant. ex eo fit vt à vero atque honeſto vel latum vnguem nunquam diſcedant; vel ſi labi contigerit, erratum pœnitentia corrigant, fideq. ac ſpe Dei implorent miſericordiam, ſibiq. meliora omnia ex diuini verbi promiſſionibus promittant. Contrà

Exod.

verò quibus nec veritas nec honeſtas cordi eſt, iis obſcuræ & difficiles diuinæ rationes videntur; demum hos non vnus error cæcos agit. alij enim nullam prouidentiam eſſe dicunt; alij verò iuſtitiæ nomine iniquitatem Deo attribuunt, cuiuſmodi ſunt illi, qui quorundam hominum caſus & interitum infernamq. damnationē non tam ipſorum culpæ, quàm diuinæ aſſcribunt voluntati, nullamque eſſe aut intelligi in Deo iuſtitiam putant, niſi aliquos hominum tanquam materiam ſeueritatis ſuæ ad interitum & necem iam inde à principio deſtinauerit; quaſi verò iuſtus iudex eſſe non poſſit cui exercendæ ſeueritatis & ſupplicij decernendi deſit occaſio. Sunt etiam quibus nullam operum & pœnitentiæ rationē à Deo haberi aſſerant, ſolamque hominum fidem nihil præterea aliud expectari & credant & doceant. atque ob eam inſaniam delitiis, ſomno & voluptatibus indulgentes, nullum ſceleris, nullum flagitij genus perhorreſcunt. Alia præterea complura peruerſorum hominum genera ſunt, quos aut memoria complecti aut dicendo enumerare non eſt, vtpote de veritatis & honeſti ſimplici via variis & innumerabilibus actos erroribus. horum omnium infeliciſſimus exitus propterea eſt, quòd ipſi à vero & feliciſſimo bonorum fine, atq. à recta & certa via vltro exorbitarint: Certa enim via eſt, ſapienter vitam inſtituere, vitia fugere, caſum emendatione corrigere, Dei implorare miſericordiam; hæc qui nō peruidet, vt offen-
Ezech.18. dat, ſibique ruinam moliatur neceſſe eſt, ſicut ſcriptum apud Ezechielem extat: Nunquid
" voluntatis meæ eſt vt pereat impius, & non potius vt conuertatur à viis ſuis & viuat? Et di-
" xiſtis: non eſt æqua via via Domini. Audite nunc domus Iſraël: nunquid via mea non eſt
" æqua, & non magis viæ veſtræ prauæ ſunt? Cùm verò docere viæ ſuæ rationes vellet, ſub-
" iunxit: Cùm enim ſe auerterit iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatē, & in iniuſtitia quam
" operatus eſt, morietur. Et cùm auerterit ſe impius ab impietate ſua quam operatus
" eſt, & fecerit iudicium & iuſtitiam ipſe, animam ſuam viuificabit, vita viuet, & non morietur. Vbi ergo liberi arbitrij negatio? vbi illa nimis parca, nimis iniqua, imò nimium anguſta de diuina miſericordia diſputatio? digniſſimum profectò Ezechielis vaticinij ca-
Pſalm.51. put illud eſt, quod humanis in mentibus perpetua recordatione figatur. Igitur cùm de ma-
" gnis rebus magna veritatis myſteria & multa argumenta proferuntur, ſolet diuinus Spiritus ſapientibus viris hoc modo examinanda & probanda proponere. Quis ſapiens, & obſeruabit hæc, & intelliget miſericordias Domini? Quo dicendi modo & figura diuinæ rationes optimæ æquiſſimæque eſſe docentur; ſolis tamen bonis & ſapientibus viris cognitu faciles eſſe, ſed eiuſmodi tamen virorum non ita magnam inueniri frequentiam hoc interrogatio illa ſiue potius deſideratio indicat: *Quis ergo ſapiens, & intelliget iſta?*] Is qui cuiuſ-
חכם que rei naturam cognoſcere & diſtinguere poteſt, neque vlla in parte fallitur, ſapiens in ſa-
נבון cris dicitur libris; qui verò ea quæ intellexerit & cognouerit, ad aliarum rerum rationes &
Prou.15. occaſiones accommodare, atque ex alio exemplo aliud explicare nouit, proprio vocabulo intelligens ſeu potius prudens appellatur. Hebraicè enim nomen HAACHAM ſapiētem, NABON verò prudentem ſignificat; namq. ſapiens ſic in ſacra philoſophia definitur: Cor ſapientis quæret doctrinam, & lingua ſapientis componet ſcientiam. Prudentis autē hæc deſcriptio eſt: Qui ſapiens eſt corde, vocabitur prudens. Quicunque igitur his artibus inſtructus hæc intellexerit, atque cum his aliarum rerum ſimilitudines & exempla contulerit, vt ei diuinæ viæ & rationes omnes rectiſſimæ atque æquiſſimæ nō indicentur, fieri non poteſt, id quod iuſtorum teſtimonio comprobabitur, quibus nunquam illæ viæ vt planæ, rectiſſimæ & certiſſimæ deferuntur; ſi quibus autem non virtus ſed flagitium cordi eſt, iiſdem eæ viæ difficiles offenſionumque plenæ videntur, quoniam improbis illorum ſtudiis inceptis & conatibus perducendis aptæ non ſunt? Nam quæ ſimplicibus atque innocentibus dum iter agunt, rectæ regiæq. viæ maximè placent, & libentiſſimè frequentantur, eædem latronibus, graſſatoribus, atque aliorum generum ſceleratis vehementer diſplicent, & vitantur; calles autem deuij, vt ſtudiis ſuis oportuniores (in Debora cautio eſt) petuntur. Hactenus propitius nobis Dominus fuit, vt Vatem ſuum diuinum non pro dignitate, ſed pro ingenij noſtri tenuitate & breuitatis ratione explicaremus, cui noſtra etiam ad reliquos vatum libros vota vt probentur ſupplicamus. AMEN.

NAVIS IN AGRO ABVLENSI APVD DIVI LAVRENTII SACELLVM MENSE AVGVSTO 1567.

CHRISTOPHORVS PLANTINVS

PIO LECTORI.

POETICÆ dictionis iucunditatem ARIAS MONTANVS ad res diuinas & ſacrorum myſteriorum argumenta canenda transfert ita temperatam, vt Ioue, Phœbo, Mercurio, Marte, Vulcano, Baccho, Iunone, Venere, atque illis aliis innumeris monſtroſæ ac ſacrilegæ vanitatis nominibus, (ſine quibus doctũ & gratum carmen conſtare non poſſe quidam falsò autumant) penitus relegatis, & cæteris prophanis ornamentis, qualia ſunt Parnaſus, Aganippe, Phocis, Elis, Peneus, Arethuſa & Olympus, prætermiſſis, ex diuinorum librorum vera & inexhauſta ſapientia, vtiliſſima ſententiarum pondera, & gratiſſima verborum etiam poëticorum variarumque ornamenta rerum proferat, quæ delectationis multum, vtilitatis atq. eruditionis plurimum auditoribus afferre poſſunt. Hoc itaque conſilio ſingulas varij generis odas ſingulis vatũ libris à ſe hoc in opere explicatis adiungit: in quibus præter debitam Deo pro abſoluto cõmentario gratulationem opportuna quoq. ex vaticinij vniuſcuiuſq. argumento doctrinæ præcepta exemplaque exponit; atq. eadem opera multorum ex ſacris libris locorum vel ſententiam aperit, vel notitiam indicat. Orandus verò nobis Deus eſt, vt quæ ille ad ſacroſanctæ religionis cultum & Catholicæ Eccleſiæ vſum cogitat & meditatur, efficere ac præſtare poſſit. Nam præter alia plurima, poëticam artem Dei dono magis, quàm humanæ diſciplinæ præceptis conſtantem in ſuum locum, hoc eſt in veræ pietatis templa & ſacraria reſtitutam diuinis myſteriis canendis conſecrare & inſtaurare exoptat.

IN HOSSEAM VATEM

CARMEN EX VOTO.

QVI SACRIS *vatum veterum receptus*
Nuper arcanis cupido piorum
Fidus interpres populo reponens
Vera canebam,
Quid modò gratus celebrem poëta?
Quid prius laudum referam canoris
Verſibus, vel quæ reſonent Nauarum
Carmina rupes?
Te Deum noſtri & generis parentem
Vnde rerum ſunt elementa, & ipſe
Orbis, & quicquid ſupereſt decori
Mœnia mundi,

Quem neque æterni metuenda fati
Impulit primas poſuiſſe formas,
Nec ſatas longum retinere in æuum
Vlla iubet vis.
Libera aſt ſolùm ſapientis vltro
Conſili mens hac voluit benignè
Eſſe, diſtinctis numeríſque, dixit,
Omnia ſunto.
Idem & humanum genus eſſe magni
Particeps regni dedit, id ſed aſtu
(Prò dolor) vafri colubri ruinam
Senſit inertem.
Tu tamen tetri miſeratus ictum
Dentis, & noſtros reparare caſus,
Et mali occultam rabiem veneni ex-
tinguere tendis:
Te redemptorem miſeriſq́; rerum
Curſibus tandem profugus ſalutem
Sperat Iſraël, cupit atque anhelo
Poſtulat ore.
Qui tibi charus coluit beatas
Iebuſum ſedes, vbi mella quercus
Sudat, & lactis liquidi pererrant
Oppida riui.
Nunc in ignotis regionibus, nunc
Inter inuiſas vaga turba gentes
Ingemit culpas, memoratq́; priſcæ
Tempora ſortis.
Sed dabis duro pater ô labori
Exitum qualem recolenda vatum
Credere, & ſummis petere in periclis
Certa iubet vox:
Annue, & finem properare damnis
Præcipe, ac duris meliora rebus
Ponito, ad noſtros pecora hæc reducens
Deuia paſtus.
Tu quoque æterni ſoboles parentis
Vnica, æquales tibi priſca honores
Dat fides, cultu celebratq́; eodem
Cum patre natum.
Namque te ſeclis ſocium creandis
Teq́; ſeruandis ſapiente dextra,
Te reponendis voluit miniſtrum
Eſſe ruinis.

Vatibus præſens neque te ſilebo
Spiritus nati & genitoris ardens
Charitas, quando neque tu minori
Numine gaudes.
Qui mare & terras reficíſque, olympi
Et foues oras bonus & frequentas,
Qui probas quicquid pater atque natus
Conſilÿ dant.
Virginum præſtans iuuenumq; doctor
Qui colis mentes placidus modeſtas,
Dexter ô laudum cupidum tuarum
Proripe vatem.
Pectoris puri penetrator adſis
Igne marcentes renouare ſenſus
(Nam potes) noſtræ tenebraſq; mentis
Diſcute certus.
Fallor? an motu trepidat ſuperno
Mens, & excelſas videor per auras
Tollier? iam, iam, procul vſque terris
Euehor ardens.
Raptus in cæli radiantis oras
Audiam voces, quibus ipſe reddam
Magna priſcorum monumenta vatum
Ore Latino.
Hinc procul curæ tenues abeſte
Quidquid infrenis petit aut voluptas,
Vana ſpes, mendax honor & cupido
Suadet habendi.
Tuq; Laurenti decus ô canendum
Heſperis altum medios per ignes
Qui petis cælum populo ſtupente &
Iudice ſæuo.
Nunc in excelſa ſpatiaris aura,
Igne nunc felix recrearis almo,
Vnde ſunt vitæ ac aliena triſti
Munera letho.
Nos tuis præſens precibus iuuato,
Si tibi noſtri placuère nuper
(Hoſſeæ vatis colo dum ſacerdos
Dicta) labores.

FINIS.

BENEDICTI ARIÆ MONTANI IN IOELIS VATICINIORVM COMMENTARIA PRÆFATIO.

INTER *alia grauiſſima argumenta quibus vera ac ſolida religio à falſa atque vana diſcernitur & probatur, vnum apprime aptum ac firmũ* Ariſtot. Metaph. 1. *certa & conſtans futurarum rerum cognitio eſt. Namq. hominum mortalium animis non ſolùm quædam præteritorũ temporum & præſentium etiam rerum cognoſcendi cupiditas inſita atq. innata eſt, ſed multò etiam magis futurorum euentuum præſciendi anxia cura & ſolicitudo inhæret. Atq hæc quidem tam ardens, tam conſtans ſecundum naturam appetitio cæleſtẽ* Tull offic. 1 Pſalm. *humani animi originem & perpetuam ſine fine durationem eſſe arguit. Etenim inter hominem & belluam hoc maximè intereſt, quòd hæc tantum quantum ſenſu mouetur ad id ſolùm quod adeſt, quódq. præſens eſt ſe accõmodat: ac præteriti vix memor futura paulùm admodum ſentit. & cùm nulla illis ſuarum etiam animarum ratio habeatur, vtpote quæ vna cum corpore extinguuntur, ea tantùm curantur & parantur quibus corporis vitam præſenti tẽpore alere & tueri poſſint, atq. vbi inſtanti ſuccurrerint neceſſitati, futura tempora aut nulla, aut præſentibus ſimillima fore, neq. ſibi quidquam diem allaturã ademp-*Math. 6. *turamue putant. Quamobrem maxima eorũ generum pars neq. ſerunt, neq. metunt, neque* Prouerb. *congregant in horrea. ſi quæ verò ſunt quæ ſibi in poſterum cauere viſa ſint, vt apes, vt formicæ, ea breuiſſima tempeſtatis vnius hyemis tantum præſenſione mouentur. Homo autem quoniam rationis & diuini luminis eſt particeps, temporum omnium affinitates & conſequentias cernit, & præteritorum ac præſentium cognitione non contentus (quoniam illa iam non ſunt, hæc etiam mox non erunt) futura curioſius & anxius inquirit, vt qui futurarum rerum rationem & prudentiam ad ſe intelligat pertinere. Atq. ex hoc fonte illud ardens famæ & nominis propagandi ſtudium, illa vehemens poſteritatis cura eſt, hinc de rebus ad futura tẽpora pertinentibus deliberatio & conſultatio, hinc præclara illa vni inter cæteras animantes homini adſcripta viuendi ars atq. agendarum rerum ratio, quæ virtus ex prouidendo eſt appellata prudentia; hinc demũ illa anxietas, cura & ſolicitudo, quid tandem futurum ſit, quærendi atque animo agitandi, quæ etiam ceſſantes, etiam otioſos occupat & exercet. Neq. verò ea ſolùm quæ ſibi vni & cõtingere & euenire poſſunt vnuſquiſq. cogitat & cauet, ſed communia ſuorum. ſed ciuitatum, ſed publicarum rerũ atque regnorum, imò etiam & quæ ad totum humanum genus pertinent euenta ſingulorum animos cura & cogitatione mouent. Etenim natura eadem rationis vi hominem non ſolitarium eſſe ſinit, ſed hominem alijs conciliat, & ad vitæ ſocietatẽ natum eſſe docet, ſuaſq; res & rationes ita definire cogit, vt humani nihil a ſe alienum putet, & cuiuſque publici caſus aut euentus rationem ad ſe etiam iudicet pertinere. Atq. adeò non ad hominum ſolùm res cogitandas cura ab hominibus ſuſcipitur, ſed ad ipſam totius mundi molem cognoſcendam, ad mundi partes, cælum, maria & terras inueſtigandas. & quid in his rebus factum olim, quid nũc fiat, quid tandem futurũ ſit, inquirendũ incitat: vel quòd totius or-*Gen. 2. *bis partem & ciuẽ, vel quòd dominum ſeſe quiſque eſſe putet, vnde tanta ſingularũ etiam minimarum rerum cognoſcendi curioſitas eſt. Quæ enim ſua quiſque putet vt ea cognitu ſibi digna iudicet, omnino eſt conſentaneum. Sed quanquam hæc ita ſeſe habeant, tamen hominum generi obſcura nimium & denſiſſimis tenebris inuoluta futurarum rerum cognitio eſt, ſiue id membrorum materies & grauis totius corporis moles efficiat, ſiue in illo potius primorum parentum naufragio huius etiam maximi commodi facta iactura eſt. Etenim illud quod inter alia præclara munera Dei dono homini contigerat, vt ſaluti quoque ſuæ in æternum conſulere poſſet, vbi debitum obſequium officiumq; deſeruit: præter cætera etiam multa extremum deponere eſt coactus. atque de amœniſſimorũ hortorum fini-*Gen. 3. *bus ea cauſſa pulſus, ne certam ſibi munire viã poſſet, qua futuris incommodis caueret & ſaluti in poſterũ ſuæ conſuleret. Ne fortè, inquit, mittat manum ſuam & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.*

CVM ergo homini futurorum præноſcendi appetitum quidem maximum relictum, copiam verò & facultatem omnem ademptam fuiſſe conſtet, conſequens eſt ad vnius diuinæ naturæ fidem & ſubſidia illi eſſe recurrendum: namque hoc etiam genere ſeſe a Deo ſuperari homo intelligit & iuuari poſſe credit & ſperat, ſicut ſcriptum eſt: *Nunquid non* Iſa. 8.
populus a Deo ſuo requirit viſionem? atq. hæc cauſſa eſt, quamobrem tot tam varia & frequentia diuinationum genera excogitata olim ſunt, tot augurum, aruſpicum, pontificum, antiſtitum inſtituta collegia, tanta auium, viſcerum, extorũ, ignium, aquarum inſpiciendi diſciplina, & tripodes, puluinaria atq. delubra conſulendi cupiditas: quæ quidem genera omnia diuinam naturã petere & ſolicitare videntur. verùm enimuero hæc omnia & quæcunque huiuſmodi ſunt, non tam ſe certa veráq; quàm diuini conſilij & oraculorum vim opemq; neceſſáriam eſſe hominibus probauêre. Siquidem hæc vana & incertiſſima fuiſſe, cùm ipſæ rerum ſpecies quibus ea expediebantur, tum agendi ratio omnis quæ ſorte, coniectura & humanis præceptis ac humanis obſeruationibus & præceptionibus conſtabat & ambiguis etiam verbis pronuntiabatur, tum præcipuè exitus ipſi oſtenderunt. Neq. tamen propterea quòd hæc via atque huiuſmodi ratio minimè ſuccedat, finem ipſum & conſilium vanum incertumq; exiſtimari oportet, neq ex eo quòd hæc à diis petita, non tamen relata fuerint, Deum conſuli ſuperuacaneum eſſe concluditur; ſi quidem ipſa humanæ naturæ vis contineri non poteſt, quin huiuſmodi futuras res cogitet & noſſe cupiat; id autem cùm ſibi ipſa præſtare non valeat, à numine diuinaq; natura petat neceſſe eſt. Si qua ergo falſitas, ſi qua deceptio ſubſit, ea non in eius, quæ id appetit, naturæ motu & conatu, neque in eo, vnde hæc petuntur, genere, ſed in huius omnino generis ignoratione & inepto aut etiam peruerſo petendi modo conſiſtit. diuina enim natura cùm ſimpliciſſima ſit, iam illa prima errãdi & fallendi cauſſa eſt vt multiplex eſſe putetur. deinde & ſi maximè vna eſſe intelligatur, & quænam ea ſit planè fuerit exploratũ, quomodo tamen hanc rem procurari, qua ratione impetrari conueniat, id diligenter eſt peruidendum. Cùm autem futurorum certa cognitio & prædictio vni tantum diuinæ naturæ tribuatur, eos qui futura neq. ex ſe prænoſcere neq. prædicere poſſunt, quamuis & dij habeantur & appellentur, à diuina tamen natura longè alienos eſſe conſequitur: ac proinde illum qui ſolus hoc præſtare poſſit, verum Deum, ſolúmq. diuinis honoribus iurè eſſe digniſſimum. Atq. hoc quidem diuinitatis ſuæ egregium argumentum ſemper inuiolatum & ſyncerum ille qui verè Deus eſt, ſibi habere tueriq; voluit, neq. cum vlla alia natura communicari paſſus eſt: vt futura non modò quæ proxima iam eſſent, quæq; inſtarent, ſed etiam quæ longe à præſentibus remota forent, ſolus ille preſciret & prædicenda mandaret. Nam miracula, prodigia & portenta atque alia diuinæ virtutis ſigna vel ad naturæ rationes aliqua ex parte referri poſſunt, vt ſubiti ignes, fulgura, tonitrua, pluuia, præſentiſſimæ morborum curationes; quæ ſi non ijs modis quibus diuinitus accidũt, certè alijs rationibus contingere naturaliter poſſunt, vel certè dæmonum naturæ & incantatorũ artibus aliyſq; hominũ præſtigijs ſaltem in ſpecie permiſſa aliquando ſunt edita; vt quod harum artium & naturarum opera ſpectra quædam & corporum animaliúmq. aut hominum aut etiam diuorũ imagines ſubitò extare videantur: cuiuſmodi ſpectacula Ægyptios olim incantatores Moſe etiam præſente edidiſſe legimus. At verò earum rerũ quæ futuræ ſunt, & qui in humanis rebus olim erunt euentuũ certa notio, nullis dæmonibus, nullis hominibus natura aut arte aut diſciplina aliqua conceſſa aut permiſſa eſt. Quæcunque enim contingere poſſunt naturæ certis curſibus aut terminis definire atq. arte tradere & præſcribere non eſt (quidquid vanorum aſtrologorũ diſciplina in diuinæ prouidentiæ rationibus ſibi ſtudeat vſurpare) huiuſmodi enim res ſolùm diuina natura ſibi vendicat & aſſumit, ſicut ſcriptũ eſt: *Vbi nunc ſunt ſa-* Iſa. 12.
pientes tui? Annuntient tibi & indicent quid cogitauerit Dominus exercituum ſuper Ægyptum, quæ ſeſe harum diſciplinarum genitricem & magiſtram iactabat.

Igitur quæcunq. diuina prouidentia nullis conſcijs adhibitis in humanis rebus cognouit & ſtatuit, eorũ exitus atq. euenta omnibus hominibus, præterquam ijs, quibus vera Dei colitur religio, aut qui ex eodem Deo aut eius vatibus acceperint in obſcuro incertóque

tùm ex vatibus præuiſa atq. præcantata fuêre. ſed interdum duobus nonnunquam & pluribus vt in ore duorũ vel trium ſtaret omne verbum. huiuſmodi autem ſunt Iſraëlitarum bella, bellorúmq. ſucceſſus, captiuitas, priuatæ & publicæ liberationes, totius orbis imperij mutationes atq. vices, & quæ ſimilia his plurima in diuinis oraculis leguntur: quorum rationes ideò vatibus ſuis perſpectas, compertas atq. multò antè quam explicari contingeret prædictas voluit Deus, ne (quæ hominũ ſtultitia eſt) aut ex incerto caſu, aut ex hominum populorúmue fortuna, aut ex neceſſaria & fatali felicitate, ſed potius ex diuino cõſilio & voluntate omnia hæc accidiſſe crederentur: atq. hoc modo iniectus hominum animis timor ac religio augeretur, & omnis ſuperbia, omniſq. fugaretur inſolentia: quòd non ſibi ingenióq ſuo felicitatem, ſed diuinæ voluntati ac conſilio quenquam aſcribere, atq. ad diuinas rationes, ad honeſtatem, ad ius æquitatémque omnia, non ad priuata commoda, neque ad ſuum cuiuſque arbitrium reuocare oporteret. Igitur ex his publicis mandatis, duo præcipuè diuino Vati Ioëli, quem nunc interpretari aggredimur, de duabus maximis rebus data ſunt: alterum quod ad Iſraëliticarum rerum euentum atq. obiter quatuor orbis terrarum imperij tempora & ſeriem ſpectat. alterum verò quo publica & communis hominum ſalus, ac vera animorum continetur felicitas. qua legatione nulla nec grauior poteſt obiri, nec dignior. Eius autem argumenti ſumma breuiter nobis repetenda eſt.

ARGVMENTVM.

DIVINO ſpiritu auctus excitatuſq; Ioël, futuram quatuor orbis imperiorũ, Aſſyrij videlicet, & Perſici, Græci etiam & vltimi omnium Romani ſeriem præuidet & canit; miſeram porrò ſtragem atque extremum excidium, quæ horum regnorum temporibus Iſraëlitico populo parata erant communis & patrij caſus dolore cõmotus deplorat: Namq. maximas Iſraëlitæ calamitates, primum ex Aſſyrijs, deinde ex Perſis, tum etiam ex Græcis, tandemq; ex Romanis acceperunt. cuius rei in ſacris Regum & regnorum libris, & apud Danielẽ, Ioſephum, Aegeſippum, & Tacitum atq. alios ſatis longa narratio eſt. Deinum poſt harum miſeriarum prædictionem, futura hominum per Chriſtum redẽptio & ſalus, ac maxima illa de peccato ac morte victoria & triumphus, ſummaq; eorum qui reſtituti erunt felicitas præcinitur. Quis autem vates hic, cuiuſq; familiæ, & quo tempore fuerit, in communi de duodecim Vatibus diſputatione dictum à nobis eſt. Orationis verò ac dicendi genere tum obſcuro, tum graui atq. ſublimi vtitur: quoniã res ipſæ ex ſe magnæ, graueſq; valde ſunt, & perpetuis tranſlationibus atq. allegorijs pronunciantur: quod genus inter omnes elocutionis formas longè eſt difficillimũ. Nam calamitates populis Iſraëlitici venturas horrendæ famis atq. annonæ defectus imagine deſcribit; ipſos autem à quibus venturæ eſſent, quatuor locuſtarũ generibus, numero, multitudine, & nocendi ingenio atq. ſtudio diſsimilibus comparat, atq. adeò hanc imaginẽ omnibus ſuis coloribus, & mẽbris ita aptè, ita diligenter, ac tam ſcitè depingit & ornat, vt ad eam tantùm rem omnem ſuam operam omneq; ſtudium contuliſſe nonnullis videatur: qui pictura admiratione delecti quam rem, aut perſonam ea referas, nihil curandum putent, neque quicquam ſub illis locuſtarũ, famis, & penuriæ depictis ſpectaculis, præter ea quæ ſe, è oculis primũ obiecere, aut ſubeſſe credant, aut deſiderent; adeò pulchrè, adeò artificiosè hæc poſita tractataq; ſunt. Nos autẽ tabulam ipſam ita vt recto obtutu conſpici poteſt primùm ſingulis notatis partibus ſpectandam proponemus; Deinde quomodo vertenda, dirigendaq; ſit docebimus, vt maius pulchriuſq; multò opus maximo artificio perfectũ inſpiciatur; cuius operis perficiendi cauſſa omnis agendi ratio ab auctore eſt inſtituta. Atq. prius quidem vaticinium hoc dicendi genere abſoluitur. Poſterius verò genus etſi non ita crebris tranſlationibus, ſed planioribus & magis ad ſermonem accedentibus verbis, tamen maximis, tamen grauiſsimis propterea conſtat, quòd res ipſæ de quibus ſermo fit, grauiſsimæ, & maximæ ſua natura ſunt. cuiuſmodi humana ſalus & redemptio, diuina ſanctificatio, & cæleſtia dona atq. propheticæ ſpiritus, & euangelici miniſterij virtus & efficientia eſt. ex quibus rebus ſi quæ ſimpliciter, aut breuiter, nulla tamen aut tenuiter dici poteſt, aut humiliter. Vt ergo tanta à nobis ſuſceptæ cauſſa, & commentandi officio aliqua ex parte ſatiſfacere diuino contingat dono, ipſum in primis diuinum ſpiritum precari, venerari atque implorare vehementer expedit.

Qui maria & terras, qui cælum numine comples
Spiritus, ô certum vatibus auxilium,
Sis felix, noſtræq; potens illabere menti,
Et defer vatem per tua ſacra tuum.
Si tibi noſter & eſt animus ſtudiumq; probatum,
Doctorem & populis me facis eſſe pijs.

CAPVT PRIMVM.

VERBVM *Domini quod factum eſt ad Ioël filium Patuel.*

TORIVS libri inſcriptio hæc eſt, quæ in ipſo dicendorum limine præfixa Hebraico more magnas & grauiſſimas res his, qui in ſacraria vſq. penetrauerint, cognoſcendas promittit: nam nihil aliud in toto opere, quàm verbum Domini, oraculaque diuina contineri docet, quorum maieſtas & grauitas, diligentiſſimos attentiſſimosque ad audiendum animos deſideret; neque quicquam eſſe quod non ſolidum, non maximi ponderis ſit; vtpote Domini verbum ad mortales homines factum, vnde eorum pedi-
Pſal.118. bus lucerna, & ſemitis lumen clariſſimum accendatur. Diuini ergo verbi appellatione dicendis auctoritas, nominis verò & familiæ eius à quo relatum eſt certitudo, & teſtimonium orationi tribuitur. Quo in loco illud conſiderandum eſt, Vatum nomina in librorum initiis appellata, dicendis auctoritatem & fidem duplici periculo conciliare; altero quidem quòd huiuſmodi initia dicendis, aut ſcribendis rebus, vanè aut mendoſè facere, magna ſemper fuerit religio: Nemo enim hominum eſt qui verbum Domini vſurparit, nemo qui ſe diuinum vatem appellarit, quin ſe grauiſſimum capitis, animęque ſuæ periculum ſubire, ſi id aut falsò aut ſimulatè dixerit, intelligat: quamuis ea quæ dicantur grauiſſima, quamuis ſanctiſſima, quamuis miraculorum ſpecie aliqua conteſtata ſint; id tamen Vatis no-
Ierem.23. men falsò aut temerè vſurpare nulli contigit impunè, ſicut ſcriptum eſt: Ecce ego ad prophetas ait Dominus, qui aſſumunt linguas ſuas & aiunt: Dicit Dominus. Ecce ego ad prophetas ſomniantes mendacium, ait Dominus, qui narrauerunt ea, & ſeduxerunt populum in mendacio ſuo & in miraculis ſuis, cùm ego non miſiſſem eos, neque mandaſſem eis. Atque hæc res ſeueriſſimis exemplis, & animaduerſionis iudicio confirmata fuit: ex qui-
„ bus illud vnum eſt, quod præcone Ieremia fuit olim editum: Audi Hanania, non miſit te
„ Dominus, & confidere feciſti populum iſtum in mendacio: Idcirco hæc dicit Dominus,
„ Ecce ego mittam te à facie terræ, hoc anno morieris; aduerſus enim Dominum locutus es. & mortuus eſt (ſubiungit Hiſtoria) Hananias in anno illo, menſe ſeptimo. Alterum verò periculum certa honoris, nominis ac dignitatis apud homines iactura eſt. Nullus enim vaticinandi munus & officium, niſi aut à Deo iuſſus, aut ambitione & gloriæ ſtudio ductus ſuſcipit. ſed qui populi auram grauiſſimo nomine captare cogitauit, magnam nomini ſuo infamiam & æternum dedecus molitur, ſi id quod prædixerit non eueniat. neque verò hæc incerta alea eſt, ſed certiſſima omnino vt eorum qui Dei nomine futura prænuntiarint dicta omnia certus exitus confirmet. quorum verò dicta aut prædictiones ſua ipſorum temeritas atque ambitioſa cogitatio propriúmue regat conſilium, eorum vanitatem tempus ipſum aut nullis aut contrariis euentibus prodit: hac enim perpetua etiam vanitatis infamia & probro mulctari eos voluit Deus, qui veriſſimi ac ſanctiſſimi officij nomen & titulum ſuis ambitionibus ſuiſque mendaciis prætenderent. atque adeò hanc rem omnibus teſtatam eſſe idem voluit Deus, vt verum à falſo propheta dignoſcendi ratio omnibus eſſet expoſita. ea autem ratio perpetuò conſtans ac planè diuina eſt, qua multorum hominum mendacia, illuſiones, & propria ſomnia, vt Lydio aliquo lapide ſemper ſolent explorari. cuiuſmodi ſunt qui prophetiarum inſcriptione vulgo circumferuntur libri, & quæ Græci quidam Danielis & Ioannis Theologi interpretes de certis annorum millibus commenti ſunt (quos ob eam rem Chiliaſtas vocant) quorum omnium ſomnia perinde vt ægrotantium vana fuiſſe dies ipſe demonſtrauit. nam quod tempus ab eis ad ſuarum commentationum fidem citatum fuerat, id vbi affuit, eorum fictionis & vanitatis certiſſimo fuit te-
Ierem.28. ſtimonio. ſicut ſcriptum eſt: Veruntamen audi verbum hoc quod ego loquor in auribus
„ tuis, & in auribus vniuerſi populi. Prophetę qui fuerunt ante me & ante te ab initio, & pro-
„ phetauerunt ſuper terras multas, & ſuper regna magna de prœlio, de afflictione, & de fa-
„ me; propheta qui vaticinatus eſt pacem; cùm venerit verbum eius, tunc ſcietur propheta
„ quem miſerit Dominus in veritate. Ergo quicunque non ſolùm dicendo, ſed etiam ſcribendo in diuinis vatibus nomen profitetur ſuum; id aut ſtabili veritatis fiducia, aut ſummo ſuo periculo & æterna infamia ſe facere intelligat neceſſe eſt. Quamobrem quibus vera atque legitima eius muneris functio fuit, iis non modò ſuum, ſed patris etiam & patriæ interdum nomen teſtimonij & fidei cauſſa appellare nunquam eſt dubitatum. Id quod Vates noſter Ioël non minus, quàm cæteri diligenter præſtitit. qui & diuini verbi inſcriptione & ſui paternique nominis appellatione, attentionem ſibi atque fidem parauit: ſeque ſcripto ad poſteritatem opere probatiſſimorum vatum ponderibus examinandum toti

orbi

orbi præbuit,qui non ſolùm Iſraëliticarum rerum, ſed omnium etiam gentium rationes tractandas ſuſciperet. ſed de eius & patris nomine aliàs à nobis eſt dictum.

Audite hoc ſenes, & auribus percipite omnes habitatores terræ: ſi factum eſt iſtud in diebus veſtris aut in diebus patrum veſtrorum. ſuper hoc filijs veſtris narrate & filij veſtri filijs ſuis & filij eorum generationi alteræ.

VATICINII ſui grauitatem in ipſo dicendi exordio docturus non quoſuis homines appellat,ſed eos,qui ſapientia & præteritorum temporum notitia vſuque præſtabant: ſenes nimirum,quibus cum ſuam rationem probauerit, cæteris omnibus probatum iri non dubitat,vel non opus eſſe intelligit:huiuſmodi enim res à ſenibus magis, quàm à iunioribus curari obſeruarique ſolent: namque hi ob ætatis robur & florem ob minorem rerum vſum communium calamitatum cogitatione & metu minus aguntur. contrà verò ſenes ob multorum temporum & caſuum exempla atque virium imbecillitatem & diligentius res conſiderare & commodius ſibi atque alijs conſulere norunt; ſicut ſcriptũ eſt: Pulchritudo iuuenum robur eorum,& decor ſenũ canities.& in antiquis eſt ſapientia,& in multo tempore prudentia. Cùm ergo inauditam admirandamque rem & à nemine vatum hactenus hoc modo atque ordine prædictam non ſolùm prædicere, ſed lamentari etiam pararet,ſenes ſui temporis appellauit,quibus teſtibus ad vaticinij ſui grauitatem probandam vteretur:eandem etiam attentionem cæteris hominibus parat,quos non tam teſtes,quàm orationis ſuæ auditores atque admiratores eſſe vult; ſiquidẽ magnum atque admirandum aliquid à ſe afferri indicat, cui par exemplum cunctis antè ſeculis fuerit inauditum;idẽ autem futuris,obſeruandum vehementiſſimeque ſtupendum ſit.olim hiſtoriæ & præteritarum monumenta rerum pluribus quàm nunc nota erant, propterea quòd non tam libris (quos rari legunt,)quàm liberis à patribus traditæ poſteritatis memoriæ prodebantur,atq. ea quæ in tenera ætate domeſtica parentum narratione filij imbiberant,multò fidelius retineri & ad rem atque ad cauſſam præſentem ſapientius poterant accommodari, ex qua te illa frequentia in ore omnium verba fuerant, memoriæ proditum eſt; & accepimus. nam quæ audimus, multo facilius animo percipiuntur & memoria cuſtodiuntur quàm quæ legimus. quamobrem illud frequentiſſimè in diuina lege patribus inculcatur: & narrabis ea filiis tuis: & quando interrogauerit te cras filius tuus, dices ei, &c. & illud etiam: Deus auribus noſtris audiuimus, & patres noſtri narrauerunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis, &c. Quoniam ergo maximum & inauditum hactenus vaticinium afferebat quod omnium imperiorum res & rationes Iſraëliticarum calamitatum ſeriem contineret quàm breuiſſimè,ait: *Si factum eſt hoc in diebus veſtris,aut in diebus patrum veſtrorum.*] Vaticinium huic ſimile inauditum hactenus fuiſſe ſeniorum & omnium terræ ſanctæ habitatorum teſtimonio confirmat,idemque vtpote maximum,cunctis obſeruandum & poſteris ſuis in ſequentes ſeculorũ ætates narrandum proponit,tantum dicendorum veritate & conſtantia nititur, tantumque id ſcire omnium intereſſe iudicat. [*Super hoc filijs veſtris narrate.*] Iam diu eſt quòd hæc tam vtilis conſuetudo deſit,atque hic paternæ diſciplinæ mos exoleuit. Nemo pater eſt, qui quos liberos genuerit,propria doctrina ſapientiores reddat;namque aut parentes ipſi præter auaritiam & ambitionem omnium artium expertes ignarique ſunt; aut ſi quibus aliqua bonarũ diſciplinarum notitia eſt, nihil minus curant quàm vt filios ſuos doceant;ſi quos verò peritiſſimos e ſe volunt,ad publica gymnaſia,ad ſcholas relegant,vbi libera plerumque & vaga iuuentus plus in moribus detrimenti. atque in argento diſpendij, quam in diſciplinis emolumenti compendijque facit. Nam quæſo per Deum immortalem inter tot noſtræ memoriæ ſcholaſticorum millia quotuſquiſque eſt qui vir bonus & ſapiens euaſerit? nónne viri numeri omnes illi ſunt, & paruulus puer eos numerare poteſt? Inter omnes verò diſciplinas diuinarum atque humanarum rerum hiſtoria honeſtiſſimum locum ſortita eſt; nihil enim poſt ſacrorum librorum ſtudia homini ad ſapientiam,ad rerum vſum, atque ad humanarum rerum perſpiciendam & deſpiciendam vanitatem, plus quàm certa præteritorum temporum notitia poteſt conducere. quæ res multis in ſcripturæ locis nobis præcepta & commendata eſt, vt illud: Interroga patrem tuum,& dicet tibi; maiores tuos,& narrabunt tibi. Huiuſmodi igitur hiſtorias ad publicam & priuatam vtilitatem, multo magis mentibus, quàm libris inſcriptas eſſe oportet; cùm ex earum cognitione atq. obſeruatione diuina,in primis prouidentia,& mortalium vices,caſus atque infeliciſſimi ambitionis exitus intelligantur,& multa ad res gerendas comparetur prudentia. *Et filij veſtri filijs ſuis, & filij eorum generationi alteræ.*] Hac dicendi figura perpetua poſteritas deſcribitur. namque vnius ſeculi ſpatium,quod quibuſdam octoginta, nonnullis centum annorum eſſe placet, generationis

Prou. 20.
Iob 12.
Pſalm. 77.
Deut. 32.

rationis nomine in ſacris dicitur; quòd eo curriculo ſingulorum hominum vita peragitur; neque enim quemquam ex tot militum millibus, quos ad Græciæ ruinam Xerxes conduxerat, poſt centeſimum annum ſuperſtitem fore credidit. itaque vnius ætatis homines ad vnum ſeculum pertinent, ob eamq. cauſam quatuordecim filiorum ſucceſſione, quatuor-
Matth.1. decim generationes Matthæus definiebat. Perpetua igitur traditione rem hanc omnibus ſuæ gentis hominibus ad æternam memoriam notam eſſe cupit, quæ diuinam ſimul pro-
אחר uidentiam agnoſcere, & ſuis ipſorum rebus diſcant conſulere. [*Generationi alteræ.*] Non de duobus alter hoc in loco, ſed de ſequentibus potius dicitur. nam Hebraicè eſt ahher, quod propriè ſequelam poſteritatemque ſignificat. Atque hactenus exordiũ fuit, quo rem grandem & cognitu neceſſariam ſibi dicendam Vates docuit, communemque eſſe omniũ hominum cauſſam, quam non ſine iactura quiſque poſſet ignorare. propterea enim præteritorum ſeculorum memoriam reuocauit, & præſentes ſuæ tempeſtatis homines, & poſteritatem omnem ad audiendum appellauit. Eſt autẽ hæc, vt diximus, lamentatio quædam & magnæ atque extremæ calamitatis deploratio, quam ſic deinceps inchoat:

Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedet bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo.

SOLENT qui pingẽdi artis peritiſſimi ſunt, cum alia multa oculorũ oblectamenta, atq. artis ſpectacula edere, tum miraudas quaſdã depingere tabellas, quæ ex aduerſo ac directè ſpectantibus aliã rem, aliam verò ſi ex obliquo inſpiciantur, eamq. multò pulchriorem, & quamobrẽ pictura ipſa ab artifice ſit inſtituta, oſtendant. atq. hic modus magnam perſpectiuæ artis exigit peritiã. vt ſpectator rectoobtutu conſiderans, aut nauem, aut lucum, aut fluuiũ aliquẽ ſibi videre videatur. aliter autẽ attentè perſpiciens Cæſaris equeſtrẽ imaginẽ ad viuũ effictã, aut Adami, Euæ, atq. ſerpẽtis hiſtoriã, aut aliquid aliud artificiosè & propriè expreſſum videat, cuiuſmodi nos miracula apud Petrũ Villegã optimũ virũ præſtantiſſimumq. pictorẽ aliquando vidimus. Hanc ſimilitudinẽ à pictura ad dicendi artẽ auctores transferentes, multa ſæpe dicere ſolent, quæ primùm audita aliã rem; propius verò atq. attentius conſiderata, aliam multo elegantiorẽ atq. magis ex dicentis ſententia contineant.
Deut. 25. cuius generis illa ſunt: Non alligabis os boui trituranti :&, non arabis in boue & aſino; &
Horat.lib. 2. od.5. illud apud exteros; *Circa virentes eſt animus tuæ Campos iuuencæ, &c.* Atq. hæc frequens ſacris auctoribus aliiſq non infrequẽs exornatio Greco vulgatoq. vocabulo allegoria dicitur, quę hoc à metaphora tranſlationeq. differt, quòd hæc in vno aut altero verbo reſidet, illa verò integrã ſibi orationẽ vſurpat, atq. meritò ob eam rem perpetua metaphora à Quintiliano dicta eſt. Hoc dicendi genus in toto hoc priori vaticinio ſecutus Ioël, rem, de qua ſermonẽ inſtituit obſcuriorẽ, attentioriq. conſideratione excipiendã reddidit. nam cùm quatuor orbis imperia diligenti ſpectatori depingere inſtituiſſet, quatuor beſtiolarũ, ex iis quibus agri atq. fruges infeſtari nimiũ ſolent, effigies ita graphicè depinxit, ita ad viuum earum notamenta expreſſit, vt multi ex cõmentatoribus id ſibi ſolũ negotij dari crediderint, vt quàm optimè has, quæ primò oculis oblatæ ſunt, imagines lectoribus indicarent, & rem ipſam ad ſimplicẽ famẽ & ſitim, atq. adeò ad illũ ab Heliſæo prædictũ famis ſeptennium referrent, qua de re nos aliàs plenius diſputabimus. Nunc verò antequã rem ipſam explicemus, nominum ratio aperienda eſt, quam (cùm nos Latina nomina ad ſingulas res accõmodata fugiant) deſcriptione potius & efficientiæ notis quàm verbis reddemus; quæ ratio ab Hebraicis verbis, ex quibus nomina ſingulis generibus facta ſunt, nobis eſt petẽda. Igitur quatuor
גזם inſectorũ naturas, hoc in loco appellat, Gazam, Arbe, Ieleq, Hhazzil: quorũ nomina nõ tam figuras, quàm efficientiã, & nocendi vim explicant. omnia autẽ in locuſtarũ genere contineri conſtans omniũ Hebræorũ ſententia eſt. Cõmune autẽ id omniũ locuſtarũ ingenium eſt, vt motu ſuo vlterius ſemper procedant, & obuia quæq. paſcendo deuaſtent, ſed nocẽdi tamen genere ſingula inter ſe differunt. nam gazã durioribus dentibus valet, ita vt arbores
» etiam corrodere poſſit, ſicut ſcriptũ apud Amos eſt: Et oliuas veſtras comedet gazã. Arbe
אַרְבֶּה verò, pro quo, locuſta, vertit Latinus, id genus eſt, quod in Ægyptios agros Moſis tempeſtate immiſſum fuit: quod & multitudine innumerabile eſt, ſegeteſq. depaſcitur, atq. radici-
Iudic.6. bus & calamis ipſis maximè inſidiatur; nam ipſa vox tum inſidiatricẽ, tum multitudinem
» copiamque ſonat. iuxta quam rationem ſcriptum eſt: Inſtar locuſtarum vniuerſa comple-
» bant, innumera multitudo hominum & camelorum, quicquid tetigerant deuaſtãtes. Ieleq
יֶלֶק autem ex eodem genere cùm ſit, præter copiam & numerum volatu etiam præſtat celerio-
Ierem.57. re, & latius hoc genus quàm cætera extenditur, pluresque agros celerius conficit: ſic enim
Nahum 3. apud Ieremiam legimus: Adducite equos quaſi Ieleq aculeatũ. & apud Nahum: Ieleq ex-
חָסִיל pãſus eſt, & volauit. Porrò hhazzil à verbo hazzal deducitur, quod deuorare ſignificat. ſicut
עמוס ז׳ ſcriptũ in lege eſt: Sementẽ multam ſparges in terra, & modicum congregabis, quia locuſtę
Deut.30. ieh hazzilu omnia, hoc eſt, deuorabunt. ex quo verbo hhazzil locuſtæ genus voraciſſimum

interpretamur; quod non ſolùm obuias quaſque præſcindat plantas, ſed deuoret & abſumat. de qua etiã legimus: Fames in terra ſi oborta fuerit, & locuſta & hhazzil. Quare magnam ac diuturnam famem & annonæ difficultatem, ſummamque rei frumentariæ inopiam ab his locuſtarum generibus afferendam prædicit, quæ ſibi ordine ſuccedentes omnes agrorum fructus funditus erant perdituræ. Atque hactenus imago eſt, quæ his nominibus Latinis notatur, eruca, locuſta, bruchus & rubigo. hanc autẽ imaginem ea parte qua exactam ſui rationem oſtendere poteſt contemplati, quatuor orbis imperia, quæ ſeſe continuato ſucceſſu ſecuta ſunt, breuiſſimè & ſummo cum artificio continere videmus. quorum ſingula calamitates non exiguas, ac tandem exitium Iſraëliticis rebus attulerunt. Ac primum quidem imperium Aſſyriorum fuit: quorum reges totum orbem in ſuam ditionem redegerunt. ſecundum verò Perſarum, qui Babylonio rege interfecto, rerum etiã potiti ſunt. hos Alexander Macedo deuicit, atque imperij diadema in Græciam tranſtulit. vltimi fuerunt Romani: quorum imperio Oceanus terminum ſtatuit. Primam ergo calamitatem Iſraëlitæ ab Aſſyriis; eamque maximam accepêre: hi enim Babylonijs hoſtibus Sennacheribo, Salmanaſſari & Nabugodonoſori prædæ & triumphi materia non ſemel fuerunt: à quibus primum Iſraëlis regnum omne victum, captum, direptum & abductum eſt: inde Iudæa omnis debellata, atq. vrbe ipſa Ieruſalem expugnata, vnaq. cum templo incenſa, gens ipſa etiam Babylonem migrare eſt coacta. horum reliquias Perſæ etiam hoſtilem in modum vehementer vexauêre, dum apud eos Iudæi detinebantur, antequã per regem Ieroſolymam redire licuiſſet, multis iniuriis affecti atque publicè & priuatè cæſi peribant, vt in Regum, Danielis, Eſdræ, Nehemiæ, & in Tobiæ etiam libris, necnon in Heſter volumine legimus. & dum iam reſtituti à templi ædificatione retardarentur, quid nõ malorum paſſi ſunt? Prius autem imperium gazam propterea nominauit, quòd Aſſyrij totũ orbem vi, armis, & iniuriis ſubegerant, ſicut ſcriptum eſt: Et ipſe quaſi mors & non adimpletur, & congregauit ad ſe omnes gentes, & coaceruauit ad ſe omnes populos. totum in hamo ſubleuauit, traxit illum in ſagenam ſuam, & congregauit in rete ſuum: ob eam itaque rem excisionis nomen Aſſyrio indidit imperio; Perſarum autem reges, etſi multitudine & copiis maximis floruêre; dominationem tamen in orbe terrarũ inſidiis potius, quàm prælijs ſunt adepti: Nam quo tempore Medi & Perſæ Dario rege bellum Babylonio regi afferebant in nefario illo conuiuio, literarum in muro diuinitus ſcriptarum interpretationem exitialem ſibi Balſazar rex edoctus eſt: eademque nocte extinctus certam eſſe comprobauit; eadẽ nocte, inquit, occiſus eſt Balſazar Rex Chaldæus, & Darius Medus ſucceſſit in regnum annos natus ſexaginta duos. in Hebraicis autem hiſtoriis legimus: Balſazari, à quodam ex cuſtodibus ſuis, qui in illa Danielis actione interfuerat, caput abſciſum ad hoſtemque delatum fuiſſe. huius rei auctor eſt Ioſephus Gorionides, in eo libro qui Hebraicè ab eo conſcriptus extat, Saadias etiam non ignobilis apud Hebræos ſcriptor. hæc autem gens quamuis multitudine maxima atque ingenti manu imperium tueri conata eſt, non tamen tantum virtute aut induſtria valuit, vt diu dominationem propagaret:

Credimus (inquit ille) *altos Defeciſſe amnes epotaq; flumina Medo,*
Prandente, & madidis cantat quæ Soſtratus alis.

(Margin notes: 1. Reg. 8. — Habac. 2. — Dan. 5. — Ioſeph. — Saad. — Dani. — Iuue. ſat.)

Horum tyrannidem breuiſſimo tempore Alexander Macedo deleuit, qui & ipſe gentium omnium regnum occupauit: atque hic tanta celeritate rem confecit, vt duodecim annorum ſpatio ad extremos vſque Indos penetrauerit. quem ob eam cauſam Ioël Vates Ieleq nominauit, quòd id locuſtarum genus longè lateque expanſum, multa loca celerrimè vaſtet. Hanc etiam Græcorum gentem poſt reſtitutum templum excidio Iudæis fuiſſe, Machabæorum hiſtoriæ, & Ioſephus, & nonnulli etiam ex Græcis ſcriptoribus teſtantur. Sed nullo nomine, nulla imagine vltimi Romanorum Imperij dominandi libido, & inexplebilis alienarum rerum cupiditas, rapina & auaritia exprimi potuit ſignificantiùs, quàm hhazzil, hoc eſt deuorantis appellatione. Fuit ſemper & ob hanc cauſam omnibus orbis nationibus inuiſum Romanum nomen; & hac inuidia atque infamia laborauit, quòd nullis hominum fortunis, nullis opibus, nullis denique rebus pepercerit. Neque enim aurum, argentum, veſtem, & vaſa atque gemmas tantùm; ſed lapides etiã & ligna vndique direpta in ſuos luxus tranſtulit: vt non tam dominatio ac tyrannis, quàm communis toti orbi peſtis fuiſſe videatur. Atque per hos primùm Põpeio, deinde Tito, Iuliano denique impio duce, omnis Iudæa, (quæ reliqua tantùm de toto Iſraël fuerat) vexata, direpta, capta, ac tandẽ templo illo totius orbis celeberrimo diruto vaſtata, omniſque ea gens prorſus diſſipata eſt. Eadẽ omnino ſignificatione, aliis tamen imaginibus leonis, vrſæ, pardi, & innominatæ beſtiæ à Daniele vate, quatuor imperia hæc depicta fuerunt, quarum animantiũ rationes ſuo loco, ſi Deus annuerit, indicabimus.

(Margin notes: Machab. — Ioſeph. — Euſeb.)

Expergiſcimini ebrij ac flete, & vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine, quia perijt de ore veſtro.

SI IPSA tantum imago, vt primo aſpectu obiecta eſt, notanda eſſet, facilis huius verſus & plana foret explicatio; nam quòd eos, qui vino delectantur, omnium primos ad luctum atque lamentũ appellauerit, in cauſa fuit, quòd eiuſmodi hominum genus qui mane conſurgunt ad bibendum, & vinum non tantum ad naturæ vſum, quantũ ad voluptatem ſectantur, cùm omnis agrorum ſterilitas & frugum omnium penuria accidit, multò grauius vini, quàm panis, & cæterorum fructuum defectum ferunt; nam qua re quiſque maximè delectabatur, priuatus vbi fuerit, conſequitur vt vehementer doleat, & quas horas vino, lætitiæ & cantibus impendebat, eaſdem viciſſim in luctu, vlulatu & lamentis conſumat. Hos igitur qui vini non vſu, ſed ſuauitate capiũtur, vocat *Bibentes vinum in dulcedine.*] Quibus nulla arbor præ vite placet. vt in antiquis horum hominum cantiunculis eſt.

Horat. lib. 1. Od. *Nullam Vare ſacra vite prius ſeueris arborem.* Bibere autem vinum in dulcedine eſt, generoſiſſimum ſibi inuenire, & miſtis etiam aliis rebus, vt melle, aromatibus odoramentiſque condire. cuiuſmodi multa ab antiquis inuenta, & in agricultorum & medicorum libris plura tradita & nonnulla noſtris etiam temporibus in vſu apud quoſdam ſunt. Ob

עסיס eam rem ait: *Quia defecit ghaſiſis de ore veſtro.*] Hæc vox ghaſiſſ atque eius ſignificatum in vulgatæ editionis libris deſideratur. ſignificat autem omnium rerum humidarum ſuccum ad potum idoneum, vt quæ ex malis aut pomis, aut caricis, aut aliis rebus pocula parantur; quæ aut ſeorſum bibuntur, aut vino permiſta ſuauiores reddunt potiones. Omnia hæc defeciſſe, ait, *ex ore veſtro* nam quamuis hæc aliis terris negata non fuerint, tamen ex iis; quas incolebant regionibus, penitus erant excindenda, vt eorum illis nulla eſſet futura copia. hæc ipſius allegoriæ, & verborum prior ſententia eſt, quam imaginis ſimplex offert proſpectus. ſed quod reconditiori ratione ex auctoris mente percipimus, illud eſt: Permultos in Iudæa atq; Iſraëlitica regione fuiſſe, quibus loca illa voluptatis potius, quàm religionis nomine placerent; ſiquidem cùm illa illis regio olim à Deo ad habitandum, ad veram religionem certo atque ſanctiſſimo cultu conſeruandam, & propagandam, atque ad veræ virtutis & ſapientiæ ſtudium exercendum conceſſa eſſet: eademque cùm ſoli cæliique natura, tum maximè diuina prouidentia & benignitate, omnium quæ hominibus incoluntur terrarum contigiſſet feliciſſima, tamen ex humana malitia euenit, vt loci commoditatem à virtute ad voluptatem, & vitia, à religione ad impietatem, à temperantia ad laſciuiam & luxus incolæ transferrent, qui annonæ vini cæterarumque rerum copia ad ſummam licentiam abuſi diuinum cultum, (cuius obſeruandi aliqua mercedis pars hæc fuerant,) aut omnino negligerent, aut proderent & polluerent. His igitur hominibus qui ſummam ſibi in voluptatis vſu felicitatem ſtatuerant, ſummam miſeriam Vates indicit, nempe cedendum eſſe loco, omnibuſque iis delitiis, quibus indignè fruebantur, eſſe carendum, & ſuauiſſimi vini quo maximè illi delectabantur, atque earum quæ ſtudium hoc ſequuntur rerũ & iucunditatum vſum nunquam illis amplius fore, dum ſedibus ſuis eiecti, abducti, diſperſi, inter hoſtes, inter inimicos & inuidos vix ferino victui victum ſibi prorogare queant, nedum ſuauiſſimo vino, voluptatibus aliis, & luxu ex animi ſententia frui poſſint, ac cæteris quidem hominibus, in quorum regionibus & ciuitatibus illi peregrinabuntur, annuis fructibus & rerum copia abundè vti licebit, illis non licebit, quibus nullæ agrorum commoditates, nullæ feſtorum celebritates relinquentur, quibuſque viliſſimo artiũ & minimùm quæſtuoſo genere victus eſt quæritandus. Neque enim ſi aliqui ex illis mercaturã exercuerint, in luxu propterea & voluptate agent, ſiquidem id vitæ ſtudium auaros potius & miſeros, quàm beatos ſplendidos efficit. itaque ob eam rem maximũ illis luctus & eiulatus terrorem denuntiat, quibus tantum amatæ voluptatis futurum eſt deſiderium, vt dum alij inter quos verſabuntur commoditatibus omnibus, & delitiis abundent & fruantur, ipſi tamen careant, ſordido victu & cultu vſi, non dulci ac ſuaui vt antè vino, quia de ore eorũ periit. Certiſſimum autem vaticinium eſſe præteritum tempus, quo hæc pronuntiata ſunt, docet: quod enim à ſe prædicitur, factum iam putare oportuerit, atque hoc ipſum frequens præteritorum temporum vſurpatio apud vates indicat. Quod verò orationem hanc tranſlationis rationibus explicari conueniat, hic qui mox ſequitur verſus indicat.

Gens enim aſcendit ſuper terram meam fortis & innumerabilis, dentes eius ſicut dentes leonis; & molares eius vt catuli leonis.

GENTIS nomen non locuſtarum multitudinem, ſed magnos hoſtium exercitus ſigni-

Matth. 21. ficat, quos Deus ad recuperandum vineam ſuam ab iis quibus colenda tradita, iniuſtè tamen occupata, & peſſimè culta eſt, miſſurus erat. Non enim Domino, ſed ſibi ipſis fructum facere cultores voluerunt. quare aliis quàm acceperãt legibus colentes effecerũt, vt plantas à natiuo

à natiuo bonoque ſucco degenerarent, ſicut ſcriptum eſt: Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas. hoc cùm vehementer Domino vineæ diſplicuiſſet, qui miſſis identidem qui officium iuſque ab agricolis repeterent, nihil tamen profeciſſet, tandemque filij legatione contempta, inſolentiſſimos atque nimium iniurios fuerit expertus, miſſis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos, & vineam ſuam aliis locauit agricolis. Hos autem exercitus ſuis certis temporibus miſſos, atque eos præſertim, qui primi omnium impetum in vineam fecerunt, animis viribusque præſtantiſſimos, & copiis frequentiſſimos, & armis apparatuque bellico maximè inſtructos fore prædicit, *gens* Chaldæa primum *aſcendit ſuper terram meam*. Palæſtina regio noſtri hemiſphærij media eſt, atque vt in ventris tumore vmbilicus, maximè eminens, quam qui petunt vndecunque veniant, aſcendere dicuntur; vt, Ecce aſcendimus Ieroſolymam: &, In die quo aſcendere vos feci de terra Ægypti, volantium etiam & ſaltantium locuſtarum tranſlatione eſt vſus. Significanter verò dixit *ſuper terram meam*, quòd iam ſuum ius repetere videatur ab iis, qui creditam & commiſſam ſibi ad religionis cultum regionem, propriis tantùm ipſorum commodis vtilitatique ſeruire coëgerant. habet autem affectum vox *meam*, & dolentem indicat dicentis animum, ut illud: Et ego vineã meam non cuſtodiui. nollet quidem Dominus ad eum locum rem deueniſſe, vt alienis hominibus crudeliſſimis & inſolentiſſimis vtendum illi ad recuperationem eſſet; ſed cùm quis iure æquitateque expertus, nihil tamen effecit, vel inuitus vim atque impetum adhibet. [*Fortis & innumerabilis.*] Non ſolùm animo ac viribus & bellicis ſtudiis, ſed numero etiam & copiis præſtantiſſimum exercitum fore docet, armorum etiam & bellici inſtrumenti apparatu egregiè inſtructum: *dentes enim eius vt dentes leonis, & molares eius, vt Lebi*. Eſt autem Lebi eiuſdem generis fera, ſed corporis mole & viribus leone præſtantior, vt inter canes moloſſi, quos Hiſpani *lebreles* vocant, & maximi ſunt & acerrimi; Latinis autem, in quorum regionibus hæc ferarum genera non naſcuntur, vnum ad omnia nomen Leonis ſatis aptum fuit. Hebræi autem, Chaldæi & Arabes, apud quos hæc natura frequens eſt, ſingula nomina ſingulis indidêre generibus, vt *Arieh* minorem, *Lebi* maiorem & proceriorem vocarent. namq. non eſſe eum catulum leonis cùm ſuum catulorum nomen gur, tum ille apud Iob locus arguit: Et filij lebi diſſipabuntur. Duplex autem in vniuerſum armorum genus eſt quibus bella expediri conficique ſolent; alterum quod ad feriendi & cædendi hoſtis rationem, alterum verò quod ad vaſtandi, expugnandi & diruendi pertinet vſum. Prioris generis ſunt gladij, arcus, haſtæ & miſſilia omnia; poſterioris verò Arietes, teſtudines & cætera quę olim excogitata aut hoc tempore adinuenta ſunt tormenta. atque illud genus, dentiũ, hoc molarium imagine Vates indicauit: Dentes enim ad mordendum & lacerandum, molares verò ad contundendum & molendum natura comparatę ſunt, vtroque genere paratiſſimum atque inſtructiſſimum hoſtium exercitum fore oſtendit, vt non ſolùm hominibus, ſed vrbibus, muris & munitionibus omnibus ſuperior ſit. Iſaiæ 5. « Luc. 20. Matth. Iſai. 12. Cant. אריה לביא Iob 4.

Poſuit vineam meam in deſertum, & ficum meam decorticauit: nudans expoliauit eam, & proiecit: albi facti ſunt rami eius.

LOCVSTARVM genera cùm plura ſint, & multis noceant modis, non ſolùm fructus decerpere & corrodere, ſed frondibus etiã arbores, imò & corticibus deſpoliare ſolent, ſiue quòd ſagaci guſtu varium humoris ſaporem, tum in fructibus, tum in foliis, atque in corticibus ſectentur, ſiue quòd maleficum, & vaſtans id animal natura ſit. quale ingenium in muribus, in picis, atque in pſittacis deprehendimus. non diſſimili autem calamitate, omnia loca vbicunque locuſta incubuerit afficiuntur, quàm ſi igne res acta eſſet, neque ſolùm fructu, ſed frondium etiam decore, & corticum neceſſario vſu omnes plantæ expoliantur: detracto autem cortice ligni color candidus apparet, maximè in ficubus quarum lactea magis natura eſt. Vbi Latinè eſt vinea mea, Hebraicè vitis mea legitur. aduertendũ verò eſt omnia vaſtationis genera ad vtrumque plantæ genus referri vitem & ficum, quæ à locuſta & fructu, & foliis, & cortice etiam expoliata ſunt. *Nudans expoliauit eam, & proiecit.* detractũ corticem proiecit nocendi cupiditate: neque enim tantum comedunt, quantũ deuaſtant & perdunt. Vinea autem Domini exercituum domus Iſraël eſt, & germen delectabile eius vir Iuda. ſic iam nobis Iſaias vineam definiuit, & ficulneam etiam Chriſtus præceptor noſter populum illum quondam ſuum Iudaicum eſſe oſtendit, quo tempore ficui, quam fructu vacuam inuenit, maledixit: Nunquam amplius, inquit, fructus ex te naſcatur. Atqui non cum arbore illa, ſed cum Iudaico populo rem & cauſam ſibi eſſe, eodẽ in loco declaratum eſt: non erat (ait Euangeliſta) tempus ficuum: indignè ergo intempeſtiua pœna ficus affecta fuiſſet, niſi alterius rei referret imaginem. quod & ipſum alio in loco apertius etiam eſt expoſitum, cùm de ficu omnibus modis culta, ſemper tamen ſterili, longũ atque grauiſſimum Ieſus habuit ſermonem. Quanto autem furore in vitem ficumque Domini, illi hoſti- Iſa. 5. « Marc. 11.

hoſtium examina bacchatura eſſent, his verbis aptè demonſtrauit, conculcandum, vaſtandum, abducendum eſſe populum, & deſerta loca ſolitariaque relinquenda, omnem eorum reipublicæ ornatum, ſplendorem, omnem felicitatem, imò omnem etiam vitæ commoditatem detrahendam, ſicut ſcriptum eſt: Egreſſus eſt omnis decor à filia Sion. Præcipitauit
Thren. 1.2. " Dominus, nec pepercit omnia ſpecioſa Iacob: deſtruxit in furore ſuo munitiones virginis
" Iuda, & deiecit in terram: polluit regnum & principes eius: confregit in ira furoris omne
" cornu Iſraël: auertit retrorſum dextram ſuã à facie inimici: ſuccendit in Iacob quaſi ignem
" flammæ deuorantis in gyro. Hæc fructuum conſumptio, hæc deiectio frondiũ, atque hæc corticum detractio eſt, totius videlicet antiqui ſtatus, omniumque fortunarum & dignitatis iactura: meritò enim eò miſeriarum deiicitur, qui diuinis beneficiis pro ſuis delitiis fuerit abuſus. Cuiuſmodi illi fuerunt qui ad vitæ voluptatem omnia retulerunt, à quibus vitis
" & ficus cõmoditas detracta eſt. neque verò feliciores exitus habuêre, qui non tam volupta-
" tibus, quàm rei augendæ cumulandiſque per fas atque nefas diuitiis operam dabant, & ter-
Iſai. " ræ vbertatem ſuis tantùm cõmodis, non religioni, non pietati, non miſericordiæ exercendæ ſeruire volebant. de quibus ſcriptũ eſt: Væ qui coniungitis domum ad domũ, & agrum agro copulatis, an vos ſoli habitabitis terram? Crediderat enim illis Deus terram, incolendamque hac lege locarat, vt ſacerdotes honeſto victu contenti, auaritiam omnem & humanarũm rerum cupiditatẽ exuerent; reliquus populus, cui agri, prædia & fundi erant, & ſibi quod ſatis eſſet pararẽt, & diuinæ in ſe benignitatis memores, pauperiorum etiam turbæ conſulerent, vnde illis & primæ & ſecundæ primùm, deinde & tertij cuiuſque anni decimæ; primitiæ etiam & primogenita imperata ſunt; & ſeptimo quoque anno liber omnibus agrorum vſus & fructus eſt permiſſus. Hæc verò omnia temporum atque hominum malitia perturbata fuêre, & ab antiquo inſtituto & ſimplicitate ſua ad humanos mores, cupiditatem, auaritiam, ambitionem & libidinem traducta. quæ res paſſim in diuinis libris notatur. Quamobrem digni fuerunt inquilini, qui de loco & poſſeſſione, in qua iure retineri non poterant, vi atque tumultu deturbarentur, cogerenturq́. ea, quibus olim abundauerant, miſerrimè deſiderare.

Plange ſicut virgo accincta ſacco ſuper virum pubertatis ſuæ.

NVLLI luctus aut grauior, aut acerbior lamentatio, quàm nouæ nuptæ ſponſo necato accidit: etenim illa ætas natura florens, quæ primos amores ſine vlla adhuc domeſtica ſolicitudine, ſine vllis rixis, aut diſcordiis dulciſſimos experta fuerat, quæ ornatus & comptus commoditatem (qua ille ſexus vehementer delectatur) opportunam ſponſi etiam cura atque impenſis fuerat nacta, & primi ac maximè iucundi ſponſi deſiderium, & veſtium ornaruumque in ſaccum, & viduitatis habitum, atque incultæ vitæ repentinam mutationem, grauiſſimè & impatientiſſimè ferre ſolet. vnde miſerãdus omnino luctus & lamentatio penè inſana auditur, & fortunæ ac ſortis grauiſſima accuſatio, miſeraque omnino inſtituitur elegia: neq. enim ea natura modum aut pudorẽ in luctu ſibi ſtatuit, tũ ob vehementẽ animi dolorẽ, tum ob ſexus & ætatis imprudentiam. ad hanc ergo imaginem Iſraëlitica plebs, atque in hanc conditionem vocatur, cui omnis illa felicitas, omnis ſplendor, omnis dignitas, omnis denique vitæ commoditas erat propediem adimenda, futurus autem miſerrimus ſtatus, veluti iam præſens proponitur, vt rem ipſam iam iam ante oculos habentes grauius ferant, ſuamque calamitatẽ antè doleant, quàm omnino acceperint; ſi quomodo ad ſeſe redire, atque ad mentem bonã ſe recipere poſſint, & pœnitentia, precibus, ac votis leniores ſaltem breuioreſque ærumnæ dies impetrare. Vocat autem virginem ſiue puellam Synagogam, quæ hactenus libera & nulli genti fuerat ſubiecta, ſed diuino ſponſo pacta, omnibus delitiis, iucundiſſimis amoribus & incomparabilibus ornamentis, afficiebatur. Illa verò vbi ſublato à ſe iam ſponſo, & propriis culpis excluſo vidua facta, & in hoſtium venerit poteſtatem, calamitoſam & perpetuo luctu plenam vitam trahat neceſſe eſt: duplici miſeria circũdata, altera quòd ſponſo dulciſſimo careat, altera quòd hoſtibus ſeruire ſuis cogatur; qua miſeria nulla potuit deſcribi maior. Sic ille poëta: *Quæ tibi virginum*
Horat. lib. 1. Od. 19. *Sponſo necato barbara ſeruiet?* Detracta autem atque interturbata per hoſtem religione diuino ſponſo omnino caruit Iſraëlitica turba, & eidẽ hoſti cedens, miſerrimam ac ſordidam ſeruitutẽ tolerauit. Neque verò meliori, quàm populus, conditione ſacerdotes fuerunt, qui totius eius calamitatis exẽplo, ac negligentia ſua populo auctores fuerant: namque officij ſui dignitate, auctoritate, & cura poſthabitis, ſe totos ad quæſtus, & auaritiæ
Oſeæ 4. ſtudium tranſtulerant, ſicut ſcriptũ eſt: Peccata populi mei comedunt, & ad iniquitatẽ eorum ſubleuabunt animas ſuas. Similẽ ergo huic ordini lamentationẽ indicit Vates, quem omni dignitate omniq́ue commoditate, citò etiam cariturum prædicit. Quoniam Dominum dereliquerunt, in non cuſtodiendo. ob eam rem ait:

Perijt ſacrificium; & libatio de domo Domini, luxerunt ſacerdotes miniſtri Domini.

VATICINIVM eſt de exciſione & ruina templi, quæ Aſſyriorum igne & ferro edita fuit. cuius cauſa & quòd deſerta regio, agriq́ue vaſtati & aratoribus vacui eſſent, totis illis annis libatio ceſſauit. Sacrificium autem & libationem vocamus aſſiduum cultum, quem antemeridianis & pomeridianis horis Deo tribuebant, quod matutinum & veſpertinum ſacrificium vocant: id ex terræ fructibus tritico & vino parabatur; hoc pereunte ſacerdotum luctum conſequi neceſſe eſt, ſi non diuina, at ſua ipſorum cauſa, quibus cùm hæc ſacrificia deficerent, vnde alebantur, nihil reliquum erat. Sacerdotes autem non quoſlibet nominat, non illegitimos illos ab Iſraëlitis poſt veræ religionis deſertionem inſtitutos, ſed quos appellet, ipſe definit, miniſtros Domini, qui legitimè fuerant inſtituti: ſed tamen dereliquerunt Dominum in nō cuſtodiendo. Huius autem rei occaſione Vates ipſe Threnum componit, & ſingulas res lamentatione perſequitur.

Depopulata eſt regio, luxit humus, quoniam deuaſtatum eſt triticum: Confuſum eſt vinum, elanguit oleum. Confuſi ſunt agricolæ, vlulauerunt vinitores ſuper frumento, vino & hordeo, quia perijt meſſis agri. vinea confuſa eſt, & ficus elanguit: malogranatum & palma, & malus, & omnia ligna agri aruerunt: quia confuſum eſt gaudium à filijs hominum.

TERRAM debellatam, gentem abductam, templum exciſum propoſuerat; ſingulas nunc res, ſuis partibus diſtribuit; atque eas verbis deplorat, ad elegiam accommodatiſſimis. Terræ vaſtationem ſic luget: [*Depopulata eſt regio*, Hebraicè *vaſtatus eſt ager, luxit humus.*] Lugere dicuntur agri, qui cultorem deſiderant; vt contrà prata rident, quæ gramine & floribus ornatiſſima ſunt. atque hac tranſlatione Cicero aliquando vſus eſt. Neque verò terroris tantum augendi cauſa hęc Vates dixit, ſed quem ipſe mente animoq́ue ſenſum prophetica viſione ceperat, hunc verè in elegia & planiſſimè expoſuit; namq. ſic illi affecta Iſraëlitica regio viſa eſt; vt hæ terræ ſolent, in quibus bellum acerbum diuturnumq́ue verſatum fuit. quos enim ille campos antea colleſq́. nitidiſſimos ac viridiſſimos viderat, ſegetibus, vineis, ſiluis hortiſq́ue & pomariis cultiſſimos, hos ita vaſtatos, iam ac deſertos animo præuidet, vt ager ipſe cultorem deſiderare ac lugere Dominum videretur: namque ex agricolis permulti occiſi fuerant, alij capti atque abducti non ſolùm arationes, ſed etiā ſedes ſuas patrias reliquerant. tribus autem commoditatibus, quæ ad vitam humanā opportunè alendam in primis probantur, terra ipſa priuatā fuit tritico, vino & oleo, triticum vaſtatū, muſtum confuſum, hoc eſt arens fuit, *oleum elanguit*: Siquidem illa arborum & baccarum vis, quæ anteà fuerat, penitus defecit. hanc autem penuriam cultores ipſi luctu maximo proſequantur neceſſe eſt. quamobrem ad lamentum inuitantur: *Confundimini agricolæ, vlulate vinitores.*] ita imperatiuè in Hebraicis eſt, *Super frumento, vino & hordeo:*] Quarum rerum ſtudio vtrique tenebantur. agricolæ quidem ſuper frumento & hordeo. *Quia perijt meſſis agri:*] ex quo enim hoſtis in regionem impetum fecit, & quæ ſata erant depopulatus eſt, & agros colere, ac reſtituere non amplius ſinit luctus. vinitoribus verò qui vineas cæteraſq́ue arbores colunt, ſatis copioſa luctus materia datur: *Quia vinea confuſa eſt & ficus elanguit.*] & omnia in vniuerſum arborum genera, quibus illa regio maximè ornabatur & celebrabatur, hoſtili igne & cultorū defectu periêre. Aptiſſimè verò rem diſpoſuit; nam duplex agri colēdi cura eſt, altera in frumentaria re, altera verò in arborea conſumitur natura: in illa frumentum primas tenet, in hac vites, quas omnis aliarum arborum ſequitur ratio; quamobrem triticum & hordeum ad agricolas, hoc eſt, aratores retulit; omnia verò arborum genera ad vinitores. ſic antiqui etiam rem partiti ſunt, vt Poëta: Georg. lib. 2.

Hactenus aruorum cultus, & ſidera cæli: Nunc te Bacche canam, necnon ſilueſtria tecum
Virgulta, & prolem tardè creſcentis oliuæ.

Etenim paſtio tametſi in agris tractetur, non tamen propriè agricultura eſt, neque tantum agris cultis, quantum ſiluis & pratis, greges & armenta delectantur: neque tantum hoſtilis manus paſtionibus, quantum ſatis & vinetis nocere ſolet. propriè ergò elegit eam agri partem, quæ hominum cura & cultu maximè indiget, cui belli tempora calamitatem præcipuè afferre ſolent. In arborum autem natura eorum præcipuè generum mentionem fecit, quæ vel ad vitam, vel ad delitias maximè opportuna ſunt, & fructus etiam faciunt diuturniores, quarumq́ue in illa regione maior copia & laus eſt: vt ficus, mala punica, poma & palma, horum generum frequens mentio in lege & prophetis eſt, quæ non ſolùm toti regioni communia erant, ſed quibuſdam etiam locis ob elegantiam & præcipuam laudem nomina fecerant. vt Ghenthamar, Ghenrimon, Ghentaphuah. hoc eſt fons palmarum, fons granati, fons malorum: cæteros autem fructus quos medici fugaces vocant, vno nomine omnes collegit. [*& omnia*, inquit, *ligna agri aruerunt.*] vt pruni, ceraſi, & cætera baccarum genera. Glandium verò & nucis natura,

Cic in Ve. act. 5. p. 597.

omnis ad ſiluas potius, quàm ad agros pertinet, hoc genus minorem curam deſiderat, & fructu eſt deteriore, ac bellici temporis incommoditates diutius perferre valet. Atque de his arborum & plantarum generibus, quibus ea regio abundabat, vt aliàs copioſius agamus, Deum mihi propitium eſſe vellem. Neque verò ad agricolas tantùm, ſed ad vniuerſos homines quicunque terram illam incolerent, hanc miſeriam pertinere confirmat. Etenim vbi omni frugum & fructuum copia agricolæ deſtituti ſunt, cæteros homines vel qui vitam in otio agunt, vel qui ciuiles exercent artes, vel qui res adminiſtrant publicas, (quorum turba omnis agricolarum labore & induſtria alitur,) maxima vexari inopia neceſſe eſt, vnde is luctus communis eſt omnium hominũ, quibus in felicibus & fertiliſſimis annis, com-
Iſa.9. munis etiam & publica lætitia eſt, ſicut ſcriptum eſt: Exultabunt & lætabuntur in te, ſicut qui lætantur in meſſe multa. atque agricolarum luctum commune malum, omnibusque aliis plangendum ſignificare, ex illo etiam loco docemur. Propterea ſic dicit Dominus: In omnibus plateis planctus, & in cunctis quæ foris ſunt, dicetur væ, væ, & vocabunt agrico-
Amos 5. lam ad luctum & ad planctum omnes qui ſciunt plangere. atque ob eam rem in vniuerſum concluſit affirmans, *Quia confuſum eſt gaudium à filijs hominum.*] ceſſauit, inquit, & defecit gaudium. Nam ſic Hebraicè eſt, *euanuit gaudium.* hæc ad verborum rationem accommodata huius loci ſententia eſt, quæ facillimè ad allegoriam transfertur, cum vineam Domini exercituum, & ficum Iſraëlis gentem intelligamus, triticum verò & hordeum omnem reipublicę vſum & commodum, arborum verò cæterarum nomina principes viros & magiſtratus interpretemur; quos non minus quàm agros, vineas & plantas, fera belli perdidit calamitas; qua etiam calamitate, nec ſacerdotes Domini ſeſe liberare potuerunt, neque luctus & lamenti expertes manere. Quamobrem vbi cæteri ordines ad lamentum fuerunt excitati, ad ſacerdotum collegium ſeſe elegia vertit.

Accingite vos & plangite ſacerdotes, vlulate miniſtri altaris: ingredimini, cubate in ſacco miniſtri Dei mei: quoniam interijt de domo Dei veſtri ſacrificium & libatio.

Ob priuatam illorum, tum dignitatis, tum etiam culpæ & exempli rationem, proprium etiam luctum ſacerdotibus indicit, quibus præter communem calamitatem, maximum quoddam doloris argumentum proponit templi illius celeberrimi excidium; cuius rei cauſa diuinis rebus faciendis illis eſt interdicendum. quare hos etiam appellat Vates, & in grauiori calamitate ad maiorem luctum inuitat, quem omni ſtudio, omni lugendi apparatu, hoc eſt, omni miſeriæ & triſtitiæ argumento illis ſuſcipiendum curat: Namque & actu, & habitu, & mora, lugentes eſſe vult: ſaccus enim miſerorum & lugentium antiquus ha-
Thren.2. bitus fuit, ſicut ſcriptum eſt: Sederunt in terra, cõticuerunt ſenes, filiæ Sion conſperſerunt cinere capita ſua, accincti ſunt ciliciis. [*Accingite vos & plangite ſacerdotes.*] Monet vt in ſordibus, lamentis luctuque iacentes, lugubri elegia publicam priuatamque miſeriam de-
ספד plorent: *plangite* enim, Hebraicè *zzipedu*, non ad vocis ſonum, ſed ad elegiæ rationem & ſententiam pertinet. nam quod nos elegiam, Hebræi Mizzpad dicunt. verùm quod ad vocis ſonum attinet, verbum *vlulate* declarat, vt & mœſta omnino verba & inceſtis accentibus prolata audiantur, *ingredimini, cubate in ſacco.*] *ingredimini* verbum motum hoc loco ſignificat, hoc eſt venite, neque tam ad locum aliquem, quàm ad opus, ad luctus ſocietatem
Cicero in Rhetor. ineundam vocantur, vt apud Latinos rationem ſtudiorum ingredi aliquis dicitur. in eo verò luctu, non interdiu ſolùm, ſed noctu etiam perdurare iubet. [*Cubate, inquit, in ſacco miniſtri Dei mei.*] Miniſtros altaris Dei miniſtros vocat. namque hic hominum ordo præter cæ-
Num.4. teros diuino miniſterio addictus erat, ſicut ſcriptum eſt: Et ponent omnia vaſa, quibus miniſtrant Domino, &c. his vt maxima honoris & dignitatis conſeruandæ opportunitas in miniſterij exercitatione erat, ſic maxima lugendi materies, imò & neceſſitas deficiente miniſterio erit. [*Quoniam interijt de domo Dei veſtri ſacrificium & libatio.*] Quid ſacrificium iuge, quid libatio ſit, iam diximus; hæc omnia non antè interiêre, quàm templum exciſum incenſumque fuit. Quòd autem hæc templi ruina communem atque extremam omni populo calamitatem allatura erat, diuinæque in eos indignationis & iræ certiſſimum futura argumentum, ob eam rem communem omnibus luctum, commune lamentum, & perpetuo monumento quotannis, quoad in eo ſtatu vixerint, recolendum indicit: fuit enim templi incenſi dies omnibus illius gentis hominibus, in primis funeſta & luctuoſa: quæ integram labem atque ruinam Iſraëlitarum rebus attulit. quam ab eo tempore quo accidit ſolenni luctu, hactenus Hebræi quotannis ieiunio etiam indicto proſequuntur: ſiquidẽ hanc diem ſceleris & culpæ eorum teſtem, & pœnæ atque opprobrij perpetuum monumentum eſſe Deus voluit. eam autem diem iam animo videbat Ioël, iam ipſe communes ſuorum caſus luctusque dolens meditabatur. propterea ait:

Sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate ſenes, omnes habitatores terræ in domum Domini Dei veſtri: & clamate ad Dominum aha diei, quia propè eſt dies Domini, & quaſi vaſtitas à potente veniet.

IEIVNIVM præter alia multa quorum cauſa inſtitutum eſt, ad diuinam iram pœnitentia placandam valet. atque ad eam rem certa quædam dies olim lege conſtituta fuit. eſt & illa ieiunij indicendi occaſio, alicuius publicæ calamitatis & mali denuntiatio, cuius lugendi & expiandi cauſa ieiunium publicè indicebatur. cui ieiunio certam diem nulla lex, ſed ipſa rerum occaſio præſcripſit, eaque cura & ad indicendum auctoritas ad ſacerdotalem & ſenatorium ordinem deferebatur, vt pro mali præſentis ratione populo & operis & cibis interdicerent, atque de ea re concionem aduocarent; cuiuſmodi exemplum in nefario illo & funeſto Reginæ decreto, de Naboth damnatione legimus: Prædicate, inquit, ieiunium, & ſedere facite Naboth inter primos populi, &c. 1. Reg 21. Funeſtam ergo atque exitialem diem, quæ integram cladem & labem Iſraëlitis erat allatura, præuidens iam & prædicens Ioël, populum ſuum ad ieiunium, ad lachrymas, ad communem caſum vel pœnitentia & ſupplicatione deprecandum, vel acerbiſſimo luctu proſequendum hortatur. [*Sanctificate ieiunium:*] quoniam eam rem omnibus notam eſſe oportet, quæ publicæ calamitati futura eſt. diem igitur ieiunio publico & ſolenni præſcribite, vt in maximis & grauiſſimis caſibus publicè facere moris eſt. Sanctificare, eſt ſeparare, atque à communi vſu ſegregare; diem ergo certam dici ad hanc rem vult. *Vocate cœtum.* Hebraicè eſt, *clamate ceſſationem.*] quid nam hoc ſit, iam diximus. Illud porrò obiter hoc in loco eſt obſeruandum, non eſſe præter diuinorum inſtitutorum rationem, ſi quid publicè ab Eccleſia pro temporum atque rerum occaſione inſtituatur; cuius tamen vſus à diuinorum librorum ſententia non abhorreat, vt ieiunij vſus in ſacris & piis commendatur exercitationibus, ſicut ſcriptum eſt: Et affligetis animas veſtras. quo tempore autem ieiunandum ſit, præter vnum expiationis diē nihil præterea certi eſt conſtitutum, ſed omnia eccleſiaſticæ ſapientiæ auctoritatiq. permiſſa, vt pro temporum & rerum vſu, quibus commodiſſimum videatur diebus, ieiunium modò ritè ſancteque fiat, indicatur. huiuſmodi autem res ſuis in locis obſeruare, à diuina philoſophia non fuerit alienum, & ad eccleſiaſticam auctoritatem defendendam fuerit in primis commodum. [*Congregate ſenes, omnes habitatores terræ.*] Senum nomine omnes magiſtratus ſenatoriumq. ordinem, penes quos Reip. gerendæ auctoritas iusque erat, quorum in noſtra eccleſia locum epiſcopi tenent, & qui publicam aut populorum, aut tribuum curā ſuſtinent presbyteri. hos ergo vno nomine ſenes appellat, quos ad ſuū munus diligenter curandum hortatur; namq. publica totius populi ſolicitudine, ſiue in lætis & felicibus, ſiue in luctuoſis & miſerrimis rebus, quæcunque inſtent, eos in primis vrgeri oportet. ab his autem in domum Domini concionem conuocari, & populo luctum & planctum, & publicam deprecationem indici Vates iubet. [*In domo Domini.*] ſolenne enim erat & ſemper in more apud omnes gentes fuit, in calamitoſis & miſerrimis rebus ad templa confugere, ibique publicè malum deprecari, & diuinā iram placandam curare. hoc in illo præcipuè tēplo ab Iſraëlitis agi Vates curat; cuius templi ſanctitas & maieſtas tanta habebatur, vt quondā in terris regium penè Dei domiciliū crederetur, atq. ob eam rem Domus Domini appellaretur. quo diuino atq. ſanctiſſimo nomine tamdiu eam celebrari appellariq. voluit Deus, quamdiu qui purè ſanctèq. frequentarent, in populo illo non defuēre: vbi autem latronū ſpelunca, ſemel atque iterum facta eſt, ſemel atque iterum etiam hoſtibus eſt ad diripiendum euertendumq. permiſſa. [*Clamate ad Dominum, aha diei.*] Clamoris & luctus argumentum proponit diei illius miſerandi, tum timorem, tum futuram lugubrem commemorationem. *Aha* Hebraica interiectio eſt, non tam dolentis, quàm præ mœſtitia aut conſilij inopia animum penè deſpondentis. ſic Hebraicè ſcriptum, ſic etiam Latinè pronuntiari poteſt, aha. vt illud apud Ieremiam, Aha Domine neſcio loqui, lugentium enim & dolentium illa vox eſt *hoi*, quæ Latinis ſonat heu. ſed Aha hunc quem diximus mentis indicat motū. *Aha diei.* O diem mœſtam & calamitoſam, ô lugubrem & miſeriarum plenā diem! ſed Vates argumentum tantum, & affectum indicauit, nō autem totum luctum & clamorem perſecutus eſt: Nam die nominato grauiſſimam rem & ærumnam maximam inpendere ſignificauit; cuius memoriam nulla vnquam obliuio delere poſſit, ſed inter nefaſtos exitialesque dies, nigro calculo ſit ſemper numeranda; magnam enim atque inſignem calamitatem eſſe conſtat, cuius certus in quo accidit dies, certa & miſera commemoratione quotannis notatur. *Aha* verò interiectione pronuntiata grauiſſimum, & impotentem illis dolorem, & lamenti genus acerbiſſimum denuntiat, & cui non heu, ſed Aha initium faciat. [*Quia propè eſt dies Domini, & quaſi vaſtitas à potente veniet.*] Diem Domini diem vltionis & ſupplicij nominat, quo die ſe iudicem & dignitatis maieſtatisque ſuæ vindicem eſſe demonſtrabit, & qui ſeſe hactenus

miſericordem, immeritis præbuerit, vltorem tandem cõmerentibus præbeat. hæc dies Domini fortis & potentis eſt, & iuſtitiæ, virtutis atq. ſeueritatis diuinæ teſtis. qua de re ſcriptum eſt: Et propter hanc in altum regredere, Dominus iudicat populos. Cuiuſmodi dies
Horat. lib. 2. Od. 15. etiam apud Iſaiam dicitur: Quia dies Domini exercituum ſuper omnes colles & montes, &c. ſic etiam apud Latinos: *Iracunda diem proferet Ilio, Matronisq; Phrygum claſſis Achillei.* [*Et ſicut vaſtitas à potente veniet.* Hebraicè: *ſicut vaſtare à potente veniet.*] Sicut, tempus potius quàm ſimilitudinem indicat. ſignificat autem diem illam cum maxima & terribili vaſtatione & calamitate eſſe venturam à potente, à forti. itaque diuinæ potentiæ potius quàm miſericordiæ commemoratione hæc dies referenda eſt: in qua Deus tremendum egit vltorem. Hæc autem dies nona menſis Ab, fuit, quæ perpetuo & ſolenni Hebræis luctu repetitur, quo templum dirutum, & religionis ac reipublicæ decus & ſplendor omnis ſublatus eſt. Quam diem inter infauſtas publico ieiunio & luctu miſeri Iſraëlitæ ſingulis annis proſequūtur: hanc autem ſententiam copioſius explicuimus apud Hoſſeam in illo loco: & nunc comedet menſis partem eorum. Poſtquam autem ad publicum luctum Vates populum vocauit, inchoatam ipſe elegiam perſequitur. Hæc enim eſt elegiarum lex, vt multa ac varia à lugente moueantur, & ab initio ad finem vſque, nunc hoc, nunc illud petatur. quam rem etiam apud Hoſſeam docuimus.

Nunquid non coram oculis noſtris alimenta perierunt de domo Dei noſtri, lætitia & exultatio? Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo: demolita ſunt horrea, diſſipata ſunt apotheca: quoniam confuſum eſt triticum.

VASTITATEM illam bellicam quam in genere propoſuit, per ſingulas partes deplorat: neque in agris, neque in vrbibus, neque in ſiluis quicquam relictum eſſe, quod ad vitam hominumque vſum eſſet idoneum: Nam quę in agro fuerant, partim ab hoſte conſumpta, partim diſſipata ſunt, vnde nihil colligere, nihil domum aſportare contigerit. Neque hanc rem modò, ſed armenta etiam & paſtionem omnem defeciſſe; maximè autem hoc lugendum eſſe hominibus illis, quibus harũ rerum abundantia diuinam gratiã, inopia verò & detractio diuinam iram & indignationẽ argueret, vt in Deuteronomij precationibus atq.
Deut. 28. imprecationibus eſt obſeruatum. Nam temporales illis repromiſſiones apertè in primis, deinde ſpirituales vmbra quadã & imagine factæ fuerãt. nobis verò contrà primę ſpirituales, eæque maximæ, poſtremæ verò temporales, vt appendices, eæq. non ita cumulatæ, ſed
Matth. 6. quantum ſatis ſit, propoſitæ ſunt, ſicut ſcriptũ eſt: Quærite primum regnũ Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. vtitur autem interrogatione ad rem certitudine arguendam, & ad miſeriæ augendum dolorem. [*Nónne ante oculos noſtros.*] Ad miſeriarũ cu-
Æneid. 2. Iſaiæ 1. mulum accedit, ſuæ calamitatis quemq. fuiſſe ſpectatorem, ſicut & ille dixit: *Quæq; ipſe miſerrima vidi.* & apud Iſaiam: Regionẽ veſtram coram vobis alieni deuorant. Deplorat ergo primùm omnẽ illam frugũ & annonæ copiã, quæ tum ad vitæ, tum ad lætitiæ vſum cõtingere illis ſolebat, in maximam inopiam fuiſſe mutatam: Nam ſolenne illis & legitimũ fuit, dum ſuam regionem tenerent, vt ſingulis annis poſt nouarum frugum collectionem, ciuitatem ſanctam & templum cum nouis fructibus lętitiæ gratulationisque cauſa inuiſerent, ibique feſtos agerent dies, diuinam benignitatem celebrantes, cuius beneficio felix ſecuruſque annus ſibi contigiſſet. Ex quo autem hoſtis regionem occupauit, non ſolùm lætitiæ, ſed victus etiam vſu caruerunt: Neque enim quod ad templum, ſed neque quod domum deferrent, habuerunt: quidquid enim in regione vtile fuerat, & ad vſum idoneum, hoſtis ipſe comedit: ſi quid ſupererat, nulli vſui eſſe potuit: nam aut pedibus conculcatum, aut igni, aut nocendi alacritate vaſtatum funditus periit. *Alimenta perierunt,* quæ ad victum neceſſaria fuerant; & quæ ad lætitiam & feſtorum celebritatem, etiam perierunt. [*De domo Dei noſtri lætitia & exultatio. Computruerunt iumenta in ſtercore:* Hebraicè ſic: *putruerunt grana in*
פרודות *glebis ſuis.*] nam quod tranſlatum eſt iumenta, Hebraicè legimus, Perudoth, quod propriè grana diſperſa ſignificat. Qua oratione non ſolùm nullum fructum, ſed nullam ſementis ſpem reliquam fuiſſe confirmat. Nam ſi quid forſan comedentibus hoſtibus, imò deuorantibus ſuperfuit, diſperſum pedibus, conculcatum & protritum in ipſis illis locis intempeſtiuè & temerè iacebat, ita vt putreſceret potius, quàm herbam, aut quid ſimile ex ſe produceret. Neque verò commodius aliquid domi, aut in ipſis vrbibus & oppidis inueniri poſſit, quo vitæ tuendæ ſpes alatur, vbi non modò triticũ aut hordeum, ſed neq. aut horrea, aut granaria vlla ſunt relicta; omnia enim in cõmuni illa vaſtitate, & ruina perierũt; partim hoſtis vacua hæc à ſe inuenta diſſipauit, partim negligentia & habitatorum defectu vitium rimaſque fecerunt. qualis exitus citiſſimus eſt huiuſmodi ædificiorum, quæ annua cura & vſu conſeruari & refici ſolent, vt horreorum, apothecarum, granarij, cellarum & reliquorum, quibus tamdiu cura impenditur, quamdiu quid in eis ſeruari poſſit, ſupereſt. *vbi verò*

triticum confuſum eſt, horrea etiam demolita ſunt, diſſipata ſunt apotheca. Apotheca hoc in loco idẽ cum granario eſt. At verò frumentaria re & copia omni deſtitutis, & agri colendi difficultate affectis vna reliqua viuendi commoditas, & ars eſſe potuit, ſi quam optimè paſcere & pecuariam rem exercere licuiſſet; namque hæc minori labore & pauciore inſtrumento eget, & incultis aſperiſque etiam in locis, non incommodè tractatur. Verùm enimuero tanta loco calamitas, tanta contigit vaſtitas, vt nihil ex hac etiam parte ſperare liceat: Siquidem vbi neque paſtoribus parcitum eſt, ſed æqua & vrbanis & ruſticis dominis, & villicis ſors eſt ducta, nihil minus miſerum vtrouis ex loco fuerit ſperandum. paſtorum autem pars metu perterrita aduentante hoſte agris ſiluiſque & pecori ceſſit; pars verò in hoſtilem prędam venit; multi etiam militum, vi & iniuria, vt fieri ſolet, necati ſunt, ita vt deſerti armenti mugitus aut pecoris balatus loci teſtaretur ſolitudinem: ea namque animantium genera, quæ humana cura tractari aliquè ſolent, vbi deſerta relicta ſunt, funditus pereunt, vel quòd minus quàm cætera ſibi proſpicere & cauere poſſint, vel quòd minus fortia, minusq́. aſtuta ad ſeſe defendendum ſint; vnde leonum, luporum, aliarumq́ue ferarum ſæuitiæ expoſita ſunt, aut fame & incuria, aut cæli iniuria, aut ferarum vi & rapina conſumuntur, ſicut ſcriptum eſt: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis: atque ita quæ omnibus modis Zach.
fuerat regio feliciſſima, nunc contrà nullis modis non horrida, inculta, deſerta, atque infelix eſt. hoc autem deplorans etiam Vates ait:

Quid ingemuit animal? mugierunt greges armenti, quia non eſt paſcua eis: ſed & greges pecorum diſperierunt.

R E M prius genere, deinde ſpecie tractat: duo enim animantium, ex quibus vſum homines percipiunt, genera ſunt; alterum Latinè armentum; pecus alterum dicitur. his nullum commune ſupereſt genus præter animal, quod tamen feras etiam ſub ſe continet; Hebraicè verò omnia hæc quæ mitiore natura ſunt, hominibuſque ad vſum parent & grega- בהמה
tim paſci ſolent, genus habent *Behema*, pro quo noſter interpres vertit animal. hæc vbi humana cura & diligentia deſtituta ſunt, nulli rei magis, quàm balatibus & mugitibus vacant, quo & ſuam ſolitudinem indicant, & vitã feris produnt. eſſe autem hoc proprium his animantibus, vt vocibus tantum dolorem ſuum & miſeriam indicent, ex illo etiam apud Ionam loco arguitur: Homines, inquit, & iumenta, & boues & pecora, non guſtent quic- Ionæ 3.
quam, neque paſcantur, & aquam non bibant, & iumenta clament ad Dominum in fortitudine, &c. Solitudinis ergo & deſertionis teſtimonium dant animalium voces, armentorum videlicet mugitus & pecorum balatus, quandoquidem huiuſmodi voces querelam magis, quàm aliurn animæ motum ſignificant. quamobrem ait: *Quid ingemuit animal?* Quid, inquit, aliud lamentabiles hæ animantium voces, armentorum mugitus, pecorumq́ue balatus, niſi miſeram ſolitudinem ſignificant? [*Mugièrunt armenta boum*, ſic Hebraicè eſt, *quia non paſcua eis:*] Namque hoc genus vberiori pabulo & maiori gramine indiget, tum ob maiorem corporis molem, tum quòd humi ſerpentes & breuiores herbas ob labrorum craſſitudinem minus commodè depaſcitur. mutare ergo identidem paſtiones amat, quæ res opportuna paſtoris cura indiget. *& etiam greges pecorum diſperierunt*. Hebraicè *neſſa* verbũ eſt, quod alterius aut culpa, aut negligentia, aut defectu vtcunque aliena cauſa perire ſignificat. Iam ex hoc loco lamentatio creſcit, & à miſerarum rerum ſpectaculo ad diuinam opem clamore confugit, cùm nihil in humanis non miſerum, non perditum atque deſperatum eſſe videatur: nam quò te cumque vertas, omnia vaſta, omnia deſerta ſunt; neque hominibus, neque iumentis vlla eſt commoditas relicta: vnum enim ſupereſſe potuit maioribus armentis refugium, & capris etiam ſi ſiluæ & nemora, quibus ſeſe aliquo modo tuerentur & alerent, relictæ forent, ſed heu nihil omnino horum eſt; namq. hoſtis populabundus agros, neque ſiluis etiam pepercit; ſed omnia incendio flammiſque vaſtauit. quid ergo ſupereſt, niſi diuinum auxilium implorare, niſi Deum ipſum tam duri ſpectaculi commemoratione ad miſericordiam prouocare.

Ad te Domine clamabo, quia ignis comedit ſpecioſa deſerti, & flamma ſuccendit omnia ligna regionis.

I N deſperatis rebus vnum quò confugiamus diuinum ſupereſt auxilium. id à Vate populi ſui vicem dolente cum primis imploratur. [*Specioſa deſerti.* Hebraicè eſt *habitacula deſerti*.] vt paſtorum tentoria, tuguria etiam ab oppidis remotiſſima: & arbores omnes quæ in agro ſunt, cultas & incultas; omnia ligna, omnia denique loca hoſtilis ignis peruaſit Lignum arborem etiam virentem Hebraicè & Latinè dicit; vt apud Poëtam:

Te triſte lignum, te caducum, In domini caput immerentis. Hactenus ergo Iſraë- Horát lib. 2. Od. 13.
liticæ gentis excidiũ, & tota illa per Nabugodonoſorem & Aſſyrium imperium tam ho-

minibus, quàm agris allata calamitas, & propriis & tranſlatis verbis prædicta & deplorata eſt. & quoniam dum ſuo vaticinandi munere fungeretur Ioël, non ſolùm quid domeſticis ſuis, ſed quid etiam exteris mali ab eodem hoſte eſſet apportandum ſpectauit. Cæterarum etiam gentium ruinam ſub tranſlatione lamentatur: benignus enim eſt diuinus ſpiritus, omneſque eos, quoſcunque ſua afflauit aura humaniſſimos atque alieni etiam caſus dolentes efficit, ſicut ſcriptum eſt: Debitores ſumus omnibus, &c. Communẽ autem fuiſſe illam ab Aſſyriis in gentes omnes peſtem & diuinam vltionem, cùm Græcorum & Phœnicum
Ierem.25. hiſtoriæ teſtatæ ſunt, tum maximè Ieremias vates diſtinctè prædixit: Quia ſic dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Sume calicem vini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te, & bibent, & turbabuntur, & inſanient à facie gladij, quem ego mittam inter eos, &c. quo in loco omnis ferè habitabilis terræ orbis à Vate deſcribitur, cuius cultores omnes Aſſyrij imperij tyrannidem ſenſêre. Hos omnes Vates noſter *Agri beſtias* appellat, Hebraicè *Behemoth agri*: vt nõ feras, ſed eas intelligamus animantes, quæ ſi non humana indigeant cura, tamen & victus & paſtus ratione plurimum cum armentis pecoribuſque conueniunt; cuiuſmodi ſunt cerui, damæ, ſilueſtres aſini, & alia id genus, quæ non cędibus & rapinis, ſed herbis fructibusq́. viuunt. Vt autem familiares & fidei domeſtici gregum & pecorum appellatione definiuntur, ſic gentes etiam harum animantium agri generibus componi aſſimilarique ſolent. Quibus omnibus grauiſſimam calamitatem & exitium allatum à ſe præuideri dicit, hoc modo:

Sed & beſtiæ agri quaſi area ſitiens imbrem ſuſpexerunt ad te: quoniam exiccati ſunt fontes aquarum: & ignis deuorauit ſpecioſa deſerti.

[*Sed & beſtiæ agri.*] Ipſa dicendi figura de re alia ſermonem haberi indicat: iam enim omnia confuſa turbataque videt, nullique genti, nulli nationi ſuas fortunas, imò neque proprias ſedes integras eſſe, hoſte illo, atque totius orbis tyranno vincente, expugnante, diripiente, vaſtanteque omnia; cui etiam illud ſolenne fuit, vt alias gentes ſuis locis & ſedibus radicitus cõuulſas, aliò cogeret migrare. Hoc autem totum, *beſtiæ agri*, hoc eſt animantium earum, quas diximus, ſimilitudine producta, perorat: quibus cùm paſcua, cùm aquæ defeciſſent, cùm omnis viuendi commoditas ſublata impedita interceptaque fuiſſet; cùm fontes obturati, fluuiique eſſent deriuati, & omnia alia belli incommoda tolerata, vnum illud extremum fuit Deum vltorem inuocare miſerrimorum omnium commune perfugium,
Habac.2. ſicut de hac eadem re & communi omnium hominum querela ſcriptum eſt: Laborabunt enim populi in multo igne, & gentes in vacuũ deficiẽt. Quia replebitur terra vt cognoſcat gloriam Domini quaſi aquæ operientes mare, &c.

CAPVT SECVNDVM.

CANITE *tuba in Sion, vlulate in monte ſancto meo; & conturbentur omnes habitatores terræ.*

COMMVNE Iſraëliticæ regionis excidium & ruinam hactenus Vates prædicens deplorauerat, Iudaicarum rerum mentione interim facta tantùm, vt ſacrificiorum ceſſatione prædicta euentum rei non rem ipſam depingeret: Nunc verò deinceps priorem illam Iudææ Solymorum & templi vaſtationem quæ Aſſyriorum armis & ignibus edita fuit, atque miſeram illam terræ ſolitudinem, ſeptuaginta annos duraturam prædicit, rem videlicet duriſſimam & vel auditu terribilem. hanc rem quia ad regnum Iuda pertinebat, atque adeò ad totius regionis caput Ieruſalem, Vates ita accuratè & plenè tractat, vt ob eam ſolam cauſſam vaticinandi munus illi ſuſceptum eſſe videatur. ex quo factum eſt vt inter eos vates numeraretur, qui propius ad Iuda regnum pertinerent: Namque cætera quæ Iſraëlitas attingebant, omnia ſimul cum Iudaicis permixta in ſuperioribus decantauit. nunc verò duplicem Iudaici populi ruinam duplex etiam ſacri illius fani incendium diſtinctis ſermonibus perſequitur. vtrique autem vaſtationi dicendę ſimile omnino fecit initium: [*Canite tuba in Sion, &c.*] Meminiſſe autem ad hanc rem oportuerit rei & inſtituti illius, quod quinquageſimo quoque anno publicè ex more atque ex veteri religionis diſciplina obſeruabatur; cùm omnium prædiorum & hæreditatum reſtitutio, cùm vnicuique ad propria reditus erat. Prima illa quinquageſimi anni dies Iobel ſiue Iubilæus vocabatur, quam arietini cornu ſonus magna cum pompa & ceremonia nuntiabat. erat autem illo tempore magna rerum mutatio cùm emptores emptis poſſeſſionibus cederent; venditores verò recuperatione legis in integrum reſtituerentur. ea res cùm omnium

nium vrbium & populorum rationes contractuſque tractaret, ad omnes in vniuerſum ſpectabat: nunc verò ſimili apparatu & ceremonia diem dici Vates iubet, qua Iudæis patrinatiuoque ſolo cedendum ſit, & terra ipſa proprio Domino, Deo inquam, liberè reſtituenda & relinquenda, quam malo dolo & ſumma fraude cultores iam tenebant, ex quo officium facere ſuum deſtiterunt: Nam præterquam quòd vitiis & ſceleribus terram ipſam ſanctam polluerunt; Iubilæorum & ſeptenniorum etiam ratio, quibus terra vſibus pauperum vacare debebat, iam apud illos quadringentis & triginta ferè annis obſoleuerat. quæ ſumma per ſeptem diuiſa ſeptuaginta annos in quotiente efficit; quibus annis ſolum vertere & terram quieti permittere coacti ſunt. quam rem & apud vates legimus, & reſtituendo in patriam populo in conditionibus poſitam videmus. ſi quis vero harum rerum ſummam intelligere cupiar, decimum Nehemiæ caput conſular. Ergo vt olim Iubilæi anno cornu ſonabatur, quo vnuſquiſque alienis poſſeſſionibus ſibi cedendum intelligeret, at dominis ipſis reſtitutio nuntiaretur (erat enim dies illa menſis decima maximè expectata iis qui ſuorum fundorū deſiderio tenebantur) ſic nunc cornu ſonari & vlulatu maximo diem quandam expectari Vates iubet, qua Iudæi omnes malè retentis poſſeſſionibus deturbandi eſſent; & in captiuitatem abducendi: Dominus verò ipſe in integrum reſtituendus. ſonus ergo Iubilæi atque tubæ Domino ius ſuum, terræ vero incolis deiectionem parari denuntiabat. Quamobrem vlulare & ſuam calamitatem lugere iubentur. [*Canite tuba in Sion.*] Hebraicè cornu pro tuba eſt, vt ad id, quod de Iubilæo diximus, res videatur eſſe relata. [*Vlulate in monte ſancto meo.*] Mons Sion idem mons ſanctus Dei dicitur. eſt autem repetitio ſiue heterosis numeri, quæ rem expolitione declarat: namque Siona montem ſanctum ſuum propterea Deus appellat, quod rem ſuam malo dolo ab aliis retentam repetere adornet. [*Montem ſanctum meum,*] à vobis iamdiu prophanatum & multis pollutum ſceleribus. vlulate ergo, vt qui malè retentis poſſeſſionibus citiſſimè eſtis deturbandi. Eam verò calamitatem non Ieroſolymitanis ſolùm, qui Sionis nomine continentur, ſed Iudæis omnibus quicunque eam regionem, quæ Iudæ & Biniamin ſorte obtigit, incolebant, communem fore declarat; atque ob eam rem addit: *Conturbentur omnes habitatores terræ.*] Magnum illis metum & curam iniicit, quorum res propediem ita turbandæ, ita miſcendæ eſſent, vt inferiora ſummis paria fierent, atque omnibus eodem crimine inuolutis par iudicium eſſet expectandum.

Quia venit dies Domini, quia propè eſt dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis: quaſi manè expanſum ſuper montes.

DIEM Domini aduentare ait, quo res ſuas repetat. Aduentare autem hoc eſt, propè iam eſſe, vt magis ab auditoribus timeatur. & qualis ſit is dies, quàm calamitoſus, & quantum omnibus terræ incolis formidandus, iis rebus deſcribitur, quæ maximo horrori & perturbationi hominibus eſſe ſolent: vt ſunt tenebræ & caligo. hæ res ſuo etiam tempore ſi veniant, hoc eſt, noctu, horrorem tamen & mœſtitiam atque timorem hominum animis incutiunt; nedum ſi die veniant, atque ipſam horis debitam lucem eripiant: ea ſumma hominum triſtitia, is metus, ea maxima turbatio eſt: neque enim per denſiſſimas tenebras ſaltem effugiendi periculi vlla aut ratio, aut via oſtenditur. quare non ſolùm ſalutis, ſed conſilij impotes homines redduntur. eam autem diem perpetuò obſcuram nullo lucis interuentu ſaltem breuiſſimo illuſtrandam fore; ſed ad noctem vſque caliginem & tenebras producendas eſſe dicit, vt nocti caligo, caligini nox viciſſim ſuccedat. Nam quo tempore in captiuitate perdurarunt, nox illis fuit mœſtiſſima & obſcuriſſima; quamdiu autem hoſtilem impetū ſuſtinuerunt, dies quidē (adhuc enim in ſuis ſedibus morabātur) caliginoſa tamen & acerbiſſima dies nihilo nocte leuior acta eſt. [*Quaſi manè expanſum ſuper montes.* Hebraicè, *quaſi ſahhar expanſum.*] habet Manè hoc nomen ex obſcuritate deductum: eſtque illud tempus quod antelucanum Latini nominant, idque ſub auroræ aſcenſum eſt: nam manè iam aduentante monteſque ſummos occupante (ſiquidem montes primi lucem accipiunt, poſtremi amittunt) tenebræ fugientes denſari magis & cogi in vallibus humilioribusque locis videntur, & maiori etiam, quàm per totam noctem caligine hominum oculos interturbant. ſimilem autem huic caliginem toto die illo Domini perſeueraturam Vates dicit, quæ non tam oculos, quàm animos perturbet & inuoluat. hoc tropo maximas calamitates infelicitatemque ſummam deſcribere auctores ſolent; vt illud apud Iob: Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt, conceptus eſt homo: Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus deſuper, & non illuſtretur lumine: obſcurent eum tenebræ & vmbra mortis, occupet eum caligo & inuoluatur amaritudine: Atque omnibus etiam nationibus eandem rem hæc oratio ſignificat.

Camhi. Ezech. 4.

Nehem. 10.

Iob 3.

Horat.lib.4. Od. 4. *Et pulcher fugatis Ille dies Latio tenebris*, inquit Poëta. Quales hominum animi forent, cuiuſmodi affecti perturbationibus, cùm hoſtili terrore tum propriarũ culparum conſcientia & metu, tum etiam diuinæ iræ atque vltionis formidine, cogitare potius quàm dicere eſt, neque alia melius ratione explicare, quàm vt omnia ad tenebras & caliginem reuocentur: venit enim dies Domini terribilis, cum ſinguli ſuis locis turbandi ſunt. nam quod anteà cùm iure & moribus deducere tentaret Deus, tamen ob obſtinatam hominum improbitatem non effecit; nunc armata manu vi tranſigere & efficere parat. quamobrem qui per vates ſuos cum his populis ex æquo & bono egerat, ſummo iure experiri inſtituit, & vim denuntiat.

Populus multus & fortis: ſimilis ei non fuit à principio, & poſt eum non erit vſque in annos generationis & generationis:

ASSYRIORVM exercitus deſcribit, qui copia & fortitudine cum nullo alio vnquam
Habba. 1. comparandi fuerunt. de quibus ſcriptum apud Habbakuq eſt: Quia ego ſuſcitabo Chaldæos gentem amaram & velocem ambulantem ſuper latitudinem terræ. Nunquam antea ab initio orbis par hominum armatorum manus illi, quam Nabugodonoſor in vrbis & templi excidium produxit, viſa eſt: neque etiam poſt illam tempeſtatem vſque ad Veſpaſiani & Titi tempora tantus in Iudæam eſt deductus exercitus. [*Et poſt eum non erit vſque in annos generationis & generationis.*] Aliud eſt dicere vſque in generationem & generationẽ, aliud vſque in annos generationis & generationis. prior ratio ſeculis, poſterior annis tranſigitur. ſi quid in generationem & generationem futurum dicitur, id nullum habet certum ter-
Luc. 1. minum; ſi verò ad annos res referatur, eam annis certis finiri poſſe intelligimus. Et miſericordia eius à progenie & in progeniem timentibus eum. æternum apud Deum eſſe miſericordiæ vſum erga eos qui ſe coluerint, ſignificat, certamque eſſe hanc & nullo tempore re-
Exod. 20. uocandam ſententiam: Viſitans peccata patrum in filios vſque ad tertiam & quartam generationem. certum pœnæ & vltionis temporalis ſpatium hæc oratio præſcribit. Neque his diſſimile eſt, quod Ioël certis ſeculorum, nempe vnius atq. alterius annis, tot militum copias in Iudæa non eſſe conſpiciendas dicit; nec tamen nunquam maiores fore confirmat: Nam copioſo magis exercitu in Palæſtinam Titus Ieruſalem expugnaturus inuaſit quingentis ferè annis poſtquam à Babylonijs res fuerat confecta. ne ergo ſibi parem exercitus impetum nunquam metuendũ eſſe putarent Iudæi, certum annorũ numerum non incerta ſecula hoc in loco audiunt: *Vſque in annos generationis & generationis.*] Generatio idem quod ſeculum hic eſt, quod octoginta, aut ad ſummum centum annorum ſpatio continetur. ducentis ergo poſt annis parem exercitum non eſſe cogendum, hoc certum illis ſtatumque fuit; nunquam verò amplius eſſe timendum, hoc non fuit certum: Nam ſi quis cum hoſte triginta annorum inducias paciſcitur, is non quadrageſimum, non quinquageſimum, non deinque quotquot poſtea ſequantur excludit annos, ſed integrum reliquum ſibi tempus ad cauſſam ſuam, cùm ſibi commodum viſum erit, denuo tractandam reſeruat.

Ante faciem eius ignis vorax, & poſt eum exurens flamma.

NVLLA earum quæ ſub cælo ſunt rerum natura ignis aut celerior aut efficientior eſt: cætera enim corpora vt aqua, vt aër & quæ ex his componi dicuntur, quæcunque ſunt, non ita citò penetrant, neque tam vehementem ſui ſenſum in animantiũ corporibus efficiunt, neque earum in vniuerſum vires ita plenè materiam omnẽ in qua verſantur conficiunt. Ignis verò efficientia tum fortiſſima, tum celerrima eſt, & quæ antè etiam quàm accedat, vim infert; quamobrem citiſſimis atque inſuperabilibus potentiis ſimilitudine accommodatur: Nam & Deus, cui nihil reſiſtere, cui nihil obſtare poteſt, ignis conſumens dicitur: & magni etiam ac fortiſſimi exercitus à Deo in impiorum perniciem miſſi igni ſimiles eſſe ſolent. cuiuſmodi nobis hoc in loco Aſſyriorum exercitus vim Ioël oſtendit; cui qui obſiſtere cogitauerit fruſtrà conabitur; antè enim quàm acceſſerit, iam omnia loca partim obſiſtentis metu, partim venientis impetu vaſta & ferè inania erunt. Etenim maximis agrorum & ſiluarum incendiis vbi nulla reprimendi flammæ impetus ſpes reliqua eſt, ſolent homines quæ ſalua eſſe maximè cupiunt, antè quàm ignis eò pertingat auferre & flammis eripere: cætera verò quæ pabulum incendio ferre poſſunt, vt ligna arida, vt tabulas materiemque omnẽ Vulcano venienti deuoranda obiicere, ne ſi temerè ſparſa offenderit, quàm latiſſimè ſe extendat. Itaque ad vaſtationem minuendã præuaſtatio atque excidium remedio eſt. Similem autem impetum & pares venturi in Iudæam exercitus vires fore dicit; cuius aduenientis metui non obſiſtendo, non defendendo, ſed fugiendo, pretioſiſſima quęque auferendo, demoliendo, præripiendoque proſpici poſſe videatur. ex quo fiet, vt antequam accedat, iam ſolitaria & penè vaſta omnia loca ſint, maximè autẽ agri & ſiluæ, qua ab agricolis

colis & paſtoribus à montanis vicorumque & pagorum inhabitatoribus deferentur. itaque iam aduentans quamuis nondum acceſſerit, nocebit tamen & perdet; nedum cùm iam loca tenuerit & occuparit: tunc enim nihil omnino ſaluum, nihil quod vaſtationem effugerit, reliquum erit, non villæ, non pagi, non plantæ, non fluuij, non fontes, non oppida, aut vrbes, non lapides & muri denique ipſi: omnia prædæ & rapinæ, omnia exciſioni & demolitioni erunt; nam quo veniente nihil tutum eſſe potuit, eodem abeunte nihil omnino fuerit ſaluum. propterea ait: *Et poſt eum exurens flamma.*] hoc eſt: nihil poſt eum niſi mera vaſtitas, niſi irreparabilis demolitio relinquetur. his ignis & flammæ ſimilitudinibus frequentes in hanc ſententiam auctores ſunt, vt: Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioſeph flamma, & domus Eſau ſtipula, & ſuccendentur in eis, & deuorabunt eos, & non erunt reliqui domus Eſau. & apud alienos auctores, Abdi.

Poſt certas hyemes vret Achaicus Ignis Iliacas domos. In omni autem agenda re eius qui agit tum voluntas tum etiam facultas ſpectari ſolet ad rei ipſius quæ agitur, magnitudinem arguendam. Atque hæc quæ modò explicata ratio eſt, ad facultatem pertinet, ex eo Dialecticorum loco, qui à ſimilitudine dicitur, producta. nunc verò facultatē ipſam & damnum potius atque nocumentū effectu demonſtrato arguit; vt enim cauſſa effectum indicat, ſic quod effectum eſt, quæ & quanta fuerit cauſſa demonſtrat. Atque effectus ipſe comparatione oſtenditur, comparantur enim varius loci ipſius ſtatus & facies, qualis ante hoſtis aduentum, & qualis poſt eius abitum fuerit. Horat lib. 1. Od. 15.

Quaſi hortus voluptatis terra coram eo, & poſt eum ſolitudo deſerti.

AMOENISSIMAM & cultiſſimam Iudæam regionem quondam fuiſſe diuinæ nobis & humanæ hiſtoriæ in primis tradunt, atque ipſa nunc vrbium, oppidorum, pagorumque veſtigia indicant: nam quæ plurimas poſſit alere ciuitates & populum multum, fertiliſſimam eſſe terram neceſſe eſt. Si autem Ioſepho Iudæo ſcriptori credendum eſt, ſolam Iudæ regionem ad decem millia vrbium illis temporibus continuiſſe accepimus, & Solymorum ſuburbana, vt idem auctor tradit, hortis & pomariis conſita paradiſi voluptatis ſpeciem (eius verbis vtimur) habuêre; tametſi Ieroſolymis non tanta vt in aliis locis, aquarum copia fuiſſet. Hanc ergo rem comparatione depingit Vates, & quantum Aſſyrius exercitus regioni nociturus eſſet, docet. [*Poſt eum ſolitudo.*] Ad homines & armenta atque pecora hoc nomen ſolitudo: *Deſerti* verò vox ad culturam & loci amœnitatem fertilitatemque pertinet. Id autem quod additum eſt, Ioſ ph. Hebraicè lib. 1.

Neque eſt qui effugiat eum, & Hebraicè dicitur, *Euaſio non eſt ei*,

NVLLAM ſalutis publicæ aut priuatæ vel minimam ſpem fore ſignificat: nullus enim locus in tota terra erit, quo vel ſe vel ſuas res quiſquam tueri & defendere poſſit; omnia enim loca ignis ille pertinget, omnia occupabit, omnia vaſtabit: quòd ſi ſedes relinquere, & in aliam regionem aufugere conſilium ſit, eò tandem huius dominatione & tyrannidem, huius impetum & vim eſſe peruenturam. cùm verò iam ex facultate effectum, atq. ex effectu facultatem oſtenderit; deinde porrò ipſam vim & copiam expoſitione & partitione declarat, ſimul & nocendi arguit voluntatem.

Quaſi aſpectus equorum, aſpectus eorum: & quaſi equites ſic current.

CORPORIS & membrorum magnitudinem, animique ferociam & dexteritatem in bello, necnon & pugnandi cupiditatem, quanta hæc in Aſſyrio milite futura eſſent, deſcribit. eam autem rem equorum imagine propoſita oſtendit, quibus perſimilis hoſtis futurus eſt. namque id animal natura magnum & promptum atque intrepidum eſt, & ad bella ac pugnas committendum in primis aptum atque auidum; quamobrem belli ſymbolū apud antiquos fuit; nam vt oliua pacem, ſic equus bellum hominum generi nocentiſſimum ſignificabat, ſicut ſcriptum eſt: Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circundabis collo eius hinnitum? Nunquid ſuſcitabis eum quaſi locuſtas, gloriam narium eius terror. Terram vngula fodit, exultat audacter, in occurſum pergit armatis. Contemnit pauorem, nec cedit gladio. Super ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta & clypeus. Feruens & fremens ſorbet terram, nec reputat tubæ ſonare clangorem. Vbi audierit buccinam, dicit vah: Procul odoratur bellum, exhortationē ducum & vlulatum exercitus. Talem autē ſeſe animo, viribus & celeritate Babylonicum hoſtem aduerſus Iudæos præſtiturum eſſe Ioël docet. Iob 39.

Sicut ſonitus quadrigarum ſuper capita montium exilient: ſicut ſonitus flammæ ignis deuorantis ſtipulam, velut populus fortis præparatus ad prœlium.

OMNIA hæc ad voluntatis argumentum & indicium pertinent: nam peditum velocitatem & curſus contentionem ſimilem equitibus fore prædixerat, ita vt effugere ſequen-

tem nulli, neque equiti, neque pediti poſſet contingere; nunc terrorem & metum quem ipſo impetu & celeritate, aut vocibus incutient, oſtendit: nam contento curſu etiam montes ſuperabunt, eoque fragore & ſtrepitu, vt non pedites aut equites, ſed totidem armati currus eſſe credantur: tanto autem fortius ſonabunt, quanto fortior ex montibus quàm ex vallibus ſonus & voces audiri conſueuêre. Hæc in ſingulis eorum ratio vocis & motus & curſus erit; omnium autem ſimul terribilis & permiſtus ſtrepitus venientium, ei perſimilis, quem flammæ, vbi aridas ſtipulas, paleas & ſpinas cõprehenderint, edere ſolent, vt vel ipſo ſtrepitu, fremitu & clamore maximus metus & vehementiſſimus terror iis quibus ea peſtis imminet, incutiatur. hoc eſt quod ait:

A facie eius cruciabuntur populi, omnes vultus redigentur in ollam.

Job 5. 11. Pindar fragmen. 30. METVS ſanguine primum ad cor refugiente principio pallidos, deinde verò eodẽ conturbato atque refuſo nigros efficit vultus. Eſt autem niger color omnium teterrimus, & ad miſeriam atque calamitatem plerunque refertur; vt apud Iob: Qui ponit humiles in ſublimi, & obſcuratos erigit ſoſpitate. ſed & Pindarus nigredinem, triſtitiam & miſeriam appellauit. Rem autem ipſam noſter vates naturæ ordine deſcripſit: nam cauſſam prius, deinde cauſſæ oſtendit effectum: ipſo enim tanti mali ſpectaculo tantum timorem humanos animos peruaſurum eſſe dicit, vt vultus ollis fumo denigratis perſimiles reddantur.

Sicut fortes current, quaſi viri bellatores aſcendent murum, viri in vijs ſuis gradientur, & non declinabunt à ſemitis ſuis.

QVANTVM terrorem, quantum expectantibus metum Aſſyriorum acies vel ipſo ſui ſpectaculo incuſſuræ eſſent, docuerat Vates. Sed vſu tamen aliquando venire ſolet, vt ex maximo & copioſiſſimo exercitu non tantum mali ac damni, quantum metueris, accipias; neque res geſtæ minis & terroribus pares reſpondeant: vel quòd vulgaris militũ copia clamore, quàm manu promptior ſit; vel quòd bellici vſus & diſciplinæ ignara, neq. ordinem aut modum in prœlio tenere nouerit. quare & ipſa ſibi multitudo impedimento potius, quàm adiumento eſt: vel tandem quòd non tam patientes laborum omnes in tanto numero ſint, vt diuturni belli moleſtiam perferre poſſint; namque hęc omnia animi potius fortitudine, diſciplina, vſu atque exercitatione, quàm multitudine & copia conſtant. Legimus autem in antiquis hiſtoriis, & noſtra etiam memoria vidimus, ſummos quoſdã & ſapientes duces fuiſſe qui paucis & bene inſtructis militibus maximorum exercituum impetus virtute atque arte ſuſtinuerint & perfregerint. Sed ne quid his ſimile ſibi perſuadere aut ſperare Iſraëlitica gens, & cæteræ etiam, quibus hoc malum imminebat, nationes poſſent, diligenti hoſtilium rationum deſcriptione huic cogitationi Vates occurrit, oſtenditque qualibus animis, cuiuſmodi diſciplina, qua dexteritate & vſu inſtructi Aſſyrij bellum capeſſent. Singulas verò res diligenter enumerat atque appoſitis notis demonſtrat. Primùm autem in bellis gerendis curſu valere laus eſt, non vt victorem fugias, ſed vt victum & cedentem perſecutus comprehendas. currendi itaque facultatem virilem & giganteam illis adſcribit. [*Sicut fortes current.* Hebraicè eſt, *Sicut gigantes current.*] Alluditque ad illud, Ex-
Pſalm. 18. ultauit vt gigas ad currendam viam. Curſus ergo illis victoriæ, non timiditatis, non fugæ, turbatus, ſed conſtans & exultans, qualis equorum, non qualis ceruorum eſt: idemque ad bellicam rem exercitatiſſimus vt nullo obice valeat impediri. Eſt autem illud artis & bellicæ prudentiæ conſilium, copioſum hoſtium exercitũ in anguſtis expectare locis, vbi commodius à paucis & ſtrenuis, quàm à multitudine res expeditur: tamen ad eam quoque rationem ita comparati Babylonici erant, vt nullis anguſtiis premi, nullis poſſint montium aut rupiũ difficultatibus impediri; quippe qui non ſolùm montes & colles decliuiaq. loca, ſed muros etiam ad perpendiculũ extructos ſtrenuè aſcendere & ſuperare poſſint: etenim manibus pedibusque vti pro rerum & temporum opportunitate atque quocunque loco hærentem victoriam petere, conſequi & reportare didicêre. hoc eſt quod dicit: *Quaſi viri bellatores aſcendent murum.*] non nudi, non inermes, ſed armati etiam & clypeo & gladio aſtricto, ita vt aſcendentes etiam pugnare poſſint. Quod verò ad multitudinẽ attinet, tunc inutilis copia eſſe ſolet, cùm in ordinem redigi non potuit, ita vt alij aliis, quò minus rem ſtrenuè agant, impedimento ſint. Quamobrem qui bellandi peritiſſimi fuerunt, ordines certos excogitauere, quibus acies, cuneosque diſponerent, eamq. rationem religioſiſſimè & ſeueriſſime obſeruari voluerunt, ne quis ſuum deſereret, néue alterius locum occuparet. Si cui autem huius rei imaginem intueri libeat, Vegetium, Tulliumq. & alios ex antiquis & nouis
Veget. Tull. de re milit. auctoribus de re militari ſcribentes adeat. maximam enim partem in quacunq. agenda re ordo & ſeries ſibi vẽdicat; ſed id in bello præcipuè cognoſcitur, vbi niſi ordo adſit, ipſi ſibi mutuò commilitones non impedimẽto ſolùm, ſed exitio etiam ſunt. Aſſyrij ergo duces ſic

inſtruere acies,ſic inſtructos ordines deducere nouerant; ipſi autem milites ſuum quiſque locum ſic tueri,vt ſi animum & virtutem ſpectes,ſinguli milites integrum exercitũ referre; ſi verò ordinem,ſingulæ acies ſingulis tantùm militibus conſtare viderentur;ita cuiq.ſuus, cuiq.cõmodus atque opportunus conſtabat locus. ex quo fit,vt nec multitudine ſuperari, nec virtute vinci,nec arte aut cõſilio frangi aut impediri poſſint. perinde enim liberi & expediti omnes,& commodiſſimis ſpatiis diſtincti incedent, vt ſuam ſingulis viam ſeorſum munitam eſſe putes.Igitur *viri in vijs ſuis gradientur: & non declinabunt à ſemitis ſuis.*] nec metu, nec alio quouis impetu aut caſu deterriti; tanta illis in ordine ſeruando peritia, tanta religio,tanta in deſerendo pœnæ ſeueritas eſt. Vbi Latinè legimus *viri*, Hebraicè eſt *vir* quod nomen in loco diſtributionem, quam dialectici ſingularem vocant, ſignificat;idem quod apud nos vnuſquiſque, vel ſinguli. idem autem nomen in ſequenti verſu eſt:

Vnuſquiſque fratrem ſuum non coarctabit.

SED ſingulis rei gerendæ ſua integra erit commoditas. Neque verò ſinguli inter ſe milites ſtationem ordinemq́ue tenebunt,ſed cunei etiam ipſi,acies & alæ & vnaquæque exercitus pars ſuum nomen,ſuam figuram & munus ſuum vt ſortita fuerit, rectè conſeruabit. hoc eſt quod dicit:

Singuli in calle ſuo ambulabunt.

QVÒD ſi ad huiuſmodi artes & diſciplinas vnam apprimè neceſſariam rem ſecum miles afferat,nihil eſt quod in eo deſiderari,nihil quod aduerſus eum poſſit ſperari. Id autem eſt animus ab omni metu atque ab omni cupiditate alienus;vtraque enim res metus & cupiditas tum menti conſilium,& libertatem, tum robur corporibus detrahere imminuereq́ue ſolet:vt ob certum periculum,aut ob præſentem prædæ aut lucri opportunitatem,ſtatio deſerta officium proditum,& res infecta demum reddatur. nec minus his animi perturbationibus Aſſyrius miles carebit, quàm cæteris virtutibus & bellicis artibus atque inſtitutis abundabit;namque non ſolùm pericula non expaueſcet, ſed vltrò ipſa gloriæ victoriæq́ue ſtudio adibit.ad prædæ autem & ſpoliorum contemptionem ita erit animatus, vt nihil omnino cupiat, nihili lucrum aut quæſtum faciat.

Per feneſtram cadent, & non demolientur. ſic Latinè. Hebraicè autem ſic:*Super gladium irruent; & non concupiſcent.*

PRIOR pars obiecti periculi,poſterior verò lucri contemptionem ſignificat:ipſe enim hoſtilem gladium ita contemnet,vt vltrò etiam petat,& viuenti etiam hoſti detrahat; tam intrepidus animus,tanta dexteritas, tanta in conficiendo celeritas & felicitas erit. Si verò vulgata ſpectetur editio,ad dexteritatem & felicitatem res eſt reuocanda; cùm è feneſtris ſaltu aut caſu deiectos læſum non iri confirmet. Quoniam verò bellica laus nõ in victoria ſolùm,ſed magis etiam in victoriæ vſu poſita eſt: Namque nonnulli duces fuerunt,qui vincere ſcirent, victoria vti neſcirent,quod & Hannibali Carthaginenſi obiectum aliquando fuit. Ea res plerunq.aut conſilij inopia aut militum laſſitudine, aut etiam prædæ & ſpoliorum cupiditate retardante, accidit. Tum verò maximè conſilio & virtute opus eſt, quòd minimum hæc ſi abundent, ſi autem deficiant,plurimum incommodi poſſint afferre; vbi hoſtis in prœlio victus,& intra mœnia coactus eſt; namque tunc deſperatis extrema omnia tentari,tunc artes & doli intendi,tunc vires ad ſui vltionem ex ipſa etiam mortis certitudine peti addiq́ue ſolent.pars è muris propugnare & portarum clauſtra munire, pars ianuis occluſis ſibi intra domos conſulere,alij vias occupare atque defendere: ſed iis tamen omnibus ſuperiorem ſe Aſſyrius miles præbebit.namque non ſpoliorum & prædæ;ſed victoriæ cupiditate,non ſparſi aut temerario impetu,ſed certis cuneis & copiis coactis plures ſimul partim effractis foribus vrbem inuadent; partim muros ipſos cum maxima propugnantium pernicie occupabunt;alii clauſarum domorum tecta conſcendent, vnde ſubiectis cuſtodibus impunè nocere poſſint;quidam etiam per feneſtras ſubeuntes reductos intra domum homines & ad portas defendendas conſtitutos neque opinantes ſubitò oppriment,hoc eſt quod ait,*tanquam fur*, quem neſcias vnde,aut qua hora venturum expectes. atque ita ſinguli omneſq́ue ſimul ſuas partes agent,vt ad victoriam, ad gloriã, ad hominum aliorum perniciem,non ad ſua cuiuſque commoda comparati eſſe videantur.quibus ex rebus fiet,vt neque foris,neque domi,neque virtute,neque arte, neque conſilio, neque dolo aut alio quouis modo ſuperari aut effugi poſſint. Namque

Vrbem ingredientur, & in muro current: domos conſcendent, & per feneſtras intrabunt quaſi fur.

Tantam autem calamitatem & humanarum rerum ruinam ſigna etiam quædam & prodigia tum in cælo,tum in terra præcedent; qualia ante maximas & nobiliſſimas rerum muta-

mutationes in antiquis hiſtoriis contigiſſe legimus, vt vel his ſignis reſtatum eſſe poſſit rem non fortuna, non caſu accidere, ſed Dei cælum, terram ac maria temperantis conſilio euenire; neque enim caſus aut temeritas hoc efficere poteſt, vt ex eodem hominũ genere pars quædam ſubitò vires atque animos fortiſſimos induat, cæteriſque vim inferat omnibus & iugum imponat ſeruitutis grauiſſimum, atque hæc rurſus victrix pars victę ſubitò ſuccumbat, illis viribus, illis animis; quos ante habuerat, penitus deſtituta; hæc omnia præterquam quòd ratio ipſa diuino conſilio & nutu agi regique arguit, ſigna etiam & prodigia opportunè edita declarant, ſed multò etiam magis vaticinia diuinaque probant oracula. Prodigia autem tum in cælo, tum in terra, tum in vniuerſa natura fieri ſolent. cuiuſmodi terræ tremor, cælorum concuſſio, luminariumque obſcuratio eſt, & marinæ etiam inſuetæ procellæ, atque terribilis fluctuum cum exundatione ſonitus, fluuiorum etiam recurſus, petrarumque concuſſiones & motus. huiuſmodi prodigia Chriſti redemptoris mortem ſecuta
Matt. 14. diuinitatem illius gentibus etiam à religione alienis teſtata ſunt.

A facie eius contremuit terra, moti ſunt cæli, Sol & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum.

Hæc nos non hyperbolicè dicta interpretamur, nec ad homines tantùm relata volumus, vt aduentante hoſte Iudæi in eum terrorem, in eam ſint trepidationem venturi quaſi terra tremeret, cæli concuterentur, & ſplendorem ſol & luna negarent. qualia multa à poëtis componi ſolent, magnum hominum metum, magnam rerum trepidationem ſignificantibus. nam quales hominibus futuri eſſent perturbationes, quanti pauores, quàm impotens metus, iam Vates noſter dixerat; A facie eius cruciabuntur populi, omnes vultus redigentur in ollã. ſed quæ hic dicũtur ſimpliciter expectanda accipimus, quemadmodum & illa à Chriſto diuino verbo prædicta: Erunt ſigna in ſole & luna & in ſtellis, &c. quarum prædictionum ipſa res & veritas, non autem hyperbolica ratio expectanda eſt: Namque, vt diximus, hæc cælo terraque edita ſigna diuinam prouidentiam & conſilium præſens etiam impiis hominibus, etiam prouidentiam negantibus teſtantur. legimus enim quoſdam qui Deos eſſe negarent, & omnia caſu & temerario concurſu conſtare dicerent, tamen tonitruis, fulminibus ſubitisq. cæli tempeſtatibus perterrefactos diuinæ vltionis me-
Pſal. 28. tu tactos fuiſſe, ſicut ſcriptum eſt: Vox Domini ſuper montes, Dominus ſuper aquas mul-
„ tas; vox Domini confringentis cedros, vox Domini commouentis deſertum Cades, &
„ confringet Dominus cedros Libani, vox Domini reuelantis condenſa, & in templo eius
„ omnes dicent gloriam. & vnus quiſpiam ex his impiis in hanc etiam ſententiam tandem confitetur:

Horat. lib. 1. Ode. 34.

Parcus Deorum cultor, & infrequens,
Inſanientis dum ſapientiæ
Conſultus erro, nunc retrorſum
Vela dare, atque iterare curſus
Cogor relictos. namque Dieſpiter
Igni coruſco nubila diuidens,
Plerumque per purum tonanteis
Egit equos, volucremque currum, &c.

tandem ſubdit:

Valet ima ſummis
Mutare, & inſignem attenuat Deus
Obſcura promeas, &c.

Magnum profectò prouidentiæ teſtimonium vnà cum terrore & metu hæc prodigia & ſigna hominibus etiam impiis parant, ſed tamen vaticiniorum oracula & prædictiones omnium teſtimoniorum longè grauiſſima & certiſſima ſunt: cùm res verbis & oratione prædictæ, cùm rerum cauſſæ & euenta, antecedentia & conſequentia demõſtrata nullum impietati, nullum ſtultitiæ, malitiæ denique humanæ nullum ad rem ſecus interpretandam locum relinquunt. Quamobrem non ſolum prodigiis & portentis, ſed oraculis & propria diuinaque voce ſeſe conſilium ſuum teſtaturum eſſe Deus ait, vt nulla ex his maximis & grauiſſimis rebus antè eueniat. quàm ab ipſo per vates ſuos excitata atque vocata fuerit; neque cuiquam hominum moliri aliquid ſine eius conſilio aut permiſſu liceat; & quò maiori mole aliquid incœptum factumque fuerit, eò magis probabile eſt Deo id auctore contigiſſe: nam quod reliquas omnes humanas ſuperat vires, id non tam humanum, quam diuinum eſſe ratio ipſa euincit. ob eam autem rem Vates ait:

Et Dominus dedit vocem ſuam ante faciem exercitus ſui: Quia multa ſunt nimis caſtra eius: quia fortia; facientia verbum eius: magnus enim eſt dies Domini & terribilis valde, & quis ſuſtinebit eum?

Qvemadmodvm maximi Imperatores penes quos rerum ſumma eſt, exercitus ſuos quocunque volunt, vocant & dirigunt, neque quicquam ſine eorum imperio aut conſilio à cæteris ducibus fit, aliàs enim neque certa atque integra ad agendum ratio eſſet, neque

neque res ex adminiſtrantium ſententia ſuccederet. ſic tantum, tam fortiſſimum, tamque omnibus rebus & artibus inſtructum exercitum comparare, colligere, atque in perniciem orbis, maximè autem Iſraëlitici populi ducere, non niſi diuino contingere poteſt conſilio. huius autem conſilij index vox diuina eſt, multo antè tempore per vates pronuntiata, qua impiis & ſceleratis hominibus bellum indicitur, & duces ipſi, per quos agenda res eſt, ad conducendos milites, atque ad expeditionem parandam animantur. hoc enim conſilio & verbo diuino, hac diuinæ voluntatis vi & efficientia, numerus & vires exercitibus adduntur, ac bellicæ diſciplinæ inſtituta facilius & melius capiuntur & tenentur. ergo ipſa exercitus magnitudo, robur & conſtans virtus ac diſciplina ſummum imperatorem præeſſe arguit & probat: nam maximè & optimè inſtructi exercitus optimum & maximum eſſe conuenit Imperatorem. Multa eſſe caſtra nimis, ad numerum pertinet; fortia verò, ad virtutem & diſciplinam: ad quam etiam illud: *Et facientia verbum eius.*] ad hoc enim comparatus tantus exercitus, ad hoc inſtructus & tanto robore ac dexteritate auctus eſt, *Vt faciat verbum Domini*, atque prompta manu in omnes ſceleratas & impias nationes, maximè autem Iudæos diuinæ vltionis miniſtrum ſe præbeat, ſicut ſcriptum eſt: Domine in iudicium poſuiſti eum, & fortem vt corriperes fundaſti eum. Duas autem magni momenti res hic locus nos docet; altera eſt, humanam potentiam, copias, felicitatemque omnem non caſui, non fortunæ, non propriis, ſed diuinis conſiliis accepta referenda eſſe, atque ad eam normam gerendarum rationes rerum eſſe dirigendas. Altera verò res eſt; non licere hominibus diuina conſilia contemnere, aut pietatem deſerere, neque iis qui hæc admiſerint ſecuris agere & ſine metu; nam vt lenta ſit, tamen maxima & grauiſſima diuina ira & vltio eſt. id quod ex ipſo apparatu arguitur: quò enim tardius res agitur & paratur, eò grauiori creſcit & perficitur mole. quantus autem & quàm inſtructus Babyloniorum exercitus à Deo vocatus, & ad totius orbis impietatem & ſcelera vlciſcenda ductus fuerit, ille eiuſdem ſententiæ apud Iſaiam, locus declarat: Et eleuabit ſignum in nationibus procul, & ſibilabit ad eum de finibus terræ: & ecce feſtinus velociter veniet. Non eſt deficiens neque laborans in eo: nō dormitabit neque dormiet, neque ſoluetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calceamenti eius. Sagittæ eius acutæ, & omnes arcus eius extenti. vngulæ equorum eius vt ſilex, & rotæ eius quaſi impetus tempeſtatis. rugitus eius vt leonis, rugiet vt catuli leonum, & frendet & tenebit prædam, & amplexabitur, & non erit qui eruat. & ſonabit ſuper eum in die illa ſicut ſonitus maris: aſpiciemus in terram, & ecce tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata eſt in caligine eius. Hic locus planè cum hac Ioëlis ſententia conuenit, deq. eadem re omnino eſt. atque hæc vox etiam eſt quam Dominus dedit à facie exercitus ſui. [*Quia magna dies Domini.*] diem vltionis ſignificat, cùm Deus qui ſe miſericordē, qui patientem & diſſimulantem peccata hominum propter pœnitentiam eò vſque prębuerat, ſe tandem iudicem præbebit. [*Et quis ſuſtinebit eum?*] magnitudinem & difficultatem inenarrabilem hæc dicendi figura oſtendit; nam cùm Vates interrogat, *Quis ſuſtinebit eum?*] ſe id neſcire confirmat. ſed quæ res vatum diuinam mentem fugiat, eam rem nemini alij certam eſſe conſtat. ſic apud Pſaltem: Quis nouit poteſtatem iræ tuæ & præ timore tuo iram tuam dinumerare?

Habbak. 1. — Iſai. 5. — Pſalm. 89.

Nunc ergo, dicit Dominus, conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu.

[NVNC ERGO, Hebraicè *Etiam nunc.*] Miſericors & miſerator, & iuſtus Dominus, qui non in perpetuum iraſcitur, neque in æternum comminabitur, non ſecundū peccata hominum faciet eis, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos facit ſperantes in ſe. Pſalm. Ipſe inuitus punit, ipſe vltrò miſericordem ſeſe promittit & præſtat: iam nunc in ipſa calamitatum prædictione, iam inter minas ipſas miſericordiam cogitat, iam res reſtituendas vltrò ipſe parat, & quibus rebus hoc præſtari poſſit, eas res iam adornari & inſtrui iubet. Atque in hoc loco diuina illa Iudaicarum rerum reſtitutio prædicitur, quæ poſt certos annos, hoc eſt, ſeptuaginta, contigit: quam Deus, vt illi maximo ſuo conſilio de humani generis ſalute non deeſſet, effecit: Noluit enim eam gentem, ex qua maximus ille totius orbis redemptor oriturus erat, omnino perire, ſed eò vſque conſeruare & fouere, quoad res illa tam præclara, tam omnium maximè neceſſaria procuretur. Quoniam autem diuinæ miſericordiæ maxima beneficia ſine fide & pœnitentia planè vt hominibus contingant, non conuenit, ob eam rem ad pœnitentiæ ſtudium etiam in hoc tempore & in hac conditione conſtitutos Iudæos diuino verbo Vates hortatur. eam autem veram eſſe pœnitentiam non ſimulatam vult, quæ internis animi virtutibus & veritate magis quàm externa aliqua ſpecie & vmbra paretur. Eam verò rem diuini ingenij deſcriptione & conſilij etiam demonſtratione ſuadet, cùm Deus miſericordem ſe & ſui ſimilem ſemper profeſſus fuerit & præſtiterit. Conuerſionem in corde primùm deſiderat; deinde huius conuerſionis argumenta

publicè

publicè oſtendi iubet: *in ieiunio, fletu & planctu.*] hæc enim ſi purè ſanctéque fiant, non quidem conuerſio ipſa, ſed laudatiſſima conuerſionis ſunt argumenta. atque hæc pœnitentium hominum exercitationes & ſtudia hominem ipſum propius, quam cæteræ res & ſpecies attingunt. propterea ait:

Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.

Miſnaloth de volumine paruo, c. 3. VESTES in magnis doloribus, à collo ad pectus ſecundum humeros ſcindere motis fuit antiquis. ſed ieiunium, fletus & planctus ex animi magis ſtudio & voluntate orta videntur, & eius apud quem agitur animum vehementius mouent: veram ergo eſſe cordium, hoc eſt, voluntatum ſciſſionem, veram conſiliorum, ſtudiorum & totius vitæ emendationem vult, non quæ externa vmbra aliqua ſine vlla veritate præſtetur. Cuiuſmodi illud eſt: Cùm ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, exterminant enim facies ſuas, vt appareât hominibus ieiunantes: namque vera & commodiſſima pœnitentia Deo potius, quàm hominibus ſeſe probare amat, ſicut ſcriptum eſt: Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. huiuſmodi ergo conuerſionem Deo probandam ſuadet Vates; quam, ſi vera & probata fuerit, nunquam fore vanam, nunquam fructu cariturum confirmat; agitur enim res cum Deo natura ſua ad miſericordiam propenſo, ad benignitatem facillimo, ad iram tardiſſimo: neque enim per ſingulos dies iraſcitur: conſequens ergo eſt, ſi ab eis res rectè procurata ſit, per Deum non eſſe repugnandum, quominus aliqua illis ſalus reſtituatur. Igitur,

Matth. 7.

Pſalm. 51.

Conuertimini ad Dominum Deum veſtrum.

יהוה DVO nomina hîc ſunt, Dominus, quod Hebraicè eſt quatuor literis conſtans nomen, aliâs ineffabile, cuius nominis ea quæ frequẽtius obſeruatur ratio, ad miſericordiã ſpectat;
אלהים Alterum nomen eſt ELOHIM, quod ad mundi gubernationem propriè pertinet. eſt autem huiuſmodi ſententia: Cogitate quemadmodum paranda atque agenda vobis pœnitentia ſit, & ad quem vobis tota hæc ratio referenda eſt, *Ad Dominum,*] ſcilicet miſericordem & benignum gubernatorem & principem veſtrum, cui vos olim in proprium peculium fuiſtis egregiè præter cæteros homines delecti. quàm certa verò vobis hæc merces futura ſit, quàm magnum quæſtum factura, ipſum Dei veſtri ingenium cogitare & ſpectare iubet.

Quia benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia.

SINGVLA verba vt ad amuſſim expenderentur, maiori tum ſpatio tum ingenio opus erat: Sunt enim hæc ex his quæ Dei mores (vt ab Hebræis dicitur) explicant, quorum perpetuam cogitationem hominibus eſſe oportebat. ſed breuiter ſingulorum indicabimus originẽ, vt piis animis ad ſignificationis & ſententiarum cum magna delectatione atque
חנון vtilitate veſtigandam magnitudinem aditus aperiatur. Prima vox eſt HANNVN, pro qua interpres Latinæ linguæ inopia non incommodè reddit benignus. ſed vox ipſa gratiam propriè ſonat, hoc eſt, naturam & voluntatem ad beneficentiam vltrò propenſam: & quæ antequam petatur, quid opus aliis ſit & intelligat & donare cogitet. huic rei non diſſimilis benignitatis ſignificatio apud Latinos eſt. vt illud: *Quippe benignus erat.* Poteſt etiam nomen HANNVN Latinè verti Gratuitus, cui mercenarius, & conductus opponuntur: nam liberalitatem gratuitam, hoc eſt, ſine præmio, ſine mercede benignam, & gratuita etiam ſuffragia Cicero dixit. Secunda verò vox eſt RAHHVM, quod grauiorẽ etiam habet ſignificationem: Quippe ex eodem fonte hoc nomen deriuatur, ex quo REHHEM, quod viſcera materna ſignificat. quòd ſi nobis vocabula Latinè fingere liceret, quemadmodum Theologis illis Ortuino atque ſociis licebat, libenter pro RAHHVM redderemus viſceratiſſimum, hoc enim vocabulo illi inter alia vſi ſunt. Hiſpanus quidem ſermo congruens huic verbo, verbum habet, *entrañable* & *deſentrañarſe.* quibus vocibus amorem internum vehementiſſimum ex ipſis viſceribus emanantem indicat: Latinæ tamen linguæ religio huiuſmodi etiam fingendi compeſcit audaciam, ſed circumloquiis & deſcriptionibus hæc ſimplicium verborum egeſtas ſuſtentanda eſt. Tertium verbum eſt, *Patiens.* Hebraicè
ארך אפים ERECHAPPAIM; quod ad verbum, longis naribus hominem ſignificat: nam qui breuioribus naribus ſunt, citiſſimè irarum fumos concipere, & tardiſſimè ac difficillimè efflare deponereque iram ſolent: Iræ enim ſedes & origo in iecore præcipuè eſt; argumentum verò in naribus. contrà qui maiores narium feneſtras habent, & tardius iraſcuntur, & facilius ac citius placantur. huic rei ſimilem naturam Deo aſſcribit Vates; non cui nares, aut mẽbra alia ſint, ſed cui eminenter illa virtus atq. patientia longa ſit diſſimulatio, quæ in iis, quibus lentiſſima ira & longiſſimæ nares ſunt, laudari ſolet: nã quidquid in creaturis boni eſt, in Deo eminenter eſſe communis omnium Theologorum ſententia docet. Quartum autem verbum eſt, *Multæ miſericordiæ.* Hebraicè verò *Multus miſericordia.*] eſtq. id quod diuus

Hora. Serm. lib. 1. Sat. 2. Cice. in Philoſoph. lib. 2 pag. 195. Orat. lib. 2. pag. 270.

רחום
רחם

Paulus, diues in miſericordia, interpretatur, qui non parcè, non coactè miſericordiam impartiri ſoleat, ſed plus etiam quàm petimus aut intelligimus; namque in ea re ſe maximè diuitem oſtendit: ſi enim ſapientiam eius conſideres, ſi virtutem, ſi harum rerum ſingula genera & argumenta expendas, omnino infinitum atque immenſum pelagus tentaueris. ſi verò miſericordiam eius à generatione in generationem erga timentes eum cogitare velis, profectò in illud prorumpes: Suauis Dominus in vniuerſis, & miſericordia eius ſuper omnia opera eius. Pſal. 144. Vltimum porrò verbum eſt, *Præſtabilis ſuper malitia.*] hic dicendi modus frequens in ſacris libris eſt, quem non perpetuò iiſdem verbis Latinus reddit interpres. Hebraicę voces propriè ſignificant, conſolabilis ſuper malum. ſignificat autẽ animum placatu facillimum, & qui facilè odium, minas & nocendi cogitationem deponat. cui vel malum iam inferenti, tamen verbera & virgas aliaq́. omnia arma è manibus orando & ſupplicando eripere non ſit prorſus difficillimum. Eodem dicendi modo vſus eſt Moſes, vbi Latinus vertit: Eſto placabilis ſuper malitia populi tui. & paulò inferius: Placatus, inquit, eſt Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduerſus populum ſuum. & apud Ieremiam: Agam, inquit Deus, ego pœnitentiam de malo, quod cogitaui facere ei. idem verbum NAHHAM eſt, pro quo nunc placabilis, nunc placatus, nunc verò pœnitens, atque hoc in loco præſtabilis Latinus interpres reddit. *Malitia* autem in his omnibus locis pœnas & ſupplicia intelligimus à Deo iuſtè in ſceleratos illata; cui nomini ſi caſus genitiuus adiungitur, eum caſum paſſiuè accipi conuenit. *Malitia* populi tui; hoc eſt malo & pœnis à populo tuo ſuſtinendis. Iam verò hæc omnia ſimul iuncta, Domini Dei noſtri ingenium nobis cogitandum proponunt: nempe naturam ſpontè ad gratiam, ad gratuitum beneficium propenſam, viſceribus amantiſſimis præditam, ad iram lentam, & ad placandum facillimam, quæ peccata hominum diu propter pœnitentiam diſſimulet, cui nullus miſericordiarũ numerus eſt, ſed qui affluenter omnibus dat, atque in ea re ſuas maximè diuitias ſpectandas proponere gaudet, atque adeò ab ira, à nocendi & puniendi cupiditate ſeſe præbeat alienum, vt vel in ipſo iuſtæ animaduerſionis articulo & ſupplicium de hominibus ſumere doleat, & ſe exorari libenter ſinat, ſi modò ea res rectè & legitimè procurata ſit. Cùm ergo talem ſe ſemper Deus profeſſus omnibus argumentis præbuerit, quis tam ſuæ ſalutis negligens, quis tam huius veritatis ignarus eſt, qui hanc tam certam artem non eſſe experiendã exiſtimet? aut quis certum exploratumq́ue habeat vel Dei iram hac in re non placatum iri, vel humanam malitiam vt non ſibi placatus Deus ſit, fuiſſe commeritam?

Exod. 32. " " Ierem. 18. נחם 1. Cor. 12. Rom. 10.

Quis ſcit ſi conuertatur, & ignoſcat Deus, & relinquat poſt ſe benedictionem, ſacrificium & libamen Domino Deo noſtro?

NON ambigit Vates an Deus placari poſſit, quem placandum ipſe ſtatim confirmat, ſed eius rei in dubium vocandæ audaciam in hominibus refrenare vult, vt nemini videlicet liceat profiteri, ſe id ſcire quod Deus prædicendum per vates curarit, nunquam eſſe reuocandum, latamq́ue ſententiam certam, quæ infringi non poſſit: Nam quis id iactare audeat? quis vias Domini, quis ſapientiæ & miſericordiæ rationes numeratas exploratasque habet? nouit enim Deus & ſuæ iuſtitiæ ſatisfacere, & ad miſericordiam pariter præſtandam, (qua ipſe re plurimum delectatur) vias inuenire aditusque patefacere multo plures, quàm ab vllo hominum aut angelorum cogitari poſſint: quantum enim diſtat ortus ab occidente, tantum illius vias ab hominum viis diſtare ipſo eodem docente didicimus. quis igitur ſcit? vt affirmare poſſit ſuperuacuam eſſe pœnitentiam. imò verò vates ait, Hoc vobis promittere ego poſſum, nunquam eum miſericordiæ hac in re obliuiſci, etiam cùm iratus fuerit, ſed pacis, interim dum punit, dum pœnas de Iudaico populo ſumit, pacis inquã cogitationes eſſe cogitaturum, dummodo homo officium faciat ſuum, cætera Deo cogitanda atque agenda permittantur, cui humana ſalus charior quàm ipſis hominibus eſt, & parandæ ſalutis viæ omnes illi ſoli cognitæ & exploratæ ſunt. Animaduerſione dignum eſt, Hebraicè nullam hoc in loco conditionalem eſſe vocem, ſed hoc modo ad verbum legi: [*Quis ſcit,*] hic punctus coma eſt, & ſtatim ſubiungitur: [*Conuertetur & pœnitebit, & relinquet poſt ſe benedictionem, &c.*] Ita *Quis ſcit*, non affert, ſed prohibet dubitationem. cætera verò verba à Vate dicta bonam reſtituendæ rei, iis apud quos agitur, iniiciunt ſpem. Quanquam autem communis hæc ſententia & Catholicum axioma eſt, nulli veram pœnitentiam inutilem fore, neque Dei miſericordiam exhauſtam eſſe poſſe vnquam, atque ad omnes homines hæc ratio pertineat, tamen ad Iudæorum res & ad Ieroſolymitanæ reipublicæ reſtitutionem de qua vati noſtro ſermo eſt, commodè hic eſt referenda. Namque Iudaicarũ rerum reſtitutio illa, quæ Zorobabele duce contigit, hoc in loco promittitur & prædicitur: Poſt ſeptuaginta enim annos ex quo Babylone ſeruitutẽ ſeruierant, diuino conſilio in patriam

veteresque

veteresque domos remigrare permiſſi ſunt. Verùm enimuerò cùm non ad eum nitorem ad eam felicitatem,in qua antea eorum res fuerant,redierint;quippe bona eorum pars bello occiſa & extincta fuerat; ex iis autem qui captiui abducti ſunt, partim in ipſa ſeruitute periêre,partim aliò migrare coacti, alij ab exilio reduci noluerunt; ex quibus rebus omnibus factum eſt,vt reliquiæ quædam tantùm ex illa maxima copia,ex illa felicitate redirẽt. ob eam rem ait: *Relinquet poſt ſe benedictionem.* Hebraicè, *Reliquam faciet poſt ſe benedictionem.*] Huic Iſai. 1. rei non diſſimile illud eſt: Niſi Dominus Deus exercituũ reliquiſſet nobis ſemen hoc velut exiguum,quaſi Sodoma fuiſſemus,& Gomorrhæ ſimiles eſſemus: Nam præterquam quòd tanta ciuium multitudo deſiderata eſt, religionis & ceremoniarum ſacrificiorumque maieſtas illa valde eſt imminuta.ita benedictio hoc in loco partem aliquam tum gentis, tum ſacrorum ſignificat,qualem ipſe Vates indicat: *Sacrificium & libamen Domino Deo noſtro?*] quippe ad conſeruandam eam Rempub. Cice.lib. 1. de natura Deorum. Interim dum Chriſtus naſceretur & ſuum negotium in ea vrbe perageret, aliquo ſacrorum vſu opus fuit, ſine quo ciuitas hominumque ſocietas contineri non poſſunt. Ac tantum quidem illis ſacrificiorum & libaminum cultus reſtitutus eſt;cætera verò omnia vt prophetiæ & oraculorum frequentia, VRIM & THVMIM, ſacra arca,aliaque maieſtatis & præſentiæ diuinæ argumenta omnino ſublata ſunt. Hactenus ergo prioris templi & Iudaicarum rerum comes ruina & reſtitutio prædicta eſt: Nunc porrò poſterius illud extremumque templi totiusque gentis excidium prædicentem Vatem audiamus.

Canite tuba in Sion, ſanctificate ieiunium, vocate cœtum.

TOTIVS temporis ex quo Romani Ieroſolymam inuaſere & cepere vſque ad vltimam Iſraëlitarum reſtitutionem, turbas, tumultus, calamitates, omnem denique tempeſtatem breuiſſimè Vates deſcribit & nuntiat:namq. vrbis & templi excidium primis duobus verſibus indicatur. deinde longa hæc & luctuoſa tempora, quibus captiui & diſperſi inter nationes detinentur,& maximum hoc libertatis deſiderium quo ſemper aguntur. vltimo autẽ loco vera illis felicitas animorũ & vitæ lux qua diuino beneficio donandi ſint, præcinitur. Vt autẽ in præcedẽti vaticinio tubarũ & cornuum ſonitu ad nouã & calamitoſam rem expectandam populos conuocari & indicto ieiunio cõuenire iuſſerat; ſic nunc eodem ſigno dato maximam belli perniciem timeri & ſummo cum luctu atque eiulatu iubet expectari quæ communis omni ætati,ſexui,omni denique ordini futura eſt.Cornu autem ſignum datum præter ea quæ iam dicta à nobis ſunt,bellum proximum, imò inſtantem pugnam ſignificabat,ſicut ſcriptum eſt:Si canet tuba in ciuitate & populus non expa-Amos 3. ueſcet?magnum itaque periculum imminens hæc quæ indicit, ſignificare ſolent, tubæ ſonitus & cœtus congregatio,quam ceſſationem publicam eſſe iam diximus.Quando autem communis omnibus formido, imò communis impendebat tempeſtas, omnibus indicendam eſſe ceſſationem,ieiunium & luctum declarat. [*Sanctificate ieiunium, vocate cœtum.*

Congregate populum, ſanctificate Eccleſiam.

POPVLVS priusè ſuis quiſq. locis vocatur;hæc populi cõgregatio eſt:deinde in vnum coactis conciones pro rerum occaſione fiunt: hoc eſt ſanctificare Eccleſiam. ſanctificare idem quod ſeparare eſſe,iam in hoc vate & in Hoſea diximus;namque aduocatæ conciones ad quas de grauiſſimis rebus referendum eſt, Eccleſiæ ſanctificatæ dicuntur, vnde & nomen Eccleſiaſtes Græcè factum eſt, quod Latinis concionatorem ſignificat. Quoniam autem illa ærumna paſſim omnibus ferenda erat,ideò omnes ad luctum planctumque vocantur, namque hoc modo & ſingulorum dolor communicato ſenſu augetur, & diuinæ miſericordiæ viſcera publicis nocentium ſimul & innocentium lachrymis & clamoribus citius commouentur.

Coadunate ſenes: congregate paruulos & ſugentes vbera . egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo.

MISERANDVM omnino ſpectaculum dum ſenes malorum ſenſu & ætatis imbecillitate, infantes fame, ſponſi & ſponſæ, quibus læti dies eſſe debuerunt, præſentis miſeriæ dolore oppreſſi omnes pariter lachrymis, clamoribus & luctui concedunt: Sponſis enim quietem & immunitatem munerum omnium lex in nuptialis lætitiæ gratiam dabat,quam Luc. 23. præſens tamen dolor negabit omnibus,quibus par ærumna & æqua ſimul imminet ruina. quibus & Chriſtus ob eam rem dixit: Filiæ Ieruſalem nolite flere ſuper me, ſed potius flete ſuper vos & ſuper filios veſtros: Quoniam ecce dies venient,in quibus dicetis: Beatæ ſteriles & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Neque ſolum populum, ſed ſacerdotes maximè ipſos hæc tanget miſeria: Quippe extremus eorum officij dignitatibus,atque demum vniuerſæ illius gentis gloriæ & felicitatis dies futurus eſt, vbi tota illa Iudaicæ rei facies obſcuranda,& ſynagoga ipſa à Deo tandem repudiabitur,ſicut ſcriptum eſt:

eſt: In ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram, quia veni, & non erat vir; vocaui, & non erat qui audiret. Iſa. 1.

Inter veſtibulum & altare plorabunt ſacerdotes miniſtri Domini.

NOS vbi hoc interpretandi munus ſuſcepimus, ita Deum propitium nobis eſſe cupimus, vt quarundam rerum, quæ in ſacrorum librorum rationibus frequentes ſunt, tractationem explicare poſſemus, quò ſemel intellecta res omnibus in locis vbi opus fuerit iuuare lectorem poſſet. ex his vnum eſt prioris & poſterioris templi exacta deſcriptio, quæ niſi planè fuerit intellecta, longum & inutile negotium, vbi mentio aliqua de eius partibus incidit, exponentibus faceſſit. Interim dum id quod optamus contingit, locum hunc inter veſtibulum & altare, quem Chriſtus inter templum & altare nominat, eam in templo partem quam ſacerdotalis ordo frequẽtabat, fuiſſe dicimus. quo in loco lugere nefas fuit; neq. enim in magni regis domo miniſtros mœſtos aut plorantes eſſe decuit. cùm autẽ luctibus & clamoribus eam etiam partem implendam eſſe prædicat, atque ab iis maximè, quibus loci ſanctitas cuſtodienda ſeruandaque fuerat, ſignum eſt eam rem non ad ipſorum modò, ſed ad loci etiam ruinam, ad maieſtatem & ſanctitatem violatam pertinere, ita vt ſacerdotes ſeſe ſuaque ſacra & templi pollutam ſanctitatem, atque omne iam deficiens decus deplorent. cuiuſmodi autem ea deploratio futura ſit exponit:

Et dicent, Parce Domine, parce populo tuo: & ne des hereditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes. quare dicent in populis, vbi eſt Deus eorum?

ORATIONIS ac deprecationis argumentum præſcribit, cuius ſententia perpetua in orationibus deprecationibusque frequentandis Iudaico populo futura eſt, quamdiu miſeri, abiecti & repudiati inter gentes detinebuntur: Etenim quanta qualiſque miſeria, quanta illos maneret ignominia, iam ex eo peruidebant, quòd templi ſui ruinam & abominationem in loco ſancto conſpicerent, & eam omnino faciem, eum rerum ſuarum ſtatum deficere & labefactari intelligerent. nullum ergo in tanta miſeria orationis genus deprecatione aptius commodiúſue fuit. Conſtat autẽ deprecatio duobus potiſſimùm generibus; miſericordiç imploratione, in qua rei confeſſio ſimpliciſſima eſt; & eius apud quem agitur dignitatis & nominis ratione, cui rationi magis miſericordia, quàm vltione conſuli poſſe oſtendatur. Populus ergo in hac oratione ſuam culpã confitetur, & ſupplex ſe in noxa eſſe manifeſtat, neque aliud pro ſe vſurpandum verbum ducit quàm illud, *Parce Domine.* Domini autem nomen illud Hebraicè ineffabile quod ad miſericordiam maximè pertinet, appellatur. Qui autem vt ſibi ignoſcatur, petit, is nullas ſuas virtutes, nullas artes, nullas commemoratione dignas res allegat, ſed diuinam tantùm miſericordiam & fidem implorat. ſi quid autem eſt quam ob rem id quod petitur impetrari deceat, id ad eius qui oratur dignitatem & gloriam pertinet, vt quod dicitur, *populo tuo:* Namque diuinæ ſapientiæ & bonitatis eſt, prouidere ne is populus pereat funditus, quem ipſe ſibi ſingulari gratia adoptauerit, quem tantis beneficiis affecerit, quem ſtatuerit præter cæteros populos egregiè fouere, cum multorum inuidia & omnium admiratione. neque id tantùm in populi gratiã, quantum diuini conſilij perficiendi, & miſericordiæ propagandæ cauſa, fieri conuenire, ne de diuina voluntate erga populum dubitetur, nec ſua in omnes miſericordia in dubium vocetur. Igitur qui aliis etiam populis parcis, qui miſericordiæ largiſſimos fontes omnibus nationibus aperis, qui gentes ad lucem tuam admirabilem vocas, parce etiam antiquo illi populo tuo, & miſerere oro tantæ calamitatis; ne hæreditas illa tua, quæ tibi ſolùm grata fuit, quam frequentare colereque iuuabat, in opprobrium atque ignominiam dedatur; & Ierem. in primis illa digna eſt, quam reſtituas, quam ab opprobrio tuearis ſaltem, eò quòd tua fuerit, quòd tuum nomen ſuper eam inuocatum ſit: etenim indignum eſt, vt quiſquam tui nominis maieſtatem tentare aut prophanè tractare audeat. tui ergo nominis rationem & memoriam ſanctam eſſe omnibus oportet, hoc abs te prouideri oramus, ne quibus tu glorioſè imperaueris, iidem aliarum nationum hominibus ad contumeliam ſubiiciantur: nam quid facies nomini illi tuo magno? ita ne alienus à nobis atque à laude tua eris, vt omnino deſertos nos eſſe patiaris, ſic vt alij nos tanquam gentem eam æſtiment, cuius tibi nulla ſit Ierem. 31. cura, nulla prouidentiæ ratio? atque ideò omnia ſibi licere putent, & petulanter propterea in nos graſſentur, quòd te noſtrum vindicem non timeant. Ne igitur nullum Deum nobis eſſe credant & affirment [*Quare dicent in populis vbi eſt Deus eorum?*] Omnis autem hæc oratio allegoricè dicta eſt: namque tranſlationem quam de locuſtis incœperat, adhuc perſequitur, & in ſequentibus etiam vrget. ad huius verò quam modò legimus, orationis exemplum, omnia publica & priuata de hac re vota, omneſque ſolennes Iſraëlitarum precationes, Ordinarij etiam hoc tempore fieri conſueuêre. cuiuſmodi frequentia exempla in eorũ libris, quos ci- Hebræorum libri. durim, hoc eſt ordinarios vocant, leguntur.

Zelatus eſt Dominus terram ſuam, & pepercit populo ſuo.

NVNQVAM aſſiduæ & conſtantis orationis nullus fructus fuit, ſi modò ea ab animo fideli & contrito corde humiliatoque ſpiritu profecta fuerit; maximè cùm oratio miſericordiam illam nunquam exhauſtam imploret, & diuino nomini & gloriæ nitatur, ſi propriam orantis miſeriam, non virtutem, non res bene geſtas, ſed ærumnas exponat. Neque peccatorum pœnas & ſupplicia cum ſui nominis & gloriæ detrimẽto augeri Deus patitur. quamobrem vbi iam Iſraëlitas vehementer ab aliis nationibus oppreſſos, vbi vſque ad diuini etiam nominis violationem contumelia vexatos viderit, miſericordiæ ſuæ antiquæ & dignitatis memor vindicabit, profectò hæreditatem ſuam, indigniſſimisque iam modis vexatam reſpiciet, & parcet populo ſuo. *pepercit* verbum Hebraicum commotionem & humanitatem maximam indicat. præteritum autem tempus propheticæ viſionis habet certitudinem; Vati enim perinde, ac ſi geſta res iam eſſet, ſpectanda obiiciebatur.

Et reſpondit Dominus & dixit populo ſuo: Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum & oleum, & replebimini eis: & non dabo vos vltrà in opprobrium in gentibus.

FVTVRAM poſt tempora noſtra Iſraëlitarum reſtitutionem, cuius rationem apud Hoſeam longius perſequuti ſumus, hoc in loco eandem adhuc imaginem exprimendo Vates depingit & promittit: namque vt antè locuſtis nocentibus, nullus neque tritici, neque vini aut olei, neque ficuum etiam fructus fuerat relictus, ſed horrida tantũ in terra ſolitudo, & in agris vaſtitas viſebatur; atque his imaginibus extremam eius populi perniciem, & totius felicitatis deſiderium contemplabamur: ſic hoc in loco ductis rurſus in tabulam coloribus, quibus agrorum amœnitas & frugum copia omnium effingitur, felicia illa tempora Iſraëlitis expectanda ſignificantur, cùm non ad antiquam illam terrenam, ſed ad ſpiritualem planè & cæleſtem vitæ proſperitatem, ex ea qua nunc detinentur miſeria Dei beneficio recipiendi ſunt. ea autem res atque ſignificatio, (præterquam quòd in Chaldaicis Bibliis expreſſa eſt, hoc modo, Ecce ego benedicam vobis, &c.) his verbis indicatur: *Et non dabo vos vltrà in opprobrium in Gentibus:*] Namque in gratiam recipiendos, in eaque ſtabiliendos promittit, vt nemini dubium de ea re eſſe poſſit, neminique illos aut diuina tutela deſtitutos arbitrari, aut quietos impunè turbare liceat: ſed vbicunque terrarũ fuerint, ſumma admiratione & plauſu cunctis nationibus excipiãtur, quibus anteà ludibrio & deſpectui fuerant. Etenim ad veritatis lumen & Chriſtiani nominis profeſſionem ad eccleſiæ etiã ſocietatem diuinis illis Spiritus ſancti muneribus reducendi ſunt; quæ munera Ieſu Chriſti virtutem & veritatem teſtantur. de quibus ſcriptum eſt: Conteſtante Deo ſignis, miraculis & portentis & variis Spiritus ſancti diſtributionibus. In hac ergo maxima felicitate in hoc loco cõſtituendi ſunt, vt ſine timore de manu inimicorum ſuorum liberati, ſeruiant Deo in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus vitæ ſuæ. Neque verò ab hoſtibus & inimicis externis, ſed ab internis etiam tutos fore, & Ioël & Zacharias prædixêre: nam qui populo Dei maximo impedimento ad purè ſancteque Deum colendum eſſe ſolent, non tantum externi hoſtes, quantum interni ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Nõ quod volo bonũ hoc ago, ſed quod odi malum illud facio: inuenio enim aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captiuum me ducentem in legem peccati & mortis. Hæc vbi conqueſtus ille eſſet, cum ingenti dolore & ſalutis deſiderio aiebat: Infelix ego homo quis me liberabit à corpore mortis huius? cui reſpondit Apoſtolus: Gratia Dei per Ieſum Chriſtum. hæc poteſt liberare à corpore mortis, & liberabit. vt ſine timore liberatus ſeruias illi in ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus vitæ tuæ. Atque hanc plenam & integram ex vtroque hoſtium genere libertatem hoc verſu Vates ſignificauit:

Hebr.2. (beside: "tutem & veritatem teſtantur. de quibus ſcriptum eſt: Conteſtante Deo ſignis, miraculis &")

Luc.2. (beside: "co cõſtituendi ſunt, vt ſine timore de manu inimicorum ſuorum liberati, ſeruiant Deo in")

Rom.8. (beside: "tum externi hoſtes, quantum interni ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Nõ quod volo bonũ hoc ago,")

Et eum qui ab Aquilone eſt, procul faciam à vobis: & expellam eum in terram inuiam & deſertam: faciem eius contra mare orientale, & extremum eius vſque ad mare nouiſſimum: & aſcendet fœtor eius, & aſcendet putredo eius, quia ſuperbè egit.

CVM ante duos annos Aluarus Lugus meus, & ego Ioannem Bouium Compluti intra priuatos parietes, procul omni ambitione deliteſcentem vnà adiremus, quem ego abſentem multò antea fama & virtutis nomine notum & amatum, tunc primùm præſentem ſalutabam. Eſt autem hic Bouius noſtras Hiſpanus, non ille Bononienſis nuper Aſturicenſium Epiſcopus, nunc verò Brunduſienſium Archiepiſcopus, qui Clementis Inſtitutiones nobis è tenebris eruit & Latinas fecit, quamuis neque virtutis & religionis ſtudiis, neq. ſacrarum diſciplinarum peritia alter alteri impar ſit: vtrumque enim nouimus, atque vtriuſque cõſuetudine vſi iam ſumus familiariter. ſed ad noſtratem redeo: Cùm poſt Chriſtianæ amicitiæ mutuam ſalutationem de variis rebus amici tres ſermones miſceremus, atque in

iis de Hebraicæ linguæ myſteriis mentio etiam opportuna incidiſſet, memini Ioannem di-
cere, meritò illam linguam à Deo ad ſacros arcanoſque libros primùm ſcribendos fuiſſe v-
ſurpatam. Quandoquidem (aiebat ille) diuinæ cogitationes grauiſſimæ & prægnantes ſunt,
ea verba deligenda fuêre, quæ grauiſſima omnium ſignificantiſſimaque inueniri poſſunt.
qualis Hebraicorum verborum natura eſt, quæ vno etymo plures res ad eandem rationem
accommodatas ſignificare ſolent, neque id æquiuocè aut confuſè, ſed (ſi modò ſapienter
diſcutiantur) ſatis pro ſingularum rerum natura diſtinctè. addebat ille etiam optandum
eſſe, vt quicunque ſanctiſſimum Theologiæ ſacerdotium appeterent, huius primùm linguę
ſacris initiarẽtur, vt maximos illos ſapientiæ fontes, qui in diuinis ſcatẽt libris, facilius adi-
re & copioſius bibere valerent. Hæc docti & pij viri ſententia, ſæpè aliàs & hoc etiã in loco
nobis in mentem ſubitò venit, vbi in nomen illud Septentrio, ſiue Septentrionale, incidi-
mus. ſic etiam Hebraicè eſt: *Et ſeptentrionalem elongabo à vobis.* Habet autem certæ notæ arti-
culum nomen *ſeptẽtrionalem*; cuius ſignificatio Latinis ignota eſt, quoniam toto eo articu-
lorum genere Romanus ſermo caret, quo Græca & Hebraica, aliæque etiam barbaræ lin-
guæ abundant, τὸν ἀπὸ βοῤῥᾶ Græcè eſt. Eſt autem & illud ad huius loci expoſitionẽ anim-
aduertendum, quòd quatuor mundi partibus, quas angulos diuina ſcripta dicunt, quatuor
vẽti nomina & notas Hebraicè faciunt; qui Subſolanus Fauonius, Circius & Africus à no-
ſtris nominantur. At Chriſtus, à quatuor, inquit, ventis à ſummo cælorum, &c. ex his vẽtis
vnus eſt Circius, qui Græcis Boreas, Hebræis autem Szaphon eſt. quæ vox abſconditum
& abſconſionem Latinè ſonat; quòd eius venti certa origo & locus vbi primũ ſpiret, igno-
tus ſit: Namq. aliorum ventorũ certæ vnde oriuntur partes ſunt, quas ſuperare & retrò lin-
quere, nauigando atq. itinere agendo contingit; Septentrionalem autem ventum, quamuis
directo & contento in eam mundi partem curſu præteruadere non eſt. Flat autem adeò ab
alto, vt non in terra, ſed in ſublimi concipi credatur, & in quamlibet orbis plagam temon à
nautis dirigatur, eò incumbit & impellit nauem, ita vt quatuor ſimul naues oppoſitis curſi-
bus hoc vento ſpirante ferantur: nubes etiam ita vi ſua diſſipat & fugat, vt penitus abſcon-
dere atque occultare videatur. ex his omnibus rebus nomen ei vento factũ fuiſſe creditur.
In Hebraicis verò myſteriis huius etiam venti nomine lethalis illa & venenoſa vis nomi-
natur, quæ in mortalibus hominum membris poſt primi parentis labem innata, delitеſcit
& feruet, qua quies illa animorum turbari, & maximè vitiorum tempeſtates commoueri
& concitari in hominibus conſueuêre. Quam Latina Theologia aut concupiſcentiam, aut
peccati fomitem, aut aliis nominibus vocat. Paulus autem corpus peccati & circũſtans pec-
catum nominat: de quo domeſtico & perpetuo hoſte nemini poſt homines natos alia ra-
tione, quàm Chriſti virtute & efficientia victoriam glorioſam conſequi contigit: eius au-
tem communicatione huius hoſtis exercitum, cum ſuis actibus & concupiſcentiis vincere,
fundere & fugare piiſſimis hominibus datur, iis quibus voluit Deus notas facere diuitias,
ſacramenti & myſterij huius, de quo nobis grandis eſt ſermo, & ad dicendum interpretabi-
lis. hic adeò latens in mortalibus membris hoſtis manifeſtas ac perpetuas nobiſcum inimi-
citias gerit, & mille modis de victoria contendit, cuius pernicioſiſſimi hoſtis perpetuũ me-
tum, cuius artes & vires Vates ille deprecabatur. Delicta, inquiens, quis intelligit? ab occul- Pſal. 18.
tis meis munda me Domine. atque de inuiſibili hoſte illo, qui nos palam oppugnat, hæc me
dixiſſe ſit ſatis. quem Szaphon nomine ſignificari indicauimus, quo nomine ventus qui à
ſeptentrione ſpirat dictus etiam eſt. Quod verò ad viſibiles populi huius Iſraëlitici hoſtes
attinet, ſi quis coſmographiæ non ignarus, rem ipſam locorumq. ſitus exactè perſpexerit,
huic profectò planum fuerit, & manifeſtum, omnes qui in Iſraëlitarum & Iudæorum re-
giones bellum fecêre, ex iis locis veniſſe, qui Ieruſalem & Samariæ primariis harum regio-
num vrbibus à ſeptentrione ſunt: Namq. Aſſyrij à quibus decem tribus vaſtatæ abductęq.
ſunt, ipſo ſitu & diuini oraculi teſtimonio ad eum cæli angulum propius accedunt, ſicut
ſcriptum eſt: Et extendet manum ſuam ſuper Aquilonem, & perdet Aſſur. Babylon verò Sophon. 2.
cuius rex templum prius euertit, latitudinis gradum 35. obtinet. id quod & Ieremias indi-
cat: Leuate oculos veſtros, & videte qui venitis ab Aquilone. Roma autem cuius copiis & Ierem. 13.
manu Iudæa demum capta & vaſtata eſt, ſub 41. gr. & 40. m. eſt ſita, cùm Ieruſalem Ptolo- Ptolo. lib. 3.
mæo auctore non plus quàm 31. gradibus, & 40. m. ab ęquatore diſtet. adeò cum his omni- Ptolo. lib. 5.
bus locis illud Ieremiæ cõuenit: Ab Aquilone pãdetur omne malũ. Sũt ergo omnes huius Ierem. 1.
gentis hoſtes aquilonares, alij quidẽ ad orientẽ, alij verò ad occaſum habitantes, & ille etiã Sic Strabo lib.
occultus hoſtis Szaphoni, hoc eſt, latens abditusque, vt ſeptentrio ventus eſt, nec minores 16. arab.
in vita tempeſtates mouet. à quibus omnibus ſummam pacem & quietem ſecuritatem-
que promittit, non ſolùm à viſibilibus hoſtibus, ſed ab inuiſibili illo liberandos, qui dome-
ſticus cum hominibus & perpetuas gerit inimicitias; à quo cùm liberati fuerint, illud

canere & iactare ſumma cum lætitia poterunt: Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinē. hæc omnia nobis illa oratio ſignificauit. [*Et eum, qui ab Aquilone eſt, procul à vobis faciam,*] ne quid ab hoc toto hoſtium genere, qui à Szaphon ſunt, mali vobis inferatur. nam quo tempore à Deo in gratiam Iſraëlitæ reconciliabuntur, præterquam quod ſpiritus ſancti beneficio & virtutis Chriſti beneficentia grauiſſimum illud miſeræ ſeruitutis iugū excutient, quo peccato ſeruiebant, ſicut ſcriptum eſt: Veritas Chriſti eſt deponere de ſuis veterem hominem cum actibus & concupiſcentiis ſuis. præter hanc, inquam, liberationem, nullus iam illis aut ab Aſſyriis, aut à Babyloniis aut à Romanis hoſtibus erit metus, quorum omnium potentia ac vis, quorum denique nomen funditus euerſum extinctumque iam fuerit, iam nulli Aſſyrij, Chaldæi nulli, nulla Romanæ tyrannidis erunt veſtigia; namque infelices exitus horum omnium habuit ſuperbia: alteros enim, hoc eſt ſeptentrionales orientales, partim in ſuis locis ab hoſtibus trucidatos, partim eiectos orientem verſus diuina vltio diſſipauit, alteros verò qui ab occiduo ſeptentrione erant, hoc eſt Romanos & Italos, diuinæ iræ flumina & bellorum tempeſtates vel interemêre, vel ad occidentalis Oceani fines vſque profugos adegêre; hoc eſt quod dicit: *Et expellam in terram inuiam & deſertam, faciem eius contra mare orientale, & extremum eius vſque ad mare nouiſſimum: & aſcendet fœtor eius, & aſcendet putredo eius, quia ſuperbè egit.*] Locuſtæ natura eſt, vt perpetuo motu procedat; & vbicunque inſederit, omnia vaſtet, neque antea quieſcat, quàm aut in vaſtam ſolitudinem, aut in obiectum mare deuenerit, vbi aut fame pereat, aut aquis demerſa intereat. vidimus noſtro tempore huius rei exempla, cùm ſuperioribus diebus harum beſtiarum copia ingens Bæticam noſtram ſumma cum agrorum pernicie inuaſiſſet, annis à Chriſto nato 1547. 1548. quæ tandem Deo iam hominibus placato in occidentali periit Oceano, ſed bona etiam pars agricolarum diligentia & ciuitatum induſtria capta flammiſque exuſta fuit,
Clenar. epiſtol. lib. 2. quemadmodum & paulò antè in Africa & Feſſæ regno accidiſſe, ex Clenardi qui tunc Feſſæ agebat, literis & aliorum relatu accepimus. hanc imaginem Vates hoc in loco perſequitur, qui Aſſyrios, Chaldæos Romanoſque exercitus locuſtarum nominibus depinxerat. Igitur quibus orbis notus eſt ſitus, iis terram oceano ambiri eſt compertum, qui vt partibus, ſic etiam nominibus apud nos eſt diſtinctus; ab ortu Orientalis dicitur; Hebræis verò anterior; ab occaſu verò occidentalis, in ſacris autem voluminibus nouiſſimus; à meridie Indicus, à ſeptentrione Scythicus. quibus alia etiam nomina Hebraicè ſunt, vt ſuo in loco commodius dicetur. Quanquam autem quatuor illa imperia quæ cōmemorata nobis ſunt, Iſraëlitas læſerint; duo tamen tantum ex iis fuere, quæ patria propriiſque ſedibus expulêre, Aſſyrium & Romanum, quæ, vt diximus, ſeptentrionales ei prouinciæ ſunt. vtrumque ob ſuperbiam & inſolentiam ita iam perdidit Deus, vt penitus deleta & diſſipata eſſe agnoſcantur: *Quia ſuperbè egit:*] non enim victis vlla in re pepercêre, ſed inſolenter & contumelioſè victoria abuſi ſunt. maximè autem Romani & qui ab illis oriundi ſunt illorumque leges obſeruant. qui adeò arroganter, adeò ſuperbè aduerſus Iſraëlitarum genus ſe geſſerunt, vt neque cum iis, qui ex eo genere Chriſtiani facti ſunt, æquè & verecundè egerint, ſed eos etiam ignominia perpetuaque infamia dignos exiſtimauerint. qua de re longa ſatis apud D. Paulum oratio eſt. & ſatis etiam acerba noſtro tempore durat querimonia. Totum autem hoc ſeptētrionalium hoſtium genus partibus duplex, vt vnum locuſtarum genus ſpecie duplex, compoſuit Vates, vt altera pars Aſſyriorum videlicet Orientem verſus diſſipata, altera verò Romanorum ad occaſum diſiecta periret. quoniam autē multi ex his gladio, fame peſteque perierunt, ait: *& fœtor eius aſcendet, & putredo eius:*] nam eorum qui bello perierunt cadauerum magna pars inſepulta iacere ſolet, canibus & vulturibus eſca, ſicut ſcriptum eſt: Interfecti eorum proiicientur, & de cadaueribus eorum aſcendet fœtor: tabeſcent mōtes à ſanguine eorum. De Romæ autem ruinis ita prædictum fuerat: Et orientur in domibus eius ſpinæ, paliurus & vrticæ. Propterea hoc in loco dixit, *in terram inuiam & deſertam.*] & quoniam Aſſyriorum & Chaldæorum, neque nomen iam vllum reliquum eſt, omnia enim bello & nouarum gentium aduentu turbata ſunt, dixit de his, *& longè faciam.*] meminerimus autem nunquam deſeri à Vate locuſtarum & agrorum tranſlationem. Sed & abſconditum illum domeſticum hoſtem, qui tam ſuperbè cum illis egerat, vt cauſa etiam fuerit, quamobrem ab aliis hoſtibus perderentur: hunc hoſtem ita fugabit Deus Iſraëlitarum rebus reſtituendis, vt illud meritò iactare poſſint, Quantum diſtat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates noſtras: Deleus quod aduerſus nos erat chirographum decreti, hoc eſt peccatum; & ipſum tollens de medio, & affigens cruci. Hæc ſumma futuræ Iſraëlitarum felicitatis, atque hoc argumentum eſt; cùm è tenebris & vmbra mortis liberati Chriſti virtute atque efficientia & lucis veræ radios, & meliora omnia experientur. [*Quia ſuperbè egit:* Hebraicè ad verbum ſic eſt: *Quia magnificauit vt faceret.*]

Atque

Marginal notes: Epheſ. 4. — Lib. de mundo Ariſt. & Plin. lib. 5. — Rom. 11. — Iſa. 34. — Pſalm.

Atque hac dicendi figura, vti Hebraicus ſermo ſolet, cùm quis nullum cogendis rebus modum, aut ſtatuit aut tenet, ſed omnia vltra præſcriptum, vltra expectationem agit, & maius opinione ac vehementius adhibet ſtudium. Aſſyriorum autem & Romanorum petulantia, & furor commodè ad hanc pertinent ſententiam, qui delatum ſibi à Deo corripiendarum gentium munus ad ſuam ipſorum ambitionem, ad ſuam ſuperbiam tráſferentes propriis tantùm commodis ſeruire voluerunt, vnde factum eſt vt inſatiabilem auaritiam crudelitatemque exercerent, ſicut ſcriptum eſt: Væ qui prædaris, nónne & ipſe prædaberis? & qui ſpernis, nónne & ipſe ſpernêris? cùm conſummaueris deprædationem deprædaberis, & cùm fatigatus deſieris contemnere, contemneris. & illa etiam quæ de hac re apud Habakuq dicta ſunt commoda huic ſententiæ eſſe arbitramur. Sed longè omnium petulantiſſimè, longè ſuperbiſſimè ſeſe in humanis rebus ille latens hoſtis, cuius antea meminimus, geſſit, cuius paſſiones & perturbationes in membris noſtris cum ſumma ſtrage & calamitate militare ſolent. Prò Deum immortalem! quantam labem, quantam perniciem rebus hominum integris hæc peſtis attulit, quæ ex vno primi omnium parentis ſcelere orta innumerabilium poſtea vitiorum & ſcelerum, quibus aduerſus animam pugnaret, inſtruxit copias, ſicut ſcriptum eſt: Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei qui oderunt me gratis. & iterum: Si mei (inquit) non fuerint dominati, tunc immaculatus ero & mundabor à delicto maximo. multò igitur magis hic Szaphonius hoſtis magnificauit vt faceret, multò vehementius & acrius humanæ naturæ agros terramque vaſtauit atque incendit, ita niſi diuina ſuccurreret cura & benignitas, actum profectò de humana omni fuerat felicitate: quia hoſtis Szaphonius magnificauit vt faceret. ſed quomodo his malis occurrendũ eſſet, Vatem præcinentem audiamus.

Iſaiæ 33. Habak. 2. Pſalm. 68. Pſal. 18.

Noli timere terra, exulta & letare: quoniam magnificauit Dominus vt faceret.

HIC locus ille eſt, in quem cùm vates diuino ſpiritu acti deuenêre, ſeipſos, ſuaſque rationes & conſuetudinem omnem ſuperare ſolent; maiori enim ſpiritus influxu aucti altius extolluntur, & plura vident quàm intelligant, plura intelligunt quàm dicant, plura etiam dicunt, quàm humana audientium mens capere & ſuſtinere valeat, ſicut ſcriptum eſt: Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt? Agitur enim hoc in loco de diuina illa humani generis redemptione. cuius rei arcanum antiquis hominum ſeculis & angelicis atque humanis generationibus ita fuit abſconditum, vt quamuis multis prædictum, atque vmbra quadam & primis lineamentis depictum, nemini tamen eo tempore fuit penitus patefactum. Hæc omnia Paulus affirmat. confirmat autem & Petrus etiam Apoſtolus diuinuſque ſacrorum voluminum interpres his verbis: De qua ſalute exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt. Scrutantes quod vel quale tempus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti, &c. Singula autem huius Apoſtoli verba conſiderare, & cum noſtræ commentationis ſententia conferre operæpretium profectò fuerit. Atque ipſa quidem rei de qua dicitur magnitudo, efficit, vt vario & ſublimi orationis genere dicendum ſit, figuriſque & imaginibus vtendum, quibus conſtantiſſima perpetuò vatum ſententia, ac mens ita rapi agiq; ſolet, vt cùm maximè conſtet, nobis tamen è terra proſpectantibus ſibi non conſtare videatur. perinde ac iis, quibus ſaltantes homines longo interiecto ſpatio proſpiciuntur, qui cùm muſici inſtrumenti ſonum, cuius ad numeros motus fit, non ſentiant, furere & temere agi putantur, quos maximè compoſito & numerato, ac certo membrorum motu concitari manifeſtum eſt. Nobis ergo cùm in huiuſmodi ſermones inciderimus, ea cura ſemper, idque negotium erit, vt vnũ aut alterũ huius diuini concentus modum, numerumq; pro ingenij tenuitate notantes, totius rationis intelligendæ deſiderium hominibus commoueamus, id quod à diuino ſpiritu illi impetrare ſummo ſtudio contendent, cuius conſilio, arte atque opera, cuius occinentis numeris & modis totus hic vatum agitur chorus: Nam ſicut poëtas intelligere, aut pro facultatis dignitate enarrare nemini, qui poëticæ naturæ & ingenij expers fuerit, contingit; ſic nulla acies humani ingenij tanta eſt, quæ ad diuini ſpiritus ſenſum mentemque, niſi ab eodem ſpiritu acuatur, penetrare poſſit. Igitur id mente recolere & cogitare oportuerit, quod à nobis in huius libelli initio obſeruatum eſt, totam hanc Ioëlis Vatis rationem duplici imagine conſtare; altera quæ ſe priorem ſpectantium oculis obiicit, quamuis exacta omniq; arte depicta, in craſſioris tamen naturę figuram habitumque formata; altera verò quam maximè animo artifex ipſe concepit, tenuiorem tamen & multò delicatiorem exprimens rem. Vt ergo in ſuperioribus locuſtarum genera illa quatuor orbis imperia ſignificabant, vt vitis & ficus homines referebant, ſic hoc in loco terra humanam naturam, vt familiaribus ſcripturarum verbis vtamur, maledictam, Dei demum beneficio benedicendam

Iſaiæ 53. 1. Pet. 1.

indicat,cuius benedictionis rationes fertilitatis fructuum & frondium imaginibus adumbrantur. Duplex autem terræ nomen apud Hebræos eſt; alterum Aresz. quod nomen ex eo factum eſt, quòd diuerſam ab aquis naturā ſortita firmitudinem & grauitatem habet,animantiumque habitationi eſt habilis, ſicut ſcriptum eſt: Et vocauit Deus aridam Aresz. Alterum verò eſt illi nomen Adama; quod ad eam naturam ſpectat, ſecundum quam varios in ſe ſapores & humores (vt ſapienter à Victruuio diſputatur) continet, & pro cæli ſolique ratione varios fœtus fructusque progignit. vnde & cùm ad agricolandi & rei ruſticæ rationem oratio pertinet, huius potiſſimum nominis mentio atque vſurpatio eſt. vt: Emiſit Dominus Adam de paradiſo voluptatis, vt operaretur Adamah, de qua ſumptus eſt. Iam ergo nomen homini ex hoc etymo factum Adam, non inutilem eum futurum, ſed variis virtutum fructibus augendum ſignificauerat, niſi ſerpentini morſus venenum omnem humanam naturam, ſucci bonitatem pertentans, corrupiſſet, *&, pro molli viola, pro purpureo narciſſo*, carduos & paliuros produxiſſet, ſicut ſcriptum eſt: Maledicta Adamah in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi: Arcana quidem tota hæc res & myſteriis pleniſſima eſt, tantum qui legerit intelligat. Huius autem terræ maledictio in diuinā benedictionem mutanda erat illius ſacti ſeminis cōmunicata virtute. de quo ſic in oraculis habuetamus: In ſemine tuo benedicentur omnes familiæ Adamah. Hanc ergo lætitiam vates noſter iam tunc terræ nuntiat, terræ inquam natura fertili, ſed caſu ſterili, aut vitio corruptæ & improbas plantas alenti. quod cùm de ſolo aruoque Iſraelitico dici videatur, de vniuerſa Adam natura verè dicitur: terra enim muta & bruta iſta altera cum ſit, ſenſuque omni careat, nec timere, nec exultare poteſt. altera verò terra hæc noſtra ſenſu motuque prædita, & timere ſemper nouit, dum ſpiritui ſeruitutis in timore obnoxia fuerit, & timorem deponere, & magis exultare poterit: & faciet cùm acceperit ſpiritum libertatis filiorum, vt ſine timore de manu inimicorum liberati ſeruiant Deo in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo. Ad hanc ergo lætitiam in animo meditandam, iamque ſpe concipiendam terra noſtra à Vate excitatur, atque ad tanti diuini beneficij expectationem vocatur: Nam ſi Szaphonius hoſtis nimium nocendo magnificauerat vt faceret, multò equidem magis Domini Dei noſtri benignitas corrigendo, reſtituendo & commodando etiam magnificabit. Non enim ſicut delictum, ita & donum: Nam delictum quidem ex vno vnius hominis peccato in cōdemnationem totam humanam naturam protruſit; donum verò ex multis multorum hominum vitiis & ſceleribus in iuſtificationē vindicauit, & euexit. atq. hactenus hæc ratio ita ad totam terram humanam pertinuit, vt Iſraëlitarum familiam propius tangere videretur. ſed vt omnis tollatur dubitatio, etiam ad gentes omnes alias rem hanc ſpectare ſubiecta expoſitione confirmat.

Margin notes: ארץ; Gen. 1.; אדמה; Victru. lib. 8.; Gen. 3.; Ibidem.; Gen. 15.; Luc. 1.; Rom. 5.

Nolite timere animalia regionis: quia germinauerunt ſpecioſa deſerti, quia lignum attulit fructum ſuum, ficus & vina dederunt virtutem ſuam.

Priorum temporum calamitatem ad omne hominum genus pertinuiſſe vidimus tam gentilium, quàm Iſraëlitarum. omnium enim communes culpæ cōmunem in ſe Dei iram concitarant, & ſimilibus ſcelerum ac vitiorum pœnis vexabātur; quidam enim æterna ſupplicia, quidam etiam & temporalia ſubierant, potentiſſimorumque tyrannorum libidini & auaritiæ ceſſerant, vt nulla orbis pars tam remota fuerit, ad quam ea peſtis non peruaſerit. quod vates noſter in ſuperioris capitis threno deplorauerat his verbis: Sed & beſtiæ agri ſuſpexerunt ad te, quoniam exiccati ſunt fontes aquarum, & ignis deuorauit ſpecioſa deſerti. Sed tamen ita Deus omnia ſub peccato concluſit, vt omnium miſereretur, & in illo ſacratiſſimo ſemine omnes familiæ terræ benedicerentur. neque verò ad Iudæorum gentem ſolùm, ſed ad totius orbis regiones & homines diuina illa redemptio reſtitutioque pertinuit, ſicut ſcriptum eſt: Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, & non pro noſtris tantùm, ſed pro totius etiam mundi. Beſtiarum autem agri nomine gentes alias ab Iſraëlitarum religione alienas ſignificari, iam in illo eodem loco docuimus; & deſertum appellari cæteras habitabiles terræ partes, cuius incolæ, vt bruta, pecus vagum, quò impetus aut error, aut opinio impelleret, agebātur. quam rem ſic explicat Apoſtolus: Et vos gentes, aliquando eratis in carne, qui dicebamini præputium ab ea quæ dicitur circuncisio manu facta, qui eratis in illo tēpore ſine Chriſto alienati. Iiſdem autem nominibus beſtiarū agri & deſerti Vates hoc in loco vſus eſt: ſed interpres vertendo nonnihil verba variauit. His ergo etiam metum adimit Vates, quorum etiam miſeriam præuidens deplorauerat, quando ad hos etiam diuina ſalus, pax & ſecuritas ſit peruentura, quos & vocauit non ſolùm ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus. Dico enim Chriſtum miniſtrum fuiſſe circunciſionis ad confirmandas promiſſiones patrum. Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum, ſicut ſcriptum eſt: Propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo, & quæ

Margin notes: Sup. 1.; Gen. 15.; 1. Ioan.; Ephes. 2.; Rom. 15.

& quæ de hac re multa à D. Paulo referuntur. his etiam bonum ſalutis nuntiũ affert Ioël: *Quia germinauerunt ſpecioſa deſerti.*] Quæ antea diuinæ iræ & vltionis ignibus deuorata præuiderat, & luxerat, nunc ſummæ pacis & conſtantis felicitatis argumentis adductis reſtituenda confirmat: Agrorum enim fertilitas & frugum fructuumque copia eximia communi & antiquo ſermonis vſu beatam & quietam vitam ſignificat. Sic enim id noſtris deſcribitur: Et dabit lignum agri fructum ſuum, & terra dabit germen ſuum, & erunt in terra ſua abſque timore. ab exteris verò ſic: Ezech. 34.

Tua Cæſar ætas Fruges & agris rettulit vberes. Sed cùm maxima felicitas atque omni opinione maior ea ſit, quam vates à Chriſto hominum rebus afferendam decantant, ad eam præcipuè hæc imago in ſacris oraculis refertur, ſicut ſcriptum eſt: Sed ſemen pacis erit: vinea dabit fructum ſuum, & terra dabit germen ſuum, & cæli dabunt rorem ſuum, & poſſidere faciam reliquias populi huius vniuerſa hæc. Et erit ſicut eratis maledictio in gentibus domus Iuda & domus Iſraël, ſic ſaluabo vos, & eritis benedictio: nolite timere, & confortentur manus veſtræ. Quia hæc dicit Dominus Deus exercituũ: Sicut cogitaui vt affligerem vos cùm ad iracundiam prouocaſſent patres veſtri me, dicit Dominus, & non ſum miſertus; ſic conuerſus cogitaui in diebus iſtis, vt benefacerem domui Iuda & Ieruſalem: Nolite timere. Et venient populi multi & gentes robuſtæ ad quærendũ Dominum exercituum in Ieruſalem, & deprecandum faciem Domini. En nobis vtriuſq. populi prædictam decantatamque ſalutem. verùm hoc, vt diximus, dignum obſeruatu eſt, vt vitis & ficus nominibus Iſraëlitas homines religionis cultura iam domitos & curatos ſic arboris aut ligni appellatione rudem gentiũ ſobolem teneri: quippe arborũ natura ferax ſi neglecta culturã deſideret, ſterileſcit, atq. eadem rurſus culta reſtituitur. quoniã ergo gentes diuini ſeminis in ſe conceptã virtutem expertæ erant, atq. euangelicæ pietatis præceptis & inſtitutis abundaturæ, vnde generoſiſſimi & planè diuini fructus producerẽtur, quorum ſufficientia ex Deo eſſet: ob eã rem à Vate dictũ eſt: *Quia lignum attulit fructum ſuum.*] Atqui diuina Chriſtiani euangelij doctrina maximę pacis cõmoda hominibus non ſolùm curãda cõmendat, ſed pacis etiã ſemina vltro ipſa ſuggerit, ſpiritu ſancto cultoribus ſuis dato. ex eo fit, vt pia quædã & æterna pax inter eos ſit, qui Chriſti virtute præditi ſunt, illiusq. diſciplinã planè profitentur, ex quacunq. gente, ex quacunq. orbis parte ad eã ſanctitudinis cõmunionem ſocietatemq. conuenerint; ſicut ſcriptũ eſt: Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Atq. huius pacis & diuinæ tranquillitatis felicitas, in primis illis recẽtis eccleſiæ Chriſtianæ tẽporibus ſpectata fuit, dum Chriſtiana illa nobis nunc deſiderata ſimplicitas manebat, cùm ſine vllo generis, linguæ, ætatis ordiniſve diſcrimine, ſine vlla omnino ambitione omnes ſe inuicẽ mutua charitate & aſſiduis officiis proſequebantur: dũ maiores minoribus verè, & ex animo miniſtrabant, minores maioribus tanquã Deo obediebant; aliiq. alios inuicẽ honore præueniebant. ſed iam eheu in quàm dura, in quàm ferrea planè ſecula deuenimus; pudet equidẽ, pudet his moribus homines Chriſtianos vocari à vera Chriſtianaq. diſciplina longè alienos. Verũ enimuero integra illa & cõmunis omniũ gentiũ, omniũ populorũ pax à vatibus celebrata adhuc futura expectatur; neq. enim ſtatim Chriſti tẽpora ſecuturam oracula docuere, ſed certo quodam illius argumento & ſigno expreſſo, corpus ipſum rei & plenã rationẽ in ſua tempora reſeruandã; cùm vnum cõmune ouile & paſtor idẽ omnibus erit. quam rem contẽtis precibus, & ſummo ſtudio à patre Ieſus Chriſtus pro ſua reuerentia exauditus poſtulabat: Nõ pro eis, inquit, rogo tantũ, ſed pro eis qui credituri ſunt per verbum eorũ in me, vt omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me & ego in te, vt & ipſi in nobis vnũ ſint. Cùm ergo reliquiæ Iſraël reducẽtur, & ſedẽtes in tenebris & vmbra mortis lucem illã magnam videbunt, tunc pia illa & æterna pax omnibus colenda eſt, tum eadem gentibus, eadem Iſraëlitis fructuũ ſpes, eadem copia continget; tunc lignum fructum ſuum afferet, quando ficus & vitis dederint virtutem ſuã, ſicut ſcriptum eſt: Hæc dicit Dominus exercituũ: in diebus illis in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentiũ, & apprehendent fimbriã viri Iudæi dicentes, Ibimus vobiſcũ; audiuimus enim quoniam Deus vobiſcũ eſt. Nolo enim vos ignorare fratres, (quicunq. inane generis veſtri nomen inſolentius intolerantiusq. iactatis) quoniã cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret, ſicut ſcriptũ eſt: Veniet ex Sion qui eripiat & auertat impietatem à Iacob. At verò quod hæc res, hæc maxima rerum felicitas primas in Ieruſalem radices actura, atque in cæteris gentibus propaganda certam ſui reſtituendi ſpem facere Iſraëlitis valet, eo præcipuè argumento ad eorum confirmandos animos Vates vtitur: non enim dubitandum eſſe ait, quin ſalus inter eos primùm nata atque aliis inde allata fuerit, iis ipſis vnde orta eſt, vtilis tandem ſalutariſque ſit. Quã ob rem præſenti ſermone Iſraëlitæ à Vate in maximam & veriſſimam ſpem adducuntur.

Horat. lib. 4. Od. 15. — Zach. 8. — Actor. 2. — Ioan. 17. — Zach. 8. — Rom. 11. — Iſa. 59.

Et filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo veſtro: quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ, & deſcendere faciet vobis imbrem matutinum & ſerotinum ſicut in principio.

OMNEM illam veram felicitatem, omnem veram & ſolidam virtutem, ex qua certa voluptas & integra capi poteſt lætitia, Deo vni acceptam ferendam eſſe, omnibus diuinorum ſcriptorum ferè paginis docemur, vt qui gloriatur, tantum in Domino glorietur; qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis tradidit, vt exhiberet ſibi & mundaret populum
Rom. 8. » acceptabilem, & ſectatorem bonorum operum, vt ſimus ſancti & immaculati in conſpectu eius. Huius autem diuini beneficij ſpecimen filij Sion habuerunt; cùm primum Spiritus
Actor. 2. ſancti in ſe illapſu quidam ex eis virtute magna Christi teſtimonium omnibus gentibus dedêre. Quando autem contigit iam, vt huius magni iuſtitiæ doctoris & diuinæ pacis interpretis aduentus omnium ſalutem ſuam expectantium deſiderio ſatisfacere poſſet, quando certa huius rei prolata iam argumenta ſunt, non eſt dubitandum, quin quod iam in illis incœperit, tandem perficiat. [*Et deſcendere faciat imbrem matutinum & ſerotinum.*] Hoc eſt vtriuſq. gratiæ tam præuenientis, quàm ſubſequentis opportunitatem: *Sicut in principio* Chriſtianæ religionis effecerat. Doctoris nomen hoc in loco certæ cuiuſdam ad eam quam di-
מורה ximus rem, ſignificationis eſt: namque Hebraicè MOREH nominatur, quod influentem vel inſtillantem etiam ſignificat: eſtque eius pluuiæ nomen, quæ primo autumno veniens
Iſa. 55. terram inebriat, & germinare facit, & dat ſemen ſerenti & panem comedenti.

Verg. Geor. lib. 2.

Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Coniugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit, magno commiſtus corpore, fœtus.

Operæpretium autem videre eſt, quàm expreſſe Chriſti virtus hoc vno verbo effingatur, qui doctrinam legemque ſuam non manu ſcriptam in tabulis lapideis vt olim, ſed in tabulis cordis carnis inſcisſurus erat, ſicut ſcriptum eſt: Ecce dies venient, dicit Dominus, & confirmabo ſuper domum Iſraël & ſuper domum Iuda teſtamentum nouum, non ſicut teſtamentum, quod dedi patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti, quia ipſi in teſtamento meo non permanſerunt, neque præcepta mea cuſtodierunt; ſed hoc erit teſtamentum, quod feriam illis: Dabo leges meas in mente eorum, & in corde eorum ſcribam illas, & ero illis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Huiuſmodi in Chriſto virtutem
2. Cor. 3. & efficientiam agnoſcens Apoſtolus, ſic probauit: Epiſtola noſtra vos eſtis ſcripta, nō atra- » mento neque in tabulis lapideis. fiduciam autem talem habemus per Chriſtum, à quo non
Ioan. 1. tam iuſtitiæ præcepta tradenda, quàm ipſam iuſtitiam inſtillandā, & humanis pectoribus imbibendam eſſe hoc in loco Deus per vatem promittit. Huiuſmodi raram noſtris diebus virtutem frequentiſſimam & copioſiſſimam futuris temporibus tam Iudæi, quàm alij omnes quotquot Chriſtum receperint, experientur.

Et implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo.

HÆC bonorum (quæ vulgò temporalia dicuntur) larga & abundans copia, antiquis illis hominibus ſuppeditata, maximarum rerum aliarum (quæ ſpirituales nominantur) abundantiam nobis expectandam ſperandamque ſignificabat, quarum magnitudinem, nume-
1. Cor. 2. rum atque præſtantiæ exactam rationem, neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in » cor hominis aſcendiſſe contigit. harum ergo rerum omnium abundantiam & ſaturitatem frumenti, vini atque olei vbertas & copia hic nobis declarat. Neque enim iſtarum frugum copia tantæ curæ eſſe Chriſtianis, vere inquam Chriſtianis hominibus debebit, quibus quod ſatis ad degendam vitam ſit, nihil vnquam deerit; quod verò ad virtutis & diuinæ libertatis rationes impedimento, quod ad luxuriam fomento eſſe poſſit, nihil fuerit expetendum. Sed locuſtarum allegoriam perpetuam eſſe Vates voluit, vt craſſiori imagine & ſenſibus magis accommodata animalis adhuc homo ad illam perfectam ſpeciem deſiderandam parari aptius poſſet.

Et reddam vobis annos quos comedit locuſta, & bruchus, & rubigo, & eruca.

PENVRIAM ignominiamque omnem, anteactos labores & pericula præſentis felicitatis cumulo compenſanda eſſe pollicetur, ita vt qui omnium gentium ludibrio & libidini expoſiti, maximisque & aſſiduis iniuriis affecti, miſerrimam hactenus vitam duxerunt, nunc in ſumma felicitate, tranquillitate maximoque in honore conſtituti præteritorum temporum memoriam, cum ſumma erga Deum gratulatione teneant, illudque frequen-
Pſalm. 89. ter canant: Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala: atque iiſdem illis gentibus admirationi ſint, quibus olim deſpectui & ludibrio fuerant, ſicut ſcriptum

ſcriptum eſt: Omnes qui viderint eos cognoſcent eos, quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus. Et cùm de animorum felicitate, de fructibus illis cæleſtibus ac planè diuinis, quos humanæ naturæ terra Chriſti ſemine & virtute aucta profert, hoc in loco tractetur, illud præſenti ſermone diſputandum reſeruamus, an minor, an æqua, an maior felicitatis ſors ſit homini Chriſti opera & virtute redempto, quàm fuerit ante primi parentis caſum, ſi priſtinum adhuc illum ſtatum retinuiſſet. Atqui vides vt non ſolùm ſuccedentium annorum plenam abundantiam ſe daturum, ſed amplius etiam præteritorum temporũ damna reſarcienda, eoſque in integrum reſtituendos Deus recipiat, vltroque polliceatur: ſed de his nunc ſatis. Quantum autem Chaldaica paraphraſis cum noſtra expoſitione conueniat, hic idem verſus docet, qui ſic Chaldaicè habet: *Et reddam vobis annos bonos pro annis quibus vexarunt vos, populi, gentes & linguæ, & principes & reges.* quos omnes ſcelerum vltionis miniſtros & ſatellites Deus eſſe voluerat. cùm autem nihil damnationis fuerit iis, qui erunt in Chriſto, qui non ſecundum carnem viuent, ſed ſpiritu in ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus ſuis, nihil etiam mali metus, nihil pœnæ, ſed contrà, pacis, quietis & tranquillitatis erit plurimum. Iſaiæ 16. Lucæ 2.

Fortitudo mea magna quam miſi in vos.

Id quod dixerat confirmat: exercitus illos qui totum orbem turbauerunt, & res humanas olim miſcuerunt, diuino conſilio miſſos deductoſque rem geſſiſſe, neque rem aggredi aut conficere tantam, niſi Deo vires & ingenium ſuppeditante potuiſſe. illam verò felicitatem plenam, perpetuam ſtabilemque illis fore diuinum verbum pollicetur, à quo perpetuo amore curaque fouendi ita ſunt, cui fide, charitate & pietate ita illi ſunt coniungendi, vt nullis aut hominum aut malorum dæmonum viribus diſiungi queant; non morte, non vita, non gladio, non vllis denique aut inſtantibus, aut futuris periculis. Quod ſequentibus verſibus Vates indicat.

Et comedetis veſcentes, & ſaturabimini, & laudabitis nomen Domini Dei veſtri, qui fecit mirabilia vobiſcum, & non confundetur populus meus in ſempiternum: & ſcietis quia in medio Iſrael ego ſum, & ego Dominus Deus veſter, & non eſt amplius: & non confundetur populus meus in æternum.

Et comedetis comedere: Sic Hebraicè. Iam tunc Vati noſtro menſa illa extrui videbatur, iam magnificentiſſimum conuiuium illud inſtitui, quod multi ab oriente & occidente vocati cum Abraham & Iſaac & Iacob inituri erant; cuius qui participes fuerint, & panem comederint, beati meritò nuncupantur. id autem conuiuium maxima cum conuiuarum hilaritate, cantibus & muſicis inſtructoris laudes ſemper perſonabit; tunc enim illa omnium communis vox audietur: Hæc eſt dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. & rurſus illa: Benedixiſti Domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob. nunc alia atque alia carmina canentur, quę veteres illi huius conuiuij præcones iam olim in conuiuarum gratiam meditabantur. Et cùm ad has epulas, ad perpetuam hanc diuinæ menſæ felicitatem vocati admiſſique ab vno Deo ſunt (neque enim id quiſquam ſua virtute & natura, ſine Dei conſilio & vocatione auxilioque aſſequi potuit, ſicut ſcriptum eſt: Gratia ſaluati eſtis per fidem, & hoc videlicet quòd ſaluati ſitis, non ex vobis; donum enim Dei eſt) cùm ergo Dei beneficio hæc illis conſtiterit dignitas, eam rem in primis agnoſcere oportuit. ideò addit: *Laudabitis nomen Dei veſtri qui fecit mirabilia vobiſcum:* Hebraicè, *quia fecit vobiſcum ad mirificandum*, hoc eſt, rem mirandam omni humana opinione, imò & cogitatione maiorem. *Et ſcietis quia ego in medio Iſrael, & non eſt alius qui ſeruare poſſit præter me:* eaque ſalus & felicitas perpetua erit, *& non pudefiet populus meus in ſempiternum.* peccatum enim nuditas & pudor turpis conſequitur. iam verò ex eo magna illis copia illius auri futura eſt, de quo ſcriptum eſt: Suadebo tibi emere à me aurum, vt locuples fias, & veſtimentis albis induaris, vt non appareat vltrà confuſio nuditatis tuæ. Pſalm. 117. " Pſalm. 84. Gen. 3. Apoc. 1. "

Et erit poſt hæc: effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem: & prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ: ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt.

Iam ſeſe nobis illa maxima ſeculorum mutatio, iam mundi renouatio, iam aurea illa ætas olim à Deo promiſſa, à vatibus decantata, à piiſſimis hominibus tot deſiderata ſeculis; à Chriſto tandem Dei filio, gentium ſpe, orbis totius redemptore allata; iam ſeſe hæc inquam feliciſſima ætas certis ſignis cognoſcendam ſpectandamque exhibet, atque adeò, ita clarè manifeſteque exponit, vt omnes aliorum argumentorum rationes & momenta omnia, quæcunque de Chriſti aduentu præter hæc ſunt, vna hæc res aut conſtituta & comparata confirmare, aut deſiderata vel repudiata valeat infirmare. Atque equidem nobis omnium prophetarum rationes & orationes inter ſe comparantibus (quidquid alij iudicent)

 cui

cui quem præferamus incertum eſt;illud tamen ex ea comparatione conſtat, vnum Ioëlem eſſe qui aliorum omnium dicendo rerum copiam & maieſtatē,verborum orationisq́. elegantiam,myſteriorum grauitatem,diuinitatis abſtruſas rationes,oraculorum & vaticiniorum impetus raptusq́ue omnes admirandos, vno in libello ſumma breuitate, carminibus vtpote ſeptuaginta tribus complexus eſſe,atque expreſſiſſe videatur. Pœnitetq́ue profectò nos tum ingenij in ſcribendo tarditatis,tum delicatiſſimi noſtrorum hominum in legendo faſtidij.quæ res impedimento ſunt,quò minus magna & admiranda volumina de huius libelli commentationibus edere conemur. Quis det vt Chriſtiani homines ſuam tandem dignitatem agnoſcentes, ab ambitione, & cupiditate, ab iſtis humillimis curis ad maxima illa & incomparabilia pietatis, & ſacrarum diſciplinarum ſtudia, atque ad eas artes totos ſe transferant,quæ maximè Chriſtiano & diuini ſpiritus participe homine dignæ
Pſalm. 1. ſunt? in cisq́ue diu noctuque meditentur, vberrimos & certiſſimos laborũ & culturæ fructus tempeſtiuè percepturi,cum iucundiſſimo etiam frondium & foliorũ ſpectaculo, quibus vbi aſſueuerit humanus animus, omne tempus illi periturum, quod iis non impenderit,iudicaret. Verùm vt eò oratio noſtra redeat, vnde ob vaticiniorum admirationem, & Chriſtianæ charitatis ſtudium deflexit;quid hæc velut nouæ orationis initia ſibi velint,breuiter expectemus.eſt enim hoc commune & vſitatum in re noua & magna apud vates exordium: Et erit in nouiſſimis diebus. Et erit in illis diebus. Et erit poſt hæc,dicit Dominus. Nouum profectò id de quo Vates agit,& quod vetuſta omnia,vt Apoſtolus inquit, veterat,quod omnium antiquarum ceremoniarum, rituum, figurarum ſpiritum & veritatem in ſe continet, quod vnum omnium maiorum noſtrorum deſiderio ſatisfacere potuiſſet. eſt inquam ſumma,ac veluti caput quoddam omnium beneficiorum, quæ virtute Chriſti Ieſu Nazareni crucifixi,& reſuſcitati atque ad cælum ſublati, piis hominibus ſibique chariſſimis contingere ſolent. Eſt diuina illa paracleti ſpiritus promiſſio,quem qui cæleſtis patris dono Chriſto rogante ſortiti ſunt, cæleſtis regni hæredes & diuinæ conſortes naturæ efficiuntur, regnumque ipſum Dei intra ſe habentes, eius quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem fugere conſueuêre. Inter cætera ſigna quibus de venturo redemptore Deus teſtatur,quinque præcipuè obſeruanda traduntur,quæ omnium ſpiritualium ſignorum,veluti quædam ſunt capita,ad quæ cætera referantur. Atque hæc omnia non tam externa aliqua ſpecie, quàm interna animorum virtute in hominibus ſpectanda fuerant, ita vt ſuo ipſorum ſenſu & experimento, viuoque teſtimonio ac cæleſti quadam efficientia,
Iſai. 43. quæ omnem ſenſum,omnem humanam ſcientiam ſuperaret, ea diuini verbi veritas pro-
» baretur,ſicut ſcriptum de illis teſtibus & teſtimoniis eſt: Vos teſtes mei, dicit Dominus, &
» ſeruus meus quem elegi,vt ſciatis & credatis mihi,& intelligatis, quia ego ipſe ſum, qui loquebar,ecce adſum. Atque hæc ſigna ſi referenda nunc nobis forent,longiorem ſuppeditarent materiam,quàm vt capere hic locus poſſet. quorum commoda & opportuniſſima ſedes in D.Pauli epiſtolis collocata eſt, vnum tamen ex his hoc in loco pro dignitate tractare tenuitas noſtra recuſat; pro neceſſitate verò perſtringere ratio ipſa poſtulat. ea autem vna ex iis rebus eſt, quas diuinus ille Meſſias in his qui ſe verè colerent,pro virtutis ſuæ & promiſſionum ratione efficere debuit & potuit.id fuit,vt diuinum,hoc eſt,ſuum patriſq́ue ſpiritum ſuis omnibus communicaret,atque eo modo nouam & ab humanis ſenſibus remotam Dei notitiam impartiret. Vnde id eventurum fuit, vt illi in nouam vitam in nouosq́ue homines mutati, præſtantiſſimo virtutis & integritatis exemplo, & grauiſſimo Chriſti efficacitatis & veritatis teſtimonio cæteris hominibus eſſe poſſent. Atque ita diuinitus decretum fuit,vt ad primum alia etiam planè diuina conſequerentur ſigna, vt ſunt vaticinia,multarum linguarum ſine diſciplina aut exercitatione peritia, ſanandi & docendi diuinitus comparata facultas,& quæcunque ſunt eius generis, quas gratiarum diuiſiones Apoſtolus nominat. atque hoc totum ſignorum præcedentium & conſequentium genus à Ioële hoc in loco indicatur; qui quo tempore, quibusq́ue modis diuinam veritatem inquirere, veſtigare & probare oporteret, hoc oraculo prædicens docuit: *Et erit poſt hæc.*] quando hæc futura eſſent, initio indicauit; nempe poſt ſecula illa ferrea, quibus Deus humano generi infenſus adhuc erat, poſtquam illa vmbra & nox lucis aduentu euaneſceret, cùm iam ille rerum ſtatus qui vatis temporibus vigebat, in hunc felicem quem noſtra tenent ſecula,conuertendus eſſet:itaque verba illa, *poſt hæc*, non ſignificant cōſequentiam omnium quæ dicta ſunt;nam ſimul cum quibuſdam aliis ex rebus illis diuinis,quas adnotauimus, hoc etiam erat euenturum; vt cum reconciliatione hominum in diuinam gratiam; ſed, *poſt hæc*, præſentium rerum ſignificat ſtatum, quod ſignificaret,ſi, poſt hos dies,dixiſſet. atque hæc diſputatio Hebraicè ſcientibus eſſet omnino ſuperuacua;quippe Hebraica verba id quod adnotauimus planè exponunt: *Et erit poſt ſic.*] quem locum a nobis noſtr[illegible]que

ſententia

ſententia diuus Petrus publicè eſt interpretatus. In nouiſſimis, inquit, illis diebus, *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem.*] Hoc maximo & præſtantiſſimo Dei dono Chriſti efficientia donandi erant, quicunque illi crederent & dicto obedientes eſſent, vt diuini ſpiritus abundantia imbuti & renouati, filij Dei homines in terris planè diuini redderentur. atque huiuſmodi beneficium non ſolùm Iſraëlitico populo, ſed omnibus, quicunque Domini nomen purè ſanctéque inuocaturi eſſent, commune erat futurum; carnis enim appellatione in ſacra lingua non omnia animantium genera, ſed tantum humanum continetur; id autem veriſſimum eſt, cùm adiuncta verba rem ad viuentem carnem pertinere declarent, cuiuſmodi verba ſunt, adorare, ingemiſcere, bene dicere, iactari, gloriari, & quæ ex hoc verborum genere deducta ſunt nomina, vt gloria, pulchritudo, ſuperbia, concupiſcentia, &c. vt, Omnis caro fœnum. &, Benedicat omnis caro nomen ſanctum eius. Pſal. 40. Pſal. 144. atque ſexcenta alia id genus exempla. ſi verò ad mortuam carnem ſpectat oratio, aliorum etiam animalium genera, etiam piſcium ea res comprehendit. vt, Carnem cum ſanguine non comedetis. Gen 9. Largam autem & copioſam eius ſpiritus abundantiam fore verbum illud, *effundere*, declarat; nam effuſionis ratio certum ipſa ſibi modum nec præſcribit, nec eius qui effundit animo & largitati ponit, quacunque in re effuſio conſideretur. vt, Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt. &, Non effudit omnem iram ſuam. & Effudit ſuper nos miſericordiam ſuam. Pſalm. 78. Eſt itaque effuſio parcitati omnino oppoſita. Huiuſmodi figura exteri auctores in largitate & profuſione deſcribenda vſi ſunt.

Abſumet hæres Cæcuba dignior *Seruata centum clauibus: & mero* Horat. lib. 1. Od. 14.
Tinget pauimentum ſuperbo. Abundantem ergo ſpiritus ſui copiã ſe facturum promittit Deus, atque id ante Chriſti mortem, reſurrectionem, & in cælos cum triumpho aſceſſum, omnis quidem caro deſiderauit, nulla tamen obtinuit, nondum enim ſpiritus ſanctus erat datus; quia nondum Chriſtus fuerat clarificatus. Ioan. 7. Eſt autem duplex diuini ſpiritus in iis, qui eo fruuntur, efficientiæ genus: alterum quidẽ vitæ renouatio, ac nouæ cuiuſdam reſpirationis planè diuinæ vſus, quem nemo ſcit, niſi qui accipit; magnam nimirum in hominibus mutationem ab omni humana humilitate longè remotam. Quippe omnia alia vt ſtercora reputantur propter eminentem in ſe Chriſti ſcientiam, ad cognoſcendum eum & virtutem reſurrectionis eius & ſocietatem paſſionum illius. Philip. 2. Itaq. hoc genus ad eius ipſius in quo eſt vtilitatem, ſanctificationem & cæleſtem felicitatem propriè pertinet. Alterum autem genus eſt eorum quos hic ſpiritus corripuerit ad res publicè gerendas effictio, & diuina quædam conformatio; eaque contingit iis, quos Deus non tam ſui ipſorum, quàm aliorum cauſa publicorum munerum & gerendarum rerum adminiſtratores creat; cuiuſmodi ſunt reges, vates, ſacerdotes, pontifices, apoſtoli, doctores, belli duces, & peritiſſimi etiam artifices. atque harum rerum diſtinguendi cauſa, alterum genus nos ſanctificationis ſpiritum, alterum verò officij, ſiue miniſterij nominare conſueuimus. quæ verba perpetua nobis in commentando eſſe placet, vt non ſemper deſcriptionibus annotationibuſque ſit opus. vtrunque verò hoc in loco à Vate indicatur; prius illud omnibus ſeculis ad Chriſti vſque tempora exoptatiſſimum quidem, ignotum tamen, atque hoc poſterius antiquis etiam temporibus celebratum ac frequens. Alterius verò virtus & vis ſimilis eſſe debuit ille virtuti ſpiritus, quo Chriſtus repletus à patre fuit, de quo ſcriptum eſt: Et impleuit cum Dominus ſpiritu ſapientiæ & prudentiæ, ſpiritu ſcientiæ & intellectus. Iſai. 11. hoc ſpiritu præcipuè imbuendos eſſe homines, qui ad diuinam gratiam Chriſti opera & virtute reconciliarentur; hoc inquam ſpiritu implendos, omnium nobis prophetarum arcana folia promittunt. deinde etiam alia præſentis reconciliationis ſigna Chriſtianæ veritatis fidem apud omnes homines factura prædicuntur. Triplex autem in vniuerſum diuinæ gratiæ ſignorum genus illis temporibus deſiderari, quibus Deus maximè orbi infenſus fuerit, diuinus Pſaltes querebatur: Signa noſtra non vidimus, iam non eſt propheta, & Pſalm. 73. Deum non cognoſcit amplius. omnia hæc argumenta renouanda inſtaurandaque eſſe prædicit, cùm ætas illa feliciſſima humanæ redemptionis continget: atque ita diuinæ cognitionis vaticiniorum & ſignorum abundantiam futuram. ſpiritum autem cognitionis Dei ſuper omnem carnem effundendũ & promiſſum fuerat, & in ipſo veritatis argumento oſtenſum demonſtratumque eſt, & tandem futuris temporibus abundantiſſimè demonſtrabitur: non enim ſolùm Iudæos Iſraëliticamq. gentem hoc beneficio affectos fuiſſe, ſed etiam gentes Cornelij Centurionis familia & Samaritanorum Eccleſia declarauit. Quam rem ſapientiſſimè diuus Petrus ex hoc ipſo Ioëlis loco ad Chriſti virtutem, veritatẽ & gloriam pertinuiſſe diſſeruit: Hoc eſt, inquit, quod dictum eſt per prophetã Ioël: Et erit in nouiſſimis diebus, dicit Dominus, effundã de ſpiritu meo ſuper omnẽ carnem. Acto. 10. Abundè autem Acto. 2. effuſum eſſe D. Paulus teſtatur, quem, inquit, effudit ſuper nos abundè, ac ſpiritum quidem

hunc

" hunc cognitionis multis tum prophetis, tum aliis effundendum communicandumq́. eſſe, ſed miniſterij ſpiritum certis hominibus eſſe impartiendum, nullo tamen aut ætatis, aut ſexus delectu. ſed illud ad hanc rem conſiderandum eſt, ſomnia viſioneſque prophetiam dici, prophetiã verò cum his generibus non neceſſariò connecti: quanquã enim omne oraculum, omnis viſio & ſomnium omne diuinitus immiſſum, prophetia aut vaticinium ſit, non tamen omnis prophetia, viſio, aut oraculum, aut ſomnium eſt. Nam qui diuino ſpiritu correpti de magnis ac diuinis rebus canunt, aut diſſerunt, aut etiam concionantur, aut ad diuinam aliquam poëſim rapti choreas agunt, Deiq́ue prædicant laudes, hi omnes & ſi
1.Reg.11. futura non præuideant, tamen vaticinari ſiue prophetare dicuntur. atque in eorum Vatum grege Saul olim ſemel atque iterum enumeratus eſt, & illi etiam poſtea, qui variis linguis locuti magnalia Dei cum ſumma ſpectantium admiratione prædicabant. erat autem illud tam viris, quàm mulieribus frequens collegiũ. Nam præter vndecim Apoſtolos alij etiam
Acto.1. optimi viri erant cum mulieribus, & Maria matre Ieſu, & fratribus eius perſeuerantes vnanimiter in oratione. qui omnes Iudæorum & Iſraëlis quidem filij & filiæ vbi diuino ſpiritu imbuti fuêre, prophetare cœperunt, vt adimpleretur hoc quod dictum eſt: *Et prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ.*]. Omnibus ergo gentibus ſpiritum diuinæ cognitionis abundanter
Acto.10. eſſe communicandum, vt in veritate compertum ſit apud Deum perſonarum acceptionem non eſſe, ſed in omni gente qui timet Dominum, eum illi eſſe acceptum: eum à tenebris ad diuini nominis cognitionem, ad ſalutis ſuæ vſum, ad diuinarum rerum prædicationem eſſe admittendum, ſicut ſcriptum eſt: Tunc conuertam populo meo labium cla-
Sophon.3. rum, vt inuocent omnes in nomine Domini ineffabili. Illud etiam quod additum hoc in loco eſt:

Et etiam ſuper ſeruos & ancillas effundam ſpiritum meum.

AD IDEM effuſionis ſpectat genus, de quo dictum hactenus eſt; ſed certas tamen perſonas hoc loco appellari ratio ipſa arguit, quæ propriè ſerui & ancillę dicentur: nam de ſeruis & ancillis Hebræorum qui ex aliis gentibus aut orti, aut oriundi eſſent, ſermonem haberi nihil opus fuerat, cùm eiuſmodi omnes nomine omnis carnis continerentur, ſed ita hæc ratio ſeſe habet. Prior illa ſententiæ & promiſſionis pars ad omnem auream noui Teſtamenti ætatem pertinet, in qua diuini ſpiritus effuſio per euangelij prędicationẽ omnium nationum hominibus communicanda erat, atque alij quidem alios tempore anteceſſuros, donec tandem omnes in vnum ouile reducti manifeſto labio diuinum nomen ſummis laudibus proſequantur. ſed tamen vt huius rei veritas conſtaret, atque hæc ſpes omnes homines vt ad illam felicitatem rectis ſtudiis contenderent, incitare poſſet, hanc ob cauſſam primis illis diebus, quo hæc promiſſio ſuum euentum habere cœpiſſet, multis ex omni gente teſtimoniis comprobatam confirmatamq́ue huius ſui dicti & conuenti veritatem atque conſtantiam eſſe voluit Deus, multoſq́ue de ea re in mundum teſtes produci, quibus certiſſima diuini Meſſiæ cauſſa eſſe confirmaretur; ſed inter hos præcipuè eos eſſe voluit, qui
Luc.1. vnà cum diuino illo ſuo Meſſia à principio prædicationis Euangelij fuiſſent verſati & teſtes fuiſſent omnium quæ in nobis factæ ſunt rerum, & miniſtri fuerint ſermonis. horum certus numerus fuit, quos ad eam rem delectos, vt eidem etiam Euangelium annuntiandi miniſterio operam nauarent, atque in id ſtudium quiſque pro ſui muneris ratione incumberent, huius maximi doni expertes eſſe non eſt paſſus, ſed eorum in primis laborem his diuini ſpiritus honoribus, præmiis atque ſplendore decorandos inſtituit. Hi autem duodecim Apoſtoli & ſeptuaginta duo diſcipuli fuerunt cum Maria matre Ieſu & mulieribus, quæ Ieſum à Galilæa fuerant ſecutæ, & miniſtrabant ei de facultatibus ſuis, & Euangelij miniſtros ipſos pro ſua parte iuuabant. hos ſeruos antea vocatos ad amicitiã demum diuiniq́. regni conſortium admittendos Chriſtus ipſe fuerat pollicitus: Iam non dicam vos
Ioan.15. " ſeruos, ſed amicos, ſeruus enim neſcit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos,
" quia omnia quæcunq. audiui à patre meo nota feci vobis; vbi enim ſpiritum ſanctũ acce-
" perunt, tunc cognouerunt quòd de iis rebus locutus illis Magiſter fuerat. antea omnia maxima illa myſteria ex eo audita illis fuerant, tamẽ in obſcuro incertoq́. latebant quoad ſpiritus ille veritatis venit, à quo omnẽ veritatem ſunt edocti. Igitur Apoſtoli atq. diſcipuli & mulieres illæ piæ hoc in loco tũ præcipui cuiuſdã honoris, tum maioris certitudinis cauſſa appellãtur: æquũ enim fuit, & ad Chriſti veritatẽ firmandã cõmodiſſimum, vt ea primũ dignitas ad eius diſcipulos & aſſeclas deferretur qui illius impartiendæ auctor antiſteſq́ue eſſe dicendus eſſet. Itaq. illud etiã priuatam quandã & præcipuam honoris habet notationem; quamobrem non quoſcunque ſeruos & ancillas, ſed Dei tantũ ſeruos & ancillas, qui eidem Euangelij prædicandi miniſterio operã darent, hoc in loco interpretari, præterquam
Acto.2. quod res ipſa atq. ratio poſtulat, diuinus etiã interpres Petrus nos docuit, dicens: Et quidem

ſuper ſeruos meos & ancillas meas effundam de ſpiritu meo in diebus illis, & prophetabunt. quòd verò addidit, prophetabunt, illud intelligere voluit, ſeruos & ancillas eiusquidẽ ſpiritus effuſione decorandos augendosq́ue eſſe, cuius virtute Deum cognoſcerent, & admirandis modis, và nobis explicatum eſt, prædicarent. neque minorem ſuam ipſorũ rationem hac in re futuram, quàm fuerit omni carni promiſſa ratio. Atque hæc quanta potuimus breuitate de primo illo ſigno dicta nobis ſunt, de ſpiritu inquam ſanctificationis & agnitionis Dei, quod ſignum à Pſalte requirebatur dicente: Et non eſt nobiſcũ cognoſcens vſquequo? in illis enim diebus cùm ſeſe primùm diuina hæc explicare cœpit ratio, multi fuêre qui cognoſcerent; in primis autem ſerui & ancillæ, qui virtute magna reddebant teſtimonium reſurrectionis & virtutis Chriſti Ieſu. Secundum verò diuinæ gratiæ ſignum, quod ab antiquis illis deſiderabatur, illud fuit: Iam non eſt propheta. huic ſigno ſeſe cumulatè ſatisfacturum Deus promiſit: *Et ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt.*] Quanquam omne prophetiæ genus diuinum planè ſit, & longè ab humana facultate remotum, quod & illi intellexerunt, qui dicebant: «« Act.

Prudens futuri temporis exitum Horat.

Caliginoſa nocte premit Deus. Tamen in prophetiarum modo & ordine gradus quidam ſunt: aliud enim eſt genus quod vigilantibus quidem & ſentientibus; aliud quod dormientibus per quietem viſere datur. atque id quod vigilantes monet, prius quidem atque dignius eſſe nonnullæ rationes probant: vtrumque autem diuinum certiſſimumq́ue eſſe conſtat. Plerunque autem vſuuenire ſolet vt hæc genera hominibus accommodentur pro naturali cuiuſque modo idoneaq́ue ratione: ita vt dicendæ res paſtoribus & ruſticioris vitæ hominibus earum quibus aſſueuêre rerum ſimilitudinibus oſtendantur & pronuntientur; qui verò ad vrbanas & ciuiles rationes vitam inſtituerint, ij aliud & ſpectaculorum genus intueantur, & ciuili magis vtantur ſermone. Iſaias & Amos huius rei argumento nobis eſſe poſſunt: ſed hæc ratio longior eſt & proprium ſibi ſermonem ad diſſerendum poſtulat. Breuiter verò dicimus ſenes homines ſecundum naturæ habitum ad ſomnia, iuuenes verò ad viſionem magis eſſe idoneos: Nam ſenibus ob eam quæ ætate colligitur humiditatem, & ob longum rerum experimentum atque vſum maior cogitationum & imaginum copia ineſt, & firmius hæret, ex quibus viſendarum rerum ſimilitudines & ſpectra commiſceri atque componi commodius poſſint. his autem imaginibus permotis & certo ordine collocatis ſomnia illis grata veriſſimaq́ue à numine mittuntur. At verò iuueni tum ætatis ipſius imprudentia, tum feruor ipſe calorq́ue iuuentæ & minorem rerum vſum paucioresq́ue cogitationes ſuppeditant, & quas ſuppeditarunt, facilius diſſipant: declarant autem & hoc quæ ſecundum naturam fiunt in ipſis ſomnia, quæ rariora quidem multò, quàm in ſenibus ſunt, eaq́ue de leuiſſimis rebus, quales ipſi nimirũ cogitare & commentari interdiu ſolent, quorum euigilantes non recordantur. horum ergo & ætati & habilitati viſionis ratio multò aptiùs conuenit; vt ſi his vaticinij munus deferendum ſit, vigilantibus non ſolùm rerum & imaginum miſtiones & compoſitiones, ſed res etiam ipſæ atque imagines, quarum illi penuria laborant, ſuppeditentur. facilè ergò locus hic explicari poteſt, ſi res ad eam, quam diximus, rationem referatur. Neque verò omnes quotquot ſpiritum ſanctum acceperint, his modis vaticinaturos eſſe præcinit, ſed ſpiritum in omnem carnem eſſe effundendum, prophetas autem non omnes, ſed certos quoſdam omnis ætatis, tum ſenes, tum etiam iuuenes eſſe futuros: Nam cùm ſpiritus ſanctificationis ſingulis ad propriam ſalutem neceſſarius ſit, ſingulis etiam promittitur: ſpiritus autem miniſteriorum & diuiſiones gratiarum non tam ipſorum quibus contingunt, quàm aliorum hominum cauſſa datur; cùm autem non neceſſarium ſit omnes miniſtros eſſe, ſed quoſdam qui miniſtrent, multò autem plures quibus miniſtrandum ſit, res ipſa reiq́. ratio poſtulat, vt ex tanta multitudine certi quidam deligantur, quibus aliorum cura ſtudium & miniſterium credi committiq́. poſſit, ſicut ſcriptum eſt: Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem aliorum: alij quidem, per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ, ſecundum eundem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu, alteri gratia ſanitatum in vno ſpiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, &c. hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult. Quoſdã ergo vates qui futura prædicerent, aut abſentes perſpicerent res illis diebus quibus ſpiritus dandus eſſet, futuros, diuinũ verbum prædixit, & re ipſa præſtitit: nam multi Apoſtolorum temporibus huius ordinis homines fuerunt, vt Antiochenſe collegium illud in quo Barnabas & Simon qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenenſis, & Menahem, & Saulus, atque alij; Agabus etiam ille qui famem futuram prædicit & Chriſtianorum rebus conſulendum curauit; Iudas præterea & Silas qui Chriſtianos ad laborum & ſuppliciorum tolerantiam prædicentes hortabantur; necnon & tres

Gale. 3. & 2. de temper. Ariſto. lib. 2. de anima.

1. Cor. 12.

Actor. 13.

Actor. 15.

tres illæ virgines Philippi Cæſareenſis Euangeliſtæ ſorores: atque hi alijque omnes tum iuuenes, tum ſenes huius promiſſionis veritatem & conſtantiam re ipſa comprobarunt. Tertium porrò argumentum quod Pſaltes eorum nomine requirebat qui Iſraëlitarum res iacentes & à numine deſertas querebantur, SIGNA erant. Signa, inquit, noſtra non vidimus: huic rei ſuas etiam prædictiones aſſcribit Vates, certis tamen rationibus diſtinctas, vt intelligi facilè poſſit ab iis, qui diligenter attenderint ad quam partem vnaquæque pertinere poſſit ratio. Ac in ſignorum & prodigiorum ratione conſideranda illud obſeruandum eſt, omnia in vniuerſum ſigna & prodigia, miraculorum duplicem portendere ſignificationem, & duplici etiam naturæ ſuæ genere conſtare: atque vnum quidem genus ſignorum eſt, quod ſiue in cælo, ſiue in terra, ſiue in mari fluminibúsue editum ſit, terrorem & metum hominibus incutit, & diuinam indicat iram, vltionemque portendit futuram. cuius generis ſunt, ſerpentium & draconum viſæ ſpecies, aquarum in ſanguinem mutati colores, imminentium imbrium grandinumque procellæ, fulgura etiam & tonitrua, volantesque ignes & maris fremitus, aut fluuiorum recurſus, & quæcunque aut in ſublimi, aut humi fieri præter naturæ ordinem rationemque accidet: Namque hæc diuinæ iræ indicia ſunt, & paratum à ſuperis aduerſus mortales bellum veluti tubarum ſigna quædam præcinere ſolent. in his etiam prœlia aduerſus alias gentes facta ſint, atque hæc omnia humanos animos ſibi metuentes tui bare & vehementi pauore afficere conſueuêre, ficut ſcri-
Ioſue 2. ptum eſt: Etenim irruit in nos terror veſter, & languerunt omnes habitatores terræ. Audi-
" uimus quòd ſiccauerit Dominus aquas maris rubri ad veſtrum introitum, quando egreſſi-
" eſtis ex Ægypto, & quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus, qui erant trans Iorda-
" nem: & hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiri-
Ioſue 9. " tus. & illud etiam Gabaonitarum ad hanc rem facit. Venerunt, inquiunt, ſerui tui in nomi-
Ioſue 5. ne Domini Dei tui. Audiuimus enim famam potentiæ eius; cuncta quæ fecit in Ægypto,
" &c. & illud: Pôſtquã ergo audierunt omnes reges Amorrhæorũ qui habitabant trans Ior-
" danem ad occidentalem plagam, & cuncti reges Chananæorum qui propinqua poſſidebãt
" magni maris loca, quòd ſiccaſſet Dominus fluenta Iordanis coram filus Iſraël donec trãſ-
" irent, diſſolutum eſt cor eorum, & non remanſit in eis ſpiritus timentium introitum filiorum Iſraël. Itaque huiuſmodi miracula & ſigna quæ terrorem natura ſua humanis animis iniiciunt, & quæ naturam rerum ſic mutare ſolent, vt corrumpere videantur, irati & vltionem parantis numinis indicia portentaque ſunt. Alterum vetò genus ſignorum eſt, non minus quàm illud ſuperius admirandum, mite tamen & placidum, & ad hominũ vtilitatem proprius pertinens, quod non diuinæ iræ timorem, ſed gratiæ potius ſpem fidemque faciat. qualia ſunt ventorum procellarum ac tempeſtatũ in melius permutatio, morborum & difficillimarum ægritudinum ſubita curatio, deperditorum membrorum aut ſenſuum reſtitutio & mortuorum etiam excitatio, & quæcunque ad commodum potius atque ad naturæ ſalutem referri poſſunt. huiuſmodi enim quæ ſunt, Deum propitium præſentemque, & eorum apud quos hæc eduntur ſigna, ſaluti conſulentem probant, ſicut ſcriptũ eſt:
Iſa. 35. Deus ipſe veniet & ſaluabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt; tunc ſaliet ſicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum. Ex quibus rebus il'ud conſequitur, ipſa diuinorum ſignorum genera indicio hominibus eſſe, cuiuſmodi erga ſe Dei mentem & conſilium interpretari, expectareq́ conueniat: nam ſi ex illo priori genere prodigia ſint, iratum & vltorem; ſi verò ex poſteriori hoc, placatũ, propitium & ſalutarem experiri eſt. Duplex autem Chriſti in orbem aduentus à ſacris olim vatibus prædictus atq; hominibus expectandus fuit: alter quidem omni hominum generi ſuauiſſimus optatiſſimusque, cùm totius orbis redemptor atque ſeruator venturus erat, diuinæque pacis, gratiæ & reconciliationis interpres & procurator, nemini malum aut damnum, ſed omnibus quicunque ſe reciperent, ſalutem, libertatem & diuini regni deferens hæreditatem, ſicut
Ioan. 3. ſcriptum eſt: Non miſit Deus filium ſuum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. huius autem aduentus & feliciſſimi nuntij atque negotij poſterioris illius generis ſigna & miracula argumento fore, & à vatibus (vt iam citauimus) prædictum fuerat, & ab ipſo veniente præſtitum firmatumque eſt, atque ab iis, qui rem ſapientiſſimè examinarũt,
Matt. 11. eſt approbatum. Euntes, inquit, renuntiate Ioanni quæ vidiſtis & audiſtis, cæci vident,
" ſurdi audiunt, claudi ambulant, leproſi mundantur, mortui reſurgunt, pauperes euangeli-
" zantur; & beatus eſt qui in me non fuerit ſcandalizatus. Alter autem Chriſti aduentus vt piis & ſanctis hominibus, quorum rarior copia eſt, deſiderandus potius, quam timendus, ſic cæteris mortalibus omnibus, imò & dæmonum etiam generi vehementer metuendus horribiliſque eſt; cùm eum quem homines ſeruatorem agnoſcere ac recipere noluerunt, neq. manſuetum aſina vectum regem ſalutare, iudicem tandem & vltorem experturi erunt,

venien-

venientemque in nubibus cæli, & in flamma ignis, dantem vindictam iis qui non nouerunt Deum, & qui non obedierunt Euangelio gloriæ Chriſti, qui pœnas dabunt æternas, cùm venerit iudicare impios, & admirabilis fieri in ſanctis ſuis. Atque hunc alterum aduentum horrenda illa prioris generis ſigna certis temporibus præceſſura eſſe diuinis oraculis accepimus, ex quibus vnum hoc apud Ioëlem eſt: 2 Theſſ. 1. " "

Et dabo prodigia in cælo, & in terra, ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem: antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.

ATQVE equidem non ſatis illam tantam Phariſæorum aut inſipientiam mirari, aut malitiam accuſare queo, qui vtrunque hoc ſignorum genus ita confundebant & perturbabant, vt vtrumnam ad vtra tempora pertineret non cernerent; aut ſi maximè perſpexiſſent, tamen eam rationem omni rudi & ſimplici populo inuidebant, vt Chriſti Ieſu dignitatem & ſplendorem obſcurarent, ſignum de cælo petentes. quamobrem meritò à Chriſto generatio praua & peruerſa audierunt. Pertinet ergo hoc ſignorum & prodigiorum genus ad eam quæ primum Chriſti ſeruatoris aduentum ſecutura erat vltionem, quæ impiis & ſceleratiſſimis hominibus æternum allatura eſſet exitium. Etenim cùm ab initio mundi ad extrema vſque tempora ita dæmonis aſtu ac dolo, atque hominum malitia comparatum ſit, vt impij & ſcelerati homines non ſolùm virtutis viam deſerentes vitio & voluptatibus incumberent, ſed eos etiam qui diuerſa ſtudia & arduum virtutis iter ſequerentur, magnis clamoribus, conuitiis, probris atque iniuriis agitarent, & probroſa interdum etiam morte afficerent, eam rem aliquando à Deo vindicatum iri fuit æquiſſimum. Dicta igitur dies impiis hominibus, & æterna diuini conſilij mente præfixa eſt omnibus mortalibus incerta, vni tantùm Deo conſtans & certiſſima; cuius tamen reipſa futura & ſine vlla dubitatione expectanda certiſſima quædam eius generis ſigna Deus eſſe voluit; quibus magnam ſuam ad puniendum vim & potentiam oſtendere probareque ſolet. ea autem erunt partim in cælo, partim in terra: in terra quidem horrenda cruentaque bella, quibus humano ſanguine terra ipſa inundet, præter aquarum, fluuiorum ſanguineum ruborem, cælitus verò coruſcus ignis & fulgura fulminaque terram incendent, ex eoque incendio vapor fumi aſcendet, ſolis etiam eclipſes, quæ ſecundum naturam ſuam metum & triſtitiam hominibus afferre ſolent, nedum ſi præter naturæ ordinem huiuſmodi accidant: vt ſi ſol ipſe lumine priuetur, nullo, cur id fiat, lunæ interiectu: luna autem eum quem oſtendere ſolet candorem, in ſanguineum ruborem mutet; tum verò maximus homines pauor terrorque arripiet: namque irati Dei & vltoris ſigna ſunt, iamque diuinorum bellorum horrenda dari ſigna incipiunt, quæ tantò vehementius hominum corda terrebunt, quantò certius ex præcedentibus vaticiniis non caſu, ſed conſilio euenire cõſtabit. Ea autem extrema diuini iudicij dies non æquam omnibus hominibus ſortem edet, ſed piis quidem extremam æternamque felicitatem & quietem, omniumque tandem laborum finem virtutumq. præmia; impiis verò miſerrimum & lamentabilem voluptatum & vitiorum afferet exitum, & æternas ſcelerum atque iniuriarum pœnas denuntiabit. hæc ergo ſigna aliis ſpem, aliis verò metum afferant neceſſe eſt. propterea ait: *Antequam veniat dies ille Domini magnus & horribilis.*] Piis quidem magnus; impiis autem & ſceleratis, horribilis. Si tamen, inquit, iuſtum eſt apud Deum retribuere iis qui vos tribulant; & vobis qui tribulamini requiem nobiſcum in reuelatione Domini noſtri Ieſu Chriſti de cælo, cum angelis virtutis eius. Quoniam autem totus hic locus grauiſſimo illo Chriſti de eadẽ re ſermone explicatur, eum ſermonẽ referre non pigebit. In illis diebus, ſol contenebrabitur, & luna non dabit ſplendorem ſuum, & ſtellæ cæli erunt decidentes, & virtutes quæ in cælo ſunt, commouebuntur. Et tunc videbunt filium hominis venientem cum virtute multa & gloria. Et tunc mittet angelos ſuos, & congregabit electos ſuos à quatuor ventis, à ſummo terræ vſq ad ſummum cæli. His autem fieri incipientibus, leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra. A ficu autem diſcite parabolam, &c. Poterant hunc in locum & quæ apud Iſaiam, & quæ apud Ezechielem leguntur, afferri, niſi id & breuitatis ſpacium & lectorum vinceret patientiam. 2. Theſſ. 1. Marc. 13. " " " " Iſaiæ 13. Ezech. 23.

Et erit, omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit, quia in monte Sion & in Ieruſalem erit ſaluatio & in reſiduis quos Dominus vocauerit.

IVDICII diem impiis terribilem formidabilemque maximè, piis verò hominibus magnum, ſanctum, omnique auiditate expectandum, vtpote quibus tãdiu deſiderata redemptio aduenit. Erit enim dies ille in quo maxima hæc quæ videtur rerum rationumq. confuſio, perturbatio, diſtinguenda componendaque ſit. Nunc enim quamdiu hæc mundi humanarum rerum facies durat, quamdiu princeps huius mundi conari moliri que aliquid poteſt,

tres illæ virgines Philippi Cæſareenſis Euangeliſtæ ſorores: atque hi alijq́ue omnes tum iuuenes, tum ſenes huius promiſſionis veritatem & conſtantiam re ipſa comprobarunt. Tertium porrò argumentum quod Pſaltes eorum nomine requirebat qui Iſraëlitarum res iacentes & à numine deſertas querebantur, SIGNA erant. Signa, inquit, noſtra non vidimus: huic rei ſuas etiam prædictiones aſſcribit Vates, certis tamen rationibus diſtinctas, vt intelligi facilè poſſit ab iis, qui diligenter attenderint ad quam partem vnaquæque pertinere poſſit ratio. Ac in ſignorum & prodigiorum ratione conſideranda illud obſeruandum eſt, omnia in vniuerſum ſigna & prodigia, miraculorum duplicem portendere ſignificationem, & duplici etiam naturæ ſuæ genere conſtare: atque vnum quidem genus ſignorum eſt, quod ſiue in cælo, ſiue in terra, ſiue in mari fluminibúsue editum ſit, terrorem & metum hominibus incutit, & diuinam indicat iram, vltionemq́ue portendit futuram. cuius generis ſunt, ſerpentium & draconum viſæ ſpecies, aquarum in ſanguinem mutati colores, imminentium imbrium grandinumq́ue procellæ, fulgura etiam & tonitrua, volantesq́ue ignes & maris fremitus, aut fluuiorum recurſus, & quæcunque aut in ſublimi, aut humi fieri præter naturæ ordinem rationemq́ue accidet: Namque hæc diuinæ iræ indicia ſunt, & paratum à ſuperis aduerſus mortales bellum veluti tubarum ſigna quædam præcinere ſolent. in his etiam prœlia aduerſus alias gentes facta ſint, atque hæc omnia humanos animos ſibi metuentes turbare & vehementi pauore afficere conſueuêre, ſicut ſcri-
Iosue 2. ptum eſt: Etenim irruit in nos terror veſter, & languerunt omnes habitatores terræ. Audi-
» uimus quòd ſiccauerit Dominus aquas maris rubri ad veſtrum introitum, quando egreſſi
» eſtis ex Ægypto, & quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus, qui erant trans Iorda-
» nem: & hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiri-
» tus. & illud etiam Gabaonitarum ad hanc rem facit. Venerunt, inquiunt, ſerui tui in nomi-
Iosue 9. ne Domini Dei tui. Audiuimus enim famam potentiæ eius; cuncta quæ fecit in Ægypto,
Iosue 5. &c. & illud: Poſtquã ergo audierunt omnes reges Amorrhæorũ qui habitabant trans Ior-
» danem ad occidentalem plagam, & cuncti reges Chananæorum qui propinqua poſſidebãt
» magni maris loca, quòd ſiccaſſet Dominus fluenta Iordanis coram filiis Iſraël donec trãſ-
» irent, diſſolutum eſt cor eorum, & non remanſit in eis ſpiritus timentium introitum fi-
» liorum Iſraël. Itaque huiuſmodi miracula & ſigna quæ terrorem natura ſua humanis animis iniiciunt, & quæ naturam rerum ſic mutare ſolent, vt corrumpere videantur, irati & vltionem parantis numinis indicia portentaq́ue ſunt. Alterum verò genus ſignorum eſt, non minus quàm illud ſuperius admirandum, mite tamen & placidum, & ad hominũ vtilitatem proprius pertinens, quod non diuinæ iræ timorem, ſed gratiæ potius ſpem fidemq́ue faciat. qualia ſunt ventorum procellarum ac tempeſtatũ in melius permutatio, morborum & difficillimarum ægritudinum ſubita curatio, deperditorum membrorum aut ſenſuum reſtitutio & mortuorum etiam excitatio, & quæcunque ad commodum potius atque ad naturæ ſalutem referri poſſunt. huiuſmodi enim quæ ſunt, Deum propitium præſentemq́ue, & eorum apud quos hæc eduntur ſigna, ſaluti conſulentem probant, ſicut ſcriptũ eſt:
Iſa. 35. Deus ipſe veniet & ſaluabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt; tunc ſaliet ſicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum. Ex quibus rebus illud conſequitur, ipſa diuinorum ſignorum genera indicio hominibus eſſe, cuiuſmodi erga ſe Dei mentem & conſilium interpretari, expectareq́. conueniat: nam ſi ex illo priori genere prodigia ſint, iratum & vltorem; ſi verò ex poſteriori hoc, placatũ, propitium & ſalutarem experiri eſt. Duplex autem Chriſti in orbem aduentus a ſacris olim vatibus prædictus atq. hominibus expectandus fuit: alter quidem omni hominum generi ſuauiſſimus optatiſſimusq́ue, cùm totius orbis redemptor atque ſeruator venturus erat, diuinæq́ue pacis, gratiæ & reconciliationis interpres & procurator, nemini malum aut damnum, ſed omnibus quicunque ſe reciperent, ſalutem, libertatem & diuini regni deferens hæreditatem, ſicut
Ioan. 3. ſcriptum eſt: Non miſit Deus filium ſuum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. huius autem aduentus & feliciſſimi nuntij atque negotij poſterioris illius generis ſigna & miracula argumento fore, & à vatibus (vt iam citauimus) prædictum fuerat, & ab ipſo veniente præſtitum firmatumq́ue eſt, atque ab iis, qui rem ſapientiſſimè examinarũt,
Matt. 11. eſt approbatum. Euntes, inquit, renuntiate Ioanni quæ vidiſtis & audiſtis, cæci vident,
« ſurdi audiunt, claudi ambulant, leproſi mundantur, mortui reſurgunt, pauperes euangeli-
» zantur; & beatus eſt qui in me non fuerit ſcandalizatus. Alter autem Chriſti aduentus vt piis & ſanctis hominibus, quorum rarior copia eſt, deſiderandus potius, quàm timendus, ſic cæteris mortalibus omnibus, imò & dæmonum etiam generi vehementer metuendus horribiliſq́ue eſt; cùm eum quem homines ſeruatorem agnoſcere ac recipere noluerunt, neq. manſuetum aſina vectum regem ſalutare, iudicem tandem & vltorem experturi erunt;

venien-

venientemq́ue in nubibus cæli, & in flamma ignis, dantem vindictam iis qui non noue-
runt Deum, & qui non obedierunt Euangelio gloriæ Christi, qui pœnas dabunt æternas, 2 Theſſ. 1.
cùm venerit iudicare impios, & admirabilis fieri in ſanctis ſuis. Atque hunc alterum ad-
uentum horrenda illa prioris generis ſigna certis temporibus præceſſura eſſe diuinis ora- "
culis accepimus, ex quibus vnum hoc apud Ioëlem eſt:

Et dabo prodigia in cælo, & in terra, ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem: antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.

ATQVE equidem non ſatis illam tantam Phariſæorum aut inſipientiam mirari, aut
malitiam accuſare queo, qui vtrunque hoc ſignorum genus ita confundebant & pertur-
babant, vt vtrumnam ad vtra tempora pertineret non cernerent; aut ſi maximè perſpexiſ-
ſent, tamen eam rationem omnē rudi & ſimplici populo inuidebant, vt Chriſti Ieſu digni-
tatem & ſplendorem obſcurarent, ſignum de cælo petentes. quamobrem meritò à Chriſto
generatio praua & peruerſa audiertint. Pertinet ergo hoc ſignorum & prodigiorum genus
ad eam quæ primum Chriſti ſeruatoris aduentum ſecutura erat vltionem, quæ impiis &
ſceleratiſſimis hominibus æternum allatura eſſet exitium. Etenim cùm ab initio mundi
ad extrema vſque tempora ita dæmonis aſtu ac dolo, atque hominum malitia compara-
tum ſit, vt impij & ſcelerati homines non ſolùm virtutis viam deſerentes vitio & volupta-
tibus incumberent, ſed eos etiam qui diuerſa ſtudia & arduum virtutis iter ſequerentur,
magnis clamoribus, conuitiis, probris atque iniuriis agitarent, & probroſa interdum etiam
morte afficerent, eam rem aliquando à Deo vindicatum iri fuit æquiſſimum. Dicta igitur
dies impiis hominibus, & æterna diuini conſilij mente præfixa eſt omnibus mortalibus in-
certa, vni tantùm Deo conſtans & certiſſima; cuius tamen reipſa futura & ſine vlla dubita-
tione expectanda certiſſima quædam eius generis ſigna Deus eſſe voluit; quibus magnam
ſuam ad puniendum vim & potentiam oſtendere probareq́ue ſolet. ea autem erunt partim
in cælo, partim in terra: in terra quidem horrenda cruentaque bella, quibus humano ſan-
guine terra ipſa inundet, præter aquarum, fluuiorum ſanguineum ruborem, cælitus verò
coruſcus ignis & fulgura fulminaque terram incendent, ex eoque incendio vapor fumi
aſcendet, ſolis etiam eclipſes, quæ ſecundum naturam ſuam metum & triſtitiam homini-
bus afferre ſolent, nedum ſi præter naturæ ordinem huiuſmodi accidant: vt ſi ſol ipſe lumi-
ne priuetur, nullo, cur id fiat, lunæ interiectu: luna autem cum quem oſtendere ſolet can-
dorem, in ſanguineum ruborem mutet; tum verò maximus homines pauor terrorq́ue ar-
ripiet: namque irati Dei & vltoris ſigna ſunt, iamq́ue diuinorum bellorum horrenda dari
ſigna incipiunt, quæ tantò vehementius hominum corda terrebunt, quantò certius ex
præcedentibus vaticiniis non caſu, ſed conſilio euenire cōſtabit. Ea autem extrema diui-
ni iudicij dies non æquam omnibus hominibus ſortem edet, ſed piis quidem extremam æ-
ternamq́ue felicitatem & quietem, omniumq́ue tandem laborum finem virtutumq́. præ-
mia; impiis verò miſerrimum & lamentabilem voluptatum & vitiorum afferet exitium, &
æternas ſcelerum atque iniuriarum pœnas denuntiabit. hæc ergo ſigna aliis ſpem, aliis
verò metum afferant neceſſe eſt. propterea ait: *Antequam veniat dies ille Domini magnus &* 2. Theſſ. 1.
horribilis.] Piis quidem magnus; impiis autem & ſceleratis, horribilis. Si tamen, inquit,
iuſtum eſt apud Deum retribuere iis qui vos tribulant; & vobis qui tribulamini re-
quiem nobiſcum in reuelatione Domini noſtri Ieſu Chriſti de cælo, cum angelis virtutis
eius. Quoniam autem totus hic locus grauiſſimo illo Chriſti de eadē re ſermone explica-
tur, eum ſermonē referre non pigebit. In illis diebus, ſol contenebrabitur, & luna non da- Matt. 13.
bit ſplendorem ſuum, & ſtellæ cæli erunt decidentes, & virtutes quæ in cælo ſunt, commo- "
uebuntur. Et tunc videbunt filium hominis venientem cum virtute multa & gloria. Et "
tunc mittet angelos ſuos, & congregabit electos ſuos à quatuor ventis, à ſummo terræ vſq; "
ad ſummum cæli. His autem fieri incipientibus, leuate capita veſtra, quoniam appropin- "
quat redemptio veſtra. A ficu autem diſcite parabolam, &c. Poterant hunc in locum &
quæ apud Iſaiam, & quæ apud Ezechielem leguntur, afferri, niſi id & breuitatis ſpacium & Iſaiæ 13.
lectorum vinceret patientiam. Ezech. 24.

Et erit, omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit, quia in monte Sion & in Ieruſalem erit ſaluatio & in reſiduis quos Dominus vocauerit.

IVDICII diem impiis terribilem formidabilemq́ue maximè, piis verò hominibus ma-
gnum, ſanctum, omniq́ue auiditate expectandum, vtpote quibus tādiu deſiderata redem-
ptio aduenit. Erit enim dies ille in quo maxima hæc quæ videtur rerum rationumq. con-
fuſio, perturbatio, diſtinguenda componendaque ſit. Nunc enim quamdiu hæc mundi hu-
manarum rerum facies durat, quamdiu princeps huius mundi conari moliriq́ue aliquid
poteſt,

poteſt, & agni & hœdi, & zizania & probata ſemina permixta ſunt, & potior malorum
quàm bonorum hominum ſors nonnullis eſſe videtur. illo autem die exacta iuſtorum &
iniuſtorum diſtinctio ſeiunctioque futura eſt, atque agnis à dextra conſtitutis diuerſa feli-
ciſſimaque ſors erit; contrà verò hœdis à ſiniſtra locatis erit infeliciſſima: illi enim iucun-
diſſimam illam dicentis vocem audituri ſunt: Venite benedicti patris mei. iſti verò contrà
duriſſimam illam: Ite maledicti patris mei in ignem æternum. Igitur non omnibus terri-
bilis & calamitoſa exitialisque dies illa erit, ſed impiis tantum & ſceleratis qui non cogno-
uerunt Deum nec obedierunt Euangelio gloriæ eius; piis verò & iuſtis hominibus qui ve-
ræ religionis ſtudio ardentes honeſte laudateque vixerunt, quique ad iuſtorum ciuitatem
ſocietatemque pertinuerunt, iis iucundiſſima dies & sereniſſima erit. quod autem genus id
ſit quos æterna hæc felicitas maneat, quibus rebus atque artibus inſtructos eſſe oporteat vt
ad hoc idonei eſſe iudicentur, ſubiunctis carminibus Vates declarat: nimirum eos qui veræ
religionis colentes fuerint, quique in ſanctam ciuitatem recepti à Deo fuerint, & inter ci-
nes ſanctorum & domeſticos fidei annumerati. Neque enim in illam æternam cæleſtem
Ieruſalem migrantibus locus vllus erit, niſi iis tantùm qui eius quæ in terris eſt ſanctæ ci-
uitatis ciues verè fuerint; hoc eſt, niſi iis qui ad veram catholicamque piorum Eccleſiã per-
tinuerint. in illam enim cum triumpho nemo ſuſcipietur qui idem in hac probatus miles
non fuerit. triplici ergo lege & pacto diuinæ in cælis ciuitate quis donatur, ſi nomen Domi-
ni inuocauerit, ſi eius quæ in terris eſt ciuitatis Ieruſalem, legitimus ciuis fuerit (quocunque
ortu ſecundum carnem is extiterit) modò ciuitate Ieroſolymitanus, ſi in hanc ciuitatem di-
uino conſilio & approbatione electus vocatusque ſit. Neque enim ſatis eſt nomen Domi-
ni vtcunque inuocare & ſe ad Dei familiam pertinuiſſe contendere, niſi & paterfamilias
ſuum eſſe agnoſcat, & cæterorum familiarium moribus & legibus vſum approbet: Non
Matth. 10. enim omnis qui dicit Domine Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed tantùm is qui fa-
cit voluntatem patris. Quanquam autem omnes ad conuiuium vocati fuerint, quanquam
omnibus promiſſa ciuitas; non omnibus tamen aut certa aut conſtans permanenſque fuit.
Alij namque quoniam non legitimè petierunt, repulſam paſſi excluſique ſunt; alij verò
quoniam abuſi tanto honore ſunt, ciuitate amiſſa in exteriores tenebras ſunt relegati; qui-
2. Cor. 2. bus effectum eſt, vt ex multis vocatis rari fuerint electi. Nouit autẽ Dominus qui ſui ſunt,
" & diſcedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini. Namque ſignatum eſſe opor-
tet militem militatibusque ſacramentis obligatum, atque iis artibus inſtructum, quæ
militiæ imperatori maximè fuerint probatæ. [*Quia in mõte Sion & in Ieruſalẽ erit ſaluatio.*] Eccle-
ſiam nobis repræſentauit Ieruſalẽ illa olim ab Iudaico populo frequentata & culta; cuius
arx & regia in Sion monte fuerat ſita, Eccleſiam inquã Chriſtianam & ſanctorũ ciuitatem,
cuius rex Deus, pontifex autem & procurator Chriſtus Dei eſt, ſicut ſcriptum eſt: Acceſſi-
Hebr. 12. ſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Ieruſalem cæleſtem, & multorum millium
angelorum frequentiam, Eccleſiam primitiuorum qui conſcripti ſunt in cælis, & iudicem
omnium Deum, & ſpiritum iuſtorum perfectorum, & Teſtamenti noui mediatorem Ie-
ſum. Neque verò de nihilo eſt quòd duæ ciuitates Ieruſalaim communi omnium Theo-
logorum ſermone celebrantur: duplex enim omnino Ieruſalem eſt, & duplex ſemper hæc
ciuitas fuit, tam ea quæ terrena dicta eſt, quàm ea quæ cæleſtis nominatur. Atque adeò viri
Chriſtiani aures nobis integras & apertas vos admouere cupimus, nam ecce myſteriũ vo-
bis dicimus: Nomẽ Ieruſalaim ſemper bina terminatione dictum Hebraicè eſt, quòd ſem-
per gemina huius nominis vrbs fuerit. Namque antiquum quondam ei vrbi, quæ in Iudæa
Gen. 14. ſita fuit, nomen erat Salem, cuius rex olim Melchiſedech in Moſaicis hiſtoriis celebratur.
Altera verò erat Salem in terra Canaan prope Siloën, apud quam aliquando Iacob pater
eſt verſatus. Hebraicæ autem linguæ ratio vſusque habet, vt res quas geminas natura, aut
caſu, aut conſilio eſſe contigerit, dualis numeri nomine appellentur. ea terminatio in aim
eſt. ſic oznaim, duas aures: iadaim, manus duas, & reglaim duos pedes ſignificat. ſic etiam
Ioſue 10. quoniam duo oppida Horon nomine erant, Horon ſuperior & Horon inferior, Hornaim
vtrunque appellatum eſt. atque adeò huiuſmodi nominis cadentiæ rem, cuius id nomen
eſt, geminam eſſe arguit. Vt autem inter vtrunque Salaim certa ad diſtinguendum nota
eſſet, placuit ei quæ in alto ſita erat, atque ad Iudæorum & Biniaminitarum ſortem perti-
nebat, nomen facere Ieruſalaim, quod propriè ad verbum, Salem conſpicuam & excelſam
liceat interpretari. Salem autem ſimplex nomen ipſum pacis & perfectionis rationem ſi-
gnificationemque in ſe habet. atque ita Ieruſalaim conſpicuam & ſpectabilem pacem ac
perfectionem ſignificanter vertetimus. Quanquam autem & ea quæ in plano humilique
loco ſita fuit, pacis nomine & perfectionis ſignificatione inſignis fuerat, non tamen con-
ſpicua pax appellata eſt, quòd locum teneret humilem, neque ſe ipſa longè proſpicientibus

poſſet

poſſet oſtendere. Hæc adeò omnia nobis cogitantibus præclara quædam & diuina arcana ſeſe aperienda offerunt, quorum rationem ipſum nomen indicat Ieruſalaim, quod ad noui Teſtamenti Eccleſiam ſignificandam fuit vſurpatum. Geminam ergo eſſe Ieruſalaim, hoc eſt geminam Eccleſiam, alteram militantem, alteram triumphantem appellatam, nemo ferè eorum qui ſacras literas attigerunt, ignorat, & qui in alterā hanc recepti verè fuerint, eos etiam ad illam ſuper cæleſtem iurè admitti ipſius diuini Pontificis decreto accepimus, qui cùm Petro regni claues ſe crediturum polliceretur, Quodcunque, inquit, ligaueris "
ſuper terram, erit ligatum in cælis; & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutū in cęlis. "
Huius autem ciuitatis ius & ratio omnis planè cæleſtis eſt, nihilq́. terreni aut humani in ſe habet; neque enim vlla tanta vis aut virtus eſſe potuit, vt cæleſtē & diuinam ciuitatem hic conſtitueret, niſi diuina virtus & efficientia cælitus miſſa eam rem pararet & efficeret, niſi pontifex & miniſter aliquis diuinus, eſſet, qui cæleſtem ciuitatem in terris inſtitueret atque adornaret, idq́ue ius hominibus in eam ſuſcipiendis communicaret, ſine quo iure nemo homo diuina ciuitate, aut dignitate donari potuit. hoc autem ius ſpiritus ſanctus eſt, quem dedit Deus omnibus obedientibus ſibi, qui eſt pignus & arra, & certitudo hæreditatis eorum, qui acceperint. cuius quidem ſpiritus qui participes fuerint, filij Dei nominantur, & ſunt; atque ij iam pace, iam lætitia diuina, iam diuinæ ciuitatis commodis hic etiam in terris fruuntur. ſunt & alij qui ad hanc ciuitatem aſpirant, eamq́ue dignitatem, eam felicitatem omnibus votis expetunt, atque ad eam pro ſuâ facultate promerendam omnibus ſtudiis contendunt. hi etiam nomen Domini inuocant. ſed hi vel ad antiqua tempora, vel ad noſtra pertinent, qui antiquis temporibus fuêre antequam conſtituta in terris hæc ciuitas eſſet, antequam de cælo deſcendiſſet; viuentes illi quidem ciuitatis diuinæ ſperandæ promiſſionem habuêre, nunquam tamen adepti ſunt dum viuerent; poſtquam verò vita hac functi ſunt, vbi iam conſtituta ciuitas eſt, donati ſunt ciuitate illa triumphante, quæ pro ſui ordinis ratione contingere illis potuit. neque verò illa ſupercæleſtis vlli hominum patuit donec cæleſtis hæc in terra conſtituta fundataque fuit, ſicut ſcriptum eſt: Nemo aſcendit in cælū, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis qui eſt ad dexteram patris. Atqui eius quem diximus ordinis antiqui illi viri fuerunt, vt Abraham, Iſaac, & Iacob, & cæteri qui nullam ſibi certam in terris ſedem eſſe arbitrati ſunt, ſed expectabant fundamentum habentem ciuitatem. Noſtræ verò aureæ ætatis, hoc eſt, noui teſtamenti homines pij præter alia multa hoc etiam honore, hac dignitate, hoc admirabili beneficio affecti ſunt, vt multi ex eis paratæ iam & conſtitutæ ciuitatis non ſolùm iure & nomine, ſed libertate etiam atque immunitate viuentes ſentienteſq́ue fruerentur. Præclara equidem atq. antiquis etiam ſanctis inuidenda felicitas, vt qui poſtremi ad laborem vineæque culturam vocati fuerint, primi omnium tantæ dignitatis vſum fructumq́ue capiant, de quibus ſcriptum eſt: Vos genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis. quos non hoſpites & aduenas vt antiquos illos, ſed ciues ſanctorum & domeſticos Dei iam Apoſtolus gratulando appellat, ſuperædificatos ſupra fundamentum Apoſtolorum & prophetarum. Huius ciuitatis ius in fide tantùm & ſpe huius noſtræ tēpeſtatis hominibus iam ferè abhinc mille annis contingit; paucis verò reipſa & vſu; noſtra enim culpa fit, vt minus frequens modò ciuium copia ſit eorum qui ſpiritum ſanctum ipſe habeant, quàm Apoſtolorum temporibus fuit. ſed futurum aliquando diuino beneficio eſt, vt cæleſtis illa ciuitas iterum reſtituatur, magnaque tum eorum qui in cælo, tum eorum etiam qui in terra degent frequentia gemina hæc Ieruſalem celebretur, vt impleatur quod dictum eſt per myſteriographū dicentem: Et ego Ioannes vidi ſanctam Ieruſalaim nouam deſcendentem de cælo à Deo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo: Et audiui vocem magnam de Throno dicentē: Ecce "
tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus eius erunt, & ipſe "
Deus cum eis erit eorum Deus. & iterum inquit: Et ſuſtulit me in ſpiritu in montem ma- "
gnum & altum, & oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cælo, ha- "
bentem claritatem Dei, & lumen eius. & cætera quæ ſequuntur. Qui legit intelligat, aut vt "
intelligat illud, quod in eodem capite ſcriptum eſt, agat: Qui vicerit poſſidebit hæc, & ego ero illi Deus, & ille erit mihi filius. itaque quicunq. huius cæleſtis Ieruſalē ciues iam & domeſtici ſunt, ciuitatis libertate & immunitate vtuntur. pacem illi quidem & perfectionem etiam in hoc humili terræ loco conſtituti habent, ſed non ita conſpicuā, non ita apertam, vt illi qui ſuperiorem incolunt Ieruſalē, quibus loci ipſe ſitus, & natura perpetuā, ſtabilem & omnibus manifeſtam felicitatē reddit: Etenim cælum ipſum ſua natura ſecuritatem incolentibus promittit, quo nihil earum quæ in inferiori loco contingunt, calamitatum, perturbationum, tenebrarū, nihil deniq. mutationis pertingit. hanc autem rem ſic Apoſtolus exponit: Propter hoc mūdus non nouit nos, quia non nouit Deū. Chariſſimi, nunc filij Dei 1. Ioan. 3.

Matth. 16. (margin notes:) Epheſ. 1. — Ioan. 3. — Hebr. 11. — 1. Pet. 2. — Epheſ. 2. — Apoc. 21.

„ ſumus,& ſi nondum apparuit quod erimus: Scimus quoniã cùm apparuerit ſimiles ei eri-
„ mus.Igitur vel ex antiquis qui nomen Domini verè inuocantes ad diuinæ ciuitatis ius no-
menq.pertinuerint,vel ex noſtris qui iam in ipſam ciuitatẽ conſcripti receptique fuerint,
quos reſiduos Vates hoc in loco nominat,omnes ij ſalui erunt:namq. eos ſolos, quibus ci-
uitatis & ſocietatis huius ius & nomen ratioq.communis fuerit, eius ſalutis conſortes eſſe
voluit Deus.ac propterea ait: *Quia in monte Sion & in Ieruſalẽ erit ſaluatio,ſicut dixit Dominus,& in re-*
קרא *ſiduis quos Dominus vocauerit.*] In Hebraico exemplari verbũ eſt KARA, quod vocare,appel-
lare & legere etiã ſignificat.atq. eo quidem verbo elegantiſſimè hoc in loco Vates eſt vſus.
nam quãuis vniuerſum hominũ genus in libro vitæ deſcriptum fuerit,à multis tamen eſt
Exod. commiſſum vt eorũ nomina de eo libro delerentur,ſicut ſcriptũ eſt: Qui peccauerit mihi,
Apoc.22. delebo eũ de libro vitæ.& alio in loco: Si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius,
auferet Deus partẽ eius de libro vitæ,& de ciuitate ſancta. Et qui vicerit ſic,veſtietur veſti-
mentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ. Faciam illũ columnã in templo Dei
Apoc.3. mei,& foras non egredietur amplius,& ſcribam ſuper eũ nomen Dei mei,& nomen ciuita-
tis Dei mei nouæ Ieruſalem,quæ deſcendit de cælo,à Deo meo. Atq.adeò qui electionis ra-
tionẽ hoc modo non intelligit,is planè eã rem totam ignorat, & ſacrarũ de ea re literarum
argumenta non aſſequitur,in quibus quidã aberrantes naufragiũ fecerunt.Igitur quo tem-
pore hæc agnorũ ab hœdis ſeparatio futura eſt, Deus librũ vitæ leget,& ſingulorum quę in
Iſa.4. eo ſcripta permanſerint nominibus appellatis ciuium ſcilicet & peregrinorũ ſuorum atque
„ alienorum militum habebit delectum,ſicut ſcriptum eſt: Et erit omnis qui relictus fuerit in
„ Ieruſalem,ſanctus vocabitur omnis ſcriptus ad vitam in Ieruſalem.& apud Danielem: Et
in tempore illo ſaluabitur populus tuus omnis qui inuentus fuerit ſcriptus in libro vitæ.

CAPVT TERTIVM.

QVIA *ecce in diebus illis, & in tempore illo cùm conuertero captiuitatem Iuda & Ieruſalem, congregabo om-*
nes Gentes,& deducam eas in vallem Ioſaphat: & diſceptabo cum eis ibi ſuper populo meo & hæreditate mea
Iſraël, quam diſperdiderunt in nationibus, & terram meam diuiſerunt.

EX HIS quæ à vatibus olim decantata & prædicta fuère,multa quidem
ſuis temporibus exitus habuère ſuos,qui reſponſis & oraculis ipſis aptiſſi-
mè reſponderunt;atq. hæc vna res & præſentibus, & futuris hominibus
fidem ac ſpem facere potuit fore,vt cætera quæ nondũ finem habuerant,
certiſſima tandẽ euaderent. Hoc enim argumento Chriſtus dictorũ à ſe
vaticiniorũ veritatẽ & conſtantiã diſcipulis probauit,cùm de mundi fine
& iudicij die rogatus quomodo ea futura eſſent,deſcripſit,atq.obiter Iero-
ſolymitanum excidium prædixit, eodem illo ſeculo futurum affirmauit, vt eius rei certus
euentus cæterarum quæ ab eo antè dictæ erant, certum etiam exitum expectandũ ſtatue-
ret. Atq.ita de Ieroſolymitanis rebus dixit: Amen dico vobis,non præteribit generatio hęc
donec omnia hæc fiãt.de aliis autẽ futuri iudicij rationibus à ſe relatis ait: Cælum & terra
tranſibunt,verba autẽ mea non tranſibunt. Atq. hæc propheticæ veritatis aſſerendæ pro-
bandæq.vetus iam & vſitata ratio eſt: nam qui ſpiritus vera & certa vatibus in lõga poſte-
raque tempora dictauit,idẽ non ſolùm negotiorum rerumq ipſarum,ſed fidei etiam atque
auctoritatis cauſa in priora atq.proxima tempora quoq.dictare voluit.idcirco illa oratio-
Apoc.1. ne iure vates vtuntur: Et reuelabuntur in tempore ſuo, hoc eſt,nõ omnia vno tempore,ſed
alia aliis fient tẽporibus;ita tamen,vt priora poſterioribus fidem faciant. Ex his igitur quæ
hactenus à Ioële prædicta ſunt, multa euentus ipſe iam ſpectatus re comprobauit: cætera
verò quorum edendi occaſio nondũ data eſt,expectanda certaq. nobis reddidère.cuiuſmo-
di ſunt Iſraëlitarum reſtitutio, iudicij cõmunis omnibus dies, & quæ hoc in capite prædi-
cuntur,diuini nominis hoſtium ſtrages & futura eccleſiæ ſanctæ tranquillitas & pax. Atq.
de communi iudicio actũ iam in ſuperiori capite eſt: nunc deinceps vltionẽ illam ſpecte-
mus,quam populi ſui hoſtibus,id eſt,ſuis Deus parauit,quæ ante iudicij diẽ futura eſt;quo
tempore Iſraëlitæ à tenebris,à caligine in qua iacent, ad lucem verã reuocandi ſunt, quan-
do vnus omnibus gregibus paſtor,vnũ commune omnibus ouile erit: quando omnes verè
Iudæi erunt,hoc eſt,depoſita illa carnis mole,& cordis præputio diuinitus abſciſſo,omniũ
in ore vera communisq.confeſſio & diuinorũ beneficiorum prædicatio verſabitur. Atque
ad hunc modum Iudaicas & Iſraëliticas rationes ſtatuere oportet,vt verum Iſraëlitam,ve-
rumque Iudæum,verum Abrahæ ſemen,non carne,ſed ſpiritu, definiamus,eosq. Abrahæ
filios dicamus qui Abrahæ fidem, ſtudia atque opera fuerint imitati, ex quacunque gente
ſint, modò ad Abrahæ, Iſaac & Iſraël ſpiritualem familiam pertineant, ſicut ſcriptum eſt:
Non

Non enim omnes qui ex circunciſione ſunt Iſraël,hi ſunt Iſraëlitæ:neque qui ſemen ſunt Rom. 9.
Abrahæ omnes filij:ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen:id eſt,non qui filij carnis,hi filij Dei: "
ſed qui filij ſunt promiſſionis.Igitur populū Dei piorum hominū eccleſiam ſocietatemq́.
eſſe ſtatuimus,eoſq́.verè Iudæos,hoc eſt,diuinarum laudū prædicatores, & verè Iſraëlitas,
in quibus dolus non eſt,eſſe diciq́.arbitramur,ſiue Iſraëlitæ ſecundū carnem ſint,ſiue Idumæi,ſiue Iſmaëlitæ,ſiue ex Parthis & Elamitis,& qui habitant Meſopotamiam,Cappadociam,Pontum & Aſiam,Phrygiam, Pāphyliam,Ægyptum & Libyam,& ex aduenis Romanis,Cretenſibus & Arabū de gente remota. Namq.ex his omnibus quicunq.fide & pietate vera Deum coluerit,ille ad id decretum promiſſumq́.pertinet diuinum:In ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. omnes enim vnū corpus ſunt,vna omnibus fides,vna cōmunis ſocietas & eccleſia,vnum virtutis & pietatis ſtudium,eadē in honeſtiſſimis rebus voluntas,atq.æternæ illis ſalutis ſpes vna eſt.Neq. verò locorum regionumq́. tantùm, ſed temporum etiā hæc ſocietas, coniunctio & communicatio eſſe cenſetur.Nam & qui ante Chriſtum fuère pij ſanctiq́.viri,& qui poſt Chriſtū,idē ſocietatis & ciuitatis ius rationeſq́. participant,atq.inter ſe omnes cōmunicant,tametſi eiuſ rei fructum non eodem tēpore,& modo omnes æqualiter(vt antè diximus)perceperint.Iam verò omnium horū ſocietatē & cōmunem rem populumq́.vnum integrum animo cogitationeq́.altera ex parte ſtatuamus; ex altera verò cęteros omnes quotquot in orbe aut ſint,aut fuerint,aut futuri ſint homines, his,quos modò deſcripſimus,omnino moribus & vita fideq́.diſſimiles,atq.inter ſeipſos varij nimiū ac diſpares, quos nec certa lex regit,nec religio gubernat, nec opinio ducit,quorumq́. mores,ſtudia,inſtituta, ac potius errores omnes perſequi longa eſſet magis , quàm benigna materia:quorum quāuis in cæteris rebus ſententiæ variæ diſcrepanteſq́.ſint;vnum hoc tamen omnibus commune & conſtans eſt,vt populū Dei à quo ſinguli longè diſtant, oderint,vexent & multis exagitent modis:Namq.ſi quis à diluuij ſeculo ad ſua vſque tempora hominum hiſtorias,annales & mundi faſtos euoluat,apud ſeque cum rebus res componat,inueniet profectò vnum idemq́.iudicium,conſilium & conatum filiorū hominum aduerſus filios Dei per omnem ætatem fuiſſe, vt eos contemptione, probris, inimicitiis & iniuriis omnibus proſequerentur; & omnes Dei plebem tanquam cibum panis deuorarēt. ſemper autē populus Dei calamitatē hanc timuit & expertus eſt. Huius igitur tā antiquæ, tam longæ,tamq́.grauis iniuriæ pœnas Deum aliquando repetiturum, vicemq́ue ſuorum vlturum,vates prædixêre.Neq.verò ſolum id futurum eſſe,vt ex iis qui malè,impieq́ue in vita ſe geſſerint propriorum vnuſquiſq. ſcelerum ſupplicia apud inferos exoluat,à qua lege & ſententia nemo hominum immunis ex iſtis ac liber erit (omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti,& reddere rationem prout quiſque in corpore ſuo geſſit ſiue bonum ſiue malū)ſed etiā ante illa vltima tempora diem quendā dici, quo ij qui eo ſeculo deprehenſi fuerint mali peruerſiq́. homines,aliorum omnium qui ante ſe fuerint iudicium perſonamq́.ſuſtinentes,pœnas luant,& communis vitæ ſtatus ac conditionis damnationē ipſi ſuo repræſentent ſupplicio.Hoc enim diuina æquitas interdum & iuſtitiæ ratio poſtulat, vt dum alij ob propria ſcelera puniuntur,aliorum etiam ſimilia ſtudia eodem crimine inuoluta damnentur;& qui poſteriores fuerint,vbi ad maiorum ſuorū menſuram malefaciendo addiderint,ipſi tandē diruendi cumuli occaſio fiant,ſicut ſcriptum eſt: Implete vos Luc. 11.
menſuram patrū veſtrorum vt veniat ſuper vos omnis ſanguis qui effuſus eſt à ſanguine "
Abel iuſti,vſq.ad ſanguinē Zachariæ filij Barachiæ,quem occidiſtis inter templū & altare. "
Occidiſtis,inquit,non quòd ipſi iidem eius necis auctores extiterint, ſed quòd eius ſententiæ , ſtudij atque odij in pios homines imitatores atque aſſeclæ fuerint : Nam prouidentiam quidē,quæ vna ex maximis Dei virtutibus eſt, vna res ſæpe in dubitationē quæſtionemq́.vocat,quòd iniqua vtriuſq. generis hominū & bonorū & malorum ſors eſſe videatur.ea lis & cauſſa priuatè ſæpè à Deo contra oppugnantes iudicata atq. dānata eſt.ſiquidē frequētia Deus à pietate,à virtute aduerſus ſceleratos & impios homines iudicij ſententiæq́.ſuæ exempla edidit; ea tamen quoniā multos impios & ſceleſtos effugere accidit, diuinam prouidentiā non ita publicè omni hominum generi probauêre, vt publicè probari ſolet,cùm nullus qui in culpa eſt culpæ pœnam effugerit,cùm innocentia & integritas à ſcelere & malitia ſupplicio aut præmio diſtinguitur: cuiuſmodi acre & ſeuerū iudicium 1. Pet.
communis illa totius orbis inundatio oſtendit,in qua pauci,id eſt, octo animæ ſaluæ factæ ſunt,cùm cæteros omnes in noxa & culpa eſſe diuina ſententia pronuntiaſſet : Ingredere, inquit,in arcam tu & domus tua,te enim vidi iuſtum coram me in generatione hac.Igitur cùm Deus ſeſe impiis omnibus ſcelerum & iniuriarum vltorem,piis verò & integris ſalu- Gen. 7.
tis auctorem præbuit,tunc maximè ſuæ ſe prouidentiæ exhibet aſſertorem,ſicut ſcriptum " Pſalm.
eſt:Dediſti metuentibus te ſignificationē, vt fugiant à facie arcus, vt liberentur dilecti tui. "

Atque huiuſmodi commune & publicum iudicium olim faciẽdum Deus denuntiat, tempusque fore cùm omnes omnium gentium, ſectarum & partium impij homines, quibus populum Dei vexare & affligere ſtudium fuit, publicè pœnas dent, cum ſumma pioꝝ hominum & ſacrorum ciuium tranquillitate & ſalute. Hos autẽ omnes populo Dei infenſos homines, variis nominibus & ſtudiis opinionibusq́. diſtinctos, nunc gentes, nunc Gog & Magog imperia & exercitus, nonnunquam aliis modis diuina ſcripta nominãt. Magnam profectò atq. horribilem calamitatẽ orbi ſuperuẽturam timere omnes viuentes, & quemque ſibi cauere oportet, diuinamq́. iram ſibi atq. ſuis pœnitẽtia & ſupplicationibus aſſiduis deprecari: neq. enim eos ſolùm, qui à Chriſtiano nomine & religione alieni ſunt, ſed ex iis etiam, qui in Chriſtianis nomen profitentur ſuum, multos hæc ſtrages continget: omnes nimirum quotquot non Chriſtianè vixerint, quorum pars cum hypocritis & ſceleratis poſita eſt: maximè autem eos qui charitatem fraternitatis non fuerint ſectati. Qui habet aures audiendi audiat. Hactenus huius vaticinij & prædictionis argumentũ explicatum eſt; nunc verò deinceps dictionem ipſam explicemus, quæ iam fermè ex iis quæ à nobis dicta ſunt, aperta eſt. [*Quia ecce in diebus illis.*] Quoniam ſuperioris vaticinij orationẽ illa ſententia vates clauſerat; iis ſolùm æternam ſalutem ſperandam expectandamq́. fore, qui diuinæ ac nouæ ciuitatis Ieruſalem ciues eſſent conſcripti; cæteros autem terribilem quandam æterni ignis expectationem, vt Apoſtolus inquit, manere, quòd eam gentẽ omnem in hoſtium numero Deus vnà cum Lucifero & angelis eius habuerit, nunc oſtendit publico etiã teſtimonio eam rem eſſe confirmandam, hoc eſt, omnes, quicunq. alieni à ciuitate Ieroſolymitana (de qua nobis ſermo habitus eſt,) fuerint, eos omnes hoſtes haberi & eſſe: futurum enim eſſe, vt eius longi ac diuturni belli pertinacia, quod à diluuij tẽpore, ſiue à mundi potius initio inter Deum Deiq́. humanos hoſtes geſtũ eſt, finem habeat, atq. tota ea cauſſa & hominum de ea re iudicium vno tandem prœlio definiatur. hæc autem res conſultò ad ea vſque tempora deferetur [*Cùm conuerſero captiuitatem Iuda & Ieruſalem,*] Eo quẽ ſuperius iam commemorauimus modo. Vox autem illa *Ecce* rem grandem & nouam indicare in vatum ſermonibus conſueuit, rem, inquam, quæ auditoribus, nedum ſpectatoribus magnam mouere poſſit admirationem. Ieroſolymitanæ verò & Iudaicæ tantùm reſtitutionis ideò meminit, quòd maxima huius vaticinij pars in Iudaicis calamitatibus referendis & prædicendis conſumatur: Namque Vates hic ad eam tribum & gentem proximè pertinebat, obiter autem cæteras attingit. Deinde etiam quòd Iacobææ gentis dux & princeps Iuda, atque eius regni regia ciuitas Ieruſalem olim fuerit: cùm verò reducendi ſunt, non amplius diuiſæ ſeparatæque familiæ, ſed vna ex omnibus familia, vna verè Iudæorum, hoc eſt laudantium Eccleſia futura eſt, vna ciuitas Ieruſalẽ erit, cui princeps vnus & caput vnũ Ieſus Chriſtus Dauidis filius præſit. Ad eam ciuitatẽ & Dei hæreditatem omnes verè Iſraëlitæ pertinebunt, qui cum aliis gentibus vno nomine omnes populus Dei & ciuitas ſancta vocabuntur. Vt ergo Romani nominis appellatione non ſolùm illa vrbs, ſed omnes omnium gentiũ homines illius ciuitatis iure & immunitate vſi, continentur: ſic Ieroſolymorũ nomine Iudæi Iſraëlitæq́. omnes, omnesq́. eiuſdẽ ciuitatis conciues appellantur. [*Et congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Ioſaphat.*] Cupiditatem quandã terræ ſanctæ, hoc eſt, populi ſancti in ſuã ditionẽ redigendi ſingularum gentiũ animos incenſuram vaticiniũ hoc indicare videtur, atq. ea occaſione magnus omnium gentiũ & nationum motus atq. in certum quendam locum concurſus eſſe faciendos, qui de ſacræ ciuitatis imperio certantes ipſi ſibi mutuo exitio ſint. Neq. enim hos nunc bellum Iſraëli illaturos prædicit, ſed congregandos tantùm eſſe in vallem Ioſaphat, vt omniũ malorum, iniuriarum & calamitatum quas ante id tempus illa communis hominũ factio piis hominibus & religioſis attulerit, pœnas Deo iudici exoluant. quo in ſupplicio ſumendo mutuis ipſorum manibus & gladiis Deus vtetur. Nominat autem locum in quo prœlium vtrinq. committendum eſt, Vallem Ioſaphat; quem ſi ex Topographiæ ratione notare libeat, iuxta Ieruſalem ad Olearum montis radices vallẽ quandam eſſe dicemus, quam Ioſaphat hodie etiam incolæ vocant; ſiue quòd ille olim Solymorũ rex eum agrum poſſederit, ſiue ędificio aliquo aut opere ornauerit, ſiue alia aliqua cauſſa fuerit, quamobrem id loco nomen ſit factũ, cuiuſmodi incertæ cauſſæ nominibus multa loca appellari geographiæ ſtudioſis eſt manifeſtũ. Si verò (quod nobis vehementer probatur) nomen non ex loco, ſed locũ ex nomine & interpretatione definire placeat, illi vbicunq. terrarum is ſit, nomen non ex præterita ſed ex futura re factum prophetico more eſt intelligendum. Nam *Iehoſaphat*, iudiciũ futurum propriè ſignificat, quòd is locus à Deo delectus definitusq́. fuerit, in quo iudiciũ aduerſus impios & populi ſui hoſtes exerceat. quamobrẽ conuenienter gerẽdæ rei nomen multò antequàm geſta eſſet, fuit impoſitum. Quæ dicẽdi figura Anticipatio ab artificibus dicitur, cuius nõ rarus apud diuinos

Paulus Iuriſconſult. lib. 1. de verborũ ſignifi.

Ioſaphat Hebraicè Iehoſaphat profertur.

vates

vates eſt vſus. ſic Iſaias ruiturum aliquando ſibi præuiſum murum ruinam multò antè vocauit. *Iſa. 30.* hanc loci & nominis explicationem præterquam quòd ratio ipſa arguere videtur, ſubiectum etiam hemiſtichium confirmat: *Et diſceptabo cum eis ibi*. Hebraicè autem verbum ex verbo ſic: *Et iudicabor cum eis ibi.*] Hoc eſt iudicium illud quod tamdiu dilatum eſt, de mea erga populum meum prouidentia, tutela & cura ibi tandem definietur, & vtra cauſſa prouidentiámne meam accuſantium, an defendentium certior ſit, re ipſa demonſtrabitur. hâc etiam vallis Ioſaphat expoſitionem Chaldaica Biblia apertè docent. ſic enim Chaldaicè hoc in loco legimus: *In planitiem manifeſtationis iudicij:*] Vallis autem nomen Hebraicè GHEMEQ eſt, quod profundum ſignificat, vt id Dei de impiis hominibus iudicium non leue, non vulgare, non etiã priuati alicuius & obſcuri exempli, ſed publicum, grauiſſimum, profundiſſimumque fore oſtenderetur; iuxta eam rationem quæ apud Hoſſeam de valle Iezraghel reddita nobis iam eſt. [*Super populo meo, & hæreditate mea Iſraël, quos diſperdiderunt in nationibus & terram meam diuiſerunt.*] Præteritarum iniuriarum rationes in crimen vocandas & fatali quodam prœlio iudicandas fore diximus, aliarum gentium gladiis in alias conuerſis. Iam ſi quis Apoſtolorum res geſtas hiſtoriasq́. diligenter legat, quid hæc pij populi diſperſio ſignificet, facilè intelliget. nam præterquam quod piiſſimi quique ab impiis vbique terrarum exagitari vexarique ſolent, illis recentis Eccleſiæ temporibus quanta aduerſus Chriſti diſcipulos exorta fuerit tempeſtas, nemo eſt qui ignoret, ita vt aliæ vitæ periculum & capitis inſidias ſubierint, alij dignitate & fortunis omnibus expoliati patria cedere & ſolũ vertere coacti ſint, & partim profugi, partim etiam Euangelij prædicandi cauſſa in varia atque longinqua terrarum loca diſperſi fuerint, quibus etiam in locis ſecurè & quietè agere permiſſi non ſunt: nam & ab iis ipſis gentibus inter quas verſabantur & exulabant multa quoque crudelia paſſi ſunt, ita vt ſeipſos illi mundi ludibria & peripſemata ob eam rem appellarent. Huiuſmodi pios homines vbicunque terrarum ſint dilectos aduenas qui ſunt in diſperſione Apoſtolus etiam nominat. Horum iniurias ſe vlturum Deus minatur.

Super populum meum miſerunt ſortem, & poſuerunt puerum in proſtibulo, & puellam vendiderunt pro vino, vt biberent.

TRANSLATIONE à bello & hoſtibus ſumpta vſus Deus, omnes omnium generum iniurias & contumelias ad certa quædam capita reuocat. nihil enim eſt quod victori in victum non liceat. Verùm quædam iniuriæ probroſæ admodum ſunt, quæ ſimul cum malo & damno ludibrium etiam adiunctum habent. hæ grauiſſimæ acerbiſſimæque eſſe ſolent; videlicet cùm non perſona tantùm, ſed dignitas, ſed vitæ ſtatus & inſtitutum ludibrio exponuntur, adeò vt vel illatis ſibi manibus fugiendum hoc Saul rex iudicauerit: Euagina gladium tuum & percute me, ne fortè veniant incircuncisi iſti & interficiant me illudentes mihi. *1 Sam. 31.* Huius generis iniuriæ ſunt, quòd puer meretrici ſtupri merces ſit, & virgo puella vini poculo permutetur; quorum velç: as miſericordiam, vel religio metũm, vel fletus & clamor terrorem mouere debuerunt. Magnum hæc contemptum intolerabilemque totius ſtatus & ordinis deſpicientiam habent, & quæ ab eo qui eius inſtituti princeps (qualis Deus populo ſuo) eſt, vindicari oporteat. illud verò obſeruatione dignum eſt, cùm bellũ in gentem aut populum aliquem moueatur, vſu ſæpe venire, vt quidam apertè hoſtili animo & nomine bellum inferant; alij autem qui non apertè oderint, obſcure tamen noceant, quibus videlicet nulla manifeſta odij cauſa ſit, odium autem & inuidia maxima in corde lateat: hi cùm palam nocere non poſſint, cùm per occaſionem aut tempeſtatum turbulentiam latere ſe poſſe ſperant, neq. damnis parcunt, neq. ab iniuria inferenda abſtinent? cuiuſmodi animo, ſtudio & conatu filios Edom aduerſus Iudæos fuiſſe elegia illa elegantiſſimè conqueſta eſt, qui Babylonus bellum Ieruſalem offerentibus dicebant: Exinanite, vſque ad fundamentum in ea. Huiuſmodi etiam occultas ſimultates Tyrus & Sidon duæ Palæſtinorum celeberrimæ quondam ciuitates, quæ nulla iniuria, nec vi vlla à Iudæis laceſſitæ, imò contrà adiutæ ab iis frumento & alio cõmeatu, tamen illarum fortunis præ belli occaſione inſidiabantur; aurum & argentum & veſtem cæteraque diripiebant, pueros etiam puellasq́. furto aut excurſione abductas vendebant, ita populus ille religioſus non minus à finitimo occulto hoſte, quàm à longinquo atque aperto infeſtatus eſt: nec leuiori incommodo aut maiori iniuria affectus. horum autem cauſam Deus in hoc iudicio dicit, eosque in crimen etiam vocat, quibus meritas etiam pœnas decernit.

Verùm quid mihi & vobis Tyrus & Sidon, & omnis terminus Palæſtinorum? numquid vltionem vos reddetis mihi? & ſi vlciſcimini vos contra me, citò velociter reddam viciſſitudinem vobis ſuper caput veſtrum.

VLTIONIS nomen (quæ eadem retributio in ſacris eſt) non ſolùm ad eum pertinet qui

laceſſitus iniuria aut beneficio prouocatus paria paribus referre conatur,ſed ad eum etiam qui primus vltrò laceſſiuerit,malumque intulerit, vel etiam prouocauerit beneficio, vt in
Pſalm. Pſalmo: Filia Babylonis miſera,beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.& illud:Tu enim retribuiſti mihi bona,& ego retribui tibi mala. Eadem vox
1.Sam.24. Gamala in hoc & in illo loco eſt.Latinus ſermo huius ſignificationis nomine (vicem) vtitur,quod ad parem ſortem vltro citroque refertur. Accuſantur ergo Tyrus & Sidon & omnis terminus Palæſtinorum,quòd nullis laceſſiti malis, tamē vltro malum Dei populo,hoc eſt,Deo ipſi inferre parauerint atque intulerint: populi enim cauſam ſuam ducit Deus,& actorem ipſe hoc in loco repræſentat, perinde ac ſi ipſe iniuria fuerit affectus; vnde & initio ſecum omnibus gentibus iudicandum propoſuit. huic ſimile illud eſt: Eheu vindicabor
Eſai. " de hoſtibus meis. Tyrios igitur & Sidonios & finitimos omnes Palæſtinæ terminos vocat, qui non in hoſtium numero ducti,tamen hoſtiliter ſe erga Dei populum geſſerint. hosque accuſat,quòd nunquam prouocati nocuerint,tamen & ita ſæuierint, ac ſi ſuas perſequerentur iniurias. quòd ſi non prouocatos ſe dicant, ſed prouocare vltrò voluiſſe, expectandam illis eſſe ſuam vicem Deo cùm auctore, tum vltore,quos ille eadē, quam moliti ſunt, ruina obruet. Interrogatione autem primùm vſus eſt, quòd ea loquendi figura aptiſſima iis ſit,qui iuſtiſſimam cauſſam tuentur,cuius probationem ex aduerſarij reſponſione parāt:
Quint. De. Quidquid enim aduerſarius reſponderit à ſe ſtare,ſuumque ius firmare, arbitrantur. vt,Tu ſi tribunus eſſes,iſtud feciſſes? Si miles,iſtud tuliſſes? vtrum reſponderit aduerſarius incluſus teneatur neceſſe eſt. Hoc modo Deus inquit: vos etiam in crimen voco *Tyrus & Sidon,& omnis terminus Palæſtinorum.* quos ego iniuriarum accuſo, ſed quo nomine audacia veſtra appellanda ſit, vos cogitate & dicite: qualis nam hęc ſit quę inter nos cauſſa interceſſerit; quoniam enim in iudicanda re non tam factum ipſum,quàm conſilium expectari oportet, vobis reddenda ratio eſt,quo conſilio id feceritis. An ne retributionis vltionisque cauſſa, ſed quam vltionem vos mihi reddendam dicetis, qua ratione ſic nominabitis nunquam à me antea vllis bellis aut iniuriis prouocati. digni ergo vos ob hanc rem eſtis, quos ego grauiſſimis proſequar pœnis. Si verò non retributio, ſed prouocatio iſta veſtra fuit, atq. vltrò vos Deo inſidias intendiſtis inimicitiasque paraſtis. [*Si vlciſcimini vos contra me, citò velociter reddam viciſſitudinem vobis ſuper caput veſtrum.*] Subitò inquit Deus, & celeriter ſe illis meritam calamitatem allaturum, vt planè neq. capiendo conſilio, neq. effugiendo malo vllus illis locus relinquatur. Nam præter alia multa hoc etiam diuinæ rationes ab humanis differunt, quòd homines nihil alij aduerſus alios ſine longo atque maturo conſilio efficere poſſunt; atque ita interdum res agitur, vt aduerſarij etiam interim ſibi conſulant; atque hoc modo aduerſariorum etiam ſtudia impediant. quòd ſi maximè alterius partis conſilium alteram fugiat aut lateat, tamē non tanta in re gerēda celeritas eſſe poteſt, vt nullū ab altera parte exhiberi poſſit negotium, quo minus res ex animi ſententia cōficiatur. At verò diuinæ rerū gerendarum rationes multò aliter ſeſe habent: nam ſumma in conſiliis Deo ſapientia hominibus abſcondita,& in re etiam conficienda celeritas ſumma eſt. [*Citò velociter.*] *Citò*, ad inſperatum pertinet caſum, quòd nec opinantes opprimat. *Velociter* verò ad agendi celeritatem quæ conſilij capiendi locum omnem, atque omnem ſalutis ſpem, viam & cogitationem præoccupet & claudat. Atque eorum quos accuſat conſilium ita oſtendit, vt animos iniuriarum & iniquæ cogitationis ſtudijque reos arguerit & probauerit: nunc factum ipſum narratione exponit & partibus diſtribuit, vt ex facto conſilij, ex conſilio facti grauitas & indignitas confirmetur.

Argentum enim meum & aurum tuliſtis: & deſiderabilia mea & pulcherrima intuliſtis in delubra veſtra.

NON ſolùm auarè & iniquè, ſed etiam inſolenter & contumelioſè aduerſum ſe egiſſe illos oſtendit: namque ſummæ auaritiæ & damnatæ cupiditatis eſt eum, à quo nihil defraudatus fueris aut mali damniue acceperis, fortunis ſuis ſpoliare: ſed maximæ etiam contumeliæ eſt, ſi quis detracta ex alienæ religionis populis atq. vrbibus ornamenta ad ſua templa transferat, & in perpetuam ſpoliatorum notam & gloriæ ſuæ monumentum ſtatuenda curet. ſic Tyrij & Sidonij & qui cum his erant populi aurum & argentum, & vaſa etiam magnificè & pretioſè cælata, cæteraque ornamenta (quæ in ſacris deſiderabilia nominantur) ex Ieruſalem atque ex aliis Iudææ vrbibus per ſummam fraudem & iniuriam detracta in ſuis phanis ſtatuebant: quæ diuinæ virtuti & gloriæ eius religionis vnde hæc ablata fuerant perpetuæ ignominiæ notam apponerent. Quamobrem non alienum hoc à ſe, ſed ſuum eſſe aſſerit Deus, ſuamque cauſſam hoc in iudicio agi, ſuam gloriam in his iniuriis tentatam eſſe oſtendit. [*Aurum, inquit, meum & argentum meum:*] neque enim populus

meus alio nomine vobis odio erat,non quòd vicinus,non quòd finitimus, non quòd multus, ſed quòd meam religionem à veſtra ſuperſtitione alienam colerent: nam & finitimi etiam vobis Græci ſunt, & multò etiam frequentioribus multis & maximis vrbibus & oppidis abundantes, tamen nihil huiuſmodi perpeſſi à vobis ſunt; imò potius

Filios Iuda, & filios Ieruſalem vendidiſtis filijs Græcorum, vt longè faceretis eos à finibus ſuis.

A IVDÆA Septentrionem verſus tendentibus Cilicia, Lycia, Pamphylia, Aſia, atque aliæ prouinciæ erant, quæ Græcis hominibus habitabantur: Namq. ex Athenis in Aſiam, atque Epheſum colonias olim deductas fuiſſe apud antiquos ſcriptores legimus; atque eorum qui regiones illas frequentabant Græcum ſermonem Aſiaticum dixêre, qui redundans fuit & plus nimio etiam diffuſus, qualem in Galeni & Chryſoſtomi libris videmus. Quanquam autem regiones illæ non propriè Græcia dicerentur. eſt enim Græcia quam primi olim Græci dicti occuparunt, trans Mediterraneum mare ad occaſum Iudææ ſita. tamen incolæ ipſi Aſiæ atque aliarum finitimarum regionum Græci dicuntur, ſiue vt propriè eos Vates hoc in loco nominat, Græcorum filij; qui ſi non patriam antiquam illam teneant, mores tamen patrios, linguam religionesq́ue retinent, & genus vnde oriundi ſunt, omnino referunt. his autem filijs abductos filios Iſraël Tyrij vendebant, quos in Græciam atque in Italiam & in alias regiones quæ à Græcis generis linguę communione & negotiorum commercio frequentabantur, aſportarent: hoc eſt quod dicit; [*Vt longè faceretis eos de finibus ſuis,*] atque hoc modo & veſtræ res creſcerent, & Iudæorum res irreparabiliter detererentur. Qualem autem vicem eos expectare oporteat, quàm æquam ſortem metuere, ſententia lata atque expoſita oſtendit.

Vitruuius.

Ecce ego ſuſcitabo eos de loco in quo vendidiſtis eos: & conuertam retributionem veſtram in caput veſtrum, & vendam filios veſtros & filias veſtras in manu filiorum Iuda, & venundabunt eos Sabæis genti longinquæ, quia Dominus locutus eſt.

RESITVTIONEM eorum qui abducti venditiq́ue fuêre, & vltionem futuram prædicit, vt meritas ob eam rem pœnas illi tandem luant, & par relatum pari experiantur, quos nec innocentia nec religio, nec diuinus timor ab impio conſilio & crudeli auſu vel deterruerant, vel retardarant. Atque hic vnus modus eorum, quibus filij parentum ſcelera pœnis ſuis luunt cùm parentes eodem modo mulctantur, quo ipſi alios affecerant; ita nô tam filiorum quàm parentum pœna illa eſt. Cùm autem diuinæ vltionis & retributionis dies illa conſtituta aduenerit, non ſolùm qui ſeſe apertè populi Dei hoſtes fuerint profeſſi, ſed qui obſcurius etiam aut diſſimulanter fuerint infenſi, ſuis quiſque ſupplicijs punientur, eritq́ue integra populo Dei reſtitutio; nam & captis, & afflictis, & venditis, & quocunque modo malè affectis, ſuum cuique ius ſuaq́ue priſtina dignitas, imò & multò illuſtrior & ſtabilis Deo auctore conſtabit. & quoniam antitheſi rerum & ſententiarum hoc in loco Deus vſus eſt, vt par pari cum cumulatiore etiam menſura referatur, ait eos, qui venditi ab illis ſunt, vt quàm longiſſimè aſportarentur, in patriam redituros ex omnibus locis quò abducti fuerant, & Tyriorum Sidoniorumq́ue filios à ſe pari ſorte, maiori vi, meliori iure captos venditum iri. [*Sabæis genti longinquæ.* Hebraicè ſic eſt: *Sabæis ad gentem longinquam:*] nam vt Tyriis & Palæſtinis Iudææ regioni finitimis proximi Græcorum filij erant, qui à Tyriis & Palæſtinis Iudæorum filios longè aſportandos emebant: ſic ex altero latere, hoc eſt, auſtrali Sabæa natio proxima ac penè finitima Iudæis erat, ad quam ex remotis etiam orbis partibus conueniebatur, earũ rerum euehendarũ cauſa, quæ in ea regione celebrantur, vt auri optimi, gemmarum, aromatum & thuris, quod in iis locis omnium probatiſſimum eſt, vt ex Regum & Prophetarum libris accepimus. Et cùm Iudæorum filij Sidoniorum filios Sabæis venderent, illi iterum mercatoribus qui eam regionem frequentabant, vendituri erant, à quibus in remotas orbis terræ partes traducerentur; non enim apponenda ſunt nomina longinquæ gentis Sabæis, ſed alterum in tertio caſu, alterũ in quarto cum præpoſitione eſt legendum. Verùm enimuero hunc Vatis locum nobis ſic explicantibus, & Tyri ac Sidonis Palæſtinorum finium rationes & cauſam perſecutis, alia interim ratio cogitanda indicandaq́ue eſt, quam & locus ipſe deſiderare, & Vatis mens apertè intellexiſſe videtur: Namque vt diximus, vtq́ue res ipſa docet, hoc in loco non eorum Iudæorum qui ſanguine, ſed qui ſpiritu & veritate verè Iudæi Deoq́ue probati ſunt, res agitur; ex quo etiam conſequitur, vt neque Tyri & Sidonis & Palæſtinorum (quatenus illa gens certa erat) nomina ſimpliciter vſurpentur, ſed aliam tamen ſubeſſe his nominibus rationem, aliudq́. hominum genus vocari, quibus ea nomina ex re ipſa, moribus atque notis magis, quàm ex loco & patria conueniant: Nam neque celeberrima illa Phœnicum vrbs Tyrus nunc iam

1. Reg. 10.
Ierem. 6.
Ezech. 27.

Allegoria.

extat, neque vllum Sidonis veſtigium apparet, neque ad quodnam eorum hominum, qui nunc in orbe viuunt genus, natio illa referenda modò ſit, vlli homini ſatis certum compertúmue eſt, vt non in Tyrios qui iam non ſunt, neque tunc erunt, ſed in aliam gentem Tyrios moribus & crimine referentem dicta hæc eſſe arbitremur. Quòd ſi res ipſa quæ expoſita nobis eſt, mente & cogitatióne recolatur, facilè ad quos homines hæc pertineant, intelligi poterit; nimirum ad eos, qui ſecundum populi Dei fines habitantes cum eo amicitia & ſocietate ſeſe coniunctos eſſe palā profitebantur, diſſimulato tamen & occulto conſilio ſuis tantùm commodis cum maximo pij populi incommodo ſeruiebant, ſubductis iis quę pretioſiſſima ac vtiliſſima erant, & à populo ſuperbè, atque inſolenter ablatis. cuiuſmodi aurum, argentum & lapides pretioſi ſunt, quibus ad ſuam gloriam, ad ſuam quiſque ſectam ornandam amplificandamque abuſi fuêre, aurum autem, argentum & gemmas nos hoc loco doctrinam & veram ſapientiæ rationem interpretamur: de quibus ſcriptum eſt; Quo-
Thren.4. modo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in
" capite omnium platearum. Filij Sion inclyti & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt
" in vaſa teſtea, opus manuum figuli! Quicunq. ergo diuinæ doctrinæ theſauros de populi commodis ſubtraxerunt, & in ſuam rem, in ſua ſtudia conuerterunt, hi à Deo hoc in loco notantur. his etiam ſua dies dicta, atque conſtituta eſt; nam præterquam quòd populū pretioſiſſimis rebus expoliarent, filios etiam Iuda, hoc eſt, ſimplices, imperitos & iuueniles animos ex populo Dei partim vi, partim dolo ſubductos à veræ pietatis vſu & conſuetudine abalienauerunt, atque ad remotiſſima ſtudia tranſtulerunt, hoc eſt filiis Græcorum vendidiſſe, vt longè fierent à populo Dei. Hos autem audaciæ illatæque iniuriæ pœnas aliquando daturos Deus etiam prædicit, ita vt ſi non illi, qui primi harum iniuriarum auctores inuentoresque fuerunt, tamen filij eorum, hoc eſt, poſteri qui illos imitati ſecutique fuerint, malè cum ſuis inuentis pereant, & à populo Dei eiuſque confiniis quàm longiſſimè ablegentur cum ſumma auctorum ſuorum ignominia. Atque Chriſtiano quidem & pietatis ſtudioſo interpreti ſatis eſſe viſum eſt, rem ipſam explicuiſſe, & mores notaſſe, ad quos hęc tota ratio pertinet; perſonas autem ipſas quas hæc ratio tangat, aut indicare, aut prodere non placuit; cùm id ſtudium potiſſimum nobis ſit, vt neminem quoad fieri poteſt, offendamus & quàm multis prodeſſe poſſimus. ſi qui ergo huius quam indicauimus notę fuerint, qui ex nobis cùm eſſent à nobis exierunt, neque permanere nobiſcū voluêre, vt quàm maturè ſibi conſulant, monemus hortamurque ſedulò, antequam veniat dies Domini. Qui habet aures audiendi audiat. Quòd verò additum eſt: *Quia Dominus locutus eſt:*] certam ſententiam & firmum decretum ſignificat euentu tandem ſuo comprobandum; nam quidquid Deus dixerit, maximi id conſilij eſt, & quod nulla alia natura aut virtute impediri poſſit. Quòd ſi hominibus ſua conſilia aliquando exequi licet, cur non & diuina ſibi ſemper conſtent, & euentu firmentur?

Clamate hoc in Gentibus, ſanctificate bellum, ſuſcitate robuſtos, aſcendant, aſcendant omnes viri bellatores. Concidite aratra veſtra in gladios, & ligones veſtros in lanceas. infirmus dicat, quia fortis ego ſum.

SOLENNE ſacris vatibus eſt, vbi rem aliquam maximam animo peruiderunt quam prædicerent in ea re diutius commorari, idemq. propoſitum amplificando, vrgere, vt eum quem ipſi animi motum ex eo ſpectaculo conceperint, in auditorum etiam animis incitēt, ſiue lætitiam, ſiue dolorem, ſiue ſpem, ſiue horrorem & metum, ſiue etiam admirationem, remque ipſam adhuc remotam abſentémque deſcriptione & oratione præſentem faciant, ſpectandamque exhibeant. huius generis multa apud Iſaiam aliosque vates exempla ſunt.
Naho. Iſai. vt: Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra, iſte formoſus in ſtola ſua gradiens in multitudine virtutis ſuæ? &c. Eſt autem prophetici raptus quidam ſublimeior gradus hic, quem modò vates noſter obtinet, ex quo non ſolùm futura intelligit, ſed rem omnem, vt futura eſt, cum ſuis partibus, & momentis animo contemplatur, metitur & peruidet, & quo quidque modo fiat diſcernit; ac quemadmodum Vates ipſe, ita etiam prophetica oratio maiori impetu & contentione in ſublime ferri videtur. Cui dicendi exornationi Græci nomen enthuſiaſmon fecêre; cuius generis exempla apud antiquos poëtas prophetici ſermonis æmulatores ſtudioſiſſimos reperies: vt, *Viſam Britannos hoſpitibus feros,*
Horat. lib. 3. Od. 4. *Et lætum equino ſanguine Concanum.* Igitur maximam illam futuram ſtragem a ſpiritu edoctus Vates, quæ in pij populi & cęleſtis ciuitatis hoſtibus edenda eſt, vbi ſeſe ipſi mutuis ſunt cædibus confecturi, quemadmodum ea molienda parandaque ſit exponit; quòd videlicet omnes illi tanquam bellico aliquo ſigno vocati, bellum ſpontè capeſſent, & quòdam veluti furore acti in eum concurrent locum, in quo exitiale illis ſupplicium & carnificina parata eſt; ſiue quòd feroci aliqua cogitatione excitati, alij in alios inſurgāt, ſiue quòd Deus ad ſuam

ad ſuam perniciem eum illis animum cogitationemq́ue immiſerit, vt maiori quàm vn-
quam antea impetu, ardentiore ſtudio ad bellū ſibiipſis exitiale properent. *quia os Domini lo-
cutum eſt.* Hanc rem vt certam, vt diuino conſilio firmatam, imperando prædicit Ioël, om-
nesq́ue gentes tum fortiſſimas quaſque, tum etiam imbelles ad bellum currentes, vt aiunt,
incitat. [*Clamate hoc in gentibus, ſuſcitate robuſtos, aſcendant, aſcendant omnes viri bellatores.*] quàm aptè
generatio filiorum hominum, vt à filiis Dei diſtingui ſolēt, hoc in loco notetur, cuiius rem
rectè exiſtimanti planum facileque intellectu eſt; nam filij huius ſeculi fortes gigantes, vi-
ri bellatores, robuſtiq́ue venatores, & ſimilibus nominibus propterea appellantur, quòd
illorum voluntas & conatus ad omnium humanarum rerum ſummam per fraudem, per
inſidias, denique per vim intentata ſunt. cùm contrà filij Dei puſillus grex à Chriſto no-
minentur, qui in humanis rebus prudentia, viribus & artibus, multitudine ab altero gene-
re vincantur, in diuinis verò rationibus à nullo ſuperentur: nam elegit Deus infirma, vt
fortia confundat. Iam verò illorum omnia molimina & ſtudia, & ad ea quæ cupierunt pa-
randa commoditatem apparatumq́ue omnem hac imagine deſcribit: [*Concidite aratra veſtra
in gladios, & ligones veſtros in lanceas:*] nam cùm illi omnem ſpem in vi & in armis poſuerint,
animos ab omni alia pacis aut æquitatis cogitatione ad vim, ad iniuriam, ad belli & con-
tentionis ſtudium traducent. cùm autem à Vate excitantur, tum eorum certum & com-
mune conſilium atque ſtudium ſignificatur; tum etiam grauius diuinæ virtutis argumen-
tum paratur, qui hoſtes ſuos, tum maximè contemnere & ridere ſolet, cùm maximè illi ad
rem gerendam parati & inſtructi eſſe videntur, ſicut ſcriptum eſt: Dirumpamus vincula Pſalm. 2.
eorum & proiiciamus à nobis iugum ipſorū. Sed qui habitat in cælis irridebit eos, & Do-
minus ſubſannabit eos. tūc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos. Hic
Babylonis magnæ & meretricis illius futurus eſt exitus, quæ totum orbem ſibi potentia
& vi ſubiecerat, & quæ cunctis regibus terræ calicem fornicationum ſuarum propinaue-
rat. Quod verò vſus eſt verbo, *aſcendant, aſcendant*, id ex eo dixit, quòd ex omnibus orbis ter-
ræ partibus, in certum quendam locum velut medium aliquem ſitum conuenturi ſunt: at-
que ſi quis eum concurſum in magno aliquo globo cogitet, aſcenſum quendam vndique
deprehendet. erit itaque ille in Vallem Iehoſaphat, omnium vndique gentium aſcenſus,
atque adeò contento ſtudio, adeò obſtinato ad eam rem animo ſinguli erunt, vt cùm ſua
quiſque intereſſe arbitretur, nemo ſit qui ei expeditioni deeſſe velit, ſed fortiſſimus quiſque
ſuo robori innixus ſuis viribus fidens vltrò ad id bellum procurret; neque tamen imbelles,
aut infirmi cedent, ſed vel ſpe prædæ, vel contentione atque æmulatione vel prodendæ
ignauiæ pudore ſinguli dicent: *Quia fortis ego ſum.*] Atque hoc modo ſeſe omnes vltrò ad
inſtantem cladem parabunt, & contento curſu in diuinæ vltionis locum confluent. quan-
ta verò frequentia futura ſit, ex eo arguitur, quòd nulla ferri copia ſatis ad armorum offi-
cinas explendas erit, niſi etiam arationis & cætera ruſtici operis inſtrumenta in gladios &
lanceas conflentur.

*Erumpite, & conuenite omnes gentes de circuitu: & congregamini: ibi occumbere faciet Do-
minus robuſtos tuos.*

NVMERO ſingulari dixit, tuos, propterea quòd vnum commune omnium aduerſus
Dominum & aduerſus Chriſtum eius ſtudium, aduerſus populum & ciuitatem ſanctā, vt
eam quiſque ſibi diriperet, vnam gentem, vnumq́ue regnum antichriſti & principis mun-
di huius conſtituit. & meminiſſe oportuerit ſemper illius diſtinctionis, qua filij hominum
à filiis Dei ſeparantur.

*Conſurgant & aſcendant gentes in Vallem Iehoſaphat: quia ibi ſedebo, vt iudicem omnes gentes
in circuitu.*

EXPOSITIO eſt eorum quæ dicta iam & explicata ſunt, omnem autem certitudinem
& conſilij conſtantiam hæc repetitio cōtinet. Quoniam autem ea res certo & diuino con-
ſilio decreta eſt, & certa ad eam gerendam dies certumq́ue tempus præſcriptum, atque ha-
ctenus ſpatium locusq́ue ſingulis ad pœnitentiam conceſſus, donec præſcripti temporis
terminus contigerit, ſicut ſcriptum eſt: Nónne hæc abſcondita ſunt apud me, & ſignata in Deut. 32.
theſauris meis? huius rei cauſa vbi finem illum contigiſſe oſtendit, vbi completam eſſe
hominum malitiam cognouit, ad rem iam gerendam hortatur Deus eos, per quos ea
ſtrages fuerat edenda, hoc eſt, eos ipſos qui ſibi & pereundi cauſæ auctores & miniſtri fu-
turi ſunt.

*Mittite, inquit, falces, quia maturauit meſſis; venite & deſcendite, quia plenum eſt torcular, exuberant
torcularia: quia multiplicata eſt malitia eorum.*

DVABVS ex ruſtica re tranſlationibus futurum impiorum excidium elegantiſſimè

ſignificauit, altera meſſis, altera verò vindemiæ: vtramque enim idoneo tempore vbi fructus iam maturuerint, fieri oportet: quæ ſi negligantur, aut deſerantur, abuti temporum commoditatibus & iure, non vti eſt. Meſſis autem & vindemia non priuatam aliquam perſonæ aut familiæ calamitatem, ſed communem ſtragem publicum ſignificat excidium, vt:
Oſeæ 6. Iuda pone meſſem tibi. Et, torcular calcauit Dominus virgini filię Iuda. ergo iam maturum
Thren. 1. tempus extitiſſe ait, quo diuina illa impiis parata vltio edatur; quamobrem ad opus miniſtri incitantur. maturitatis autem argumentum erit, *Quia multiplicata eſt malitia eorum.*] ſicut
Geneſ. & alio in loco de huiuſmodi maturitate expectanda dictum eſt: Quia nondum completa eſt iniquitas Amorrhæorum. Quem verò exitum hæc res habitura ſit, quid ſibi expectare poſſit tanta hominum bellatorum multitudo, quas res ſibi aut parare, aut promittere ex ea expeditione poſſit, adiuncto carmine declarat: nempe ſuæ impietatis & aſſiduarum in innocentes homines iniuriarum pœnas daturos, ita vt vallis illa quæ diuini iudicij monumentum nunc obtinet, Vallis conciſionis ex euentu appellanda ſit, quòd diuinæ ciuitatis hoſtes funditus in ea valle concuſi perierint.

Populi populi in valle conciſionis: quia iuxtà eſt dies Domini in Valle conciſionis.

NON priuatè, aut ſigillatim, ſed tributim, ſed populariter, ſed omnes in vniuerſum Dei hoſtes caſuros ſignificat, familiari Hebraicis dicendi figura vſus, quæ repetitio dicitur nam
Gen. 14. cùm alicuius frequentiam ſignificare volunt, plurali numero pronuntiatam geminant. vt Vallis illa putei putei bituminis, hoc eſt, puteis bituminis frequentiſſima erat: ſic *Populi populi.*] frequentes populos perituros ait. verbum autem propterea deſideratur, quòd ea figura frequens ſit iis, qui aut aſſeuerantes nimis, aut dolentes, aut irati & comminati aut alio quouis vehementi impetu acti loquuntur. eſt autem eclipſis à Græcis dicta exornatio, ſed verbum ex proxima oratione adiunctiſque vocabulis eſt petendum, nempe ab illis: *in Valle conciſionis.*] hoc modo populi populi in Valle conciſionis concidentur. quia hoc certiſſimum eſt, paratam ſcilicet eſſe populis à Domino diem in Vallem conciſionis. Ea autẽ dies adeò certa eſt, vt non etiam longè abſit, propè enim eſt, parata atque perſcripta, quæ ſubitò conuenientes in eam vallem populos opprimet. Qualis autem ea dies futura ſit, calamitatis & miſeriæ plena, magna & amara valdè iis, quos tam dirus maneat exitus, exponit: nempè cælum & terram ipſaque elementa aduerſus eos eſſe pugnatura, vt partim tantis tenebris, terroribus, & horroribus conturbati exanimentur, partim ſeſe mutuis gladiis & vulneribus conficiant.

Sol & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum.

RES certiſſima præterito tempore à vatibus enuntiari ſolet, atque nos quidẽ rem hanc ſimpliciter explicandam arbitramur, vt non ſolùm calamitatem, metum, terrorem & perturbationem tenebras illas ſignificaturas, ſed etiam allaturas eſſe interpretemur; namvt minorem leuiore vltione ignem & grandinem in populi ſui hoſtes aliquando immiſit, vt tenebris totam Ægyptum obduxit, ita in grauiori caſu luminaribus ſuis lucem adimet, & ad eam rem pro tempore ſubtrahet; denique tota rerum natura in auctoris ſui indignatione, in iudicio & vltione miniſtram ſeſe præbebit, vt facilè agui intelligiq. poſſit, nihil caſu aut temerè, aut certo & inſuperabili naturæ curſu in humanis fieri rebus, ſed omnia diuino & conſilio & nutu agi & moueri, & quatenus à Deo aut iuſſum, aut permiſſum fuerit. hactenus meliorem hominum partem a maiori agitari atque exerceri, atque ad eam rem cælum & terram, elementaque etiam obedire, non quòd eorum vis his neceſſariò felix, his verò infauſta ſit, ſed quòd ea Dei ſit benignitas, vt ſolem ſuum oriri faciat ſuper bonos & malos, & pluat ſuper iuſtos & iniuſtos. vbi verò placuerit Deo, prouidentiæ ſuæ felicitatem omnem in filios adoptionis conuertere, tum verò maximè omnis rerum natura toto ſeſe impetu in eam partem inclinabit, quo diuinum conſilium intenderit. atque ea res certiſſimo teſtimonio diuinæ erga pios homines cultoreſque ſuos prouidentiæ erit. totum hoc argumentum ſubiectis verſibus continetur: dictum namque fuerat ſolem, & lunam, & ſtellas ſplendorem vimque ſuam illo die negaturas eſſe, ita vt dici non poſſit priuatè illas fauere & prodeſſe, quibuſdam hominibus ſua ſponte ſolere; quibuſdam verò aut obeſſe, aut nocere, cùm omnium vires, omnium lux dicto & nutui diuino tunc obediet, quando

Dominus à Sion rugiet, & à Ieruſalem dabit vocem ſuam:

HOC eſt, quando cauſam pro ciuitate ſua iudicabit, ſententiamque à ſuis contra impios dicet. namque præpoſitionem, de vel à, intelligimus, vt cauſam non locum indicet; eius enim dictionis vſus in hanc ſententiam apud Hebræos, & apud Latinos etiam eſt, vt, à Domino exiuit verbum, &c. Vtitur autem tranſlatione à leonibus ſumpta; namque id

animal

animal nunquam temerè in ſiluis rugit, quin eius quam cupierit, prædæ compos euadat; terribilis autem vox eſt, & quæ pauorem audiendo omnibus alijs animantibus incutiat, ſicut ſcriptum eſt: Leo rugit, & quis non timebit? ad hunc etiam modum vbi Deus à populo ciuibusque ſuis aduerſus hoſtes ſententiam iratus pronuntiauerit, Amos 4.

Mouebuntur cœli & terra.

OMNIS in vniuerſum natura trepidabit, & Dei aduerſus impios voluntatem & ſententiam exequetur. Populus tamen Dei & ciuitas omnis ſancta, nihil his rebus pauebit: vt enim leonis vox cæteris animantibus terrori, proprijs verò catulis & leonum filijs ſecuritati & iucunditati eſſe ſolet, quippe qui eam vocem victoriam prædamque ſibi promittere intelligant; ſic filij Dei ſibi nihil à natura aut timendum, aut ſperandum eſſe cognoſcentes, ſeque in diuina tutela & cuſtodia latere intelligentes, tunc maxima ſpe & ſecuritate erunt, cùm maxima in calamitate & turbatione cæteros eſſe cognoſcent: namque ſigna illa bellica diuinæ victoriæ illis erunt, quæ alijs cædis & excidij ſigna fuerint. Ob eam ergo rem ait:

Et Dominus ſpes populi ſui & fortitudo filiorum Iſrael:

HVIVS rei cauſa hæc decreta, prædicta & parata ac tandem expedita fuerunt, vt omnium hoſtium metu ſublato, pace vbique parta in ſumma quiete & ſecuritate cum principe rege ſuo degant, & regno potiantur cælorum, atque adhuc in terris agentes diuinis muneribus, atque inenarrabilibus fruantur beneficiis.

Et ſcietis quia ego Dominus Deus veſter habitans in Sion in monte ſancto meo: & erit Ieruſalem ſancta, & alieni non tranſibunt per eam amplius.

HANC adeò felicitatem atque has regni cæleſtis primitias etiam in terris expectandas, illis fore qui feliciſſimum illud tempus ſortiti fuerint, cùm purgabit Dominus & permundabit aream ſuam. Si quis autem decimum octauum vſque ad vigeſimum primum Apocalypſeos caput legerit, & quid in illis prædictum deſcriptumque ſit intellexerit, agnoſcet quid hoc in loco dicatur, & ad quænam tempora tota hæc res pertineat, planè intelliget. namque in eo loco longus de his rebus Apoſtolo inſtitutus ſermo eſt, in quo Babylonis caſum narrat, & populi Dei liberationem & ſecuritatem regnique diuini ac ciuitatis ſanctæ felicitatem, in quam non intrabit aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ agni. hæc Iohannes: atque hæc huius hemiſtichij ſententia eſt: [*Et erit Ieruſalem ſancta, & alieni non tranſibunt per eam amplius.*] Sanctum enim id quod ſeparatum, atque à vulgari & profano vſu & conſuetudine diſtinctum eſt, ſcriptura vocat. Apoc. 21.

Et erit in die illa: ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte: & per omnes riuos Iudæ ibunt aquæ: & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum.

SI ſcires donum Dei, Chriſtus Samaritanæ mulieri dicebat. Si nobis ſanctiſſima illa Chriſti virtus quam per ſpiritum ſanctum ſuum cum pijs ſuis cultoribus communicat, nota eſſet, planè tantæ ſuauitatis & copiæ excellentiam ſentire, aliiſque expetendam indicare poſſemus; ſed quiſnam in ea docenda ſatis facere alijs cumulatè poſſit, quam neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque vlla humani cordis cogitatio aſſecuta vnquam fuit? quam nemo ſcit, niſi qui acceperit. quam qui acceperunt, ſuis nunquam coloribus depinxerunt, neque vllo verborum aut orationis artificio propriè deſcripſere, propterea quòd res planè diuina eſt, & ab omni humano vſu longè remota, ad hominum cõmunem ſermonis vſum accommodari non poteſt. Igitur diuinis verbis & à ſapientia impoſitis opus fuerit; diuina verò verba, quibus nihil cum humano ſermone commune ſit, vt ab homine humanaque ratione intelligantur, fieri non poteſt; Animalis enim homo non percipit quæ Dei ſunt. Quamobrem quicunque etiam hac diuina virtute donati præditique fuêre, de ea re apud vulgares animaleſque homines nullum apertum habuêre ſermonem, ſed, vt illi aiunt, ſapientiam inter perfectos locuti ſunt, qui eius ſermones & rationes ſoli capere poſſunt; apud cæteros verò homines tranſlationibus & parabolis res ipſa non vt intelligi, ſed vt deſiderari & quæri poſſet, propoſita tractataque eſt. & quoniam ab humano ſenſu ad hominum rem hanc transferre oportuit, eas res eaque verba vſurpata ſunt, quibus maximè ſenſus noſtri delectari ſolent, cuiuſmodi ſunt, larga rerum omnium ad victum, vitam & honeſtam voluptatem pertinentium abundantia & copia. huius generis ſunt terræ & arborum fructus largiſſimi, frumenti, vini & olei prouentus, veſtium pulcherrimarum, auri, argenti, & gemmarum margaritarumque vſus, & quæ his ſimilia ſunt, quarum omnium rerum ſummam quandã addere videtur mellis & lactis redundans copia & vbertas: Namque Ioan. 4. 1. Cor. 2. Ibid.

lac

lac animalis naturæ alimentum primum & idoneum ac ſummè vtile eſſe omnium ani-
mantium nutritio ſatis euidenter probat. mel verò dulcedinis & ſuauitatis omnis princi-
Iud. 14. pium atque ſummam continet; nihil enim melle dulcius in omni ſuccorum ſenſu inueni-
tur; aquarum verò copia præter quàm quòd ad ſitim (quæ grauiſſima in animantibus eſt
affectio) ſedandam commodiſſima & idonea eſt: multa etiam alia in terris efficit, quorum
cauſa maximam ſibi in naturalibus rebus vendicat laudem, adeò vt antiqui omni eam
rerum naturæ prætulerint,
Pindar. od. 1 *Optima lympha quidem,* aiebat Poëta. Nam omnis cuiuſcunque rei or-
Ariſtot. 4. Meteor. tus, ſiue generatio ſuccum requirit & humiditatem, quod eius penuria & defectus apertè
in corruptione oſtendit. Igitur cùm à ſapientiſſimis auctoribus de maxima aliqua tempo-
rum felicitate & de aurea ætate ſermo inſtituitur, nulla verba commodius vſurpari ſolent,
quàm ruſticarum rerum proſperitas, & fructuum omnium redundans copia, quarũ caput
& quoddam quaſi præſtantiſſimum argumentum mellis & lactis ſpontanea affluentia eſt.
Ouid Metamorph. li. 1. Vt: *Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant.* Hanc naturæ humanis ſenſibus
accommodatam rationem Vates noſter ſecutus, ſummam illam diuinæ prouidentiæ do-
norum & bonorum copiam, qua pientiſſimi illi homines qui ſpiritu Dei aguntur, perfrui
ſolent, his imaginibus deſcripſit: [*Et erit in die illa: ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte.*]
Vt maximam redundantiam ſignificaret, non mella ex apum aluearibus, aut lac ex peco-
rum vberibus quærenda ſed abundè per agros, per valles è collibus & montibus defluxu
aſſiduo inuenienda eſſe dicit; atque ea res non parca, ſed benigniſſima manu diuina dona
ſanctis hominibus, qui in illa ætate erunt, communicanda eſſe declarat. [*Et per omnes riuos Iuda
ibunt aquæ.*] Si felicitas hæc humana ac terrena futura ſolùm eſſet, tamen maior quàm vn-
quam antea fuerit eo tempore quo reſtituendi eſſent Iudæi, fore probaretur vel ex eo, quòd
per omnes riuos Iuda aquæ fluent, atque in Ieruſalem ex templo Domini fons viuus eru-
pturus erit. Namque olim etiam cùm Iudæa regio beatiſſimè coleretur, tamẽ aquarum vi-
uarum penuria laborabat; maximè autem vrbs ipſa in qua pluuiæ aquæ collectionibus &
piſcinis fontium & puteorum defectum ſupplere incolæ coacti ſunt. Verùm aliò profectò
tota ratio hæc ſpectat; nempe ad diuinæ illius virtutis affluentiã, quam ſpiritus ſanctus per
Chriſtum datus in ſuis chariſſimis efficit hominibus: hos enim nulla ſitis infeſtat, ſed per-
petua aquarum ſcaturigo intra ipſorum viſcera emergens ſaturos, & diuinis fructibus fœ-
Ioan. 4. cundos reddit, ſicut ſcriptum eſt: Omnis qui bibit ex hac aqua ſitiet iterum: qui autem bi-
» berit ex aqua quam ego dabo, non ſitiet iterum, ſed fiet in eo fons aquæ viuæ ſalientis in vi-
tam æternam. Eſt autem hæc quidam perpetuus diuinæ gratiæ influxus, quo humani ani-
mi per Chriſtum affecti diuinæ legis notitia valent, ſtudiis incumbunt, & virtutibus exer-
cendis operam nauant, efficiente id diuino ſpiritu, qui in medio eorum templum domici-
Iſa. 2. liumque tenet. qua de re alij etiam vates maxima myſteria decantarunt. Et erit, in diebus
illis, inquit Iſaias, præparatus erit mons domus Domini in capite montium, & venient eò
populi multi ad accipiendam legem, & dicent, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini
de Ieruſalem. His itaque aquis viuentibus humana natura irrigata, quæ prius ſpinas & tri-
bulos ob natiuam ariditatem atque acerbitatem produxerat, fructus proferet pulcherri-
mos, atque ideò dicit: *Et fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum.*] Domum
Domini ipſum piorum ſanctorumque hominum populum vocat, quem diuus etiam Pau-
lus templum Domini ſanctum appellat. Torrens autem ſpinarum Hebraicè fluuius Sitim
dicitur, qui in Topographiæ ratione pars quædam Iordanis eſſe dicitur, ſiue torrens in Ior-
Saadias in hunc locum danem influens, cui Setim oppidum adiacet. Auctor huius rei Saadias antiquus ſcriptor
eſt. ſed quoniam non tam nomina quàm nominum rationem & ſignificationẽ conſide-
randam nobis Vates proponit, Sitim ſpinas & errores ſignificat. Fluuius autem errorum &
ſpinarum mundus eſt, qui ex illo maledicto ſpinas & tribulos ſpontè abundeque profert;
inter quæ ſi qua vel exigua virtutis fruges expectanda ſit, magnis laboribus, maximis ſudo-
ribus ea conſtet neceſſe eſt: arida enim ſoli natura ſpinas potius, quàm alias molliores her-
bas aut plantas gignit, quòd ſpina natiua ariditate & acerbitate ſuccus polleat, quem facilè
Gen. 3. eiuſmodi terra ſuppeditat. Naturam ergo humanam hoc diuini ſpiritus fluuio abundè ir-
rigatum iri prædicit, quo non tam ſpinas, ſed pro concepti humoris ratione dulces & lau-
Zachar. datos fructus facili cultu, nullo ſudore pariat. atque in hunc modum de eadem re Zacha-
rias ſcripſit: Et erit, in die illa exibunt aquæ viuæ de Ieruſalem, dimidium earum ad mare
orientale, & dimidium earum ad mare poſterius in æſtu, & in calore erit.

*Aegyptus in deſolationem erit, & Idumæa in deſertum perditionis: pro eo quòd iniquè egerunt in filios
Iuda, & effuderunt ſanguinem innocentem in terra ſua.*

DVAS vicinas & ferè finitimas Iudææ regioni gentes, à quibus olim diu infeſtatus, &
odio

odio atque maleuolentia Iudaicus populus agitatus fuit, Ægyptios & Idumæos tandem vaſtandos perdendosque eſſe prædicit, vt nulla ex parte Iudæa regio non quieta ſit, vt nullos hoſtes metuat, nullisque terreri poſſit incommodis. Hoc verò omnium eorum qui populo ſancto militantique eccleſiæ hoſtes inimicique ſunt, atq. hactenus fuerunt, interitum nobis ſignificat futurum, vt quæ principatus, poteſtates & rectores tenebrarum harum timebat, nullos deinceps iam timeat, ſed diu læta atque ſecura pacẽ colat diuinam. Hos autem duos populos Ægyptiorum & Idumæorum pro omnibus eccleſiæ hoſtibus propoſuit, ea figura vſus, quæ Synecdoche à Rhetoribus dicitur, in qua ſpecies nonnunquã pro genere vſurpatur, velut Arabem pro paſtore dixit Iſaias. & poëta: *Quis Parthum paueat? quis gelidum Scythen?* pro quocunque hoſte hoc dixit. Hos ergo populi Dei hoſtes diuini iudicij ſententia pœnas iniuriarum & ſceleris daturos, quòd tandiu ac tam grauiter populo Dei eccleſiæque ſanctæ nocuerint. Atq. in his duobus populis, ſi rem propius ſpectare placeat, omnes Chriſtianæ & ſanctæ eccleſiæ hoſtes contineri perſpiciemus: quotquot enim hodie cum Chriſtiano & verè pio populo ſimultates inimiciriasque exercent, ad duo in vniuerſum genera Iſmaëlitarum & Idumæorum referri poſſunt. Iſmaëlitæ ſunt qui Mahometi viam & ſectam habent quam ſequantur; qui ab Iſmaële oriundi ſunt: Namque Iſmaël ex Agar Ægyptia ancilla ortus vxorem etiam Ægyptiam duxit, ſicut ſcriptum eſt: Et accepit illi mater ſua vxorem de terra Ægypti. Cæteri verò præter hos quicunque aut idololatriam, aut ſuperſtitionem, aut impietatem ſequuntur, omnes ad Idumæos gentem idololatram & gentilitatis principem pertinent. Horat. lib. 1. Od. 1. Gen. 21.

Et Iudæa in æternum habitabitur, & Ieruſalem in generationem & generationem.

QVEMADMODVM Iudæum verè definiri oporteat, & quiſnã Iudæus rectè dici poſſit, iam explicuimus: is videlicet, qui diuinorum beneficiorum perpetuò memor aſſiduis laudibus, confeſſionibus, & gratulationibus vacat. huiuſmodi hominum ſocietas Iudæa vera eſt, quam Deus probat perpetuaque prouidentia tuetur & fouet; Ieruſalẽ etiam, cuius hoc in loco mentio facta eſt, iam quænam eſſet, oſtendimus. Hic autem Iudæorum idemque Ieroſolymitanorum cæleſtium populos æternam hoc in loco felicitatis promiſſionem habet: namque ab eo tempore quo Deus reconciliata Iudæorum gente vnum ex piis omnibus & ſui cultoribus populum coniunget, magnam illis tranquillitatem & pacem confirmabit: quippe quibus cum viſibili hoſte qui iam non extabit nihil metuendum erit; ab inuiſibili verò diuino etiam munere & gratia erunt ſemper defendendi. Iudæam autem & Ieruſalem pro populo & eccleſia populi matre ac principe nominauit, & in æternum, *atque in generationem & generationem* idem diuerſo dicendi modo ſignificat per Heteroſin familiarem vatibus figuram. Quoniam autem hæc recens reſtituta vrbs ſolidiſſimo muro Iaſpideo, & quadrata, vt Ioannes Apoſtolus ait, menſura figuraq. cõſtabit, Deumq. protectorẽ ſemper habebit, ex his rebus efficietur, vt perpetua ſtabilique manſione habitetur, ſine vllo pauore aut terrore; namque ob id portas eius ſemper apertas fore idem Apoſtolus prædicit.

Et mundabo ſanguinem eorum, quos non mundaueram: & Dominus commorabitur in Sion.

ETENIM in illam ſanctam ciuitatem, in illud regnum cæleſte, cuius primitias in terra viſas aliquando & viſendas etiam eſſe penè omnis diuina tam veterum quàm nouorum temporum ſcriptura docet, nihil coinquinatum, nihil prophanum admittendũ eſt; ſi quid autem tale antea fuerit, tamen prius mundandum expiandumq. eſt, quàm in ea caſtra vbi diuinum tabernaculum cum hominibus erit, admittatur. Iam verò mundationem & fides, & eorum qui mundandi ſunt, pœnitentia præcedet, ſicut ſcriptum eſt: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum baptiſmo pœnitentiæ, & accipietis virtutem ſpiritus ſancti ſuperuenientis in vos. Nam neque fornicarij, neque periuri, neque auari, neq. mendaces, neque rapaces, &c. regnum Dei poſſidere poſſunt. & hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed iuſtificati eſtis, ſed ſanctificati eſtis, huiuſmodi hominibus gratulabundus Apoſtolus dicebat. In hac ergo ciuitate ſancta Dominus libenter habitabit, eam enim ſibi templum & domicilium ſuper omnia tabernacula Iacob delegit & dilexit. atque glorioſa profectò de te dicta ſunt, ciuitas Dei. quæ omnia explicuiſſe & atramento atque calamo deſcripſiſſe noſtrum non eſt. Ei autem, qui nobis hactenus propitius fuit, vt Ioëlem vatem ſuum Chriſtiano populo ſuo enarraremus, immortali, inuiſibili ſoli Deo honor & gloria per infinita ſeculorum ſecula, Amen. Actor. 2.

FINIS.

Deſcende cælo, & curribus igneis
Vatem remotis nubibus ô tuum
Vulgo procul raptum prophano
Spiritus alme ſupra polum fer.
Qui regna puri fulgida temperas
Cæli, & beatas luce fouens domos
Fluctus maris compeſcis, almum
Dáſque diem recreator orbi,
Orbem regentis tu ſapientia
Conſultus almis vatibus intima
Committis arcana, & futuris
Temporibus facis intereſſe.
Felix & ampla ſorte beatior,
Quem tu docendum ſuſcipis, altáque ad
Decreta diuinaſq́; leges
Aſſiduè meditanda tollis.
Illi ſacratum myſtica mentium &
Natura rerum tota ſubeſt, neque
Intacta vis latet profundi; hic
Cuncta oculis animoq́; luſtrat.
Iam quæ ſit orbis curſibus aut via
Calcanda, rerum aut quis pateat ſtatus,
Quid voluat axis, quod ſerenum,
Quæue homines maneat procella,
Diſcernit, omnes præuidet eminus
Cauſas, momenta & quid paret impijs
Diuina vis, quæ miſceantur
Pocula gentibus ebibenda.
Non regna fluxa continuant opes,
Non cura, duri militis aut labor
Immenſus argentíue aceruus,
Nec populi numero carentes:
Sed mens probati conſilij potens,
Et vita puris prædita moribus,
Legumq́; ſacrorumq́; cura,
Auxilioq́; Deus benigno.
Namque ille ſummo præcipites gradu
Vindex tyrannos fulmine deijcit,
Sedesq́; deturbat ſuperbas,
Et Stygijs tenebris recondit:
Præſens vel imo ſumere de loco
Cui credat altè ſceptra nitentia,
Muti ducem armenti gregíſue
Tollere nobilibus triumphis.
Hic regna tandem, hîc perpetuum decus,
Hic hîc beatis imperijs frui,
Hic pace gaudere & quietas
Diuitias datur obtinere;
Si quis miniſter dicitur impiger
Seruire ritè numinis in domo
Charus Deo, & dignus diſerto
Iudicio superum probari.

FINIS.

BENEDICTI ARIÆ MONTANI IN AMOS PROPHETAM COMMENTARIA.

Præfatio de publicorum miniſtrorum creatione.

QVAM *acre ac diligens iudicium, quantamq́ in publicis miniſtris & magiſtratibus creandis curam adhiberi oporteat, vel vnum Amos vatis à Deo electi exemplum ſatis idoneum eſt, quod nos docent; quodq́ peruerſum in ea re hominum morem & conſilium oſtendat & damnet. Etenim iam diu eſt, quòd hoc errore homines tenentur, vt quod ad munera publica rectè obeunda & adminiſtranda maximè expedit, nō peruideant; atque in viris ad eam rem eligendis longè aliam, quàm deceat, rationem ineant: Nam cùm ex pietatis & religionis teſtimonio, atque ex publica vtilitate omnia definiri & potuiſſent & debuiſſent, ſi recta intelligentia & moderatione animi gubernarentur, contrà ferè fit, vt ex priuatis paucorum hominum commodis, & ex ſola quorundam libidine omnia tractentur. Equidem arbitror ſi res ſuum, quem oportuerat, rectum curſum tenerent, longè melius cum Chriſtiane profeſſionis populis actum iri, ſi ad magiſtratus, ad publica omnia munera & miniſteria gerenda, non obuius quilibet, aut de media candidatorum turba gratioſiſſimus quiſque aut potentiſſimus admitteretur, ſed repulſis indignis, qui ſeſe vltro, importunè, improbeq́ inſerunt & intrudunt, qui aut famem, aut cupiditatē, aut ambitionem ſuam publico damno ac detrimento alere inſtituunt & contendunt, illis ſummo ſtudio atq. omni diligentia conquiſitis & electis publica onera, vel inuitis vel reluctantibus imponerentur, qui neceſſarijs ad eam rem artibus ſpectatiſſimaq́ inſtructi virtute idonei iudicati eſſent, quocunq. ex genere, quacunq. ex familia, fortuna, ordinéq. fuiſſent, modò vtiles opportuniq. eſſe cenſerentur. Et ſi in deligendis ad Domini vineam cultoribus hæc ratio atq. hic obſeruaretur modus, nunquam in tanta operariorum copia tanta eſſet probatorum inopia; neq. ſani vtiléſq. fructus Deo tempeſtiuè repetenti tam anxiè deſiderarentur, vt ſcriptum eſt: Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas; expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iuſtitiam, & ecce clamor. Nunc verò longè ſecus fit; etenim in eum morem, in eámq. conſuetudinem ventum eſt, vt plerumq. non viri boni, fideles, & idonei quærantur, rogentur, aut cogantur; ſed ijs contemptis & deſpectis, qui quò longius à cupiditate atq. ambitione abſunt, eò propius ad virtutis vitaq́ integritatem accedant, atq. ad rem ſtrenuè gerendam expeditiores ſunt, ij ſcilicet ad pleraq. munera obeunda cooptantur aut deliguntur, qui non artibus, non virtutibus, ſed ſumma vel audacia, vel improbitate, vel ambitu, vel inani generis iactatione, vel gratia etiam plurimum valere, atq. omnia ſibi ipſis promittere poſſunt. Namq. harum, quas dicimus rerū maxima laus & cōmendatio eſt; quæ res quoniā vel ab ignauiſſimo quoq. præſtari poſſunt, tantū iſtorū hominum auxêre numerū, tantaq́ vt iſtis vnde viuant ſit, miniſteria publica aliàs ſuperuacua addi adinueniriq. coëgerūt, vt quod cōmodo rebus publicis fuiſſet multos eſſe in vinea operarios, id iam incommodo atq. detrimento potius ſit: Conculcātur enim loca omnia & premuntur tanta operariorū frequentia potius quàm colātur & curentur. His etiā illa iniquitas accedit, quòd ad eum locū res iam deuenêre, vt non tam ipſorum hominū, quàm certorum ordinum & nominum appellationum & generum ratio habeatur, atq. ad quaſdam veluti familias negotium ſit redactum, in quas vbi cooptatus quis fuerit, primum & certiſſimum ad omnes honores ad quamcunq. dignitatem gradū obtinuiſſe ſibi facilè perſuadeat, neq. vllum virtutis aut ſtudiorum, ſed appellationis tantum & familiæ æmulum ſibi eſſe putet, cum quo audacia, ambitu, contemptione, muneribus & largitionibus aſſiduis obſequióq. erga eos quorum gratiam aucupari parat, contendendum eſſe exiſtimet. Quanquam verò in tanta publicorum miniſtrorum frequentia nonnullos probatiſſimos atq. eo quem obtinent gradu, aut etiam altiore digniſſimos eſſe videamus, tamen ex quo publicis adminiſtrationibus obeundis propria etiā eorū qui gererent cōmoda addita ſunt, ex quo datus locus ambitioni & delectus illi antiqui haberi deſiti ſunt, omnis hæc turbata*

& vle-

nem vnumquemq. expectare oporteret, & ſuam interim ſcapham tenere, ſua retia reficere, nihil maius de ſe quam piſcatoriam conditionẽ aut ſentire, aut iactare; vt illud quod ampliſſimum certiſſimúmq. eſſet, dicere poſſent, ſe non ſua, ſed diuina probatione commendatos vocatóſque fuiſſe: atque in eos rectè iudicium illud quadraret, Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, vt eatis & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.

Ad hanc adeò regulam atque normã totius eccleſiaſticæ electionis ratio dirigenda fuerit, atque eam rationem ſolidam conſtantémque eſſe oportuit, quam nullius ad certa nomina, genera, perſonas, aut reſpectus, nullus vulgarium opinionum error, nulla gratia poſſet commutare, ſed rectiſſima ad hanc rem via, eidémque inſiſtendum eſſet, vt vltra animorum virtutem & pietatem eas experiremur artes, quæ eccleſiaſtici magiſtratus adminiſtræ comitéſque virtutis ſunt: maximè autem ſacrarum literarum peritiam, quæ, vt Paulus ait, vtiles ſunt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendũ, ad erudiendum in iuſtitia; denique vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus. Nam cæterarum diſciplinarum ſcientia, præterquam quòd inflat, non admodum ad hanc quam paramus, rem vtilis eſt, quod & ipſa diuina vocatio electióque facilè docet & probat: Videte, inquit, vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes; & infirma mundi elegit vt confundat fortia. 2 Timot. 3. 1. Cor. 1.

Neque verò difficilis nimium hæc eligendi ratio, neque magni admodum negotij plena eſſet, quando non adeò nulla bonorum virorum nunc copia eſt: namque in omni ciuitate, modo cura diligentiáque adhibeatur, certos inuenire ſit probos homines & virtutis ſplendore præditos, ac ſicut luminaria in mundo inter cæteros lucentes. quorum curæ, diligentiæ ac fidei ſacra munera tutò credi committíque poſſent; nec ſolùm humanum iudicium, ſed diuinum etiam hac in re expectandum erat: Etenim Deus, cuius res agitur, piè ſanctéque rogatus facilè ſuos ſibique ad miniſteria probatos indicaret, ac latentes proderet; non enim minus nunc aut poteſt, aut cupit, quàm olim noua & recẽtis adhuc eccleſiæ tẽporibus, quibus hæc via munita & peruulgata fuerat, cùm ea cura fuit, vt homines ad ſacra miniſteria idonei inueſtigarentur, quorũ ſpectata virtus & integritas, ac per omnem vitã conſeruatus ſplendor primùm, deinde officij ſuſcepti nunquam ne certa fides, ſed pietatis ſumma cuſtodia, ſed præclara etiam morte conſeruatum religionis decus certam vocationem oſtendit. Nunquam enim adeò populum ſuum neglexit aut repudiauit Deus, vt non illi miniſtros aliquot idoneos pararit, & interdum creauerit, ſi non omnes in aula aut in frequenti ciuitate populóq. inuentos, at ex agro aratróq. abductos ex ouium, ex armentorum caulis petitos, ſi non doctiſſimos, at dignos ſibi iudicatos; quibus quanto humani ſplendoris, dignitatis & opum minus fuerat, tantò maior diuinæ auctoritatis ſplendor acceſſit: Nam quod humana vi, opibus & facultatibus maximis præſtari non poſſit, id in ſumma ſimplicitate & humilitate efficere planè diuinæ virtutis & prouidentiæ eſt.

Huius autem rei illuſtria exempla nobis per omnem ætatem propoſita ſunt, ex quibus vnum Amoſi vatis eſt, qui vt humanis opibus atque earũ artium facultate, quæ illuſtres reddere homines ſolent, vt omni denique humano ſplendore nemini comparandus, ita diuinæ ſapientiæ auctoritate, officij dignitate & in munere adminiſtrando integritate, fide atque conſtantia nulli cedens fuit, vt planè intelligi poſſit opus diuinum eſſe, quidquid ab eo homine actum geſtúmve ſit, qui ad eam quam tractauit rem, nihil ipſe ſuum, ſuáue induſtria paratum præter probatam Deo animi virtutem & pietatem, præter obſequiũ fidémque contulerit. Quo tempore Iſraëlitarum & Iudæorum mores corruptiſſimi iam erant, eo tempore Deus, qui nunquam hominum rebus & veris animorum commodis non conſultum eſſe voluit, prophetas identidem ſuos creabat, quibus pœnitentiæ & ſalutis ac pacis, vel belli rurſus & necis legationem ad populum daret: eos autem vnde commodiſſimè haberi poſſe cognoſceret, ſibi legebat. In his ergo Amos vnus fuit armentarius Thecoites, quem ex bobus paſcendis Deus de magnis, præteritis, præſentibus futuriſque rebus legatum, & conſilij ſui interpretem miſit, cuique non ſolùm quoad Iſraëlem Iudeámque, ſed

quæ ad alias etiam finitimas gentes pertinerent ſeuera mandata dedit. Fuerat autem is vir integris ac probatis moribus, vita autem conſuetudine & genere ſimplici atque horrido, minus culto ingenio, atque omni ſcientia aut ciuili facultate deſtituto, lingua etiã tardus & ſermonis elegantia carens (quod ipſum Amos nomen indicat) virtutis tamẽ præſtantia & legationis veritate prophetiaeq́; auctoritate & diuino ſpiritu vel maximè auctus, & officij fideique integritate, vſque ad necis & ſuppliciorum tolerantiam probatus. Huius vaticinij quoniam non vnum ac ſimplex, ſed quadruplex caput eſt, & ſingulorum capitum ſua etiam varia membra ſunt, quadruplex quoque argumentum ſuis locis diſtinctum à nobis proponi oportet, id quò commodius & ſanctius explicari poſſit; ipſe in primis Deus ex more adeundus, & voto humilique prece implorandus eſt.

Nam quid ego ſine te facere, aut quid dicere gratum
Summe Deus poſſim, quæ bene cœpta ſequi?
Ergo age, nil opus hic noſtræ ſupereſſe docendo,
Neu patere humanis artibus eſſe locum.
Vtq; tuum, quidquid Vates dixère, iubebis;
Interpres ſi quid dixerit, eſſe tuum.
Iam tu cuſtodiq; ouium, tardisq; bubulcis
Quæq; forent cunctis, dicere, mira dabas.
Hæc nobis referenda bonus da, ſplendida dictu
Nolumus exigui ſcribere, certa tamen.

VATICINII PRIMI ARGVMENTVM.

NON nouum, à vulgi tamen opinione alienum miraculum in ipſo ſtatim vaticinij principio narratur, nimirum Deum non ea obſeruare, quæ ab hominibus maxima & præſtantiſſima eſſe iudicantur, digniſſimaq; quibus omnis tribuatur honos, vt ſunt genus, diuitiæ, opes, potentia, facundia, & quæcunque aut facultates, aut artes his ſimiles ſunt; neque diuinam veritatem auctoritatemq; huiuſmodi rebus niti, ſed ſola Dei voluntate & nutu, & ſpiritus ſancti virtute, qua qui præditus eſt, is planè ſapiens, is fortis, is princeps, is ad maxima & præclara munera ſtrenuè obeunda eſt idoneus: quæ res huius vatis Amos exemplo probatur. Qui cùm nulla ſua dignitate, nullis opibus, nullis etiam artibus auctoritatem apud populum valeret, vtpote paſtor alieni etiam armenti cuſtos, tamen repentè diuino ſpiritu auctus, adeò magnam conſecutus eſt auctoritatem, vt diuinorum aduerſus Iſraelem aliasq; gentes conſiliorum grauiſſimus & certiſſimus nuntius fuerit, cum ſumma regum & populorum admiratione, à quibus tamen nunquam repelli, aut impediri potuit, quò munus ſuam diligenter obiret legationem. Principio autem Iſraelitarum populis, hoc eſt, decem tribubus dura prænuntiat, & futurum ipſis excidium, extremamq; captiuitatem venturasq; antea miſerias calamitatesq; docet, propterea quòd diuina religio violata ab illis fuerit, & per idololatriæ ſcelus omnino polluta: Nam ſi aliarum gentium ſcelera Deus impunita non patitur, & ſi certa atque grauiſſima vltio alias etiam nationes manet, ob illatam aliquando Iſraëlitis iniuriam: quod nam iudiciũ quàm graue ac ſeuerum experiri eos æquum eſt, qui quantum in ipſis fuit diuinam maieſtatem per ſummum nefas minuerint, & ſanctiſſimum illud numen, cui ſe totos conſecraſſe oportuit, iniuria contumeliaq; affecerint? Argumentatur autem Vates ex contentione; octo enim finitimarum gentium ſceleribus enarratis, & pœnis conſtitutis, Iſraelitarum, qui iiſdem aut etiam pluribus maioribusq; flagitiis nobilitati erant, cauſſam perſequitur & perorat: addit autem & Iudæorum etiam, hoc eſt duarum tribuum cauſſam, quos tamen iiſdẽ cum aliis gentibus criminibus, iiſdem ſuppliciorum ſententiis inuoluit. Cum autem omnium illorum malè geſtæ res & grauiſſimæ cauſſæ cum Iſraelitarum impietate & ſacrilegis negotiis comparatæ leues eſſe videãtur, res ipſa poſtulat, vt non vno eodem, ac pari iudicio omnium cauſſa inuoluatur, ſed ſuus certus locus certumq; tempus ad pronuntiandam de Iſraelẽ ſententiam, eamq; rebus & verbis pleniorem, conſtituatur: cuiuſmodi exemplum in capitalium ſcelerum ſociis ſpectari ſæpe ſolet, nam cum alij alio tempore ad ſupplicium producantur, dux & princeps ipſe ſceleris ſeorſum cum maiori apparatu & frequentiori hominum conuentu, vt maius etiam ſupplicio ſuo ſpectaculum præbeat, producitur. Breuis ergo ſententia & communis omnibus eademq; formula de ſingulis aliis fertur: Et mittam ignem in domum Gazæ & deuorabit ædes eius. De Iſrael verò longior multo & explicatior, & ſuis tum criminum notationibus, tum pœnarum generibus diſtincta pronuntiatur. Atq. in hac Iſraeliticarum rerum ratione, vbi iam cœpta fuerit, totus ferè liber conſumitur.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

VERBA *Amos, qui fuit in paſtoribus Thecua: quæ vidit ſuper Iſraëlin diebus Oziæ Regis Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas regis Iſraël, duobus annis ante terræmotum.*

FVERE olim & nunc ſunt nonnulli ſacrorum librorum expoſitores doctiſſimi, qui dicerent vaticinij munus & officium iis tantùm deferri, quos ad eam rem aptos idoneosque natura genuerit & conformauerit, decepti fortaſſe oratione illa qua Deus Ieremiam vatem eſt allocutus: Priuſquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, ſanctificaui te. eam autem illi rem ad certam naturalium humorum & facultatum in humanis corporibus mixtionem & conſtitutionem retulêre, ita vt nihil in ea ſigni, nihil miraculi eſſe putarent, ſed vt natura alij ad liberales diſciplinas, alij verò ad alias humiles artes habiles aptique ſunt, ſic vaticinium naturalem quandam facultatẽ crediderunt, quæ natura ingenioque iniri, vſu autem & exercitatione perfici in iis, qui ad eam apti fuerint, poſſit; atque hanc quidem opinionem à Peripateticorum philoſophia in primis animo inſitam eius viæ ſectatores conquiſitis diuinarum ſcripturarum ſententiis alere confirmareque conati ſunt. Sed eam tamen à diuinæ legis & ſapientiæ rationibus alienam eſſe, vates hic noſter Amos manifeſtè oſtendit, qui muneris ſui facultatem non natura, Sed miraculo contigiſſe in ipſo ſtatim dicendi initio docet, atque ex eo auctoritatẽ orationi ſermonibusque ſuis adiungit, quòd non ſponte ſua, nõ naturæ & ingenij impetu, non certis diſciplinis aut facultatibus præparatus, ſed ſubitò à Deo iuſſus, doctus, legatusque ad Iſraëlem ſit, ad quem diuina mandata perferret. Atque adeò hanc rem philoſophicis etiam rationibus tractare & diſputare poſſemus, ſi per commentariorum legem breuitatemque liceret. ſed nunc quantum ad Vatem explicandum ſatis eſſe poſſit, percurrentes integram rei ipſius diſputationem præſenti ſermoni reſeruabimus, atq. prophetiæ munus ita munus eſſe, vt diuinũ donum interpretari poſſit, ſtatuemus: diuinum quidem donum cui defertur, miraculũ verò atq. diuinitus oſtenſum ſignũ illis ad quos Vates legatur ac mittitur: quamobrem dictum eſt Moſi apud rubum; Et hoc habebis ſignum, quòd miſerim te: vt res diuina diuinitusque procurata & non naturali facultate parata ſigno dato oſtenderetur. id quod populus ipſe atque omnis tam ſapientum, quàm imperitorum multitudo ſatis apertè teſtatur, qui de Moſis prophetia & officio tanquam de re maxima & miraculoſa diu multumque inter ſe cogitauerant ac diſputauerant, cùm hoc diuinum & extra humanos ſenſus ac naturæ vires poſitum intelligerent, & quonam modo id ſaluis hominibus contingere poſſet quærerent; donec lex diuino ore cunctis audientibus pronuntiata fuit, & tandem fides periculo ipſo facta eſt, poſſe homini contingere, vt diuinam vocem ſermonemq. audiat ſaluus atque incolumis, ſicut ſcriptum eſt: Hodie vidimus quòd loquatur Deus cum homine & viuat. Hodie inquiunt ſe tandem intellexiſſe, quod diu multumque dubitauerant: quòd ſi id natura fieri contingeréue poſſe iudicaſſent, non id hodie primum vidiſſent. Opus autem Dei eſſe id ſciebant, vt Deus cum homine loqueretur; an verò tanta res incolumi homini accidere poſſet, dubitauerant, & tandem fieri poſſe intellexêre: atque ea res miraculum grande illis declarat, mirandumque reddit hominem cui id contingat, quod hominum opinionem fidemq. antè exceſſerat. Ex his autem planè colligitur ad vaticinij munus nihil opus eſſe aut naturali aliqua facultate, aut maximarũ artium diſciplinarumque peritia, tantùm autem vt qui eo donandus munere fuerit, vir bonus ſit, à vitiis & voluptatibus, ab omni inhoneſto ſtudio alienus, & qui vbi delectus ad hoc ſit, officium ſuum ſummo obſequio, fide & ſeueritate tueatur. Quod apertè ab Amos vate docemur, qui vaticinio ſuo non naturali aliqua virtute, non ſapientia & artibus maximis, non genere aut alia re, quàm miraculo & diuina auctoritate fidem facit: namque artem ſuam & vitæ genus ruſticum atque horridum in primis profitetur. [*Verba, inquit, Amos, qui fuit in paſtoribus Thecuæ.*] Studium ſuum hoc dicendi modo indicat, *in paſtoribus*: non enim aut propheta, aut ſapientiæ & humanarum artium ſtudioſus antè fuerat, neque cum eiusgeneris hominibus, qui eas res profiterentur, fuerat vnquam vſu aut conſuetudine coniunctus, ſed inter *Thecuæ* oppidi paſtores, in eoq. miniſterio ſemper verſatus, vt neq. aliud quàm paſtoralis vitæ ſtudia & exercitationes, neq. id alibi quàm in Thecuæ oppidi agris coluerit. Quod & ipſe de ſe aliàs apud Amaziam Pontificem Bethel profitetur: Non ſum, inquit, propheta, neque filius prophetæ (hoc eſt, neque prophetarum diſcipulus aut aſſecla) ſed armentarius ego ſum vellicans ſycomoros: Et tulit me Dominus cùm ſequerer gregem, & dixit ad me Dominus: Vade & propheta ad populum meum Iſraël. Paſtor igitur fuit, neque diues aliquis paſtor, qui aliis conductis paſtoribus ad armentum ſuum alendum vteretur, ſed conductus ipſe

Moſes Ægyptius eiusq. ſectatores.

Ierem. 1.

Ariſt. lib. de diuinatione.

Exod. 3.

Deut. 24.

fortaſſe qui alienos boues cuſtodiret & paſceret,cui à ſycomoris vellicandis otium nullum
ad aliam exercendam artem ſupereſſet,gregem enim ſemper ſequebatur. Hanc autem ſen-
renriam omnem oratio illa continet: *Verba Amos qui fuit in Paſtoribus Thecuæ.*] Hoc eſt, dicta
factaque Amoſi prophetæ, cuius vita,ſtudium,& conſuetudo fuit inter paſtores ſemper
verſari,idque non alibi,quàm in Thecuæ montibus,vt neque vitæ genere neque hominum
quibuſcum viuebat familiaritate, neque locorum in quibus degit ratione, neque peregri-
natione aliqua nobilis exriterat,ſed omne tempus in gregibus paſcendis.idque apud The-
cuam cum aliis,quos teſtes adhibere poteſt,paſtoribus conſumpſerat. Cuius verò ſenten-
tiæ ſit,quòd ſermonem ſuum ſic incœperit: *Verba Amos,*] in communibus de prophetico
2.Reg. ſermone quæſtionibus à nobis eſt dictum. [*Qui fuit in paſtoribus.*] Duo, quæ ad pecuariam
נקר rem ſpectant,nomina ab hoc vate vſurpantur: alterum quidem eſt *Noqued*, quod gregum
רעה armentorúmve poſſidentem hominẽ ſignificat, ſiue idẽ ipſe paſcat,ſiue conductis vtatur
paſtoribus;vt illud, Et Miſſagh rex Moab fuit Noqued:alterũ verò eſt *Roghe*,quod paſcendi
officiũ propriè indicat, ſiue proprium gregem, ſiue alienũ cuſtodiat, quem Latinè paſtorẽ
nominamus. Amos autem cùm Amaziæ ſacerdoti rationẽ ſuã exponit,paſtorem ſe indicat
fuiſſe,non Noqued,ſed cuſtodem boum & curatorem tantùm.neq.verò hoc in loco ditio-
rem eum fuiſſe intelligere poſſis; nam quamuis vtatur nomine NOQVED,non ſe talem
fuiſſe, ſed inter eos qui tales eſſent, verſatum dicit: Ob eam rem non ait, fuit Noqued,
hoc eſt, pecoris dominus, ſed fuit in Noquedim;inter eos enim armenta paſcere conſue-
uit. Atque ita vates noſter non genus,non patriam,non cæli aëris aut ſoli felicitatem, non
vitæ ſtudium,non fortunas diuitiaſque nobis, ſed diuini tantùm conſilij auctoritatem re-
ligionemque ſermoni,atque orationibus ſuis interponit. Neque verò loci & patriæ nomen
ad dignitatem ſplendorémve, ſed ad artis potius & conditionis argumentum appellatur:
quando Thecua oppidum montoſum & inculti atque ad fruges minus idonei agri paſtori-
1.Paral.27. bus alendis tantum eſſet commodum,nihilque illuſtre peperiſſet præter Hiram filiũ Aces
Ierem. 6. ſextæ regiæ cohortis Dauid ætate ducem. Fuit autem in ſorte tribus Iudæ Beniamitis pro-
pinquum,vt ex Ieremiæ ſcriptis intelligimus: Confortamini filij Beniamin Ieruſalem,&
in Thecuah clangite buccina.neque verò nimis antiquum oppidum, ſed poſtquam terra
ab Iſraëlitis occupata fuerat conditum,populo iam creſcenti, & commoda loca opportu-
naque ad nouas ſedes deligendas quærenti viſa eſt ea regio apta, quæ armenta arbuſtis ſil-
uiſque aleret:nomen antè loco à Thecoa Eſrom nepti factum videtur, quæ eum pagũ pri-
1.Paral.2. ma cum filiis ſuis occupauerit,vt in Annalibus legimus: Habuit quoque Eſrom vxorẽ no-
» mine Abia,quæ peperit ei Ashur patrem Thecuæ. Sed Roboam Salomonis filius vrbem
in eo loco condidit,quæ tamen antiquum nomen retineret, ædificiis ipſe tantùm & popu-
2.Paral. 11. lo auxit ornauitque,ſicut ſcriptum eſt: Habitauitque Roboam in Ieruſalem, & ædificauit
” ciuitates muratas in Iuda. Extruxitque Bethleem & Etham & Thecue. Porrò agrum de-
2.Paral. 20. ſertum incultumque eſſe & paſtionis tantùm commoditate vtilem locus ille in iiſdem an-
nalibus indicat:Cumque manè ſurrexiſſent,egreſſi ſunt per deſertum Thecuæ. Hoc oppi-
Hieron.pro- dum diui Hieronymi temporibus adhuc extitiſſe videtur. Igitur patriæ nomen ipſum &
log.in Amos appellatio hominis nobis humilitatem & artis genus etiam prodit. [*Que vidit ſuper Iſraël.*]
Quo vaticinij genere vſus fuerit,& quam ob cauſam, in primis docet: nempe non ſomnio
aut alia quapiam forma,ſed diuina viſione, idque Iſraëlitarum cauſa, ſe fuiſſe impulſum.
Eſt autem viſio futurarum aut abſentium rerum certum quoddam quaſi præſentium ſpe-
ctrũ,quo vel vatis oculi,vel animi feriuntur,vt quòd Samuel Saulis aſinas inuentas ipſum-
1.Samuel. que Saulis patrem ſuſpenſo animo & ſolicito eſſe de filio vidit: quòd Habbakuq Aſſyrio-
rum exercitum contra Iudam tam multò antè comparari: quòd quatuor imperiorum or-
Habbac.1. bis ſeriem rationeſque omnes Ioël vates præſentit. Ex qua re, qui nunc prophetæ dicun-
tur, Videntes olim(vt ſacer hiſtoricus ait)dicebantur. Huiuſmodi autem prophetiæ genus
ad Amos attinuiſſe accepimus;nam abſens, quæ res priuatè, quæ publicè apud Iſraëlitas
gererentur,præuidebat,& quid tandem illis futurum eſſet, multò antè animo contempla-
batur. Vaticinij antem ſui legationem ad Iſraëlitas tantùm pertinere ait;nam eorum cau-
ſa potiſſimùm creatus eſt Vates,ſicut ipſe de ſe teſtatur: Et dixit mihi, vade & propheta ad
Inferius 7. populum meum Iſraël.quanquam de aliis etiam gentibus, & de Iuda quoque mentionem
fecerit, earum tamen cauſas breuiter atque obiter tractauit, ex quibus argumentationes
ad propoſitam ſibi cauſam perorandam repeteret: Etenim contentione ſiue comparatione
vſus argumentando eſt, quam rem nos paulò antè in huius vaticinij argumento fuſius ex-
plicuimus. Quo tempore autem vates hic munere functus ſuo ſit, ſubiunctis verbis doce-
mur,vt ex temporum ratione negotiorum quoque de quibus agitur, argumenta lectis hi-
ſtoriis petere poſſimus. [*In diebus Oziæ Regis Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas Regis Iſraël.*] In quo-
rundam

rundam vatum libris certum tempus propterea dicitur, quòd præterquam ad fidẽ faciendam plurimum poteſt, vehementer etiam ad vatis intelligendam ſententiam conferre exiſtimatur; etenim de rebus iis plerumque vates verba faciunt, quę ſua tempeſtate geſtæ ſunt: quas cùm illi ferè ſemper aut indicent tantùm, aut percurrant, lectorem ad ſuorum temporum hiſtorias tempore tantùm indicato viſi ſunt reuocare. Quæ verò ratio ſit, quamobrem regum potius quàm annorum ipſorum mẽtionem facere vates ſoleant, iam aliàs à nobis eſt explicatum. Igitur Amos temporibus Oziæ Regis Iuda & Ieroboam filij Ioas regis Iſraẽl vaticinatus eſt. Azarias autem qui idem Ozias, anno vigeſimo nono regni patris ſui Amaziæ ſolus regnare & ſuo nomine cœpit, cùm vndecim iam annis antè regnum pro patre adminiſtraſſet. quo anno autem Amazias in Lachis eſt interfectus, eodem Ozias rex ſuo ipſius nomine eſt appellatus: is annus fuit ab orbe condito circiter ter milleſimus centeſimus trigeſimus quartus; à templo verò Ieroſolymitano ædificato ducenteſimus primus. At verò Ieroboam quindecim iam antè annis Iſraẽlitarum regnum obtinebat, vt ex ſecundo Regum libro accepimus: quo in libro quidam in annorum rationibus nodus eſt, quem aliàs opportunè Deo duce abſoluemus. Accidit autem illis tẽporibus, vt Ozias rex ſacerdotale officium ambitioſè ſibi arrogans in aureo altari ſacrum facere attentaret, ſed diuinitus tactus lepraque percuſſus, atque à ſacerdotibus repulſus eſt. Mox etiam terribili & multis ſeculis memorabili terræmotu Iudæa regio eſt conquaſſata. Cuius rei tum alij, tum Zacharias vates mentionem fecit: Et fugietis, inquit, quemadmodum fugiſtis à facie terræmotus, qui fuit in diebus Oziæ regis Iuda. Hunc eadem die factum fuiſſe, qua Iſaias diuino ſpiritu auctus vatesque eſt creatus, antiquæ Hebræorum hiſtoriæ tradunt, quòd ab ipſo Iſaia literis mandata ea res ſit. ſic enim legimus: Et cõmota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis. nam & Iſaias Oziæ etiam regis tempeſtate vaticiniũ inchoauit. ex qua re colligimus Amos duobus annis ante Iſaiam vaticinari cœpiſſe: atque ita id quod ab Iſaia dictum eſt, & adhuc ſexaginta quinque anni, & ceſſabit Ephraim eſſe populus, cuius numeri initium ab anno terræmotus, tanquam à re notiſſima, duci auctores doctiſſimi voluerunt. De hac verò ratione omni apud Iſaiam ipſum diſputabimus. Sed quòd in hoc loco biennium ante terræmotum notatur, id non tam ex cauſa dictum videri debet, quòd vates eam rem futuram vaticinari voluerit (cùm ipſe Iſraẽliticas res tractãdas potiſſimùm ſuſceperit) quàm quòd certum tempus indicauerit, quo tempore vatis officio fuerit functus, ita vt biennium tantùm ei muneri vacauerit, idque diebus Oziæ ante terræmotum, cùm Iſaiam eiuſdem etiam Oziæ tempeſtate, poſt terræmotum tamen pluribus annis vaticinari contigerit. Hanc autem ſententiam ſermo ipſe & dicendi ratio nobis indicat. Qui vidit ſuper Iſraẽl in diebus Oziæ biennium, idque ante terræmotum, cùm Iſaias viderit in iiſdem diebus, ſed poſt terræmotum, atque adeò pluribus annis. Itaque Amos ſic duobus annis vaticinatum eſſe intelligimus, vt biennio peracto defunctum munere ſuo fuiſſe interpretemur, neque antea aut poſtea vnquam viſionibus fuiſſe impulſum.

4. Reg. 15.

Ioſeph. lib. 9 cap. 10.

Lib. temporum.

2. Paral. 27.

Zach. 14.

Iſai. 1.

Et dixit, Dominus de Sion rugiet, & de Ieruſalem dabit vocem ſuam: & luxerunt ſpecioſa paſtorum, & exiccatus eſt vertex Carmeli.

HACTENVS operis inſcriptio & temporũ notatio, vatis inſuper vita indicata eſt, magis quàm opus ipſum ſit inceptum; atque ea quæ ſcripta ſunt, aut à Vate ipſo, aut ab alio ſacrorum librorum concinnatore conſcribi potuiſſe nihil obſtat, ita vt breuis quædã totius operis præfatio ſit, qua quis fuerit vates, quo tempore & quamdiu vaticinatus & quas potiſſimùm res tractauerit, oſtendatur: Etenim ſoluta oratione ſuperiora omnia conſtãt, cùm ea quæ ſequuntur carminibus conſcripta ſint, & ipſius cæleſtis ſpiritus impetum iam propius referant. id ipſum etiam illo verbo indicatur: *Et dixit*, quod à carmine ipſo ſeiunctũ eſt, attentionemque & ſilentium ad audiendum parat. [*Et dixit, Dominus de Sion rugiet.*] Hoc primum carmen Amoſum noſtrum poſt Ioẽlem munus ſui vaticinandi obiiſſe indicat, quòd eodem integro carmine fuerit Ioẽl vſus. quam ob rem rectè huius vatis liber poſt illius vaticinia ordine ſecundo eſt collocatus, cùm illius verſum hic vſurpauerit, quo ſermonibus ſuis faceret initium, atq. de eadem re ſe dicturum precipuè doceret, de qua ille alter ferè vltimo dixerat loco: *Dominus de Sion rugiet.*] Totius futuri ſermonis propoſitio quędã, & accuſationis cauſæque argumentum hoc eſt: Nam in iudiciali genere omnis ferè huius vatis verſatur oratio; ſiquidem hunc paſtorem ſimplicem atque probum virum cauſarum ſuarum actorem eſſe Deus voluit, qui non tam arte, quàm veritate ipſa agendo niteretur. Eſt ergo hæc carminis huius ſententia: Deum cauſam Sionis & Hieroſolymorum agere parare, quòd etiam ciuitatem ſuam, quam ſanctam, quam puriſſimam religioſiſſimamque omnibus eſſe oportuit, vario ac multiplici iniuriarum & probrorum genere tam à domeſticis quàm ab alienis hoſtibus oneratam eſſe conſtat; maximè autem ab iis indignè illius res tra-

ctatas, qui liberaliſſimè atque honorificentiſſimè tractare debuerunt, videlicet ab Iſraëlitis Iudæisque ipſis, qui cùm ſibi rebusq. ſuis ſanctè & legitimè conſulere poſſent, atq. ſuam publicam rem ex diuinæ legis præceptis, inſtitutisq. gubernare, cumq. religionem puram illæſamque tueri deberent, omnia tamen diuina humanaq. iura violâtes, odiis, diſſidiis, diſcordiis primùm laborare cœperunt, ac deinde cæde, furto, rapina, ſtupris atq. aliis multis iniuriis ſeſe mutuo affecerunt, adeò vt maxima ſanctiſſimæ reipublicæ labes & pernicies ab iiſdem ipſius ciuibus fuerit illata, quorũ eam integram incorruptamq. ſeruare intererat. Igitur tota hæc iniuriarum actio eſt, quæ quoniã grauiter ſeuereq. tractanda, atq. irati numinis oratione pronuntianda eſt, idcirco leonis & rugitus atque clamoris tranſlatione Vates eſt vſus: *Dominus de Sion rugiet.*] de non locum, ſed cauſam, vt apud Ioëlẽ docuimus, indicat, apud quem totũ hoc carmen eſt à nobis fuſius explicatum. Eſt autem hæc ſententia: Deum grauiter & ſeuerè religionis ſuæ & gentis cauſam acturum vlturumq. vicẽ populi ac regni ſui, cuius caput Ieruſalẽ, arx verò & regia Sion erat, eamq. vltionẽ omnibus quicunq. Ieruſalẽ & Sion, hoc eſt regno ſuo nocentes, inutiles, iniurĳve fuerint parari, ſiue illi domeſtici, ſiue exteri fuerint, ac primùm leuiores quidẽ iniurias, deinde & grauiores multò etiam ſeuerius eſſe animaduertendas. Nam queadmodum leo nunquam fruſtra rugit, neq. eam vocẽ animantibus aliis ſecurè audire licet: ſic vbi Deus rugitum ediderit, hoc eſt, vbi cauſam ſuam grauiter ſeuereq. egerit, acre in eos qui in culpa fuerint, iudicium ſequatur neceſſe eſt, ſicut

Inferius. ſcriptum eſt ab eodem: Nunquid rugiet leo in ſilua & non habebit prædam? exordio autẽ » tum dicentis artibus, tum rei ipſi maximè idoneo vſus eſt, qua oratione ſe à Deo cuius voces referret, miſſum legatumq. fuiſſe ſignificauit; nam cùm Deum rugientẽ & grauiter cauſam populi ſui proclamantem audierit, non obſequi & mandata faceſſere non potuit, ſicut

Inf. cap. 3. & alio in loco ipſe ait: Leo rugit, & quis non timebit? Dominus locutus eſt, & quis non pro- » phetabit? Quodnam porrò & quale iudicium in eos, qui damnati fuerint, ſit exercendum, ſubiuncto hemiſtichio declarat. eandem autem quam ſumpſerat vrget tranſlationem: *Et luxerunt ſpecioſa paſtorum.* Repetitio illa, *rugiet, & dabit vocem ſuam,* præterquam quòd familiaris vatibus eſt, ſemper ſuam habet ſignificationem: vt etiam in hoc loco habet, nam cùm duas gentes reos hic conſtituat vates, qui populum Dei iniuria & contumelia affecerant; nempe finitimas nationes, & Iſraëlitas Iudæosque ipſos domeſticos hoſtes, vox *rugiet,* ad alteram, *& dabit vocem,* ad alteram partem refertur. Quemadmodum & geminum etiam iudicium vtrique parti ſuasque pœnas luendas proponit. namque ſpecioſa atque amœna paſtorum loca luctu complenda, & Carmeli verticem exiccandũ eſſe prædicit. Lugere autem ager dicitur, cùm aut ob pluuiarum defectum, aut ob bellicam depopulationem horridus, incultus atq. aridus eſt; vt contrà ridere omnia dicimus, quæ culta, virentia amœnaque

Hoſſ. 4. ſunt. Sic apud Hoſſeam: Propterea lugebit terra. &, Viæ Sion lugent, eò quòd nõ ſit qui ve-

Thren. 4. niat ad ſolennitatem. Apud Latinos etiam ager lugere, & cultorem deſiderare dicitur. Atq.

Cicer. in Ver. act. 5. prioris huius ſententiæ membri tranſlatio à poſteriori indicata eſt, *& exiccatus eſt vertex Carmeli. Specioſa paſtorum,* dicuntur ad paſcendos greges opportuniſſima quæq. loca, in quibus ob paſtionum fertilitatem & magnitudinem diutius commorari, & tentoria figere paſtores

Iſai. c. 10. poſſunt; namque Hebræa vox NAOTH ſpecioſa habitacula paſtorum ſignificat. Carmelus autem tametſi mons quidam ſit, qui eo nomine dicatur, tamen locum quemlibet ſignificat, modò fertiliſſimum & vineis agriſque cultiſſimum, qui vicinis locis laudem præripiat.

Iſai. 29. qua ſignificatione ab Iſaia vſurpatur: Et vertetur Libanus in Carmelum, & Carmelus in ſiluam reputabitur; propriè enim hoc nomine ſpica viridis & plenã ſignificatur, vt & panis & toſta ſpica & carmel, hoc eſt, viridis ſpica; & inde ad fertiliſſima & amœniſſima quæque loca ſignificanda tranſlatum eſt verbum: ſic etiam & Hebraicè carmel fitidum ſignificat optimum. quæ vox Bœthicis hominibus in Granatæ regno notiſſima eſt. Vſus eſt autem Vates antitheto, cùm verticem ſiue caput Carmeli exiccandum dicat, qua in re illud

Iſai 7. intelligit optimam & amœniſſimam loci partem eſſe etiam vaſtandam, nedum quæ minus amœnæ minúſue cultæ ſunt, pereant. Caput enim præſtantiſſimam in vnoquoque ge-

Pindarus Olymp. od 7 nere partem notare ſolet, vt caput Ephraim Samaria, & caput Syriæ Damaſcus. Pindarus etiam eadem ſignificatione aureum poſſeſſionum verticẽ nominauit. Hactenus tranſlatio tractata nobis eſt, vt leonis rugitum magna paſcuorum ſolitudo, ingens præſtantiſſimorum agrorum vaſtitas conſecutura ſit: ſed quoniam locus ipſe rem non ſimpliciter intelligendam indicat, & quemadmodum rugitum non leonis, ſed Dei vocem & prophetiam intelligimus, ſic alia etiam verba explicanda eſſe docemur. operæpretium autẽ erit propriam dictorum ſententiam breuiter aperire. Deum religionis & regni ſui cauſa iratum Vates oſtendit, atque iniuriarum actionem aduerſus eos qui iniqui moleſtique populo ſuo fuerint molientem, & rugitus & vocis nominibus vtriſque diem dixit, qui vel ex domeſticis, vel exali-

ex alienis in culpa fuerint. nunc vtriſque ſupplicium minatur,& cladem portendit, & gentibus & Iudæis atque Iſraëlitis. Vocat autem *ſpecioſa paſtorum.*] palatia ſedeſque regum, & Ieroſolymam atque Samariam Carmeli caput appellat; namque totius terræ Aſiæ optima portio Iſraëlitis ceſſerat, quam Carmeli nomine ſignificauit, cuius capita Ieruſalem & Samaria fuerant, ſicut ſcriptum eſt: Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. & rurſus, Caput, inquit, Ephraim Samaria: omnibus enim ſuam exciſionem prædicit, atque inter agendum ſingulis ſuam de ea re pronuntiabit ſententiam illa formula: Et mittam ignem in domum Hazaëlis, & deuorabit palatia Ben-Adad. Paſtorum verò nomine principes & reges ſignificari omnibus omnium linguarum ſermonibus commune eſt, vt de Chaldæis principibus eorumque exercitu ſcriptum eſt: Ad eam venient paſtores & greges eorum, fixerunt tentoria in circuitu, paſcet vnuſquiſque eos, qui ſub manu ſua ſunt. Et Homerus Atridas duos populorum paſtores ſæpe nominat. Ergo cùm de Damaſci, Edom, & aliarum etiam gentium regibus mentionem facturus Vates ſit, eos omnes eorumque regias vrbes paſtores & ſpecioſa habitacula nominauit. atque ita Chaldæus interpres vertit: *Et euertentur habitacula regum, & excidetur fortitudo arcium eorum.* Atque hæc totius futuræ orationis propoſitio eſt. Pſalm. 86. Iſai. 7. Iſai. 6. Iliad. lib. 1.

Sic dicit Dominus, Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quartum non conuertam eum: eò quòd triturauerunt in tribulis ferreis Galaad.

ANTEQVAM Iſraëlitis dies dicatur (hoc enim Vatis conſilium præcipuũ in hoc opere eſt) ſex vicinæ finitimæque gentes in crimen vocantur, Syri, quorum caput Damaſcus erat & Palæſtini, quorum metropolis Gaza fuit; Tyrij, Idumæi, Ammonitæ atque Moabitæ, quas omnes gentes iudicium ſuppliciumque grauiſſimum ſubituras prædicit, vtpote Iſraëlitis nimium ſemper infeſtas. Cùm autem aliæ etiam nationes bellum excidiumque Iſraëli attulerint, vt Aſſyrij, vt Græci & Itali, cur harum potiſſimùm ſex hic meminerit Vates, duplicem cauſam fuiſſe arbitramur. Alteram quidem, quòd hoc vaticinium Ioëlis prophetiæ coniunctum & quaſi annexum eſſe oſtendimus, quamobrem quæcunque ab Ioële aut breuiter tractata, aut etiam prætermiſſa ſunt, ea Amoſus ſibi propoſuit & perſecutus eſt. Atque Ioël quidem eorum excidium prædixerat, qui Iſraëliticas & Ieroſolymitanas res funditus euerterunt, ſiue prioris templi, ſiue poſterioris tempora recolamus: atq. ea res ad Eccleſiæ etiam Chriſtianę calamitates pertinent, vt cùm eum locũ explicaremus dictum à nobis eſt, ſicut ſcriptum eſt: Et congregabo omnes gentes ad Vallem Ioſaphat, & iudicabor ibi cum eis ſuper populum meum & ſuper hæreditatem meam Iſraël, quam diſperſerunt inter gentes, & terram meam partiti ſunt. Præterea etiam & ille dixit, Et Ægyptus in deſolationem erit: Et Edom in deſertum depopulationis. quo in loco nos ad Ægyptum, Iſmaëlitas omnes & Babylonios Aſſyrioſque retulimus; etenim Iſmaëlitæ nunc partim ex Ægyptiis, partim ex Aſſyriis oriundi ſunt; Idumæi autem qui tandem iudicandi ſunt à Deo iuxta Ioëlis oraculum, non illi quidem ſunt, qui primi id nomen fuerunt ſortiti, quiq. Seir montes incolebant, ſed ex horum ortu fati cùm orientalem, tum etiam occidentalem plagam tenentes homines quicunque Dei populum & antiquum & nouũ præcipuè odio, iniuria, atque inimicitiis ſunt proſequuti. hos igitur, quorum cauſa ſatis plenè fuerat à Ioële tractata, Amos prætermiſit, atque eos quos ille non appellauerat ſigillatim nominauit, ſed Tyrum & Edom quorum Ioël mentionem fecerat, ob eam cauſam Amos ad partes ſuas etiam vocauit, quòd Tyrus bis ob ſua ſcelera diruta fuerit, ſed primùm Nabuchodonoſoris manu, vt ab Iſaia fuerat prædictum, iterum autem Alexandri Macedonis opera ſic penitus exciſa, vt nunquam deinceps fuerit reſtituta. ad hanc autem poſteriorem ruinam Ioël, Amos verò ad priorem illam ſermones ſuos retulêre: Edom autem cladem illam futuram, quam Ioël præcinit de iis quos ab Idumæis oriundos eſſe diximus, interpretamur; ſicut ſcriptum eſt: Et Edom erit in deſertum deſolationis. Sed Amos eos Idumæos inſectatur, qui vicini Iſraëlitis finitimique atque infeſtiſſimi fuerunt, quorum vrbs nobiliſſima Theman ab hoſtibus vaſtata, huius Vatis oraculum certiſſimum oſtendit. Atq. hæc altera cauſa eſt, quam ob rem Amos harum gentium potiſſimum & non aliarum etiam meminerit. Altera verò eſt, quòd, vt iam in ſuperioribus docuimus, Amos vt Iſraëlitas ſupplicio digniſſimos oſtendat, aliarum gentium exempla & quaſi præiudicia protulit, quæ ſimiliũ, ſed impariũ ſcelerum grauiſſimas tamen pœnas erant laturæ. nam ſi Deus gentes à lege ſua, à religione alienas, & minoribus etiã paucioribusq. beneficiis affectas, tamẽ impunè peccare nõ permittit; nedũ & Iſraëlitas pœnis ſupplicioq. mulctet duriſſimo, ne dum in eos animaduertat, qui populi regnique ciues cùm eſſent, ſuiſque legibus inſtituti, religione & diſciplinis imbuti, maximis donis ornati, tamen officij & pietatis proditores fuerũt, ſanctamq. Ioël 3. " " " Ioël. 3.

atque ſacram hæreditatem iiſdem & grauioribus etiam ſceleribus flagitiiſque polluerunt ad hanc ergo comparationem nihil opus erat aliarum gentium exempla adducere, quæ remotiora his loca tenentes obſcuriorem ſuarum rerum & incertiorem notitiam ac famam ad Iſraëlitas tranſmittere potuerunt, ſed finitimarum potius, quarum rationes vulgò omnibus iis quos propheta accuſat, notæ erant. Namque iiſdem ſceleribus, iiſdem flagitiis nobilitatos Iſraëlitas, iiſdem etiam criminibus inuolui, eadem culpa, lege, ac pœna teneri demonſtrat. In accuſatione autem Iſraëlitarum docebimus, quemadmodum in omnia harum gentium & Iudæorum crimina Iſraëlitæ etiam vocentur, vtque etiam grauiori iudicio ſit cum illis agendum; quam ob rem neque aliorum ſcelerum mentionem fecit, quibus hæ ipſæ quas inſectatur gentes affluebant, ſed horum tantùm, quibus Iſraëlitæ fuerant vel maximè notati. [*Super tribus ſceleribus.*] Varias in hoc loco videmus expoſitorum ſententias, aliaſque atque alias ſecundùm vniuſcuiuſque interpretationem de diuina miſericordia, de peccatorum numero, quatenus dimitti poſſint, opiniones eſſe: quibus omnibus nos idem quod ſemper conſilium ſequuti, ſuperſedemus, Chriſtianoque lectori auctores ipſos, ſi libeat, audiendos cenſendoſque permittimus. Interim noſtram tantùm ſententiam exponemus: nam ab omni contentione, ab inuidioſa obtrectatione longè eſſe volumus alieni, neque quidquam cum aliis diſceptare (niſi cũ id ſine certa veritatis aut pietatis iactura omitti non poſſit) iam inde à principio ſumus profeſſi. Principio autẽ vt horum trium ſcelerum, à quibus ſingulæ gentes notantur, rationem aperiamus, verbi ipſius natura & certa ſignificatio eſt obſeruanda. Namque ad rem ipſam niſi verborum, maximè autem diuinorum, ratione perſpecta, penetrare legendo difficile eſt: Igitur inter multa variaque verba Hebræa, pro quibus Latinus Interpres peccare, aut iniquè agere, aut errare aliàs atque aliàs
פשע reddit, vnum eſt PASSAGH verbum, ex quo etiam nomen PESSAGH deriuatur, quæ propriè deficere & defectionem Latinè ſignificant. Defectionem autem appellamus voluntariam animi à certa debitaque fide, aut à lege, aut ab officio abalienationem. quo quidem ſcelere illi propriè inuruntur, qui à rege principeque ſuo, aut à Deo cui ſeſe dediderant, conſultò deſciſcunt, aut iuſtam viuendi legem reiiciunt, aut fidem conſtantiamque vltrò deſerunt. tota autem ratio hæc productis ſacrorum librorum teſtimoniis tenebitur.
2.Reg 3. In libris Regum legimus: Moab rebellauit in me. Et apud Iſaiam, Deus, filios, inquit, enu-
Iſaiæ 1. triui, & exaltaui, & ſpreuerunt me. Et illud: In diebus eius rebellauit Edom à poteſtate Iu-
2.Reg.8. dæ. In depoſiti autem fide ſeruanda dicitur ad perpetrandam fraudem, &c. quibus omni-
Exod.24. bus in locis verbum illud PASSAGH, aut nomen PESSAGH eſt. Igitur PESSAGH, pro quo nobis hoc in loco ſcelus Interpres reddit, grauiſſimum fidei, legis, officiiue deſerti flagitium interpretabimur. Atque vtinam hanc prouinciã doctiſſimus aliquis Theologus, & linguarum peritiſſimus obiret, vt omnium virtutum, vitiorũ, iuris, legiſque diuinæ, omniũ etiã artium atq. diſciplinarũ vocabula ex ſacris libris obſeruata, diſtinguenda, declaranda atque definienda ſuſciperet: is profectò vtiliſſimus labor eſſet, & ad ſacra ſcripta intelligenda, & ad ſcholaſticas diſputationes certiſſimè inſtituendas in primis commodus. neque verò id aut nouum, aut ab ſcholaſtica conſuetudine alienum foret. Namque vt ex Græcis etymis quædam rectè, quædam etiam minus aptè philoſophari licet; ſic etiam ex Hebraicis, aptiſſima atque certiſſima quæque petere, atque in diſputationibus non inconcinnè vſurpare liceret: & qui libenter diſcendo latriam, duliam, hyperduliam, hypoſtaſin, deſpoticam, politicam, ethicam audiunt; iucundè etiam ghauon, zadon, peſſagh, hhatah, thorah, miſpat, & alia huiuſmodi ſonitus verba potuiſſent audire. Sed ad rem noſtram explicandam redeamus, & quæ ſint hæc terna Peſſaghim, hoc eſt terna ſcelera, quæ de ſingulis gentibus indicantur, conſideremus: quæ cùm hic non explicentur, eadem omnium communia, & notiſſima etiam atque publica fuiſſe videntur; ob quæ digni omnes ſupplicio ſint, quòd legem, aut officium, aut fidem deſeruerint. Neque enim ſic ait: Super tribus ſceleribus Damaſci conuertam eum, & ſuper quartum non conuertam eum: ſed ſic; *Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quartum non conuertam eum?*] ita vt tertio etiam quartum addatur; ob quæ immunitas & venia Damaſco danda non ſit, totidem etiam flagitiis & aliæ nationes nobilitatæ ſunt; quarti tamen cuiuſque alia atque alia in vnoquoque ſeorſim ratio eſt. Tribus ſcelerum grauiſſimis generibus gentes omnes maculatæ in primis fuêre, quæ ſcelera contra naturæ, quam vocant, legem commiſſa ſunt: Namque ex ſeptem illuſtribus præceptis quæ Noë illiuſque poſteris tradita ſunt, ea conſtabat lex, ex quibus tria grauiſſima erant: vnum quod vanum alienorum Deorum cultum vetaret: alterum quod inceſta, ſtupra connubiaque fœda; tertium quod homicidia prohiberet; ea his nominibus in ſacris dicuntur idolorum cultura, turpitudinum reuelatio, ſanguinis effuſio; de quibus ſcriptum eſt: Hæc omnia faciebant gentes quas Dominus expulit ante faciem tuam. Namque antiqui

illius

illius ſerpentis opera & fraude tantis humanæ mentes imbutæ prauitatis erroribus fuerant, vt omnis ille naturæ legis ſplendor corruptiſſimis moribus obſoleuiſſet, ſicut ſcriptum eſt: Dominus de cælo proſpexit ſuper filios Adam, vt videat an ſit timens, aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, vnà omnes inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt neque vnus. Maximè autem his flagitiis omnes gentes coopertæ erant, vano cultu, inceſtu atque homicidio; quamobrem Deum ſibi vehementer infenſum iratumque habuêre; atque hæc ſcelera excæcationis ſiue inſipientiæ, ignominiæ & homicidij nominibus, Paulus ad Romanos ſcribens, notat. Tribus ergo his ſceleribus & à naturæ lege atque à diuinæ mentis ratione defectionibus, eæ etiam gentes tenebantur, quas Amos in culpam crimenque vocat, ob quæ grauiſſimis dignæ fuerant ſuppliciis: quibus ſceleribus cùm quartum extremæ inhumanitatis, & pluſquam ferinæ crudelitatis tanquam cumulus acceſſiſſet, patientiſſimi diu, æquiſſimi tamen & ſeueriſſimi Dei iudicium expertæ ſunt. Prima autem omnium in crimen Damaſcus venit opulentiſſima Syriæ vrbs, regnique ſedes, cui ſi non principium, at certè nomen ab Eleazaro Abrahami procuratore ductum fuiſſe videtur; namque is Damaſcus etiam dictus fuit. Ea igitur natio vt antiquiſſima & nobiliſſima, ita prima omnium in capitis vocatur periculum, quòd tribus illis communibus & publicis ſceleribus, quibus fuerat contaminatiſſima, quartum etiam crudelitatis & extremæ erga Iſraëlem iniuriæ addiderit. [*Super tribus & ſuper quartum non conuertam eum?*] Interrogatione oratio pronuntianda eſt: ſic enim & vehementior dictio, & ſententia fuerit explicatior. Conuertere, autem verbo vſus eſt, quod vel alterius, vel ſuam vicem vlciſci eſt; vt, Et ignominiam eorum in caput eorum conuertet. &, Conuertetur dolor eius in caput eius. Et illud: Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem ſuperbis. Idem verbum in his omnibus locis Hebraicè eſt. Interrogatione autem vtitur, quòd ea elocutionis figura in maniſeſtiſſimis & irrefragabilibus argumentationibus locum habeat, hoc modo: Nunquid ego non conuertam Damaſci ignominiam in caput eius, ob tria ſcelera, quibus ſeſe aduerſus ius & fas tamdiu contaminauêre, & ob quartum etiam, quo manifeſtius me religionemque meam, iniuria & ignominia notare atque afficere ſtatuerunt? & profectò digniſſimi ſunt, quibus ego tantundem rependam: Namque ea Deum propius attingere videntur, quęcunque aduerſus Dei populum non hoſtiliter modò, ſed crudeliſſimè etiã & contumelioſè commiſſa ſunt. Qualia de iſtis propheta noſter Dei verbis atque accuſatione commemorat. [*Eò quòd triturauerunt in tribulis ferreis Galaad.*] Cùm iam Iſraëliticarum rerum tædere Deum cœpiſſet, à vicinis & finitimis nationibus vexari eam gentem paſſus eſt, vt eo velut paterno ſtimulo punctam, ad bonam frugem officiumque reuocaret. Primi autem Syri Damaſceni fuêre, qui in Iſraëlem impetum facerent; ſed tamen qui humanitatem omnem exuentes, non ſuas iniurias perſequuti fuerint, ſed inſatiabilem crudelitatem in victos exercuerint: *ferreis* enim *tribulis*] ſubiectos homines paſſim contriuerunt atque lacerauerunt, quod genus non niſi inimiciſſimis, & diu infeſtiſſimis hoſtibus, atque maximis vlciſcendis iniuriis adhiberi ſolitum fuit; cuiuſinodi ſtragem à Dauid Rege in Ammonitas editam legimus: Populumque eius adducens ſerrauit, & circumegit ſuper eos ferrata carpenta. Hanc autem à Damaſcenis Iſraëli illatam cladem diuinæ hiſtoriæ narrant: quibus ea parte qua finitimi erant aggreſſis, tota ferme illa regio vaſtata eſt. ſic enim legimus: In diebus illis cœpit Dominus tædere ſuper Iſraël, percuſſitque eos Hazaël in vniuerſis finibus Iſraël; à Iordane contra Orientalem plagam omnem terram Galaad, & Gad, & Ruben, & Manaſſe, & Aroër quæ eſt ſuper torrentem Arnon, & Galaad, & Baſſan. Has quidem omnes regiones Damaſcenus rex Hazaël vexauit, ac perdidit; maximè autem in Galaaditas ſæuiit, id quod & locus ipſe ex hiſtoria indicat, cùm Galaad bis in ea clade commemoretur. Hactenus crimen peroratum eſt, quòd Damaſceni tribus illis grauiſſimis defectionis ſceleribus hoc etiam quartum addiderint; & qui victi olim à Dauide nihil tam immane paſſi eſſent, nunc eius humanitatis obliti, tantùm in Iſraëlitas ſæuiiſſent, diuinum iudicium experiri commeruerunt, idque grauiſſimum: ob eam rem damnationis etiam ſententia extremæque calamitatis iudicium ſubiungitur:

Pſalm. 13. « « «

Rom. 1.

Gen. 15.

Nehem. 4. Pſalm. Pſalm. 94.

2. Sam. 12.

4. Reg. 10. » « «

Et mittam ignem in domum Azaël, & deuorabit palatia Benhadar. Et conteram vectem Damaſci: & diſperdam habitatorem de campo Idoli, & tenentem ſceptrum de domo voluptatis: & transferetur populus Syriæ Cyrenen, ait Dominus.

MAXIMA clade atque exitiali calamitate Syros afficiendos eſſe prædicit, quæ tamen non ad fortunam, non ad victoris felicitatem, ſed ad diuinum conſilium referenda ſit: quam vltionem à Deo mittendam verbum *mittam*, facilè docet. *Ignis*, autem nomen

extremam ſtragem cædemque indicat:namque vt ignis omnia quacunque vadit abſumens vaſtiſſima reddit (quamobrem comedens & conſumens in ſacris libris ea natura cognominatur) ſic futurum eſſe Amos dicit, vt hoſtis Syriam ita vaſtet, maximè autem regiam eius
Ioel. 1. gentis familiam, vt igne abſumptam credas. Ignis enim nomen non ſemper naturæ, ſed efficientiæ aliquando rationem indicat; vnde & pro hoſte vrbes agroſque populante id
Num. 21. nomen vſurpatur. vt illud: Ignis egreſſus eſt de Heſebon, & flamma de oppido Sehon, & deuorabit Ar Moabitarum, & habitatores excelſorum Arnon. Appellat autem Vates potiſſimùm Azaël, vt defectionis eius quam quartam dixit, auctorem; atque totius huius familiæ ac generis interitum & occaſum prænuntiat. [*Domum Azaël.*] Domus idem quod
4. Reg. 15. genus & familia; vt Domus Iacob. fuit autem ignis hic Aſſyrius Rex, à quo Damaſcus capta, & Recin illius princeps interfectus fuit, eratque Recin ex poſteris Azaëlis. Damaſcenum autem palatium, & Syrorum regia, nomen ex Benhadar acceperat, quòd eius ædificandæ auctor is fuiſſet, quam diruendam nunc Vates præcinit. Namque is etiam Benhadar, aliàs Benhadab dictus, Iſraëli ſe infenſum hoſtem diu præbuerat; cùm ab Aſſa Iudæorum Rege ingentem ob eam rem auri, argentique vim accepiſſet, quos ille theſauros in Damaſco magnificentiſſimè extruenda conſumere potuit. Itaque exitium ad Regiam familiam, calamitas verò ad populum vſque ipſum peruentura fuit. Erat autem Damaſcus totius Syriæ caput, & vrbs non tam natura, quàm opere munitiſſima: ob eamque rem palatia Benhadar, ſiue arces Vates noſter nominat, quòd regio opere magnificè fuerit conſtructa, portaſque habuerit humana arte inexpugnabiles. atque id etiam diuinam arguet vltionem, cùm nihil murorum & operum moles, nihil æneæ portæ, nihil vectium & repagulorum magnitudo copiaque valebit: omnia enim hæc ſibi conterenda Deus ſuſcipit, vt facillimus hoſti pateat aditus. Quoniam, niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Hoc eſt quod dicit, *& conteram vectem Damaſci.*] Palatia & vectes ex Metonymia vſurpauit, vt vrbem ædificiis & cuſtodia munitiſſimam eſſe oſtenderet: atque ita Chaldaica Biblia habent; *& confringam firmitudinem Damaſci.* Damaſcus autem quamuis ſitu ipſo fortiſſima non ſit, eſt tamen vrbium noſtri orbis amœniſſima, ad Libani montis radicem in valle conſtructa, quam & cæli, & ſoli temperies adeò fecundam, adeò pulchram efficit, vt nihil vltrà in humanis poſſit rebus deſiderari. eam autem præter natiuum nitorem hominum etiam cultura illuſtrat: Siquidem magnificentiſſimis & ornatiſſimis villis, hortis atque vinetis, aliiſque ad aſpectus iucunditatem, & habitandi commoditaté operibus innumeris frequens eſt; vt cultores non ſolùm vtilitate, ſed voluptate etiã iuuet; atque hanc commoditatem duo celebratiſſimi amnes, Amnam & Parpar ſua etiam pro parte creant. ambo enim ex Libano monte prodeuntes, perlucidis & dulciſſimis liquoribus abundant: alter autem Damaſcum influens, totus potu & vrbanis hortis irrigandis intra mœnia ipſa & ſuburbana conſumitur; alter verò præterfluens eam quam diximus vallem, deductis canalibus totam irrigat: atque hæc vallis & cultorum & villicorum ſemper eſſe ſolet refertiſſima. Mediam autem vallem vrbs ipſa tenet, quæ pulcherrimis extructa ædificiis, genialium quarundam ædium regia magnificentiſſima in mediis hortis poſitarum ſpeciem præbet; cuiuſmodi imaginem intueri ſibi videtur, qui Mediolanum in Ciſalpinis, aut Hiſpalim in Bethica longius proſpicit; hanc oliuetis, illam vinetis, & populis, quercubuſque cinctam. Atque adeò tanta Damaſci amœnitas, tam præclarus eſt proſpectus, vt apud Iſmaëlitas conſtanti fama & voce vulgatum ſit, eorum ſectæ principem Mahumetum, primùm ex editiori colle regione illa proſpecta, ſubitò pedem retuliſſe; dicentem, nolle ſe diuturnum futuri paradiſi fructum, cum eius quem videbat breuitate permutare: fieri enim non poſſe, vt duplici quis voluptatis paradiſo fruatur; ſi cui autem præſentis vſus placuerit, futuri felicitate eſſe interdicendum; ſe verò iam cognouiſſe vbinam terrarum præſentis vitæ paradiſus eſſet; nempe apud Damaſcum: quamobrem ſibi hunc
Iſaac Hiſpanus in Amos negligendum eſſe, vt illo altero tandem potiri liceret. Hæc nos & in iis qui de Mahumeti hiſtoria conſcripti ſunt libris legimus; & à pleriſque eorum, qui ea loca peragrauerunt, cùm Iudæis, & Turcis, tum etiam Chriſtianis grauiſſimis viris audiuimus, qui loci amœnitatem, fecunditatem, atque ſplendorem nunquam ſatis admirari ſe poſſe putant. In his Leo Medicus Florentinus eſt, plantarum, & totius ſtirpium naturæ diligentiſſimus indagator, qui eius ſtudij cauſa bonam orbis noſtri partem pedibus obiit: nuper apud nos erat Philippo Regi ob eam rem gratus, qui regio ſtipendio affectus, Hiſpaniæ agros, campos, montes, & nemora certis temporibus peragraret; is nobis nullam orbis terrarum regionem æquali portione cum Damaſcena comparari poſſe affirmabat; quam rem & à grauiſſimo ſanctoque viro Iacobo Vaſquio Matamoro, noſtrate ſacerdote, & egregio pictore, ſæpius audire meminimus, qui pietatis ergò in Syriam nauigauerat, omnemque eam luſtrauerat regionem.

regionem. Eam igitur vallem, atque eam vrbem Damaſcum, hoc in loco Vates intelligit; quas vallem Auen,& domum voluptatis vocat: vallem quidem Auen, hoc eſt vanitatis, ex euentu per anticipationem nominat, quòd à cultoribus hoſtium aduentu perterritis vacuam relinquendam præuideret. Sic etiam Petra auxilij locus quidam à Samuële vocatur. 1 Samuel.
Sic Poëta, miſerrimam dixit Dido, cùm nondum de illius miſeriis quicquam meminiſſet. Æn. id 4.
Domum autem voluptatis, regiam Damaſcum eſſe, ex adiunctis verbis intelligimus: *Tenentem ſceptrum:*] eſt enim periphraſis regis: Namque regum geſtamen, & proprij muneris inſigne, ſceptrum eſt; quo ſe populos regere, & gentibus iura dare ſignificant: atque ita in Heſter hiſtoria legimus: Et extendit rex ſceptrum quod manu tenebat. Et illud: Non auferetur ſceptrum de Iuda. Cùm autem Damaſcus caput Syriæ eſſet, eademque regum ſceptrum tenentium ſedes; conſtat eandem eſſe, quæ ob natiuam amœnitatem, voluptatis domus appellaretur. Etenim domus etiam nomen cum alio adiuncto multis vrbibus & oppidis commune erat; vt Beth Semes, hoc eſt, domus Solis: Bethel, domus Dei: quæ quidem nomina, aut ex illuſtri aliqua loci notatione, aut ex euentu aliquo, aut ex rei cuiuſpiam inſigni copia indebantur: erantque nonnulla loca duplici etiam nomine; antiquo altero, atq. à conditoribus fortaſſe dato; altero verò ex inſigni aliqua nota accepto: vt Ephrata, eadem Bethlehem, hoc eſt, domus panis dicta; ſic Damaſcus, Beth Ghedē, hoc eſt, voluptatis domus appellata eſt. Quoniā verò futurum erat vt Aſſyrius Rex, tū Damaſcenorum Regum familiā perderet, tum vrbem ipſam, vallemq. omnē, agrumq. popularetur; placuit numini rem omnē per Vatem eſſe prædictā, ne quis quicquam caſu aut fortuna fieri poſſe putaret. Neq. verò ſolùm regiam familiā, aut Damaſcenos ciues ſupplicio afficiendos eſſe prædicit: ſed omnē eam Syrorum gentē, quæ præterquā quòd tribus illis ſceleribus contaminata erat, regem etiam ſuum in clade Galaad ſecuta eſt, abducendam, perpetuòque eſſe exilio multandam canit. *Et transferetur populus Syriæ Cyrenen, dicit Dominus.*] Solent qui hoſtem fundunt, plerumque eundem aliò deducere; ſic enim ſpe redeundi interuallo intercepta, imperium ſtabiliri credunt. Hanc autem miſeriam Syros omnes ſubituros eſſe, Amos prænuntiat: omneſque in Cyrenen ab Aſſyriis fore abducendos. Duas autem hoc nomine, Quir, vrbes in ſacris libris legimus; alteram in Moabitarum regione, in Aſſyriorum verò regno alteram: quas tamen Chaldaica Biblia ſic diſtinguunt; vt Aſſyriam Quirne, Moabitidem Iſa.15.& 22
verò Quirtha nominent. Atque vtriuſque quidem Iſaias meminit, ſed vtram hoc in loco intelligere conueniat, res ipſa & Chaldaica interpretatio docet; nempe Quirnem, ſiue Cyrenen Aſſyriam: eò enim potius Syros ab Aſſyrio victore ſuperatos, quàm ad Moabitidem Quirthan traductos fuiſſe, putandum eſt. Nam ad Cyrenen Aphricanam Ægypto conterminam, Callimachi Poëtæ, & Eratoſthenis hiſtorici patriam, vt hanc rem referendam credamus, nulla nos ratio conuincere videtur. Quod verò ab hoc Vate prædictum eſt, id porrò eueniſſe ex ſacris hiſtoriis docemur. Aſcendit, inquit, Rex Aſſyriorum in Damaſcum, & vaſtauit eam, & tranſtulit habitatores eius Cyrenen, Raſin autem interfecit. 2.Reg.16.
At verò hic Damaſceni regni ignis Theglath-pelaſſar Aſſyriorum Rex fuit. Quod autem addit Vates, *dicit Dominus,*] dictorum, prædictioniſque veritatem & conſtantiam ſpectat. Etenim Dominus quæcunque dixerit, eadem euentu ipſo, & re præſtare, firmareque poteſt, & faciet; quoniam impoſſibile eſt mentiri Deum. Et non Deus volens iniquitatem Pſalm.5.
eſt, neque habitabit iuxta eum malignus, neque permanebunt ante oculos illius iniuſti. Sed ex multis Dei nominibus id hoc in loco vſurpatum à Vate eſt, quod Dei proprium magis eſſe cæteris conſtat, cuius præcipua quam interpretari poſſumus ratio, ad miſericordiam ſpectat. de quo dictum iam aliàs à nobis eſt: vt doceret nos Vates à Syris in Iſraëlitas impetum, Deo quidem ob correctionem permittente, factum fuiſſe, eodem tamen minimè probante, extremæ fuiſſe ſæuitum; ſed miſericordiæ viſcera tam immani crudelitate commota, atque ad vltionem fuiſſe excitata.

Hæc dicit Dominus, Super tribus ſceleribus Gazæ, & ſuper quatuor non conuertam eum: eò quòd tranſtulerit captiuitatem perfectam, vt concluderet eam in Idumæa. Et mittam ignem in murum Gazæ, & conſumet palatia eius.

PALÆSTINI præter tria illa omnibus gentibus communia ſcelera, quartum etiā contra ius admiſerant, quo ſibi ſupplicium accelerarēt. Hi ergo communis honeſtatis atque officij, & Iſraëliticæ iniuriæ cauſa, in crimen hoc in loco vocantur. Prima autem omnium ciuitas accerſitur *Gaza,*] ingens & munita admodum in Palæſtina vrbs, cui Perſicum diuitiarum nomen ex eo factum, antiqui auctores tradunt, quòd Cambyſes cùm Ægyptum armis peteret, huc belli opes & pecuniam intulerat. Perſarum autem lingua diuitiæ *Gaza* dicuntur: quod nomen & à Latinis etiam Poëtis eſt vſurpatum. eam autem Mela.lib.1. cap.11. Æneid.

vrbem

Gen. 10. Ioſ. 10. 11. &c. vrbem omnium in Paleſtina aliarum principem, munitiſſimamque fuiſſe frequenti ſui nominis in ſacris libris mentione arguitur. Vt autem quartum hoc ſcelus intelligamus, nomen ipſum ſceleris ad eam rationem reuocandum eſt, quam nos in ſuperioribus criminibus reddidimus, nempe defectionem eam eſſe à debita fide, aut ab ea quæ ſecundum naturam eſt æquitate. Igitur in diuini iuris præceptis vnum illud ſanctum, & ſummæ clementiæ plenum eſt; (atque hoc in loco diuinum ius dicimus id quod in ſacris iudicium nominatur: quod nomen rationem æquitatemque ſignificat, atque ob eam rem ad omnes homines qui iure atque æquitate ducuntur, pertinet) ne quis ſeruum, qui ex hoſtili, vbi captus detineretur, regno ad ſe, ſuumque populum, atque fidem confugerit, receptum, per fraudem dominis iterum tradat. Etenim cùm ſeruitus, non ex naturæ lege, ſed ex gentium more ſit, natura ipſa ad libertatis amorem, ſtudium atque curam, vnumquemque ducit, vel rapit potius. Vbi autem quis ab hoſte captus miſeræ ſeruitutis iugum, durumque dominum ferre non poteſt, & ſeſe profugiens magno committit periculo, ſi interim dum per hoſtilem regionem vagatur, fuerit comprehenſus; ius, æquitasq. poſtulare videtur, vt cùm in amicam & ſociam gentem euaſerit, benignè & clementer ſuſceptus conſeruetur potiùs quàm prodatur; & cedatur magis loco, quàm obſiſtatur eunti. Miſerrimam enim eius vitæ conditionem fuiſſe arguere poſſis, quam tantis periculis commutare quiſpiam quàm ferre maluerit. Hanc rationem, atque hoc ius nonnullæ olim nationes tenuerunt, atque nunc quædam etiam tenent; vt Galliæ regnum inter Chriſtianos, & inter diuerſæ religionis homines regna omnia; vt profugientes ad ſe ex alia ditione ſeruos tueantur, liberæque conditionis eſſe ſinant. Hoc inquam vnum ex diuinis præceptis, quæ iure æquitateque definiebantur, erat:
Deut. 23. Non trades ſeruum domino ſuo qui ad te confugerit: habitabit tecum in loco qui ei pla-
" cuerit, & in vna vrbium tuarum requieſcet, & ne contriſtes eum. At verò dum Iſraëlitæ
" cum Idumæis bellum gererent, quorum frequens mentio eſt, vt alij ab aliis in pugna caperentur (vt leui certamine ſæpe accidit) euenerat; atque ira nonnulli ex Iſraëlitis qui ab Idumæo hoſte capti fuerant, & miſeræ ſeruitutis tædio, & patriæ religionis atque conſuetudinis deſiderio affecti, ad Palæſtinos, qui inter Idumæam Iudæamque erant, confugiebant, quibuſcum vtrique populo communis eo tempore pax & amicitia erat: Palæſtini tamen occulto odio, & barbara crudelitate incenſi, à duris & inimicis dominis profugientes Iſraëlitas ad ſe receptos tenebant, Idumæiſque magis iam damno atque ira furioſis miſerrima deinceps ſeruitute opprimendos tradebant: qua in re non ſolùm naturæ, ſed etiam gentium ius violabatur: Namque iure, moreque gentium factum eſt, vt in prœlio atque in bello captis ſeruis vti liceret. at verò vt alio modo, ſiue vi, ſiue dolo, quiſquam capiatur, hoc nullum fas nullaque iura omnino permittunt. Maximam autem iniuriam eſſe, & omni graui ſupplicio vindicandam, ſi quis hominem, qui ſibi legitimè ſeruus non ſit, ſeruire coëgerit. Iuſtam etiam illato bello pœnas repetendi cauſam eſſe, vbi nullum aut bellum, aut prœlium interceſſerit, homines interclusos & captos fuiſſe: id ſi in vno atque altero commiſſum fuerit, dolus & flagitium eſt; quod illis fraudi eſſe poſſit, qui commiſerint. Si verò publicè ac paſſim fiat, publica atque manifeſta iniuria eſt. Perinde ergo in culpa eſt, qui confugientem ad ſe ſeruum capiat, & teneat, ac ſi nullo illato bello captiuos abduceret. Nam qui cum tibi nulla communis ad capiendum cauſa ratioque fuerit, eum capere nullo iure poſſis; cepiſſe tamen maximum fuerit piaculum. atque hoc nomine graue Palæſtinorum ſcelus erat, quòd eos in ſeruitutem redigerent, in quos nullum ius illis erat: deinde verò grauiſſimum, quòd profugientes, ſuamque fidem implorantes homines, quos ceperant, hoſtibus non redderent, ſed traderent. Atque ob eam rem dixit: *Eò quod ceperit captiuitatem perfectam:*] ſic enim Hebraicè. Perfectam autem captiuitatem non iure, ſed re intelligimus; hoc eſt, meram captiuitatem, apertam atque manifeſtam, quòd apertè ceperint eos, quos capere non licuiſſet; captos autem & comprehenſos Idumæis prodiderint. [*Vt concluderet eam in Idumæa.*] Idem verbum hoc in loco eſt atque in illo, Non trades ſeruum
סגר domino ſuo. Verbum autem eſt SAGAR, quod concludere, tradere, prodereque ſignificat. Accuſatione verò peracta pœnam ſcelere dignam in Palæſtinos conſtituit, & Gazam primam vt munitiſſimam totius regionis vrbem, & regni etiam robur; deinde & alias illuſtres etiam vrbes proſcribit, in quibus Aſcalona Palæſtinorum regiam. Erant autem vrbes hæ in primis illuſtres, & celebratiſſimæ Palæſtinis, quæ ſequenti verſu commemorantur.

Et perdam habitatorem de Azoto, & tenentem ſceptrum de Aſcalone: & conuertam manum meam ſuper Accaron, & peribunt reliquiæ Philiſthinorum, dicit Dominus Deus.

Ioſu. 11. PALÆSTINI ex genere Enachim erant, quos diuina hiſtoria ſæpe commemorat: & quæ

quæ propriè Palæſtina dicebatur, quinque maximis vrbibus,earumq́ue agris diuiſa,quin-
que etiam Satrapis olim gubernanda ceſſerat; quo nomine magni illius gentis Principes Ioſue 13.
dicebantur. Erant autem vrbes illæ, quas Deus ipſe Ioſue recenſebat: A fluuio, inquit, «
Sihhor,qui eſt ſuper facies Ægypti,vſque ad terminum Acharon, Boream verſus, Cana- «
neæ ſtirpi adſcribes; quinque regulos Palæſtinorum, Gazathæum, Aſdodæum, Aſcaloni-
tem, Ghethæum & Acaronitem: hanc eandem deſcriptionē breuibus Mela coēgit. Hinc, Mela lib. 1.
inquit, Palæſtina eſt,qua tangit Arabas cum Phœnice. Enachim quoque ex antiquo gi- cap. 11.
ganteo Cananæorum genere erat,qui totam illam terram poſſederant,quæ ab Hebron vſ-
que ad mare pertinebat. Hos Ioſue dux olim perdiderat, nulloſq́ue reliquos fecerat, præ-
ter eos qui Gazam,Gath & Aſdoth vrbes habitabant; namque his bellum illa tempeſtate Ioſue 11.
non eſt illatum, ſicut ſcriptum eſt: In illo tempore venit Ioſue,& interfecit Enachim de «
montanis Hebron,& Dabir,& Anab,& de omni monte Iuda & Iſraël, vrbeſq́ue eorū de- «
leuit. Non reliquit vllum de ſtirpe Enachim in terra filiorū Iſraël, præter ciuitates Gaza, «
Ghet & Azotha:in quibus ſolùm relicti ſunt.Hi verò qui reliqui in his vrbibus fuerant,in Ioſu. 15.
Iudæorum poteſtatem poſt mortem Ioſue deuenêre,ab Othoniële Calebi genero ſupera-
ti. Sed Samſonis temporibus cùm Iſraëlitarum res ob ſcelera atque impietatem deteri at- Iudic. 1.
que à Palæſtinis affligi cœpiſſent; Gaza, Aſcalon, & Accaron recuperatæ iam erant. Quo Iudic. 14.
verò tempore Samuel rem gerebat, multas Palæſtini vrbes ab Iſraële abſtulerant, ex qui- 1. Sam. 7.
bus eæ redditæ ſunt,quæ ab Accarone vſque ad Gazam erant; quas poſtea alijs atque alijs
bellis Iſraëlitæ amiſerunt,præter vnam Ghat,quæ in Iudæorum ditione permanſit, cuius
etiam gentis bona pars religionem ſuſcepiſſe dicitur. Cæteræ autem omnes vrbes ſemper
aut aperto, aut occulto odio Iſraëlitas proſecutæ ſunt, etiam quo tempore publicè pacem
cum illis haberent; vt dum inter Idumæos atque Iſraëlitas bellum eſſet. hanc autem gra-
tiā illis pro ſeruato genere Palæſtini referebant, vt aufugientes ad ſe pacis & ſalutis nomine
caperent,captoſq́ue traderent Idumæis. Quam verò vrbem Azotum interpres nominat,
non ea eſt,quam in Arabia ſecundùm mare ſitam, portum Arabibus celeberrimum fuiſſe, Mela lib. 1.
ex Geographis accepimus; ſed Palæſtinæ vrbs eſt Aſdod dicta, quam aliàs ſuo nomine & cap. 11.
literis Latinè etiam legimus. Aſcalonem porrò non minorem Gaza fuiſſe (quippe ſe-
des regia erat) multis ſacris & prophanis teſtimonijs compertum eſt. Hanc verò quæ à Va-
te Palæſtinis prædicta eſt ruina, quidam ex Ægyptijs Pharaonibus ſecundùm Ieremiæ va-
tis tempora parauit atque edidit, cuius in ſacris literis mentio quidem fit; plena tamen nar-
ratio, vt & multæ aliæ de gentium rebus hiſtoriæ, deſideratur. Deſunt enim Ægyptij, de-
ſunt Perſici, atque Aſſyrij & Medi libri, deſunt etiam & Phœnices plurimi, quibus huiuſ-
modi rerum rationes oportuit contineri. Nobis verò vt Vatis veritatem tueamur, certum-
q́ue oraculum fuiſſe aſſeramus, ſatis ſuperq́ue erit, Vatem ipſum aliàs veraciſſimum fuiſſe
expertos,& aliorum etiam Vatum prædictionibus rem eſſe confirmatam. Namque de ea- Sophon. 2.
dem hac calamitate,& cauſa tota Sophonias dixit: Verbū Domini ſuper vos Canaan terra «
Palæſtinorum,&c. Satis inquam ſuperq́ue hæc eſſent; & illud etiam abundantiſſimè vati-
cinij veritatem probaret, quòd omne hoc Palæſtinorum genus iam perierit, nullumq́. eius
nominis extet in ea regione veſtigium. Verum ſi tantæ calamitatis auctorem addiderimus,
cumulatè etiam nobis, officioq́ue noſtro ſatisfeciſſe videbimur. Igitur hæc Palæſtinis cla-
des à Pſalmitico Ægyptiorū rege allata eſt, cui in ſacris libris, & apud Ioſephū nomen eſt Herod. lib. 2
Pharao Necao, qui ſic fortaſſe dictus eſt, quòd patrem habuit Necum, vt Herodotus ſcri- «
bit: vel quòd, vt multi alij, binomius fuerit, vel cognomē potius ex euentu ſit ſortitus Clau-
di: namque ſic à Chaldæis interpretibus hoc cognomentum redditur; quæ ratio magis pla-
cet. Ab hoc quinquaginta & quatuor annis regni habenas tenente, multa præclarè geſta
ſunt: Nam præterquam quòd reſpublica incolis,& literis Græcis eſt aucta, bello etiam re-
gnum ſtrenuè eſt defenſum, atque Aſſyrij apud Magdalum, ſecundum Arabicum ſinū ſu-
perati ſunt. Ab eodem etiam & Gaza Palæſtinorum princeps vrbs oppreſſa eſt, ſicut ſcri-
ptum eſt: Et factum eſt verbum Domini contra Palæſtinos, antequam percuteret Pharao Ierem. 47.
Gazam. Iniit autem hic Pharao regnum anno mundi circiter ter milleſimo ducenteſimo «
octogeſimo quinto, quo tempore Atticorum reges defecêre, inter vigeſimam quintam & Euſeb.
ſextam Olympiadas; ſeptuageſimo verò & quinto à condita vrbe anno cùm Locri oppi-
dum in Italia ædificaretur. At verò excidium hoc Gazæ ab Amos Vate centum atque vn-
decim annis antè fuerat prædictum: Nam quod Zacharias de Gazæ, Aſcalonis & Accaro-
nis calamitate canebat, ad Alexandri pertinet hiſtoriam. Quod verò Vetes noſter ait, *&*
peribunt reliquiæ Palæſtinorum,] ad illud referendum eſt, quod ſuperius a nobis eſt dictū, Palæſti-
nos omnes à Ioſue primùm, deinde verò à Caleb & Othoniel fuiſſe deletos, præter eos qui
in Gaza, Geth,& Azodo relicti ſunt; qui tamen ingratiſſimi, imò potius moleſtiſſimi adeò
benefi-

beneficiorumq́ue immemores fuerunt, vt funditus perire ſint commeriti. Itaque hos antiquorum illorum Palæſtinorum,& filiorum Enach reliquias nominat (vt & alij etiam Vates) in contemptum. Nam & Ieremias acerbum calicem terræ Philiſthiim, & Gazæ, & Accaron, & reliquiis Azoti propinabat. Hinc porrò ſententiæ huiuſcemodi finem Vates facit, *dicit Dominus Deus:*] propterea quòd cauſa in iudicium ducta,& iure gentiū atq. æquitatis ponderibus æſtimata eſt; in qua non ſolùm miſericordem, ſed ſeuerum etiā iudicem ſeſe Deus præbuit,eamq́. iniuriam vlciſci voluit, quā non modò Iſraël,ſed nulli etiam barbariſſimæ genti impunè eſſe illatam pati oportuit. Quamobrem & nomina Adonai,& Elohim, quorum alterū miſericordiā,alterum iuſtitiam indicat, appellauit. Namque grauiſſimorum facinorū & ſceleris quamcumq. in gentem ea admittantur, vindicem ſe Deus
Pſalm. præbere conſueuit, ſicut ſcriptum eſt: Neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos.

Sic dicit Dominus, Super tribus ſceleribus Tyri, & ſuper quartum non conuertam eum: eò quòd concluſerint captiuitatem perfectam in Idumæa, & non ſunt recordati fœderis fratrum. Et mittam ignem in murum Tyri, & deuorabit palatia eius.

Iſai.23. Mela lib.1. cap.12. PHOENICIAM olim illuſtrauere Phœnices, ſolers hominum genus, & ad belli, paciſque munia eximium: in ea Tyros antiqua vrbs aliquando inſula fuit, poſtea terra continens, quando ab impugnante quondam Alexandro iacta ſunt opera; nunc præter portum & antiquum nomen Sur nihil reliquum in ea eſt. Ter enim vaſtatam legimus: à Nabucho-
Iſa.23. donoſore primùm; ſecundò ab Alexandro; poſtremò autem dum Chriſtiani tenerent, à
Hier. 27.47. Turcis capta,& ſeruato portu diruta eſt. Eius vrbis ſitum, firmitatem, & ſplendorem om-
Ezech.26. nem apud prophetas legere & cognoſcere eſt. Inter Phœnices autem & Iſraëlitas ſumma concordia & pax Regibus Salomone & Hirano fuerat olim conciliata, quam vtrimq. mutuò ſeruare ſemper, fouereq́ue oportuit: Non enim ſolùm pacis, ſed ſocietatis, & fraternæ etiam neceſſitudinis, fideiq́ue teſtes dextras ſibi inuicem tetenderant. Iſti tamen tribus illis communibus omnium gentium ſceleribus quartum id etiam addiderunt, quo Palæſtini notati ſunt; tantò tamen grauius, quantò ſanctiora neceſſitudinis vincula violarunt; quòd Iſraëlitas dolo malo & fraude captos, Idumæis partim tradiderunt, & filiis etiam Græcorum in Italiam aſportandos vendiderunt. Diuerſa enim in hoc loco & in ſuperiori oratio variam nobis etiam indicat ſententiam. Nam Palæſtini captiuabant captiuitatem perfectam quam traderent Idumæis. Phœnices verò non ſolùm hoc modo, ſed furto etiam & dolo nocebant, venienteſq́ue ad ſe Iſraëlitas commercij etiam cauſa ſecuros ac nihil tale opinantes opprimebant, celabant,& non captiuos, ſed pro captiuis vendebant; idq́ue Græcis finitimis, à quibus in Italiam, ad Idumæos traducebantur. Conſtans enim omnibus Hebraicis hiſtoriis traditio eſt, magnam Italicæ gentis partem, maximè autem eos qui Romæ habitabant, ex Idumæis fuiſſe oriundos. Huius autem loci ſententiam quam nos recondi-
Ioel. 3. tiori ſenſu explicabamus, Ioël ſimpliciter expoſuit: Et nunc quid vobis & mihi Tyrus &
„ Sidon omnis terminus Palæſtinorum? Nunquid vltionem vos reddetis mihi?& ſi vlciſci-
„ mini vos contra me, citò velociter reddam viciſſitudinem veſtram ſuper caput veſtrum.
„ Argentum enim meum & aurum abſtuliſtis,& deſiderabilia mea & pulcherrima intuliſtis
„ in delubra veſtra,& filios Iuda,& filios Hieruſalem vendidiſtis filiis Græcorum, vt longè faceretis eos à finibus ſuis. Hoc igitur grauiſſimum in ſe ſcelus Tyri admiſerunt, nō vt aperta manu captiuarent captiuitatem perfectam, ſed vt dolo, & pacis atque ſecuritatis ſimulatione comprehenſos & occultatos, pro perfectè captiuis traderent & venderēt Idumæis, cùm iis qui prope finitimi erant, tum illis qui interiecto mari longiùs habitabant. Hebraicè enim ſic legimus: *eò quòd tradere fecerunt captiuitatem perfectam Edom: & non meminerunt fœderis fratrum.*] Non modò enim naturæ & gentium iura, ſed ſancta etiam ſocietatis & fraternæ neceſſitudinis fœdera, iam olim inter ſe icta, nefariè violata ab eis ſunt, ſicut ſcriptum eſt:
3.Reg.5. Et erat pax inter Hiram & Salomonem, & percuſſerunt ambo fœdus. fraternum autem
„ illud fuiſſe fœdus alia item ſcripta teſtantur: Et dixit Hiram ad Salomonem: Hæcine ſunt
„ ciuitates quas dediſti mihi frater mi? Ex tribus autem illis Tyri cladibus ſuperius relatis,
„ quam Vates prædicit, ea eſt quæ à Nabuchodonoſore fuit allata: Nam quam Alexander
Ierem.27. attulit, eam planè Iſaias prædixit; Ieremias autem hanc de qua nunc ſermo eſt: Namque legatis, quos etiam ad Tyri regem Vates cum fatalibus portentoſiſq́. vinculis miſerat, hu-
Ierem.27. iuſmodi ſeuera mandata tradidit. Et nunc itaque, dicit Dominus, ego dedi terras iſtas om-
„ nes in manu Nabuchodonoſoris regis Babylonis ſerui mei. Et apud Ezechiëlem: Et diſſi-
Ezech.26. pabunt muros Tyri,& deſtruent turres eius,& radam puluerem eius de ea, & dabo eam in
„ limpidiſſimam petram. Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego adducam ad Tyrum Nabu-
„ chodonoſor regem Babylonis, ab Aquilone regem regum, &c. Tyrij igitur & Palæſtini
hacte-

hactenus in communia crimina, & in quarti etiam criminis ſimilem quidem, diſparem ta-
men culpam vocati ſunt.

*Hæc dicit Dominus, Super tribus ſceleribus Edom, & ſuper quartum non conuertam eum: eò quòd gladio per-
ſecutus ſit fratrem ſuum, & violauerit miſericordiã eius: & tenuerit vltrà furorem ſuum, & indignatio-
nem ſuam ſeruauerit vſque in finem.*

EDOM Iacobi frater fuit, à parentibus Eſau dictus, à fratre autem ob primogenituræ Gen. 25.
iuris venditi monumentum cognominatus Edom. is contra parentum conſilium atq. ſen-
tentiam Seghiritarum gentium connubiis atque affinitatibus deuinctus filios nepoteſque
ſuos religionis & veræ pietatis expertes effecit. odium autem quod aduerſus Iſraëlem fra-
trem conceperat, poſteris ſuis reliquit hæreditarium; à quibus (quacunque id occaſione fie-
ri potuit) expromptum ſemper fuit. Igitur præter cõmunia illa tria ſcelera, quarto etiam
Idumæi ſeſe validiſſimè alligauerunt, quòd ſemper Iſraëlitis fratribus ſuis, ex eodem pro-
gnatis genere, animis, armiſque infeſti fuerint. *& gladio perſecutus eſt fratrem ſuum.*] Cùm Iſraë-
liticæ per deſertum peregrinationi finis iam & modus Dei beneficio accederet, iamque
prope optatas & promiſſas oraculo ſedes deuentum eſſet, via autem per Idumæam eſſet
commodiſſima, legati à Moſe ad Idumæos de libero atque innocenti tranſitu mittuntur:
quibus huiuſmodi æquitatis, humanitatis, religioniſque plena, atque ad fraternam miſeri-
cordiam commouendam ſatis idonea mandatur oratio: quam, quia huic loco explicando
planè conuenire arbitramur, referre non piguit: Hæc mandat frater tuus Iſraël: Noſti om- Num. 20.
nem laborem qui apprehendit nos, quomodo deſcenderint patres noſtri in Ægyptum, & “
habitauerimus ibi multo tempore: afflixerintque nos Ægyptij, & patres noſtros; & quo- “
modo clamauerimus ad Dominum, & exaudierit nos, miſeritq. angelum qui eduxerit nos “
de Ægypto. Ecce in vrbe Cades, quæ eſt in extremis finibus tuis, poſiti: obſecramus vt no- “
bis tranſire liceat per terram tuam, non ibimus per agros, neque per vineas; non bibemus “
aquas de puteis tuis, ſed gradiemur via publica neque ad dexteram, neq. ad ſiniſtram de- “
clinantes, donec tranſeamus terminos tuos. Sed planè Edom nullũ nec pietati, nec miſeri-
cordiæ, nec religioni, neque precibus vllis locũ reliquit: Nam & reſponſo reddendo, & ſtu-
dio ipſo, atque conatu omni ita rem fratris egit, vt non maiori quiſquam hoſtis inimicitia
agere potuerit. Non tranſibis per me; alioqui, inquit, armatus occurram tibi. Neque verò “
ſecundò etiam rogantes, omnemque innocentiam pollicitos, incommoda omnia & dam- “
na abiurantes, mitius aut humanius excepit; imò vltrò armis belloque obuius factus con-
uertere iter coëgit. Non tranſibis, inquit, ſtatimque egreſſus eſt obuius cum infinita multi-
tudine & manu forti; nec voluit acquieſcere deprecanti, vt daret tranſitum per fines ſuos:
quamobrem diuertit ab eo Iſraël. Hoc grauiſſimum ſcelus ſeſe Deus non diſſimulaturum
prædicit; flagitioſiſſimum enim eſt naturę iura violaſſe, & omnis neceſſitudinis ſanctitatem
polluiſſe. Ob eam rem ſubdit, *& violauerit miſericordiam eius:*] Debitam fratri miſericordiam,
quam is non ſolùm naturæ legibus promerebatur, ſed ſupplici oratione atque reperita ob-
ſecratione captauerat: tamen crudelitatem odiumque diuturnum, quod in Iſraël Eſau iam
inueteratum habebat, ſaturare ſemper cupiuit; idque indies auctum commodiſſimo quo-
que tempore depromſit. Cauſſa autem odij fuerat, quòd Iſraël emptam ſibi à fratre pri-
mogenituræ dignitatem, à patre confirmandam curauiſſet, ſicut ſcriptum eſt: Oderat ergo Gen. 27.
ſemper Eſau Iacob pro benedictione qua benedixerat ei pater. Illud ſemper etiam à filiis “
poſteriſq. eius protractum eſt, qui non minore odio, inuidia, & crudelitate Iſraëlitas pro-
ſecuti ſunt, quàm olim Eſau Iacobum, cùm diceret: Venient dies luctus patris mei, & occi- “
dam Iacob fratrem meum; hoc eſt quod dicit; *& tenuerit vltrà furorem ſuum, & indignationem ſuam
ſeruauerit vſque in finem.*] Nam ſi maxima doloris cauſſa eſſet, quòd ſibi eam dignitatem
amiſſam intelligeret, nulla tamen erat tam diuturni in fratrem odij, qui à ſe deſpectam
emiſſet, emptamque iure ſuo curaſſet tuendam. Cùm ergo furor, qui breuiſſimus eſſe de-
buit, tamdiu altus atque auctus, nunquam conſediſſet; diuinam etiam in ſe iram conciuit,
& pœnas grauiſſimas eſt molitus.

Mittam ignem in Theman, & deuorabit ædes Boſra.

THEMAN & Boſra maximæ in Idumæorum regione vrbes erant. hæc Eſau antiquior,
& regum qui ante ipſum fuerant, nobilis patria: illa verò à Theman, Eſau ex Eliphaz ne- Gen. 36.
pote, cuius dux ipſe fuit, nomen accepit: his prædictum incẽdium ad omnem pertinet Idu-
mæam. Ad regem etiam Edom vincula à Hieremia miſſa ſunt, quæ venturam illis à Na- Hier. 27.
buchodonoſore calamitatem, miſeramque ſeruitutem portenderent. Huius ergo incendij
auctorem Aſſyriorum regem fuiſſe intelligimus; qui diuini conſilij ad perdendas punien-
daſque gentes miniſter fuit, ſicut ſcriptum eſt: Fortem vt corriperes, fundaſti eum. De Habac. 1.
Theman verò & Boſra frequens apud vates mentio eſt.

Hæc dicit Dominus, ſuper tribus ſceleribus filiorum Amon, & ſuper quartum non conuertam eum: eo quod diſſecuerit prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum ſuum.

Ioſue 13. AMMONITÆ ab Ammon Lothi ex guata filio orti, vicinas, finitimaſque Gaditis &
Galaaditis ſedes habuerunt. Nam ab Arabiæ vrbe Amon, vſque ad montes Galaad, loca
omnia occupauerant. Hos præter alia ſceleta, proiecta quædam & inſatiabilis habendi cu-
piditas ad alienas res appetendas, tentandaſque impulerat: adeò vt ſuis agrorum, regionis-
que finibus non contenti, vicinorum Galaaditarum terminos diſſiparẽt, & obiectos etiam
montes abrumpentes, agros contra ius, contraque fas occuparent. Etenim ex his quæ Mo-
ſes nefaſta, vitioſa, diraque deuinxit, vnum hoc ſcelus eſt: Maledictus, inquit, qui transfert
Deut. 27. terminos proximi ſui. In huiuſmodi igitur dira & vitioſa cùm Ammonitæ incidiſſent, ſup-
plicium tribus aliis ſceleribus debitum ſibi ipſi maturauerunt. [*Eò quòd diſſecuerunt prægnantes
Galaad.*] Hebraicè vox eſt HAROTH, quæ & montes & prægnantes ſignificat: atq. ver-
הרות bum quidem HARA propriè & concipere & grauidam eſſe interpretamur: ex hoc verbo
nomen HARA pro femina vterum gerente deductum eſt; & nomen etiã HAR pro mon-
te. Quoniam vt feminæ fœtibus, ſic etiam montes ſaxis, lapidibus, mineralibus, aquis, &
aliis humoribus grauidi, prægnanteſque ſunt. Itaque nomen, *prægnantes*, montes interpre-
tamur: quos operibus magnis Ammonitæ ruperant, vt in alienos Galaaditarum agros, qui
montibus illis ſeiungebantur, nullo iure inuaderent; ac ſi illis ſolis terra omnis habitanda
ceſſiſſet; neque eſſent quibus ea pars quam occupabant, legitimè coli poſſet. hanc eandem
Ieſai. Hier. 49. cauſam Hieremias Vates ſic egit: Ad filios Ammon hæc dicit Dominus; Nunquid non filij
„ ſunt Iſraël? aut hæres non eſt ei? Cur igitur hæreditare poſſedit Rex eorum Gad, & popu-
„ lus eius in vrbibus eius habitauit? At verò Gad & Galaad ad eundem pertinent ſitũ: Nam-
que Galaadires regio vltra Iordanem eſt, in qua Gaditæ & Reubenitæ conſederant. Quod
ſi *prægnantes* ſimpliciter accipere pro feminis placeat, dicendum eſt, Ammonitas bello in Ga-
laaditas irrupiſſe, & victos à ſe crudeliſſimè necaſſe, ruptis etiam feminarum vteris, ne quis
ſuperſtes, & agrorum, pro quibus bellum geſſerant, hæres relinqueretur: ſed tamen reliquis
Iſraëlitarum tribubus ſuperſtites erant hæredes, quibus vacua cultoribus Gaditis poſſeſſio
iure cederet, vt ait Hieremias. Locus tamen ipſe, & Hieremiæ oratio, ad montium magis
quàm ad feminarum interpretationem ſpectare videtur. Declaratur enim ingens Ammo-
nitarum cupiditas, & ardentiſſimum aliena occupandi ſtudium, quòd etiam impedientium
montium obices magna mole, maximiſque operibus diruerint, vt agros dilatarent ſuos.
Neque quicquam obſtat, quo minus vtrumque poſſimus intelligere, & montes videlicet
ruptos, & bello illato grauidas etiam feminas fuiſſe diſſectas.

Et ſuccendam ignem in muro Rabbath, & deuorabit ædes eius in vlulatu in die belli, & in turbine in die commotionis.

RABBA Ammonitarum vrbs, quam nomen ipſum amplam frequentemque fuiſſe in-
dicat, finitima Gaditis fuit, qui Galaaditem regionem à Moſe acceperant, ſicut ſcriptũ eſt;
Deditque Moſes tribui Gad & filiis eius per cognationes ſuas poſſeſſionem, cuius hæc eſt
Ioſue 13. diuiſio: Terminos Iazer, & omnes ciuitates Galaad, & dimidiam partem terræ filiorũ Am-
„ mon vſque ad Aroër quæ eſt contra Rabba. Ex hac ergo ciuitate impetus in Galaaditidem
„ agrum, vt ex finitima, fieri ſolebat: quamobrem huic vt infeſtiſſimæ, in regno atq. in bello
principi ruinam minatur Vates. Ruinam autem tumultuoſam, calamitoſique & ſubiti æ-
ſtus plenam, quòd hoſtes magno impetu, & inſano tumultu per ſummam crudelitatẽ rem
Hier. 49. eſſent acturi, nulli neque ordini, neque ætati aut ſexui parcentes, quemadmodum & Hiere-
„ mias ait: Ideo ecce dies venient in te, dicit Dominus, & auditum faciam ſuper Rabba filio-
„ rum Ammon fremitum prœlij, & erit in tumultu diſſipata, filiæque eius in igne ſuccenden-
„ tur: & poſſidebit Iſraël poſſeſſores ſuos, ait Dominus. [*& in turbine in die commotionis.*] Expo-
ſitio eſt qua bellicus ille tumultus, & calamitoſa ſtrages exaggeratur: namque magnæ ac
turbulentæ in mari tempeſtati perſimilem fore dicit, in qua nullus artis, nullus cõſilij, nul-
lus fugæ vſus, ſed clamoris tantùm, & miſerabilis, parumq. virilis eiulatus horror eſt, ſicut
Pſalm 106. ſcriptum eſt: Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum deuorata
„ eſt. Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, &c. Commotionem autem idem
„ quod procellam interpretamur; nam hæc verbi vis genuina eſt.

Et ibit Melchom in captiuitatem, ipſe & Principes eius ſimul, dicit Dominus.

CONSVEVERE nonnunquam vates cùm exitium, migrationem, atque extremam
captiuitatem gentibus populiſque minantur, Deos etiam, quorum tutela & patrocinio illi
fiderent, eadem calamitate inuoluere, vt vna Deorum vanitas, & populorum arguatur ſtul-

titia

ſtia. Sic Iſaias: Contritus eſt Bel, contritus eſt Nabo: facta ſunt ſimulachra eorum beſtiis. Iſai 47.
Hunc autem eundem locum & Amos tractat, qui parem exitum Ammonitarum diis, ſacerdotibus, populoque prædicit. Neque verò ex nihilo eſt quòd Latinus interpres nomen, vt Hebraicè erat, reliquit: Melchom, cuius nominis gemina ſignificatio eſt: aut enim regē, aut angelum, ſiue nūtium ſignificat. Ex quo factum eſt vt quidam regem eorum interpretarentur, neque tamen regem hominem intelligerēt, ſed Deum quempiam eſſe ſuſpicarentur. Huius ſententiæ D. Hieronymus fuiſſe nobis videtur: qui niſi huiuſmodi quiddā ſentiret, ſacerdotes pro Principibus non poſuiſſet; quod rectiſſimè quidem fecit. Nos igitur rem ipſam aperientes Melchom angelum ſiue nuntium eorū dicimus; quòd ſanctiſſimum apud Ammonitas numen Mercurius, Stephano Geographo auctore, haberetur; quem Malech, vel Malcho appellabant, quòd animarum ductorem eſſe crederēt, immortaliumque Deorum nuntium. Id verò numen his nominibus non ſolùm Græciæ, ſed barbaris etiam gentibus celebre erat. Quamobrem D. Paulus à Lycaonibus pro Mercurio Deorum interprete, verbique & orationis duce eſt habitus. Diis autem nomina non eadem apud omnes gentes erant, ſed alia apud alias, pro linguarum, ſermonūque, & pro numinis etiam rationibus habebantur: vt ei quem Latini Mercurium à mercibus, mercatoribusq́. tuendis vocabant, Græcum nomen Hermes, hoc eſt interpres fuit: quem aliàs etiam Angelum, ſiue nuntium Homerus Pindarusque cognominant, eandem omnino cum Ammonitis rationem ſecuti. Huius Dei, ſiue Dæmonis, ſiue potius nihili, numina omnia Latinus Poëta hymno edita ſignificabat.

Stephanus. — Actor. 14 — Horat. lib. 1.

Te canam magni Iouis & Deorum Nuntium, &c. Et paulo inferius:
Tu pias lætis animas reponis Sedibus, virgaq́; leuem coërces Aurea turbam, ſuperis Deorum Gratus & imis.

IBIT igitur in captiuitatem eorum Angelus, Deorumque interpres Mercurius, [*& Principes eius;*] hoc eſt, vt Hieronymus dicit, ſacerdotes: Nam verbum Hebraicum miniſtros ſignificat: & populus eius, quòd nec Deus populo ſuo, nec populus Deo ſuo auxilio eſſe potuerint; ſed ne pientiſſimi etiam erga propria numina ſacerdotes periculum aut prædicendo cauere, aut ſacrificando ſupplicandóve, valuerint deprecari. Idem ipſum & Hieremias prædicit: Accingite vos ciliciis, plangite & circuite per ſepes: Quoniam Melchum in tranſmigrationē ducetur; ſacerdotes eius & principes, hoc eſt miniſtri eius, ſimul. Satis autem ſcita irriſio in Melchum; quòd qui deorum hominumque nuntius ſit, tamen capiendus, abducendusque fuerit, cùm naturæ lege, gentiumque more, nuntiis & interpretibus liberum ſemper ius, immunisque ratio, atque legatio ſit: tamen quem pacis interpretē, & nuntium, curatoremq́. ex officij & numinis ratione eſſe oportuit, is primus captiuus ducatur, vt nulla populis qui in eius tutela fuerant ſalutis reliqua ſpes ſit. Antiquum autē fuit cum eorū qui victi fuerant ſpoliis deorum, etiam quæ ab ipſis colerentur ſimulachra à victoribus in perpetuum ignominiæ monumentum deportari. Ita Pœni quibuſdam Siciliæ oppidis captis atque deletis, omnia quæ ornamento vrbibus eſſe poſſent Carthaginem deportauerunt, in quibus Dianæ ex ære ſimulachrum, ſumma apud Segeſtanos atque antiquiſſima præditum religione; & Mercurij etiam ſignum, qui ſacris anniuerſariis à Tindaritanis, ac ſumma religione coleretur; aliasque plurimas deorum ſtatuas, quas P. Africanus, capta demum Carthagine, ſuis vrbibus reſtituit. Ita numina illa calamitatibus, tumultibusq́. bellicis obnoxia erant, vt & à victoribus deportarentur, & redemptorem aliquem, à quo reſtitui in antiquas ſedes poſſent, deſiderarent.

Hier. 49. — Cic. in Ver. act. 6.

CAPVT SECVNDVM.

HÆC *dicit Dominus, Super tribus ſceleribus Moab, & ſuper quartum non conuertam eum? eò quòd incenderit oſſa regis Idumææ vſque ad cinerem.*

MOABITÆ ab eodem cum Ammonitis patre, altera verò matre, Lothi etiam natu maiore filia oriundi fuerunt. Fuit autem his Moab pater, à quo vrbs primùm, deinde & regio tota nomen accepit, ſolo ipſo vinearum feraciſſimo terra fuit, Amorrhæorum antea poſſeſſio. Euſebij temporibus vrbs Moab Areopolis dicta fuerat: vicinas autem Ammonitis Moabitæ ſedes habuerunt. Hos ob tria illa communia gentium ſcelera, vanum cultum, inceſtum, & homicidium grauiſſimo ſupplicio dignos ob quartum tandem afficiendos prædicit Vates. Quarti verò expoſitionem, quòd paulò difficilior inuentu ſit, certis quibuſdam rationibus inueſtigabimus. Cauſa autem huiuſmodi eſt: *eò quòd incenderit oſſa regis Idumææ vſque ad cinerem, vel, vſque ad calcem:*] nomen enim

Ioſue 15. Camhi. Euſeb.

Hebraicum calcem magis, quàm cinerẽ ſignificat. Dictum nobis in ſuperioribus fuit omnes has gentes in crimen fuiſſe à Deo vocatas, quòd à ſingulis quartum aliquod ſcelus inſigne, indignumq́ue facinus aduerſus Iſraëlem fuerit admiſſum, ita vt quicunque ex finitimis populis vel nocuerunt, vel vt Iſraëli noceretur effecerunt, in iudicium fuerint vocati: atque prima Damaſcus rea conſtituta eſt, quòd infeſtiſſimum atque ignominioſiſſimum bellũ attulerit Galaaditis: ſecunda Gaza: & tertia ſimul Tyrus, quòd icti cũ Iſraël fœderis iura violauerint, atque Idumæis captos Iſraëlitas prodiderint. Deinde verò Idumæorum facta mentio, & cauſa expoſita quamobrem Iſraëlitas promiſſam regionem occupaturos impedire fuerint conati; nimirum quòd mala mente maloq́ue aduerſum fratrem ſuũ animo iam olim fuiſſent, occultoq́ue ſemper, & ſæpe etiam aperto flagrarent odio. Itaque Damaſcenos & Idumæos bellum cum Iſraëlitis grauiſſimum geſſiſſe intelligimus; cæteras verò gentes his bellis cauſæ, vel occaſioni, vel etiam auxilio fomentoq́ue fuiſſe: Ammonitæ enim in Iſraëlitarum agros inuadentes, exemplo commoditatiq́ue Damaſcenis fuerũt, vt impetus in finitimos Galaaditas fieret, quorum res ipſi primùm detriuerant montibus abruptis, & prægnantibus etiam feminis diſſectis. Bellum autem ab Idumæis illatum Gazitis & Tyriis, facillimũ ad captiuos Iſraëlitas abducendos atque tradendos patefecit aditum. namque turbatis ea tempeſtate rebus, minus caueri ea iniuria, minus vnde illata eſſet, cognoſci, & minus ab iis quibus inferebatur, declinari aut vindicari poterat. Nunc verò quæ occaſio Idumæis fuerit, quæ cauſa, vt initum cum Iſraëlitis fœdus violauerint, atq. ad antiqua odia depromenda denuo redierint, hanc occaſionem Vates perſequitur. Ea autem res ſic habet: Idumæi & Iſraëlitæ atque Iudæi fœdus inierant, dextraſq́ue ſibi mutui auxilij atque ſocietatis tetenderant: idq́ue Elizæi vatis temporibus, cùm Ioſaphat Iudæis, Ioram verò Iſraëlitis imperarent. namque ea tempeſtate tres hi reges ſimul coactis in vnum copiis, bellum cum Moabitis ob negata Iſraëli tributa ſuſceperunt; resq́ue illis ex ſententia geſta erat, niſi Moabitarum rex iam deſperata ſalute in Idumæos irrumpens grauiſſimam commentus eſſet rem. Nam regis Idumæorum filium eo congreſſu arreptum, abductumq́ue ſuper murum paterno in conſpectu combuſſit: quòd hoc modo vel deos placari, vel patris impetum frangi, vel ſuam iram ſatiari poſſe putaret. Neque verò opinionem fefellit euentus: Etenim Idumæorum rex duriſſimo ac nefario perturbatus ſpectaculo (vehementiſſimum enim huiuſmodi dolorem eſſe diuina Philoſophia docet, ſicut ſcriptum eſt: Vt qui ſacrificat filium in conſpectu patris, &c.) & Moabitarum penè iam captam obſidione vrbem reliquit, & animum ab omni alia cogitatione ad antiquas erga Iſraëlem inimicitias atque odia, bello & armis perſequenda traduxit: deteſtabile ſibi id omen interpretatus, regnoq́ue ſuo exitiale, quod quibuſcum antiquas geſſiſſet inimicitias, cum iis modò ſocietatem mauſpicato fœdere confirmaſſet, ſicut ſcriptum eſt: Quòd cùm vidiſſet rex Moab præualuiſſe, ſcilicet hoſtes, tulit ſecum ſeptingentos viros educentes gladium, vt irrumperent ad regem Edom, & non potuerunt. arripienſq́ue filium eius primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, incendit eum holocauſtum ſuper murum; & facta eſt indignatio magna in Iſraëlem, ſtatimq́ue receſſerunt ab eo, & reuerſi ſunt in terram. Quoniam autem non ſolùm pueri caro, ſed oſſa etiam contumelioſiſſimè combuſta, in cinerem calcemq́ue redacta ſunt, vt nomen holocauſti indicat, ait Vates: *Vſque ad calcem.*] Chaldæus verò interpres antiquæ auctoritatis ſcriptor, iniuriam etiam vlterius proceſſiſſe ait: Nam quòd calcem potius, quàm cinerem Vates dixerit, ſic ille interpreratus eſt: vt cinere ex oſſibus pueri facto, qui ob materiæ duritiem tenacior eſſe, calciſq́ue ſubire vſum potuit, tectorium muris induci, Moabitarum curauerit rex. Sic enim ille interpretatur: *eò quòd incenderit oſſa regis Edom, & extenderit ea in tectorium in ædibus.*] Hæc igitur ſocietatis dirimendæ, incendendæq́ue inimicitiæ cauſa Idumæis fuit: quam cauſam Moabitarum Rex crudeliſſimo commento excogitauerat. Itaque Moabitæ Idumæis violandi erga Iſraëlem fœderis auctores fuerunt. Idumæi verò Phœnicibus & Palæſtinis abducendi, vendendiq́ue Iſraëlitas occaſionem, commoditatemq́ue crearunt. Hanc igitur Moabitarum grauiſſimam culpam grauiſſima etiam pœna ſecutura fuit.

Marginal notes: Eccle. 34. (beside "tiſſimum enim huiuſmodi dolorem…"); 4.Reg 4. (beside "tem mauſpicato fœdere…").

Et mittam ignem in Moab, & deuorabit ædes Carioth: & morietur in ſonitu Moab, in clangore tubæ, & diſperdam iudicem de medio eius, & omnes Principes eius interficiam cum eo, dicit Dominus.

CARIOTH regia Moabitarum ciuitas, calamitatem belliq́ue cladem cum iudice ſuo hoc eſt rege, (cui ab officio iudicis fuerat cognomen) & cum toto magiſtratu acceptura cùm ſit, cæteras minores, minuſq́ue munitas vrbes periculum non eſſe euaſuras confirmabit: qua in re diuinum iudicium & conſilium ſpectare oportet, quo humanæ cogitationes, commenta atque ſtudia excidi, impedíriq́ue perſæpe ſolent. Nam qui exuſto Idumæorum

regis

regis filio, ſecuritate perpetua frui ſperauerant, & nec ab Iſraële, nec ab Edom ſibi timendum quicquam putauerant, commento eodem maiorem ſibi & grauiorem cladem moliti ſunt; imò etiam mortem acerbiſſimam: Nam bello ac militari ſtrepitu & crudelitate Moabitæ cum rege magiſtratibusque ſuis peribunt. Sic etiam Ieremias: Iudicium venit in terram campeſtrem, & ſuper Helon, &c. & ſuper Carioth, & ſuper Boſra, & ſuper omnes ciuitates Moab, quæ longè & propè ſunt. Carioth autem multitudinis numero vrbes ſignificat: Sic enim quibuſdam locis plurale nomen eſt, vt Athenę, Thebæ & Burgi. Ex his autem Amoſi vatis ſermonibus, vt ex aliis etiam diuinorum librorum locis, didicimus, præter tria illa communia gentium omnium nefaria ſcelera, vani cultus, inceſtus & homicidij, quæ ſponte & ſummo ſtudio ſuſcepta ab eis ſunt, hæc etiam ſex grauiſſima flagitioſiſſimaque eſſe, & quæ diuinam vltionem in gentibus, atque ex legibus, nationibus moliantur: nempè inhumanam in eos qui victi illegitimo bello fuerint, ſæuitiam, fœderis violationem, captiuorum ſine bello abductionem atque proditionem, iniquã fraternæ neceſſitudinis & coniunctionis proditionem, iniquam inimicitiarum inter eos qui naturæ & volũtatis coniunctione inter ſe conueniunt, procurationem. quibus in rebus magnus ſe ad dicendum campus, eloquentiſſimo cuique Theologo, magnus inquam ad communem vitam inſtituendam aperit, quem percurrere noſtri nunc inſtituti non eſt; ſed tempus eſt, vt relictis gentibus Vatem ad ſuos ſe recipientem, verbaque facientem audiamus. Ierem. 48.

Sic dicit Dominus, Super tribus ſceleribus Iuda, & ſuper quartum non conuertam eum? eò quòd abiecerit legem Domini & mandata eius non cuſtodierit.

NE ſuam cum aliarum gentium cauſa Iſraël conferendam non eſſe defenderet; quòd aliæ nationes indignæ eſſent, quæ cum eo compararentur, vtpote incircunciſæ, obſcuræ, dignitateque minores, quòd ſi paria maximè ſibi & illis ſcelera fuiſſent, longè tamen diſparem perſonarum eſſe rationem . quamobrem non idem criminis atque iudicij genus omnes fore ſubituros: Multum enim refert an priuatus aliquis obſcuruſque homo, an illuſtris, nobiliſſimusque in idem vocetur crimen. Huic propter perſonæ dignitatem magis eſſe ignoſcendum; illi verò ob vilitatem & obſcuritatem non eſſe parcendum. Nihil igitur ad ſe pertinere, quæ de aliis gentibus ab Amos prædicerentur; ſe enim populum eſſe præ omnibus aliis orbis nationibus electum, maximiſque honoribus illuſtratum; cuius res tanta mole, tanto olim conſilio, iudicioque firmatæ, non ita facilè, vt cæterarum gentium, perire poſſent. Ne ergo Iſraël hac ratione iudicium ſibi effugiendum putaret, Iudaicarum etiam rerum, culpæ, criminis & pœnæ futurum exemplum Vates appoſuit, vt hoc argumento diuini iudicij probaretur æquitas: Nullam namque Deus in iudicio perſonam reſpicit, neque humanis illis rationibus, genere, nobilitate, opibus, potentiis, & antiquitate ducitur; ſed ſi paria omnino ſcelera, diſpareſque perſonæ ſint, eum grauius punit, quem minus vt puniretur commiſiſſe decuerat, ſicut ſcriptum eſt: Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro vitæ. & rurſum: Potentes, inquit, potenter tormenta patientur. Producitur autem Iuda in iudicium populus non obſcuriori quidem quàm Iſraël genere, multis autem & maximis honoribus longè illuſtrior; namque ex eodem patre cùm omnes duodecim tribus ortæ eſſent, tamen Iudæ primogenituræ ius, & princeps in fratribus ſors, regiaque dignitas ceſſerat: adde vrbis maximæ dignitatem, templi, ſacrorumque honorem, & legis cuſtodiam: quibus in rebus omnibus Iudaica tribus cæteris præfecta, prælataque fuerat. Cùm autem omnia hæc Iudæ, officium religionemque deferenti, nihil obſtitiſſent, quò minus grauiſſimum violatæ pietatis ſupplicium eſſet ſubeundum; inde conſequitur, nulla aut pari, aut maiori, aut minori ratione æquiſſimum iudicem Deum euadere Iſraël poſſe. Nam ſi tribus illis communibus omnium gentium ſceleribus Iuda contaminatus, pares aut etiam maiores pœnas commeruerat, quas quarto etiam facinore adiuncto iam iam proximè daturus accelerauit; vt iiſdem, atque etiam grauioribus flagitiis coopertus Iſraël, ſimiles quidem, ſed grauiores multo pendat æquiſſimum eſt. Itaque hoc quod Iuda etiam in crimen, iudiciumque vocatus ſit, varis argumentationem contentionemque amplificat & confirmat. Tribus ergo ſceleribus communibus Iudam etiam fuiſſe notatum, nempe idolorum ſeruitute, homicidio & inceſtu, hiſtoriarum & vaticiniorum omnes ferè paginæ teſtantur: Manus veſtræ, ait Deus, ſanguine plenæ ſunt. & apud Hieremiam: Quia adulteriis repleta eſt terra. De vano autem & impio cultu ſcriptum eſt: Quia fornicans fornicata eſt terra à Domino Deo ſuo. His au-

Marginalia: Exod. — Sapien. 6. — Iſai. 1. — Hier. 23. — Oſeæ 1.

tem quartum omnino flagitioſiſſimũ addidiſſe, quod cùm primis erroris tẽporibus quando ſimulachrorum, vanorumque numinum cultus ſuſceptus illis fuiſſet; tamen ex diuinis legibus & inſtitutis Reſpublica adminiſtrabatur: & quanquam alia etiam numina recepta eſſent, Deum tamen patrum ſuorum coli profitebantur, eiuſque legẽ ſacram, perpetuamque fore prædicabant, donec paulatim creſcente impietate error penitus exuctus, omniſq. veræ pietatis ratio reiecta eſt. Nam qui ſimulachrorum cauſam procurabant, atque ex eo miniſterio & rebus & honoribus ſuis conſuli melius poſſe putabant, ſummo ſtudio, cura & diligentia effecère, vt ſuperſtitione deceptus populus ſuis potius placitis & inſtitutis, quàm diuinis legibus obtemperaret; atque ita paruis initiis inſinuata vanitas, à veritate tandem deficere penitus coëgit, vt pro lege diuina, humanis & impiis præceptis vſi, omnẽ antiquæ religionis, omnem Reipublicæ faciem, ſtatum atque ordinem inuerterent; neque integri aut ſani aliquid, aut quod eum quem olim tenuerat locum tueretur, reliquum fuit. tanti eſt errorem ſemel admiſiſſe, & ab antiquo inſtituto alienæ diſciplinæ partem aliquã ad communem morem vſumque transferri. Hoc ergo quartum ſcelus eſt, non ſolùm quòd ſuperſtitionem admiſiſſet, ſed quòd Dei cultus, diuinaque lex omnino iam repudiata, antiquata, atque obſoleta apud eos fuerit, vt non Deus, vel cum aliis numinibus vnà coleretur, ſed numina vana, contempto repudiatoque Deo, in honore eſſent. Legem autem abiectam, & mandata non cuſtodita dicit: vtroque autem nomine ea præcepta atque ea inſtituta ſignificantur, quæ ad priuatos mores componendos, atque ad publicas ciuileſque res gerendas ſpectant. Lex enim Hebraicè Thora, hoc eſt, doctrina timenda præcipiens dicitur: Man-
תורה datum verò hhoq, deciſionem propriè Latinè ſonat, Hiſpanè *fuero* nuncupatur; eaq. com-
חק plectitur, quæ ad ciuiles res rectè gubernandas referuntur. Huius autem ſceleris cauſam eam quam diximus eſſe indicat, quod ſpecie quadam recti & pietatis decepti, falſis doctrinis, & mendacibus vatibus audiendis, vaniſque cultibus animos quotidiana exercitatione aſſueuerint.

Deceperunt enim eos mendacia ſua, poſt quæ abierant patres eorum.

QVAM difficile genitus ſemel in animis hominum error, maximè autem ſuperſtitionis, deponatur, ex hoc loco docemur; quantumque caueri oporteat ne quid praui aut falſi admittatur, eadem opera à Vate monemur. Namque ſuperſtitionis vanitatem à parentibus ſemel ſuſceptam, & vanam etiam nulliuſque momenti ab iiſdem cognitam, tamen filij non dimiſerunt, ſed planè fouere, & cum veteræ etiam religionis ruina prouehere ſtuduerunt.

Et mittam ignem in Iudam, & deuorabit ædes Hieruſalem.

NABVCHODONOSORIS gladium Iudæam vaſtaturum, igniſque habiturum inſtar ignem appellat; quem funeſtum etiam, ac templo ab eo inferendũ prædicit, qui regia Hieroſolymorum palatia, hoc eſt, templum illud toto orbe celeberrimum, abſumpturus erat:
היכל Namque communi nomine illud templum HECHAL, hoc eſt palatium dicebatur, quòd
„ ea ciuitas regis magni Dei eſſet, in qua illi ara & focus fuerit, ſicut ſcriptum eſt: Hæc dicit
„ Dominus cuius ignis in Sion, & caminus in Hieruſalem. Stragem ergo Iudaico populo à Chaldæis venturam, & horrendum templi incendium præcinit: Hæc enim ſors eſt eorum, qui legem abiecerint diuinam, ſeſeque à Deo Rege abalienauerint: neque enim ſi corrupti animi & impietate perditi fuerint, vlla alia templi maieſtas, aut ædificiorũ ſtructura Deum morari poteſt, quò minus eo populo cuius cauſa templum ſacratum eſt repudiato, cætera
Lucæ 21. etiam ruere & perire ſinantur. Vides, inquiunt Apoſtoli, hos lapides atque templi magni-
„ ficam ſtructuram? Amen (reſpondit Ieſus) dico vobis, non relinquetur lapis ſuper lapidem qui non diruatur. Hactenus quæ eſſent terna illa ſcelera ſingulis in gentibus accuſandis repetita diximus, & quartum etiam vnicuique genti in Iſraëlitas admiſſum: quamobrem diuinum in ſe iudicium maturaretur, intelleximus; atque oſtendimus crudelitatem, perfidiam, communis iuris violationem, alienorum agrorum inuaſionem, antiqui odij atque inimicitiarum obſeruationem, fraterni fœderis, paciſque violandæ procurationem, maxima eſſe & flagitioſiſſima ſcelera, quæque Deum poſtulent vltorem & vindicem. ex quibus omnibus conſurgit illa quam Vates in Iſraëlitarum accuſanda cauſa inſtituit comparatio. Nam ſi Damaſceni, Gazethæi, Tyrij, Idumæi, Ammonitæ & Moabitæ, quòd huiuſmodi iniurias Iſraëlitis intulerint, pœnas dabunt, qui fieri poteſt vt ſeuerum eorundem flagitiorum Iſraël ipſe non experiatur iudicium? quamuis antiquitate, quamuis nobilitate, quamuis illuſtribus aliis & maximis honoribus nitatur, quod neque Iuda his omnibus rebus illuſtrior potuerit effugere? Nunc verò deinceps contentionis & totius argumentationis complexionem Propheta parat; atque ipſos Iſraëlitas, ad quos legatus erat, in crimen vocat,

vocat,in primiſque rem illorum omnem breuibus proponit,quam longa deinceps oratione perſequitur.

Hæc dicit Dominus,Super tribus ſceleribus Iſraëlis, & ſuper quartum non conuertam eum? pro eo quòd vendiderit pro argento iuſtum, & pauperem pro calceamentis.

QVANQVAM ſcelera & peccata omnia,quæ ab hominibus priuatè aut publicè ſuſcipiuntur,iuſtiſſimè(niſi corrigantur)& grauiſſimè puniri ſoleant; eorum tamen quoddam eſt,quod Dei iram differri non patitur:id nimirum quod non ſolùm priuatos ſingulorum hominum mores corrumpit,ſed quod ius,æquitatemque,& publicam fidem prodit,quodque homines ad eam inſaniam adigit,vt in ſeſe inuicem iniurij ſint.Hoc autem genus Latini non ſatis apto vocabulo iniquitatem vocant, fortaſſe aptius iniuriam diceres;Hebræi
verò aptiſſimo hhamacz dicunt;de quo nomine apud Habbakuq plenius à nobis dicitur. חמס
Hiſpani hoc genus *Aggrauio*; Itali *Torto* dicunt. Namque in aliis ſceleribus, quibus ſeſe homines contaminare poſſunt,diuina patientia maximè oſtenditur, quæ diutius diſſimulare atq. expectare ſolet,ſi quando conuertantur,& ſanet eos,vt in ſuperſtitione,in erroribus,impietate,in honeſtate violata,in nimio voluptatis ſtudio, quorum ſupplicio ſi multi in hac vita caruêre,æternas tamen gehennæ pœnas, quæ impios omnes & ſceleratos poſt mortem manent,ſubierunt.Hos autem quoad viuerent expectabat Deus , vt pœnitentia
aliquando ductos & reſipiſcentes,miſericordia afficeret,ſicut ſcriptum eſt:Diſſimulâs pec- Exod.20.
cata hominum propter pœnitentiam. &,Propterea expectat vos Dominus vt miſereatur
veſtri.Hinc eſt quod nec à Deo abalienatæ gentes, nec errantes veritatis ignoratione na- Iſai.30.
tiones,nec errorem,hæreſimque fouentes prouinciæ,adeò celeres peccatorum ſuorũ pœnas publicè dant,vt in vnum atque alterum,& interdum in plura ſecula,huiuſmodi publica differatur animaduerſio.Quia nondum,inquit Deus,completæ ſunt iniquitates Amor-
rhæorum.Verùm enimuerò cùm aliis priuatis ſceleribus illud etiam publicum iniquitatis Gen.15.
acceſſit(iniquitatem autem hoc loco iniuriam alteri quocunque modo illatam definimus) tum verò certæ ſcelerum omnium pœnæ parantur atque inſtant: Namque ea iniuriæ natura eſt,vt dilatam animaduerſionem,vltionemque maturet atque acceleret: atque ita in diebus Noë,nullam aliam grauiorem diluuij in terras inducendi, nullam accelerandi certiorem cauſam,quàm iniuriam fuiſſe legimus. Et vidit Deus terram, & ecce corrupta erat;
corruperat enim omnis caro viam ſuam ſuper terram: Et dixit Deus ad Noë,Finis omnis Gen.6.
carnis venit coram me,quia repleta eſt terra hhamacz à facie eorũ, & ego delebo eos cum terra.Sodomorum finitimarumque vrbium euerſionẽ, addita flagitio iniuria intulit.Singularum porrò nationum quas Amos hactenus notauit terna ſcelera,quartum quoque,idque iniuriæ Iſraëlitis publicè illatæ,auxerat & cumulauerat,certamque ac maturam parauerat vltionem.Iuda etiam in crimen iudiciumque vocatus,capitis ſententiam ſubiit,propterea quòd præter tria illa communia, quartum quoque iniuriæ in Deum admiſiſſet: repudiauerat enim legem,Deique dignitatem violauerat,fidem prodiderat, diuinumq. omne creditum abiurauerat.Igitur omnium horum ſcelerum reus factus Iſraël,ſeuerũ etiam iudicium ſubeat oportet. Id autem Amos ſigillatim probat, nullum eſſe iniuriæ genus ex iis,quibus aliæ gentes notatæ ſunt,quo Iſraëlitæ non teneantur: Namque ſuperſtitione,inceſto & homicidio illos etiam flagrare,manifeſtum per omnes hiſtorias eſt; quarto autem quoque iniuriarum etiam nobilitari,id ſigillatim docet.Namque vt Gaza & Tyrus prodebant,& vendebant Idumæis eos,qui ſalutis cauſa ad ſe confugerant, quoſque ſeruandos curari oportuerat;ſic filij Iſraël iuſtorum hominum cauſam in iudicio prodebant, atque aduerſariis argento accepto vendebant: ita vt ſi is,à quo iura, legeſque ſtarent,diues eſſet; ditioris tamen aduerſarij largis muneribus premeretur.Sin verò pauper, vili etiam pretio, nimirum duorum calceorum,proderetur;adeò omnium iura, dignitas, ſalus, & æſtimatio venalia illis,ſeu teſtibus, ſeu iudicibus erant; vt facilè victoriam ſibi iniquiſſimus quiſque promittere de innocentiſſimo quoque poſſet,dummodo pro perſonarum ratione pretium etiã impenderetur. [*Pro argento iuſtum, & pauperem pro calceamentis:*] Hebraicè,*calceis duobus* et Namque duali numero nomen pronuntiatur; vt viliſſimum pretium ſignificaret: quo argumento Iſraëlitæ vltra Tyrios & Gazitas ſceleris grauiſſimi tenentur;quòd illi Iſraëlitam virum,ſiue iuſtum,ſiue iniuſtum,Idumæis:hi verò proprios fratres,iure ſuperiores, fortuna miſerabiles,iniquiſſimis proderent, & traderent aduerſariis. Neque verò minoris inhumanitatis & crudelitatis eos inſimulari,quàm Damaſcenos;ſiquidem illi in tribulis ferreis triturauerant Galaad: apud Iſraëlitas verò pauperes omnes magno contemptu , magnaque ignominia à potentioribus ditioribuſque, afficiebantur, atq. indigniſſimis modis, cuius de cauſa, vexati peſſundabãtur;id quod habitus ipſe ſordidus atque ſordidatus argue-

 bat:

bat: pauperum enim capita puluere conſperſa conſpiciebantur, quòd oppreſſi atque iactati à potentioribus terram vertice ſæpe ferire cogerentur, atque raptatos pulueres in capillis combiberent, & ſordes contraherent. Hoc enim maximæ oppreſſionis ſignum eſſe ſolet. Igitur & Damaſcenos hoc etiam iniuriarum genere Iſraëlitæ ſuperabant: id adeò ſic vates ait:

Qui conterunt ſuper puluerem terræ capita pauperum, & viam humilium declinant.

MAXIMA enim iniuria, & expiandum nefas eſt, natura pares, æqualeſque homines, quòd fortuna impares ſint, contemptui, deriſioni, & contumeliæ expoſitos ſibi eſſe exiſtimare: calumniæ hoc inuiſum genus, & diuinarum legum ac publicæ libertatis
Pſalm.71. oppreſſio Deo vltori vindicanda ſuſcipitur, ſicut ſcriptum eſt: Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. Viam autem humilium declinare, eſt commune ius libertatemque prodere; ita vt in omni re inferior ſemper pauperiorum cauſa ſit, eo ſolùm nomine quòd pauperes ſint. Atque ita hunc locum explicat Chaldæus, *& iuri obſcuriorum aduerſatur*. Puluerem autem, ſordidationis oppreſſioniſque ſignum eſſe, & noſtri, & exteri auctores docent. Quoniam humiliata eſt in
Hom.Ilia.11 puluere anima noſtra. Sic Homerus Dolonis oppreſſionem & caſum pulueris vertice collecti imagine ſignificauit. Quòd autem filij Iſraëlis naturæ neceſſitudinem, & iura omnia, officiumque ſanguinis atque generis, magis etiam quàm Idumæi prodiderint, ex eo manifeſtum ſit, quòd Idumæi naturalem tantùm fratrum concordiam neceſſitudinemque violauêre, & miſericordiæ, quæ ſancta illis eſſe debuit, obliti, fratres gladio perſequerentur. At verò Iſraëli, nullum neque diuinum, neque humanum ius, aut officium, ſanctum, integrumque relictum eſt, ſed omnis omnino & fraterna & paterna obſeruantia, omnis totius honeſtatis colendæ ratio derelicta, reiectaque eſt; non ſolùm vt frater fratrem non erubeſcat, & obſeruet, ſed neque pater filium, filius patrem moretur, quo commune omnibus ſanctitudinis ius violetur & prophanetur: ſiquidem

Filius & pater eius ierunt ad puellam, vt violarent nomen ſanctum meum.

GRAVISSIMVM enim & flagitioſiſſimum ſcelus eſſet, ſi frater puellam fratris ſponſam corrumperet: namque hoc piaculum diuina lege vetitum eſt, vt quòd ſanguinis generiſque ſanctitudinem polluat: ſed multò etiam grauius eſt, eandem puellam, aut filio deſponſatam à patre, aut patri etiam à filio pollui. Cuiuſmodi portentoſus inceſtus diuinæ, ſacræque religionis maieſtatem, dignitatem atque decus obſcurat & extinguit: Namque religionis neceſſitudine fratres omnes eſſe oportuit vnius communis omnium parentis & legiſlatoris filios: naturæ autem lege, & patres filiis obſeruandi, & filij patribus honeſtatis exemplo inſtituendi fuerunt. Atque hæc ſanctitudo inuiolabilis illis eſſe de-
Leuit.19. buit, qui præter omnes alias gentes ſegregati, delectique fuerant, vt naturæ pietatiſque de-
Deut.7. cus conſeruarent, ſicut ſcriptum eſt: Sancti eritis mihi, quoniam ego ſanctus ſum Domi-
„ nus Deus veſter. & rurſum: Vocati eſtis in nomine meo, quia populus ſanctus tu Domi-
„ no Deo tuo. Puellam autem non meretricem intelligimus, ſed viro ſponſam, aut certè
נערה nubilem, & in paterna domo coniugio dedicatam. Naghara enim hoc in diuina lege ſignificat; quo nomine & Dina, & Rebecca, & Rachel dicuntur. Zona autem meretricem ſiue quæſtuariam Latinè ſonat: neque verò ad meretricem, ſed ad puellam dixit propheta. Igitur aut pater propriam filiam domi ſedentem vnà cum filio vitiabat, aut nurum ſocer, aut nouercam filius, aut vterque alienæ filiæ pudicitiam ſimul expugnabant, aut ſingula hæc ſcelera ab aliis atque aliis admiſſa, diuinæ religionis ſplendorem polluebant, & quòd iis modis legis violaretur ſanctitudo, & Dei ſanctiſſimum nomen pollueretur: Namque populum his moribus Dei populum appellare, diuinum nomen polluere eſt: quaſi verò tam nefariis flagitiis nobilitatus populus, puriſſimo ſanctiſſimoque numini gratus eſſe poſſit. Omnia autem ſcelera illa quæ à nobis indicata ſunt, hoc vno genere contineri res ipſa docet. *Filius & Pater eius ierunt ad puellam:*] ita vt flagitioſiſſimo inceſtus genere, & gen-
1.Cor.5. tibus etiam ignoto, Iſraëlitæ flagrarent. Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis neque inter gentes; ita vt vxorem patris ſui quis habeat. Ex qua Apoſtoli oratione manifeſtè apparet, huiuſmodi ſtupra nefaria omnino gentibus exiſtimata, & pro
Iuuen.Sat 1 portento, ſi quando extitiſſent, habita fuiſſe: *Quem patitur dormire nurus corruptor auaræ?* aiebat Satyricus. Ammonitarum autem ſceleri non diſſimile, diſpar tamen, & grauius multò, aliud Iſraëlitarum flagitium fuit: Ammonitæ enim montibus multo opere ac labore ruptis, vicinorum terminos violare, agroſque alienos coarctare, ſuos dilatare conati ſunt:

Iſraëli-

Iſraëlitæ verò fratrum etiam ſuorum pauperrimorum fortunas per fraudem, per dolum & iniuriam, per calumniam inuadebant, miſeroſque & argento, & veſtibus expoliabant, atque iis rebus nullo ſibi labore partis fruebantur, & ad nefariam voluptatem abutebantur, quæ fratribus ſuis non ſine magno ſudore comparata fuiſſent: Etenim aut vſura & fœnore, aut calumnia à ditioribus, vt nunc fit, tenuioris fortunæ homines oppreſſi, & iniquo iudicio damnati, quicquid pecuniæ domi eſſet in primis exoluere; deinde cùm id pro mulctæ ratione non ſatis eſſet, indumenta & ſtragulas veſtes pignori tradere cogebantur. Hęc autem res, vt nullo negotio parari, ita nefario otio illis profundi ſolebant. Namque in ſacrilegis illorum epulis & conuiuiis adornandis, quæ frequentiſſima in vanorum deorum honorem agitabantur, argentum conſumere, veſtes autem pro culcitris ſubſternere conſueuerant, ita vt alterius nudi & egentis fratris rebus & ſupellectili, alter profusè, impiè, & luxurioſè abuteretur. Hoc eſt quod dicit:

Et ſuper veſtimentis pigneratis accubuerunt iuxta omne altare; & vinum damnatorum bibebant in domo Dei ſui.

VESTIMENTA non ſolùm quibus induimur, ſed quibus in lectis & cubilibus vtimur, imò & aulæa etiam dicuntur; accumbere autem olim comedentes, in conuiuiis præſertim, conſueuêre. Hoc verò ab iſtis iuxta omne altare factitatum ait, vt frequens luxuriæ & deliciarum ſtudium cum ſuperſtitione coniunctum ſignificaret; rerum autem profuſio exiguum in parando, aut nullum laborem conſumptum fuiſſe arguit. At verò connexa hęc eſſe, & alia aliis cognata videntur, vt ſuperſtitionem, voluptates & delitias luxuria pariat atque alat; luxuriam verò calumnia & iniuria ſuſtentet. Neque enim quis & voluptati, & diuitiis comparandis, niſi alienis rebus inſidiatus fuerit, operam dare poſſit. quam quidem rem antiquus ille vates Pindarus eleganter docuit; iniuriam enim, ſaturitatis matrem audaciloquam nuncupauit. *Vinum damnatorum* Hebraicè *oppreſſorum* dicitur, vt iniuſtè mulctatos eos fuiſſe oſtendatur, *in domo Dei ſui,*] quòd ipſi ſibi adoptauerant numen; non veri quidem Dei, ſed falſo nomine Dei ſui appellati; qui qualis eſſet, ipſa colendi ratio arguebat. Atque hac etiam in re Iſraëlitarum ſcelus, Moabitici regis indignum facinus vincit: Namque ille vnum tantùm hoſtis ſui filium ſuper murum ſacrificauit: Iſraëlitæ verò epularia ſacrificia, vino atque libaminibus ex multorum fratrum ſuorum oppreſſione comparatis, frequenter factitant; neque ſuper murum, ſed ſuper miſerorum veſtibus in omni deorum ſuorum altari res agitur, vt præter acceptam iniuriam indigniſſimo etiam ſpectaculo miſerrimi homines aſſiduè vexentur. Id autem facinus non minus flagitioſum eſt, quàm ſi totidem homines quotidie mactentur atque ſacrificentur: Etenim qui ex rebus iniuria & calumnia partis ſacrificat, perinde nefariè & crudeliter agit, atque qui hominem ipſum vnde hæc ablata fuerint, mactandum, ſacrificandumque procuret, ſicut ſcriptum eſt: Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui. Ex quibus omnibus rebus conſequitur Iſraëlitas vltra tria illa omnibus gentibus communia, grauiora etiam quàm cæteræ nationes facinora, multoque indigniora quarto quoque in genere admiſiſſe. Quòd ſi eorũdem grauiſſimum, ſeueriſſimumq. iudicium gentibus à cultu meo alienis ſubeundum tandem eſt, quonam pacto ab Iſraëlitis effugi poſſit, penes quos maiorem diuini nominis, iudicij, ſanctitudiniſque notitiam eſſe oportuit! Deum enim huiuſmodi ſcelerum & facinorum vindicem & vltorem, etiam apud exteras ac barbaras nationes eſſe, & diuina quam acceperant lege, & exemplis, manifeſtum illis eſſe, & debuit, & potuit. Neque enim cauſari poterunt diuinumq́ de his rebus conſilium & iudiciũ ignotum ſibi fuiſſe, quando nullum hactenus exemplum aut in ſe, aut in alienis gentibus habuerint; quo exemplo eiuſmodi facinora numini adeò inuiſa eſſe agnoſcerent, vt eorũ cauſa gentes euerterentur & perirent: Nam quæ exempla nunc illis à Deo per Vatem propoſita ſunt, futurorum, non præteritorum ſunt iudiciorum. Siquidem Damaſceni, Tyrij, Palæſtini, alijque quos perituros prædixerat, futuris non autem præteritis temporibus diuinorum iudiciorum exemplo eſſe potuerunt. quòd ſi admonendi Iſraëlitæ ſuorum ſcelerum, atq. diuini iudicij fuiſſent, præteritis potius exemplis fuiſſet vtendum; quibus edocti, cauere ſibi illi melius quàm futuris potuiſſent. Hanc adeò tranſlationem, qua ſeſe vtcunque defendere Iſraëlitæ cogitarent, vanam inutilemque eſſe Deus demonſtrat; ne qua illis latebra, quò ſe coniiciant, reliqua eſſe poſſit. Etenim quæ hactenus aliarum gentiũ crimina perorata ſunt, iudicij in ipſos confirmationem, non præiudicij rationem habuêre: neque ad oſtendendum diuinum de iis rebus aduerſus gentes conſilium, ſed ad firmandam in Iſraëlitas ſententiam, propoſita ſunt. Satis enim illis, & ad huiuſmodi ſcelera fugienda, præceptorum

Margin: ὕβριν κόρου ματέρα θρασύμυθον

Margin: Eccle. 34.

in diuina lege,& ad cauendum ſibi,exemplorum in aliis gentibus iam olim fuerat: Siqui-
dem antequam eam regionem,quam diuino beneficio incolebant, occuparent, de huiuſ-
modi ſceleribus fugiendis,ſanctiſſimas planè & apertiſſimas acceperant leges,& præſenti e-
Leuit. 20. ,, tiam exemplo confirmatas perſpexerant,ſicut ſcriptum eſt: Nolite ambulare in legitimis
,, nationum,quas ego expulſurus ſum ante vos: Omnia enim hæc fecerunt, & abominatus
,, ſum eas. Vobis autem loquor, poſſidete terrâm eorum, quam dabo vobis in hæreditatem.
,, Cuſtodite leges meas atque iudicia,ne & vos euomat terra,quam intraturi eſtis, & habita-
,, turi. Ne videlicet ſe Iſraël ex hoc iudicio vlla ratione euaſurum ſperet: Namque diuina na-
tura cùm ſimplex ſit, immutabilis etiam ſuis in conſiliis eſt; ita vt quæ facinora ſemel im-
probauerit,nunquam amplius probet. Ego Deus,inquit,& non mutor. Igitur ſecunda hæc
ſeueritatis exempla à Deo in finitimas Iſraëlitis gentes edenda, non modò ad diuini ad-
uerſum Iſraël iudicij oſtenſionem, ſed etiam ad confirmationem, atque ad inferendorum
quoque criminum comprobationem pertinent; cùm ad iudicandum ſatis in lege, ſatis ſu-
perque in antiquis fuiſſet exemplis: Namque

Ego exterminaui Amorrhæum à facie eorum: cuius altitudo quaſi cedrorum altitudo eius, & fortis ipſe quaſi quercus: & contriui fructus eius deſuper, & radices eius deſubter.

AMORRHÆUM potiſſimum appellat, quòd ea gens cæteris omnibus, quæcunque e-
iectæ ſunt,& multitudine,& copiis atque potentia excelluerit, princepsque tum re geſta,
tum admiſſo ſcelere fuerit. Quamobrem cùm de earum gentium caſu Deus Abrahã cer-
Gen. 15. tiorem faceret,Amorrhæos tantum nominauerat: Quia nondum,inquit,completæ ſunt
iniquitates Amorrhæorum. Eius autem populi præter cæteros præſtantia, cedrorum al-
titudine,& quercus firmitudine ſignificatur: Cedrus enim vbicunq. fuerit, aliis arboribus
Cant. 5. longè lateque conſpicua præeminet, ſicut ſcriptum eſt: Species eius vt Libani, electus vt
Cedri. Quercus autem fortiſſima firmiſſimaque ligni materia conſtant; vnde & humanam
Iſa. 2. gloriam,& potentiam vtriuſque arboris nominibus Iſaias ſignificauit: Et dies,inquit, Do-
mino exercituum eſt ſuper omnes cedros Libani, & ſuper omnes quercus Baſſan. Hanc
igitur & gloria & fortitudine maximam gentem,cum ſociis ſuis omnibus funditus deleue-
rat,ob eadem quæ nunc Iſraëli in crimine poſita ſcelera ſunt. Ita autem penitus euerſa eſt,
vt nullus,qui id nomen tueri poſſet,relictus omnino ſit. Namque & filij, & patres exciſi, &
radicitus ſublati ſunt. fructus ergo & radices, omnem eiuſdem gentis familiam, poſterita-
temque omnem intelligimus. perſtitit enim Vates in ea ſimilitudine, quam ex arboribus
tranſtulerat. *Contriui*, euerti & perdidi. Deus autem ſe eius rei auctorem facit,ne gentes illas
temporum viciſſitudine,& ſeculorum mutatione, ſed diuino conſilio, ob nefaria facinora
pulſas,exiſtimare aliquis poſſet:atque in eius rei argumentum, ſplẽdorem & fortitudinem
produxit. Neque enim paulatim ea gens corruit & detrita eſt,quod temporum viciſſitudi-
ni adſcribi ſolet,ſed in ipſo potentiæ robore,in ipſa ſplendoris gloria ſubitò euulſa, extin-
ctaque fuit;vt non ad aliam,quàm ad diuinam virtutem referri res potuerit. Hactenus qui-
dem Iſraëlitarum & gentium comparatio eſt:nunc verò vtriuſque regni, & Iſraëlitici &
Iudaici,res etiam inter ſe conferuntur; oſtenditque Vates Iſraëlitas iiſdem beneficiis cum
Iudæis olim affectos, non minoribus nunc flagitiis quàm illos fuiſſe inuolutos.

Et ego ſum, qui aſcendere vos feci de terra Aegypti, & duxi vos in deſertum quadraginta annis, vt poſſideretis terram Amorrhæi.

MAXIMA ſibi in Iſraëlitas beneficia collata,maximam in his ipſis erudiendis curam
diligentiamque adhibitam commemorat Deus, vt grauius multò deſerti officij crimen o-
ſtendatur. Iudæi ab Ægypto, de domo ſeruitutis in libertatem aſſerti, quadraginta annis
per Arabiæ ſolitudines ducti, beneficentiſſimum Deum experti ſunt, nullius quidem rei,
quæ ad vitæ vſum & ſuauitatem eſſe vtilis poſſet,inopia laborantes:prætereà diuinas leges
edocti,& ſacris præceptis inſtitutiſque,quibus rerum ſuarum felicitatem perpetuam face-
re,augereque poſſent,in promiſſas ſedes,feliciſſimamque regionem adducti ſunt, quas ex-
pulſis hoſtibus cum maximis diuitiis occuparunt. Hi autem ſuperſtitione paulatim admiſ-
ſa,diuinam legem immemores abiecerunt,ſeſeque ob eam rem,earum quas ſuperius com-
memorauimus pœnarum reos,dignoſque reddiderunt. Nullis quidem beneficiis inferio-
res Iudæis Iſraëlitæ fuerant: Namque & ij ex eadem ſeruitutis miſeria liberati, nihilomi-
nus in deſerto quadraginta annis,ſicut aquilæ filij,in humeris portati fuerant; eandẽ diſci-
plinam edocti,iiſdem omnino præceptis, inſtitutiſque abundabant Ammorrhæorum, ad
quorum regionem peruenturi fuerant,mores quales eſſent,quamq. illis execrandi, admo-
niti ſæpiſimè ſunt: ad eandem legem,ad idem cõmune cum Iudæis ius vocati atque relati,

nihil

nihil omnino,quod aut ad vitam ſuauiter agendam, aut ad pietatem conſeruandam pertineret,deſiderare potuerunt. Nam fertiliſſima Ammorrhæorũ regione potiri ſunt, & multis ſæpe pientiſſimis, & ſapientiſſimis viris abundauerunt, à quibus & oratione,& vitæ exẽplo in officio continerentur. Hoc enim vt nunquam illis deeſſet curauerat Deus,cuius curam, & prouidentiam,ſemper præſentem ſibi experti fuerant. Quòd ſi legis volumen illud ſanctiſſimum Iudæis cuſtodiendum creditum fuerat, neque hac commoditate caruerant Iſraëlitæ,apud quos ſanctiſſimorum virorum & vatum non rara frequentia fuerat: ita nihil ſibi ſubductum,nihil omnino deſideratum fuiſſe, affirmare verè poſſint. id quod ipſorum teſtimonio probandum permittit Deus. [*Vt poſſideretis terram Amorrhæi.*] hoc ad vitæ vſum & felicitatem; ad pietatis autem cuſtodiam & propagationem illud ſpectat:

Et ſuſcitaui de filijs veſtris in Prophetas, & de iuuenibus veſtris Nazaræos.

VIROS à quibus doctrina & vitæ exemplo inſtrueremini: namque vtrumque genus, non naturæ,ſed diuini ſpiritus virtuti adſcribitur. Vaticinium enim maius donũ eſt, quàm vt humanis artibus parari poſſit,atque ad aliorum hominum vtilitatem à Deo comparatum eſt:quemadmodum etiam & ſumma vitiorum fuga, eximiumque virtutis ſtudium, ad imitationem cæteris hominibus propoſitum, diuinum planè opus eſt, atque à vulgari conſuetudine longè ſemotum. Vtroſque autem Deus populo ſuppeditabat, vt alioruũ oratione & doctrina,aliorum ſpectata maxima virtute,cæteri ad eandem pietatis laudẽ contenderent,& quantum in ipſis eſſet conati orationibus & precibus ſummoque ſtudio, & omnibus votis,reliqua à benigniſſimo numine impetrarent. Prophetæ autem, qui, & quales,& quamobrem fuerint,ſæpe aliàs dictum eſt. Nazaræos verò præclarum hominum genus eſſe intelligimus, humanarum rerum deſpicientia, & diuinarum amore atque ſtudio inſignes,qui voluptates & vitia,quàm indigna humana dignitate eſſent, ſuo exemplo docerent,atque ad altiora ſublimioraque expetenda cæteros mortales allicerent. Eius generis Samuel, Hieremias, Ioannes Baptiſta,multique alij fuerunt, quorum admiranda vitæ probitas,animique magnitudo,vel frigidiſſimum quemque ad virtutis ſtudium incendere potuerunt. horum velut legis cuiuſdam viuentis,atque ad ſe animos hominum allicietis,non exiguam copiam Iſraëlitis eſſe Deus curauerat. Complures enim, ex iunioribus etiam, ad eum virtutis gradum euexit,quòd & virtutis admiratio maior,& imitatio,atque contentio facilior eſſe cæteris poſſet: Nam ſi illa ætas à labore ad libidinem procliuis, tamen eam amplitudinem,eamque maximam dignitatem conſequi poterat,nihil impedit,quò minus cæteræ etiam,& maturiores ætates,idem quoque conari,atque ex diuini ſpiritus benignitate ſperare potuiſſent. Ob id ergo ex filiis Prophetas,& ex iuuenibus Nazaræos perpetuò excitabat Iſraëlitis Deus, vt perpetua illis ad pietatis ſtudium cauſa, materia, commoditasque eſſet.

Nunquid non ita eſt filij Iſraël, dicit Dominus?

DOMINVS affirmat:& quanquam ad veritatem firmandam ſatis ſuperque ſit Dominum dixiſſe;tamen liberam vobis defenſionem, negationemque permittit, ſi vlla vnquam aut eſſe,aut excogitari poſſit. Quæ cùm nulla ſit, manifeſtum eſt vos non minoribus, non paucioribus beneficiis quàm Iudæos deuinctos; non minori etiam officij obligatione, legeque teneri: vtrum verò pari, an etiam maiori culpa teneamini, facinore recenſito oſtendetur.

Et propinabatis Nazaræis vinum, & Prophetis mandabatis, ne prophetetis.

VESTRVM quidem fuerat legem meam religioſiſſimè obſeruare, quos ego & in ſolitudine tam diu erudieram,& inſtitueram,atq. à gentium moribus deterrueram;& in conceſſa etiam regione agentes,quotidiana vatum & Nazaræorum frequentia ornaueră;quorum alteri doctrina cæleſti augere vos poterant,alteri virtutum & continentiæ exẽplis: ſed planè vos nullum neque legi,neque doctrinæ, neque exemplis locum reliquiſtis; imò omnia quæ à me vobis ad pietatem aut colendam,aut propagandam oblata ſunt, malis moribus,ſummo ſtudio,atque omni diligentia euertiſtis: namque Nazaræos quos ego egregiæ continentiæ exemplum propoſueram, ad veſtri imitationem traduxiſtis, effeciſtiſque vt in veſtram inciderent vinolentiam: indignam rem, atque eorum inſtituto, veſtræque vitæ prorſus inimicam. Vates verò quos maior diuini ſpiritus vis agebat, cùm ad eandem inſaniam vobiſcum adigere non poſſetis (neq. enim diuini afflatum ſpiritus impedire poteratis)tamen minis,& terroribus,aliiſque modis, ne vaticinarentur prohibebatis: quodq. in hoc ipſo vate Amoſo,& in Helia, Heliſæo,atque aliis Iſraëlitæ conati etiam ſunt. Veracium namque vatum reprehenſionibus offenſi,& principes & populi aduerſabantur,quantumque in ipſis erat illorum præſentiam vitare, monitaque atque conſilia abiicere ſtudebant:

1.Reg.22. bant: Etenim Iſraëlitarum rex Achab à Ioſaphat rogatus, an quiſpiam verus Domini propheta adeſſet, vnum tantùm apud ſe reliquum eſſe Michæam reſpondit, ſibique moleſtiſſimum, quod infauſta ſemper & ſuis votis aliena reſponſa redderet; qui etiam accerſitus à nuntio rogabatur, ne tam vera quàm regibus grata atque iucunda prædiceret. Plura etiam alia in ſacris libris teſtimonia ſunt, quibus hoc Iſraëlitarum de reprimendis vatibus conſilium ſtudiumque arguitur; ex quibus omnibus manifeſtũ fit, grauiùs etiam Iſraëlitas, quàm Iudæos quarto illo in ſcelere deliquiſſe. namque Iudæi & falſis vatibus decepti, diuinam legem paulatim negligentes abiecerunt: Iſraëlitæ verò impetu facto legem rumpere, veros vates opprimere, atque ſanctiſſimos quoſque probati exempli viros corrũpere moliti ſunt. O facinus execrandum! ô præſentem noſtrorum temporum imaginem! & quis eſt, qui non planè videat egregios probosque viros, qui aliis virtutis & continẽtiæ exemplo eſſe debuerunt & potuerunt, perditiſſimorum hominum, inter quos verſantur, cõſuetudine corrumpi? Quis hodie verus Domini propheta aut Apoſtolus extat, cui cùm de Chriſtianorũ moribus oratione arguendis atque corrigendis miniſterium creditum ſit, tamen quod ſentiat verè & apertè dicere liceat? Deſunt ne fortaſſe hodie in Chriſtiano populo aut Achabi, aut eius eunuchi, aut etiam Amaſeæ? Miror equidem tantum hodie eſſe fiduciæ piis atque probis viris, diuinæq. legis, & virtutum ſtudioſiſſimis, vt aut nulla, aut incerta fructus ſpe, certiſſimo autem periculo, frequentibus & celeberrimis huius temporis hominũ conuentibus & populis ſeſe credere & committere audeant: Nam ſi id exempli cauſa fiat, nullum iſtis moribus, niſi ſibi ſimile petitur exemplum: ſi ſuæ in mediis æſtubus conſtantiæ probandæ conſilio; atqui tanta vitiorum, tamque turbulenta tempeſtas eſt, vt penè dicere poſſim, cæleſtes ſpiritus ſi in hoc pelago nobiſcum illi nauigarint, iactare poſſit, nedum hominibus carni & ſanguini naufragium. Quamobrem quicunque ſibi melius & tutius conſultum eſſe voluerint, iis huius temporis procellam deuitare ſuadebo; atq. per eam qua Chriſtianos omnes proſequimur charitatem rogabimus, vt communibus nos etiam votis, precibusq. adiuuent, quo & ipſi columbinis alis has procellas, in quibus, dum hæc ſcribimus, verſamur, effugere valeamus. Quis ſibi aliud ſperare inter Iſraëlitas poſſit, niſi aut ſi Nazaræus eſt, vinolentiam exercere, aut ſi propheta, ſilentium agere cogatur? Iam verò omnium ſcelerum conuictos Iſraëlitas, quænam pœnæ maneant, audiamus.

Ecce ego ſtridebo ſubter vos ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno.

SINGVLARVM gentium quas hactenus produxerat, & Iudæorum ſupplicium communi quadam & generali oratione decreuerat; Iſraëlitarum verò pœnas ſigillatim, & partibus ſuis diſtinctas perſequitur, quoniam aliarum cauſas ad Iſraëlitarum crimen probandum, perorandumque citauerat: Horum enim vatem Amos agebat; illorum autem tãtum res in exemplum adducendas ſuſceperat. illa ergo breuiter & in genere, hæc autem fuſius & per partes ſingulas tractauit; quamobrem oratione illa, & ſententiæ formula non eſt vſus, Et mittam ignem in Iſraël, &c. ſed calamitatem, excidium, captiuitatemque ipſis futuram apertè deſcripſit. Pœnarum autem genus grauiſſimum, & moleſtiſſimum, communeque omnibus ferendum eſſe prædicit, quarum pondere omnes pariter preſſi, communes, miſerrimosque gemitus edere cogantur: namque ſuarum vanitatum, ſcelerum, impietatis, & vitiorum faſcem, & pœnarum his facinoribus dignarum tantum illis onus Dei iudicio eſt imponendum, vt nullo pacto abiici, perferri autem vix, & non ſine multo atque diuturno gemitu queat; quemadmodum plauſtri rotæ cùm graue fœni, aut manipulorum onus vehunt, magis etiam quàm alio quouis pondere ſtridere ſolent: aliarum enim rerum ſolidior materia premit quidem, tamen conſidet, eodemque ſemper modo immobilis incumbit. fœni autem & manipulorum rarior atque tenuior natura ventum, aëremque admittit, & continua agitatione plauſtrum, plauſtrique rotas aſſiduè vexat, atque illa motus frequentia, eum quem audimus ſonitum atque ſtridorem acuit, auget, vehementioremque reddit. Currus igitur rotæ Iſraëlitæ erunt, plauſtrum ipſa ſcelera; pœnæ verò quas ipſi ſibi ſceleribus & flagitiis parauerunt, onus fœnique faſces, & manipuli fuerint: ita vt nihil ſibi niſi paleas, fœnumque comparaſſe intelligant. Id verò grauiſſimum eis moleſtiſſimumque erit, ſicut ſcriptum eſt: Ecce parturit dolorem, concepit mendacium, & peperit iniqui-
Pſalm. 7.
» tatem; conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet. Voces autem, eiulatus atque gemitus omnibus communiter fundendi, communem omnibus calamitatem fore arguunt, ita vt totus populus, velut plauſtrum quoddam compactum & concinnatum, miſerrimus & ærumnis preſſus, nihil præter communem gemitum, & muliebrem eiulatum præſtare poſſit, nihil ſibi ipſi vlla ex parte conſulere: nam quæ in bellicis euentibus eſſe ſolent aut præſidia, aut auxilia, aut ad ſalutem artes, & facultates, nullæ Iſraëlitis reliquæ erunt, non communis aut priuata virtus, non celeritas curſusque velocitas,

velocitas,non armorum tutela; nihil denique erit, quod eos à periculo tutos, ab onere ferendo immunes,à gemitu alienos efficere poſſit. Hanc autem rem Vates argumēto ex contentione ducto ſibi familiariſſimo oſtendit hoc modo: Si quibus minus proprium eſt in bello gemere & eiulare,illi gement & eiulabunt,profectò nullum expertem gemitus futurum eſſe conſequitur.atqui neque robuſtiſſimum quemque,neque fortiſſimum, neque velociſſimum,artes,facultatéſue ſuæ à gemitu liberabunt,multò igitur minus & cæteros. Aſſumptionem autem ſingularum partium declaratione probat, prædicitque quid vnicuique parti futurum eſt, vt accidat.

Peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem ſuam, & robuſtus non ſaluabit animam ſuam.

HÆC tria hominum genera,dum in bello aut propriæ, aut etiam communi ſaluti conſulunt,ſuis artibus,aut viribus fidentia,neque clamare præ dolore aut metu, neque eiulare ſolent. Velox dum deſperatis aliàs rebus in fugam ſe conijcit,ſilentio potius quàm clamore vtitur. *Fortis* verò,hoc eſt,qui ſuam virtutem & ſibi,& aliis præſidio fore putat,armorū pondere ſeſe ita impedit,vt leuis ad fugam eſſe non poſſit;hic ad rem ſtrenuè gerendam intentus,clamorem vt parum virilem aſpernatur. *Robuſtus* autem eſt is qui non adeò fortis eſt, vt multorum hoſtium impetum ſuſtinere,pluresque ex ſuis ciuibus ſeruare poſſit, ſed qui ſeſe, vitamque ſuam tueri ſuis viribus,& dexteritate poſſe ſperet: neque hic etiam in pugna clamat,aut eiulat,ne hoſti cedere videri poſſit. Verùm enimuerò quo tempore illis ex diuini iudicij conſilio Aſſyriorum exercitus bellum illaturus erat,omni huiuſmodi ſalutis præſidio deſtitutis, nulla niſi gemendi facultas reliqua futura erat: Peritura enim erat fuga à veloce,& fortis,ſtrenuuſque virtutem ſuam vanam experturus erat:& robuſtus,qui animę ſuæ defendendæ præſtò eſſe aliàs poſſet,deficiet omninò. Et quoniam miſerrimis,& deſperatiſſimis rebus in velocitate,ad ſalutem fuga ſibi conſulendam, vna reliqua eſſe ſolet ſpes, hæc etiam pars omnino negata illis fore prædicitur. Agilitas autem ad curſum,aut natura, aut expeditione,aut arte comparatur. Sunt enim qui tanta pedū celeritate valeant,vt equites etiam præeuntes conſequantur:hi ſtadiis inſignes,coronari,honoriq. haberi conſueuēre. Sunt & leuis armaturæ milites qui arcu ſagittas ſtrenuè iaculētur,eaq. re & ad pugnam, & ad fugam expeditiores ſunt. Alij autem ex equis pugnare,atque eorum celeritate & hoſtem ſequi & fugere didicerunt: nihil autem horum tunc Iſraëlitas iuuabit. Namque

Et tenens arcum non ſtabit, & velox pedibus non ſaluabitur, & aſcenſor equi non ſaluabit animam ſuam.

QVEMADMODVM quiſque arte facultateque ſua vtatur,indicat Vates:Nam qui ſagittas mittendi peritia & celeritate præditus eſt, is dum fugit interdum conſiſtere, & inſequentem hoſtem ſagittis petere, atque ita euadere periculum nouit: qui verò curſu, pedumque valent velocitate, iis quoad in tuto ſint nulla quies aut ceſſatio eſt. At verò qui equo fugam parauerit,tantùm vitæ, ſalutiſque ſuæ rationem habendam ſibi eſſe ducit; ac dum ſeſe periculo eripiat, quid equo fiat non laborat. Nulla autem Iſraëlitis in his rebus ad ſalutem eſſe poterit via.namque & tenens arcum nō ſtabit, vt ſagittis hoſtem moretur. ſicut ſcriptum eſt:Non enim in arcu meo ſperabo; & velox pedibus non effugiet tamen, Pſalm.43.
& qui equo vtitur,neque etiam cum equi pernicie animam ſuam, hoc eſt, vitam tuebitur.
Fallax enim equus ad ſalutem. Sed ſi maximè vna ſalus victis eſt, nullam ſperare ſalutem: Pſalm.32.
atque hoc conſilio nonnulli pericula obfirmato animo ſuperauēre; tamen nihil horū iſtis
contingets:Si quis enim conſiſtere,omnique pertinacia dimicare paret, in abundantia tamen Ibidem.
virtutis ſuæ non ſaluabitur; quia traditi à Deo ſuo omnino, hoſtiumq. manibus permiſſi erunt. Itaque quicunque fugam turpem, victoriam verò aut mortem honeſtam ſibi eſſe perſuaſerit,is turpiſſimam in fugam ſeſe dare metu & terrore cogetur: namque non ſolùm armis abiectis,ſed veſtibus omnibus depoſitis aufugiet: is autem in fuga occiſus, aut captus, & vitam pariter, aut libertatem, & fortitudinis gloriam amittet.

Et robuſtus corde inter fortes nudus fugiet in die illa, dicit Dominus.

[*Robuſtus corde*, Hebraicè dicitur: *Et fortificatus in corde ſuo in heroibus.*] hoc eſt,qui inter fortiſſimos duces gloriæ cauſa animum ſuum maximè obfirmauerit. Id enim præſtantiſſimum & inſuperabile robur eſt, ſi ad maximam virtutem & incredibiles vires ſumma etiam animi conſtantia accedat; atque adeò ad hanc laudem fortiſſimi viri vocari in ſacris exhortationibus conſueuēre,ſicut ſcriptum eſt:Confortare & eſto robuſtus. Atque hactenus quidem Ioſue 1.
calamitates Iſraëli venturas ſub tranſlatione,& in genere Vates prædixit; iudiciumque eadem ferè formula,qua aduerſus alias gentes pronuntiatum fuerat,pronuntiauit: nunc verò deinceps hæc eadem fuſius apertiuſque perſequitur.

CAPVT TERTIVM.

AVDITE *verbum quod locutus eſt Dominus ſuper vos, filij Iſraël: ſuper omnem cognationem quam eduxi de terra Aegypti, dicens.*

VT VATICINII huius non ſententiam modò, ſed diſpoſitionem quoque atque cohærentiam teneamus, eius rationis atq. inſtituti meminiſſe in primis oportuerit, quod à Vate ſeruari, in ſuperioribus diximus: nempe arguendi formam libenter ab eo tractatam, quæ contentio, aut comparatio à Dialecticis & Rhetoribus nuncupatur: vt cùm gentiũ aliarum ſcelera, & ſcelerum pœnas oſtenderit, Iſraëlitas, quorum cauſa Vates ipſe eſt legatus, iiſdem atque grauioribus etiam criminibus accerſitos, ſeueriori quoque deſtinet ſupplicio. Igitur quæ ſingulis gentibus flagitia fuerint, quæ etiam pœnæ decretæ, iam expoſuerat, atque in genere etiam Iſraëlitarum propoſuerat cauſam, nunc verò eandem plenius tractaturus, eos, quorum res agenda eſt, in crimen vocatos, attentos eſſe vult, eoſdemque ad orationis ſuæ veritatem probandam teſtes & iudices admittit. Vocat autem in primis Iſraëlitas, quos reos præcipuè ipſe facit; ſed probandæ veritatis, & teſtimonij cauſa Iudæos etiam appellat, quorum de diuina lege & religione communes omnino rationes fuêre, ac propterea etiam communis officij, fideique ſeruandæ vtriſque fuerat obligatio. Ob eam rem ait, *filij Iſrael.* hos enim in primis reos facit: deinde verò: *ſuper omnem cognationem quam eduxi de terra Aegypti.* Cognationem pro tota Iſraëlis familia dixit: eſt enim
משפחה Miſpahhah nomen totam vnam nationem ſignificans, vt apud Zachariam: Et ſi cognatio
Zach. 14. Ægypti non aſcenderit. & illud: Cognatio eorum ſimul. Dominum autem accuſatorẽ fa-
Pſalm 73. cit dicens, *Verbum quod loquutus eſt Dominus ſuper vos:*] hoc eſt orationem quam contra vos ſuſcepit Dominus; quam orationem Vates ipſe non tam agit, quàm refert: ſuſtinet enim Dei accuſantis in agendo perſonam. Principiò autem rationem affert quamobrem eorum cauſa grauius, & vehementius, pleniusque multò quàm aliarum gentium tractetur; cur etiam ſingula in eos ſcelera, atque omnium gentium flagitia obſeruet, animaduertatque, cùm aliarum gentium non niſi grauiſſimas tantùm iniurias perſequi conſueuerit: Nam quãuis nullum vlli genti facinus aut ſcelus admittatur impunè (erit enim quando ſingulorum ratio, pœnæque dandæ ſingulis ſint) tamen exactiori quodam iudicio Iſraëlitarum res agi, inquiri atque tractari etiam in hac vita videntur. Id autem haud iniuria fit: nam qui pluribus & maioribus, beneficiis affecti apertioribus fœderis & fidei legibus aſtricti ſunt, pluribus etiam officiis tenentur, & exactiori, acriorique ſubiacent iudicio, ſicut ſcriptum eſt: Seruus qui non nouit voluntatem domini ſui, neque facit eam, vapulabit: qui verò no-
Luc. 12. uit & non facit, vapulabit pluribus. Quoniam autem Iſraël præ omnibus terræ nationibus » in familiarem populum adoptatus, & à ſeruitute redemptus, libertate & ciuitate donatus, perque deſertum antea, & deinde in regione ipſa quam incolebat innumeris ſemper muneribus atque honoribus affectus fuerat, ex ea re argui manifeſtè poterat maiori prouidentia & cura illis, illorumque rebus à Deo proſpectum eſſe, actionibus etiam omnibus tam bonis quàm malis obſeruandis & & inſpiciendis, maiorem adhibitam eſſe diligentiam: non quòd cæterarum gentium res à numine ignorentur, ſed quòd vt in hoc populo præ cæteris ornando, beneficentiſſimum ſe Deus exhibuit: ſic repetendo ab eis officio, æquiſſimum iudicem, acerrimumque ſeſe præbeat exactorem. Veluti ſi quiſpiam aut princeps, aut rex, alias quidem ciuitates, quas plurimas poſſidet, neceſſariis legibus, beneficiiſque proſequatur; quam autem ſibi proprius in regiam optet, cuius ſe in primis ciuem, patronum, tutoremq. profiteatur, eandemque magis præſentia ſua illuſtrare, muneribus ornare, frequentibus etiam beneficiis cumulare ſtudeat; illam profectò vel ob eam rem quòd aſſiduus in ea ciuitate ſit, ſingulorumque ciuium rebus ipſe augendis, proſperandiſque prouideat, maiori ſingulorum hominum negotiorum, geſtarumque rerum notitia & obſeruatione abundare oportet. Hanc eandem omnino ſimilitudinẽ ad ſe transferens Deus, cauſam exponit quãobrem acrius ſibi cum eis quàm cum cæteris agendum ſit: namque ex antiqua, aſſiduaque erga eos beneficiorum conſuetudine & cura, exploratiſſimas iam ſingulorum res, rationesq́ue habet. Hæc autem non ad diuinam & ineffabilem rationem, ſed ad humanam, & noſtris ſenſibus accommodatam, vt aliàs diximus, referenda ſunt, ac nobis profectò huiuſmodi Dei cum hominibus ſermones ſuauiſſimi gratiſſimique ſunt.

Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ: idcirco viſitabo ſuper vos omnes iniquitates veſtras.

ALIARVM, inquit, gentium grauiſſima ſcelera, & quæ publicam in ſe continent iniuriam, viſitare ego ſoleo; quorum res & ſi curæ mihi ſunt, tamen vt longius ſepoſitorũ, non niſi grauiſſimæ & diffamatiſſimæ cauſæ publicè iudicantur, quæ multis nuntiis atque teſti-
Gen. 18. moniis iam ad me ſunt perlatæ, ſicut ſcriptum eſt: Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum

rum multiplicatus eſt,& peccatum eorum aggrauatum eſt nimis: deſcendam,& videbo vtrum clamorem,qui venerit ad me,opere compleuerint,an non eſt ita,vt ſciam. Vide quàm longè à cæteris nationibus ſeſe abeſſe Deus oſtendat, vt publica in eos iudicia non niſi de publicis & maximis ſceleribus exerceat,qui tamen ſingulis hominibus priuatè iudicandis eſt præſentiſſimus,ſicut ſcriptum eſt:Quia tu reddes vnicuique iuxta opera ſua. Veſtra verò negotia atque res omnes notiſſimæ mihi ſunt, vtpote quibus præſentia mea, maximoq. munerum cumulo ornandis, aſſiduus ſemper fui;ideò cunctarum iniquitatum veſtrarum rationes in iudicium reuocandæ mihi,atque animaduertendæ in vobis ſunt,ſicut lege iam, & iuſtiſſima ſanctione conſtitutum fuerat. Scriptum namque eſt: Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi. Viſitationem autem hoc in loco, idem quod Latinis, animaduerſionem eſſe dicimus,atque ad eaſdem referri res. Videndum autem eſt quanta diligentia Deus vel tenuiſſima quæque populi ſui peccata obſeruet:quanta etiam ſeueritate puniat, quantumque ſibi hac in re cauere eos oporteat,qui præcipuam quandam Dei erga ſe curam eſſe intelligunt & prędicant;quo in gradu Chriſtianus hodie populus eſt collocatus. Quoniam verò Iſraëlitis in crimen vocatis Iudæos etiam adiunxerat, atque vtriſque ſimul eaſdē excidij & abductionis conſtituerat pœnas, velut eodem ſceleris genere obligatis reis, cùm diuerſæ tamen vterque ab altero ſententiæ, diſſentientiſque conſilij populus eſſe videretur; oſtendit Deus cum maxima regni diſſenſione,maximam impietatis inter illos eſſe conſenſionem,illudque ab vtriſque fuiſſe admiſſum,vt cùm maximè de regno,de regibus diffideretur,in idem tamen impietatis ſtudium vehementer vtrimque incumberetur. Itaque ex illa diſcordia hanc in ſuperſtitione concordiam ortam eſſe affirmare poſſis. Cōſentaneum igitur eſt eoſdem pœnarum ſocios eſſe,qui & ſceleris etiam fuerint. Magnam autē vtriuſq. populi conſpirationem & concordiam ad ſuperſtitionis ſtudium defendendum eſſe, ſimilitudine propoſita demonſtrat: Pſalm 61. Leuit. 10.

Nunquid ambulabunt duo pariter niſi conuenerit eis?

FIERI non poſſe ait,vt duo pariter eandem inſiſtant viam , neuterque alterum impediat , niſi eodem ſtudio vterque teneatur. Quanquam ergo ab alterius rege alter deſciuerit populus,vterque tamen à diuina lege pariter deſciuit;atque vterque ſuperſtitionis viam affectauit,alterque alteri muniuit. Et de regno quidem inter illos magnæ ſimultates & factiones;de ſuperſtitione verò & ſimulachrorum cultu,nulla prorſus diſſenſio, ſed magnus in hac cauſa animorum ſtudiorumque conſenſus fuit: ac perinde re ipſa inter eos cōuenit, ac ſi communicato conſilio eandem fouendam confirmandamque ſuſciperent. Vt igitur eiuſdem ſceleris idem conſilium fuit;ſic idem etiam erit eiſdem ſupplicium. Vtque hic & ille populus animum pariter ad ſuperſtitionem, diuinæque legis contemptum appulit, ſic & vterque hoſtis idem prorſus de his perdendis inibit conſilium: Namque Senacherib decem tribus ob nefarium ſuperſtitionis ſcelus;ob idem etiam & Nabuchodonoſor Iudæos Deo impulſore vaſtauit. Quoniam verò grauiſſimū hoc vtrique populo impendebat malum,quale ipſi depellere omnino non valerent; etenim cum maximis, & potentiſſimis ,& cælitus etiam inſtructis hoſtibus futura illis erat res: propterea addidit;

Nunquid rugiet leo in ſaltu, & non habebit prædam? Nunquid dabit catulus leonis vocem de cubili ſuo, niſi aliquid apprehenderit?

DVRISSIMAM calamitatem ab hoſtibus venturā his ſimilitudinibus docet: namque leone nullum animal aut fortius,aut ferocius eſt. Igitur cuicunque ſiue animanti, ſiue alij etiam feræ ſimiles eſſe Iſraëlitæ , Iudæique voluerint, tamen cum leonibus ſibi pugnam paratam intelligant oportet: Namque vt aliarum animantium principatum leoni natura conceſſit;ita omnium gentium imperium Deus Aſſyriis decreuerat. Vt ergo leo fame impulſus,nunquam impetum fruſtra in alias animantes facit,eademque omnino Chephiro,hoc eſt leoni iuniori felicitas eſt: ſic neque Senacheribis, neque Nabuchodonoſoris bellicum impetum aut frangere aut ſuſtinere integrum vobis erit,ſed neque periculum effugere dabitur. Quicunque enim ab his hoſtibus in regionibus veſtris inuentus fuerit, perinde victoris virtuti & voluntati cedet, perinde manus ligandas tradet,atque auiculæ, quotquot in terram cadunt,aucupi laqueos tendenti cedere ſolent: & quemadmodum laquei pertica à terra quò inclinata eſt,nunquam niſi capta iam auicula reſilit; ſic nec hoſtis cùm ſemel vobis bellum attulerit, re vnquam infecta in patriam redibit.

Nunquid cadet auis in terra abſque aucupe? Nunquid auferentur laqueus de terra antequam quid ceperit?

SIMILITVDINES propterea geminat, quod cum gemino populo à geminis etiā hoſtibus perdendo ſermonem inſtituit: Nam neque Iſraëlitica regio Senacheribis inſidias, obſidionem,vimque repellere aut effugere,neque Iudæa Nabuchodonoſoris aut conatum retardare,aut ſpem fruſtrare potuit,quo minus victoria potitus captam ſecum gentem in trium-

triumpho abduceret. Atque hæc quæ dicta ſunt, quæque ſequuntur, eò omnia pertinent, vt diuinum de hac gente iudicium certiſſimum eſſe cognoſcatur, eiuſdemque gentis pertinax arguatur malitia. Nam vt vnam, communemque impietatis & ſuperſtitionis cauſam non caſu, ſed deliberato conſilio vtrique populo ſuſceptam defenſam eſſe conſtabat, ita futuram vtrique à duobus regibus ſimilem vltionem, non caſu, ſed conſilio etiam diuino parari manifeſtum erat, atque eò maximè quòd quæ caſu fiunt, cùm incertos exitus habeant, prædici rectè non poſſunt: hæc verò quæ prædicta ſunt certiſſima eſſe, conſtans & conſentiens prædictionibus ipſe euetus probabit: Si enim hoſtiũ alter voto ſuo potiretur, alter verò fruſtraretur, ea res ab imperitis, vt ferè fit, fortunæ adſcribi poterat. Sed cùm vterque rex eiuſdem conſilij eundem ſit exitum habiturus, id non niſi certa ratione, iudicioque diuino parari, manifeſtum omnino eſt; maximè autem quod prædictum antea per vates; atq. vt certum de ſcelere teſtimonium ab illis dictum fuerat, ſic certam etiam ſupplicij ſententiã ab iiſdem pronuntiatam interpretari, atque ob eam rem ſibi populum cauiſſe, non autem neglexiſſe, ſecuréve egiſſe oportuit, cùm toties eadem res, idem illis eſſet decantatum vaticinium, vt non niſi maximè inſanientis eſſet, malum tanta conſtantia prædictum, affirmatumque non timere: neque enim de nihilo eſſe poterat, tot homines grauiſſimos atque ſanctiſſimos tanta ſollicitudine, tanto cum ſalutis & proprij honoris periculo futura illis mala prædicenda curaſſe, ideoque non propria aliqua, ſtultaque cogitatione profectum, ſed diuino conſilio paratum eſſe putandum erat: Namque nulla maxima publicis rebus calamitas ex priuata cuiuſque cogitatione, ſed ex diuino conſilio atque iudicio incidere ſolet. vtque ea res à nemine priuatim parari, ſic neque priuata cogitatione aut prænoſci, aut prædici poteſt, niſi ab eo cum quo Deus arcana conſilia ſua communicare voluerit, ſicut ſcri-
Gen. 18. ptum eſt: Nunquid celare potero Abraham ſeruo meo quæ geſturus ſum? perditurus au-
» tem erat quinque illas totius regionis nobiliſſimas vrbes. Id verò non cum vanis, aut ſtul-
» tis, impiiſue hominibus, imò potius cum iis quos fideliſſimos, atque ad rem gerendam ſtrenuiſſimos, diligentiſſimosque eſſe cognoſcit, agere ſolet; illi verò creditam ſibi legationem, & mandatum munus diligenter in primis exequuntur: Quid enim contrà faciant pij, & diuino timore, religione atque fide præditi viri? quid, niſi tradita ſibi à Deo mandata diligenter curare, atque ad eos quorum cauſa data fuerint, perferre? Et tamen duræ ceruicis, & incircunſi cordis populus, tanta cauſarum, criminũ, legationum, perſonarũ conſonantia, tãta mole, tantaq. diuina auctoritate non mouetur, cùm nulla tã felix, tamq́. ſecurè agens ciuitas ſit, quæ ſi militare ſignum tuba datum audierit, non moueatur & timeat, rebusque ſuis publicè & priuatè proſpiciendum putet. Iſraël tamen nihil horum cogitat, & nec prædictionibus, atque vatum reſponſis fidem habendam, nec rebus conſulendum, neque hoſtibus certum euentum fore poſſe arbitratur; ſed hæc omnia vana incertaque eſſe: quæ vt certiſſima, conſtantiſſimaque ſint, ab ipſis eſt commiſſum, quotidieque magis ac magis, vel iſta eorum negligentia committitur.

Si clanget tuba in ciuitate, & populus non expaueſcet? Chaldæus interpres ſic vertit: *Si clanget buccina in ciuitate importuno tempore, & populus, &c.*

NAM ſi feſtis & ſtatis temporibus tuba canitur, nihil populum turbat ſonus, ex conſuetudine & certa iam cauſa cognitus. Sin verò præter conſuetudinem id accidat, tunc ſuſpicione, metuque plenus vnuſquiſque ſibi ſuiſque metuit rebus. At verò vatum voces aſſiduæ atque importunæ futura mala, euentusque prædicentes, audiuntur, & tamen nihil populus hic timendum ſibi eſſe ducit; quaſi vero malum publicè impendere ſoleat ex humano conſilio quod infringi, aut minui poſſit, & non ex diuina potius ſententia, quæ legitima tantùm deprecatione in melius commutari poteſt. Atqui illud perniciem rebus publicis adferre interpretari oportuit, non eo quòd ab homine dictum, ſed quòd à Deo paratũ fuerit. Quod verò ab hominibus prædicatur, neque id etiam humanum eſſe, ſed planè diuinum, quando arcanum, diuinumque conſilium tantùm ſacris vatibus cognoſcere contingit, quibus Deus conſilia ſua, & iuſtitiæ, æquitatiſque probandæ, & populi, orbiſque monendi cauſa communicat, & aperienda ac publicanda committit.

Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit?

MALVM in ciuitate publicæ calamitates dicuntur; cuius generis ſunt bella, fames, peſtes: horum nihil caſu, aut fortuna, ſed diuino omnia conſtant conſilio, quocunque modo, quibuſcunque ex rebus eueniant, ſiue cælitus immiſſa hæc mala, ſiue à malis ſpiritibus, ſiue
Pſalm. 148. ab hominibus allata fuerint, ſicut ſcriptũ eſt: Ignis, grãdo, nix, glacies, ſpiritus procellarum,
» quæ faciunt verbum eius. & alio in loco: Sunt ſpiritus qui ad vindictam creati ſunt, & in
Eccle. 39. furore ſuo confirmauerunt tormenta ſua, &c. Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindi-

vindictam creata ſunt. Beſtiarum dentes, & ſcorpij, & ſerpentes, & gladius vindicans in exterminium impios; In mandatis eius gaudebunt, & ſuper terram in neceſſitatem præparabuntur, & in temporibus ſuis non prætcribunt verbum. Theologi hoc loco rectè quidem diuidunt; namq. aliud malū culpæ, aliud pœnæ eſſe dicūt: hoc à Deo parari; illud hominum ſola malitia effici docent. Sed miror aliam illis opportunā in hac re partitionem fuiſſe prætermiſſam, qua malū pœnæ, ſiue damni, vulgo dictum, in publicū & priuatū diducitur: publicum malū ciuitatis dici, hoc ſemper Deo auctore, ſceleris expiandi cauſa, venire: priuatum verò, neq. ob ſcelus ſemper, neq. ex diuina auctoritate effici, quamuis non præter illius accidat permiſſionē. Sed de his aliàs: nunc enim vaticiniorum interpretationē, non theologicarum rerum diſputationē tractamus. Si ergo ſigno buccina dato turbari ciuitas ſolet, diuinumq́. ſignum vatū vocibus frequenter datur, metuere ſibi Iſraëlitas vehementer oportuit: Namq. ſignum diuinitus datum, malum etiam diuinitus impendere arguit. Vt autem publica calamitas nunquam niſi Deo auctore accidit; ita etiā non niſi Deo monitore prædicitur; qui id per vates ſuos agendum curat; vt iudiciorum ſuorum populus admoneatur.

Quia non faciet Dominus Deus verbum, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos prophetas.

DVM breuiter & abſolutè totius ſermonis ſententiam complecti ſtudemus, ſingulorum verborum rationem habere non poſſumus, quorum tamen, vtpote diuinorum, ſumma & eximia ratio eſt: ſed id opus, & noſtri ingenij vires, & huius temporis legentium patientiam tentaret potius, quàm probaret. Hoc tamen compertum affirmare, aliiſque excogitandum relinquere poſſumus, nullum in vniuerſis diuinorum ſermonum paginis eſſe verbum, quod non ſummo conſilio, elegantique ſignificatione ſit poſitum, aliamque atque aliam rationem eſſe, quamobrem interdum à vatibus Deus, interdum Dominus, interdum etiam Dominus Deus, & Dominus Deus exercituum, aliiſque ac aliis nominibus appelletur. Nihil enim aut temere poſitum, aut ſine magno momento repetitum, geminatumque in ſacris eloquiis eſſe poteſt, neque quicquam ad orationis ornatum addi, quin idē ad ſententiæ cumulum, acceſſionemque faciat: vt illas ex his quinque rebus petitas ſimilitudines, quas nonnulli vnam eandemque rem ſignificare putauerunt, magno ſingulas pondere, ſuaque ratione non carere, oſtenſum à nobis eſt. aliud enim ſignificabant, duo iter agētes; aliud Leo rugiens, &c. At verò futurarum rerum cognitio, ſecretum diuinum à vate appellatur, cuius nullus Aſtrologus, nullus Magus, aut Chaldæus; ſed tantùm ſacri, atque Dei miniſtri, vates participes primùm ſint; ac deinde eorum obnuntiatione alij etiam eſſe poſſunt; non ex ſcientia quidem, aut diſciplina aliqua, ſed ex fide diuinis illorum oraculis habenda. His autem vbi apertum arcanum fuerit, facile & pronum eſt obnuntiare, maximè cum populo ſuo malum, calamitatemque impendere iudicatum ſit: quam vt ſignificent, non modò diuina iuſſione, ſed humanitate etiam ipſa impelluntur.

Leo rugit, quis non timebit? Dominus Deus loquutus eſt, quis non prophetabit?

NIHIL omnino eſſe quod ab Iſraëlitis in tota hac cauſa præter ſeipſos, ſuamque inſaniam reprehendi poſſit, oſtendit; nihil enim fuiſſe quod ad eos docendos, monendosq́. defuerit, niſi ipſi ſibi omnino deeſſe voluiſſent. Primùm enim grauiſſima ſcelera, magno ſtudio, ſummaque conſenſione ab iis admiſſa ſunt: deinde ſcelerum pœnæ à Deo decretæ, magno & conſtanti apparatu, eademque omnino formula exactè diuinum iudicium oſtendere planè poſſent; maximè autem quòd vtraque ratio, & ſcelerum, & pœnarum, communicata à Deo cum vatibus ſit, ab eiſque diligenter procurata, & magnis etiam clamoribus fuerit denuntiata: Neque enim quicquam aut prætermiſſum, aut occultatū à vatibus fuit, quod dictum, expoſitumque fuiſſe oportuerit. Non magis illi tacere à Deo mandata potuerunt, quàm is qui leonem in ſaltu rugientem audierit, non timere, trepidareque poteſt; id quod ſuo ipſius exemplo Amos probat, qui traditam ſibi ad eos legationem inſtituta denuò accuſatione plenè eſt obiturus. Itaque Deum officio ſuo ſatisfeciſſe oſtendit; & vates omnes ſuo, hoſtes etiam ſuo ſatisfacturos, ſolos autem Iſraëlitas planè inſaniſſe, qui ſceleribus admiſſis, tamen nec ſe dignos pœna exiſtimauerint, nec à Deo timendum, nec vatibus credendum, neque accuſationes, aut ab aliis, aut à ſe factitatas, curandas duxerint; quas ij, quibus ea demandata prouincia eſt, non negligenter tractabunt, ſed ſumma cura & diligentia peragent. Nam ſi illi buccinæ ſignum maximè contemnant, ab ipſis tamen leonis rugitus vehementer timetur. Hactenus totius orationis propoſitio, partitioque ſuis locis & membris diſtincta, atque etiam exordio aptis ornamentis illuſtrata: nunc verò deinceps confirmatio eſt, eaque maximis orationis luminibus diſtincta, & rerum, ſententiarumque pondere locupletata. Singulas namque partes Dei nomine vates perſequitur, & nunc actoris, nunc verò iudicis perſonam ſuſtinet.

Auditum facite in ædibus Azothi, & in ædibus terræ Aegypti, & dicite: Congregamini ſuper montes Samariæ, & videte inſanias multas in medio eius, & calumniam patientes in penetralibus eius.

IVDICIVM prolaturus Deus aduerſus Iſraëlitas, ad ſpectaculum vicinas gentes vocat, à quibus accuſationem, ferendamque ſententiam probandam eſſe, certum exploratumque eſt. Eas autem potiſſimùm nationes appellat, quæ præteritorum Dei erga eum populum beneficiorum teſtes, non ſine ſuo magno malo, fuêre. Namque Ægyptij, qui Iſraëlem ſeruitute oppreſſum retinere conarentur, ingenti accepta clade, & magna rerum ſuarum calamitate ac iactura, contentionem remittere coacti ſunt, Deiq. aduerſus oppreſſores iudicium experiri: Palæſtini verò multis ſceleribus nobilitata gens, dum eoſdem à ſuis locis & finibus arcent, fere omnes periêre; tantumque generis ſui tenues reliquias in Azotho, Gaza, & Aſcalone conſeruarunt. Quoniam autem vtriſque magna, ex Iſraëliticarum rerum felicitate, ſuſcepta inuidia erat; manifeſtum eſt, ex earundem detrimento & calamitate, maximam nuntio etiam accepto, nedum ſpectaculo ipſo, percipiendam eſſe voluptatem, ſicut ſcriptum eſt: Fecit Dominus quæ cogitauit, compleuit ſermonem ſuũ quem præceperat à diebus antiquis; deſtruxit & non pepercit, & lætificauit ſuper te inimicum, & exaltauit cornu hoſtium tuorum. In miſeris autem rebus illud miſerrimum omnino eſt, cùm quis accepta calamitate, ſuorum inuidorum auxerit voluptatem. quamobrem ne publica Iſraëlitarum clades ad hoſtes perferretur, Dauid vehementer metuebat: Ne annuntietis in Geth, neque annuntietis in compitis Aſcalonis, ne fortè lætentur filiæ Philiſtinorum, ne exultent filiæ incircunciſorum. His verò inuidis atque æmulis, iudicando, dãnando & producendo Iſraëlitarum populo, ſpectaculum præbere Deus vult; atque eoſdem ſuæ iuſtitiæ ſeueritatiſque erga Iſraëlem parat, quos olim miſericordiæ teſtes & ſpectatores effecerat. Magnã enim ex eo voluptatem percepturæ erant hæ gentes, quòd ſe ab Iſraëlitis ſceleribus vinci, & ferendo ſupplicio etiam ante iri intelligerent. rem verò ipſam ad earum gentium reges perferri iubet, quòd ab iis reliquus populus ad ſpectandum facilè poſſit educi. Iubet autem id per vates Deique nuntios curari, vt in regiis illorum populorum ædibus negotij huius præconium fiat; namque & certior, & crebrior fama à regia domo in vulgus manare ſolet. Præconij autem formulam præſcribens ait: *Congregamini ſuper montes Samariæ.*] Samaria in cliuo ſita erat, ſicut ſcriptum eſt: Emitque Amri montem Samariæ à Somer duobus talentis argenti, & ædificauit eum, & vocauit nomen ciuitatis quam extruxerat, nomine Somer domini montis Samariæ. Erant autem montes continui ad eam pertinentes vrbem. In hos verò, quaſi in theatrum aliquod Palæſtini & Ægyptij Iſraëlitarum tragœdiam ſpectaturi conuocantur: Namque ex editioribus montibus, quæ inferius aguntur commodiùs ſpectari clamoreſque audiri melius ſolent, ſicut ſcriptum eſt: Vox in Rama audita eſt, ploratus & vlulatus multus. Rama autem celſum, editumque locum ſignificat. Quæ autem & qualia ſpectanda, audiendaque ſint, ſtatim exponit: nimirum ingentes ciuium, tum alios vi opprimentium, tum etiam ab hoſtibus oppreſſorum tumultus. Hoc autem ad ipſum vſque tragœdiæ pertinet exitũ: magnus enim furor, & ingens tumultus ſpectandus illis erat, cùm aliorum ciuiũ alios opprimentium, tum eorum qui ab hoſte oppreſſi eſſent Iſraëlitarũ. Vtitur autẽ Vates Enthuſiaſmo figura, qua abſentẽ futurámve rem ante oculos ſtatuere, præſentemque facere, auctores ſolent: quod enim certũ, proximumque eſt, id vt præſens affirmari facilè poteſt. Huius figuræ frequentiſſimus apud prophetas vſus eſt, vt: Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. Et apud exteros etiam vates non eſt infrequens: vt,

Thren. 2.
„
„
2. Sam. 1.
„
„
3. Reg. 16.
„
„
„
Matth. 2.
„
Pſalm. 54.
Horat. lib. 2. od. 19.

Iam iam reſidunt cruribus aſperæ Pelles: & album mutor in alitem.

Calumniam patientes] Hebraicè & Chaldaicè, *oppreſſos*. Namque, vt diximus, ad illorũ exitũ hoc reſpicit, indicatque quẽadmodũ Iſraëlitæ ab Aſſyriis paulò pòſt erunt tractandi; nimirum magna vi, ingentique oppreſſione in captos ſæuituris. Culpam verò, cauſamque ipſam quamobrem huiuſmodi oppreſſionem perlaturi Iſraëlitæ eſſent, ante oculos ſtatim ponit.

Et neſcierunt facere rectum, dicit Dominus, theſaurizantes iniquitatem & rapinam in ædibus ſuis.

CAVSAM quamobrem in ædibus, atque intra domorum penetralia, tumultu & trepidatione loca omnia complenda eſſent, exponit: Nimirum quòd ea omnia, etiã ſecretiſſima loca, rapina, vi, iniuriaque habitantium referta, diuini iudicij ſeueritate eſſent expianda: cuius ſe teſtem profert Deus, vt quem nulla, neque aperta, neque occulta hominũ facta, aut conſilia fallant, ſicut ſcriptum eſt: Qui plantauit aurem non audiet? qui finxit oculum non conſiderat? Dominus ſcit cogitationes hominum: nedum quæ in cubiculis & penetralibus ædium aguntur, cognoſcat. Diuinum autem teſtimonium veriſſimum, certiſſimumque eſt: iuxta quod impoſſibile eſt, Deum mentiri, vt ait Apoſtolus. Igitur culpa eſt, quòd rectum facere non nouerunt. huius culpæ probatio, ex ſtudiis, atque ex euentu ipſo petitur. Omne,

Pſalm. 93.
„

inquit,

inquit,populi huius ſtudium in diuitiis parandis conſumitur:eas autem per fraudem, calumniam, iniuriamq́ue parari.harum verò artium,malarumq́ue rationum nullam apud eos eſſe intermiſſionem,maxima atque affluens diuitiarum copia declarat, quam illis huiuſmodi artes ſuppeditant:non enim vtcunque diuites eſſe,aut lautè viuere ex rapina ſatis illis fuit,niſi eorum domus theſauris etiam obrutis defoſſiſq́ue abundarent. Atqui cùm Eccle. 40.
malè parta malè cum domino dilabâtur, ſicut ſcriptum eſt:Omne munus & iniquitas delebitur;conſentaneum eſt,vt eaſdem ſibi factas inſidias experiantur, quas ipſi aliorum ſaluti fortuniſq́ue fecerint.

Propterea hæc dicit Dominus: Tribulabitur, & circuietur terra, & extrahetur ex te fortitudo tua, & diripientur ædes tuæ.

VT PAR pari referatur, tanto hoſtium impetu & trepidatione, Iſraëliticas res opprimendas,diripiendaſq́ue eſſe dicit, quanta ab illis cupiditate, quanta inſolentia, & iniuria quæſitas & partas conſtat. Nam ne quid earum rerum, imò nequis eorum qui poſſederint, oculos,manuſq́ue hoſtium fallere,aut effugere poſſit; cùm vrbs obſidebitur, in ædes irruetur,& palatij abdita penetrabuntur. Idem autem Dominus,qui certiſſimus iniuriarum accuſator eſt,integerrimum ſe iudicē præbet. *Propterea.*] vox hæc in ſacris peroratam cauſam indicat,quam iudicium ſtatim ſequitur ſeuerum. *Sic dicit Dominus.*] Dicere apud Prophetas, conſilium certum,certamq́ue ſignificat ſententiam: Namque hoc verbum rationis,cogitationiſq́ue magis quàm verborū vim exprimit:vt, Et loquutus eſt Dominus ad Moſen di- Exod. 33.
cens. [*Tribulabitur, & circuietur terra*, Hebraicè ſic: *Arctator qui circueat terram*: ſic etiam Chaldaicè eſt.] Arctatorem vocat hoſtem terram capitali odio animoq́ue incenſo inuaſurum. Eſt autem ecliptica oratio, quæ certo verbi defectu,grauem in animo dicentis indignationem ex rei,de qua fit ſermo,indignitate ortam indicat:vt, Ibi fornicationes Ephraim, contamina- Hoſe. 6.
tus Iſraël. Atque eò vehementior dicentis vis,impetuſq́. arguitur,quò breuioribus ac paucioribus verbis ſententia effertur:vt in hoc loco ſic Hebraicè eſt; *Szar*; vnius ſyllabæ,vnoq́ue graui accentu pronuntiata vox. Vt ſi quis iratus Hiſpanè pronunciet, *fuègo, ràyo, lìndre*; & ſtatim hæc addat, *que loqueme, que lo parta, que le venga*. Simili impetu hæc pronūtianda ſunt: *Tribulator, qui circueat terram.* Ita animatus tribulator veniet,& terram obſidebit, vt non modò effugium,ſed nec moram quidem mortis aut abductionis aſſequi aliquis poſſit, nedum res ſuas, quas tanto ſtudio & iniuriæ feſtinatione partas coaceruauerat, eripere. [*Et extrahetur ex te fortitudo tua.*] Sermo ad Samariam refertur,cuius neque ſitu,neque munitione,hoſtium impetus retardabitur,quo minus ad ipſa vſq. regia & munitiſſima penetrat,quo aditum illi iam rapina iniuriaq́ue patefecerat:eaq́ue omnia diripientur, quæ malè parta & in theſauros fuerant coacta: nihil ex his reliquum erit. Verùm ex hominibus, ſiqui fuerint reliqui, ij nimirum erunt, qui præ valetudine atque imbecillitate, neque aliis damno aut malo fuerunt, neque hoſtibus aut timori, ſi prætermittantur, aut vſui, ſi abducantur, eſſe poſſint. Hoc eſt quod dicit:

Sic dicit Dominus; Quomodo ſeruat paſtor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ; ſic eruentur filij Iſrael, qui habitant in Samaria, in plaga lectuli, & in Damaſci grabato.

ASSYRIVM hoſtem leonis nomine dici, in ſuperioribus ſimilitudinibus eſt obſeruatum. Pulcherrima autem ſimilitudine oſtendit,quatenus totius Iſraëliticæ gentis ab hoſte reliquiæ ſinendæ fuerint:nonnullis enim hominibus conſultum eſſe voluit Deus,qui diuini iudicij ſeueritatem teſtari poſſent; rariſſimos tamen, eoſdemq́ue imbecillimos quoſque fore ait,quibus Deus ob innocentiam;hoſtis verò ob contemptum,parcendum eſſe ducat. Perſtitit autem Vates in accepta ſemel leonis tranſlatione: Sicut enim id animal famem ſuam primùm corde & viſceribus,deinde aliorum etiam membrorum carne explet;ſiquid verò ſaturo relinquitur,id aut tibiæ,aut extremæ auriculæ cartilago eſt, quæ neque carnis vſu,neque ſanguinis guſtu iuuare comedentem poſſunt. Atque huiuſmodi reliquiæ à paſtore inuentæ,ad gregis dominum deferri conſueuerunt,ex quibus legitimum raptus iudicium fiat,ſicut ſcriptum eſt:Si comeſta beſtia,deferat ad eum capturam,& non reſtituet: Exod. 22.
ita etiam Deus in toto Samariæ corpore, quæ omnium Iſraëliticarum vrbium poſtrema hoſtilem famem explebit,vnum atque alterum à cæde eruendos curabit, eoſq́ue aut diuturnis morbis affectos, aut longa valetudine debilitatos, qui in lectis iam diu ſint, & præ macie atque ſolitudine ſeſe ab angulo lecti mouere & reuoluere non poſſint, nec ab altera ſponda in alteram conuertere. [*Damaſci grabato.*] Aliud Latinum vulgatæ verſionis exemplar habet *Damaſco grabati* Non vrbem hoc loco nomen *Damaſci* ſignificat,ſed grabati partem; in qua moueri & reuolui is qui cubar poteſt. Vox enim deriuata eſt à verbo Maſſag, quod moueri & agitari ſignificat:ex qua ſignificatione nos cunæ genus fuiſſe putamus, longo &

diuturno morbo laborantibus ægrotis olim factitatum;in qua ſibi ipſis exercitationem & ſomnum,motioni principio leniter dato, procurare poſſint. Itaque lectum penſilem, aut cunæ genus interpretamur:quo tropo non niſi debiliſſimos quoſque,& bello ineptiſſimos, nullique vſui hoſtibus,ſi caperentur,futuros ſignificauit.hos velut extremam & ignobiliſſimam eius populi partem,ab hoſte relinquendos ait. Hi autem quibus in Samaria parcendum erat,pars fuêre eorum ſeptem millium,quos Deus ſibi relinquendos prædixerat Heliæ,quòd genua ante Baal non curuauiſſent. Non eſſe autem idem nomen Damaſci vrbis, atque hoc quod in hoc loco legimus,iis quidem qui Hebraicè ſciunt,exploratũ eſt. Namque Damaſcus vrbs habet *ſciboleth* punctum in litera Sin: hoc verò Damaſcus habet *ſitoleth*; diuiſaque omnino alterius ab altero pronũtiatio eſt; vt ex ſacrorum etiam librorum narrationibus conſtat.

Audite & conteſtamini in domo Iacob, dicit Dominus Deus exercituum; quia in die cùm viſitare cœpero prauaricationes Iſrael ſuper eum, viſitabo & ſuper altaria Bethel. Et amputabuntur cornua altaris, & cadent in terram.

OMNIVM ſcelerum culpas merito ſupplicio expiandas eſſe prædicit vates; quo diuini
iudicij æquitas integritaſque probetur. Namque vt nullum Deo ab hominibus admiſſum
peccatum probari;ſic neque impunitum euadere poteſt, niſi legitima pœnitentia, depre-
cationeque cautum opportunè fuerit. Contigit autem aliquando multa hominum delicta
Exod. à Deo diutius ſuſtineri atque diſſimulari;non quidem quòd eiuſmodi res aut probetur,aut
Pſalm.5. quaſi leuis negligatur;quoniã non Deus volens iniquitatem ille eſt:ſed quòd lenta ira diui-
nus ſpiritus ſit,atq. ad expectandam ignoſcendi cauſa pœnitentiam,quàm ad repetẽdas fe-
Ioel.2. ſtinanter pœnas,multo procliuior,ſicut ſcriptum eſt: Diſſimulans peccata hominum pro-
» pter pœnitentiam.& illud: Quia benignus & miſericors eſt, patiens, & multæ miſericor-
» diæ,& præſtabilis ſuper malitia. Verùm enimuerò cùm præfixum diuino conſilio expecta-
tionis præteriit tempus, tunc ſe maturo iam & grauiſſimo ſupplicio illato non neglig&etem
fuiſſe, Deus oſtendit,atque antiquorum, nouorumque ſimul ſcelerum repetitis pœnis ſe-
uerum atque integerrimum iudicem probat, ſicut ſcriptum eſt: Hæc feciſti & tacui, exiſti-
Pſalm.49. » maſti iniquè quòd ero ſimilis tui;arguam te,& ordinabo contra faciem tuam. Adde etiam
» quædam ſcelera eſſe,quæ quamuis turpiſſima grauiſſimaque natura ſint,diſſimulari tamen
diutius, atque diuinam patientiam longius tentare ſolent; cuius generis eſt idolorum cul-
tus,atque ea fere omnia quæ ſacram Dei maieſtatem lædunt; vt impietas auguriorum, in-
cantationumque ſtudium, hæreſes, blaſphemiæ in Deum, ceremoniarum, legitimorumque
ſacrorum prophanationes, & quæcunque huiuſmodi cenſentur. admiranda enim Dei in
his omnibus,quæ ad ſe propriùs pertinent,criminibus, iniuriiſque ferendis patientia; ad-
miranda pœnitentiæ ſpectatio eſt. Quæ verò in hominum ſocietate, fide, atque iuſtitia vio-
landa verſantur ſcelera, ea iudicium, ſuppliciumque maturare, ac neſcio quo modo effica-
ciſſimis clamoribus diuinum animum ad vltionem ſolicitare ſolent, ſicut ſcriptum eſt: Vox
Gen.4. » ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris,&c. Verùm enim-
uerò ſi prioris illius generis ſua natura grauiſſimis criminibus horum etiam alterius generis
quidem quaſi cumulus accedat, ea res impoſitum Deo onus adeò auget, vt abiiciendum ce-
lerrimè eſſe iudicetur. atque hoc totum argumentum duobus illis aut tribus apud Iſaiam
Iſai.1. verſibus explicatur: Ne offeratis fruſtra ſacrificium: incenſum abominatio eſt mihi. Neo-
» menia,& ſabbatum,& feſtiuitates alias non feram: iniqui ſunt cœtus veſtri ; Calendas ve-
» ſtras,& ſolennitates veſtras odiuit anima mea, facta ſunt mihi moleſta, laboraui ſuſtinens.
» Hactenus prophanatæ religionis cauſa dicta à Deo apud Iſaiam eſt: ſequenti autem carmi-
ne, fidei, iuſtitiæque violatæ crimen infertur, atque ob eam rem fruſtra ipſis ſuppliciũ de-
precari oſtenditur: Et cùm extenderitis, inquit, manus veſtras, auertam oculos meos à vo-
» bis;& cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam; manus enim veſtræ ſanguine ple-
» næ ſunt. Igitur hoc idem argumentum à vate noſtro hoc in loco tractatur. Namque Iſraë-
litas iniuriarum acceſſitos,& damnatos, tandemque ad ſupplicium producendos, aliorum
etiam impietatis & ſuperſtitionis ſcelerum pœnas daturos eſſe ait: Quamuis enim vano
alienoque cultui diu operam dantes, impunitate hactenus vſi fuerint; tamen ea res diui-
nam potius patientiam, quàm facti probationem arguebat. Nunc verò cùm quarti etiam
flagitij pœnas dederint, ſimul etiam & primi, ſecundi, ac tertij, atque propterea grauiſſimas
dabunt. Ne verò huic rei aliquo modo inficias iri poſſit, certis ſignis & coniecturis diui-
num de ea re conſilium atque iudicium edẽdum eſſe ait: Nam quo tempore Deus in Iſraë-
litas animaduertendum curauerit, eodem etiam tempore Bethelici templi aras funeſtan-
das, altariaque ipſa euertenda hoſtibus cõmittet, vt præſentibus hominibus teſtimonium,

futuris verò ſeculis monimentum ſit,eas aras,totumque illum cultum exſecrationi eſſe deuinctum. Quæ res vt certo,conſtanti, & diuinæ prudẽtiæ pleno conſilio,ac non caſu geſta eſſe videatur,futurum eſſe vt omnes ſingulorum altarium anguli excindantur. Quoniam ſacrorum altarium præcipuæ,auguſtiſſimæque partes anguli ſunt, quibus tota aræ figura terminatur,atque bina quęque latera altaris non ſine myſterio vtrinque committuntur:ob eamque rem præcipuè illa pars cæſarum victimarum cruore,& cùm initiarentur ipſa, & cùm immolandis hoſtiis frequentarentur,imbui conſueuerat. Igitur per vates, pioſq. homines publicè proclamari iubet Deus,& præteritorum & recentium criminum à Deo iudicium edi, eorumque eodem tempore pœnis inflictis, ſuppliciisque ſumptis ſententiam probari:cuius rei argumentum erit nefariorum altarium,& locorum, in quibus illa perpetrata ſunt,exciſio & ruina.eam autem certo modo, & exſecrationi idoneo Deus curabit edendam,vt non tota altaria cum templo,velut hoſtili quadam temeritate, euertantur, ſed ipſa omnium altarium cornua,in quibus præcipua ſanctitudinis ratio eſſe putaretur, conſultò petita excindantur. Vt proditorum domus & loca, vnà etiam cum ipſis proditoribus,in æterni opprobrij monimentum,publicari,& ſolo æquari ſolent:ita etiam Dominus Deus exercituum,quo die in Iacob proditæ fidei facinora animaduertet,eodem etiam die & in Bethel altaria,in quibus commenta ſcelera admittebantur, nouaque etiam concipiebantur,excinderet.In eo enim loco celeberrimo conuentu impiè atque nefariè agebatur, ibidem fides ac religio diuina polluebatur. Vt igitur olim vani cultus,atque à Deo exſecrati ſignum,altaris ſciſſio,& cineris diſſipatio,fuerat à vate datum;ſic nunc certum ab Amoſo ſignum publico teſtimonio confirmatum præſcribitur, quòd ſingulorum altarium (nam plures iam aras hominum ſuperſtitio conſtruxerat) omnes anguli excindendi, inque terram deiiciendi ſint. Verba ipſa breuiter expendamus. Cùm Iacob nomen vates appellant, priuati adhuc Iacob,& fœdus cum Deo ineuntis meminiſſe oportet.cùm verò Iſraëlis appellationem vſurpant,eundem hominem fœdere iam inito,diuinis beneficiis ornatum honoribus auctum intelligunt,officiique faciendi admonent,aut proditi accuſant. atque adeò hanc Theologis viris vtriuſque nominis rationem obſeruari operæpretium eſt, ſicut ſcriptum eſt: Docere Iacob fœdus,& in lege ſua lucem dare Iſraël. Ita alterum nomen,& alterum,diuerſum,non eundem eiuſdem gentis ordinem ſignificat. Atque hoc in loco Iſraël de officij proditi cauſa appellatur,atque ob eam rem dicitur *Præuaricationes*,quod nomen,iuris ab inferiore per ſummum nefas violati,rationem habet: Namq. Hebraicè PESSAGH, legitur,de quo iam eſt à nobis aliàs dictum. Illa porrò appellatio Dei exercituum, cùm de paranda à Deo vltione ſermo eſt, vſurpari à vatibus atque ab aliis ſacris ſcriptoribus ſolet: vt, Propter hoc ait Dominus exercituum Deus Iſraël : Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis,& vindicabor de inimicis meis. Sed vt hæc omnia perſequi longum eſt, ſic & omnino prætermittere fuerit incommodum. Quoniam autem non ſolùm præſentium iniuriarum culpæ,ſed veteris etiam violatæ fidei præuaricationes, & ſcelera animaduertenda in Iſraële à Deo eadem opera erant:& in his ſceleribus puniendis,nõ ſolùm familiæ ipſæ proditorum ac ſceleratorum hominum,quicunque conſilij & facinoris participes fuerint,perdi,atque extingui;ſed domus etiam ipſæ,publica quoque ac priuata loca,in quibus hæc excogitata,acta,atque exercita fuerunt, dirui atque euerti ſolent. Hanc eandem in ſupplicio ſumendo rationem ſequuturum ſe Deus ait. Primùm vt publicus atque cõmunis omnium locus Bethel;deinde quæ his dignitate & frequentia ſecundæ ſunt regum atque principum ædes:tum porrò & priuatorum hominum plurimæ domus;vt quiſquis maiori culpa notatus fuerit, diruantur: eaque res perpetuam & ſceleris & ſupplicij memoriam conſeruet.

1.Reg.13.

Eccli.45.

פשע

Iſai. 1.

Et percutiam domum hyemalem cum domo æſtiua: Et peribunt domus eburneæ, & diſſipabuntur ædes multæ, dicit Dominus.

ET regiarum opum,& principum magnificentiæ, atq. exquiſitæ architecturæ eſt,commodiſſimas ad habitandum pro anni temporum rationibus ædes fabricare: atque hoc genus in deliciis Aſiaticos olim reges in primis habuiſſe, multis vtriuſque partis ſcriptorum lectionibus compertum eſt,ſicut ſcriptum eſt: Et rex ſedebat in domo hyemali in menſe nono. Et de Æglą rege Moab etiam legimus: Et is ſedebat in æſtiuo cœnaculo ſolus. Totum hoc genus Perſicos apparatus Græci & Latini auctores nominant. Vſque adeò autem in his rebus aucta luxuria eſt,vt commoditate non contenti, pulchritudini etiam ſtudentes,exquiſitis,& pretioſiſſimis materiis longè comportatis ædes conſtruerent, quibus dominorum diuitiæ atque opes oſtentarentur. Igitur relictis cedris & cupreſſis, aliaque omni ſatis alioqui apta,grata,æternaque materia,quòd ea etiã inferioris ordinis hominibus ſuppetere poſſet,ebore vti cœptum eſt,atque ex pretioſo,minus tamen natura ſua commodo,

Hier. 36.

Iudic. 3.

Horat. lib. 1. od. vlt.

1.Reg. 22.

elephantis dente, admirabile tabularum & trabium opus arte concinnari. huiuſmodi domum ab Achabo ſuperſtitionis cultore rege ædificatam fuiſſe, memoriæ proditum eſt. In iis ergo magnificētiſſimis & delicioſiſſimis ædibus cōmodiſſimè & ſuauiſſimè habitantes, illa præcipuè curabant & agebant, quæ otioſi & voluptate diffluentes homines commentari, tractareque ſolent; in quibus rebus ſuperſtitio eſt, ſicut ſcriptum eſt: Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit: incraſſatus, impinguatus, & dilatatus dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo: noui recenteſque venerunt, &c. Qui architecturæ peritiam aſſecuti ſunt, noſtram etiam in hoc loco de diuinis ſcripturis ſententiam facilè probabunt, nempe nullam eſſe diſciplinam, cuius optimæ & maximæ rationes diuinis in libris non contineantur. Triplex Architecti finis, & in agendo intentio eſt; vtilitas, commoditas, & pulchritudo: quæ omnia in hoc loco apertè ſunt à vate indicata. Communem igitur totius populi, celeberrimumq́ue conuentum, Bethel; deinde regias ipſas, principumq́ue domos; ita vt nulli, aut propter artis, aut propter materiæ pulchritudinem, & magnificentiam parcatur; aliorum etiam priuatorum ædificiorum plurima diruenda eſſe, diuina decreuerat ſententia. neque verò hoſtium ſolùm voluntate, qui pulchritudine, ſpecie & arte, atque materia fortaſſe moti, clementes eſſe potuiſſent, ſed ex diuini conſilij ſententia curandum, faciendumq́ue erat. Namque rex proditorum res omnes peroſas habet; quoq́ue maiores, magnificentioreſque ſunt, eò vehementius perdendas curat, nec vllum niſi ad infamiam veſtigium relinqui ſinit. *Dicit Dominus.*] Stabit ſententia. Atque hactenus vaticinij primi explicatio eſt.

Deut. 32.

SECVNDI VATICINII ARGVMENTVM.

ACCVSAVERAT Vates Iſraelitas in primo ſuo vaticinio, eodemq́; in crimine Iudæos etiam inuoluerat: atque ea quidem prima fuerat actio, qua vtrumque populum eodem ſuperſtitionis ſcelere contaminatum oſtendens, eidem vltimi ſupplicij genere deſtinauerat. Nunc verò in hac ſecunda actione contra vtrumque populum ſeorſum, & Ephraitas videlicet, & Iudæos, cauſam dicit; grauiq́; rerum partitione vſus, alia etiam ſuperioribus criminibus crimina accumulat; eademq́; tum rerum, & perſonarum, tum conſiliorū circumſtantijs amplificat. Primo enim loco Samaritanas feminas accuſat, quòd illarum conſilio, & hortatu, magnæ tenuioris fortunæ hominibus iniuriæ, atque damna fiant; quas grauibus ob eam rem pœnis, captiuitate videlicet publica, & turpiſſima, mulctandas eſſe prædicit. Deinde in harum inuehitur viros, quòd non ſolùm feminarum impulſu ad iniuriam faciendam ſeſe dimiſerint, ſed vltrò etiam à Deo ſuo ad vanum ſuperſtitionis ſtudium tranſtulerint: Vtq́; pauperum rebus, per ſummam iniuriam fraudatis, ad feminarum luxum abutebantur, ita debitis Deo honoribus, & ſacrificijs, ad vanos deos colendos vnà cum ſuis feminis nefariè fuiſſent abuſi. Quintuplici autem propterea pœna mulctandos prædicit, fame videlicet, tribus de cauſis ſeſe conſequentibus, oborta; tum quòd hoſtis in agros populabūdus impetum facturus eſſet; tum quòd opportunæ pluuiæ cælitus negandæ; tum etiam quòd locuſta immiſſa, perdendæ ſegetes eſſent: Quartum verò pœnæ genus peſtem: quintum autem cruentum bellum denuntiat; quo bello illorum res vexandæ, atque vehementer affligendæ deterendæq́;, non tamen funditus euertendæ forent. Atque hæc omnia & denuntiata & prædicta, tamen ab illis contempta eſſe intelligens, acerbo dolore affectus, atque ardentiſſimo pietatis ſtudio incenſus, miſerabiles illis decantat elegos, grauiſſimoq́; luctu extremam totius Iſraëlis miſeriam, clademq́; denuntiat: ad quam porrò deprecandam omni eos cura, omniq́; diligentia adhortari non deſiſtit; atque vtriuſque partis ad eam rem comparatione facta, Dei videlicet, atque aliorum qui pro dijs colerentur, docet hos nihil præſtare poſſe cultos, nihil nocere neglectos. Contrà verò Deum ſumma eſſe virtutis, & infinita etiam potentia, qui omnium rerum vim, naturámque ſua voluntate creauerit, & imperio moderetur: itaq. & luce eos perfundere, & contrà, niſi reſipiſcant, tenebris & miſera calamitate inuoluere poſſit, acerboq́; ac diuturno luctu afficere; vt totis Samariæ vijs & triuijs nihil niſi queſtus & eiulatio audiatur.

Hæc vbi aduerſus Ephraitas perorata ſunt, ad Iudæos ſermo conuertitur; à quibus, inuidiæ & obtrectationis cauſa, Iſraelitarum calamitas vehementi ſtudio expectabatur: eoſq́; non minus Deo inuiſos eſſe affirmat, quorum nulla iam grata, acceptaq́; ſacrificia ſunt. Neque enim vlla cæſarum hoſtiarum frequentia grata eſſe poteſt, vbi iudicium, miſericordia, & iuſtitia, totum denique officium deſideratur: vbi cum Dei cultu vanorum etiam Deorum cultus coniungendus eſſe creditur. Quamobrem eoſdem vltra Damaſcum, Babylonem vſque abducendos eſſe ait; quoſdam etiam ex illis inter Palæſtinos & Ammonitas eſſe diſpergendos; quod contra omnem eorum expectationem & ſententiam erat, qui præſentium rerum voluptate & vſu decepti, futuris malis neque proſpexerint, neque per vates prænuntiatis, animum aduerterint: quamobrem peſtem ſibi, bellumq́; paratum experiantur neceſſe eſt. Tandem autem vtriuſque populi coniungenda cauſa, orationem ſuam vates abſoluit.

CAPVT QVARTVM.

AVDITE *verbum hoc vaccæ pingues; quæ eſtis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes: quæ dicitis dominis veſtris afferte, & bibemus, &c.*

PERORATA in genere iam Iſraëlitarum crimina, nunc deinceps in actione hac partitur & diſtribuit Vates, atque vnamquamque partem ſuis perſonis diligentiori iudiciorũ forma refert: aliæ enim in eodem crimine aliis rationibus accerſiri & poſſunt & debent. Nam quidam ſceleris auctores; quidam mali conſilij miniſtri; quidam etiam tutores, propugnatoreſque ſe præbent. Huiuſmodi igitur rationes Amos, qui Dei cauſam agit, hoc in loco perſequitur; atque grauiſſimam illam culpam attribuit feminis Iſraëliticis, tanquam primis auctoribus, quarum impulſu commiſſa ea fuerit. Deinde & in viros ipſos inuehitur, qui harum dicto & ſtudio morem geſſerint, & hoc antiquis idololatriæ ſceleribus etiam tanquã cumulum addiderint: ita neminem qui culpa communicauerit, aut criminis, aut pœnæ expertem fore, diuino decretum iudicio eſt. Aptiſſima verò ſimilitudine mulieres illas Iſraëlitarum Principum & magiſtratuum vxores, vaccas appellat, eaſque pingues, ſiue Baſſanitides cognominat, tum naturam, tum rationem dicendi antiquam, & elegantem ſequutus: Namque in boum genere vaccæ natura inferiores, imbecillioreſque ſunt, & ad procreandam ſobolem magis quàm ad aratri, currúſue laborem comparatæ; & qui magna armenta poſſident, hanc rationem plerumque ſequuntur, vt maribus ad ruſticas operas productis, feminis ad prolem ſufficiendam indulgeant. Illæ verò vbi pinguiores factæ ſunt, & petulantius agere, & cornu etiam petere, & mares afficere, ſibique præter omnes alias animantes allicere conſueuerunt. Atque adeò hanc rem, & à ſcriptoribus traditam, nos ipſi, quòd rei ruſticæ ſtudioſi ſemper fuerimus, ſæpe obſeruauimus: hæ taurorum pugnas arbitræ ſpectant, victoremque libentius ſequuntur, & neſcio quomodo ad muliebre ingenium propius quàm cæteræ in animantibus femellæ accedũt. Quæ verò ex hoc genere pauperiores dominos ſortitæ ſunt, & fœtibus pariundis alendiſque, & arationibus addictæ, confractiore animo, & corpore tenuiore atque imbecilliore ſunt, tantumque aut herbis, aut fœno, dum otium ſuppetit, ſaturæ eſſe deſiderant: ergo & manſuetiores multo ſunt, & minus etiam quàm aliæ laſciuiunt. Et quis hoc in muliebri ſexu ingenium non facilè agnoſcat? Namque id genus tenuioris fortunæ, & durioris, parcioriſque vitæ viris addictum, modeſtiam, pudicitiam melius colit, præcipuamque in alenda familia, liberiſque educandis curam ponit. Contrà verò ſi melioris conditionis & fortunæ viros nanciſcatur, animum ab omni alia re ad luxus, & cultus, atque deliciarum ſtudium traducunt, (mulierem fortem ſemper excipimus, nec Saras, aut Rebeccas, ſed Hæuæ imitatrices, Iezabeles & Attalias in has partes vocamus) imperãt primùm iſtæ viris ſuis; deinde & aliis omnibus inferioribus hominibus virorũ ſuorum opera, & obſequio, atque indulgentia ſunt infeſtiſſimæ: Namque cùm omnis earum cogitatio ad voluptatis ſtudium intenta ſit, cui nullum modum, & ob naturalem ſtultitiam, & ob ipſarum inter ſe de faſtu & luxu contentionem atque æmulationem, ſtatuere ipſæ nouerunt, fit vt nihil ſatis domi eſſe poſſit, alienaque appetenda, & per ſummam etiam iniuriam inuadenda ſint; id quod cùm per ſe ipſæ præſtare nequeunt, maritorum opera efficiunt, quos ſibi obſequentiſſimos, aut blandis & mollibus artibus, aut ſumma etiam importunitate reddiderunt. Itaque variis miſerorum, reorum, clientum, conſultorum, aut aliis rationibus oppreſſorum hominum ſpoliis, harum refertæ domus ſunt, & ſupellectili aurea, argentea, muliebri etiam ornatu ad faſtidium vſque profluentes. Namque & veſtium his, ſtolarum, ac pallarum nullus modus, nullus certus eſt numerus: nouis enim & quotidie recentibus materiæ & artis excogitationibus veteres præſentibus cedunt, antiquiores improbãtur, & futuræ etiam expectantur. Atque ita nil ſatis rapinæ eſſe poteſt, quod huiuſmodi harpyiarum articulos expleat. Non inconcinnè ergo feminei ingenij, totiuſque naturæ vaccæ imagines & quaſi quædam ſimulachra ſunt: neque tantùm ab Amoſo paſtore effictæ, ſed ab aliis etiam antiquiſſimis ſcriptoribus expreſſæ ſunt. Namque Iaſon apud Pindarum ſeſe ex eadem vacca prognatum, ex qua Creteus, & Salmoneus nati fuerant, affirmat. *Pind pyth. od. 4.* Igitur mulieres luxuriæ & petulantiæ matres, ditiſſimas quaſque & potentiſſimas feminas Samariæ ciuitatis totius regni principis, cui alia omnia oppida tributaria eſſent, vaccas Baſſan Vates nominat. vt enim Baſſan paſtionũ magnitudine & fertilitate, præter omnia alia totius regionis loca, nobilis, armenta alebat pinguiſſima, ſicut ſcriptũ eſt: Reducam Iſraël ad habitaculum ſuum, & paſcetur Carmelus & Baſan. Eſt autem hoc Metonymiæ genus, cùm vocabulum non pro-

Iſai 13. Horat. Saty. 2.lib.2. priè, ſed propter præcipuam quandam rationem vſurpatur. Sic Arabem pro paſtore Iſaias dixit: ſic, *aper Vmber*, Latinus dixit poëta. Vetus autem interprès nomen Baſſan non ex loci nota, ſed ex ſignificationis rationibus reddidit, *Vaccæ pingues quæ habitatis in monte Samariæ.* Montana loca, ſi modò fertile ſolum ſortita ſunt, ob aquarum & arborum etiam ruſticarum copiam, alendis bobus commodiora habentur: id enim animal fœno, ac herbis & arborum frondibus libenter paſcitur: montes autem & æſtate herbas, & hyeme frondes ſuppeditant. atque hæc res Baſſan montem in primis commendat; in quo præter paſtionum fertilitatem, ingens generoſiſſimarum quercuum, vt apud Iſaiam legimus, copia eſt. Sunt etiam quæ in montibus creſcunt animalia, natura feriora, ac robuſtiora: vt etiam montani homines. Ob eam rem non ſolùm dixit, quæ habitatis in Samaria, ſed, in monte Samariæ: vt mulierum ingenium delicijs diffluens, in regia ciuitate educatum, petulantius oſtenderet, & impotentioris ſæuitiæ nota inureret. Atque his moribus idonea verba adiunxit: *Quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes.*] Hebraica verba ſonant, opprimere tenues, & conterere egenos. Neque enim vaccæ ferociores factæ quos petierint, ventilare vt tauri; ſed proſternere, & conculcare conſueuerunt. Calumniam autem & oppreſſionem fraude aut vi factam tenuioris fortunæ hominibus, qui obſiſtere nequeant, hac tranſlatione ſignificat; eamque præſentibus verbis declarat: *Quæ dicitis dominis veſtris afferte & bibemus.*] Namq. illæ impulſu, hortatuque ſuo, & aſſidua efflagitatione auctores viris ſuis ſunt, vt pauperiores

Iſai. 13.

Iuuen. Sat.8 opprimant homines: *Nec per conuentus, & cuncta per oppida curuis*
» *Vnguibus ire parat nummos raptura Celæno.* [*Dicitis:*] Femineam orationem hoc verbo ſignificat,
» ex cogitatione, & libidinoſo illarum conſilio profectam: nam dicere apud Hebræos iubere eſt, vt: Ipſe dixit & facta ſunt: ita illæ, vbi iam ſibi viros ſuos blandis, aut etiam importunis deuinxerint moribus, cupiditatibus obtemperare cogunt: quod imperatiui verbi inductione Vates eleganter exprimit: *Afferte & bibemus:* Hebraicè in ſingulari *Affer*, ea vox vehementius imperium indicat. *dominis veſtris.* Armentorum poſſeſſores domini vocãtur: hi ſobolis procreandæ, reique augendæ cauſa, vaccis nimium etiam indulgent; ita viri feminis ex quibus liberos ſuſcipiunt, nimium etiam obtemperare ſolent. Namque illæ ob eam rem quòd vtero geſtant, quòd lacte infantes alant, nihil non ſibi licere putant. Dicitis ergo tauris veſtris *Affer & bibemus* Ambo ſimul verba parandarum rerum rationem malam & turpẽ vſum ſignificant: non enim dicunt quære; ſed affer. Illud enim rationem, moramque aliquã cogitandi, & inueniendi commoditatem, indulgere poſſet; hoc non poſſit; ſemper afferre iubent; vnde afferri poſſit, non laborant; tantùm vt afferat imperant. Neque volunt domum aut quæſtu, aut præda, aut ſpolijs vacuos rediſſe vnquam, ſed vt rem facias, ſi poſſis rectè; ſi non, quocunque modo rem. Coguntur ergo viri domini ſtupidiſſimi auaris & libidinoſis vxoribus parere, niſi iratis ſibi, ſemperque infenſis vti maluerint. Illis autem vt nihil vnquam ad libidinem, faſtum, cupiditatemque explendã ſatis eſt, ſic nunquam illud verbum intermittitur *Affer.* Ea verò quæ afferri ſibi iubent, nõ ad neceſſarios vitæ vſus, quibus quiduis ſatis eſſe poſſit, ſed ad delicias, ad voluptatem, eamque non ſimplicem vnius hominis, cui multa etiam non ſufficiant, ſed totius familiæ, ac aliorum etiam quibuſcum luxuriæ

Ephes 5. ſocietas & communicatio eſt. *Et bibemus.* Sicut vno vini vocabulo omnem luxuriam con-
Iſai. 5. tineri, ſic bibendi verbo omnem voluptatis vſum, & ſacri, & prophani auctores ſigni-
» ficarunt. vt, Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad
Horat. lib. 1. veſperam. Et illud: *Nunc eſt bibendum, nunc pede libero pulſanda tellus, &c.* Omnium igitur voluptatum & deliciarum flagrans & aſſiduum ſtudium, vox *bibemus* in futuro dicta ſignificat: Namque eo verborum tempore aſſiduitatem in Hebraico ſermone indicari, ſæpe aliàs diximus. Itaque illa maxima cura iſtis noſtris principibus, & ditiſſimis mulieribus eſt illud tantum negotium viris ſuis dandi cogitatio, ſcilicet, vt pauperiores & tenuiores hominum familias ſuis reditibus & diuitijs alant, tueantur, auctoritateque defendant, vel potius vi opprimãt, ſuperbia & inhumanitate peſſundent, calumnia, & malitioſa juris interpretatione defraudent, exhauſtiſque per ſummam iniuriam, rebus omnibus ſpolient: & duobus quidem tantùm verbis auaritia & luxuria iniuriam omnem, earumq. cauſas amplexus eſt vates: Ex feminarum namque conſuetudine, luxuries plerumque in vrbe creatur; ex luxuria, auaritia; ex auaritia, erumpit audacia. Atque hunc locum ſic Chaldaicè legimus: *Regna, & expoliabimus.* Pulcherrimè profectò interpres ille rem nihil à vatis ſententia alienam expreſſit: quo videlicet conſilio feminæ viros ſuos ad ambiendos magiſtratus impellant, vt ſcilicet per regnandi potentiam aliena appetere atque auferre impunè poſſint. Huiuſmodi verò flagitia, & luxurioſa auaritiæ crimina natura ſua grauiſſima, cum vehementer diuinam maieſtatem offendant, grauiſſimos habere ſolent pœnarum exitus, atque iis ſimillimos, quos ſtatim minatur Deus:

Iurauit Dominus Deus in ſancto ſuo, quia ecce dies venient ſuper vos: & leuabunt vos in contis, & reliquias veſtras in ollis ſeruentibus.

CERTISSIMAM ſententiam diuinum iuramentum arguit, & rem vt conſilio deliberatam, ſic etiam iuriſiurandi ſanctitate confirmatam: [*In ſancto ſuo.*] Idem eſt ac ſi diceret, *in ſanctitate ſua*: Namque Hebraicè ſic eſt. Sanctitas autem eximiam quandam rationem ab omni vulgari re alienam ſignificat; qua Deus omnibus aliis rebus infinita præſtat virtute; vt iuſtitia, ſapientia, miſericordia, & aliis maximarum virtutum generibus; ad quæ genera etiam dictorum, conuentorumque conſtantia & veritas pertinet. Ex quo fit vt cùm præſtantiſſimum aliquod harum virtutum exemplum Deus ediderit, ſanctificari in ſacro ſermone dicatur, hoc eſt, ſuam maximam præſtantiam, amplitudinemque teſtari. Pſalm. Atque huius ſententiæ multa à nobis loca in ſacris literis notari poſſent: vt, In exitu Iſraël de Ægypto domus Iacob de populo barbaro, facta eſt Iudæa ſanctificatio eius, Iſraël poteſtas eius. hoc exemplum virtutis & miſericordiæ ſuæ Deus edidit: iuſtitiæ autem & ſeueritatis illud Nadab & Abiud igne cælitus tactis, ſicut ſcriptum eſt: Hoc eſt quod loquutus eſt Dominus, ſanctificabor in iis qui approximant mihi. Huiuſmodi igitur exemplum quo ſe ſanctificet, ſeuerumque & integerrimum iudicem, necnon maximi atque conſtantiſſimi conſilij eſſe teſtetur, editurum ſe iurat Deus. Itaque iuſiurandum hoc ad officij diuini maieſtatem auctoritatemque pertinet, ac ſi dicat: Et fuerim ego ipſe meæ ampliſſimæ dignitatis immemor, & prophanator, niſi hæc quæ modò comminatus proponam, propediem re ipſa præſtitero. Sic Reges coronæ ſuæ iuſiurandum in grauiſſimis rebus interponere conſueuere. Alia verò ratio eſt cùm Deus per ſemetipſum iurat; cui quidem explicandæ minimè hoc in locò vacamus. *Quia ecce dies venient ſuper vos.*] Nihil eſt quod homines de mentis ſtatu grauius deturbet, quàm humanarum rerum ex ſententia ſucceſſus: Sæpe enim vſu venire videmus, vt qui præſentium rerum proſperitate, vitæque commoditate vtuntur, ebrietate & dementia deprauati, neque præteritorum recordentur, neque futuris vnquam rebus cauendum ſibi eſſe arbitrentur; atque ita ſecundis rebus, & præſenti tranquillitati fidant, ac ſi in ipſo iam portu conſtituti nullam tempeſtatis mutationem pertimeſcerēt. qua quidem in re ſimiles omnino beluis ſeſe exhibent, quibus præſentium temporum tantùm vſus, nulla futurorum cogitatio, nulla prouidentia eſt, ſicut ſcriptum eſt: Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipieutibus, & ſimilis factus eſt illis. huiuſmodi autem hominibus quo minus credita, atque expectata periculi tempeſtas fuit, eo grauius cùm fuerit oblata, ſentitur, & capiendi conſilij tempus, locumque omnem occupat. Huius generis exitum feminarum Iſraëlitidum deliciis, & ſtultitiæ prædicit vates: venturos videlicet eſſe dies iis quos agunt lætiſſimos omnino diſſimiles; ſuper eas autem, ait, vt imparatas, nihilque tale cogitantes, ſubitò oppreſſuram procellam ſignificet: non enim ponè paulatim ſecutura illas, ſed repētè inuaſura calamitas fuerat. Aſſyriorum namque Rex bellum ſecuriſſimis Iſraëlitis attulit; quis autem eos exitus maneret? nimirū præſentibus omnino deliciis, mollitudinique vitæ contrarius: atq. eo grauior, quo magis à conſuetudine eſſet alienus. [*Leuabunt*, inquit, *vos in contis, & reliquias veſtras in ollis feruentibus.*] Niſi nobis Hebraica proprietas, vnde primùm verborum ratio petatur, præſto eſſet; huiuſmodi hoc locò ſententiæ ratio reddi poſſet: vaccarū carnes in vectibus eſſe aſportādas; minoribus verò carniū portionibus paratas fore ollas, per milites iter agentes coquendis: quandò huiuſmodi interpretatio magis cū vaccarū ſimilitudine conuenire videretur, quàm aliæ, quæ plures huius loci ſunt; quanquā neq. illa quidē cum re ipſa aptè cohærere potuiſſet. Omnes enim huiuſmodi rationes vaccas illas à militibus occidēdas & dilaniandas, atq. earū carnes aſportandas fuiſſe arguerēt. nihil verò tale accidiſſe legimus, ſed viuētes feminas, cū iis qui ex bello reliqui fuerāt viris, captiuas abductas eſſe. Ergo vaticiniorū rationē & ſententiam à rei ipſius veritate ad aliā cogitationē atq. ſenſum cōmentando trāsferre, religio eſt: Quam quidem ob rem locū ipſum, vt Hebraicè eſt, diligenter expendentes, ſic exponimus: *Et auferet vos in frigoribus: & nouiſſima veſtra in ollis piſcium.*] Atque hæc aptiſſima quidem, facileque cohærens cum re ipſa ſententia eſt; nihilque à vaccarum pinguium ſimilitudine diſſentit: Namque in ſuperioribus, dum feminarum delicias & luxuriem deſcriberet Vates, vaccas Baſſan pingues in Samariæ montibus habitantes appellauit: deinde à ſimilitudine ad rem ipſam rediit, & earum ſtudium orone indicauit, & orationem retulit: Afferte & bibamus. Atque hoc modo mulieres illas eſſe delicatiſſimas, quibus votorum omnium ſumma in voluptate poſita eſſet, declarauit. Iam verò quàm graues illis ob eam rem ſubeundæ miſeriæ ſunt, ex comparatione docet: captiuas enim illas, atque longè à patria abducendas fore prædicit. ex qua re duo grauiſſima ſibi delicatiſſimis incommoda conſequantur neceſſe eſt; alterum, viarum, itinerumque labores erunt; alterū, victus ratio ab illis deliciis & volupta-

tibus longè aliena: Nam quæ in amœniſſimis Samariæ montibus delicatè & molliter viuentes, temperato & ſalubri cælo fruebantur, nunc deinceps in varias regiones abductæ, grauiſſimos viarum labores, & temporum iniurias, maximè frigorum hyemiſque vim pinguibus & mollibus vehementer inimicam, perferre cogentur; atque horum laborũ & perferendarum finis miſeriarum nihilo fuerit aut gratior aut felicior, quippe quas vt vitæ atq. fortunæ infima condicio, ſic etiam victus manet ſordidiſſimus: vbi enim à dominis ſatis in diurno opere faciendo exercitæ fuerint, tandem non ornatis apparatiſque conuiuiis, ſed piſcium ollis viliſſimo & grauiſſimo omnium cibo famem pellent: neque verò piſcibus aut generoſis, aut ſuaui aliquo condimenti modo paratis, ſed viliſſimis, & in olla temerè atque incultè etiam elixis, qualibus ſeruorum ergaſtula paſci conſueuerunt, eas vſuras eſſe affirmat. Atque ob eam rem & piſces feminino, & ſingulari dixit. hanc adeò rem Hiſpanus ſermo exprimere aptè valet, hoc modo: *Y vueſtro paradero en ollas de peſcado.* Nouiſſima, inquit, veſtra; hoc eſt, omnium laborum recreatio, & votorum ſumma piſcis olla tandem erit, quali victu ſerui vtuntur, & quali etiam Iſraëlitæ, dum in ergaſtulo apud Ægyptios eſſent, vte-

Num.11. bantur, ſicut ſcriptum eſt: Recordamur piſcium quos comedebamus in Ægypto gratis.

" Gratis inquiunt, eò quòd viliſſimis, & abiectiſſimis, atque nullius pretij vti conſueuiſſent. Huiuſmodi ergo tandem vitam & victum ab Iſraëliticis feminis colendam eſſe vates prædicit: qua oratione miſeram illis & laborioſam captiuitatem denuntiat, qualem antea ne timuerint, neque oblatam ob diuerſum anteactæ vitæ vſum tolerare, niſi grauiſſimè, & iniquo animo, queant. Atque hi loci qui à Vate noſtro in prædicẽda Samaritidis feminis ſeruitutis miſeria ex comparatione tractantur, opportunè etiam ab aliis vatibus in eadẽ ſen-

Hier.48. " tentia occupari ſolent. Nam & Hieremias ſic: Deſcende de gloria, & ſede in ſiti, habitatio

Ezech.4. " filiæ Dibon. Et Ezechiel: Hæc dicit Dominus, Et comedent filij Iſraël panem pollutum in-

" ter gentes ad quas eiiciam eos. Et Oſeas: Et in Aſſyriis, inquit, pollutum comedent. De via-

" rum verò difficultatibus, & duriſſimo à patria exilio, deque præteritæ mollitudinis recor-

Iſai.23. datione ſic Iſaias aduerſus Tyrum prædixit: Ducent eas pedes ſui longè ad peregrinan-

" dum. Quis cogitauit hoc ſuper Tyrum quondam coronatam? Idem etiam Babyloniorum

Iſai.47. futuram captiuitatem præcinens, hanc eandem rem pleniſſimè tractauit: Denuda, inquit,

" filia Babylonis, denuda turpitudinem, diſcooperi humerũ, reuela crura, tranſi flumina. Et

" paulò inferius: Nunc audi hæc delicata habitans confidenter, &c. Igitur vtraque res ad illius ſummæ luxuriæ contrarium duriſſimum exitum pertinet: ad ignominioſam verò abductionem illud:

Et per aperturas exibitis altera contra alteram.

SVMMAM illis in ipſa calamitate ſolitudinem fore ſignificat, quas olim frequentia & celebritas vehementer delectabat, quæ vt vaccarum armenta gregatim agentes, deliciis & voluptatibus diffluebant, dominiſque vtebantur obſequentiſſimis, atque ex vrbe ad cœnas, conuiuia, in hortis, in ſiluis, luciſque paſſim & triburim celebranda magno cum apparatu prodibant, tum hominum cateruis, tum ancillarum & pediſſequarum gregibus comitantibus: cuiuſmodi ſplendida pompa diuites feminæ maximæ delectantur. At verò cùm calamitas illis acceſſerit, omnia hæc contrà experientur; non enim ſolum abducendas, ſed ſingulas etiam ſeorſum, ſeparatimque ſine vllo honore producendas eſſe prædicit: Namq. domorum & vrbis mœnibus ruptis, atque vrbe expugnata, vt quæque prima militi atque hoſti domos penetranti occurret, ita ſola capta abducetur, non per portam aut ædium, aut vrbis, ſed per rupturas ipſas murorum; vt alia parte mater, alia filia, alia etiam ſoror exire coacta, alia frater productus, alia maritus abductus, deſiderio, ſolitudine, metu atque cura diſtineantur: Vnaquæque enim non modò ſuam miſeriam, ſed eorũ quos chariſſimos habuit, deſiderium grauiter & iniquè feret: tum ſuſpenſo incertoque animo ſemper erit quid illis acciderit, neſciens; atque in iis cogitationibus miſerrima atque infeliciſſima omnia ſuſpicari & timere cogetur. Hæc adeò ex illa ſuperbia, ex illa pompa, ex illa rerum felicitate mutatio Samaritides vaccas manebat. *Altera contra alteram*; hoc eſt, ſingulæ per ſingulas aperturas: Namque Hebraicè ſic eſt: *Vnaquæque è regione ſui.* Sic in libro Ioſue in eadem ſententia

" eſt: Et muri Hiericho corruent, & ingredietur populus vnuſquiſque per locũ contra quem

Ioſue 6. ſteterit; vt neque ſimul per portas abductæ, aliæ alias qua parte abducantur, videre poſſint,

" neque quò tandem peruenturæ ſint, & an ſibi iterum occurrere cõtingat, certi aliquid ſibi promittere. quàm autem acerbus hic dolor, quàm anxia ſolicitudo, quàm perpetua ſit, vel ex ipſarum exemplo vaccarum intelligi facilè poteſt; quas cùm à vitulis ſuis, atque ab aliorum boum quibuſcum paſcebantur, conſuetudine abductæ fuerint, magno dolore, ſolici-

1.Sam.6. tudineque affici ſolere, perpetuus mugitus declarat, ſicut ſcriptum eſt: Et tulerunt duas

" vaccas quæ lactabant vitulos, & iunxerunt ad plauſtrũ; vitulos autem concluſerunt domi.

Ibant

Ibant autem in directum vaccæ per viam quæ ducit Bethſames, & itinere vno gradiebantur pergentes, & mugientes,&c. Summum ergo dolorem, maximam ſuorum ſolicitudinem,cum ſuarum etiam miſeriarum ſenſu,& cum ſumma ignominia & dedecore ſubeunda illis eſſe oſtendit Vates. Quaſdam ergo ait ex Samaritide gente fœminas abducendas ſine honore eſſe,quæ non per domorum,aut vrbis portas,ſed per oblatam primùm murorum rupturam eſſent extrahendæ:alias verò metu perterritas, & ſuæ tantum ſaluti conſulentes,conſilij,animique inopes,per domorum & murorum aperturas effugientes, neglectaq́. domo & familia,omnibusque aliis rebus ſaluti poſthabitis, qua parte commodiſſimè poſſent,ſeſe in regiam arcem ſumma cum trepidatione coniecturas, eam rem effugio ſibi eſſe poſſe putantes. Quod in deſperatis iam belli tumultibus, & hoſtium irruptionibus vſu venire videmus, vt imbellis ætatis & ſexus turba aut ad templa, ſi munita ſint; aut ad regias,numinis fidem, vel regiam protectionem, vel loci firmitudinem præſidio vitæ ſibi fore ſperans,confugiat. Conſueuêre autem olim reges,maximè verò qui Aſiam incolebãt, arces,regiasque ſuas extra vrbem ſecundum muros, in commodiſſima tamen & tutiſſima loci ipſius parte ædificare;quòd eam rem ad regiæ maieſtatis decus pertinere arbitrarentur, ne ipſi communi cum cæteris ciuibus portarum & murorum cuſtodia, & clauibus iiſdem tenerentur concluſi,ſed ſe potius,aliorum protectores & propugnatores profeſſi, ſeorſum tuto in loco collocarent,vt gregum armentorumque paſtores non intra ouium caulas, ſed ſecundum ipſas figere tentoria ſolent. Hunc morem in tota Syria & Arabia Regibus & principibus ſeruatum, in Aphrica, & in noſtra etiam regione ab Iſmaëlitis, qui hæc loca occupauêre,retentum fuiſſe, ipſa illorum opera, & operum quæ extant, veſtigia declarant; atque etiam nonnullis in locis cuniculi,& ſpecus viſuntur ab vrbe ipſa ad arcem vſq. pertinentes, per quos vtrimque in alterum locum aditus in rerum turbatione & periculo eſſe poſſet. Ad huiuſmodi aperturas & cuniculos ciuibus tantùm notos,hoſtibus verò ignotos, hæc etiam vatis oratio pertinet,quas à mulieribus ſubeundas eſſe prædicit, vt ad arcẽ confugerent: Namque per portas aut publicè effugiendi copia nulla illis tẽporibus eſſe poſſet, cùm arces clauſæ, & portæ vrbium ab hoſtibus eſſent obſeſſæ. hoc eſt quod dicit:

Et proijciemini in Armon, dicit Dominus.

ARMON vox Hebræa eſt, & palatium, arcémue ſignificat. Verbum autem *proijciemini*, Hebraicè eſt, *conijcietis vos*. Coniunctio verò & aperturarum nomen ad hanc rem ſignificandam,pertinere etiam facit: namque aperturarum nomine cuniculos illos, & ſpecus arte apertos intelligimus. Quoniam verò harum, quæ Samaritanis fœminis aduenturæ erant, calamitatum cauſa, non ſolùm iniuriarum,ſed ſuperſtitionis etiam ſtudium erat: ad quam etiam rem fœminarum ingenium & animus vehementer propenſus eſt;atque eum errorem tueri ſtudioſiſſimè ſolet, vt ex multis ſacrorum librorum locis obſeruauimus. Huius rei cauſa & hoc illis crimen refert,& apertiſſimis argumentis perorat: Namque conceptũ animo ſcelus nulla alia re melius arguitur,quàm ſi operum,ſtudiorũ,actionumq́. erga eã rem aſſiduitas demonſtretur. Illarum ergo fœminarum, atque etiam virorum Samaritanorum in hac re flagitium,ex ipſo communi omnium & perpetuo ſtudio oſtenditur; vt futuri iudicij æquitas ipſis illorum actionibus manifeſta probabiliſque omnibus fiat; quippe cùm in ipſo ſcelere à quo iam ſæpe deterriti fuerant,tamen occupatos atque alligatos pœna ipſa oppreſſura ſit; Quamobrem eos vt propoſiti tenaciſſimos homines,atque ſtudij ſui vrgentiſſimos,ironica permiſſione alloquitur, tam viros quàm fœminas; iubetq́. vt ſtudiũ ſuum, quando ſic ſtat ſententia,diligenter exequantur:namque ea res certius & maturius illis exitium, vaticinij autem ſui certiorem parabit euentum.

Venite ad Bethel,& impiè agite,& ad Galgalam, & multiplicate, & offerte manè victimas veſtras, tribus diebus decimas veſtras: Et ſacrificate de fermento laudem, & vocate voluntarias oblationes, & annuntiate: ſic enim voluiſtis filij Iſrael, dicit Dominus Deus.

MAXIMA hominum inſania,& conſtans exucti ſemel erroris ſtudium, affectatiq́. ſceleris exemplum hoc in loco à vate notatur & proditur: Eiuſmodi enim hominum ingenium eſt,vt cùm à ſuſcepta impietate & ſuperſtitione,meliori conſilio ad ſaniorem mẽtem reuocari ſeſe ſentiant,tum maiori conatu atque impetu in eandem curam & cogitationem incumbant,neque ſeſe ab eo errore deduci patiantur, ſed tanquã aſpides ſurdæ aures ſuas, ne ſapiente incantatione feritatem & amentiam deponere poſſint, obturent, atque veritati,ſapientis conſilij rationibus impetu & tumultu facto, obſiſtant; in eoque vehementius neruos omnes contendant,vnde maiorem ſibi errorem,& grauius periculum creari audierint. Prædicabat Paulus apud Epheſum, atque homines ad veræ diuinitatis rationes cognoſcendas vocabat; qui cùm intelligerent Dianæ numen illa oratione in dubium incer- Acto. 19.

tumque reuocari,paucorum hominum(quibus ea res incommodo eſſe poterat)conſilio &
opera effectum eſt,vt populari motu ac tumultu veritati obſtreperetur, & Dianæ numen,
& ſanctitas,Epheſiorumq. celebritas,inſano vulgi clamore aſſereretur. Huiuſmodi autem
inſaniæ Iſraelitæ à Vate notantur;quos quo maiori vates cura atque ſapientiori conſilio a
ſuperſtitione ad ſanam mentem reuocandos curarent, eo ardentioribus animis & ſtudiis,
frequentioribusque commentis,atque aſſidua magis opera inſaniam ſuam fouere, defen-
dereq. ſolitos ait. Quam ob rem inſanabiles ſeſe effeciſſe,omnemque ſalutis viam ſibi præ-
cluſiſſe dicit;tantumque ex auditis vatum orationibus euenire, vt grauiori ſupplicio tan-
dem ſeſe dignos reddiderint,& decantatas aduerſum ſe prædictiones certiſſimas ſua teme-
ritate & erroris pertinacia effecerint. Vtitur ergo vates permiſſione, non illa quidem quæ
conſilium,ſed quæ Ironiam dicentis ſignificet; cùm id permittitur quod minus ex dicentis
ſententia,magis autem ex eius ad quem ſermo fit,libidine & voluntate eſt; ſed tamen alias
Eccle.11. certam eius,qui dicit,rationem reddat. Cuiuſmodi illud eſt: Lætare iuuenis in adoleſcentia
Iuue.Sat.12. tua. Et illud: *I nunc, & ventis animam committe.* Concedit ergo illis interim
vt ſtudiis & conſiliis ſuis eo ſtudioſius vtantur,quo diligentius à vatibus deterrentur; non
quidem qui ſuadeat aut hortetur,ſed qui deſerti officij grauius illos inſimulet: Nam cùm
ſe magis ac magis à ſuperſtitionis ſtudio ad veræ pietatis cultum reuocari intelligebant,
tunc magis illi quaſi remis & velis in eam partem,quæ fugienda fuerat,contendebant: fre-
quentibus enim ſacrificiis,ritibus, & ceremoniis ſuperſtitionem colere & tueri nitebātur.
Hoc eſt quod ait: *Venite ad Bethel, & impiè agite.*] Bethel, Luza olim dicta, nomen hoc à Iacob
accepit;qui in eo loco diuino oraculo de arcanis ad ſe atque ad totum hominū genus per-
tinentibus rebus per quietem fuerat monitus.Is quidē locus ſacer tam diu fuit, quàm diu
ad eius beneficij memoriam eſt frequentatus, Domusque Dei appellabatur. Poſtquam au-
tem ab Iſraëlitis regibus vt impiæ ſuperſtitioni ſeruiret, opportunus viſus eſt, ex eo pro-
phanus,execrabiliſque redditus nomen Bethel in Bethauen ex diuino conſilio & vatum
procuratione mutauit: quòd in illa æde impietas & ſuperſtitio coleretur. Hoc vates anti-
theſi vſus Iſraëlitis obiicit: Ite,inquit,in domum Dei, & impiè agite: quaſi verò olim do-
mus Dei dicta ex eo fuerit,quòd illis in impietatis vſum ceſſura eſſet. Hæc humani inge-
nij peruerſitas eſt. [*Et ad Galgalam.*] Galgal locus fuit,in quo à filiis Iſraël Cananæorū regionē
primùm occupantibus,ſacrum Dei tabernaculum fixum, atque religionis cauſa frequen-
tatum eſt. Vbi verò regum,regnorumque diſſidia facta ſunt,hic locus à falſis vatibus, qui
Iſraëlis partes ſuſceperant, Hieroſolymitano templo ad religionis cultum præferebatur,
Hoſ.9. ſicut apud Hoſeam legimus: Omnis malitia eorum in Galgala. Ad eum igitur locum fre-
» quentandum Iſraëlitas ironicè Amos hortatur, vt ad Bethel: quibus in locis ab illis impiè
& ſuperſtitioſè agebatur,atque eo ardentius & ſtudioſius, quo magis à ſanctiſſimis & ve-
raciſſimis vatibus deterrebantur. [*Et multiplicate præuaricationem, & offerte manè victimas veſtras.*]
Hoc eſt,ſi non ſatis vobis eſt Bethel ad impiè agendum,addite etiam, vt facitis, & Galga-
lam;in qua præuaricationis & defectionis ſtudiis liberius etiam commodiusque vacetis. Id
autem ſacrorum faciendorum frequentia,atque aſſidua celebritate fiet;ſingulis diebus ma-
nè victimas offerendo,& tertio quoque anno decimas,ad leuitarum & pauperum vſum in
lege paratas,ad ſacrarum epularum vſum in ea loca comportando: Namque hæc omnia in
ſancto atque electo loco agi,curarique lex præceperat,quę ab illis ad alia loca per ſummam
impietatem tranſlata ſunt. *Tribus diebus decimas veſtras,*] tribus annis: nam dies pro anno in loco
Leuit.25. vſurpari obſeruatum eſt: vt, Qui vendiderit domum intra vrbis muros, habebit licentiam
» redimendi,donec vnus impleatur annus. Hebraicè eſt, *Dies erunt redemptio eius.* De decima ve-
» rò anni tertij ſic ſcriptum in lege eſt; Anno tertio ſeparabis aliam decimam ex omnibus
Deut.14. quæ naſcuntur tibi eo tempore,& repones intra ianuas tuas, venietque Leuites, qui aliam
» non habet partem,nec poſſeſſionem tecum;& peregrinus, ac pupillus, & vidua, qui intra
» portas tuas ſunt;& comedent,& ſaturabuntur,&c. [*Et ſacrificate de fermento laudem.*] Sacrorum
» omnia genera hæc ad Deum certo in loco purè ſancteque colendū inſtituta olim fuerant,
quæ ab iſtis impiè contaminata,atque ad ſuperſtitionis vſum trāſlata fuēre: Panes quoque
» fermentatos cum hoſtia gratiarum,quæ immolatur pro pacificis, ait lex. [*Et vocate volunta-*
» *rias oblationes.*] Vota quæ religionis cauſa nuncupari,& in ſacro templo ſolui conſueuerant,
ab iſtis prophanata etiam,& ad Deorum cultum traducta ſunt. Vocare voluntarias obla-
tiones,idem quod Latinis nuncupare vota eſt. Sed quid inter votum & voluntariam obla-
tionem interſit,aliàs à nobis Deo duce dicetur. [*Et annuntiate.*] vota nuncupata facite, &
pronuntiate,vt aſtrictiori eorum religione teneamini. [*Quoniam ſic voluiſtis filij Iſrael.*] Exhor-
tatione hac non tam conſilium,quàm apud quos dicitur ſtudium proferentis declarari hęc
cum primis oratio indicat. Hebraicè eſt: *Sic amaſtis:* ac ſi diceret,agite,agite; nunc ma-
ximè

ximè in id ſtudium,in quo eſtis,incũbite;cùm maximè reuocamini ab iis qui vobis optimè conſultum eſſe voluere,quando ea inſania laborare cœpiſtis, vt libenter infelices eſſe optetis. *Ait Dominus Deus:*] Ipſe Deus iudex integerrimus,qui occultarum etiam cogitationum teſtis,arbiterque eſt;ſic vobis placuiſſe confirmat. Quæ verò,ac quantæ vos miſeriæ maneãt, quæ iſtis ſtudiis occupatos oppreſſuræ ſint, auditote:

Vnde & ego dedi vobis ſtuporem dentium in cunctis vrbibus veſtris; & indigentiam panum in omnibus locis veſtris; & non eſtis reuerſi ad me, dicit Dominus.

PLVRA interdum pœnarum genera à Deo in hominibus conſumi, non perdendi, ſed corripiendi,atque ad bonam frugem ſanitatemque reuocandi cauſa,diuina ſcripta paſſim, & hoc in loco teſtantur:quæ tamen illi,aut caſuum & temporum viciſſitudines, aut priuatum ſaltem de quibuſdam,non commune Dei de omnibus iudicium interpretentur: in quo Iſraëlitas quinquies etiam verberibus ſtimulatos,ac cæſos, tamen nunquam reſipuiſſe videmus;neque impiè agere antè deſtitiſſe,quàm cumulata,expletaq́. menſura,extremum ſibi conſciuerint excidium. Magnum hoc & manifeſtum humani ſtuporis,atque affectatæ inſaniæ argumẽtum eſt. Primum verò ſtimulum quo illos Deus ex pluribus ad reſipiſcentiam incitaret,carnium annonæq́ue penuriam fuiſſe, vates declarat; quam non ex pluuiarum ceſſatione,ſed ex hoſtilibus excurſionibus contigiſſe interpretamur,quibus per ſingulos annos è vicinis regionibus infeſtabantur, ita vt agrorum populatione, & armentorum crebra abactione affecti,omni annóna deſtituerentur. Hoc autem iuſto Dei iudicio illis accidit,qui per nefas frumento & carnibus diuino munere conceſſis, ad ſuperſtitioſum vanumq́ue cultum abuſi fuerant,eaque à veræ religionis rationibus ad impietatem traduxerant. Meritò igitur earum rerum vſu priuati ſunt, quas illi nefario conſumebant abuſu. *Vnde & ego.*] Illationis vim habet & contentionis oratio hæc:contendit enim cum ſuperiori ſententia,& rem non caſu, ſed certo conſilio geſtam probat. [*Stuporem dentium.* Hebraicè, *munditiem dentium*] Carnium autem deſiderium hæc ſignificat figura; ex conſequenti enim ducta eſt: Nullius enim alius eſcarum generis reliquiæ dentibus inhærere magis ſolent, quàm carnium: fibris quidem & tenuibus filis iuncturas ipſas molarium,& caninorum cauitates ſubeuntibus;quæ niſi inſtrumento aliquo à prandio extruſæ expurgentur, moleſtiam in primis grauemq́ue ori halitum afferunt. Acutos ergo ex apta materia paxillos ad eam rem miniſtrare iis qui elegantius viuere voluere,cura eſt. Itaque dentibus magis adhæreſcens cibus,carnes ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Adhuc carnes erant in dentibus eorum,&c. Num. 11.
[*Et indigentiam panum in omnibus locis veſtris.*] Hæc hoſtium excurſionibus, populationibus, & latrociniis acccidiſſe diximus: Nullum enim malum in ciuitate eſt,quod non faciat Dominus, & per vates ſuos à ſe factum eſſe teſtetur,vt in ſuperioribus iam cognouimus. Hoc autem idem eſt atque illud quod ab Iſaia dictum fuit: Aram ab Oriente,& Palæſtini à tergo, & comederunt Iſraël in toto ore,& in omnibus his non eſt conuerſus ad percutientem ſe. Quamobrem & apud hunc Vatem ſubiungit Deus: *Et non eſtis reuerſi ad me, dicit Dominus:*] qui non vt perderet, ſed vt corrigeret, cædebat. Igitur & ſecundò ſtimulos admouere oportuit.

Amos 3.
Iſai. 9.

Et ego quoque prohibui à vobis imbrem cùm adhuc tres menſes ſupereſſent ad meſſem.

MAGNÆ Dei prouidentiæ eſt efficere,ne quid aut ſecundum, aut aduerſum caſu accidiſſe videatur: Nam qui ea quæ eueniunt,non tam conſilio,quàm naturæ,aut temporũ ratione definiunt,ſcelerum conſcientia, & diuinorum ſuppliciorum metu minus terreri ſolent. vt ergo huiuſmodi occurratur inſaniæ, certis quibuſdam notis vtramque rem,& præmia videlicet & pœnas,inſignire Deus ſolet: quæ, niſi planè cæci & ſtupidi eſſe velimus, conſilio & prouidentiæ adſcribi debeant: Nam cùm miraculorum multa genera ſint, ex his autem vnum in naturæ materia edi ſoleat,vt in pluuiis,ignibus,fulgetris,niuibus,grandine,& aliis quæ in ſublimi fiunt;huiuſmodi aliquid vbi ad miraculum vſurpatur,præſenti nota ſignari ita ſolet, vt diuinum potius, atque ad certam rem ſignificandam paratum, quàm naturale opus eſſe intelligatur: vt quod certis horis, locis, temporibus, occaſionibus ea fiant,quibus aliàs fieri non ſoleant: quæ omnia obſeruantibus hominibus diuinæ prouidentiæ,& certi conſilij argumento eſſe poſſint. Hæc autem nos aliàs longius,ſi Deus annuet,perſequemur. Nunc verò oblatum de hac re locum explicabimus. Cùm hoſtium excurſiones,& latrocinia, humano potius & hoſtili odio, quàm diuino conſilio populus adſcriberet,alius lapis mouendus fuit, alio flagello plebs cædenda: cuius vim nemo humanam,ſed vel diuinam,vel naturalem dicere poſſet. Ea verò fames etiam fuit ex annonæ penuria allata,quæ vt grauior,certiorq́ue eſſet,hoc modo parata à numine eſt, vt primo anni tempore ante ſementem opportuna pluuia inuitati aratores,meſſis ſpe concepta,in ſerendis agris & operæ plurimum,& frumenti ponerent:quod aliàs,ſi priores illæ autumni tempore

pluuiæ defeciſſent, non ſeminatum, ad famis partem ſubleuandam vſui eſſe potuiſſet. Sed vbi iam terræ ſulciſque creditum, ac natum in herbam creuiſſet, eorum imbrium, quibus opportunò ſucco impleri, & fœcunda reddi ſata ſolent, penuria & defectu corrupta ſunt, vt neque fructu, neque culmo cultores ſuos iuuarent. Huius autem ſentẽtiæ hic verſus eſt: *Et ego quoque prohibui à vobis imbrem, cùm adhuc ſupereſſent tres menſes vſque ad meſſem.* Hæc pluuia ſerotina in ſacris, illi regioni familiaris, diuiniſque promiſſionibus certa fuit. Hæc diuini conſilij ratio, hæc parata pœna, & ad correctionem munita via eſt; quam ne naturæ, aut temporum viciſſitudinibus adſcriberent, ſic eſt prouiſum:

Et plui ſuper vnam ciuitatem, & ſuper alteram ciuitatem non plui.

NAM ſi communis pluuiarum defectus eſſet, iam ab iis qui diuinum auerſarentur conſilium ad certam anni rationem, ad ſiderum concurſum (qualia ſomniare interdum Aſtrologi ſolent) reuocari facilè poſſet. Nunc verò ita rem parabat Deus, vt aliter interpretari atque illud erat, hoc eſt, miraculum non definire, extremæ prorſus eſſet dementiæ, cùm non in agris, ſed in vrbibus; idque non in omnibus, ſed in quibuſdã tantùm pluuia eſſet demittenda. *Et plui.* & coniunctio, rerum inter ſe comparationem poſtulat: nam magis multa ſimul, quàm ſingula ſeorſum mouere poſſunt. *Et plui*: Hebraicè eſt, *Pluere feci*: vt ſuo imperio omnem rerum naturam, cauſam, atque efficientiam ſubeſſe declaret Deus: Namque parata aliàs natura communibus imbribus omnia complere, Dei tamen dicto paret, & cohibetur; aut in hunc, aut in illum locum, quò primi auctoris voluntas tulerit, incumbit. Ita ergo effectum eſt, vt pluuia deſcenderet, non quæ agros fœcundos redderet, ſed quæ anni aliàs abundantiam, niſi Deus cohibuiſſet, probaret: in vrbibus autem plueret, quòd ad docendum de ea re homines qui in vrbibus habitarent pararetur: neque verò in omnibus, ſed in quibuſdam tantùm interiectis imbribus plueret, vt iis, qui collectas ex pluuiis aquas bibere ſolerent (nam ciſternis multæ Iſraëlitarum vrbes vtebantur) cùm non ſatis abundans potus omnibus ſuppeteret, neceſſe fuiſſet aliarum vrbium incolis, alias ſibi vicinas aquarum hauriendæ cauſa petere: quod non ſine miraculi cogitatione, non ſine frequenti tantæ nouitatis in hominibus ipſis mentione, atq. admiratione agi potuit. Vt autem miraculũ omni acceſſione auctiſſimũ fieret, & certis magis ac priuatis ſignis notabiliſſimũ, in eadẽ ciuitate futurum erat, vt pars imbribus irrigata, pars omnino arida, atq. caloribus, & ſiccitate exucta, infeſtata que eſſet, adeò vt neque ex alia parte humectans aër aliam poſſet refrigerare.

Pars vna compluta eſt, & pars ſuper quam non plui, aruit.

Sic Hippocrates perquirere docet, an in morbis quid diuinum ſit. lib. de aëre. & lib. prognoſt. 1.

ITA vt eodem tẽpore diuerſas temporum, aëris, cæli, ſoli, corporum, morborũ, & valetudinum conſtitutiones in eadem vrbe experiri coacti homines, nihil earum rerũ caſui, nihil naturæ, ſed omnia Deo illis irato tribuere poſſint, atq. alij aliis ad miraculi obſeruationem, ad frequentia de ea re colloquia, ad celebrationem incitamento eſſe: Namque

Et venerunt duæ & tres ciuitates ad vnam ciuitatem vt biberent aquam, & non ſunt ſatiatæ.

CVM non ſolùm annonæ caritate, ſed aquarum etiam ad bibendum penuria communiter laboraretur, publicum id malum, & communem miſeriam ſentire, experirique omnibus neceſſe fuit. Cùm autem ſitis extinguendæ cauſa frequenti hominum concurſu ex aliis alia loca peterentur, quibus in conuentibus celeberrimi & crebri de publica miſeria ſermones miſceri ſolent, vbi alij alios propter hauriendarum aquarum auiditatem moleſtia, oppreſſioneque atque iniuria etiam afficiunt: in tanto tumultu quis non moueretur? quis tanto miſeriæ ſpectaculo diuinam non imploraret miſericordiam? quis malum non deprecaretur? quis priuata atque publica ſcelera non accuſaret, non damnaret, nõ expianda prædicaret, quorum offenſione Deum ad ea miracula, ad ea prodigia in publicam pœnam edenda commotum eſſe conſtaret? & tamen *Vos non rediſtis ad me, dicit Dominus.*] Hanc adeò famis & ſitis extremæ calamitatem, quæ populum ad iniuriam ſibi mutuo faciẽdam impellere potuit (cuius cauſa pluuiarum defectus & nimius ſolis æſtus erat futurus) ſic etiã

Vide Platonem in ciuil. ſeu de regno

Iſaias prædixit: In ira Domini exercituum conturbata eſt terra, & fuit populus quaſi eſca

Iſa. 9.

» ignis: vir fratri ſuo non parcet, & declinabit ad dextrã, & eſuriet; & comedet ad ſiniſtram,
» & non ſaturabitur, &c. in omnibus his non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius ex-
» tenta. Quamobrem tertius etiam ad increpandum ſtimulus admotus eſt, vt impleretur id quod ſcriptum eſt: Multa flagella peccatoris. Patris autem, & pientiſſimi patris rationem hactenus Deus perſequitur, qui filios quos diligit, corripit.

Percuſſi vos in vento vrente, & in aurigine: multitudinem hortorum veſtrorum, & vinearum veſtrarum, oliueta veſtra, & ficeta veſtra comedit eruca.

VT grauior ſtimulus certiori etiã diuinæ iræ nota inſignis eſſet, atq. omnis caſus & fortunæ vitaretur ſuſpicio, ſemper à numine eſt prouiſum. Minus hæ quidem agrorum, fun-

dorum-

dorumque calamitates ſecundum naturam,atque ideò rarius incidere ſolent; quæ nullam vnquam commoditatem, ſed vitium ſemper, incommoditatemque afferant: Pluuiarum enim interdum defectus,interdum copia, vſui aliquando eſſe potuerunt, vt altera res alterius vitium corrigeret: id quod iis,qui temporum rationes obſeruauere, facilè fuerit probabile. Vredo autem,& aurigo,locuſta,& bruchus,vt rariora, ſic præter naturam magis,& ſemper infeſta,ſemper calamitoſa ſunt. Atque vredo quidem ſpicis iam tumeſcentibus accidit,quas omni penitus ſucco priuat, effætasque reddit: quales ſpicas ſeptem Ægyptius rex per quietem viſerat. Aurigo verò,culmum ipſum frumenti tentat,& armentorũ etiam pabulo ineptum reddit: Hebraicè *ieracon* dicta calamitas hæc,quòd calamos in ipſo incocto viriditatis humore corrumpat: talemque ſatis faciem relinquit, qualis hominum eſſe ſolet,qui formidine,metuque grauiſſimo ſubiti & inopinati mali corripiuntur, ſicut ſcriptum eſt: Et conuerſæ ſunt vniuerſæ facies in auriginem. Atque adeò vtramque hanc agrorum perniciem,non tam natura, quàm diuina indignatione populis contingere, illa in primis imprecatio, & diræ illæ impiis & ſceleratis iam olim obnunciatæ declarant. Percutiat te Dominus aëre corrupto, & rubigine: Hebraicè duo nomina ſunt; SEDAPHON & IERACHON: quæ à vate etiam hoc in loco vſurpantur. Ita res ipſæ natura ſua diuinæ in eos indignationis argumento eſſe potuêre. Neque verò ad ſata ſolùm,ſed ad omnia etiam plantationum genera malum pertingit, idque malum quod diuinam iram apertè etiam declararet. Ruſticæ rei ſumma duabus partibus conſtat:altera ad vtilitatem , ad volup tatem ver altera ſpectat. Vtilitati,præter frumentorum genera, vineta,olíueta, ficetaque in ſacris libris adſcribũtur; his etiam & malogranatorum genus additur: cætera omnia plantarum & fructuum nomina ad voluptatem relata, hortorum nomine definiuntur: Horti namque deliciarum magis & iucunditatis,quàm diuitiarum cauſa comparantur;quorum fructus diutius ſeruari non poſſunt. Communis autem omnium plantarum pernicies Eruca eſt,maximè verò ea quæ Hebraicè ab excidẽdi vi Gazam dicta eſt, de qua iam apud Ioëlem ſumus commentati. Quantis verò diuitiis,quantisque propterea deliciis Iſraëlitæ diffluerent, hortorum ingens copia declarabat: huiuſmodi enim non niſi à diuitibus coluntur. Obiter igitur eorum luxuriam Vates,vel Deus per Vatem potius notat: *multitudinem hortorum veſtrorum.*] Grauiorem autem fore ſtimuli ictum innuit,ita delicatis & delicioſis hominibus factum, quibus non minus grauiter breuiſſimæ etiam voluptatis carentia,quàm alij maximarum vtilitatum deſiderium ferri ſolet. *Tibi habe frumentum, Aledius inquit; O Libye, diſiunge boues, dum tubera mittas.* Igitur hos non ſolùm hortis multis magna impenſa ad vtilitatem comparatis,ſed omni etiam ruſtica vtilitate & commoditate mulctandos ad correctionem prædicit:qua in re non naturalem aliquam & caſu accidentem calamitatem,ſed diras illas diuinitus obnuntiatas experiri, definireque oportuit, ſicut ſcriptum eſt: Vineam plantabis,& fodies,& vinum non bibes,nec colliges ex ea quippiam;quoniam vaſtabitur vermibus. Oliuas habebis in omnibus terminis tuis, & non vngêris oleo,quia defluent & peribunt. Huiuſmodi autem hortos & prædia, pauperiorum oppreſſione aucta atque extructa,infauſto & pernicioſo Brucho excidenda ſignificare viſus eſt Iſaias eodem illo in loco: Væ qui condunt leges iniquas,& ſcribentes, iniuſtitiã ſcripſerunt. Subiungit autem: Quid facietis in die viſitationis,ad cuius confugietis auxilium? Et deinde:In omnibus his,inquit,non eſt auerſus furor eius, & adhuc manus eius extenta. id quod & vates hic dicit:

Gen. 41.
ירקן
Hier. 30.
Deut. 28.
Ioel. 1.
Iuuen. Sat. 5
Deut. 28.
Iſai. 10.

Et non rediſtis ad me, dicit Dominus.

HIS etiam additus quartus ſtimulus,vt aliquando puncti reſipiſcerent:nam cùm tribus illis affecti tamen non reſipuiſſent,neque Dei in ſe indignationem agnoſcerent, quem deprecationibus & ſupplicibus votis exoraſſe oportuerat; ſed humanis rationibus confidendum eſſe putaſſent; Ægyptum frumentatum ire cœptum eſt, iuuentute ad hoc delecta, quæ peregrinationis faſtidia facilè toleraret, & omnia pericula ſuperaret, atque argentum aut frumentum, cuius magnam ſummam fuiſſe conſentaneum eſt, à latronibus defenderet. Hos autem Deus partim peſte immiſſa,partim latronum excurſionibus perdendos decreuit; atque non ſolùm pecuniam, ſed equos etiam illorum hiſce permiſit. Iſraëlitæ verò fame preſſi & coacti,ſecundò in Ægyptum mittebant,non ſolùm iuuenes, ſed & maiores natu; vt ſic conſilio & viribus iunctis firmius & certius eſſet collecto agmine præſidium: Qui autem poſteriores deſcendebant, priorum cadauera inſepulta paſſim, temereque iacentia conſpicientes,& fœtore etiam multo antequam ad locum deuenirent tentati, tamen neque eo ſpectaculo,neque fœtore illo grauiſſimo, quod vel longius diſtantes impellebat,ita commoti ſunt, vt de diuina ira placanda, atque de ſalute tandem ſua cogitarent. hoc eſt quod dicit:

Miſi in vos mortem in via Aegypti: percuſſi gladio iuuenes veſtros vſque ad captiuitatem equorum veſtrorum: & aſcendere feci putredinem caſtrorum veſtrorum in nares veſtras; & non rediiſtis ad me, dicit Dominus.

MISI *in vos mortem*: Hebraicè eſt, *peſtem*. *Putredinem caſtrorum veſtrorum*: Hebraicè & Chaldaicè, *fœtorem turmarum veſtrarum*. Ea autem re vehementius motos impulſoſque eſſe oportuit, quando nullus in humano corpore ſenſus eſt, qui importunius graui aliquo ſenſili lædatur, quàm olfactus, quem vel inuitum fœtor afficit; quandoquidem eius ſenſus inſtrumentum patens ſemper & apertum eſt, neque ſine reſpirationis detrimento claudi, obturarí ve poteſt: adde quòd ſenſile ipſum ad cerebrum vſque penetrat non ſpecie aliqua te-
Ariſt. lib. 2. de anima. nuiſſima, & per communicationem multiplicata, vt in viſu, & in auditu fit; verùm ſuo ipſo genere, ſuaq. integra natura, capitis meatus omnes cum magno totius corporis detrimento ſubit: quamobrem abominationis atque auerſandæ rei naturam referre grauis atque teter odor ſolet. In ea namque ſignificatione à ſacris auctoribus frequenter vſurpatur, Vt Ia-
Gen. 34. » cob: Fœtere me feciſtis, inquit, Cananæis & Pherezæis habitatoribus terræ huius. Et tamen illos nunquã permotos fuiſſe ait; vt Deus ſuorũ ſcelerum fœtore grauiſſimè tentatũ fuiſſe
Iſai. 10. intelligerent. Hoc etiã Iſaias ſignificauit: Niſi incuruentur ſub vinculo, & cum interfectis cadant: & in omnibus his non eſt auerſus furor eius, & adhuc manus eius extẽra. Reliquus igitur eſt quintus ſtimulus, quem tardiſſimo populo Deus admoueret, quo ſe prius vſurum dicit, quàm extrema omnia mouenda eſſent. Is autem ſtimulus fuit, vt hoſtium exercitui bona totius regionis pars perdenda, capienda, expolianda, & incolarum frequẽtia priuanda traderetur, vt vel tanta calamitate commoti qui reliqui fuiſſent, ſibi rebuſque ſuis tandem conſulerent, pietatemque, & diuinum cultum, iam malis expergefacti, repeterent. Igitur Iſraëlitæ Teglath Pelaſſar Aſſyrio bellum inferente, vehementer afflicti, & penè omnes contriti ſunt: Namque Reubenitæ, & Gaditæ, & dimidia tribus Manaſſes primùm victi, abductique ſunt: deinde vrbes Ghium, & Maghaca, Ianoah, Cades, Haſſor, & Gilead, & Galilææ regio, omniſque terra Nephthalim in hoſtium ditionem venêre, habitatoreſque ipſi in Aſſyriam migrare coacti ſunt; ac vix Samaria ipſa illius tantæ ſtragis expers, & quaſi torris de medio incendio erepta fuit: cætera autem omnia funditus euerſa deletaque ſunt. Hoc eſt quod dicit:

Subuerti vos, ſicut ſubuertit Deus Sodomam & Gomorrham; & facti eſtis ſicut torris raptus ab incendio, & non rediiſtis ad me, dicit Dominus.

CÆTERIS omnibus locis deſtructis, populis abductis, ſola Samaria cum agro ſuo libera relicta eſt, & Aſſyrij regis manus atque impetum, Deo id prouidente, declinauit. Potuit ergo vel ea re populus ille reliquus moueri, & pœnitudinis officio, precibus & obſequiis hoſtis aduerſum ſe reditum deprecari, & tamen nec tantis malis excitati, veternum illud exuêre. Euerſionem autem hanc ſimilem Sodomæ & Gomorrhæ dixit, quòd regiones atque vrbes illæ perinde cultoribus ſuis vacuæ & exciſæ relinquerentur, atque olim Sodoma & Gomorrha: non quòd perdendi modus, ſed quòd ſimilis euerſio in his atque in illis olim, eſſet futura. Neque verò ad ſe illam calamitatem peruenturam eſſe Samaria ciuitas arbi-
Iſai. 9. trata aut verita eſt; ſed vt apud Eſaiam eſt: Et ſciet omnis populus Ephraim, & habitantes
» Samariam in ſuperbia & magnitudine cordis dicẽtes, Lateres ceciderunt, ſed quadris lapi-
» dibus ædificabimus: Sycomoros ſucciderunt, ſed cedros immutabimus. Namque hæc hu-
» manæ dementiæ perſuaſio, hæc fiducia eſt; vt cùm alij aliorum parietes etiam proximos ardere videant, ſuam tamen rem agi non putent, ſed integram ſecuritatem ſibi promittãt: quòd ſi maximè ſibi aliquid prouidendum eſſe arbitrentur, id non ad diuinas, ſed ad humanas potius prudentiæ & conſiliorum rationes reuocent; pecuniam enim ſibi comparãt, & bello aptas machinas ædificant; animos corrigere, & Deum ſibi conciliare non parant; cum humanorum hoſtium viribus ſuas comparant, nihil ſibi cum diuinis exercitibus pugnandum eſſe putantes, neque ſummum, æternumque Imperatorem Dominum Deum Sabaoth ſibi infenſum infeſtumque intelligentes, cùm ſe aut multitudine, aut copia, aut potentia, aut opibus & diuitiis, aut diſciplina, pugnandique dexteritate hoſtibus pares, vel etiam ſuperiores fore ſperent, ſecuritatem ſibi, aut victoriam promittunt; ſociorum, vicinorumque caſus, & exitus, imprudentiæ atque imperitiæ, timiditati, & huiuſmodi rebus
Exod. 30. potius, quàm diuinæ iræ adſcribunt. Sed quomodo perſequeretur vnus mille, & duo fugarent decem millia? nónne ideò quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos? Atque hoc ſemper cogitandum, hoc putandum fuit, his potius quàm humanis rationibus
Pſalm. 126. omnia definire ſapientes homines oportuit: Neque aliam quàm diuinam ſibi aut promit-
» tere aut ſperare ſecuritatem: Niſi enim Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. O Chriſtiani reges & principes, vtinam aliquando iam maturè veſtris rationibus

nibus melius & ſapientius conſulatis;vtinam iis qui fauſta vobis omnia & felicia augurantur,credereiam deſinatis;vtinam periculum inde timere incipiatis, vnde verè eſt timendum:hæc enim prima ad ſecuritatem via eſt & certiſſima, vobiſque in primis munienda, vt calamitatem omnem publicam diuinitus aduenire interpretati, ad religionis res componendas omni primum ſtudio omne conſilium & diligentiam adhibentes, populum his armis artibuſque inſtructum ſecurum fore putetis,atque minori quidem pecuniæ ſumptu, & minori apparatu facilè fore hoſtibus ſuperiorem,ſicut ſcriptum eſt: Non enim in arcu meo ſperabo,& gladius meus non ſaluabit me; ſed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui,quoniam complacuiſti in eis. Namque humanis conſiliis & artibus fidendum non eſſe,præter aliorum antiqua, ſaltem noſtrorum noua exempla ſatis idonea ſunt,quæ nos facilè docere poſſint:Ferè enim noſtra omnium qui nunc viuimus memoria maximam totius Chriſtianæ ditionis partem in hoſtium barbarorum poteſtatẽ cum maxima propugnatorum pernicie redactam eſſe videmus;mare ipſum,noſtrum olim dictum, nemini præterquam illis ſolis,peruium aut tutum. Quid præterea ab illis tentatum fruſtra fuit,quod optato ſucceſſu caruerit?Iam quæ hoc anno cùm hæc ſcribimus, loca occupata, expugnataque ſunt,nónne apertè diuinam in nos indignationem teſtantur? vt vno impetu facto minima ſuorum, maxima autem noſtrorum hominum iactura Imperij fines ad centeſimum vſque milliare propagauerint tanta celeritate, vt maior adeundo, quàm conficiendo mora facta fuiſſe videatur? Nihil igitur obſtat,quo minus hos communes religionis noſtræ hoſtes diuinitus ad noſtram,eorum qui reliqui ſumus, eruditionẽ & correptionem excitatos eſſe interpretemur. quod ſi intelligere noluerimus, tandem (auertat Deus omen) ſentiemus. Neque verò illud putandum eſt,fieri non poſſe vt Deus Eccleſiam ſuam omnino deſertam eſſe patiatur:hoc certè dubitari non conuenit non accidere poſſe,vt publica ſcelera & iniuriæ in eos qui admiſerint,non animaduertantur:Eccleſiæ autem ſuę rationem à Deo ita haberi poſſe,vt in captis & fugatis,exulibus atque afflictis hominibus religionis & pietatis ſtudium conſeruetur; & Eccleſiæ, ſi non illuſtris aliqua,nitida atque læta,tamen afflicta & calamitoſa atque mœſta facies perſeueret. Cuiuſmodi exempla multa ex antiquis libris,vnum autem illuſtre ex Machabæorum hiſtoria petere licebit, ſicut ſcriptum eſt: Et effugauerunt populum Iſraël in abditis, & in abſconditis fugitiuorum locis, &c. Sed ad noſtrum commentandi munus redeamus ; illud interim ad ea quæ digreſſi diximus,addentes,omnia hæc & quæcunque alia diuinitus ſcripta ſunt,ad noſtram Chriſtianorum magis,quàm ad Hebræorum doctrinam eſſe ſcripta:Omnium enim ſæculorum fines in nos peruenerunt;quamobrem omnia ad noſtrã vtilitatem interpretari, & facile, & pronum eſt. Igitur quinque has plagas quas à Deo Iſraëlitis imponendas eſſe Vates dixit, prophetico ſpiritu prædictas ſubiuncta declarat oratio:quæ ideò prædictæ ſunt, vt quibus potiſſimùm fieri poſſet rationibus,vitari curarentur. maximam alioqui atque grauiſſimam in ſe diuinam indignationem,& integram ſuarum rerum perniciem & cladem experturis. Quòd autem præterito tempore futuræ res enuntiatæ fuerint,id ad vaticiniorum certitudinem atque conſtantiam, vt ſæpe aliàs diximus, facit.

Pſalm 43.

Mach. 1.

Quapropter hæc faciam tibi Iſraël: poſtquam autem hæc fecero tibi, præparare in occurſum Dei tui Iſraël.

Ex more eorum Imperatorum loquitur,qui cum maxima fortitudine & virtute maximam etiam ſapientiam,æquitatem,atque innocentiam coniunctam eſſe voluerunt: Namque illi non antè extrema & grauiſſima quæque experiri ſtatuunt,quàm mitia & leuia omnia tentauerint, ſummamque clementiam maximæ potentiæ,quoad id fieri poſſet,præponere optauere. Quòd ſi hâc non ſucceſſerit,alia aggrediuntur via, & qui ſe clementiſſimos probauerant,fortiſſimos etiam & in re gerenda,& ſuo repetendo iure præſtant. Hæc iuſti belli æquitas & ratio eſt: Si quando (inquit Deus) acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm pacem ; ſi receperit & aperuerit tibi portas,cũctus populus qui in ea eſt, ſaluabitur,& ſeruiet tibi ſub tributo: Sin autem fœdus inire noluerit, & ceperit contra te bellum,oppugnabis eam,&c. His legibus atque moribus decidere potius cum populo tentat Deus,quàm extrema iudicia experiri:experturus tandem, niſi tranſigatur ſecum prius. Igitur cùm ſuum ius hactenus per vates repetierit Deus fruſtraque mitiſſima quæque tentauerit, iudicio tandem agendum ſtatuit, quinque illis plagis impoſitis, quæ graues quidem,tamẽ pro meritorum ratione leuiſſimæ ſint: quòd ſi illis ne ſic reſipuerint,neq. ad pacis conditionem hoc modo etiam deſcendere velint, bellum ſibi extremum paratum ſciant à Deo Imperatore, cuius fortitudinem,& in re gerenda ſapientiam, atque dexteritatem & virtutem ſubiunctis deſcribit carminibus: hoc eſt quod dicit: *Quapropter hæc faciam tibi Iſraël: Poſtquam autem hæc fecero tibi,*] neque tamen rebus tuis melius & ſapientius conſultum eſſe voluerit

Deut. 20.

volueris; [*Præparare in occurſum Dei tui Iſraël:*] metire,inquit,vires tuas,copiaſq́. omnes expende,& an par illi ad ſuſtinendam pugnam eſſe poſſis,tecum reputa:quibus artibus tu inſtructus,quibus rebus,qua virtute præditus ſis, non laboro, inquit vates, & cum quanto hoſte tibi res futura ſit,id ego te docebo. Nominis autem Iſraël appellatio elegantiam in loco habet: Namque Iſraël potens cum Deo ſignificat,quòd Iacobo illi antiquo,generis & nominis auctori,magna olim & illuſtris cum Deo fuerit luctatio: ſed is tunc fide contendentem ſecum vicerat,qua ratione ſe vinci facilè Deus patitur. Nunc verò hic Iſraël non fide, ſed perfidia & humana malitia vincere ſtudet,atque ad eam rem aliis artibus, quàm olim Iacob vſus fuerat,vti cogitat;aliis etiam viribus nititur, nimirum munitione, militum virtute,& conſilio.quàm minimi autem momenti huiuſmodi res ad reſiſtendũ Deo ſint, comparatione vates declarat:

Quia ecce formans montes, & creans ſpiritum, & annuntians homini eloquium ſuum.

Cicer. pro lege Manil. COMMVNI omnium iudicio in ſummo aliquo Imperatore quatuor has res ineſſe oportere exiſtimatur: Scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem & felicitatem : atque cum militaris rei petitia maximam etiam prudentiam coniunctam eſſe oportet; qua non ſolùm opportuna conſilia capere,ſed aliena etiam præueniri poſſint : Plurimum enim in bello conſilium valere, maximumque gerendarum rerum momentum in ea re eſſe manifeſtum omnibus eſt,quicunque eam artem profitentur,ſicut ſcriptum eſt: Cogitationes in
Prou.20. » conſilio para, & in ſtratagematis tractanda ſunt bella. Virtutem autem tum Imperatoris, tum militum etiam ipſorum apprimè ad rem gerendam neceſſariam eſſe omnibus etiam barbariſſimis in confeſſo eſt. Quamobrem vbi de magno aliquo opere, & inſigni expeditione in ſacris libris agitur,præclara ducum, aut militum, aut vtrorumque virtutis mentio
Iudic.11. fit. Vt:Spiritus Domini ſuper Iephte. Et, Excitauit Dominus ſpiritum Medorum in Chal-
Hier.51. dæos.Spiritum autem his in locis bellicam virtutem interpretamur,atque humanis pectoribus diuinitus obtentam vim . Auctoritas autem ad proprium exercitum gubernandum; felicitas verò ad ſuorum animos ſpe & audacia, hoſtium verò metu & conſternatione afficiendos plurimum valet. Harum igitur rerum comparatio inter hoſtes ipſos vtrinque fit: & illis victoria certior expectatur,apud quos harum quatuor rerum momenta maiora eſſe cognoſcuntur.Sed ex his rebus quæ extrinſecus accedũt, loci commoditas in primis commendatur: Nam qui in celſo & munito loco ſunt cõſtituti,ij ad expugnandũ, & ad propu-
1.Mach.1. gnandũ ſuperiores eſſe videntur. Vnde Sion montem,ne iterum à gentibus conculcaretur, muro alto inſtructũ, & turribus munitũ fuiſſe, in ſacris hiſtoriis legimus. His autem rebus Samariç incolæ maximè niti videbantur,quando Deũ minas intendentẽ nihil metuebant, nimirum vrbis ſuæ in mõte exædificatæ munitione propria,ducum & militũ virtute,conſiliiſque,& ſtratagematum inuentione acuta,auctoritate & felicitate nominis atque vrbis ſuæ,quæ omnibus aliis totius regionis locis vexatis,afflictis & perditis,tamen ipſa firma atque inuicta perduraſſet:eam felicitatem perpetuam,fatalemque illi fore interpretati,ſeque ſolos ad totius regionis reponendam propagandamque rem à fortuna ſeruari : hæc enim
Eſaiæ 9. illorum inſana iactatio, vt Iſaias refert, fuerat in ſuperbia , & magnitudine cordis dicen-
» tium:Lateres ceciderunt,ſed quadris lapidibus ædificabimus,&c. Igitur cum horum rebus ſuas etiam res comparat Deus,tantoque ſe ſuperiorem omnibus eſſe oſtendit, quanto auctor,artifexque ipſe ſuis operibus præſtatior eſt: Nullus enim locus ita natura aut arte munitus eſſe poteſt,qui non peruius,acceſſibiliſq́. Deo vero,ac ſolo illius auctori, opificiq́. ſit:
Hier.49. » ſicut ſcriptũ eſt:Cùm exaltaueris quaſi Aquila nidũ tuum,inde detrahã te, dicit Dominus: Hoc autẽ eſt quod hoc in loco ait: *Quia ecce formans montes.*] Ecce,vox rem veriſſimã & conſpicuam hoc in loco indicat,eamq́. attentius conſiderandam proponit. Iam verò quod ad virtutem,fortitudinem, dexteritatemque ſpectat, quiſnam mortalis tanta fortitudine & virtute præditus eſſe poſſit,imò potius tanta, tamque inſana laboret arrogantia, vt aduerſus eum ſtare poſſe putet,qui non ſolùm infinita virtute ſuapte natura polleat, ſed aliorum
Num.16. omnium,quicunque fortes cenſentur,virtutem ipſe creet, atque efficiat;ſicut ſcriptum eſt:
» Fortiſſime Deus, Deus ſpirituum vniuerſæ carnis,&c. Huius ſententiæ eſt id quod hoc in loco legimus: *Creans ſpiritum*: ſic ex Hebraico interpretamur, non venti, ſed ſpiritus rationem ſequuti: Chaldaicè ſic eſt; *Creans ſpiritum qui ſit in hominibus.* Vnde & duriſſimum &
Hier.50. inſuperabile omnino ſit,aduerſus eum contendere,qui omnem virtutem, etiam vim eam
» qua contendendum eſt,pro ſuo arbitratu aut faciat, aut frangat, ſicut ſcriptum eſt : Illa-
» queaui te & capta es Babylon & neſciebas ; inuenta es & apprehenſa; quoniã Dominum prouocaſti. Quæ verò conſilia capi,aut iniri,atque iis qui ceperint prodeſſe queant; cùm nihil ab homine cogitari poſſit,quod non à Deo multo antè præuentum fuerit,atq eidem

ipſi qui cogitauit, indicatum; vt intelligat ſua conſilia antè cognita, fractaq́ eſſe, quàm aut obita fuerint, aut inſtituta: Namque Dominus diſſipat conſilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum: conſilium autē Domini in æternum permanet, &c. hanc ſententiam illud habet: *Et annuntians homini eloquium ſuum.* Hebraicè eſt: *& annunsians homini quæ cogitatio eius.*] Reliquũ eſt de felicitate, quam præſtare de ſe ipſo nemo poteſt; cuius ratio omnis in Dei poteſtate eſt: Nam felicitatis ſuæ non ſolùm poſſeſſor ipſe ſibi, ſed alienæ etiam auctor, aut mutator Deus eſſe probatur; vtpote qui dié temperare, & lucem proferre, vel adimere, obſcurareque poteſt, & tenebras in lucem, lucem in tenebras mutare, atque omnem horum inferiorum, quæ in terra ſunt, locorum rationem, vim, affectionemq́ue ipſe ſuperat, nullo loco, nullo termino, nulla naturæ, aut viciſſitudinis lege, nulla deniq. cauſa cohibetur. Ipſe enim cùm nullam vnde ſit cauſam habeat, aliorum quæcunque aut ſunt, aut fiunt, aut eſſe poſſunt, cauſas & principia omnia moderatur ac regit. Quæcunque igitur in terrarum orbe fiunt, aut accidunt, ſiue fauſta, ſiue infauſta ſunt, longè quidem inferiora ſunt, quàm vt ipſum attingere, comprehendereq́ue poſſint, editiſſima quæque & maximè celſa terrarum curru ſuo præteruolantem, & deſpicientem. Igitur qui tenebras, & temporum caliginem experiri ipſe non poteſt, cùm longè ab his rebus ſemotus lucem inhabitet inacceſſibilem, clariſſimis tamen hominum rebus, ſi id negotium poſtulet, denſiſſimas repentè tenebras obducere poteſt. Quam quidem ob rem meritò illi ſoli fortiſſimi & maximi in bello ducis cognomen non aliunde tractum, ſed per ſe partum eſt; qui præter tantam ſapientiam, virtutem tantam, ſtrenuitatem, & propriam æternamq́ue ſuam felicitatem innumeras inferiorum & ſuperiorum exercituum copias omni ad victoriam arte inſtructiſſimas, dicto audientes habet. Hoc ſenſu vltimum illum capitis verſum interpretamur:

Faciens matutinam nebulam, & gradiens ſuper excelſa terræ, Dominus Deus exercituum nomen eius. Hebraicè ſic eſt: *Faciens auroram caliginem, iter faciens ſuper celſitudines terræ.*

AD ILLVD alludere videtur, quòd Deus nubiũ curru à celerrimis vētis tracto vti à ſacris vatibus canitur: Qui ponis nubē aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pēnas ventorum. Pſalm.103.
[*Dominus Deus exercituum nomen eius.*] Miſericors quidem ille eſt, atque humani generis, maximè autem Iſraël beneficentiſſimus patronus; ſed cùm cauſa poſtulat, iudex tamen integerrimus, qui exercitus multos, & ad ſcelerum vltionem promptiſſimos habeat. Hunc locum ſic Chaldæus Paraphraſtes explicuit: *Conſtituens lucem iuſtis ſicut aurora lucem, quæ procedit & augeſcit, afferens tenebras impijs, confringens impios terræ, Dominus Deus exercituum nomen eius.*

CAPVT QVINTVM.

AVDITE *verbum iſtud quod ego leuo ſuper vos, planctum domus Iſraël.*

MAGNA miſericordia motus Vates, præuiſum à ſe Samariæ excidiũ, omniumq́ue decem tribuum diuturnã diſperſionem, quæ tēporibus Hoſſeæ filij Ela per Aſſyrios effecta eſt, hoc in capite deplorat; grauitatemq. illius calamitatis maximam ſenſu ipſo fore oſtendit, quam ipſe animo ſolùm agitans, luctu & lachrymis, atque mœſtiſſima elegia non excipere non poſſit. Eos ergo ipſos quibus tanta parata miſeria erat, ad lamentationem ſuam audiendam vocat, vt quid illis ſua in ſcelere pertinacia pepererit, vel ex oratione cognoſcentes, iuſtiſſimum tandem Dei agnoſcant iudicium, qui omnibus modis & rebus, hortatu, orationibus, minis, terroribus, repræſentationibus, & mœſtiſſimis etiã venientium malorum à vatibus ſuſceptis lamentis, tamen moueri, atque à ſuſcepto ſcelere deterreri noluerint; nec antè deſinere, quàm malis ipſis oppreſſi & impediti, procedere iam vlterius, atque in ſua ſtudia incumbere amplius non poſſent. Igitur cùm quinq. plagis impoſitis, quas ſuperiori capite ad correptionē infligendas prædixerat, tamen illos negligēter acturos præuidiſſet, non iam corripientem, ſed vltorem illis Deum magno cum exercitu, maximis ad pugnandum rebus paratum inſtructumq. denuntiauit: quæ omnia vbi ab illis contempta intellexit, tum animi in eos indignatione, tum humanitate & commiſeratione impulſus, quas illis lachrymas excire, in propriorum malorum repræſentatione atque obnuntiatione non potuit ipſe eorundem ſenſus expers, cogitatione tãtùm particeps, copioſas cum lamento profudit. Cauſam autem, quamobrem tantũ ipſe alieno malo moueatur, vt luctui & lamentis, lachrymiſq́ue ſe dederit, pietatem eſſe dicit, & cõmunis rei ſtudium: nempe nomen ipſum Iſraëlis quod ſanctiſſimum ſibi erat, vt cæteris etiam omnibus eſſe debuit & potuit, niſi illi ſibi ipſis, ſuiſque rebus deeſſe, quàm cõſulere maluiſſent. Cùm au-

tem totius Iſraëliticæ domus ruinam, horribilemque caſum imminere intelligeret, non ſine affectu atque mœrore Domum Iſraëlis appellauit, honoris antea, nunc verò poſthac commiſerationis cauſa commemorandum nomen: ac ſi diceret, Domus Iſraël tanto nunc impetu & ſtrepitu diruenda, quanto olim molimine, quantoq́ue diuinorum beneficiorum apparatu fueras olim ædificata. Audi quo planctu, quo luctu, tuam illam extremam proſequar miſeriam:

Cecidit, & non adijciet vt reſurgat virgo Iſraël; proiecta eſt in terram ſuam, non eſt qui ſuſcitet eam.

CALAMITOSAM decem tribuum abductionē, atque adeò diuturnam captiuitatem paulò pòſt futuram, præterito tempore vt certiſſimam prædicit, atque vt miſerrimam deplorat: carmen autem lugubre, & lamentis idoneum de ea re noſter vates paſtor ille ruſticus condit, quo nullum aliud elegantius, aut ad commiſerationem mouendam opportunius me audire memini: Nam præterquam quòd grauiſſimis verbis Hebraicè conſtat, numeris & menſuris ei quam ipſe induerat affectioni aptiſſimis compoſitum eſt: Plures enim longas ſyllabas raris breuibus & ſemibreuibus miſcet, vt non voces, ſed ſingultus audire videaris, muſicæ genus Latinis verſibus imitatu difficillimū. *Cecidit,*] Omnis miſeriæ & calamitatis cumulum verbum hoc, quacunque lingua pronuntietur, ſignificat: Namque &. ſummam priſtinam felicitatem, & extremam præſentem miſeriam ante oculos veluti ſpe-

Virg. 2. Æn. ctandam exponit: vt enim quæ erecta, ſtantiaque ſunt, vim, decus, ſplendoremq́ue ſuum proferre atque indicare videntur; ſic quæcunque iacent, ipſo ſitu atque habitu ſuam ipſa miſeriam calamitatemq́ue indicant: ſed cadere grauius verbū, quàm iacere eſt: Fieri enim poteſt, vt quædam ſemper iaceant quæ nunquam ſteterint; quæ verò cadunt, ſtetiſſe antea

Apoc. 18. manifeſtum eſt: vt Cecidit, cecidit Babylon illa magna. Et illud:

Horat. *Barbaræ poſtquam cecidère turmæ Theſſalo victore.* Igitur ſplendorem illum, dignitatem, decus, omnem Iſraëlitarum gentis & regni, atque totius Reipublicæ maieſtatem, totam denique gloriam penitus delendam eſſe, vno hoc verbo Vates declarauit. Neque verò omnis modò amplitudinis, ſed ſalutis etiam extinctionem illorum rebus afferri docuit: eoq́ue grauiorem fore ruinam, & tanto magis horribilem caſum, quanto imparatis magis, delicatis, atque inexpertis contigerit. Eam rem hoc nomine Vates ſignificat *Virgo Iſraël.* Omnem Iſraëlitarum Rempublicam virginis nomine appellat: quippe virgo nulli antea viro; ſic Iſraël nullis alienis dominis hactenus addictus, nouum ac propterea grauiſſimum ſeruitutis iugum experiatur neceſſe eſt: grauius enim inſuetos atque inopinantes noua mala, quàm antiquo incommodorum vſu exercitatos premunt. Virginis autem nomine huiuſmodi liberam & teneram, nullique ſeruitutis ferendo iugo aſſuetam gentem ſignifi-

Iſai. 23. care ex illo aliiſq́ue locis arguitur: Non adiicies vltrà vt glorieris oppreſſionem ſuſtinens

" virgo filia Sidonis. Grauiſſimam ergo Iſraëlitarū ruinam, abductionem & diſperſionē, diuturnumq́ue à patria, à gloria, atque à diuina gratia exilium, hac cadendi ſimilitudine oſtendit Vates. *Et non adijciet vt reſurgat.*] Cùm omniū ferè vatum oraculis, vaticinationibus, atque adeò Apoſtolorum prædictionibus declaratum ſit, fore aliquādo vt Iſraël omnis (quo nomine in primis vltrà Iudam & Beniamin decem tribus dicuntur) in antiquum, immò potius in ampliorem, magiſq́ue illuſtrem ſtatum reſtituatur, hoc Amoſi vatis dictum maius negotium interpretibus fecit, quàm vt à nobis (qui vatum propriam ſententiam indicare, non alienas enumerare inſtituimus) explicari poſſit: longū enim nimium eſt videre, quēadmodum ex Hebræis & Chaldæis ſcriptoribus, atque ex Græcis & Latinis doctiſſimi quique hunc aliis oraculis iniectum nodum explicare conentur. qua in re doctorum virorum diligentiam & ſedulitatem vehementer commendandam eſſe cenſemus, atque eorum vtilem dubitationem probamus, quæ ad veritatis inuentionem munita via eſt. Sed nos eruditum lectorem ad illorum diſputationes acutas ſanè atque elegantes, ſi per otium licuerit, legendas hortati, loci ipſius ſimplicem ſententiam breuiſſimè docebimus. Significat autem Vates adeò grauem, adeoq́ue horribilem Iſraëlitarum caſum fore, vt quibus olim nondum lapſis, adhuc labantibus continere, conſeruareq́ue ſeſe facile eſſet, ſi reuocanti Deo interdum, atque interdum minitanti, nec omnino deſerenti, neque manum ſubtrahenti auſcultare potius quam auerſari placuiſſet, iiſdem ab eo, cuius oblatum auxilium ſpreuēre, deſtitutis & corruentibus, neque conatibus, neque viribus ſuis reſurgere per ſe, atque in priſtinum ſtatum reſtitui integrū ita fore; niſi Deus ipſe ſua ſponte, ſuaq. miſericordia excitatus, manum porrigat, iacentibusq́. auxilium & opem ferat. Neque enim Iſraëlitis, poſt caſum illum æqua ſaltem aut ſimilis aliarum gentium ſtatui, ſed multò inferior relicta conditio eſt: aliis namque gentibus generalis, quam vocant, gratiæ vſus, multò quàm Iſraëlitis commodior ad veritatem Dei, Euangeliique lucem admittendam eſt; ſi quidem gētes non vt increduli & contumaces Iſraëlitæ excæcatæ ſunt, horum enim mentes Deus excæcauit,

vt non fulgeat illis illuminatio euangelij gloriæ Chriſti, vt iudicentur omnes qui non cre- 2. Cor. 4.
diderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati. Multis autem ſcripturarum teſtimoniis do- "
cemur Iſraëlitarum, iam tandem euerſas, inferiori loco, quàm gentium eſſe res: vnde minus
illorum deprecationes, minus preces audiuntur: quam rem & ille etiam vates graui eſt la-
mento proſequutus: Operuiſti in furore, percuſſiſti, occidiſti, nec peperciſti. Oppoſuiſti Thren. 3.
nubem tibi, ne tranſiret oratio, eradicationem & abiectionem poſuiſti me in medio popu- "
lorum. Huius etiā ſortis hominum illa oratio eſt: Quare in perpetuum obliuiſceris noſtri, "
derelinques nos in longitudinem dierum? Conuerte nos Domine, & conuertemur; innoua Thren. 5.
dies noſtros, ſicut à principio. Qua de re, videlicet de iuſtiſſima incraſſationis atq. excæca- "
tionis contumaciū hominum pœna maius ad dicendum otiū nobis dari optamus: Namq. "
id argumētum & ad diſputandum grauiſſimū, & ad hominum peccandi pertinaciam fran-
gendam commodiſſimum arbitramur. Igitur virginē Iſraël à Deo ſuſtentatore ſic deſeren-
dam, ruinæque permittendam fore Vates prædicebat, vt reſurgere ipſa per ſe non poſſet:
non qui reſtituendam omnino eſſe negaret, ſed qui grauiſſimum, horribilē atque diutur-
num caſum fore deſcriberet: cuius damna & incōmoda à nemine alio quàm Deo poſſent
reſarciri. Hunc tamen illi redemptorem diutius eſſe deſiderandum, qui antea rogās & in-
uitans vltrò eſſet neglectus. Nihil igitur illis aut ſtudium, aut conatus profuturos, nihil vo- Rom. 10.
luntatē, aut deſideriū, nihil curſum iacenti virgini opitulaturum, quamdiu illa miſerentis
Dei auxilio atq. ope deſtituta eſſet. Propterea addit: *Proiecta eſt in terram ſuā, non eſt qui ſuſcitet eā.*
Hebraicè eſt: *Derelicta eſt ſuper terra ſua, non eſt ſuſcitans eius.*] Qua oratione imbecillæ, & deiecto
animo virginis imaginē nobis Vates pingit; quæ cùm in terram impetu corruerit, à ſpon-
ſo, quem ſolum ſubleuatorem deſideret, offenſione irato negligatur, atque interim in terra,
puluere, ſordibus & luctu iaceat, dum maximam ſponſi miſericordiam de integro detur
experiri: atque hoc modo & veriſſima, & nullo modo vel cum aliis, vel ſecum pugnās Va-
tis ſententia eſt. Namque futuram Iſraëlitarum & Iudæorum integram reſtitutionem,
quemadmodum alij vates, ſic etiam & Amos ipſe præcinit; ita tamen vt non humana, ſed Infra. 9.
cæleſti Dei miſerentis virtute reſtitutum eos iri docuerit. In diebus illis ſuſcitabo taberna- "
culum Dauid quod cecidit, &c. Subiungit autem: Et conuertam captiuitatem populi mei "
Iſraël. Quo in loco eadem duo verba, cadere & ſuſtentare, vſurpata ſunt. Ita tamē Hebrai-
cè diſtincta res eſt, vt de vtriuſque populi reſtitutione dictum eſſe conſtet. Namque taber-
naculum Dauid Iudæ regnum fuit cum Iſraëlitica familia coniunctum: deinde vbi res
diſcordia dilabi cœperunt, & Iudæ regnum deſiit, & Iſraëlitarū omnis reſpublica corruit.
Futurum autem eſſe vates omnes prædixerunt, vt integra Iſraëlis familia tam Iudæi, quàm Ioel. 3.
Iſraëlitæ in gratiam cum Deo reſtituta vnius Regis Chriſti imperio conſentiat, cui dedit
Dominus ſedem Dauid patris ſui in domo Iacob vſque in æternum regnaturo. Hæc verò Luc. 1.
omnia ita Vates noſter in libri fine aperuit, vt nihil aut apertius dici poſſet aut proprius.
Suſcitabo tabernaculum Dauid, Iudæorum gētem ſignificat. Feminino autem genere ad-
didit, eam quæ cecidit; vt ad hanc iacentem virginē oratio referenda eſſe videatur. Vtram-
que porrò partem ſtatim multitudinis numero indicauit dicens: Et ædificabo aperturas
earum, tam Iudæorum, quàm Iſraëlitarum res ſignificat. Deinde & rem omnem Dauidicæ
familiæ reſtituendam eſſe dicit: Et demolitiones eius inſtaurabo. hic rurſus maſculino ge-
nere vtitur, vt ad Dauidem oratio referatur. Poſtremò rem ipſam aperit ac manifeſtat: Et
reædificabo eum ſicut in diebus antiquis: tandem ne quis ab hac ſalute Iſraëlitas excluſos
eſſe interpretaretur, ſubiunxit: Conuertam captiuitatem populi mei Iſraël: cuius quidem
nullum alium præter ſe auctorem futurum eſſe Deus declarat. Ita idem & in hoc, & in illo
loco iacentis Iſraëlis ſuſcitator appellatur; qui nunc nondum adeſt ſuſcitans ſiue erigens,
tum ſuſcitabit. Hæc huius loci ſententia, & conſonans explicatio eſt. Verborum autem ra- 1. Sam. 10.
tionem aliquam habere oportuerit. *Derelicta eſt.* Prætermiſſionem & deſpicientiam hoc
verbum Hebraicè ſignificat, quo Samuel cum Saule colloquutus vtebatur; Pater, inquit, Deutero.
tuus dimiſſa aſinarum cura ſolicitus eſt pro vobis. & illud: Dereliquit Deum factorem Plato in Timæo idem ſentit.
ſuū. *In terra ſua.*] Humilitatē & miſeriam humanā tropus hic ſignificare ſolet. Nihil enim
homini proprium natura eſt præter lutum, terramque, quod elementorum omnium igno-
biliſſimum ignauiſſimumque eſt: Nam ignis, aër & aqua ſpiritum ſortita eſſe videntur, mo-
uerique & agi ipſa, atque ab ipſis alia agitari conſpiciuntur; vnde mechanica illa quæ vi-
dentur miracula, ab iis qui eam artem callent, eduntur. Extat Hieronis liber Græcè, quem Hieron. περὶ πνευματικῶν.
De elementorum ſpiritibus inſcripſit. Terra verò omnis motus & efficientiæ expers, deor-
ſum non tam mouetur quàm cadit, atque in infimo loco ſegnis deſidet, neque inde niſi a-
liena vi & opera attollitur. Hæc terræ conſideratio iuxta motuum & ſpirituum rationem
eſt, atque vt ille canebat,

Ouid. 1. metamor. *Denſior his tellus, elementaq; grandia traxit, Et preſſa eſt grauitate ſui.*

Iuxta quam rationem Hebraicè ADAMA dicitur: namque de eius ad rerum generationem vi & habilitate, vt aliud nomen, ſic alia diſputatio eſt. Igitur virgo Iſraël ſuper terra ſua iacens, in ſumma miſeria & ignobilitate fore ſignificatur: ſic enim qualis hominũ, qui tantùm homines ſunt, exitus eſſe ſoleat; eadem etiam oratione deſcribitur: Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam. *Non eſt ſuſcitans eius.*] Hoc eſt, Is qui ſolus eam ſuſcitare poteſt, non adeſt illi; quòd eam iam non pari, vt antea, gratia iacentem proſequitur, quoad tempus illud maximæ erga eam miſericordiæ redierit, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion qui deleat iniquitatem Iſraël; & hoc ſignum eis cùm auertero captiuitatem, &c. Threni autem ſiue Elegiæ ſententia, & totius argumenti ſumma primo hoc carmine continetur; ſequentibus autem verſibus fuſius explicatur, atque elegantem elegiarum artem hoc exemplo cognoſcere eſt: Solent enim lugentes homines compreſſi doloris, & mœſtæ cogitationis totius rationes primo lugendi impetu proferre; & variis deinde verborum & cogitationum additis membris amplificare & producere: vt,

Pſalm. 143. Iſai. 52. Rom. 11.

Auguſti carmen. Propert. l. 3.

Ergo ne ſupremis potuit vox improba verbis, Tam dirum mandare nefas?

Ergo ſolicita in cauſa pecunia vitæ es? &c. Duas autem res Vates initio propoſuit: altera fuit, Iſraëlem virginem in terra ſua iacere: altera verò excitatorem eius deſiderari. Vtramque verò ſubiunctis explicat dictis; priorem quidem ſic:

Quia hæc dicit Dominus Deus, Vrbs de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum, & de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem in domo Iſrael.

MAGNAM ſub ipſum etiam vltionis & pœnarũ tempus Dei erga Iſraëlem fuiſſe miſericordiam Vates docet, qui populum ſubitò perdere & deſerere noluerit, neque manu ſua ſuſtentatum ruinæ antè permittere, quàm extrema omnia ad reuocandum tentata eſſent, ſi fortè ſibi conſulere ille voluiſſet, quominus funditus euerteretur: Namque ab hoſte nondum abductis, quamuis paucis & rariſſimis, quamuis nimium debilitatis, nonnulla tamen reſtitutionis & ſalutis ſpes reliqua erat, dum fundamen tum aliquod, dum radices adhuc in ipſa patria terra habuiſſent. Duras igitur atque inutiles plantas, quæ luxurie ramorum diffluentes, aut in ruſticam naturam degenerantes, nullum cultori ſuo fructum redderent, amputare, abſcindere, & interſecare Deus inſtituit; paucis admodum ad reponendæ reſtituendæque vineæ ſpem relictis: hasque ſupereſſe voluit; quas niſi idoneum redderent fructum, radicitus euellere atque tollere decreuit. Igitur fame & peſtilentia in Samaria, & toto eius agro res ita fractæ, protritæ, & debilitatæ ſunt, vt iis qui ex hac calamitate ſupereſſent, ſi bellum præterea impenderet, nulla omnino ſalutis ſpes, niſi in vno diuino præſidio reliqua eſſe poſſet: Adeò enim rari ex peſte atque ex fame euaſêre, vt vix decimus quiſque ſupereſſet, qui bello eſſet idoneus. *Vrbs*, inquit, *de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum &c.* Hebraicè, *Vrbs egrediens mille.*] Verbũ hoc in loco militare eſt: ſignificat enim armatorum hominum copiam, quam vniuſcuiuſq. vrbium portæ effundere ſoleant: Hæc peſte & fame adeò diminuenda eſſe dicitur, vt nullius belli impetum valeat ſuſtinere: Nihilominus tamen vigore Iſraël nondum eſſe deſerta, nondum diuina manu derelicta affirmatur, ſi retineri ſe illa magis, quàm prorſus deſertam eſſe curauiſſet. Quoniam autem optimum hoc conſilium erat, ſuſtentatore potius ſuo, quàm aliis rebus vaniſſimis niti velle; ob eam rem auxilij, curæque ſuæ promiſſione Deus vltrò eam allicit, atque ab inutilibus ſtudiis ad veras ſalutis rationes ineundas auocat.

Quia hæc dicit Dominus domui Iſraël, Quærite me & viuetis, & nolite quærere Bethel; & in Galgalam nolite intrare, & in Berſabee non tranſibitis.

FIERI perſæpe videmus vt in anguſtiſſimis & miſerrimis rebus religionis ſtudium incendatur, & quæ humanitus ſalus deſperata ſit à diuina natura, vnde verum hominibus præſidium auxiliumque eſt, petatur. Neque vlla natio tam barbara aut impia eſt, quæ in maximis calamitatibus diuinum numen adeundum, placandumque ſibi eſſe non arbitretur. Verùm enimuero totius huius conſilij ſumma & maximum momentũ illud eſt, quænam verè diuina natura ſit, qua ratione placanda, compertum atque exploratum habere: Namque iis rebus fidere, quæ à Dei natura longiſſimè diſtant, vaniſſima omnino fiducia, & maximorum incommodorum efficiens fallacia eſt. Neque enim natura propriæ ſalutis expers, ſaluti aliis eſſe vllo modo poteſt: quamobrem quicunque huiuſmodi mentito & falſo, plenoque erroris religionum ſtudio, quibus gentes incumbere ſolent, operã dederunt cum maximo labore & ſumptu, cum maximo molimine maximam ſibi vanitatẽ peperere, ſicut ſcriptum eſt: Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.

Hinc deorũ cognitionẽ hominibus inſitã principiũ traxiſſe Plato ait.

Pſalm. 113.

Contrà

Contrà verò quicunque verum Deum, cuius exploratam certamq́ue rationem tenerent, ritè petere, placareq́ue inſtituiſſent, certiſſimum ſemper auxiliatorem experti ſunt, ſicut «
ſcriptum eſt: Qui timent Dominum ſperauerunt in Domino, adiutor eorum & protector Ibidem.
eorum eſt. Igitur Iſraëlitæ tantis miſeriis & calamitatibus afflicti numen ſibi placandum eſſe iudicauerunt; ſed ſumma in eo fallacia, maximaq́ue dementia fuit, quòd à vero Deo abalienati, ad Bethel vitulos, & ad Galgalorum ſimulachra omni ſtudio & cura cōfugiendum ſibi eſſe putauerunt: dumq́ue publicum malum hac ratione auertere, declinareq́. ſtudent, tamen augent verius & accelerant, quàm declinent: Eam enim rem, quæ malorum illis cauſa caputq́ue fuerat, magis ac magis colendo & tractando, malum ſibi fouebant atque augebant. Hunc autem illis errorem eripere curat Deus, vt ad ſanæ mentis, veræq́ue religionis rationem reuocatis ſalutem ipſe vltro offerat & promittat. [*Quia hæc dicit Dominus domui Iſraël.*] Dominus nomen illud ineffabile, Hebraicè eſt: cuius rationē & virtutem, atque ad ſalutis afferendæ certam vim Iſraëli potiſſimùm iam olim notam exploratamq́ue
eſſe oportuit, ex quo Moſi in Sina dictum eſt: Qui apparui Abraham, & Iſaac & Iacob, in Exod. 6. «
Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non reuelaui eis: Ego audiui gemitum filio- «
rum Iſraël quo Ægyptij oppreſſerunt eos, &c. Ex illo autem tempore domus Iſraël ſperauit in Domino, adiutor eorum & protector eorum eſt. Itaque ad hanc rationē ineundam tenendamq́ue, & perſequendam domus Iſraël vocatur. [*& viuetis:*] in eo enim vno, veroq́. Deo certa illis & firma ſalutis ſpes eſſe debet, in quacunque alia re præter ipſum nulla eſſe omnino poteſt. Abiicienda ergo illis deponendaq́ue omnis alia cura, & totum ſuperſtitionis ſtudium relinquendum eſt; atque verus Deus, qui in altis habitat, & Hieroſolymis ſibi ædem ad orationem & ſupplicationem optauit, ſana mente, pio ſtudio, & legitimo cultu eſt adeundus. [*Et nolite quærere Bethel.*] In Bethel, quę prius Luza vocabatur, fanum fuiſſe ab Hieroboamo populi ab Hieruſalem auertendi cauſa extructum, iam ſæpius vidimus. In Galgalis etiam aras, lucoſque vanorum Deorum ſimulachris dicata accepimus. Vtrumq. autem locum magna frequentia celebrandum & reges curauerunt, & populus ipſe ſuſceperat. Ea verò loca vltra ſuperſtitionis flagitium, multis etiam aliis Iſraëlitarum ſceleribus contaminata, & Deo vehementer inuiſa, atque cultoribus ipſis funeſta reddita fuerant. Ab his igitur locis non inutilibus modò, ſed etiam pernicioſiſſimis Iſraëlitæ diuino cōſilio deterrentur, ne magno labore & diſpendio magnum ſibi malum parent. Vtitur autem dictorum antitheſi elegantiſſima: *Quærite*, inquit, *me*, quem ſemper auxiliatorem experti eſtis, verumq́ue ac certum Deum, & *nolite quærere Bethel*, cui præter Dei inane iam nomē, nihil prætereà adeſt: Nam Bethel domum Dei, ſiue domū fortis ſignificat: quòd ſi vobis verus Deus *Adonai*, vbi vbi ille ſit, quærendus ad ſalutem eſt, quid iuuat inane tantùm nomen ſequutos, domum Dei, Deo tamen vacuam, imò potius inuiſam, auxilij cauſa quærere? *Nolite quærere Bethel*; in qua nihil iam forte, nihil ſolidum, nihil diuinum, ſed vanitatem meram, & inanem quandam nuditatem, ac nudum errorem eſſe, exitus ipſe demonſtrabit. [*Et in Galgala nolite intrare.*] Eleganti ſignificationis alluſione de Galgalę exiſtimatione detrahit. Nam quem locum ſacrum & diuinum illi putarent, eum locum importunum, funeſtum, atque vitandum eſſe vel nomen ipſum arguebat; quando Galgal rotam, volubilemq́ue rem ſignificat; vt mali ominis notationē potius, quàm religionem ſignificatio doceret: Nam quæ felicitas, quæ conſtans auxilij ratio in volubilitate eſſe poteſt? quam ſibi is bonorum conſtantiam, ſtabilitatemq́ue aut ſperet, aut promittat, qui ſeſe rotæ volubilitatiq́ue commiſerit? Quamobrem vel ab aditu ipſo infauſti, atque horribilis loci deterret; quem locū ſuo nomine infamatum, notatumq́ue eſſe indicát. Quòd ſi ab his locis frequentandis, imò & adeundis, animum & ſtudium ad verum Deum ſeruatorem petendum traduxerint, nihil illis eſſe metuendum, vt extra propriæ regionis fines abductis aliò migrandum ſit; ſed res potius ſuas diuino beneficio reſtitutum, confirmatumq́ue iri ſperandum eſt. [*& in Berſabee non tranſibitis.*] Quibuſdam huius vaticinij expoſitoribus placuit, Berſabee locum eſſe in quo vituli etiam ab Hieroboamo adorandi cauſa conſecrati fuiſſent: idque ex illo Vatis
dicto arguunt: *Viuit Deus tuus Dan, & viuit via Berſabee*: vetari igitur eos atque reuocari ne Ber- Infra 8.
ſabee locum petant. Sed tamen orationis ipſius diuerſa ratio aliam nobis exponit ſenten- «
tiam: Neque enim ait, Nolite quærere Berſabaa: neque hoc modo, In Beerſebaa non intretis, ſed Berſabee non tranſibitis. Prætereà vtrique loco Bethel & Galgalæ, atque eorum cultoribus inſtantem calamitatem prædixit: *Bethel erit inutilis, & Galgala captiua ducetur.*] Berſabee verò nihil huiuſmodi adiecit. Itaque alia loci huius ſententia eſt, quam nos iam ſuperius indicabamus. ſignificat enim, Iſraëlitas ſi relictis prophanis locis ad verum Deum quærendum ſe totos conuerterent, quàmuis afflictos, quamuis varijs modis hactenus labefactatos; non tamen radicitus eruendos, aut à patria regione abducendos fore. Promiſſum

ergo potius quàm iuſſum hoc eſt, *& Berſabee non tranſibitis.*] Namque tota Iſraëlitarum re-
gio duobus inſignibus terminis continebatur: Dan à Septentrione, & Berſabee à meridie,
2.Sam. 17. ſicut ſcriptum eſt: Et congregetur ad te vniuerſus populus Iſraël à Dan vſq. ad Berſabee.
» Certas itaque & ſtabiles fore ſedes affirmat, ſi modò conſiliis acquieſcere diuinis velint.
Quòd ſi ſtultum & impium propoſitum vrgentes religionis cauſa Bethel & Galgalam pe-
tere perſeuerarint, iiſdem illos ſententiæ periculis illaqueatos, eadem ſupplicij expectatio-
ne implicatos, eundem cum locis ipſis exitum fore habituros.

Quia Galgala captiua ducetur, & Bethel erit inutilis.

גלגל גלה Elegantibus paronomaſiis ſententia hæc pronuntiatur, cuius vis Latina verſione expli-
cati non potuit: ſed nos eam Latinis literis indicabimus. Galgal rotam propriè ſignificat,
& à verbo Gala, hoc eſt migrare, deducitur. Nomen verò eiuſdem verbi geminatione con-
ſtat, Gal, gal, migrare, migrare. Repetitio autem eiuſdem verbi Hebraico ſermone, rem ne-
Thren 1. gotiumque ipſum aſſeuerat & confirmat: vt Plorans plorauit in nocte, &c. Viſitare viſita-
Gen. 51. גלגל גלה bit vos Dominus. Hebraicè ſic legimus. Galgal, gala iigale, hoc eſt, Galgal migrare migra-
יגלה bit, non tam locum ipſum, quàm qui in eo fuerint homines migraturos dicit; Metonymia-
que vſus figura eſt. [*& Bethel;*] quod nomen domū fortis ſignificat, *erit inutilis.*] Hebraicè pro-
priè eſt, *erit in vanitatem*: Alludit enim ex antitheto oratio, vanumque ac nudum cultoribus
& habitatoribus ſuis inanem locum fore portendit, cuius loci colendi ſtudium, inanitatem
tandem omnium rerum pariturum ſit. Cùm itaque nihil ex his locis præter malum repor-
tare poſſint, ad ſalutem vnde ſolum accipere eſt, petendum denuò vocantur.

Quærite Dominum & viuite, ne fortè comburat vt ignis domus Ioſeph, & deuorabit, & non erit qui extinguat Bethel.

TOTVS hic locus miſericordiæ & iuſtitiæ eſt, in quo omnis pœnarū & calamitatum,
omnis damnationis cauſa in hominum culpam & negligentiam transfertur; qui oblatam
ſibi à Deo, & ſæpius, promiſſam ſalutem negligunt, & tenebras magis quàm lucē propterea
diligunt, quòd eorum opera & ſtudia mala ſint. faceſſat ergo incerta omnis de prædeſtina-
tione diſputatio, & vanæ ac fallentis philoſophiæ commenta ſileant, quando nullū in vni-
uerſa diuinorum librorum doctrina, aut prædeſtinationis, aut præſcientiæ impedimentum
hominibus ad ſalutem infertur: ſed quare ſalui illi non ſint, omnis culpa in eorum volun-
tate atque negligentia & malitia reſidet. ſiquidem neminem hominem Deus perire vult,
1.Pet.2. ſed omnes ad pœnitentiam reuerti, quos ipſe vltrò ſemper adit, rogat, & quoad id res ratio-
» que pati poteſt, hortari & monere, & iam vehementius accuſare non deſiſtit, vt magnum
ipſi ſibi malum parare fugiant, ſed planè ij nec adeuntem admittunt, nec rogantē audiunt;
neque vllum hortationibus aut admonitionibus diuinæ miſericordiæ locum relinquere
volunt, quam qui neglexerint, diuinæ iuſtitiæ cedant neceſſe eſt: Namque miſericordia
Pſalm. 88. & veritas venientis Dei faciem præcedunt; iuſtitia verò ponè ſequitur, quæ alteram illam
» diuinam virtutem reſpuentes, meritis ſcelerum ſuppliciis proſequatur. Semel loquutus eſt
Pſalm. 61. Deus, duo hæc audiui: quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia, quia tu reddes
» vnicuique iuxta opera ſua. Poteſt quidem vtrumque Deus, ſed tamen illi antiquior miſeri-
» cordia eſt. Ad hanc verò normam omnis hæc de ſalute hominum ratio reuocanda, exigen-
daque eſt, niſi multa nobis ipſis, atque adeò diuinorum librorum veritati diſſentanea dice-
re libeat. Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra, Deus
Ibid. adiutor noſter in æternum; ſic idem Pſaltes canebat. Nemini ergo homini benignitas di-
» uina deeſt, niſi iis tantùm qui ſibi ipſi deeſſe voluēre. Ob eam rem ſæpius iam rogatos rur-
ſum adit, eoſdemque iterum ad ſalutem vltro inuitat & hortatur, nomenque illud ſuum
miſericordiæ myſteriis pleniſſimum prætendit. [*Quærite Adonai, & viuite.*] Viuite, vox Dei
eſt, in quo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet. Quod verò de ſup-
plicio & pœnis inferendis ſubiungit, eò pertinet, vt vel promiſſionibus ad vitam vocatos
alliciat, vel à morte proximi inſtantiſque mali metu deterreat. [*Ne fortè comburat vt ignis do-
mus Ioſeph.*] Ne forte, inquit, hoſtilis manus Ephraim, Samariæque relictum populum ita
vaſtet, vt igni actum credi poſſit. Vocat autem Samariæ populum domum Ioſeph, quòd
Ephraim, cuius caput Samariam eſſe Iſaias dixit, ex Ioſeph filiis erat, adnumeratus tamen
filiis Iſraël, ſicut ſcriptum eſt: Duo ergo filij qui nati ſunt tibi in terra Ægypti antequā ve-
Gen. 48. nirem ad te, mei erunt, Ephraim & Manaſſes, ſicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi:
» Reliquos autem quos genueris poſt eos, tui erunt. Ad hanc verò rationē Ephraim res hoc
» in loco reuocatur: cui, ſi dignitatem ſuam, antiquumque locum Iſraëlis nomen tueri pla-
ceat, præſtò eſt Dominus Deus Iſraël, qui ſe protectorem, tutoremque eius domus ſemper
fore iam olim eſt profeſſus. Non vocaberis, inquit, vltrà Iacob, ſed Iſraël erit nomē tuum,
Gen. 35. & appellauit eum Iſraël. Dixitque ei: Ego Dominus omnipotens, creſce & multiplicare
» &c. Quam-

&c. Quamdiu autem in iiſdem conditionibus manere vellent, tamdiu Dei omnipotentis, gratiam, tutelam & beneficentiam poterant experiri: vbi verò nominis vim atque fœderis conditiones reſpuerent, nomen ipſum Iſraëlis proditum deponere, & Ioſephi tantùm nomen captare videri poſſent. Atqui de Ioſepho aut Ioſephi filiis nulla promiſſio diuina, nulla priuatè ſuſcepta cura eſt, niſi quatenus in patritiam Iſraëlis familiam venientes, obſcurius nomen amitterent, ſicut ſcriptum eſt: Deus qui pauit me ab adoleſcentia mea, & angelus qui eruit me, benedicat pueris iſtis, & inuocetur nomen meum ſuper eos, & creſcant in multitudinem ſuper terram. Quòd ſi Iſraëlis nomen virtute & re ipſa tueri nolueritis, ſed domus potius Ioſeph eſſe optaueritis, ardebit vt igni domus Ioſeph; & Bethel, quam colendæ vobis religioni priuatè conſecraſtis, vnà cum ſuis cultoribus igne abſumetur, qui cùm à Deo non extinguatur, à nemine alio extingui poterit, neque prohiberi quo minus omnia vaſta atque deſerta reddat: [*& deuorabit, & non erit qui extinguat Bethel.*] tantùm abeſt vt eius loci religio, vel potius ſuperſtitio prodeſſe vobis poſſit, vt maximè etiam noceat. Hic locus ſic Chaldaicè legitur: *Et incendet, & non erit extinguens in culpatis; qui colentes fuerint abominationem in Bethel.* Vt autem Metonymiam ſuam explicaret, & quidnam nomine Bethel ſignificauiſſet, exponeret; ſtatim ſubiecit: Gen. 48.

Qui conuertitis in Abſynthium iudicium, & iuſtitiam in terra relinquitis.

REGES potiſſimùm & principes atque magiſtratus hac oratione ſignificari, ipſum eorum officium declarat: Namque eius ordinis homines exercendi iudicij, iuriſque dicendi muneri ac officio præſunt: horum ſtudia reliquus populus imitatur ac ſequitur: hi ad gubernacula reipublicæ ſedentes, aut rectam nauim tenere, aut euertere pro arbitrio poſſunt. His nihil antiquius, nihil ſanctius, nihil iucundius iuſtitia atque æquitate eſſe debuit; quarum maximarum ad rempublicam gubernandam artium ſi tanta illis cura fuiſſet, quãtam eſſe oportuit, nihil publicè laboraretur: nam & ſuum religioni obſequium, ſuum vnicuiq. hominum ordini ius tribueretur, omniaque ex æquo & bono, ex ratione, non ex libidine gererentur: iuſti autem & æqui ratio, non ex priuata cuiuſque ſententia, ſed ex diuina lege petenda fuerat. Porrò diuina lex nullam aliam, quàm antiquam illam & exploratam religionis & pietatis viam muniri permitteret; nullum alium quàm verum Deum pateretur coli; ita adeò & religionis ratio cum publicarum rerum rationibus, & publicarum rationes rerum cum religione conuenirent. Omnia autem hæc contrà quàm pareret, atque decuerat, curata ab his ſunt: qui cùm intelligerent nulla re magis ambitioni, cupiditatibuſque ſuis, quàm diuina lege obliſti poſſe, ipſam in primis legem abiecerunt: deinde religionis rationes turbarunt, & Deum ipſum denique repudiarunt; aliamque pietatis viam inierunt; cuius viæ affectandæ duces populo facti, voti ſui compotes euaſêre: Nam cùm nulla veræ religionis facies, nullum diuinum caput, ad quod cætera referrêtur, eſſet reliquum; facile ipſis, pronumque fuit diuina atque humana iura omnia peruertere, & omnes inſtitiæ atque æquitatis iugulare rationes; nec quod publicis rebus commodiſſimum, ſed quod ſuis ipſorum priuatis tantùm commodis compendioſiſſimum foret ſtatuere. Namque vbi diuinum timorem exuere, maximè autem ij quos ad gubernacula ſedentes cupiditas atque ambitio tranſuerſos agit, nihil propriis commoditatibus iucundius, ac ſuauius, nihil indicio & æquitate inſuauius, acerbiuſque eſſe putant. Quamobrem non ſolùm cogitatione & animi ſententia, ſed re ipſa & ſtudio, *Conuertunt in Abſynthium iudicium, & iuſtitiam in terra relinquunt.*] Sic Hebraicè in præſenti tempore pronuntiatur: cùm nihil iudicio & æquitate ſuauius experiri poſſint ij, qui ſana mente, ſenſibuſque integris ſunt, ſicut ſcriptum eſt: A iudiciis tuis non declinaui, quia tu legem poſuiſti mihi. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Et quia eloquia tua iucunda, ecce cõcupiui mãdata tua, in æquitate tua viuifica me. Abſynthium autem herbarum omnium amariſſima eſt, cui ab amaritudinis grauitate nomen Bathypicron à quibuſdam factum eſſe Dioſcorides ait. Huius autem plantæ nomen in quocunque aut naturæ, aut ſortis triſti acerboque ſenſu, à ſacris vſurpatur auctoribus. Ædificauit in gyro meo, & circundedit me Abſynthio & labore. Huius enim amaritudinis vim Romanus Poëta indicauit cùm cecinit: Pſalm. 118. Dioſcor. li. 3. cap 24. Thren. 3. Lucretius.

Nam veluti pueris Abſynthia tetra medentes Cùm dare conantur, &c.

[*Et iuſtitiam in terra relinquunt.*] Iudicium in ſacris idem quod apud Latinos ius: iuſtitia verò hic id quod æquitas ſignificat. In æquitate autem miſericordia animique moderatio eſt: vnde & pro miſericordia iuſtitia vſurpatur, vt: Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, &c. Ab iis ergo ius violatum æquitatemque deſertam eſſe, à quibus vtraque ars religioſè culta, ſanctiſſimaque eſſe & potuit & debuit. [*In terra relinquunt;*] Iacere in terra ſinunt iuſtitiam quam in bene conſtituta republica ſtare & vigere oportuit. Igitur populum Iſraëliticum ab horum principum ſtudio ad ſe hac elegia reuocandum curat Deus, oſtenditque eos, qui ſibi ad pietatem & ſalutem duces, & publicæ vtilitatis procura- Matth. 7.

tores eſſe debuerant, quòd ſublatis de medio æquitate & iudicio, religionis rationibus ex-
tinctis, ad impietatem potius duces, atque ad malum impulſores fuerint. Vbi verò iam ſi-
gnificauit quos à quibus ſequendis ducibus potiſſimum deterruerit, ad quem, quantumque
ſalutis auctorem reuocet nunc iam deinceps ſubiungit:

Facientem Arcturum & Orionem, & conuertentem in mane tenebras, & diem in noctem mutantem.

NVLLAM maiorem à regibus, principibus & magiſtratibus vtilitatem capi aut expe-
ri poſſe, quàm vt iudicium æquitasque in publicis & priuatis rebus exerceatur. Iniquos
verò non principes, verùm tyrannos, hoſteſque vocandos Vates ſuperius docuit: atque ab
huiuſmodi principum obſequio ad veri Dei cultum Iſraëlitas vocauit. Quis autem & qua-
lis, quantusq. Deus hic, vt toti terrarum orbi, maximè verò iis qui illum colunt, beneficen-
tiſſimus; vt contrà ad impietatem, ſacrilegia, ſceleraque omnia vlciſcenda potentiſſimus ſit,
tribus grauiſſimis de prouidentia argumentis docet. Maximi enim momenti & ponderis
ad virtutem, pietatemque hominibus perſuadendam, certa prouidentiæ cognitio eſt. Hãc
Pſalm. 7. autem Dei virtutem, & de rebus humanis curam, omnibus populis certam exploratamq.
„ eſſe in illo elegantiſſimo hymno Pſaltes petebat: Exurge Domine in præcepto quod man-
„ daſti, & ſynagoga populorum circundabit te: & propter hanc in altum regredere: Domi-
Vide Iuſtinũ nus iudicat populos, &c. Tria autem potiſſimum ad prouidentiam probandam argumen-
mart. lib de ta, ex perpetuis & publicis naturæ rationibus ſacri auctores afferre ſolent; quæ cùm omni-
Monarchia. bus hominibus quicunque ſenſum aliquem rerum habent, captu facilia ſunt, tum doctiſſi-
Macrob. in mis etiam, & ab intelligentia ſenſuque imperitorum longiſſimè diſiunctis mentibus, ani-
ſomni. Sci- mum ad eam rem credendam permouent. Primum quidem argumentum ex ſtellarum na-
pionis. tura, ſitu, curſibus, progreſſionibusque ſumitur; quorum omnium ratio atque conſtantia
Vide Ariſt. 1 certam rectoris prouidentiam arguit. atque ita Iſaias: Leuate in excelſum oculos veſtros, &
Metaphyſi. 2 videte quis creauit hæc: qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vo-
& in Eudde- cat, &c. Alterum argumentum, noctium, dierumque viciſſitudines, vnde commutationes
mo Platonis. temporum quadripartitæ ſuppeditant, ſicut ſcriptum eſt: Dies diei eructat verbum, & nox
& Cicer. de nocti indicat ſcientiam. Tertium porrò argumentum, ex pluuiarum & imbrium genera-
Nat. Deo. li. 1 tione, opportunitate atque vtilitate petitur: quòd vapores qui à Sole ex agris tepefactis, &
Iſai. 40. ex aquis excitantur, in denſiorem naturam concreſcentes, certis pro diuini imperij ratione
Pſalm. 18. temporibus terræ faciem irrigent, & fœcundam reddant. Qui dat pluuiam ſuper faciem
Ariſtot. 1. terræ & irrigat aquis vniuerſa. Quoniam autem imbres, non tam certis naturæ rationibus,
Metheororũ quàm diuinæ voluntati & arbitrio parantur, propterea Zacharias dicebat: Petite à Domi-
Hippocrat. no pluuias in tempore ſerotino: &, Dominus faciet niues, & pluuiam imbris dabit eis, ſin-
de locis aëre gulis herbam in agro. Omnia porrò hæc diuinam erga terrarum orbem prouidentiam &
& aqua. commoditatis atque vtilitatis humanæ curam arguunt: namque ſtellarum curſus, & con-
Iob 5. ſtitutiones, & lucis noctiſque viciſſitudines, pluuiarum opportunitates, magno ad homi-
Zach. 10. num, cæterarumque animantium vitam afferendam, atque alendam vſui ſunt: ita vt infe-
riora hæc à ſuperioribus regantur & gubernentur, vt etiam Philoſophi tenent. Igitur quæ
apud alios auctores ſparſa ſeparataque argumentorum capita ſunt, ea Amoſus noſter in
vnam coacta rationem explicuit; docuitque Iſraëlitas ad eum colendum Deum & princi-
pem ſibi vocari, qui totius mundi gubernaculum teneat, & pro humanarum rerum vſu at-
que vtilitate ſapientiſſimè moderetur & tractet; non qui iudicium in Abſynthium, vt alij,
conuertat; ſed qui res vtiliſſimas & neceſſarias terris paret; atque alioqui moleſtiſſimas, niſi
temperentur, ita gubernet, vt maximas ſimul orbi commoditates, maximam auctori ipſi
gloriam laudemque ex illis afferat. Eſt autem eiuſmodi Dei virtus & ſapientia, vt *faciat Ar-
cturum & Orionem*] Atque hæc potiſſimum aſtra ex omnibus aliis vſurpauit; quorum diſſi-
milis omnino natura & efficientia eſt, cùm alterum calore, alterum frigiditate abundet, &
tamen vtriuſque vi fructus & creſcunt, & matureſcunt: de quibus ſuo in loco, ſi Deus id no-
bis benignè conceſſerit, dicemus; præſens ſiquidem ac propria de his aſtris diſputatio apud
Iob eſt, ex quo loco à vatibus citari ſolent. Vtrumque autem horum vehementer agris at-
que animantibus noceret, infeſtumque eſſet, niſi certis diuinæ ſapientiæ rationibus & mo-
dis temperaretur. Idem etiam Deus noctium dierumque viciſſitudinibus, & temporum
Gen. 1. rationibus ſapientiſſimè conſuluit: conuertit enim mane in tenebras, hoc eſt, diẽ in noctem,
„ ſicut ſcriptum eſt: Et factum eſt veſpere & mane dies vnus. [*& diem in noctem mutantem:*] die-
rum ac noctium quantitates variæ ad hanc etiam rationem referuntur. Hæc enim & vſum
etiam ſui humanis rebus præbent, & diuinæ ſapientiæ atque virtutis admirationẽ mouent,
Pſalm. 103. atque omnia hæc auctorem ſuum Deum commendant, ſicut ſcriptum eſt: Sol cognouit
„ occaſum ſuum. Poſuiſti tenebras & facta eſt nox, &c. Ortus eſt Sol, & congregabuntur, &
incubi-

in cubilibus ſuis collocabuntur, exibit homo ad opus ſuum & ad operationem ſuam vſq. ad veſperam. Pluuiarum verò imbriumque naturam, deſcenſum & vſum ſic deſcribit: «

Qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ, Dominus nomen eſt eius.

MAXIMAM totius imbrium & pluuiarum materiæ partem mare ſuppeditat: namque humoris proprius ac maximus, abundantiſſimusque locus ille eſt, diuina prouidentia ad terrarum orbis commoditatem potiſſimum definitus, ſicut ſcriptum eſt: Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida: & appellauit Deus aridam terram, & congregationes aquarum appellauit maria. Ex illo ſalſiſſimo loco ſolis vi vapores excitantur, qui Deo rem temperante in dulciſſimam, terræque opportunam aquam conuertuntur: qua in re egregium in primis artificium admirari eſt, quod grauiſſimum natura ſua elementum ad leuitatem redactum, atque in ſublime latum, in nubes denſari, & à ventis impelli; deinde in guttas coactum terræ ſuperficiem irrigare deprehendatur. Tota autem huius artificij ratio hoc Amoſi verſu continetur: *Qui vocat aquas maris, &c.*] Quam rationem quoniam diffuſius explicare non vacat, ſatis fuerit indicaſſe. Hactenus Dei prouidentiam, & benignitatem, atque publicæ vtilitatis curam oſtẽdit, quam rem nomine etiam ipſo appellato declarat: *Adonai nomen eius*, quod nomen ineffabile cùm ſit, tamen in miſericordiæ & beneficentiæ rationibus plerunque vſurpatur. Neque verò alium quenquam eſſe Deorum, vel eorum potius qui pro diis habentur, cui hæc rerum natura ſubſit, dictoque obediens ſit præter hunc beneficentiſſimum & benigniſſimum, cui nomen eſt *Adonai*; qui ſeſe Iſraëlitarum tutorem, protectoremque tantis iam olim exemplis profeſſus præſtitit, atque hæc quidem omnia Deum natura ad miſericordiam facilẽ, ad inferendam pœnã, ad vltionẽ etiam parandam potentiſſimum arguunt: Nam qui ſtellarũ curſus & conſtitutiones temperare, dierum noctiumque viciſſitudines componere, aquarum vim in ſublime ferre, & terris opportunè immittere & nouit, & poteſt; idem etiam harum rerum naturis vti ad vltionem poteſt, & perpetuam cui voluerit noctem parare, grauemq́. hominibus, hominumque rebus aut aſtrorum vi & efficientia, aut aquarum diluuio afferre calamitatem, ſicut ſcriptum eſt: Hunc humiliat, & hunc exaltat, quia calix in manu Domini, &c. Cùm autẽ ille, vt natura miſericordiſſimus eſt, ita etiam ſit iuſtiſſimus, iis qui priorem illam eius virtutem repudiatint, & neglexerint, hanc alteram vt oſtendat conſentaneum eſt. ea verò huiuſmodi eſt: Pſalm. 74.

Qui ſubridet vaſtitatem ſuper robuſtum, & depopulationem ſuper potentem affert.

MVLTIPLICES eſſe Dei exercitus ſacræ literæ paſſim oſtendũt: ſunt enim ſuperiores, quotum natura quanquam ad orbis vtilitatem plerumque Deus vtatur, tamen ad impiorum vltionem parandam vti etiam poteſt & ſolet; id quod diluuij tempora & Ægyptiorum calamitates teſtantur. Sunt etiam inferiores, cùm ex cæteris animantibus, tum ex hominum genere coactæ copiæ, per quas rem ille cùm vult, pro arbitrio atque ſententia agit: His enim ſpiritus atque animos addit ad omnem aliorum hominum cõtemnendam frangendamque vim, quibus neque hoſtium expectata virtus, neque militaris ſcientia, neque armorum aut propugnaculorum moles, neque locorum munitio, impedimento eſſe poteſt, quo minus omnia demoliantur & vaſtẽt. quam rem omnium ferè hactenus regnorum & magnarum vrbium exitus arguit, & Senacherib ille Iſraëliticarum rerum vaſtator ſatis apertè docet. Hic ergo Deus Adoñai dictus, vaſtationem potentiſſimis hominibus & robuſtiſſimis affert, atque munitiſſimis etiam vrbibus excidium per homines parat; quos & viribus animiſque auget, & calliditate atque ſcientia ad eam rem inſtruit. Hebraicè locus hic ſic habet: *Qui fortificat vaſtationem ſuper robuſtum, & depopulans ſuper munitionem adueniet.* Chaldaicè autem ſic: *Qui fortificat debiles aduerſum fortiſſimos, & prædatorem ſuper vrbes eorũ munitiſſimas immittit.*] Cùm autem tanta vltio, tanta ac tam certa, iuſtiſſimaque adeò calamitas Iſraëlitas, atque omnes quicunque eos impietate & iniuria fuerint imitati, maneat; oporteatque eos admonitos & correptos, ſibi metuentes ad Deum conuerti atq. ad bonam frugem ſeſe recipere, gratoſque eſſe iis qui honeſtiora atque vtiliora ſuadent, tamen vt hic etiam cæteris eorum flagitiis cumulus accedat:

Odio habuerunt corripientem in porta; & loquentem perfecta abominati ſunt.

HÆC maxima hominum malitia, hæc inſolentia eſt, vt, cùm publicè ab illis committantur ſcelera, quæ palàm ſummo ſtudio aperta iniuria fiant, neque corrigere ſe ipſi velint, neque priuatè reuocari, neque publicè reprehendi patiantur, ſeorſum & ſecretè moneri arguique contemnant, publicè peccare non vereantur: peccatorum publicè argui, grauiter & iniquo ferãt animo: Singulorũ ſcelera & flagitia occultè & in facie reprehenſa eſſe oportuit. Atque hoc quidem diuini verbi miniſtrorum officium erat, ſicut ſcriptum eſt: Si me dicente ad impium, Impie morte morieris: nõ fueris loquutus vt ſe cuſtodiat impius à via Ezech. 3. "

„ ſua,ipſe impius in iniquitate ſua morietur,ſanguinẽ autem eius de manu tua requiram. Sed quia tyrannide atque inſolentia hominum effectum eſt, vt vnuſquiſque aditum ad ſe reprehendendum,arguendumque ſuperbè præcluſerit,atq. quod charitate & ſtudio fit, odio & maleuolentia factum eſſe interpretetur;aliam etiam viam munire Deo placuit,vt nominibus celatis vitia publica publicè notentur;atque officiorum rationes palam exigantur & tractentur,eoque modo cùm quiſque ſibi aut cauere, aut conſulere poſſit, nemo priuatam in ſe maledicentiam aut interpretari poſſet, aut queri. Quamobrem idem in eodem loco Deus,quæ ſingulis priuatè obiicienda erant,publicè agi per Vatẽ curat:Tu ergo fili hominis dic ad Domum Iſraël,&c.& tamen tantum hominum peccandi ſtudium, tanta pertinacia,tam immoderata libertas,viuendique licentia eſt,vt in ea re tantùm non laudari moleſtè ferant,moneri iniquiſſimè patiantur,reprehendi odio,inuidiaque dignum putent. Olim apud Iſraëlitas hominum conuentus in vrbium portis celebrari ſolebant: namque is locus faciendis iudiciis idoneus viſus eſt,& tum ciuibus, tum maximè hoſpiti ius ſuũ perſequenti commodus,ſicut ſcriptum eſt: Veritatem & iudicium pacis iudicate in portis ve-

Zach. 8. „ ſtris. In eo loco vates, qui neminem hominem priuatè læſum volebant, publica peccata diuinis verbis publicè arguebant;ibidem de religionis rebus componendis perorabant; & quòd iudicibus,magiſtratibus & ſcribis is locus frequens erat, de horum etiam officiis verba à vatibus fieri conſueuêre. Hi verò Dei miniſtros vera & manifeſta locutos, indigniſſimis modis exceptos,ſumma inuidia atque odio perſequebantur: [*& loquentem perfectè abominati ſunt.*] Vbi Latinè, *perfectè* legimus, Hebraicè vox eſt,quæ perfectionem & ſimplicitatem ſignificat,quo verbo vatum & piorum hominum ingenium maximè indicatur, qui non odio,non maleuolentia,non gratia ducti,ſed ſummo religionis & publicæ vtilitatis ſtudio incenſi,imò à numine incitati,rem candidiſſimè & ſimpliciſſimè agerent; & tamen illud præmij atque mercedis loco accipiebant, quòd ſe abominatione affectos experiebantur. Verbum etiam *Abominandi* religioſum apud Hebræos eſt, atque ad eas res pertinet, quæ im-

Gen. 43. piæ,prophanæ,execrabileſque cenſentur. Vt illud: Abominatio eſt Ægyptiis omnis paſtor ouium. Multæ autem de huiuſmodi nefariis rebus definitiones,multa earum rerum gene-

Leuit. ra,exemplaque in ſacris legum libris ſunt,in quibus nullum reperire poſſis quo ſimplex at-

Deuter. que innocens dicendi arguendique libertas notetur:& tamen ea eſt hominum malitia, vt ſacris religioſis verbis ad ſuam libidinem, ſuaque corrupta ſtudia defendenda abutatur: Nam vbi quis vel ex ſuperiori,vel ex æquo loco de publicis moribus,imò de publicis ſceleribus paulo ſimplicius,liberiuſque dixerit,maximè autem ſi principes homines & magiſtratus illa perſtringat oratio,eum non ſolùm ſummam omnium ordinum & populi inuidiam,ſed deteſtabile etiam nomen ſibi paraſſe videmus,atque illud is leuiſſimum ſibi putare,lucroque apponere poſſit,ſi ſtultus aut inſanus tantùm,ſi non ſacrilegus & prophanus,ſi non etiam aut ſchiſmaticus,aut hæreticus audiat: huiuſmodi namque verbis ad alias omnino rerum rationes inuentis,ad liberam bonorum & ſapientum virorum ſimplicitatem expugnandam & frangendam quorundam hominum malitia atque peruerſitas abuti ſolet. *Loquentem perfectè*, id eſt ſimpliciter, *abominati ſunt*. Locus hic Chaldaicè ſic habet, *Odio habent eum, qui obijcit illis in domo iudicij verba legis, & loquentem candida circumueniunt*. Sed quæ amentia, quæ peruerſitas illa magna eſt,nolle pati vt eorum publica ſcelera publicè celatis etiam nominibus,candidè ac ſimpliciter arguantur,dignoſque odio atq. inuidia iudicare eos, qui & pietatis & publicæ vtilitatis ſtudio incenſi,vnumquemque ordinem officij admoneant ſui; & tamen eas inſignes iniurias,quarum arguuntur,atque eadem ſcelera palam admittere, eorumque ſcelerum atque iniuriarum memoriam ampliſſimis monumentis conſecrare, poſteriſque teſtatum iri curare? Nam etſi maximè boni ſimplices viri tacerent,tamẽ ipſa quę ab eis quotidie iniuriarum exempla eduntur, ipſa aſſidua pauperiorum hominum expoliatio,& oppreſſio,pietatis cauſam aduerſum eos ſummis ac maximis clamoribus agit. Ipſa tanta ædificiorum moles,tanta villarum,prædiorum, & vinearum copia & magnitudo ex pauperum ſpoliis parata,manifeſto iniuriarum præſentibus teſtimonio venientibus ſunt etiam ſeculis,atque aliis gentibus perpetuo futura: Namque vſus fructusq. tum magnarum ædium,tum fundorum & prædiorum tot ac tam pulchrorum,quæ illis ex iniuria atque calumnia parabantur & colebantur,nullus ſibi,ſed aut nullis, aut alienis colonis erit, tantùm ignominia,& iniuria monumentum ſibi erit perpetuum. Itaque dum iſti iniuriarum argui nolunt,æternum ſibi ipſis iniuriæ ſimulachrum in ædibus,in portis, in agris ſuis collocant. hæc illorum, qui ſubiiciuntur, verſuum ſententia & conſequentia eſt.

Idcirco pro eo quòd diripiebatis pauperem; & prædam electam tollebatis ab eo, domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis: vineas plantabitis amantiſſimas, & non bibetis vinum earum.

OSTENDIT fruſtra illos bonis viris ſilentium imponere velle, cùm vndequaque in ſeſe teſtimo-

teſtimonia comparent,&iudicium etiam damnationem certam ſibi moliatur; quippe qui præter alias quas ſubituri ſunt pœnas, rebus etiam per iniuriam partis erant mulctandi: Nam vitia hominum atque fraudes,damno, ignominia, exilio, morte, mulctantur, ſicut ſcriptum eſt:Theſaurizat,& ignorat cui congregabit ea.&, Quomodo facti ſunt in deſolationem?ſubitò defecerunt,perierunt propter iniquitatem ſuam,&c. Ideirco quãuis maledicentiam(quam vocatis)auertere conemini,nihil tamen efficietis: namque veſtra vobis vita,veſtri mores,& ſtudia veſtra,non maledictionem ſolùm, ſed perpetuã vnà cum damno contumeliam parient. [*Pro eo quòd diripiebatis pauperem.*] Hebraicè verbũ *diripiebatis*,direptionem cum conculcatione coniunctam ſignificat. [*& prædam electam tollebatis ab eo*:Hebraicè,*& onus tritici tollebatis ab eo.*] Quantum frumenti ille miſer atque inops ſummo labore metere,& humeris ſuis domum aſportare vix poterat,quo ſuam vxoris, atque liberorum vitam aleret,nil habuit pauper;quis enim negat,& tamen illud perdidit infelix, totum nil.idque calumnia & iniuria eorum, quorum officium fuerat pauperum egenorumque rebus & fortunis conſulere potius,quàm inſidiari, ſicut ſcriptum eſt: Quomodo facta eſt in meretricem ciuitas fidelis,plena iudicij! Iuſtitia habitauit in ea,nunc homicidæ.Cùm autẽ id quod à ſingulis aufertur exiguum admodum,magna verò & inſatiabilis eorum qui auferunt & expoliant cupiditas atque auaritia ſit,ad multos eam iniuriam & calamitatem pertinere neceſſe eſt:Nam ſi tantum frumenti pauperi quantum humeris portare poſſit,ad ſuã ſuorumque vitam tuendam contingit,atque id tam exiguum pro electa præda ipſi habetur, cui neque ſuppetit vnde iumentum emat aut paſcat,quo ſe onere leuet;rurſus etiam ſi diuiti ac potenti nihil ſatis ad ambitionem atque libidinem explendam ſit;non enim quocunq. ille domicilio cõtentus eſt,niſi ædes & materia,& opere magnificentiſſimas extruat:neque quocũq.fundo,niſi vineas ędificiis & pulchritudine omni ornatiſſimas inſtituat:quænã aut quot pauperũ fortunæ ſatis eſſe ad eam rem poſſint? [*domos quadro lapide ædificabitis:*] Hebraicè eſt in præterito ædificauiſtis,& plantaſtis,quod iam inceptum opus & penè abſolutum ſit. *quadro lapide:*] & materiæ,& artificij excellentiã hæc oratio indicat:Cõſequitur enim portas, feneſtras, proſtyla, & veſtibula, parteſque omnes ædium certa menſura, proportione, & pulchritudine non caruiſſe, quarum vel ipſi muri quadro & operoſo lapide conſtarent. [*Vineas amantiſſimas*,Hebraicè eſt, *vineas deſiderij:*] quas non ſolùm vtilitatis, ſed animi etiam cauſa inſtituiſtis & plantaſtis:hæ autem quibus ornamentis caruêre? Dolendum maximè eſt quantis multorum laboribus & ſudoribus paucorum hominum commoditates,deliciæque conſtent. Væ vobis diuitibus,qui habetis conſolationem veſtram: ecce clamor eorum,qui à vobis oppreſſi ſunt,introiuit in aures Domini Dei Sabaoth. [*& non habitabitis in eis,& non bibetis vinum earum.*] Citiſſimam maturamque admodum illis fore pœnam & calamitatem ſignificat,atque antea venturam, quam aut conſtructæ iam ædes, recentis operis atque humoris incommoditate & cruditate exhalata, habitationi opportunæ ſint, aut plantatæ,cultæque vineæ fructum vino idoneum ferant. Vtramque autem rem non multo ad vſum temporis ſpacio egere,& architecturæ,& agriculturæ ratio,& ipſa experientia docet:atque adeo huiuſmodi malè partorũ,cum dominis ſuis,exitus eſſe ſolet.quales Ephraitarum fuere,quos Aſſyrius hoſtis paulò poſt quàm prædicta hæc ſunt, alios vita, alios fortunis omnibus,& patria priuauit. Illud ex Hebraicis myſteriis non viſum eſt prætermittendum.Quod vbi Latinè legimus, *vineas amantiſſimas,*] in exemplari eſt, *vineas concupiſcentiæ:*] atque id verbum,non ſolùm animi cauſa plantatas,ſed auaritia & cupiditate cõparatas fuiſſe ſignificat;iuxta illud:Et concupierunt agros,& tulerunt eos, & rapuerũt domos, & calumniabantur virum & domum eius,virum & hæreditatem eius. Neque enim ſuis ſudoribus & laboribus hæc ſibi parauerant, ſed aliorum operis & labore parta, propria illi calumnia,fraude,dolo malo,ac vi,aut ſaltem nimis callida iuris interpretione vſurpabant: id quod ſi maximè à vatibus atque à bonis & ſapientibus viris ſileretur,res ipſa palam accuſabat;eaque accuſatio diuinas aures, oculoſque tentabat, & ad vltionem atque vindicationem incitabat; hoc eſt quod ſubiungit:

Pſalm. 18. Pſalm. 72.

Iſa. 1.

Luc. Iacob.

Micha.

Quia cognoui multa ſcelera veſtra, & fortia peccata veſtra.

NEQVE enim adeò aut rara ſunt aut leuia,quæ à vobis iniuſtiſſimè perpetrata fuerũt, vt vel hominum,nedum Dei occulta cognoſcentis oculos & ſcientiam fugiant.Sed nequis eorum crimen depellere poſſet,iniuriamque aut vim à ſe factam vlli fuiſſe inficiari, quando nihil aut armata manu,aut aperta vi, aut impetu factum eſſe conſtaret. Eam defenſionem Deus per vatem infirmat,diuiſione,definitioneque vſus; qua quid ſit oppreſſio, quid vis,docetur,& arguitur.Eſt autem argumentatio in ſtatu definitiuo conſtituta: dixerat namque ſe multas rebelliones eorum,& grauiſſima peccata cognoſcere,quòd aduerſum ius atque fas non minus fratres,conciueſque ſuos vexaſſent,ac diripuiſſent; quàm ſi capitales hoſtes

hoſtes eſſent: neque leuiorem direptionẽ eſſe, quæ fraude & calumnia, acerrimaq́. miniſtra prætorum, ac iudicum auaritia fiat, quàm quæ bello & hoſtili manu paretur; immò eo eſſe grauiorem, quòd innocentioribus, quòd amicis hominibus, quòd fratribus, quòd renuioribus denique fiat; idq́ue nullo inuadentium periculo, ſed maiori iniuria, maxima iuris fraude, iudiciorumq́ue corruptione, & pacis communisq́ue ſocietatis incommodo; adde etiam quòd iuris nomen aduerſus eos vſurpatur & torquetur, qui præter ius ipſum nihil aliud quo ſe tueantur habent. His cùm hoc vnum ſalutis & fortunarum præſidiũ, vi, fraude, & calliditate fuerit expugnatum, nihil præterquàm vt direptionem tacitè patiantur, eſt reliquum: Nam contra vel mutire auſis ſimile ſalutis & capitis periculum eſt ſubeundum, atque iam ſubitum fuerat fortunarum. Verè ergo vis maior, ac manifeſta magisq́ue calamitoſa eſt, quæ iuris nomine, calumnia & fraude, quàm quæ bello hoſtiliq́ue manu affertur: Nam præter ea quæ dicta ſunt, & mitius hoſtes quàm inſidiatores iſti cum miſerrimis hominibus agere ſolent: hoſtis enim ea tantum diripit, quæ ablatu, aſportatuq́ue facillima ſunt: vt aurum, argentum, vaſa, pecunias, & pretioſiſſimam, ſi fortè contigit, veſtem. Iſti verò qui iudicio circumuentos miſeros opprimunt homines, nullis omnino rebus vel leuiſſimis aut exiguis parcere nouerunt, non domibus, non prædiis, non veſtibus, non ſupellectili, non denique tritici oneribus. Igitur quid vis, quid direptio propriè ſit, definitum à Deo eſt, dicente: Ego noui, &c. Nunc verò partitione, definitio ipſa declaratur atque oſtenditur.

Hoſtes iuſti accipientes munus, & pauperes deprimentes in porta.

HOSTES *iuſti.*] Illi homini hoſtes ſe per calumniam præbentes, quem iuſtum, & iniuria ac damno indignum eſſe, palàm intellexerunt. Iuſtum autem hoc in loco definimus, à quo in ciuili iudicio cauſa, iusq́ue ſtat; hunc muneribus corruptus iudex, iure fraudatum ſuo, aduerſariis expugnandum, ac de poſſeſſione deturbandum prodit: atque hoc modo iudices ipſi, cauſarumq́ue actores, & reliqui magiſtratus, foriq́ue ſatellites, munere accepto, & iuſtitiam in primis, iusq́ue ipſum, fidemq́ue produnt, & miſeros innocentes etiam cauſa cadere cogunt. Quid hoſtilius quàm iura vendere aliena? Nam qui bello hoſtes dicuntur, non iuſtis hominibus, ſed iniuſtis (ſi modò legitimum ſit) bellum afferunt, hoc eſt, iis à quibus ſeſe iniuria affectos arguere poſſint. Quòd ſi innocentibus hominibus, & quibus huiuſmodi obiicere nihil poſſint, manus violenter inferre parent, tyrannicum & nefarium id bellum eſt; cuiuſmodi etiam hoc iudicum, & magiſtratuum eſt, qui miſeros homines calumnia opprimunt; atque id ipſum duobus modis agunt: aut enim ſuperiorem iure, cauſaq́ue hominem aduerſario ob munera atque largitionem prodũt: aut ſi nullus aduerſarius ſit, ipſi vltro excogitata ac malitioſa aliqua fraude in iudicium vocatum, circumuentumq́ue diripiunt; atque eo vehementius in miſeros homines ſæuiunt, quo ob paupertatem & imperitiam imbecilliores, omniq́. humano auxilio deſtitutos eſſe cognouere. Hoc
Iſai. 1. eſt quod dicit: *Et pauperes deprimentes in porta;*] iuxta id quod alio in loco ſcriptum eſt: Princi-
» pes tui infideles, ſocij furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones, pupillo non
» iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos. In huiuſmodi autem infelici & turbulento Reipublicæ ſtatu, atque in miſerrimis & perditiſſimis rebus, id quod miſerũ minus eſt, eligendum eſſe ſapientiores duxerunt. Minus autem miſerum eſt, vel nihil omnino iure experiri, vel ſi ſemel expertus expoliatus fueris, & pati, & tacere; ne ſi aduerſus eam tempeſtatem & iniuriarum procellam vel verbo contendatur, grauius ſalutis etiam quàm fortunarum periculum ſubeundum, maior etiam non ſolùm rerum (ſi quid reliquum fortè fuerit) ſed honoris, dignitatis, ac famæ ſit facienda iactura.

Ideò prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum eſt.

Prudens.] Hebraica vox eam virtutem ſignificat, quæ in rerum & negotiorum cognitione, obſeruatione, & comparatione inter ſe, verſatur. Huiuſmodi cordati viri, vbi eam formidoloſiſſimi temporis tempeſtatem oblatam eſſe cognouerunt, vt neque verum dicere, neque ius ſuum petere alicui integrum ſit; de ea autem re verba facere, aut ſermonem priuatè habere, nulli vtile, ſibiipſis incommodum futurum credant, conſultiſſimum ducunt in ſilentio & ſpe latere; quoad melior affulgeat & opportunior ſeculi & temporis conditio. Eſt autem huiuſmodi ſilentium quale Æſchylus poëta in calamitoſo Reipublicæ ſtatu imperat; vt ea quæ corrigere non poſſumus, patientia & meliorum rerum expectatione toleremus: cuiuſmodi illud apud Hieremiam eſt: Quare ſedemus? Conuenite, & ingredia-
Ierem. 5. » mur ciuitatem munitam, & ſileamus ibi: quia Dominus Deus noſter ſilere nos fecit, & po-
» tum dedit nobis aquam fellis. & apud eundem: Non eſt vltrà exultatio in Moab: contra
Ierem. 48. » Heſebon cogitauerũt malum. Venite & diſperdamus eam. Ergo ſilens conticeſces, ſeque-
» turq́ue te gladius. Non diſſimile his illud Poëtæ eſt:

Durum, ſed leuius fit patientia, quidquid Corrigere eſt nefas. Horatius.

Illud ergo prudentiorum hominum ſilentium orationem quandam imitatur eorum, qui cùm publica mala corrigere nequeant, Deo penitus corrigenda permittunt, & fieri non poſſe credunt, quin corrigantur: Quoniam non Deus volens iniquitatem eſt, neque permanebunt iniuſti ante oculos eius. Quoniam ergo huiuſmodi taciturnitas diuini iudicij expectatio quædam certa eſt, quæ in calamitoſiſſimis & perditiſſimis rebus vnicũ piis hominibus ſubſidium eſt, vt vel ea res Deum ad vltionem, iudiciumque faciendum mouere, incitareque poſſit, ſicut ſcriptum eſt: Deſiderium pauperum audiuit Dominus, præparationem cordis eius audiuit auris tua. Propterea quaſi iam dies Domini inſtet, pœnitentia, vitæ emendatione, precibus, atque omni opportuno ſtudio & negotio, vt malum auertatur & declinetur, procurandum illis eſſe Vates cenſet & ſuadet: Pſalm 11. " " " "

Quærite bonum & non malum, vt viuatis: & erit Dominus Deus exercituum vobiſcum, ſicut dixiſtis.

DEMENTES homines, & iam pridem ad pœnam exitiumque præcipites, ad ſalutis viam & ſpem reuocare Vates conatur; docetque veræ religionis cognitionem, ſtudium & cultum, certiſſimam atque vnicam viam eſſe ad ſalutem: quam quibus modis muniri oporteat, ſtatim præcipit. Bonum autem hoc loco diuinum cultum & pietatem: malum verò idolorum & impietatis ſtudium eſſe dicit: hoc abiiciendum, illud quærendum eſſe ait: *Quærite*, Hebraicè eſt, *dirſu*:] idque verbum alicuius rei ſtudium ſignificat, & ad felicitatis rationes & fines pertinet: vt illud, Quærite Dominũ & confirmamini; quærite faciem eius ſemper: & illud; Terra quã Dominus Deus tuus ſemper inuiſit, & oculi illius in ea ſunt à principio anni vſque ad finem eius. Quo in loco vbi nos, inuiſit, Hebræi *dores* legunt. Ergo perpetuam curam, conſtans aſſiduumque ſtudium id verbum ſignificat. Quoniam autẽ vnica ad vitam atque æternam felicitatem via Dei cultus, & veræ pietatis ſtudium eſt (apud illum enim vitæ fontem eſſe diuinus Pſaltes dixerat) ideò ab omni alio inani, vano, atque inutili cultu, ad huius tantùm veræ pietatis aſſiduam curam, ſtudiũ omne transferri oportere ait, ſi modò ſibi conſulere, ſi viuere ament: id quod & illis olim prædictum, & ſuſceptum etiam fuerat. Cùm quæſieris ibi Dominum Deum tuum, inuenies eum; ſi tamen toto corde quæſieris, &c. & in eodem loco: Caue ne imiteris gentes iſtas poſtquam te fuerint introeunte ſubuerſæ; & ne requiras Deos eorum, dicens: Sicut coluerunt gentes iſtæ Deos ſuos; ita & ego colam, &c. In his locis omnibus idem verbum, & adhortando & deterrendo eſt *Daras*. Hanc adeò rationem Amos perſequitur: Quærite, inquit, id quod bonum, quod certum, Deoque probatum eſſe intellexeratis, atque in id ſtudium diligenter incumbite; id verò quod malum nefaſque eſſe & olim didiceratis, & iam ſæpius eſtis admoniti, prorſus relinquite, & viuetis. [*Et erit Dominus, &c.* Hebraicè ſic eſt: *Et erit ſic Dominus Deus exercituum vobiſcum, ſicut dixiſtis.*] Verbum *erit* non tam futuri, quàm imperatiui rationem habet: *Et ſit, inquit, Dominus Deus exercituum à vobis.*] non alius vllus Deus, niſi ſolus Adonai, Deus miſericors, & iuſtus etiam atque potentiſſimus, cui exercitus omnes dicto obedientes ſunt. ſit ille vobiſcum, ſit à vobis, non ſolùm vt edocti & admoniti, iuſſique eſtis, ſed ſicut à vobis ipſis cognitus, dataque fide ſuſceptus eſt, cùm olim religionis ſanciretur fœdus, & poſſidendæ diuino beneficio regionis leges præſcriberentur, ſicut ſcriptum eſt: Omnia quæ locutus eſt Dominus, faciemus; & erimus obedientes. & rurſus dum regionem tenentibus optio, Ioſue referente, daretur; populuſque his rogaretur verbis: Nunc ergo timete Dominum, & ſeruite ei in perfecto corde atque veriſſimo, & auferte Deos quibus ſeruierunt patres veſtri in Meſopotamia, & in Ægypto; ac ſeruite Domino. Sin autẽ malum vobis videtur, vt Domino ſeruiatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui ſeruire potiſſimum debeatis, vtrum ne diis quibus ſeruierunt patres veſtri in Meſopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis, &c. Huiuſmodi autẽ de ea re promulgata rogatio eſt. Reſpondit populus & ait: Abſit à nobis vt relinquamus Dominum, & ſeruiamus diis alienis. Dominus Deus noſter ipſe eduxit nos, &c. Subiungitur tandem: Seruiemus igitur Adonai, quia ipſe eſt Deus noſter. Dixitque Ioſue ad populum: Non poteritis ſeruire Adonai: Deus enim ſanctus & fortis, & æmulator eſt: nec ignoſcet ſceleribus veſtris atque peccatis. Si dimiſeritis Dominum, & ſeruieritis diis alienis, conuertet ſe & affliget vos atque ſubuertet poſtquam vobis præſtiterit bona. Dixitque populus ad Ioſue: Nequaquam ita vt loqueris erit; ſed Domino ſeruiemus. Et Ioſue: Teſtes, inquit, vos eſtis quòd ipſi elegeritis vobis Dominum vt ſeruiatis ei. Reſponderuntque, Teſtes. Hunc adeò longum ſermonem propterea referre placuit, quòd ad explicandum locum neceſſarium arbitraremur: namque obſcurior aliquanto locus iis qui ante nos cum laude diuinis ſcriptis commentandis incubuêre, iudicatus eſt. Ex hac autem Ioſue rogatione planum fit, cultum diuinum veri vniuſque Dei Adonai bonum à populo fuiſſe iudicatũ: contrà verò

Deut. 11. " " דורש Pſalm. Deut. 12. " " " דרש Exod. 24. " Ioſue 24. " " " " " " " " " " " " "

deos

deos colere malum. diuinum verò Adonai ingenium illis deinde à Ioſue fuiſſe prædictum;
„ eius tamen religionem vltro ac libenter: ab iiſdem non ſolùm data fide, ſed adhibito etiam
„ teſtimonio fuiſſe ſuſceptam, ſicut ſcriptum eſt: Tulit Ioſue lapidem grandem, poſuitq́. eum
„ ſubter quercum quæ erat in ſanctuario Domini. Et dixit ad omnem populum: En lapis
„ iſte erit vobis in teſtimonium, &c. Quod autem dixerat Ioſue: Sin autem malum vobis vi-
detur vt Domino ſeruiatis, &c. quodque ab illis non malum, ſed bonum Domino ſeruire
fuerat iudicatum, cùm diceretur, Abſit à nobis vt relinquamus Dominũ Deum, & ſeruia-
mus diis alienis: Hoc nunc Vates in illis requirit, dicens: *Quærite bonum & non malum.*] Quod
verò Ioſue addiderat Adonai, Deus ſanctus & fortis eſt, id Vates hoc modo refert: *Domi-*
nus Deus exercituum.] Igitur vt vobis dictum, pactum & conuentum eſt, ita præſtitum eſſe
oportebit. Hæc huius hemiſtichij ſententia eſt. *Et erit ſic Dominus Deus exercituum vobiſcum, ſicut*
Leuit. 11. *dixiſtis.*] *Erit*, idem valet quod eſto, vt: Sancti eritis mihi quoniam ego ſanctus ſum Domi-
nus Deus veſter. Cùm autem recta atque integra pietatis ratio duabus potiſſimùm parti-
bus conſtet, vera ac certa diuinæ naturæ cognitione, eiuſdemq́ue legitimo cultu & homi-
num inter ſe fide, communitate atque ſocietate legitimè, ſanctéque ſeruanda: quarum al-
tera pars timor, altera iuſtitia dicta eſt, vt: Vir fuit in terra Hus, ſimplex & rectus, & timens
Iob 1. „ Deum, & recedens à malo cunctis diebus vitæ ſuæ, &c. Vtrumque genus Vates in Iſraëlitis
„ requirit, vt à diuinæ indignationis, ad miſericordiæ ſtatum traducantur: atque ſuperiori
quidem verſu ea, quæ ad priorem legis tabulam pertinebant, indicauit, cultumq́ue verum
& legitimum exegit. [*Quærite bonum & non malum, &c.*] In hoc verò carmine ſecundæ tabu-
læ officia deſiderat:

Odite malum & diligite bonum: & conſtituite in porta iudicium; ſi fortè miſereatur Dominus Deus exercituum reliquiis domus Ioſeph.

VT IN altera tabula alium quàm verum ac vnum Adonai Deum exercituum colere
malum definitur, ſic etiam malum ex altera tabula iudicatur, iuſtitiam, æquitatem & fi-
Vide Ciceronem primo De natura Deorum. dem violare; quæ totius humanæ ſocietatis fundamentum ſunt: quæ ſi negligantur, vitæ
perturbatio ſequitur & confuſio; tolliturque omnis ſocietas generis humani. atque ita me-
ritò politiam religionis vmbram dixit Plotinus: vtrumque enim genus ita ſibi cohæret, vt
alterum ſine altero ſtare non poſſit. Neque enim ſi quis alterius tabulæ præceptis incum-
bens, alterius vel partem aliquam negligat, aut obtinere gratiam apud Deum, aut in vete-
Iaco. 2. rem reduci poteſt, ſicut ſcriptum eſt: Nam qui peccat in vno, factus eſt omnium reus. Idem
„ enim qui dixit, &c. Igitur cùm hominis erga Deum officium prius ſuaſerit, nũc hominum
„ aliorum erga alios officia ſuadet: *Odite malum, & diligite bonum:*] Hoc autem ipſum explicat,
dicens: *Conſtituite in porta iudicium.*] Iudicij nomine, quod rationem planius appellare Latinè
Habbak. 1. poſſumus (vt in Commentariis Habbakuq definitum à nobis eſt) omne humanum offi-
cium, omniſq́ue fides continetur. Huius rationes ſacris legum voluminibus explicãtur: has
verò magiſtratuum cura, ſtudio atque auctoritate ſtabiliri oportet. Locus autem iudicio-
rum in vrbium portis erat: ſuadet Amos vt deturbatum iam atque ex ſubſellijs excluſum
ius reſtituant, ſuumq́ue cuique ex diuinarum legum rationibus tribuant: namque hoc mo-
do diuinam miſericordiam prouocari ſpes eſſe poteſt. [*Si fortè miſereatur.*] Anceps illud
verbum, *Si fortè*, non diuinæ miſericordiæ immenſitatem, ſed humanæ pœnitentiæ rectitu-
dinem & ſufficientiam (vt ita dicam) in dubium reuocat: neque enim quatenus miſereri
Pſalm. 103. Deus poſſit, ſed quatenus hominem pœnitere poſſit, incertum eſt. nam Deus ille ſecũdum
„ altitudinem cæli & terræ corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes: & quantum
„ diſtat ortus ab occidente longè fecit à nobis iniquitates noſtras. Summa ergo difficultas
„ non in diuinæ benignitatis, ſed in humani officij defectu eſt. Itaque ſuas tantùm vires, non
diuinam miſericordiam experiri atque tentare iubet; imò ad eam conſequẽdam omni ſtu-
dio, & conatu omni contendere ſuadet: fortaſſe elaborabunt & efficient, vt irati nunc ad-
uerſum ſe Dei miſericordiam beneuolentiamq́ue concilient; quemadmodum & Niniui-
Ionæ 3. tis Iona prædicante contigit: Vidit enim Deus opera eorum quòd conuerſi ſunt à via ſua
mala, & miſertus eſt. [*Si fortè miſereatur Dominus Deus exercituum reliquiis Ioſeph.*] Ille, inquit, Do-
minus Adonai natura ſua beneficentiſſimus & miſericors, qui tamen veſtris ſceleribus of-
fenſus exercitus ſuos aduerſum vos inſtruit, fortè vobis placatus, miſerrimis, & iam penè
conſumptis, rebus veſtris parcendum ducet; ne funditus domus iſta Ioſeph corruat, quam
ſanctiſſimam, feliciſſimamq́ue eſſe, iam inde à principio voluerit; effeciſſetq́. niſi id veſtris
foret ſceleribus impeditum. [*Reliquiis Ioſeph.*] Samariam ſignificat, quæ cum agro ſuo &
„ vicis ſola ex tanta clade fuerat reliqua: Nam Samaria caput Ephraim; Ephraim verò Ioſe-
2. Reg. „ phi filius fuit. Habet verò oratio ipſa elegantem cum Antitheto affectum. Ioſeph, augendi

& creſcendi,reliquiæ verò diminutionis & interitus ſignificationem habent. Si fortè miſereatur is,qui ex tanta tamque aucta generis,rerumque ſuarum felicitate maiori etiam futura,niſi per vos impediretur,quo minus creſceret;in tantam diminutionem, & tenuitatem,miſeriamque redacti ſunt,vt non auctus, ſed vix relictus diei poſſit. Namque cætera præter Samariam omnia, iam aut gladio,aut fame, aut peſte fuerant abſumpta. Has verò reliquias ad ſalutis ſpem faciendam reſiduas fecerat,ſi tamen illi ſibi conſulere voluiſſent, ſicut ſcriptum eſt:Vidit enim Dominus afflictionem Iſraël amaram nimis, quòd conſumpti eſſent vſque ad clauſos carceris,& extremos,& non eſſet qui auxiliaretur Iſraël. Nec loquutus eſt Dominus vt deleret nomen Iſraëlis de ſub cælo. Salutis autem ſpem pœnitentibus non omnino incertam eſſe, etiam poſt tot ſuſcepta ſcelera docuerat, certamque illis fieri poſſe commoda & legitima pœnitentia Deum adeuntibus: contrà verò pœnam,ſupplicium,& calamitoſiſſimam cladem certiſſimam,negligentibus eſſe: conſultiſſimum itaque illis fore certum malum atque periculum declinantibus non incertum bonum & ſalutem aſciſcere. quòd ſi, vt hactenus fecêre, neglexerint; paratum inſtanſque iam illis imminere ſupplicium. 1.Reg 14. « «

Propterea hæc dicit Dominus exercituum dominator, In omnibus plateis planctus: & in cunctis quæ foris ſunt dicetur væ,væ: & vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos qui ſciunt plangere. & in omnibus vineis erit planctus: quia pertranſibo in medio tui, dicit Dominus.

EXTREMAM in vrbe,oppidis, agriſque omnibus vaſtitatem, Deo ſcelerum vltore & auctore,futuram prædicit;quæ ad omnes omnis ordinis homines ſpectet, cuius impetus & vis à nemine ſuſtineri,nec niſi luctu & planctu excipi poſſit;quam omnia ſimul loca peruaſuram eſſe, vt maxima conficiendi celeritate clades augeatur, & communi omnium dolore vndique accreſcat. Propterea quòd inſtantia mala legitimè & iuſtè deprecari neglexeritis: [*Hæc dicit Dominus:*] Pœnarum & ſuppliciorum cauſam & culpam omnem nulli alij rei quàm hominum ſceleribus primùm;deinde pertinaciæ,atque pœnitētiæ defectui diuina attribuit ſapientia,ſicut ſcriptum eſt:In ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram, quia veni,& non erat vir;vocaui,& non erat qui audiret. Meritò autem duriſſima in eos,qui oblatam ſalutem fide & pœnitentia admittere neglexerunt,prædicitur. [*Hæc dicit Dominus Deus exercituum dominator.*] Tribus nominibus Deum appellat,ex quibus primum proprium illud ineffabile eſt: duo verò reliqua diuinarum virtutum notationes continent. Nam Deum exercituum,iuſtiſſimum,integerrimumque iudicem,& potentiſſimū dici,iam ſæpius apud hunc atq. alios vates obſeruauimus:Adonai verò quod vltimo loco appellatur, quod Latinè Dominum propriè vertimus, pleniſſimam ad res gerendas poteſtatem, ſummamque auctoritatem indicat; qualis dominis in ſeruos, qualis creatori in ea quæ creata à ſe fuerint,qualis denique principi in rebelles ſceleratoſque populos eſt:namq. ad hæc nomen ADONAI in ſacris arcaniſque libris ſæpiſſimè refertur. Eſt etiam iiſdem literis apud Hebræos nomen,quod baſin columnarumque ſuſtentaculum ſignificat: atque ea ſignificatio nihil à diuinis rationibus aliena eſt. Igitur Domini iudicis,exercituumque omnium Imperatoris potentiſſimi,necnon & totius orbis ſuſtentatoris, hominumque omnium ſummo iure ſummaque auctoritate Domini hæc ſententia eſt. [*In omnibus plateis planctus, & in cunctis quæ foris ſunt,* Hebraicè,*in cunctis vicis ſiue vijs oppidi* (*En plaças y calles* dicimus Hiſpanè.) *Væ,væ*] Ex conſequenti antecedens arguitur. Namque communis omnibus luctus & gemitus, communem omnium calamitatem arguit, vox Hebræa,*Hu,hu*: gemitum interceptum magis, quàm plenam lugentis vocem ſignificat, eaque acerbiſſimi & impotentis animi doloris eſt index. Neque verò in vrbibus,oppidiſque tantùm,ſed in agris etiam omnibus illam vaſtationem futuram eſſe oſtendit; quando nec ſegetibus,nec vineis,nec hortis parcendum ſit: omnia enim à Deo ductis copiis perdenda ſunt. Communis ergo tum ciuibus, tum agricolis calamitas, vrbana & ruſtica loca omnia gemitu atque luctu complebit. [*Et vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos,qui ſciunt plangere:*] vt nullus qui ſenſus particeps fuerit, doloris expers eſſe poſſit. *Et in omnibus vineis erit planctus.*] Agriculturæ ratio duabus potiſſimùm rebus conſtat, ſatione & plantatione. Sationem aratio;plantationem vero vinea ſignificat: Omnium ſiquidem quæ ad fructus percipiendos plantantur arborū, vitis vtiliſſima & frequentiſſima eſt;primaque & antiquiſſima omnium quas humana induſtria, atque agriculturæ arte cultas eſſe legimus. Namque Noë vir agricola cœpit exercere terram, & plantauit vineam. Commune autem & publicum malum Deum vltorem auctoremque ſui teſtatur, ſicut ſcriptum eſt: Si eſt malum in ciuitate quod non fecerit Dominus. quamobrem nihil mirum eſſe poteſt,ſi qui miſericordem recipere noluerint Dominum Deum exercituum dominatorem,ſuſtinere coacti,tanta clade & vaſtitate affecti ſint; ob eam enim rem dixerat: Iſai.50. « Gen.9. « « «

dixerat: Præparare in occurſum Dei tui Iſraël. Namque vt Deum ducem, Imperatoremq. ſequi tutiſſimum feliciſſimumque eſt, ſic irruentem atque occurrentem ſuſtinere velle duriſſimum & exitialiſſimum eſt. Huius autem rei iam olim docti, atque admoniti fuerant, ſicut ſcriptum eſt: Quoniam Dominus Deus tuus qui præcedit te, ignis conſumens eſt.
Deut. 4. Ignis autem quâcunque peruadit, omnia conſumit & vaſtat. Hoc eſt quod ſubiungitur: *Quia pertranſibo per medium tui, dicit Dominus.*] Quam verò aliam rerum faciem, quem euentum expectare oporteat vbi Deus pertranſierit, atque olim ſpectatum apud Ægyptios eodem
Exod. 12. tranſeunte fuiſſe accepimus, ſicut ſcriptum eſt: Et tranſibo per terram Ægypti nocte illa,
» percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine vſq. ad pecus, & in cun-
» ctis diis Ægypti faciam iudicia ego Dominus. Hactenus Iſraëlis Samariticarumque rerum deploratio eſt: nunc deinceps ad Iudæorum & Hieroſolymitanorum cladem elegia conuertitur.

Væ deſiderantibus diem Domini; ad quid eam vobis? dies Domini iſta tenebræ, & non lux.

IMPIVM nefariumque eorum deſiderium eſt, qui quoſcunque odio & diſſidio proſequuntur, diuinitus perditos cupiunt, quos potius emendatos & ſeruatos exoptare oportuiſſet. Maximè autem ad eos ſententia hæc pertinet, qui non minori culpa, quàm ij quibus malè cupiunt alligati tenentur: quibus cùm dira atque infauſta accidere percipiunt, paria ſibi obnuntiant. Conſultiſſimum autem, & diuinis præceptis pietatiſque rationibus conuenientiſſimum eſt, in varietate ac diſſenſione conſtitutos, atque à veræ religionis ſocietate abalienatos homines, ad communem concordiã, ad priſtinam virtutem cõſuetudinemque reuocatos potius, quàm funditus perditos, atque ad internecionem deletos eſſe
Luc. 9. optare. Neſcitis, inquit Chriſtus, cuius ſpiritus eſtis. Quamobrem bene & ſapienter illud in more inſtitutiſque maiorum eſt poſitum, atque aſſiduo Chriſtianæ Eccleſiæ vſu obſeruatum, vt eorum animos, qui aut prauo opinionis errore, aut aduerſæ factionis ſtudio à catholica veritate, ſimplicitate, & concordia diſſideant, ad communem virtutum religioniſque conſenſum reuocandos aſſiduis precibus atque ſacrificiis procuremus. Quod certè cùm ex aliis multis, tum ex hoc etiam Amoſi vatis ſermone docemur. Is namque hanc lamentationis partem in Iudæis reprehendendis, ac ſuarum calamitatum admonendis conſumit. Illi enim cùm regni cauſa apertas cum decem tribubus ſimultates gererent, prædictiones malorum, obnuntiationesque à vatibus in aduerſarios decantatas, euentu ipſo certas ratasque eſſe cupiebant, quaſi fratrum pernicies ipſis ac rebus ipſorum fe-
Horatius. licitatem aut ſalutem eſſet allatura. Sed tua res agitur paries cùm proximus ardet. Oſtendit autem Vates hos in hac re vehementer peccare, neq. hoc pacto certiorem, meliorémue ipſis ſalutis ſpem fore, imò plurium atque grauiorum etiam calamitatum ac miſeriarũ impetum eſſe ſuſtinendum. [*Væ deſiderantibus diem Domini.*] Væ, inquit, vobis Iudæis, qui nõ tam religionis ſtudio, quã odio & diſſidio acti (quæ perturbationes facillimè humanos animos occupant) Iſraëlitis obnuntiata mala maturè euenire, certiſſimaque eſſe cupitis, quæ tamẽ nulli vobis vſui eſſe poſſunt. [*Ad quid eam vobis?*] Namq. ſi nihil aliud vobis Iſraëlitarũ vicinitas præſtaret, tamen illud magni referret, fieri poſſe vt non ita facilè ad vos ex Babylone perueniret calamitas, quæ interiectos primùm populos eſſet oppreſſura; quibus de medio
Iſai. 2. ſublatis, nihil impedimenti in terris erit, quo minus integrum hoſtium impetum ſuſtine-
„ re cogamini. Diem Domini, vltionis tempus opportunum ſignificare in ſacris, ille Iſaiæ
„ locus apertè indicat: Quia dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum & excelſum, & ſuper omnem arrogantem, & humiliabitur, &c. Ergo ad quid eam vobis, quæ nullo veſtro commodo, maximum aliis incommodum latura ſit? *Nam dies Domini iſta tenebræ & non lux.*] Duo eodem tropo Vates ſignificauit: & Iſraëliticarum rerum diuturnam fore calamitatem, & nullum ex ea vſum Iudæis fore. Tenebræ, inquit, perpetuæ illis dies Domini erit, & non lux, vel illis vel vobis. Lucis ac tenebrarum nominibus felicitatem & miſeriam ſacræ arcanæq; literæ ſignificant: vt enim in tenebris nullus rerũ aut color aut ordo percipitur, ſed omnia cæca, cõfuſa, metu ac perturbatione plena ſunt, ſic rurſus in luce ſuis omnia coloribus, locis, ordinibuſq. conſtare videntur. Nec defuêre inter Philoſophos qui om-
Lucretius. nem colorẽ rebus his ſenſibilibus detraherent; ſolaq. luce adueniente illis accõmodari, illa-
Aben. pace. que abſente auferri exiſtimarẽt. Quamobrem miſeriarũ altera res, altera felicitatis expli-
Iſai. 5. cat imaginem, qua de re ſic Iſaias dixit: Aſpiciemus in terram, & ecce tenebræ tribulationis: & lux obtenebrata eſt in caligine eius. Qualis autem futura Iſraëlitis dies illa Domini eſſet, indicauit; vt verò nihil Iudæorum rebus lucis eſſet allatura, nunc explicat.

Quomodo ſi effugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrſus; & ingrediatur domum, & innitatur manu ſua ſuper parietem; & mordeat eum coluber.

ISRAELITAS ſemel à patria regione abductos, eodẽ miſeriæ genere perpetuò donec tan-

tandem reſtituantut vſuros, allata tenebrarum ſine luce ſimilitudo ſignificauit. Verum enimuero Iudæorum multiplices ærumnas multiplex etiam periculorum imago declarat. Namque vt deſtinatum periculis hominem vnius fuga vel declinatio à cæteris ſecurũ non eſſe ſinit, imò laſſum & defatigatum ad cætera perferenda debiliorem atque infirmũ magis reddit, adeò vt primo omnino ſuccubuiſſe ſatius fuerit iudicatum; ſic Iudæos variis & multiplicibus ærumnis ob ſua ſcelera atque impietatem premendos, Iſraëliticæ captiuitatis inuidia magis afficiendos, quàm ſpectaculo ipſo iuuandos eſſe cõfirmat. Nam illos vna tantùm ab Aſſyriis Aquilonaribus eademque perpetua expectabat nox: Iudæos verò ſecunda, & tertia, & quarta etiam manebat procella. Neque enim ſatis illis malorum in Babylonica captiuitate ferendum erat, ſed à Perſis etiam, & Medis, & tandem à Græcis fuerat metuendum. Vix enim Babylonici leonis vngues & dentes vehementer lacerati effugerãt, cùm Perſarum & Medorum inſidiis appetiti atque attenuati ſunt. Hoc nondum euaſo periculo duram Alexandri, aliorumque Græcorum tyrannidem ſunt perpeſſi. Ex imaginibus autem, quæ per quietem Danieli vati viſere contigit, Leonem Aſſyriorũ; Vrſum verò Medorum & Perſarum imperium interpretari licet. Colubrum porrò Græcorum regnũ, quod ab Alexandro Macedone initium cepit: hic enim Iouis Ammonis filius aliquando ſalutatus, Olympiam matrem ab illo Deo in ſerpentem mutato compreſſam, grauidamq. factam fuiſſe prædicabat: cuius fabulæ memoria, non literarum ſolùm, ſed numiſmatũ etiam monumentis conſecrata eſt. Serpentis enim puerum euomentis imago ab eodem Imperatore in clypeo olim geſtata, in Græcis argenteis monetis apud nos eſt. Iam verò Iudæorum & Hieroſolymitanorum res, quantum ſub Babyloniorum tyrannide oppreſſæ, quantum etiam à Perſis rerum potitis exagitatæ, ac demum vbi iam templo, ſacriſque reſtitutis, pacem & ſecuritatem habituræ credebantur, quantum à Græcis poſt Alexandrum regibus & tyrannis labefactatæ fuerint; atq. hæc omnia ante Chriſti Seruatoris aduentum, eorum qui ſacras Regum, Annaliũ, & Machabęorum hiſtorias legerunt, nemo eſt qui neſciat: apertiora autẽ hæc & longiora ſunt, quàm à nobis referri aut debeant, aut poſſint. Leonẽ ergo Babylonium, primum poſt hominum memoriã, & maximũ totius orbis imperium, primumque poſt diluuij tempora bellorum & cædis inuentore Nembroto auctorẽ, vbi Iudæi vix effugerant; in Medos & Perſas, qui non virtute, ſed inſidiis, vrſorum more, imperium ceperant, inciderunt: ſed cùm ab his, vt ſacrum templũ reſtitueretur, impetrarent; idq. præteritis calamitatibus ſolatium, futuris verò præſidium vnicum ſibi fore ſperarent, vehementer ab Alexandro colubro, atque ab iis qui in illius regnis ſucceſſere Græcis regibus & principibus, ab Antiochis, Demetriis, Tryphonibus, Apolloniis, aliiſque compluribus vexati ſunt. Hæc autem diuturna atque aſſidua calamitas hac orationis figura à Vate noſtro præcantata eſt: *Et ingrediatur domum, & innitatur manu ſua ſuper parietem, & mordeat eum coluber.*] Igitur quid iuuat diem Domini aduerſus alios vt maturè exiſtat cupere, quem publicè potius deprecari oportuit? cùm alteris magni mali, alteris verò nullius boni, ſed ſuarum etiam non ſimplicium neque leuium ærumnarum initium dies illa futura ſit? hoc eſt quod dicit:

Eſdr.
Neem.
Dan. 2.
Arrianus lib. 10.

Nunquid non tenebræ dies Domini, & non lux, & caligo, & non ſplendor in ea?

QVAMOBREM inſani atque impij animi eſt illi, qui in eodem tecum pelago nauigat, æſtum, tempeſtatemque cupere, cuius fluctibus te etiam iactari neceſſe eſt. Atque ea quidem quæ de leone, vrſo, & colubro dicta nobis, explicataque ſunt, præterquàm quòd ad Iudæos propriè referenda eſſe res ipſa docet, illud quod ſequitur noſtram etiam interpretationem confirmat:

Odi & proieci feſtiuitates veſtras, & non capiam odorem cœtuum veſtrorum. Quòd ſi obtuleritis mihi holocauſtomata, & munera veſtra non ſuſcipiam, & vota pinguium veſtrorum non reſpiciam.

NON ad Iſraëlitas, quibus nulla iam feſtorum aut ſacrificiorum ratio antiquo ac legitimo ritu conſtabat, ſed ad Iudæos, quibus præter nudam atque ieiunam ceremoniarum & rituum curationem, nihil præterea veræ atque antiquæ pietatis erat reliquum, orationem hanc referendam eſſe res ipſa docet. Huiuſmodi autem res inutiles omnino ac inanes eſſe ſine aliis potioribus, hoc eſt, ſine recta animorum inſtitutione, morum integritate, atque officiorum obſeruatione piorum (quæ maiora atque magis perpetua mandata ſunt) non vno diuino teſtimonio docemur. Audi popule meus, & loquar Iſraël, & teſtificabor tibi, quia Deus tuus ego ſum. Non in ſacrificiis tuis arguam te, neque verò in holocauſtis tuis, quæ in conſpectu meo ſunt ſemper, &c. Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua, &c. &; Quare tu enarras iuſtitiam meam, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam, &c. Longum eſſet ea omnia quæ de hac re ſcripta ſunt loca recenſere, aut omnes cuiuſque loci partes velle explicare. Tantùm hoc dixiſſe ſatis

Pſalm 49.

X fuerit.

fuerit,ceremonias,ritus,externumque omnem cultum,ſi cum his interior animi religio ac
pietas,& morum integritas conſentiat, vehementer Deo grata; atque iis qui agunt,agendáue curant,cùm ad alia multa, tum præcipuè ad felicitatem maximè eſſe vtilia, ſicut ſcriptum eſt: Sacrificium laudis honorificabit me; & qui ordinat iter, oſtendam illi ſalutare
Pſalm.49. » meum.Contrà verò hæc omnia,ſi inani tantùm cõſuetudine atq. vſu,aut ambitione etiam
& contentione,nullis aliis animi virtutibus,nullis veræ religionis radicibus nitátur, quamuis natura ſua pulcherrima præſtantiſſimaque ſint, Deo ſpiritui, atque in ſpiritu & veritate in primis adorando, non ipſarum rerum ratione, ſed hominum ipſorum culpa ingrata, atque iis à quibus ea curantur,ad ſalutem eſſe inutilia, ſicut ſcriptum eſt 'de vtroque genere:
Gen.4. Et reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain autẽ, & ad munera eius non
» reſpexit,quia opera illius mala erant,fratris autem ſui iuſta,ſacer Apoſtolus, diuinusq. in-
1.Ioan.3. terpres addidit. Hanc autem ſententiam ſæpe aliàs repetitam Deus in Iudæos pronuntiat, quibus omni officio,omni pietate abalienatis, ſua cauſa integra adhuc eſſe videbatur, ob eam ſolùm rem,quòd ſacrificiorum & ceremoniarum ratio, vſus & procuratio magnificentiſſima & ſumptuoſiſſima,ſi vnquam aliàs,conſtabat: Namque & huiuſmodi ceremoniarum & rituum ſacrorum rationes & obſeruationes,creſcentibus in populo diuitiis, opibuſque auctis,ex glorioſa quadam & populari oſtentatione magis, quàm ex vera agẽtium animorum pietate, vehementer creſcere atque augeri nonnunquam ſolent. Huiuſmodi verò ſpiritus vacua & populari ſacrorum oſtentatione,aſſiduitatem & frequẽtiam, ab impiis & ſceleratis hominibus,retento adhuc ſcelerum & impietatis ſtudio, procuratã,moleſtam magis ſibi quàm gratam, & nullius ad ſuam iram placandam, aut ad pœnarum,declinandum periculum,efficientiæ vſuſque eſſe,Deus Iudæis(ne ſibi non prædictum dicerent) oſtendit. [*Odi,inquit,& proieci feſtiuitates veſtras.*] Solennes illos dies feſtos ter ſingulis annis celebrari ſolitos, quòd non iam ſanctè & puriter, ſed aut nudè & ieiunè, aut ambitioſè
Hieron. in Pſalm. 4. conſuetudinis retinendæ,magis quàm pietatis colendæ cauſa agitarentur, inuiſos ſibi repudiatoſq. Deus ait, illamque maximam & exquiſitã, cum magna pompa ſacrificiorum
Hiero.& alij in Malach. 1.& 2. frequentiam vitioſæ offenſionis,faſtidiique plenam, nihil omnino ſibi placere. [*Et non capiam odorem cœtuum veſtrorum.*] Vt enim boni ac pij viri ſacrificium purè & caſtè factũ, ſuaue numini gratumque eſſe,vel vnius Noë exemplo docemur: Odoratus enim eſt Dominus odorem ſuauitatis:Ita etiam contrà multiplex hoſtia igne tandem conſumpta, non animi immolantis ſale condita,ingrata,faſtiditaque,atque eo grauior quo frequentior eſt: de qua
Iſ. 1. re multa in vaticiniorum ſuorum principio Iſaias perorauit. Hæc autem omnia cùm non legitimè ſanctèque fiunt, à ſe repudiata atque reiecta, non ſua, ſed hominum ipſorum eſſe Deus ait: Veſtra, veſtra, veſtra à vobis ſuperbia,inſolentia,atque moribus veſtris corrupta,
Irenæus aduerſus hæreſes Valentini lib 4. quæ nihil diuinum aut ſapiant,aut oleant,ſed humana impuritate fœtida atq. putida omnia ſunt. [*Quòd ſi obtuleritis mihi holocauſtomata, & munera veſtra non ſuſcipiam.*] Holocauſta enim pro peccato fiunt,quæ niſi ex pœnitentis,atq. ſcelus omnino auerſantis animi ſtudio proficiſcantur,grata,acceptaque habenda non ſunt. Quoniam ſi voluiſſes ſacrificiũ dediſſem,
Pſalm.51. » vtique holocauſtis(nudis) non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor
» contritum & humiliatum Deus non deſpicies. In ſolennibus autem feſtiſque diebus magna populi frequentia & holocauſta pro totius populi peccatis primùm,deinde pro reconciliatione,diuinaque gratia celebranda ſacrificabantur pacifica, quarum rerum rationes ſuo in loco Deo duce perſequemur (namque hæc ad legis interpretationem magis pertinent)Huiuſmodi nihil ſibi gratum,acceptumque fore, propterea quòd malis offerentium procurantiumque moribus corrupta omnia fuerint. [*Et vota pinguium veſtrorum non reſpiciam,* Hebraicè eſt: *Et pacifica pinguium veſtrorum.*] Quantumuis,inquit, pingui pecore, & ſaginatis pecudibus pacifica & reconciliationem gratiamque ſignificantia ſacrificia procuretis;quòd huiuſmodi cum re & veritate ipſa non conſentiát,nihil vobis vſus,fructuſque ſunt allatura.Holocauſtis autem,verbum,accipiam,conuenit;pacificis verò,reſpiciam. Holocauſtum enim ad ſatisfactionis & debiti rationem;pacificum verò ad munus & amicitiam refertur. Ea autem quæ redduntur,accipi; quæ verò honoris & amicitiæ cauſa donantur,reſpici,admittique ſolent. Holocauſtum vt debitum totũ igni abſumebatur,vnde & nomen habuit: pacificorum verò partem ignis,partem ſacerdotes,partem ipſi qui offerebant comedere ſoliti erant,vt ea ceremonia conuiuij referret imaginem,ad cuius epulum Deus euocari,grateque deſcendere videretur. Quoniam verò tota hæc ſacrificiorum ſine vera pietate cum ſuis ceremoniis, atque omni apparatu, vana & ſterilis ratio erat,omnia hæc ſibi odioſa, faſtidioſaque eſſe Deus declarat: maximè autem muſicorum inſtrumentorum & canentium vocum clamorem ſtrepitumque notat;quorum temperatus,honeſtus,& cum veritate ipſa, atque eorum quæ canuntur intelligentia & ſenſu cõſonans vſus,tum Deo gratiſſimus,tum

ius ipſis

iis ipſis qui agunt,atque adſtantibus etiam iucundiſſimus,& ad pietatis incendendum ſtudium commodiſſimus eſt;ſic enim legimus: Immola Deo ſacrificium laudis. & alio in loco:Laudabo nomen Dei cum cantico,& magnificabo eum in laude;& placebit ei ſuper vitulum nouellum cornua producentem & vngulas. Quamobrem hic mos tum ab antiquiſſimis Patribus,tum ab Apoſtolis,& recentis Chriſtianæ Eccleſiæ piis viris,tum etiam noſtris temporibus diligenter in templis eſt obſeruatus. Verùm enimuero quæ antiqui hoſtis noſtri calliditas & verſutia eſt,vt optima & nobis vtiliſſima quæque aut iniecto veneno corrumpantur,aut virtutis ſucco omni detracto caſſa & inania reddantur,vt in aliis omnibus penè rebus,ſic etiam & in hoc genere nonnunquam efficitur, vt homines carminum, hymnorum concentu auribus tantùm percipiendo contenti,præcipuo eius exercitationis vſu & fructu negligentes fraudentur; nec plus ex frequenti vocum, cantionum & muſici inſtrumenti auditione vtilitatis percipiant,quàm ſi tot aut cygnorum, aut aliarum auicularum querelas & cantus audirentur;quæ auribus quidem & corporis ſenſibus voluptatem aliquam,animi verò virtutibus augendis , vel nullam vel exiguam afferre commoditatem poſſent,vel quòd earum quæ canuntur ſententia & virtus non percipiatur; vel quòd non ideò agatur,ſed magis vt audientium ſenſus vocibus & concentibus deliniti, nihil vlterius aut admittentur,aut petant.qua de re multa tum alibi,tum in ſacris Dauidicis libris, atque etiam in D.Pauli Epiſtolis plurima videre agnoſcereque eſt. Vbi Apoſtolus ille rem tantam,tamque præclaram fructu vtilitateque ſua non defraudari exoptat:Orabo,inquit,ſpiritu,orabo & mente,pſallam in ſpiritu, pſallam & mente, &c. Huius autem ſententiæ hic qui ſequitur, Amoſi verſus eſt.

Pſalm 49. Pſalm. 68. 1.Cor.14. Iſai 6.

Aufer à me tumultum carminum tuorum, & canticum lyræ tuæ non audiam.

NAMQVE vt vana ſacrificiorum ſine ſale ſuo,hoc eſt, ſine vero pietatis ſtudio, mactatione non placor aut afficior: ſic etiam neque inani vocum ſtrepitu ſine vllo canentium aut audientium animorum ſenſu,ſine vlla cum iis quæ canuntur virtutis conſonantia delector,ſicut ſcriptum eſt:Populus hic labiis me honorat,cor autem eorum longè eſt à me: ſed & fruſtra colunt me, &c. [*tumultum carminum;*] propterea dicit,quòd magna canentium in templo Leuitarum interim dum ſacra fierent,frequentia erat,à quibus ſacrificium laudibus, carminibuſque exornabatur. Hanc verò , tumultum & turbam potius dicendam, quæ præter inanem vocum & ſonorum ſtrepitum nihil præterea egregium, aut ad pietatem accommodatum præſtaret. [*Et canticum lyræ.*] Muſica ratio aut vocibus aut inſtrumentorum ſonis conſtat, ex inſtrumentis quæ ſpiritu accepto ſonant, quòd ad humanarum vocum ſimilitudinem accedant,ad eaſdem referuntur: quæ verò neruorum pulſatione exercentur, cuiuſmodi Citharæ & Lyræ ſunt; omnia hæc ad vnum genus *Nebel* Vates retulit. Sed de Nebel iam nos aliâs ſcripſimus. Eſt & aliud inſtrumentorum genus, quod non tantùm ad harmoniam atque concentum, quantum omnes ad numerorum rationem comparatum eſt: cuius generis Siſtra & Tympana ſunt: de quibus omnibus generibus nos quod ad ſacrarum ſcripturarum rationem facere poſſit, aliâs Deo annuente diſſeremus. Inutilem igitur huiuſmodi ſacrorum faciendorum frequentationem , ſi vera his abſit pietas, iam dixerat: ſi verò adſit, vtilem omnino gratamque fore dicit, ac propter eam rem ſubiungit: נבל

Et reuelabatur quaſi aqua iudicium, & iuſtitia quaſi torrens fortis.

NON tenuem aut exiguam aliquam, ſed plenam atque abundantem virtutis veræ & pietatis exercitationem à nobis Deum exigere, tum aliorum omnium , tum huius etiam vatis oraculo docemur:adeò vt ſi qua in re modus nullus habendus eſt, hæc præcipuè ea res ſit.namque perperam fit,cùm neglecto aut relicto maioris momenti negotio in leuiorem cauſam totis neruis,omnique contentione incumbitur. Hæc, inquit Chriſtus , oportuit facere,& illa non omittere:maiora autem minoribus antepoſuit.In ſuperioribus verò iuſtitiam & iudicium in populo deſiderauit,vel eas potius maximas virtutes ab eorum ciuitatibus,& locis extorres & profligatas eſſe conqueſtus eſt:nunc verò eas abundantiſſimè & cumulatiſſimè reſtitui & præſtari oportere cõfirmat,ſi modò Deum ſibi verè placatum, reconciliatumque; ſi modò cætera quæ ad pietatis profeſſionem inſtituta ſunt exercitia, vtilia ſibi eſſe cupiant. Iudicij nomine politicas omnes; iuſtitiæ verò ethicas virtutes contineri iam ſæpe docuimus. Has autem virtutes plenè,abundanter, aſſidueque præſtari Deus vult,quas ideò ad maris & fluuiorum abundantiæ ſimilitudinem exigit; atque in his multum ſtudij operæque conſumi vult. [*Quaſi aqua.*] in plurali marinas intelligit,vt Reipublicæ rectè adminiſtrandæ,atque omnis iudiciorum ratio abundans omnino, atque inexhauſta ſit. Namque vt mare fluuios omnes;ſic Reſpublica communes omnium rationes

in ſe recepit:ſingulorum verò mores optimos,cumuloque omni auctos,& aſſiduitate perpetuos etiam deſiderat,atque ob eam rem ait: *Inititia quaſi torrens fortis:*] ita ſingulorũ probata atque abundans virtus ad commune Reipublicæ commodum velut fluuij ad mare, permanabit. Igitur ſacrificia & totum huiuſmodi generis cultum ſine pietate, & vera animi virtute ſibi nunquam aut exigi, aut ad curantium vtilitatem probari (vtilitatem inquam animorum) pietatem verò & officium omne(quæ iudicij & iuſtitiæ nominibus continentur)perpetuò in hominibus requiri docet: eamque rem illuſtri & manifeſto omnibus exemplo confirmat,oſtendens illos per totos quadraginta annos, quibus in ſolitudine commorati ſunt,omnium huius generis rerum vacationem habuiſſe, neque tamen eam rationem vnquam per Deum fuiſſe in illis deſideratam, morum verò & ſtudiorum, atque officiorum ſanctitatem requiſitam fuiſſe ſemper.

Nunquid hoſtias & ſacrificia obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis domus Iſraël?

PRIMA primi menſis die anno ab exitu ex Ægypto ſecundo, tabernaculum ad Sinæ montis radices fixum eſt;atque ab eo die ad vigeſimum vſque ſecundi menſis eiuſdem anni(quo tempore in eodem loco commorati ſunt)iugi ſacrificio per totos eos ferè quinquaginta dies vacatum eſt:Namque habitatæ regionis vicinitas, & carnium,& vini illis abundantiam ad ſacrorum vſum ſuppeditare potuit. Verùm ex quo illum relinquentes locum per ſolitudinis vaſtitatem errare cœperunt ad promiſſam ſibi, & traditam diuino beneficio regionem,opportunarum rerum copia deſtitutis,ſacrificandi vſus eſt intermiſſus. in ea autem vagatione quadraginta anni conſumpti ſunt:namque à ſecundo anno profectionis ex Ægypto,quoad in Palæſtinam regionem ingreſſi ſunt,triginta nouem integri fluxêre;neque tamen primo,quo ingreſſi ſunt die,ſtatim ſacra facienda curarunt; vnus autẽ dies anni ad annum ipſum refertur. Quadraginta igitur annis ſacrificia intermiſſa illis, neque tamen à Deo exacta ſunt:at virtus,& pietas,& officiorum plena ratio requiſita ex illis aſſiduè eſt,ſicut & apud Hieremiam idem Deus teſtatur: Quia non ſum loquutus cum patribus veſtris,& non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocauſtomatum & victimarum;ſed hoc verbo præcepi eis,dicens: Audite vocem meam,& ero vobis Deus,& vos eritis mihi populus, & ambulate in via,in qua mandaui vobis, &c. Neque verò vllum de priuatis ſacrificiis præceptum in lege eſt; ſed ſacrificandi libertate ſingulis permiſſa,quemadmodum purè ſanctèque ſacrificandum ſit,præcipitur hac formula: Vir ſi fecerit,ſi obtulerit,&c. Virtus autem,& vera pietas,atque officium, & quemadmodum exercenda ſunt docentur,& omnino exerceri iubentur. Diliges Dominum Deum tuum,&c. Non mœchaberis:Non furtum facies, &c. Conſequitur ergo virtutum præcepta ſemper neceſſaria ac perpetua eſſe;ſacrificiorum autem rationem neque neceſſariam omnino eſſe, neque perpetuam. Nam ſi quis non peccarit,ſacrificio idem non indigebit: vt autem non peccet,perpetua vtatur virtute neceſſe eſt. Ac de ſacrificio quidem Chriſti nobis in hoc loco nec ſermo nec diſputatio eſt; ſed de iis tantùm quæ priuatè olim à Iudæis fiebant, quorum vis & efficientia illi ſanctiſſimo Chriſti ſacrificio innitebatur: illis tamen,qui pietate vera deſtitutis purè ac ſanctè non agerent, nulla erat.

Ierem. 7.

Et portaſtis tabernaculum Moloch veſtro, & imaginem idolorum veſtrorum: ſydus Dei veſtri Rempham: figuras quas feciſtis vobis adorare eas: quæ feciſtis vobis.

IVDÆOS non ſolùm priuatorum & publicorum ſcelerum, ac deſertæ pietatis, ſed etiam prophanatæ religionis pœnas daturos prædicit:vt pote qui ſi non iiſdem,non tamen minoribus in eo genere quàm decem tribus culpis alligati tenerentur. Namque vt Samaritæ præter ius,æquitatemque violatam regis obſequio dediti, religionem etiam violauerant,atque omnino polluerant:ſic Iudæi etiam omni animi virtute, omni pietate profligata,regum inſana commenta ſequuti,ſyderum ac ſimulachrorum cultum libenter admiſerunt. [*Et portaſtis tabernaculum Moloch veſtro:* Hebraicè eſt, *Sicuth Malchechem:* Auſcultationem regis veſtri. Quòd ſi tabernaculum & auſcultationem idem eſſe velimus, Græcam vocem, ex qua hic locus verſus eſt, obſeruare oportuerit, vt Scinin, Scenam vmbram, vmbram verò protectionem,& familiaritatem,domeſticamque conſuetudinem interpretemur;cuius conſuetudinis cauſa,illi ſimulachrorum & ſyderum cultum, ea re morem regibus gerere ſtudentes,admiſerunt. [*Et portaſtis.*] familiaritatem ſiue obſequium regis veſtri; feretis, inquit, ſupplicium eius maximi ſceleris quod regum veſtrorum ſtudio admiſiſtis; & luetis etiam. [*Imaginem idolorum veſtrorum, ſydus Dei veſtri quod feciſtis vobis.*] Conſecraſtis enim vobis Deos, quos regi veſtro ſacros, cultoſque eſſe intellexeratis; ita non minoribus quàm Iſraëlitæ culpis alligati, non leuiori etiam pœna afficiemini: Decretum enim diuino

סכות מלככם σκηνή.

conſilio

conſilio ac iudicio eſt, vt à patria procul abducti, commoditatibus priuati omnibus miſeram in ſeruitute vitam agere cogamini; idque per Dei exercitus efficiendum curetur. Hoc eſt quod ſequenti verſu decernitur.

Et migrare vos faciam trans Damaſcum, dicit Dominus, Deus exercituum nomen eius.

HACTENVS enim cum Damaſcenis, & Syris, ſiue Aramæis bellum Iudæi geſſerant, à quibus ſi quando oppreſſi aut vexati fuiſſent, minus graue tamen id eſſe ducebant, quòd vicina illis & finitima regio eſſet, neque multum à patrio cælo, ſoloq. aliena, & facilis etiam ſi quando abducerentur reſtitutio in patriam futura credebatur: nunc verò maius illis grauiusque exilium paratum erat, quòd vltra Damaſcum captiui ducendi eſſent, regionemq. longè à ſua totis videlicet interiectis Syriis remotam incolere cogendi. Ea autem res captiuorum miſeriam vehementer arguere ſolet. Sic ab Iſaia, longè remota migratio Tyriis prædicitur: Et apud alios etiam auctores:

At nos nunc alij ſitienteis ibimus Afros, *Pars Scythiam, &c.* Virg. in Eclog. 1.

Inter Iudæam autem & Babylonem, Aram Damaſci, & Aram Soba, & Aram Nabazaim ſunt. [*Dicit Dominus*, &c.] Certam decretamque ſententiam ſignificat, quæ non aut hominum conſilio reuocari, aut virtute frangi queat: namque ea Domini Dei exercituum ſententia eſt. De verborum autem Latinorum ratione pauca dicamus. [*Et portaſtis tabernaculũ:*] præteritum pro futuro à vatibus, adiuncta coniunctione &; contrà futurum pro præterito eodem modo vſurpari, iam ſæpe aliàs diximus. [*Et imaginem idolorum veſtrorum;*] appoſitione additum illud eſt, *Sydus Dei veſtri,*] quem feciſtis vobis, qui Deus cùm non ſit, à vobis tamen eſt conſecratus. Hoc autem ſydus, ea quæ à nobis Saturni ſtella dicitur, eſſe videtur. namque vbi in noſtra verſione legimus imaginem, Hebraicè eſt *Chium*: quibus literis nomen eius ſtellæ Arabicè conſtat. Porrò nomen *Rempham* in Hebraico non eſt, ſed in Græca verſione, vnde hæc Latina tranſlata eſt, legitur. Illa autem verborum repetitio, *Figuras quas feciſtis vobis adorare eas: quas feciſtis vobis,*] vnde in noſtram verſionem inducta fuerit, ſatis diuinare non poſſumus: Namque ea, nec in Hebraicis & Chaldaicis exemplaribus, nec in Græcis trãſlationibus, nec in correctis Latinis, aut in ea quæ Ordinaria gloſſa vulgò dicitur, eſt: ſed neque ad ſententiæ conſtitutionem eſt neceſſaria.

CAPVT SEXTVM.

V*Ae vobis qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: Optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Iſraël.*

INSANVM Iudæorum errorem hoc Capite Vates arguit, quos nullæ vatum prædictiones, nulla conſilia, nullæ reprehenſiones, à vitioſa & flagitioſa vita auocarant: imò quò magis reprehenſi ad bonam frugem reuocabantur, eò illi impenſius operam deliciis & voluptatibus dabant, vatum minis & prædictionibus contemptis; quæ omnia aut nũquam euentura, aut eius quam incolebant vrbis munitione & felicitate facilè ſuperanda eſſe ſperabant. Neque Samaritani caſus & excidij exemplo eam ſtultam ſecuritatẽ, atque ſpem deponebant, cuius vrbis & fortiſſimæ, & laudatiſſimæ ruina illud doceri potuerant, & debuerant; nihil in humanis, & terrenis opibus, aut artibus, aut munitionibus firmitudinis eſſe poſſe, vbi Dei auxilio & cura deſtituti ſumus, cùm fortiſſima quæque & robuſtiſſima hominum regna ab infirmioribus ſuperari, expugnari, & funditus deleri, experimento ipſo compertum ac manifeſtum ſit. Quò magis autem homines huius rei immemores ſecuri ſanimis in ea ſtudia incumbunt, vnde illis malorum occaſio atque origo eſt; eò grauiorem ſuis rebus caſum ruinamq́ue parant. Et quoniam huiuſmodi periculum ſibiipſis ſtulta ſecuritate Hieroſolymitani Iudæi creabant, à Vate hac oratione arguuntur: *Væ qui opulenti eſtis in Sion, & qui confiditis in monte Samariæ.* Hebraicè ſic legimus: *Væ opulentos in Sion, & confidentes in monte Samariæ.*] ET, hoc in loco ſicut & in aliis, ſimilitudinis potius, quàm copulationis coniunctio eſt: vt illud, Aqua frigida animæ ſitienti, & nuntius bonus de terra longinqua. Et illud, Spina in manu temulenti, & parabola in ore ſtultorum. Plura huius generis exempla ſunt, in quibus & ſimilitudinem indicat. Sic Pindarus, *Optima quidem aqua*, & *aurum inter poſſeſſiones.* Ait igitur non minorem calamitatem & caſum expectare opulentos in Sion, quàm confidẽtes in monte Samariæ; quibus ſuæ vrbus & ſitis munitione & fortuna perpetuam quandam felicitatem atque æternam ſibi (vt iam in ſuperioribus cognouimus) promittebant. Quanquam autem & ſitu, & opere à Deo munita Samaria fuerit, vt eius incolæ omnium mortalium tutiſſimi eſſe cæteris nationibus viderentur,

Prou. 25. " " Pind. Olym. Od. 1.

tamen ab ipſis, quæ impares eſſe videbantur, nationibus ſuperati & expugnati ſunt. Hoc eſt quod ſubiungit: *Optimates capita populorum ingredientes pompaticè domum Iſrael.* Hebraicè: *Notatiſſimi primitiæ gentium, & venerunt ſibi domum Iſraël.*] Iſraëlitas qui Samariam habitabant, non modò ſua ipſorum opinione, ſed omnium etiam aliarum gentium æſtimatione fortiſſimos & feliciſſimos iudicatos, tamen gentes ipſæ bello à ſe ſuperatos adiêre, atque de illis ipſis munitiſſimis locis deturbatos ſecum captiuos abduxêre. Hoc exemplo Iudæi nihilo ſapientiores effecti, vrgere tamen propoſitum & nihil omnino de vitioſæ ac ſceleratæ vitæ ſtudiis remittere voluerunt; id quod Vates præuidens ſimilem Samariticæ ſecuritatis prædicit euentum, aſſerens nihil illis in Sionis arcis & Hieroſolymorum vrbis firmitudine præſidij futurum quo minus tandem Babylonem captiui abducantur, vbi miſeram & ſeruilem vitam tanto duriorem experturi ſunt, quanto à longo ac diuturno præſentium voluptatum deliciarumque vſu magis diuerſam. Hoc eſt quod ait:

Tranſite in Chalanne, & videte, & ite inde in Emath magnam: & deſcendite in Geth Palæſtinorum, num meliora quoque regna horum, ſi latior terminus eorum termino veſtro eſt.

IVDÆORVM, qui à Nabuchodonoſore abducti ſunt, maximam partem Babylonem commigraſſe, alios verò aliò fuiſſe tranſlatos, teſtis nobis in primis Ioſephus hiſtoricus eſt, aliorumque ſcriptorum libri, in quibus de ea gente variis in locis diſperſa agitur. Hanc autem rem hoc loco Vates ſignificauit, oſtenditque fore vt qui Sionis arcis præſidio & firmitudine nitebantur, atque adeò à patrio nataliqúe ſolo nunquam ſe commigraturos confidebant, aliena loca inuiti adire, peragrare & experiri cogantur. Ad eam adeò explicandam rem tria maximarum vrbium, quæ in diuerſis regionibus ſitæ eſſent, nomina vſurpauit, earumque potiſſimùm mentionem fecit, quòd amplitudine illuſtriſſimæ & nominibus etiam ad Iudæorum caſum accommodatiſſimis appellatæ eſſent. Prima eſt Chalanne antiquiſſima vrbs, & inter primi etiam orbis imperij principes numerata: Namque à Nimroti Ba-
Gen. 10. bylonici Saturni temporibus celebratiſſima fuit, ſicut ſcriptum eſt: Fuit autem principium regni eius Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanne in terra Sennaar. Nomen verò à conſumptione ſortita eſt: quamobrem nominis ipſius appellatione conſumptionis ſuarum re-
Hieron. H. braic. quæſt. rum imaginem ante oculos Iudæis propoſuit. Hanc Hieronymus in Hebraicis quæſtionibus Creſiphontem poſtea dictam fuiſſe teſtatus eſt. Secunda verò quam appellat vrbs eſt Emath magna, in Ammonitarum regione ſita, iræ ſiue furoris nomen obtinens: ex ipſa verò ædificiorum & incolarum frequentia magna eſt nominata, vt ab alia Emath diuidere-
Euſeb. R. Selom. Iarhi. tur, quæ Ioſue terram diſtribuente Nephthalinicæ tribui ſorte obtigit, quæ eadem Emath Dor nomine in Leuitarum habitationem atque aſylorum iura ceſſit. Ad illam itaq. Emath cognomento magnam, Ammonitarum vrbem, quæ poſtea aliis Epiphania, aliis Antiochia dicta eſt, magno diuino furore quoſdam ex Iudæis tranſferendos prædixit, quoſdam etiam in Geth Palæſtinorum celeberrimam vrbem cui torcularis nomen eſt, relegat, quòd apud
Plini. Volaterr. l. 11 eam gentem miſerrimis eſſent modis premendi. Eam vrbem Gettam Plinius, alij Anthedonem; Agrippiam alij dixerunt. Ad has autem atque ad alias regiones tranſlatos Iudæos quantum id quod incoluerant à Deo ſibi conceſſum regnum felicitate atque amplitudine omnibus aliis antecelluiſſet, periculo atque vſu ipſo facilè cognituros ait: & an tantum Dei in ſe beneficium dignum fuerit, quod omnibus officiis ac pietate retineretur atque conſeruaretur potius quàm ſceleribus, impietate & negligentia amitteretur. hoc eſt quod ait: *Videte ſi meliora regna horum* cæli temperie, ſoliq. felicitate & natura; *& an latior terminus eorum,* quod ad magnitudinem attinet, *termino veſtro eſt.*] Quandoquidem adeò fertilis agri, adeò commodi ad habitandum ſoli Iudæorum, & Beniaminitarum regio fuit, vt vna Iudæa decem
Ioſeph. mille vrbes aliquando continuiſſe à Ioſepho Gorionis filio in Hebraicis hiſtoriis dicatur, atque is, qui Hieroſolymam ambiebat, ager deliciarum hortis amœnitate & pulchritudine æqualis fuiſſe, ab eodem commemoretur. Ex locorum ergo inter ſe comparatione prædicit fore, vt earum rerum quibus nunc vitioſè abutuntur, maiore deſiderio affecti, duriorem etiam mutatæ vitæ vſum ac ſenſum habeant: Namque vt lucis vſus & vtilitas tenebrarum collatione rectè æſtimatur; ſic præſentium malorum comparatione abſentia bona quanta fuerint, facilè cognoſcuntur. Eiuſmodi autem ſenſus humanos animos vehementer mo-
Pſalm. 41. uere ſolet, ſicut ſcriptum eſt: Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam, &c. At verò quoniam res certa iam decretaque erat, Imperatiuo modo vſus eſt, *Tranſite in Chalanne,* &c. Maximè quòd eam calamitatem, id malum atque periculum præteritis impietatis & ſcelerum ſtudiis ſibi ipſis illi creauerant, quæ quantumuis voto morari impedireque optarent ne ederentur, tamen mala eorundem ſtudiorum pertinaciâ fouentes maturabant, atq. ad exitum accelerabant: cupiunt quidem homines malum à ſe auertere, properantis verò atque

atque aduentantis mali cauſas præcidere nolunt:atq. hoc modo maius ſibi & grauius exitium moliuntur,theſaurizantque ſibi iram in diem iræ,& tardam ac cunctantem diuinam Rom.2.
in ſe vltionem malis moribus vrgent & ſollicitant. Huius ſententiæ verſus hic eſt:

Qui ſeparati eſtis in diem malum, & appropinquatis ſolio iniquitatis.

HEBRAICE vbi nos legimus *ſeparati eſtis*, verbum eſt MENADIM, quod & vouere, & מנדים
inſtabilem eſſe ſignificat:idemque in actiua voce legitur. Ex quibus huiuſmodi hæc oratio ſententiam habet, vt Iudæos diem malum à ſe deprecari & ſeparare votis & deprecationibus ſtuderent, & tamen iniquitatis, & iniuriarum ſtudiis auctis ipſi vltrò ad diem malum feſtinarent, propiuſque in dies accederent. Nam cùm diem malum iniquitas & ea quam appellamus iniuria, pariat & afferat, quicunque iniquitatis ſtudia remittere nolunt, iidem ſponte ad malum diem properant. [*Et appropinquatis ſolio iniquitatis.*] Solium pro ſede poſi-
tum Latinè eſt; iniquitas autē id quod Hebraicè HAMAZZ, Hiſpanè *agrauio*, Italicè *Torto* חמס
dicitur: Id verò maximum & perniciosiſſimum in ciuitatibus vitium, non modò non vitari ab illis, ſed in ſede collocatum atque confirmatum coli & foueri dicit, id quod ſtudiorum & circunſtantiarum omnium explicatione confirmat: oſtendens id cui nimium dediti ſint, nimirum delicias & voluptates iniuriarum & totius iniquitatis comites & miniſtras eſſe, eaſdemque vltionis diem maturare potius quàm auertere: Namque pœnæ, decretaque in homines ob ſcelera ſupplicia, non iniquitate, ſed pietatis ſtudio & pœnitentiæ exercitationibus effugi ac leuari debent. Alterius generis ſunt pecuniarū erogationes in egenorum
ſubſidia, atque in alios ſacros & pios vſus. de quo genere ſcriptum illud oraculum Dan.4.
eſt: Eleemoſynis peccata tua redime. Alterius verò generis ſunt deliciarum, voluptatumq. contemptio, & durioris ac continentis vitæ exercitia, qualia ſunt ieiunia, aſperiorum veſtium, & horridioris victus atque indumenti vſus, aſſiduæ preces, lachrymarum cum veris & intimis gemitibus ſatis larga copia: quæ omnia, & corruptæ prioris vitæ morumque depoſitionem, & emendatioris præſentis ac futuræ ſtudium profiteri, atque numinis iram
placare legitimè poſſunt, ſicut ſcriptum eſt: Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ie- Ioel.3.
iunio, fletu & planctu. At verò ab iſtis adeò huiuſmodi nihil curatū eſſe Vates ait, vt contraria omnino ſtudia ſint retenta & exercita.

Qui dormitis in cubilibus eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris; qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti.

NIMIA vitæ luxuries cùm ſemper aliàs Deo inuiſa, & hominibus ipſis inutilis ac perniciosa, tum maximè iis qui pietatem profitentur indecentiſſima & peſtifera eſt. Notantur autem hoc in loco Hieroſolymitani, vt qui religionis & pietatis ac temperantiæ exemplo cæteris hominibus eſſe debuiſſent, eo præſertim tempore quo ſociorum fratrumque ſuorum res perditæ atque profligatæ ſuæ ipſorum in ſummo periculo eſſent, cùm eadem vitiorum atque ſcelerum tempeſtate iactarentur; tamen omnis voluptatis & perditæ vitæ vſu, nullis effeminatiſſimis & delicioſiſſimis nationibus cederent: tātum aberat vt aut aliena incommoda, fratrumque vicem dolerent, aut ſuis ipſorum iam aduentantibus malis ſapienter occurrerent. Deliciarum autem duo genera ſunt; aliæ enim ſenſibus ipſis corporis quos permouent, percipiuntur: cuius generis ſunt conuiuia, cantus, & cætera eiuſmodi: alia verò ad opinionem magis & ambitionem, quàm ad ſenſum pertinent; vt vaſorum & ſupellectilium pretioſus quidam nitor, & ſuperflua magis quàm neceſſaria, redundantia. Huiuſmodi plurimas res ſibi ipſi ſuiſque cupiditatibus hominum luxuria ad pompam tātùm adinuenit & accumulauit, non contenta illis voluptatum terminis, quos aut natura præſcribit, aut ipſa ſenſuum vitioſa etiam appetitio capere ac ferre poteſt: ab hoc genere vt maximè improbato accuſationem Vates inſtituit ſuam, & deinde aliud etiam tractat certis
vtriuſque ſpeciebus productis. [*Qui dormitis in lectis eburneis.*] Ex hoc fonte illa inſatiabilis ha- Seneca.
bendi cupiditas naſcitur, quòd ad voluptatem corporis, quæ ipſa per ſe inſatiabilis eſt, opinio & pompa ab hominibus addita fuerit, cui explendæ nihil vnquam ſatis eſſe poſſit. Hæc enim immanis harpyia non ſolùm variis excogitatis artibus ſimplicitatem illam victus & cultus expulit, ſed conquiſita vndique materia, & commixtis rerum generibus impenſas atque ſumptus ad infinitum effudit.

Hæc ſibi corrupto caſiam diſſoluit oliuo: *Hæc Calabrum coxit vitiato murice vellus.* "Perſius, Sat.2.
Hæc Græcis longeq; petitis marmoribus alta parauit culmina villarum, terram quoque molibus auxit. Atque "Iuuen.
ad hoc genus pertinet lectorum tum materia, tum opere ſumptuoſa & ambitioſa comparatio. Ab illa enim ſimplicitate ſatis ad naturæ vſum opportuna. Vide de hoc
Silueſtrem montana torum cùm ſterneret vxor, *Frondibus & culmo vicinarumq; ferarum* *: Plinium.
Pellibus. Ad hanc luxuriem deuentum eſt, vt ad lectorum ſtructuram & ornamentum Iuuen.Sat 6

peregrina materie veſtibuſque pretioſiſſimis ſit opus: quaſi ſuauiter dormiri nō poſſit, niſi in aureis eburneiſue lectis ſtratis pulcherrimo textili ſtragulo. Maximæ verò luxuriæ fuit tam incommodam atque exiguam rem qualis elephantinus eſt dens, ex quo gladiorū manubria ad magnificentiam olim parata eſſe Poëtæ celebrabant, ad lectorum, menſarum, ſedium, ſoliorum, & tectorum ſtructuram concinnauiſſe:

Alcæus. *Hos lignum ſtabat in vſus, Annoſam ſi fortè nucem deiecerat Eurus;*

Iuuc. Sat. 11. 1. Reg. 22. 2. Paral. 9. & tamen Aſiaticæ deliciæ huc vſque progreſſæ ſunt: Namque Achab eburneam ſibi domum fecit, & Salomon ſolium eburneum auro textum extruxit. Verùm hæc regum tantum deliciæ fuiſſe olim videntur; nunc eadem iam in communi vſu omnibus opulentis in Sion poſita Vates reprehendit, atque eo præcipuè tempore cùm ob fraternæ vicinorū calamitatis commiſerationem, & propriæ deprecationem humi potius eſſet cubandū. Ebur

שן Hebraicè, S E N, hoc eſt dens dicitur; ex quo nomine res ipſa melius notatur: Maximam enim luxuriam eſſe oportet, quæ lectos, opus magnum, ex curuo dente, exigua & inepta materia, tamen aptet. Neque verò in ipſis lectis ſolùm, ſed in ſtragulorum etiam magnitudine & pretio luxuriam ſpectari atque notari ait: non enim iam communibus & facilè parabilibus veſtibus lectos ſternebāt, ſed ſericis, ſed purpureis, iiſdemque maximis atq. omni arte ornatiſſimis vtebantur. [*Et laſciuitis in cubilibus veſtris*: Hebraicè eſt: *Superfluitis ſuper cubilia*

Ezech. 16. Exod. 26. *veſtra.*] Verbum eſt vitibus & arboribus luxuriantibus ramoſque ſuos nimium dilatantibus aptum, & in tabernaculi velis dilatandis huius verbi vſus eſt. Veſtiū igitur ſtragularum luxuriem tum in magnitudine, tum in materia & artis pretio notat Vates; atque hac vna

Luc. parte omnes huius generis ſpecies coniunxit. Alterum verò genus ita notauit: *Qui comeditis agnum de grege, & vitulum de armento*: Hebraicè eſt, *& vitulum de medio ſaginarij.*] Vituli olim opportunis in locis ſagina tenebantur atque ad conuiuia paranda ſuauiores fiebant; cuiuſ-

Sam. 28. modi epulas incantatrix illa fœmina Sauli parauit, ſicut ſcriptum eſt: Mulier autem illa habebat vitulum paſcualem in domo. In hoc Amoſi, & in illo apud Samuelem loco, idem

מרבק· nomen M A R B E Q eſt, quod ſaginarium locum ſignificat. His agnis & vitulis ruſtici homines & paſtores in nuptialibus fortè conuiuiis, aut aliàs rariſſimè veſcuntur. Sed quæcunque huius generis cum magna cura & ſtudio ali ſolent, ea diuitibus & opulentis in Sion parantur. Nam quæ vix ſunt reliquo vulgo ſolennes epulæ, his quotidianus victus eſt; neq. verò magno his pretio conſtant hæc; munera enim plerumque eſſe diuitibus ſolent, maximè autem iis qui in regiis habitant vrbibus, aut in aliis etiam celebrioribus locis, modò iſtius quæ dominatur in ciuitate potentiæ participes aliquo nomine ſint. Etenim hi ſolio iniquitatis quàm proximè accedentes totam huius mundi conſolationem ſibi ſolis natam putant: & quoniam conuiuiorum cœnarumque apparatus & nitor quotidianus victus his eſt, ob eam rem præſenti verbo Vates eſt vſus, *Comedentes agnum, &c.* Quid ſi vidiſſet, imò præuidit noſtram, quæ hodie eſt, luxuriam ac pompam, & cœnarum atque totius voluptatis perditiſſimum ſtudium, non vitulo, aut hœdo, ſed piſcibus vſque petitis, vt omnis auium, altilium, marinorum, terrenorumque animantium natura penè defectura eſſe videatur; vt vna iſtorum cœna tot generum res abſumat, quot multis viris bonis, aut egenis, aut malè valentibus, & paſcendis, & recreandis ſatis eſſe poſſent. Quid nimius & pluſquam regalis ille veſtitus, cui ab omnibus ferè hodie indulgetur? quid ille in fuſo atque cælato auro, argento; in murorum, equorum & mulorum veſte, ſupellectilique omni immoderatus ſumptus? Quid ea omnia, quæ ad vtrumque hoc genus referuntur, commemorē, quanta reprehenſione in Chriſtiano populo noſtris temporibus digna eſſe iudicaret Vates, qui eadem minora fortaſſe in opulentis Sion tam accuſet acriter? Atque in hoc etiam genere aliam deliciarum ſpeciem indicat, quæ aurium ſenſu percepta, niſi purè & legitimè tractetur, magnam vim ad laſciuiam & petulantiam in hominibus alendam habet. Ea autem eſt cantionum, ſaltationum, & totius rei muſicæ vſus: quæ arte quidem optima atque probatiſſima cùm ſint, vtentium tamen malignitate ſæpiſſimè corrumpuntur. Namque eæ res ad diuinas laudes, ad ſapientiæ diſciplinas ſuauius & facilius tractandas & meditandas inuentæ, ad luxuriæ & ſenſuum tantùm voluptatem fouendam atque augendam traductæ ſunt. [*Qui canitis ad vocem pſalterij, &c.*] Cuinam voluptatis generi dediti eſſe ſoleant, qui mollibus cubilibus, & pretioſiſſimis ſtragulis parandis ſtudent, res ipſa arguit; atque ob eam cauſam ex continenti per honeſtiſſimam notationem id quod contentum eſt ſignificauit Vates. quod vt explicaret ea etiam genera, quibus illud inhoneſtiſſimum voluptatis vitium fouetur (vt ſunt nimius & delicatiſſimus cibi & vini, cantionum atque ſaltationum minus ho-

Vide Platonē in conuiuio. neſtarum vſus) adiunxit; vt totius vitæ incontinentiam oſtēderet. Muſicæ autem diuinam rationem atque inuentionem eſſe ex Geneſeos libro accepimus, inter eas artes numeratam, quæ repentè vno aliquo inuentore & extiterunt, & ab eodem repertæ perfectæque ſunt;

ſunt;id quod non niſi Deo auctore contigiſſe,ſuo in loco, ſi idem nobis Deus conceſſerit, demonſtrabimus. Huius artis ſtudio ſapientiſſimi ſanctiſſimique viri delectati ſunt,quo in genere Dauid in primis celebratur. Sed hoc genus ad diuinas laudes canendas, ad ſapientiæ atque antiquæ philoſophiæ docendas,& memoriæ commodius tradendas rationes, ad malorum dæmonum impetus & tumultus ſedandos, ad alias huiuſmodi honeſtiſſimas, & humanæ vitæ vtiliſſimas commoditates inuentum,ad luxum & vitium, atq. ad libidinum fomenta paranda ab hominibus traductum eſt, & honeſtiſſima res inhoneſtè corrupta atque deprauata, honeſtis tamen nominibus tunc, cùm indecentiſſimè tractatur, defendi mendosè ſolet: Nam muſicæ exercitatio à proborum & ſapientum hominum genere, quibus olim familiaris fuit, ad ſcurras plerumque, & paraſitos, atque aliàs vitioſiſſima capita deuenit; à quibus nihil ferè canitur, quod aut ſapientiam, aut virtutem ſapiat:

Sed conuiuia, & prælia virginum
Sectis in iuuenes vnguibus acrium
Cantamus vacui; ſiue quid vrimur, *Non præter ſolitum leues,*

aiebat ille. Atque huiuſmodi vſus non minus hominum animos corrumpunt,& vitio cumulant,quàm ille alter virtute & ſapientia auget: imò (quæ hominum prauitas, & ad libidinem procliuitas eſt) plus hoc detrimenti, quàm illud ad virtutem adiumenti affert. Namque vitio quàm virtute facilius homines ducuntur: ſenſum enim & cogitationem hominis in malum prona ab adoleſcentia ſua eſſe teſtatus eſt Deus. Igitur optima re,& ad diuinum cultum hominumque vtilitatem idonea, ad luſum & luxum,atque turpes delicias abuſi homines ſunt, videlicet ſonandi & canendi facultate,in qua non ſolùm probatum vſum,ſed honeſtiſſimam etiam formam corrupêre, quod & Vates noſter oratione notat ſua; & tamen propria malitia,atque in malis ſtudiis defendendis calliditate,id quod malè agunt, magnis auctoribus defendere, & honeſtiſſimis nominibus commendare ſtudent. Videas enim tum muſicos ipſos,tum eos qui horum impura conſuetudine delectantur,diuinam muſicam,angelicam exercitationem, & Dauidicum ſtudium frequenter iactitare;cùm nihil ab illis aut diuinum,aut angelicum,aut Dauidicis meditationibus ſimile cogitetur. Ea enim quæ canũtur turpia in primis ſunt,& ipſum harmoniæ genus, quibus hæc aptantur, petulans laſciuumque eſt. huiuſmodi muſicæ & cantionum atque ſaltationum ſtudiis deditos Hieroſolymitanos ciues opulẽtos illos Vates notat;quod genus non ad diuinas laudes,ſed ad ſuas menſas,ad conuiuia atque ebrietates maximè eſſet oportunum. *Diuitum menſis & amica templis Lyra*, à quodam Poëta dicta eſt. alteram partem ſibi vſurpabant, quam alterius honeſto nomine defenderent: aiebant enim ſe in hac re Dauidem regem ac vatem imitari, cui ſemper cithara familiaris gratiſſimaque fuiſſet;cùm multum inter ſe, illorum ac Dauidis in ea re ſtudia diſtarent, longeque eſſent diuerſa atque ſeiuncta. Ille enim ad ſacras res diuinumque cultum omnem ſuam artem retulit;iſti verò ad vina,& conuiuia,cæteraque libidinum & vitiorum fomenta referebant. atque ob eam rem dicit:

Horat. lib. 1. Od. 6.
Gen. 6. Gen. 8.
Idẽ in Adelphis Comicus Terẽtius.
Horat. lib. 2. Od. 11.

Qui cantatis ad vocem pſalterij ſicut Dauid, putauerunt ſe habere vaſa cantici.

QVI *cantatis*: Hebraicè eſt, *Qui diminuitis*, ſiue *particularizatis*.] Plurimũ ad mores hominum componendos vel corrumpendos referre antiqui ſapientes conſueuêre,quo muſicę genere ciuitas vtatur,atque ex cantuum tonorumque rationibus hominũ mores argui poſſe Plato arbitratur. Nam quo tempore,quibúſue in locis, ſedati atque compoſiti cantationum modi ſunt,ſimiles eſſe ciuium cogitationes,ſimiles exercitationes comperiuntur: contrà verò laſciui & petulantes modi eiuſdem notę mores arguunt. Muſicorum autem rationem vniuerſam antiqui artifices in tria genera partiti ſunt: Enharmonicum, Chromaticũ, Diatonicum. Prima duo, ad hominum mouendos affectus aptiora ſunt, quòd canendi grauior modus,& humanæ in ſermone vocis ſimilior,numeriſque conſtet ad verba proferenda aptiſſimis. huius autem generis rara admodum atque obſcura ex antiquis veſtigia apparent; tametſi Itali Chromatici vſum nonnihil reſtituere conantur: qua de re nos cum Daniele Barbaro Aquileienſi Patriarcha electo harum artium omnium noſtro tempore antiſtite clariſſimo longum & eruditum ſermonem contulimus. Tertium autem genus illud Diatonicum dictum ad voluptatem magis atque ad permulcendas aures natum eſſe videtur; quòd minutis temporum ſectionibus, & modulis crebrioribus præter vocum conſonantiam,cætera auium garritus imitetur,in quo genere non tam canendarum rerum ſententiæ,quàm ipſius cantus habetur ratio; maximè autẽ in hoc genere verſiculi & rhithmi placent,qui aut res iocoſas, aut amatorias contineant. Horum generum exempla adiungere, nec noſtri inſtituti nunc eſt,nec rationem longius perſequi huius eſt loci: Satis enim fuerit rem ipſam indicare, quoniam ad Vatis noſtri explicandam ſententiã opportuna viſa eſt. Namque hoc Diatonicum genus vltimum ſubnotare mihi Amos illo verbo videtur, *qui diminuitis*: quòd eo genere muſicæ potiſſimùm vterentur,quod fouere hominum ſenſus, deli-

Plato.
Plinius. Boëtius.

nire animos,& voluptates adhibere poteſt. Illud autem ex hoc loco cõſequitur, honeſtum muſices vſum nuſquam, abuſum verò in ſacris libris vbique reprehendi: atque hæc ratio ſatis afferre lucis poterit, vt ea, quæ in eius artis vel laudem vel vituperationem tractatur, intelligi poſſint. Neque enim qua parte templis, ſed qua diuitum menſis amica Lyra eſt, vituperatur. Porrò ex multis vaſis, hoc eſt inſtrumentis muſicis, Nablum ſolùm nominauit, quam noſter interpres citharam vertit, quòd in eorum genere quæ neruis & teſtudine concinnata ſunt, hoc fuerit antiquiſſimum & celeberrimum: Eius enim inuentorem Iubalem
Gen.4. fuiſſe Moſes ſcribit, qui fuit Pater canentium cithara & organo. Ac de hac tota arte, quæ plurima in ſacris libris aguntur, nos alias (annuat votis Deus) plura & fuſius dicemus. Quod verò hoc muſicæ ſtudium non ad ſapientiam, aut ad virtutem, ſed ad voluptatem Iudæis fuerat paratum, ſubiuncta oratione confirmat: Namq. Dauid gratiſſimis & ad pietatem idoneis rebus muſicæ exornationem adhibebat; iſti verò inter pocula & vina Venerem potius & Bacchum, quàm Deum, colentes cantabant. Hoc eſt quod dicit:

Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, &c.

HÆC opera atque exercitamenta pœnitentiúmne & diem Domini deprecantium, an magis perditiſſimorum hominum, & luxu diffluentium dici poſſunt? Namque illius generis cinis capiti inſperſus, & ſupplicum velamenta, ſaccus & cilicia, lachrymæ & gemitus, ieiuniorumque frequentia eſt. His enim artibus & modis ſociorum & fratrum caſus & ærumnas excipere, & ſibi ipſis timere ac proſpicere ſapientes viri conſueuerunt, ſicut ſcri-
Pſalm. „ ptum eſt: Ego autem cùm in anguſtiis eſſem, induebat cilicio, humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in ſinu meo conuertetur, &c. Muſicis autem & poculis ij ſolùm indulgent qui omnia poſtpoſuêre, dummodo cutem curauerint, riſusque & iocos vndique
Eccle.40. ſibi quæſierint, ſicut ſcriptum eſt: Vinum & muſica lætificant cor. namque altera res curarum obliuione allata, alteri locum ad voluptatem parat. Vnde & λαθικηδέα vinum Græcus
Alcæus. Poëta, obliuioſum Latinus cognominauit. huius generis hominum illa oratio eſt:
Horat. *I, pete vnguentum puer, & coronas, Et cadum Marſi memorem duelli, &c. Dic & argutè properet Neæra*, &c.
מזרק [*In phialis.*] Vaſorum nomine certo nimium vini vſum arguit. nam ex multis vaſorum nominibus quæ apud Hebræos ſunt MAZRAQ, vnum eſt quod magnitudinis, capacitatiſque rationem habet; quod Latinè craterem vel phialā rectè vertas. [*Et optimo vnguento*; Hebraicè eſt, *Et primitijs olei inungentur.*] Verbum futurum à tempore abſolutum aſſiduitatem, vſum, conſuetudinemque ſignificat. Fuerunt olim in deliciis vnguenta, quorum vſus ab iis qui Aſiam incolebant, ad Romanos vſque defluxit. Eorum autē multiplex natura & compoſitio fuit, ſed omnem aliam naturam balſamum ſuauitate & virtute vincebat, quod vni
Cant.1. tantùm Iudææ ſolo certis in vicis, nempe apud Hierichunta generoſiſſimū contigit: namque Ægyptium minori omnino laude celebratum eſt. In eo genere, quod triplex erat, O-
Dioſcor. Plinius. pobalſamum excellebat, idque eſt quod primitias olei Vates noſter nominat. Vt enim Latinis vnguenti, ſic Hebraicis olei nomine omnia hæc genera dicuntur; quòd præter ſordes atque inficiendi facultatem cætera olei referant naturam. Non ſolùm autem vino & cibis ſuauiſſimis, ſed cuti etiam & capillis curandis indulſiſſe Iudæos arguit Vates. quæ res molles animos, & parum virile vitæ genus, atque iis qui virtutem profiteri debent turpiſſimum declarat, ſi tamen aſſidua, ſtudioſeque procurata ſit: quod & Laronia illa hypocritis quibuſdam philoſophaſtris obiiciebat. *Tertius*, inquit, *è cælo cecidit Cato. ſed tamen vnde Hæc emis?*
Iuuen.Sat.2 *hirſuto ſpirant Opobalſama collo Quæ tibi, &c.* Quicunque autem his deliciis operam dede-
„ rint, nullis neque ſuarum, neque alienarum rerum curis angi, ſed animum ſolicitudine om-
Horat.lib.2. Od.7. ni libertate ſtudent. *Huc vina & vnguenta & nimium breuis flores amœnæ ferre iube roſæ*, &c. aiebat ille.
„ Delicatiſſimi igitur & voluptatibus liquefacti Iudæi fratrum ſuorum Iſraëlitarum, quorum res vehementer detritæ erant, minimè dolebant vicem, neque animum ad illorum calamitatem adiungere volebant, ne vel minimus ſuſceptus dolor voluptates aliqua ex parte minueret.

Et nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph:

NAMQVE eo tempore maximum Iſraëliticæ res ab Aſſyriis hoſtibus detrimentū acceperant, antequam Ieroboam filius Ioas regnaret. Iſraëlitas autem Ioſeph nomine appellat, quòd Ephraitæ, ex quibus primus Iſraëlis rex fuit, ex Ephraim tribu fuiſſet; & quòd Ioſephi amplitudo illa etiā dignitate à patre ex teſtamento aucta eſt, vt Iſraëlis nomine illius
Gen.48. familia; & Ioſephi nomine omnis etiam Iſraël appellaretur. Sic enim ſenex moribundus
„ dixerat: Et inuocetur ſuper eos nomen meum, & nomen patrum meorum. quamobrem
Pſalm.70. in Pſalmo Vates canebat: Qui regis Iſraël intende; qui deducis velut ouem Ioſeph. Ioſeph
„ autem augmentum ſiue additionem ſignificat, atque eius nominis rationem fauſtam, felicem,

licem, & perpetuam eſſe, optandum maximè fuerat; imminutam verò & fractam videre, fuit vehementer dolendum. Vocatus enim erat à matre Ioſeph, atque illud nomini additum votum: Addat mihi Dominus filium alterum, &c. Cùm autē Ioſephi felicitas ad omnem Iſraëlem ex paterno etiam voto & teſtamento pertineret, omnes Iſraëlis filios in contritione Ioſeph dolere oportuit; quando illa ærumna magnum generis totius portenderet periculum. Iſtis autem deliciis, & negligentia, animorumque ſecuritate grauius illis & maturius atque certius malum afferendum eſſe prædicit: Gen. 30.

Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrationis, & auferetur factio laſciuientium.

OMNES vniuerſi Iſraëlis ærumnas hoc verſu complexus eſt Vates, tum quas Samaritæ, tum eas etiam quas Hieroſolymitani pertulere: namque in Iſraëlitas iam ſuperius decretam ob ſcelera & impietatem ſententiam denuo repetit, & conſequuturum etiam Iudæos non minoribus ſceleribus alligatos, iudicium pronuntiat: ita vt neutram partem merito ſupplicio carituram confirmet. namque Iſraëlitæ primi omnium migrabunt, idq́. maturè; ac propterea dixit: *Nunc in capite tranſmigrationis.*] & deinde paulò pòſt: *auferetur factio* illa Iudæorum *laſciuientium* in Sion, qui luſibus & voluptatibus dediti, nec ſuis malis cauebant, neque alienis mouebantur. Id autem tanto illis certius; quanto minus credentibus, nec opinantibus adueniet: quoniam quas illi vanas eſſe vatum de ea re prædictiones putant, interpoſito etiam iuramento certas, conſtanteſque fore Deus aſſeuerauit.

Iurauit Dominus Deus in anima ſua, dicit Dominus Deus exercituum: deteſtor ego ſuperbiam Iacob, & domos eius odi, & tradam ciuitatem cum habitatoribus ſuis.

QVANQVAM Deum, qui mentiri nunquam poteſt, quicquid dixerit, ſatis fuerit dixiſſe; tamen in grauiſſimis rebus iureiurando ſua dicta firmaſſe videmus, atque id iuramentum non certitudinem & veritatem atque dictorum conſtantiam ſolùm, ſed effectum & voluntatem indicat. Eam enim rem magna cura eſſe ſuſceptam interpretamur, cui iuramenti etiam ſanctitatem Deus adiunxerit: Vt, Per memetipſum iuraui, nolo mortem morientis, &c. Illud etiam grauitatem & pondus iuramento addit, quod non priuato ſed publico iudicis nomine iuratur. Nam primum nomen *Adonai* eſt, quod proprium cùm ſit, miſericordiæ & conſtantiæ rationem explicat. Alterum verò eſt ELOHIM, quod in iudiciali cauſa vſurpari plerumque ſolet. Iuriſiurandi autē formula grauiſſima eſt, *in anima ſua*;] hoc eſt in vita ſua, idem quod per ſeipſum. Deo enim nihil ſe maius (vt D. Paulus ait,) quo iuret, eſt: quam ob rem per ſemetipſum iurare ſolet. In anima autem iurare, idem quod Græcis in caput iurare eſt: vt, Qui non accepit in vano animam ſuam. Quòd ſi hominibus propriam animam in vano accipere religio eſt, quantam diuino iureiurando ſanctitatem futuram credere par eſt? Grauiſſimam itaque & certiſſimam ſententiā eſſe conſequitur, quam Deus iudex & mundi rector capitis ſui, hoc eſt, propriæ diuinitatis & maieſtatis iuramento pronuntiando confirmet; ſubiuncta etiam ad id præſtandum quod dixerit potentiæ ac facultatis appellatione: *Dominus Deus exercituum.*] quibus omnibus verbis certam agendi voluntatem, cum maxima quoque facultate coniunctam oſtēdit. Iuriſiurandi autem ſententia illa eſt: *Deteſtor ego ſuperbiam Iacob:*] Illud ad huius loci explicandam ſententiam meminiſſe oportuerit, quod iam aliàs eſt à nobis indicatum, nomen Iacob filium illum Iſaac & Rebeccæ, non cum vlla publica dignitate, aut opibus, aut imperio aliquo, ſed priuatum & communis vitæ conditionis hominem ſignificare; qualem ordinem & gradum ille tenebat, cùm fratris metu paternam domum fugiens, & quęnam eum ſors exulem maneret incertus, diuinæ ſeſe miſericordiæ & fidei huiuſmodi voto & ſupplici oratione credebat. Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum; reuerſuſque fuero in pace ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, &c. Hunc autem hominem tam humilem, tamque demiſſo animo ſupplicantem, & pacem ſibi tantùm, tenuemque victum & veſtitum petentem, quod ad magnas diuitias, atque adeò ad opulentiam euexeris eni ſupplicabat, non decuit ſuæ humilitatis, & propriæ obſcuritatis oblitum ſeſe inſolenter efferre, ſi ſecundarum rerum curſum eodem Deo auctore & conſeruatore perpetuum ſibi eſſe voluiſſet. Sed eam felicitatem & dignitatem iiſdem illis artibus quibus conſecutus fuerat, ſubmiſſione, modeſtia, obſequio, orationeque ſupplici, atque eius voti cuius religione ſeſe obſtrinxerat, perpetua ſolutione retinendam curari, & re ipſa præſtari oportuit. Deus patris mei Abraham, Deus patris mei Iſaac: Domine qui dixiſti mihi, reuertere in terrā tuam & in locum natiuitatis tuæ, & benefaciam tibi. Minor ſum cunctis miſerationibus tuis, & veritate tua quam expleuiſti ſeruo tuo. In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis regredior, &c. Itaque Iacob nomen & appellatio propriam illius hominis

Margin notes: Ezech. (beside "Per memetipſum iuraui"); Pſalm. 5? (beside "Qui non accepit in vano animam ſuam"); Gen. 28. (beside "Si fuerit Dominus mecum"); Gen. 32. (beside "Deus patris mei Abraham").

minis paupertatem,ignobilitatem,humilitatemque repræſentat:Iſraëlis verò cognominatio,eam quam auctore Deo dignitatem conſequutus eſt,iiſdem rationibus, ſcilicet fide & obſequio,retinendam ſignificat. Neque enim id ipſe ſibi,nomen aut fecerat, aut à parentibus acceperat ſuis,ſed à diuino nuntio nomen ſuum rogatus, & ſe Iacob appellari profeſſus,audierat; Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum,ſed Iſraël.Cùm autem Iſraëlis poſteritas, quæ niſi conceſſæ dignitatis gloriæ & amplitudini deeſſe voluiſſet, perpetuis pietatis officiis,vt i debuit,ab illa paterna virtute per nefaria ſcelera degeneraſſet, ad Iacobi humilitatem & paupertatem,quæ propria illi fuit, redacta eſt. Nihil autem moleſtius & iniquius ferendum,quàm pauperum & obſcuriſſimorum hominum ſuperbia atque inſo-
Eccle.25. lentia,eſt.Tres ſpecies,ait Sapiens,odiuit anima mea,& aggrauor valde animæ illorũ:Pauperem ſuperbum,& diuitem mendacem,&c. Eam autem ipſam rem Deus hoc loco perſequitur,& vt grauiſſimam atque moleſtiſſimam abiurat, ſeſe Iacobi faſtum & inſolentiam nec ferre,nec diſſimulare poſſe,nedum permittere aut fouere velle. [*Deteſtor ego ſuperbiam Iacob.*] Ego pronomen ſignificantiſſimum in loco eſt, atque ex vtraque perſona amplificatio
Prou.16. creſcit.Ego,cui nihil tædioſum magis quàm ſuperbia eſt,ſicut ſcriptum eſt : Abominatio Domino omnis altitudo cordis,manus ad manum non abſoluetur. [*Superbiam Iacob.*] Humillimi illius olim & pauperrimi, atque exulis hominis,cui fugienti vix baculus ad viam ſuppeditabat. [*Deteſtor.*] Verbũ Hebraicè in graui coniugatione eſt;quod eam rem Deo vehementer odioſam eſſe indicat. [*Et domos eius odi*, Hebraicè eſt,*Et palatia eius:*] Nam vnde Ia-
Gen.28. cobo palatia ad habitandum,qui cùm fratrem fugeret ſuum,neque vile quidem ſtragulum in quo cubaret habuit: ſed cùm veniſſet ad quendam locum,& vellet in eo requieſcere poſt Solis occubitum,tulit de lapidibus qui iacebant,& ſupponens capiti ſuo dormiuit in eodem loco: Vnde ergo palatia Iacobo? Cui ſi ex diuinis muneribus & diuitiis,atque ex terræ in qua habitabat opulentia contigit, vt non domos ſolùm, ſed ædes & palatia ædificare poſſet,iam illa primùm iniuria eſt,quòd ea non Iacobo, ſed Iſraëli fuerant donata. Ita,quæ malè poſſeſſa,atque iniuſtè retenta ſunt, meritò ab illis ſunt repetenda. [*Et tradam ciuitatem cum habitatoribus ſuis.* Hebraicè eſt,*ciuitatem, & plenitudinem eius:*] atque ita etiam Chaldaicè : vt non tantùm habitatores intelligamus,ſed & vrbem ipſam cum diuitiis atque omni ſupellectili,quibus referta erat, quibuſque Iacob ille obſcurus & ignobilis homo iniuſtè poſſeſſis luxurioſiſſimè abutebatur.ea autem Deus cùm non Iacobi eſſent, ſed ſua, repetere ab eo,atque aliis gentibus in vſum tradere iureiurando decreuit : indignum enim eſt & odioſiſſimum,imò & moleſtiſſimum,vt pauper,obſcurus atque ignobilis homo, maximè nullis bonis artibus,nullis virtutibus præditus, ſed innumeris potius flagitiis & ſceleribus contaminatiſſimus magnificentiſſimis ædibus opulentiſſima vrbe tot commodis & voluptatibus maxima cum inſolentia fruatur. Quod ad ſermonis vſum facit coniunctio, *&*, illationis vim obtinet,*& tradam*,hoc eſt,*Tradam itaque.* Namque argumentationis totius concluſio hæc eſt:Id quod maximè diſplicet,moleſtumque eſt,non eſt ferendum. Iacobi autem ſuperbia vehemẽter diſplicet: Ea igitur non eſt ferenda;ſed omnis faſtus & ſuperbię materia auferenda illi eſt. Quàm autem ſeuerè & quàm grauiter decretũ hoc ſuum exequi cogitarit Deus, vt vrbem & plenitudinem eius excindendam, expoliandam, atque hominibus & rebus omnibus exhauriendam tradat, ſubiuncta oratione exponitur:

Quòd ſi reliqui fuerint decem viri in domo vna, & ipſi morientur, & tollet eum propinquus ſuus, & comburet eum, vt efferat oſſa de domo.

NVLLO modo diuinum vltionis iudicium effugiendum illis eſſe, quin certiſſimo ſupplicio ſubeatur,confirmat Propheta;neque vllum ſtudium aut conatum, aut conſiliũ profuturum, quo minus ad ſolitudinem illam & ignobilitatem atque paupertatem ſuam redeundum ſit.Ita vt ſi vel decem, aut alioqui maior aliqua hominum copia mutuum ſibi auxilium promittentium in munitiſſimam & firmiſſimam domum ſeſe recipiant, in qua hoſtis impetum declinare cogitent;tamen fame & peſte pereãt:perituri autem ſunt in tanta ignobilitate & obſcuritate, vt nec funeris pompa, nec vllis ſepulchri ceremoniis efferantur;ſed ab illo qui fortè reliquus fuerit, ſinguli concremati, humili & obſcura ſepultura afficiantur; quòd in agrum efferri hoſtili obſidione prohibebuntur, quibus peſtis ipſa atque
Pſalm.78. hominum ex bello raritas funeris ritum omnino neget, quo cum funere prodirent aliàs amici.Hoc autem genus in miſerrimis etiam ærumnis antiqui ponebant, ſi quis ſepultura & iuſtis exequiis careret,ſicut ſcriptum eſt : Poſuerunt cadauera mortuorum in circuitu Hieruſalem,& non erat qui ſepeliret.Denarium autem numerum ideò notauit, quòd is ſit cunctis perfectior,quo cæteros numeros ſigillatim includimus,(ſupra decem enim nõ tam numeratio,quàm eorundem numerorum replicatio eſt,) naturaq́; conſtet rationibus potiſſimùm; atq; illud hoc nomine ſignificare voluit, vt res non caſu,ſed certo cõſilio euẽtura intellige-

Fuit etiam à Pythagora decas obſeruata, vt recitat Porphyrius lib. de Sacrificiis.

intelligeretur: Nam ſi decem, qui ſeſe in vnam domum recepiſſent, omnes perirent; eorum interitus certa ratione conſtare probabatur. Si enim id caſu, aut aliquo alio morbo eueniret; cur magis decem, quàm nouem, aut cúrnam decem extinctis, vnus à quo cremarentur ſupereſſet? Sed certiſſimam rem, & conſilio decretam certus numerus probatura erat. Quo tempore autem ciuitatum res neque confuſæ, neque turbatæ ſunt, ſi quando mori aliquem contingat, propinquis in lachrymis & luctu occupatis cæteri amici, aut etiam vicini funus curant. Vbi verò magna ac turbulēta tempeſtate publica iactatur res, vt in bello, peſte, atq. fame, priuata ſalutis ſuæ vnuſquiſque ſolicitudine vrgetur, aliena omnino curare negligit. Ex quo fit, vt ea cura propinquum aliquem & neceſſarium attingat, quæ tranquillis in rebus ab alio ſuſcipienda fuit. Hic ergo ita propinquorum corpora cremanda, & oſſa efferenda curat, vt omni luctu ſolutus, omni fletu immunis, nullis lachrymis perfuſus, pietatē omnem exuat, & non tam neceſſariorum ſuorum, quàm hoſtium cadauera cremare videatur. Propinqui autem nomen hoc in loco ex Hebraicis patruum ſignificat. Simile à Thucydide eſt annotatū in magna illa Peloponneſiaca peſte.

Et dicet ei qui in penetralibus domus eſt, Nunquid aliquis eſt penes te? & reſpondebit finis eſt.

VSQVE ADEO ſe præbebit patruus alienum, vt neque ipſe domum penetrare velit: tantùm eum qui domi reliquus fuerit rogabit, nunquid cadauer vllum cremandum relictum fuerit; num quis illi viuus adhuc, qui nondum perierit, ſuperſit. Ille verò aut viuum, aut mortuum aliquid omnino ſupereſſe negabit, ſuamque calamitatem & ſolitudinem deplorare incipiēs, ab altero omnino lugere vetabitur, quòd adeò turbata & calamitoſa tempora ſint, vt neque diuini nominis meminiſſe, aliàs nō nimium aſſuetis vacet, nedum mortuos luctu & lamentis proſequi vacabit. [*Nunquid aliquis penes te eſt?* Hebraicè: *Nunquis præterea tecum?*] vt non ſolùm de mortuis, ſed de viuis etiā roget. [*& reſpondebit finis eſt.*] Hebraicè verbum APHES, neceſſariæ & opportuniſſimæ rei defectum, deſideriumque ſignificat; idque in calamitoſiſſimis & miſerrimis temporibus vſurpatur: vt, Vidit Dominus afflictionem Iſraël amaram nimis, quòd conſumptus eſt clauſus carcere, & conſumptus eſt etiam derelictus & extremus, & nō eſſet qui auxiliaretur Iſraël. & apud Iob: Dies mei conſumpti ſunt cum defectu ſpei. Sic etiam apud Iſaiam: Nobiles eius non erūt ibi: Regem potius inuocabunt, & omnes principes eius erunt in nihilum. In his atq. aliis non diſſimillimis locis verbum APHAS eſt; ex quibus illud ad luctus & lamentationes aptum eſſe intelligimus; vt apud Latinos illa vox, ergo: Nam ſimiles his ſyllabarum quidem numero breues, pronuntiatione verò graues voces humanus animus in acerbo aliquo luctu inchoando commodè vſurpat; atque primo quidem verbo, ſiue interiectio illa, ſiue aliqua alia ſermonis pars ſit, concepti doloris cauſam, quàm fieri poteſt aptiſſimè, exprimit. Namque vt apud Latinos ergo, plura ſignificat, quàm vt nos hîc referre poſſimus; ſic apud Hebræos illa prima dolentium vox APHES, hoc eſt deſiit aut defecit; omnis felicitatis, ſalutis, dignitatis, fortunarumque omnium defectum indicare videtur. Eum verò luctum patruus ita excepturus erat, vt non leuaret, ſed reprimeret omnino, diceretque ei, *Tace.* Hic tantæ ſuperbiæ, tantarum deliciarum, & totius luxurioſæ vitæ exitus fuerat, vt omnibus tandem commoditatibus priuati, bello, aut peſte, ſine ſepulturæ honore, nullis neque propinquis etiam flebiles perirent.

1. Reg. 14. " " Iob 7. Iſai. 34. " Ergo.

Et non recorderis nominis Domini. Hebraicè ſic eſt: *Et non ad recordandum in nomine Domini.*

ET SIC hunc locum Nicolaus, & Ordinaria quam vocant, gloſſa reddidit: tanta malorum turba, tanta trepidatione ac tumultu laborandū eſſe, tanto metu & ſolicitudine eorum mentem impediendam opprimendamque fore oſtendit, vt quod vnum in miſeris rebus eſſe ſolet refugium diuini nominis inuocatio, id illis vitam tranquillam & delicioſam aliàs agere aſſuetis (quo in ſtatu, vt nulla pietas, ſic rara diuini nominis mentio eſt) id inquam perfugium petere in mentem non veniat: I nunc, & vitam in ſceleribus & vitiis ſecurus traduc, & pœnitentiam atque pietatis ſtudium ad finem vſque ad ipſum mortis articulum differto: cùm neque tuorum quos chariſſimos habueras, neque Dei quem abs te omnino abalienaueras, recordari fortaſſe valeas. Quoniam verò in ſuperioribus ſuam in vtraque regna, Iſraëlitarum & Iudæorum decretam ſententiam longa oratione ſigillatim pronuntiarat; eaſdem nunc breuiter confirmatas repetit, atque hoſtibus exequendas mandat.

Quia ecce Dominus mandauit, & percutiet domum maiorem ruinis, & domum minorem ſciſſionibus.

DIVINÆ poteſtatis miniſtros & ſatellites, per quos res gerenda, ſuppliciumq. de vtraque Iſraëlitarum domo ſumendum foret, paratos iam eſſe illa indicat oratio; [*Dominus mandauit.*]

dauit.] Quemadmodum autem impoſitum illis negotium expediendum ſit, tranſlatione propoſita declaratur. Namque Iſraëlitarum regnum, totamque illam decem tribuum gentem penitus ruituram; Iudæorum verò & Beniaminitarum publicam rem vehementer eſſe proterendam Propheta ſignificat. Domus Iſraëlis, quæ vnica olim fuerat, populari diſſenſione in duas partes ſtudio diſſidentes à Roboami regni initio diuiſa eſt: atque ex eo tempore, alteri Domus Iſraël, & alteri Domus Iuda factum eſt nomen: hiſque nominibus vtraque pars eſt frequenter appellata, tametſi tota ipſa natio Iſraël diceretur; domus tamen
Ierem. 31. nomine adiuncto, altera pars ab altera diuidebatur. Vt: Ecce dies venient, & ſeminabo ſuper domum Iſraël, & domum Iuda ſemine bonò, &c. Igitur domum maiorem Iſraëlis domum cognominat; quæ copia & hominum multitudine domum Iuda longè ſuperabat. hæc enim duas tantùm; illa verò decem tribus continuit: Ex Iacobi autem prædictionibus, atque ex ipſa re, & euentu Iſraëlitarum turbam maiorem quàm Iudæorum
2. Sam. 24. ſemper fuiſſe intelleximus. Nam paulò ante diſſidij tempora, cùm Dauid vtramque gentem enumerare iuſſiſſet, ſummis in codicem relatis, inuenti ſunt de Iſraël octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium; & de Iuda quingenta millia pugnatorum. Domum autem magnam quæ omnino diruenda, neque vnquam præterea in eum locum reſtituenda erat, ruinis percutiendam prædicit. Minorem verò Iudæ domum labefactandam quidem, non tamen reſtitutionis ſpe deſtituendam (vtpote poſt ſeptuaginta annos in proprium ſolum remigraturam,) ſciſſuris affectum iri præcinit. Hunc locum Chaldaica Biblia ſic interpretantur: *Quoniam ecce Deus mandauit, & delebit regnum magnum deletione forti, & regnum paruum deletione debili.* Quoniam autem fieri omnino non poſſe vtraque gens credebat, vt ab hoſtibus ſuperati perderentur, quòd & propria virtute, & locorum in quibus habitabant ſitu, & munitione fiderent; alteri enim populo Samaria; alteri Hieruſalem regia erat; vtraque autem vrbs & natura loci, & operibus munitiſſima fuit; nullam earum rerum ſtabilem illis fiduciam eſſe poſſe Vates oſtendit. Quandoquidem vrbium, & ciuitatum, regnorumque felicitas, non armis, non viribus, non muris, aut alijs propugnaculis; ſed iuſtitia, innocentia, æquitate, atque pietate retineri, augerique ſolet: quibus artibus & virtutibus ſublatis res omnes publicas, quamuis maximas & feliciſſimas, corruere neceſſe eſt. Ipſa enim iniuria, ipſa fraus, ipſa etiam tyrannica potentia, ciuitates, in quibus verſantur perdere, hoſtibuſque euertendas prodere; ipſa inter ciues diſcordia florentibus rebus calamitatem maximam, maximorum operum & conſiliorum mirificam molem conuel-
Pſalm 54. lere & labefactare ſolent, ſicut ſcriptum eſt: Præcipita Domine, & diuide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate, die ac nocte circundabit eam ſuper muros eius iniquitas, & dolor, & labor in medio eius, & iniuſtitia. Itaque nullum aliud præſidium, nulla propugnacula firma iis locis eſſe poſſint, in quibus ius, æquitas, atque pietas, ſatis ad defendendam & ſtabiliendam libertatem idonea præſidia deſiderantur. Igitur vanam vtriuſque populi orationem & iactationem Vates redarguit, quibus vrbes ſuæ expugnatu non minus difficiles credebantur, quàm ſi quis in rupe equis currere, aut bobus arare pararet: quòd vtrique rei expediendæ loci ipſius tum inacceſſibilitas, tum durities & firmitudo obſiſteret. Eſt autem hæc ab artificibus conformatio, ſiue mimeſis dicta figura, cùm quis aduerſarij orationem ad redarguendum vſurpat. Erat verò Iudæorum & Iſraëlitarum oratio huiuſmodi:

Nunquid currere queunt in petris equi, aut arari poteſt in bubalis?

QVÆ vati conformatio eſt, aduerſariis ſimilitudo ab impoſſibili erat, qua illi ſibi, rebuſque ſuis ſecuritatem promittebant. Atque hoc argumenti genus in grauiſſima atque
Ierem 13. impoſſibili re à ſacris & prophanis auctoribus vſurpatur. vt: Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, & Pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere cùm malefacere didice-
Horat. lib. 1. ritis. Et illud: *Si pugnat extricata denſis cerua plagis, erit ille fortis,* &c. Vtraque autem ſimilitudine & belli, & victoriæ copiam hoſtibus negabant, & confidentiam ſibi atque ſecuritatem maximam vterque populus promittebant. Nam qui equis ineptum locum aliquem eſſe demonſtrat; idem ad pugnam incommodum eſſe arguit: Siquidem equus ad
Prou. 21. pugnam belliq́ue diem, vt Sapiens ait, paratur. in quo autem loco equeſtris pugna, qua plurimum Aſſyrij valuere, committi non poſſit, eum locum expugnari poſſe timendum non eſt. Vt autem equus pugnæ; ſic aratio expugnationis & victoriæ argumentum eſt. Olim enim victores expugnatas à ſe & captas vrbes in ſubactionis ſignum muro aliqua ex parte diruto arare conſueuerunt. quam rem ex illo Poëtæ loco docemur:
Horat. lib. 1. Od. 17. *Imprimeretq́ue muris hoſtile aratrum Exercitus inſolens.* Huiuſmodi difficillimam, imò deſperandam potius de ſe victoriam illi quondam Alexandro Macedonico proponebant; qui cùm

rupem quandam editiſſimam tenerent,legatos rogabant,num Alexandri milites alis eſſenr
præditi? Nullum autem locum inacceſſum eſſe,aut venienti hoſti difficillimum,quē Deus
non tueatur & propugnet,frequentibus ſacrorum librorum teſtimoniis, atque vſu ipſo, &
temporum rerumque exemplis intelleximus: Niſi enim Dominus cuſtodierit ciuitatem, Pſalm. 126.
fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Vbi enim ille vrbem ob incolentium nefaria ſcelera tra- "
dendam decreuerit, & vires, & celeritatem, & ingenium hoſtibus addere,& opes alias vi-
ctoriæ cauſa concedere conſueuit; quibus rebus aduerſum Iudaicum & Iſraëliticum po-
pulum Deo auctore inſtructos,eoſdem ipſos Aſſyrios, de quibus nunc agimus, Ioël doce-
bat. Quaſi aſpectus equorum aſpectus eorum,& quaſi equites ſic current,ſicut ſonitus qua- Ioel. 2.
drigarum ſuper capita montium exiliunt. Ita vt nihil omnino difficillimum illis ſit, quos "
Deus ad pœnas de ſceleratiſſimis hominibus repetendas parauerit & inſtruxerit. Namque
ille eſt formans montes,& creans ſpiritum,& annuntians homini eloqui ū ſuum. [*in bubalis.*] Superius c. 4
Hebraicè *in bobus*,eſt. atque vtraque pars ad rupem referenda eſt; vt ſic ratio ex Zeugmate
connectatur: *Numquid currere poterunt in petris equi; aut arari bobus in rupe poterit?*] *In petris*, vertimus
in rupe;namque eiuſmodi nomen Hebraicè eſt. Probat autem vates non eſſe iam difficile
factu, vt *in rupe* equis curratur, aut aretur bobus: hoc eſt, nihil mirandum eſſe ſi tanti hoſti-
bus animi addantur,tantis viribus,tanta felicitate augeantur,vt Iſraëlitarum & Iudæorum
munitiones contemnere & ridere poſſint, quando maiora miracula, immò maiora potius
monſtra à Iudæis & Iſraëlitis edita ſint;qui & ipſi ſuis ſceleribus viam hoſtibus aperuerint,
& munierint. Nec enim cuiuſquam rei effectus mirabilis videri debet ei qui cauſam dede-
rit quamobrem efficiatur,quæ cauſa maiora in ſe monſtra atque prodigia contineat. Cùm
vero iuſtitia & iudicium,duæ maximæ virtutes ad publicas res conſeruandas idoneæ, ab
iis conturbatæ & peſſundatæ ſunt;nihil mirandum fuerit ſi illud tantum, tamque horren-
dum monſtrum alia minora,atque editu faciliora ſequantur; præſertim cùm illa vitia ab
humana ſolùm malitia edantur, atque hæc rerum gerendarum facultas hoſtibus auctore
Deo contingat.

Quoniam conuertiſtis in amaritudinem iudicium, & fructum iuſtitiæ in Abſynthium.

RERVM publicarum ratio omnis,felicitas,atque hominum ſocietas, inter ſe nulla alia Cic. 2. Off. 1
re magis quàm æquitate & iuſtitia conſeruatur & alitur: neque vllum aliud aut certius,aut
præſentius venenum ciuitatibus comparari poteſt,quàm ſi virtutes hæ corrumpantur. Iu-
dicij nomine in ſacra Philoſophia idem quod æquitas; iuſtitia verò ius Latinis ſignificare,
aliàs eſt à nobis diſputatum. Ex quibus rectè ſancteque exculis,& dulciſſimi & opportuni
fructus ad res publicas alendas percipiuntur,ſicut ſcriptum eſt: Deus iudicium tuum regi Pſalm. 71.
da,& iuſtitiam tuam filio regis. Iudicare populum tuum in iuſtitia, & pauperes tuos in iu- "
dicio. Suſcipiant montes pacem populo,&c. His etiam corruptis aut perditis, ipſam publi- "
cam rem marceſcere & perire neceſſe eſt. Sic enim legimus: Hæc dicit Dominus Deus: Ci- Ezech. 22.
uitas effundens ſanguinem in medio ſui vt veniat tempus eius. In ſanguine tuo, qui à te "
effuſus eſt,deliquiſti;& in idolis quæ feciſti polluta es, & appropinquare feciſti dies tuos,& "
adduxiſti tempus annorum tuorum. Propterea dedi te opprobrium gentibus,& irriſionem "
vniuerſis terris. Quæ iuxta ſunt, & quæ procul à te, triumphabunt de te, ſordida, nobilis, "
grandis interitu. [*In amaritudinem.*] Hebraicè eſt, *in fel, & fructum iuſtitiæ in Abſynthium.* Duo
extrema amaritudinis capita protulit, fel & Abſynthiū; quibus nulla res amarior. atque in
hac ſimilitudine naturæ ordinem ſequutus eſt: etenim iudicium in iuris & æquitatis cogi-
tatione; iuſtitia in ipſo opere officioque præſtando eſt. ita altera pars animum & conſilium; Ariſto. 2. de
altera verò ſtudium & officium ipſum ſignificat. Quo autem animo,qua mentis perturba- anima. Et
tione res geratur,fellis nomen declarat: quod ea corporis pars in iecore (vbi affectuum & Galen. lib. de
perturbationum fons eſt) conſtituta; ſi nimium abundet,moroſum hominem,iracundum- Nat. facult.
que efficiat. Ex qua animi perturbatione, nullum ſincerum ac ſanctum officium, ſed Hip. lib. de
Abſynthium expectari poteſt. atque ex ſincero ac puro animo integra ac ſancta humoribus.
iuris meditatio, ex meditatione iuſtitia oritur, ex iuſtitia autem pax, publicaque
ſalus & tranquillitas, vt ex arbore fructus, naſcitur; ſicut ſcriptum eſt: Et erit opus iuſtitiæ Eſa. 32.
pax; ſic rurſus ex felle amaritudinis, animorum perturbatio. Ex hac officij, iuſtitiæque om- "
nis prophanatio, corruptioque proficiſcitur. Quod ad argumentandi rationem attinet,
ex contentione Vatem argumentatum eſſe dicimus, vt maiori abſurdo propoſito facilè
minus abſurdum inferatur. Eſtque hoc grauiſſimum arguendi genus, atque in præpoſteris
negotiis amplificandis frequenter ab auctoribus tractatum. Vt:

Miraris cùm tu argento poſt omnia ponas: Si nemo præſtet, quem non merearis amorem? Et illud: Horat.
Mopſo Niſa datur. quid non ſperemus amantes? Ver. eclo. 8.
Iungentur iam gryphes, &c. Igitur cùm duas maximas virtutes iudicium

& iuſtitiam

& iuſtitiam, quibus rem veſtram retinere conſeruareque poſſitis, corruptas eſſe confter, nulla vobis alia certa, & ſtabilis fiducia, aut in vrbium ſitu, aut in munitione, aut in veſtra etiam fortitudine eſſe poteſt.

Qui lætamini in nihilo: qui dicitis, Nunquid non in fortitudine noſtra aſſumpſimus nobis cornua?

CORNVA animantes armorum loco habent, quibus propugnare & ſe defendere valeant: maximè autem rhinoceros hoc propugnaculo vtitur, & valet; cuius belluæ diuinis in
Ariſt. de hiſt. animal. cap. proprio. literis illuſtris & frequens mentio eſt: Surge, inquit, & tritura filia Sion, quia cornu tuum
Mich. 4. ponam ferreum, &c. Huiuſmodi fortitudinem ſibi ipſis paraſſe Iſraëlitæ iactabant, quòd duobus munitiſſimis locis Samaria & Hieroſolymis tanquam cornibus fiderent; eiuſmodique animos induerant, vt reſiſtendo atque obſiſtendo cuilibet hoſti non modò pares, ſed ſuperiores etiam ſe fore ſperarent; cùm nullæ omnino vires illis ſuppeditari poſſent diuino
Pſalm. 43. auxilio ob ſua ſcelera deſtitutis, ſicut ſcriptum eſt: In te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nos. Huic præſidio qui non innititur, in nihilo omnino lætabitur; quod ſequentibus verſibus Vates confirmat, qui vniuerſo Iſraëlitarum generi tam Hieroſolymitis, quàm Samaritis nihil profutura eſſe cornua denuntiat, quo minus ab hoſte exagitatis & ſuperatis tota ea regione, quam ipſi ſibi feliciſſimam, tutiſſimamque promittebant, cedendum ſit: Sic enim tauri & rhinocerotes à venatoribus acti, aut vita, aut ſiluis ſuis excedunt.

Ecce enim ego ſuſcitabo ſuper vos domus Iſraël, dicit Dominus Deus exercituum, gentem, & conteret vos ab introitu Emath, vſque ad torrentem deſerti.

TRANSLATIONEM à feris ſumptam perſecutus eſt. Solent enim venatores coactis hominum & canum agminibus feras in ſiluis latitantes, ſeque locorum natura, & proprijs viribus atque armis tuentes primùm ſolicitare, deinde agitare, ac tandem ſuperatas partim occidere, partim retibus viuas capere, atq; ad ludos & ſpectacula in caueas inferre; ſicut ſcri-
Ezech. 19. ptum eſt: Et conuenerunt aduerſus eum gentes vndique de prouincijs, & expanderũt ſuper eum rete ſuum; in vulneribus earũ captus eſt, & miſerunt eum in caueã, in cathenis adduxerunt eum, &c. Huiuſmodi ſe venatione aduerſus Iſraëlitas vſurum Deus denuntiat, quos ipſe coacto ex Aſſyriis exercitu, in omni loco, quàm latè eorum regio patebat, exagitabit & capiet. Venationis autem tranſlationem ad bella pertinere, ille in libro Geneſeos locus
Gen. 10. nos docet de Nimrot, qui fuit robuſtus venator coram Domino. Tota autem Iſraëlitarum regio duobus illuſtribus finibus, introitu Hemath à Septentrione, & torrente deſerti à meridie, claudebatur. Introitus Hemath, porta in Libano monte eſt, quã ab Iſraëlitico in Damaſcenum agrum tranſitur. Torrens autem deſerti, is fluuius eſt, qui Iſraëlitas ab Arabibus dirimit. At verò Hemath vna ex munitiſſimis vrbibus fuit quæ Nephthalinicæ tribui ſorte contigerant; vt ex Ioſue deſcriptione accepimus. Hæc Euſebio Epiphania, aliis verò Antiochia dicta eſt. vtrumque nomen illuſtriſſ. fuiſſe arguit. Ab ea autem finitimam re-
2. Reg. 25. gionem nomen accepiſſe, ex illo loco intelligimus: Et percuſſit eos rex Babylonis, & interfecit eos in Rablatha in terra Emath. Porrò Torrens deſerti, idem eſt quem apud Iſaiam fluuium ſalicum legimus: Namque hic fluuius Gharab, & in illo loco fluuius Gharabim
Iſai. 15. dicitur. Quem hic Arabiæ, illic verò Arabum fluuium clarius vertere poſſis; quòd inter Arabum, & Ammonitarum, atque Iſraëlitarum agros fluens, in mare noſtrum defluat.

TERTII

TERTII VATICINII ARGVMENTVM.

QVANTA primùm, quamq́; admiranda Dei miſericordia ſit, hoc vaticinio declaratur: qui ſceleratos homines non antè grauibus ſupplicijs afficit, quàm lenioribus pœnis expertus, ad meliorem frugem ſtudeat reuocare. Deinde etiam quàm acre ac ſeuerum in eos iudicium exerceatur, qui diuina patientia, atque admonitione, & reuocatione abuſi fuerint. Ac demum quanta æquitas, quàm conſtans Deo erga humanam felicitatem conſilium ſit, cui nunquam illum, ſed eoſdem ipſos, quorum res agitur, deeſſe conſtet. Omnia hæc tertio Amoſi ſermone docemur. Namq. huiuſmodi rerum, quæ in eo continentur, ſubducta ſumma eſt; Propheticis ſpectris Vatis animum Deus feriens, duas primùm calamitates, famem & peſtem, quibus populum ad correptionem afficere inſtituerat, docuit: à quo exoratus, tamen ne funditus perdat, annuit. Qua in re & diuina ad parcendum facilitas declaratur, & Vatum de populis cura & ſolicitudo oſtenditur. deinde contumacium & contemptorum quorundam hominum, maximè autem principum (qui alijs ſcelerum & impietatis auctores fuerant) captiuitas ſpectanda certis imaginibus Vati offertur. qua occaſione Amaſias ſacerdos Bethel Vatem, ne prophetaret, prohibere conatus eſt; cuius impetum maxima fortitudine Vates excipit, & domeſticæ calamitatis prænunciatione infringit, atque ita conſtāter & intrepidè impoſitam ſibi à Deo perſonā pro dignitate agit, vt grauiſſimum etiam omnium viſum ſibi oſtenſum exponat; quo integram ac plenam totius Iſraëlis abductionem prædicat: atque in eodem ſermone ſuæ ætatis hominum mores impuros & ſceleratos acriter reprehendit, quibus ob eā rem, & quòd meliora ſuadentibus vatibus audire non placuerit, adeò dura tempora inſtare dicit, vt non ſolùm cæteris commodis omnibus, ſed, quod grauiſſimum omnium eſt, omni diuini ſermonis commoditate, & vſu carendum ſit. Vbi autem in his quæ ad Iſraëlem pertinebant, ſuo officio abundè ſatisfecerit, ad Iudaicam exciſionem & captiuitatem prædicendam atq. affirmandam digreditur. In ipſa autē totius ſermonis peroratione, diuinam naturam immutabilē omnino, & ſimpliciſſimam, ſuiq́; ſemper ſimillimā eſſe confirmat: quæ ſuſceptū de ornanda gente aliqua conſilium, non propterea abijcere ſoleat, quòd varij, inconſtantisq́; ingenij atque ſtudij ſit, ſed quòd gens ipſa ſuis ſceleribus, & impietate, tanto ſe honore reddat indigniſſimam. Itaque ſi qua calamitas, ſi qua miſeria, ſi qua omnino infelicitas florentibus & felicibus olim rebus publicis inciderit, in ijs ipſis eorum malorum culpam omnem reſidere neceſſe eſt, qui Iudicem Deum, quàm miſericordem experiri maluerunt. Iudicium autem (vt ex lege docemur) Dei eſt.

CAPVT SEPTIMVM.

HÆC *oſtendit mihi Deus, & ecce fictor locuſtæ in principio germinantium ſerotini imbris, & ecce ſerotinus poſt tonſionem regis.*

TRIA publica calamitatum temporalium genera eſſe, quibus populos ſcelere & impietate obnoxios Deus afficere ſoleat, in ſuperioribus docuimus, cùm illum interpretaremur locum: Audite hoc vaccæ pingues, &c. Supra ca. 4.
Eas autē eſſe famem, peſtē, & gladium; qui Dei exercitus à vatibus dicuntur, quòd præter alia quæ immittere in orbem poteſt, his plerumque ad publicas vlciſcendas iniurias vti cōſueuerit. Atqui horum generum Dauid regi optio data eſt; vt quod minus graue exiſtimaret, id eligeret: Aut 2. Sam. 24.
ſeptem annis veniet fames in terra tua; aut tribus menſibus fugies aduerſarios tuos, & illi "
te perſequentur; aut certè tribus diebus erit peſtilentia in terra tua. Nunc ergo delibera, & "
vide quem reſpondeam ei, qui miſit me, ſermonem. Igitur præuidet Vates tria hæc calamitatum genera Iſraëlitis imminere, ante vltimam per Aſſyrios euerſionem, niſi ab eis oratione & prece tantum malum auertatur: ne populus ſcilicet omnibus his ærumnis fractus, ad deploratam internecionis miſeriam perueniret. Quoniam verò, fames non vno, ſed pluribus accidit modis; aut enim hoſtili populatione, aut pluuiarum defectu, aut vredine, rubigine, locuſta, aliisque agrorum peſtibus; quibus omnibus modis eos afficiendos ſuperius prædixerat, totum genus hoc, quibuſcunque modis id eſſet, primo loco ſignificauit: *Hæc oſtendit mihi Dominus: & ecce fictor locuſtæ in principio germinantium ſerotini imbris.*] Quod verbum hoc in loco *locuſtæ* nomine ab interpretibus redditum eſt, id verbum Hebraicè eſt GOBEI: quod ſi ex Hebrææ linguæ ratione vertēdum eſt, vel eleuatores, vel exactores ſignificabit. Namque GABAH verbum, extollere, exaltare, atque etiam debitum exigere ſignificat. Neque verò inficias ibimus ſimilem huic vocem *Gobai*, locuſtam ſignificare; verùm id nomen in ea ſignificatione non Hebraicum, ſed Aramæum eſt: cuius vſus Vati Hebræo paſtori cætera omnia Hebraicè apud Hebræos locutō ſuperuacuus fuiſſet, cùm illi nomen ARBE, quod Locuſtam ſua lingua ſignificat, familiariſſimum eſſet, quod etiam idem ipſe in ſuperioribus ſermonibus vſurpauerat. Igitur vocem ipſam, non vt Chaldæa, ſed vt Hebræa eſt, ex ſua propria ratione, atque ex re, de qua ſermo eſt, interpretati, ſic vertimus clarius: *Sic oſtendit mihi Dominus, & ecce fingens exactores.*] Quibus vocabulum *Locuſtæ* magis probabitur, metaphoricos definiendum fuerit. vt:

Horat. in arte. *Non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo.* Hanc rem viſione ſibi acceptam Vates
confirmat: namque hoc vaticinandi modo vſum fuiſſe in ipſo totius operis initio docui-
mus. Fictorem verò exactorum ſibi viſum eſſe, quòd Deus famem terris inducere parans,
non vnum, ſed plures exactores, quibus ea res expediretur, crearet. Famem autem ex
hoſtili incurſione, ex aquarũ penuria, ex inſectorum vaſtatione (vt bruchi, vt locuſtarum)
atque ex vredine & rubigine euenire iam docuimus. Huiuſmodi autem exactores parabat
Deus, idque eo anni tempore, quo tota agrorum ſpes aut confirmari, aut peruerti ſolet. [*In*
Ioël. *principio germinantium ſerotini imbris*, Hebraicè eſt, *in principio aſcendere ſerotini*.] Duo Iſraëliticæ terræ
opportuniſſima pluuiarum tẽpora fuiſſe iam aliàs docuimus; Alterum temporaneum ſiue
inebrians; alterum ſerotinum dictum: quibus tẽporibus diuino beneficio illi regioni certiſ-
Ierem. 5. ſimis anni, annonæque paratur fertilitas, ſicut ſcriptũ eſt: Et non dixerũt, Metuamus Do-
» minum, qui dat nobis pluuiam tẽporaneam & ſerotinam in tẽpore ſuo, plenitudinem an-
» nuæ meſſis cuſtodientẽ nobis, &c. Ex his autem altera inebriat terram, & germinare eam
facit, vt ait Iſaias; altera verò ſegetũ herbam in culmum confirmat, & percipiendi fructus
rationẽ componit. Turgeſcunt enim eius pluuiæ virtute ſata, & ſemina ferenda concupiẽt;
quæ antehac ſi depaſta, aut aliquo alio caſu præciſa ſint, aliquã tamen; ſi verò poſthac, nul-
lam ſui ſpem relinquunt. Hoc igitur tẽpore cùm iam ſerotino imbre aſcenderant, & creue-
rant, cùm iam aſſurgerent culmo, exactores creati ſunt, qui publicam à populo pẽſionẽ ob
ſcelera exigerent; atque eò grauiorẽ, quòd importuniori tempore, & exhauſtis intolerabili
regum tributo populis ſoluenda ſit: Namque illa tẽpeſtate grauiſſ. atq. intolerabilia tribu-
ta vel publicæ defenſionis nomine, vel vrbium muniendarũ cauſa, vel inſatiabili quadam
auaritia, vt ſit, reges à populo exigebant; idque paulò ante ſerotini imbris tẽpus, quod ver-
num tempus & ad ædificandũ, & ad bellum gerendum plurimas & maximas commodita-
Cataneus Senenſis de Architect. tes cõtinere credatur. Quamobrem præter annua vectigalia & tributa, quæcunq. aut bello-
rum, aut operum publicorum nomine exactiones fiunt, inſtante vere iniri ſolent. Atq. hu-
Veget. de re milit. iuſmodi acerbas exactiones eo tempore factas, tonſionem regiam Vates noſter nominat:
Nam quemadmodum greges quicquid lanæ & velleris toto anno aluerint, ineunte vere
deponere coguntur (id autẽ aduẽtantis caloris ſpe, & nouarum herbarum vſu permiſſo, vt-
cunque ferendum eſt) Sic etiam eadem lege quicquid ex totius anni labore & induſtria po-
pulo parenti ſuperfuerit, id totum nouis exactionibus aufertur, ſicut ſcriptum eſt: Lac
Ezech. 43. comedebatis, & lanis operiebamini, &c. Quòd ſi poſt tot, tamq́ue acerbas exactiones ali-
qua futuri anni fertilitatis ſupereſſet ſpes, qua vitæ ſibi ſecuritatẽ promittere populus poſ-
ſet, tametſi grauiſſimum id & moleſtiſſimũ foret, eadem certè ſpe ferẽdũ, quòd agrorum
vbertas, & annonæ certa facultas vitam, ſi non nimis ſuauiter, at certè frugaliter propagari
poſſe promitteret. Sed tamen omnem huiuſmodi facultatem, atque ſpem omnem populo
præciſum iri, diuino ſpiritu auctus Vates viderat; quemadmodum poſtquam regiis tributis
& exactionibus quicquid pecuniæ domi foret ablatum fuiſſet, noui exactores accederent,
à quibus quicquid in agris ſupererat futuræ ſpei eriperetur: ita vt nihil neque domi, neque
foris eſſet reliquum quo vita conſeruari propagarique poſſet. [*Et ecce ſerotinus poſt tonſionem re-
gis.*] vt paſtorum & gregis nomine, reges, principes, atque populos intelligimus; ſic quæ ad
hæc nomina verba referri poſſunt, ad eandem ſimilitudinem transferimus; vt paſcere, re-
gere, & gubernare. tondere, mulgere, tributis & exactionibus afficere interpretemur, vt il-
Nahum. 1. lud apud Nahum: Si perfecti fuerint: & ita plures, ſic quoque attondentur. Oportunitatem
igitur extremæ exactionis quam Deus parabat, tempore ſerotini germinis, hoc eſt, tempo-
re quo iam herba in culmum aſſurgebat, futuram Vates vidit: ſerotinum verò poſt tonſio-
nem regiam, poſt completas regias exactiones eſſe declarauit. Quàm verò afflictæ, quamq.
penè ad internecionẽ vſque perditæ Iſraëliticæ res illis tantis calamitatibus futuræ eſſent,
præuidens Vates, ſummó ſtudio & ſupplici oratione diuinam iram placandam curat; ne
tanto, tamq́ue acerbo malo populus ille funditus pereat.

*Et factum eſt cùm conſummaſſet comedere herbam terræ, dixi; Domine Deus propitius eſto obſecro: Quis
ſuſcitabit Iacob, quia paruulus eſt?*

QVAM bene meriti de populis vates, & ſancti homines ſint, tum ex multis aliis, tum ex
hoc loco docemur: qui cùm ſcelerum & impietatis expertes ſint, in periculoſo & calami-
toſo reipublicæ tempore, cæteris omnibus negligentibus, ipſi vehementer ſunt ſoliciti; &
quanto ſtudio fieri ab ipſis præſtarique poſſit, placando numini maloq́ue auertendo, aut
etiam minuendo dant operam. Quòd ſi certa & fixa omnino ſententia eſt, tamen vt reſti-
tuantur res, Deum multis & pientiſſimis precibus exorant. Accidit, inquit, vt cum viſione
herbam omnem, omnemq́ue agrorum ſpem conſumptam eſſe cognoſcerem, maxima cura
& metu

& metu angerer, ne Iacobi res ſic funditus vna illa calamitate euerterentur; vt nulla reliqua de cætero ſpes eſſet, poſſe amplius illum populum conſiſtere, aut venturi tandē hoſtis impetum, quo minus funditus perderentur, ſuſtinere. [*Et dixi; Domine Deus propitius eſto obſecro.*] Hæc duo nomina in hominum ſupplicibus erga Deum precationibus ſolenni vſu vſurpari à ſacris auctoribus videmus, *Domine Deus*: alterum ad virtutem & poteſtatem; alterū verò ad miſericordiam pertinet: atque hoc poſterius, nomen illud ineffabile eſt; cuius rationem indicare ſæpius, explicare verò nunquam ſatis poſſumus. Sic enim Abraham Deum appellabat: Domine Deus quid dabis mihi, &c. [*Propitius eſto obſecro.*] Eadem breui quidem, ſed fidei & pietatis ſignificationibus inſigni oratione vſus eſt, qua olim Moſes Deum in Iſraëlitas iratum exorauerat, atque equidem illud breue verbum, propitiare, à pio & fideli Dei miniſtro dictum, magnum quoddam momentum ad Deum exorandum habere arbitror, ſi ſtudioſè atque ſumma cum dicentis fide vſurpatum ſit: Etenim neſcio quo modo diuinam miſericordiam, ad quam verbum illud propriùs pertinet, vt ſui ipſius meminerit excitare; atque ad ſeſe publicè oſtendendam incitare videtur. cuius rei illuſtriſſima exempla ſacras hiſtorias, arcanaque ſcripta legentibus paſſim occurrunt. Propitiare obſecro, inquit Moſes, peccato populi huius, ſecundum magnitudinem miſericordiæ tuæ, ſicut propitius fuiſti egredientibus de Ægypto vſque ad locum iſtum. Dixitq́. Dominus: Propitiatus ſum ſicut dixiſti. Atque adeò hanc præſtantiſſimam admirandamque Dei virtutem Pſaltes in ſuas partes vocabat, quòd eam & diuinæ naturæ propriam & in primis commodam eſſe fide intelligeret: Quia apud te, inquit, propitiatio eſt. & alio in loco: Quoniam tu Domine bonus & propitiator, &c. Maxima igitur cura, & publicæ rei ſolicitudine vrgebatur Amos, cùm hanc breuiſſimam apud Deum haberet orationem, atque ad diuinæ miſericordiæ permouenda viſcera Iſraëlitarum ſtatum, ex ampliſſimo in infimum redactum oſtenderet: cui rei ægrotæ ac penè deſperatæ nullum præter diuinum tantùm remedium atque alleuamentum inueniri poterat: Neque enim ab eorum regibus qui incommodo potius ipſis fuerant, neque à Iudæis fratribus, quos præterquam quod ſua etiam maneret miſeria, inuidos & infenſos illis eſſe perſpexerat; neque ab ipſomet Iſraële vllam ſpem eſſe intelligebat, quando is non iam Iſraëlis dignitatem amplius retineret, ſed ad Iacobi humilitatem atque imbecillitatem fuiſſet redactus: ex quo loco ad aliquam ſpem vocari non niſi diuino beneficio poterat. [*Quis ſuſcitabit Iacob, quia paruulus eſt.*] Suſcitare iacentem, erigere atque ſtatuere eſt, vbicunque hoc verbum tranſitiuè vſurpatur: vt illud, Quis ſuſcitauit omnes terminos terræ? Et ſuſcitauit Moſes tabernaculum: & ſuſcitauit columnas eius. Quis ergo ſuſcitabit? non rex, non fratres, non vicini, non Iacob ipſe ſe ſuſcitare poteſt. Quoniam ex quo Iſraëlitica dignitate depoſita ad Iacobi humilitatem redactus eſt, niſi tu fueris miſertus, nihil eſt quod ipſe ſibi de ſe promittere aut ſperare poſſit: quemadmodum paruulus infans matris aut nutricis cura deſtitutus, omnia timere atque obire pericula poteſt; ſibi ipſi cauere & conſulere non poteſt. Id quod idem ipſe Iacob olim antequam Iſraëlis nomen atque dignitatem te auctore obtineret, de ſua humilitate, deque tua benignitate profeſſus eſt: Minor ſum cunctis miſerationibus tuis, & veritate tua quam expleuiſti ſeruo tuo. Quo in loco eadem vox *Katan*, quæ hic ab Amoſo vſurpata eſt: Qui quòd nullis humanis artibus, officiis, aut virtutibus præſtari poſſe intellexerat, ad diuinam miſericordiam referendum putauit. Neque id fruſtra expertus eſt: namque ſupplicem deprecationem atque pientiſſima vota euentu ipſo vtilia eſſe probabit.

Gen. 15. — Num. 14. — Pſalm. 130. — Pſalm. 86. — Prou. 30. — Exod. 40. — Gen. 32. — קטן

Miſertus eſt Dominus ſuper hoc: non erit, dicit Dominus Deus.

NON vanas aut inutiles piorum hominum de aliorum etiam hominum rebus & ſalute apud Deum preces eſſe, nemo qui hunc & alia innumera omnium diuinorum librorū loca conſiderauerit, niſi planè cæcus eſt, non peruidet: Tātùm enim Vatis huius ſtudioſam orationem valuiſſe intelligimus, vt Deum extremam famis miſeriam Iſraëlitis moliturū, qua in id diſcrimen adduci illi poterant, vel vt funditus perirent, vel vt omnino debilitarentur, tamen ad clementiam, & mitiorem cogitationem & curationē, penè dicam, coëgerit. [*Miſertus eſt Dominus ſuper hoc.* Hebraicè eſt: *Et pœnituit Dominum ſuper hoc.*] ſicut ſcriptum eſt: Agam & ego pœnitentiam ſuper malum quod cogito facere populo huic: qua de re plura apud Ioëlem dicta nobis ſunt, dum illum locum exponeremus: Præſtabilis ſuper malitia. Super hoc autem Deum pœnituiſſe Vates ait: nempe ne Iacobi res ita vexarentur, vt omni etiam ſalutis ſpe eſſent deſtitutæ. [*Non erit dicit Dominus,*] apud quem propitiatio eſt. atque adeò primam hanc calamitatem non ad internecionem, ſed ad correctionem potius referendā ſibi fore recipit Deus: quæ ſi reſipiſcere, ſibiq́; proſpicere neglexiſſent, alia rurſus ſecunda, atque eadem grauiori, afficiendi erant: nam cùm in agris, ſegetibusque vaſtandis clementem ſe

Ierem. 18. — Ioël. 2.

Deus hactenus præbuerit, vt non tantùm exactores illi abſumerent, quantum viſione prius Vates intellexerat; vt ipſe dixit: *Et factum eſt cùm conſummaſſet comedere herbam terræ; & dixi, &c.* Nunc illo modo, atque illa prima plaga accepta, tamen non ſentientibus, grauiorem alteram eſſe infligendam videt: quam tamen & ipſe ardenti ſtudio, & oratione non exitialem fore impetrauit.

Hæc oſtendit mihi Dominus Deus: & ecce vocabat iudicium ad ignem Dominus Deus: & deuorauit abyſſum multam, & comedit ſimul partem.

IN eos quos primi exercitus vim atque impetum diuinæ miſericordiæ ope euaſiſſe cognouerat, neq. tamen ob id ad frugem reſtitutos intellexerat, nunc ſecũdo Dei exercitu inuadendũ eſſe præuidet, hoc eſt vaſtitate, peſtilentiaque grauiſſima; cuius tanta vis eſſe ſolet, vt quoſcunq. attigerit, breuiſſimè atque acerbiſſimè conficiat. Quamobrẽ id malũ cum celerrimo atq. efficaciſſimo igni confertur. [*Hæc oſtendit,* Hebraica lingua hoc modo enuntiat: *Sic videre me fecit,*] Primum vt prophetiæ genus ſignificaret, quo ipſe actus hæc prouideret; nempe rei ante oculos repræſentatione, quali genere ille Elizei Vatis miniſter quondam

4.Regum. actus eſt, cùm tot propugnatorũ myriades præceptoris ſui tuendi cauſa miſſas, apertis oculis, & pluſquam mortale intuentibus, videbat: & deinde vt oblatum ſibi viſum & ſpectrum

ריב referret, addit: *Et ecce vocans ad iurgium.*] Nam vocabum RIB, pro quo nonnunquam iudicium vulgatæ editionis interpres vertit, iurgium propriè atque rixam ſignificare in Habbakuq commentariis docuimus: aliud enim nomen eſt MISPAT, quod etiam iudicium verti ſolet; nos ius, æquitatem, & à ratione profectum iudicium exponimus; cùm iurgium iræ impulſu ſæpè exiſtat: cuius perturbationis vitium quanquam Deo veriſſimè negemus, eam tamen, quæ ſine vitio eſſe poteſt, vim planè concedimus. [*Ecce.*] Verbum hoc rem grauem, atq. attentione excipiendam plerumq. indicat. *Et ecce vocans ad iudicium.*] An-

Apoc. gelum miniſtrum aliquem cui datum eſt nocere terræ & mari, Amoſo oſtenſum intelligere licebit, vt non ipſe Deus, ſed Dei auctoritate ſpiritus aliquis eſſet, per quem id expediretur. namque ipſa orationis ſimplicitas Deum oſtenſorem & iudicem, cæterùm aliũ quempiam rei miniſtrum fuiſſe ſignificare videtur: quo etiam dicendi modo Vates in ſuperiore viſione eſt vſus. Nam quod ſtatim ſubiungit, *Dominus Deus,* non tam eò pertinere videtur vt Deum ipſum miniſtrum, quàm vt auctorem rei eſſe affirmet, cuius conſilio & voluntate

Hebr. 1. hæc fiant: Namque hæc omnia antiquis patribus, ac vatibus per Angelos expedita fuiſſe,

» D. Pauli auctoritate accepimus. Multifariam multiſque modis, inquit, olim Deus loquens

» patribus in prophetis, &c. & paulò inferiùs: Si enim qui per angelos dictus eſt ſermo firmus factus eſt, &c. Hoc verò iurgiũ quàm graue, quibusq. potiſſimũ pararetur, vno verbo explicuit Vates. [*Ad ignem,* Hebraicè, *in igne.*] Non puram ignis naturam, qualem Sodomis immiſſam fuiſſe legimus; ſed, quam ſecundum Dei ſatellitum exercituum eſſe iam definimus, peſtilentiæ cui vt ignis celerrima atque efficaciſſima vis ineſt; ſic etiã nomen ipſum

Num. 11. aptiſſimè conuenit; atque in eadem ſignificatione, ſimiliq. omnino ratione (vbi peſtis graſ-

Ita Hippocr. in Epidimicis primo, vbi peſtilentis & ardẽns febris mentio eſt, ſic ait: πῦρ λαβὼν. i. ignis apprehendens. ſaretur) à Moſe vſurpatur. Quod cùm audiſſet Dominus, iratus eſt, & accenſus in eos ignis Domini deuorauit caſtrorum partẽ. Qui locus iiſdem penè verbis eiuſdem omnino ſententiæ cum hoc Amoſi eſt; atque in illo eodẽ Numerorum capite ad finem, quo pacto ignis ratio intelligenda ſit, explicatur. Et ecce, inquit, furor Domini concitatus in populum, percuſſit eum plaga magna nimis; nam caſtrorum non exigua pars eo peſtilentiæ igne fuerat conſumpta: atque eum locum quo hac plaga affecti ſunt, funeſto nomine notatum eſſe legimus, appellatumque Sepulchra concupiſcentiæ. Atque adeò tota caſtra ignis illius vis incendebat, niſi Moſis precibus repreſſa extinctaque fuiſſet. Propterea ignem Domini in illo locò legimus, quod maximum & vehementiſſimũ maximæ efficaciæ eſſe intelligamus; cui nullum humanum præſidium adhiberi poſſit: etenim quæ à Deo certo iudicio immittuntur calamitates, illæ naturæ vi curari non poſſunt omnino; ſicut ſcriptum eſt: Ego occidam, ego viuere faciam; percutiam, & ego ſanabo, & non eſt qui de manu mea poſſit eripe-

Deut. 32. re. Eodẽ etiam aut ſimili certè modo malum Iſraëlitis præuidebat Amos, quod ipſe ſuppli-

Cant. Moſe. ci prece auertendum, vel ſaltẽ minuendum curat. Namque maximam ignis vim incenſam

» conſpexerat, adeò vt primò mare ipſum magnum, quod vocant, conſumeret: deinde in ter-

» ras inuadens Iſraëlitarum reliquias exuſſerit, nulla niſi tantùm diuini remedij relicta ſpe. [*Et deuorauit abyſſum magnam, & comedit ſimul partem.*] Peſtis naturam quandam igneam eſſe, & medicorum antiquiſſimi tradiderunt, & nobiliſſimi etiam Poëtarum ſuis depinxere carminibus. Namque eiuſmodi publicos morbos ab Apolline irato immiſſos, cauere conſue-

Home. Iliad. lib. 1. uerunt: hoc eſt ab ignea Solis natura, quæ immodico nonnunquam calore aërem corrumpat, atque animalium corpora ad interitum vſque perturbet. Atq. illud huic rei argumento eſt, quod hi morbi vere & æſtate plerumque ſæuire, hyeme verò ſedari ſopiriq. ſoleant.

Quamuis autem peſtis, quæ propriè à medicis definitur, humida & calida cauſa corpora hominum corrumpenti, fieri plerumque ſoleat, atque hæc plurimos interimat; tamen quæ diuinitus immittuntur ad iurgium mala, diſſimili cauſa, ſimili omnino efficientia, & celeriori, multo eſſe ſolent. Grauiſſima enim aliquando febris & feruentiſſima immittitur, qua breui ſpatio corpora velut igne incenſa pereunt. cuiuſmodi illud in deſerto malum fuit, & hoc quod à Vate nunc deſcribitur. Igitur quæ ſecundum naturam remedia atque alleuamenta inueniri huic morbo poſſunt; ea humido & frigido temperamento prædita eſſe oportet. Febris enim ardens intus atque extra refrigeranda, & ſorbitiones frigidiſſimas atque frequentes petit, ait Hippocrates: quæ ſi nulla tanta tamq. efficacia fuerint quæ morbi vim ſuſtinere, nedum vincere poſſent, ea omnia vana, & perinde atque ſi nulla eſſent, iudicanda ſunt. Cùm verò huiuſmodi inſuperabiles vires morbis ineſſe medici intellexêre, iuriſiurandi etiam ſacramento à curatione abſtinent: quòd ſi commune id malum & publicum ſit, ad diuinam potius voluntatem, quàm ad naturæ rationem referre ſolent. Vt autem huiuſmodi inſuperabilem peſtilentiam ſignificaret Amos, omnem primùm remediorum ſpem præciſam, ademptamque eſſe oſtendit. Namque totius humoris & frigoris fontem ipſum atque caput abſumptum principio fuiſſe ait, nedum cætera omnia humida & frigida facillimè vinci, conſumique poſſe putandum eſt. [*Et deuorauit abyſſum multam*, Hebraicè eſt, *abyſſum magnam*.] Eſtque maris periphraſis, vnde omnium fontium, & fluuiorum, totiuſque naturalis aquarum copiæ origo eſt. Namque ſic in ſacra philoſophia edocti ſumus: Anno ſexcenteſimo vitæ Noë, menſe ſecundo, ſeptimo decimo die menſis rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ. Vbi verò in ipſa remedia primum impetum peſtilentia feciſſet, in partem deinde hominum inuadere & ſæuire cœpit, omnem illam gentem confectura, niſi Vates clementem à Deo caſtigationem impetraſſet. [*Et comedit ſimul partē.*] Non agri partem igni crematam, ſed gentis partem peſte conſumptam interpretamur: namque de ſimili re eadem omnino oratio cum illa eſt, quam ex Numerorum libro retulimus: Et deuorauit caſtrorum partem. Ita partem Ioſephi reliquias Vates nominat peſtilentiæ incendio deuorandas: ſicut etiam Hoſſeas dixerat, & nunc comedet ignis partes eorum. Huius extremi mali metu ſolicitus Vates ad illuſtres illas prophetici officij partes animum ſtudiumque ſuum conuertit, quæ humanarum rerum procuratio eſt: hanc verò ſupplicibus precibus exequitur.

Hippoc. lib. 2. de morbis. Et li. de affectionibus: & 4 acut. feb. Hippocratis iuſiurandū. — *Senecā lib. de natural. quæſtion. 4.* — *Gen. 7.* — *Num. 11.*

Et dixi: Domine Deus quieſce obſecro; quis ſuſcitabit Iacob, quia paruulus eſt? Miſertus eſt Dominus ſuper hoc, ſed & iſtud non erit, dicit Dominus Deus.

ET ſtudium ſuum erga publicam rem, & diuinæ miſericordiæ magnitudinem hac orationis & precum repetitione Vates probat; de qua breuiter quæ dici nobis potuêre, dicta ſunt. Sed illud verbum nouum eſt, *quieſce obſecro*; quod propriam ſibi vendicat conſiderationem: Nam de diuina miſericordia & prompta ad clementiam voluntate, certior iam ſuperiore exemplo, atque oratione factus, confirmato animo familiarius etiam agit. atque inceptæ iam caſtigationi ne illa ad exitium vſque producatur intercedit. [*Quieſce obſecro:*] deſiſte, inquit, obſecro: namque huius ſignificationis verbum Hebraicè eſt. Mirum dictu quanta fiducia, quantaque familiaritate ſanctiſſ. viri fide & charitate firmati, cum Deo de aliena ſalute agant. Sic Moſes breuiſſima oratione, & fidentiſſima etiam voce ſorori lepra diuinitus tactæ reſtitutionem impetrauit: Et clamauit Moſes ad Dominū dicens: Deus ſana eam. [*Et iam hoc non erit, dicit Dominus Deus.*] Tantum ardens, & charitate incenſa, fideque armata, piorum hominum oratio apud Deum valet: Miſeratorem, & miſericordem, patientem, & multum miſericordem. Qui ſua illa inenarrabili clementia ſceleratos & peccatores homines ad pœnitentiam prouocat, miſerturus omnino, atque benigniſſ. excepturus, niſi illi tanta diuina patientia abuſi, theſaurizauerint ſibi iram in diem iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei; qui reddet vnicuiq. iuxta opera ſua. Ita adeò Vates noſter Deum quamuis iratum, quamuis rem iam igne, & humanis artibus inextinguibili incendio agentem, tamen vt modum ei caſtigationi ſtatuat, exorat. Sed tertio etiam viſu edoctus, Iſraëlitici populi ſuperbiam, ac non ferendam contumaciam intelligit primùm; & tertiam ex ea re paratam illis calamitatem, à tertio illo conſueto Dei exercitu; hoc eſt, à gladio & bello præuidet: atque hæc omnia malorum initia eſſe, ſed nondum ſtatim finem. Nam nec fame, nec peſte, neque gladio conſumptos, ſed caſtigatos, correctoſque Deus voluit; ſi quo modo ad ſeſe illi ad mentem, atque ad bonam frugem reſtituerentur, antequam extrema illa tandem contumacibus & obdurato animo perſeuerantibus futura captiuitate penitus eſſent euertendi.

Num. 12. — *Pſalm. 144.* — *Rom. 2.*

Hæc oſtendit mihi Dominus Deus, & ecce Dominus ſtans ſuper murum litum, & in manu eius trulla cæmentarij. Et dixit Dominus ad me, Quid tu vides Amos? & dixi, Trullam cæmentarij. Et dixit Dominus; Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Iſraël, non adijciam vltrà ſuperinducere eum.

INSIGNES illas ſtrages quas diuino conſilio Phul Aſſyriorum rex, & Theglath Pelaſſer in Iſraëlitarum tribubus aliquot, & partibus edidêre, tertia hac viſione Vates præuidit: quorum alter quæcunque vltra Iordanẽ erant: alter verò quæ ad Zabulonem & Nephthalim pertinebant, omnia vaſtauit. atque adeò hanc rem non aperta adeò & manifeſta ratione, ita vt gerenda erat, ſed arcana magis imagine intuitus eſt: Namque exactorum ingens copia, quam creari viderat, & maxima etiam ignis vis, quam conſpexerat, ipſæ ſtatim quamobrem pararentur indicauerant. Altera enim natura herbam omnem, atque omnem adeò agrorum & ſegetum commoditatem & ſpem ablatura erat: altera verò remedia primùm ipſa, deinde & homines oppreſſiſſe viſa eſt; atque vtraque quidem res iratum Deum & corripientem vel obiurgantem potius oſtendebat. Nunc verò res ipſa obſcuriori, & arcana magis imagine portenditur: & diuini iudicij æquitas apertiùs declaratur. [*Stans ſuper murum litum*; Hebraicè eſt, *Super murum perpendiculi*;] murum ad amuſſim extructum ſignificat, cuius examinator & probator Deus ipſe eſſet. atque hac quidem imagine populum Iſraëliticũ, ciuitatemq. ſuã omnibus iuſtitiæ, æquitatis & virtutis rationibus à ſe inſtitutã fuiſſe Deus declarabat, ſed tamen ea Reſpublica quæ religionis veræ ac ſanctæ auſpiciis conſtituta fuerat, iiſdem ſublatis peruerſa eſt: quod quidem huiuſmodi oratione Iſaias notauerat:

Iſai. 1. Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij; iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Hoc Vates ille pluribus etiam & grauioribus perſequitur; quæ ſi legantur, huic explicando loco apprimè fuerint opportuna. Igitur ſimili trutinæ examine in iudicando populo Deum vſurum Vates videbat, atque in eodem populo inſtituendo fuerat quondam vſus. Hoc eſt quod ait: *Et in manu eius trulla cæmentarij.*] Perpendiculum ſignificare voluit hæc tranſlatio: namque in ſuperiori parte vbi nos explicuimus murum perpendiculi, atque in hoc etiam loco, eadem Hebraica vox *Anach* eſt, quæ Hebraicè & Arabicè ſtannum ſignificat, ex qua materia, aut etiam plumbea ædificatoribus perpendiculã, (quibus murorũ rectitudo probari ſolet,) parantur, atq. adeò hoc ſigno rem omnẽ diuinum ad iudicium reuocandam iam eſſe Vates edoctus eſt: Nam perpendiculum vt trutina, regula & amuſſis, atque huius generis quæcunq. ſunt, iudicium, æquitatem, atq. iuſtitiæ ſeueritatem referunt. Neque id apud noſtros ſolùm, ſed apud exteros etiam auctores paſſim obſeruare eſt. Qua de re quæ diuerſis partibus ad vnũ genus omnis reducitur, nos aliàs Deo duce proprio opere pluribus agemus. Hunc adeò locum Chaldaicè ſic verſum legimus: *Ecce Dominus ſtans ſuper murum iudicij. & coram ipſo iudicium erat.*] Quoniam vtrumque eorum ſpectrorũ quæ antehac Vati fuerant oſtenſa, non tam ſigno aliquo, quàm ſimplici rei imagine, propoſitum ante oculos fuit: propterea nulla oſtentis addita interrogatio eſt. Nunc verò quoniam non manifeſtum aliquod ſpectaculum, ſed agendę ratio rei, & modus ſignificatus eſt; nempe perpendiculum; murus, & examinator oſtenſus, opus fuit vt Vates interrogaretur, num quod ſibi oſtẽderetur, intelligeret? [*Et dixit Dominus ad me, quid tu vides Amos? & dixi, trullam cæmentarij.*] Etenim hoc modo cum ſacris vatibus Deum agere conſueuiſſe, pluribus exemplis apud Danielem, atque alios, & in Apocalypſis libro obſeruauimus: vt quæ manifeſta, intellectuque facilia ſunt, oſtendantur tantum: quæ verò obſcuriora quadam figura proponuntur, ea interrogationibus, conſultationibuſque, atque etiam interpretationibus ſpectatori Vati exponantur. Præterea etiam cùm ſuperiores duæ viſiones diuinam iram atque obiurgationem præferrent, quibus extrema ferè populo calamitas ad internecionem vſq. paranda eſſet, nulla interrogatione opus eſſe videbatur: neque enim qui irati nimium ſunt, de eo quod iis quibus infenſi ſunt afferre cogitant malo, inquirendum, conſultandumq́ue eſſe putant. Nam ſi de illis rebus, ingenti videlicet fame & peſtilentia, interrogatus eſſet Amos, protinus duriſſimum & grauiſſimum, atque omnibus modis, omni ſtudio & cura deprecandum malum videri ſibi reſpondiſſet; id quod nec rogatus, aut conſultus, tamen reſpondit: & quis, inquit, ſuſcitabit Iacob, quia paruulus eſt? Verùm enimuero cùm non integram & extremam populi totius perniciem; ſed certarum partium & tribuum abductionem, eamq́ue non irati, atque vltoris Dei, ſed integerrimi atque æquiſſimi iudicis ſententia paratam, tertio hoc ſpectro videret, commodè rogatus æquitatem ſibi agnoſci reſpondit, nec tam iuſtæ atque æquæ ſententiæ intercedendum fore exiſtimauit. [*Quid tu vides Amos?*] Appellando Vatis nomine illius etiam ſententiam rogare viſus eſt. Quidnam hoc, inquit, tibi videtur Amos? Nihil æquius, nihil clementius eo iudice inueniri, aut prædicari poteſt, qui de eo quod exercere paret iudicio, pientiſſimi ac ſimpliciſſimi viri, atque ardentiſſimo in populi ſalutem ſtudio flagrantis, cenſuram petat; eidemq́ue ſuam omnino ſententiam

אנך

tentiam probet; quem de rei periculo minuendo ſolicitum eſſe intellexit. [*Et dixit, trullam cæmentarij.*] Summam, ait, æquitatem ego cognoſco, cuius rationibus vt non aſſentiar, nulla omnino re adduci poſſum. Quo in loco illud obſeruatione dignum eſt, iratum Deum, atque obiurgare grauius etiam parantem; quo minus extremam in populos effundat iram; ſupplicibus tamen precibus adiri fas eſſe, & ſanctè atque legitimè placari poſſe: eundem verò cùm ad iudicium atque æquitatem populorum cauſas reuocare inſtituit, iudicemque agere cogitat, quo minus officio ſatisfaciat ſuo aut impediri, aut precibus detineri nō poſſe, tantumque illud præſtari, vt exercendi à ſe iudicij rationem hominibus ipſis, qui intercedere ſtuduerint. probandam, examinandamque permittat. Ita adeò fieri interdum, vt quibus grauius malum inſtans deprecari, atque auertere licuerit, leuius etiam aliquod auertendum procurare, integrum non ſit. quam rem Deus ipſe apud Vatem hac oratione declarat: *Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Iſraël: & non adijciam vltra ſuperinducere eum.*] Non extremam aliquam cladem ſibi irato in omnes parari, ſed pœnas tamen & ſupplicia, eaque rectò atque integro iudicio in quoſdam decerni ait, qui primi omnium producendi erunt, ſeueri etiam iudicij exemplo cæteris futuri. Atque adeò hanc ſententiam certam definitamq. ſibi eſſe, ideoque minimè reſcindendam: ſatis enim fuerit ſemel atque iterum extrema omnia comminarum, tamen Vatis precibus atque interceſſione ceſſiſſe: nunc verò populo neque tantis malis perterrito, neque tanta clementia ab impietatis conſuetudine reuocato, cùm fortunatum penè omnium, tum multorum capitum ab hoſtibus abducendorum mulctam eſſe irrogandam. [*Ponam trullam in medio.*] Verbū *in medio*, non omnibus, ſed certis quibuſdam gladium captiuitatemque parari ſignificat, quo etiam modo in ſuperioribus dixerat: & ſubuertam in vobis. [*Et non adijciam vltra ſuperinducere eum*, Hebraicè, *tranſire illi.*] Id quod Latinus dicit omittere, aut miſſum facere. Atq. aliàs in ſacris libris, diſſimulare propter pœnitentiam dicitur. Ita nondum intercedentem aut deprecantem alioqui Vatem excipit, vt ab aditu etiam interceſſionis excludere videatur. Hæc enim diuinorum conſiliorum ratio eſt, vt qui iam ſemel ac ſæpe etiam facilem ſeſe, exorandumque præbuerit Deus, idem cauſa ad certum iudicium, legitimamque ſententiæ normam reuocata, inexorabilem ſe difficilemque oſtendat, ſicut ſcriptum eſt: Vel ſi gladium induxero ſuper terram illam, & dixero gladio tranſi per terram, & interfecero de ea hominem & iumentum, & tres viri, Noë, Daniel, & Iob, fuerint in medio eius; viuo ego, dicit Dominus, non liberabunt filios neque filias, ſed ipſi ſoli liberabuntur, &c. Et quoniam antiqua Iſraëlis religio adeò iam polluta, & prophanata fuerat, vt non ſolùm in Bethel, Dan, & Galgalis, ſed in ſingulis etiam eius gentis oppidis, aræ ac templa vanorum deorum cultibus dicata, paſſim viſerentur: quemadmodum & apud Iudæos viſebantur, ſicut ſcriptum eſt: Quia ſecundum numerum vrbium tuarū fuerunt dij tui. Atque adeò huius tantæ ſuperſtitionis ſtudium aditum illis ad omnia ſcelera patefecerat: Propterea non in populos ſolùm, & priuatorū domos, ſed in huiuſmodi etiam ſacras, vel execrandas potius ædes, atque deinde in regiam quoque ipſam ex diuini iudicij ſententia calamitatem peruenturam confirmat, vt videlicet certam ob ſcelus pœnam, non populi ſolùm, ſed principum ſtrages, qui populo auctores fuerant: atque etiam locorū ipſorum, in quibus nefaria illa ſcelera admittebātur, demolitio teſtetur. Namque certa hæc atque conſtans perſonarum, rerum, locorumque notatio, malum non caſu, ſed conſilio, ſed certo atque puro, ſeueroque iudicio paratum arguit. Atque hoc eſt quod ait:

Supra.

Ezech. 14

Et demolientur excelſa idoli, & ſanctificationes Iſraël deſolabuntur: & conſurgam ſuper domum Ieroboam in gladio.

LATINVS vulgatæ editionis interpres [illegible]us & commodius vertit, *excelſa idoli*, quàm alij qui *excelſa Iſaac* verterunt. Namque nouus quidam appellandi Iſraëlitas modus fuiſſet, ſi Iſaaci nomine appellarentur, cùm nunquam aliàs niſi tantùm Iſraëlis aut Iacobi, aut Ioſephi, aut Ephraim nominibus appellentur. Atque hæc res negotium quibuſdam ex Latinis & Hebræis commentatoribus exhibebat, quòd Hebraicè legerent *Excelſa Iſhaq*. Et quemadmodum noua hæc appellatio Iſraëlitis conuenire poſſet, id explicare vehementer laborabant: Quando Iſraëliticum populum Vates nunquam ad filios Abraham, aut ad Iſaac referre ſoleant, ſed ad Iacob, aut Iſraëlem, vt diximus; quòd huius filij omnes ad promiſſionem pertinuiſſe ſciamus; Abrahami verò & Iſaaci non omnes; ſicut ſcriptum eſt: In Iſaac vocabitur tibi nomen, & maior ſeruiet minori. Sed tamen hic nodus nomen ipſum Hebraicè accuratè legentibus nullus eſt. Namque *Iſhaq* per literam *Sin* ſcriptū hoc in loco eſt, cùm Iſaaci viri nomen per *Tzadi* ſcribatur: ita nomen ipſum non de Iſaaco ſermonem haberi docuit. Nam quod verbum *Iſhaq* hoc in loco vſurpauit Vates, deriſionem ſignificat, vt illud: Qui habitat in cælis, deridebit eos. Quamobrem fana illa prophaniſſima atq. polluta,

Genes.

ישחק
יצחק

impia vaniorum Deorum templa, excelſa deriſionis ex veritate ipſa atque ex eo, qui mox futurus erat, euentu Deus appellauit, vt quas illi ædes ad riſum, ad feſtos agendos dies, ad oppidorum ornamentum conſtruxerant, propediem in ludibrium & contemptum vertendas funditusque euertendas eſſe ſignificaret. Igitur Interpres noſter aptiori atq. ad rem ipſam opportuniori verbo vſus eſt idoli quàm Iſaac. Namque idoli nomen ipſum deteſtabile in ſacris eſt, & variis nominibus ad ludibrium & vanitatem pertinentibus dici ſolet. [*Et ſanctificationes Iſraël*, Hebraicè, *ſanctuaria Iſraël*:] non quòd verè ſanctuaria, ſed ab Iſraëlitis conſecrata dedicataque eſſent, cùm verum ſanctuarium à Deo ſacratum atque ornatum
Exod. 15. Dei, non Iſraëlis appellatione, celebre eſſet, ſicut ſcriptum eſt: Sanctuarium tuum Domine quod firmauerunt manus tuæ. Igitur ſanctuaria hæc quæ non à Deo, ſed ab Iſraële parata, dicata, firmataque ſunt, ſimul cum auctore ipſo peritura eſſe oſtendit; non ſanctuarium Dei, ſed Iſraëlis vocabat: namque Bethel regis ſanctuarium ab Amaſia pontifice inferius appellatur. Præterea etiam & Ieroboami familiæ clades his quæ prædicta ſunt calamitatibus additur, quòd prima huius tantæ impietatis culpa in ea familia vt duce atque auctore reſediſſet. quam rem nos in hoc, & in iis qui præceſſerũt vatibus explicandis, latius (Chriſto
4 Reg. 15. gratia) explicuimus. [*Et conſurgam ſuper domum Ieroboam.*] Ieroboami filij Ioas Zachariam filium Salum Iabes filius interfecit, cuius occaſu tota Iehu familia fuit extincta. Ob eam igitur rem in Ieroboami domum tanquam in ſceleris & impietatis arcem inuaſurum ſe Deus minatur, quam magno impetu euertendam eſſe oſtendit, cùm dicat: *Et conſurgam.*] Omnem porrò hanc ſtragem quam poſtremo loco perpendiculi imagine edendam Vati Deus oſtenderat, ad tertium illud ſuorum iudiciorum ſiue exercituum genus pertinere ipſe apertè expoſuit, *in gladio.*] Nam in Dei exercitibus gladium tertium eſſe docuimus.

Et miſit Amaſias ſacerdos Bethel ad Ieroboam regem Iſraël, dicens.

QVAM ardenti, quamque acri humani generis hoſtis expugnandæ veritatis ſtudio teneatur, quibusque maximis & potentiſſimis rationibus in eam rem incumbere ſoleat, cùm multis aliis, tum hoc etiam exemplo docemur: namque ille diuinæ gloriæ, atque hominum ſalutis & felicitatis antiquus æmulator, noctes atque dies hoc inſomnis agit, huic vni rei intentiſſimus ſemper eſt, vt prouideat & curet quemadmodum humana animorum ſalus extinguatur, & diuina ex hominum ſalute gloria infringatur, aut ſaltem impediatur. Quam quidem ad rem ſibi præſtandam efficiendamque, iiſdem ipſis quos vehementer odit, quos perditos maximè cupit, hominibus per ſummam fraudem deceptis vtitur: Etenim terrenorum commodorum leuiſſima ac viliſſima propoſita ſpe, quorundam animos tanta dementia deprauat, vt maxima illis, auguſtiſſima, & opportuniſſima, diuina, inquam, bona, aut nulla, aut minora, ac poſthabenda, ac minori etiam ſtudio atque cura petenda perſuadeat. Hanc adeò ille rem duabus potiſſimùm artibus, duobusque ſuorum conſiliorum certiſſimis & opportuniſſimis adminiſtris vitiis parat, ambitione & auaritia: quorum tantam eſſe vim ſuo ipſe periculo intellexit; vt qui iis tentati ſuperatique fuerint, nullam neque pietatis, neque fidei, neque virtutis, nullam totius denique officij rationem præ ſuis commoditatibus habendam eſſe arbitrentur: ex quo fonte tanta ſcelerum, facinorum, iniuriarum in orbem inundatio, tanta publicarum rerum orta perturbatio eſt. Et profectò difficilis nimium, & deſperanda virtutis ſequendæ via optimo, & pientiſſimo cuique eſſe videri poſſet, ſi tantùm hoc examine, atque his momentis æſtimanda res eſſet. Nam qui ad pietatis normam vitam inſtituere parat, hoc primùm ſecum cogitet neceſſe eſt, magnum bellum inter virtutes & vitia iam inde ab inſtituti mundi initio eſſe; atque alterius quidem partis Deum ſimpliciſſimum & veraciſſimum; alterius verò antiquum illum omnium animantium terræ callidiſſimum ſerpentem Luciferum olim, nunc Sathanam dictum, imperatorem eſſe. Verùm enimuero rem ipſam per diſſimiles atque omnino diſpares milites, belli-
Matth. que duces agi; hinc enim puſillum virorum gregem eſſe natura imbecilliorem, arte & opibus longè minorem, induſtria ſimpliciſſimum, à nocendi ſtudio atque vſu abhorrentem: illinc verò numeroſum filiorum hominum exercitum ferox atque crudele giganteum genus in generatione ſua prudentiſſimum, opibus, potentiaque maximum, ſtudiis feruentiſſimum, & ad gerendam rem promptiſſimum, atque adeò ad ſuum locum, dignitatem, commoditatemque retinendam, atque vlterius etiam augendam & propagandam vehementer animatũ, quodque minoribus, & imbecillioribus, ſuoque iudicio contemptibilibus, abiectiſſimis, & ſtultiſſimis, omnique inopia affectis aduerſariis cedere turpiſſimum ducat. Igitur cum huiuſmodi ſibi aduerſariis rem eſſe cogitare oportet eum, quicunque à vitiis alieniſſimum, & virtuti coniunctiſſimum vitæ genus ſequi in animo ſtatuerit ſuo, ſicut ſcri-
Ephes. 6. ptum eſt: Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli. Hi vtriuſq.

parti

partis Imperatores ſunt;milites verò ex altera acie ij, quos fratres Apoſtolus nominat,ſim- “
pliciſſima gens, atque modeſtiſſima, nihil inter ſe maius, quàm fraternitatis familiarita- “
tem,coæqualitatemque neceſſitudinis affectans.ex altera verò,qui contrà pugnent, quales
quantique hoſtes ſint,ipſe exponit : Quoniam non eſt nobis,inquit, colluctatio aduerſus
carnem & ſanguinem,ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tene- “
brarum harum, ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Cum huiuſmodi porrò aduerſariis hac “
ratione gerendam rem eſſe ſtatuere oportet,vt intelligatur inopia contra copiam; humili- “
tate contra mundi ſplendorem;imbecillitate contra vim & potentiam; raritate cõtra mul-
titudinem & frequentiam;ſumma inuidia contra maximam gratiam; denique ſimplicita-
te & veritate contra calliditatem,aſtum atque dolum eſſe pugnandum. Atque huius rei
periculum in ſe factum poſteritatis memoriæ ad æternum piorum exemplum mandatum
eſſe voluit Amos,quo hoſtiles impetus & conatus omnes, nihil aduerſus veram pientiſſi-
mi hominis fortitudinem,& vitæ, officiique integritatem valere oſtenderet; neque veram
animorum libertatem quorundam hominum ſtudiis,& maximis conatibus præcidi poſſe,
quo minus ſuſceptum ſibi diuino imperio prædicandæ veritatis munus expleatur, ſicut Matth. 10.
ſcriptum eſt: Nolite timere eos qui occidunt corpus,animam autem occidere non poſſunt: “
ſed potius timete eum,qui cùm corpus occiderit,animam etiam in gehennam mittere po- “
teſt. Ex quo conſequitur nullam rem eſſe, quæ fortitudinem , magnitudinemque animi,
grauitatem,patientiam,& humanarum rerum deſpicientiam magis confirmet & ſtabiliat,
quàm Dei timor,antiquis temporibus nunquam ſatis prædicata, noſtris autem diebus ve-
hemenetr deſiderata virtus,de qua ſcriptum eſt: Ego ipſe conſolabor vos: quis tu, vt time- Iſai. 51.
res ab homine mortali, & filio hominis,qui quaſi fœnum ita areſcet? & oblitus es Domini “
factoris tui: qui tetendit cælos & fundauit terram. Hunc adeò longiùs, quàm pro Com- “
mentarij ratione,ſermonem repetere viſum eſt; quòd ipſa Vatis oratio repentè ex vati-
cinio in hiſtoriam mutata id poſtulare videretur: in qua operæpretium cognoſcere eſt,
quemadmodum malitioſum & fraudulentum hominum genus , quibus veritas odio, &
quibus potior priuata commoditas, quàm publica ſalus atque vtilitas eſt , ſimpliciſſimis
& ſanctiſſimis viris,quorum actiones ſuis ſtudiis impedimento eſſe crediderit,inſidiari ſo-
leat;eorumque res omnes,dicta atque facta obſeruare,tempusque callidè aucupari,quo mi-
nori ſui nota, minori populi tumultu,honeſtiori legum,religionis aut iuris, aut maieſtatis
conſeruandæ prætextu,iniuſtè lædere,aperteque poſſit impugnare. Atque id quidem cùm
cauſæ ipſius ſimplicitate & veritate obtenturos ſe ſperare non poſſint, calumnia tamen &
malitioſa quadam rerum ac verborum interpretatione aggrediuntur, cuiuſmodi illud eſt: Matth. 26.
Hic dixit,poſſum deſtruere templum hoc manufactum, & in triduo reædificare illud. Ille “
autem (ſacer hiſtoricus ait)de templo corporis ſui dixerat. Igitur cùm Amaſiæ pontificis “
Bethel atque aliorum hominum animi,quibus tota illa ſuperſtitionis & cultus ratio com-
moda ad ambitionem fouendam exiſtimabatur, ſimplici illa Amoſi Vatis libertate atque
actionibus offenderentur, ſanctiſſimi & integerrimi viri aut vi, aut iudicio euertendi oc-
caſionem captabant:cui vt primùm data eſt,vel leuiſſimæ occurrentes,quanta ſedulitate id
fieri potuit,maleuolentiſſimam obtrectationem,odiumque ſuum,ſi non euentu ipſo,at ta-
men conatu atque diligenti opera patefecerunt: Namque regio Ieroboami nomine in Va-
tis oratione audito,repentè illa tam diu deſiderata commoditas exorta eſt; qua regiæ ma-
ieſtatis cauſam ſuis odiis & commodis prætenderent. Quamobrem quæ priuatis ſui ipſo-
rum nominibus agere hactenus dubitauerant,nunc publico regis nomine apertè atque di-
ligentiſſimè agere incipiunt, quo melius & commodius rebus ſuis cõſulerent, & ſtudium,
diligentiamque ſuam regi ac populo probarent. Cumque maximè propria commoda , &
dignitatem conſeruaſſent, optimè de rege,de principibus , atque de tota republica meriti
eſſe putarentur: Itaque rem ficto officio & maxima cum diligentia Amaſias pontifex agit,
vt nuntiis & literis miſſis , Vatis nomen apud regem de nouarum rerum ſtudio, de læſæ
maieſtatis perfidia deque inſidiis deferat : atque idem ipſe interim Vatẽ quàm tumultuo-
ſiſſimè adortus,regis metu perterrere, & loco cedere, atque officio repellere, ac fugare co-
netur. quam profecto rem ſi is effeciſſet,totam cauſam obtinuiſſe videretur: namque Va-
tis fuga vaticinio fidem,auctoritatemque adimeret, ſuiſque ſtudiis & delationibus, ſimu-
latæque ſedulitati vel maximam afferret. [*Et miſit Amaſias ſacerdos Bethel ad Ieroboam regem.*] Ipſa
res & narrationis ratio Amos Vatem apud Bethel vaticinatũ fuiſſe indicare videtur: quòd
eum locum potiſſimùm ad munus ſuum explendum delegerit, qui maximo ad impieta-
tem conſeruandam Iſraëlitis momento eſſet; quique maxima eius gentis hominum fre-
quentia quotidie celebraretur: atque ita vaticinij & diuinarum reprehenſionum atque mi-
narum notitia plurimis hominum,imò vniuerſæ regioni, communis atque aperta eſſe po-

tuit. Sed illud mirandum eſt, cur tam diu Amaſias, atque illud ſacrificulorum collegiū Vatem aduerſus ſuperſtitionem vna atque altera, & tertia etiam actione orantem paſſus fuerit, cùm veriſimile ſit eos ſtatim primo etiam illius verbo offenſos, quòd ea res ad ſuā ipſorum dignitatem, commodaque minuenda pertinuiſſet: Non enim puto ſi quis temporibus his Vates, aut ſanctiſſimus aliàs vir, vel de corruptis moribus apud noſtros, vel de violata religionis ſocietate & fide apud eos qui à nobis diſſident tanto ſtudio, tam acri, vehementi atque incitata oratione cum multorum qui in culpa eſſent, quorumque res ageretur, offenſione diceret, tam diuturna quorundam hominum patientia vteretur; quibus non tantum quid effici tandem, quantum quid contra eam libertatem moliri tentariq́. poſſe experiundum eſſe exiſtimaretur. Sed nos præter diuinam prouidentiam quæ ſanctiſſimorum hominum rationibus, actionibusque omnibus ſemper adeſt, quorum vel capilli omnes numerati ſunt, neque vnus in terram niſi opportunè & commodè defluere ſinitur. illud etiam arbitramur conſilium quidem & voluntatem Amaſiæ ſacerdoti & ſociis euertendi Vatem nunquam defuiſſe; opportunitatem verò & occaſionem, qua id ſuo maximè cōmodo fieri poſſet, humana quadam prudentia fuiſſe expectatam; eamque vbi ex ſententia nacti eſſent, vt regio nomine, & auctoritate ſuam ipſi rem, ſuamque cauſam tueri & defendere poſſent, diligenter eſſe captam. Neque verò interim vulgi animos ad ſuperſtitionem confirmare deſiſtebant, cùm ea cauſa imperitæ multitudini plauſibilis popularisq́ue magis, quàm vera religio eſſet, & multo plures ſui propugnatores, quàm expugnatores haberet. Aberat autem ab eo loco Ieroboam rex; quæ res maiori commoditati Amaſiæ ſacerdoti fuit, vt ſuſpicionem, indignationemque regiam aduerſus Vatem commoueret: Namque & ſacerdotalis auctoritas, & abſentia, quæ grauiores multo res fingere ſibi ſolet, & primi, tametſi falſi rumores, & nuntij ipſius (quem commodè ad eam rem inſtructum fuiſſe res ipſa docet) oratio perſuadere regi facilè poterant. Magno itaque ſtudio, & excogitato conſilio nuntium à pontifice, cui plurimum tribuebat rex, miſſum eſſe intelligimus; literarum autem, atque allati ad regem nuntij argumentum hoc fuit:

Rebellauit contra te Amos in medio domus Iſraël: non poterit terra ſuſtinere vniuerſos ſermones eius.

HÆC iam iniquiſſimo cuique homini ad calumniam peruulgata & ſatis munita via eſt; innocentis & boni viri negotia, ſermones, & omnem cōſiliorum rationem peruersè inuertere, atque aliter quàm res ipſa habet, interpretari. Omnium quidem quos Amos hactenus habuerat ſermonum, illa breuiter ſumma, atque illud argumentum fuerat: Deum ob violatam religionem officiumque deſertum Iſraëlitis eſſe iratum; quibus niſi ad bonam frugem ſeſe recipere ſtudentibus, graues ad correctionem, deinde grauiſſimæ ad animaduerſionem pœnæ eſſent paratæ. propterea illos à ſe admoneri, & iam liberius etiam accuſari, vt magnum malum vitæ emendatione fugerent; alioqui Deum tandem ſeuerum iudicem experturi, quem clementem interim, vltroque rogantem, miſericordem patrem excipere nollent. eam autem calamitatem omnibus & ſummis & infimis hominibus, & populo & principibus atque regiæ etiam familiæ, quicunque in culpa fuiſſent, communem fore. Hanc adeò totam rationem ita Amaſias mutauit; ita rectam Vatis diſpoſitionem peruersè benedicta malè interpretatus eſt, vt bonum & ſimplicem virum, nihil minus cogitantem, ſeditionis argueret: Nam neq. de religionis inſtauratione, neque de moribus, officioque reſtituendo, quæ plurima & optima dicta, perorataque illi fuerant, vllum verbum, ſed de regis maieſtate, nomineque violato, de populari tumultu & ſeditione quædam falſa narrauit & affirmauit, eaque tragicis amplificauit verbis. [*Rebellauit*, Hebraicè eſt, *Colligauit contra te.*] Coniurationem verbum hoc ſignificat; vt doceret ſceleratiſſimam conſpirationem ab Amoſo paſtore pauperrimo, ſed rei familiaris inopia, & nouarum rerum cupiditate, ac ſpe audaciſſimo fuiſſe conflatam: quæ niſi quàm celerrimè extinguatur, magnum publicis rebus, ſed primum & maximum regi ipſi periculum paritura ſit. namque res neque occulrè iam, neque priuatè agitur, *Sed in medio domus Iſraël, in Bethel*, publico maximè & frequentiſſimo totius regionis loco, ita vt malum ipſum, cuius ſtirpes adeò altæ conſpicuæq́ue eſſent, fundamentum & radices altiores habere videretur: at ne vniuerſa ea regio ſeditionibus & tumultibus turbaretur, vehementer eſſe metuendum. [*Non poterit terra ſuſtinere vniuerſos ſermones eius.*] Adeò, inquit, graues, frequentes, duros, & maleuolos de te ſermones tota Iſraëlitica regio diſſipat, vt fieri non poſſit, quin multorum aduerſum te animi irritentur, & quod malum ille populo tua culpa ferendum prædicit, aliàs eiuſdem ſententia, aliàs ineuitabili tui nece expiandum auertendumque curent: namque tibi in primis cædem, deinde populo captiuitatem minatur; id commune periculum, ſi qui ſunt, qui aut tibi malè velint, qui nonnulli fortaſſis erunt, aut qui ſibi populoque conſultum cupiant,

quos

quos plurimos eſſe neceſſe eſt, vbi primùm turbari res cœperint, tuo vnius capite obiecto vitare cogitabunt.

Hæc enim dicit Amos: In gladio morietur Ieroboam; & Iſraël captiuus migrabit de terra ſua.

VEHEMENTEM regi metum incutere hac ratione Amaſias conatur, vt grauius in Vatem odium ſtruat, & perturbati regis iuſſu celerem, temerariaque ſententia decretam necem innocenti afferat: Nulla enim re magis perturbari potuit rex, quàm intentatæ & procuratæ ſibi mortis nuntio audito; graue enim fuerat populum concitare; grauius maleuolis ſermonibus, & ad nouandas res idoneis terram diſſipare; grauiſſimum autem regi ipſi mortem & ferrum apertè minitari: atque ad eam accelerandam publicæ calamitatis metum populo iniicere. Ita omnis ea quæ ab Amaſia impiiſſimo relata ratio eſt, eò pertinuit, vt regis animum ab omni alia religionis, aut publicæ rei cogitatione ad ſuæ ſalutis curam, atque ad Amoſi odium conuerteret. Tota autem hæc res mendacio, calumnia & dolo nitebatur: neque enim Vates Ieroboamum filium Ioas gladio periturum aut viſione acceperat, aut prædixerat vnquam, ſed tantùm id ſibi oſtenſum affirmauerat, idololatriæ cultores quoſdam cum templis ipſis fore euertendos, atque in Ieroboami domum, non in Ieroboamum ipſum ferro eſſe inuadendum. O execrandam hominum malitiam, quos aduerſus nudam atque apertam veritatem falſitate contendere non pudeat; quam tamen in omnibus locis parum firmamenti, & parum virium habere intelligunt! [*Et Iſraël captiuus ducetur de terra ſua*, Hebraicè eſt, *Et Iſrael migrare migrabit de humo ſua*.] ita vt funditus euellendos abducendoſque Iſraëlitas omnes referret: Namque illa vox ADAMA, pro qua nos humum vertimus, natiuum cuiuſpiam ſolum ſignificat. quod tamen non hactenus Amos prædixerat, aut affirmauerat, ſed Iſraëlitarum partem gladio ab hoſte feriendam ad ceterorum correctionem ſibi viſam eſſe docuerat; idque non vna tantùm expeditione, ſed altera atque altera hoſtes facturos indicauerat: atque ea res perpendiculi imagine oſtenſa eſt. Cùm verò rex ſententiam de hac re ſuam pronuntiare, & Amaſiæ tranſmittere diutius cunctaretur, quòd fortaſſe cauſa ipſa ſapiente iudice, atque æquo quæſitore indigere viſa eſt (neq. enim quicquam ad eum quem acceperant nuntium, à Ieroboamo reſponſum fuiſſe legimus) interea pontifex nouam prohibendi à vaticinio Prophetæ viam munit, non minus illa altera doloſi conſilij plenam: nam qui mittendo ad regem nuntio, ardens regiæ dignitatis & communis populi ſalutis atque pacis ſtudium, fictumque officium ſimulauerat; idem amicè & beneuolè Vatem adortus, loco cedere, officiumque ſuum deſerere ſuadet; vt diſſimulato odio non tam ſuam cauſam agere, quàm Vati proſpicere atque conſulere putaretur; & cui vna regis ſalus curæ eſſe in altero negotio viſa eſt; in hoc nulla neque regiæ dignitatis, neque ſalutis, neque publicæ rei commodi, ſed Vatis tantùm incolumitatis & officij ratio haberi ſimulatur.

Et dixit Amaſias ad Amos: Qui vides, gradere, fuge in terram Iuda: & comede ibi panem, & prophetabis ibi.

IN MISSIS ad regem literis nomen tantùm Amos contemptus cauſa auditur, quod ignominiæ genus & ignobilitatis indicium antiquis fuit nomine tantùm ſuo quemquam dicere. Vt, Nõ eſt hic filius Ioſeph, &c. & mater eius vocatur Maria, & fratres eius, &c. namque infimus ignobilitatis gradus eſt, cùm quis nomen ſolum tuetur ſuum, neque præterquam quòd homo ſit, & Rufus dicatur, aliud quippiam ſplendoris aut à maioribus accepit ſuis, aut ipſe ſibi ſua induſtria peperit. Itaque ad regiam indignationem augendam pertinuit, quòd in illa delatione Amos diceretur. Nunc verò quòd nõ ſuo, ſed muneris & perſonæ quam agebat nomine appelletur, ad fictum honorem, atque doloſam pertinet adulationem. Omnia hæc myſteriis plena, & notatione animaduerſioneque digniſſima ſunt, ſi tantum ingenij & otij nobis eſſet, vt explicare ſingula pro dignitate daretur; ſed doctiſſimis atque pientiſſimis Chriſtianis viris legenda noſtra ſcripta fore ſperamus, quibus nos plurimarum rerum non explicatores, ſed indices præbere ſatis duximus. [*Qui vides.*] Grauiſſimum, magnæque apud ſe auctoritatis prophetæ munus officiumq. eſſe profitetur; quodque ille pro ſua parte omni ſtudio, opera, atque conſilio iuuare & fouere cogitet. Quamobrem cùm per principum potentiam, atque loci importunitatem ſuum munus & diuinum planè & certiſſimum conſtanter & liberè exequi non poſſit, conſultiſſimum ſibi videri, vt mutato tantùm loco, & ſalutem ſuam, & officij auctoritatem tueatur: fieri enim non poſſe, vt in tanta rerum & temporum turbatione, in tanta principum vi atq. potentia perſeuerare ipſe, atque ſuſceptũ negotium tranſigere valeat: quippe quem vel in inſtante iam Iſraëlitis à ſe prædictam famem, vel in regis iram cadere neceſſe ſit. Vtrumuis autem quo minus ille negotio officioque ſuo ſatisfaciat, magno eſſe impedimento. Non ergo ſe illi ne vaticinetur, ne mores hominum reprehendat, ſuadere, ſed vt eò ſe conferat, vbi id quàm commo-

commodiſſimè,& maiori cum vtilitatis ſpe fieri præſtarique poſſet. Commodiſſimũ verò
ad eam rem locum Iudæorum terram eſſe, vbi antiquum adhuc templum magna homi-
num frequentia celebraretur; vbi maior prophetarum copia, maior & ſtudioſior diſcipulo-
rum, qui hos libenter audirent, aſſidueq́. ſequerentur, eſſet numerus; à quibus cõmunis atq.
antiquæ religionis officium repetere integrum foret, quòd illa religionis ratio nondũ ple-
nè eſſet extincta, quando verum Dei nomen iiſdem quibus antea ritibus & ceremoniis co-
leretur; & ſi nonnulla nouè inuecta fuiſſent, quæ dignitatem, officium, moderationem in
priuatis, ciuilibus & ſacris rebus, ſplendorem in publicis nonnihil maculaſſent, ſpem tamen
eſſe eam vitioſam conſuetudinem prophetica diligentia & ſedulitate corrigi & emendari
poſſe. Apud Iſraëlitas verò, inutilem ſuperuacaneumque fore, quicunque à vate vno ſuſci-
peretur, laborem; quando in eum iam locum deducta eſſet res, vt corrigi omnino reſtitui-
que nequiret, quæ non vulgi ſolùm opinionibus corruptis, ſed regia magis potentia atque
auctoritati niteretur. namque eam, quæ in Bethel religionis cauſa frequentabatur ædes, in
quam Vates ipſe acerbius inuehebatur, regis voto & certo conſilio ſacratã, auctam, & ma-
gnis operibus, atque regia etiam arce ornatam eſſe conſtabat; quòd ea maxima & certiſſi-
ma fundandi & ſtabiliendi imperij ſit viſa ratio, quam commutare velle, niſi dominandi
omnino voluntate primùm depoſita, longè ſit difficillimũ; neque verò regibus perſuaderi
facilè poſſe, vt priuatæ vitæ ſtudio coronam deponant, quam ipſi ſummum ſibi bonũ om-
nibus artibus, rationibus, compendiis & diſpendiis, omni etiam nefaria humani atque di-
uini iuris violatione appetendũ exiſtimant. Indignum igitur eſſe tantũ operæ, ſtudij, ſedu-
litatis & negotij aduerſus ſtultum atque obſequentem regi ſuo populum, aduerſuſque po-
tentiſſimum, & propoſiti tenaciſſimum regem, fruſtra à Vate conſumi, quæ minori labore,
certiori exitu ac ſucceſſu, maiori ſui commodo, Iudæis impendi potuiſſent. Hoc argumen-
to, atque his rationibus excogitatum & fucatum ſermonem Amaſias põtifex apud Amos
Vatem habebat: [*Qui vides*, Hebraicè, *Videns*:] Beneuolentiam primùm à ſuo de Vatis offi-
cij ac muneris dignitate atque integritate, iudicio ſimulatè captat; vt ficto ſeſe ſtudio inſi-
nuans, commodius virum decipiat. ſic enim doloſi fraudulentique homines eos quorum
Matth.22. conſiliis, ſaluti, & dignitati maximè inſidiantur, aggredi ſæpe ſolent. cuiuſmodi illud eſt:
» Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo,
&c. Simulat autem Amaſias dolere vehementer ſe, quòd tantus, tam grauis, tantaque au-
ctoritate præditus Vates, qui non quocunque modo, ſed interna viſione à Deo doctus, de
magnis rebus verba faciat, indignam dignitate officioque ſuo ciuitatem, & duram nimium
prouinciam ſuſcepetit: quæ regis potius voluntati & arbitrio, quàm propheticis illius con-
ſiliis & præceptis paritura obediturаque ſit. hortari propterea illum, vt facilem officioſam-
que magis ſibi prouinciam depoſcat & habeat, vbi munere, laboribuſque ſuis commodius
atque vtilius perfungatur. [*Gradere, fuge in terram Iuda*: *Gradere*, Hebraicè, *Veni*.] Hortatio-
nem, excitationemque verbum hoc ſæpiſſimè ſignificat: vt, Venite exultemus Domino,
&c. Studium autem ſuum vehementer illi probare atque perſuadere intendit, hortatus vt
ſeſe in fugam daret; quòd eadem opera, vnoque conſilio & magnum vitæ periculum decli-
nare, & id quod profitebatur ſtudium ac munus exequi commodius poſſet. namque ſi in
ſuſcepta cauſa, propoſitaque Iſraëlis reprehendendi conſilio permanere vellet, incertiſſi-
mo aut nullo potius publicæ vtilitatis, & reſtituendæ religionis, ac morum euentu certiſſi-
mum ſibi periculum eſſet creaturus. Quòd ſi ſeſe ad terram Iuda transferret, minorem illic
hominum pertinaciam, minorem principum iracundiam, maiorem dictis ſuis fidem, cer-
tiore etiam ſuo commodo experiri poſſet. [*Et comede ibi panem, & propheta bis ibi.*] Quoniam
proximam eſſe Iſraëlitis famem annonæque caritatem prædixerat Amos, eam rem vt cer-
tam à ſe exceptam Amaſias arripit, qua vati fugam etiam perſuadeat: quòd nihil aliud præ-
ſtandum illi foret, ſi in Bethel permanere decreuiſſet, quàm vt magno totis diebus repre-
hendendi atque vaticinandi labore conſumpto, ſi non regis gladio, fame tamen & inedia
eſſet periturus. Neque enim à gente tantæ inopiæ tempore cibum ei eſſe ſuppeditandum,
quem omni populo tum ob regis odium, tum ob prædictum & denuntiatum malum inui-
ſum fore neceſſe eſſet. Solet enim vulgus hominum eos qui certiſſima mala publicè denun-
tiarint, perinde quaſi ipſi vltro attulerint, graui odio, ſummaque inuidia proſequi. ex qua
re factum eſt, vt Achab rex Heliam Vatem inimiciſſimè inſectaretur, ſicut ſcriptum eſt:
3.Reg.18. Viuit Dominus Deus tuus, quòd non eſt gens, aut regnum, quò nõ miſerit dominus meus
» te requirẽs; & reſpondentibus omnibus Non eſt hic, adiurauit regna ſingula & gentes, &c.
» Quamobrem ſi hac in qua tibi nihil proficiendum eſt relicta ciuitate & gente, imò toto re-
gno, in Iudam te contuleris; & viuere commodius, & munus tuum liberius, maiorią. cum
fructu & certiori euentu exequi poteris.

Et in Bethel non adijcies vltrà vt prophetes, quoniam ſanctificatio regis eſt, & domus regni eſt.

NAM cùm tanto, tamque aſſiduo ad vaticinandum labore inſumpto nihil hactenus profeceris, quantum portò ſi inſtiteris & contenderis ſis effecturus, ex hoc coniecturam facere licebit; te nimirum duriores hominum ad officium faciendum grauiores & infeſtos magis in te animos, maiorem principum atque regis inuidiam eſſe experturum. Quoniam rex eam ſibi rem acerrimè defendendam iudicabit, quam ipſe tanto ad imperium ſuũ fundandum atque firmandum ſtudio, tantoque molimine inſtituerit. namque primam Bethelicæ ædis religionem ſua ipſe auctoritate auxit, & regio nomine & voto ſanctiſſimam atque auguſtiſſimam populo eſſe voluit: at verò alteram illam ædem, quæ apud Dan conſecrata eſt, populi magis, quàm ſuum monumentum, aut regia appellatione notandum fore curauit: hanc autem cùm ipſe ſibi adoptauerit, magnaque frequentia aſſiduæ ſibi ſupplicationis cauſa inſtituerit, non ſolùm aris, donis & ſimulachris ornauit, ſed regia arce conſtructa illuſtrauit; quod hunc locum & religionis ſibi, & regij ſolij principem eſſe voluerit. Iam verò cùm te non apud Dan, ſed apud Bethel à principio rem geſſiſſe viderit, non iam populi cauſam, ſed ſuam agi interpretabitur rex, neque tam in publicos mores, quàm in ſua vota, inſtituta, imperia, rationesque omnes inuectum eſſe, ſibique hac arte inſidiari putabit: Qui enim Betheli ceremonias, religionemque reprehendit, is regia conſilia, regemque ipſum impugnare videtur. [*Quoniam ſanctificatio regis eſt, & domus regni eſt.*] Priuatis votis & conſiliis regi magis, quàm populo deſtinata: quanquam autem regia Iſraëlitarum vrbs Samaria fuit munitiſſima arce illuſtris, tamen apud Bethel regiam etiam domũ conſtructam à Ieroboamo fuiſſe ex hoc loco docemur, quòd rex hac ratione maiorem religionem atq. admirationem loco apud populum parauerit, & frequentiorem ædẽ curauerit; facilè enim populus, quæ regibus & principibus gratiſſima eſſe intelligit, admiratur, ſicut ſcriptum eſt: In luce facierum regis vita, & voluntas eius ſicut nubes ſerotina. Porrò Bethelis ædem pri- Prou. 13.
uato ſtudio, & regia auctoritate conſecratã à Ieroboamo fuiſſe in hiſtoriis Regũ legimus. 1. Reg. 12.
Altare ſimiliter fecit in Bethel, vt immolaret vitulis quos fabricatus fuerat, cõſtituitque in "
Bethel ſacerdotes excelſorũ quæ fecerat. Et aſcẽdit ſuper altare quod extruxerat in Bethel, "
&c. Itaq. Bethel totius religionis, ſeu potius ſuperſtitionis principẽ locũ, & regio nomine "
dedicatum, regiaque præſentia & frequentia celebrẽ eſſe voluit. Hactenus Amaſiæ oratio eſt, quæ vafrum hominem & aſtutum, callidique conſilij artificem egregium planè arguit; cuius hæc breuiter ſumma eſt: Probari ſibi, admirationiq. eſſe Amoſi vaticinandi ſtudium & officium; moleſtum tamen vehementer eſſe, quòd homo publicæ vtilitatis cupidiſſimus & acerrimus vitiorum inſectator eam nactus fugit prouinciam, quam liberè atque ex ſententia adminiſtrare non queat. hortari ſe propterea illum, vt officioſiorem aliam ſibi depoſcat, in qua officio voluntatique ſuæ melius ſatis facere, & ſaluti ſuæ poſſit conſulere. Ita adeò Amoſi officium non tam ad diuinum imperium, quàm ad Vatis inſtitutum cõſilium & voluntatem refert, quòd ille quanquam diuinitus comparatus ad eam rem fuerit, vt vaticinetur, vt tamen in hoc aut in illo loco munus adminiſtret ſuum, id porrò arbitrij proprij fuerit. Hanc adeò doli & aſtus plenam orationem ſic Amos excepit, atque refellit, vt Amaſiæ conſilium ſibi eſſe perſpectum oſtendat, doceatque neque ſibi aliter quàm hactenus egerit, agere integrum eſſe; neque ab Amaſia ipſo, aut ab alio quopiam homine vlla vi, aut dolo, aut conſilio obſtari poſſe, quo minus intrepidè & conſtanter impoſitũ ſibi onus, quò Deus iuſſerit, perferatur.

Responditq; Amos, & dixit ad Amaſiam: Non ſum propheta, & non ſum filius prophetæ: ſed armentarius ego ſum, vellicans ſycomoros.

QVANQVAM Amoſi officium apertè probare Amaſias videbatur, tamen nimiam prophetandi cupiditatem occultè ſubnotabat, eamque ad ambitionem potius, quàm ad populi corrigendi ſtudium referre viſus eſt; quòd à Vate id negotium quod tranſigi prorſum non poſſe videret, vrgeri tamen & importunè inſtari reprehenderet; idque adeò in Bethel regia maximè ciuitate & regio loco ab illo fieri, propterea quòd nomini ſibi parando, & aucupandæ gloriæ operam nauari intellexiſſet. nam qui huic inhiant, frequentiſſima & celeberrima loca petere plerumque ad eam venandam conſueuêre: cuiuſmodi conſilio cognati atque propinqui Chriſto nominis ſibi & gloriæ popularis parandæ auctores eſſe ſtudebant: Oſtende, inquiunt, teipſum mundo. Ita eadem opera, eadem oratione Luc.
Amaſias officium ſuum ſimulare, & gloriæ cupiditatem obiicere, atque exprobrare Amoſo intendebat: vſqueadeò omnis verſutorum & fallacium hominum fucata & malitioſa oratio veneno plena eſt. Verùm enimuero omnem eam calumniam probè perſpectam ſapientiſſimè diluit Amos; cùm neque ambitione, neque cupiditate ſua, neque vlla planè commo-

commoditate partes illas vltrò ſuſceptas, ſed à Deo cuius imperiũ detrectare nefas ſit, impoſitas fuiſſe confirmet: namque veriſimile non eſſe aliquem hominem id negotium aggredi velle, ad quod nulla arte, nullis opibus instructus fuerit: quòd ſi repentè aggreſſus ſtrenuè gerere videatur, non ad hominis ipſius facultatem, aut ſtudium, ſed ad diuinũ potius conſilium referendum eſſe; ita adeò ſe publicè vaticinari, & vitia hominum reprehendere nunquam in animum inducere potuiſſe, hominem nimirum ab huiuſmodi rationibus, natura, arte, vitæque inſtituto longè alieniſſimum. Neque enim ipſe propheticũ munus profeſſus ab ineunte ætate eſt, vt Samuel, atque alij; neque à maioribus ſuis accepit, aut à præceptore aliquo Vate didicit, quemadmodum cæteri qui prophetarum filij & diſcipuli dicebantur, quos magiſtri diuinam legis interpretationem docentes, ad virtutis ſtudium, atque ad vitia accuſanda & diſſuadenda, pietatemque ſuadendam inſtituebant, eoſdemque plerumque diuinus ſpiritus ad futura, abſentiaque videnda excitabat; vt Heliſeus, atq. Heliſei puer ille in Regum hiſtoriis celebratus. Itaque prophetici muneris auctoritatem & facultatem non ſibi ſtudio, aut inſtitutione, aut alio antiquo nomine fuiſſe comparatam: qui vitæ ſtudio armentarius hactenus fuerit, eaque innocentiſſima arte tenuem victum, qui tamen ſatis ad viuendum homini probo humilique eſſet, parare conſueuiſſet. Eius autẽ ſtudium & facultatem omnem, non alio quàm in vellicandis ſycomoris poſitam fuiſſe, cuius ad munus ſuum opportunè idoneum ſe artificem præbere ſtudebat, eamque opportuniſſimam artem iudicari, ſi creditos ſibi boues quàm optimè paſceret; maximè autem hyeme, cùm deficientibus herbis fronde ſaturanda armenta ſunt: propterea ſe ei rei operã dare ſolitum vt ſycomoros vellicaret, optimuſque eſſet frondator. Hæc cura noſtris paſtoribus vulgò *Ramonear* dicitur. Non eſſe autem vero ſimile hominem eiuſmodi rei intentum id ambitioſè cogitare, quemadmodum ea quam ipſe nunquam fuerat profeſſus, quamque omnino ignorabat, arte, ſeſe frequenti & à ſua conſuetudine alieno populo, regibus atque principibus ſpectandum admirandumque exhiberet. neque tamen mirum videri debere, ſi ex eo vitæ genere atque ſtudio aſſumptus repentè propheta extitiſſet; quando neque id nouum, neque rarum fuerit, vt Deus viros ex gregibus deligat; quibus magnas res gerendas committat, maximaſque de grauiſſimis rebus legationes det. Cuius rei illuſtria exempla in Moſe atque in Dauid ſtatui poſſunt: quorum alterum elegit Deus vt populum ſuũ de mi-

Exod. 1. ſerrima ſeruitute educeret, prophetamque ad eam rem creauit. alterum etiam tulit de gre-

Pſalm. 77. gibus ouium; depoſt fœtantes accepit eum, paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſraël hæredita-

» tem ſuam; cùm nullis illi antea rebus, nullis ad id quod Deus per eos agendum parabat artibus instructi, ornatiue eſſent: namque alter tanto muneri minus ſe idoneum eſſe excuſabat: alter ſe omnium fratrum ſuorum, atque hominum etiam omnium minimum profitebatur, ſolo verò Dei imperio, beneficio & gratia id fuiſſe, quod eſſet, vterque prædicabat. Eodem omnino exemplo, ſimili conſilio ſe, quoniam ita viſum Deo fuiſſet, ad eam quam gerebat rem, legatum eſſe.

Et tulit me Dominus cùm ſequerer gregem, & dixit Dominus ad me: Vade propheta ad populum meum Iſraël.

SIMILI omnino orationis figura parem magnis prophetis auctoritatem muneri, officioque ſuo conciliat: namque alter ex ouibus vel ſe excuſans ad deducendum populum: alter verò ex ouibus etiam tantæ ſeſe rei indignum atque imparẽ profeſſus, ad paſcendum populum ſuum à Deo aſſumpti ſunt. Ita etiam ſe, cùm ſequeretur gregem (quem non ipſe vltrò reliquiſſet) aſſumptum; atque iiſdem quibus illi verbis iuſſum, *Vade & propheta ad populum meum Iſraël.*] Cur autem cùm ſe bubulcum fuerit profeſſus, de grege aſſumptum affirmet, in cauſa eſſe potuit, quòd oues & boues fortaſſe paſcebat; eam autem partem ad rationem ſuam potiſſimum arripuit, quæ cum ipſa quam tuebatur cauſa maximè conueniret: namque paſtorale munus, maximè autem eorum qui ouibus cuſtodiendis & paſcendis præſunt, regendorum populorum ſimillimum eſt: quippe cùm vt paſtores, ſic eos qui publicam rem ſua pro parte gerunt, acri diligentique eorum, quibus præſunt, cura & ſolicitudine teneri oporteat; eò quòd populus ouium gregi ſimillimus ſit, qui niſi alieno conſilio rectè paſcatur & gubernetur, ſuæ tantùm voluntati aut libidini relictus citiſſimè diſperſus,

Marc. 6. atque errans perit, ſicut ſcriptum de vtroque genere eſt: Videns autem turbas miſertus eſt

» eis, quia erant vexati, & iacentes ſicut oues non habentes paſtorem. Atque adeò huiuſmodi artis viros dignos eſſe voluit Deus, quibus publica gerenda committeret; vtpote in minori & leniori re, quantam maioribus curam atque operam impendere oporteret, aſſidua meditatione doctos. Huic ſententiæ perſimile illud eſt, quod piſcatoribus à Chriſto eſt di-

Math. 5. ctum: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. vt oſtenderet eodẽ ſtudio,

eadem omnino,ſed pro rerum æſtimatione maiori auiditate ad piſcandum in cælorum regnum homines,atque ad piſces in vſum & mercem capiendos vti oportere. Itaque dum vitæ artiſque ſuæ humilitate propoſita,appoſitam ſibi latenter ab Amaſia notam ſoluit Amos,maximam,hoc eſt, omnino diuinam muneri ſuo auctoritatẽ conciliat, & maximam de ſe eidem gerendo muneri profitetur fidem, qui non minorem curam & operam in Dei populo,doctrina & orationibus, actionibuſque ſuis docendo, quàm nuper, dum gregẽ ſequeretur paſcendo poſiturus ſit. Neque verò integrũ illi eſſe dum ad Iſraëlitas miſſus fuerit,aliò ſe poſſe conferre,neque ab officio ſuo ſtrennuè & fideliter præſtãdo poſſe ab Amaſia,aut ab alio quopiam homine fallaci & doloſa oratione reuocari, aut vlla ſpe, vel metu propoſito deterreri;neque vllo alio modo,aut humano conſilio,aut vi abduci, quo minus in eum,ad quem miſſus eſt,populum,atque in eos primùm qui contrà conati quicquã fuerint,liberrimè & publicè,quicquid Deus ſuggeſſerit,eloquatur:cuius libertatis atque integritatis periculum ipſe etiam Amaſias faciat neceſſe eſt:cui propria etiam mala & pericula propterea grauius ſubeunda,quòd diuino conſilio per artem,dolum & calumniam obſtare conatus fuerit, denuntiantur.

Et nunc audi verbum Domini.

DIVINAM in populum atque in ſacerdotem ipſum ſententiam , quæ hactenus celata fuerat,pronuntiare ſe velle,hoc dicendi modo oſtendit,& grauiores ſibi maturioresq́. pœnas moliri homines docet,qui vno atque altero, & tertio etiam ſermone admoniti , tamen contumaces eſſe perſeuerauerint, vanoſque eſſe atque irritos contra diuinum conſilium humanos conatus ait,periculoſiſſimamque mortalibus cum Deo contentionem ſuſcipi: qui quanto maiori nitantur vi,tanto grauiori caſu repentè ruunt. culpæ verò ab Amaſia auctæ ſumma, & ſententiæ in eum pronuntiatæ formula hæc ſubiungitur:

Tu dicis, Non prophetabis ſuper domum Iſraël, & non ſtillabis ſuper domum Idoli.

HÆC propriis ſceleribus & ſuperſtitionis ſtudiis addita à pontifice culpa eſt,nõ eſſe priuati cuiuſpiã humani conſilij, ſed diuini imperij, quòd Amos illud aduerſus Iſraëlitas negotium ſuſceperit,abundè docuit:idque facilè ex ipſa hominis conditione cognoſcere Amaſias poſſet,niſi planè ſuperbus & contumax eſſe, atque ſimplici viro aduerſus diuinum imperium excogitato conſilio,atque ficto officio inſidias moliri voluiſſet. Sed cui ex altera parte Deus dixerit,Vade,& propheta ad populum meum Iſraël;ex altera verò pontifex obſtiterit, *Non prophetabis ſuper domum Iſrael, & non ſtillabis ſuper domum Idoli;*] vtrum magis hominibus,quàm Deo auſcultandum ſit, res ipſa, ratioque ſtatuit. Atque ita non ſolùm ſe fidelem & fortiſſimum in gerendo aduerſus populum negotio exhibet,ſed in eodẽ ipſo qui calumnia atque dolo actionibus ſuis intercedere contenderat,liberrimum atque acerrimum muneris auctoritatiſque ſuæ propugnatorem præbet; adeò vt hominem quarto etiam calamitatis priuatæ denũtiato vaticinio excipiat, *Super domum Iſraël.*] Regnum illud ſignificat quod Iſraëlis nomine cenſebatur,atque Samariæ regibus parebat: Idẽ enim fuerat vetuiſſe ne in Bethel vaticinaretur,quia ſanctificatio regis & domus regni erat: atque ne in Iſraëlitas quicquam diceret,apertè vetare. [*Et non ſtillabis ſuper domum idoli.*] Amaſias Bethel dixerat; ſed eo nomine indigniſſimum locum apto vocabulo Vates pronuntiat Domum irriſionis:de quo nomine expoſitum nobis ſuperius eſt.Nam Bethel domum Dei fortis ſignificat. [*Non ſtillabis.*] Ab aquis,ad doctrinam & reprehenſionem huiuſmodi verba non ineptè transferuntur: vt, Quaſi imber ſuper herbam,& quaſi ſtillę ſuper gramina,&c.Quo Deut. 32.
quidem tropo neque vnum verbum aduerſum Bethel dici,neque mutire Vatem Amaſias volebat,ſed vt exceptum ſibi diuinitus ſermonẽ in alios effunderet potius,quàm in Bethelis cultores inſtillaret. Eſt autẽ hæc tranſlatio à pluuiis ſumpta: Nam vt tegulæ effuſo in ſe cælitus imbri,atque deinde ſtillato ſubiecta etiam duriſſima marmora eluunt atq; excedunt: ita accepta diuinitus reprehenſionis verba tentare humanum pectus, niſi planè adamantinum fuerit,vi aſſiduitateque poſſunt.propterea ille dicebat:Concreſcat in pluuia doctrina Deut. 32.
mea,fluat vt ros eloquium meum,&c. Quantum verò Amaſias dum Prophetæ actionibus, & populi correctionibus intercedere ſtudet, priuati incommodi & pœnæ grauiſſimæ præter cæteros ſuſtinendæ ſibi ipſi parauerit,in ipſo orationis epilogo Vates exponit:Quatuor enim aduerſis & grauiſſimis ærumnis afficiendus dicitur,eò quòd quatuor populo à Vatibus obiecta crimina cura atque opera omni fouere & defendere ſtuduerit.

Propter hoc hæc dicit Dominus.

OB EAM, inquit,rem quòd tu non modò iiſdem cum reliquo populo ſceleribus contaminatus alligatuſque fueris, ſed vehementer etiam impedire curaueris, quo minus populus his ſolutus maximo inſtantique periculo liberaretur,propter hoc hæc tibi in primis, deinde populo etiam ipſi Dominus denuntianda mandauit.

Vxor tua in ciuitate fornicabitur, & filij tui & filiæ tuæ in gladio cadent; & humus tua funiculo metietur: & in terra polluta morieris: & Iſraël captiuus migrabit de terra ſua.

QVÆ hactenus prædictæ ſunt calamitates, non omni in vniuerſum populo aduenturæ, ſed partibus tantum quibuſdam ad cæteros ad bonam frugem reuocandos afferendæ fuerant. nunc quoniam populi pertinacia, atque eorum fraude & malitia, quorum fuerat publicæ potius quàm priuatæ rei proſpicere, effectum eſt, vt diuino de correctione conſilio, non modò non pareretur, ſed vehementer etiam obſiſteretur: vltima tandem extremæ atque communis omni populo calamitatis ſententia per Vatem pronuntiatur: ſic tamen vt priuatum, grauiſſimumque iudicium is primus ſubeat, qui perficiendi ſceleris impietatiſque auctor atque dux cæteris fuerit; cuius certiſſimæ pœnæ certiſſimum etiam Dei iudicium & Vatis ſermonem eſſe probabunt. Quatuor autem omnium quæ à Vate noſtro pertractatæ ſunt rerum, & generum, & totius conſilij communes ſummæ fuêre; in primis vt populus ab illo nefario idolorum colendorum ſcelere (quod adulterium in ſacris dicitur libris) ad mentis puritatem, ad veram pietatem, religioniſque diuinæ fidem reuocaretur: deinde vt hoſtilis gladius, bellumque Iſraëlitis impendens perſtringeretur; & regio etiam ipſa ne in hoſtilem veniret poteſtatem defenderetur, ac demum ne Iſraël omnis hoſti victori cederet, captiuuſque abduceretur: namque hæc omnium calamitatum vltima, populum illum malitia & ſcelere obduratum expectabat. Hæc autem omnia quæ Amos actionibus orationibuſque ſuis populo auertenda procurauerat, Amaſias contra, ſtudiis, fraudibus interceſſionibuſque ſuis maturanda curauit, ſingula autem ipſe in ſua ſalute, fortunis & dignitate, priuato & manifeſto Dei iudicio expertus, Amoſi prædicationem, & diuinum de iis rebus conſilium certiſſimum eſſe intellexit. ob defenſam namque populi publicam ſuperſtitionem vxorem ipſe ſuam in vrbe ipſa, antequam abduceretur, publicè adulterorum libidini obſequentem aſpexit: id quod grauiſſimum & turpiſſimum viro fuit: nam ſi ab hoſte abducta corrumperetur, ignominia cùm communis ferè omnibus captiuis mulieribus ſit, minus grauis ſingulis illarum maritis videri poſſet. Huius verò ſacerdotis vxor in vrbe ipſa, libera adhuc & ſuæ ſpontis, hac virum ſuum contumelia affecit, vt adultero morem vltro gerens ſuccumberet, ſiue is ex hoſtibus aliquis, ſiue potius ciuis fuiſſet. Non enim ait,
Threa. 5. vxor tua in vrbe affligetur, ſicut & aliàs Vates ille deplorabat: Mulieres in Sion humiliaue-
„ runt, & virgines in ciuitatibus Iuda: ſed vxor, inquit, tua in ciuitate fornicabitur: vt nõ coa-
„ ctum, ſed admiſſum ſtuprum ſignificaret. Quoniam verò inſtantia Iſraëlitis mala hoſtilis gladius, regionis occupatio, & plena atque integra totius gentis abductio leuiora viſa Amaſiæ ſunt, quàm vt ea ſuorum etiam commodorum iactura auertere & deprecari ſtatuiſſet; ob eam rem ſimilia in ſe, familia rebuſque ſuis diuina iudicia priuatè experturus ipſe eſt: namque filios ſuos & filias hoſtili gladio confoſſos viuens ipſe, & duriſſimo perturbatus ſpectaculo videbit, nec non terram, agros & fundos quibus filiorum patrimonium confirmatum iri ſperauerat, alienis occupatos gentibus, in poteſtatem vſumque ceſſiſſe intelliget. Quandoquidem omnis Iſraëlitarũ ager gentibus iis, quas Aſſyrius rex vt Samariam incolerent deduxit, diſtribuendus fuerat: Ipſe autem Amaſias ignominia primùm; deinde orbitate, ac præterea egeſtate ſumma affectus, æterna captiuitate mulctandus erat, vt in moleſtiſſima ſuarum rerum, fortunarum, & familiarium omnium recordatione & deſiderio perpetua ſuorum maleficiorum conſcientia oppreſſus, fœdiſſimam ac miſerrimam vitam ageret; quam nec honeſta morte commutare, nec honeſto loco finire licebit; ſed in terra polluta morituro patria & funeris pompa carendum eſt. Itaque omnibus in vniuerſum miſeriis, in quas vt citius & certius populus incideret, auctor ipſe ferè & impulſor fuerit, coopertum ſeſeque obrutum ſentiet: atque id demum accipit quod ipſe ad inuidiam Vati faciendam confinxerat (non ob id quod Vates voluerit, ſed quod ipſe vt eueniret commiſerit) certiſſimum fore: nimirum Iſraël de terra ſua migraturum, id quod nunquã ab Amoſo prolatum ad regem ille falsò detulerat; atque hoc commento ne Iſraël ad pœnitentiam reuocaretur, laborauerat. Vnde efficiendum erat vt certa & communis captiuitatis calamitas, omnem Iſraëlitarum rempublicam iuſtiſſimo Dei iudicio oppreſſura eſſet: ita adeo quod nondum ab Amoſo viſum aut prædictum fuerat; à pontifice ipſo populo ſiniſtrè inauguratum, & non ſolum conſiliis, ſed ſtudiis procuratum populo malum, à Vate tandem inaugurantis culpa certum fore confirmatur. [*Et Iſraël captiuus migrabit de terra ſua.*] Tu dixiſti falsò, procuraſti ſeriò; eueniet igitur. Quæ res vt non minori quàm cæteræ auctoritate firmaretur, viſione ſibi præcepta à Vate oſtenditur: quam ſubiecto ſermone & capite explicat.

CAPVT OCTAVVM.

HÆC *oſtendit mihi Dominus; & ecce vncinus pomorum; & dixit: Quid tu vides Amos? & dixi, Vncinum pomorum.*

QVARTA demum viſione, atque illius diuina interpretatione totius populi repudiationem ſibi monſtratam docet Amos; quæ vt quàm certiſſima & celerrima eſſet, peruerſis populi ſtudiis & præpoſteris pontificis Amaſiæ conſiliis, atque omnium denique culpa effectum fuerat. Ea verò admiranda quadam imagine, & quæ Deo interprete indigeret, oſtēſa eſt: namque id, prætorquam quod tranſlationibus & imaginibus tranſigitur, vt illud quod ſuperius de perpendiculo & muro monſtratum fuit, diuina etiam interrogatio non ad imaginem ipſam, ſed ad aliam ſignificationem referendum eſſe declarat. Etenim prioribus duobus ſpectris fames & peſtis ipſa forma, atque ipſa tantùm imagine à Vate cognitæ, ſuis etiam nominibus dictæ, prænuntiatæque ſunt. poſterioribus verò duobus alia conſpecta, alia autem ſunt ſignificata: namque in altero quorundam tantùm populorum captiuitates hoſtili gladio parandæ, atque cædem iuſto Dei iudicio decretæ, vati fuerant demonſtratæ: quæ omnia eò pertinebant, vt qui reliquus eſſet populus, tot tandem periculis reſipiſceret, atque ſibi cauere inciperet. Nunc verò altero hoc ſpectro contumaci, & ſuperbæ genti communis belli atque captiuitatis dies, iſque certa ſententia deſtinatus denuntiatur: quem ita breuem fore viſio ipſa docet, vt nullo quærendæ euaſionis, aut capiendi conſilij relicto ſpacio, ſerò etiam ſapientes opprimat. Hanc adeò rem omnem Vates Amaſiæ expoſuit, vt prædictam Iſraëlis è terra ſua migrationem confirmaret.

[*Et ecce vncinus pomorum.*] Vncinum vaſis genus fructibus continendis idoneum interpretemur oportet; & poma non omnia, ſed æſtiua tantùm Amoſo viſa eſſe definiamus. namque id ipſa tum verborum ratio, tum diuina interpretatio declarat. Hic locus Hebraicè ſic legitur ad verbum, *& ecce caniſtrum æſtiuorum*; Chaldaicè ſic: *& ecce vas plenum fructibus æſtiuis.*] Vt autem plenius ac melius viſionis nobis tractari ſignificatio poſſit, earum quæ oſtenſæ ſunt rerum, breuiter primùm ex verbis ipſis reddenda ratio eſt. Igitur vas illud quod à Chaldæo interprete *Maan*; à Græco ἄγγος; à veteri Latino vncinus dictum eſt, Hebraicè dicitur *Chelub.* כלוב
Eſt autem Chelub (vt ex plurium locorum notatione obſeruabimus) vaſis genus, anguſtiori ſuperius, latiori inferius ſpacio conſtans, quacunque ex materia id, ſiue viminea, vt plurimum, ſiue lignea, ſiue linea ſit: namque ex omnibus his rebus fieri olim ſolêre obſeruauimus, & noſtra etiam ætate factum vidimus. Ea autem vaſis forma commodè excipiendis, & fideliter retinendis rebus apta, aucupis & piſcatoris fiſcellæ, paſtorum etiam mulctræ, nec non & ruſticorum caniſtra ad excerptos fructus excipiendos conſtabant: nam & Ierem. 5.
Ieremias Chelub auibus plenum dixit: & Amos Chelub æſtiuis plenū bis dixit. Quoniam
verò paſtorum mulctra, huius etiam formæ erat: propterea à Græco interprete vtramque vaſis partem, & figuram, & materiam ſignificare volente tranſlatum eſt ἄγγος ἰξευτοῦ, aucupis mulctra. Huiuſmodi vaſa ex lineis funiculis reticulato opere contexta, ruſtici in Italia zonis appenſa geſtant; quibus quas ceperunt auiculas viuas, aut ex arboribus decerptos fructus, excipiunt. Atque hæc nunc quidem de vncino nobis dixiſſe ſatis fuerit, fuſius aliàs de toto hoc vaſorum genere, ſi Deus annuerit, diſſerturis. De pomis verò ipſis nonnihil explicemus. Fructuum qui ex arboribus percipiuntur, duo genera ex temporum ratione ſunt; alterum quod æſtate; alterum verò quod Autumno matureſcit. Ex autumnalibus nonnulli citò pereunt; quidam autem diutius aſſeruantur: vt vuæ penſiles; poma & pyra quædam, & nucum varia genera; maximè autem quæ iuglandes dicuntur. præter quos fructus qui ſeruari recondique in hyemem poſſunt, cæteri omnes à medicis fugaces vocantur, quibus humidior, minuſque probè coctus eſt ſuccus. Inter fugaces verò ij, qui æſtate proueniunt, celerrimi, fugaciſſimique ſunt; cuius generis ficus præcox, & cerasum; & ex prunis plurima eſſe videmus. Atque ij fructus cùm primùm matureſcere incipiunt, rari admodum decerpi, cariuſque vendi ſolent; ſed exiguo temporis ſpacio (quoniam feſtini ſunt nimium & plenè ſimul vnumquodque genus matureſcit) & copioſiſſimè decerpuntur, & viliſſimo veneunt pretio: adeò vt tanti maturrimorum caniſtrum, quanti antea ex iis, quæ tum primùm matureſcebant, libra vna æſtimetur: quæ ſi diutius in arbore ſua hærere ſinantur, celerrimè computreſcunt & pereunt. Id adeò nimio æſtatis calore & immodico fructuum ipſorum humore efficitur: quòd vtraque hæc natura, ſi modum exceſſerit, facilè corruptionem rebus afferat. Ita qui primùm rari fructus, carè vendebantur, mox vili paſſim venduntur; atque breui deinde tempore planè deſiderantur. nulli enim in arboribus relinquuntur,

Mich.7. quin aut decerpti, aut auibus deuorati, aut citiſſimè ſint corrupti. qua de re & Michæas di-
» xit: Hei mihi, quia factus ſum vt fructus æſtiui. Atque adeò hoc genus feſtinorũ fructuum
» omne, æſtiuum Hebraicè dicitur. Eſt autem Hebraicè nomen *Kaiſz*, quod æſtatem ſignifi-
קץ cat; à verbo deductum quod finire, metere & intercipere ſignificat. Vnde pro Æſtate *Kaiſz*:
pro fine verò alicuius rei *Keſz* dicimus; ex eodem vt videtur themate vtraque vox deducta
eſt. meminiſſe autem vtriuſque verbi *Kaiſz* & *Keſz* propterea refert, quòd præter natu-
ram ipſam rerum, diuina etiam interpretatio vocum annominatione explicatur: neque ad
orationis modò ſuauitatem, ſed ad ſententiam explicandam Hebraicæ linguæ cognitio
hoc in loco, quemadmodum & in plurimis aliis, neceſſaria eſt. Igitur plena atque integra
totius populi abductio Vati hoc ſpectro oſtenſa eſt: quam citò admodum futuram ipſa
verbi appellatione Deus docuit: Nam quos in ſuperiori proximo oſtento, non omnes, ſed
quoſdam hoſtili gladio feriendos, perpendiculi imagine viderat, eoſdem vt æſtiuos fructus
maturos iam nimium, feſtinanterque ne putreſcerent decerptos, pleno anguſti oris cani-
ſtro, vt neque vnus exilire poſſit, concluſos, vendendos eſſe, tradendoſque videt. Id autem
quàm citò futurum eſſet, quod viſione percipere non poterat, ſed nomine appellato doce-
ri, edoctus à Deo eſt. Viſionis ergo imaginem rurſus ante oculos conſtituamus.

Ecce vncinus pomorum. & dixit: Quid tu vides Amos? & dixi: Vncinum Kaiſz: Et dixit mihi: Venit Keſz ſuper populum meum Iſrael: non adijciam vltrà vt pertranſeam eum.

VT *Ecce* apud Latinos, ſic & quæ huic apud Hebræos reſpondet vox rem admiratione
excipiendam indicat. [*Vncinum Kaiſz: & dixit mihi, Venit Keſz ſuper populum meum Iſrael.*] Quæ ex
nominibus & verbis ſimilitudine aliqua deducũtur figuræ, & aures in ſe vertere, & animos
Quintilian. lib.9. cap.3. excitare ſolent; & ad rerum memoriam conſeruandam plurimum valent: atque ex hoc a-
liiſque locis docemur, maximam, grauiſſimamque diuinorum verborum rationem eſſe o-
portere; nullumque temerè dictum exiſtimari fas eſſe: ſed cùm aliter dici fortaſſe poſſet,
cur non aliter dictum ſit, magnam aliquam cauſam ſubeſſe, ne quis diuina verba pro arbi-
trio aut libidine mutanda, inuertenda, aut inconſtanter explicanda eſſe putet; alioquin ma-
gnum iudiciũ ſubiturus: id quod Moſes & Aaron non intellexêre modò, ſed ſenſêre etiam
quibus quòd apud aquas contradictionis diuina verba inuertere, minus religioſa res viſa
fuit, promiſſam in patriam, feliciſſimamque illam in regionem ingreſſio negata eſt, Ma-
gnam ergo in diuinis ſuſcipiendis, explicandiſque verbis oportet eſſe religionem: mul-
tum enim ad rerum myſteria cognoſcenda verborum etiam cognitio confert; atque inter-
dum quæ in rebus non ſatis plenè oſtenditur res, certo addito verbo explicatur. Viderat
quidem Amos populum plenè abducendum, & in caniſtra jam conjectum. quàm citò au-
tem id futurum eſſet, vocis interpretatione doctus à Deo eſt: Nam fructus *kaiſz* cognoue-
rat quidem, ſed *kaiſz* ad *keſz*, hoc eſt finem, pertinere minus fortaſſe, niſi Deus explicuiſſet,
animaduertebat. Ex hoc ergo finem populo adeſſe iamque inſtare intellexit, certamque
Dei de populo repudiando eſſe ſententiã. cuiuſmodi verò finis futurus ille eſſet, & cui po-
tiſſimùm rei exitum eſſet allaturus, ipſe exponit Deus: *Finis ſuper populum meum Iſraël.*] Non
quòd Iſraël defecturus ſic omnino ſit, vt gens eſſe deſinat; ſed ne Dei populus amplius ſit:
Namque Iſraëlitæ ex quo Samaria capta, abducti fuerunt, præter paucos qui Apoſtolorum
prædicatione Euangelio obedierunt, & nonnullos etiam qui ad hæc vſque tempora rari, ad
Chriſtianam pietatem colendam accedunt; cæteri omnes, quorum incredibilis numerus
eſt, à Deo reprobati, repudiatique ob propria ipſorum ſcelera, atque incredulitatem fuêre;
non antea diuina miſericordia in gratiam plenè reſtituendi, quàm plenitudo gentium fue-
Rom.11. rit admiſſa. Atque Iſraëlitarum populus multò antè quàm Iudæorum repudiatus eſt, quòd
maioribus multò, & diuturnioribus ſceleribus eſſet alligatus. Iudæorum verò gens quòd
grauiſſimis culpis, longè verò minoribus teneretur, caſtigata quidẽ Babylonica illa ſeptua-
ginta annorum captiuitate fuit, excluſa autem & repudiata ne populus Dei eſſet nõ prius
fuit, quàm dixerit: Nolumus hunc regnare ſuper nos: &, Non habemus regem niſi Cæſarẽ.
Tunc enim adimpletum eſt quod ſcriptum fuerat per Prophetam, dicentem: Reliqui do-
Ierem.12. mum meam: dimiſi hæreditatem meam: dedi dilectam animæ meæ in manum inimico-
rum eius: facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſilua; dedit contra me vocem ſuam, di-
cens: Tolle, tolle, crucifige eum: Ideò odiui eam. Hæc de Iudæorũ reprobatione prædicta,
& tandem præſtita ſunt. ſed quæ à Vate noſtro hoc in loco diuinis verbis referuntur, ad de-
cem tribuum captiuitatem & reprobationem pertinent. [*Non adijciam vltra vt pertranſeam
eum*, Hebraicè eſt, *vt tranſeam illi*;] hoc eſt, vt antè diximus, vt tot illi ſcelera, tantamque per-
tinaciam impunè ſuſceptam fuiſſe diſſimulem; atque vrgeri hæc ab illis vlteriuſque pro-
moueri permittam: ſed quem tantæ impietati & ſuperſtitionibus prouehendis finem, illi
duin

dum in regione ſua eſſent facere noluerunt, cum ego, inquit Deus, cum maximo ſuo malo faciam: ita vt omnia quæ iucunda iſtis in hac re fuerint, in contrarium omnino vſum commutentur. nam pro maxima voluptate, pro ludis, & feſtiuis cantibus, pro ſumma lætitia, ſummum illi dolorem, luctum, & gemitum, atque eiulatum, & ſummam experientur mœſtitiam.

Et ſtridebunt cardines templi in die illa, dicit Dominus Deus.

QVID cardines templi hoc in loco Latinè ſignificare velint, Hebraicum exemplar atque Chaldaica interpretatio apertè docet, hoc modo: *Et vlulabunt cantica templi.* Chaldaicè ſic: *& vlulabunt pro cantico in ædibus ſuis.* Græca verò verſio non longè ab hac ratione abeſt: *& eiulabunt laqueária templi.*] Hæc adeò oratio ſeram pœnitudinem, & priorum ſtudiorum damnationem, atque importunam nimis rerum mutationem ſignificat: Namque gemitibus & muliebri eiulatu omnia loca implenda eſſe, & canticis quibus nefaria illa fana ſtrepere ſolebant, luctum & lamentationem ſucceſſuram prædicit. neque verò priuatè quibuſdam tantùm, ſed omnibus in vniuerſum per omnia loca calamitatem futuram: nullum enim angulũ tam reconditũ fore, quò non captiuitas & cædes penetratura ſit; in illa die quæ populo abducendo & repudiando conſtituta eſt; ita vt certus euentus certæ diuinæ conueniat ſententiæ. [*dicit Dominus Deus.*] Qui quòd Deus ſit dictis conuentisque conſtare; quòd verò Dominus, quæ dixerit efficere plenè ſolet, neque vlla aliena ratione, aut vlla vi detineri poteſt, quo minus amplitudinẽ atque dignitatem ſuam & promiſſorum euentu, & iudiciorum exercitatione atque editione tueatur. Quàm verò communis omnibus illa clades futura eſſet, quæ integram populi à Deo abdicationem & reprobationem teſtaretur, certo atque horrendo ad eam diem dato ſigno prædixit: ὀλολύξει τὰ φατνώματα τοῦ ναοῦ.

Multi morientur, in omni loco proijcientur. Silentium. Hebraicè clariùs: *Multum cadaueris in omni loco proijciet. Tace.*

NVLLVM locum à cęde immunem, aut cadaueribus vacuum futurum eſſe, ſed omnia paſſim proiectis & temerè iacentibus eſſe complenda, quæ Deus ille ac Dominus qui hæc prædixerit, efficiet. Illius namque conſilium & iudicium inhumata frequentia corpora vbique teſtabuntur. Idem etenim in æſtiuis fructibus euenit, vt dũ caniſtra implentur, multi etiam decerpentium tumultu, & ramorum concuſſione & motione decidant, qui maturrimi omnium erant, atque ij neglecti paſſim ſub arbore iaceant, & computreſcant, neque in vſum aut eſum à quopiam legantur: ſic etiam multa paſſim bello occiſorum corpora ab hoſte proſtrata iacebunt; idq; adeò in omni loco, neque à ſuis, neq. ab hoſtibus ſepelienda. Id verò non caſu aliquo, ſed certo prædicentis Dei conſilio cùm euenerit: certũ Prophetæ vaticinium confirmabit, atque eo euentu rationes ſuas omnes, officiiq́ue ſui auctoritatem conſtituendam fore confirmat Amos, neque vllum alium diſputandi locum Amaſiæ pontifici maleuolentiſſimo & aſtutiſſimo rerum ſuarum obtrectatori relinquit, ſed ſilentium catenus indicit, quoad euentus ipſe malorum ſuas partes rationesque conſolidet. *Silentium.* Taceto, inquit, tu, & prædictionum mearum finem expectato, quando hoc ſolùm apud te, atq. apud populum mea oratio valuit, vt euentu ipſo probanda eſſet, cùm quæ à me dicta antehac fuerãt, non eò pertinebant vt re ipſa atque euentu malum populo prædictum firmaretur, ſed vt expiaretur potius, atque pœnitentia, precibus, votis, & veræ pietatis inſtaurato ſtudio auerteretur. *Tace*, vox eſt eorum qui quæ comminati ſunt, certiſſima fore confirmant, atque ad expectandos rerum exitus commodè vſurpatur: vt, Sileat omnis caro à Zach. 2.
" facie Domini, quia ſurrexit de habitaculo ſancto ſuo. Atque hoc quidem verbo grauiſſi-
" mum illud auctoritatis genus Vates indicauit, quo dictis ſuis fidem aliquando facere Deus ſolet: Diuinorum namq. vatum apud populũ probandorum auctoritas antiquioris teſtamenti ætate ad tres potiſſimùm rationes reuocata eſt; ex quibus duæ vaticinium præcedebant; tertia autem interdum ſubſequebatur. Vnum quidem genus miracula & ſigna fuerunt, quæ à Vate dicendis grauiſſimo teſtimonio eſſe potuêre: alterum verò genus rerum quæ dicerentur ratio fuit; quæ, ſi cum diuina lege planè conueniret, grauiſſima populo & diuina prorſus eſſe, haberiq. debuit. de quibus generibus ſcriptum eſt: Si ſurrexerit in medio tui Prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat & prædixerit ſignum atque portentum; & euenerit quod loquutus eſt, & dixerit tibi: Eamus & ſequamur Deos alienos (quos ignoras) & ſeruiamus eis: non audies verba Prophetæ illius, &c. Quo præcepto boni atque veracis prophetæ auctoritatem & ſignis, & orationis ad pietatem pertinẽtis rationibus definire docemur. Verùm enimuero ſi quis fortaſſe fuerit apud quem vtraque hæc probandorum vatum ratio minus momenti habuiſſe viſa ſit (quæ quorundam hominum malitia & pertinacia eſt) alia durior multo ad firmandam vatibus auctoritatem via eſt munita. pœnis enim & ſupplicijs res agi ſolet, vt qui monentem & ad officium reuocantem Deut. 13.

 Dei

Dei legatum legitimè ſuſcipere noluerint, ſuo magno malo non vanum fuiſſe ſentiant, ſicut ſcriptum eſt: Si enim qui per angelos dictus eſt ſermo firmus factus eſt, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem, &c. Igitur quarta hæc viſio tribus illis quæ præceſſerunt propterea coniuncta non eſt, quòd illæ ad certam quandam correctionem; hæc verò ad communem extremam ſtragem pertineat; quam propterea edere & explicare Vates voluit, quòd Amaſiæ calumniis, & inuidioſis atque doloſis orationibus reſpondere ille neceſſariò ad ſuam legationem confirmandam debuit. Atque adeò hoc quartæ viſionis oraculum, quo fidem, auctoritatemque ſuam contumacibus & impiiſſimis hominibus probatum iri Vates prædixerat, non apud Iſraëlitas modò, ſed apud Iudæos etiam notum peruulgatumque fuit; vt Iſaiæ vati ad eandem prædicendam iecerit fundamentum. namque ab eo anno quo Amos vaticinatus eſt, numerum illum confici cœptum eſſe in Hebræis annalibus legimus. De quo numero ſic ſcriptum eſt: Adhuc enim quinque & ſexaginti anni, & deſinet Ephraim eſſe populus. Eam annorum rationem à vaticiniis Amos, qui vidit duobus annis ante terræmotum, ducendam eſſe, eius libri qui Seder-Gholam inſcribitur auctores tradidêre, cùm dictum huic vati ſit: Et Iſraël captiuus ducetur de terra ſua.

Hebr. 2. | Lib. de ſerie mundi. | Iſai. 7.

Audite hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos, dicentes.

RVRSVS eam ad populum orationem quam Amaſias interruperat, Amos continuat, & grauiſſimis ſententiis exaggerat; cauſamque oſtendit quamobrem extrema in omnem populum, etiam in plebem ſententia decreta ſit: quòd ſcilicet omnes ad iniuriam faciendam omni ſtudio atque opera ſint intenti; neque ſolùm principes, & magiſtratus, ſed priuati etiam homines ſeſe iniuriarum alligauerint. Namque omnes eadem auaritia & cupiditate eò vſq. flagrant, vt pietatem, æquitatem, fidemque omnem tum priuatè, tum publicè prodant & violent. neque minus ardenti & incenſo ſtudio fraudem atque fallaciam in communi vitæ conſuetudine, & à popularibus, quàm à potentioribus iniuriam ſuſcipi ſolêre: ſed vnumquemque rem ſuam per fas & nefas augendi cupidum, in eos, qui aut opibus, aut dignitate ſunt inferiores, iniquè graſſari. Etenim ad hominum inter ſe coniunctionem ſocietatemque ſeruandam duplex iuſtitiæ pars accommodatur; altera, qua ab omnibus paſſim, & ab vnoquoque iniuriam propulſamus, ſalutemque defendimus; altera, qua fortunæ, & vniuſcuiuſque res conſeruantur. Vtraque autem pars tum naturali iure, tum quibuſdam legibus conſtitutis, quemadmodum fieri rectè poſſit, explicatur. Ac de priori quidem parte tractanda, curanda & vindicanda, auctoritas & poteſtas ſumma regibus, principibus & magiſtratibus tradita eſt. poſterioris verò exercendæ, plebi etiam ipſi, & priuatis hominibus propria cura officiumque demandatum eſt. Suam igitur vtriſque & magiſtratui & populo partem, ſanctè, piè atque ſincerè coli conſentaneum eſt, quam quocunque modo violaſſe maximum flagitium fuerit. Summum autem publicæ æquitatis ius, auaritiæ & priuatorum cuiuſque commodorum cauſa, tum à magiſtratu, tum à populo violari ſæpe ſolet, quæ res diuinis præceptis diligētiſſimè cauetur. Hæc enim dicit Dominus Deus: Sufficiat vobis, principes Iſraël, iniquitatē & rapinas intermittite, & iudicium & iuſtitiam facite; ſeparate confinia veſtra à populo meo, ait Dominus Deus. Statera iuſta, & ephi iuſtum, & batus iuſtus erit vobis. Siclus autem viginti obolos habet, &c. Quo in loco ſuum vtrique parti, & magiſtratibus & populo commendatur officiū. Igitur noſter Amos communem populo Iſraëlitico calamitatem fore prædicit; proptereaquòd non minori ſtudio, neq. leuiori flagitio ſua populo fides & cauſa, quàm magiſtratibus ſua prodita fuerit. Omnes enim à minimo vſque ad maximum cum ſumma pauperiorum iniuria & oppreſſione auaritiæ ſtudent: atque magiſtratus quidem & Reip. miniſtros iam in primis actionibus iniuriarum damnauerat Amos: nunc verò populum ipſum in idem crimen vocat; quem ſuæ cauſæ audiendæ intereſſe attendereque vult, quando non priuato odio, aut occulta calumnia; ſed æquiſſimo iure cauſam ſibi aduerſus illos agendā diuino iuſſu ſuſceperit. [*Audite hac qui conteritis pauperem.*] Attentionem populo parat, atque eadem opera actionis ſuæ aduerſus illos æquitatem probat. [*qui conteritis pauperem.*] Non ſecus atque imbecilles à victoribus hoſtes, à ditioribus pauperiores homines in malè gubernata Repub. tractantur: namque & fortunis omnibus per calumniam vel fraudem expoliati, aut libertatem interdum amittere, aut deſerta patria migrare coguntur. Nam qui cupiendi nullum finem faciunt; iidem fallendi & lædendi modum nullum habent.

Cic. lib. 1. offic. | Ezech. 45.

Horat. lib. 2. Od. 18.

Quid quod vſque proximos
Reuellis agri terminos? & vltra
Limites clientum
Salis auarus? pellitur paternos
In ſinu ferens Deos
Et vxor, & vir, ſordidoſq; natos.

Sic ille hominum in pauperiorum fortunas accuſabat inſidias, quòd ſcilicet quidam nullum

lum aliis locum ſupereſſe, ſed totam omnino terram ſibi non ad vſum, ſed ad delicias, ad immoderatæ cupiditatis abuſum cedere velint. Væ, inquit, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis: an vos ſoli habitabitis terram? hoc eſt quod hoc in loco dicit: *Conteritis & deficere facitis*.] Namque aſſidua deceptione tenues alioqui pauperiorum res ita atteruntur, vt tandem abſumptæ dominum tantis miſeriis cedere, migrareque cogant. [*Egenos terræ*.] Affectum habet oratio, miſeriarumque rationem atque indignitatem amplificat: Hebraicè eſt, *afflictos terræ*: eosque ſignificat, qui neminem ſuarum fortunarũ propugnatorem habent; quos multis modis, multisq. impugnatoribus infeſtari indigniſſimum ſit. Terræ verò poſſeſſionem illis adſcribit: namque ea communis incolarum omnium mater eſt. ſi qui dignitate & opibus careant, miſerum ducunt: ſed terræ etiam vſu carere, ea extrema miſeria eſt. Quibus autem modis à ditioribus pauperiores opprimerentur, ſubiecta narratione exponit; in qua voluntatem & facultatem ad id non magis illis in ſuo prodendo officio, quàm magiſtratibus in ſuo defuiſſe arguit.

Dicentes: Quando tranſibit menſis, & venundabimus merces; & Sabbathum, & aperiemus frumentum.

STVDIVM & voluntatem illorum erga pauperes auaritiæ cauſa opprimendos hac inductione Vates oſtendit, quòd nihil illis magis in votis eſſet, quàm vt nulla alia vitę victuſque commoditas pauperibus eſſet, niſi quantum ab illis ſuppeditari potuiſſet; idque cariſſimo pretio: quoniam hoc modo exigua frumenti menſura pauperum pecunias omnes, artificia, & operas facilè ſibi ditiores comparabant. Cùm enim pauperibus nihil frumenti ad viuendum eſſet, ab iis quibus eſſet, emere neceſſe erat; idque eo pretio quod illi ſtatuiſſent. Ex ea re conſequebatur vt quicquid ſupellectilis in pauperum domibus eſſet, aut pignoris, aut pretij nomine ad ditiores transferretur: deinde ſi quid artis & operæ ſupereſſet, id totum pro frumento diuitibus locaretur. atque eo modò locupletum diuitiæ aſſidua acceſſione quotidie augebantur; pauperum verò res magis indies detritæ, tãdem aſſumebantur. Eſt autem diuitibus adeò iucunda quotidiani lucri acceſſio, etiam cum pauperum detrimento; vt ſi qua intermiſſio fiat, id damno ſeu iacturæ potius ſibi eſſe ducant, atque omni etiam fraude reſarciendum putent; ad eamque expediendam commoditatem tempus ſibi dari cupiant, atque interea quemadmodum id vel leue compendium maxima etiam fraude commutetur, diligenti ſtudio & cura excogitent. Huius verò tam peruerſi hominum ob auaritiam ſtudij exemplum; in Iſraëlitis exprimit Amos, qui vehementer cauebant, ne qua frumenti copia pauperiori populo aliunde, quàm ex ſe eſſet, vt eum faciliùs & commodiùs expilare expoliareque poſſent. quoniam verò meſſis tempore nonnihil frumenti pauperibus ſuppetebat; quòd temerè iacentes ſpicas, aut quæ meſſoris manum fugiſſent, aut finire opus cupientis, & feſtinantis oculos feſelliſſent, in alieno agro diuina lege & moribus ſibi legere cuilibet liceret, qua vel eius mẽſis inopiæ ſuccurreretur; id tempus ditioribus, fœneratoribus, vſurariis, & iis qui frumentum vendere ſolebant inuiſum, importunumque & ſuæ cupiditati impedimentum nimis etiam longum, quamuis breuiſſimum eſſet, videbatur; adeò vt cùm menſis eſſet, annus illis præ cupiditate & tædio iudicaretur. cuius affectionis illa oratio erat: *quando tranſibit menſis, & venundabimus merces*; Hebraicè ſententia clariſſima eſt ſic: *& frangemus fractionem*.] Quo tropo ſummam annonæ caritatem ſacri libri ſignificant; eoque vtuntur vbi magna frumenti, aut cuiuſuis neceſſariæ ad victum rei laboratur inopia: quem ſic aliàs Latinus verteret interpres: Omneſque prouinciæ veniebant in Ægyptum vt emerent eſcas, & malum inopiæ tẽperarent. cuius nos tropi rationem elegantem alio in loco, ſi Deus annuerit, explicabimus. Ac præter eũ quidem meſſis menſem, qui tam pauperibus expectatus & breuis, quàm longus atque inuiſus diuitibus erat, aliud etiam tempus Deus eſſe voluit, quo ex agrorum fructibus pauperes ſibi, domibuſque ſuis poſſent prouidere: iſque ſeptimus quiſque annus fuerat; in quo quidquid inarati incultique agri ſponte ſua protuliſſent, commune omnibus legentibus fiebat. Iſque annus vulgari & Syriaco vocabulo Ceſſatio; in arcanis verò libris ex re ipſa Sabbathum, hoc eſt quies terræ nominatur; quòd & fatigatis aſſiduo cultu agris laxamento, & pauperioribus etiam hominibus tanti rerum deſiderij vel paruo leuamento foret. Eum annum non minus ingratum diuitibus fluxiſſe, quàm gratum pauperibus percurriſſe ex ipſo ditiorum ſtudio, atque oratione arguit Amos: *& Sabbathum & aperiemus frumentum?* Chaldaicè ſic: *& ceſſatio, & aperiemus horrea?*] namque triticum vendentium domus meſſis tempore, & ſeptimo anno minus frequentabantur; atq. horrea clauſa erant, cùm primum, vbi illa tempora prætereiſſent, aperirentur; magnum lucrum & quæſtum domino factura: *Nam diues qui fieri vult, Et cito vult fieri. ſed quæ reuerentia legum? Quis metus aut pudor eſt ſemper properantis auari?* In quæſtu autem compendioque verſatis hominibus, ſi quid præter ani-

Gen. 41.

Iuuenalis.

mi ſententiam damni acciderit, id vt reſarciatur proxima & breuiſſima via in fraude facienda eſt. ea verò tum rebus quæ venduntur adulterandis; tum ponderibus & trutinis deprauandis; tum etiam pretio vehementer augendo munitur. hoc eſt quod dicit:

Vt minuamus menſuram, & augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateras doloſas.

SVMMVM auaritiæ ſtudium, & multiplicem faciendæ fraudis excogitationem oratione inducta Vates explicat. his enim potiſſimùm generibus commerciorum fides corrum-
Ariſtot. 5. Ethicorum, & Aſpalius in illum locum pitur & proditur, qua dederis, minuenda; qua acceperis, augenda menſura. Ita nimirū non
vno & ſimplici inopum damno ditiorum res vehemēter creſcunt, magna eius iuſtitiæ partis, quæ commutatiua à philoſophis dicitur, proditione. Vox, *vt*, non cauſam, ſed modum
explicat, quonammodo illi cum multis aliorum incommodis ſua amplificent commoda.
Budæus lib. de aſſe. [*Augeamus ſiclum.*] Olim appenſi potius quàm numerati argenti vſus erat: vnde & antiquiſſimo Hebræorum, Chaldæorum, & Cananæorum nummo nomen ſicli factum eſt; quod Latinè redditum pondus ſignificat. Aderat autem iis qui vendebant aurificum ſtatera, qua recipiendum probaretur argentum: quæ res cùm multis aliis ex locis, tum ex illo clariſſimè
Gen. 23. obſeruatur: Terra quam poſtulas, quadringentos ſiclos argenti valet, &c. Quod cùm audiſ-
» ſet Abraham, appendit pecuniam quam Ephron poſtulauerat audiētibus filiis Heth. Qua
» in re duplex eſſe potuit fraus, vt ſtateræ & lances inæquales eſſent, & pondus ipſum, quo probandum argentum fuit, auctius iuſto foret. Neque verò ſemper argento ſignato vtebantur, cùm ſatis eſſet rude & incuſum, ſi modò ſuo pondere redderetur: namq. ſiclus ille
Ioſeph. ſignatus, quem Atticæ ſemunciæ æqualem, & Ioſepho teſte, & ipſo etiam nummo Iſraëlitico (qui nobis diuino certè beneficio contigit) probauimus; cùm publicè atque legitimè cudi ſoleret, neque à priuatis hominibus augeri, neque auctior exigi poterat. Sed cùm minorum etiam argentearum monetarum vſus, iſque varius eſſet (nam aliæ quadræ, rotundæ aliæ, nonnullæ excuſæ, rudes quædam fuerunt) id genus omne emendis rebus expendebatur. Hodie etiam Barbari, maximè autem Afri argentum expenſum à noſtris mercatoribus pro captiuis redimendis exigunt; ſed & in Italia & Gallia hic mos inualuit, vt tabernarij etiam argenteos & aureos nummos non niſi expenſos recipiant; vbi nobis non leue negotium publicani aliquando faciebāt, aureos coronatos quamplurimos ſuis ſtateris improbantes, adeò vt, quia aliud monetæ genus quod redderemus non ſuppetebat, certum quoddam ſingulis nummis damnum pati cogeremur. Ad hunc igitur modum pauperes, dum minutiores monetas emendo frumento inſumerent, aucto pondere, & deprauata ſtatera defraudabantur. Atque de omni hoc ſicli & menſurarum, quæ ad diuina ſcripta intelligenda faciunt, genere, multa à nobis quæ diligenter obſeruata ſunt, Deo noſtro approbante aliquando differentur: nam pro commentariorum lege hæc nunc ſatis eſſe viſa ſunt. [*Supponamus ſtateras doloſas.* Hebraicè eſt: *Vt deprauemus bilances doli.*] Bilances doli vocat arte induſtriaque excogitatam trutinæ formam, quæ pro appendentis calliditate & vſu fraudem nunc facere, nunc celare poſſit: id qua ratione fieret, ex Chaldaicarum & Hebraicarum antiqua & recondita lectione accepimus, dum eam ponderum & menſurarum rationem diligenter exquireremus: veruntamen hoc in loco referre conſilium non fuit. Antiquum autem fuiſſe lancis & libræ vſum, & non à Græcis, ſed ab Aſſyriis inuentum, huiuſmodi obſeruationibus ſæpe docemur. Quantum verò ſcelus hæc ponderum & menſurarum corruprio ſit, illa ſententia apertè declarat: Pondus & pondus; menſura & menſura; vtrumq. ab-
Prouer. 20. ominabile eſt apud Deum. His autem modis, non modò fortunis pauperum, ſed libertati
» etiam parantur inſidiæ: namque illorum primùm ſupellex; deinde agri & domus, ſi quid eiuſmodi ſupereſt; ac demum filiorum & totius familiæ, atque ipſæ etiam parentum operæ, in ditiorum vſum, idque viliſſimo pretio, cedunt. hoc eſt quod dicit:

Vt poſſideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis.

MVLTOS non tam rerum defectu, aut propria negligentia, aut diuina ſententia; quàm aliorum hominum fraude atque auaritia ad ſummam egeſtatem inopiamq. redactos ſemper fuiſſe, vtinam non perinde noſtris moribus compertum, atq. antiquis hiſtoriis notum eſſet. Sed dicere vix poſſis, quàm multi talia plorent, & quàm minimo pretio cariſſimæ aliis res, prædiola, domunculæ, & dulciſſima etiam pignora, virgunculæ filiæ, & ſuæ etiam ipſorum operæ ac ſudores aliis hominibus conſtent. Etenim cùm ex aliorum inopia & indigentia omnem ſibi voluptatem & commoditatem alij naſci poſſe arbitrentur; huic vni operam dant, vt miſerrimos quoſque omnibus exhauſtis rebus fame & egeſtate coactos, in ſuos vſus, imò in ſeruitia redigant: idque pro argento, nempe exiguo admodum; & quo ille nihil ſibi conſulere poſſit, niſi vt vitam ferino victu ad horam tantùm propaget, atque ea

re per-

re perpetuam ſeruitutem ſeruire cogatur. Alterum autem membrum alterius rationem explicat: namque non multo argento pauperes ſibi addicendos putant, ſed penè gratis, aut binorum ad ſummum calceorum pretio ſingulos conſtituros. [*Et pauperem pro calceamentis.*] Hebraicè *egenum* in ſingulari, *calceamentis* in duali numero eſt. Huius autem comparandæ rei cauſa nullum illi lapidem non mouent: neque enim ad ſuam augendam aliorum exhauriendas res properantibus vendendi neceſſarij frumenti menſuram minuere, pretium adaugere, libram deprauare ſatis eſſe viſum eſt; niſi etiam merces ipſæ fuco fallaciaque affectæ corrumperentur.

Et quiſquilias frumenti vendamus. Hebraicè eſt, *& deciduum frumenti frangemus.*

DECIDVVM frumenti id eſt, quod meſſis tempore dum triticum expurgatur cribro decidit: nempè puluere, lolio, nigella, & quiſquiliis aliis confuſæ ſordes: quòd cùm nullius alioqui hominibus vſus ſit; iſti tamen pauperibus egeſtate coactis tritico commixtum vendunt. ac propterea ait; *frangemus*: quod verbum nos ſuperius explicuimus. Iam verò quot in vno vitij genere ſcelera admittantur, quotuplicibusque iniuriis alij ob aliorum auaritiam afficiantur videre eſt: Namque illa prima culpa eſt, quo tibi commodè eueniat aliorum deſiderare incommodum: deinde ſcelus eſt alterius rebus afflictis humanè ac piè ſuccurrere nolle, ſed in ea re maximum ſibi quæſtum ſtatuere. Demum flagitium eſt, & merce, & pretio, & libra alium defraudare ſtudere: tum verò illud omnium iniquiſſimum & immaniſſimum ſuas res viles natura ipſa, & leues, maximo pretio in alienos; alterius verò maxima commoda & pretioſiſſimas res, prædia, domos, ſupellectilem omnem, denique libertatem ipſam in proprios vſus viliſſima æſtimatione conuertere: tot adeò, tantaque ex vno cupiditatis fonte incommoda & flagitia fluunt, vt meritò id vitium malorum omnium radix eſſe dicatur. Hanc adeò multiplicem potentiorum & ditiorum aduerſus minores & pauperiores iniuriam Deus ſemper vindicandam ſuſcepit, grauiſſimeque ſolet vlciſci, ſicut ſcriptum eſt: Tibi derelictus eſt pauper, &c. Horum enim miſerrimorum hominum, quibus nihil præter deſiderium, & ſuſpiria, mœſtaſque voces, ab aliis relinquitur; quamuis occultæ, tamen vehementes querelæ ſunt, & earum querelarum clamor ad aures vſque Domini Dei Sabaoth pertingit, quos in ſuam fidem atque clientelam grauiſſimis olim verbis receperat. Si clamauerit, inquit, ad me, exaudiam eum, quia miſericors ſum. Atque adeò huic fidei & promiſſo abundè ſe ſatisfacturum hoc in loco prædicit. Pſalm. 9. Iacob. Exod. 23.

Iurauit Dominus in ſuperbiam Iacob. ſi oblitus fuero omnia opera eorum.

HEBRAICE eſt *per amplitudinem Iacob:*] atque locus ipſe iuramenti rationem explicat: Etenim Iacob humilem & inopem, atque à patria domo profugum, fraternisque inſidiis appetitum, quòd ſeſe ſuæ fidei commiſiſſet, ad eam dignitatem atque amplitudinem euehendum Deus ſuſceperat, vt Iſraël dictus, fratrem opibus, diuitiis, & generis poſteritate, atque omni ſplendore ſuperaret; quod in gente ipſa à ſe præſtitum, cùm fouere, atque vlterius prouehere vrgereque inſtituiſſet; tamen horum peruerſorum hominum iniquitate & iniuria, quo minus in ſingulis etiam pauperibus perfici commodè poſſet, impediebatur: namque iſti multo quàm Eſau inhumaniores, fratres ſuos quos miſericordia, officio, ac potius pietate adiuuare debuiſſent & potuiſſent; tamen non ſolùm negligentia, ſed iniuria etiam & fraude, circumuentioneque oppreſſos, ad inopiam, ad fugam, ad extremum miſeriæ gradum redire cogunt. Eam verò rem non inultam fore Deus iurauit, ſed ſeuerè in eos animaduertendam, qui per ſummum nefas ſuo illi de ornando atque amplificando Iacob conſilio, tantis iniuriis & fraudibus obſiſtere conati ſunt: eius autem perfidiæ, atque impietatis memoriam nulla vnquam obliuione delendam, ſed quoad in eo reprobationis ſtatu fuerint, aſſiduis pœnis renouandam, vt nullo in loco ſecuri, eandem ſemper calamitatem quam fratribus ſuis attulerint, experiantur. [*Si oblitus fuero vſque in finem, omnia opera eorum.*] Nam cùm ea publicæ iniuriæ vis ſit, vt hominum res euertere, atque vrbes ipſas, immò totum orbem funditus perdere poſſit, quod & diluuij & Sodomorum tempora planè teſtantur, quem tantarum in fratres etiam ipſos, in miſerrimos, in eos quos Deus ornatos, amplificatosque eſſe voluit, iniuriarum exitum expectari par eſt?

Nunquid ſuper iſto non commouebitur terra, & lugebit omnis habitator eius: & aſcendet quaſi fluuius vniuerſus, & eiicietur, & deſluet quaſi fluuius Aegypti.

EXCLAMATIONE facinus amplificatur, & meriti ſupplicij expoſitione magis etiam oſtenditur.

Quis, inquit, *cælum terræ non miſceat, ac mare cælo?* Quis homines tantis ſceleribus alligatos, vrbibus, agriſque ſuis exterminari debere non iudicet? quis terram tantis

flagitiis pollutam, inundatione aliqua maxima expiari non procuret? Atque hæc diuina exclamatio & amplificatio aſſeuerationem & ſententiam in ſe certam continet. Ad Sodomorum autem & Gomorrhæorum, atque adeò ad antiqui diluuij exemplum omnis relata res eſt: Eiuſmodi namque communi & publico ſupplicio publicæ iniuriæ diuinitus vindicari ſolent. Sed ſi maxima cõmunis illa totius orbis inundatio ob diuinum ad Noë factum
Gen. 9. promiſſum repeti iterum non poteſt: Nequaquam, inquit, vltrà maledicam terræ propter » homines; nec percutiam vltrà omnem animam viuentem, ſicut feci: non ideò tamen nonnullas terræ partes, nonnullas gentes ob ſua ſcelera pœnarum fluuio delere integrum Deo non eſt. nam qui ſe nec omnem terram amplius inundaturũ, nec omnem animam viuentem perditurum recepit, nullam terrarum partem, nullamque gentem exceptam noluit, ſed nunc hanc, nunc illam hominum nationem, cùm res, ratioque atque diuini iudicij æquitas id poſtulare videatur, vel funditus perdi, vel deleri, vel euerti, atque proprio loco pelli poſſe duobus maximis ac perpetuis exemplis teſtatus eſt: altero quidem Sodomorum, quorum loca, vrbes, agrique, cælitus igne tacta, & ſulphureis imbribus euerſa ſunt, ſicut ſcriptum
Gen. 19. » eſt: Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de » cælo; & ſubuertit ciuitates has, & omnem circà regionem; vniuerſos habitatores vrbium, & cuncta virentia terræ. Id autem diuinæ iuſtitiæ & ſeueritatis exemplum Aſphaltites lacus tetris ac perpetuis exhalationibus conſeruat; quas ſummo mane quotidie remittit, ſicut ſcriptum eſt: Surgens mane Abraham vbi ſteterat prius cum Domino, intuitus eſt Sodomam, & Gomorrham, & vniuerſam terram regionis illius; viditque aſcendentem fauillam de terra, quaſi fumum fornacis. Eandem etiam priuatè in certas regiones exercendi iudicij
Mela. lib. 1. cap. 9. facultatem, communis diluuij abiuratione ſibi exceptam non eſſe, altero etiam illuſtri atque perpetuo teſtatur exemplo Nili amnium in noſtrum mare permeantium maximi; qui Ægypti terram non pererrat tantùm, ſed certo anni tempore, hoc eſt æſtiuo ſydere exuberans, vehementer inundat; atque non exiguum in modum tumens, vniuerſam diluit; ſarmenta, paleas, ſtipulam, & maiora etiam ligna, quicquid denique leuioris naturæ offenderit conuellens, ac verrens, in proximum deuoluit mare; atque ita ſuperficiem terræ omnem à ſe expiatam immutat. Sic etiam fieri poſſe docet, vt ſi id ratio atque res poſtulauerit, certæ quædam regiones incolarum ſceleribus pollutæ, diuini iudicij inundatione expientur. Neque enim id quo minus facere integrum Deo ſit, illo antiquo facto promiſſo fuerat exceptum; vt neque totius orbis à communi diluuio ſecuritas, terræ partem celeberrimam Ægyptum annuâ inundatione defendit. Atque hic locus, hæc Amoſi oratio eos qui audierint, in magnam poteſt traducere admirationem, quod Nili exundationem, de qua multa à philoſophis & poëtis olim diſputata ſunt, ad certæ cuiuſdam prouidentiæ rationes, atque
Vide Herod. Vitruuium, Ariſtotelem. adeò ad diuinæ ſeueritatis perpetuum argumentum relatam eſſe doceamur. quam rem nemo vnquam ex maximis philoſophis excogitare potuit. atque vtinam vt aliis philoſophorum & humani ingenij de natura rerum commentationibus; ſic etiam diuinorum librorum myſteriis explicandis animum intenderemus; in plura certè atque maiora rerum omnium arcana penetrare, & horum veras cauſas cognoſcere potuiſſemus. Equidẽ Deum vſque eò propitium mihi eſſe opto, vt ſacros Moſis libros Chriſtianis hominibus interpretari fas ſit: in quibus, quemadmodum veriſſimè & ſuauiſſimè philoſophari poſſet; quemadmodum non humilem Theologum agere contingeret; ſi non plenè doceri, certè indicari à nobis poſſe, iam animus præſagit. Sed nunc propoſitum nobis vrgeamus inſtitutum. Igitur Iſraëlitas ob communis iniuriæ, & totius iuris publicè priuateque violati ſcelus, communi vltioni deſtinatos à Deo eſſe oſtendit Amos: eamq. vltionem per maximum Aſſyriorum Imperatorem maximo cum exercitu in eos irrupturum eſſe parandam: à quo, velut Ægypti regio Nili exundatione, eluitur atque expiatur; terra ipſa Iſraëlitica ſceleratiſſimis habitatoribus expurgetur. Hoc eſt quod dicit: *Et deijcietur, & deflu et quaſi flumius Aegypti.*] Illud etiam ad huius orationis aperiendam ſententiam commodiſſimè obſeruabimus, aliam in ſacris libris diluuij, aliam defluuij eſſe rationem. Diluuium Hebraicè MABVL ex euentu dictum eſt. Vox autem confuſionem permixtionemque ſignificat: propterea quòd terræ orbis illis aquis non tam ablutus, quàm conuolutus fuerit; atque ipſa ſoli ſuperficies, hominibus, animalibusque extinctis, commixta & confuſa penè immutatum orbem reddiderit: Neque enim mortua animalium corpora in mare deuoluta, ſed cùm omnem orbẽ aquæ inundaſſent, ſine vllo penè defluxu iiſdem locis quibus animalia peribant, aut cæno lutoque detenta, aut domorum, vrbiumq. ſuarum ruina oppreſſa, aut ſpeluncarum, antrorumque obturationibus concluſa, putreſcere & abſumi potuerunt. atque hoc modo rerum om-
Gen. 6. nium confuſio illo diluuio effecta fuit, ſicut ſcriptum eſt: Finis vniuerſæ carnis venit coram » me: repleta eſt terra iniquitate à facie eorum, & ego diſperdam eos cum terra: Et ecce ego addu-

adducam aquas diluuij ſuper terram, vt interficiam omnem carnem, in qua ſpiritus vitæ eſt ſubter cælum, & vniuerſa, quæ in terra ſunt, conſumentur. Et de re ipſa cùm iam præſtita eſſet, ſic legimus: Et Noë filius erat ſexcentorum annorum quando diluuium fuit aquæ ſuper terram. & paulò inferius: Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes, quos operuerant, conſumptaque eſt omnis caro. Igitur cùm Noë ſacrificio placatus Deus, ſe omnem carnem non amplius eodem modo conſumpturum eſſe recepit; & de communi orbis inundatione, & ſimili hominũ & animalium omnium excidio, terræ atq. habitatorum confuſione illo verbo canit; ſed de defluuio omni & alluuie non canit. Alluuiẽ verò defluuiumq́ue vocamus, priuatam terræ cuiuſpiam expiationem, cuius incolæ vel fame, vel peſte, vel bello maximè, ſolum vertere & migrare, patriamq́. regionem expiationis cauſa inanem, vacuamq́. cogantur relinquere: quemadmodum neq. in illa firma communis diluuij cautione Nili amnis ad Ægyptum alluendam exundatio & defluxio cõprehenſa eſt: Neq. enim Nili inundationes diluuij, ſed irrigationis atq. allutionis potius nominibus, verbisq́. dicuntur; quòd eius vis ea ſit, vt terræ veterem ſuperficiem eluat, rurſusq́ue nouam ac penè alteram fructibus ferendis commodiſſimam reddat, annuatimq́ue renouet. Vnde & fluuio ipſi, qui pluribus nominibus à ſua gente appellatur, Hebraicum nomen eſt IOR, quod lucem, pluuiã, deſcenſumq́. ſignificat: quas omnes rationes ei fluuio aptiſſimè conuenire docere poſſemus, ſi id optata, atq. toties nobis promiſſa breuitas pateretur: ſed dabit Deus his quoq. tempus. Denique hac vndarum, & exundationis ſimilitudine Aſſyriũ regem, & exercitum ſignificari, præterquam quod res ipſa euentusq́ue docuit, Chaldaica etiam Biblia confirmant, hoc modo: *Et irruet in eam rex cum exercitu ſuo maximo ſicut aqua fluuij, & eluet eam omnem, expelletq́; habitatores eius vt fluuius Aegypti.*] Quàm verò miſerrima illa vltionis tẽpora Iſraëlitis futura, quanto pauore expectanda eſſent, adiuncta deſcriptione declarat:

Gen. 7.

Lege Pomponium.

Et erit in die illa, dicit Dominus Deus, occidet Sol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis.

GRAVISSIMORVM malorum ſenſu, magnorum laborum experimento, & futurorum periculorum cogitatione & metu, in maximas perturbationes & exanimationes incidere homines ſolent; adeò vt in media luce obſtupeſcẽtes & cæci, non magis quàm ſi obſcura caligine inuoluerentur, pauidi, incerti, trementes & conſilij impotes reddantur. Vidimus perſæpe quoſdam, qui cùm ad ſupplicium producerentur, non magis obuios quoſque agnoſcerent, aut attenderent, quàm ſi totidem rudes atque confuſos lapides conſpicerent: vſqueadeò nullus animis metu, dolore, & malorum expectatione confuſis, ac perturbatis, aut ſenſus, aut conſilij, aut iudicij eſt vſus. Huiuſmodi autem affectionem tenebrarum & caliginis imaginibus depingere ſacri & prophani etiam auctores ſolent; non quòd lumen ipſum, ſed quòd lucis atque luminis vſus perturbatos, atque exanimatos homines dicatur deficere. Et obſcurabitur ſuper eos lux, ait Michæas. & tenebras publicam miſeriam atque communem calamitatem Lyricus Poëta dixit. [*Occidet ſol in meridie,*] cùm in meridie occidere verè non poſſit. quòd in ipſo curſus ac luminis ſui ſupremo gradu tunc ſit, tamen ad videntium ſenſum referenda ratio eſt: quod & alterius membri ſubiectione exponitur: *Et tenebreſcere faciam terram in die luminis.*] Quòd cùm dies ipſe non obſcurus, non nubilus, ſed purus & ſerenus ſit, atque adeò in ipſo luminis vigore, nempe in meridie, terra hominibus calamitate perturbatis, non magis opportuna ad ambulandum, aut ad fugiendum, quàm ſi media noctis caligine premeretur, videnda eſſet: ita adeò tanta perturbatione detentis, nulla ad ſalutem euaſionis ſpes, hoſtibus verò ipſis magna ad victoriam, atque ad rem gerendam facultas, commoditas & auctoritas erat futura. Tantam autem animorum perturbationem, tam ſubitam locorum occupationem, rerum omnium, atque libertatis oppreſſionem, cùm nullo conſilio, nullis humanis viribus effugere liceat, luctu, lamentis & muliebri eiulatu excipi conſequens, conſentaneumq́ue eſt.

Mich. 3.

Horat. lib. 4. Od. 4.

Et conuertam feſtiuitates veſtras in luctum; & omnia cantica in planctum.

HIC humanæ voluptatis, hic publicæ lætitiæ, quæcunque honeſtis & piis cauſis non percipitur eſt exitus, ſicut ſcriptum eſt: Eſt via quæ videtur homini iuſta, nouiſſima autem eius deducunt ad mortem. Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Sic adeò impiam illam lætitiam & feſtos dies, ludos & cantica, quæ ab Iſraëlitis in vanorum deorum cultum celebrari maxima cum voluptate conſueuerant, hoc quem prædicit miſerrimo die in publicum mœrorem & luctum repente eſſe mutanda, eamq́ue miſeriam atque triſtitiam omnibus fore communem; quam non ſolùm luctu, lachrymis & lamentis, ſed ſordido etiam atque horrido cultu vnuſquiſque ſubire cogatur. Hoc eſt quod ſubiungit:

Prou. 14.

Et inducam ſuper omne dorſum veſtrum ſaccum, & ſuper omne caput caluitium, & ponam eam quaſi luctum vnigeniti, & nouiſſima eius quaſi diem amarum.

CAPTIVITAS ſimul & luctus maximus, terræque vaſtitas huiuſmodi deſcriptionibus & tropis prædicuntur: namque ſaccus, & capitis caluitium, maximo animi dolore affectorum, & captiuorum habitus eſt. Solent enim victores captos à ſe in bello hoſtes, propriis detractis veſtibus vili ſacco induere: tum impoſitis oneribus actos ex comatis caluos
Ierem.46. reddere. qua de re ſic apud Ieremiam ſcriptum eſt: Vaſa tranſmigrationis fac tibi habitatrix filia Ægypti. Vaſa autem tranſmigrationis veſtes viles, calceamenta & baculi dicun-
Ezech.29. tur. De caluitio autem apud Ezechielem ſic: Nabuchodonoſor ſeruire fecit exercitū ſuum ſeruitutem magnam aduerſus Tyrum: omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus eſt, &c. Præterea & qui lugent, ſi vehemens aliqua grauiſſimaque luctus cauſa ſit, capillum ſibi ipſis euellunt; vel quòd capitis detracto honore miſeriam ſuam magis profiteantur, vel quòd ſibi facto dolore, mœrorem leuari putent. ſic apud Eſdram capillorum & barbæ laceratio vehementem animi dolorem indicat. Vtrumque & publicum, communemque cunctis luctum, & captiuitatem omnibus ſimul hoc dicendi modo indicit; ſiquidem vel nolentes & inuiti ſaccum inducre, & capillorum euulſionem pari ab hoſtibus cogentur. vnde eam miſeriam ſe auctore illis ſubeundam eſſe confirmat. *Inducam*, inquit, *ſaccum*, &c. Iam verò lætitia publica, & communis omnium vitæ iucunditas his præcipuè rebus oſtenditur; veſtium luxurie & ſplendore, capitis comptu, & cantuum, ludorum, feſtorumque dierum agitatione: quibus diebus vt quiſque maximè poteſt ſic vnguentis nitet, veſteque & purpura fulget elegantiſſimè; ita adeò omnis Iſraëlitarum regio his rebus intentiſſima, in repentinam & inopinatam, atque adeò grauiſſimam acerbiſſimamque luctus & mœroris frequentationem erat mutanda: vt cunctus populus lachrymis, lamentis & luctui vacans parentum vnigeniti raptu dolentium imaginem referat; quo luctu & planctu nihil poteſt acerbius eſſe. [*Et ponam eam* regionem Iſraëlitarum *quaſi luctū vnigeniti.*] Grauiſſimus primogenitorum raptus parentibus eſſe ſolet; ſed multo etiam grauior dolor, ſi quis vnicum ſibi natum amiſerit; multoque acerbiori luctu excipiendus. Totam autem regionem communi miſeria, luctuque plenam, ac ſi vna familia eſſet, cui vnicus natus acerba morte ereptus deſideraretur, lachrymis & lamentis vacaturam prædicit; multo etiam grauius quàm Ægyptus olim, cùm raptos ſibi omnium familiarum primogenitos doleret: qui dolor omnes ſuperiores calamitates acceptaque damna, ſuperauit; adeò vt pertinaciſſi-
Exod.12. mè ſuſceptam ſibi contentionem Ægyptius remittere cogeretur, ſicut ſcriptum eſt: Surre-
» xitque Pharao nocte, & omnes ſerui eius, cunctaque Ægyptus; & ortus eſt clamor magnus
» in Ægypto; neque enim erat domus in qua non iaceret mortuus, &c. Hic adeò extremus Iſraëlitis dies; poſt illum verò diem grauiſſima & miſerrima perpetuò tempora expectabantur, neque enim eum diem miſeriarum aliquis finis ſtatim ſequuturus, ſed perpetuus quidam ſeruitutis, exilij & acerbiſſimæ vitæ vſus (in quo nunc etiam ſunt) erat excepturus. hoc eſt quod ait: *Et nouiſſima eius quaſi diem amarum.*] cui nulla vel nocturna quies, vel mitior futuræ lucis aurora; ſed perpetuus malorum & miſeriarum vſus atque ſenſus ſuccedat; quem ſenſum ne deponere ita citò poſſint, longa quædam diuini verbi ignoratio ipſis meritò ſubeunda confirmabit. nam qui vaticiniis & diuinis conſiliis tanto ſtudio non ſolùm deeſſe, ſed obſiſtere conati fuerint, digni profectò ſunt quibus huiuſmodi ad ſalutem & ad ſuas reſtituendas res, atque ad libertatem via præoccupetur; & quantum bonum neglectum, repudiatumque nefariè fuerit, longo & grauiſſimo deſiderio probetur: & qui tantis artibus, conſiliis, calliditate, cum diuino verbo, eiuſque interpretibus prophetis con-
Sup.7. tendere conati ſunt, & publicè obſiſtere non erubuerunt; ſed nō minus impudenter, quàm doloſè huiuſmodi orationibus aduerſabantur. Non prophetes contra Iſraël, & non ſtillabis ſuper domum idoli; & illud audire, & periculo ſuo diſcere commeriti ſunt.

Ecce dies veniunt; dicit Dominus, & mittam famem in terra; non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini; & commouebuntur à mari vſque ad mare; & ab Aquilone vſque ad Orientem circuibunt quærentes verbum Domini, & non inuenient.

HVMANÆ animorum miſeriæ illa vna potiſſimùm, ſi non cauſa, tamen occaſio eſt, ſi magna diuini verbi penuria, magnum deſiderium in terra ſit. Quàm diu enim eius excel-
Pſalm.118. lentis boni affluens copia, atque opportuna commoditas hominibus ſuppetit, tamdiu hu-
» manæ res ſtant, & proſperæ æquabileſque ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum. Etenim hæc vnica hominibus ſapientia eſt, quæ eorum publicis ac priuatis rebus, maximè autem iis quæ ad animorum pertinent felicita-

tem, & conſilij, & certarum rationum lumen porrigere atque tendere poteſt, quam pedibus ſuis lucernam, & ſemitis lucem, diuinus Pſaltes vocare ſolebat. Hoc autem lumine de medio ſublato, aut diuino iudicio negato, vel hominum peruerſitate repudiato, humanæ res in mediis tenebris poſitæ vt labefactentur, vel præcipitentur etiam neceſſe eſt, quamuis ſummo conſilio ſtabilitæ, & opibus, vel induſtria vallatæ eſſe videantur: Omnia enim errore plena, & à vera ſapientia alieniſſima ſunt, quæcunque ſine diuini verbi lumine, maxima & ad felicitatem ſpectantia negotia ſuſcipiuntur, ſicut ſcriptum eſt: Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Vnde illud eſt, quod quibus temporibus reſpublicæ maculatæ, ac penè exterminatæ fuiſſe narrantur, iiſdem magna diuini verbi penuria laboratum publicè fuiſſe traditur. Puer, inquit, Samuel miniſtrabat Domino coram Heli, & ſermo Domini erat pretioſus; in diebus illis non erat viſio manifeſta. Cùm autem homines tantum peruerſitate, malitia, & veritatis odio deliquerunt, vt grauiſſimè mulctari ſint commeriti; tum hæc bonorum fundamenta diuini verbi & luminis copia, & vera ſacrorum librorum explicatio, cognitioque ſubducuntur, vt mentis cæcitate affectis, amentiſſimis, atque omni honeſto conſilio deuiis, præceps progreſſus, & calamitoſus exitus ſit expectandus, ſicut ſcriptum eſt: Et erit eis verbum Domini, manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta; modicum ibi, modicum ibi; vt vadant, & cadant retrorſum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur. Hunc adeò locum Iſraëlitarum res tenere cœperunt, poſtquam illi ſceleribus obligati, à diuini verbi, atque à propheticarum exhortationum obſeruantia abhorrentes, reprobati à Deo repudiatique ſunt. Sed hoc illorum malum tum demum auctum, confirmatumque eſt, cùm diuinum Ieſu Chriſti euangelium, optatiſſimumque patribus de publica ſalute nuntium, ſibi ab ipſo ſalutis auctore, atque ab illius fideliſſimis Apoſtolis allatum repulerunt. Ex eo enim in hunc vſque diem excæcati publicè, obduratique omni diuini verbi commoditate caruerunt; atque in aſſiduam diuinorum librorum lectionem & interpretationem incumbentes, certa & opportuna maximorum atque vtiliſſimorum myſteriorum cognitione priuati ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Eo quòd charitatem veritatis non receperunt vt ſalui fierent, miſit illis Deus operationem erroris vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati. Atque adeò hæc res huius perpetuæ, in qua detinentur, miſeriæ Iſraëlitis cauſa eſt, quòd nimirum magna mentis cæcitate laborent, ne fulgeat illis illuminatio euangelij gloriæ Chriſti, vt ait Apoſtolus. Hæc adeò miſerrima & grauiſſima tempora, in quæ iamdiu Iſraëlitarum res hactenus etiam perdurātes inciderunt, à Vate noſtro hoc in loco prædicta ſunt, non ſtatim vt ipſe denuntiauit, ſed poſt certos annos incœptura; hoc eſt, poſtquam in captiuitate Iſraëlitæ eſſent: Nam ante captiuitatem neque diuini verbi copia, neque monitoribus vatibus deſtituti ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Mittebat autem Dominus patrum ſuorum ad illos per manum nuntiorum ſuorum, de nocte conſurgens, & quotidie commonens; eo quòd parceret populo, & habitaculo ſuo. At illi ſubſannabant nuntios Dei, & paruipendebant ſermones eius, illudebantque prophetis; donec aſcenderet furor Domini in populum eius, & eſſet nulla curatio. Igitur ea miſeriarum miſerrima, duriſſimaque dies à Vate prædicta, non ſtatim, ſed Iſraëlitarum rebus perditis & labefactatis, quò reſtitui non valerent, peruentura eſſe hoc dicendi tropo oſtenditur: *Ecce dies veniunt.* Dies nūc plurali numero, ſicut ſæpe aliàs, annos ſignificat: vt, Ecce dies veniēt, dicit Dominus, & confirmabo ſuper domum Iſraël, & domū Iuda teſtamentum nouū, &c. Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti; annis quibus vidimus mala. [*Et mittam ſuper terrā famem.*] Intolerabile animantibus malū fames eſt; cuius depellendæ cauſa nihil non agi & perferri ſolet: quibuſdam enim non animus ſolùm, & natiua ferivas deponitur; ſed libertatis propriæ, atque vitæ etiam pericula adeuntur. In hominibus verò tanto grauior is ſenſus exiſtit, quanto defectus & inopiæ cogitatio, qua fames augetur, maior in his quàm in bruto eſt. Vnde & grauiora facinora ad depellendam famem ab hominibus, quàm animantibus aliis admittūtur: neque enim in alienum modò genus, ſed in ſuum, in ſua etiam viſcera, in proprios natos ſæuitum aliquando fuiſſe, ſacræ atque prophanæ nobis hiſtoriæ tradiderunt. Tanto verò grauiorem famem perpeſſuros homines, tanto maiori damno ac moleſtia afficiendos eſſe conſentaneum eſt, quanto ea quæ ab his deſiderabitur res, excellētioris naturæ ac præſtantis magis fuerit virtutis. at verò diuinum verbum verus animorum paſtus, corporis cibus & alimenta tantùm ſuperat; quantū ſalutaria, diuina, æterna corruptibilibus fluxis & caducis præexcellunt, ſicut & ipſius veriſſimi bonorum omnium auctoris, atque ſapientiſſimi æſtimatoris iudicio edocti ſumus. Operamini, inquit, non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Igitur ex diuini iudicij ſeuera & iuſtiſſima ſententia, huius maximæ & vtiliſſimæ rei fame atque ſiti premendos homines, qui vitioſa offen-

ſione

Margin notes: 1.Sam.3. — Iſai.28. — 2.Theſſal 2. — 2.Cor.4. — 2.Paral.36. — Pſalm. — 2.Reg. Ioſeph. de bel. Iuda.

ſione atque faſtidio alienati aliquando fuiſſent, Vates noſter obnuntiat: *Non famem panis*
Gal. de natu. *neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini.*] Grauiſſimam eſſe famis affectionem docuimus,
facul. lib. 3. ſed ſitim multo impotentiorem,& toleratu difficiliorem eſſe, tum ipſius, vnde fit, cauſæ
conſideratio, tum experimentum arguit: Ipſa enim cùm frigido & humido reprimatur,
ignea eſt; atque ob id efficacior, celeriórque cenſenda videtur. Vnde & animalia quæ hu-
Pſal. 41. iuſmodi affecta fuerint, vehementius etiam, importuniuſque vrgentur, atque ad reſtin-
guendum procurrunt. Sicut cerua deſiderat ad fontes aquarum, ſitiuit anima mea ad te
Deus, canebat Pſaltes. Quæ verò fame premuntur, non tam procurrere, quàm diſcurrere
conſpicimus: quoniam ſitis non niſi certis quibuſdam in locis, nempe in fontibus & flu-
Pſalm. 58. uiis; famis verò leuandæ copiam pluribus in locis dari poſſe putant, ſicut ſcriptum eſt:
» Conuertentur ad veſperam,& famem patientur vt canes; diſpergentur ad manducandum,
» & circuibunt ciuitatem. Quòd ſi vtraque affectio ſimul premat, tum verò omnia tentari,
tum loca omnia procurri, tum diſcurri videas. Quamobrem quæ vehementiſſimè atque
auxiè nimis deſiderantur & expetuntur, ſitis & famis verbis dici aptiſſimè ſolent: vt, Beati
qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam. Hanc autem ſolicitudinem ex tantæ rei deſiderio natam,
cum maximo negotio, fruſtra tamen habendam eſſe oſtendit Propheta: obduratis namq.
& excæcatis, quamdiu diuinæ gratiæ inopia iuſtiſſimè preſſi, extremum miſeriæ gradum
tenebunt, in multa & aſſidua veri inquiſitione nulla inueniendi copia futura eſt. hoc eſt
quod ait: *Et commouebuntur à mari vſque ad mare, ab Aquilone ad Orientem circuibunt: quærentes verbum Do-
mini, & non inuenient.*] Diuinam & veram doctrinam faſtidientes, aut negligentes auerſan-
teſque hac iuſtiſſima pœna afficiuntur, vt magno poſtea atque aſſiduo labore quæſitā (quæ
facilis antea, vltroque fuerat oblata) nullam tamen inuenire poſſent, ſicut ſcriptum eſt: Ha-
benti dabitur,& ei qui non habet, etiam id quod habere videtur, auferetur ab eo. Illa verò
commotio, *à mari vſque ad mare, &c.* ingentem curam, & ardens ſtudium, operoſiſſimumq́.
negotium ſignificat; idque, variis modis, tum frequenti diſputatione & cõtrouerſia ineun-
da, tum ſcribendis libris, tum publicis concionibus, tum etiam traditionibus & peregrina-
2. Tim. 3. tionibus ſuſceptum; ex quo tamen maximo labore nulli veri percipiantur fructus: vt dici
» meritò de huiuſmodi ſtudioſis poſſit, ſemper addiſcentes, & nunquam ad ſcientiam veri-
tatis peruenientes. [*A mari vſque ad mare.*] In toto terrarum gentiumque omnium orbe, hanc
diuini verbi penuriam, atque hoc maximum deſiderium futurum prædicit; quod tamen
nullibi ſatis expleri poſſit, obſcuratis mentibus; ita vt pro vera & ſimplici doctrina turbu-
lentiſſimæ interpretationum & humanarum cogitationum aquæ bibantur. Atqui ex hoc
fonte hæreſes omnes, ac pugnantia inter ſe conſilia, atque ſtudia, & publica non ſolùm de
religione, ſed de cæteris etiam rebus diſſidia fluunt; cùm non omnibus eadem de diuinis
myſteriis & verbis conſenſio ſit. Vt contrà, ſumma pax & concordia ex eodem de ſa-
Rom. 15. cris rebus vero ac certo ſenſu iudicioque gignitur, ſicut ſcriptum eſt: Deus autem patientiæ
» & ſolatij det vobis id ipſum ſapere in alterutrum ſecundum Ieſum Chriſtum, vt vnanimes
» vno ore honorificetis Deum,& patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. At verò totius terra-
rum orbis quatuor conſtitutis terminis ipſam habitabilem terram maritimis & mediterra-
neis partibus definiuit: namque Oriente,& Septentrione,& duabus Oceani partibus, Me-
ridiana & Occidua, omnis terra continetur. Cùm autem toto terrarum orbe tanta diuini
verbi penuria laborandum eſſet, præcipuè verò Iſraëlitarum & Iudæorum gens, in eo ſe
inquirendi veri labore fractura erat: quæ quamobrem id pateretur, ſuis impietatibus & ſu-
perſtitionibus maximè fuerat commerita: cuius gentis non ſolùm ſeniores & maturioris
ætatis homines, ſed iuuenes etiam ipſi & puellæ, quibus maior voluptatis & formæ, quàm
ſcientiæ & ſapientiæ cura eſſe conſueuit, ex longo ac diuturno diuini verbi deſiderio, ex
aſſiduo & irrito ſtudio animi atque virium defectione afficientur. hoc eſt quod dicit:

In die illa deficient virgines pulchræ, & adoleſcentes in ſiti.

DIEM illam, hoc eſt totum id tempus indicat; cùm in magna doctrinarum & opinio-
num atque ſententiarum varietate nihil aut parum admodum certi, definitique ſit, in quo
ſine vlla dubitatione atque hæſitatione conquieſcere animus diſcentis, & iis quæ ex veri
cognitione capiuntur voluptatibus maximis perfundi poſſit. de quibus ſcriptũ eſt: Quàm
Pſal. 118. dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo! Id autem interea bibatur, quod aut er-
roris amaritudine mixtum, aut ſordidis, vanis,& futilibus commentitiiſque ſententiis, &
inutilibus quæſtionibus turbatum, confuſumque ſit,& quòd laſſos atque defatigatos quæ-
rendo homines affligat & perdat magis, quàm irrigat & recreet. Hic adeò exitus eorum eſt,
qui diuinam & ſimplicem veritatẽ auerſati, vanitate, aut adulatione, aut ſuperſtitione, aut
Iſa. 28. alia falſa ratione commutauêre, ſicut ſcriptum eſt: Cui dixit, Hæc eſt requies mea, reficite
laſſum,

laſſum,& hoc eſt meum refrigerium,& noluerűt audire. Er erit eis verbum Domini, man- "
da remanda,&c. Et quoniam hæc denuntiationis pars ad Iſraëlitas & Iudæos pertinebat,
quorum animi magis prauitatis erroribus capti erant, propterea quòd contaminata ſuper-
ſtitione eſſent imbuti, explicandi atque notandi cauſa illud eſt ſubiunctum:

Qui iurant in delicto Samariæ, & dicunt: Viuit Deus tuus Dan, & viuit via Berſabeæ.

SVPERSTITIONIS & vanorum Deorum ſtudium iurandi rationibus & verbis ſi-
gnificat Vates: namque religionis obſeruantiam atque ſanctitatem ſeria iuriſiurandi ratio
propria quadam & certa cognatione attingit. Neq. enim quis id quod vile ac negligendum,
ſed quæ ſancta, cariſſima, & rebus omnibus ſibi præponenda iudicantur, iureiurando ap-
pellat; cùm purè legitimeque iurare cogitauit. Homines, inquit Paulus, per maiorem ſui Hebr. 6.
iurant; & omnis controuerſiæ eorum finis ad confirmationem eſt iuramentum, &c. Igitur "
quæ apud Bethel & Dan templa ab Iſraëlitis dedicata fuerant, cum ſuis aureis ſimulachris "
adeò ſancta, adeò diuina Iudæis etiam credebantur, vt iuriſiurandi quoq. religione ac me- Hoſſeas.
tu colerentur: neque ipſa modò templa, ſed omnis quæ eò duceret via, ſancta atque augu-
ſta exiſtimaretur. Maximam autem eius loci maieſtatem putari neceſſe eſt, ad quem ductæ
directæque viæ vel initium ipſum non ſine magna reuerentia, & votorum iurandique ob-
ſeruantia appellatur. Cùm verò aliæ aliis gentibus pro varia linguæ & religionum ratione
iurandi formulæ, certaque ſingulis verba ſint, illa Hebræis maximè ſolennis & ſtata erat,
quæ viuendi verbo pronuntiabatur: vt, Viuit Dominus, & viuit anima tua ô rex. Viuit Do- 1. Sam. 14.
minus Deus Iſraël. Vt autem locus hic explicari nobis apertius & planius poſſit, quidnam 1. Sam. 17.
Samariæ delictum dicatur, prius eſt breuiter aperiendum. atque de verbis ipſis Delinquere Hoſſ. 4.
& delictum, iam ſæpe aliàs diximus; Hebraicè ASSAM, ſcelus ſignificare, quod aliorũ ex-
emplo, opera, aut conſilio, aut dolo ab aliis imitando ſuſcipiatur. Igitur quo tempore ab
Iſraëlitis regibus, qui Samariam incoluère, auertendi à Ieroſolymis populi cauſa, templa
atque aræ apud Bethel conſecratæ ſunt, diuino nomine vſurpando, pronuntiando atque
appellando confirmata eſt res. namque & vituli ſimulachrum in illa æde collocatum his
verbis conſecratum eſt: Hi ſunt dij tui Iſraël qui eduxerunt te de terra Ægypti: cuius etiam 1. Reg. 12.
exempli alterum in Dan eſt conſecratum. ſed quoniam auguſtiſſima ineffabilis illius diui- "
ni nominis, & ſanctiſſima apud Iſraëlitas mentio erat, quòd is Deus eſſet, à quo è ſeruitute
illa fuiſſent redempti, & eius vituli rationem, nomen, & numen nec re, nec loci maieſtate,
& ſanctitate ab illo ADONAI alienа eſſe doceri curatum eſt; & quod idẽ ille locus Iſraëli
generis auctori, ob accepta ibidem diuinitus beneficia & reſponſa ſacer fuiſſet, maiori reli-
gione atque auguſtiore ſanctitate, quàm Ieroſolymæ, dignus eſſe prædicabatur. Quæ verò Ioan.
iuriſiurandi religione firmanda erant; iiſdem quibus antea verbis comprehenſa ſunt, *Viuit* "
Dominus, &c. Ita ſanè effectum eſt, vt nominibus & verbis retentis & conſeruatis, res ipſa
omnino immutata, verſuta, & fallaci nocendi ratione religionem totam pollueret, atque
animos non Iſraëlitarum modò, ſed & Iudæorum etiam à vero cultu ad impietatem ſu-
perſtitionemque traduceret. hoc tam callidè ab Iſraëlitarum regibus excogitatũ conſilium
Hebraicè ASSAM; Latinè in ſacris libris delinquere & delictum dicitur: quam nos, quòd
aliud proprius non ſuccurrerit verbum, ſceleris contagionem pro loci ratione dicemus.
Eam verò rem longius apud Hoſſeam ſumus perſequuti, cùm illius loci ſententiam expo- Hoſſ. 4.
neremus: Si fornicaris tu Iſraël, non delinquat ſaltem Iuda; & nolite ingredi in Galgala: &, "
Ne aſcẽderitis in Bethauen; & ne iuraueritis, viuit Dominus. Huic autem iurandi formulæ
paulatim alia atque alia (vt ferè in quocunque hominum errore fit) adiuncta eſt, quò di-
uina veri Dei maieſtate, ſacroſanctoque numine, cum aliis etiam rebus contra ius atque
fas communicato, religionis rationes omnes peruerterentur. Ita non ſolùm Viuit Domi-
nus iurabatur; quam antiquam iuriſiurandi formam ab Iſraëlitis retentam *Samariæ delictum*
Vates noſter nominat: ſed etiam dicebatur, *Viuit Deus tuus Dan:*] vt loci etiam ſanctitas
huiuſmodi Apoſtrophe indicaretur, & vitulo numen eſſe oſtenderetur: quem non Deum
Iſraël illum antiquum, ſed nouum, atque recenter apud Dan conſecratum prædicarent;
quem locum, Deus ille terris magis omnibus vnum, vt Iupiter Olympum; Iuno Samon;
Venus Cyprum; Dagon Accaronem; Belus Babylonem, gratum ſibi eſſe oſtenderet, in tu-
telamque delegiſſet. Neque verò minus ſacrum, ſanctumq. illis iam iuſiurandum erat, qui
viam publicam & ſtratam, quæ Dan ab omni Iſraëlis regione petentibus certiſſima & per-
uulgata fuerat, iurando appellarent. Erant autem, Dan in altero Iſraëliticæ regionis fine ad
Septentrionem: Berſabee verò in altero ad Auſtrum ſita. atque vterque locus, quòd totam
terram clauderet, illuſtri & frequenti mentione vſurpabatur. Et conueniunt, inquit, omnis "
Iſraël à Dan vſque ad Berſabee. Sed quæ hoc nomine celebris olim fuerat via, ab altero ad "
alterum

alterum locum pertingens, poſtquam ſtatis ſolennibuſque ſuperſtitionis ceremoniis Dan conſecrata, vel potius polluta eſt, via illa magna vouentium, ſupplicantium, locumque viſentium aſſiduitate celebris euaſerat, nomenque repererat illuſtriſſimum; vt apud nos via Gallicana dicta eſt, quæ ex Galliis Compoſtellam apud Callaicos ducit; quæ Apoſtoli Iacobi ſepulchrum, & monumenta viſendi cauſa non à Gallis modo, & Germanis, & Italis, ſed à noſtratibus etiam, magna hominum celebritate frequentatur: quamuis his miſerrimis temporibus, in quibus veræ pietatis & religionis cultura nimiũ refriguit, via Gallicana luget; eò quòd non ſit qui veniat ad ſolennitatem: ſicut & huius etiam Vatis tempeſtate vię Sion lugebant quòd diſtractis in Dan & Bethel cultoribus minori multò quàm olim frequentia Hieroſolymitana anniuerſaria ſacra colerentur. Hanc itaque vaniſſimæ ſuperſtitionis ſtudioſiſſimam gentem diuini verbi penuria diu afficiendam, mulctandamque iuſtiſſimo Dei iudicio eſſe propheta ait: in qua ignoratione quandiu eſſent, neque miſeriam expuere grauiſſimam, neque vllum perditis rebus modum aut remedium inuenire ſuo conſilio, & ſua induſtria poterant. Atque ob eam rem ſubiungit:

Et cadent, & non reſurgent vltrà.

Iſai.28. CADENT inquit; vt etiam Iſaias dixit: vt vadant & cadant retrorſum, & conterantur
» & illaqueentur & capiantur, ſicut ſcriptum eſt: Cùm prophetia defecerit, diſſipabitur po-
Prou.29. pulus, & cuſtodiens legem beatus eſt. Neque verò integrum illis fore ait, ita iam protritas
» res ſuas reſtituere, quas tunc retinere, & etiam corrigere ante extremam ruinam non ni-
» mis difficile eſſet, diuino dicto audientibus videlicet & pœnitentibus. nunc verò has ærumnas perpeſſuros eſſe, quamdiu in ſumma rerum diuinarum ignoratione verſabuntur: tamdiu autem verſaturos ait, quoad certa quadam gratia & miſericordia Deus inſtaurator, & redemptor ſalutaris reuocatos ſanandos recipiat atque ob eam rem non ait: non reſtituentur, ſed, *non reſurgent vltrà,*] ſua virtute, ſtudio & induſtria. Etenim Iſraëlis perditio à ſeipſo profecta eſt; ſalus autem à diuina miſericordia eſt expectanda, ſicut ſcriptum eſt: Ve-
Iſai.59. niet ex Sion qui eripiat & auertat impietatem à Iacob; & hoc illis à me teſtamentum, cùm
» abſtulero peccata eorum.

CAPVT NONVM.

VIDI *Dominum ſtantem ſuper altare.*

ISRAELITARVM, quicunque in decem tribuum cenſum venerant, cauſa perorata atque iudicio iam pronuntiato; nunc in Iudæorum & Hieroſolymitanorum gentē, quam interim dum alios accuſaret, impietatis etiam inſimulando appellauerat, ſententiam ſubiicit; quorum euerſionem, ita vt inferenda erat, à ſe præuiſam denuntiat. Namq. magna illius iacturæ quam ſuperius explicuimus, hoc eſt diuini verbi penuriæ communione eos etiam Iſraëlitis coniungendos; vtpote ii ſdem ſceleribus, & impietate obnoxios. Id verò prophetico ſpectro ſibi viſum eſſe dicit, quod Deum ſuper altare aureum in templo ſtantem viderit, atque iudicis & maximi principis munere & auctoritate vſum, iubere exterminatorem angelum, & miniſtrum quempiam (qui ei rei præſtò ſunt) ſigno dato atque opere inchoato, regionis, vrbis, & gentis inuadendæ atque euertendæ poteſtatem hoſtibus permittere. Huiuſmodi verò aliquid parari & adornari tum nomine appellando, tum ipſo etiam habitu, ſitu, atque loco notando ſignificat: namq. Domini appellatione auctoritatem, ius ſummamque agendi atque imperandi poteſtatem declarat; quòd is omnium rerum poteſtatem & ius habeat, ſicut ſcriptum eſt: Quia Dominus
Deut.10. Deus veſter, ipſe eſt Deus deorum, & Dominus Dominantium, Deus magnus, potens &
» terribilis; qui perſonam non accipit, nec munera. Idem etiam alio in loco totius terræ Do-
» minus appellatur. Hanc autem auctoritatem ſitu atque habitu ipſo conſeruatam ſe vidiſſe, ſimul & conſilij atque incœpti rationem intellexiſſe Vates ait: *ſtantem ſuper altare.*] Primùm habitus ipſe corporis inſtantem operi attenteque ſtudentem arguit. Attentius & grauius multo ea & iuberi, & agi, & ab aliis excipi ſolent, quæ à grauiſſimis perſonis ſtatibus agen-
Hier.1. da aut imperanda curantur. ſic Deus Hieremiam vatem negotium munuſque ſuſceptum
» exequi iubebat: Tu ergo accinge lumbos tuos, & erectus loquere ad eos omnia quæ ego
Iuue.Sat.11 præcipio tibi. Sic etiam Satyricus: *Vox Domini fremit inſtantis, virgamq; tenentis.*
Super altare vero ſtantem vidit: quòd ſuperiore loco, atq. eodem ſacroſancto auguſtiſſimoque conſtitutũ operi faciendo non tam adeſſe, quàm præeſſe intelligeret. Namq. is gradus & locus

& locus principibus ſummis,& regibus præcipuè aptus eſt, ad quem Pſaltes filium ſuũ Salomonem, vel potius Chriſtum regem maximum futurum hortabatur: Aſcende, proſperè procede,& regna. vnde & Iſaias eam ſibi diuinæ maieſtatis ſedẽ viſam eſſe dicit: Vidi Dominum ſedentẽ ſuper ſolium excelſum & eleuatũ. ſed breuitatem per omnia profeſſi, aliis huius myſterij partibus non ſolùm pro rei maieſtate, ſed pro noſtro etiã captu ſatisfacere modò nõ poſſumus; alias fortaſſe de his & plenius & melius, Deo nobis propitio, diſſerturi. Hæc igitur auctoritas & maieſtas hoc rei agendæ ſtudiũ ſibi viſum eſſe: quid autẽ negotij & rei inſtitueretur, quoniã imagine ipſa perſpici nõ poterat, diuina eſt oratione declaratũ. Pſalm.44. Iſa.1.

Et dixit: Percute cardinem, & commoueantur ſuperliminaria.

QVÆ certiſſimè conficienda negotia & conſtanti volũtate ſuſcepta ſunt, certa quadam actione, geſtu & motu, quæ confectam penè rem declarare, & promittere poſſint, ab auctore ipſo repræſentari ſolent. Atque huiuſmodi actio magnam gerendis rebus non modò auctoritatem, ſed fidem & certitudinem cõciliare poteſt. cuiuſmodi multa exempla & ſacros & prophanos antiquorum libros legentibus occurrunt. Vt, quòd Ioſue, vt expugnaretur Hiericho, ſublatam manu haſtam vrbem verſus tendere iuſſus ſit: Idemq́. deuictorum & captorum à ſe regum ceruicibus pedem imponere milites ſuos iuſſerit: qua te veluti diuino quodam præſagio cæteros omnes hoſtiũ reges pari victoriç felicitate ſuperandos fore confirmabat. De quo genere multa à nobis in Hoſeæ Vatis expoſitionibus dicta; plura etiam proprio & iuſto volumine (annuat tantùm cæleſtis ſpiritus) dicenda ſunt. Hanc modò rationem ſequutus Deus, totius publicæ Iſraëliticæ & Iudaicæ rei præcipitaudę vaſtationem Vati noſtro ſignificauit. namq. ſtans, atque operi inſtãs, viſus eſt miniſtrum quempiã ſuum vaſtatorẽ angelum iubere, vt ianuæ templi ſuperliminare vehementi concuteret ictu, quo permotæ antes etiam ipſæ quaterierẽt. Verùm vt res ipſa planius intelligi poſſit, verborum rationem tum ex Hebraica lingua, tum ex architecturæ arte petere oportuerit. Locus hic ſic Hebraicè eſt: *Percute floratium, & commoneantur anta.*] Ex architecturæ artis diſciplina tria præcipua portarum lapidea membra eſſe didicimus: duo à pauimento dextra, læuaque, ad perpendiculum erecta, ſingulis tantùm lapidibus conſtantia; & quod iis ſuperincumbit: tertium, quibus tribus ianuæ cauitas & apertura definitur. Hæc & alia ædificiorum membra, aliis atque aliis nominibus in aliis linguis dicta, obſcuriorem artis tractationem iis, qui peritiſſimi non fuerint, efficiunt, & interpretationem etiam difficilem reddunt: vt nos (cùm de his artibus fuſius, Deo volente, agemus) explicaturi aliquando ſumus: nunc quibus nominibus hæc ab artificibus dicantur, breuiter exponentes interpretationi explicandæ ſatisfaceremus. Duos illos lapides ad perpendiculum conſtitutos, qui tertium tranſuerſum ſuſtinent, Græci *Paraſtadas*; Latini verò *Antas* vocarunt: Itali nunc *Gambas*; Hiſpani *Iambas*; Germani verò *Thijleiſtain* dicunt: Hebræi autem *Zzaphim* nominant. Tertium porrò illum ſuperincumbentem (ſi ianua quadrangulæ figuræ ſit) noſtri & Itali, *Lintel*; Germani *Thijrſchrvvel*: Græci *Hyperthyron*; Latini limen (quod recentiores ſuperliminare) Hebræi verò *Maſcaph* ſuperius interdum, nonnunquam etiam, vt in hoc loco *Caphtor*, hoc eſt, pomarium dicunt. Quòd vt ſuprema & prominentiſſima eius lapidis pars, quam artifices cornicem dicere ſolent, vt in Dorico ædificio, ouis quibuſdam inſculpta erat; atque ob eam rem ouolum dicebatur: ſic apud Hebræos florum & pomorum ſculpturis erat diſtincta; vnde ex accidenti ornamento nomen accepit. Igitur ſi limen ipſum ſuperius graui aliquo & impetuoſo ictu tangatur, antas vehementer commoueri & concuti neceſſe eſt: quòd liminis vtroque capite, velut brachiis quibuſdam antæ minoræ contineantur; atque ex ipſa architecturæ & ædificiorum naturæ cognitione obſeruabimus fieri non poſſe, vt limen diruatur, quin antæ priores corruant. Atque ex hac huius rei imagine Iudæorum & Iſraëlitarum ruinam Vati præmonſtratam eſſe cognoſcimus. Namque vterque populus concordia & veræ religionis communione, olim vt ianuæ lapides ſibi mutuo officio connexi continebantur: ſed poſtquam diſcordia primum, deinde impietate, ac poſtremò ſcelerum & flagitiorum omnium illuuie, vitium facere cœperunt; tum deinum grauiſſimo & iuſtiſſimo ex diuina ſeueritate motu labefactati conciderunt: ita tamen vt Iſraëlitæ, qui & numero & dignitate Iudæis inferiores, & motu ciuili diſcordiæque ſtudio priores fuerant, priores etiam corruerent: deinde verò Iudæi ſequerentur, quod in illa prima clade, quæ per Aſſyrios reges allata vtriſque fuit, & in hac quam communiter alter atque alter populus perfert, ſicut ſcriptum eſt eueniſſe, hiſtoriis legendis accepimus. Quemadmodum autem totius templi & diuinæ domus, Iſraëliticus & Iudaicus populus ianua eſſet, nunc explicare non vacat: ſed diruendam eſſe portam templi ſatis fuerit intelligere. Eam autem rem ſublimibus, & viſioni idoneis, atque ſolennibus verbis Deus ipſe declarat: namque hoc dicendi

Ioſu.8. Ioſu.10. Hoſſ.1.

Num. 24. dicendi genus huius vaticiniorum partis eſt proprium; cuius generis illud inter alia illu-
» ſtre exemplum eſt: Dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem omnipotentis intuitus
» eſt; qui cadit, & ſic aperiuntur oculi eius: Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & ten-
» toria tua Iſraël: vt vallis nemoroſa, &c. Huius orationis inſtar, & illud quod in hoc loco
ſubiungitur, obtinet.

Auaritia enim in capite omnium; & nouiſſimum eorum in capite omnium, & nouiſſimum eorum in gladio interficiam.

HEBRAICE ſic eſt: *conciſio eorum in capite omnium eorum.*] Conciſionis nomine Hebraicus ſermo multa ſignificat, quæ ad eandem omnia rationem referuntur. In primis autem id quod Græcis ſchiſma, Latinis diſſidium dicitur. Et id etiam quod auaritia atque nimia quædam propriorum commodorum cupiditas eſt. Latinus interpres noſter rem ipſam de qua ſermo eſſet, expoſitoribus cogitandam explicandamque relinquens, alteram tantùm ex Latinis vocibus arripuit: cùm vtramque ſimul ſignificationem vnico verbo reddere Latinè non poſſet. Nos ergo explicationis cauſa conciſionem vertimus, eaque voce Iſraëlitas ſignificari interpretamur, qui communis illius diſſidij, cuius cauſa omnis religionis & publicæ rei ſocietas labefactata eſt, auctores primi fuerunt. Appellantur autem primitiuo nomine conciſio, ſiue ſchiſma, quòd hæc figura familiaris ſacris auctoribus ſæpe, & nonnunquam etiam prophanis ſit, vt à Paulo Iudæorum natio circunciſio, Gentium verò genus omne præputium, à Terentio ſcelus, & carcer quidam dicitur. à noſtris Hiſpanis illa hominum factio quæ ſuperioribus annis Carolo Quinto regnum ineunte, nouas res molita eſt, vulgato nomine communitas appellatur. Igitur conciſione eorum in capite omnium Iſraëlitas primos omnium demoliendos, euertendosque eſſe ſignificat; ita vt qui duces malorum fuerint, priores etiam ſupplicium ſubeāt. [*in capite omnium eorum.*] Duplicem ſententiam hic tropus, præſenti etiam rei accommodatam indicat; & primos omnium Iſraëlitas eſſe abducendos, vt caput pro principio ſumatur: vt, In capite libri ſcriptum eſt de me. Et omnes etiam tam Iſraëlitas quàm Iudæos illius diſſidij & communis diſcordiæ, atque priuatarum, publicarumque inimicitiarum pœnas daturos ſceleri ipſi non diſſimiles, vt ab hoſte capti & abducti, imò diducti & diſiecti, alij aliò migrare, & à proprijs familiis & neceſſariis ſuis diſiungi & ſeparari cogantur. Id etiam ſignificat ſchiſma eorum in capite eorum. vt de homicida in lege ſcriptum eſt: Sanguis eius in capite illius: hoc eſt, quale fecerit, tale expectet. [*& nouiſſimum eorum in gladio interficiam.* Hebraicè, *& poſtremitatem eorum.*] Iudæos ſignificat & Iſraëlitas: nam qui capti ex his non fuerunt ferè omnes hoſtili gladio periêre, ita vt nulli diuinam vltionem effugere potuerint: quicunque enim libertatis ſtudio fuga ſibi conſulere inſtituerant, impediti comprehenſique vitam & libertatem morte mutarunt; vt nemo communium pœnarum expers eſſet, qui impietatis & ſcelerum ſocius fuiſſet. hoc eſt quod ſubiungit:

Non erit fuga eis: fugient & non ſaluabitur qui fugerit ex eis.

NEMINEM fore ait, qui aut viribus, aut curſu, aut latebris periculum euadere poſſit, aut vitare quo minus aut hoſti captus cedat, aut victus ſuccumbat, aut occiſus, vulneratúſue vitam atque ſalutem tradat; quippe cùm hæc omnia non humano, ſed diuino iudicio agenda eſſent; quòd effugere, aut latere nullus homo omnino poſſit, ſicut ſcriptum eſt:
Pſalm.132. Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcēdero in cęlum, tu illic es: ſi deſcen-
» dero in infernum, ades. Si ſumpſero pennas meas diluculò, & habitauero in extremis
» maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me mirabiliter dextera tua. Omnia autem euaſionum, aut latibulorum & perfugiorum genera, quæ à victis timidiſque peti ſolent, complexus, præcludenda ſibi atque obſtruenda, vana denique fore prædicit: nam vel antra & ſpeluncæ, quanta inueniri poſſint altitudine ſubeuntur; vel montes edi-
Pſalm.101. tiſſimi & auij prærupti & denſiſſimi aſcenduntur; de quibus ſcriptum eſt: Montes excelſi refugium ceruis. Erant autem huiuſmodi montes in Iſraël, & in circuitu Hieruſalem, vt Pſaltes cecinit: aut in munita opere & natura loca confugitur; qualis Carmelus mons turres habuit, aut traiecto mari inſulæ, atque tranſmarinæ regiones petuntur, quo hoſtis difficultate, & maris, & viarum odio affectus perſequi negligat. Hæc omnia autem periculorũ perfugia atque latibula multo labore; multo metu & ſumptu etiam, atque ſuarũ rerum iactura empta, nihil illis tandem profutura eſſe prædicit: nam ſi infinita penè altitudine ſpeluncas ſubierint:

Et ſi deſcenderint vſque ad infernum; inde manus mea educet eos. Et ſi editiſſimos & denſiſſimè veſtitos montes occupauerint, *& aſcenderint vſque in cælum, inde detraham eos.*

Neque verò vllis quantumuis difficillimis locis, operibus, molibus, ac munitionibus tuti, diuiſi ac muniti; contra diuinum conſilium & virtutem eſſe poterunt.

Quanquam enim abſconditi fuerint in vertice Carmeli, inde ſcrutans auferam eos.

Quibus neque etiam inſulas, quæ vndique exitus marinos habent, petentibus & obtinentibus in tuto eſſe licebit; eorum ipſorum ad quos perfugerint, incolarum inſidijs & manu perituris; atque in iiſdem ipſis locis creata ſibi pericula experturis.

Si celauerint ſe ab oculis meis in profundo maris, mandabo ſerpenti, & mordebit eos.

NVLLA enim mundi tam remota, retruſa atque abdita in tenebris eſt pars, quò diuini conſilij atque imperij vis non penetret. nulla, quæ diuini iudicij & voluntatis publicis ac priuatis ex omni naturæ genere miniſtris vacet. Id adeò veriſſimum certiſſimumque eſſe Ionas ingentis illius ceti ventre concluſus probauit & docuit. Idcirco nemo putet ſe Dei oculos alicubi agendo, aut manus latendo, aut diligentiam effugiendo fallere poſſe; quandoquidem terra marique conquiſitus, tardiores fortaſſe, grauiores tamen ſceleris, impietatis & temeritatis pœnas tandem ferens, illuſtriori prouidentiæ exemplo futurus eſt. Igitur nullam victis & timidis in fuga, aut latebra ſalutis ſpem fore prædicit: ſed neque in humana prudentia, aut conſilio aliquam libertatis aut reſtituẽdæ rei meliorem rationem experiundam eſſe ait: Etenim nullam rem ex conſilij aut animi ſententia ſucceſſuram confirmat. namque illud maximè apud homines receptum eſſe ſolet & peruulgatum, rebus afflictis, quod minus eſt miſerum, eligendum eſſe. vnde conſultiſſimum eſſe quidam exiſtimarunt in grauiſſimis tempeſtatibus tempori cedere, & vitam conſeruare libertate amiſſa & perdita; etenim viuẽtibus aliqua de reſtitutione ſpes eſt, mortuis verò nulla. Fuere quidem aliquando quibus hæc tentata ratio ſucceſſerit: nam aut temporum rerumque viciſſitudine, quæ omnia variare ac mutare putatur; aut gratia apud Dominos inita; aut pretio, & redemptione, aut fuga, dolo, arte, alióue modo priſtina libertas & dignitas fuit reſtituta. qua de re illuſtres ſententiæ ac prouerbia in omni lingua decãtata & obſeruata ſunt, vt illud in Hiſpano ſermone celeberrimum: *años y vida componen villa.* Sed nullum huiuſmodi conſilium illis profuturum eſſe Deus prædicit, quos ipſe certis ſcelerum ſuorum pœnis deſtinauerit: namque his ademptam ſemel libertatem nunquam fore reſtituendam; ſed vitæ in duriſſima ſeruitute productæ calamitoſum etiam & ignobiliſſimum exitum futurum, quoad tandem ei genti Deus vltrò miſertus, veram animorum libertatem & dignitatem afferat; interim tamen miſerè inter hoſtes, atque inuiſas ſibi infeſtaſque nationes perituris. Hoc eſt quod ait:

Et ſi abierint in captiuitatem coram hoſtibus ſuis, ibi mandabo gladio & occidet eos.

MODVS ipſe dicendi deliberatum conſilium & electionem cum meliorum rerum ſpe indicat. Gladium aut afflictionẽ, vitæque duriſſimæ & calamitoſiſſimæ genus omne interpretamur, quo conſumpti in eadem ſeruitute, præter ſpem atque animi ſententiam diem claudant; ita vt aſsiduo miſeriarum ſenſu & vſu exerciti, diuinæ prouidentiæ, quæ in ſceleribus vindicandis ſpectari etiam ſolet, perpetuo argumento exemploque ſint.

Et ponam oculos meos ſuper eos in malum, & non in bonum.

OCVLI Dei rerum omnium cognitionem, proſpicientiamque ſignificant; quam prouidentiam Latini vocant. Hęc in humanis rebus duplici potiſſimùm modo ſpectatur, piorum hominum felicitate, ac proſperitate, & ſecundis rebus, & præcipuè improborum vlciſcendis ſceleribus, ſicut ſcriptum eſt: Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum. Igitur perpetuo miſeriarum, ærumnarum & calamitatum timore illorum res fluentes, diuinam prouidentiam, vt in maleficijs puniendis ſpectatur, probatum iri confirmat. [*In malum & non in bonũ* ait.] In hunc adeò locum, quẽadmodum à Vate noſtro prædictum fuit, Iſraëlitarum & Iudæorum res perueniſſe; quem etiam nunc teneant, nemini qui eas quæ de illis ſunt, hiſtorias legerit, vel præſentes rationes cognouerit, obſcurum eſſe poteſt. Ita certè iudicij ſui ſeueritatem horum exẽplo omnibus hominibus teſtatã eſſe Deus voluit, vt nos alieno malo ſaperemus: propter quos omnia hæc ſcripta ſunt, in quos ſeculorum fines, vt Apoſtolus ait, deuenerunt. Atque illud quidẽ ad hunc locum pertinet, quòd multi ex Iudæis Babylonicæ captiuitatis odio, & belli metu in Ægyptum transfugêre, ibi potius ſeruitutem ſeruire eligẽtes, quàm apud Aſſyrios: quibus tamen cùm certa, & diui-

na,deſtinataq́; ſententia addicti,& quaſi conſecrati eſſent,tandem non eripi potuerũt:nam quorum ſeruitutem metuentes effugiſſe,aliaque ſeruitute mutaſſe putauerant,eorundem gladium & ſæuitiam ſubiere;& huius Vatis atque Ieremiæ etiam,quem eam rẽ diſſuadentem,conſiliumque improbantem audire neglexerant,orationem & prædictionem veriſſimam eſſe,exitu ipſo,hoc eſt,ſuo magno malo,probauere.Ita qui Deum ſibi proſpecturum aliquando fore contra diuini conſilij ſententiam ſperabant, proſpicientem quidem,at non in bonum, ſed in malum experti ſunt. neque enim deſcendẽtium in Ægyptum aut exilij,

Exod. " aut præſidij,& perfugij cauſa,eam rationem quam olim dum in Ægypto agerent, habiturus eſt Deus;tunc vidit Dominus afflictionem populi ſui,& recordatus eſt eorum,vt in ſacris libris eſt:ſed aliam longè viam eſt initurus,vt illis conſilium ſuum diuinum,quod falli,aut frangi, aut mutari poſſe putabatur,firmum fixumq́ue ſemper fore in eos omnes qui

Ierem. 42. " conari contra ſtuduerint,oſtendat, ſicut prędictum illis à Ieremia eſt: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël:Si poſueritis faciem veſtram vt ingrediamini Ægyptum,& intraueritis vt ibi habitetis,gladius quem vos formidatis,ibi comprehẽdet vos in terra Ægypti,Ita adeò Deus ponet oculos ſuos in eos in malum,& nõ in bonum, vt perpetuò malorum ſenſu Deum infenſum agnoſcant.neque verò hanc rem alienam à diuinis rationibus putari debere ait;quando diuinam prouidẽtiam in vtroque genere verſari res ipſa & quotidianum exemplum doceat, vt orbis partibus, ſic etiam orbis partium habitatoribus interdum proſperitas & incrementa; interdum verò,cùm res,ratioque exigit, detrimenta & vaſtatio afferantur.Id autem quo minus efficiat (cùm vt fiat certi ac magni conſilij fuerit) nulla vi impediri Deus poteſt:quippe qui rerum omnium,& mundi ipſius vno omnia ambitu continentis auctor,& ſummus moderator ſit. Atque ita ſæpe vſu venire videmus, vt eandem terram, quam aliàs in hominum gratiam tanta benignitate proſequitur,tãto tamq́ue pulchro plãtarum & florum veſtitu ornat,tanta frugum & fructuum vbertate,& om-

Gen. 1. " nium rerũ affluentibus copijs ditat,(ſicut ſcriptum eſt:Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum,&c.& producat terra animã viuentem in genere ſuo,&c.)eandem, inquam, motu concutiat, fulminis ictu incendat,& alijs atque alijs modis in hominũ per-

Pſal. 106. nicrem & pœnam, inhabitabilem atque incultam reddat,ſicut ſcriptum eſt: Poſuit flumi- " na in deſertum,& exitus aquarum in ſitim; terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia habitantium in ea. Id adeo illi infinita, tum ſapientia,tum virtute pollenti liberum integrumq́ue omnino eſt huius ſententiæ eſt id quod ſubiungitur:

Dominus Deus exercituum, qui tangit terram & tabeſcit, & lugebunt omnes habitantes in ea.

EXERCITVVM nomen appellatum,diuinam virtutẽ & poteſtatem ad quamcunque rem gerendam indicare,iam ſæpe aliàs diximus:Dominationis verò, aut Domini vocem, ad vim auctoritatemq́ue pertinere. Igitur qua ratione diuina prouidentia & virtus in ipſis mundi & terræ partibus,nunc benignitate,nunc etiam calamitate afficiendis ſpectatur; ſic in terræ habitantium hominum rebus tum proſperè augendis, tum etiam vbi opus ſit, funditus euertendis, eandem ſpectari poſſe conſequitur: namque & tactam terram contabuiſſe, ſterilemq́ue eſſe relictam, & habitantes in ea è ſumma vitæ iucunditate in maximam & luctuoſiſſimam extremamq́ue vaſtationem deueniſſe accepimus. Hoc autem & altero etiam exemplo amplificatur. Nili amnis quem interdum intumeſcere, & magna atque altiſſima exuberatione inundare,& rurſus reſidere, atque intra ſuum ſeſe alueum continere facit, vt & hominum res magno nonnunquam impetu conuelli & labefactari; nonnunquam placido & ſecundo curſu fluere poſſe(prout diuini iudicij cõſilio & ſententia decretum fuerit) oſtendatur. Hoc eſt quod addit:

Et aſcendet ſicut riuus omnis, & deſluet ſicut fluuius Aegypti.

VNVM idemque nomen in vtroque loco eſt *Riuus & fluuius Aegypti*, IOR Hebraicè,quem Nilum propriè eſſe in ſuperioribus docuimus: ſed vbi nos *deſluet* legimus, in exemplari eſt *abſorbetur*:quod verbum fluuij eſt proprium.Qui poſtquam iam altius exuberauerit,natiuo rurſus recipit ſe leniori alueo. Igitur diuina virtus, & illa maxima tot tantorumq́ue exercituum vis,in iis qui diuinæ miſericordiæ conſilio, aut ob impietatem , aut ob ſcelera deeſſe volunt, otioſa nõn eſt.[*Et aſcendet ſicut riuus omnis*, Hebraicè, *omnis ea*:]Terram Iſraëlis ſignificat;& metonymicè eos qui eam regionem incolerent. Verùm enimuero cùm hominum inſipientia & ſtultitia hanc Iſraëliticarum rerum euerſionem perperam interpretari, & ad Dei potius inconſtantiam,quàm ad humanam culpam non vereatur forſitã referre, oſtendit Vates nullam vnquam magnorum cõſiliorum mutationem Deo adſcribi poſſe, ſed culpam in hominibus reſidere.Quamobrem bonis & felicibus initijs eorum res orſæ,

contrarios

contrarios interdum exitus habeant: quòd nimirum eas rationes atque artes quibus felici-catis ſuæ certum, perpetuum, conſtantemque curſum tenere potuiſſent, repudiare pótius quàm perſequi voluerint, atque ita fit, vt Deus nunquam ſibi non conſtet, nunquam hominibus deſit: homines verò per ſummam inconſtantiam diuino de ſe conſilio, atque ſibijpſis ſæpiſſimè deſint. Neque verò quòd Deus ad beneficentiam vltro propenſus ſemper ſit, impediri poteſt, quo minus etiam pœnam & ſupplicium de ſceleratis ſumat: etenim id rerum omnium moderatori liberum eſt, vt & iudicandi ſeuerè, & benefaciẽdi poteſtatem voluntatemque retineat. Quamobrem idem Deus ſupplicium & pœnas ab impijs & ſceleratis Iſraëlitis repetens, eandem erga Iſraëlem ornandum, atque omnium rerum cumulo augendum, voluntatem retinere poteſt. Propterea enim Dominus, omniumque moderator eſt, vt & ſuæ voluntati atque conſilio non deeſſe, & officio etiam abunde ſatisfacere poſſe intelligatur. Igitur cùm maieſtatem illam ſuam, decus & ſplendorem maximum ſerena cæli facie & temperatura præcipuè ſpectanda prębere opus eſt (cuius rei cauſa cælum ipſum conditum eſt: vt, Cælum cæli Domino Vates canebat) tunc puro lumine omnis hæc ſuperiorum corporum machina interdiu, & vnumquodque ſtellarum corpus noctu fulgens, magnifica & admirabili oſtentatione diuinarum laudum præconia, & præclara teſtimonia confirmant, ſicut ſcriptum eſt: Domine Deus meus magnificatus es vehementer, confeſſionem & decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento. Cùm verò iuſtitiæ ſeueritatiſque in eos qui contra ius faſque cõmiſerint, exempla grauiſſima edi, res ratioque poſtulat; tum verò & nubibus cælum obducere, & terrã ventis quatere, atque aquis obruere; hiſque rebus ſe Dominum ſumma libertate, auctoritate, atque virtute pollentem teſtari ſolet, vt ſcriptum eſt: Vox Domini concutientis deſertum: & commouebit Dominus deſertum Cades. Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condenſa, & in templo eius omnes dicent gloriam. Dominus diluuium inhabitare facit: & ſedebit Dominus rex in æternum. Hi verſus eius quem diximus ſenſus rationem ſequuntur; eandemque etiam ſententiam ſubiecta oratio explicat:

Pſal. 103. Pſa. 28.

Qui ædificat in cælo aſcenſionem ſuam, & faſciculum ſuum ſuper terram fundauit.

PRONOMEN (*ſuam*) & ad Deum ipſum, & ad Iſraëlem nulla ſententiæ pugnantia referri poteſt: namque vt ſuam ipſius amplitudinem in cælis (quæ eadem vbique eſt) præcipuè Deus collocauit; ſic etiam Iſraëlis dignitatem ſummum ſplendoris gradum præ cunctis filijs Adam compleri voluit; idque indito nomine, virtutem diuinam illi adſcribẽs, declarauit. Atque vt hominum omnium generi, concordia, pace, iuſtitia, & fide mutua inter ſe vtenti, terram tot bonis, tot diuitijs, tanta rerum varietate atque vbertate refertam, tanta pulchritudine diſtinctam & ornatam in vſum cedere decreuit: ſic & celeberrimam illam omnium terræ orbis partium Palæſtinam, Iſraëlis poſteritati, eadem religionis, virtutis & fidei concordia, quaſi faſciculo quodam inter ſe coniunctæ fuiſſent, propriam fore ſtatuit, ſicut ſcriptum eſt: Quando diuidebat Dominus gentes, quando ſeparabat filios Adam; conſtituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Iſraël: pars autem Domini populus eius. &c. Exiſtunt autem perſæpe tempora, quibus Deum, qui ſeſe dignitate & gloria præſtantiſſimum, maieſtate ſua admirandum, qui benignum atque miſericordem erga homines præbuerit; rurſum ſeuerum ſe iudicem, liberrimum atque potentiſſimum, rerum omnium Dominum præbere, ſuaſque leges & iura, quibus illa alia & ſibi, & hominibus conſeruare decreuerat, vindicare oporteat. Neque verò id tum agitur, vt contra ſuum illud antiquum & præclarum conſilium decernatur aliquid noui, (quoniam immutabilis, conſtantiſque omnino ſententię diuina ſua natura eſt) ſed nequid noui, & præter antiquum conſilium decerni videri aut putari poſſit; & vt conſultis ac legibus ſuis defendendis eadem ſibi ſemper conditio maneat, qua tranſactum olim cum hominibus fuerit; ita verò tranſactum erat, vt nulla antiqua diuinorum beneficiorum poſſeſſione, nullo diuturno vſu, nullis verbis, nullis promiſſionibus, quicquam diuinæ dominationi, dignitati, atque auctoritati derogari poſſet: ſed tam diu ipſe in beneficio hominibus collocando perſeueraret, quàm diu ipſi in fide atque pietate ſanctè & purè colenda manerent: alioqui verum rerum omnium dominum, & liberrimum rectorem atque ſeuerum iudicem, ſuarumque rerum aſſertorem experturi; cuius diuino beneficio fuiſſent abuſi. Id quod cõmuni diluuio terris inducto ſemel, et priuatis terrarum inũdationibus, alijſque euerſionibus, & rerum publicarum calamitatibus allatis ſæpe etiam teſtatus eſt. hoc eſt quod ait:

Deut. 32.

Qui vocat aquas maris; & effundit eas ſuper faciem terræ, Dominus nomen eius.

DILVVIVM & nubium dẽſitate in pluuiam coacta, & marinarum aquarum eruptio-

nibus fieri, ſacra nos docet philoſophia. Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnę, & cataractæ cæli apertę ſunt, inquit Moſes. Hęc verò Dei conſilio, auctoritateque accidere Vates noſter ait: namque nomen pro officio vſurpari in ſacris literis perſæpe videmus: vt,
Pſalm.188. Qui enumerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. Appellatur autem hoc in loco nomen illud ineffabile, Gręcis Tetragrāmaton dictum: quod pręter alias innumeras rationes miſericordiam, & naturę conſtantiā ſignificare aliâs diximus. Hoc nomen
Gen.7. etiam inducto in terras diluuio, & turbatis mundi rebus, non mutari, aut minui, ſed conſeruari & defendi, Vates confirmat. namque idem qui humanarum rerum ſtatum, publica orbi allata ſalute, reſtitutum aliquando atque etiam auctum iri promiſerat; idem ipſe
Gen.2. Dominus, primos hominum parentes à deliciarum hortis, in quibus vitę arbor erat, relegauit, & longè abeſſe iuſſit: atque in vtraque narranda re diuinū illud nomen appellatur, quod ad verborum proprietatem, ſententiæque rationem attinet. Vox illa *aſcenſionem*, Hebraicè eſt *gradus*] numero multitudinis: vt diuinę maieſtatis miro ordine diſtinctā regiam in cęlis eſſe oſtenderet. Hoc in loco multa & acutè ſanè ab alijs interpretibus ex Philoſophię & Aſtronomiæ diſciplina tractari, maximè autem ab Hebræis, non ignoramus: ſed nos eam potiſſimùm rationem ſequuti, quæ cum re ipſa, de qua ſermo eſt, cōuenire videatur. reliqua conſultò prætermittimus, commodè in locis ſuis, & proprijs tractationibus accuratius diſſerenda. Supereſt vt hunc locum quemadmodum Chaldaicè legatur exponamus: *Et Dominus Deus exercituum qui increpat terram, & turbat eam, & vaſtantur omnes habitantes in ea; & abducit ſuper eam regem cum exercitu ſuo qui plurimus eſt, vt aqua fluuij, & obtegit eam omnem, & abſorbetur vt flumine Aegypti. Qui ponit in fortitudine altitudinis maieſtatem gloriæ ſuæ, & congregationem ſuam ſuper terram colligat. Qui dicit cœtui exercituum plurimorum vt aqua fluuij, & diſpergit eos ſuper facies terræ: Dominus nomen eius.*] Atque hactenus tertij vaticinij commentationem ſumus perſecuti; nunc deinceps quartum atque vltimum explicādum aggrediamur, eodem diuino ſpiritu auctore, cui vni quicquid à nobis rectè dictum ſit, acceptum referimus.

VATICINII QVARTI ARGVMENTVM.

QVARTVM *vaticinium difficiliorem ſententiarum conſequentiam habere videtur; quòd non ſimplici, ſed multiplici argumento conſtet: ex qua re effectum eſt vt tam ex noſtris, quàm ex Hebræis, Chaldæis, & Græcis expoſitoribus alij in alias cogitationes diſtracti ſint, quas enumerare & referre, neque conſentaneum conſilio inſtitutoq́ noſtro, neque ipſi etiam cognoſcendæ rei neceſſarium eſſe duximus; ſatis officio noſtro factum, ſi ei vni inſiſteremus viæ, quæ maximè cum orationis connexione, & rerum inter ſe conſequutione conuenire viſa eſt. Igitur totius quæ in hoc vaticinio tractatur cauſæ caput, & rerum omnium ſumma huiuſmodi eſt: Principio filios Iſraelis omnes, vniuerſamq́ Iacobi familiā, ſibi in ſeruitutē adiudicat Deus, vt ære ſuo emptos quoſque magna manu & virtute ſolutos ergaſtulis ex Aegypto eduxerat: partim verò vernas eadem cum parentibus conditione generatos. Eoſdē verò ob eam rem maximo iure ſibi præter alias omnes orbis nationes deditiſſimos eſſe oportere; quòd propria quadam atque priuata cura ſuſcepti, domeſtici atque familiares effecti, cum magni & opulenti peculij vſu clementiſſimæ ſeruitutis conditione à parentibus accepta, quæ poſteri nati eſſent, viuere deberent; id quod nullis alijs totius orbis gentibus contigerat, vt à duriſſima ſeruitute redemptis, in diuinam familiam receptis, egregius quidam præ cæteris diuinæ in ſe tutelæ cura, ac prouidentia, maximorumq́ beneficiorum, vltrà quàm dici poſſet; maximus & perpetuus eſſet vſus. Eam igitur ſibi præ cunctis alijs in ſuam familiam & in proprios ſeruos, tot tantiſq́ impenſis rebus adoptatam, quamuis maximis ſceleribus offenſo, quamuis ſummæ impietatis flagitio, atque fidei proditione vehementer irritato, funditus tamen perdere & delere aut à ſe in æternum abdicare, conſilium non fuit; cùm aliæ nationes, ob paria aut etiam minora ſcelera, euulſæ radicitus, ſuiſq́ locis excuſſæ, nulla reſtitutionis ſpe, fuerint. Verùm enimuero vt vitia & peccata neque Deo vnquam placere, aut probari, aut penitùs diſsimulari, aut alicui impunè admitti quiſquam exiſtimare poſſit, illam in Iſraelitarum cauſa ſententiam latam eſſe, vt captis, exulibus, totoq́ orbe diſperſis, patria, honoribus, lege, religionis ſplendore, atque omni vitæ ornamento & cultu, diuinæ denique familiæ & domeſtico illo magnæ prouidentiæ vſu carendum ſit atque in eo miſeriarum & moleſtiæ ſenſu tam diu manendum, quoad ſceleratiſsimi & perditiſsimi quiq́ ex illis, qui eiuſdem ſceleratæ culpæ, conſilij, ſententiæ & opinionis participes fuerint, extinguantur; reliquis verò qui reſidui ex tanta clade fuerint, ignoſcendi propoſita venia, aditus ad diuinam gratiam aperiatur, & poſtliminio redeuntibus, atque in familiam denuo tanquam adoptatis, non iam ſeruorum, vt antea, ſed filiorum obtineatur ius, cæleſti etiam ciuitate diuino beneficio donatis, optimi maximiq́ illius regis Dauid, Ieſu Chriſti, inquam, Nazareni ſummum, feliciſsimum atque æternum imperium omni offenſionis, aut antiquæ renouandæ miſeriæ depoſito metu, ſanctiſsimè obſeruetur. Hoc autem argumentum totius orationis explicandæ eodem duce perſequemur.*

NVN-

Nunquid non vt filij Aethiopum vos eſtis mihi filij Iſraël? ait Dominus.

POSTQVAM Amoſo interprete Dei aduerſus Iſraëlitas actio facta & perorata, iudicis etiam vltima pronunciata ſententia & tota demum cauſa iudicata atque dānata eſt: poſtquam quantum homines ſuis conſilijs, & ſtudijs, atque actionibus ſibimet ipſis malorum parare atque moliri ſoleant, ſatis eſt explicatum; rurſus quantum beneficiorum habere ab eodem Deo poſſent, niſi ſeſe planè indignos præſtare voluerint, oſtenditur. qua in re antiqua illa & propria Dei erga homines ſummis beneficijs ornandos voluntas maximè declaratur; qui neminem vellet perire, neque humanis pœnis vnquam delectatur, ſed magis hominum ſalute, & vera tum corporum, tum animorum felicitate, cuius auctor ipſe eſt, afficitur. Hactenus ergo quibus modis diuino conſilio Iſraëlitæ deeſſent, oſtenſum eſt: nunc verò qua ſapientia Deus vtatur, vt conſilio nunquam deſiſtat ſuo, explicabitur. Qua in re ſolenne illud ſuum ſeruat, vt ne quem vatem, quamuis duriſſima & ſeueriſſima alias mandata perferentem, tamen ſine conſolatorijs promiſſionibus & lætiſſimis de hominum ſalute, ac reconciliatione, & de harum rerum procuratore Chriſto nūtijs dimittat. Oſtendit ergo nullam inferni, hominum & Dei hoſtis, antiqui illius ſerpētis aſtutiam, nullā calliditatem, nullam tantam verſutiam eſſe poſſe, quæ diuinū de Iſraëlitarum ſalute & dignitate conſilium vel frangere, vel minuere valeat. Ipſos autem Iſraëlitas ad eius rei ſpem & ſtudium exhortatur, affirmans fieri non poſſe, vt quorum parentes in Dei familiam & ſeruitutem tot tantiſque ſumptibus empti; & tanta vi abducti olim fuerint; & ipſi illorum parentum poſteri naſcendi conditione & nexu, eiuſdem Domini ſerui facti, vlla vi, aut iniuria, aut fraude in alienam poteſtatem ita redigantur, vt nunquam ſibi, hoc eſt, vero ac iuſto Domino reſtituendi ſint. Principiò autem ait Iſraëlitas omnes ſeruos ſui iuris, & ditionis, ac perpetuæ ſeruitutis legibus vltra omnes alias orbis nationes deuinctos: quippe quos ex miſerrima & duriſſima Ægyptiaca ſeruitute, in qua tam diu detenti fuerant, maximo aduerſus hoſtes ſuſcepto bello & exhauſto ereptos ſuique iuris factos eſſe conſtet, ſicut ſcriptum eſt: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Et iterum, Ego, inquit, Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti de domo ſeruorum. Quæ verò iuſto & legitimo bello ex hoſtibus detrahuntur, aut auferuntur res, in victoris ius, poteſtatem atque vſum cedunt. Ita adeo Iſraëlitę ex Ægyptijs à Deo erepti, non ſeruitutis conditionem, ſed modum rationemque mutauêre: ab impijs enim & crudeliſſimis dominis, ab iniquiſſimis ſeruiendi legibus, ad clementiſſimum Dominum, atque ad æquiſſimas & honeſtiſſimas leges, ad iucundioris vitæ vſum, ad maioris & elegantioris multo peculij ſpem & poſſeſſionem traducti ſunt. Cætera autem nō meliori quàm Æthiopum filij (qui cum parentibus ſuis ſerui ipſi perpetui, & ſeruituti nati ſunt) cōditione erant. Filios autē Æthiopum tam inde à principio in ſeruos abduci, emi, atque vendi ſolitos eſſe, eorumque ſeruitutem perpetuam pro dominorum arbitrio ſemper fuiſſe, omnibus hiſtorijs & poëtarum libris, ac perpetua vſque ad noſtram ætatem conſuetudine compertum exploratumque eſt. namque ea conditione, atque eo fato Chami poſteritatem naſcituram, antiquus ille Noë ob proditum aduerſum ſe pietatis officium filio dira imprecatus, prædixerat: Maledictus, inquit, puer Chanaan, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis. Hoc autem fatum & pœna Chami improbitati debita, non ad Chanaā ſolùm, qui Syrorum pater fuit, ſed ad cæteros fratres, quorum ipſe minimus natu erat, pertinuit: Vnde & Syrorum, & Aſſyriorum, & Armeniorum nomina ſæpe in ſeruorū rationibus atque appellationibus vſurpantur. Æthiopum porrò genus nunquam hanc conditionis rationem, ſicut neque atrum colorem hactenus mutauit: ex eo enim genere ſerui plurimi fiunt, eorumque ſoboles eadem cum parentibus conditione naſcitur; quin & ſeruitutis nota præter omnes mortales inuſti ſunt; nimirum colore ipſo, qui vel fugitiuos prodit & indicat, vel manumiſſos tamen extra propriam ciuitatem ſecuros agere non ſinit: ſeruitutis enim & fugæ ſuſpicionem, niſi vbi planè noti fuerint, declinare nequeunt. Quamobrem pro manifeſtis ſeruis id genus præter cęteras nationes habetur. Eiuſmodi ergo ſeruitutis manifeſtæ & perpetuæ iure Iſraëlitas Deus ſibi aſſerit, quod geſtarum à ſe rerum narratione confirmat, & duabus illuſtribus comparationibus amplificat; altera præteritorū, altera verò futurorum: oſtenditque nullam fuiſſe antea nationem, nullam porrò futuram, quæ ſimili diuino beneficio affecta ſit, vt ex longa & dura captiuitate atque ſeruitute redempti, ad certam & liberam regionem, meliori quàm antea vitæ vſu, & ſeruitutis legibus & pactis clemētiſſimis incolendam traducti fuerint; quemadmodum Iſraëlitis diuino munere & miſericordia contigit. Ait enim:

Deut. 14
Exod. 20.
Gen. 9.

Nunquid non Iſraël aſcendere feci de terra Aegypti.

TRIBVS inter ſe collatis exemplis præcipua quadam ſeruitutis lege Iſraëlitas teneri

confirmat: quòd cæteris qui vicini eorum regioni aut incolæ fuerant, ab hoſte abductis, & in perpetua captiuitate detentis, nullus vnquam ad reſtitutionem & libertatē patefactus, aut patefaciendus fuerit aditus. Illis verò ex longa & grauiſſima ſeruitute, quam ex quo gens eſſe cœperant, miſerè tolerauerant, redemptis aliena regio rebus omnibus quæ ad vitam bene beateque degendam opportunę ſunt, referta, occupanda ſit tradita; in qua illis Deo vindici & redemptori ſeruiendum perpetuò foret. Hanc verò rationem interrogatione vſus eloquitur, quæ manifeſtam habet reſponſionem, cuius magna ad probandum vis & efficientia eſt, hoc modo: Nunquid pari neglectu, & ſimili omnino ratione Iſraëlitarum & Palæſtinorum, atque Syrorum res tractatę ſunt, & tractabuntur? vt nulla ex his tribus gentibus meam erga ſe diligentiam, curam, & magis ardens ſtudium, quàm reliquæ, experta fuerit? Sed pari omnes captiuitate, pari etiam captiuitatis euentu vſas ſe eſſe affirmare poſſunt. id profectò non ita eſt: nam ſi maximè Palæſtini Caphtoræis; Syri Aſſyrijs; Iſraëlitæ ab Ægyptijs in ſeruitutem dati ſint; tamen Iſraëlitæ ſint à me non captiuitate ſolùm liberati, ſed ergaſtulis etiā ſolutis, educti & magna atque potēti manu ad hanc quam tenent regionē, pulſis antiquis cultoribus, deducti: Sic adeò illa oratio comparationis rationibus examinanda eſt; atque argumētatio hoc modo tractanda: Quicunque è duriſſima ſeruitute bello & prælijs commiſſis liberati, & ad victoris familiā traducti ſunt, ſeruitutis legibus victori tenentur. Ex tribus autem gentibus apud alias nationes captiuis, ſoli Iſraëlitæ duriſſimè omnium crudelibus dominis ſeruientes, valida Dei manu liberati & educti ſunt. Igitur Iſraëlitas ex tribus eiuſdem conditionis gentibus hoc beneficio affectos, præ reliquis hac lege ſingulariter teneri conſequitur. Argumentatio perfecta & plena eſt: Propoſitio gentium iure eſt manifeſta. Aſſumptio autem aut ex hiſtoria petenda, aut ipſorum aduerſum quos agitur confeſſione patefacienda eſt. Neque enim Iſraëlitæ dicere poſſunt ſe ex Ægypto; & Palæſtinos ex Capthor; & Syros ex Quir non fuiſſe eductos; ſit verum licet Palæſtinos & Syros perpetua captiuitate detineri, tamen verum non eſt, Iſraëlitas perpetua captiuitate eſſe detentos. Sic adeò hæc propoſitio tribus membris ex parte ſubiecti conſtans, quamuis vno atque altero vera ſit, tertio tamen falſa eſt, ac proinde tota falſa, atque ad arguentis ſententiā confirmandam ſatis idonea eſt: namque hypotheticam propoſitionem copulatiuam vt veram totam ſtatuamus, omnibus veris partibus conſtare neceſſe eſt. Igitur hæc non eſt vera, Iſraëlitæ, Palæſtini, & Syri liberati non ſunt: namque Iſraëlitas liberatos fuiſſe conſtat, & diuinis prodigijs & maximis ſignis; quibus res ipſa geſta in Ægypto, & per totam viam omnibus itineribus, quoad in Chananæorum regionem peruentum eſt omnino, confecta fuit. Illud igitur in complexionem infertur, quod initio vt probaretur fuerat propoſitum: Iſraëlitas Deo perpetuæ ſeruitutis legibus non ſecus atque Æthiopum filios proprijs dominis teneri. Argumentatio autem Enthymemate potius, quàm integro ſyllogiſmo tractata eſt, in quo propoſitio tantùm, aſſumptioque poſitæ ſunt; atque ex aſſumptione propoſitio ipſa in complexionem eſt illata. Maior autem propoſitio, quòd tum arguendo, tum probando manifeſta ſit, conſultò eſt prætermiſſa. Atque hoc argumentandi genus in veris orandis cauſis frequenter vſurpatur. Libuit autem in hac diſtribuenda argumentatione aliquanto ſuper commorari, quam ad ſententiam aperiendam probandāque rem ipſam apprimè conducere arbitrabamur. atque hactenus argumentatio ipſa diſtributa, & aſſumptionis illa pars quæ ad probandam cauſam pertinebat, vel vno Ægypti appellato nomine eſt confirmata: Quòd notum omnibus exploratumque eſſet Iſraëlitas ab Ægypto eductos atque deductos fuiſſe. Nunc verò quemadmodum tantum à Deo beneficium nec Palæſtinis, nec Syris contigerit, explicemus: qua in re Iſraëlitæ præ cæteris gentibus, quas huiuſmodi beneficio affectas non eſſe conſtat, ſeruitutis pactionibus, & religione ſempiterna obligari eſſe conuincentur. Eſt autem hæc propoſitio: non vt Palæſtinos ex Caphtor, & Syros ex Quir; ſic Iſraëlitas ex Ægypto non fuiſſe eductos. Alterum verò exemplum ex præteritarum; alterum autem ex futurarum rerum hiſtoria petitum, illud nimirum probat Iſraëlitas maiori in hac re beneficio affectos fuiſſe, quàm aut alia olim natio affecta fuerit, aut deinceps ſit afficienda. Quamobrem mirandum non eſſe quòd cum eis ſeruitutis iure agatur, cum alijs non item, ſicut ſcriptum eſt: Ego Dominus Deus veſter, qui eduxi vos

Leuit. 26. " de terra Ægyptiorum, de ſeruitute eorum: & qui confregi cathenas ceruicum veſtrarum
" vt incederetis recti. Quòd ſi non audieritis me, & non feceritis omnia præcepta mea, &c. Palæſtini & Caphtoræi, qui in Chaldaicis biblijs ſemper Caputhcæ, & in noſtris Latinis Cappadoces dicuntur; quanquam ſedibus olim diſiunctos, ex Mizraim poſteritate, hoc eſt, ex Aegyptiorum genere fuiſſe Moyſes in ſumma illa orbis terrarum deſcriptione teſtatur. At verò, inquit, Mizraim genuit Ludim, & Ananim, & Laabim, & Nephtuim, &

Gen. 10.

Phe-

Phetruſim, & Chaſluim, de quib. egreſſi ſunt Philiſtim & Caphtorim. Poriò Philiſthæi
ſiue Palæſtini loca illa tenuerunt maritima, quæ inter Sidoniorum & Cananeorum fines »
media ſunt: quorum metropolim Gazam fuiſſe ſæpè legimus; ſicut ſcriptum eſt: Factique
ſunt termini Canaā venientibus à Sydone Geraram vſque Gazam, donec ingrediaris So- »
domam & Gomorrhā, Adamā & Seboim vſque Luza. Ex Palæſtinorū etiam genere He- ».
uæi fuēre, qui plurima eius regionis caſtella ad Gazam vſque pertinentes occupauerant.
Horum autem loca à Cappadocibus, generis quidē communione cōiunctis, ſed ſtudiorū
fortaſſe contentione aut inuidia, aliáue ſimultate diſſentiētibus inuaſa, debellata atque oc-
cupata fuerunt, ipſique locorū habitatores Heuæi, partim extincti, partim à victoribus
præſidia & colonias ſuæ gentis ibidem collocantibus abducti ita ſunt, vt nunquam
poſtea in ſuas ſedes, vel propria virtute, vel Dei omnia gubernantis conſilio fuerint reſti-
tuti. Hæc autem res ſic à Moſe narratur: Heuæos quoque, qui habitabant in caſtellis vſq. Deut. 2.
ad Gazam, Caphtorim expulerunt: qui egreſſi de Caphtor, deleuerunt eos, & habitauerūt »
pro illis. Hoc autem multo antè quàm Iſraëlitæ ex Ægypto educerentur, accidiſſe, ex ea- »
dem hiſtoria conſtat: namque eodem fere tēpore geſta narrātur, quo ab Ammonitis Zom- .
zomæi, & ab Idumæis Horræi victi, pulſi, atque deleti fuerunt. Ita exemplū hoc ex præter-
itis rebus; illud verò alterum ex futuris petitū eſt. At cùm nihil in toto terrarum orbe ſit
quod diuinæ prouidentiæ leges & rationes fugiat, futurū eſſe ait Amos vt Syris, quos ab
Aſſyrijs ſuperandos, atque captiuos ducendos antè prædixerat, nunquā amplius ex ea ſer-
uitute, quā apud Quirnā Aſſyriorum regionem toleraturi erant, liberatis, ad ſuas antiquas
ſedes eſſet remigrandum. Hanc autem Syrorum captiuitatem & migrationem, à Vate no-
ſtro primo huius libri capite denuntiatā, euentuq. ipſo confirmatā fuiſſe, iam abunde ſuo Sup. c. 1.
docuimus loco. Verùm enimuero ne aliqua non modò probabilis, aut veriſimilis; ſed ne- 2. Reg. 16.
que ficta & humano ingenio ad ſubterfugiendum iudiciū, atq. ad argumentationem infir-
mandā excogitata Iſraëlitis ſupereſſet ratio, diuinæ & catholicæ ſententiæ auctoritate oc-
currit Amos, oſtenditque nihil in rebus humanis accidere poſſe, quod diuinæ prouiden-
tiæ conſilia, & fixa decreta fugere, frangere, vel irritare valeat. Perſæpe enim quorundam
hominum peruerſum ingenium, & à diuinæ religionis, & veræ ſapiētiæ rationibus, ſtudio,
vel negligentia, vel errore deuium, multarū rerum euentus & exitus, à veris & certis cau-
ſis, ad obſcuras, incertas, & commentitias fabulas, & ad ſtultas, & interdum impias ſenten-
tias traducit. Atque hoc modo maximarum rerum publicarum & imperiorum mutatio-
nes, gentium calamitates grauiſſimæ aliarum felicitates, beatus & florens ſtatus temporum
potius varietatibus fortunæque viciſſitudinibus, quàm conſilio decretiſque diuinis attri-
buuntur: atque earundem rerum reſtitutio ab eadem etiam cauſa, hoc eſt, à tempore, non
à numine expectāda proponitur & docetur. Ita adeò huius generis ſententiæ vulgò cele-
bres ſunt: Omniū rerum viciſſitudo eſt, &c. Quæ quamuis ea parte veræ ſunt, quòd nihil in
humanis rebus ſtabile & firmum neceſſariò eſſe doceant; ſi tamen vt plerunq. vſurpari ſo-
lent, vſurpantur, vt temporum potius viciſſitudini, quàm diuino cōſilio, atque hominum
ipſorum cauſis aut culpis, maximæ illæ rerum mutationes adſcribātur; ſtultæ omnino, im-
piæque ſunt: quibus homines non ad vitæ melioris correctionem, ſed ad reſtituendarum
rurſus ſibi rerū ſpem atque ſtudium, ijſdem retentis erroribus, eademque impietate con-
ſeruata (quamobrem de ſupremo gradu deiecti fuerant) excitantur. Aduerſus autem hu-
iuſmodi ſtultas erroriſque plenas ſententias ſcriptum eſt: Si dixerit Idumæa, Deſtructi Malach. 1.
ſumus; ſed reuertentes ædificabimus quæ deſtructa ſunt. Hæc dicit Dominus exercituū: »
Iſti ædificabunt, & ego deſtruam. Igitur vt neque Iſraëlitæ, neque alius quiſpiam hor- ».
ribilem Palæſtinorum & Syrorum caſum antiquam filiorum Iacob libertatem, præſen-
tem in qua detinentur diſperſionem, aut futuram horum omnium reſtitutionem, ad tem-
porum, & viciſſitudinum rationes impiè reuocaret; hanc diſputationem breuiter illu-
ſtrat Deus, verbiſque definit certiſſimis: confirmans multorum regnorum & gen-
tium à ſe ob impietatem, & nefaria ſcelera, editas ruinas perpetuas, æternaſque eſſe,
nullamque ijs reſtitutionis viciſſitudinem fore expectandam: vtpote, quorum cauſa
ſeuera diuini conſilij ſententia extremæ pœnæ ſupplicio damnata ſit. Rurſus verò quoſ-
dam eſſe, quibus etiam ob ſcelera & impietates pœna grauis ſubeunda ſit; nunquam ta-
men pereundum; ſed diuinæ tādem miſericordiæ & veniam & clementem caſtigationem
experiundam: vtpote quos priuata quadam cura, & magnis promiſſionibus ſibi olim ſuſ-
ceptos, non perditos; ſed tamdiu iure caſtigatos eſſe Deus voluerit, quoad ſceleratiſſimis
& impijſſimis, qui inter ipſos fuerint, conſūptis; cæteri qui minus in culpa fuerint, idonei
efficiantur: quibus data venia, diuinæ gratiæ beneficium accipiatur. Vt enim olim Iſraëli-
tæ ob minorem tributam diuinis verbis & promiſſis fidem, tam diu oblata, ac penè tradita

requie carere, atque in ſolitudinibus vagari, habitareq́ue iuſſi ſunt; quoad maiores natu omnes qui vigeſimum exceſſerant annũ, vita defuncti eſſent; atque reliqui deinde in promiſſam regionem inducti, ſanctæ & diuinæ familiæ iure, dignitate, alijſque beneficijs affecti ſunt: nimirum quòd Deo ſerui eſſent tantis rebus geſtis, tantaque cura certo quodam iure eidem vendicati. Sic etiam futurum eſſe dicit, vt cęteris gentibus & regnis funditus ad internecionē deletis; Iſraëlis tamen poſteritas, nomen, & memoria non deleatur: quòd illi in ſeruos empti, ad diuinam familiam proprio quodam iure pertineant. Nemo autem hominum eſt, qui quos ære ſuo emerit ſeruos, aut horum filios domi ſibi natos atque educatos, etiam ſceleribus & perfidia irritatus, perditos omnino velit; ſed in ergaſtula, aut aliò extra domum eiectos, tam diu affligi atque vexari patiatur, quoad ſceleris ducibus & auctoribus conſumptis, reliqui quamuis in culpa fuerint, partim aliorum exemplo cauti, partim propriæ pœnæ ſenſu & caſtigatione reſipiſcentes atque ad ſanitatē redeuntes, herilem benignitatem experiri, atque in domum recipi poſſint. Igitur non à caſu, aut à fortuna, aut à tempore alijs ruinam metuendam; alijs reſtitutionem & ſalutem ſperandam. Sed hæc omnia ad ſuas, hoc eſt, prouidētiæ & conſilij rationes referenda eſſe definit Deus.

Ecce oculi Domini ſuper regnum peccans; & conteram illud à facie terræ.

Psal. 93. vide ſupra. ECCE, rem obſeruatione, animaduerſioneq́ue dignam, & ex diuini conſilij ſententia certam indicat, vt: Ecce virgo concipiet. *Oculi*, diuinam curam, conſilium atque accuratam conſiderationem ſignificant; vt, Qui plantauit aurem non audit, aut qui fecit oculum non conſiderat? Hos autem oculos humana non ſolùm facta, ſed neque cogitata latere poſſunt, neque eius qui horum nutu oculorum, hoc eſt, conſilio, omnia gubernat, decreta & ſententiam effugere, aut fallere, aut frangere vis vlla valet. Horum verò oculorum virtus, tũ impijs, & ſuperbis, & contumacibus pœna & ſupplicio afficiendis; tum pientioribus, aut miſerioribus, & diuinam agnoſcentibus virtutem, implorantibus miſericordiam, ex miſeriarum tenebris in miſericordiæ lucem proferendis ſpectatur; ſicut ſcriptum eſt: Hunc
" humiliat, & hunc exaltat; quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclina-
" uit ex hoc in hoc: veruntamen fex eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ. [*Super regnum peccans.*] Hęc oratio publicam regnorum ruinam non ad caſum, non ad tempus; ſed ad publica communiterque ſuſcepta ſcelera, vt verā cauſam referri debere docet. Non ait peccantes in regno; namque priuata quorũdam peccata internecionē vniuerſi regni ſocietati non moliuntur, niſi regnum totum ipſum, aut magnorum ſcelerum communione, aut licentia, impunitateq́ue data in crimine etiam fuerit: imò & propter paucos viros toti interdum ciuitati ignoſcendi veniam, & ad reſipiſcendum tempus concedi, diuina
Gen. 18. illa Dei cum Abrahamo deliberatione docemur. Priuatorum igitur hominum priuata ſcelera priuatè puniuntur, ſicut ſcriptum eſt: Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Publica verò omnium peccata, publicè ad gentis totius internecionem animaduertuntur. [*Vt euertam*, Hebraicè eſt, *vt deleam.*] Quod nullũ eius regni & gentis non modò monumentum, ſed neque veſtigium appareat. neque enim quiſpiam ex Sodomorum, ſed neque ex Hæuęorum, aut Syrorum gente hodie extat, qui antiquum nomen retinere, aut originum monimentum conſeruare poſſit, adeo certa diuina conſilia, adeo vera à diuinis vatibus effata ſunt oracula. Subita autem perſonæ in oratione à tertia in primam mutatio, præſentem conſilijs ſuis, vatumq́ue prædictionibus Deum arguit; eandemq́ue eſſe prophetarum & Dei orationem indicat. Omnia enim quæ à vatibus enunciata ſunt, non hominum, ſed
Luc. 1. Dei verba definire oportet: Qui locutus eſt per os ſanctorum qui à ſeculo ſunt prophetarum eius. Hoc autem veriſſimum & manifeſtiſſimum eſſe, contra omnem humanam & ſtultam ſententiam, ex diuinæ legis, & ſacrarum hiſtoriarum lectione cognoſcimus. Multa olim regna, magnas & florentiſſimas Reſpub. fuiſſe; quarum vel nomen vix hodie, idq́ue ad æternum potius dedecus & opprobrium, quàm ad laudem cōſeruatum ſit. quam labem & ruinam hominum ipſorum malitia & culpa paratam, diuini iudicij ſententia fuiſſe legimus allatam. Quoſdam autem eſſe, nempe Iſraëlitas, quos in multis periculis, magnis laboribus & difficultatibus innumeris, tamen diuinæ prouidentiæ cura, nomine etiam & genere retento, conſeruatos voluerit miſericordiæ & benignitatis atque æternæ tandem ſalutis conſortes nobiſcum futuros; non omnes, ſed qui reliqui ex diuina caſtigatione fue-
Iſai. 1. " rint, ſicut ſcriptũ eſt: Si fuerit numerus filiorũ Iſraël quaſi arena maris, reliquiæ ſaluabun-
Mich. 7. tur. & apud Michæam: Ne læteris, inquit, inimica mea quia cecidi; conſurgam cùm ſedero in tenebris; Dominus lux mea eſt. Qui tamen ex illis interim perierint, dum illuminatio euangelij gloriæ Christi obſiſtentibus & repellentibus non refulget, grauiſſimum præter
Rom. 11. cæteras quæ olim extinctæ fuere nationes, ſupplicium in vltimo illo & communi omnibus

bus iudicij die ſubibunt, quòd diuturniori Dei benignitate & patientia abuſi, atque maiori diligentia, maioriq́ue opera ad pœnitentiam reuocati, tamen neglexerint, ſicut ſcriptum eſt: Væ tibi Corozaim, væ tibi Betſaïda: quia ſi in Tyro & Sydone factæ fuiſſent virtutes quæ in te factæ ſunt, vſque in hodiernum diem extarent, &c. Veruntamen dico vobis, &c. Qua in re arcana diuinæ ſapientiæ conſilia admirari, & cum tremore & timore venerari oportuerit. Nam cùm ſciret Deus illas gentes tandem ſeſe ad bonam frugem recepturas fuiſſe, ſi tot & tantis ſignis, tot ſermonibus atque rebus, quantis Iudæi rogati, moniti, accuſati atque prouocati ſunt, illæ etiam prouocarentur: tamen vbi id quod ſatis ad eas reuocandas fuerat, actum eſt, vlteriora & maiora moliri non conſtituit. atq. adeò hæc res maturiorem multo illis præſentis vitæ pœnam, leuiorem verò futuri ſeculi, quàm aut Iudæis, aut nobis Chriſtianis, tantam ſalutem negligentibus, parauit. Igitur quanquam regna peccantia & ſcelerata penitus deleantur: Luc. 10. » »

Veruntamen conterens non conteram domum Iacob, Hebraicè eſt, *delens non delebo*.

NON, inquit, omnino delendum mihi eſt genus Iacob illius antiqui, cui, quòd ſeſe fidei meæ totum crediderat, perpetuò à me conſultum fore dixi, atque vltrò pollicitus ſum, ſicut ſcriptum eſt: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ eſt in terra Chanaan, benedixitque mihi, & ait: Ego te augebo & multiplicabo, &c. Tamen quæ Dei ſapientia eſt, vt cum maximæ miſericordiæ conſilio diuinæ etiam iuſtitiæ ſatis fiat: quænam ratio ad eam perficiendam rem, quis modus ſibi ineatur, ſubiuncta oratione declarat: Gen. 48. » »

Ecce enim mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Iſraël ſicut concutitur in cribro; & non cadet lapillus ſuper terram.

VTINAM tanto erga diuina ſcripta amore, tãto ſtudio Chriſtiani & ſtudioſi viri incendantur, vt non ſententiæ modò, ſed ſingulorum etiam verborum, & apicum quoque expendendorum cupiditate, ac veræ & reconditiſſimæ ſapientiæ, & eloquentiſſimæ eloquentiæ intelligendas rationes adducantur. Equidem fateor me in probatiſſimorum Philoſophorum, Oratorum, & Poëtarum lectione à pueritia ad vigeſimum vſque & quintum ætatis annum cum ſumma voluptate, & maximorũ ingeniorum (qualia antiquis tum Græcis, tum Latinis viris fuerunt) admiratione verſatum; & cum nonnulla meorum in ea re laborum apud meæ notitiæ eruditiſſimos quoſque viros laude; tamen vbi animum ad ſacrarum literarum ſtudia appuli, & eius diſciplinæ partem aliquam diuino & beneficio & munere percepi, non ſolùm rerum ipſarum maieſtate ſtupefactum, ſed verborum & dicendi generis diuina elegãtia in admirationem raptum, cætera omnia, vt ſtercora reputaſſe præ eminenti, & abſoluta omnibus numeris horum librorum perfectione, atque planè diuino Vati aſſentientem illud ſæpe vſurpaſſe: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Quod ſi hæc maxima tum rerum tum verborum diuinorum pulchritudo & dignitas omnibus hominibus vt ſeſe habet, ſpectandã præberet; mirabiles profectò ſui amores excitaret. Nunc quoniam tot tantæque diuitiæ non niſi auidiſſimis & diligentiſſimis conceduntur, ad earum diligens & contentum ſtudium maximorum fructuum promiſſione, & nonnullarum partium deguſtatione oblata humani animi nobis incitandi ſunt: namque hoc in verborum & elocutionis nonnunquam indicanda ratione conſiliũ ſemper ſequemur. Sed iam ad noſtrum munus reuertamur. Iſraëliticarum igitur rerum rationem ſibi ita habendam eſſe Deus affirmat, vt cum iuſtitiæ ſeueritate, miſericordiæ etiam erga eos benignitatem ſpectatoribus omnibus probet: idemque qui ſe cæterarum gentium edenda ruina orbis rectorem oſtenderit, ſuam etiam admirandam erga Iſraëlitas teſtetur prouidentiam. Ob eam autẽ rem ait: *Ecce ego*] quod ſuo conſilio & auctoritate efficiẽdum eſſet, vt Iſraëlitæ toto orbe diſperderentur, quoad viliſſimis & nequiſſimis quibusque conſumptis, cæteri ad æternam ſalutem reuocarentur. Id autem quoniam diuino conſilio, ſed Aſſyriorum atque aliarum gentium opera conficiendum erat, addit: *Mandabo & cõcutiam.*] Ita adeò humano miniſterio & opera Deus, vt inſtrumento artifex vtitur; vbi maxima in agendo vis & auctoritas artifici mouenti tribuitur. [*Et concutiam in omnibus gentibus domum Iſraël.*] Iſraëlitarum per totum orbem diſperſionem & errores pulcherrima ſimilitudine ſignificauit, qua nulla vnquam aut aptior, aut elegantior viſa mihi apud alios auctores fuerit: ſed Latini ſermonis tenuitate, & verborum inopia effectum eſt, vt pro rei ipſius dignitate ſententiæ & elegantiæ plenè à nobis ſatisfieri non poſſit. Vt verò id quod licet perſequamur, primùm imago ipſa ex Architecturæ & ædificiorum rationibus illuſtranda: deinde ad rem de qua ſermo inſtituitur, referenda eſt. Totius ædificij præcipua pars lapides ſunt, ex quibus muri fiunt: qui quoniam integri ſolido opere poni non poſſunt, vt vno Pſal. 118. »

tantùm eoque maximo totum ædificium conſtet: plures ſimul arte, atque ordine certo commiſſi & collocati, vnum conſtituunt ædificium. Iis verò, vt commodius & tenacius hæreant, intritum interiectum, ex apta ad eam rem oportunaque materia additur: ita adeò totus murus lapidibus vt potiori parte, intrito vt minus nobili, ſed tamen neceſſaria compingitur & coagmentatur. Quòd ſi lapidum & intriti copia non adſit; lateres, & alia quæ oportunè pro locorum rationibus comparari poſſunt, illarum rerum vice ſufficiuntur, ſicut ſcriptum eſt: Habuerunt lateres pro ſaxis, & bitumen pro cæmento. Atque

Gen. 11.

" domorum & ædificiorum omnium ruina, & quæ ſponte vitia fiunt, non tam lapidibus, qui ſolidiori & durabili magis natura ſunt, quàm intriti ipſius infirmitati, & ſolubilioribus tenuioribuſque elementis adſcribitur: tanto enim diutius temporum iniurias atque etiam bellicorum tormẽtorum impetus ſuſtinere murus poteſt, quanto firmiori tenaciq́ue magis intriti genere lapidum ſtructuræ coaluerint. Quamobrem huic ſolertes Architecti incommoditati diligenti cura & inuentione, quàm fieri poteſt optimè, prouidere ſolent: aut enim naturas ei rei commodiſſimas inueniunt; vt Aſphaltum, & bituminum genera alia, de quibus apud auctores mentio fit; aut res natura minus idoneas commiſcentes & coagmentantes arte corrigunt: vt qui arenam calce commixtam probè ſubigunt; lapideam ferè duritiem quibuſdam in locis parant. Omnium autem huiuſmodi generum lutum planè deterrimum eſt; vtpote quod natiua infirmitate, & ſegni admodum præ cæteris elemento, nempe terra, conſtans, nouis ædificationibus producendis minus vtile eſt: antiquis verò operibus continendis longè ineptiſſimum. quamobrem huius potiſſimum materię culpa vitium facere ædificia ſolent: vnde lutea opera, pro caducis, & certiſſimæ ruinæ ſubiectis negotijs, prouerbialiter eſt vſurpatum: vt, Væ qui congregat non ſua: vſque quò agglomerat contra ſe denſum lutum? Igitur ſi ædes ex ſe corruerint, vitiumúe fecerint, vt ex ijſdem rurſus lapidibus reædificentur, terram omnino ſecernere oportuerit, & ne quid pulueris hæreat peruidere: namque puluis ariditate ſua, quo minus nouo intrito lapides committi poſſint, impedimento eſt. Ea verò res lotis aqua lapidibus lateribúſue paratur; ſed multo aptius & melius iiſdem excuſſis & abſterſis fit, niſi quod prolixiori opera & longiori tempore, ſi hoc modo faciendum ſit, opus fuerit. Atqui ſingularum huius generis rerum cùm cauſas perſequi longum nimis foret; efficiẽtias tantùm ad inſtitutum noſtrum accommodatas indicare ſatis fuerit. Iam igitur ſimilitudinem ipſam à natura, atque ab arte, ad eam rem de qua nobis inſtitutus ſermo fuit, transferamus. Quam Latini familiam dicunt, Hebræi eleganti, neque Latinis etiam inaudita tranſlatione, domum vocant. Vt verò domorum ædificia lapidibus; ſic familiæ filijs nepotibus, atque omni deinceps poſteritate coagmentantur: ita adeò ſumptam ſemel ſimilitudinem Hebraicus ſermo perſecutus vtramque rem propinquis verbis enunciat. nam lapides illa lingua ABANIM;

אבנים בנים

filij verò vnius tantùm literæ detractione dicũtur BANIM. Iacobi autem ſiue Iſraëlis domus optimis & ſelectis lapidibus conſtructa fuerat; ſed quorundam vitiò & culpa, qui tanquam lutum interiecti ædificio erant, tota familia de priſtino illo ſuo nitore, & optimè fabricato religionis & reipublicæ ſtatu conuulſa, tum corruit, cùm ab Aſſyrijs atque à Romanis tandem labefactata eſt: ad quam tamen reædificãdam optimum à Deo initum conſilium Vates noſter aperit. Tam diu enim Iſraëlitas vagatione & inſtabilitate omnibus exilij & errorum incommoditatibus toto orbe velut cribro quodam excutiendos eſſe ait, quoad omne illud quicquid ineſſet pulueris decuteretur: lapides verò ipſi, hoc eſt, optimi quique ex ea familia multis laboribus afflicti & exercitati, ad reponendum ædificium familiamq́ue, multo quàm antea illuſtrius & firmius reponendam apti habileſq́ue eſſent redditi. Atque hac pulcherrima ſimilitudine explicata, facilis iam nobis & conſequens huius loci ſentẽtia eſt. [*Et concutiam in omnibus gentibus*] Hebraicè verbum eſt quod inſtabilitatem & vagationem ſignificat: Latinè coagitare: Hiſpanè propriè *mecer* dicimus: quod verbum Deus Caino ſentẽtiã pronũcians, vſurpauerat; vbi ſcriptũ eſt: Vagus & profugus eris ſuper

Gen. 4.

terrã. Quo dicendi tropo Cainũ loca omnia peruagatum, nuſquã tamẽ non ſolicitũ fore ſignificauit. Simili ergo legis pœna, ſimili periculo diſtrictam atque obligatã Iſraëlis familiam adhuc teneri videmus: quanquam enim nonnulli ex illis in Chriſtianæ, hoc eſt, veræ Iſraëliticæ familiæ ædificium admiſſi fuerint; maxima tamen pars adhuc vagationis & inſtabilitatis cribro agitatur, quoad ijs omnino abiectis quibus lutea & puluerulenta ratio eſt: cæteri qui veri lapides ædificio idonei fuerint, nulla omnino vel humillima iactura facta, in diuina gratia admiſſi, in fabricam cooptentur. [*Et non cadet lapillus ſuper terram*] Puluis quidem ipſe & lutum aridum coagitatione decuſſum omne decidat: lapilli verò omnes agitentur quidem, non tamen decidant. Sicut & apud Ezechielem prædictum eſt: Et

Ezech. 20.

eligam de vobis tranſgreſſores & impios, & de terra incolatus eorum eijciam eos, & in terram

terram Iſraël non ingredientur: & ſcietis quia ego Dominus. Hæc maioris Iſraëlitarum
partis ſors eſt. Eorum verò qui non ſolùm impietate ſua ſupplicium ſibi cõmeruerant, ſed
etiam fide diuinis verbis detrahenda ſcelus cumulauerant, cuiuſmodi futurus eſſet exitus,
ſubiecto obnuntiat carmine:

In gladio morientur omnes peccatores populi mei, qui dicunt, non appropinquabit, & non veniet ſuper nos malum.

DE illis hæc ſententia lata eſt, qui ſceleribus obligati, tamen neque ijs quæ in diuinæ le-
gis libro opponuntur formidinibus, minis, & terroribus, neque præſentibus & certiſſimis
Vatum obnuntiationibus commouebantur; quin omnia hæc contemnentes, peccandi ni-
hilominus vrgebant propoſitum. Huiuſmodi autem impios & ſceleratos homines cer-
tioribus & grauioribus pœnis affectum iri, diuina eſt ſententia definitum. Quòd ſi nolue- Leuit. 26.
ritis, inquit, recipere diſciplinam, ſed ambulaueritis ex aduerſo mihi, ego quoque contra "
vos aduerſus incedam, & percutiã vos ſepties propter peccata veſtra, inducamq́. ſuper vos "
gladium vltorem fœderis mei, &c. Quemadmodũ verò hæc omnia quæ ab eo loco, Non-
ne vt filij Æthiopum, &c. huc vſque acta atque tractata ſunt, ad Chriſtianorum gentem
maxima Dei virtute, admirandoque negotio, & ſtupenda opera redempram, referri aptiſ-
ſimè poſſint, & debeant; id cùm cuilibet apertum ſit, vt à nobis latius tractetur, tãtùm rem
ipſam indicare contentis, opus eſſe non videbatur.

In die illa ſuſcitabo tabernaculum Dauid, quod ceciderat.

LEGIS, Pſalmorum & vaticiniorum omnium finem, & ad quam omnia tandem diui-
norũ librorum myſteria referuntur, feliciſſimam cauſam Chriſtum eſſe, plurimis oraculis,
multis ſignis, apertiſſimis teſtimonijs, & rerum etiã ipſarũ euentibus eſt cõprobatum. Lex, Luc. 16.
inquit, & prophetæ vſque ad Ioannem: à diebus autem Ioãnis Baptiſtæ regnũ cælorũ vim "
patitur. Ab Abrahamo autẽ vſque ad Ioãnis tempora nullus publicè apud Hæbræos Vates "
extitit, cui non aliqua de diuino illo & arcano publicæ ſalutis per Chriſtum afferẽdæ con-
ſilio, antiquis magno cũ deſiderio expectanda, nobis verò maxima cum lætitia recipienda
mandata traderentur. De qua ſalute Petrus inquit: Scrutati ſunt prophetæ; qui de futura in 1. Pet. 1.
vobis gratia prophetauerunt; ſcrutantes in quod vel quale tẽpus ſignificaret in eis ſpiritus "
Chriſti, prænuntians eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias. Quibus reue- "
latum eſt, quia non ſibimetipſis, vobis autem miniſtrabant ea quæ nunc nunciata ſunt vo- "
bis, &c. Huius autem diuini conſilij, huius tantæ promittendæ ſalutis nuntius etiam fuit
Amos; atque eam rem ad extremam totius tractandæ ſibi cauſæ partem diſtulit, vt (quæ
diuini ſpiritus benignitas eſt) duriorum ac ſeueriorum actionum comprehenſiones mi-
tiſsimo & blandiſſimo, atque ad ſubminiſtrandam ſpẽ idoneo fine clauderet. Hanc verò
rem magnifico & illuſtri principio exorditur: In die illa. Notũ enim & certum, planeq́ue
exploratum omnibus antiquis vatibus & patribus fuerat, tempus quoddam diuino cõſilio
præfixum affuturũ, quo mundus ipſe, atq. hominũ collapſæ res renouandæ, inſtaurandæ
vehementerq́ue eſſent illuſtrandæ, hoc autem tempus fauſtæ feliciſſimæq́. diei nomine ab
illis decantabatur: In die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, &c. Et erit in die Iſai. 11.
illa adijciet Dominus ſecundò manũ ſuam, vt poſſideat reliquias populi ſui, &c. Hæc verò "
tam celebrata, tantoq́. deſiderio antiquis optata dies, feliciſſimũ tempus noſtrũ eſt, in quo
diuini cõſilij arcana & promiſſa cõmunicata, & promiſſorũ omnium munus confectũ eſt:
quod tẽpus cum ingenti gratulatione nunciatũ nobis indicatumq́. eſt per eos qui euange-
lizauerint nobis Spiritu ſancto miſſo de cælo, in quẽ deſiderant angeli proſpicere; atque il- 1. Pet. 1.
lorum euangelizantium huiuſmodi lætiſſimi nuntij ſunt: Ecce nunc tempus acceptabile, "
ecce nunc dies ſalutis. Hanc verò ſalutem ab omniũ hominũ poteſtate & virtute longè re- "
motã, quã nemo ſibi de ſe aut promittere, aut inuenire, aut etiã cogitare potuiſſet, diuinum
planè donum fore, Deoq́. ipſi auctori acceptum referendũ eſſe, omnia omnino ſacrorum
librorum teſtimonia oſtendunt. Neque enim quiſquam hominum aſcendere in cælum
potuit, indeq́ue Dei filium huius ſalutis miniſtrum, interpretẽ, & procuratorẽ, auctorem Deut.
denique deuocare: neq. humano vnquam aut ingenio, aut negotio, quemadmodũ hoc fie-
ret, inueniri potuiſſet, niſi ſeſe ille, patris obſecutus cõſilijs, ad eam perſiciendam rem vl-
trò demitteret, & promiſſæ ſalutis rationes admirando & arcano modo explicaret, ſeſeq́ue
ipſe humano cordi atq. ori habendũ, prædicandũq́. inſinuaret, ſicut ſcriptum eſt: Ne dixe- Rom. 10.
ris in corde tuo, quis aſcẽdet in cælum? id eſt Chriſtũ deducere: aut quis deſcendet in abyſ- "
ſum? hoc eſt, Chriſtum à mortuis reuocare. Sed quid dicit ſcriptura? Prope eſt verbum in "
ore tuo & in corde tuo; vt facias illud, &c. Igitur quòd illa maxima & feliciſſima humana-
rũ rerũ mutatio, illa ſacroſancta & fauſta renouatio ſibi vni auctori tribuenda eſſet, affir-
mat Deus. [*In die illa ſuſcitabo tabernaculum Dauid quod cecidit.*] Hebraicè ante nomen *tabernaculum*
eſt particula ETH; quę accuſatiuo plerumque, ſed elegantiſſimè etiam ablatiuo iuncta,
idem

idem quod apud nos CVM præpoſitio ſignificat. Ita ſenſus erit: *In die illa ſuſcitabo cum tabernaculo Dauid,* [id etiam] *quod cecidit.* Primum omnium tabernaculum Dauid ſibi reponendum, figendum, atque conſtabiliendũ eſſe recipit. Hæc enim omnia Hebraicum verbum AKIM ſignificat; deinde cum tabernaculo ipſo eam etiam partẽ quæ ceciderat & nunquã amplius ſua virtute reſtituẽda erat, niſi à Deo reſtitueretur, hoc eſt, Iſraëliticam decẽ tri-
Sup. buũ familiam. Quoniam verò ſalus primũ ex Iudæis facta eſt, apud quos Deus filiũ ſuum Ieſum Chriſtũ ſuſcitauit; cui & ſolium Dauid patris ſui donaret, in Iacobi domo in æter-
Luc.1. num regnaturo. Primum etiam eius rei mentionem eodem ordine fieri à prædicente Vate oportuit. Iam verò ab eo tẽpore quo ſolutis inferni & mortis vinculis, à mortuis reſurgens, viuus, incorruptus, atque immortalis omnino Chriſtus extitit, myſterij huius nego-
Pſal.2. tium feliciſſimè & magno incremento geritur, ſicut ſcriptum eſt: Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptũ eius. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, & ego hodie genui te. Poſtula à me. &c. Iam ergo tabernaculo Dauid erecto ac fixo reſiquæ quæcunque ad eius ditionem pertinẽt Iſraëlitarum ruinæ paulatim reſarciuntur; quæ tandem collato conſilio & adhibita opera omnino reſtituenda ſunt: Ita vt vnius communis omnium regis & ducis vnus omnino populus, atque vnum vnius paſtoris ouile ſit. namque hæc diuina inſtauratio multis Vatum prædictionibus &
Ioan. Pſa.131. certiſſimis oraculis annuntiata & arcanis etiam imaginibus quõdam eſt repræſentata. Iurauit enim Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum; de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam: ſi cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, (nouum, inquam, teſtamentum,) & teſtimonia mea; (non tantùm ea quæ olim docti fuerant) ſed etiam ea quæ docebo eos. Dauidis autem regnum diſſenſionibus primùm & diuortijs diſſipatum: deinde aliarum familiarum irruptionibus omnino deiectum, atque à priſtino illo & illuſtri ſtatu dimotũ veteribus colonijs renouatis & nouis deductis ad maieſtatẽ, amplitudinem, ſplendoremq́ue maximum, ſub rege Chriſto reuocandum eſſe vates noſter præcinebat: idq́ue tranſlationis perpetua obſeruatione eloquutus eſt.

Et readificabo aperturas murorum eius, & ea que corruerant instaurabo.

DAVIDICVM temporale regnum vitium facere & corruere cœpit à temporibus Ieroboam vſque ad Hoſeam Elæ filium, dum primum adhuc templum ſtaret: namque toto decem tribuum latere labefactum corruit; ſecundi verò templi ſeculis, hoc eſt, poſt Babylonicam tranſmigrationem Haſmonæorũ (qui Machabæi cognominati ſunt) occupatione, & Herodum tyrannide irrumpente à Dauidis regia & illuſtri familia abalienatum eſt: Hæc omnia regnante Chriſto inſtauranda, atque in integrum reſtituenda cum maxima dignitatis & ſplendoris acceſſione prædicit Vates; eamq́. felicitatem certam, ſtabilem, perpetuam, & planè diuinam fore confirmat: Mirabiliter enim populi Iſraël vniuerſus, & omnium tribuum ordinumq́ue conſenſus, ad conſeruandam communem inter ſe fidem, & mutuam charitatem conſpiraturus eſſe prædicitur: cuius rei exemplum argumentumq́ue certiſſimum in ijs quæ de hac re conſcriptæ ſunt, hiſtorijs obſeruauimus. Multitudi-
Act.4. nis, inquit, credentium erat cor vnum, & anima vna. nam quemadmodum in bene fundato atque fabricato ædificio omnium lapidum mirabilis quidam ordo, & certa vniuſcuiuſque collocatio cõmuni & mutuo officio opus totum conſeruat: ſic in ſacroſancta Ieſu Chriſti eccleſia multorum generum & ordinum, officiorum munerumq́ue conſenſus communi fide & mutua dilectione compactus, ſacri Deo templi ædificium conſtruit: ſicut ſcriptum eſt: Templum ſanctum Domini quod eſtis vos. Quoniam verò Dauidis regnum non ſolùm vtriuſque lateris, hoc eſt, Iſraëliticarum & Iudaicæ tribuum ruinis oppreſſum fuerat, ſed alienorum etiam irruptionibus occupatum, alteri atque alteri rei alterum atque alterum orationis huius membrum adaptandum eſt: [*Et readificabo aperturas murorum eius,* Hebraicè eſt *rupturas eorum:*] Vt vtraque & Iudaica & Iſraëlitica comprehendatur pars: atque vt hoc vnum quondam regnum, vnum etiam in poſterum fore ſignificet, ſubiungit; *& ea que corruerant inſtaurabo*: Hebraicè *& deſtructiones eius erigam.*] Sed tamen nouam hanc Dauidici tabernaculi inſtaurationem magnificentiſſimis cæleſtium beneficiorum acceſſionibus locupletandam, augendam, diuinoq́ue conſilio exædificandam eſſe; vt non antiquum ædificium reſtitutum, ſed ad illius inſtar aliud tanto elegantius, tantoq́ue illuſtrius, & firmius reponendum; vt planè nouum noua & admiranda arte fabrefactum, ac planè diuinum opus eſſe intelligatur; idemq́ue æternum probetur futurum. namque illa ædificatio non ad præſentium imaginem, ſed ad ſeculi dies à Vate refertur: vt ſi quando humanarum rerum ſtatus florentiſſimus fuit, ad eum ſtatum cum multa tamen acceſſione Dauidicum tabernaculum ſit denuò ædificandum: quod opus illuſtriſſimum fore vel ipſa De

Dei auctoris mentione & prædicatione declaratur. In eo autem faciendo opere Deus ipſe vltrò nomen profitetur ſuum: neceſſe eſt ergo magnificentiſſimum atque ornatiſſimum eſſe ædificium, cuius ſe Deus auctorem & opificem prędicet.

Et readificabo eum ſicut in diebus antiquis: Hebraicè, *& ædificabo eum ſicut in diebus ſeculi*:

NVLLVM in his carminibus verbum eſt quod non ſit diuinis myſterijs refertiſſimum, & noui teſtamenti ſacramentis pleniſſimum: quibus omnibus aperiendis neque ingenium ſuppetit, neq. otium: nonnulla tamen ex his perquam breuiter perſtringere atque attingere curabimus. namque hæc propria noui teſtamenti tractatio eſt, cuius multa adoranda, atque omni plauſu excipiēda arcana noſtris temporibus in obſcuro latent; quorum ignoratio magnos in multorum animis creauit errores, maximaq. in Chriſtiano populo diſſidia, atque maximas turbas concitauit. Quamobrem inſtanter orandus, aſſiduiſque precibus exorandus nobis fuerit Deus, vt tantis pulſis nebulis lumen vultus ſui ſuper omnem terrarum orbem omnibus mortalibus porrigat atque tendat, quo ea quę ad verā ſalutem pertinet, veritas cunctis affulgeat, Amen. Sed nos interim ad noſtrum penſum, munuſque reuocemus: *Seculum*, Hebraicè GHOLAM dicitur: quod verbum abſconſionē propriè ſignificat. Transfertur autē nomen ad longum tempus ſignificandū, quòd ea longi temporis natura ſit, vt prę̨teritas quæ in eo geſtæ fuerint, res partim conſumendo, partim mutando abſcondat, atq. ab hominum notitia longè diſiungat, aut omnino obliuione ſepeliat, futuras verò incerta obſcuritate inuoluat. Ad naſcētis autem mundi initium, & ad futurum finem indicandum vox hæc etiam vſurpatur: atque hic modus frequentiſſimus in ſacris eſt; à ſeculo vſque in ſeculum. Vtriuſque autem partis rationes difficillimæ omnino cognitu mortalibus hominibus ſunt: neque enim quiſquam eſt, cui qualis humanarum rerum facies, qualis ſtatus naſcentis orbis initio fuerit; aut qualis tandem erit, vel ingenio, vel cura, vel alia humana cogitatione planè fuerit exploratum. Fatemur quidē nos fide & diuinis oraculis intelligere florentiſſimum & beatum planè primorum hominum atque vniuerſi generis (ſi tamen res illo in loco permanſiſſent) ſtatum fuiſſe: ſed earū quibus illa beatitudo conſtabat rerum, quotuſquiſque eſt qui rationem ſubductam habeat? Speramus etiam feliciſſimum & diuinum, æternumq́ue piorum hominum, quicunque ſeſe illo diuino beneficio nō indignos reddiderint, futurū exitum: ſed nondū apparuit quod erunt, ait Ioannes. Quamobrem vtriuſque ſeculi, & primi illius præteriti, & extremi illius perpetuò duraturi res, fide quidem & ſpe nobis conceptas, aperta verò cognitione (niſi cui priuatè id reuelatū fuerit) nulli cōditionis noſtræ hominis ingenio manifeſtas eſſe putamus. Quanquā non inficias ibimus multa atque admiranda, tum diuinarū rerum myſteria & conſilia, tū humanæ felicitatis momenta & ornamenta cognitione atq ſenſu, experimentoq. etiā ipſo cum ijs eſſe communicata, qui diuino ſpiritu per Chriſtum aucti hæredes, conſorteſque regni cæleſtis, etiā viuentes atque ſentientes, effecti ſunt: cuiuſmodi ſacratiſſima virgo mater, Apoſtoliq́ue, atque plurimi alij ex Chriſtianis etiam fuere, quibus voluit Deus notas facere diuitias ſacramenti huius, quod abſcōditū fuerat à ſeculis & generationibus tam angelicis quàm humanis: (Colo. 1.) neque enim oculus vidit, neque auris audiuit, neq. in cor hominis aſcendit, quāta illis eorumq. ſimillimis à Deo præparata ſunt & communicata: ſed tamen multa illis in futurum ſeculum & ampliſſima munera atq. ornamenta eſſe aſſeruata, idem ipſi fatentur: expectantes beatam ſpem & aduentū magni Dei, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, cōfiguratū corpori claritatis ſuæ, (Ph l. 3.) vnus ex his, idemq́. diuinorū myſteriorum peritiſſimus Paulus aiebat. Igitur hoc ædificiū tātis acceſſionibus amplificandum, tantis ornamentis augendū, tāta dignitate illuſtrandū, vt cū antiquæ beatitudinis, & humani maximi quondā ſplendoris, atque futuræ felicitatis, denique cum dictorū abſconditorū rationibus omnibus; vt ædificiū cum exēplari ſuo cōueniat, per Chriſtum Ieſum eius operis redemptorem perficiendum ſibi Deus ſuſcipiens ait: *Et ædificabo eum ſicut in diebus gholam*. Tanto verò amplius, tantoq́ue capacius ſibi reponendū eſſe docet, quanto maiori hominū & numeroſiori populorum celebritate frequentandum erat. Neque enim ſolùm Iudæis, Iſraëlitis, & Iduinæarum gētium parti cuidam, vt olim Dauídis terrena aula; ſic hæc cæleſtis Dauidis regia adeunda celebrandaq́. fuerat; ſed omnium totius orbis nationum & familiarium (quæ omnes in Chriſti ditionem redigendæ erant) hominibus, commune templum, & capaciſſimum tutiſſimumq́ue præſidium; quod vltrò atque libenter petatur, futurum eſt: [*Sicut in diebus gholam*] cùm vnus omnibus hominibus Paradiſus ad honeſtam voluptatem conſtaret: atq. etiam in diebus gholam, cùm vnū cōmune omnibus regni filijs cælum poſſidebitur: ſic etiā præſentis vitæ eccleſiam in omnium gentium commune domicilium conſtruendam ſibi fore Deus per Vatē docuit.

Vt poſsideant reliquias Idumææ, & omnes nationes: eo quòd inuocatum ſit nomen meum ſuper eos dicit Dominus faciens hæc.

PVBLICAM per Chriſtum hominibus allatam ſalutem, & regni cælorum eidem ob maximas virtutes & res iuxta diuinum conſilium geſtas iure delati, non Iudæis modò, ſed omnibus etiam totius orbis gentibus communem fore, ex diuino decreto publicis Vatum præconijs proclamatum ſæpe eſt: nullumque in terris locum adeò eſſe remotum,

Pſalm.71. qui non tandem imperio, ditioniq́ue Chriſti ſubiugetur. Et dominabitur, inquit, à mari
" vſque ad mare, à flumine vſque ad terminos orbis terrarum, &c. Hanc autem rem non
" tam hominibus ipſis, quàm hominum vitijs & ſceleribus, horumque Principi Diabolo
Pſal.44. eiuſque miniſtris per Euangelij verbum allato bello gerendam eſſe iidem Vates cecinerunt. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Specie tua &
" pulchritudine tua, aſcende, proſperè procede & regna. Propter veritatem & manſuetudinem, & iuſtitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua. hæc adeò omnia quæ ad proſperum & fauſtum Chriſti in omnes gentes imperium, terribili illo apud Hieroſolymas
Luc.9. completo exceſſu, atque expeditione perfecta, fundandum, & euangelica prædicatione in gentibus propagandum, pertinebant: & prædicta antea fuiſſe, & quemadmodum prædicta fuerant, experienda eſſe, vtriuſque teſtamenti grauiſſimis probatur teſtimonijs. Atque adeò hanc eandem rem noſter agit Vates, affirmatque, vtrumque & Iſraëlitarum, & gentium populum diuini regni conſortium inter ſe eſſe communicaturos. Duobus autem illuſtribus nominibus Iſraëlis & Edom, omnium totius orbis hominum vniuerſitas, in religionis et diuinorũ beneficiorum rationibus ſignificatur: namq; aut ad Iſraëliticum vnius Dei cultum, aut ad Idumæũ apud quos alij colebantur dij, omnes orbis referuntur natio-
Gen.25. nes. Hæc autem ſententia ad hũc etiam locum accõmodata, ex illo oraculo obſeruata eſt:
" Duæ gentes ſunt in vtero tuo; & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populuſque populum ſuperabit; & maior ſeruiet minori. Ad alterutrum autem populum cæteræ omnes orbis nationes viuendi conſuetudine, & morum atque religionum opinionumque ſimilitudine referuntur. Sed tamen vt res clarior explicatiorque eſſet; neque de Idumæorum re-
Epheſ.1. liquijs tantùm agi videri poſſet, ſubiunxit Vates, *Et omnes nationes*: quæ Euangelio Chriſti cre-
" dentes ſpiritu promiſſionis ſancto ſignati ſunt, qui eſt pignus hæreditatis eorum in redem-
" ptionem acquiſitionis, in laudem gloriæ ipſius. Libet autem verba ipſa ex Hebraici ſermonis libra expendere; quorum ita explicatiorem atque apertiorem ſententiam fore intelligimus: *Vt poſsideant cum reliquiis Edom, & omnibus gentibus ſuper quas inuocatum eſt nomen meum*] Non Iſraëlitas modò, ſed Idumæorum reliquias, & cum illis cæteras etiam orbis nationes diuino nomine & virtute Chriſti imperium obſeruaturas, atque in eiuſdem regni poſſeſſionem ſocietatemq́ue cooptandas eſſe prædicit. Ita verò eam communem omnium felicitatem certam manifeſtamque fore, vt vna eademque omnibus diuini nominis profeſſio, appellatio, atque tantæ dignitatis gratulatio ſit, ſicut ſcriptum eſt: Et vocabunt
Ib. eos populus ſanctus redẽptos à Domino; & omnes qui viderint eos, cognoſcẽt eos; quia iſti
" ſunt ſemẽ, cui benedixit Dominus. Atque adeo hoc totũ opus Deo acceptũ referendũ eſſe, nominis inuocatio ſignificat: quod partim ex offenſionibus, partim verò ex antiquo odio in gratiã Dei recepti vltro fuerint. *Reliquias Edom* propterea dixit, quòd Idumæis per hunc eundem Vatem ob quatuor illa inſignia ſcelera magna quædam clades fuerat denuntiata:
Sap.1. & mittam ignem in Theman, & deuorabit ædes Boſræ. Verum enimuero cùm mirum
" videri alicui poſſet, qui cauſam ignoraret quam ob rem gentibus inimicis ſenſu, vt Paulus ait, atque iam inde à principio repudiatis & ſpretis, tamen ad tantam gratiam ineundam aditus ſit patefactus. quæ res multos ex Iudæis, quibus audita eſt, in magnam admirationem traduxit; eam omnem rem ad voluntatem, virtutem, ſapientiam, miſericordiamque ſuam reuocat Deus; atque eadem oratione certam fore confirmat, quod deliberato conſilio, & conſtanti propoſito, certaque ſententia, quanquam hominibus ignota ratione decreta fuerit, neque enim diuina miſericordia noſtris rationibus & cogitationibus, ſed ſuis tantùm conſilijs vt ſeſe conſpiciendã præbeat, innititur. Hominum namque vt cęteræ virtutes, ſic etiam miſericordia anguſtis quibuſdam ſpacijs, & certis ſuorum conſiliorum iiſdemque breuibus terminis definitur: diuinæ verò tum cæteræ rationes, tum maximè mi-
Iſai 54. ſericordia ſua natura infinitæ, humana omnia conſilia, cogitationes, atque omnem deni-
" que captum infinito ſuperant interuallo. Deus, inquit, noſter multus ad ignoſcẽdum. Non
" enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ; nec viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus.
" Quia ſicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatę ſunt viæ meæ à vijs veſtris; & cogitationes meę à cogitationibus veſtris. Eam igitur rem, hoc eſt, Iſraëlitarum qui reiecti abdicatique fuerant reſtitutionem; gentium verò quæ ſpretæ, repudiatæ, & pro inimicis habeban-

tur

tur, admiſſionem & conculcationem non ad humanas aliquas cogitationes, ſed ad ſuum
conſilium, auctoritatemque referendam eſſe docet Deus: cuius vt ſapientiſſima, ſic certiſ-
ſima & conſtantiſſima ſententia eſt. Ne verò cuiquam huius vaticinij euẽtus ex cauſarum
& rationum ignoratione incertus eſſe videretur, omnem ad dubitandum aditum auctori-
tatis & nominis ſui appellatione & promiſſionis diuinę interpoſita fide pręcludit [*Dicit Do-
minus faciens hoc.*] Auctoritatis & certitudinis atque facultatis fidem prædictis & promiſſis
rebus hæc oratio conciliat. Hanc verò certam & legitimam huius loci interpretationem
& ſingulorum verborum æſtimationem eſſe, D. Iacobus in ſacris hiſtorijs nos docuit;
qui de recipiendis in gratiam gentibus, atque cum Iſraëlitarũ populo in vnam Chriſtia-
næ religionis ſocietatem & communionem cõiungendis, eo tempore quo iam geri inci-
piebat res, verba faciens; hanc vatis huius de eadem re ex antiquis vaticinijs recitauit ſen- Act. 15.
tentiam: Simon, inquit, narrauit, quemadmodum primùm Deus viſitauit ſumere ex genti- "
bus populum nomini ſuo. Et huic concordant verba prophetarum, ſicut ſcriptum eſt: Poſt "
hęc reuertar, & ædificabo tabernaculum Dauid quod decidit, & diruta eius reædificabo, "
& erigam illum, vt requirant cęteri hominum Dominum, & omnes gentes, ſuper quas in- "
uocatum eſt nomen meum; dicit Dominus faciens hęc. Quam rem diuino cõſilio & vir-
tuti adſcribens, idem Iacobus ſubiungit: Notum à ſeculo eſt Domino opus ſuum. Atque Iacob.
adeo ob eandem rem maxima admiratione ſtupefactus Paulus, in ingentes diuinę ſapien-
tię laudes prorupit: O altitudo diuitiarum ſapientię & ſcientię Dei: quàm incompre- Rom. 11.
hẽſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit ſenſum Domi- "
ni, aut quis conſiliarius eius fuit; aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex "
ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen. "
Summam autem tranquillitatem, ſummam felicitatem, piam atque ęternam pacem, "
omnium verorum & ſpiritualium commodorum perpetuum quendam vſum, humano
generi in illam admirabilem gratiam recepto, hoc eſt populo Dei futura porrò eſſe, ele-
gãti carmine atque maximæ vbertatis deſcriptione Vates præcinit: quod aurea illa Chri-
ſti ętas, Spiritu ſancto in ſuos effuſo, ſuauiſſimos atque vberrimos & tempeſtiuos omnium
virtutum fructus ſemper eſſet reddituræ. hoc autem de hac re arcanum & fauſtum eſt ora-
culum:

Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & comprehendet arator meſſorem; & calcator vuæ mittentem ſemen: & Dies poſt il-
ſtillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt. lam diem.

COMMVNIS & publica lætitia atque felicitas nulla alia exterarum, & in medio po-
ſitarum rerum imagine, commodius quàm felicis multiplicisque annonæ deſcriptione
exprimitur. Hoc enim hominum animos famis metu; & magna ſolicitudine liberans, ad
otium, ad feſtos agendos dies, ad conuiuia, ad hilaritatem, atque ad alia iucundę & mor-
talibus expetitę vitę oblectamẽta maximas commoditates creat: vnde non noſtris modò;
ſed exteris etiam auctoribus hęc ſummę & publicę felicitatis deſcribendæ forma ſępius
expreſſa eſt; vt illud: *Tutus bos etenim rura perambulat,*
Nutrit rura Ceres, almaq; Fauſtitas. &c. Et apud Vates: Lętabuntur & exul- Hor. lib. 4. Od. 5.
tabunt coram te, ſicut qui lętantur in meſſe multa. Huiuſmodi plena atque abundans fe- "
licitas, antiquę legis & pietatis aſſiduis & certis cultoribus promiſſa eſt: Si in præceptis Iſai. 26.
meis ambulaueritis, & mandata mea cuſtodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias "
temporibus ſuis, & terra gignet germen ſuum, & pomis arbores replebuntur. Appre- Leuit. 26.
hendet meſſium tritura vindemiam; & vindemia occupabit ſementem; & comedetis "
panẽ veſtrum in ſaturitate, & abſq. pauore habitabitis in terra veſtra, dabo pacem in fini- "
bus veſtris. Hæc antiquis prioris teſtamenti hominibus & promiſſa, & tam diu præſtita "
fuère, quamdiu lex illa, quæ in tabulis lapideis inciſa fuerat (quatenus ab illius ętatis homi-
nibus præſtari poterat) purè ſancteque culta eſt. nobiſcum verò lõgè aliter actum eſt; qui-
cunque aureæ huius ætatis vſum ſortiti fuerimus (modò noſtra culpa tanto beneficio, tan-
tæque dignitatis honore indigni non reddamur.) Non enim ad terrenam aliquam felici-
tatẽ, vt ad certum & maximum optandumque virtutis præmium, ſed ad diuinã planè bea-
titudinem, ad cęleſtis regni conſortiũ, ad æternos ſpiritualis vitę percipiendos fructus in-
uitati, vocatiq. ſumus: cuius maximi & diuini beneficij nõ modica parte etiam viuentibus
& ſentientibus ante extremũ vitę huius mortalis diẽ pluribus pientiſſimis hominibus frui
ex diuino beneficio contigit, ſicut ſcriptũ eſt: Quomodo omnia nobis diuinę virtutis 2. Pet. 1.
ſuę, quæ ad vitam & pietatem pertinent, donata ſunt per cognitionem eius qui vocauit "
nos propria gloria, & virtute: per quem maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt "
per hoc efficiamur diuinæ conſortes naturæ, & cuiuſquod nunquã prioris teſtamenti etiam "
pien-

Ex huiuſmodi verò antea ſuperbis & inſolentioribus animis omnis virtutis, humanitatis & modeſtiæ, ſuauitatiſque vſum expectandum eſſe Vates præcinit: nihilque in moribus difficile ac durum, ſed omnia facillima ac mitiſſima eſſe experiunda. Hoc etiam tropo maximam felicis cuiuſdam ſeculi modeſtiam & æquabilitatem ſibi antiqui auctores grauiſſimi promittebant: Virg Eclo.4

Molli paulatim flaueſcet campus ariſta, Incultiſq; rubens pendebit ſentibus vua:
Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella.

Totius verò orbis, & omnium gentium & ordinum, voluntatum, ſtudiorum & ſententiarum ſummam de Chriſtianæ religionis cauſa conſenſionem prædicturus Vates; & quo ordine hæc res paranda, adornanda, gerenda, denique perficienda fuerit indicaturus; Dauidicum primum tabernaculum repoſitum: deinde ſalutem & felicitatem toti orbi omnibus locis, tum vallibus, tum montibus & collibus communicatum iri, atque tandem Iſraëlitis omnibus aditum ad gratiam eſſe aperiendum: eamque certam & perpetuam felicitatem illis fore ſignificat.

Et conuertam captiuitatem populi mei Iſraël: & ædificabunt vrbes deſertas, & inhabitabunt, & plantabunt vineas, & bibent vinum earum: & facient hortos, & comedent fructus eorum.

ISRAELITIS nunc toto orbe diſperſis & vagantibus nulla certa, & fixa, aut propria ſedes, nullum quietum & tranquillum vitæ genus eſt. quamobrem nulli proprij agri, aut vineæ, aut horti; & quibuſdam vix paruæ & humiles domus ſunt. Illi namque propter aliorum hominum, apud quos degunt, odia, & inuidiam, in metu ſemper atque ſuſpicione, & noui exilij atque migrationis expectatione ſunt. Si quid autem iis aut negotij, aut artis, aut rei eſt, totum in nummis & vendibili ſupellectile ponitur, vt ad oblatam migrationem quàm expeditiſſimi eſſe poſſint. His verò vbi ad publicæ ſalutis & diuinæ gratiæ communionem admiſſi fuerint, ſtabilem, perpetuum, & certum atque tutum vitæ genus & vſum fore Deus pollicetur; eaque res aptiſſimis oſtenditur argumentis. Summæ namque pacis, ſecuritatis, tranquillitatiſque, in vrbibus & regionibus nullum maius atque efficacius argumentum, quàm agriculturæ exercitatio vſuſque eſt, ſicut ſcriptum eſt: Hæc dicit Rex Aſſyriorum; facite mecum benedictionem, & egredimini ad me, & comedite vnuſquiſque vineam ſuam, vnuſquiſque ficum ſuum, & bibite vnuſquiſque aquam ciſternæ ſuæ. Apud exteros etiam auctores agriculturæ vſus ſecuritatem ſignificat. ſic M. Attilius apud Horatium: Iſai.36. « « « Horat.lib.3. Od.5.

Portaſq; non clauſas, & arua Marte coli populata noſtro.

Quamobrem in antiquis nùmiſmatibus Securitas altera manu aratrum, altera cornucopiæ tenens pingebatur. Magnæ ergo ſecuritatis eſt, vineas, hortoſque plantare; maioris, fructuum percipiendorum ſpem facere: maximæ verò, perpetuam atque certiſſimam pacem fore promittere, fixaſque ſedes, & omni metu atque ſolicitudine vacuam vitam in ſummo & honeſtiſſimo otio polliceri.

Et plantabo eos ſuper humum ſuam, & non euellam eos vltrà de terra ſua quam dedi eis.

NAMQVE noui teſtamenti promiſſa hæreditas, æterna atque perpetua iis, quibus diuino beneficio contigerit, eſt. neque enim facilè de eo ſtatu conuelli poſſunt, quem ſpiritus ſancti in eos immiſſi opera & efficientia tenuerint. Quis enim nos ſeparabit à charitate Chriſti, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis; vnus ex felicitatis huiuſmodi conſortibus aiebat. namque illos in hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam & immarceſcibilem huiuſmodi vocatos eſſe Petrus affirmat. [*Et plantabo eos ſuper humum ſuam.*] Requiem quandam diuinam hominibus à Deo promiſſam eſſe accepimus, qua, qui ex diuino beneficio fruuntur, maximis laboribus, maximis animi & corporis ſolicitudinibus liberantur; & perpetuo illo timore, quem peccatorum conſcientia facere ſolet, atque duræ illius animorum ſeruitutis vinculis leuantur. Ad hanc adeò libertatem, ad hanc requiem, ex magnis peccati occupationibus quærendam; tum à Deo ipſo in Pſalmis, tum à fideliſſimo & ſapientiſſimo antiquorum myſteriorum interprete Paulo inuitamur. hæc namque requies antiquis patribus exoptata, noſtra feliciſſima ætate, hoc eſt ſeculorum fine, per Chriſtum parata & quærentibus propoſita eſt. neq. enim hæc de qua loquimur, requies antiquis hominibus quondam contigit, quam tantoperè nobis Apoſtolus commendat, atque omni conatu, & ſtudio omni quærere ſuadet. Nam ſi eis Ieſus requiem præſtitiſſet, nunquam de alia loqueretur poſthac die. Itaq. relinquitur Sabbathiſmus populo Dei: Qui enim ingreſſus eſt in requiem eius, etiam ipſe requieuit ab operibus ſuis, ſicut & à ſuis Deus. Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem, &c. quæ de « « 1.Pet.2. Hebr.4.

hac re plurima ab Apoſtolo in illo tractantur loco. Quam rem vates noſter hic oratione ſignificauit, atque adeò Apoſtrophe & diuini nominis appellatione vſus, ſuum opus abſoluit; vt cum maxima auctoritate huius tantæ felicitatis ſpem, illis non ſolùm faceret, ſed abundè etiam confirmaret.

Dicit Dominus Deus tuus.

Alterum nomen *Dominus* tetragrammaton illud eſt, quod in magnæ miſericordiæ; alterum verò *Deus*, quod in prouidentiæ rationibus appellatur. Cùm enim Deus Iſraëlitas ex Ægyptiaca ſeruitute educere, atque in promiſſam patribus eorum requiem deducere parauit, inſigne hoc nomen protulit; cuius virtutem & efficientiam antiquis illis patribus non
Exod. 6. ſatis perſpectam, nunc demum perſpici incœptum iri confirmauit. Ego, inquit, Dominus
» qui apparui Abraham, Iſaac & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum ADONAI
» non indicaui eis. Pepigiq. fœdus cum eis, vt darem eis terram Canaan, terrã peregrinationis
» eorum; in qua fuerunt aduenæ, &c. Idem autem hoc nomen quod de vera requie prꝗſtanda
» ſermo eſſet, nunc à Vate vſurpatur. Namque Deo miſericordi & benigno mira promiſſorum fides & conſtantia eſt. Eos autem apud quos res agitur, conuerſo ſermone compellat, quòd ad fidem, ſpemque faciẽdam, ad recreandos, expectatione & conſolatione ſuſtentandos animos idoneus hic eloquendi modus eſt. [*Dicit Dominus Deus tuus,*] cuius certa cùm cætera promiſſa omnia, tunc præcipuè quæ de miſericordiæ magnæ rationibus ſunt, certiſſima ſemper expertus es. Quemadmodum autem hic vates dicendi initium ab vltimis ferè Ioëlis verbis fecit: Dominus de Sion rugiet, & de Hieruſalem dabit vocem ſuam: Sic etiam totius orationis ſuæ comprehenſionem, iiſdem promiſſionibus, iiſdem ſententiis, iiſdem penè verbis & numeris clauſit. Ille enim dixerat: Et erit in die illa, & ſtillabunt
Ioël. 3. montes dulcedinem, & colles fluent lacte. Hic verò; Ecce, inquit, dies veniunt, &c. & ſtilla-
» bunt montes dulcedinem. & omnes colles culti erunt. Ille huiuſmodi ad finem clauſula
» vſus eſt: Et Iudæa in æternũ habitabitur, & Hieruſalem in generatione & generationem.
» Hic in ſimillima ſententia, non diſſimili eſt vſus periodo: & non euellam eos vltrà de terra ſua quam dedi eis. Quamobrem meritò ſecundum poſt Ioël locum, & tempore & librorum ordine, tenet Amos.

CARMEN EX VOTO.

CONSVETIS *iuuat & modis,*
Et mixto fidibus carmine reddere
Votiuum ſuperis ſacrum:
Quale & Ieſſiadæ barbitos aurea
Bethlehhmi ſonuit iugis,
Permulcens numeris pectora dulcibus,
Placans & patrium Deum,
Atque in vota magis vocibus aduocans,
Quàm ſi quotquot eunt dies,
Cultros aut vituli ſanguine bimuli,
Aut centum imbueret capris,
Aris multa ferens thura calentibus:
Nam me per nemus auium
(Quò non ire leuis cura, metus, neque
Spes vana aut humiles queant)
Arreptum fateor, menteq́ in æthera,
Humanæ immemorem vicis,
Deductum, ſacra tum conſilia & Dei
Arcanum generi pio
Mirandum memori pectore diſcere:
Quò gentem doceam meam
Quæ magnis fuerant prodita vatibus,

Vt nullum

Vt nullum aut hominum genus
Diuinos oculos, nec, latet impium,
Quicquid concipitur, nefas;
Iras vt valeat fallere vindices,
Aut latè validam manum
Quæ montes premit, & quæ mare concutit:
Namque id fortius incitat,
Et lentum grauius ſollicitat gradum
Pœna præcipitis ſcelus,
Quod quis vel dubio compoſuit dolo,
Vel damno nocuus graui,
Vel ſi fraude mala fratribus inuidet.
O quiſquis volet arduis
Occurriſſe malis, tollere & vrbibus
Inſtantes & agris minas,
Seuera vt manibus Iudicis auferat
Et fatalia fulmina,
Luxum & femineam fortiter & citò
Refrenet petulantiam,
Extinctæ & ſtudeat relliquias breuis
Conſeruare modeſtiæ,
Exuratq; mali ſemina publici.
Nequicquam querimur grauem
Magnas inter opes pauperiem pati.
Fruſtra tempora ſeculi
Culpantur, pretijs omnia maximis
Anguſtæ nimium rei
Obſtare· hæc proprijs inſita moribus,
Aucta vſu nimis improbo
Euellenda prius, ſi volumus nouos
Et vitæ faciles dies
Duxiſſe, ac placidis viuere commodis.
Nam ſummus pater omnium
Maiora indomitis & cupidis parat
Pœnæ pondera gentibus,
Poſtquam veridicis vocibus excitæ
Rectas ire negant vias,
Et turpis ſtudij inſiſtere callibus,
Spreto numine, geſtiunt:
Dum per faſq; nefas femineos petunt
(Nec moris pudet improbi)
Luxus, mollitiem atque imperium pati.
Heu heu quantus adeſt viro
Vxoriq; dolor, vincula, carceres
Ferre, & ſeruitium graue,
Inſuetumq; humeris pondus inertibus!

Hinc peſtis miſera, & fames,
Hoſtiliſq; manus, enſis & igneus
Inſtans mœnibus impetus,
Et quidquid patimur vindice numine:
Sed tu deſine mollibus
Humanum ſcelus & facta nocentium,
O mens carminibus ſequi.
Quin ſacri potius munera ſpiritus
Aeternumq; Dei decus,
Atque optanda viris præmia fortibus
Pergis dulciſono dicere carmine?
O mundi decus & maxima cælitum
Sanctorumq; beata ſpes,
Aeterniq; etiam conſilij potens,
Et qui cuncta foues amor,
Terras qui recreas, qui mare temperas,
Qui motum fluuijs ingem,
Qui vitam liquidis fontibus efficis:
Afflictis hominum potes
Tu rebus requiem reddere, & efferos
Mores vertere mitibus.
Te gens cara tibi iam meritis patrum
Iacobi genus optimi:
(Sed nunc ob ſcelus & dura rebellium
Olim crimina mentium,
Diris acta modis, ſordida, & omnibus
Iam dudum excita caſibus)
Expertura bonum denique & infimis
Promentem è tenebris ducem
Numen perpetuis carminibus tuum
Cantabit pede libero,
Euaſiq; iugi ac ſeruitij memor.
Ergo & me bonus ac potens
Nunc iam caſta precor per tua ſacra fer,
Plenum numinis ac tui
Nil mortale ſinas aut ſapere aut loqui,
Sed vel qualia Thecois
Quondam ſaltubus, aut montibus Ephratæ
Paſtorumq; animos rudes,
Indoctumq; virûm pectus agreſtium,
Et ſpectanda bonus dabas,
Et dicenda nouis credita ſenſibus,
Per brutas quoque belluas,
Certum conſilium (cùm placet) exprimis.

FINIS.

BENEDICTI ARIÆ MONTANI HISPALENSIS IN ABDIAM PROPHETAM PRÆFATIO,

DE INVIDIA.

INTER omnes, quibus humanæ mentes ad maxima & grauiſſima ſuſcipienda ſcelera impelluntur, perturbationes, acerrimum & nocentiſſimum, atque maximè peſtiferum motum inuidiam eſſe, non modò antiquis atque nouis grauiſſimorum & ſanctiſſimorum auctorum teſtimoniis, ſed innumeris & continuis fere exemplis compertum exploratumq́ eſt: atque adeò hoc vnum ex nocentiſſimis Sathanæ inuentis fuiſſe, idq́ non poſtremum, non incertum, ſed poſt primum illud ad humanæ naturæ edendam ruinam callidè excogitatum conſilium, ad homines etiam ipſos vniuerſumq́ eorum genus turbandum & perdendum, cæterorum omnium longè certiſſimum, atque primo etiam poſt corruptam hominum naturam, & flagitioſiſſimo periculo facto cognitum. cuius periculi horribilem narrationem primæ illi communis omnium malis cauſæ ſubiectam atque annexam, diuinæ nobis exponunt hiſtoriæ. nam cùm antiquus ille coluber ingenti & diuinæ gloriæ, & humanæ dignitatis inuidia exæſtuaret, & vtriuſque impediendæ rei gloriationem ſibi arrogare ſtuderet, principio diuinas res & rationes in inuidiam apud homines adducere tentauit: Scit enim, inquit, Deus quòd in quocunque die comederitis, aperientur oculi veſtri, & eritis ſimiles Diis. Atque hoc modo prima illa & communis totius humanæ rei pernicies & labes facta eſt: Deinde verò vbi iam homines Deo inuiſos reddidiſſet, atque a fonte vitæ & luminis abalienaſſet, vt non ſolùm diuino ſed humano ac mutuo inter ſe odio funditus perderet, conceptum in ipſis inuidiæ ſemen ad immaniſſimum quàm maturrimè ferendum fructum maximo ſtudio maximaq́ adhibita opera fouit, excoluit & promouit, eiusq́ pernicioſiſſimi inter homines mali nefarium exemplum fraterno illo Caini parricidio editum eſt: ita cùm ſuo ille periculo, ſuoq́ malo, quantum hoc inuidiæ vitium ſcelerum & flagitiorum concipere admittereq́ poſſet, intellexiſſet, homines quorum felicitati ſemper inſidiatur, in eandem malitiam & fraudem impulit, nullo enim modo iis, quos vehementer oderat, nocentius atque certius ad interitum vulnus, quàm id quo ipſe periiſſet, infligi poſſe putauit. Neque verò conceptam opinionem euentus fefellit, nam primùm poſt homines natos fratrum par hoc periculo implicans, atque alterum ex illis in alterius necem impellens, toti orbi exitium, & generi hominum cladem parabat certiſſimam: cùm quòd omnẽ ſanctæ ſobolis ſpem vno Abel extincto peruertiſſet, tum quòd Caini poſteritatem omnem, ex paterna imitatione & exemplo, inuidentia, obtrectatione, contentioneq́ mutua perniciem ſibi ipſi molituram fore facilis eſſet diuinatio. Id quod exitus ipſe manifeſtè demonſtrauit, cùm non modò impii Cain genus vniuerſum, ſed omnis etiam Seth ſancta olim progenies, præter vnam Noë familiam, mutuis diſſidiis, obtrectationibus, & omnibus iniuriarum generibus, quas parere inuidia ſolet, flagrantes extremum ſibi diuinæ vltionis exitium moliti ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Corrupta eſt autem terra coram Deo & impleta eſt hamaſz. Cumq́ vidiſſet Deus terram eſſe corruptam, omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram, dixit Dominus ad Noë: Finis vniuerſæ carnis venit coram me, repleta eſt terra hamaſz à facie eorum, & ego diſperdam eos cum terra. (Gen. 6.) Illud autem primum fraternæ charitatis violatæ nefarium exemplum certiſſimo argumento fuerat, nullum aut fore ſocietatis fœdus aut neceſſitatis vinculum, nullam naturæ, ſtudiorum, voluntatum atque beneuolentiæ coniunctionem; nullum denique adeò ſanctum fœdus aut officium primi hominis generi & poſteritati eſſe, quod terrarum orbem ab huius furiæ inſidiis tutum aut publicè, aut priuatè præſtare poſſet. Id verò malum eo ad nocendum promptius, & ad cauendum eſſe difficilius, quòd non grauibus mo-

mentis, non offenſis vllis neque iniurijs, ſed leuiſſimis in eo, cui inuidia ſuſcipitur, cauſis, & occaſionibus, imò & maximis interdum virtutibus, ac denique innocentia, ad ſummam inuidiam nonnullorum animi incenduntur. Quidam enim ſunt quibus ob nullam ipſorum culpam, ob nullum vitium, ſed ob ſingularem & eximiam quandam virtutem inuidetur, vt Abel iuſto in ſacris libris appellato, & vita & morum ſimplicitas, & probata Deo ſanctitas inuidiam apud impium & ſceleratiſſimum fratrem fecit. Sunt etiam quorum non tam virtus, quàm virtutem conſequens gloria & debita laus, inuidia & obtrectatione impediatur, vt David, quem non officijs modò omnibus, ſed maximis etiam beneficijs affectus ſocer, tamen ſummo odio atque inuidentiæ ob gloriæ æmulationem proſequutus eſt. Alij præterea ſunt quibus neque ob propriam culpam, virtutem aut gloriam, neque ob quæſitam aut partam, ſed tantùm diuinitus oblatam felicitatem, maleuolentia & liuore ſuffuſus aduerſarius quiſpiam æmuletur. cuiuſmodi Iſraëlitarum & Idumæorum cauſa fuit: namque Idumæi Eſau genus, quos propria ſorte, & oblatis abundè à Deo vitæ commodis, atque dignitate contẽtos eſſe oportuit, neque alienis, quæ ſine ſui iniuria aut damno contigiſſent, fortunis inuidere æquum fuit, tamen contra Iſraëlitas, quibus cum generis neceſſitudine coniunctiſſimi erant, propter dignitatem & felicitatem, atque diuino beneficio, non humano negotio comparatas res, diuturno odio, contento ſtudio, grauiſſimas ini-
Amos 1. micitias nunc occultè, nunc verò apertè exercuerunt, ſicut ſcriptum eſt: Super tribus ſce-
„ leribus Edom, & ſuper quartum non conuertam eum, eo quòd perſequutus eſt in gladio
„ fratrem ſuum, & violauerit miſericordias eius, & tenuerit vltra furorẽ ſuum, & indigna-
„ tionem ſuam vſque in finem ſeruauerit. Id verò inuidiæ venenum ab illis primis principijs in hominum animos infuſum ad omnes orbis partes vſque adeò permanauit, vt non ſinguli modo priuatim homines, ſed integræ ſæpe familiæ, frequentes interdum ciuitates, totæ etiam perſæpè nationes, & pleniſſima regna, huius peſtilentiæ eluuione atque vi vaſtatæ funditus perierint.

Neque verò hoc ſcelus eorum ipſorum tantùm, à quibus primùm ſuſcipitur, proprium eſt, neque cum primis illis contentionis & inuidiæ poſſeſſoribus extinguitur, ſed aut domeſtico exemplo & deprauata diſciplina, aut mala & longa conſuetudinis cauſa, aut corruptarum communicatione opinionum, ad omnem poſteritatem, tanquam hereditarius quidam morbus, atque ad ſocietatem omnem tanquam contages & labes, quæ neque diuturnitate euaneſcere, neque vllis artibus elui poſſit plerumque pertinet: ex quo malorum fonte antiquiſſimæ & latè permanantes diuerſarum nationum, religionum, ſectarum & ſtudiorum, atque opinionum contentiones, ſimultates, æmulationes, diſſidia fluunt: dum ab alijs hominibus aliorum dignitati & fortunis, vel potentiæ & opibus, vel generis ſplendori, vel virtuti etiam & ſapientiæ, vel honeſtis artibus aut induſtriæ, vel alijs rebus, quæ natura ſua aut laude digniſſimæ, aut ſaltem inuidia indigniſſimæ ſunt, per ſummum nefas inuidetur. Ita (ſi recto iudicio res expendatur) comperiemus nos nulla alia cauſa, niſi quòd eum errorem aut à vulgi opinione, aut à parentibus, aut ab alijs quibus cum vixerimus temerè accepimus, aut ſimul cum lacte matris ſuximus, in perpetuo animorum tumultu & perturbatione, atque adeò in manifeſto ſcelere, & flagitioſiſſimo ſtudio imprudenter fortaſſe viuere: imprudenter, inquam, quoniam huiuſmodi animorum contentiones, atque opinionum diſſenſiones, non ad inuidiam, quæ vnica & certiſſima cauſa eſt, ſed ad alias commentitias futileſq; ſententias, atque ad fictas plerumque rationes reuocari ſolent. ex quo fit, vt quo magis hoc malum viſceribus inhæret, quo antiquius & inueteratum magis eſt, eo minus ſentiatur & timeatur, aut etiam bonæ habitudinis & ſanitatis nominibus diſſimuletur, vel potius foueatur. proptereaq; non facilè modò, ſed libentiſſimè etiam quibuſdam ferendum eſſe videatur.

Quòd ſi diuerſarum atque adeò alienarum ſectarum homines tantùm deteſtabilis hæc peſtis teneret, eoſq; ſolum occuparet, qui longiſſimo interuallo à veritate atque à nobis diſcedunt, minus id timendum eſſet & dolendum. Sed heu pudor & dolor, vix cogitari, nedum dici ſine multis lachrymis poteſt, quàm multi ex Iſraëlitis olim apud quos religionis

veritas

veritas erat, quàm plurimi ex Christianis nunc, in quos omnium ſeculorum fines deuenerunt, inter quos æternum ſibi domicilium diuina veritas collocauit, crudeli hoc atque peſtifero concepto vitio omnes cùm officij atque humanitatis, tum etiam pietatis rationes, cum maxima ſui ipſorum atque aliorum pernicie turbauerint, & quo minus veri illi & expectatiſſimi virtutis & pietatis fructus percipi commodè poſſint, impediuerint. Neq. enim vlla quantumuis præclara vel humanitatis vel pietatis officia ſine charitate (quæ latenti inuidiæ veneno aut vehementer corrumpitur aut omnino extinguitur) vtilia ijs qui fecerint ex D. Pauli ſententia eſſe poſſunt. Inuidia autem vnico malo multorum maximorumq; bonorum vſum atque decus demi Ioannes Apoſtolus cùm primis confirmat: Qui odit, inquit, fratrem ſuum, in tenebris eſt & in tenebris ambulat, & neſcit quò eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.

Verùm enimuero hæc communis ſocietatis labes atque eluuies Christianæ eccleſiæ rebus iam olim integerrimis, ſi vnquam aliàs, nunc maximè noſtra tempeſtate illata, tot tantaq; diſſidia, tot à vera atque antiqua pietate alieniſſimas, multorum publicè atque priuatè malorum effectrices opiniones inſeruit, vt ab occidentalibus Chriſtianis ij, qui Græciam Aſiamq; incolunt, vehementer, quaſi natura & genere, atque religione diſiuncti ſint, ita animo ac voluntate diſſideant: atque occidentales ipſi in magna varietate ac diſſenſione ſint conſtituti. nam qui ſeptentrioni ſubiectiora loca tenent, à Romana Eccleſiæ totius orbis principis inſtituto & obſequio, idq; non propter veritatis defendendæ ſtudium, ſed propter ſplendoris & dignitatis obtrectationem, atque viuendi libertatem ac licentiam deſciſcunt. Ac ne vlla pars hac culpa vacaret, ſedulò communis ille hoſtis curauit & effecit, vt inter eos etiam, quibus eadem ſocietatis & inſtitutorum communio eſt, nullus locus ſit, qui non vel ex opinionum varietate, aut ſuperba & inani generum & familiarum iactatione, aut alijs ex leuiſſimis cauſis odio, & diſsidij atque inuidiæ incendijs conflagret: ita vt vera & ſanctiſsima, ſimpliciſsimaq; pax, quæ communis ac propria Chriſtianorum omnium eſſe debuit, & publicè deſideretur, & priuatim rara admodum inueniatur. Quotus enim quiſq; eo animi candore eſt, qui cùm ſibi ipſi nihil altũ ſapiat, nihil in hoc mundo appetat ſublime, cæterorum omnium ſecundis rebus lætetur, aduerſis doleat, atque omnia denique vitæ huius commoda non ſui, ſed aliorum cauſa cupiat? namque ſolùm candidi & nihil ſibi appetentes animi ab hoc tetro inuidiæ & linoris vitio alieni ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Vnde bella & lites in vobis? nónne ex concupiſcentijs veſtris, quæ militant in membris veſtris? Huius autem pernicioſiſsimi mali, quod meritò malorum omnium fontem ſanctiſsimus atque ſapientiſsimus vir Cyprianus appellauit, huius peſtis & publici incendij cauſa ex profeſſo agenda, atque Dei iudicis nomine iudicata & damnata, pronuntianda diuini conſilij auctoritate, & ſpiritus facultate ad Abdiam prophetam delata eſt: quam nos, eodem ſpiritu ſuppeditante ingenium, pro contentæ rei & hiſtoriarum narratione, explicabimus, & ad communem & perpetuam noſtrorum hominum (quorum cauſa ſcriptum vaticinium ad hæc vſque tempora perdurauit) vtilitatem exemplumq; exponemus. Sed antequam opus ipſum aggredimur, idem ſpiritus de more adeundus adorandusq; nobis eſt.

1. Iacob. 4.

Cypr. pag. 141.

b 4 *Patris*

Patris amor natiq́ꝫ Deus, pacémqꝫ per orbem
Qui fundis placidam Spiritus alme veni.
Spiritus alme veni, noſtraq́ꝫ illabere menti,
Atque imis bonus ô ſenſibus inſideas:
Vt vacuum inuidiaq́ꝫ omni cæcoq́ꝫ tumultu
Ire ſinas Vatem per tua ſacra tuum.

ARGVMENTVM VATICINII.

VNIVERSVM *gentilitatis nomen, omniaque nominis illius momenta, ita, vt neque veſtigium quidem vllum appareat, per orbis ſeruatorem Chriſtum funditus eſſe diruenda præcinit Abdias. In primis autē oſtendit, quemadmodū exiguis initijs ortus populus ille ad innumerā creuerit multitudinem, atque omnem ferè orbem tum gente genereque, tum moribus atque inſtitutis ſuis occupauerit, & ſumma rerum fuerit potitus. Qui quanquam multis antehac modis fuerit afflictus, nunquam tamen perditus adeò eſt, vt non multa magnaque & nominis & ſtudiorum ſuorum monumenta & retinere & propagare contenderit, idq́ue fuerit vſque aſſequutus, quoad ſacroſancto Euangelio omni tādem orbi publicè annuntiato & Iſraëlitarum ſitæ & diſſipatæ reliquiæ rurſus collectæ ad ſalutem reſtituantur, & vnus Chriſto populus, vnum Deo & patri ſuo regnum ex omnibus nationibus comparetur, vna omnium generum atque ordinum cōiunctio & conſpiratio in Chriſtiana ſuſcipienda religione, ea denique iucundiſſima vitæ atque officiorum omniū coëat ſocietas, quo tempore quicunque pientiſſimo Dei populo inimici infenſiq́ue fuerint, impietatis & ſcelerum pœnas daturi ſunt; & omnes tandem quótque ex Idumæorum gente fuerint reliqui, veræ Chriſti Ieſu religioni, cui antea repugnauerant, ſubmiſſis faſcibus ceſſuri conceſſuriq́ue ſunt. Pia autem quædam atque æterna pax, & tuta animorum quies eius felicis temporis homines ſecutura eſt.*

VISIO

VISIO *Abdiæ. Hæc dicit Dominus ad Edom: Auditum audiuimus à Domino, & legatum ad gentes miſit:*

VISIO *Abdiæ.*] Totius operis inſcriptio & propoſitio hęc eſt, quę auctoritatem primùm dicendis rebus, deinde fidem conciliat: cùm neque obſcuro nomine neque incerto auctore vaticinium ſit editum. neque enim quiſpiam eſt qui inter vates nomen profiteatur ſuum, idque æternis memorię monumentis conſecratum rectè velit, niſi quod iecerit prius fundamentum certa fide, & ſuſcepti muneris auctoritate niti poſſe intellexerit, ſeuerum alioqui ſibi ipſi Dei iudicium conflaturus, inſignemque mortuo etiam notam ad ignominiam ſempiternam inuſturus. Atque de appellandi nominis cauſa hæc nunc breuiter dicta nobis ſatis ſint. De Vate autem ipſo quiſnam & quo tempore fuerit, in procemialibus totius operis diſputationibus commodè tractatum eſt. Viſionis autem verbum, quo vaticinij modus ſignificatur, tantiſper excutiendum nobis eſt, quoad de toto hoc genere diſſerendi locus commoditaſque crectur, vbi de viſione multa, quæ ex ſacris libris obſeruabimus, exponentur. Cùm plura Hebraica verba ſint, quæ Latini interpretes ob linguæ inopiam omnia vnico videndi vocabulo confundunt, magna tamen in rebus
ipſis diſtinctio eſt. Ex illis igitur verbis vnum eſt, HHAZA, quod nos videre ſiue proſpice- חזה
re, à quo nomen HHAZON, deriuatur, pro quo Latinè viſionē legimus. Id autem non ad חזון
corporis ſenſum aliquem, ſed ad inſignem quendam atque illuſtrem mentis viſum refertur, quo vel ex humano certo atque maturo iudicio, vel ex diuino lumine, certiſſimæ & apertiſſimæ præſentis temporis rerum, vel futurarum maximè ſuſcipiuntur cogitationes, atque illas res huiuſmodi cogitationibus comprehenſas ad quamcunque pertineant rationem, ſiue diuina ſiue humana cauſa ſit, maximi momenti ac ponderis eſſe, neceſſe eſt. Id autem cùm modò oratione illuſtrare non vacet, vno atque altero exemplo commodè indicabitur. Cùm maximum illud diuinum conſilium de vniuerſo hominum genere à Diaboli ſeruitute vindicando, deque rebus à Christo Ieſu gerendis, atque de publica orbis felicitate & ſalute, Abrahamo antiquo patriarchæ, quatenus id aperiri fas fuit, aperiretur,
ſanctiſſimi viri mentem huiuſmodi illuſtratam lumine fuiſſe legimus. Et factum eſt ver- Gen. 15.
bum Domini ad Abraham in viſione dicens, &c. de qua etiam viſione & futurarum rerum
proſpicientia ſcriptum eſt: Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum, vidit &
gauiſus eſt. Septuaginta etiam illi ſelecti patres, qui diuinæ maieſtatis ſpectatores admiſſi, Ioan. 8.
reliquæ Iſraëlitarum multitudini teſtes viui præſenteſque deinde fuêre, hac præter morta- "
lem ſortē clariſſima luce viſi ſunt. Et viderunt Deum Iſraël, ſub pedibus eius quaſi opus la- Deut. 25.
pidis ſaphirini, & quaſi cælum cùm ſerenum eſt; nec ſuper eos qui procul receſſerant de fi- "
liis Iſraël miſit manū ſuam, & viderunt, inquit, Deum, & comederunt & biberunt. hoc po- "
ſterius verbū, viderunt, Hebraicè IAHHAZV, tantæ ſignificationis eſt, vt miraculi loco ducatur, eos quibus tanta, tam diuina contigiſſet lux, tamen mortales fuiſſe, atq. cum cæteris etiā mortalibus conuictu & conſuetudine fuiſſe verſatos. Hanc adeò rem antiquiſſimus etiam ille diuinator Balaam proprio experimento viuus præſensq. teſtatus eſt. Et irruente
in ſe ſpiritu Dñi ait: Dixit auditor ſermonū Dei, qui viſionem omnipotētis intuitus eſt, qui Num. 24.
cadit: & ſic aperientur oculi eius. Quibus omnibus ex locis illud intelligimus viſionē, quæ "
HHAZON Hebraicè dicitur, ad grauiſſimas & maximi momenti res, longeq; à communi "
ſenſu & vſu ſepoſitas pertinere: neq. ſolū ad ea quæ aut præſenti tēpore abſentia, aut futuro proxima ſunt, ſed multo etiam magis ad longā aliquam rerum gerendarū, & longo pòſt tēpore futuram ſeriem, & conſequentiā cernendam referri. Quamobrē ſi nobis verbum à ſignificatione, ſi non propè diſtans, tamen non longiſſimè remotum, inueniendū Latinè optandumq. ſit, nullum cōmodius quàm proſpicere proſpicientiaq. ſuccurrit. Eſt enim proſpicientia vtiliū, aut inutilium rerum futurarū longè in poſterum præſenſio atq. præuiſio, quam videndi & in poſterum proſpiciendi rationem Balaam idē apertè ſignificauit. Dixit auditor ſermonum Dei, qui nouit doctrinam altiſſimi, & viſiones omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos. Videbo illum ſed non modò; intuebor illum, ſed non propè. Quā rem ſubiunctis cōtinuò oraculis expoſuit. Vnde & nos audito viſionis nomine, in cā ſtatim partem animo & cogitatione conuertimur, vt non ad præſentia modò tempora, ſed ad ea magis, quæ longè in poſterum futura ſunt, rem de qua ſermo ſit, referendā eſſe arbitremur, aut etiam cum præſentium rerum animaduerſione futurarū quoq. rationem præcipuè eſſe habendam. Ex quo fit, vt quæ huius generis oracula in vatum libris leguntur, niſi hæc ratio diligenter conſideretur, explicatus difficillimos habeant. Cuius generis Iſaiæ viſiones ſunt, de quibus ſuo loco, ſi Deus annuerit, exponemus. huiuſmodi igitur viſionis

nomen Abdiæ vaticinio præfixum,rem ipſam,de qua oratio inſtituitur, ad longè in poſterum futura tẽpora pertinere docet. Voluit enim Deus Opt.Max. Abdiæ genere Idumæo, religione tamen Iſraëlitæ,& pietatis officiis probariſſimo viro,totã gentis ſuæ,ex qua ortus fuerat,cauſam explicare:& quid futurum tandẽ illis eſſet,oſtendere; vt res non odio aut inuidia,ſed veritate ipſâ niti videri poſſet;quòd huic viro, cui gentẽ ſuam maximẽ curæ eſſe oportuit,& diuinum aperiretur conſiliũ,& ob inſitum à natura erga propriũ genus ſtudiũ, cum nulla inuidiæ ſuſpicione maxima fides haberetur:ſimul etiam vt diuinarũ rationum æquitas quanta ſit intelligatur, quòd Deus perſonarũ acceptor non ſit, ſed in omni gente, qui timet Deum & operatur iuſtitiã,acceptus eſt illi. Huic ergo vati ſuæ gẽtis cauſam perorandam,atque exitium vltimum prædicendum credidit Deus,vt ex ſuo etiã genere gẽtes ipſæ teſtem & prophetam grauiſſimum haberent,qui,quæ futura illis forent, non fortuna, caſu,aut tẽporum viciſſitudine,ſed diuino conſilio certaq.ratione multo antè definita,tandem euentura doceret. Neq. verò hunc ſolùm Idumæis ex gentiũ familiis ſuarum rerum

Num.24. prædicentẽ Deus eſſe voluit,ſed longè etiam ante eum ſexcentis ferè annis eadem,quæ hic

" Vates copioſè tractauit,Balamo pronuntianda mandauerat:Et erit,inquit,Idumæa poſſeſ-

" ſio eius:hæreditas Seir cedet inimicis ſuis, Iſraël verò fortiter aget. De Iacob erit qui do-

" minetur, & perdat reliquias ciuitatis. Viſionis igitur verbo admoniti arbitramur hãc Idumæi nominis abolitionem non tam ad eam cladẽ, quæ per Aſſyrios Idumæis allata eſt, aut ad eam quam Hircanum attuliſſe in ſacris Machabæorum libris, & in Ioſephi hiſtoria legimus,quàm ad Chriſti de omnibus gentibus victoriam, & reportandũ de omni barbaro, & euangelicæ doctrinæ repugnante inſtituto,aut errore triumphum eſſe referendũ.Quanquam enim Chriſtus & morte & reſurrectione ſua immaniſſimum hoſtem vicit & ligauit, & eo quod in totius orbis imperio exercebat iure,ſiue tyrannide potius priuauit, atque his rebus geſtis in cælum triumphator ſublatus eſt: nondum tamen hactenus hoſtẽ omnibus errorum & fallaciarum technis,omnibus machinamentis,omnibus deniq. vaſis,in quibus fidebat,expoliauit;neque omnes quotquot illius tyrannidi ſubiectæ erant orbis partes, ſub Euangelij iugum miſit. plurimi enim adhuc,vel in gentium errore verſantur, vel in ſectarum & falſarum opinionum mendacio detinentur, vel in Iudaicarum traditionũ vmbra, & in tenebris multis ſedent.quos omnes in ſanctiſſimam Chriſtiani nominis & veræ pieta-

Pſal.109. tis ditionem venturos eſſe,& rerum à Chriſto geſtarum magnitudo iusq. poſtulant, & pa-

" ternis Dei oraculis certiſſimis eſt promiſſum: Dixit Dominus Domino meo,ſede à dextris

" meis,donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ mittet

" Dominus ex Sion,dominare in medio inimicorum tuorum.Oportet enim ante mundi fi-

1.Cor.15. nem regnum integrum & plenum Deo patri à Chriſto tradi:id autem fiet cùm euacuauerit omnem principatum & poteſtatẽ & virtutẽ.Omnem itaq. gentilitatis rem,memoriam omnem,omnia deniq.eius factionis ſtudia,ac cætera quæcumq.ex eo genere fuerint,penitus abolenda,& ſub Chriſti ius imperiumq.redigenda eſſe,& cæteri vates cecinêre,& hic in primis eſt perſequutus.Cùm autẽ omnes,quæ per totum orbem ſunt nationes,in duas potiſſimùm partes,& quaſi factiones à ſacrorum librorum auctoribus diſtribuantur: alteram quidem piorũ hominum apud quos vnius veri Dei notitia, & pura pietas ac religio eſt: alteram verò impiorum,aut falſis opinionibus ſeductorum,quibus aut nulla religio,aut falſa aliqua & ſtulta eſt ſuperſtitio. Vtramq. partem duobus nominibus (vt iam alias diximus) diuina ſcripta ſignificant;aut enim circumciſi & præputium dicuntur, vt apud Paulum ſæpius;aut Iſraël & Edom nuncupantur,vt in antiquis libris ſæpiſſimè.namq. ex illo Rebeccæ matri prægnanti,ac geminos in aluo continenti populorum principes futuros,oraculo fuſo euenit,vt piorum omne genus ad Iſraëlitas,quibus ſanctæ religionis rationes,& leges certæ ſcriptæ primùm & creditæ traditæq. fuerunt,referrentur:cæteræ autẽ omnes nationes in Idumæorum partes atq.numerum aſcriberentur; tum quòd hi ab illis & opinionũ diſſenſione,& animorũ contentione vehementer diſſentirent, tum etiam quòd tẽporibus & ſeculis magnas rerum & gentiũ mutationes ex diuino conſilio afferentibus, Eſau poſteritatem & gente ipſa, & ſtudiorum imitatione in maximam ferè orbis partem diſſeminatam fuiſſe,conſtans Hebræorum omniũ traditio eſt. Æneam enim ex quo Romanus populus,gens quæ totum orbem imperio & gente atq. legibus inſtitutiſq. ſuis occupauit,ſeſe oriundum prædicat,vnum ex Eſau poſteris fuiſſe, longa ſatis & eleganti apud Ioſephum in Hebraicis eius auctoris libris narratur hiſtoria.Idq. etiam ab antiquis ſacrorũ librorum cõmentatoribus,& doctrinæ veteris auctoribus traditur: quòd is ex Idumęa in Ægyptum, ex Ægypto in Libyam & Carthaginem,inde in Italiã venerit:quem tamen Romani poëtę & hiſtorici Troianum fuiſſe aiunt. Vtcunq. autem hæc ſe habeat res, Idumæorum tamen nomen & rationem non vnis Seir mõtibus,& iis regionibus,quæ Cananææ finitimæ ſunt,

circum-

circumſcribi multis ex ſacrarum ſcripturarum locis argui tur: quorum partem, quantum
huic probandæ rei ſatis eſſe poſſet, in Amoſi & Ioëlis commentarijs indicauimus: reliquis
verò argumentis ob breuitatis ſtudium conſultò ſuperſedemus. Atq. de operis inſcriptione,
de auctoris appellando nomine, & de ea, ad quam oratio pertinet, gente indicanda ſatis
hactenus diximus: nunc deinceps orationē ipſam explicabimus. [*Hæc dicit Dominus ad Edom.*].
Conſilium auctoritatemq. diuinā legationi ſuæ Vates aſſcribit, & ad quem populū, ad quā
gentem legatus ſit, exponit. Quòd plerique omnes Vates ad Iſraëlitas præcipuè, deinde ad
Idumæos, aut ad gentes alias mandata obiter attulerint; ipſe autē ad ſolam Idumæorū gentē
fuerit ex profeſſo legatus, quem Deus in ſuam familiā receptum, ad eam, vnde ipſe ortus
eſſet, nationē, de maximis & grauiſſimis rebus remiſerit. Cuius legationis exordiū illud eſt:
Auditum audiuimus à Domino.] Ex omni vaticinantiū collegio nouē præcipuè viri fuêre, qui de
Idumæorū rebus vaticinati ſunt, quorum nomina vt tēporibus diſtincta, ita in ordinē digeſta
hîc ſunt. Primus omnium & antiquiſſimus Balaam, ſecundus Dauid Pſaltes, tertius
Abdias, Eſaias quartus, quintus verò Ioël quē Amos ſequutus eſt, ſeptimus Ieremias. Ezechiel
etiam octauus, atq. vltimus omnium qui in antiquis temporibus de hac re dixêre, Malachias
eſt: illud tamen animaduertendū eſt, nonnunquam vſu venire, vt qui tēpore poſteriores
vates fuerint, eorū qui ante ſe vaticinati de eadem re fuerint, non ſolùm verba, ſed integras
etiam ſententias vſurpent. nulli enim ex antiquis prophetis, præter vnū Moſen, contigit,
vt quæ ſibi credita eſſent mandata, totidem verbis & literis à Deo acciperet, atq. iis ad
quos legatus fuiſſet, deinde redderet. Solus namq. Moſes ex omnibus hunc propheticæ dignitatis
gradum obtinere, diuinorū librorum teſtimonio prædicatus eſt. Cumq. ingrederetur,
inquit, Moſes tabernaculum fœderis, vt conſuleret oraculū, audiebat vocem loquentis Num. 7.
ad ſe de propitiatorio, quod ſuper arcā teſtimonij inter duos Cherubin, vnde & loquebatur "
ei. Ita omnes miniſterij huius gradus cōpleuit Moſes, cùm cæteris non niſi aut in viſione, "
aut in parabolis, aut aliis modis rerum conſiliorumq. ſuorū rationes, ſuggeſturū ſeſe Deus
receperit, quas tamen illi ſuis verbis, iuxta conceſſum ſingulis menſuræ modū, & referrent,
& pronuntiarent. Ex qua re factum eſt, vt cùm plures de ea re dicerent, pauca quædā ex iis
qui anteceſſerant verba, aut etiā integras ſententias ij, qui poſteriores fuerant, vſurparent,
quibus de eadē re ſe dicere teſtarentur; cætera verò ſuo quiſq. modo eloqueretur. Sic Amoſum,
quē proximè ſumus interpretati, ex vltimis ferè Ioëlis verbis vaticinio ſuo exordium
feciſſe vidimus. ſic etiā Dauid plena ſentētia Moſis rationē retuliſſe, deinde verò orationē "
& verba variaſſe legimus. Iudicabit (inquit Moſes) populū ſuum, & in ſeruis ſuis miſerebitur: Cantic. Moſis.
videbit quòd infirmata ſit manus, &c. & Dauid: Iudicabit Dn̄s populum ſuū, & in ſeruis
ſuis miſerebitur. Simulachra gentiū argentum & aurū. Sic etiam accidit vt cùm eandē rem "
per plures vates prædictā eſſe Deus voluerit, quo teſtatius ſuū apud omnes conſilium eſſet, Pſalm. 135. Iſai. 45.
ſicut ſcriptū eſt, Nō in occulto loco terræ tenebroſo locutus ſum: tamē aliud atq. aliud eloquendi
genus, prout ipſe etiam ſuggeſſiſſet, ſingulis permiſerit, ita, vt quod alius breuius &
preſſius, alius longius & abundātius dicere videatur, ita cū res eadē omnibus, non autem eadē
omnino ſuppeditentur verba, poſterioribus anteriorū nonnulla referuntur, & vſurpantur,
ac deinde liber cuiq. & ſibi familiaris, aut diuinitus nō tā acceptus, quā ſuggeſtus ſermo
producitur, vt Ieremiæ, qui nonnulla Abdiæ, quē aliquāto pòſt tēpore ſequutus eſt, ſuis de
Idumæorū re ſermonibus, qualia ſuo loco indicabimus, immiſcuit. Eius aūt rei cauſa quòd
hoc diuinū de Idumæorū rebus conſiliū, cū pluribus vatibus cōmunicaretur (ante ſe enim
cū Balaā, deinde verò ſecū, ac poſt ſe fortaſſe cū aliis cōmunicandū fore cognouerat) viſionis
ſuæ rationē hoc modo inchoauit: *Auditum audiuimus à Domino.*] Quoniam verò hic locus, vt
Latinè redditus eſt, paulò difficiliorem explicatum habet, ad verbum ex Hebraico exēplari
nobis reddi oportere iudicauimus. *Viſio Abdiæ. Sic dicit Dominus Deus Edomo (auditionem audiuimus de cum Domino, & legatum in gentibus miſſum: Surgite & conſurgamus aduerſus eam in prælium.)*

Ecce paruulum dedi te, &c.

IAM verò magis emolietur difficultas omnis, ſi oratio ipſa ſuis quibus conſtat, membris
diſpungatur. igitur *Viſio Abdiæ*, membro ſuo definitur; & interiecta etiam oratio, *Sic dicit
Dominus Deus*, ſuo etiam puncto clauditur: deinde eam, quæ ſubiecta oratio eſt; *Auditum audiuimus*
vſque ad *in prælium*, parentheſi concludimus. namque hæc oratio tota cum operis inſcriptione
ſententiæ conſequenti copulatur. [*Et ſic dicit Dominus*, ad illud refertur, *Ecce paruulum
in gentibus dedi te.*] Quòd ſi relicta carminis connexione & numerorum obſeruatione ſoluto
ſermone legendum ſit, hoc modo rem ipſam ordinabimus: *Viſio Abdiæ. Auditum audiuimus
à Domino, & legatum in gentibus miſſum: ſurgite & conſurgamus aduerſus eam in prælium: Sic dicit Dominus,
Edomo, Ecce paruulum dedi te, &c.*] Vtrumque enim propheticum munus Abdias executus
eſt, vt futura Idumæis tempora proſpiceret, & legatione apud eoſdem fungeretur: Alteri
igitur parti hoc initium fecit; *Viſio Abdiæ.*] alteri verò illud: *Sic dicit Dominus Edomo.*]

Lectionis autem ordine nobis explicato, aperienda etiam ſententia eſt. Diuino ſpiritu afflatus Abdias, & prophetico illo viſionis genere affectus, quid in poſterum Idumæis futurum proſpexerit, in principio narrat, deinde accepta diuinitus ad eoſdem mandata exponit. Præuiderat autem in primis totum ferè terrarum orbem turbari, & gentes omnes, quibus Idumæi fuerant olim infeſti, ad ſuas aliorumque iniurias vlciſcendas excitari, atque inflammari: idque legatorũ miniſterio agi, vt aliæ aliis gentibus conſpirantes, mutuis ſibi auxiliis & operis promiſſis, communi ad eam rem ſtudio ſocietatem iniirent, vt hæc tanta diuerſarum nationum conſpiratio, tam vehemens omnium inflammatio, & diuinum argueret conſilium, & certum malum iis, aduerſum quos hæc pararentur portẽderet. Fieri enim nequit vt diuerſarum opinionum, factionum & ſtudiorũ partes de re aliqua inter ſe communi ſenſu & voluntate coëant, niſi id diuino conſilio & prouidentia decretum prius ſtatutumque fuerit. Vt enim concors omnium generum & ordinum conſenſus propoſitam rem atque opus certum præſtare, ſic rurſus opinionum & ſtudiorum cogitationumq. diſcors varietas præclarorum incœptiones operum non modò non perficere, ſed demoliri etiam diruereque ſolet, ſicut ſcriptum eſt: Ecce vnus eſt populus, & vnum eſt labium omnibus, & hoc eſt initium faciendi eis, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis donec eas opere compleant: venite igitur deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui. Quòd ſi omnium hominum conſpiratio, & cöiuncta inter ſe ſocietas incœptum etiam præter Dei conſilium & voluntatẽ opus quantumuis difficile (niſi alioquin diuinitus impediatur) certum abſolutumq. promittere atque efficere poteſt, nec deſiſtent (inquit) à cogitationibus ſuis donec eas opere compleant: quam tam certitudinem, quàm plenum abſolutumque exitum promittere, atque expectare oportet eius operis, quod diuini conſilij ſententia decretum & inſtitutum, & communi omnium gentium & nationum ſtudio concordique voluntate adornatum atque apparatum fuerit, quam ob rem ſignificanter à Vate noſtro dictum eſt, *Auditionem audiuimus de eum Domino.*] namque magnum illud bellum, quod communi gentium omnium voluntate inſtrui apparari que præuiderat, diuino conſilio decerni excitarique intellexerat; quod quanto ſtudio, quantaque cupiditate eſſet ab hominibus ſuſcipiendum, & rerum idonearum indicatione & verborum communiſque omnium ſententiæ expoſitione declarat. [*Legatum in gentibus miſſum.*] mutuò ab aliis nationibus ad alias legatos mitti præuiderat, qui non niſi de re magna, atque maximi momenti cauſis mitti ſolent: omnium verò vnam communemque vt ſententiam & voluntatem, ſic orationem orationiſque explicationem fore præuidit, eius argumenti, quo ſe mutuò ad bellum Idumæis inferendum hortarentur. omnium verò, quę per legatos agenda erant, mandatorum huiuſmodi tandem peroratio eſt: *Surgite & conſurgamus aduerſus eum in prælium*] Variarum nationum variam fore contra Idumæos orationem veriſimile eſt: vnuſquiſque enim illatas ſibi iniurias, aut cauſas alias atque alias, quam ob rem inimicitias ſuſceperit, dicendo perſequetur. Ea omnia cùm referre nimis longum fuiſſet, id ex omnium oratione potiſſimùm Propheta arripuit & retulit, quod communẽ omnium ſententiam, ſtudium animorumque voluntatem breuiſſimè, & commodiſſimè declararet: & cuius perſuadendi cauſa omnes omnium orationes eſſent inſtitutæ. Perſuaſionis autem proprius locus in epilogo atque peroratione præcipuè eſt, vbi commemoratis & repetitis breuiter argumentis vehementi & concitato ſermone eorum animi, apud quos agitur, ad dicentis ſententiam probandam voluntatemque opera & diligentia conſequendam excitantur. huiuſmodi autem affectibus, excitationibus, atq. inflammatis verbis conſtantem epilogum retulit Vates: *Surgite.*] Vox eſt quæ quietos & neglìgẽtes aliàs animos incendit, & vehementer ad aliquid agendum excitat, neque otioſos agere permittit, ſed aut metu, aut ſpe maxima propoſita, aut ſegnitie, inertia tarditateque omni reprehenſa ſtimulos ad opus viriliter ſuſcipiendum adhibet: vt, Surge Domine & diſſipentur inimici tui. Surgite & tranſite torrentem Arnon, ecce tradidi in manu tua Sebon regem Heſebon: & apud exteros:

Gen. 11. (margin, beside "etiam diruereque ſolet…"; quotation marks beside the following lines)

Num. 10. Deut. 2. (margin)

Horat. (margin)

Surge, quæ dixit iuueni marito,
Surge, ne longus tibi ſomnus vnde *Non times detur, ſocerum & ſcelestas* *Falle ſorores.*

Vbi verò animi excitati paratique iam ſunt, quid agendum ſit, ſtatim breui oratione docentur. verbum igitur, *ſurgite*, ad excitationem, cætera verò ad agendæ rei rationem docendam pertinent. vt in iis, quæ modò citauimus, facilè obſeruare eſt. Habet enim magnam in perſuadendo vim agendi negotij oſtenſa facultas & commoditas, vt ſi à pluribus aduerſus paucos, à paratis in imparatos, communi ſocietate & ſtudio, atque mutuis auxiliis bellum iniri poſſe oſtendatur. quam rem omnem eleganter hæc à Vate relata peroratio continet. Verbum enim *conſurgamus*, cõmunem ſocietatem, multas & maximas omnium copias opeſque coniunctum iri ſignificat, *aduerſus* eam,

femineo

femineo genere, vrbem quandam quæ Idumeæ gentis caput princepſque fuerit indicat, ſiue ea Boſra, ſiue Theman, ſiue alia quædam, quam alij interpretes indicant, ſit. Facillimam autem hoc modo victoriam ſibi promittere legati poſſunt, quòd multi ad bellum vni vrbi inferendum conſurgant, in qua maxima illius gentis, quam hoſtili animo aggrediuntur, præſidia, maximaque dignitas fuerit collocata. cùm verò dicat, Conſurgamus, ſiue inſurgamus, imparatam, ſedentem, neque opinantem, neque ſibi in rerum & temporum anguſtiis prouidere valentem, opprimendam eſſe oſtendit. Hæc itaque viſionis, & omnium orbis nationum aduerſus Idumæos commotarum, præſenſionis propheticæ breuis atque ſumma explicatio eſt: nunc ipſum Vatem, mandati legationes apud ſuos agentem, audiamus. [*Hæc dicit Dominus ad Edom.*] Non ſuam ſed diuinam cauſam ſibi agendam eſſe principio profitetur, atque hoc modo auctoritatem & fidem orationi conciliat, & inuidiam omnem à ſe depellit, cui tradita mandata ad Idumæos non perferre minimè fas fuerit. [*Ecce paruulum dedi te in gentibus, contemptibilis tu valde.*] Exiguis ſæpè & obſcuris initiis in magnã & innumeroſam, atque illuſtrem multitudinem quaſdam gentes creuiſſe, antiquas euoluẽtibus hiſtorias compertum eſt, quaſdam tamen poſtea ſuæ originis, atque humilitatis oblitas, & ſecundo rerum ſucceſſu ſuperbientes, inſolentia ſeſe extuliſſe, vt qui ſuperbiſſimorum humana arte operum certiſſimus exitus eſt, mole tandem ſua corruerint. Namque Dominus ſcit cogitationes hominum, quia vanæ ſunt, Qui exaſperant, non exaltentur in ſemetipſis, Dominus diſſipat conſilia gentium, & reprobat cogitationem populorum, &c. Huiuſmodi initia atque huiuſmodi progreſſus Deus exprobrat Idumæis, atque huiuſmodi tandem exitum denuntiat. Quòd is populus anguſtis olim incluſus ſpatiis & terminis, exigui admodum inter gentes nominis fuerit; ſed poſtquam diſſeminata ſobole Italiæ & Græciæ regiones tenere, aliiſque præeſſe, & leges inſtitutaque ſua longè lateque propagare cœpit, ſuperbia elatus, ſummam omnium rerum ſibi arroganter promittens, dignum tanta inſolentia exitum molitus eſt. [*Ecce paruulum dedi te in gentibus.*] Eſau Iſaaci filio diuino beneficio montes Seir habitandi conceſſi ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Tranſibitis per terminos fratrum veſtrorum filiorum Eſau; qui habitant in Seir, & timebunt vos: Videte ergo diligenter, ne moueamini contra eos: neque enim dabo vobis de terra eorum quãtum poteſt vnius pedis calcare veſtigium. Quia in poſſeſſionem Eſau dedi montes Seir. His terminis Edomum ſeſe continere, atque ſine vlla aliorum mortalium iniuria agere voluit Deus, dura atque infauſta ſuperbientibus, inſolenterque agentibus minatus, ſicut ſcriptum eſt: Et poſui Seir montes eius in ſolitudinem, & hæreditatem eius in dracones deſerti. Quòd ſi dixerit Idumæa, Deſtructi ſumus, ſed reuertentes ædificabimus quæ deſtructa ſunt: Hæc dicit Dominus: Iſti ædificabunt, & ego deſtruam, & vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus eſt Dominus vſque in ſempiternum. Ex his ergo tam anguſtis terminis, ſuarum rerum initia Idumæi primùm duxẽre: ita vt nullis metuendi, nullis non contemptibiles eſſent. namque non ſolùm ab Aſſyriis ſuperati diſiectique ſunt, ſed à Iudææ regibus primùm, deinde à Machabæis, atque demum ab Herodum familia ſunt vehementer vexati. Huius rei cauſa dicit: *Contemptibilis tu valde.*] Sed poſtquam ab hoſtibus afflicti, atque propriis è ſedibus plurimi ex illis eiecti in alia loca, maximè autem Italiam & Græciam deuenẽre, atque paulatim aliis gentibus commixti nomen genuſque ſuum longè lateque propagare cœperunt, ſecundo rerum ſucceſſu elati atque inflati, ſuperbiſſimè atque inſolentiſſimè aduerſus alias nationes, maximè autem aduerſum Iſraëlitas ſeſe geſſerunt; alios enim nimio imperio, alios nimio odio proſequuti ſunt. eò inſolentiæ & arrogantiæ homines ſecundis rebus deuenire ſolent.

Pſalm. 93.

Deut. 2.

Malach. 1.

Superbia cordis tui extulit te.

HIC verus & certiſſimus humanæ ſuperbiæ, & inſolentiæ omnis fons, hoc caput eſt, nimirum cor ipſum humanum, namque hoc malum illa prima generis ſui culpa contraxit, quo malo omnis animi ægritudo acrior multò fit. Neque enim vlla vnquam res propria hominibus eſſe poteſt, quæ ſuperbiæ illis atque faſtidij, inſolentiæq́. certa & legitima cauſa ſit. Nam actiones reſque omnes à nobis geſtæ, & omnis induſtria atque ars & ſtudia, aut bona, aut non bona ſunt. Quæ poſterioris generis ſunt arrogantiæ & gloriationis expertia eſſe oportet; prioris verò generis quæcunque ſunt, cùm non tam hominibus tribuenda, quàm Deo accepta referenda ſint, iactari importunum & temerarium eſt. ſiue enim facta ipſa & actiones, ſiue animi corporiſque vires, quibus hæc efficiuntur; ſiue etiam vtraque ſimul, Dei dona ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Quid habes quod non accepiſti? Si accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? ita adeò fit, vt nulla alia ad ſuperbiendũ cauſa ſit, præter proprium ipſius vitium & cordis inflationem. Quam ob rem ſuperbiæ humanæ nulla alia certior cauſa, quàm cordis ipſius vitium in ſacris libris inuenitur. Viſitabo, inquit, ſuper fru-

1. Iacob. 4.

1. Cor. 4.

Iſai. 10.

» ctum magnifici cordis regis Aſſur,& ſuper gloriam altitudinis oculorum eius. Dixit enim,
» in fortitudine manus meæ feci,& in ſapientia mea intellexi, &c. Hæc autem res cùm non naturæ ipſi,ſed vanæ tantùm humani cordis cogitationi opinioniq́ue innitatur, neque altius aut ſolidum magis fundamentum,quàm inflatam quandam perſuaſionem habeat, ex præſtigiis,fallaciis, mendaciisq́ue conſtans, ſuo ipſius auctori & poſſeſſori fraudi maximè eſſe ſolet. Hoc eſt quod Vates Idumæis hoc in loco,aptiſſimo verbo vſus exprobrat: *Superbia cordis tui extulit te.* Hebraicè eſt: *ſeduxit.*] Idem quod à prima illa & communi omnium vi-
Gen. 3. uentium matre eſt vſurpatum,verbum: Serpens (inquit) ſeduxit me. Sed quod huiuſmodi
» fallaciæ certis quibuſdam ſpeciebus,atque ſimulationibus rerum, quæ inanes atque inutiles reuera ſunt, ſeſe tueri & defendere ſolent: vt illud, Eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum,& aperientur oculi veſtri,& non morte moriemini. eam rem omnem cōmodiſſimè Vates noſter Idumæis exprobrans,deſcribit; quòd locorum,quibus olim habitauerant,natura,ſitu & munitione fiderent,atque huiuſmodi rebus, quæ vanæ profectò ſunt, niſi pietas diuina,prouidentia & tutela adſit,æternitatis & perpetuæ felicitatis ſibi ſpem facerent. hoc eſt quod dicit:

Habitantem in ſciſſuris petrarum exaltantem ſolium tuum.

IDVMÆI,qui Iſraëlitis finitima loca habuerunt,in montibus Seir natura tutiſſimis habitauêre,ſicut ſcriptū eſt: Habitauitq́. Eſau in mōte Seir,ipſe eſt Edom;& apud Ieremiam: Qui habitas in cauernis petræ,& apprehēdere niteris altitudinem collis. Huiuſmodi enim editiſſima & firmiſſima loca olim occupabantur ab iis,qui diuturnas,tutas,ſtabilesq́ue ſibi ſedes parabant,quæ etiam arte & opere aucta maiorem ſecuritatem habitatoribus promittebant. Sic Romani ſeptem colles occupauere,quos quantum auxerint,ipſa ruina docet. ſic Athenæ; ſic aliæ innumeræ vrbes, & ſitu & opere munitiſſimæ Idumæis, hoc eſt, ſimulachrorum cultricibus gentibus cōſtitutæ fuerunt,quæ poſtea diuino iudicio exciſæ & euerſæ,gentium ſuarum nullum monumentum,ædificiorum verò vix exigua veſtigia retinuerunt. Hanc autem his gentibus exciſionem impietas in primis & ſcelus publicaq́ue iniuria parauit: cuiuſmodi ſuperbiæ humanæ ſolet eſſe exitus. Igitur aduerſus Edom inſtituta oratio ad eas omnes gentium familias,quę aut generis origine,aut morum imitatione,aut cultus & ſuperſtitionis ſtudio Idumæis aſcribuntur, referenda eſt, quibus omnibus vt idem ſcelus,ita etiam par ſupplicium,& exitium diuini conſilij ſententia parabatur,atque à Vate noſtro prædicebatur,quibusq́ue eo grauius & certius procreabatur periculum, quo maior credebatur futura eſſe ſecuritas.

Qui dicis in corde tuo, quis detrahet me in terram?

FALLACIAM & eam, quam fruſtrationem dicimus, non rebus ipſis, ſed humana cogitatione oriri,ratio ipſa & diuina ſapientia docet: etenim naturas rerum rectè cōſiderantibus & expendentibus, nihil in humanis adeò ſolidum & firmum reperietur, vt ex ſede ſtatuq́ue ſuo nunquam dimoueri poſſe credendum ſit. nam niſi à Deo qui natura firmiſſimus æternusq́ue eſt, res aliæ firmentur, & contineantur breuiſſimè & facillimè intereunt.
Pſalm. Niſi Dominus ædificauerit domum,in vanum laborauerunt qui ædificant eam;& niſi Do-
» minus cuſtodierit ciuitatem,&c. Igitur qui æternitatem,conſtantiam durationemq́ue non rebus ipſis,ſed ſua tantùm cogitatione definit, (vt plerique omnes homines faciunt) huius animus inaniter & effuſè exultans,repentina rerum ruina exitioq́ue ſummæ ſtultitiæ conuincitur. Ob eam autem rem quòd hæc fallacia cogitatione ipſa & opinione concipitur,ait Vates: *Dicis in corde tuo,quis detrahet me in terram?*] Hanc autem interrogationem ſuperbiæ arrogantiæq́ue pleniſſimam idem ipſe,qui ſecreta cordium rimatur Deus veriſſima & digniſſima reſponſione occupat,nihil humanam omnem ſuperbiam aduerſus ſua conſilia, nihil humanos conatus aduerſus diuinam vim valere.

Si exaltatus fueris vt aquila, & ſi inter ſydera poſueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.

ELEGANTI hyperbole oſtenditur nullum adeò difficilem & arduum locum eſſe, ad quem non humana ſtultitia & ambitio, atque inſolentia contendat, vbi ſemel ſuis hoc eſt rationis religionisq́ue finibus excedere cœperit. atque his omnibus ſtudiis & conatibus altiorem ſibi grauioremq́ue ruinam moliri. homini enim terra infima totius mundi pars habitanda & colenda conceſſa eſt: cælum verò & alia cælo ſimillima loca adire, ſuisq́ue artibus,ſtudiis & conatibus inſolenter vſurpare velle, eſt negatum; ex quo tempore iis rebus maximis potius,quæ diuino beneficio contigerant,non modeſtè & legitimè vti, ſed temerè & ſuperbè abuti voluntas conſiliumq́ue fuit. iam enim ne quis,niſi à Deo ipſo admiſſus receptusq́ue fuerit,in diuina illa & auguſtiſſima loca irruere, aut penetrare poſſit, cautum
» prouiſumq́ue eſt. Emiſit enim hominē Deus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram
Gen. 3. de qua aſſumptus eſt,eiecitq́ue Adam,& collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubin,

& flammeum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. Quoniam autem hæc via, qua ad ſummam æternamq́ue cælorum felicitatem itur, præcluſa hominibus fuit, nefas omnino eſt eam, niſi iis modis & artibus, quæ à Deo ipſo inſtitutæ præſcriptæq́. ſunt, repetere velle. Eas autem artes ad cultum terræ, de qua homo ipſe aſſumptus eſt, ſpectare, ipſum diuinum oraculum indicat; cuius longiorem aliquam explicationem & deſideramus, & Deo votis annuente promittimus. quibus artibus qui ſeſe exercuerit, viam, veritatem & vitam ſeſe vltrò offerentem inueniet: qui verò ſecus aut tentare aut experiri ſtuduerint, vt ad maximas & præſtantiſſimas res non pietate, modeſtia, & virtute, ſed inſolentia & ſtultitia, ſicut Idumæi, contenderint, ij certiſſimum ſibi præcipitium Deo vltore atque auctore moliuntur. Cuius rei exemplo ſatis manifeſto, vel quatuor illa orbis illuſtriſſima imperia, Aſſyrium, Perſicum, Græcum, & Romanum (cuius pars quædam ad Idumæos refertur) nobis eſſe poſſunt, quorum conſilia rationesq́ue omnes, omnes denique inſolentes conatus, diuinitus fracta diſſipataq́ue ſunt.

Nil mortalibus arduum eſt; Cælum ipſum petimus ſtultitia, neque Per noſtrum patimur ſcelus Iracunda Deum ponere fulmina. Horat. lib. 1. Od. 3. Summæ autem ſuperbiæ & arrogantiæ rationes, duabus rebus, aquilæ auis imagine & cæli excelſiſſimi locorum omnium ſitu Vates explicuit, vt Idumæorum & ſuperbarum quarumque gentium conſilia conatusq́ue infringendos eſſe demonſtraret. Aquila namque cæterarũ auium regina & princeps eſſe, tum alias ob cauſas, tum ob celerrimum, altiſſimum, contentiſſimumq́ue volatum creditur. Illa enim neque aëris denſitate retardata, neque ſolis vi aut calore, aut luce detenta, nubes volatu tranſcendit, quam ob rem velocitatis atque inacceſſibilitatis, fortitudinis & ſtrenuitatis in agendo imaginem repræſentat, ſicut ſcriptum eſt: Velociores fuerunt perſecutores noſtri aquilis cæli, ſuper montes perſequuti ſunt nos, &c. Cælum verò omnium totius mundi Thren. 4. locorum natura & ſitu editiſſimum eſt. Cælum, inquit, in altitudinem, & terra in profunditatem, &c. Summæ autem ambitionis, & ſuperbiſſimi ad potentiam & ſecuritatem ſibi parandam conſilij conatusq́ue imaginem aquilæ volatu & cæli ſitu expreſſit Deus; quæ ſi maximè ex animi ſententia Idumæis contingerent, tamen certa propriaq́ue eſſe non poſſent, vtpote quæ per iniuriam atque impietatem parata eſſent, diuinæ vltioni & præcipiti ruinæ obnoxia. Igitur ſi tantùm conſilio, ſtudio & induſtria, operaq́ue omni contenderis, vt pennas tibi aptaſſe, nidumq́ue, hoc eſt, regiam aliquam arcem, non in terra, non in montibus, ſed inter ſidera ipſa collocaſſe dicaris, attamen me auctore, qui aſtris omnibus ſuperiora loca, cæli videlicet, teneo, certam tibi & grauiſſimam fore ruinam denuntio. Hunc enim totius ſuperbiæ & humanæ inſolentiæ exitum eſſe, iam illa antiqua apud Senagkareum campum incœpta turris, quæ cælum cacumine attingere affectabat, abundè docuit. Atque in verbis etiam ipſis grauis quædam ſignificatio eſt, quòd Edom eãdem vocabuli originem cum Adam habet, atque ad terram, vnde aſſumptus Adã eſt, refertur: homini autem poſt primum illum caſum ſublimiora appetere aut humano negotio, conſilio, ſtudio, præter Dei voluntatẽ, & impoſitas leges tentare velle, vetitũ fuit. ſed id tãtùm conceſſum eſt, vt coleret terram de qua aſſumptus eſt. Sũmæ ergo dementiæ & præcipitis conſilij eſt, aliter quàm à Deo præſcriptum oſtenſumq́ue fuerit, alas ſibi quenquam aptare, & cæleſtia tentare. namque ſi id maximè quod appetitum fuerit, Deo permittente aut conniuente contigerit, tamen grauiſſimus caſus expectandus metuendusq́ue eſt. Inde detraham Luc. 1. te, dicit Dominus, qui potentes de ſede deponere atque ad inferos deducere poteſt & ſolet. Maximarum autem rerum mutationes & conuerſiones Deo auctore contingere hic locus nos docet; ac ne quis humanis rebus, in quibus nihil certum, tutum ac firmum eſſe poteſt, ſtultè fidat, commodè ſuadet: quandoquidem nihil eſt quod diuinæ virtutis ſuſtinere impetum poſſit. Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem. Pedes ſanctorum 1. Reg. 2. ſuorum ſeruabit, & impij in tenebris conticeſcent. quia non in fortitudine ſua roborabitur vir: Dominum formidabunt aduerſarij eius, & ſuper ipſos in cælis tonabit. Iiſdem ferè verbis, eadem omnino ſententia, vaticinium hoc vt certiſſimo conſtantiq́ue conſilio pronuntiatum, ſic etiam repetitum eſt. Arrogantia tua decepit te, & ſuperbia cordis tui, qui Ierem 4. habitas in cauernis petræ, & comprehendere niteris altitudinẽ collis. cum exaltaueris quaſi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. Hoc autem à ſe prędictum Idumææ gentis excidium integrum ac plenum tandem fore ſignificat, ita vt nullum illius rerum aut nominis etiam monumentum relinquendum ſit. nam quãuis Idumæi, tam ij qui Seir montes tenebant (vnde huius gentis & nominis origo fuit) quàm ij qui toto ferè orbe maximè occidentem verſus occupato, inſtituta, nomina resq́ue ſuas plurimum dilatauerant, ſæpe ab hoſtibus petiti atque vexati fuerint, vt à Dauid & ab aliis Iudææ regibus, prioris templi ſeculis atque à Machabæorum familia & Herodum gente etiam, cùm poſterius templum

extaret, Seghirenſes Idumæi appetiti ferro vexatiq́ue ſunt. & qui ex his aut gente, aut inſtitutorum imitatione oriundi eſſe dicuntur, à barbaris nationibus identidem ſunt afflicti: nulla tamen tanta clades, tantaq́ue calamitas allata eſt, quantam afferendam tandê eſſe Vates hic denuntiat, vt nullum eius nominis veſtigium, nullum omnino reliquũ eſſe poſſit monumentum. Quo quidem in loco Idumæorum res noſtro iam tempore ſunt; non enim apud Seir modò montes, ſed neque in alia iam orbis parte vllæ ferè eius gentis reliquiæ extant: ſi quæ autem ſuperſunt, tenuiſſimæ atque admodum obſcuræ ſunt, & omnino tandem lacerandæ ac perdendæ. Hunc igitur extremum Idumæarum rerum caſum Vates prænuntiat, aliarum omnium, quaſcunque perpeſſi fuerint, calamitatum longè grauiſſimum. namque in aliis omnibus, quas antea ſuſtinuerint, incurſionibus, lacerati quidem, vexati, damno maloq́ue affecti, ſed nunquam tamen penitus exciſi ſunt. Vnuſquiſque enim ex iis, qui hoſtili manu atque animo aggreſſi antea eos ſunt, priuatas iniurias vlciſci parans, quantum ſibi ſatis eſſet, furum more abſtulit. Sed vbi communi omniũ conſilio & vi, aliæ atque aliæ nationes impetum in eam gentem fecêre, nihil quiſque ſibi ſatis feciſſe viſus eſt, niſi cum Idumææ rebus omnibus & nomen ipſum etiam penitus aboleretur. hanc adeò rem ſic Vates noſter oſtendit:

Si fures introiſſent ad te, ſi latrones per noctem, quomodo conticuiſſes, nónne furati eſſent ſufficientia ſibi? Si vindemiatores introiſſent ad te, nunquid ſaltem racemum reliquiſſent tibi?

LOCVS hic modi tantùm mutatione conuerſus, clarior explicatuq́ue facilior reddetur. namque ſic Hebraicè propriè legimus: *Si fures venerint ad te, &c. nónne furabuntur ſufficientiam ſuam: ſi vindemiatores venerint tibi, nunquid non relinquent racemos?*] Omnes quæ ante illam extremam, de qua ſermo nobis eſt, ſtragem, ab hoſtibus incurſiones factæ fuerant, damno quidem ac malo, non tamen excidio Idumæis fuiſſe oſtendit. dum enim vnuſquiſque ex gentibus priuatas iniurias aut odia, aut inuidiam perſequitur, quantum ſibi ad explendum animum ſatis eſſe potuit, tantum nocuit. Id autem duabus ſimilitudinibus eleganter Deus per vatem explicat. Eorum hominum, qui alienis fortunis & rebus inſidiátur, varia genera diuerſis nominibus Hebraicè ſignificantur. vnum genus eorum eſt, quos illa lingua Ganabim, Latina verò fures dicimus, qui inopia tantùm coacti, cùm nullam aliam artem qua egeſtatem leuent, commodiorem arbitrerentur, leue atque turpe compendium maximo de-
Prou. 6. prehenſionis periculo commutant, neq. enim omnia auferunt, ſed quæ ad vſum ſibi com-
» modiſſima, aſportandumq́ue facillima cognouere, ſurripiunt. Quam rem Salomon ſapien-
» ter, vt omnia, definit, non grandis eſt culpa, cùm quis furatus fuerit; furatur enim vt eſurientem impleat animam: deprehenſus quoque reddet ſeptuplum, & omnem ſubſtantiam domus ſuæ tradet, & liberabit ſe. hæc de furibus ad hunc locum opportuna annotaſſe viſum eſt. Vindemiatorum autem legitima & bene inſtituta ratio eſt, vt quas maturrimas vuarum, & vino faciendo idoneas cognouerint, eas colligant: acerbiores verò & ſibi minus vtiles racemos pauperioribus in aliquem vſum permittant. hoc omnis recta ruſticæ rei diſciplina docet, & diuina etiam lex benignè ac ſapienter præcipit. Si vindemiaueris vineam
Leuit. 19. tuam, non colliges remanentes racemos, ſed cedent in vſum aduenæ, pupilli ac viduæ. Ha-
Deut. 24. rum ergo rerum inſtar habituros, quicumque aut clàm & dolo, aut aperto marte & impetu ante illam exitialem, quam ipſe modò denuntiat, cladem, Idumæorum res inuaſuri erant, vt ſibi quiſque ſuiſque rationibus proſpiciens, quantum ad animi ſui libidinem explendam ſatis eſſet, vel hoſtium perderet & abduceret, vel ſpoliorum auferret, reliquiis verò parcendum ſibi eſſe putaret. Sed tamen in illa communi & extrema calamitate, omnium gentium conſpiratione & communi odio, atque ſtudio allata, nihil ſatis cuiquam ex nationibus eſſe malorum & damni inferendi videri poterat, niſi alij aliorum ſitas reliquias omnino diſſiparent. Vbi nos legimus, *Quomodo conticuiſſes*, Hebraicè paſſiuo verbo legitur, *quomodo aſſimilareris?*] hoc eſt, quonam modo affectus relinquendus eſſes, nónne reliquiæ aliquæ tibi ſupereſſent, vbi ſinguli rationibus ſatisfeciſſent ſuis? atqui non fures, non vindemiatores, ſed populabundi prædones expectandi tibi ſunt. Neque verò Edom clementiores in ea re eos, quos amicos & ſocios ſibi habere putauerat, quàm eos, qui certi manifeſtiq́ue hoſtes haberentur, experturus erat: quæ res cùm præter communem hominum opinionem & conſuetudinem, cùm præter mores ſit, diuinum planè conſilium, atque iudicium arguit: vnde & cum admiratione à Vate excepta pronuntiatur. Cuius exornationis ea in ſacris orationibus vis eſt, vt auditorum animos in grauiſſimis rebus ad remotiores cauſas, diuinumq́ue
Deut. conſilium, & prouidentiam cognoſcendam excitet: vt, Quomodo perſequebatur vnus mille & duo fugarent decem millia. nónne quia Deus ſuus vendidit eos, &c. Sic etiam hoc in loco non minus periculi Idumææ à ſociis, quàm ab hoſtibus procreati præuiſa cogitatio, ad diuinum iudicium, vt ad veram certiſſimamq́ue cauſam, reuocatur.

Quomodo ſcrutati ſunt Eſau,inueſtigauerunt abſcondita eius? vſque ad terminum emiſerunt te omnes viri ſœderis tui: illuſerunt tibi.

NON ſolùm hoſtium & inimicorum ſuorum ſæuitia, ſed multo etiam magis ſociorum amicorumque perfidia & dolo perditum iri Idumæos coniectura facta Vates docet. Neque enim apertorum tantùm hoſtium impetu,ſtudio,atque opera,vſque adeo penetrari,diripi,vaſtari loca omnia etiam reconditiſſima poſſent, niſi etiam amicorum & ſociorum,à quibus minus ſibi cauendum Idumæi putauerant, iudicijs omnia patefacta oſtenſaque eſſent, ita vt facilè inuaſuris, & bellum malumque allaturis, atque direpturis,quicquid illi celatum eſſe rebantur, aperiretur; ex quo conſequitur illam calamitatem diuino imprimis,deinde communi omnium, tum qui ſe amicos profiterentur, tum eorum qui apertè hoſtes eſſent, conſilio fore afferendam; idque vt minus Idumæi ipſi cauere, intelligere atque effugere poſſent,quod ſanis alioquin cognitu fuerat facillimum, inconſideratiſſima & dementiſſima ſtultitia affecti ſunt,& qui ſibi maximè ſapientes, atque gerendæ, augendæ conſeruandæque rei optimè conſulentes & prouidentes videbantur, exitu ipſo ſtultiſſimi arguerentur. quam verò rem illi ſibi firmo præſidio fore putauerant, nempe vt quàm multos ſocios confœderatoſque ex finitimis haberent, quorum opera & in bello & in pace vterentur,eandem ipſam maturiori & grauiori exitio futuram tandem eſſe oſtendit. Quippe nihil aliud ſibi amici ſocijque profuere,niſi vt ſimulata amicitia, qua parte inuadi, perdi & diripi commodius poſſent inueſtigantes, hoſtibus indicarent, ipſique pulſos & migrantes diſſimulato odio, & ficto officio deducerent. namque alioqui quomodo ſcrutati ſunt hoſtes penetralia & recondita quæque, quomodo etiam abditiſſima omnia populabundi & perdituri inueſtigauerunt? Sed illa certa & vera huiuſce rei cauſa deprehenditur, nimirum te à viris omnibus fœderis tui,per ſimulationem amicitiæ non ſolùm relictum,ſed proditum etiam fuiſſe; quos nihilo magis officioſos expertus fueris.atq. hi ſunt,qui hoſpites apud ſe commorantes,non amicitia,ſed odio occultaque maleuolentia proſecuti, decedentes autem lætè & gratanter bene diſſimulato animo, ad vrbis aut domus vſque ſuæ terminos deducunt,valeque dicentes omnem redeundi oportunitatem & ſpem tacitis deprecantur votis; aut qui damnatum à ſe exilio hominem, ſimulata miſericordia vſque ad agrorum,vnde exulare iubetur, terminos proficiſcentem comitantur: ita vt hoc prouerbij quibuſdam nationibus & linguis locum dederit, *Lahonra del açotado*. Huius prouerbij vſurpatione oſtendit cōſilia etiam pacis & fœderis cum quibuſdam alijs nationibus ineundi,quæ maximè conſtabilire rempublicam exiſtimantur, niſi Dominus ciuitatem cuſtodierit,exitio grauiori eſſe.

Qui comedunt tecum ponunt inſidias ſubter te.

MAGNÆ conſuetudinis, & bene fidæ familiaritatis pignus communis menſa & conuictus apud omnes gentes olim fuit, & apud Orientales quoque nationes idem etiam nunc manet mos, vt communi conſilio & ope eorum ſaluti proſpiciendum putauerint, quibuſcum familiariter vixiſſent, menſæque & conuictus vſu communicaſſent. cuius fidei & officij violatio nefaria & prodigioſa cenſebatur. huius ſententiæ illud eſt: Tu verò homo vnanimis dux meus & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos.& alio in loco: Qui edebat, inquit, panes meos magnificauit ſuper me ſupplantationem. Huiuſmodi verò ſociorum & amicorum fidem in ſua ſalute experturos Idumæos Vates prædicit, vt pro conſilio & auxilio occultam fraudem & inſidias paratas ſibi fuiſſe iam demum periculo functi intelligant. Oratio illa, *ſubter te*, occultas inſidias, & dolo atque fraude tenſos laqueos ſignificat, quales auium & ferarum genera, vbi minus metuere, vbi eſcas ſibi paratas ſperauêre, experiri ſolent. Quibus ex rebus omnibus illud conſequitur, ibi maximè deſipere & errare homines, vbi maximè ſibi ſapere, & conſulere videantur. nonne ſtultam fecit Deus huius mundi ſapientiam? Hoc autem eſt,quod ſtatim confirmatur & concluditur: Pſalm. " "

Non eſt prudentia in eo.

Prudentia, quæ Hebraicè, *Bina* dicitur, virtus animi eſt,qua conſilio & cogitatione,rerumque inter ſe comparatione, quid futurum tandem eſſe poſſit,quid maximè fieri expediat, intelligitur. ea virtute qui præditus eſt, Hebraicè *Nabon*, latinè prudens appellatur; ſicut ſcriptum eſt: Qui ſapiens eſt corde,appellabitur prudens. Duæ autem maximæ virtutes eſſe exiſtimantur,& ad maxima imperia propaganda, atque ad res gerendas, conſeruandas, & tutandas imprimis idoneæ. Altera, quæ priorem in conſilijs capiendis locum occupat, ſapientia & prudentia dicitur. altera huic comes, quæ ſapienter deliberatas & decretas res Prou. 16.

tas res aggreditur & exequitur, fortitudo eſt: quibus virtutibus quæcunq. humanæ actiones, quæcunque res innituntur, firmiſſimum fundamentum poſuiſſe, & maximum etiam ad abſolutam in vnoquoque genere felicitatem momentum habere exiſtimãtur. namque ad bellum bellique oportunitates & euentus, prudentiæ & ſapientiæ conſilia plurimum
Prou. 20. valere, huiuſmodi ſacris ſententijs docemur: Cogitationes conſilij roborantur, & guber-
" naculis tractanda ſunt bella. Et ipſa de ſe prudentia verè prædicat: Ego prudentia, mihi
Prou 7. fortitudo eſt. Ad rempublicam etiam in pace legibus adminiſtrandam maximum pru-
" dentiæ vſum eſſe idem auctor confirmat: Cuſtodiens legem filius prudens eſt. Fortitudinem verò ad rem in bello ſtrennè gerendam, vbi coniuncta cum prudentia fuerit, vehementer probari, vel barbariſſimorum hominum ſententijs omnibus oſtenditur, nedum diuinæ ſapiétiæ, quæ quamuis hoc in ſuis hominibus non requirat, quibus Deus ipſe propugnator eſt; tamen reipſa, & natura ſua plurimum poſſe oſtendit. quamobrem fortes vi-
2. Sam. ros vaſa belli appellat. Quomodo ceciderunt robuſti, & perierunt vaſa bellica: & Rapſa-
" ces ille vtramque rem complexus, Quo conſilio, inquit, vel fortitudine rebellare diſponis?
Iſai 36. " Vtraque autem hac cõmoditate, atque vtroque virtutũ genere, quibus ſe maximè abundare, & pollere putabant, deficiendos eſſe Idumæos, vt minimo negotio ab hoſtibus diuino conſilio perdi delerique poſſint, Vates noſter obnuntiat.

Nunquid non in die illa, dicit Dominus, perdam ſapientes de Idumaa, & prudentiam de monte Eſau?

SIVE Idumæos eos tantùm definiamus, qui Iſraëlitis finitimi fuerint, ſiue eos etiam qui ex his oriundi alia loca, quemadmodum dictum eſt, occupauêre, omnes ſapientes & conſilij ad rem gerendam multi fuiſſe, & antiquis Machabæorum hiſtorijs, & aliorum auctorum teſtimonijs accepimus. Hanc autem ſapientiam & maximam in generatione ſua prudentiam, ſtultitia & dementia mutandam eſſe, & Vates hic, & Ieremias etiam prędicit, ſiue id immiſſa inſania, ſiue apertis & proditis conſilijs, ſiue callidioribus etiam hoſtium ſtratagematis accidat. Id autem Deo vltore, qui mundi ſapientiam ſtultam facit, euenturum fuiſſe intelligimus: ne quis ſibi aut cogitatus aut conatus vllos, aut vim & potentiam contra certam Dei voluntatem & decretã ſententiam v alitura fore iactare poſſit.
Ierem. 49. De hac autem re ſic apud Ieremiam legimus: Ad Idumæam hæc dicit Dominus exerci-
" tuum: Nunquid non vltrà eſt ſapiẽtia in Theman, perijt conſilium à filijs, inutilis facta eſt
" ſapientia eorum. Quo in loco non ſolùm Themanites ipſi, hoc eſt Eſau poſteri qui Seir montes incolebant, ſed etiam filij, hoc eſt, ab eis oriundi appellantur. quibus neque prudentiſſima conſilia, neque bellica virtus, & diſciplina, aſſiduaque in prœlijs exercitatio, & tantis antea victorijs parta fortitudinis opinio, quo minus funditus pereant, profutura eſt. hoc eſt quod ſubiungit:

Et timebunt fortes tui à meridie, vt intereat vir de monte Eſau propter interfectionem.

VBI nos legimus *meridie*, Hebraicè eſt *Theman*. Quo nomine quędam ex Eſau nepotibus dictum fuiſſe, & ab eo etiam regionem metonymicè appellatam, ſacris docemur hiſtorijs: nam Eliphas primogenitus Eſau fuit, qui & primùm omnium Theman filium ha-
Gen. 36. buit. Quoniam verò illius regionis ſitus meridionalis Iſraëlitis erat, accidit, vt ei mundi parti & vento nomen idem fuerit impoſitum, quod ferè apud alias etiam nationes fit, ſic vt Africam & Africum ventum pro meridie, Heſperiam pro occidente Latini dixerunt. Sed planè locus hic non de mundi plaga, ſed de Idumæis ipſis nomen accipiendum eſſe arguit. neque verò minus inutilem fore illis fortitudinem, quàm ſapiẽtiam oſtendit; quoniam qui fortiſſimi & robuſtiſſimi in ea gente fuerint, nihil ſibi præter timorem & trepidationem aut promittere aut præſtare poterunt, ita vt nullo neque conſilio obſiſti, neque robore reſiſti poſſit, quo minus ea clades & calamitas Idumæis afferatur, vt neque vir vnus ex omni genere & familia Theman reliquus ſit, qui aut nomen, aut inſtitutum, aut rationem eius gentis aliquam conſeruare tueriqúe poſſit. [*Propter interfectionem*, quæ maxima & extrema omnibus illis, quicunque oppugnare voluerint, futura eſt, ita vt nulla tanta cuipiam virtus ſit, quæ aut alijs ſubſidio, aut ſibijpſi ſaluti eſſe valeat. [*Propter interfectionem.*] Acclamationis vim hæc dicendi figura obtinet: vt, Propter manſuetudinem & iuſtitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. Sic ex diuino conſilio Idumæorum & omnis impij & ſuperſtitioſi hominum generis futurus fuerat exitus. Atque hæc de ea re lata & pronunciata ſententia eſt. Nihil autem in diuinis iudicijs tam graue tamque ſeuerum eſſe poteſt, quod nõ iuſtiſſimum ſanctiſſimumque idem ſit, & quod ſi ſuis diligenter ponderibus examinatum fuerit, diuinæ iuſtitiæ admirandam æquitatem non vehementer probet: id quod

quod vno aut altero etiam exemplo oſtenſum, certiſſimam & perpetuam cæterorũ omniũ diuinorum iudiciorum rationem confirmare valet. Quoniã non Deus aut mutabilis, aut volens iniquitatẽ ille eſt. (Pſalm.) atque ex ea te effectũ eſt, vt perſæpe in iudicijs, atque in ſententijs ferendis, cauſę ipſæ & crimina, culpæque notaræ perorentur, ne cui impio atque nefario hòmini, vel in propria vel in aliena cauſa, vllus diuini iudicij atque conſilij reprehendendi locus relinquatur. Eandem ergo hanc rem Vates noſter hoc tametſi breuiſſimo, tamen elegantiſſimo ſermone proſequitur, non qui Idumæorum iudicium & damnationem, publiceq́ue futurum excidium, ad diuinum odium aut ad nullis conceptam offenſionibus iram; ſed qui ad maximam & grauiſſimam illatarum publicè iniuriarum culpam & crimẽ referat, vt Deus omni ex parte iuſtiſſimus ſanctiſſimuſq́ue probetur; humana verò malitia & peruerſa contumacia, vt vera certaq́ue malorum & pœnarum cauſa arguatur. Priuatis autem iudicijs & ſingulis hominibus, aut temporali, aut æterno ſupplicio damnandis alias atque alias pro varia ſuſceptorum ſcelerum ratione culpas ſubeſſe, publicè verò allati iudicij & communis vniuerſæ alicui genti ſupplicij decernendi cauſam, publicarum iniuriarum rationibus plerumque definiri, abundè ſatis in Cõmentarijs Amos oſtenſum à nobis eſt. quod ea vna res tanquam cumulus, quidam ſceleribus alijs accedens, lento alijs gradu venientem pœnam, certam & maturiorem reddat. Huiuſmodi autem iniuriæ publicè immeritis & miſeris illatæ Eſau poſteritati, hoc eſt Idumæorum genti in crimine ponuntur; cui ob eam rem grauiſſima pœna & mulcta irrogata eſt.

Propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob operiet te confuſio: peribis in æternum.

DVAS Idumæorum generi calamitates, & duo ſupplicia decreta diuinitus fuiſſe, quę ad certam rerum accipiendam ſententiam diſtingui potius, quàm confundi oporteat, in Ieremiæ vaticinijs obſeruauimus. namque & ſemel ab Aſſyrijs ſuperandi in ſeruitutemq́ue dandi Idumæi, cum alijs etiam totius ferè orbis gentibus prædicuntur in eo loco, qui calix vini iræ inſcribitur. Sic autem locus habet: Ecce ego mittam & aſſumam (Ierem. 21.) vniuerſas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonoſorem regem Babylonis, ait Dominus, & adducam eos ſuper terram iſtam, & ſuper habitatores eius, & ſuper omnes nationes quæ in circuitu illius ſunt; & interficiam eos, & ponam eos in ſtuporem, & in ſibilum, & in ſolitudines ſeculi. In hac autem ſeruitutis miſeria vſque ad ſeptuageſimum annum eas gentes quibus obnuntiatur, futuras eſſe idem Vates deſcribit. Et erit, inquit, vniuerſa terra hæc in ſolitudinem, & in ſtuporem, & ſeruient omnes gentes iſtæ regi Babylonis ſeptuaginta annis, quo tempore Nabuchodonoſoris filij nepotiſq́ue vita & regnum definitum fuit, vt & alio in loco idem Vates expoſuit: Et ſeruient ei omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius, donec veniat tempus terræ eius, &c. Veruntamen non eandem calamitatem eſſe, quam in hoc loco Abdias Vates prædicat, multa nobis imprimis confirmant, quæ conſultò altero de eadem gente Ieremiæ oraculo, & huic collato conſtabunt. Idem enim Vates prope libri finem, vbi diem funeſtam & calamitoſam Ægyptijs, Moabitis, & Ammonitis, alijſq́ue gentibus dixerat, quam Nabuchodonoſoris manus, his tandem tamen reſtituendis populis, allatura erat, quibus omnibus huiuſmodi verbis ſpem facit, & conuertam captiuitatem Moab, &c. tandem ad Idumæos conuerſo ſermone, inquit: Ad Idumæam hæc dicit (Ierem. 49.) Dominus exercituum: Nunquid non vltrà eſt ſapientia in Theman, perijt conſilium à filijs: inutilis facta eſt ſapientia eorum, &c. Quia perditionem Eſau adduxi ſuper eum tempus viſitationis eius. Si vindemiatores veniſſent, ſuper te non reliquiſſent racemum. Si fures in nocte, rapuiſſent quod ſufficeret ſibi. Ego verò diſcooperui Eſau, reuelaui abſcondita eius, & celari non poterit &c. Quia per memetipſum iuraui (dicit Dominus) quòd in ſolitudinem & in opprobrium & in maledictionem erit Boſra, & omnes ciuitates eius erunt in ſolitudines ſempiternas. Auditum audiuimus à Domino, & legatum ad gentes miſſum. Congregamini & venite contra eam, & conſurgamus in prælium. Ecce enim paruulum dedi te in gentibus contemptibilem. Arrogantia tua decepit te & ſuperbia cordis tui, qui habitas in cauernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis. Quum exaltaueris quaſi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus: Et erit Idumæa deſerta, & omnis qui tranſibit per eam ſtupebit, & ſibilabit ſuper omnes plagas eius. Sicut ſubuerſa eſt Sodoma & Gomorrha & vicinę eius, ait Dominus, non habitabit ibi vir, & non incolet eam filius hominis, &c. Propterea audite conſilium Domini quod init de Edom, & cogitationes eius, quas cogitauit de habitatoribus Theman. Si non eiecerint eos paruuli gregis, niſi diſſipauerint cum eis habitaculum eorum, &c. Quem locum non modò iudicari, ſed prolixius etiam à nobis recitari

& tranſ-

& tranſcribi ratio ipſa, & ſententiæ aperiendæ lex poſtulare viſa eſt. Quibus ex locis duplicem Idumęis a Ieremia Vate cladem prædictam fuiſſe intelleximus, atque alterius afferendæ miniſtrum Nabuchodonoſorem fuiſſe; alterius verò, quæ & obnuntiatione, & re ipſa, poſterior fuerat, non Babylonijs, ſed alijs nationibus legationé mittendam fore. atq. hoc inter priorem quidem & poſteriorem cladem prætereà intereſſe, quòd certum illi & definitum tempus, quoad ſeruitus, & miſeria duratura fuerat, ſit conſtitutum, ſeptuaginta videlicet annorum, aut tota illius regis filij ac nepotis ætas. Huic verò poſteriori, quæ abſoluta plenaque fuit, nullum certum tempus, ſed æternitas quædam eſt aſſignata. Præterea in priori illo excidio aliquæ Idumæis gentis fortunarumque ſuarum reliquiæ fore non negantur, quibus præter belli exitum nihil ſeruitute durius denuntiatum eſt. Seruitus autem ſeruos, qui ſeruiant, arguit; nulla enim alioqui futura eſſet, niſi qui fuerint quibus imperantium & victorum dominatio fuerit ferenda, in poſteriori verò hoc omnis omnino, non ſolùm relinquendæ ſtirpis, ſed reſtituendæ etiam ſpes præciditur, Sodomæ & Gomorræ inſtar funditus euertendis. Non habitabit, inquit, in ea vir, & non incolet eam filius hominis. In priori etiam clade nulla Boſræ vrbis eius gentis principis mentio eſt. in poſteriori verò ſic legimus: In ſolitudinem & in opprobrium, & in maledictionem erit Boſra, & omnes ciuitates eius in ſolitudines ſempiternas. Boſra autem munitionem, & inexpugnabilem quandam vrbem ſignificat, qua Idumæorum gloria, dignitas & magnitudo niteretur. Neque enim vlla hoc nomine dicta vrbs Idumæis fuit, qui Iſraëli finitimam terram incolebant, ſed ad ſignificationem potius, quàm ad nomen referenda res eſt Idem nomen Boſra quod valentia ſeu conſtantia ſignificat. Omnem verò eius gentis vim, ſplendorem, dignitatem & potentiam, demoliendam eſſe prædicit. nam quæ proprio vocabulo dicta eſt Boſra, Moabitis regionis vrbs, non Idumææ fuit. atque de eadem hac
Iſai. 34. Idumæorum Valentia illud apud Iſaiam accipitur vaticinium: Congregamini gentes ad
" audiendum, &c. quoniam ſacrificiũ Domino in Boſra, & mactatio ingés in terra Edõ, &c.
" Et conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in ſulphur: & erit terra eius in pi-
" cem ardentem, nocte & die non extinguetur, in ſempiternum aſcendet fumus eius in ge-
" neratione & generationem, deſolabitur in ſecula ſeculorum, non erit tranſiens per eam.
Deinde illud annotatione dignum eſt, hanc extremam cladem Idumæis prædictam, non per Babylonios, ſed per alias nationes afferendam eſſe ſignificari. hoc enim cõſilium Do-
mini de Edom initum audiendum nobis Vates propoſuit: Si nõ eiecerint, inquit, eos par-
" uuli gregis. Paruulos auté gregis alias gentes potius, quàm aut Iſraëlitas, aut Babylonios
Ierem. 50. dici, argumento eſt ille alter locus in quo Babylonijs malum & calamitas à Perſis afferen-
" da iiſdem omnino verbis prænunciatur. Propterea audite conſilium Domini, quod men-
" te concepit aduerſus Babylonem, & cogitationes eius quas cogitauit ſuper terram Chal-
" dæorum. niſi detraxerint eos paruuli gregis, niſi diſſipatum fuerit cum ipſis habitaculum
eorũ, &c. Quæ verò poſtea gétes ad paruulos gregis, & ad Perſas, quos hic Ieremiæ locus indicat, relatæ ſint, in commentarijs de gentium origine, ſi Deus annuerit, docebimus. Denique & illud argumento eſt non vnam tantùm ſimplicem calamitatem Idumæis prædictam, ſed alteram grauem quidem illam, breuem tamen ab Aſſyrijs afferendam, alteram verò penitus exitialem. Cuius rationes Ieremias Vates fuerit perſecutus, quòd pacẽ & Iſraëliticarũ rerum ſalutem atque reſtitutionem poſt id tempus futuram Abdias præcinit, quæ nunquam hactenus contigerit: nondum enim Iſraëlitę omnes è tenebris in lucem vocati, atque ad eccleſiæ Chriſtianæ communionem admiſſi ſunt. Id quod ſtatim à deſtructi & perditi Edomi tempore ſperãdum vates omnes, & apertiſſimè omnium Abdias, docuẽre. Igitur ſeptem his grauiſſimis teſtimonijs productis illud manifeſtè confirmatur,
Ierem 21. priorem à Ieremia Vate denuntiatam Idumæis cladem, & tempore & miniſtris & rationibus cæteris longè aliam à poſteriori illa eſſe quæ ſub ipſum libri finem diffuſè ſatis deſcripta prædictaque eſt. Atque hanc eandem cum Abdiæ vaticinio, & re ipſa, & rationibus partibuſque omnibus conuenire, cui non ſolùm auctor atque atteſtator, ſed etiam explicator Ieremias (qui tempore poſterior fuit) acceſſerit. nam qui vtriuſuis prophetæ de hac re vaticinium nouerit, ambo proculdubio nouerit, ita eodem argumento nec diſſimili oratione aut ſtylo ſunt. Atque huius pœnæ & grauiſſimi caſus, ruinæque Idumæorũ primùm propoſita cauſa eſt. [*Propter iniquitatem in fratrẽ tuum Iacob*: Hebraicè, *propter Hhamacs.*] de quo genere iã abundè aliàs diſſeruimus. Deinde pœnæ grauitas explicata. *Operiet te confuſio, & peribis in æternum.*] Hoc diuinæ legis ius, æquitaſque poſtulat, vt in ſuo vitio quiſque plectatur, vis capite, auaritia multa, honoris cupiditas ignominia ſarciatur. non modò autem capite, rebus, fortuniſque ſuis, ſed animo imprimis vitij ſui pœnas daturũ Edom Vates noſter prædicit, vt qui ob inuidentiam & obtrectationem, fratris ſui Iacob rebus, dig-
nitat

nitati & ſaluti ſæpe inſidiatus ſit,& honoribus atque famæ perſæpè detraxerit, ignominia, probris omnibus, maledictiſque in miſeria poſitum vexauerit,tam malè volentis primùm animi atque perditi conſilij, deinde verò nefariorum inceptuum, conatuũ,& peſſimorum interdum criminum, ſupplicium luat. Id autem in ſacra philoſophia confuſionẽ dicimus, quod Latinis auctoribus propriè erubeſcentia, atque etiam conſcientia eſt,quæ aut vitium ipſa eſſe, aut ex vitio oriri plerunque ſolet. Ea accidit quoties initum magno ſtudio conſilium, aut opus aliquod, aut ſententiam, aut ſpem re ipſa & exitu magis quàm ratione improbare,aut damnare,atque deponere cogimur, vel quòd irrita vanaque omnia, ac fruſtra nobis tentata, vel quod ſtultè cogitata iudicataque inuitè etiam deprehenderimus. Huius definitionis multa paſſim apud ſacros auctores exempla ſunt:vt,Deus meus cõfundor, & erubeſco leuare faciem meam ad te, quoniã iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt 1. Eſd 9.
ſuper caput noſtrũ, &c.& illud,Confundantur, & reuereantur qui quærunt animã meam. «
&,Qui congregat in meſſe,filius ſapiens eſt: qui autem ſtertit ætate,filius confuſionis. Sapientes abſcondunt ſcientiam,os autem ſtulti confuſioni proximum eſt. Quoniam verò Pſalm.3. Prou.10.
Edom magno conſilio & ardenti ſtudio Iſraëlis fratris ſui dignitati, auctoritati, atq. commodis omnibus detrahere conatus fuerat, idque ſibi maximæ gloriæ & laudi fore ſtatuerat, ſi quàm maximè aut fratrem ſuum affligeret, aut in illius ab alijs afflicti calamitatem quàm inſolentiſſimè inſultaret,ſicut ſcriptum eſt: Qui dicunt, exinanite, exinanite vſque «
ad fundamentum in ea. futurum propterea dicit,vt ob propriæ calamitatis, & ignominiæ «
ſenſum, rubore & turpi confuſione ſuffuſus, totoque iam impetu in præceps delatus, ſententiam mutare cogatur,atque ita ſtultitiæ redargutus turpius pereat. [*Operiet te confuſio.*] Vt conſilium tuum improbans diuinum, iuſtiſſimum agnoſcas, cauſamque fratrum tuorum vel inuitus probes, atque huiuſmodi erubeſcentia primùm pro iſta tanta ambitione affectus,cum ignominia tãdem & dedecore moriare. [*Et peribis in æternum.*] Iam verò illud ſemper meminiſſe oportet,vaticinium hoc non ad Seirenſes modò Idumæos pertinere, ſed ad eos etiam omnes, quotquot conſilio inſtituto & vitæ genere Idumæorũ partes habuẽre,à quibus impugnari ſolent Iſraëlitarum res, hoc eſt, eorum qui religionem veram atq. diuinam purè ſancteque colendam ſuſceperint, ſiue illi olim Iſraëlitæ ſecundum carnem, ſiue poſtea Chriſtiani, qui verè Iſraëlitæ ſpiritu ſunt, fuerint; apud quos certa quædam & noua Iſraëliticæ rei diuinitus ſuſcitata ratio eſt. Hi enim eos quos conſiliorum ſocios & adiutores, & fratres habere oportuit, adulatores,& nihilo mitiores inimicos experti ſunt, quàm Iacob olim Edomum fratrem:ita vt in breue ratio omnis cogatur, cauſam Deo iudice agi: atque hinc ſimplicis piorum hominum populi, Iacobum humilem & afflictum in hac vita, Deo tamen gratum virum: illinc verò gentilitatis & huius ſeculi filiorum, atque eius ſapientiæ & gloriæ,quæ in mundo eſt, ſectatorum hominum, Eſau feris moribus, & inſolentiori natura hominem partes ſuſtinere, reumque factum capitis & honoris iudicium pro omni factionis ſuæ gente accipere. nam qualem ſeſe Edom eiuſque poſteritas erga finitimum ſibi Iſraëlem fratrem præbuit, tales pari inſolentia, non minori odio, maiori etiam vi & contentiori ſtudio, filij iſti Edomi, hoc eſt terreni & carnales homines ſeſe Iacobi filijs,hoc eſt, piæ & fideli Eccleſiæ humilitatem & nihil altum ſapienti, inimicos pertinaciterque infenſos præbuere. atque huius à ſe accuſati & redarguti animi, conſilij & conatus ab Idumæis olim perniciosè proditũ, à cæteris verò imitatione, expreſſum exemplum narratione vſus Vates adhibet, quo ad maleuolentiam, inimicitiã, æmulationemque oſtendendam nullũ certius aut apertius argumentum depromi poteſt.

In die cùm ſtares aduerſus eum, quando capiebant alieni exercitum eius, & extranei ingrediebantur portas eius,& ſuper Ieruſalem mittebant ſortem, tu quoque eras quaſi vnus ex eis.

CVM ſceleris, vitij & flagitij omnis caput & fons in animi ſententia, conſilio & voluntate præcipuè ſit; De corde enim exeunt iniquitates malæ, homicidia, &c. voluntas ipſa Auguſt. Matth.15.
& conſilia imprimis, deinde conatus, poſtremò etiam actiones, diuino iudicio ſeueriſ- «
ſimè cẽſentur,ſicut ſcriptum eſt: Qui loquũtur pacẽ cum proximo ſuo, mala autẽ in cor- Pſalm.27.
dibus eorum, da illis ſecũdum opera eorũ,& ſecundũ nequitiam adinuentionũ ipſorum, «
ſecundum opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipſis. nulla au- «
tem re magis animorum ſimultas,& maleuolentia perſpicitur, quàm ſi quis alteri non àſe, ſed ab alijs allata calamitate & malo delectetur: extremæ enim crudelitatis eſt aliena ope- Tull.officio.
ra animi cupiditatem explere conceptumque odium ſatiare. Si enim is qui illatã alteri in- lib.1.
iuriã cùm propulſare poſſit, non propulſat, tam in culpa eſt,quàm is qui infert, quantum eius crimen eſſe oportet, qui non ſolùm non propulſat, ſed ſtudio, plauſu atq. incitamento etiã inferenti adeſt. Idumæos autẽ & iniuriã Iacobo vltrò illaturos,& illatam ab alijs omni

plauſu excepturos, & contento ſtudio perpetuas inimicitias geſturos Vates hic multo antè videns prædixit, atque omnia tempora vno velut futurarum rerum ſpectaculo intuitus; vno etiam ſermone complexus eſt. Primùm verò omnium Babylonicam illam ſtragem indicat, qua Ieroſolyma Aſſyriorum impetu, & Idumæorum applauſu atq. adhortatione
Pſalm.136. vaſtata eſt. De qua illa grauis piorum extat querela: Memor eſto Domine filiorum Edom
" in die Ieruſalem, qui dicunt, exinanite, exinanite, &c. Hoc verò grauiſſimum iniuriæ genus, aduerſus afflictum ac miſerum quemlibet; maximè autem aduerſus fratrem, quem omnibus potius officijs, omni miſericordia proſequi oportuerat: atque hanc primam iniquitatem, primumque iniuriarum ſiue hhamazz ſcelus, ſuis perſonarum, temporis, loci & ſitus, atque habitus circumſtantiis, vt grauiſſimum iudicari poſſit, amplificat. quæ ratio in maximis criminibus plerumque obſeruatur. [*In die cùm ſtares aduerſus eum, &c.*] Atque eius calamitatis non minorem culpam Idumæos, qui adeſſent, etiam ſi nihil nocuerint, quàm hoſtes ipſos, qui malum damnumque intuliſſent, ſuſtinere, ait: [*Tu quoque eras quaſi vnus ex eis.*]
Rom.1. Neque enim damni malique illati leuius quàm illi teneris, quando eorum qui conſilio aut opera nocentes iuuerint, par ratio eademque mulcta eſt: Non enim ſolùm qui talia agunt, ſed qui facientibus conſentiunt, ſupplicio digni ſunt; maximè autem cùm illi alieni & hoſtes aperti eſſent, tu verò frater neceſſitudine coniunctiſſimus, officiorumq. legibus obligatiſſimus eſſes. Indignum enim erat afflictis & miſeris non ſuccurrere. indignius multo apud hoſtem, ne nimium in victos captoſque ſæuiretur, non intercedere. longè autem indigniſſimum, non ſolùm otioſum, ſed etiam vltrò infenſum, atque plaudentem ſpectatorem in fraterna calamitate ſeſe præbere. Id enim extremæ inhumanitatis & ſæuitiæ eſt, quos chariſſimos habere oportuerit, non ſolùm non triſti vultu, ſed etiam importuno per-
Gen.21. euntes videre, ſicut ſcriptum eſt: Et abijt ſeditque è regione procul, quantum poteſt ar-
" cus iacere. Dixit enim, non videbo morientem puerum: ſedenſque contrà leuauit vocem ſuam, & fleuit. Hoc vultu atque animo, hac humanitate neceſſariorum miſerias, quas leuare non poſſis, proſequi oportuerit.

Et non deſpicies in die fratris tui, in die peregrinationis eius, & non lætaberis ſuper filios Iuda, in die perditionis eorum, & non magnificabis os tuum in die anguſtiæ.

INIVRIÆ & contumeliæ indignitaté multis ſimul eloquutionis figuris coniunctis amplificat: namque & vetatione ſiue prohibitione primùm vtitur, quæ rebus actionibuſque
Pſal.63. inhoneſtiſſimis explicandis adhiberi ſolet: vt, Noli æmulari vt maligneris: Noli eſſe ami-
Prou.22. cus homini irato: &, *Ne facias quod olim Gargilius quidam*, &c. Huius figuræ vſus eſt re-
Hor.lib.1. Satyr.1. rum indignitatem & turpitudinem dedecuſque oſtendere, quo magis illæ damnabiles iudicari poſſint. Meminerimus etiam id quod ſæpe aliàs obſeruauimus, elegantem eſſe futuri temporis vſum ad huiuſmodi orationes, quæ aut rerum decus, aut perpetuitatem cer-
Pſalm. ta quadam ſignificatione explicát: vt, Os habent & non loquentur, &c. & illud: Quæ non
Gen.20. debuiſti facere, feciſti nobis: quem locum Hebraicè legimus, Quæ non fient, feciſti nobis: quorum alterum exemplum rem fieri nunquam poſſe; alterum verò non decere ſigni-
Hor.lib.2. ficat. ſic apud exteros: *Fruſtra cruento Marte carebimus.* & illud: *Non hoc iocoſæ conueniet lyra.* ſic
Od 14. & etiam hoc in loco: *Et non deſpicies, & non lætaberis, &c.*] Præterea & verborũ ſententiarumque
lib 3.Od.3. incremento rei indignitatem amplificat: nam ſi alienam calamitaté videre inhumanum eſt, fraternam verò inhumaniſſimum, quibuſnam verbis notari is poſſit, qui ſuper filios Iudæ in die perditionis eorũ lætatus fuerit; ſed neque hoc contentus, contumelia, os etiam ſuum in die anguſtiæ inſultando magnificauerit? Hoc enim huiuſmodi oris habitus & geſtus ſignificat, in miſeras & afflictas aliorum res inſultare, & ex euentu atque fortuna conſilia omnia definiri, notari & iudicari. id quod vulgus hominum, qui fortunam ſem-
Matth 27. per ſecutus damnatos odit, facere ſolet: vt illud, Alios ſaluos fecit, ſeipſum ſaluum facere
" nõ poteſt: ſi filius Dej eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. hoc eſt, *magnificare os*, ſtul-
Thren.2. tè & temerè aliorum conſilia, reſque geſtas, non ex ratione, ſed ex odio iudicare: atque
" res etiam honeſtiſſimas crebris & longis ſermonibus turpiter exagitare: vt illud, Aperue-
" runt ſuper te os ſuum, omnes inimici tui ſibilauerunt & frenduerũt dentibus ſuis, & dixerunt: deuorabimus. En iſta eſt dies quam expectauimus; inuenimus, vidimus. Exornatur etiam oratio, reique indignitas amplificatur appoſitis verbis & ſententijs, cuiuſmodi illa ſunt; frater, alienus, dies fratris tui, dies peregrinationis eius, lætari in perditione, aperire os in die anguſtiæ. Sed quid nos ſingula verba & exornationes perſequimur: quod tametſi iucundiſſimum vtiliſſimumque opus, tamen propè eſſet infinitum. Quod verò dicit dies peregrinationis eius, Hebraicè eſt dies alienationis eius, hoc eſt, cum dignitate, ſalute, fortuniſque ſuis abdicatus abalienatuſque eſt, & ab illo qui fuerat, vehemẽter mutatus. Hiſ-
panè

panè id ſignificãter dicitur: *en el dia de ſu eſtrañeza*. Hactenus iniuriam illam perſequutus eſt, quam Iſraëlitæ à finitimis Idumæis, qui fratres nominantur, fuêre perpeſſi: quòd ea neceſſitudo naturæ, originis, atque generis monumentis, locorũ vicinitate & frequenti nominis appellatione illuſtris ac manifeſta fuerat. cuius rei multa adhuc in ſacris libris teſtimonia extant: vt, Hæc mandat frater tuus Iſraël. & illud: Trãſibitis per terminos fratrum veſtrorum filiorum Eſau, qui habitant in Seir. nunc deinceps aliam iniuriam crimini dat, quam non tam illa natio, quàm ex ea oriundi, aut eorum partes, ſectam, moreſque imitati, Gentiles, alij Græci, atque Itali, calamitosè Iſraëlitis attulerunt, & cùm Iudaicæ res à Græcis, & cum à Romanis, vt à Pompeio afflictæ vehementer vexatæq́. ſunt: quos propterea non iam vt antea fratres appellat, cùm ſtudio potius, & cõmuni in Iſraëlitas odio, quàm toto genere, & omnium familiarum origine Idumæis aſcriberentur. atque his eadem confuſio, idem exitij periculũ denunciatur, qui grauius etiam quàm illi, quorũ in ea re mores imitati ſunt, nocuiſſe arguuntur: quandoquidem Idumæi illi non tam illato à ſe Iſraëlitis malo, quàm cupito probatoque inhumanitatis notam ſubiêre: hi verò mali damnique atque calamitatis auctores & miniſtri fuerunt, varijs bellis, inſidijs, dolis, incurſionibus factis, quibus vehementer nimium ſæuierũt, & non hoſtiliter modò, ſed feriſſimè ſeſe geſſerunt. Quæ res Machabæorum libros, & Ioſephi, Ægeſippi, aliorumque auctorum hiſtorias legentibus facilis agnitu eſt. Quanquam verò id non ſine diuino numine, nec citra magni conſilij ſententiã acciderit; tamen parcius, mitius, & humanius cum miſeris & afflictis hominibus agi oportuit, neque ſceleratorum (quorum cauſa id diuinitus erat decretum) pœnas ad iuſtorum etiam & piorum virorum afflictionem ludibrium, & ad religionis etiam ignominiã producere: quòd ea res crudeliſſima omnino, & inuiſa, improbataq́ue Deo ſit, ſicut ſcriptum de eo inhumanitatis genere eſt: Quoniã quẽ tu percuſſiſti, perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorũ addiderunt. atque hanc calamitatem à gẽtibus iſtis inſolenter nimium afferendam, diuinus Pſaltes grauiſſima querimonia eſt proſecutus: Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuã, Polluerunt tẽplum ſanctum tuum, poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam: Poſuerunt morticinia ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cæli, carnes ſanctorum tuorum beſtijs terræ. hoc autem crimen ſic Vates agit:

[Margin: Num 20. Deut. 2. Mach. 1. Ioſeph. Pſalm. Pſalm.]

Neque ingredieris portam populi mei in die ruinæ eorum.

ITAQVE hanc iniuriam non ſolùm ſtudio, voto, voluntate, plauſuque inferentibus dato, ſed re ipſa atque propria opera illatam, Idumæorum factioni Vates objicit; qua de re illud etiam apud Ezechielem legimus: Pro eo quòd fecit Idumæa vltionem, vt ſe vindicaret de filijs Iuda, peccauitque delinquens, & vindictam expetiuit de eis; idcirco, &c. Neq. ab hac ſententia alienum eſt, quod apud Ioëlem ſumus interpretati: Idumæa erit in deſertum perditionis pro eo quòd iniquè egerint in filios Iuda, & effuderint ſanguinẽ innocentem in terra ſua.

[Margin: Ezech. 25. Ioel. 3.]

Neque deſpicies tu in malis eius, in die vaſtitatis illius.

[Margin: De bello Iudaico.]

SCRIBIT Ioſephus Idumæos, qui finitima Iſraëlitis loca tenuêre, Tiro atque eius exercitibus, quo tempore impetum in Ieroſolymã fecerunt, ſeſe ſocios in illius ciuitatis perniciem adiũxiſſe, atque ſpoliorum & prædæ ſpe non ſolùm in prœlio pugnantibus, ſed fugientibus etiam & periculum euadentibus, ne quis ſupereſſet, vehementer fuiſſe infeſtos. deinde verò, qui reliqui ex illa clade, quàm miſerè vexati, afflicti atque exagitati, & in ſummas omnium rerum anguſtias abducti hactenus fuerint, nemo eſt qui ignoret, cùm gentes omnes nationeſque aliæ, quotquot ex illo genere ſint, ſiue ſua adhuc inſtituta, & vmbratilem religionem tueantur, ſiue ad noſtram lucem diuino beneficio euaſerint, grauiſſimo odio, & diſcordia pluſquam ciuili proſequantur; atque quanto plurimorum & maximorum nominũ ſtudio & plauſu id inter Chriſtianos fiat, planè video: quanta verò pietate, alij fortaſſe clarius, nos verò non ſanè poſſumus perſpicere. itaque ad hanc imaginem omne hoc ab Abdia Idumæis factum crimen alludere videtur. Sed nos imaginem ipſam ad duos populos (quorum cauſa inſtituta oratio eſt) reuocantes; alterum piorum (qui non vt cauſa, ita ſemper rerum vſu potiores in hoc ſeculo ſunt) alterum verò impiorum, & eorum qui homines tantum eſſe probantur, à quibus illi plerumque patiuntur, crimen referimus; quòd illorum iſti ſemper felicitati inuideant, honoribus detrahant, cõſilijs aduerſentur, rebus omnibus, ſaluti, incolumitati, dignitatiq́. inſidiari ſoleant, & quo minori numero fuerint, hoc magis ſint infeſti. Ea autẽ res queadmodũ olim inter carnales Iſraëlitas & Idumæos interceſſit; ſic inter eos qui verè Iſraëlitæ ſũt, Iudæiq́. ſpirituales, hoc eſt, inter veros pietatis cultores, & inter eos qui morum ac vitæ genere Idumæos ambitione, ſuperbia, & inſolẽtia imitãtur, intercedit; quorũ alteris per laborũ tolerantiã, & patien-

tiam æternæ ſalutis ſpes; alteris verò per inſolentiam atque in agendo pertinaciam, certa quædam turpis erubeſcentiæ, atque exitialis pœnæ expectatio eſt reliqua.

Neque deſpicies & tu in malis eius in die vaſtitatis illius, & non emitteris aduerſus exercitum eius in die vaſtitatis illius, neque ſtabis in exitibus, vt interficias eos qui aufugerint, & non concludes reliquos eius in die tribulationis.

NEQVE æquum fuerat, inquit, te teſtem, ſocium, & ſpectatorem præbere vaſtantibus; cùm vaſtatus hic populus eſt, neque vim & manus illis in die prælij, vt citius perirent, inferre; neque fuga ſibi conſulentibus oppoſitum obuiamque factum omnem ſalutis ſpem, omnes miſericordiæ aditus, omnes exitus præcludere; neque eos qui reliqui ex ea clade fuerint, miſeris modis afflictos vexare. Hæc enim & huiuſmodi omnia nefaria atque inhumana facinora, diuina vltio grauiſſima atq. certiſſima expectat; ſicut ſcriptum eſt: Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis? Neque enim alius inuidiæ, odij & maleuolentiæ exitus eſſe poteſt. Conſtat autem te non diuinum conſilium, ſed tuum odium ſequutum, tanta inſolentia & furore in eos, quibus peperciſſe magis oportuerat, fuiſſe debacchatũ. Quantum autem tibi ipſi his rebus malum, quàm acre atque ſeuerum iudicium paraueris, non longè abeſt vt intelligas.

Quoniam iuxtà eſt dies Domini ſuper omnes gentes, ſicut feciſti, ſic fiet tibi; retributionem tuam conuertam in caput tuum, &c.

EVANGELII virtute, atque Chriſti nomine bellum gentibus omnibus cum ſumma
aduerſantium & oppugnantium pernicie inferendum eſſe prædicit; quo in bello diuini-
tus inſtructo cum cæteris, quæ pio populo infeſtæ hactenus fuerint gentibus, cum Aſſy-
riorum, Ægyptiorum, Iſmaëlitarum exercitibus, Idumæorum etiam genus funditus eſſe
periturum, denuntiat. Eam autem ſpiritualem Euangelij, & eorum qui non crediderint
Deo, neque obediuerint Euangelio, virtutis eius pugnam non ſolùm animis, ſed corpori-
bus etiam rebuſque multorum exitialem fore; contrà verò ijs, qui crediderint & obediue-
rint, magnã & æternam ſalutem fore allaturam: id quod à quodam ex his diuinis militi-
2.Cor.2. bus veriſſimè & ſumma cum gloria prædicari audiuimus. Deo autem gratia qui ſemper
« triumphat nos in Chriſto Ieſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco.
« Quia Chriſti bonus odor ſumus Deo in ijs qui ſalui fiunt, & in ijs qui pereũt; alijs quidem
« odor mortis in mortem, alijs odor vitæ in vitam: & ad hæc quis tam idoneus? Atque hoc
« bellũ Chriſti auſpicijs inceptum & geſtum tam diu duraturum eſt, donec tradat ille reg-
1.Cor.15. num Deo & Patri, cùm euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem & virtutẽ; opor-
« tet enim eum regnare, donec ponat inimicos omnes ſub pedibus eius. Igitur hunc diem
« Domini & verè Domini diem, cùm non humanis artibus aut copijs, ſed diuino conſilio
& virtute gerenda ſit res: namque ad hæc quis tam idoneus? hunc ſalutarem alijs, alijs ve-
rò exitialem diem iam dictum decretumque eſſe cùm cæteris gentibus, tum Idumæorum
factioni, qui plurimum & impietate & iniuria fratribus inferenda commeruêre, denũtiat.
Oratio autem ſic contexitur: Non æquum fuit te hæc omnia aduerſus immerentes, & tibi
minimè infeſtos fratres, ſceleris & perfidiæ facinora commiſiſſe. [*Quoniam iuxtà eſt dies Domi-
ni ſuper omnes gentes, & ſuper te etiam*; Hebraicè, *Propè eſt dies Domini.*] Propè autem illum eſſe
confirmat, vel quòd temporis curſus natura ſua velociſſimus apud Deum cui omnia
præſentia ſunt, multo ſit velocior, atque adeò etiam acceleratu facilis, vt ſecuros,
& imparatos homines, neque opinantes repentè ſoleat opprimere. Quod autem
diuino conſilio certum decretumque eſt, id longum nimis fore putare non conuenit.
2.Pet.3. falſa enim omnino, & pernicioſæ deceptionis plena vox illa eſt: Vbi eſt promiſſio aut
« aduentus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia ſic perſeuerant ab initio creatu-
« ræ. Vnum verò non lateat vos chariſſimi, quia vnus dies apud Dominum ſicut mille
« anni, & anni mille ſicut dies vnus. Itaque vox *iuxtà* vel inſtare non longeque abeſſe
rem ſignificat, vt, Iuxtà eſt dies perditionis, & adeſſe feſtinant tempora: vel illud ſig-
nificat rem certam, integram facilemque actu eſſe, quæ quo minus efficiatur, impe-
diri non poſſit; vtpote Dei conſilio decreta, virtute & imperio in lucem, cùm placue-
Deut.30. rit, proferenda. huiuſmodi illud eſt: Iuxtà eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo,
vt facias illum. tum ergo expeditionis facilitate, tum expectationis breuitate: [*Iuxtà
eſt dies Domini ſuper omnes gentes, inter quas etiam ſicut feciſti, ſic fiet tibi.*] Neque enim eſt acce-
Act. ptio perſonarum apud Deum, ſed quemadmodum in omni gente qui timet Deum &

opera

operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi; ſic quicunque ex contentione, impietate, iniuriaque inferenda viuunt, grauiſſimum diuinæ vltionis iudicium ſubituri ſunt: atque æquè gentes omnes, quæcunque hoc nomine cenſebuntur, perituræ. Vnicuique enim ſecundum opera ſua rependendum eſt.

Quo modo enim bibiſtis ſuper montem ſanctum meum, bibent omnes gentes iugiter, & bibent, & abſorbebunt, & erunt quaſi non ſint.

OMNES quicunque vno crimine inuoluti ſunt, vna iudicij & ſententiæ formula comprehenduntur, ne quis vllo nomine, aut genere, aut priuilegio diuinum iudicium ſibi effugiendum fore arbitretur. perinde enim vobis omnibus exitialis calamitas afferenda eſt: vt à vobis populo meo inhumanè, atque in religionis opprobrium & contemptum fuerit allata. Conuertitur autem ſermo ad eos, qui dura nimis perpeſſi à gentibus fuerant, hoc eſt, ad piorum populum, quos vltionis certa ſpe atque expectatione conſolatur. Quemadmodum, inquit, qui in monte ſancto meo nomen meum religionemque colitis ſanctiſſimam, vexati ab his afflictique eſtis vehementer, ſic iſti me vltore, ſacroſancti Euangelij vi, virtute & efficientia, atque ſequenti rebelles & contumaces vltione funditus euertentur. Calicis verò, & bibendi propinandique verbis ſuppliciorum aut pœnarum, aut etiam vltionis acerbitatem ſignificari ſæpe aliàs docuimus: vt, Hunc humiliat, & hunc exaltat, quia calix in manu Domini, vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc; veruntamen fex eius non eſt exinanita; bibent omnes peccatores terræ. Atque eadem ferè ſignificatione in grauiſſimis & moleſtiſſimis rebus deuorare verbum à Latinis vſurpari ſolet. adeò autem copioſum atque abundantem amaritudinis calicem gentibus omnibus eſſe propinandum ait, vt ebrijs factis, funditus ſit tandem pereundum. Iam verò ex quo Chriſtus ad dexteram Dei regnaturus aſcendit; myſterium hoc in filios iniquitatis operatur. quòd ſi nondum omnibus poculum hoc exhibitum fuerit, non adhuc tamen eſt exhauſtum. [*Bibent, bibent omnes peccatores terræ, & erunt quaſi non ſint*, Hebraicè eſt, *quaſi non fuerint*.] Atque hæc quidem impijs & ſceleratis hominibus in vniuerſum, cum ſtudijs, factionibus, potentia copijſque ſuis diuino iudicio edita eſt ſors. Pijs verò & religioſis, atque per patientiam boni operis Domini diem expectantibus, illa diuinis promiſſionibus parata eſt felicitas.

In monte Sion erit ſaluatio & erit ſanctus, & poſſidebit domus Iacob eos, qui ſe poſſederant.

MAXIMVM illud publicæ ſalutis ſacramentum, cuius cauſa antiqua omnia dicta factaque ſunt, cuius rationes nulli vatum ad promittendum non ſunt diuinitus commiſſæ, hoc iam in loco Abdias de more ſignificat. id verò prædicandum magis illis & optandum, quàm penitus cognoſcendum & creditum. nobis autem huius feliciſſimæ atque aureæ ætatis hominibus, niſi tanta hæc dignitas aliunde ob noſtram culpam impediatur, cognoſcendũ tractandumque re ipſa, & experimento proprio, viuaque efficientia ſentiendũ donatũ diuinitus eſt. Amen quippe dico vobis, multi reges & prophetę Luc.10.
cupierunt videre, & audire, quæ vos videtis & auditis, & non potuerunt. namque de 1.Pet.1.
hac ſalute exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt prophetæ, qui de futura in vobis (noui Teſtamenti cultoribus) gratia prophetauerunt: ſcrutantes in quod vel quale tempus ſignificaret eis ſpiritus Chriſti; prænuntians eas, quæ in Chriſto ſunt, paſſiones & poſteriores glorias. Quibus reuelatum eſt, quia non ſibimetipſis, vobis autem miniſtrabant ea quæ nunc nunciata ſunt vobis per eos qui euangelizauerunt vobis, Spiritu ſancto miſſo de cælo, in quē deſiderant angeli proſpicere, &c. Equidem vereor ne ratio hæc vniuerſa, quam nobis omnibus perſpicuam, apertáque eſſe oportuit, maximæ Chriſtianorũ hominũ parti ſuo vitio diuinoq. iudicio obſcura difficiliſque fuerit reddita. nam profectò ſi perſpecta omnibus certaque eſſet, melius multo, nobiſcum ageretur quàm agitur; neque ſolùm publicæ priuatęque res, ſed ſingulorum mores conſilia etiam communiter ſeparatimque ſuſcepta, eum, quem decuit, curſum tenerent. Sed quoniam nobis, dum Vatum ſcripta enarramus, indicandi potius, quàm explicandi myſterij huius commoditas eſt, ſatis officio noſtro feciſſe videbimur, ſi Chriſtianos interim homines adhortati, vt omnibus votis atq. aſſiduis precibus huius ſacroſanctę rationis abundantē ſibijpſis explicationem à Deo impetrent. interim breui argumento contenti rem ipſam, vt à Vate noſtro indicatur, breuiſſimè exponamus. In tanta rerum humanarum perturbatione, in tanto hominum periculo, in tantis miſerijs à communi omnium hoſte diabolo per primi parentis ſcelus, & per pro-

pria

pria ſingulorum vitia & peccata allatis, vnam tantum ad ſalutem viam ſibi munitã Deus declarauit, ſi quem ipſe miſſurus erat totius orbis ſeruatorem, publicæ ſalutis aſſertorem, & vindicem, homines libẽter & gratè reciperent. namque ille eam qua prædítus erat, virtutem, eumque quo ipſe abundabat, diuinum ſpiritum cum ſuis omnibus fuerat communicaturus. cuius maximi doni, qui participes eſſent, vt cæleſtes planeque diuini, maximum ad ſalutem & victoriam ex communi hoſte, eiuſque exercitibus reportãdam, momentum
Ioan. 1. haberent, ſicut ſcriptum eſt: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatẽ filios
« Dei fieri, his qui credunt in nomine eius; qui nõ ex ſanguinibus, &c. ſed ex Deo nati ſunt. Hunc verò ſeruatorem fide & obſequio ſuſcipi ab ijs oportuit, quicunq. illius ſalutis diuinæque dignitatis participes eſſe expetiuiſſent. namque vtramque hanc rem ille ipſe publicè exigebat: Pœnitemini & credite Euangelio, & appropinquabit in vos regnum Dei. At vero hunc tantum ſalutis & diuinæ dignitatis auctorem, & procuratorem à ſe mittendum, & gratis hominum generi donandum, varijs ijſdemque maximis nominibus, pro alijs atque alijs huius maximi myſterij rationibus appellari placuit, quæ omnia neque noſtri ingenij tenuitate, neque his temporis & loci anguſtijs explicari ſeſe patiuntur; ex quibus vnum eſt Sion, qui cùm editiſſimus Ieroſolymorum mons fuerit, & Dauidi regi præcipuè ad regiam ædificandam optatus, huius, de quo nobis ſermo eſt, Ieſu Chriſti inſtar obtinuit, quem totius cæleſtis ciuitatis ſuæ, hoc eſt, Catholicæ Eccleſiæ, in qua regnaturus ipſe fuit, principẽ & firmiſſimum certiſſimumq. caput eſſe decreuit; ſicut & de imagine ipſa, & de ea quã imago referebat, ſignificatione ſcriptum eſt: Fundatur exultatione vniuerſæ terræ Mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas regis magni: Deus in domibus eius cognoſcetur, cùm ſuſcipiet eam. Igitur hoc commune & certiſſimum omnibus ad ſalutem
Act. 4. perfugium, hoc aſylum, hoc maximum & firmiſſimum pijs omnibus præſidium à Deo per Vatem proponitur & indicatur; à quo credentibus & obtemperantibus certa ſalus; oppugnantibus verò & impijs, aut ad hoſtis caſtra deficientibus, certa pernicies exitiumque eſt. neque enim vllum aliud nomen hominibus datum eſt ſub cælo, in quo oporteat nos ſaluos fieri, & non eſt in aliquo alio ſalus, aiebat Petrus. [*In monte Sion erit ſaluatio*] Eccleſiam Catholicam, cuius caput Chriſtus eſt, vnicum certiſſimũ & commune ſalutis perfugium & domicilium fore ſignificat. nam quòd hic ſaluationem legimus, ex Hebraico clarius euaſionẽ interpretari poſſumus. [*Et erit ſanctus*, Hebraicè eſt *ſanctitudo* ſiue *ſanctũ*.] Sancti-
Leuit. 19. ficationem illam ſignificat, cuius apud noui Teſtamenti auctores frequentiſſima mentio eſt. eo autẽ diuino puritatis & ſanctitudinis dono, cum alijs maximis muneribus à Chriſto datis perficiendos eſſe homines, antiqua & ſacroſancta Vatum carmina prædixêre:
Ezech. 37. vt, Sancti eritis mihi, quoniam ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter, & dabo ſanctifica-
« tionem meam in medio eorum in perpetuum. Et erit omnis, qui relictus fuerit in Sion, &
« reſiduus in Ieruſalem, ſanctus vocabitur: omnis qui ſcriptus eſt in vita in Ieruſalẽ, & vo-
Iſa. 4. & 62. cabunt eum populum ſanctum redemptos à Domino. Sanctitudinem verò Hebraicè ſeperationem, & ſepoſitionem à vulgari & communi conſuetudine atque vſu; præterea inuiolabilem quandam, intactamque maieſtatem ſignificari, longè lateque ab hominũ vulgo remotã, iam aliàs docuimus. huiuſmodi autem ciuitatem quandam ſibi per Chriſtum inſtituendam Deus multò antè receperat. Et erit ibi ſemita & via, & via ſancta vocabitur:
« non tranſibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa via, ita vt ſtulti non errent per
« eam. Ita locus hic de ſanctificatione per Chriſtum ſuis donata eſt accipiẽdus; quod Chaldaica Biblia manifeſtè indicant: [*& erunt*, inquit *ſancti*.] Quam profectò rem abundè ſatis fuiſſe à Chriſto noſtro ſuis cultoribus præſtitam multa confirmant teſtimonia: Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri. [*Et poſſidebit domus Iacob eos, qui ſe poſſederant.*]

Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioſeph flamma, & domus Eſau ſtipula, & ſuccendentur in eis, & deuorabunt eos, & non erunt reliquiæ domus Eſau, quia Dominus locutus eſt.

QVANQVAM magnũ, acerbum, & diuturnũ bellum Idumæorum factioni aduerſus exiguum & ſimplicem populum ſuſceptũ ſit, in quo maior pars minorem vehementer affligere ſemper viſa ſit, tamen ab hac illam omnino tandem ſuperandam eſſe, & huius virtute illius nomen eſſe denique extinguendum, præter veriſſima diuinarum promiſſionum oracula, ipſa iam huius rei pericula certam nobis fecêre ſpem. quoniam non multitudine, aut copijs, aut humana potentia & facultate, ſed diuina virtute & efficientia melior pars aduerſus maiorẽ nititur cuius virtutis præter hominũ opinionẽ certiſſimã ſemper victori fuiſſe, nõ ſolùm Ægypti à Moſe Dei miniſtro ſuperati, ſed & Græci, & Latini, & Barbari, pe-

ri, penes quos aut humanæ virtutis, aut ſapientiæ, aut vtriuſq. rei ſũma fuerat, teſtari poſ- Act.
ſunt, qui omnes paucorũ & infirmorũ (vt videbãtur) virorũ tandẽ virtuti & ſapientiæ ce-
dentes, Euangelij veritati, ſuccubuerũt. neq. enim veritati & ſpiritui, qui loquebatur, vt ſuũ
errorem tuerentur, reſiſtere valebant. ſed quoniam hæc Chriſtiani nominis & religionis
noſtræ victoria, hic triumphus, nondum de vniuerſis gentibus plenè reportatus eſt; multi
etiam ex Idumæorum factione ſuperſunt, qui pijs & religioſis hominibus moleſti eſſe per-
gant: omnes tamen peruictum, perditum, atque in ſeruitutem redactum, nomenque ip-
ſum & ſtudium Idumæorum penitus extinctum iri Deus & apud Vatem hunc, & apud
cæteros etiam ſæpe eſt pollicitus; ſummamque pacem toto orbe Chriſtiani nominis cul-
toribus ſperandam ſpectandamque propoſuit. etenim hoc ipſum ex antiquo illo de vtriſ-
que partibus reſponſo dato relatum eſt: Maior ſeruiet minori. namque tametſi Iacob
hactenus inſidias ab Eſau paſſus, afflictus agitatusque fuerit, tamen cum duabus turmis
ex Meſopotamia rediens, & magna equitum peditumque turma appetitus, deductus po-
tius, quàm vexatus eſt; tandem autem Imperator & Dominus ſuſcipiendus, ita vt do-
mus Iacob poſſideat eos qui ſe hactenus poſſederant. Quanta autem ſapientia, quan-
ta obſeruatione res hæc prædicatur, vtque prædictiones cum euentu ipſo conueniant,
non ita apertè & planè explicare poſſumus, vt nobis ipſi ſatisfaciamus: ſed ne omnino
nihil dicamus, perangustè ſaltem in breuiſſima oratione maxima hæc infarcienda ratio
eſt. Iacob natu minor, & promiſſionis ſpe prior Eſau fuit; tamen poſt emptum ſibi
primogenituræ ius vehementer afflictus, inſidijſque petitus atque exagitatus, patria
cedere coactus eſt. Deinde ab exilio & fuga diuinitus reuocatus, diuitijs liberiſque auctus
dum rediret, fratrem, cuius vim, potentiam, opeſque formidabat, tamen ob fidem &
animi conſtantiam, humanitate & comitate ſuperauit, & ne noceret, retinuit. Non
multo pòſt tempore Iacob in Ægyptum deſcendit, vbi à Ioſepho filio duobus nepotibus
auctus eſt, quos tametſi ex alieni populi matre ſuſceptos; tamen nominis, gene-
ris, dignitatis iuriſque ſui hæredes adoptatos, proprijs liberis teſtamento aſſcripſit.
atque hæc ex diuinis hiſtorijs manifeſta ſunt. Ex Hebraicis autem traditionibus, hiſto-
rijs & interpretationibus illud accepimus, Iacobi filios quo tempore parentis corpus ex
Ægypto ſepeliendi cauſa extuliſſent, dum funeri operam darent bello ab Eſau poſte-
ris Sapho quodam duce fuiſſe tentatos; quos tamẽ Ioſephus deuicto atque capto abducto-
que in Ægyptum duce, repreſſerit. Ad quam hiſtoriam illud ſpectare videtur; quod fu-
neris negotio, officioque narrando Moſes adiecit: Quod cùm vidiſſent habitatores terræ Gen. 50.
Chanaan, dixerunt: Plãctus magnus eſt iſte Ægyptijs, idcirco, &c. Hanc verò omnẽ ima- «
ginem ad hunc explicandum locum intueri conueniet; ita vt fidelium & piorum Eccleſia,
exiguus primùm ac puſillus grex, humilem nobis Iacobum exprimat; quẽ alter impiorum
& ſuperſtitioſorum hominum populus hactenus diuexauerit atq. afflixerit: quoad aucto
iam diſcipulorum numero, ſecurius atque ſuauius agere cœpiſſet. Et Eccleſiæ quidẽ con- Act. 16.
firmabantur fide, & augebantur numero quotidie. deinde verò nõ ſolùm ex Iudæis, hoc «
eſt, ex propria gente, ſed ex Ægyptijs, hoc eſt, vanæ gentium ſuperſtitionis cultoribus, li-
berorum ſoboles addita Iacobi familia eſt: atque ex vtroque populo vna Eccleſia, vnum
baptiſma, vnum corpus eſt conflatum. Vtriuſque huius corporis partis opera efficien-
dum eſſe diuina oracula prodidêre, vt Eſau factionis memoria tollatur funditusque delea-
tur; quòd ex vtraque parte delectis miniſtris Euangelij danda legatio ſit; cuius Euangelij
diuina virtute gerenda conficiendaque eſt res. namque ita diuini conſilij ſententia ad
publicam piorum vtilitatem, ad impietatis excidium, ad humani hoſtis Sathanæ perni-
ciem, & ignominiam decretum eſt. [*Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioſeph flamma, & domus
Eſau ſtipula, & ſuccendentur in eis, & deuorabunt eos, & non erunt reliquiæ domus Eſau.*] Non ſo-
lùm eos qui ſecundum carnem ab his maioribus Iacob & Eſau orti ſunt, ſed vtra-
rumque partium ſtudioſos omnes & quicunq. familiæ nomine cenſentur ſignificari, no-
men ipſum *domus* bis terque repetitũ declarat. *Ioſeph* autẽ nomẽ non ſine myſterio appellatũ
eſt, quod cùm augmentum ſignificet, eam quam modò annotauimus rem, planè indi-
cat: cuiuſmodi arcanum & ipſo nomine imponendo, & deinde à Iacobo vaticinante ex-
plicãdo ſignificatum eſſe videtur: Et vocabit nomen eius, dicens: Addat mihi Dominus Gen. 30.
filium alterum. Iacob verò ingreſſo ad ſe Ioſeph ait: Deus omnipotens apparuit mihi in «
Luza, quæ eſt in terra Chanaan: benedixitq. mihi, & ait: Ego te augebo, & multiplicabo, «
& faciã te in turbas populorũ, daboque tibi terrã hanc & ſemini tuo in poſſeſſionẽ ſempi- «
ternam. Duo ergo filij tui qui nati ſunt tibi in terra Ægypti, antequam huc venirẽ ad te, Gen. 48.
mei erunt. Ephraim & Manaſſes, ſicut Ruben & Simeon reputabũtur mihi: tametſi neque «
in terra Chanaã, neq. Hebræa matre procreati, neq. Hebraicis ritibus & moribus fuerant «

educati

educati, tamen in familiam populumque aſſcripti ſunt. Vtramque autem familiam diuini Euangelij, à ſe aſſerendi virtute ignis inſtat habituram eſſe prædicit, atque vniuerſam Eſau, hoc eſt impiorum, ſuperſtitioſorumque factionem facilè ac breui abſumpturam. Quibus nulla maior ad reſiſtendum & repugnandum contra Euangelicam veritatem futura eſt vis, quàm aridæ ſtipulæ, vt igni reſiſtat. Id verò non humana aliqua facultate, virtute, arte, aut potentia, ſed diuinæ ſententiæ & conſilij auctoritate atque efficientia peragendum eſt.

Quia Dominus locutus eſt.

CVIVS verbum tanta vi & efficientia eſt, vt nulla re impediri poſſit, quo minus quicquid dixerit, efficiatur. Pſalm. 148. Ipſe enim dixit, & facta ſunt; ipſe mandauit, & creata ſunt. Statuit « ea in æternum, præceptum poſuit, & non præteribit. Hanc ſententiam Chaldaicè ſic le- « gimus: *Quia Dominus ſic decreuit.*] Ignem porrò Euangelij virtutem diuinam dici, quæ omnia veteris hominis membra abſumens, nouorum hominum genus purgatum atque pu- Luc. 12. rum relinquat, in arcanis verbis à nobis docetur. quem ignem vehementer incendi late- « que ardere Chriſtus geſtiebat. Ignem, inquit, veni mittere in terrã, & quid volo niſi vt ar- « deat? Magnam porro futuram Eccleſiæ felicitatem, magnam copiarum & gentis acceſſionem, magnam Iſraëlitarum & Ieroſolymitarum reſtitutionem; ita vt non Iſraëliticæ terræ, vt olim anguſtijs religio teneatur, ſed vt gentibus & nationibus; ſic etiam locis auctiſſima ſit, ex illis Chananææ regionis finibus ad orbis terrarum terminos dilatata. Et dominabitur Chriſtus à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.

Et hæreditabunt hi qui ad auſtrum ſunt montem Eſau, & qui in campeſtribus Philiſtijm: & poſſidebunt regionem Ephraim, & regionem Samariæ, & Beniamin poſſidebit Galaad.

ISRAELITICA regio à meridie Idumæos, ab occaſu Palæſtinos, ab ortu verò Galaad, & Moabitarum atque Ammonitarum agros finitimos habuit. igitur dilatationem illam maximam, quæ Chriſtiani nominis imperio ab Iſraëlitica regione proficiſcenti futura erat, deſcripturus Vates, obſeruato geographiæ ordine diſponit. vndique enim loca dilatanda ſunt, & nomen ipſum Eccleſiæ Chriſtianæ propagandum: & quemadmodum olim hoſtibus circumſepti Iſraëlitæ habitabant, ita ſummotis vndique hoſtibus, laxè & magnificè ij, qui verè Iſraëlitæ fuerint, habitabunt. Erant autem illis ab ortu hoſtes infeſti Ammonitæ & Moabitæ, ab occaſu Palæſtini, à meridie verò Idumæi. hi omnium Eccleſiæ hoſtium imaginem exprimunt, quos vbi Chriſtiani à ſe ſummouerint, totum orbem facilè occupabunt: neque verò hos tam perdendos, quàm in ſuum ius ſtudiaque ſua traducendos Euangelij virtute intelligere oportuerit, quemadmodum ſæpius iam eſt à nobis declaratum. Sed quoniam Latinè aliquantulum confuſè hæc deſcribuntur, cùm Hebraicè diſtincta omnia & clara ſint, ſingulas partes diſpungere, & diſtinguere operæpretium fuerit. *Et hæreditabunt hi qui ad auſtrum ſunt, Montem Eſau.*] Tota oratio hoc carmine contenta tribus partibus abſoluitur, ſingulæ autem partes recto caſu & accuſatiuo conſtant hoc modo: *Et hæreditabit Auſter montem Eſau, & planities Philiſtæos, & hi etiam qui in planitie ſunt, poſſidebunt agrum Ephraim, & agrum Samariæ, latiorem videlicet multo quàm habuerint regionem & Beniamin*, quibus olim cis Iordanem ſedes fuerat, trãſmiſſo flumine, *poſſidebit Galaad*,] atque ita alij alijs dilatatis locis genus, nomen, gloriamque religionis ſuæ longè lateque propagabunt. Cõſtat autẽ oratio hæc metonymijs non inelegantibus figuris, & zeugmatis etiam diſtincta eſt. atque hæc omnia, quę de imperio per finitimas & infeſtas gentes dilatando dicta à Vate ſunt, eò pertinent, vt Eccleſiam ex omnibus gentibus, quibus veritas olim ignota erat, componendam primùm & coagmentandam eſſe intelligamus. deinde verò Iſraëlitarum & Iudæorum diſſipatas, multiſque locis diſperſas reliquias, & iuſto atque ſeuero Dei iudicio Rom. 11. vexatas, & obcęcatas reſtitutũ iri, ſpem nobis facit Vates hic, quemadmodum & alij vates fecêre, & noui etiam teſtamenti oraculis eſt confirmatum: Nolo enim vos ignorare fra- « tres myſteriũ (vt non ſitis vobiſmetipſis ſapientes) quòd cæcitas ex parte contigit Iſrael, « donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret. hoc autem myſterium « ſubiecto carmine Abdias enuntiat.

Et tranſmigratio exercitus huius filiorum Iſraël, omnia loca Chananæorum, vſque ad Saraptam, & tranſmigratio Ieruſalem, quæ in Boſphoro eſt, poſſidebit ciuitates Auſtri.

QVONIAM in locorum nominibus reddendis ſæpe inter eos, qui libros ex Hebraico vertunt, variari ſolet, hunc locum, vt Hebraicè eſt, nominibus ipſis retentis, ſimpliciter reddere placuit: *Et tranſmigratio exercitus huius filiorũ Iſrael, qui, vt Chananai, vſq. ad Tſarpath, & tranſmigra-*

migratio Ieruſalem, quæ in Sepharad, poſsidebunt vrbes Auſtri.] Chananæos de ſuis ſedibus & locis
Iſraelitarum quōdam aduentu eiectos varieque diſperſos fuiſſe, antiquarum hiſtoriarum
lectione docemur. alios enim Africam & Hiſpaniam, Illyrin alios, & quoſdam etiam Se-
ptentrionalia, & alia Germaniæ loca petijſſe accepimus. huic diſperſioni perſimilis illa fuit, 2.Reg.17.
quæ Iſraëlitis Aſſyriorum rege victore contigit; quos per omnia ferè loca, quæ imperio illi
parebant, diſſipatos legimus; ex quo effectū eſt, vt diſperſionis nomine deinde dicerentur: Ioan.7. 2.Mach.1.
vt, Congrega diſperſionem noſtram, libera eos qui ſeruiunt gentibus, &c. & Iacobus ca-
tholicam Epiſtolam tribubus duodecim, quæ ſunt in diſperſione conſcripſit. Hos autem
ad Tſarpath vſque diſſipatos fuiſſe ex hoc intelligimus loco. At verò cuinam regioni no-
men Tſarpath conueniat, non facilè ex diuinis libris cōſtat. namque duobus in locis tan-
tùm antiquorum ſcriptorum id nomen appellatur, apud hunc videlicet Vatem & in Re-
gum etiam hiſtorijs vbi Tſarpath Sidoniorum, quò Helias famem declinaturus ſecedere 1.Reg.17
iuſſus eſt. quem locum noſtra Biblia, vbicunque meminerunt, Sarepram Sidoniorum
nominant. Fuiſſe autem alium quempiam locum, cui idem Tſarpath nomen eſſet adiun-
ctum, illud Sidoniorum, arguit; vt Aram Naharaim regionis nomini adiectum, ab Aram
Soba regione etiam alia diſtinguit. Itaque alij cuipiam nomen Tſarpath, quàm Sareptæ
Sidoniorum conuenire intelligimus. Sed quo terrarum orbis ſita Tſarpath hęc fuerit, non
facilè ex ſacris libris diuinare eſt. Ex Hebræorum autem traditionibus, & retēto hactenus
apud eam gentem nomine, Galliam prouinciam eſſe, hanc accepimus; vt illa Galatis ali-
quando & Gallogræcis, ab Epheſinis; ſic etiam à Sareptanis occupata atque habitata fue- Beroſus.
rit, ſiue quacunque alia de cauſa nomen hoc obtinuerit. Conſtat enim ſeculorum vi & im-
pulſu humanarum rerum, regnorum, & prouinciarum non ſolùm facies & ſtatus, ſed no- Cicero pro M.Fonteio.
mina etiam mutari, turbari, atque ſæpe etiam penitus extingui. Eſſe autem huiuſmodi re-
motam longeque à Syria diſtantem regionem aliquam, quouſque Iſraëlitarum diſperſio
pertineret, nota illa *Vſque* ſignificatur, cuius vſus in rei, loci, aut tēporis termino definien-
do plerunque eſt. neque verò hæc expoſitionis ratio, cum ipſa re pugnare videtur: conſtat
enim Galliæ complura loca maximè ea parte, quæ Narbonenſis dicitur, & Britanniæ, quæ
Gallijs olim aſcripta fuit, magna Iſraëlitarum copia vſque ad noſtram ferè ætatem fuiſſe
frequentata, à quibus etiam gymnaſia tum alibi, tum Narbonæ, & Maſſiliæ publicè ſunt
inſtituta. floruit autem in ea prouincia inprimis Salomon quidam Iarchius celebris apud
illos Hebraicorum librorum interpres, quo tempore Galli Gotfredo duce Ieroſolymam à Iſaac Hiſpa.
Saracenis cepêre. Circa annum verò à condito orbe 4555. Iudæi omnes publico edicto ex in Ioël ca. 3.
Gallia relegati, in Germaniam commigrarunt. nihil tamen hoc obſtat, quo minus illa mi-
gratio à Gallia, quo primùm olim ex propria regione deuenerant, agnomē ſortita retinue- Helias leuites in Theſbite
rit, vt ſemper Gallica migratio dicatur. quemadmodum & qui apud Hiſpaniam Iudæi
commorati ſunt, quanquam nunc pulſi alijs atque alijs regionibus vagentur, Hiſpani om-
nes dicuntur, neque ſolùm cognomen, ſed Hiſpanam etiam linguam, vt maternam reti-
nent. Vt autem extrema olim terrarum continentis orbis loca occaſum verſus Gallia &
Hiſpania, quas Oceanus occidentalis abluit, exiſtimata ſunt; ſic etiam cum locorum ipſo- Mela lib.1.
rum finibus diſperſionis ratio optimè definita eſt: nam antiqui aut nullam præter Aſiam, cap.1.
Africam, & Europam in noſtro hemiſphęrio terram habitabilem eſſe putauēre, aut ſi quid
vlterius eſſet, Aſiæ aſſcribendum cenſuerunt. Igitur Iſraëlitarum diſperſio, quibuſcunque
in locis ad ortum, Auſtrum & meridiem diſſipata fuerit; tamen occaſum verſus Galliæ &
Hiſpaniæ terminis eſt definita. Vbi autem de Gallica tranſmigratione (quæ prima Aſſy-
riorum regum iuſſu contigerat) meminit, Hiſpanienſem etiam Iudæorum tranſmigratio-
nem commemorat; quę & tēpore & loco poſterior illi Gallicanæ Iſraëlitarum fuit. Vtram-
que autem multo antè præuidens, obiter prædicit: nam qui reſtituendos, atque in Eccle-
ſiam diuinamque tutelam recipiendos Iſraëlitas qui in Gallia & qui in Hiſpania fuerint,
pręcinit; exules eos in illis locis fore ſubindicat. Cur autē de Hiſpania ea quæ ſubiungun-
tur, accipiamus, ipſa locorum vicinitas & terminorum orbis communis vtrique ratio; ijs,
quæ de Gallia dicta nobis, & ab auctoribus tradita ſunt, conijciendis accedere videtur. [*Et
tranſmigratio Ieruſalē quæ in Boſphoro eſt, poſsidebit ciuitates auſtri.*] Diximus quo in loco Latinè *Boſphorus*
legitur, Hebraicè legi *Sepharad*. Cui autem terrarum orbis regioni nomen id fuerit olim
impoſitum, & Chaldaica Biblia apertè docent; & nos etiam excogitata quadā nominum
ex alijs ad alias linguas reducendorum ratione indicabimus. Chaldæus interpres ſic hunc
locum vertit: *Et tranſmigratio Ieruſalem quæ in Spania.*] *Spania* à Chaldæis eadem quæ à Latinis
Hiſpania dicta fuit, quæ terrarum orbis continentis vltima Atlantico ſiue Occidentali
Oceano alluitur & terminatur; atque Europæ nomē & fines Herculeis columnis ad Cal-
pen terminat; qua Gaditanus Boſphorus permeat, omnium quæ in mari noſtro ſunt cele-
berri-

berrimum fretum. ex quo factum eſt, vt Latinus interpres extremitatem & terminum ipſum orbis, & ſententiæ rationẽ affinemq́ue vocem ſecutus, Sepharad Boſphorum verterit: quem Herculeum Boſphorum ſiue fretum intelligi accipique voluit. Eandem autem eſſe Hiſpaniam, quæ Sepharad olim dicta fuerit, illud argumento nobis eſt, quòd antiqui Græcorum auctores prouinciam hanc antiquo atque illuſtri vocabulo *Sperida* nominarunt. Illud autem ex varijs linguis, quarum cognitio atque vſus nobis diuino beneficio contigit, obſeruauimus, propriorum nominum variam pronuntiationem, non tam conſonantium literarum, quàm vocalium corruptione aut mutatione in alia atq. in alia, & perſæpe in eadem lingua accidere: quam rem exactè conſiderantibus varia quæ videntur nomina componere inter ſe, atque ad antiquiſſimam & certam rationem reuocare, non magni negotij eſſet. Exemplis autem hanc rem indicabimus, quoniã iuſta diſputatione explicare nunc non poſſumus. In huiuſmodi igitur nominibus reductio ſemotis omnibus vocalibus atq. conſonantibus etiã ijs, quæ certũ in vnaquaque lingua pronuntiandi modum ſtatuere ſolent, & cæteris conſonantibus relictis fit: vt à nomine MITHRIDATES, primùm finitionem, ES, quæ Græcæ terminationis nota eſt, abſcindimus; deinde verò vocalibus omnibus expunctis, reliquæ ſunt nobis M T H R D T H, quæ eædem ſunt in Hebraico & Chaldaico, atque etiam Pontico ſiue Scythico eiuſdem viri nomine, MATHREDATH, cui, ablatis vocalibus, eædem omnino literæ, quæ MITHRIDATH, relinquuntur. Sic nomen ARTAHAXTA, idem ARTAXAS. ſic ATHASVEROS, idem ASSVERVS eſt. Eãdem itaque rationem ſecuti SPRIDA ad SPARAD, nobis hoc loco oblatum nomen facilè reducemus, cùm ijſdem vtrimque conſonantibus conſtet literis. atque de omni hac nominum ratione nos aliàs fortaſſe pluribus agemus & exactius, tantùm votis ſtudijſq. erga Chriſtianam rempub. noſtris Deus annuat. Nunc iam hiſtoriam ipſam breuiter tractemus. Hiſpaniam Iudæorum innumera multitudine fuiſſe habitatã, noſtrę etiam ætatis teſtimonio cognouimus. namque nõ multis ab hinc annis Catholicorum regum edicto primùm ex Bætica atque ex Tarraconenſi, poſtremò Emanuelis Portugalliæ regis iuſſu ex Luſitania decedere coacti ſunt; quorum omnium non exigua religioni noſtræ interim acceſſio facta eſt, ſanctiſſimum Ieſu Chriſti filij Dei Euangelium agnoſcentium, atque vltrò ſuſcipientium. qui verò ſuam religionis vmbram ſectari optauêre, ſolo tantùm mutato, prouinciæ, vnde exulauerunt, cognomen, linguam & viuendi etiam morẽ retinent, facileque à cæteris vel vno familiaris & domeſticæ rei nitore & apparatu dignoſcuntur. ex his multi nunc in Thracia, plurimi etiam in Africa exulant, in Italia nonnulli degunt. Omnem verò hanc multitudinem ex Iudæorum, qui Ieroſolymam Iudæq́ue tribum coluerant, familijs, non ex alijs tribubus fuiſſe, cõſtans omnium eius gentis ſcriptorum opinio eſt. Narrant enim quo tempore ſacrum Ieroſolymorum fanum ab Aſſyrijs primùm dirutum eſt, multos ex ea gente in Hiſpaniam, à Piro quodam duce, qui Aſſyriorum imperium obſeruabat, fuiſſe traductos, qui duobus primùm locis conſediſſe dicuntur: alteri quidem nomen Lucina, frequentiſſimo illis ſeculis in Bætica prouincia oppido, quod nos vel Lucenam nunc dictam; vel, quæ non longè ab hac in Illiberitana regione eſt, Lucentiam olim, nunc Seſam eſſe arbitramur: alteri verò Tolero regiæ Carpentanorum vrbi nomen fuit, quam quidam ex illis Hebraico nomine Tholedoth dictam ex eo putãt, quòd in ea vrbe Iudaicarum familiarũ diſtinctio maximè fuerit obſeruata. Id ipſum autem Tholedoth nomen ſignificat generationes ſiue familias. Atque ab ijs qui ea loca incoluêre Iudęis nomina quibuſdam vicinis oppidis, ex relictorum in Syria locorum deſiderio, aut etiam ſimilitudine indidiſſe, vt Aſcaloniæ, & Maquedæ & alijs. Hæc ex illorum antiquis receptionibus, & ex commentarijs in poſteriorem Regum librũ habuimus. In libro etiam qui De ieiuniorum cauſis & rationibus apud illos inſcribitur, legimus Titum Veſpaſiani filium, quo tempore triumphum ex Iudæa capta reportauit, perſuaſum à pręfecto quodam, qui in Luſitania prouincia erat, vt ſi quos ex his, quos Ieroſolymis abduxerat, aliò traducendos decerneret, ad ſe in Hiſpaniam tranſmitteret: eſſe enim opportunum illis & commodum in Luſitania locum Emeritam Auguſtam, Romanorum coloniam, tum primùm reſtitutam operibuſque maximis auctam, atque ab hac gente, quæ poſteriore fano diruto abducta fuit, omnes illas, quæ Emeritæ primùm, deinde in Luſitania omni, & finitima Bæticæ parte fuêre, familias fuiſſe proſeminatas. Vtramque ergo gentem, & quæ prioris, & quæ poſterioris fani tempore abducta fuit, Ieroſolymitanam migrationem Vates nominat. Cui in diuinam gratiam reſtitutæ, eas, quæ meridiem verſus ſitæ ſunt, hoc eſt Hiſpaniæ, quæ & Ieroſolymis & Gallia meridionalior eſt; & Africæ, Libyæ, Ægyptiq́ue vrbes habitandas aſſcribit; ita vt in vnum iam cum ijs terræ incolis, qui Chriſtianam religionem ſuſceperint populum eiuſdem religionis interuentu; imò in vnum corpus, cuius caput vnicum

4. Reg. cap. vltimo.

Chriſtus

Chriſtus ſit, coniuncti, compacti, atque coagmentati, quietam, tranquillam & beatam vitam ſine vllo fugæ aut migrationis metu, ſine inſidiarum ſuſpicione, communi diuina tutela vſi peragant. Tantam verò tamque illuſtrem rerum mutationē & totius Idumeæ factionis interitum, publico & celeberrimo ſanctiſſimorum & fortiſſimorum virorum, qui diuinas Chriſtianæ religionis partes habeant, conuentu de commùni omnium ſententia & iudicio probatum firmatumque iri prædicit. Ita fiet vt Idumæorum cauſa ſeuerisſimè iudicata atque damnata, Deus omnibus ſuffragijs, vna vniuerſorum voce, communis, legitimus, atque æternus orbis totius rex declaretur; & ius regnumque ſuum, omnibus maieſtatis & dignitatis, nominiſq. ſui hoſtibus deuictis & perditis, iam in terra, quàm in cælo obtineat: idque regnum & imperium plena, conſtanti, atque perpetua totius terræ orbis fide obſeruetur; perinde atq. in cælis obſeruatur. Neque enim fruſtra id aſſiduis precibus exorandum huius regni particeps & hæres Chriſtus præceperat, imò certam eo præcepto ſpem fecit, fore vt id quod communibus votis publicè & priuatim inſtanter petendū præciperet, aliquando impetraretur: Sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra. Matth. 15.

Et aſcendent ſaluatores in montem Sion, iudicare montem Eſau.

VT olim Apoſtolis & Chriſti diſcipulis ſacrorum miniſteriorū & munerum; ſic etiam nominum & appellationum communio & honor diuino beneficio, & præconio tributus eſt: Vos eſtis lux mundi; vos eſtis ſal terræ. Vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione, cùm ſederit filius hominis in maieſtate ſua, ſedebitis & vos ſuper duodecim ſedes iudicantes tribus Iſraël. Huiuſmodi dignitatis & poteſtatis communio, diuini ſpiritus illis donati virtute ac iure contigit, atq. in legitimos etiam Eccleſiæ miniſtros traducta permanauit. Sicut miſit, inquit, me pater, ita & ego mitto vos: hoc dicens inſufflauit in eos dicens: Accipite ſpiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt, & quorum retinueritis, retenta erunt: Ego autem vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi, &c. Quibus ex omnibus atque alijs quamplurimis locis accepimus, antiquis Apoſtolis, atque eorum vice, vſque ad mundi finem, functis Eccleſiæ legitimis miniſtris, cum Euangelij munere diuinarum Chriſti dignitatum miniſteria, poteſtatem, dignitatum etiam & honorum communicationem diuinitus contigiſſe. neque mirum videri alicui debet, ſi qui iudicum, amicorum, lucis, ſalis alijſque illuſtribus & digniſſimis nominibus appellantur, ijdem ob Euangelici muneris dignitatem, poteſtatem, atque efficientiā, ſaluatores etiam ſalutentur, vt qui viam ſalutis nobis annunciant, per quos bonus Chriſti notitiæ odor in mortem & in vitam manifeſtatur, quorum fidei oratio ægrotos ab interitu ſeruat; quorum etiam ſermone atque exemplo reuocati ab errore peccatoris anima à morte per Chriſtum liberatur. Iacob. 5. Si enim Aſſur, Nabuchodonoſor & Cyrus, non ob ſancti communionem ſpiritus, ſed ob diuinitus delatorum munerum functionem, alius furoris virga, alius ſeruus, alius Chriſtus Dei appellatur; quid obſtat, quo minus, qui diuino ſpiritu ad cārem vncti, & ſacroſancta Euāgelicæ veritatis atq. virtutis propagandæ poteſtate præditi ſunt, Saluatores etiā poſſint appellari? Huiuſmodi autē ſaluatorum collegio, & conuocato concilio, Idumæorum ſtudia, conatus, cauſam denique omnem grauiſſimè & ſeueriſſimè iudicandam, atque ſacroſanctum Dei Chriſtique eius imperium publicè obſeruandum eſſe confirmat. Neque verò myſterio illud vacat, quod tantam rem his potius, quàm alijs verbis enunciauerit: *Saluatores in montem Sion, iudicare montem Eſau.*] Non enim idem eſt dicere Sion & Eſau, & montem Sion, & montem Eſau, quod montis nomine vtriuſque partis cœtus, conſilia, voluntates & ſtudia ſignificat. nam ex pluribus Hebraicis nominibus, quibus montis natura ſignificatur, vnum eſt HAR, quod à verbo cōcipiendi & pariendi deducitur, atque eo nomine montes aliquando dicuntur, quod eiuſmodi natura, varijs humorū, metallorum, aliorumque mineraliū, & feminū etiam generibus grauida refertaq. ſit. Rectè itaque ex montis verbo conceptum & partū Sionis, conceptum, atque partum Eſau poſſumus interpretari. Cumque Chriſtiana Eccleſia ex Sione illo antiquo profecta ſit; impiorum autem & ſuperſtitioſorum cœtus atque cōcilia ad Eſau, tanquam ad communem partium illarum principem & ducem referantur, diuinos illos ſaluatores alterius arcem obtentum, ex eaque Eſau partes, hoc eſt cœtum & conſilia, acta, geſta, rationeſque omnes & iuſtiſſimè & ſapientiſſimè, ſecundum Chriſti veritatem iudicatum ire denunciat. neque tantum de extremo illo omni orbi, poſtquam homines à mortuis extiterint, dicendo iudicio, hec accipienda ſunt, in quo ſedebunt ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael, &c. ſed etiam de cauſa impiorum, & totius ſuperſtitionis rebus diuino

diuino iudicio, & illorum ſeruatorum communi atque Euangelica ſententia, exterminandis præcipitandiſque ſermo hic nobis eſt exponendus. Futurum enim eſſe Vates omnes, & ipſe vatum omnium princeps atque pontifex Ieſus prædixêre, vt ante diem extremum vnus omnium orbis hominum & ordinum conſenſus, vna conſpiratio de ſacro Dei & Chriſti eius imperio ſit. Et erit, inquit, vnum ouile, & vnus paſtor. Et Ioannes etiam vi-
Apocal.
« dit ſedes, & ſederunt ſuper eas, & iudicium datum eſt illis; & animas decollatorum prop-
« ter teſtimonium Ieſu, & propter verbum Dei, & qui non adorauerunt beſtiam, neque
« imaginem eius, neque acceperunt characterem eius in frontibus eorũ, & vixerunt & reg-
« nauerunt cum Chriſto mille annis. Hæc omnia & plurima alia futurorum temporũ myſteria Abdias Vates magna breuitate, ſed maxima atq. ſanctiſſima cum veritate inuoluit, ſuo tempore, cùm Deus id effici voluerit, tandem aperienda atque explicanda. Porrò autem poſt illud tempus quid ſit expectandum docet.

Et erit Domino regnum.

AB vniuerſo orbe, communi omnium voluntate, ſtudio, atque conſenſu delatum, ſicut & apud Zachariam ſcriptum eſt: Et erit Dominus rex ſuper omnem terram, in die illa erit Dominus vnus, & erit nomen eius vnum. Cui ſit laus, gloria, decus & imperium per infinita ſeculorum ſecula. Amen.

Madriti 13. kalend. Iulias. 1567.

FINIS.

CARMEN EX VOTO.

QVI nuper amplis nobilis & placens
Donis, ſeueri laudeq; iudicis,
Lauro & noua primaq; felix
Heſperiæ in populis nitebam:
Vnus quòd inter nomina plurium
Vatum, Fenarus quos recreat pater,
De more feſtos & dies, &
Sacra canens melius placerem.
Hinc iam virenti fronde ſuperbiens
Ac mentem honeſto nomine principem
Indutus, aut reges parabam
Ponere belligeros, ducesq;;
Aut nuper adiectum imperijs nouum
Orbem, vias & perdomito mari,
Leges, iugum latum & catenas
Cæſaris auſpicio potentis.
Sed geſtientem grandia maximis
Struxiſſe rerum verſibus & modis
Tentata nullis ac poëtis
Lintre noua vada permeare.
Chriſtus iacentem me, luminis & noui
Viſis pauentem corripuit vocans,

Iuſſit

Iuſsitq́ terrenis relictis
Quærere præmia ſanctiora.
Et dexter altas ſollicito dedit
Curas, decorum munus, & arduas
Virtutis atque anguſtiores
Mente vias cupida tenere.
Non Vatis artem, non mihi ſpiritum
Doctiq́ fruſtra carminis additum
Nomen, calenti dum iuuenta
Suſciperem ſuperos canendos.
Sed vt Latino maxima diſcerem
Sermône noſtris edere gentibus
Arcana quæ ſecretiore
Inuoluit Deus ipſe libro.
Hic mihi pulchrum munus & optimos
Rerum labores gentibus hic meis
Dulcemq́ fructum eſſe, hic legenti
Commoda magna ait, & canenti.
Ergo morantem præceleri fuga,
Atque incitato ſuſtulit impetu,
Et nocte ſubductum ſilenti
Vrbibus & mediis remouit.
Longeq́ turbis ſepoſuit breui
Raptu, meorum, nec memorem mei
In rupis altæ nec profano
Culmine, nec populis patente;
Matris dicatum virginis ad nemus
Præruptum, vt alto ſidera vertice
Ferire, ſedes & propinquas
Crederer obtinuiſſe cælo.
Tum rore puro fontis & integri
Lymphis lauat queis Helicrenia
Antro reſurgens ex opaco
Suppoſita & rigat arua & hortos.
Huc me reductum lucis amabilis
Et noctis horis ardua numinis
Reſponſa, & humanæ ſalutis
Conſilium docet vſque magnum:
Mortalium quæ cognita mentibus
Amoris ignes iniciant ſacri, &
Spreuiſſe cogant res caducas
Ac tenues poſuiſſe curas.
Hîc linguam & aures (credite poſteri)
Referre voces vt valeam ſacras,
Syrè Deus ſolus magiſter
Aſſyriè & mihi temperauit.

Te Chriſte dux, ô te ſequor arduis
In rebus, & me muneribus tuis
Conteſtor auctum, vni tibi me,
Quidquid ero, referam benigne.
Aciam perennes quid ſine te mei
Poſſent labores? quid iuuet integros
Dies, quid annos inquietos
Ponere conſiliis profundis?
Nam ſic & amplis flaminis Abdias
Eductus olim muneribus tui
Fertur & è cæcis tenebris
Inſano & patriæ ſtupore.
Hic cùm Seiri ſaltubus ac iugis
Mentita læui marmore numina,
Vel ære fallaces Deorum
Stultior effigies timeret:
Vocatus almæ lucis ad aureos
Cognouit vſus, ac ſapientiæ
Sacrariis primis receptus
Emicuit pius atque doctus:
Regum deinde obſcura negotia, &
Aulæ repellens vincula principis:
Quæ nectit ardens aut cupido, aut
Ambitio malè ſana iungit.
Iam mente celſum tranſuolat & polum, &
Ignota rerum peruidet abditis
Admiſſus arcanis, tenetq́;
Secula temporibus remota.
Sermone doctus dicere grandia
Anguſto, apertis vocibus explicat
Cauſas, & euentus malorum, ac
Fata ſuis populis tremenda.
Et quantus inſtet mœnibus ac viris
Horror, negato & ſubſidio labor,
Vt ſemper infeſtos tyrannos
Præcipites maneant ruinæ.
Non tantus altis montibus it fragor
Findente nubes fulmine turbidas,
Ardens nec ignis tot fauillas,
Dum ſegetem populatur, edit;
Quantum impiarum crimina mentium
Momenta rerum plurima conterunt,
Molesq́; cælo comminantes
Concutit inuidiæ procella.
Liuor beatis inſidi is parat
Rebus, quietos nec patitur dies,

Fratrem

Fratrem dolis petitum & vnà
Artificem ruit ille ſuum.
Teſtis Cainus perfidus impio
Auſu & nefandi progenies Nodi
Cùm penè tabet ipſa tellus
Temporibus, viduata iuſtis.
Sed quid furenti barbite concitus
Culpas nocentum peruehéris pede?
Quôcunque prædicit ſerenus
Spiritus, hinc potius ſequamur.

BENEDICTI ARIÆ MONTANI
IN IONÆ VATICINIVM PRÆFATIO,
DE MISERICORDIA.

QVICVNQVE *de diuina natura diſſerendi negotium ex ſacris & veris oraculis piè & ſapienter obiêre, adorata in primis tantæ maieſtatis ſanctitudine, & humanis in hoc mortali corpore mentibus inacceſſibili luce procul ſalutata, quantum exacta, explorata & limata iiſdem oraculis & validiſſimis naturæ rationibus veritas ſeſe illis permiſit tractandam, præter alia, quæ ad eandem diuinæ naturæ contemplationem pertinent, omnes in eam ſententiam diſputauêre, vt diuinam naturam vnam, ſimpliciſſimam, immenſam, omniq́ ex conſiderationis parte infinitam eſſe affirmarent, cui nihil aliunde accedere aut inhærere, nihil detrahi aut abeſſe poſſit, nihil ineſſe, quod aut nouum, aut à ſeipſa alienum, aut denique non ipſa eadem diuina natura ſit. Cùm autem omnis naturæ rerum ratio in duo prima genera a philoſophis ſit diſtributa, quorum alterum ſubſtantia, alterum accidens dicitur, prioris illius rationes optimas. poſterioris verò nullam Deo aſſcripſere. Itaque Deum ſubſtantiam ſimpliciſſimam, cui nullum poſſit accidens ineſſe, dixêre, ſicut ſcriptum eſt: Audi Iſraël, Dominus Deus tuus vnus eſt. Cùm verò Deus ſubſtantiæ & non accidentis nomen ſit, vnam eſſe eam naturam ita vnã, vt Deus eſt, hoc eſt, tanta perfectione vnã eſſe, quanta Deus ſit, cui quod perſonis diſtincta tribus eſt, nihil obſtet, quo minus vna, puriſſima ſimpliciſſimaq́ natura & ſubſtantia ſit. Neque verò vllum earum, quæ ei naturæ attribuuntur, virtutum accidens ipſi ineſſe, neque incrementa admitti, aut detrimenta accedere poſſe, neque aliam magis, quam aliã adſcribi virtutẽ. quando hæc res cũ diuina atq. infinita natura, & cum excellentioris ſubſtantiæ, quæ propriè ſubſtantia eſt, rationibus pugnet. fieri autem poſſe, vt omnes aliarum rerum ſimplicium, & puriſſimarum etiam ſubſtantiarum naturæ, quales cæli & aſtra ſunt, confuſæ & diſſipatæ immutentur & pereant; vt verò Deus aliqua ratione immutetur, fieri non poſſe, quoniam cæteris naturis omnibus aliquid accedere accidereq́ potuerit, & ſi nihil aliud, tamẽ quòd ortæ creatæq́ fuerint, quòd annos temporaq́ quandiu ſint certa habuerint, quod vt ſint, vtq́ maneant non à ſeipſis, ſed ab auctore opificeq́ ſuo habeant. Deo verò nihil horum conuenire, qui ſolus à ſe ipſo cùm ſit, principio fineq́ careat, & ætatem ſuam non ad tempora, ſed ad immenſam referat æternitatem. Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum „ tuarum ſunt cæli; ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum vete- „ raſcent, & ſicut opertorium mutabis eos & mutabuntur. Tu autem idem ipſe es, & anni „ tui non deficient. Verùm enimuerò, quanquam ſpectatis in aliis rebus Deo auctore effe- „*

ctus varias in eo virtutes vt cauſas nobis indicauerint, quæ aliis atque aliis nominibus humano cogitandi & loquendi modo dicta; varias de eo rationes ſenſu & cogitatione nobis comprehendendas incitare videntur; tamen eorum effectorum, quos varius nobis vſus, & multiformis perceptio indicat, vna ſimpliciſſima cauſa & exiſtendi ratio ipſum numen diuinaq́; natura eſt, quatenus infinita, quatenus ſimpliciſſima, denique quatenus diuina eſt. Ut autem plurima alia, quæ ad diuina contemplationem naturæ ſpectant, non tam propriis, hoc eſt diuinis, quàm noſtro ingenio accommodatis rationibus & nominibus cogitare & appellare contingit, ſic etiam ea, quæ non niſi accidentium imaginibus & verbis percipi à nobis enuntiariq́; commodè potuêre, ad eaſdem imagines & formas dicendiq́; figuras referri nefas non fuit. Ex qua re factum eſt, vt rationes de Deo omnes, quæ re ipſa vna natura, nempe Deus ipſe ſunt, cogitatione verò ſi ad obſeruandos effectus referatur numerus, infinita atque incomprehenſa, tamen diſciplinæ & comprehenſionis cauſa ad tria velut generum capita ſint reuocata, ſapientiam & potentiam (ſiue eam virtutem ſiue efficàciam appellare magis placeat) & bonitatem. quorum ſingula, quemadmodum certis ex rationibus ad ſingulas trinitatis perſonas (in quibus diuinam ſimpliciſſimamq́; naturam ſalutantes adoramus) referantur, non huius modi, aut loci, aut conſilij diſſerere eſt. Sed cùm æquales omnino & pares huiuſmodi virtutes in Deo ipſo ſint, vt ipſe ſibi æqualis, par, ſimillimus, idemq́; ſemper eſt, ex ea tamen ratione & parte, qua nobis vſui ſunt, alias aliis maiores iudicari, argui, prædicariq́; voluit, eas nimirum, quarum commoda magis & opportuna nobis cognitio, frequentior & crebrior vſus, atq. ad percipiendum noſtro in hac mortali vita ingenio maior facultas, & ad optime de nobis merendum propior & certior exercitatio eſt. Ex qua re illud vſu euenit, vt diuinæ potentiæ (quam dicimus) indicia atque argumenta illuſtria nobis magis & nota, quàm ſapientiæ ſint. Nulla enim vel maxima, vel minima eſt earum, quæ factæ ſunt, rerum, quæ nõ auctorem ſuum ipſa teſtetur & prædicet, illiusq́; ad efficiendum virtutem planè arguat: quemadmodum verò facta, aptata, editaq́; vnaquæq; ſit, in paucis admodum eſt exploratum, ipſa quidem rerum ſpectacula omnium artificem ſuum manifeſtè probant, neque enim præter primam cauſam vlla res eſt, quæ cauſa caruiſſe affirmari poſſit; ſed quo modo, quo conſilio & ratione ſingula ſeorſum, atque omnia ſimul inſtituta a Deo profecta, cœpta perfectaq́; fuerint, cur his potius, quàm aliis partibus, modulis & ponderibus conſtiterint; cùm tamen, vt valde bona omnia eſſent, his conſtitiſſe oportuerit, quotuſquiſque eſt, qui id planè perſpectum exploratumq́; habeat?

Iob 37. » Nunquid ſcis, inquit, quando præcipit Deus pluuiis, vt oſtenderent » lucem nubium eius? nunquid ſemitas nubium magnas & perfectas ſcientias? nónne » veſtimenta tua calida ſunt, cùm perflata fuerit terra auſtro? Tu forſitan cum eo » fabricatus es cælos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt? Oſtende nobis, quid dica» mus illi; nos quippe inuoluimur in tenebris. ita adeò potentiæ, quàm ſapientiæ ſuæ apertiores multo nobis rationes eſſe Deus voluit. rariſſimi quippe in terrarum orbe homines ſunt, quibus Deus ſeſe totius mundi opificem, vel rebus ipſis auditis non arguat; ad eius verò ſapientiæ ſacraria, niſi ab eodem admiſſus, qui penetrauerit, nullus omnino eſt. namq. ad potentiam cognoſcendam affectus ipſi ſpectati ſatis eſſe poſſunt; ad ſapientiã verò perſpiciendam non ſatis id fuerit, niſi cauſæ etiam & elementa, momenta, initia & fines, rationesq́; omnes explorentur, quæ omnia non ſenſu vt effectus, ſed maxima ingenij animiq́; intelligentia contineri poſſunt. Hoc autem ex eo euenire arbitramur, quòd ſapiẽtiæ, quàm potentiæ ratio ipſam diuinam naturam, quæ ipſa ſibi ipſi maxima eſt, ſpectare propius videtur; cæteræ verò rationes ad ea, quæ extra ſunt, effectu ipſo magis referuntur: vt potentia, vt miſericordia; neque enim vllus miſericordiæ vſus erga ſeipſum eſſe oſtenditur, & potentia etiam non ita perſpicuus, ſi ad eum referatur, indicatur vſus. Miſericordiæ enim exercitatio ad pietatis cultores pertinet, potentia autem in omnium aliarum rerum naturis edendis conſeruandisq́; ſpectatur. Et miſericordia eius ab æterno vſque in æternum ſuper timentes eum. Potentia etiam accinctum Deum ſacra carmina deſcribunt.

Psalm.64. Præparans » montes in virtute tua, accinctus potentia qui conturbas profundum maris, motum etiam

fluctuum

ſluctuum eius tu mitigas. At verò præter cætera genera omnia, præter ſapientiam & vir-
tutem ſiue potentiam, miſericordiæ ſuæ rationes maximas & illuſtriſſimas, longè pluribus,
maioribus & apertioribus argumentis teſtatas Deus nobis eſſe voluit, quòd ea diuina vir-
tus mortalibus omnibus, imò rebus, quæ creatæ ſunt cunctis maximo & aſſiduo vſui ſit;
quaq́; non ſolùm maximo & præſtantiſſimo ingenio virtuteq́; pollens, ſed humillimus, infi-
mus atque miſerrimus quiſque plurimum indigeat, opportunéq́; vti atque frui poſſit. Et-
enim aliæ partes diuinam naturam in ſe ipſa admirandam: hæc verò nobis adorandam, co-
lendam, aſſiduis continuiſque laudibus ſuſcipiendam probat, illæ præſtantiā excellentiámque
que ſuam prædicant, hæc inopiæ noſtræ ſubleuandæ ſtudium voluntatémque confirmat: de-
nique hæc ea pars eſt, quam maximè nobis notam perſpectámque eſſe expediat cuius ma-
ximè multas expeditiſſimas eſſe rationes conducat: atque vt ad certam cogitationem vni-
uerſa reuocetur res, cùm Deus ex omni naturæ ſuæ contemplatione bonus eſſe intelligatur,
præcipuo quodam tamē iure bonitatis ratio & appellatio huic parti attributa eſt, ita adeò
cùm ſæpe maximus & optimus appelletur, duob. illis generibus ſapiētia & virtute ſiue po-
tentia maximus, hoc verò tertio, quam bonitatē nominamus, optimus dicitur: duobus illis
in altis habitare perhibetur, hoc tertio humillima quæq. in cælo & in terra reſpicere prædi-
catur. Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & "
in terra? Huius verò partis exempla & momenta maxima hominum generi frequentibus, " Pſalm.
opportunis atque illuſtriſſimis conſiliis, rebus, actionibus, ſermonibus, & teſtimoniis pro-
bata confirmatáque eſſe Deus voluit, cui generi à ſe vehementer, præter cæteras, quæ con-
ditæ ſunt, rerum naturas, amato partem hanc maximè neceſſariam eſſe intellexit, atque
in cæteris quidem rebus ſuis omnem aliam naturam infinito interuallo ſuperare; in hac ſua
verò de miſericordia declaranda, atque præſtanda voluntate ſeipſum vincere exiſtimari &
decantari gaudet, ſicut ſcriptum eſt: Suauis Dominus in vniuerſis, & miſericordia eius ſu- Pſalm. 144.
per omnia opera eius. Quicquid autem de cæteris duabus partibus hominibus cognoſcere "
contingat, ſiue id magnum, ſeu paruum ſit, non adeò refert, dummodo vtiliſſima & expe- "
dientiſſima hæc pars, in qua bonitas & miſericordia elucet, in qua natura omnis, maximè
autem humana, vtilitas & ſalus poſita paratáque eſt, notiſſima omnibus, & præter alia
egregiè explorata ſit. Cæteris enim partibus vel adoratione vel admiratione excipiendis
ſatisfieri à mortalibus poſſe; huic verò vni, niſi magnitudinis indicio & præconio, non vide-
tur poſſe ſatisfieri. Ex qua re euenit, vt cùm à ſacris auctoribus hæc genera tractentur, pri- Pſalm. 34.
ma illa duo honorifica & admirationis plena mentione, hoc verò tertium illuſtri aliqua "
cōmemoratione, & explicatiori magnitudinis aut multitudinis, aut diuitiarū præconio ce- "
lebretur. Domine in cælo miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes. Iuſtitia tua ſic- " Rom. 2.
ut montes Dei, iudicia tua abyſſus multa: homines & iumenta ſaluabis Domine, quem-
admodum multiplicaſti miſericordiam tuam. Diuus etiam Paulus hoc genus benignita-
tem, longanimitatem, diuitiáſque diuinas appellat. Denique de illis duobus aut pauca à
mortalibus ſciri, aut plurima ignorari, neque mirum, neque incommodum valde, imò for-
taſſe etiam expediens aliquando eſt, de hoc verò non plurimas atq. maximas rationes te-
nere longè fuerit incommodiſſimum. Atque huius generis non ſolùm frequentiſſima atq.
illuſtria exempla aſſiduè re ipſa & vſu edi, ſed ſanctorum etiam virorum, maximè autem
vatum, quibus humanæ ſalutis prædicandæ & annuntiandæ legatio data fuit, plurima &
grauiſſima teſtimonia conſtare diuino conſilio decretum eſt. namque diuinorum huiuſmo-
di miniſtrorum præcipuæ partes fuerunt, abundantem diuinæ miſericordiæ rationem mor-
talibus explicare & petendam proponere. cætera autem omnia, quæ ab illis tractata ſunt,
vel ad hanc commendandam & probandam partem, vel ad eandem defendendam &
propugnandam, atque à peruicaciſſimorum hominum dubitatione, aut accuſatione vin-
dicandam pertinent: ſiquidem horum ferè omnium illud vnum commune argumentum &
ſtudium eſt, homines ab errore & tenebris ad fidei & pietatis obſequium & ſtudium, mi-
ſericordiæ obtinendæ cauſa, reuocare, in eáque diuinæ miſericordiæ virtute & benignitate

prædicanda plurimum operæ & diligentiæ præſtare; tardiores verò & negligentiores grauibus minis, non tam ob ante obiectum errorem, quàm ob diuinæ miſericordiæ neglectum beneficium terrere: ſuperbos autem & cõtumaces iis ſuppliciis digniſſimos declarare, quæcunque eos, qui oblatam vltro miſericordiam repulerint, maneant; ita vt non Dei odio, maleuolentia, aut negligentia, ſed ſua ipſorum culpa damnati arguantur. nam qui maximum & certiſſimum ſalutis, quod ipſe ſibi molitus fuerit, periculum certiſſima propoſita ſpe admonitus & reuocatus inire magis, quàm declinare & perrumpere optat, eum ſibi

Ioan. 12. ipſi exitium attuliſſe conſtat. atque huc illud pertinet, quod ab ipſo humanæ ſalutis pontifice maximo prædictum eſt: Ego lux in mundum veni, vt omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat: & ſi quis audierit verba mea & non cuſtodierit, ego non iudico eum; non enim veni vt iudicem mundum, ſed vt ſaluificem mundum. Qui ſpernit me & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum; ſermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die; certiſſimus & grauiſſimus illius negligentiæ & contumaciæ teſtis futurus. Illud igitur ex diuinis oraculis compertum nobis exploratumq́; eſt, diuinam miſericordiam ad cogitandum, optandum, atque admittendum vltra omnem aliam rem mortalibus eſſe propoſitam. illudq́; etiam ex iiſdem diuinis oraculis eſt obſeruatum, iuſtitiæ & iudiciorum exercitationem ſecundum in diuinis conſiliis & decretis poſt miſericordiam locum obtinere, ita vt quo loco illius rationes aut non admiſſæ, aut fuerint reiectæ, eo huius grauiſſima auctoritas & potentia ſuccedat: neque eius voluntatis & conſilij Deum eſſe, qui quenquam quamuis impiiſſimum hominem perditum ire velit, ſed communem omnibus ſalutis viam, fidem obſequiumq́; muniat & commonſtret: quam ſalutem nulli ſe negaturum, (modò iis, quas ipſe ſtatuerit, legibus petitam,) fuerit profeſſus. atque ob eam rem iudicia ſibi quàm ſæpiſſimè differri, maturius quidem edenda, niſi hæc prior & antiquior apud ſe beneficij publicè conferendi, & miſericordiæ tribuẽdæ cogitatio intercederet,

Pſalm. 7. ſicut ſcriptũ eſt: Deus iudex iuſtus, fortis & patiens, nunquid iraſcitur per ſingulos dies?

Iſai. 30. & alio in loco: Propterea, inquit, expectat Dominus, vt miſereatur veſtri: neque verò hæc res ſacris tantùm reſponſis comperta atque declarata eſt, ſed ſacroſanctæ etiam appellandæ diuinitatis iureiurando confirmata. Viuo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua mala, & viuat. Conuertimini à viis veſtris peſſimis, & quare moriemini domus Iſraël? Ita Deus ex ſua voluntate miſericordiam ſe omnibus tribuere velle declarauit: quòd vero ſeuera nonnunquam in quoſdam iudicia exerceat, id poſteriori loco conſequi eos, videlicet, qui ex diuina liberalitate promiſſam & oſtentatam miſericordiam contempſerint. Atque hinc eſt, quòd ſeſe prius miſericordem, quàm iudicem publicè præbuerit; quòd ſalutis prius pontificem, præconem & miniſtrũ Ieſum Chriſtum filium ſuum omni orbi præfecerit, eundem verò viuorum & mortuorum iudicem à ſe

Act. 10. conſtitutum, non niſi extremo tandem tempore publicè daturus ſit, ſicut ſcriptum eſt: Et præcepit nobis prædicare populo & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum, huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Huius autem à nobis diſputatæ rationis argumenta & illuſtria admodum exempla vel vnus Ionæ vatis libellus ſuppeditare poteſt, qui non in aliorum modò, ſed in ſuo etiam periculo maxima & inexhauſta diuinæ miſericordiæ beneficia omnibus aliis diuinarum rerum cogitationibus præponenda eſſe docuit: quod huiuſmodi diuinam benignitatem, & in tribuenda miſericordia opes atque fidem Niniuitarum reipub. omni, cui pronuntiata exciſionis ſententia certusq́; ad interitum præſcriptus fuerat dies, ob pœnitentiæ & mutatæ vitæ ſtudium experiri licuit. atque etiam ipſimet Vati ad ſupplicium ob violatam officij fidem producto, imò in mortis anguſtias, in horrendum etiam ſepulchrum illato, tamen è medio periculo reſipiſcenti & ſupplicanti ſalus reſtituta eſt. Quibus profectò cognitis, & ſapienter tota diuinorum librorum veritate perpenſis rebus, omnis de præſcientia & prædeſtinatione temere diſpu-

Rupert. in Ioan. lib. 9. in principio. tandi licentia & immoderata audacia comprimitur. Quoniam in diuina philoſophia non ſolùm nullo prædeſtinationis aut præſcientiæ obiecto impedimento, miſericordiæ & ſalus

omnibus eam in veritate implorantibus promiſſa & oſtentata eſt, ſed præter pronuntiatam à Deo per grauiſſimum magnaq́ auctoritatis vatem ſententiam, præter certam conſtitutæ dies expectationem, tamen populo ad bonam frugem ſeſe recipienti, & in diuinam fidem & miſericordiam confugienti Dominus Deus noſter miſertus eſt, idemq́ miſericordiæ ſuæ iam olim omnibus ſeſe inuocantibus promiſſæ potius, quàm Vatis fidei & auctoritatis rationem haberi ſe velle euentu ipſo declarauit. nam quemadmodum & quatenus Vatis auctoritati & fidei conſulendum eſſet, id ad ea genera ſpectabat, quorum abſtruſæ & arcanæ rationes adorandæ hominibus & ſuſpiciendæ, non autem temere adeundæ tractandæq́ ſunt. Miſericordiæ verò ſibi etiam poſt dictam pronuntiatamq́ ſententiam tribuendæ ratio & modus, & quatenus id fieri præſtariq́ poſſet, & quæcunque huc pertineret omnia ad id potiſſimum genus referebantur; cuius plurimas & maximas rationes publicè ſpectatas, compertas exploratasq́ hominibus eſſe decreuerat, ita vt cùm de diuinis rebus nobis cogitandum eſſet, ex miſericordiæ primum iucundiſſima & vtiliſſima tractatione, & immenſo atque amœniſſimo campo in exiguum deinde cæterarum diſputationum gyrum religione compelleremur. etenim dum hæc pars, quæ vtiliſſima & facillima eſt, bene & diligenter (vt pars eſt) nobis exculta ſplendeſcat, cæteras, quæ recondita nimis abſtruſæq́ ſunt, maximè autem ſapientiam & iuſtitiam Deo ipſi, à quo nihil non ſapienter, non prudenter fit, permittere conueniet. Atque illud ſemper in diuinis rebus inueſtigandis, tractandis, dicendis & canendis velut primum totius negotij fundamentum ponere, quod à ſacro Vate eleganti carmine quondam eſt traditum. Iuſtitia & iudicium præparatio ſedis tua: Miſericordia & veritas præcedent faciem tuam. Beatus igitur populus, qui ſcit iubilationem. Pſal. 77.

IVBILATIO ET VOTVM.

Immenſa bonitate Pater, te fulgida cælo
Teſtantur placidum ſydera, te facilem.
Si tua dona pios pariter, ſi fraude nocentes
Sol, imberq́ alto ex æthere ſæpe iuuant:
Communem populiſque tuam certámque ſalutem
Eſſe cupis, magna & ſedulitate foues:
Mortales reuocare graui ex errore benignus
Diceris, & cæcis eruere è tenebris:
Da veniam, pacíſque piæ tua munera vati,
Dicentíque tuas annue diuitias.

PRIORIS ARGVMENTVM VATICINII.

DVO Vaticinia hoc libello contenta ſuis argumentis diſtinguere placuit, quorum alterum eò vſque pertinet, Et ſactum eſt verbum Domini ad Ionam ſecundò: Ex eo verò loco ad finem vſque libri alterum vaticinium eſt. Prioris igitur argumentum illud eſt, diuinum conſilium certum fixumq́; eſſe, neque cuiuſquam vel vi, vel tergiuerſatione, quo minus efficiatur, frangi aut minui poſſe, atque id propterea à ſacris vatibus vehementiβimè & ſidentiβimè
Num. 23. *prædicandum ſuſcipi, qui de futuris longum poſt tempus rebus, non minus, quam ſi præſentes eſſent, certiβima & con-*
» *ſtantiβima dicunt, illud veriβimè intelligentes, quòd non eſt vir Deus, qui mentiri poβit, neque filius hominis, vt mute-*
» *tur. Hæc enim recepta vatibus omnibus & planè explorata ſententia, vt officij ſuſceptum munus maxima cum fide, atque animi conſtantia exequantur, efficit. Huius verò rei exemplum tum alijs ex locis, tum ex Ionæ Amithaitæ hiſtoria, euentu ipſo fuiſſe editum: qui ad alienam à populo ſuo gentem legationem ſibi à Deo datam accipere & obire vehementer recuſauerat, quòd fore ſuſpicaretur, vt diuino ſermone reſipiſcentibus Niniuitis facilè venia & impunitas à Deo clementiβimo daretur, quòd ille non ſaluos, ſed perditos vehementer cuperet, ex eo animi motu, qui iuſtos & integros viros ſeueriores tamen, qualis Helias fuit, interdum tentat, quo dicere ſolent, Deficiant peccatores à terra, & ini-*
» *qui, ita vt non ſint. & ex priuato etiam odio, quo Aſſyriorum gentem, cuius princeps ciuitas Niniue erat, Ionas proſequeretur, quam Iſraëlitis exitium aliquando allaturam, vel eorum vatũ, qui ſuo tempore fuère, prædictionibus, vel ſuo etiam functus officio cognouerat: quam ob rem & humano quodam affectu, & gentis ſuæ ſtudio commotus, hoſtium principem & regiam vrbem ſuo in ſcelere perire, antequam malum ſuis inferretur, optauerat. His igitur atque alijs de cauſis, diuinum imperium ſubterfugiens, procul à patria longa nauigatione tranſmittere, atque in exilio vitam agere cogitabat. Deus autem cuius conſilio fruſtra humani incœptus & conatus obſiſtuntur. excitata in mari tempeſtate Vatem altero atque altero defunctum periculo ad conſilium mutandum officiumq́; faciendum impulit, quòd nihil Deo*
Ezech. *propoſitum difficile effectu ſit, cuius ad nutum & arbitriũ vt figuli lutum fingi accommodariq́; omnia cognoſcuntur.*

CAPVT PRIMVM.

ET *ſactum eſt verbum Domini ad Ionam filium Amithai dicens.*

NON de leui aliquo aut humano negotio in hoc libro agi, ſed de grauiſſima re & planè diuino conſilio, quod nulla vi aut impetu, nulla fraude, nulla denique hominũ tergiuerſatione, aut minui, aut frangi, aut impediri poſſit, quo minus efficiatur, ipſo ſtatim initio docemur: cùm diuini verbi mentione Vates libellum ſuum exordiatur: namque *verbum Domini* rem iudicio diuino probatam & decretam miniſtriſque & legatis ſuis mandatam ſignificat. quæ res vt ſecundum certam Dei ſententiam non ſuccedat, fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt: Verbum autem Domini manet in æternum. Itaque
» grauem aliquam rem initio nobis Vates proponit, diuinum nimirum cõſilium, cuius progreſſus & exitus ſpectari vehementer expediat. Vatis autem nomen ad rei fidem faciẽdam & ad diuini conſilij certitudinem firmitudinemq́. oſtendendam appellatũ eſt. quippe non minorẽ fidem Deus rebus negotiisq́. ſuis ex eorũ, qui auerſati, quàm ex eorum etiã qui obſecuti fuerint, teſtimoniis & confeſſionibus adiungit. Neque enim Pauli Chriſtiani olim nominis acerrimi inſectatoris minus graue, quàm Iacobi fratris appellati, de Chriſti virtute & veritate teſtimonium eſt; imò illuſtri admodum elogio ob eam rem illius fides probata commendataque fuit. Vas electionis eſt mihi, vt portet nomen meum coram regibus & gentibus, & principibus Iſraël. Illud igitur huiuſmodi initium ſignificat, diuini verbi facti ad Ionam vatem recuſantem & imperium detrectantem, atque exitus pro ſua parte impedire molitum hiſtoriam hoc in loco contexi, qua oſtendatur eiuſdem verbi tanto illuſtriorem conſtare victoriam, quanto maioribus & callidioribus humani conſilij cõmentis impediri poſſe putetur. quòd verò à coniunctione oratio fuerit inœpta, illud in cauſa eſſe arbitramur, quòd aliud etiam huius Vatis fuerit vaticinium non apud gentes, ſed apud Iſraëlitas peroratum, cui exitus ipſe fidem fecerit certiſſimam. Id autem vaticinij munus felix fauſtumque genti ſuæ futurum libenter ipſe ſuſceperat & obierat. hoc autem, quod exteris gentibus ſaluti ſuis tandem graui exemplo fore intellexerat, omnino recuſabat. Sed inter alia quæ in ſacris libris citantur, antiquorum temporũ monumenta, hoc etiam Ionæ prius vaticinium deſideratur. Cuius vaticinij illuſtris in Regum libris mẽtio fit: Ipſe reſtituit ter-
» minos Iſraël ab introitu Emat, vſque ad mare ſolitudinis, iuxta ſermonem Domini Dei
» Iſraël, quem locutus eſt per ſeruum ſuum Ionam filium Amithai prophetam, qui erat de
» Geth, quæ eſt in Opher. Cur autem quorundam vatum certi patres in vaticiniis, quorundam verò nulli appellentur, in procemialibus diſputationibus cauſam expoſuimus. Sed ex qua tribu & quo tempore Vates hic fuerit, facilè ex ſacris libris docere eſt. Cùm enim apud

Ieroboamum filium Ioas vaticinij munere functus fuerit, circa annum prioris templi centeſimum octogeſimum ſeptimum floruiſſe conſtat, paulò poſt Heliſæi Vatis obitum, quo tempore Amaſias duodecimus rex Ieroſolymis præerat. Eodem tempore, quantum nobis exterorum hiſtoriæ fidem faciunt, *Tonos Concoleros* trigeſimus octauus rex imperium apud Aſſyrios gerebat, quem Græci Sardanapalum nominant. Hic enim milleſimo trecenteſimo trigeſimo ſeptimo Aſſyrij imperij anno rerum potiri cœpit. forſitan verò eius principis vitio, libidine, ſocordia & negligentia Niniuitarum ciuitas fuerat corrupta, cuius ad ſanam mentem & ad bonam frugem recipiendæ cauſa Ionas à Deo legabatur. Ex Zabulonis verò tribu Ionam fuiſſe appellatum patrij loci nomen declarat. nam Geth quod Latinè torcular ſonat, pluribus vrbibus commune nomen fuit; adiunctis autē regionis aut conditorum aut aliarū rerum nominibus, ſingulis proprium fit, vt Geth Philiſtim, Geth Opher. Atq. ea vrbs, quam Ionæ patriā ſacræ hiſtoriæ deſcribunt, cuiuſdā ex iis regibus, quos Ioſue à ſe victos interfecit, regia fuerat, quæ in hæreditatum partitione Zabulonitarum familiæ Orientalis terminus fuit, ſicut ſcriptū eſt: Et inde pertranſit vſque ad Orientalem plagā ad Geth Opher, & Geth Ceſin. Fuère tamen nonnulli ex noſtris interpretibus, qui quorūdam Hebræorum ſententiā ſecuti Ionam viduæ Sareptanæ, cuius hoſpitio Helias famis tēpore vſus eſt, filium eſſe traderent ex tribu Aſer, ad quam Sarepta oppidū pertinebat, eiuſq. patrem Amithai ex Geth Zabulonitem, matrē verò ex Sarepta Aſſeritidē fuiſſe aiunt, qui ob locorum vicinitatem matrimonio coniungi potuerunt. Ad id verò aſſerendum, quædā nominis Amithai interpretatio ingenioſa magis quàm certa affertur. Nos verò quibus ſacras arcanaſq. literas priuatè, hoc eſt, præter ipſarum apertam aliàs ſimplicemq. ſententiam interpretari religio eſt, cùm nullum certum vnde produci hæc poſſint, locum habeamus, ingenioſi eſſe aut videri nolumus: ſed patrem Ionæ Amithai bis appellatum, & patriam vbi natus educatuſq. fuerit Geth Hhopher aſſcribimus. Nam ſi natus & educatus in Sarepta fuiſſet, Sareptanū potius, quàm ex Geth ſacra ſcripta dixiſſent. Igitur qua matre fuerit, non laboramus, tantùm patris & patriæ certis nominibus contenti. quam verò rem diuinū hoc verbum adornarit, grauem videlicet Niniuitis accuſationem ſubiuncta oratione exponit:

Euſeb. lib. 10. Diod. lib. 1. Iuſt. lib. 1. Oroſ. lib. 1. cap. 2.

Ioſu. 12.

Ioſu. 15.

Surge & vade in Niniuen ciuitatem grandem, & prædica in ea quia aſcendit malitia eius coram me.

NINIVE quam Euſebius Niſibin, Herodotus verò & Græci, Latiniq́ue auctores alij Ninum dicunt, antiquiſſima vrbs Aſſyriæ eſt, à Nino, qui idem Aſſur dictus eſt, cōdita Tygri fluuio ad ſolis occaſum impoſita. Eam autem maximam Aſſyriarum & totius fortaſſe orbis terræ vrbium fuiſſe, & ſacri & prophani auctores tradunt. namq. Moſes huic magnæ cognomen aſſcribit. De terra, inquit, illa exiuit Aſſur, & ædificauit Niniuen & Rahoboth ciuitatem & Chale, Reſen quoque inter Niniuen & Chale, hæc eſt ciuitas magna. In ea ciuitate numen quoddam Niſroc nomine cultum fuiſſe ex ſacris Regū libris accepimus. Aſſur eundem, qui & Ninus dictus eſt, fuiſſe & nomen ipſum apud Moſen indicare videtur, & Plinius ex Zenophoræ teſtimonio tradit. Atque eam etiam à Sardanapalo cultam, magniſq. opibus locupletatam Herodotus indicat. Surgere autem iubetur Vates, vt eo tropo impoſitum ſibi munus ſtrenuè obeundum & maturè incipiendum eſſe intelligeret, neque quo minus imperia exequeretur diuina, aut negotium quodpiam, aut moram aliquam aliam, & cunctationem ſibi eſſe interponendā putaret, cuiuſmodi illud eſt: Surge & aſcende Bethel & habita ibi, &c. Prædicare autem iubetur *in ea*, ſiuè vt Hebraicè legimus, *in eam.* quæ verò fuerit impoſitæ legationis ſentētia, facilè nobis cognoſcere eſt, nimirū, pœnitentiā & morū atq. vitæ correctionē perſuadere, graui alioqui excidio & certiſſimo quā maturrimè perituris, propterea quòd ſuſcepta publicè ſcelera magnum in modum aucta auctores ſuos ad pœnam ſuppliciumq́ue poſtulabant. Hanc autem fuiſſe prædicationis imperatæ ſententiam re ipſa & diuini conſilij rationibus intelligimus. nam miſericordiæ prius & pacis cogitationes cogitare, quàm pœnarum inferendarum decretum figere ſolet Deus. Cui rei Noë & Loth teſtimonium præclariſſimum & grauiſſimum tribuere poſſint, quorū alter vniuerſo orbi, alter regioni, in qua hoſpes fuit, grauiſſimus de diuina primùm miſericordia, deinde etiam contumacibus de ſeueritate fuerat concionator. Atque ex ipſo etiam diuino iuſſu, quo Ionas, vbi periculum euaſiſſet, iterum eandē omnino prouinciam ſuſcipere iuſſus eſt, res ipſa & legationis datæ ſentētia aperitur. Surge, inquit, & vade in Niniuen vrbem magnā, & prædica ei prædicationem eam, quam ego loquor ad te. quo in loco idem atque eodem modo quo antea facere obireq. iubetur. ſed & Chriſtus diuinorum conſiliorum angelus & interpres certiſſimus, Ionam eodē ad Niniuitas, quo ipſe ad Iſraëlitas, legationis genere & tenore, tametſi non pari dignitate auctoritateque & negotio miſſum fuiſſe aiebat; ſe enim pœnitentiæ ad ſalutem, quam ipſe adferebat, præconē apud ſuos eſſe grauiſſimo excidio, ni paruiſſent, perituros. Huius autem formæ legationē Ionæ fuiſſe datam

Herodot. lib 1. & 2. Euſe. Plinius lib. 6 cap. 13. Gen. 10.

2. Reg. 19.

Gen. 35.

Matth. datam legimus. Viri,inquit, Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta,& condem-
» nabunt eam,quia pœnitentiam egerunt in prędicatione Ionæ. Ex quo fit vt eum pœniten-
tiam exigere,contumacibus verò excidium denunciare iuſſum dicamus. nam verbum cla-
Iſai.57. mare ſeu prædicare,quod idem Hebraicè eſt, huiuſmodi ſententiam hoc in loco indicat:vt,
» Clama in gutture,ne ceſſes,&c. Locus ille docet planè quo conſilio clamare vates iubean-
tur.quæ verò addita huic legationi oratio eſt,non tam prædicationis argumentum,quàm
legationis cauſam & orationem indicat. [*Quia aſcendit malitia eius coram me.*] Quid cauſæ fue-
rit quamobrem Vati legatio à Deo orbis & gentium omnium gubernatore ſummo ad Ni-
niuen vrbem Aſſyriorum principem atque maximã data ſit,hac oratione explicatur.Om-
nium autem generum ſceleribus & flagitiis Niniuitas coopertos fuiſſe, vno malitiæ nomi-
רעה ne ſignificatũ eſt. Eſt enim malitia Hebraicè RAGHA,quo verbo quicquid humanæ mẽ-
tes primorum parentum vitio corruptæ mali ſceleris & doli concipere atque admittere ſo-
lent, definitur. quæ res plurimis teſtimoniis doceri cùm poſſit,vno & altero à nobis breui-
Gen.7. tatis cauſa indicabitur. Senſus enim & cogitatio humani cordis in RAGH prona ſunt ab
Gen.31. » adoleſcentia ſua. atque oppoſitum omnino hoc nomen eſſe bono omni, illa diuina ad La-
» ban oratio declarat:Caue,inquit,ne loquaris contra Iacob à bono ad malum. deniq. quic-
quid præter fas,præter diuinum timorem, præter ſapientiæ præſcripta ab impiis admitti-
Prou.c.7. tur,ad hoc genus atque nomen refertur,ſicut ſcriptum eſt: Timor Domini odit RAGH.&
14.14. Sapiens timet & declinat à RAGH. Abominatio Domini cogitationes RAGH. & mens
» iuſti meditabitur obedientiam,os autem impiorum redundat malitiis. Quod verò aſcen-
» diſſe malitiam ait,eam ſententiam habet,adeò ſcelera aucta ab illis eſſe,vt modum omnem
& diuinæ etiam expectationis rationes ſuperauerint,ita vt non vltrà expectandum patien-
tiſſimo & iuſtiſſimo iudici fuerit,quo minus aut pœnitentiam & vitæ correctionem indi-
Pſalm.7. ceret,aut ſeueriſſimum in pertinaciter impios exerceretur iudicium,ſicut ſcriptũ eſt:Deus
» iuſtus iudex fortis & patiens,nunquid iraſcitur per ſingulos dies?Niſi conuerſi fueritis gla-
» dium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit & parauit illum,& in eo parauit vaſa mortis,
» &c. namque aſcendere verbum huius ſignificationis in loco eſt: vt,Interfecti eorum proii-
Iſai.34. cientur,& de cadaueribus eorum aſcendet fœtor. & illud: Inſaniſti in me & ſuperbia tua
2.Reg.19. » aſcendit in aures meas. itaque aſcendere idem quod apud Latinos maximo exuperantiæ
incremento auctum eſſe ſignificat: qua ſignificationis tranſlatione, & à Latinis ſcriptori-
bus,vt à Cicerone in Rhetoricis,vſurpatur,& orationem & ſententiam,& inimicitias cre-
ſcere legimus.ſic adeò omnium generum ſceleribus vltra omnem modum affluentes Ni-
niuitæ notati ſunt, ita vt malitia eorum aſcenderet coram Deo. Quid autem hæc dicen-
di forma *coram me*,ſiue,vt Hebraicè legimus, *ad facies meas*, ſignificet, breuibus exponemus;
quamquam ſententiæ ipſius magnitudo longius multo ſpatium deſiderabat. In primis in
magna eos offenſa apud Deum eſſe,qui tantis ſceleribus & flagitiis ius,fas, honeſtatemque
& pietatis rationes omnes peruertiſſent. namque ſiue in bonum,ſiue in malum,ſiue in gra-
tiam,ſiue in inuidiam hęc oratio *ad facies Domini*, ſeu,*coram Domino* vſurpetur,rem ipſam vehe-
menter auctam ſignificat: quicquid enim vſque adeò creuerit, vt ad cælum aſcenderit,
atque ad diuinum conſpectum vſque peruenerit, quò vlterius aſcendat, non videtur ha-
Pſalm.9. bere. atque hac ſignificatione Nimrod venator robuſtus coram Domino; & Noë
» iuſtus etiam coram Domino dicitur. deinde etiam Dei erga orbem vniuerſum cu-
» ram & prouidentiam hæc oratio manifeſtè arguit; cuius oculos nihil aut fugere, aut
Pſalm.33. fallere, aut latere poſſit, ſicut ſcriptum eſt : Iudicentur gentes in conſpectu tuo, & vul-
tus Domini ſuper facientes mala, & huiuſmodi ſexcenta. Illud autem maximam præter
cætera ſignificationem habet, quod ex rerum vſu & ſacrorum librorum lectione obſerua-
uimus.quemadmodum à Deo hominum res actionesque omnes ſuis libris & ponderibus
examinentur & perpendantur, atque iuſta æquitatis ſententia iudicentur, neque aut vſu,
conſuetudine,aut auctoritate,aut dignitate,aut metu,odio,gratia, aut inuidia,ſtultáue ali-
qua opinione diuinum de rebus iudicium corrumpatur:velut humanum perſæpe corrum-
pitur.Etenim non rarò accidere videmus,vt quæ in priuatis & publicis hominum moribus
dubio procul mala,inhoneſta,atque iniurioſa ſunt,vel quòd aſſiduo iam vſu peruulgata &
communia omnibus ſunt,vel quod à principibus & potentiſſimis hominibus admiſſa, ta-
men honeſtis aut leuibus nominibus diſſimulentur,aut etiam legibus latis & pœnis propo-
ſitis defendãtur, ita vt conſuetudinis nomine vitium decoris & vis atque iniuria iuris ap-
pellatione dicantur.contrà etiam ſimplicitas & virtus vera atque probitas humillimis, aut
etiam turpibus nominibus notentur; neque cuiquam qui de rebus ſapienter iudicauerit,
quicquam contra receptas vulgo opiniones, aut contra ea quæ edicto & legibus & conſue-
tudinis cautione firmata fuerint,mutire liceat. nihil autẽ omnino huiuſmodi peruerſitatis
diuino

diuino iudicio puriſſimo, naturaque ſua rectiſſimo atque ſimpliciſſimo accidere poteſt, ſic- Pſalm. 9.
ut ſcriptum eſt: Sediſti ſuper thronum, qui iudicas iuſtitiam. &, Iudicia Domini veritas iu- Pſalm. 19
ſtificata in ſemetipſa. Hoc modo cùm vniuerſus orbis quondam hominum ſceleribus & "
flagitiis opertus eſſet, atque ea res potentia, tyrannide, atque conſuetudine minus moleſtè
publicè ferretur, aut etiam iucundis, aut honeſtis, aut præclaris magnitudinis & dignitatis
& gloriæ ſpeciebus commendaretur: Erant enim homines comedentes & bibentes, & nu-
bentes, & nuptui tradẽtes. quæ verò propter huiuſmodi cauſas admitti ſoleant ſcelera quis
ignorat? aut admiſſa his nominibus quotuſquiſque eſt qui improbet, & ſeuerè coërcenda
vindicandaque eſſe iudicet? ſed tamen hæc & quæ ab huiuſmodi initiis profecta ſunt om-
nia à cenſore & iuſto iudice Deo grauiſſimo illo ignominiæ nomine hhamaz notata ſunt, "
ſicut ſcriptum eſt: Corrupta eſt autem terra coram Domino, & repleta eſt iniquitate: ita au-
tem ſuis nominibus & cenſuris ſingula vt notentur, non ad humanam opinionem aut gra-
tiam, ſed ad diuinum potius iudicium reuocanda eſſe ſacris ſapientiæ inſtitutis & exemplis
docemur. Quamobrem ſapientiſſimus ille Dauid leuitatis & futilitatis ſummæ ab vxore
notatus cauſæ ſuę cognitionẽ à mulierculis, quas illa iudices conſtituerat, ad Dei æquiſſimi
rerum æſtimatoris conſpectum & faciem tranſtulit. Quàm glorioſus (inquit illa) hodie fuit 2. Reg. 6.
rex Iſraël diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum, &c. quam accuſationẽ huiuſmodi gra- "
uiſſimo principio Rex debilitare exorſus eſt. Ad facies Domini, qui elegit me potius, quàm
patrem tuum & quàm domum eius omnem, &c. Itaque illa oratio, *coram Deo*, ſiue *ad facies
Dei*, rei magnitudinem & diuinam prouidentiam, æquamque atque exactam rerum æſti-
mationem ſignificat. quam ob rem Niniuitarum ſcelera & ſi minus fortaſſe ipſis, à quibus
admiſſa eſſent, grauia viderentur; diuino tamen iudicio grauiſſima erant, & quæ vel matu-
ram pœnitentiam, vel celerem pœnam poſtularent. namque à Zamci Ninia Semirami-
dis filio triginta quatuor Aſſyriorum reges ad Ionæ ætatem vſque numerantur, quos Ni-
niæ exemplo molles, & præter regiam dignitatem multarum deliciarũ fuiſſe, hiſtorici ſcri-
bunt, ſed vltimum Sardanapalum virum muliere corruptiorem dicunt, cuius regiam Ni-
niuen fuiſſe Herodotus eſt auctor. facilè autem populus, maximè verò is in quo rex habi-
tat regis & principum luxuria, aut ſegnitie & ſocordia, aut ſtudiorum imitatione ad maxi-
ma flagitia corruptus dilabitur. Terram enim commoueri & tremere regnante ſeruo in ſa- Prouer. 30.
cris & antiquis prouerbiis eſt. neque vllam eſſe certiorem aut magis propriam regij officij Prouer. 21.
peruertẽdi cauſam, quàm ſi rex vino, & libidinib. luxuriisq́. diffluat. Igitur Ionas cùm Deũ
pœnitentibus placatu facilem cognoſceret, atq. ſe non perdendi ſed reuocandi atque corri-
gendi cauſa mitti intelligeret, Iſraëliticarum rerum ſtudio impoſitum munus ſubterfuge-
re, atque diuinum conſilium morari cupiens animo & cogitatione, atque omni conatu &
opera locum ad exulandum ſibi commodiſſimum & remotum delegit: eamq́. rem proti-
nus adornabat, neq. quid retro fieret, laborabat, & dummodo ſe huic Niniuitarum ſalutis
negotio ſubtraheret, an alter præficiendus eſſet, minimè curabat. Qua in re illud conſidera-
re operæpretium eſt, facilè à vatibus intelligi gentes ad reſipiſcendum, atque ad fidem diui-
nis legationibus habendam, multò eſſe quàm Iſraëlitas animo promptiores, facillimeque
illis de diuino iudicio perſuadendum eſſe, ſicut & re ipſa euenit; vna enim vix plenè obita
legatione Niniuitæ ſcelerum pœnitentia ducti ad bonam frugem ſeſe recepêre. quam rem Matth. 12.
& Chriſtus Iudæis exprobrat: Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cũ generatione iſta, & con- "
demnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ &c. Hanc autem rem
animo à Vate cogitatam fuiſſe, ipſe tandem ſuo loco manifeſtè declarabit.

Et ſurrexit Ionas vt fugeret in Tharſis à facie Domini, & deſcendit in Ioppen, & inuenit nauem euntem in Tharſis, & dedit naulum eius, & deſcendit in eam, vt iret cum eis in Tharſis à facie Domini.

CELEBERRIMA quondam atq. omnium aliarum nationum frequentiſſima & feli-
ciſſima Phœnicibus nauigatio fuit, quos & primos & antiquiſſimos eius artis inuentores
fuiſſe, ab vniuerſis ferè auctoribus traditur. hi enim maritima loca incolentes & cõmodita-
te & aſſiduo vſu atq. ſtudio tranſmarina negotia conficere & mercaturã quæſtuoſiſſimam
hoc modo facere potuêre, atq. hac opportunitate & ſuarum gentium colonias in Gręciã, in
Italiam, & Africam deduxêre, ſicut ſcriptũ eſt: Filij Iauan, Eliſſa & Tharſis & Chetim &
Dodanim, de quibus coloniis alio in loco dicemus. Tharſis autẽ eã Africæ partẽ vbi Car-
thago olim fuit, portu & maximo emporio celeberrimã, atq. inde ad Oceanũ vſq. porrectã
mediterranei maris orã dici, productis ex ſacra & peregrina lectione argumentis aliàs doce-
bimus Deo votis noſtris annuente. Igitur in Africam commigrare dum cogitaret Ionas,
Ioppen Hebraicè IAPHO, noſtro tempore Iapha dictam vrbẽ Syriæ antiquiſſimã & tu-
tiſſimo portu celebrem adiuit, de quo ſæpe in ſacris & in prophanis ſcriptoribus mentio
fit; ad quem portum quę reſtituendo templo commoda ligna à Tyriis cęſa aduehebantur,

appellabant

appellabant. Omnis autem hæc omnium ſigillatim rerum narratio quòd Vates ſurrexerit, quòd fugere in Tharſis conſtituerit, quòd in Ioppen deſcendens oblatá ſibi opportunè nauem conſcenderit, quòd mercedē pro vectura atq. pro omni commeatu, ante etiam quàm abſoluta eſſet nauigatio, perſoluerit, eò pertinet, vt certo deliberatoque conſilio & magno etiam ſtudio ea Vati fuga parata fuiſſe intelligatur, quem neq. in via, dum in Ioppē deſcenderet, neq. dum maris difficultatem cognoſceret, quæ nemini non formidoloſa eſt, aut temerè adiri ſolet, neq. dum ſumptū ſibi ad eam rem faceret, neq. dū naui conſcenſa nauigare inciperet, propoſiti pœnituit, ſed neq. dum periculum etiā illi eſſet neceſſariò ad eundum, vt ſtatim res ipſa declarabit. Operæpretiū autem erit locū hunc diligētius excutere, & Vatis in hac re conſilium atq. inſtituti rationē exquirere. nam neq. vir hic tam rudis tamque ignarus rerum, tam expers conſilij aut ingenij erat, qui vllas in toto orbe latebras eſſe putaret, in quibus ſeſe diuino è conſpectu euolans occultare poſſet. ſiquidem prophetico ſpiri-
Pſalm.71. tu auctus ignorare minimè id potuit, quod ex ſacris carminibus vel ſæpe in tēplo decanta-
» tis vel imperitiſſimo cuiq. de media plebe peruulgatū fuerat: Benedictū nomen maieſtatis
» eius, & replebitur maieſtate eius omnis terra; & dicat omnis populus, Amē. & quod à Pſal-
Pſalm.138. te eſt elegantiſſimè dictum, cuinā Iſraëlitarum eſſe potuit ignotum? Quò ibo à ſpiritu tuo,
» & quò à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cælū tu illic es, & ſi deſcendero in infernum ades,
» ſi ſumpſero pennas diluculò, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua de-
» ducet me, & tenebit me mirabiliter dextera tua. nedū celeberrima & hominibus frequen-
Pſalm.73. tiſſima loca, qualis Tharſis fuerat, Vatem, neq. homines ipſos latentem occultare credatur.
» Igitur non diuinum conſpectum, hoc eſt prouidentiā Ionas fugere cogitaſſe dicendus eſt.
» Quoniam verò interpretes quoſdam in hoc loco explicando nimiū ingenioſos eſſe video, quoſdam verò difficultatis laqueos declinantes, nihil omnino de hac re dicere, neq. horum ſilentium neq. illorum cōpoſitam in ſpeciem orationem, ſed noſtrum planè propoſitū vrgere placuit: vt ex ipſis ſacris literis explicandarū rerum rationes petamus; id autē quo ſimplicius & breuius, eo commodius factum iri arbitramur. Igitur ex multis ſignificationibus quas non ſine certa quadam ſimilitudine hæc oratio ante conſpectum aut faciem Domini habet, vna eſt, quæ ad prophetas atque huius generis diuini conſilij miniſtros refertur, qui quamdiu officio funguntur ſuo, ſtare ante conſpectum Domini dicuntur, quòd diuino numini & ſpiritui ſeſe illis inſinuanti fidem promptam expoſitamque præbeant, faciliq́ue ac libenti obſequantur animo, ita in ſuſcipiendis & tranſigendis negotiis diuini conſilij & voluntatis egregiè fideles ſeſe miniſtros præbeant. atque hanc ſententiam non ſolùm re ipſa,
1.Reg.5. ſed oratione etiam nobis Heliſæus expoſuit: Viuit Dominus ante cuius faciem ſto, quòd
» non accipiam, &c. Ad hanc etiam ſententiam illud pertinet quod de Cain ſcriptum eſt: Et
» egreſſus eſt Cain à facie Domini: quam ſuo loco Deo deducente explicabimus. atque hæc res hunc Ionæ locum facilè apertum exploratumque reddit. quem locum Chaldaicè ſic legimus: *Vt fugeret ad mare potius, quàm prophetaret in nomine Domini.*] Namque in hoc negotio atque in Niniuitarum cauſa Vatem Dei voluntati & officio ſuo deeſſe voluiſſe oſtendit, atque hoc conſilio non modò ſolum vertere, ſed ad aliud etiam ſtudium vehementer à vaticinij rationibus alienum ſeſe transferre cogitauit. Mercaturam enim facere, atque eam negotiorum & rerum conſuetudinem exercitationemq́ue capere, quæ non cum prophetico ſolùm munere, ſed cum omni ſapientiæ ſtudio, cum omni liberali arte vehementer pugnat, cùm cupiditas, cui nihil ſatis eſt eorum qui huiuſmodi vitæ genus ſequuntur,
Ezech.27. animos occupet totos, vt neque bello etiam ad res ſuas defendendas habiles eſſe ſinat, vt apud Ezechielem de Tyriis eſt. Quòd verò hoc ageret Ionas, argumento eſt nomen Tharſis ſtatim principio conſilij indicati appellatum, ad quem locum commigrare in animo ſtatuerat ſuo: namque Tharſis, vt diximus, mercatorum & ne-
Ierem.10. gotiatorum celeberrimus conuentus, & maximum totius Aphricæ emporium erat.
» quam ob rem naues Tharſis in ea ſignificatione antonomaticè appellantur, quòd pretioſiſſimarum rerum commercium eo in loco eſſet, ſicut ſcriptum eſt: Argentum inuolu-
Ezech.27. tum de Tharſis affertur. & apud Ezechielem: Carthaginenſes negotiatores tui à multitudine cunctarum diuitiarum argento, ferro, ſtanno repleuerunt nundinas tuas. & ſicut noſtra ætate quicunque Ophiren ſiue Periunta naui aduehi dicitur, is aurum petere ſolo na-
1.Reg.10. uigationis & loci nomine audito arguitur; ita olim Tharſenſis nauigatio quam ob rem
2.Paral.9. ſuſciperetur facilè cognoſcebatur. Eius autem nauigationis & cauſæ frequens in ſacris libris mentio eſt. namque claſſem Salomonis regis vnà cum Hyram Tyrij claſſe tertio quoq. anno cum mercibus & oneribus eò commeantem aurum, argentum, ebur & ſimias & pauos aſportare ſolitam legimus. Neque verò incredibile videri debet huiuſmodi conſilium Ionæ in mentem veniſſe, vt à facie Domini fugere apud ſe ſtatuens, hoc eſt iniuncto ſibi

munere

muneri & officio deeſſe, hæc omnia fuerit molitus.namque diuinus vaticinij ſpiritus non ita humanos animos afficit, vt cogat etiam inuitos & repugnantes velut iumenta quà velit impellat & agat, ſed vel ſi maximè illis mentem aliquam iniiciat, vel oratione aut monito imperet, liberas tamen homini cogitationes & conatus relinquit, ita vt ſi non perficere, tamen velle & cogitare, & conari aliquid contra diuinum conſilium poſſint: atque in ea re Vatis obſequium ſpectari & meritum conſtare poteſt, quamuis durum, quamuis viribus ſuis impar impoſitum onus, tamen neque inuitus, neque coactus, ſed obſequutus tandem ſumma religione & fide ſubeat, & cum diuino auxilio perferat. Itaque quam in ſeruitutem vates veniunt, non obedientia fracti animi & abiecti, & arbitrio carentis ſuo eſt, ſed qualis à pio, fideli, & conſtanti animo præſtari poſſit; cui tamen ſi collibitum fuerit, deeſſe poſſint. Libera igitur voluntate diuina imperia vel revereri & exequi, vel auerſari poſſunt. Cùm enim Balaam ſeſe ab ea ſententia non eſſe dimouendum, cuius rationes numen ſuggereret, profeſſus eſſet, tamen auaritia corruptus aliam tandem rem egit. Poſſunt igitur vates, quorum liberæ (vt diximus) cogitationes ſunt, Dei voluntati obedire & parêre, aut rurſus etiam deeſſe, ſi velint. neque enim ita afficiuntur, vt brutorum more impellantur, ſed vt libertatis retento iure iubeantur. qua in re & obſequium & religionem & fidem animique conſtantiam & fortitudinem, aut etiam inobedientiam, infidelitatem, timiditatem & pertinaciam experiri eſt: ita fit vt vaticinandi ſpiritus ſine libero & certo ipſius Vatis motu agere non conſueſcat, ſicut ſcriptum eſt: Dominus Deus aperuit mihi aurem, & ego non contradico, retrorſum non abij. cuius planè ſententiæ illud eſt: Et ſpiritus prophetarum prophetis ſubiecti ſunt. Poteſt quidem Deus infidelem miniſtrum, negligentem atq. onus detrectantem aut ab ordine recedentem officiumque deſerentem ſuum vel oratione & monitis, vel minis, aut terroribus, vel pœnis etiam ad ſanitatem, atque officij fidem reuocare, & ad ſententiam conditionesque ſuas aliis modis perducere. cuius rei exempla in Moſe, Helia, Ieremia & Paulo expoſita ſunt. Poteſt obſtinato animo aut ſtulta mente ab officij fide & dignitate deficientes punire atque etiam perdere: cuiuſmodi Balaamus, & ille alter quem à legatione ex Bethel redeuntem leo dilaniauit, exitus habuerunt: vt verò nolente & repugnante animo à Vate res agatur, nullum huiuſmodi aut diuini conſilij aut facti nobis hactenus exemplum contigit. etenim vox illa diuina, Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare, illam in electi & correpti etiam miniſtri orationem obedientiæ religionis officiique teſtem deſiderat, Domine quid me vis facere? Atque de Ionæ conſilio & ſententia, de vatum libera cogitatione, de diuina in eo onere imponendo voluntate, & agendi aut impellendi ratione & modo, & de toto hoc genere ſatis pro interpretandi anguſtiis dixiſſe videmur. Nunc verò deinceps quemadmodum Deus conſilia ſua ad deſtinatos exitus prouehere ſoleat, illuſtre admodum exemplum intueamur, vtque nulla rerum natura præter hominum genus ſit, quæ Dei dicto & nutui parentem promptiſſimamque ſeſe non præbeat, cùm tamen homines hoc genere cæteris omnibus rebus præſtare anteireque oportuiſſet.

Iſai. 50. 1 Corinth. 14. Act. 9.

Dominus autem miſit ventum magnum in mare, & facta eſt tempeſtas magna in mari; & nauis periclitabatur conteri.

MAGNA & copioſa eſt de diuinis miraculis, de ſignis, portentis & prodigiis, de omnibus huius generis natura & ratione diſputatio, & quæ pars hunc locum attingit, integram profectò tractationem, iuſtumque opus deſiderat, quam nos in aliud commodius tempus conſultò differimus, illud ad hanc rem tantùm dixiſſe contenti, ſolere ſæpenumero Deum iiſdem illis rebus in mirabilium oſtentorum, & prodigiorum edenda ratione vti, quæ res ſecundum naturam aliàs ſine miraculo eſſe conſueuere, vt pluuiis, fulgetris, tonitruis, ſolis, luminariumque obſcurationibus & affectionibus, aliiſque plurimis huiuſmodi tempeſtatibus, quarum tametſi genus ſecundum naturam eſt, exiſtendi tamen ratio, opportunitas, commoditas & modus præter certam naturæ obſeruationem mirabile aliquod oſtentum prodigiumque arguit. cuiuſmodi nobis exemplum hoc in loco proponitur, quo diuina præſentia non ſolum Ionæ fugienti, qui diuinas res probè edoctus erat, ſed nautis etiam atque aliis vectoribus declarata eſt, & Vates ipſe correptus à ſententia & propoſito deterritus, atque ad religionis obedientiam eſt reuocatus. Multas eſſe ſecundum naturam cauſas, quamobrem procellæ tempeſtateſque in mari concitentur, & qui de his rebus ſcribunt, docuêre, & nauigandi peritiſſimi, quales olim Phœnices dicti ſunt, cognouêre: aut enim conceptus intra maris penetralia aër, dum exitum quærit, liquidam & mobilem naturam, quoad eruperit, conturbat, atque etiam donec totus efflauerit, exagitat; aut à terra incumbens ventus, aut tẽporis importunitate immoderatè excitatus vi atque impetu mare agitat & turbat. huiuſmodi aliæ cauſæ ſæpe à peritis ſpectatæ ſunt: quarum certæ etiam præſagitiones

Te Chriſte dux, ô te ſequor arduis
In rebus, & me muneribus tuis
Conteſtor auctum, vni tibi me,
Quidquid ero, referam benignè.
Ac iam perennes quid ſine te mei
Poſſent labores? quid iuuet integros
Dies, quid annos inquietos
Ponere conſiliis profundis?
Nam ſic & amplis flaminis Abdias
Eductus olim muneribus tui
Fertur & è cæcis tenebris
Inſano & patriæ ſtupore.
Hic cùm Seiri ſaltubus ac iugis
Mentita leui marmore numina,
Vel ære fallaces Deorum
Stultior effigies timeret:
Vocatus almæ lucis ad aureos
Cognouit vſus, ac ſapientiæ
Sacrariis primis receptus
Emicuit pius atque doctus:
Regum deinde obſcura negotia, &
Aulæ repellens vincula principis:
Quæ nectit ardens aut cupido, aut
Ambitio malè ſana iungit.
Iam mente celſum tranſuolat & polum, &
Ignota rerum peruidet abditis
Admiſſus arcanis, tenetq́;
Secula temporibus remota.
Sermone doctus dicere grandia
Anguſto, apertis vocibus explicat
Cauſas, & euentus malorum, ac
Fata ſuis populis tremenda.
Et quantus inſtet mœnibus ac viris
Horror, negato & ſubſidio labor,
Vt ſemper infeſtos tyrannos
Præcipites maneant ruinæ.
Non tantus altis montibus it fragor
Findente nubes fulmine turbidas,
Ardens nec ignis tot fauillas,
Dum ſegetem populatur, edit;
Quantum impiarum crimina mentium
Momenta rerum plurima conterunt,
Molesq́; cælo comminantes
Concutit inuidiæ procella.
Liuor beatis inſidiis parat
Rebus, quietos nec patitur dies,

Fratrem dolis petitum & vnà
Artificem ruit ille ſuum.
Teſtis Cainus perfidus impio
Auſu & nefandi progenies Noë
Cùm penè tabet ipſa tellus
Temporibus, viduata iuſtis.
Sed quid furenti barbite concitus
Culpas nocentum perueheris pede?
Quòcunque praducit ſerenus
Spiritus, hinc potius ſequamur.

BENEDICTI ARIÆ MONTANI IN IONÆ VATICINIVM PRÆFATIO,

DE MISERICORDIA.

QVICVNQVE *de diuina natura diſſerendi negotium ex ſacris & veris oraculis piè & ſapienter obière, adorata in primis tanta maieſtatis ſanctitudine, & humanis in hoc mortali corpore mentibus inacceſſibili luce procul ſalutata, quantum exacta, explorata & limata iiſdem oraculis & validiſſimis natura rationibus veritas ſeſe illis permiſit tractandam, prater alia, qua ad eandem diuina natura contemplationem pertinent, omnes in eam ſententiam diſputauêre, vt diuinam naturam vnam, ſimpliciſſimam, immenſam, omniq́ꝫ ex conſiderationis parte infinitam eſſe affirmarent, cui nihil aliunde accedere aut inharere, nihil detrahi aut abeſſe poſſit, nihil ineſſe, quod aut nouum, aut à ſeipſa alienum, aut denique non ipſa eadem diuina natura ſit. Cùm autem omnis natura rerum ratio in duo prima genera a philoſophis ſit diſtributa, quorum alterum ſubſtantia, alterum accidens dicitur, prioris illius rationes optimas. poſterioris verò nullam Deo aſſeripſere. Itaque Deum ſubſtantiam ſimpliciſſimam, cui nullum poſſit accidens ineſſe, dixêre, ſicut ſcriptum eſt: Audi Iſraël, Dominus Deus tuus vnus eſt. Cùm verò Deus ſubſtantia & non accidentis nomen ſit, vnam eſſe eam naturam ita vnã, vt Deus eſt, hoc eſt, tanta perfectione vnã eſſe, quanta Deus ſit, cui quod perſonis diſtincta tribus eſt, nihil obſtet, quo minus vna, puriſſima ſimpliciſſimaq́ꝫ natura & ſubſtantia ſit. Neque verò vllum earum, qua ei natura attribuuntur, virtutum accidens ipſi ineſſe, neque incrementa admitti, aut detrimenta accedere poſſe, neque aliam magis, quàm aliã adſcribi virtutẽ. quando hac res cũ diuina atq. infinita natura, & cum excellentioris ſubſtantia, qua propriè ſubſtantia eſt, rationibus pugnet. fieri autem poſſe, vt omnes aliarum rerum ſimplicium, & puriſſimarum etiam ſubſtantiarum natura, quales cali & aſtra ſunt, confuſa & diſſipata immutentur & pereant; vt verò Deus aliqua ratione immutetur, fieri non poſſe, quoniam cateris naturis omnibus aliquid accedere accidereq́ꝫ potuerit, & ſi nihil aliud, tamẽ quòd orta creataq́ꝫ fuerint, quòd annos temporaq́ꝫ quandiu ſint certa habuerint, quod vt ſint, vtq́ꝫ maneant non à ſeipſis, ſed ab auctore opificeq́ꝫ ſuo habeant. Deo verò nihil horum conuenire, qui ſolus à ſe ipſo cùm ſit, principio fineq́ꝫ careat, & atatem ſuam non ad tempora, ſed ad immenſam referat aternitatem. Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt celi; ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos & mutabuntur. Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Verùm enimuerò, quanquam ſpectati in aliis rebus Deo auctore effe-*

ctus varias in eo virtutes vt cauſas nobis indicauerint, quæ aliis atque aliis nominibus humano cogitandi & loquendi modo dictæ; varias de eo rationes ſenſu & cogitatione nobis comprehendendas incitare videntur; tamen eorum effectorum, quos varius nobis vſus, & multiformis perceptio indicat, vna ſimpliciſſima cauſa & exiſtendi ratio ipſum numen diuinaq; natura eſt, quatenus infinita, quatenus ſimpliciſſima, denique quatenus diuina eſt. Vt autem plurima alia, quæ ad diuina contemplationem naturæ ſpectant, non tam propriis, hoc eſt diuinis, quàm noſtro ingenio accommodatis rationibus & nominibus cogitare & appellare contingit, ſic etiam ea, quæ non niſi accidentium imaginibus & verbis percipi à nobis enuntiariq; commodè potuêre, ad eaſdem imagines & formas dicendiq; figuras referri nefas non fuit. Ex qua re factum eſt, vt rationes de Deo omnes, quæ re ipſa vna natura, nempe Deus ipſe ſunt, cogitatione verò ſi ad obſeruandos effectus referatur numerus, infinitæ atque incomprehenſæ, tamen diſciplinæ & comprehenſionis cauſa ad tria velut generum capita ſint reuocatæ, ſapientiam & potentiam (ſiue eam virtutem ſiue efficaciam appellare magis placeat) & bonitatem. quorum ſingula, quemadmodum certis ex rationibus ad ſingulas trinitatis perſonas (in quibus diuinam ſimpliciſſimamq; naturam ſalutantes adoramus) referantur, non huius modi, aut loci, aut conſilij diſſerere eſt. Sed cùm æquales omnino & pares huiuſmodi virtutes in Deo ipſo ſint, vt ipſe ſibi æqualis, par, ſimillimus, idemq; ſemper eſt, ex ea tamen ratione & parte, qua nobis vſui ſunt, alias aliis maiores iudicari, argui, prædicariq; voluit, eas nimirum, quarum commoda magis & opportuna nobis cognitio, frequentior & crebrior vſus, atq. ad percipiendum noſtro in hac mortali vita ingenio maior facultas, & ad optime de nobis merendum propior & certior exercitatio eſt. Ex qua re illud vſu euenit, vt diuinæ potentiæ (quam dicimus) indicia atque argumenta illuſtria nobis magis & nota, quàm ſapientiæ ſint. Nulla enim vel maxima, vel minima eſt earum, quæ factæ ſunt, rerum, quæ nō auctorem ſuum ipſa teſtetur & prædicet, illiusq; ad efficiendum virtutem planè arguat: quemadmodum verò facta, aptata, editaq; vnaquæq; ſit, in paucis admodum eſt exploratum, ipſa quidem rerum ſpectacula omnium artificem ſuum manifeſtè probant, neque enim præter primam cauſam vlla res eſt, quæ cauſa caruiſſe affirmari poſſit; ſed quo modo, quo conſilio & ratione ſingula ſeorſum, atque omnia ſimul inſtituta a Deo profecta, cœpta perfectaq; fuerint, cur his potius, quàm aliis partibus, modulis & ponderibus conſtiterint; cùm tamen, vt valde bona
Iob 37. *omnia eſſent, his conſtitiſſe oportuerit, quotuſquiſque eſt, qui id planè perſpectum exploratumq; habeat? Nunquid ſcis, inquit, quando præcipit Deus pluuiis, vt oſtenderent lucem nubium eius? nunquid ſemitas nubium magnas & perfectas ſcientias? nónne veſtimenta tua calida ſunt, cùm perflata fuerit terra auſtro? Tu forſitan cum eo fabricatus es cælos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt? Oſtende nobis, quid dicamus illi; nos quippe inuoluimur in tenebris. ita adeò potentiæ, quàm ſapientiæ ſuæ apertiores multo nobis rationes eſſe Deus voluit. rariſſimi quippe in terrarum orbe homines ſunt, quibus Deus ſeſe totius mundi opificem, vel rebus ipſis auditis non arguat; ad eius verò ſapientiæ ſacraria, niſi ab eodem admiſſus, qui penetrauerit, nullus omnino eſt. namq. ad potentiam cognoſcendam affectus ipſi ſpectati ſatis eſſe poſſunt; ad ſapientiā verò perſpiciendam non ſatis id fuerit, niſi cauſæ etiam & elementa, momenta, initia & fines, rationesq; omnes explorentur, quæ omnia non ſenſu vt effectus, ſed maxima ingenij animiq; intelligentia contineri poſſunt. Hoc autem ex eo euenire arbitramur, quòd ſapiētiæ, quàm potentiæ ratio ipſam diuinam naturam, qua ipſa ſibi ipſi maxima eſt, ſpectare propius videtur; cætera verò rationes ad ea, quæ extra ſunt, effectu ipſo magis referuntur: vt potentia, vt miſericordia; neque enim vllus miſericordiæ vſus erga ſeipſum eſſe oſtenditur, & potentia etiam non ita perſpicuus, ſi ad eum referatur, indicatur vſus. Miſericordiæ enim exercitatio ad pietatis cultores pertinet, potentiæ autem in omnium aliarum rerum naturis edendis conſeruandisq; ſpectatur. Et miſericordia eius ab æterno vſque in æternum ſuper*
Pſalm. 64. *timentes eum. Potentia etiam accinctum Deum ſacra carmina deſcribunt. Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia qui conturbas profundum maris, motum etiam fluctuum*

fluctuum eius tu mitigas. At verò præter cætera genera omnia, præter ſapientiam & vir-
tutem ſiue potentiam, miſericordiæ ſuæ rationes maximas & illuſtriſſimas, longè pluribus,
maioribus & apertioribus argumentis teſtatas Deus nobis eſſe voluit, quòd ea diuina vir-
tus mortalibus omnibus, imò rebus, quæ creatæ ſunt cunctis maximo & aſſiduo vſui ſit;
quaq; non ſolùm maximo & præſtantiſſimo ingenio virtuteq; pollens, ſed humillimus, infi-
mus atque miſerrimus quiſque plurimum indigeat, opportunéq; vti atque frui poſſit. Et-
enim aliæ partes diuinam naturam in ſe ipſa admirandam: hæc verò nobis adorandam, co-
lendam, aſſiduis continuiſque laudibus ſuſcipiendam probat, illæ præſtantiã excellentiãm-
que ſuam prædicant, hæc inopiæ noſtræ ſubleuandæ ſtudium voluntatémque confirmat: de-
nique hæc ea pars eſt, quam maximè nobis notam perſpectámque eſſe expediat cuius ma-
ximè multas expeditiſſimas eſſe rationes conducat: atque vt ad certam cogitationem vni-
uerſa reuocetur res, cùm Deus ex omni natura ſua contemplatione bonus eſſe intelligatur,
præcipuo quodam tamẽ iure bonitatis ratio & appellatio huic parti attributa eſt, ita adeò
cùm ſæpe maximus & optimus appelletur, duob. illis generibus ſapiẽtia & virtute ſiue po-
tentia maximus, hoc verò tertio, quam bonitatẽ nominamus, optimus dicitur: duobus illis
in altis habitare perhibetur, hoc tertio humillima quæq. in cælo & in terra reſpicere prædi-
catur. Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & “
in terra? Huius verò partis exempla & momenta maxima hominum generi frequentibus, ” Pſalm.
opportunis atque illuſtriſſimis conſiliis, rebus, actionibus, ſermonibus, & teſtimoniis pro-
bata confirmatáque eſſe Deus voluit, cui generi à ſe vehementer, præter cæteras, quæ con-
ditæ ſunt, rerum naturas, amato partem hanc maximè neceſſariam eſſe intellexit, atque
in cæteris quidem rebus ſuis omnem aliam naturam infinito interuallo ſuperare; in hac ſua
verò de miſericordia declaranda, atque præſtanda voluntate ſeipſum vincere exiſtimari &
decantari gaudet, ſicut ſcriptum eſt: Suauis Dominus in vniuerſis, & miſericordia eius ſu- Pſalm. 144.
per omnia opera eius. Quicquid autem de cæteris duabus partibus hominibus cognoſcere “
contingat, ſiue id magnum, ſeu paruum ſit, non adeò refert, dummodo vtiliſſima & expe- “
dientiſſima hæc pars, in qua bonitas & miſericordia elucet, in qua natura omnis, maximè
autem humana, vtilitas & ſalus poſita paratáque eſt, notiſſima omnibus, & præter alia
egregiè explorata ſit. Cæteris enim partibus vel adoratione vel admiratione excipiendis
ſatisfieri à mortalibus poſſe; huic verò vni, niſi magnitudinis iudicio & præconio, non vide-
tur poſſe ſatisfieri. Ex qua re euenit, vt cùm à ſacris auctoribus hæc genera tractentur, pri- Pſalm. 34.
ma illa duo honorifica & admirationis plena mentione, hoc verò tertium illuſtri aliqua “
cõmemoratione, & explicatiori magnitudinis aut multitudinis, aut diuitiarũ præconio ce- “
lebretur. Domine in cælo miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes. Iuſtitia tua ſic- Rom. 2.
ut montes Dei, iudicia tua abyſſus multa: homines & iumenta ſaluabis Domine, quem-
admodum multiplicaſti miſericordiam tuam. Diuus etiam Paulus hoc genus benignita-
tem, longanimitatem, diuitiáſque diuinas appellat. Denique de illis duobus aut pauca à
mortalibus ſciri, aut plurima ignorari, neque mirum, neque incommodum valde, imò for-
taſſe etiam expediens aliquando eſt, de hoc verò non plurimas atq. maximas rationes te-
nere longè fuerit incommodiſſimum. Atque huius generis non ſolùm frequentiſſima atq.
illuſtria exempla aſſiduè re ipſa & vſu edi, ſed ſanctorum etiam virorum, maximè autem
vatum, quibus humanæ ſalutis prædicandæ & annuntiandæ legatio data fuit, plurima &
grauiſſima teſtimonia conſtare diuino conſilio decretum eſt. namque diuinorum huiuſmo-
di miniſtrorum præcipuæ partes fuerunt, abundantem diuinæ miſericordiæ rationem mor-
talibus explicare & petendam proponere. cætera autem omnia, quæ ab illis tractata ſunt,
vel ad hanc commendandam & probandam partem, vel ad eandem defendendam &
propugnandam, atque à peruicaciſſimorum hominum dubitatione, aut accuſatione vin-
dicandam pertinent: ſiquidem horum ferè omnium illud vnum commune argumentum &
ſtudium eſt, homines ab errore & tenebris ad fidei & pietatis obſequium & ſtudium, mi-
ſericordiæ obtinendæ cauſa, reuocare, in eáque diuinæ miſericordiæ virtute & benignitate

prædicanda plurimum operæ & diligentiæ præſtare; tardiores verò & negligentiores grauibus minis, non tam ob ante obiectum errorem, quàm ob diuinæ miſericordiæ neglectum beneficium terrere: ſuperbos autem & cōtumaces ut ſupplicijs digniſſimos declarare, quæcunque eos, qui oblatam vltro miſericordiam repulerint, maneant; ita vt non Dei odio, maleuolentia, aut negligentia, ſed ſua ipſorum culpa damnati arguantur. nam qui maximum & certiſſimum ſalutis, quod ipſe ſibi molitus fuerit, periculum certiſſima propoſita ſpe admonitus & reuocatus inire magis, quàm declinare & perrumpere optat, eum ſibi
Ioan.12. *ipſi exitium attuliſſe conſtat. atque huc illud pertinet, quod ab ipſo humanæ ſalutis pon-*
" *tifice maximo prædictum eſt: Ego lux in mundum veni, vt omnis, qui credit in me, in te-*
" *nebris non maneat: & ſi quis audierit verba mea & non cuſtodierit, ego non iudico eum;*
" *non enim veni vt iudicem mundum, ſed vt ſaluificem mundum. Qui ſpernit me & non*
" *accipit verba mea, habet qui iudicet eum; ſermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die; certiſſimus & grauiſſimus illius negligentiæ & contumaciæ teſtis futurus. Illud igitur ex diuinis oraculis compertum nobis exploratumq́ eſt, diuinam miſericordiam ad cogitandum, optandum, atque admittendum vltra omnem aliam rem mortalibus eſſe propoſitam. illudq́ etiam ex iiſdem diuinis oraculis eſt obſeruatum, iuſtitiæ & iudiciorum exercitationem ſecundum in diuinis conſilijs & decretis poſt miſericordiam locum obtinere, ita vt quo loco illius rationes aut non admiſſæ, aut fuerint reiectæ, eo huius grauiſſima auctoritas & potentia ſuccedat: neque eius voluntatis & conſilij Deum eſſe, qui quenquam quamuis impiiſſimum hominem perditum iri velit, ſed communem omnibus ſalutis viam, fidem obſequiumq́ muniat & commonſtret: quam ſalutem nulli ſe negaturum, (modò iis, quas ipſe ſtatuerit, legibus petitam,) fuerit profeſſus. atque ob eam rem iudicia ſibi quàm ſæpiſſimè differri, maturius quidem edenda, niſi hæc prior & antiquior apud ſe beneficij publicè conferendi, & miſericordiæ tribuēdæ cogitatio intercederet,*
Pſalm.7. *ſicut ſcriptū eſt: Deus iudex iuſtus, fortis & patiens, nunquid iraſcitur per ſingulos dies?*
Eſa.30. " *& alio in loco: Propterea, inquit, expectat Dominus, vt miſereatur veſtri: neque verò hæc res ſacris tantùm reſponſis comperta atque declarata eſt, ſed ſacroſancto etiam appellandæ*
" *diuinitatis iureiurando confirmata. Viuo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impij,*
" *ſed vt conuertatur impius à via ſua mala, & viuat. Conuertimini à viis veſtris peſſimis,*
" *& quare moriemini domus Iſraël? Ita Deus ex ſua voluntate miſericordiam ſe omnibus tribuere velle declarauit: quòd vero ſeuera nonnunquam in quoſdam iudicia exerceat, id poſteriori loco conſequi eos, videlicet, qui ex diuina liberalitate promiſſam & oſtentatam miſericordiam contempſerint. Atque hinc eſt, quòd ſeſe prius miſericordem, quàm iudicem publicè præbuerit; quòd ſalutis prius pontificem, præconem & miniſtrū Ieſum Chriſtum filium ſuum omni orbi præfecerit, eundem verò viuorum & mortuorum iudicem à ſe*
Act.10. " *conſtitutum, non niſi extremo tandem tempore publicè daturus ſit, ſicut ſcriptum eſt: Et*
" *præcepit nobis prædicare populo & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo index*
" *viuorum & mortuorum, huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent, remiſsionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Huius autem à nobis diſputatæ rationis argumenta & illuſtria admodum exempla vel vnus Ionæ vatis libellus ſuppeditare poteſt, qui non in aliorum modò, ſed in ſuo etiam periculo maxima & inexhauſta diuinæ miſericordiæ beneficia omnibus aliis diuinarum rerum cogitationibus præponenda eſſe docuit: quod huiuſmodi diuinam benignitatem, & in tribuenda miſericordia opes atque fidem Niniuitarum reipub. omni, cui pronuntiata exciſionis ſententia certumq́ ad interitum præſcriptus fuerat dies, ob pœnitentiam & mutatæ vitæ ſtudium experiri licuit. atque etiam ipſimet Vati ad ſupplicium ob violatam officij fidem producto, imò in mortis anguſtias, in horrendum etiam ſepulchrum illato, tamen è medio periculo reſipiſcenti & ſupplicanti ſalus reſtituta eſt. Quibus profectò cognitis, & ſapienter tota diuinorum librorum veritate perpenſis rebus, omnis de præſcientia & prædeſtinatione temere diſpu-*
Rupert. in Ioan. lib. 9. in principio. *tandi licentia & immoderata audacia comprimitur. Quoniam in diuina philoſophia non ſolùm nullo prædeſtinationis aut præſcientiæ obiecto impedimento, miſericordia & ſalus*

omnibus eam in veritate implorantibus promiſſa & oſtentata eſt, ſed preter pronuntiatam à Deo per grauiſsimum magnaq́ auctoritatis vatem ſententiam, preter certam conſtitutæ diei expectationem, tamen populo ad bonam frugem ſeſe recipienti, & in diuinam fidem & miſericordiam confugienti Dominus Deus noſter miſertus eſt, idemq́ miſericordiæ ſuæ iam olim omnibus ſeſe inuocantibus promiſſæ potius, quàm Vatis fides & auctoritatis rationem haberi ſe velle euentu ipſo declarauit. nam quemadmodum & quatenus Vatis auctoritati & fidei conſulendum eſſet, id ad ea genera ſpectabat, quorum abſtruſæ & arcanæ rationes adorandæ hominibus & ſuſpiciendæ, non autem temere adeundæ tractandæq́ ſunt. Miſericordiæ verò ſibi etiam poſt dictam pronuntiatamq́ ſententiam tribuendæ ratio & modus, & quatenus id fieri præſtariq́ poſſet, & quæcunque huc pertineret omnia ad id potiſſimum genus referebantur; cuius plurimas & maximas rationes publicè ſpectatas, compertas exploratasq́ hominibus eſſe decreuerat, ita vt cùm de diuinis rebus nobis cogitandum eſſet, ex miſericordiæ primum iucundiſſima & vtiliſſima tractatione, & immenſo atque amœniſsimo campo in exiguum deinde cæterarum diſputationum gyrum religione compelleremur. etenim dum hæc pars, quæ vtiliſsima & facillima eſt, bene & diligenter (vt pars eſt) nobis exculta ſplendeſcat, cæteras, quæ reconditæ nimis abſtruſæq́ ſunt, maximè autem ſapientiam & iuſtitiam Deo ipſi, à quo nihil non ſapienter, non prudenter fit, permittere conueniet. Atque illud ſemper in diuinis rebus inueſtigandis, tractandis, dicendis & canendis velut primum totius negotij fundamentum ponere, quod à ſacro Vate eleganti carmine quondam eſt traditum. Iuſtitia & iudicium præparatio ſedis tua: Miſericordia & veritas præcedent faciem tuam. Beatus igitur populus, qui ſcit iubilationem. Pſal.77.

IVBILATIO ET VOTVM.

Immenſa bonitate Pater, te fulgida cœlo
Teſtantur placidum ſydera, te facilem.
Si tua dona pios pariter, ſi fraude nocentes
Sol, imberq́ alto ex æthere ſæpe iuuant:
Communem populiſque tuam certámque ſalutem
Eſſe cupis, magna & ſedulitate foues:
Mortales reuocare graui ex errore benignus
Diceris, & cæcis eruere è tenebris:
Da veniam, pacíſque piæ tua munera vati,
Dicentíque tuas annue diuitias.

PRIORIS ARGVMENTVM VATICINII.

DVO Vaticinia hoc libello contenta ſuis argumentis diſtinguere placuit, quorum alterum eò vſque pertinet, Et
factum eſt verbum Domini ad Ionam ſecundò: Ex eo verò loco ad finem vſque libri alterum vaticinium eſt.
Prioris igitur argumentum illud eſt, diuinum conſilium certum fixumq́; eſſe, neque cuiuſquam vel vi, vel tergiuerſatio-
ne, quo minus efficiatur, frangi aut minui poſſe, atque id propterea à ſacris vatibus vehementiſſimè & fidentiſſimè
Num. 23. *prædicandum ſuſcipi, qui de futuris longum poſt tempus rebus, non minus, quam ſi præſentes eſſent, certiſſima & con-*
» *ſtantiſſima dicunt, illud veriſſimè intelligentes, quòd non eſt vir Deus, qui mentiri poſſit, neque filius hominis, vt mute-*
» *tur. Hæc enim recepta vatibus omnibus & planè explorata ſententia, vt officij ſuſceptum munus maxima cum fide, at-*
que animi conſtantia exequantur, efficit. Huius verò rei exemplum tum alijs ex locis, tum ex Ionæ Amithaitæ hiſtoria,
euentu ipſo fuiſſe editum: qui ad alienam à populo ſuo gentem legationem ſibi à Deo datam accipere & obire vehe-
menter recuſauerat, quòd fore ſuſpicaretur, vt diuino ſermone reſipiſcentibus Niniuitis facilè venia & impunitas à
Deo clementiſſimo daretur, quòd ille non ſaluos, ſed perditos vehementer cuperet, ex eo animi motu, qui iuſtos & in-
tegros viros ſeueriores tamen, qualis Helias fuit, interdum tentat, quo dicere ſolent, Deficiant peccatores à terra, & ini-
» *qui, ita vt non ſint. & ex priuato etiam odio, quo Aſſyriorum gentem, cuius princeps ciuitas Niniue erat, Ionas proſe-*
queretur, quam Iſraëlitis exitium aliquando allaturam, vel eorum vatū, qui ſuo tempore fuère, prædictionibus, vel ſuo
etiam functus officio cognouerat: quam ob rem & humano quodam affectu, & gentis ſuæ ſtudio commotus, hoſtium
principem & regiam vrbem ſuo in ſcelere perire, antequam malum ſuis inferretur, optauerat. His igitur atque alijs de
cauſis, diuinum imperium ſubterfugiens, procul à patria longa nauigatione tranſmittere, atque in exilio vitam agere
cogitabat. Deus autem cuius conſilio fruſtra humani incœptus & conatus obnituntur. excitata in mari tempeſtate Va-
tem altero atque altero defunctum periculo ad conſilium mutandum officiumq́; faciendum impulit, quòd nihil Deo
Ezech. *propoſitum difficile effectu ſit, cuius ad nutum & arbitriū vt figuli lutum fingi accommodariq́; omnia cognoſcuntur.*

CAPVT PRIMVM.

ET *factum eſt verbum Domini ad Ionam filium Amithai dicens.*

NON de leui aliquo aut humano negotio in hoc libro agi, ſed de grauiſſima-
re & planè diuino conſilio, quod nulla vi aut impetu, nulla fraude, nulla
denique hominū tergiuerſatione, aut minui, aut frangi, aut impediri poſ-
ſit, quo minus efficiatur, ipſo ſtatim initio docemur: cùm diuini verbi
mentione Vates libellum ſuum exordiatur: namque *verbum Domini* rem iu-
dicio diuino probatam & decretam miniſtriſque & legatis ſuis manda-
tam ſignificat. quæ res vt ſecundum certam Dei ſententiam non ſucce-
dat, fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt: Verbum autem Domini manet in æternum. Itaque
» grauem aliquam rem initio nobis Vates proponit, diuinum nimirum cōſilium, cuius pro-
greſſus & exitus ſpectari vehementer expediat. Vatis autem nomen ad rei fidem faciēdam
& ad diuini conſilij certitudinem firmitudinemq́. oſtendendam appellatū eſt. quippe non
minorē fidem Deus rebus negotiisq́. ſuis ex eorū, qui auerſati, quàm ex eorum etiā qui ob-
ſecuti fuerint, teſtimoniis & confeſſionibus adiungit. Neque enim Pauli Chriſtiani olim
nominis acerrimi inſectatoris minus graue, quàm Iacobi fratris appellati, de Chriſti virtu-
te & veritate teſtimonium eſt; imò illuſtri admodum elogio ob eam rem illius fides proba-
ta commendataque fuit. Vas electionis eſt mihi, vt portet nomen meum coram regibus &
gentibus, & principibus Iſraël. Illud igitur huiuſmodi initium ſignificat, diuini verbi facti
ad Ionam vatem recuſantem & imperium detrectantem, atque exitus pro ſua parte impe-
dire molitum hiſtoriam hoc in loco contexi, qua oſtendatur eiuſdem verbi tanto illuſtrio-
rem conſtare victoriam, quanto maioribus & callidioribus humani conſilij cōmentis im-
pediri poſſe putetur. quòd verò à coniunctione oratio fuerit inœpta, illud in cauſa eſſe ar-
bitramur, quod aliud etiam huius Vatis fuerit vaticinium non apud gentes, ſed apud Iſraë-
litas peroratum, cui exitus ipſe fidem fecerit certiſſimam. Id autem vaticinij munus felix
fauſtumque genti ſuæ futurum libenter ipſe ſuſceperat & obierat. hoc autem, quod exteris
gentibus ſaluti ſuis tandem graui exemplo fore intellexerat, omnino recuſabat. Sed inter
alia quæ in ſacris libris citantur, antiquorum temporū monumenta, hoc etiam Ionæ prius
vaticinium deſideratur. Cuius vaticinij illuſtris in Regum libris mētio fit: Ipſe reſtituit ter-
» minos Iſraël ab introitu Emat, vſque ad mare ſolitudinis, iuxta ſermonem Domini Dei
» Iſraël, quem locutus eſt per ſeruum ſuum Ionam filium Amithai prophetam, qui erat de
» Geth, quæ eſt in Opher. Cur autem quorundam vatum certi patres in vaticiniis, quorun-
dam verò nulli appellentur, in procemialibus diſputationibus cauſam expoſuimus. Sed ex
qua tribu & quo tempore Vates hic fuerit, facilè ex ſacris libris docere eſt. Cùm enim apud
Iero-

Ieroboamum filium Ioas vaticinij munere functus fuerit,circa annum prioris templi cen-
teſimum octogeſimum ſeptimum floruiſſe conſtat, paulò poſt Heliſæi Vatis obitum, quo
tempore Amaſias duodecimus rex Ieroſolymis præerat. Eodem tempore, quantum nobis
exterorum hiſtoriæ fidem faciunt, *Tonos Concoleros* trigeſimus octauus rex imperium apud
Aſſyrios gerebat,quem Græci Sardanapalum nominant. Hic enim milleſimo trecenteſi-
mo trigeſimo ſeptimo Aſſyrij imperij anno rerum potiri cœpit. forſitan verò eius princi-
pis vitio,libidine,ſocordia & negligentia Niniuitarum ciuitas fuerat corrupta,cuius ad ſa- Euſeb.lib.20
nam mentem & ad bonam frugem recipiendæ cauſa Ionas à Deo legabatur. Ex Zabulo- Diod lib.1.
nis verò tribu Ionam fuiſſe appellatum patrij loci nomen declarat. nam Geth quod Latinè Iuſt.lib.1.
torcular ſonat,pluribus vrbibus commune nomen fuit; adiunctis autẽ regionis aut condi- Oroſ.lib.2.
torum aut aliarũ rerum nominibus,ſingulis proprium fit,vt Geth Philiſtiim,Geth Opher. cap.2.
Atq.ea vrbs,quam Ionæ patriã ſacræ hiſtoriæ deſcribunt,cuiuſdã ex iis regibus,quos Ioſue Ioſu.12.
à ſe victos interfecit,regia fuerat, quæ in hæreditatum partitione Zabulonitarum familiæ
Orientalis terminus fuit, ſicut ſcriptũ eſt: Et inde pertranſit vſque ad Orientalem plagã ad Ioſu.15.
Geth Opher,& Geth Ceſin. Fuère tamen nonnulli ex noſtris interpretibus,qui quorũdam
Hebræorum ſententiã ſecuti Ionam viduæ Sareptanæ, cuius hoſpitio Helias famis tẽpore
vſus eſt,filium eſſe traderent ex tribu Aſer, ad quam Sarepta opidũ pertinebat,eiuſq. pa-
trem Amithai ex Geth Zabulonitem,matrẽ verò ex Sarepta Aſſeritidẽ fuiſſe aiunt,qui ob
locorum vicinitatem matrimonio coniungi potuerunt. Ad id verò aſſerendum,quædã no-
minis Amithai interpretatio ingenioſa magis quàm certa affertur. Nos verò quibus ſacras
arcanaſq.literas priuatè,hoc eſt,præter ipſarum apertam aliàs ſimplicemq. ſententiam in-
terpretari religio eſt,cùm nullum certum vnde produci hæc poſſint, locum habeamus, in-
genioſi eſſe aut videri nolumus: ſed patrem Ionæ Amithai bis appellatum, & patriam vbi
natus educatuſq. fuerit Geth Hhopher aſſcribimus. Nam ſi natus & educatus in Sarepta
fuiſſet,Sareptanũ potius,quàm ex Geth ſacra ſcripta dixiſſent. Igitur qua matre fuerit,non
laboramus,tantùm patris & patriæ certis nominibus contenti. quam verò rem diuinũ hoc
verbum adornarit,grauem videlicet Niniuitis accuſationem ſubiuncta oratione exponit:

Surge & vade in Niniuen ciuitatem grandem; & prædica in ea quia aſcendit malitia eius coram me.

NINIVE quam Euſebius Niſibin, Herodotus verò & Græci, Latiniq́ue auctores alij
Ninum dicunt,antiquiſſima vrbs Aſſyriæ eſt,à Nino,qui idem Aſſur dictus eſt,cõdita Ty- Herodot.lib
gri fluuio ad ſolis occaſum impoſita. Eam autem maximam Aſſyriarum & totius fortaſſe 1.& 2. Euſe.
orbis terræ vrbium fuiſſe,& ſacri & prophani auctores tradunt.namq. Moſes huic magnæ Plinius lib.6
cognomen aſſcribit. De terra,inquit, illa exiuit Aſſur, & ædificauit Niniuen & Rahoboth cap.13.
ciuitatem & Chale, Reſen quoque inter Niniuen & Chale, hæc eſt ciuitas magna. In Gen.10.
ea ciuitate numen quoddam Niſroc nomine cultum fuiſſe ex ſacris Regũ libris accepimus. 2.Reg.19.
Aſſur eundem, qui & Ninus dictus eſt, fuiſſe & nomen ipſum apud Moſen indicare vide-
tur,& Plinius ex Zenophoræ teſtimonio tradit. Atque eam etiam à Sardanapalo cultam,
magniſq. opibus locupletatam Herodotus indicat. Surgere autem iubetur Vates,vt eo tro-
po impoſitum ſibi munus ſtrenuè obeundum & maturè incipiendum eſſe intelligeret, ne-
que quo minus imperia exequeretur diuina,aut negotium quodpiam,aut moram aliquam
aliam,& cunctationem ſibi eſſe interponendã putaret, cuiuſmodi illud eſt: Surge & aſcen- Gen.35.
de Bethel & habita ibi,&c. Prædicare autem iubetur *in ea*, ſiue vt Hebraicè legimus, *in eam.* "
quæ verò fuerit impoſitæ legationis ſentẽtia,facilè nobis cognoſcere eſt, nimirũ, pœniten- "
tiã & morũ atq. vitæ correctionẽ perſuadere,graui alioqui excidio & certiſſimo quã matur-
rimè perituris, propterea quòd ſuſcepta publicè ſcelera magnum in modum aucta aucto-
res ſuos ad pœnam ſuppliciumq́ue poſtulabant. Hanc autem fuiſſe prædicationis impera-
tæ ſententiam re ipſa & diuini conſilij rationibus intelligimus. nam miſericordiæ prius &
pacis cogitationes cogitare, quàm pœnarum inferendarum decretum figere ſolet Deus.
Cui rei Noë & Loth teſtimonium præclariſſimum & grauiſſimum tribuere poſſint, quo-
rũ alter vniuerſo orbi,alter regioni,in qua hoſpes fuit, grauiſſimus de diuina primùm mi-
ſericordia,deinde etiam contumacibus de ſeueritate fuerat concionator. Atque ex ipſo e-
tiam diuino iuſſu,quo Ionas,vbi periculum euaſiſſet, iterum eandẽ omnino prouinciam
ſuſcipere iuſſus eſt,res ipſa & legationis datæ ſentẽtia aperitur. Surge,inquit,& vade in Ni-
niuen vrbem magnã, & prædica ei prædicationem eam, quam ego loquor ad te. quo in lo- "
eo idem atque eodem modo quo antea facere obireq. iubetur. ſed & Chriſtus diuinorum "
conſiliorum angelus & interpres certiſſimus, Ionam eodẽ ad Niniuitas, quo ipſe ad Iſraë-
litas,legationis genere & tenore,tametſi non pari dignitate auctoritateq́ue & negotio miſ-
ſum fuiſſe aiebat; ſe enim pœnitentiæ ad ſalutem,quam ipſe adferebat,præconẽ apud ſuos
eſſe grauiſſimo excidio,ni paruiſſent,perituros. Huius autem formæ legationẽ Ionæ fuiſſe
datam

Matth. datam legimus. Viri,inquit, Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta,& condem-
» nabunt eam,quia pœnitentiam egerunt in prędicatione Ionæ. Ex quo fit vt eum pœniten-
tiam exigere,contumacibus verò excidium denuntiare iuſſum dicamus. nam verbum cla-
Iſai.57. mare ſeu prædicare,quod idem Hebraicè eſt, huiuſmodi ſentētiam hoc in loco indicat:vt,
» Clama in gutture,ne ceſſes, &c. Locus ille docet planè quo conſilio clamare vates iubean-
tur.quæ verò addita huic legationi oratio eſt,non tam prædicationis argumentum, quàm
legationis cauſam & orationem indicat. [*Quia aſcendit malitia eius coram me.*] Quid cauſæ fue-
rit quamobrem Vati legatio à Deo orbis & gentium omnium gubernatore ſummo ad Ni-
niuen vrbem Aſſyriorum principem atque maximā data ſit,hac oratione explicatur. Om-
nium autem generum ſceleribus & flagitiis Niniuitas coopertos fuiſſe, vno malitiæ nomi-
רעה ne ſignificatū eſt. Eſt enim malitia Hebraicè RAGHA,quo verbo quicquid humanæ mē-
tes primorum parentum vitio corruptæ mali ſceleris & doli concipere atque admittere ſo-
lent, definitur. quæ res plurimis teſtimoniis doceri cùm poſſit,vno & altero à nobis breui-
Gen.7. tatis cauſa indicabitur. Senſus enim & cogitatio humani cordis in RAGH prona ſunt ab
Gen.31. » adoleſcentia ſua. atque oppoſitum omnino hoc nomen eſſe bono omni, illa diuina ad La-
» ban oratio declarat:Caue,inquit,ne loquaris contra Iacob à bono ad malum. deniq. quic-
quid præter fas,præter diuinum timorem, præter ſapientiæ præſcripta ab impiis admitti-
Prou.c.7. tur,ad hoc genus atque nomen refertur,ſicut ſcriptum eſt: Timor Domini odit RAGH.&
14.14. Sapiens timet & declinat à RAGH. Abominatio Domini cogitationes RAGH.& mens
» iuſti meditabitur obedientiam,os autem impiorum redundat malitiis. Quod verò aſcen-
» diſſe malitiam ait,eam ſententiam habet,adeò ſcelera aucta ab illis eſſe,vt modum omnem
& diuinæ etiam expectationis rationes ſuperauerint,ita vt non vltrà expectandum patien-
tiſſimo & iuſtiſſimo iudici fuerit,quo minus aut pœnitentiam & vitæ correctionem indi-
Pſalm.7. ceret,aut ſeueriſſimum in pertinaciter impios exerceretur iudicium,ſicut ſcriptū eſt: Deus
» iuſtus iudex fortis & patiens,nunquid iraſcitur per ſingulos dies? Niſi conuerſi fueritis gla-
» dium ſuum vibrabit,arcum ſuum tetendit & parauit illum,& in eo parauit vaſa mortis,
Iſai.34. &c.namque aſcendere verbum huius ſignificationis in loco eſt: vt,Interfecti eorum proii-
2.Reg.19. cientur,& de cadaueribus eorum aſcendet fœtor. & illud: Inſaniſti in me & ſuperbia tua
» aſcendit in aures meas. itaque aſcendere idem quod apud Latinos maximo exuperantiæ
incremento auctum eſſe ſignificat: qua ſignificationis tranſlatione, & à Latinis ſcriptori-
bus,vt à Cicerone in Rhetoricis,vſurpatur,& orationem & ſententiam,& inimicitias cre-
ſcere legimus.ſic adeò omnium generum ſceleribus vltra omnem modum affluentes Ni-
niuitæ notati ſunt, ita vt malitia eorum aſcenderet coram Deo. Quid autem hæc dicen-
di forma *coram me*, ſiue, vt Hebraicè legimus, *ad facies meas*, ſignificet, breuibus exponemus;
quamquam ſententiæ ipſius magnitudo longius multo ſpatium deſiderabat. In primis in
magna eos offenſa apud Deum eſſe,qui tantis ſceleribus & flagitiis ius,fas, honeſtatemque
& pietatis rationes omnes peruertiſſent.namque ſiue in bonum,ſiue in malum,ſiue in gra-
tiam,ſiue in inuidiam hęc oratio *ad facies Domini*,ſeu,*coram Domino* vſurpetur,rem ipſam vehe-
menter auctam ſignificat: quicquid enim vſque adeò creuerit, vt ad cælum aſcenderit,
atque ad diuinum conſpectum vſque peruenerit, quò vlterius aſcendat, non videtur ha-
Pſalm. 9. bere. atque hac ſignificatione Nimrod venator robuſtus coram Domino; & Noë
» iuſtus etiam coram Domino dicitur. deinde etiam Dei erga orbem vniuerſum cu-
» ram & prouidentiam hæc oratio manifeſtè arguit; cuius oculos nihil aut fugere, aut
Pſalm.33. fallere, aut latere poſſit, ſicut ſcriptum eſt : Iudicentur gentes in conſpectu tuo, & vul-
tus Domini ſuper facientes mala, & huiuſmodi ſexcenta. Illud autem maximam præter
cætera ſignificationem habet, quod ex rerum vſu & ſacrorum librorum lectione obſerua-
uimus.quemadmodum à Deo hominum res actionesque omnes ſuis libris & ponderibus
examinentur & perpendantur, atque iuſta æquitatis ſententia iudicentur, neque aut vſu,
conſuetudine,aut auctoritate,aut dignitate,aut metu,odio,gratia, aut inuidia,ſtultáue ali-
qua opinione diuinum de rebus iudicium corrumpatur: velut humanum perſæpe corrum-
pitur. Etenim non rarò accidere videmus,vt quæ in priuatis & publicis hominum moribus
dubio procul mala,inhoneſta,atque iniurioſa ſunt,vel quòd aſſiduo iam vſu peruulgata &
communia omnibus ſunt,vel quòd à principibus & potentiſſimis hominibus admiſſa, ta-
men honeſtis aut leuibus nominibus diſſimulentur,aut etiam legibus latis & pœnis propo-
ſitis defendātur, ita vt conſuetudinis nomine vitium decoris & vis atque iniuria iuris ap-
pellatione dicantur.contrà etiam ſimplicitas & virtus vera atque probitas humillimis, aut
etiam turpibus nominibus notentur; neque cuiquam qui de rebus ſapienter iudicauerit,
quicquam contra receptas vulgo opiniones, aut contra ea quæ edicto & legibus & conſue-
tudinis cautione firmata fuerint,mutire liceat. nihil autē omnino huiuſmodi peruerſitatis

cuius

diuino iudicio puriſſimo, naturaque ſua rectiſſimo atque ſimpliciſſimo accidere poteſt, ſic- Pſalm.9.
ut ſcriptum eſt: Sediſti ſuper thronum, qui iudicas iuſtitiam. &, Iudicia Domini veritas iu- Pſalm.19
ſtificata in ſemetipſa. Hoc modo cùm vniuerſus orbis quondam hominum ſceleribus & "
flagitiis opertus eſſet, atque ea res potentia, tyrannide, atque conſuetudine minus moleſtè
publicè ferretur, aut etiam iucundis, aut honeſtis, aut præclaris magnitudinis & dignitatis
& gloriæ ſpeciebus commendaretur: Erant enim homines comedentes & bibentes, & nu-
bentes, & nuptui tradẽtes. quæ verò propter huiuſmodi cauſas admitti ſoleant ſcelera quis
ignorat? aut admiſſa his nominibus quotuſquiſque eſt qui improbet, & ſeuerè coërcenda
vindicandaque eſſe iudicet? ſed tamen hæc & quæ ab huiuſmodi initiis profecta ſunt om-
nia à cenſore & iuſto iudice Deo grauiſſimo illo ignominiæ nomine hhamaz notata ſunt, "
ſicut ſcriptum eſt: Corrupta eſt autem terra coram Domino, & repleta eſt iniquitate: ita au-
tem ſuis nominibus & cenſuris ſingula vt notentur, non ad humanam opinionem aut gra-
tiam, ſed ad diuinum potius iudicium reuocanda eſſe ſacris ſapientiæ inſtitutis & exemplis
docemur. Quamobrem ſapientiſſimus ille Dauid leuitatis & futilitatis ſummæ ab vxore
notatus cauſæ ſuę cognitionẽ à mulierculis, quas illa iudices conſtituerat, ad Dei æquiſſimi
rerum æſtimatoris conſpectum & faciem tranſtulit. Quàm glorioſus (inquit illa) hodie fuit 2.Reg.6.
rex Iſraël diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum, &c. quam accuſationẽ huiuſmodi gra- "
uiſſimo principio Rex debilitare exorſus eſt. Ad facies Domini, qui elegit me potius, quàm
patrem tuum & quàm domum eius omnem, &c. Itaque illa oratio, *coram Deo*, ſiue *ad facies
Dei*, rei magnitudinem & diuinam prouidentiam, æquamque atque exactam rerum æſti-
mationem ſignificat. quam ob rem Niniuitarum ſcelera & ſi minus fortaſſe ipſis, à quibus
admiſſa eſſent, grauia viderentur; diuino tamen iudicio grauiſſima erant, & quæ vel matu-
ram pœnitentiam, vel celerem pœnam poſtularent. namque à Zamei Ninia Semirami-
dis filio triginta quatuor Aſſyriorum reges ad Ionæ ætatem vſque numerantur, quos Ni-
niæ exemplo molles, & præter regiam dignitatem multarum deliciarũ fuiſſe, hiſtorici ſcri-
bunt, ſed vltimum Sardanapalum virum muliere corruptiorem dicunt, cuius regiam Ni-
niuen fuiſſe Herodotus eſt auctor. facilè autem populus, maximè verò is in quo rex habi-
tat regis & principum luxuria, aut ſegnitie & ſocordia, aut ſtudiorum imitatione ad maxi-
ma flagitia corruptus dilabitur. Terram enim commoueri & tremere regnante ſeruo in ſa- Prouer.30.
cris & antiquis prouerbiis eſt. neque vllam eſſe certiorem aut magis propriam regij officij Prouer.21.
peruertẽdi cauſam, quàm ſi rex vino, & libidinib. luxuriisq́. diffluat. Igitur Ionas cùm Deũ
pœnitentibus placatu facilem cognoſceret, atq. ſe non perdendi ſed reuocandi atque corri-
gendi cauſa mitti intelligeret, Iſraëliticarum rerum ſtudio impoſitum munus ſubterfuge-
re, atque diuinum conſilium morari cupiens animo & cogitatione, atque omni conatu &
opera locum ad exulandum ſibi commodiſſimum & remotum delegit: eamq́. rem proti-
nus adornabat, neq. quid retro fieret, laborabat, & dummodo ſe huic Niniuitarum ſalutis
negotio ſubtraheret, an alter præficiendus eſſet, minimè curabat. Qua in re illud conſidera-
re operæpretium eſt, facilè à vatibus intelligi gentes ad reſipiſcendum, atque ad fidem diui-
nis legationibus habendam, multò eſſe quam Iſraëlitas animo promptiores, facillimeque
illis de diuino iudicio perſuadendum eſſe, ſicut & re ipſa euenit; vna enim vix plenè obita
legatione Niniuitæ ſcelerum pœnitentia ducti ad bonam frugem ſeſe recepêre. quam rem Matth.12.
& Chriſtus Iudæis exprobrat: Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cũ generatione iſta, & con- "
demnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ &c. Hanc autem rem
animo à Vate cogitatam fuiſſe, ipſe tandem ſuo loco manifeſtè declarabit.

Et ſurrexit Ionas vt fugeret in Tharſis à facie Domini, & deſcendit in Ioppen, & inuenit nauem euntem in Tharſis, & dedit naulum eius, & deſcendit in eam, vt iret cum eis in Tharſis à facie Domini.

CELEBERRIMA quondam atq. omnium aliarum nationum frequentiſſima & feli-
ciſſima Phœnicibus nauigatio fuit, quos & primos & antiquiſſimos eius artis inuentores
fuiſſe, ab vniuerſis ferè auctoribus traditur. hi enim maritima loca incolentes & cõmodita-
te & aſſiduo vſu atq. ſtudio tranſmarina negotia conficere & mercaturã quæſtuoſiſſimam
hoc modo facere potuêre, atq. hac opportunitate & ſuarum gentium colonias in Gręciã, in
Italiam, & Africam deduxêre, ſicut ſcriptũ eſt: Filij Iauan Eliſſa & Tharſis & Chetim &
Dodanim, de quibus coloniis alio in loco dicemus. Tharſis autẽ eã Africæ partẽ vbi Car-
thago olim fuit, portu & maximo emporio celeberrimã, atq. inde ad Oceanũ vſq. porrectã
mediterranei maris orã dici, productis ex ſacra & peregrina lectione argumentis aliàs doce-
bimus Deo votis noſtris annuente. Igitur in Africam commigrare dum cogitaret Ionas,
Ioppen Hebraicè IAPHO, noſtro tempore Iapha dictam vrbẽ Syriæ antiquiſſimã & tu-
tiſſimo portu celebrem adiuit, de quo ſæpe in ſacris & in prophanis ſcriptoribus mentio
fit; ad quem portum quę reſtituendo templo commoda ligna à Tyriis cęſa aduehebantur,
appellabant

appellabant. Omnis autem hæc omnium ſigillatim rerum narratio quòd Vates ſurrexerit, quòd fugere in Tharſis conſtituerit, quòd in Ioppen deſcendens oblatã ſibi opporunè nauem conſcenderit, quòd mercedẽ pro vectura atq. pro omni commeatu, ante etiam quàm abſoluta eſſet nauigatio, perſoluerit, eò pertinet, vt certo deliberatoque conſilio & magno etiam ſtudio ea Vati fuga parata fuiſſe intelligatur, quem neq. in via, dum in Ioppẽ deſcenderet, neq. dum maris difficultatem cognoſceret, quæ nemini non formidoloſa eſt, aut temerè adiri ſolet, neq. dum ſumptũ ſibi ad eam rem faceret, neq. dũ naui conſcenſa nauigare inciperet, propoſiti pœnituit, ſed neq. dum periculum etiã illi eſſet neceſſariò ad eundum, vt ſtatim res ipſa declarabit. Operæpretiũ autem erit locũ hunc diligẽtius excutere, & Vatis in hac re conſilium atq. inſtituti rationẽ exquirere. nam neq. vir hic tam rudis tamque ignarus rerum, tam expers conſilij aut ingenij erat, qui vllas in toto orbe latebras eſſe putaret, in quibus ſeſe diuino è conſpectu euolans occultare poſſet. ſiquidem prophetico ſpiritu auctus ignorare minimè id potuit, quod ex ſacris carminibus vel ſæpe in tẽplo decantatis vel imperitiſſimo cuiq. de media plebe peruulgatũ fuerat: Benedictũ nomen maieſtatis eius, & replebitur maieſtate eius omnis terra; & dicat omnis populus, Amẽ. & quod à Pſalte eſt elegantiſſimè dictum, cuinã Iſraelitarum eſſe potuit ignotum? Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cælũ tu illic es, & ſi deſcendero in infernum ades, ſi ſumpſero pennas diluculò, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me mirabiliter dextera tua. nedũ celeberrima & hominibus frequentiſſima loca, qualis Tharſis fuerat, Vatem, neq. homines ipſos latentem occultare credatur. Igitur non diuinum conſpectum, hoc eſt prouidentiã Ionas fugere cogitaſſe dicendus eſt. Quoniam verò interpretes quoſdam in hoc loco explicando nimiũ ingenioſos eſſe video, quoſdam verò difficultatis laqueos declinantes, nihil omnino de hac re dicere, neq. horum ſilentium neq. illorum cõpoſitam in ſpeciem orationem, ſed noſtrum planè propoſitũ vrgere placuit: vt ex ipſis ſacris literis explicandarũ rerum rationes petamus; id autẽ quo ſimplicius & breuius, eo commodius factum iri arbitramur. Igitur ex multis ſignificationibus quas non ſine certa quadam ſimilitudine hæc oratio ante conſpectum aut faciem Domini habet, vna eſt, quæ ad prophetas atque huius generis diuini conſilij miniſtros refertur, qui quamdiu officio funguntur ſuo, ſtare ante conſpectum Domini dicuntur, quòd diuino numini & ſpiritui ſeſe illis inſinuanti fidem promptam expoſitamque præbeant, faciliqúe ac libenti obſequantur animo, ita in ſuſcipiendis & tranſigendis negotiis diuini conſilij & voluntatis egregiè fideles ſeſe miniſtros præbeant. atque hanc ſententiam non ſolùm re ipſa, ſed oratione etiam nobis Heliſæus expoſuit: Viuit Dominus ante cuius faciem ſto, quòd non accipiam, &c. Ad hanc etiam ſententiam illud pertinet quod de Cain ſcriptum eſt: Et egreſſus eſt Cain à facie Domini: quam ſuo loco Deo deducente explicabimus. atque hæc res hunc Ionæ locum facilè apertum exploratumque reddit. quem locum Chaldaicè ſic legimus: *Vt fugeret ad mare potius, quàm prophetaret in nomine Domini.*] Namque in hoc negotio atque in Niniuitarum cauſa Vatem Dei voluntati & officio ſuo deeſſe voluiſſe oſtendit, atque hoc conſilio non modò ſolum vertere, ſed ad aliud etiam ſtudium vehementer à vaticinij rationibus alienum ſeſe transferre cogitauit. Mercaturam enim facere, atque eam negotiorum & rerum conſuetudinem exercitationemque capere, quæ non cum prophetico ſolùm munere, ſed cum omni ſapientiæ ſtudio, cum omni liberali arte vehementer pugnat, cùm cupiditas, cui nihil ſatis eſt eorum qui huiuſmodi vitæ genus ſequuntur, animos occupet totos, vt neque bello etiam ad res ſuas defendendas habiles eſſe ſinat, vt apud Ezechielem de Tyriis eſt. Quòd verò hoc ageret Ionas, argumento eſt nomen Tharſis ſtatim principio conſilij indicati appellatum, ad quem locum commigrare in animo ſtatuerat ſuo: namque Tharſis, vt diximus, mercatorum & negotiatorum celeberrimus conuentus, & maximum totius Aphricæ emporium erat. quam ob rem naues Tharſis in ea ſignificatione antonomaticè appellantur, quòd pretioſiſſimarum rerum commercium eo in loco eſſet, ſicut ſcriptum eſt: Argentum inuolutum de Tharſis affertur. & apud Ezechielem: Carthaginenſes negotiatores tui à multitudine cunctarum diuitiarum argento, ferro, ſtanno repleuerunt nundinas tuas. & ſicut noſtra ætate quicunque Ophiren ſiue Periunta naui aduehi dicitur, is aurum petere ſolo nauigationis & loci nomine audito arguitur; ita olim Tharſenſis nauigatio quam ob rem ſuſciperetur facilè cognoſcebatur. Eius autem nauigationis & cauſæ frequens in ſacris libris mentio eſt. namque claſſem Salomonis regis vnà cum Hyram Tyrij claſſe tertio quoq. anno cum mercibus & oneribus eò commeantem aurum, argentum, ebur & ſimias & pauos aſportare ſolitam legimus. Neque verò incredibile videri debet huiuſmodi conſilium Ionæ in mentem veniſſe, vt à facie Domini fugere apud ſe ſtatuens, hoc eſt iniuncto ſibi

Marginal notes: Pſalm.71. — Pſalm.138. — Pſalm.73. — 4.Reg.5. — Ezech.27. — Ierem.10. — Ezech.27. — 3.Reg.10. — 2.Paral.9.

muneri & officio deeſſe, hæc omnia fuerit molitus.namque diuinus vaticinij ſpiritus non ita humanos animos afficit, vt cogat etiam inuitos & repugnantes velut iumenta quà velit impellat & agat,ſed vel ſi maximè illis mentem aliquam iniciat,vel oratione aut monito imperet, liberas tamen homini cogitationes & conatus relinquit, ita vt ſi non perficere, tamen velle & cogitare, & conari aliquid contra diuinum conſilium poſſint: atque in ea re Vatis obſequium ſpectari & meritum conſtare poteſt, quamuis durum, quamuis viribus ſuis impar impoſitum onus,tamen neque inuitus, neque coactus, ſed obſequutus tandem ſumma religione & fide ſubeat,& cum diuino auxilio perferat. Itaque quam in ſeruitutem vates veniunt,non obedientia fracti animi & abiecti, & arbitrio carentis ſuo eſt, ſed qualis à pio,fideli,& conſtanti animo præſtari poſſit;cui tamen ſi collibitum fuerit,deeſſe poſſint. Libera igitur voluntate diuina imperia vel revereri & exequi, vel auerſari poſſunt. Cùm enim Balaam ſeſe ab ea ſententia non eſſe dimouendum, cuius rationes numen ſuggeret,profeſſus eſſet,tamen auaritia corruptus aliam tandem rem egit. Poſſunt igitur vates, quorum liberæ (vt diximus)cogitationes ſunt, Dei voluntati obedire & parêre, aut rurſus etiam deeſſe,ſi velint.neque enim ita afficiuntur, vt brutorum more impellantur, ſed vt libertatis retento iure iubeantur. qua in re & obſequium & religionem & fidem animique conſtantiam & fortitudinem,aut etiam inobedientiam, infidelitatem, timiditatem & pertinaciam experiri eſt: ita fit vt vaticinandi ſpiritus ſine libero & certo ipſius Vatis motu agere non conſueſcat, ſicut ſcriptum eſt: Dominus Deus aperuit mihi aurem, & ego non contradico; retrorſum non abij. cuius planè ſententiæ illud eſt: Et ſpiritus prophetarum prophetis ſubiecti ſunt. Poteſt quidem Deus infidelem miniſtrum, negligentem atq. onus detractantem aut ab ordine recedentem officiumque deſerentem ſuum vel oratione & monitis,vel minis,aut terroribus, vel pœnis etiam ad ſanitatem, atque officij fidem reuocare, & ad ſententiam conditioneſque ſuas aliis modis perducere. cuius rei exempla in Moſe, Helia, Ieremia & Paulo expoſita ſunt. Poteſt obſtinato animo aut ſtulta mente ab officij fide & dignitate deficientes punire atque etiam perdere:cuiuſmodi Balaamus, & ille alter quem à legatione ex Bethel redeuntem leo dilaniauit, exitus habuerunt: vt verò nolente & repugnante animo à Vate res agatur, nullum huiuſmodi aut diuini conſilij aut facti nobis hactenus exemplum contigit.etenim vox illa diuina, Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare, illam in electi & correpti etiam miniſtri orationem obedientiæ religionis officiique teſtem deſiderat,Domine quid me vis facere? Atque de Ionæ conſilio & ſententia,de vatum libera cogitatione,de diuina in eo onere imponendo voluntate,& agendi aut impellendi ratione & modo,& de toto hoc genere ſatis pro interpretandi anguſtiis dixiſſe videmur. Nunc verò deinceps quemadmodum Deus conſilia ſua ad deſtinatos exitus prouehere ſoleat,illuſtre admodum exemplum intueamur, vtque nulla rerum natura præter hominum genus ſit,quæ Dei dicto & nutui parentem promptiſſimamque ſeſe non præbeat, cùm tamen homines hoc genere cæteris omnibus rebus præſtare anteireque oportuiſſet.

Iſai. 50. "
1 Corinth. "
Act. 9. " "

Dominus autem miſit ventum magnum in mare, & facta eſt tempeſtas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri.

MAGNA & copioſa eſt de diuinis miraculis, de ſignis, portentis & prodigiis, de omnibus huius generis natura & ratione diſputatio, & quæ pars hunc locum attingit, integram profectò tractationem,iuſtumque opus deſiderat, quam nos in aliud commodius tempus conſultò differimus,illud ad hanc rem tantùm dixiſſe contenti, ſolere ſæpenumero Deum iiſdem illis rebus in mirabilium oſtentorum, & prodigiorum edenda ratione vti, quæ res ſecundum naturam aliàs ſine miraculo eſſe conſueuere, vt pluuiis, fulgetris, tonitruis, ſolis, luminariumque obſcurationibus & affectionibus, aliiſque plurimis huiuſmodi tempeſtatibus, quarum tametſi genus ſecundum naturam eſt, exiſtendi tamen ratio, opportunitas, commoditas & modus præter certam naturæ obſeruationem mirabile aliquod oſtentum prodigiumque arguit. cuiuſmodi nobis exemplum hoc in loco proponitur, quo diuina præſentia non ſolum Ionæ fugienti, qui diuinas res probè edoctus erat, ſed nautis etiam atque aliis vectoribus declarata eſt,& Vates ipſe correptus à ſententia & propoſito deterritus,atque ad religionis obedientiam eſt reuocatus. Multas eſſe ſecundum naturam cauſas, quamobrem procellæ tempeſtateſque in mari concitentur, & qui de his rebus ſcribunt, docuêre,& nauigandi peritiſſimi, quales olim Phœnices dicti ſunt, cognouêre: aut enim conceptus intra maris penetralia aër,dum exitum quærit,liquidam & mobilem naturam, quoad eruperit,conturbat,atque etiam donec totus efflauerit, exagitat; aut à terra incumbens ventus,aut tẽporis importunitate immoderatè excitatus vi atque impetu mare agitat & turbat. huiuſmodi aliæ cauſæ ſæpe à peritis ſpectatæ ſunt: quarum certæ etiam præſagitiones

tiones & præſenſiones nautis ſunt, quibuſdam multo, quibuſdam paulò antequam tempeſtas veniat. namque imbres, nimbos, procellas, cæteraſque tempeſtates, vel temporum varietates, cæliq́ue mutationes, vel quarundam animantium voces, aut obſeruati motus, vel huiuſmodi aliæ indicant res. quæ omnia in nauticarum rerum ſcientia continentur, & prçcaueri nonnunquam poſſe, & effugi, ratio ipſa, & aſſiduum experimentũ docet. nemò enim ferè eſt, qui tutam hyeme nauigationem non eſſe neſciat, certis etiam temporum & cæli
Act. 17. mutationibus futuram tempeſtatem quidam præſentiunt, ſicut ſcriptum eſt: Multo autem
" tempore peracto, & cùm iam non eſſet tuta nauigatio, eo quòd ieiunium iam præteriiſſet, &c. Quæ verò præter omnes eas cauſas, quas communes & exploratas dicimus, atq. etiam præter omnem ſignorum & iudiciorum obſeruationem; præter temporũ etiam & cæli rationes, repentina aliqua vis & tempeſtas immoderata mare perculerit, eam diuinitus atque ſecretiori alia & mirabili cauſa venire facilis coniectura eſt. Huiuſmodi autem ineuitabilem omnino præſenſione procellam; quæ Deum certum auctorem indicaret, in eam maris partem, qua Ionas nauigabat, incubuiſſe, hæc oratio indicat. [*Dominus autem miſit ventum magnum in mari.*] Vel ipſa inexpectata & repentina venti vis, quanquã modica fuiſſet, tamen diuinam cauſam arguere potuit, nedum quæ immoderato atque nimio impetu ſubitò inopinantes oppreſſerit. quod autem ab irato numine illa procella eſſet, præterquam quòd nulla certa ſecundum naturam vel cauſa, vel præſagitione eſſet excepta, illud etiam confirmabat, quòd neque cæli mutatione, neque nubium aut imbrium, neque temporum viciſſitudine aliqua, ſed vnius tantùm venti repentina & immoderata vi premerentur, qui nõ ſolùm mare agitaret & vehementiſſimè turbaret, ſed multo etiam fortius & certius nauem ipſam iactatam vexaret, vt eorum qui veherentur, noxam & culpam vlciſci velle oſtenderet. [*Et facta eſt tempeſtas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri.* Hebraicè eſt, *Et nauis putabat ſeſe rumpendam.*] Eleganti metonymia maximum & certiſſimum naui periculum & metum iniectum fuiſſe oſtenditur. Etenim optimè inſtructa & ornata nauis, qualem eſſe oportuit, quæ à Phœnicibus ad Pœnos, magnis & pretioſis mercibus onuſta, nauigaret, cùm nullis adhuc ſcopulis aut littori vicina eſſet, vnde periculum timeret, nondum longa & diuturna tempeſtate fatigata, non ſolùm maris æſtu abſorberi & mergi; ſed vel vna tantùm inſtantis venti vi frangi metuebat: quæ res præcipuam quandam & in numine iram, & in vectoribus culpam, quamobrem hæc paterentur, indicabat. Eam enim eſſe aliquando ſceleratorum & impiorum diuinitus petitam pœnam, non ſolùm diuinæ, ſed humanæ etiam ſapientiæ documentis didicimus, vt horribili naufragio vnà cum iis, qui ſimul nauigant, pereant, atque à terra producti, ſeueriſſimis Dei ſatellitibus, mari, procellæ, turbini, ventis, tempeſtatiq́ue traditi, horrendo prius timore acti, rebus omnibus ſuis, atq. terribili mortis genere, niſi opportuna ratione numen placauerint, mulctentur; ſicut ſcriptum apud
Pſalm 106. noſtros eſt: Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis, Ipſi
" viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Dixit & ſurrexit ſpiritus procellæ,
" & exaltati ſunt fluctus eius, aſcendunt vſque ad cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſos, a-
" nima eorum in malis tabeſcebat. Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapien-
" tia eorum deuorata eſt. &c. & apud exteros: *Vetabo qui Cereris ſacrum Vulgarit arcanæ ſub*
Hor. lib. 3. Od. 2. *ijſdem Sit trabibus, fragilemq; mecum Soluat phaſellum, Sæpe Dieſpiter Neglectus inceſto Addidit integrum, Raro antecedentem ſceleſtum Deſeruit pede pœna claudo.* Igitur tempeſtatis repentinus atque immodicus impetus, nullis ante notis atque indiciis factus, diuina cauſa facilè nautis argui potuit, quæ graui ſupplicio ipſos ob commune omnium, vel cuiuſpiam priuatum ſcelus afficere pararet. quòd autem hanc cogitationem continuò conſequitur, ſinguli vel maleficiorum conſcientia vel proprio periculo ſtimulati numinis, cuius certa & præſens agnoſcebatur vis, timore atque religione perterriti contremere cœperunt, atque ad eam vim & naturam precibus & votis placandam, quæ vnica & maxima ad ſalutem via credita eſt, omnem curam, ſolicitudinem, & ſtudium contulêre. Hæc autem res illa breui oratione ſignificatur:

Et timuerunt nautæ.

NVLLA res impiorum & eorum qui diuinam naturam negant, & ſceleratorum hominum animos vehementius mouet & terret, quàm repentinus ventorum, tempeſtatum & turbinum fragor, qui vel in terra, nedum in mari verſatos, non ſolùm metu & pauore exanimat, ſed impias de Deo ſententias mutare atque conſilia omnia vitæq́ue inſtituta, & peruerſas rationes improbare cogit, quòd qui toto hoc pulcherrimo mundi ſpectaculo optimi Dei præſentiam & numen aut non cognoſcunt, aut parum piè interpretantur, his quæ in ſublimi fiunt, rebus perterriti ſeueritatem & vim vel inuiti fateantur. Quamobrem

ſuper

ſuper pennas ventorum Deus ambulare à Vate dictus eſt. atque huiuſmodi multa exempla & in ſacris & prophanis auctoribus obſeruantur, multæ etiam & grauiſſimæ de hac re Pſalm.104.
ſententiæ extant, quæ grauiſſimum de diuina natura & virtute teſtimonium tempeſtatibus aſſcribunt: vt, Vox Domini in virtute, Vox Domini in magnificentia. Vox Domini ſuper Pſalm.28.
aquas, Deus maieſtatis intonuit, Dominus ſuper aquas multas. Vox Domini confringentis "
cedros: & confringet Dominus cedros Libani. Vox Domini concutientis deſertum, com- "
mouebit Dominus deſertum Cades, & reuelabit condenſa, & in templo eius omnes di- "
cent gloriam. hæc à vate piiſſimo de hac re decantata ſunt; ab impiæ autem quondam ſectæ profeſſore, ſed conſilium ſententiamque opportunè mutante illud eſt celebratum:

Parcus Deorum cultor & infrequens, Horat.lib.1. Od. 34.
Inſanientis dum ſapientiæ
Conſultus erro, nunc retrorſum
Vela dare, atque iterare curſus
Cogor relictos. namque Dieſpiter
Igni coruſco nubila diuidens,
Plerumque per purum tonantes
Egit equos, volucremq; currum,
Quo bruta tellus, & vaga flumina
Quo ſtyx, & inuiſi horrida Tanari
Sedes, Atlanteuſq; finis
Concutitur, valet ima ſummis
Mutare, &c.

Huius autem generis timorem, hoc eſt, religionem quandam erga diuinam naturam ſupplici mente ſuſceptam illud verbum ſignificat, *& timuerunt.* Namque verbum Hebraicum, cui Latinum hoc reſpondet, id quod diximus frequentiſſimè indicat: Exod.1.
vt, Timuerunt obſtetrices Deum, &c. &, Qui timuit verbum Domini de ſeruis Pharaonis fecit confugere ſeruos ſuos, &c. Nautas vero timuiſſe ait, quò magnam & certam timendi cauſam oſtenderet. namque vt vectores alij, aut qui tum primùm mare tentauiſſent, aut qui minus tempeſtatibus eſſent aſſueti timerent, non perinde magnum aut nouum procellæ genus argueretur, ac ſi timor & religio eorum animos occuparet, qui nauigandi ſcientia & aſſiduo vſu, qualis ac quãta illa tempeſtas eſſet, & ad quam cauſam pertineret probè intelligere potuerunt, cùm nullum aliunde aut ab arte, aut à propria virtute & induſtria certum iam ſubſidium ſperari poſſet, ad ſupplices preces atque ad vota ad placandum Deum confugere, certiſſimum conſilium fuit, vt in huiuſmodi maximis rerum, tẽporumq. anguſtiis ſemper fieri à mortalibus ſolet, ſicut ſcriptũ eſt: Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius, Pſalm.106.
& omnis ſapientia eorum deuorãta eſt. Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, &c. & apud exteros:

Non eſt meum ſi mugiat Africus
Malus procellis, ad miſeras preces
Recurrere, & votis paciſci, &c.

Sed quanquam ſapientiſſimum conſilium in deſperatiſſimis rebus ſit ad preces atque religionis rationes recurrere, & vltra humanã induſtriam quantacunque illa eſſe poſſit, diuino potiſſimùm præſidio & ope niti; tamen certa veri numinis, cuius auxilium imploretur, notitia carere, maxima in eo genere fruſtratio eſt, & maxima fallacia pro vero Deo falſa & mendoſa Deorum nomina inuocãda & colenda ſuſcipere, quæ quãuis continuis horis & diebus appellentur, tamen non magis exauditura ſint, quàm Baalim illi à toto ſacerdotũ collegio à mane vſque ad meridiem inuocati, de quibus ſcriptũ eſt: Et non erat vox, nec qui reſpõderet. De huiuſmodi inani ſuſcepta religione il- 3.Reg.17
luſtris illa à diuino Vate celebratur ſentẽtia: Dominum non inuocauerunt, illic trepidaue- "
runt timore vbi non erat timor: hoc eſt quod ſubiuncto iis, quæ dicta ſunt, verſu narratur: Pſalm.13.

Et clamauerunt viri ad Deum ſuum. Hebraicè eſt, *Et clamauerunt vir ad Deum ſuum.*

NOMEN *vir* Hebraicè aliquando pro Latino diſtributiuo, ſinguli, aut vnuſquiſq. vſurpatur, vt in illo exemplo etiam docemur: Nunquid Sion dicet, Vir & vir natus eſt in ea? & Prou.12.
In doctrina ſua cognoſcitur vir. Ex variis autem gentium nationumque exterarum familiis fuiſſe eos, qui in naui erant, quibus ſeſe Ionas ſolus ex Iſraëlitarum religione ſocium addidiſſet, hæc oratio arguit. Varia enim Deorum nomina publicè & priuatè ab alijs atq. aliis nationibus culta olim fuiſſe, nemo eſt qui ignoret. Vnuſquiſque igitur aut patrij aut familiaris ſibi, aut certi ad rem quampiam numine & tutela valere crediti Dei fidẽ & opem implorabat, vt Tyrij Herculem ſuum, Palæſtini Dagonem marinum Deum, Pœni ſi qui in 1.Paral.10.
naui eſſent, Solem, Lunam, aut etiam Neptunum inuocarent, aut quempiam alium quem Syll.Italicus, Herod.lib.4.
priuata religione vnuſquiſque coluiſſet. Hæc autem in tanta anguſtia miſerorum & afflictorum nautarum prima cura fuit; deinde etiam illa altera, vt inſtanti procellæ, cùm contendere non valerent, quanto poſſent minori incommodo cederent, hoc eſt, vt mercium & rerum ſuarum iactura facta animas ſaltem eriperent, & conſeruarent. namque in miſerrimis rebus id quod miſerum minus fuerit, eſt eligendum.

Et miſerunt vaſa, quæ erant in naui, in mari, vt alleuiaretur ab eis.

VASORVM nomine omnis ſupellex, atq. omnia arma & inſtrumenta, ad quemcunq. pertineant vſum, Hebraicè dicuntur, vt, Vaſa belli, vaſa nauis, vaſa domus, &c. Antiquum autem & vetus nauigantibus eſt, in maximis & turbulentiſſimis tempeſtatibus rerum,

quæ vehuntur, iacturam facere. Cuius conſilij duplicem fuiſſe cauſam intelligimus; alteram quæ ad naturæ rerum, alteram verò quæ ad religionis rationem ſpectet. Namque alleuata onere nauis ventorum vim diutius & commodius ferre, & quominus maris fluctibus abſorbeatur, ſuperare poſſe putatur. pondus enim ſi nimium fuerit, & mole ſua premit, & allidentes fluctus ventique impetum aut ad frangendũ, aut ad mergendum adiuuat. quamobrem commodè alleuata nauis, & impellenti vento cedens procellam facilius decurrit, & effeueſcentibus æſtu vndis leuius innatat, ac velut ſuſpenſa rapitur, ſicut ſcriptũ eſt: Cumque arrepta eſſet nauis & non poſſet conari in ventum, data naui flatibus ferebamur. Valida autem tempeſtate iactati, ſequenti die iactum fecerunt, & tertia die ſuis manibus armamenta nauis proiecerunt, &c. Illud etiam huic cauſæ accedit, quòd cùm huiuſmodi calamitates ſibi diuinitus allatas mortales intelligant, quemadmodum minori incommodo id periculum effugi poſſit, conſulere ſolent, & qui plures eſſe deos putauêre, atque ſimiles illis cum noſtris animorum perturbationes, iram, cupiditatem, & huius generis alia aſſcripſêre: in huiuſmodi temporum procellis & magnis periculis Deos muneribus placandos aut donis demulcendos, aut votis conciliandos, aut ad rerum communicationem inuitandos eſſe arbitrati ſunt, quòd ab illis huiuſmodi quippiam tantis periculis exigi & poſtulari interpretarentur. alij verò qui de diuina natura ſapientius ſentirent, maximũ hominibus à Deo malum non ſine ipſorum culpa infligi credidêre: eam verò culpam, qua poſſit commodiori ratione, expiandam eſſe ſtatuêre. nulla autem facilior & commodior, nulla minus miſera ratio viſa eſt, quàm ſi vltra preces & vota, res etiam & merces iactarentur, vt quamuis grauiſſimo damno grauiſſimum malum, hoc eſt acerrimum mortis genus commutare contingeret. deinde ſi quid in rebus ipſis malè partum aut furto, aut ſacrilegio, aut dolo ac fraude, aut alia denique mala ratione conſtaret, quod non ſolùm res aliàs, ſed dominos & vectores ipſos, ipſumque locum nefaria contagione contaminare poſſet, id totum de medio ſublatum, & diuinæ iræ & communi malo modum ſtatueret. Sunt autem plurima huius vniuerſi generis apud antiquos & exteros auctores exempla, multæque ſententiæ, ex quibus hanc rationem explicare liceat, vt illud:

Non eſt meum ſi mugiat Africus malus procellis, Ad miſeras preces decurrere & votis paciſci, Ne Tyriæ Cypriæq; merces Addant auaro diuitias mari, Tum me biremis præſidio ſcapha, Tutum per Aegeos tumultus Aura ferat geminusq; Pollux. & illud etiam: *Cùm plenus fluctu medius foret alueus, & iam Alternum puppis latus euertentibus vndis Arboris incertæ, nullam prudentia cani Rectoris conferret opem, decidere iactu Cœpit cum ventis.* Hæc eadem cogitatio, hoc conſilium quicquid in ſe ſapientiæ habeat, ad noſtram vſque ætatem permanauit, vt in turbulenta tempeſtate non ſolùm oneribus & grauiſſimis quibusque mercibus iactis nauis alleuetur, ſed iniecto etiam auro, aut annulis, aut gemmis, aut aliis exigui ponderis, magni tamen pretij rebus procella ſedanda procuretur, vtramque verò hanc cogitationem cùm eam quę ad naturæ, tum eam, quæ ad religionis rationem refertur, in nautarum animis verſatam fuiſſe, hæc oratio indicat: *Vt alleuiaretur ab eis.* Hebraicè ſic: *ad alleuiandum deſuper illis.*] non modò enim nauim onere, ſed ſe etiam culpa & noxa, aut huiuſmodi mala ratione preſſos in periculum veniſſe credebant, quod niſi rerum ipſarum deuotione & deprecatione vitarent, ſubire neceſſum foret. At verò Ionas, cui periculis omnibus & morte etiam potius, quàm delato ſibi legationis ad Aſſyrios munere fungi certum deliberatumque erat, aliam omnino rem agebat: neque enim aut ſuarum rerum, aut ſuæ ſociorumque ſaluti vel induſtria, vel conſilio, vel precibus & votis conſulebat, ſed quorſum ea tempeſtas euaderet, ſecurus

Deſcendit ad interiora nauis, & dormiebat ſopore graui.

ITER, quod non tam diuitiarũ & mercaturæ cupiditate, quàm fugiendi ſtudio conſtiterat, inſiſtere & conficere aut perire cupiens, ingenti animi mœrore oppreſſus ab omni aliorum hominum conſortio & conſpectu ſeſe ſubtraxerat, atq. in penetralia nauis deſcendens eorum more, quibus graui aliqua cogitatione affectis languidi artus ſopore obruuntur, *dormiebat.* neque enim leui ſomno, ſed grauiſſimo ſopore vſum eum intelligimus, quali & Abrahamum ſomno oppreſſum legimus, cuius ſopito corpore animus vigilabat. Huiuſmodi à nobis deſcriptus & indicatus ſopor, Hebraicè dicitur *Thardema*, quo in loco operæpretium cogitare eſt, quantum certus, deliberatus, aut potius obſtinatus hominis animus progredi poſſit, vt neq. vlla ſuæ aut ſociorum ſalutis cura ab inſtituto reuocetur, & qui ſibi ipſi non conſulit, quam cæterorum habere ſoleat rationem: atque etiam boni gubernatoris imaginé intueri licet, qui de ſe, atque de ſuis, quos vehendos ſuſceperit, ſolicitus omnia tentat, omnia curat & peruidet, omnia experitur, ne qua aut negligentia, aut culpa in cõmuni periculo laboretur. Huius enim, qua Ionas vtebatur, nauis & nautarum magiſter, ſiue dum eius

Act. 27.

Gen. 15. רדם

eius viri etiam operam inter alios requiſitam deſideraret, ſiue dum omnibus nauis partibus ſolicitus conſuleret, cùm vnum ex omni vectorum numero ſtertentem offēdiſſet, homini languorem & ſopotem exprobrans in commune conſulere ſuadet.

Et acceſſit ad eum gubernator, & dixit ei, Quid tu ſopore deprimeris?

ADMIRANTIS hominis & importunam ſecuritatem accuſantis oratio eſt. Quid, inquit, vel tantæ præ alijs ſecuritatis vel ſegnitiæ es, qui ſolus in tanta temporum rerumque perturbatione, in communi omnium periculo, alijs & de ſe & de te etiam ſolicitis, tamen grauiter dormias; ſiue enim ſecurus iſtud agas, negligētiæ eſt, quę virum bonum minimè deceat; ſiue mœrore & timore oppreſſus dormias, nihil tamen ex iſto ſomno commodi experiri poteris. etenim grauiſſimis & turbulentiſſimis temporibus vigiles obniti, non ſegnes & fracto animo cedere oportet, quin potius omnia experiri; nam induſtriam & diligentiam felicitas comes ſequitur, maximè cùm nobis res nō cum ventis & mari, ſed cum numinibus ipſis eſt, quorum ira magis, quàm temporum tempeſtate vexamur. Oportet autem te omnem etiam operam in placando numine ponere: neque enim aliam ad ſalutem viam nobis muniri poſſe exiſtimamus ergo Pſalm.77.

Surge & inuoca Deum tuum, ſi fortè recogitet Deus de nobis, & non pereamus.

CREDIDERAT gubernator aut Dei, quem Ionas colebat, virtute & numine præ cæteris præſtanti, aut ipſius hominis etiam gratia & magno merito fieri poſſe, vt commune omnium periculum deprecarentur, ſi verò illius precibus impetrari contingeret, tamen Vatis negotium & diuinum conſilium nō ita apertum expoſitumque cęteris eſſet: neque enim hac in re Vatis, ſed ſuam cauſam à vate deſertam Deus tueri voluerat. quanquam autem plures eſſe dij gentibus putabantur, non tamen pari omnes vbique virtute & facultate pollere credebantur: etenim ei plurimum deferri ſolebat, cuius præſentiſſimam & maximam iuuandis mortalibus vim experiri contigiſſet. Hanc autem gloriam ſibi ſemper Deus cæli & terræ in omni de diuinitatis rationibus certamine & periculo hanc laudem vendicauit, vt cæteris omnibus & ſi diuinum nomen falsò aſſcriberetur, nullum tamen certæ virtutis aut facultatis numen attribui iure poſſet. cuius ſententiæ illud eſt: Quia ego cognoui quòd magnus eſt Dominus & Deus noſter præ omnibus dijs, omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis. Præterea illa etiam omnium gentium quæcunque ſapienter & conſideratè de rerum natura exiſtimauêre, firma & conſtans aſſenſio fuit, quoſdam eſſe homines qui præ cæteris ob pietatem & virtutem apud Deum merito & gratia valerent, vt Noë omnium gentium pater, qui gratiam apud Deum inueniſſe dicitur, cuius merito omni familiæ in communi diluuione fuerit proſpectum. Et Lot Moabitarum & Ammonitarum parēs patrui Abrahami gratia à Sodomorum incendio vna cum filiabus eſt liberatus. Eandem autem ſalutis conditionem virginum ſponſis, niſi deſipuiſſent, manere potuiſſe ex ſacris oraculis accepimus. Paulo etiam nauiganti omnium vectorum & ſociorum animæ condonatæ ſunt. Hanc etiam ſententiam ſibi ex antiquo receptam exteri etiam auctores retulēte.

Hic bellum lachrymoſum, & miſeram famem, Veſtemq; à populo & principe Cæſare in
Perſas atque Britannos Veſtra motus aget prece.

Huiuſmodi quiddam experiri gubernator cupiebat, videlicet egregiam quandam in Iona pietatem & innocentiam, quæ propitium ſibi Deum reddere poſſet; vel eximiam atque ſummam in Deo, quem ille coleret, virtutem, vt quæ alij vel præſtare nollent vel nequirent, ſolus ipſe præſtaret, vel vtriuſque etiam rei ſimul & hominis innocentiæ, & Dei illius præſtantiæ periculum in tanta calamitate facere, vbi cæterorum neque hominum preces valebant, neque deorum voluntatis aut virtutis, aut miſericordiæ argumentum vllum apparebat. Deus tamen in hac re numen imprimis ſuum, prouidentiam, virtutem & iuſtitiam nautis probare, & Ionæ etiam contumaciam publicè arguere & conſilium frangere ſuumque efficere parabar. Igitur vbi nautæ nullum neque in precibus & nuncupatis votis, neque in arte & induſtria atque opera ſua tempeſtati, quam diuinitus veniſſe intellexerant, remedium inueniſſent, maius aliquid & grauius eſſe, quamobrem vexarentur, ſuſpicati ſunt; cùm neque precibus neque rerum ſuarum deuotione numen illis placaretur, ſacrilegum quempiam aut ſceleſtum in ea naui eſſe putauerunt, cuius non res, ſed anima in ſtatera poſtulata tanto omnium periculo efflagitaretur. quod quemadmodum declinarent, prouidendum eſſe certiſſimè alioqui perituris, niſi vnius deuotione & ſupplicio nauis à ſceleris veſtigijs expiaretur. namque nocentis & ſceleſti hominis cauſam contubernalibus cæteris infeſtam & periculoſam eſſe, & ſecretioris ſapientiæ documentis, & doctrina inſtitu-

Ezech. tiſque atque opinionibus gentium eſt peruulgatum, ſicut ſcriptum eſt: Et corruent fulcientes Ægyptum. & apud exteros: *Vetabo qui Cereris ſacrum vulgarit arcana ſub iiſdem Sit trabibus, fragilemq́ mecum ſoluat Phaſellum, Sæpe Dieſpiter neglectus inceſto addidit integrum.* Et illud: *Pallas ne exurere claſſem Argiuûm, atque ipſos potuit ſubmergere ponto Vnius ob noxam & furias Aiacis Oilei?* Eius verò rei indicium & iudicium ſorte iacta diuino conſilio permittendum eſſe arbitrati ſunt, quòd illorum nemini magis certum aliud neque de ſeipſo, neque de alio quopiam in ea cauſa teſtimonium habere aut ſequi contingeret. fieri etiam poſſe putabant, vt exitij dies & modus cuipiam ex illis non tam culpa, quàm fato quodam præfixus eſſet, ſiue quòd diuino conſilio, ſiue cælorum, ſyderumq́ue ratione accideret. cuiuſmodi multa ex gentium diſciplina vulgò credebãtur: eius autem quicunque ille eſſet, cauſa aut culpa malum cæteris immineret, quod eiuſdem quem fata poſtularent, ſolo periculo deuitandum eſſe ſtatuerunt.

Et dixit vir ad collegam ſuum, Venite & mittamus ſortes, & ſciamus quare hoc malum ſit nobis.
Hebraicè eſt, *In cuiuſnam hoc malum nobis.*

IN *cuiuſnam* ſubaudiendum fato aut culpa. namque turbinem miraculo potius, quàm natura aut caſu extitiſſe ex ijs quæ à nobis indicata ſunt, argumentis intellexerant. ſiue enim naues aliæ ſimul nauigarent, eas ſummæ tranquillitatis curſum tenere videbãt, ſiue nullæ etiam aliæ eſſent, tamen tempeſtatis & ventorum vim in eam maris partem, atque in nauim ipſam, qua veherentur, potiſſimùm incumbere ſentiebant. Ex quo effectum eſt, vt cùm neque precibus, neque induſtria, neque prudentia & arte quicquam ſibi profeciſſent, cuiuſpiam ex contubernalibus cauſa ſeſe vexatos interpretarentur. At verò ſiue id culpa, ſiue fato acciderẽt, neutrum ſanè affirmare auſi, illud dixerunt, *&* videamus *in cuiuſnam hoc malum nobis.* Quod verò ait, *Et dixit vir ad collegam ſuum,*] communi omnium conſilio & ſententia rem conſtitutam eſſe ſignificat. *Vir* idem quod vnuſquiſque in loco ſignificare, iam diximus. illud verò pronomen *nobis* certum illis, præter alios nauigantes, atque naui eorum periculum arguit; id quod & Ionas ipſe eadem oratione vſus docuit: cùm enim rogaretur, Quid faciemus tibi & ceſſabit mare à nobis? reſpondit, Tollite me & mittite in mari, & ceſſabit mare à vobis: ſcio enim ego quòd propter me hæc tempeſtas grandis venit ſuper vos. Ex quibus locis omnibus eam nauim vehementiſſimo & certiſſimo quodam impetu iactatam & petitam fuiſſe intelligimus. neque verò ad eam rem ſemel tantùm ſortiri contenti ſunt, verùm vt non caſu, ſed certo iudicio & conſilio diuino illis hoc negotium expediretur, ſortes ſæpius repetere decreuerunt; quòd ſi omnes vni cuipiam ex ipſis ductæ eſſent, ad diuinum conſilium, non ad caſum reuocanda ſententia erat. fieri enim caſu non poteſt, vt repetita ſæpius ſors eidem ſemper vni edatur. hoc igitur certum ſibi nautæ iudicium præſcripſere, *Mittamus ſortes.* Singulis autem ſortitionibus Ionam aſſignatum appellatumq́ue fuiſſe ſcriptura ait, atque ea re permotos nautas rem diuino conſilio, non caſu conſtare intellexiſſe.

Et miſerunt ſortes, & cecidit ſors ſuper Ionam.

PLVRES ſortes eductas, ſingulas autem Ionæ editas fuiſſe ſignificat. ſed neque iudicio huiuſmodi ſibi ſatisfeciſſe videbantur nautæ, niſi diligenti aliqua inquiſitione & veri inueſtigatione cauſa conſtans certaq́ue redderetur. quanquam enim ſortibus eductis certa illis perſona eſſet, cuius cauſa tempeſtas & malum atque calamitas afferretur; tamen an illius culpa, an merito aliquo, an illata, an accepta ab eo iniuria, an aliqua alia re id cõtingeret, ignorabant; neque hominem deuouere ſtatim voluere, niſi rem ipſam & cauſam probè docti, quid potiſſimùm fieri oporteret, ſtatuerint. neque enim certum exploratumq́ue erat, an huius viri iniuriam acceptam, an illatam numinis ſententia & prouidentia perſequeretur, an fatum aliquod, an genus aliud eſſet, quod quomodo expiato opus eſſet, niſi perſpecta cauſa, diuinare aut conijcere rectè nequierunt. Id verò non alio modo commodius, quàm hominis ipſius indicatione doceri poſſe intellexere.

Et dixerunt ad eum: Indica nobis cuius cauſa malum iſtud ſit nobis. Hebraicè ſic, *Indica nobis in quo, cuinam malum iſtud nobis.*

DVPLICEM quæſtionem latam hæc oratio ſignificat; alteram de facto, alteram de perſona. namque facinoris cuiuſpiam cauſa ſibi malum afferri putabant: id facinus prius inquirere & cognoſcere, deinde hominem, quiſnam eius facinoris reus eſſet doceri ſtudebant, vt re & cauſa, aut culpa, aut merito cognitis, quid fieri potiſſimùm oportuiſſet, deliberaretur. Itaque Latina noſtra verſio vtramque partem complexa eſt, *cuius cauſa,* facti,

aut

aut hominis: vt autem aut facti, aut perſonæ notæ & argumenta certiora reperiri poſſent, quæſtio ipſa partitione explicatur:

Quod eſt opus tuum? quæ terra tua? quò vadis, vel ex quo populo es tu?

EX ANTEACTÆ vitæ conſuetudine, ex arte & exercitijs, ex patria, & eorum, quibus cum vixerimus, familiaritate argumenta facilè ad coniecturam petuntur, ex quibus iudicium fit, qualiſnam vnuſquiſque eſſe potuerit. [*Quod eſt opus tuum?*] Quædam enim artes ſunt, quæ vix ſine magno flagitio tractari poſſint, vt fœneratorum, quorum quæſtus plerumque improbantur; quædam natura ipſa nefaria, vt magorum, ſagarum, prædonum, & quæ aut ad ſuperſtitionem, aut ad hominum perniciem referuntur. huiuſmodi aliquid de Iona inquirebatur, quidnã illi artis eſſet, quæ numina ſibi infeſta reddidiſſet. [*Quæ terra tua?*] Hebraicè omnis hæc quæſtio hoc ordine conſtituta eſt: *Quod eſt opus tuum, & vnde venis? quæ terra tua, & ex quo populo tu es?*] Ad priorem quæſtionem de facto priora duo membra referuntur, *Quod eſt opus tuum & vnde venis?*] vt ex opere & ſocietate, aut eorum quibus cum vixeris conſuetudine turpem culpam ſuſtineas. duo autem poſteriora membra ad perſonam referuntur, de qua etiam quæſtio & inquiſitio inſtituta eſt: *Quæ terra tua?*] vt ex ſcelerata aliqua regione, cui dij marini, ventiq́ue, aut cælum ipſum, aut ſydera pertinaciter infeſta ſint, atque ita tu diuino erga regionem odio labores, aut forſan patriam dijs charam & gratam improbè deſerueris, aut alioqui violaueris; aut ſi neque officij, neque conſuetudinis aut generis tui, neque patriæ crimine teneris, num gentis & populi tui culpa, aut nefario ſcelere aſtringeris? aut honeſtum alioqui populum, quem ſummo amore & pietate, ſanctitate religioneq́ue omni proſequi oportuit, impiè & nefariè prodideris, cuius ſceleris à te pœnas ſuperi exigunt? vel populi tui fato vexaris, cui cælum aduerſam nauigationem & difficillimas tempeſtates ſemper paret? [*Ex quo populo tu es?*] vt eius populi aut odio aut crimine, aut fortuna tu primùm & nos tui cauſa premamur? Itaq. omnis inquiſitio eò ſpectat, vt maximo aliquo ſcelere aut priuato aut publico hominem obligatum eſſe ſuſpicarentur, aut ſibi aut à ſe illata iniuria notari, ſiue illa patriæ ſiue genti populoq́ue ſuo accepta fuerit, quam ea tempeſtas vlciſcatur. Ille verò rem ipſam confeſſus eſt, & quonam iudicio, qua culpa teneretur apertè expoſuit: non enim ſe vllius vel hominis, vel loci, vel gentis ſcelere angi, non alicui illatarum iniuriarum alligari, ſed pietatis officijq́ue deſerti crimine accerſiri, idq́ue non à cælo, non à mari, neque à terra, ſed à Deo maximo & ſummo omnium rerum opifice & gubernatore, quem ſibi iratum maximè formidet, quòd omnium aliarum rerum præſtantiſſimum & potẽtiſſimum vltra omnem comparationem agnoſcat.

Et dixit ad eos: Hebræus ego ſum: & Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare & aridam.

QVOD nomen latinè eſt *Hebræus*, Hebraica origine prætereuntem prætergreſſorem ſonat; hoc enim nomen Hebræis impoſitum eſt à Semo Noë filio, cuius familia Euphrate Gen.10.
fluuio traiecto nouas ſedes ſibi quæſiuerat, ipſe enim eſt pater omnium filiorum Heber. Gen.4.
Ex qua etiam ratione Abraham, quòd à Chaldæa natione ad Chananæam tranſmiſſo flumine commigraſſet, dictus eſt Hebræus. Igitur Ionas non tam genus ſuum, quàm culpam hoc nomine indicare voluit, & diuinum mandatum à ſe ſtudioſè præteritum eſſe oſtendit. nam præterire verbum non ſemel ad diuinarum legum, iuſſionum & præceptionum contemptores & deſertores in ſacro ſermone transfertur: vt, Nonne Achan filius Zaræ Ioſu.22.
prætergreſſus mandatum Domini, & ſuper omnem populum Iſraël ira eius incubuit? & ille "
erat vnus homo, atque vtinam ſolus perijſſet in ſcelere ſuo! & apud Ieremiam Deus: In- "
craſſati, inquit, ſunt & impinguati: prætereierunt ſermones meos peſſimè. Huiuſmodi man- "
datorum Hebræum, hoc eſt prætereuntem ſeſe confeſſus eſt Ionas, non qui hominem Ierem.5.
quenquam læſiſſet, aut læſus à quoquam fuiſſet, non qui patriæ malum aut tuliſſet, aut intuliſſet, ſed qui mandatum, (vt ita latinè dicamus) præterierit. atque hac reſponſione alteri de facto quæſtioni ſatisfecit: interrogatus enim fuerat, *Indica nobis in quo?*] Alteri verò de perſona à ſe læſa, aut ſibi infeſta, de loci, de terrę gentiſúe cuiuſpiam integritate aut ſanctitate violata, cuius imprecationibus ageretur, aut fato premeretur, oportuniſſimè occurrit.

Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare & aridam.

NVLLA alia vi aut fato, nullius alterius perſonæ vel gentis merito, imprecatione aut deuotione ſe agi, neq. alterius criminis cõſcientia ſtimulari aut metu terreri, præterquam vnius Adonai veri Dei, cuius ſuo facto offenſionem incurrerit, cuius virtute & efficientia cùm omnis orbis conſtet, nutu etiam atque arbitrio gubernatur: itaque eum ſolum eſſe,

quem ipſe timeat, atque eius in ſe excitatæ tempeſtatis auctorem agnoſcat. itaque ſibi nihil à cælis, à mari, aut à terra mali metuendum eſſe, ſed ab eo, cuius voluntati cælum, mare, & terra obediat & pareat. ſi quid autem à cælo importunum aut violentum, ſi quid à mari turbulentum, ſi quid à terra impetuoſum patiantur, totum id ſua culpa & diuino imperio accidere. Qua oratione veri Dei à ſe culti nomen, virtutem, auctoritatem, iudicium, conſilium, ſeueritatem, prouidentiæ denique rationes præſtantiſſimas, ſimul & factum culpamque docuit ſuam. Deum igitur cæli & terræ ego timeo, cuius à me imperio neglecto vobis hæc calamitas cælo, mari & arida allata eſt. Deum autem cæli appellat, vt cælorum virtutem, qua omnis aliarum rerum natura gubernari putabatur, diuino ſubeſſe & parere arbitrio doceret. Si quid verò præterea virium in aquarum & terræ naturis, ſi quid momenti ineſſet, id omne Deo auctori aſſcriberetur. [*Deum cæli*, cuius præcipua ſedes cælum eſt, *qui fecit mare & aridam.*] Naturæ ordinem obſeruauit. namque conditi orbis initio terra non prius extitiſſe dicitur, quàm in vnum locum aquæ cógregarentur, atque ita mari & terræ præſcriptis ſedibus ac legibus, ſeſe continere, vt nihil, neque tantillum quidem fuerit contrà tentatum, ſicut ſcriptum eſt: Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur, neque conuertentur operire terram. Huiuſmodi autem confeſſione cùm Vatis culpa pateſieret, culpæq́ue ſumma eſſet, quòd diuinum mandatum præteriјſſet, continuò omnes qui aderant, magno timore perculſi ſunt, quòd ſibi quiſque non ſemel deliquiſſe, & diuinum imperium voluntatemq́ue violaſſe conſcius eſſet.

Pſalm. 103.

Et timuerunt viri timore magno.

NECESSE enim fuit quemque delicto ſuo vehementer commoueri, cùm Ionam ob vnam violatæ diuinæ voluntatis culpam tanto timore affectum eſſe intellexiſſent.

Et dixerunt ad eum: Quid hoc feciſti? Cognouerunt enim viri, quòd à facie Domini fugeret, quia indicauerat eis Ionas.

Ex eius confeſſione didicerant eum fugere à facie Domini, quòd ſe prætereuntem confeſſus eſſet, prætereuntem autem & violantem voluntatem Dei, quem cæli, terræ, mariſque auctorem ipſe crederet. quæ res vnà cum timore admirationem viris mouit non paruam, quòd is, qui tanta de Dei virtute, prouidentia, maieſtate & ſeueritate cognoſceret, tamen cum ſuo atq. aliorũ maximo & certiſſimo periculo eã fugã adornaſſet, atque in eum ſeſe timorem vltrò inieciſſet, neque ſatis mirari poterant quæ tanta res eſſet, quæ eum in eam mentem impuliſſet. neque enim illis conſilium ſuum Ionas aperuerat, tantum quam culpam ſuſtineret, & cuiuſnã iudicis iudicium experiretur & perhorreſceret, indicauerat. [*Quid hoc feciſti?*] Admirantis oratio magis, quàm interrogatio eſt. qui conuenit, inquiunt, vt tu iſta notitia, iſta de diuinis rebus cognitione præditus, tamẽ mari fugere eum Deum, quem maris auctorem agnoſcas & prædices, cogitaueris? Interea verò cùm cauſa ipſa apertior eſſet, & diuinum iudicium manifeſtum, vt omnis ea res cumulatis indicijs & notis, atque periculorum ſignis illuſtris magis & confirmata redderetur, mare ipſum, quod diuino arbitrio parêre Ionas docuerat, vehemẽtius turbari atque intumeſcere horribili fluctuum ſonitu pergebat, perinde ac ſi cauſa examinata cõuictum & damnatum iam hominem ad pœnam poſtularet atque efflagitaret, maximo omnibus alijs ſi recuſarent, oblato periculo. Quanquam verò illis terribile & inſtans admodum commune malum immineret, tamen in ea re nihil temerè ſtatuere placuit, ſed ab ipſo Deo qui rem indicauerat, aut ab eius interprete & totius cauſæ oratore Iona ſententiam requirere, & quemadmodum commune illud periculum auerti poſſet, doceri. etenim Dei cæli & terræ & maris, cuius conſilium agnoſcerent, numen placari oportere ſatis manifeſtè intelligebant. at verò quemadmodum id purè ſanctéque fieri poſſet, non ſanè perſpectum illis erat: hominem igitur ipſum qui culpæ ſuæ & religionis etiam rationes optimè noſſet, & quibus potiſſimùm rebus & modis expianda ea eſſet, melius, quàm ipſi, cognoſceret, de ea re conſulunt.

Et dixerunt ad eum: Quid faciemus tibi & ceſſabit mare à nobis? quia mare ibat & intumeſcebat ſuper eos.

PRVDENTIS & pietatis ac religionis pleni conſilii imaginem intueri licet: non enim nautæ & cæteri, qui cum Iona erant, hominem, cuius cauſa periculum ſibi creatum intelligebant, inuidia proſecuti populari tumultu, vt fit, præcipitem dare cogitabant, ſed religione potius interpoſita ſapientiori cõſilio opus ſibi eſſe duxere, ne aut maius ſibi crimen, ſi non expiaſſent, aut maximum, niſi purè, ſanctè ac rectè expiandum curauiſſent, conflaretur. Conſulitur igitur Ionas, quanam ratione commodius & certius ac melius ea res

expediri poſſit, num reduci eum atque ad terram reuehi opus eſſet, num votis pro illius ſalute communiter nuncupatis & ſolutis, num precibus & ſacrificijs numen placandum ſibi eſſe intelligeret. [*Et ceſſabit mare à nobis.*] quod in horas magis ſæuire & vehementius fremere, atque ſibi, niſi maturè conſuluerint, minari inſtareque ſentirent. Quod autem dicit: *A nobis, &, ſuper eos;*] ad id, quod antè ſignificabamus, refertur, certiori impetu in eos tempeſtatem ſæuire, vt res non caſu, ſed conſilio agi intelligeretur. [*Quia mare ibat & intumeſcebat ſuper eos.*] *Ibat*, continuum incrementum hic dicendi modus indicat, vt, aquæ ibant & decreſcebant. neque tamen Ionas ab inſtituto propoſitoque ſuo deterritus eſt, ſed perire potius, quàm legatione ſua ad Niniuitas fungi cogitauit, ne inimicæ nationi via ad ſalutem muniretur, quam gentis ſuæ ſtudio perditam cupiebat: contubernales vt ſe in mare conijcerent hortari & ſuadere cœpit: hac vna re & curis ſuis finem & hoſtium rebus exitium, & tempeſtati ſociorumque calamitati modum offerri poſſe arbitratus. etenim ſui vnius cauſa illam tempeſtatem cæteris, quibus cum erat, veniſſe iam inde ab initio intellexerat, cùm ſeſe mœſtum curaque confectum ſopori dediderat. Ita cùm præ ſuorum ſtudio nullam rem aut ſibi optandam aut formidandam duxiſſet, deliberato ad mortem animo, Gen. 8. "

Dixit ad eos: Tollite me & mittite in mare, & ceſſabit mare à vobis: ſcio enim ego, quoniam propter me tempeſtas hæc grandis venit ſuper vos.

FACILE perſuaderi potuerunt nautæ verum eſſe id quod à Iona diceretur, ſui vniuſ cauſa eam tempeſtatem illis veniſſe, quam ad diuinum conſilium & miraculum referendam eſſe & magnitudo ipſa, & certus in eam nauem impetus arguebat. namque id iudicium, ſortes non ſemel vni eidem homini editæ, & procellæ poſt ſortes & poſt confeſſionem incrementum & vehementior ſemper vis confirmauerant. accedit etiam ad hoc deliberatæ ab homine mortis optio, quam vt terribilium omnium vltimum nunquam ille niſi re planè perſpecta & cognita depaciſceretur. quamobrem ait: *Scio ego quòd propter me*, Hebraicè, *quod in eo quod mihi.*] hoc eſt, mea vnius culpa & cauſa. nullius quippe veſtrũ tempeſtate hac aut officium requiritur, aut obſtinatio accuſatur, aut vita appetitur. hac autem vna re & mihi & vobis conſuli & Deo meo ſatisfieri à vobis poſſe intelligo, ſi quamprimum ſublatus in mare conijciar, nihil amplius moleſtiæ ex hac, quæ nunc maxima procella eſt, habituris. Neque verò aut mirum aut incredibile videri alicui debet, tantam eſſe potuiſſe Vati ſententiæ obſtinationem, vt nec religione, nec etiam periculis deterrito, à propoſito declinare potius quàm mortem paciſci optaretur. quandoquidem multi olim & maximi viri fuerint, qui populi gentiſque ſuæ ſtudio non modò ſe & caput ſuum, ſed ad æternam felicitatem pertinẽtes ſibi res deuouere non recuſauerint, vt Moſes, Aut dimitte, inquit, eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti. & alio in loco: Sin aliter, inquit, tibi videtur, obſecro, vt interficias me. &, Dauid dixit ad Dominum: Ego ſum qui peccaui & ego iniquè egi: iſti, qui oues ſunt, quid fecerunt? vertatur obſecro manus tua contra me & contra domum patris mei. huiuſmodi conſilio & ſtudio incenſus Ionas mortẽ depaciſci potius, quàm eius, quam ſuæ genti exitio futurã cognouerat, nationis cauſa diuinum mandatum agere cupiebat. Studioſiſſimè autem & diligẽtiſſimè à Ionæ contubernalibus prouiſum eſt, ne quid aut in procuranda religione prætermiſſum, aut in expianda præter ius faſque commiſſum eſſe videretur. quamobrem vt omnia prius experirentur, quàm aut ipſi perirent, aut hominem temerario aliquo iudicio perderent, cùm nullam præter hominis ipſius certiſſimam adhuc de ea re ſentẽtiam habuiſſent, qua quid facto opus eſſet manifeſtè intelligerent, diuinam ſibi voluntatem alijs tentatis rebus declarari cupiebant, ne fortaſſe vir ille aut animi obſtinatione, aut vitæ tædio nefariè ſibi mortem ipſorum miniſterio & opera conciſceret potius, quàm diuinis mandatis parere vellet. Præter ea igitur, quæ curata ab illis & tentata hactenus fuerant, aliud etiam ad numen placandum, & ad ſalutem ſibi parandam elaboratum eſt; quod vbi fruſtra tentatum fuit, ad preces & ſceleris deprecationem eſt deuentum. Exod. 32 Num. 11. 2. Sam. 24 " "

Et remigabant viri vt reuerterentur ad aridam, & non poterant, quia mare ibat & intumeſcebat ſuper eos.

DEVM cæli mariſque auctorem quemadmodum placare ſibi poſſent, omni ſtudio curabant, quem ob Ionæ fugam iratum infenſumque eſſe cognouerant: experiuntur igitur conuerſo curſu nauim ad terram appellere, vt exponentes hominem & diuina mandata & ſalutem ſuam procurarent. contractis igitur velis remorum impulſu terram contentiſſimè repetere conati ſunt, *Vt reuerterentur ad aridam.*] Fieri enim forſitan poſſe putabant, vt quorum fuga mari numen infenſum experta eſſet, reditus rurſus in aridam eorundẽ Deo

probante ſuccederet. Sed cùm omni vi & impetu omniq́ue ſtudio nauem remis propulſare contendiſſent, *non valebant*; quòd maioribus ſemper fluctibus iactati, minus etiam obniti poterant, & grauiori maris impetu repellebantur, vt ea res contrariam Dei illorum conſilijs voluntatem facilè ſignificare poſſet, quando nec antea velis altum, neque nunc remis terram petere valerent. Olim naues omnes, ad quencunque nauigandi vſum pararentur, & velis & remis inſtructæ fuere; pro temporum autem & opportunitatum rationibus nunc alterum, nunc vtrumque genus tractabatur. [*Super eos*] certo quodã maximoq́ue impetu & fremitu; qui diuinam voluntatem illis planè indicabat. Vbi autem rebus conſilijs, atque omni contentione, omni diligentia & induſtria conſumptis, nihil tamen ſibi profeciſſe intellexiſſent, vnius capitis periculo & diuinæ voluntati parendum & communi ſaluti cauendum putauere. Id autem vt tutius & ſapientius fieret, à ſupplicatione & ſceleris deprecatione auſpicandum duxerunt.

Et clamauerunt ad Dominum, & dixerunt.

VEHEMENTEM animorum impetum & motum, grauemq́ue cogitationem clamor prodebat, nec leuem ipſis rem, nec facilem parari agiq́ue indicabat, ſed quam non oratione modò, verùm vocibus & clamoribus etiam declararent. Quod verò additur, *Et dixerunt*, non leuis, ſed grauiſſimæ ſententiæ orationem illis inſtitutam habitamq́ue fuiſſe ſignificat; cuius hoc exemplum fuit:

Quæſumus Domine ne pereamus in anima viri iſtius, & ne des ſuper nos ſanguinem innocentem: quia tu Domine ſicut voluiſti, feciſti.

MAXIMÆ religionis & non vulgaris ſapientiæ argumenta, de diuina virtute & prouidentia reconditas exquiſitaſq́ue ſententias hæc oratio continet; cuius omnes partes expendere & pro dignitate tractare, & ad ſuas in oratoria arte præceptiones reuocare, alterius loci & tẽporis nobis erit, nunc ſententiæ tantùm ſignificatione contentis. Eius igitur non ſimplex argumentum ac genus eſt; namque tranſlatione primùm, deinde deprecatione conſtat, & æquitatis, ac miſericordiæ definitionibus & rationibus nititur, cuius artificioſa argumentatio ex dilemmate naſcitur; hoc modo: Aut homo hic ſupplicio morteq́ue dignus eſt, aut non; ſi vnus ex omni contubernio capitali culpa tenetur, id vni ipſi exitio fraudiq́ue eſto; cæterorum verò, qui ſceleris expertes ſunt, innocentiæ parcatur: ſi verò & innocens atque integer hic eſt, vt noſtra opera pereat nefas habendum eſt: igitur quid potiſſimum fieri oporteat, quid maximè expediat, diuino conſilio iudicio & virtuti potius permittere & credere, quàm temere aut nefariè ſtatuere & ſuſcipere certum adhuc eſt, niſi alioqui diuinitus certa aliqua magis ſignificatione doceamur. Igitur orationis explicatio huiuſmodi eſt: O Adonai, cuius nutu & arbitrio cælum, mare & arida gubernatur, cui nihil aut ignotum, aut incertum, aut factu difficile eſt, ſi tibi inuiſus vir hic præter ceteros fuit, facilè ipſe ſolus perdi à te vel peſte, vel morbo, vel alio mortis & ſupplicij genere poteſt; namque etiamſi tempeſtate non pereat, multæ reliquæ ad mortem viæ ſunt. Vnius verò hominis morte digni cauſa tempeſtatem & commune etiam innocentibus mortis periculum allatum, & noſtrum deprecari, & æquitatis ac clementiæ tuæ propulſare eſt. Igitur ſi nulla noſtra culpa in tempeſtate perire commeriti ſumus, preterquam quòd huius viri, quem tu perdere decreueris, anima nobiſcum in eadem naui eſt, ne (quæſo) pereamus & nos omnes cum illo. quòd ſi integer is vitæ & ſceleris purus eſt, ne nos tanto ſcelere aſtringi ſinas, vt perdendi in mari hominis auctores & miniſtri temerarij & nefarij dicamur. [*Et ne des ſuper nos ſanguinem innocentem.*] Cuius vel innocẽtia ſedata tempeſtate aut alio quouis ſigno tibi indicatu, vel culpa & impietas quouis alio mortis genere præter commune omnium noſtrum & nauis periculum punitu facillima eſt; nihil enim vel conſilium prouidentiamq́ue tuam latêre, vel virtutem potentiamq́ue atque efficientiam fugere poteſt. atque vt hactenus quicquid volueris cælo, mari, ac terra effectum eſt, ita etiam quidquid quocunque modo expediri volueris, ſine vlla mora explicabitur. [*Quia tu Domine ſicut voluiſti, feciſti:*] ſiue hoc natura ſua facillimum, ſiue difficillimum factu ſit, tuo tamen conſilio ac nutu abiecta omni cunctatione fiet, ſicut ſcriptum eſt: Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis. Sed cùm rebus omnibus tentatis, & feruentiſſima oratione ac precibus maximo clamore fuſis, non minore tamen tempeſtatis impetu & violentia ſeſe opprimi ſentirent, poſtremi apud ſe conſilij remedium experiri decreuerunt.

Et tulerunt Ionam, & miſerunt in mare; & ſtetit mare à feruore ſuo.

VERBVM, *tulerunt*, id hoc in loco ſignificat, quod ſuſtulerunt. Eſt autem diſpunctio in oratio-

oratione, *ſuſtulerunt Ionam*: quæ ſententia integra clauditur, & certa quædam actio ſignificatur: quam ab antiquiſſimis Hebræorum annotatam videmus, quibus linguæ ſuæ rationes maximè exploratæ fuerunt. namque non modò ſingulas orationes, ſed verba etiam ipſa & clauſulas, & interpuncta verborum in diuinis libris obſeruanda & expendenda eſſe, vt neque iota, neque apex vnus prætermittatur, & à Chriſto præceptore, & ab omnibus alijs, qui hæc ſtudia ſapienter tractauere, docemur. Igitur, *Tulerunt Ionam*, illud ſignificat, Ionam rei tentandæ cauſa ſublimem fuiſſe ſublatum; mare autem perinde ac ſi hominem expeteret, aliquantulũ conquieuiſſe; quod antehac ſemper vehementius intumuerat. hac autem diuini conſilij ſignificatione, & ſedandæ tempeſtatis oſtenſa ſpe tandem in mare fuiſſe coniectum. In Eleazari autem antiquiſſimi diuinorum librorum interpretis tractatu, qui circa Chriſti ætatem ſcripſiſſe dicitur, quintum hoc periculum à viris illis factum traditur, quo diuinum de ea re conſilium diligentius exquireretur. nam poſt priuatas Deorum inuocationes, poſt iacturam factam, poſt eductas ſortes, poſt orationem & deprecationem communiter ſuſceptam, illud poſtremum ſæpius tentauerunt, vt ſublatum hominem in mare vſque ad collum demitterent, rurſuſque ad ſeſe in nauim reciperent; eueniſſe verò ait, vt quoties demiſſus eſſet, mare conquieſcere; cùm autem receptus, rurſus fremere & intumeſcere ſentiretur; quo ſigno diuinæ voluntatis certiores ſæpius facti Ionam tandem in mare coniectum penitus demiſere. [*Et ſtetit mare à feruore ſuo.*] Nouus etiam repentè ſedatæ tempeſtatis modus diuinum conſilium & prouidentiam manifeſtè probat, ſicut & excitatæ primùm improuiſus impetus, & in ipſos potiſſimùm furentis aucta vis probauerat. nam cæteræ quæ ventorum vi ſecundùm naturam excitãtur tempeſtates, & paulatim creſcere, & ſenſim pedetentimque mutationẽ facere ſolẽt. Quanquã enim venti poſuerint, *Sed tamen à vento, qui fuit, vnda furit*, ait poëta: Hanc autem tempeſtatem non modò ſubitò extitiſſe, ſed repentè etiam penitus ſedatam fuiſſe ſatis argumenti fuit, rem omnẽ diuino conſilio fuiſſe confectam. [*Stetit mare*,] non remiſiſſe, ſed ſteriſſe ſuumque æſtum repentè continuiſſe ait: Hebraicè verbum eſt GHAMAD quod Latinè reſiſtere Terentius dicit. Eſt autem ſiſtere ſiue reſiſtere, id quod in motu eſt firmum facere. Vnde Ghamud columnam & firmitudinem ſignificat: mirabile autem fuit mare in ipſo æſtu, in ipſo fluctuum medio feruore fuiſſe firmatum. Sed & illud ad miraculum & prodigium arguendum confirmandumque plurimum contulit, quod verborum ratione ipſa ſignificatur: id autem eſt, ventorum vim à Deo immiſſam, quæ mare primum excitauerat, ſtatim euanuiſſe; neque tamen fluctus ſemel commotos antè ſedatos fuiſſe, quàm Ionas in mare coniectus eſſet. Itaque mare ipſum nouo impetu ſemper obnitentibus nautis inſtitiſſe. Etenim vento ſemel commotio fluctuum aſcribitur; cætera autem omnia mari attributa ſunt. Quid faciemus, inquiunt, tibi & ceſſabit mare à nobis? quia mare ibat & intumeſcebat, & non valebant viri contra remigare, quia mare ibat & intumeſcebat ſuper eos. Hactenus diuini conſilij & pertinacis aduerſum hoc humani propoſiti comparatio facta eſt, & non modò vlla re impediri, ſed quo magis repugnatum ſit, multo etiam magis diuina negotia prouehi & illuſtrari planè compertum eſt. cui rei certiſſimum & illuſtriſſimum exemplum hoc in loco eſt adiunctum, quòd diuina gloria ex Ionæ fuga nõ ſolùm non imminuta, ſed aucta etiam apud homines fuerit.

Et timuerunt viri timore magno Dominum, & immolauerunt hoſtias Domino, & vouerunt vota.

MAGNAM viris illis omnibus religionem hoc miraculo & diuinæ prouidentiæ manifeſto teſtimonio fuiſſe ſuſceptam, maximumque ſibi Ionæ Deum habitũ, illique diligentem cultum eſſe tributum hac oratione docemur: namq. timor cùm ad diuinas res refertur, religionis & pietatis rationibus explicatur. Igitur vehemẽtiſſimo & pientiſſimo erga eum Deũ, cuius tantam, tã præſentem virtutem, tam certã in officij deſertores ſeueritatem experti fuiſſent, timore affecti ſunt, quem omni cõſilio atque ſtudio ſibi placatum propitiumq́. eſſe optauêre; id verò ſtudium, eamq́. voluntatem non verbis & oratione tantùm, ſed rebus etiam & actionibus profeſſi ſunt. Namque & legitima ſacrificia ſeſe Ieroſolymis facturos recepêre, & alia præterea vota nuncupauêre, quæ commodè perſoluta ſunt: cuiuſmodi multa fieri ab ijs ſolent, qui deſcẽdunt mare in nauibus facientes operationem in aquis multis. omnibus igitur Deus ille Ionæ maximus, & optimus eſt habitus, & votis nuncupatis & ſolutis, ſacrificijs factis, & donis ac muneribus delatis eſt prædicatus. Hæc autem res quanquam oratione non narretur, ratione tamen ipſa arguitur: neque enim in naui ſacrificia fieri Adonai, neque ſolui vota potuêre, qui neque alibi quàm Ieroſolymis ſacrificia eo tẽpore ſibi fieri, aut vota ſolui voluit. Quamobrẽ rectè locus hic à Chaldæo interprete eſt explicatus: *Et dixerũt ſe ſacrificia facturos Domino.*] Vota aũt pro reditu & ſalute

(margin: Ouidius. — Pſal. 103.)

pro diuina in ſe gratia & miſericordia nuncupauerunt. Oportuit autem hos omnes vbicunque poſtea fuerint, ſedulos atque diligentes huius diuini facti teſtes & prædicatores fuiſſe.

CAPVT SECVNDVM.

ET præparauit Dominus piſcem grandem vt deglutiret Ionam: & erat Ionas in ventre piſcis tribus diebus & tribus noctibus.

NVLLVM eſſe adeò certum & extremum periculum, quod vel præſentiſſimo Dei auxilio, ſi res ipſa ferat, perrumpi ſubitò non poſſit; nullam præterea tantam eſſe poſſe aut rerum aut locorum difficultatem, in quã certa ad diuinũ efficiendũ conſiliũ via non facilè muniatur, hæc imprimis narratio docet. Quod nulla ratione, nullo modo Ionas, neque mortis etiam pactione, quę vltima rerum linea viſa etiam ſapientibus huius mundi eſt, impoſitum ſibi onus abijcere aut deponere potuerit, quo minus tandem perferret. eodem enim auctore Deo, cui pertinax ad mortem vſque Ionæ conſilium perſpectum fuerat, & tempeſtas excitata, & piſcis quidam, cui coniectus in mare homo antequam ab aquis occuparetur, excipi poſſet, præparatus eſt; vt è naui in beſtiæ viſcera tranſlatus, non conditionem, ſed vehiculum mutaſſe dici potuerit. Præterea diuinæ patientiæ & clementiæ imaginem in huius viri negotio expreſſam intueri licet, quemadmodum contumaces homines, quos conſilio ſuo ſtudioſè deeſſe Deus intelligat; tamen omnibus commodis & incommodis ab inſania reuocatos, ad ſanitatem conuertere ſtudeat. perinde atque facere ſapientes medici ſolent, qui de mentis ſtatu & loco dimotos homines primùm conſilijs & ſuaſionibus; deinde vinculis iniectis, & nouis ſemper difficultatibus excogitatis ad ſe tandem redire cogunt. Igitur diuinum conſilium & certam erga ſe curam interpretari oportet; ſi quis ab officio & recta viuendi via vltrà aberrans ex alia in aliam difficultatem delabatur. Quem autem piſcem hic liber nominat, Chriſtus ex cetorum genere fuiſſe dicit. Ea enim beſtiarum natura nullam in mari aut corpore aut figura vaſtiorem eſſe, ex ſacra philoſophia didicimus, ſicut ſcriptum eſt: Creauit Deus cete grandia. Iam verò rem ipſam intueamur, & quantis miraculis illuſtrata, quantis prouidentiæ rationibus ornata fuerit, animaduertamus. Primùm illud mirabile eſt, quemadmodum omnis quæcunque in mundo natura eſt, diuinum conſilium & voluntatem omni diligentia & opera conſequatur. Ventis repentè extantibus mare agitatur & turbatur; neque tamen remittentibus ſedatur, ſed vehementius etiam vrget, nauigiumque multis premit modis, atque obnitentes nautas obſidet & occupat, quos iacto & tradito Iona ſubitò obſidione & periculo liberat. Adeſt piſcis diuinæ poteſtatis ſatelles diligentiſſimus, qui eiectum hominem, quò Deus iuſſerit perferendum excipiat. deinde verò miracula ipſa & numero & magnitudine creſcunt. nam cùm fieri ſecundum naturam non queat, vt concluſus in calidiſſimo piſcis ventre homo quiſpiam, vel ad horam viuus duret, quod animæ partem, quæ ducendo ſpiritu cordis ventriculo concipitur, frigidam eſſe oporteat, Ionam totum triduum in illis olidiſſimis & calidiſſimis ceti viſceribus vixiſſe, præcipuo cuidam numinis eius muneri eſt aſcribendum, qui concluſum in materna aluo fœtum tot menſibus ſine cibo aut potu, ſine egeſtionis, ſine frigidæ reſpirationis vſu continet. Quam rem, quamuis frequentiſſimam, tamen admirabili Dei prouidētiæ acceptã eſſe referendã Dauid aſſerebat: In te cõfirmatus ſum ex vtero, & de vẽtre matris meę ſuſceptor meus es tu. Qui tres illos clariſſimos & fortiſſimos viros Ananiam, Miſaëlem & Azariam viuos & integros atque omnino incolumes in ardentiſſima fornace conſeruauit. Sed id magis etiam admirabile eſt, non ſolùm animæ Ionam in anguſto illo & incõmodiſſimo carcere, ſed mentis etiam ſuæ compotem adeò fuiſſe, vt grauiſſimam & cultiſſimam orationem carmine etiam conficere & habere agereque potuerit. Quæ verò de ſignificantiſſima illa arcanaque imagine Chriſti Ieſu in corde tribus diebus & noctibus concluſi, quam Ionas in ſignum Niniuitis datus expreſſerat, dici potuiſſent, maiora & grauiora ſunt, quàm aut hic locus capere, aut hoc ingenium ſuſtinere valeat. Quamobrem vel in aliud tempus differenda, vt ſi non pro dignitate tractari, pro tenuitate ſaltem indicari nobis poſſint, vel ſapientiori poſt nos interpreti relinquenda, vel ex ſanctiſſimorum hominum qui ante nos ſcripſêre libris petenda duximus.

Matth. 12.

Gen. 1.

Dan. 3.

Et orauit Ionas ad Dominum Deum ſuum de ventre piſcis, & dixit.

VERBVM, orauit, in vltima Hebræorum coniugatione cõſtitutam illius linguæ vſu & con-

& couſuetudine reciprocationẽ habet, atq. ad eã perſonã de qua ſermo eſt, certo quodam modo refertur, ita vt IITHPALEL, quod Latinè vno verbo dici non poteſt, pluribus vix explicari poteſt, hominem iam conſilium & propoſitum mutantem, & ab omni alia cogitatione ad ſupplices preces ſeſe conuertentẽ arguat, vt qui nullo alio modo, nullo periculo antehac fuerit de ſententia deterritus, nunc iam tandẽ in tantas anguſtias adductus reſipiſcat, & mutato conſilio pœnitens nihil aliud potius ſequatur, quàm vt Domino Deo ſuo ſeſe proſternens fracto atque humiliato animo ſupplicet. atque huius ſententiæ eſt, quod Dominũ Deũ ſuũ appellet. Prius nomẽ *Dominum* illud tetragrãmaton eſt, quod miſericordiæ rationes præcipuas continet. Poſterius verò nomen *Deum ſuum* prouidentem, & gubernatorem ſignificat. Itaque oraſſe Ionam ad Dominum Deum ſuum, Vatem ſeſe ſupplicem miſericordi & prouidenti atque totius orbis gubernatori, ſui autem præcipuè curanti Deo, qui tot tantiſque rebus, actionibus & periculis eum ad ſanam mentem officiumque reuocare ſtuduerit, prębuiſſe. [*De ventre piſcis*] Præpoſitio non locum, ſed afflictionem & miſeriam indicat. namque in hac ſignificatione frequenter apud ſacros auctores vſurpatur: vt, De tribulatione inuocaui Dominum: &, De profundis clamaui ad te Domine. Itaque Ionam in hoc extremo periculo conſtitutum, ad ſeſe atque ad Dominũ Deum ſuum reuerſum tandem fuiſſe ſignificat. orationem autem grauiſſimæ ſententiæ fuiſſe illud verbum arguit, *& dixit*: namq. in certa ratione & ſapienti cogitatione verbi AMAR, apud Hebræos: vt, *dicere*, apud Latinos, vſurpatio eſt: vt, Et reſpondit Iob & dixit: &, Reſpondit Eliphaz Themanites, & dixit. Quod autem quidam hanc orationem poſt euaſum periculum à Iona habitam eſſe putauerunt: præterquam quod implorandi numinis opportunitate redarguitur, quę in ipſo ſemper difficultatis articulo eſſe debet (intempeſtiuè enim poſtquam periculo functus fueris inſtituitur oratio; namque eo tempore ſupplicationes potius, ſiue gratiarum actiones dicere maluerimus, commodè decerni ſolent) id etiam ipſa narratione refellitur. Neque enim Ionas poſtquam eiectus ad terram fuerit, ſed de ventre piſcis, hoc eſt, eas maximas anguſtias, in quibus erat, deprecatus orauiſſe dicitur. Id verò quod in hanc opinionem adducere huiuſmodi interpretes potuit; nẽpe omnia fere orationis huius verba præterito tempore fuiſſe pronuntiata, nihil omnino apud eos põderis habet: quibus prophetici ſermonis ratio perſpecta eſt, in quo ſermone præſentia & futura præterito tempore, vt certiſſima dicentibus enunciari ſolent: atque hoc modo ſatisfeciſſe huic dubitationi non incommodè ſapientes quidã interpretes ſibi viſi ſunt, ſed & nos obſeruatis etiam temporum rationibus commodius fortaſſe ſatiſfaciemus, illud præfati hæc non ſolùm prophetica oratione dicta, ſed poëticà etiam ſublimitate fuiſſe decantata: vtraque autem de cauſa, vt à communi ſermone longè remota ſunt, paulò eſſe ad interpretandum difficiliora: accedit carminum & pedum lex, quæ orationem non vagari permittit, ſed compedibus aſtrictam, certis numeris moueri iubet. Eſt autem Lyricum carmen tricolon tetraſtrophon, non multum ab eo genere diſtans, quod à Græcis & Latinis poëtis huius exempli receptum eſt:

Et thure & fidibus iuuat
Placare, & vituli ſanguine debito
Cuſtodes Numidæ deos.

Niſi quòd quartus verſus breuior eſt, in hunc modum: Horat. lib. 1. Od. 36.

Anguſtiis nimium mihi rebus
Te Dominum carmine ſupplici
Imis de barathris voco, &
Audieras, vocem.

Iam verò orationis ſententiam explicemus.

Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me; de ventre inferi clamaui, & exaudiuit vocem meam.

HVIVSMODI autem orationis argumentum eſt: Ionas cùm ſeſe nec in mare coniectum perijſſe, nec à piſce deuoratum aut vitã aut ſenſum amiſiſſe viderit, intellexit diuino hæc ſibi beneficio contingere. quamobrem in maximam futuræ tandem ſalutis ſpem ingreſſus mutato iam conſilio Deum ſupplex adorat, & quibus cooperiatur miſerijs, quibuſque ad ſalutem nitatur miſericordijs, exponit; rem autem ipſam omnem in ſuo, vt geſta eſt, ordine narrat. Atque imprimis magna ſe preſſum neceſſitate, dum turbulenta tempeſtate in naui eſſet abreptus, Deum ſuum inuocaſſe ait, à quo etiam ne in naui aut in mari periret, ſe eſſe ſeruatum; tamen intra vaſtiſſimæ belluæ viſcera concluſum, nouiſque difficultatibus & anguſtijs affectum eandem clementiam imploraſſe, fuiſſeque etiam expertum incolumitate totum triduum habita. namq. hãc orationem tertia iam die conditam vari, & peroratam fuiſſe, res ipſa ratioque docere videtur. [*Clamaui de tribulatione mea*] cùm tempeſtatibus affligerer in mari; *Et exaudiuit me*.] Eſt autem in verbis certa quædam & cum rebus ipſis conueniens ſignificatio; alterum enim verbum clamare, vociferatione vſum fuiſſe Ionam arguit, quaſi qui magna & turbulenta tempeſtate in alto iactantur, vti ſolent, ſicut ſcriptum eſt: Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur. Huius rei ſig- Pſal. 106.

Margin notes: Pſal. 117. Pſal. 110 (beside "De tribulatione inuocaui Dominum … De profundis clamaui"); Iob 6. (beside "Et reſpondit Iob & dixit").

rei ſignificandæ cauſa verbum *Kara* vſurpauit. At verò quoniam eius vociferationis ratio
קרא à Deo habita etiam in naui fuerat, ne tempeſtatis vi, aut aquis periret Vates, clamandi
verbo adiunctum eſt, *exaudiſti*, quod Hebraicè reſpōdere ſiue rationem habere alicuius po-
ענה tutionis ſignificat; Hebraicè verbum eſt GHANAH. cuius illud exemplum eſt: Cùm inuo-
Pſal.4. carem exaudiſti me Deus iuſtitiæ meæ. & dixiſti: quid reſpondit Dominus. alterum ve-
שוע rò verbum, quod clamaui etiam latinè redditur, apud Hebræos eſt *Sanagh*; quod ad eos, qui
afflicti atque in anguſtijs poſiti ſunt, aptè refertur. Cùm autē Ionas in ventre inferi eſſet,
clamare commodè non potuit, gemitum & fremitum edere potuit obſcuriorem etiam,
quàm illi, qui in iuuenco æneo concluſi igne ſuppoſito vituli mugitum gementes & eiu-
lantes imitabantur. Huiuſmodi grauiſſimum quendam atque miſerrimum gemitum ſibi
de ventre inferi, hoc eſt, ceti viſceribus editum quamuis obſcurum, tamen diuinis au-
ribus, quæ vbique adſunt, fuiſſe perceptum ait Propheta. Infernus autē hoc in loco idem
Gen.42. quod ſepulchrum apud Latinos eſt: vt illud, Deducetis canos meos cum mœrore ad infe-
ros. neque verò incommodè piſcis venter ſepulchrum à Vate dictū eſt: quòd ſepulchralis
fornicis non ſpeciem ſolùm, ſed vſum ſibi locus ille præbuiſſet. Neque enim alia re ab ijs,
qui in ſepulchro conditi ſunt, differebat; niſi quòd cùm cæteri mortui eò inferantur, ipſe
viuens & ſentiens illatus cōditusque eſſet. atque hæc profectò imago cum Chriſti in cor-
de terræ concluſi myſterio reconditiſſimo aptè cohęret; cuius grauiſſima & interpretabilis
ad dicendum ratio eſt:

Et proieciſti me in profundum in corde maris, & flumen circundedit me: omnes gurgites tui & fluctus tui ſuper me tranſierunt.

BIS ſibi Dominum inuocatum in hac oratione retulit, ſemel dum tempeſtate iactare-
tur, iterum autem cùm in piſcis ventre ſubitò viuum ſe adhuc eſſe ſentiret. Vtroque au-
tem in loco clamorem vocemq. ſuam exauditā diuinitus affirmat. Sed quæ poſt vtramq.
inuocationem pericula obire expeririq. iuſſus fuerit, diſtinctè & ordinatè narrat. nam cùm
Deum pro tempeſtate ſedanda auertendoque naufragio oraſſet, maximis tamen ſeſe flu-
ctibus & ſæuis turbinibus iactatum, mariſque æſtibus abreptum fuiſſe ait: *In profundum in
corde maris.*] *Cor* cuiuſcunque loci abſtruſa penetralia in ſacris libris ſignificat: vt, Conuer-
Pſal.36. tentur montes in cor maris; & Chriſtus ſe triduo in corde terræ, hoc eſt in generis huma-
ni totius intimis penetralibus futurum prædixit. [*& flumen circundedit me.*] Turbati maris ra-
נהר pidiſſimum æſtum poëticè *flumen* vocauit, Hebraico verbo vſus NAHAR, quod æſtuare
& inundare ſignificat. namque vt Latinè à fluo fluuius, & flumen fluctus deducitur; ſic
Hebraicè à NAHAR, quod decurrere & confluere eſt, NAHAR, pro torrenti & flumine
& pro vndarum æſtu deriuatur. Igitur hæc huius orationis ſignificatio eſt. vel mare ip-
ſum, quò fluuij omnes confluunt, metonymicè fluuius dicitur, vel quòd in eo loco vbi
tēpeſtas excitata eſt, fluuij in mare ingrediētis oſtiū erat; quo loco vehemētius aquę feruēt.
[*Omnes gurgites tui et fluctus tui ſuper me tranſierunt.*] Hemiſtichiū hoc de Dauidicis Pſalmis tranſ-
latum omnem ſæuientis maris æſtum deſcribit: namque tempeſtas maris turbinibus, vo-
raginibus & gurgitibus, atque exaltato fluctuum cumulo, harumque turbarum viciſſitu-
Pſal.106. dinibus fit, ſicut ſcriptum eſt: Aſcendunt vſque ad cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſos,
&c. Vbi verò poſt clamores, poſt inuocatum diuinum auxilium, tantam ſibi procellam
allatā ſenſiſſet, ſeſe omnino neglectum à Deo, imò abiectum eſſe ſecum reputaſſe ait, atque
in hac opinione ad hoc vſque tempus, cùm ſeſe triduo fere iam peracto viuum videret,
fuiſſe. nunc verò tandem in eam ſpem eſſe adductum, vt qui tam diu incolumis ſerua-
tus fuerit, in gratiam reſtitutus ſacrum fanum pietatis & voti ſoluendi cauſa ſit aditurus.

Ego dixi, Abiectus ſum à conſpectu oculorum tuorum; veruntamen rurſus videbo templum ſanctum tuum.

TEMPORVM diſtinguenda ratione orationis ſententia rectè explicatur: nam
quòd ſe dixiſſe, hoc eſt, ſecum tacitum reputaſſe ait, ab infenſo & irato numine ſe
eſſe neglectum, atque diuina prouidentia & cura deſtitutum, id ad tempeſtatis & peri-
culi bellua deuorante ſubiti tempora; quòd verò rurſus templum ſanctum ſibi viſendum
eſſe dicit, ad id tempus cùm hæc oratio compoſita illi fuit, eſt referendum. quibus au-
tem ad id credendum ſignis, quibus argumentis nitatur, ſtatim exponit, ſcilicet non fru-
ſtra eſſe, quòd tot tantaſque euaſerit difficultates, tanta perruperit pericula, quæ exi-
tium minata certum afferre cuiuis poterant, niſi de cælo ſeruatus certæque ſaluti deſti-
natus foret.

Circumdederunt me aquæ vſque ad animam, abyſſus vallauit me, pelagus operuit caput meum.

HACTENVS quidem difficultates, quibus in tempeſtate affectus fuerit, commemorauerat; nunc verò quibus etiam periculis, & quanta mortis expectatione in ventre piſcis fuerit implicatus, ſubiungit. extremum enim periculum eſt, cùm in vndis tãtùm quis altè demergitur, quoad os aquæ pertingant, reſpirandíque facultatem penè adimant, ſicut ſcriptum eſt: Salua me Domine, quoniam venerunt aquæ vſque ad animam meam. Pſal.64.
Sed illud omnium difficillimum & penè deſperatiſſimum eſt, vbi non ſolùm os, ſed caput totum aquæ ſuperauerunt. cuiuſmodi periculo ſeſe functum Ionas ait: etenim in marinæ belluæ ventre incluſo, cùm nulla alia ad reſpirandum via patêret, quàm quà piſcis reſpiraret, piſces autem aqua exorbenda & reſpuenda animalis reſpirationis vice funguntur, eundem aut nullum ſibi vitalis actionis vſum eſſe ſenſit; namque aëris reſpirandi & animæ ducendæ facultatem aquarum immenſa altitudo adimebat. Hac itaque tanta difficultate ſeſe affectum dicit, vt non ſolùm vndis vſque ad animam peteretur, ſed vltra etiam caput inuolueretur. [*Circumdederunt*, Hebraicè eſt, *inuoluerunt vſque ad animam.*] NEPHES נפש
eam animæ vim ſignificat, quæ communis omnibus animantibus eſt, in qua reſpirationis & totius animalis motus facultas eſt, ſicut ſcriptum eſt: Et factus eſt homo in animam viuẽtem. [*Abyſſus vallauit me.*] Incremento calamitas exaggeratur: namque piſcis vbi Ionam Gen.2.
deuorauiſſet, non ſummis aquis innatauit, ſed profunda quæque loca vſque ad maris etiã pauimentum petijt, ita vt hærentem humi algam capite ipſo euelleret, hoc eſt quod ait: *Pelagus operuit caput meum*, Hebraicè *Alga*, vel *calamus* eſt.] Creſcit enim duplex hęc natura plerunque in marino ſolo; altera quæ calamus dicitur, ſolidior eſt, & in littoribus plerunque creſcit, cuius immenſa copia Arabico mari nomen Hebraicum fecit; altera verò quæ debilior multo & vilior eſt, *alga* vocatur, atque in intimo maris ſolo nata natantium piſcium roſtris facilè diſcerpitur, capitibuſque inuoluitur, quæ ob leuitatem nimiam ſupernatans vndis ad littus abijcitur, nulli fere vſui apta, niſi aut ruderibus parandis, aut tomentis ad vitrea & fictilia vaſa aſportanda. adeo igitur altè demerſum ſe fuiſſe Ionas dicit, vt non ſolùm animam aquis occupatam, ſed caput etiam alga impeditum more piſcium ſenſerit: quidquid enim piſci, in cuius ventre ille erat, accideret; id ſibi etiam aſſcribere potuit, qui profundius etiam quàm piſcis agebatur. difficultatum porrò magnitudine amplificata maiora ſuæ ſpei & fidei argumenta ſe reperiſſe ait, & diuini beneficij atque miraculorum incrementa allata docet.

Ad extrema montium deſcendi, terræ vectes concluſerunt me in æternum.

MVLTIS ſe difficultatibus affectum eſſe dicit, quas ſecundum naturam nullo modo perrumpi poſſe exiſtimaret, niſi quòd vbi ſe tantis malis ſupereſſe adhuc conſpexerit, diuinæ planè erga ſe prouidentiæ beneficium agnoſcens, magna futuræ tandem ſibi à Deo ſalutis ſpe ductus fuerit. namque à terra, quam mare ingreſſus fugerat, ita ſe pulſum viderat, vt recipiendum nunquam exiſtimaret, ſed repagulis & vectibus abiectis penitus excluſum in vndis periturum. Hæc verò omnia poëtica ſermonis ſublimitate dicta ſunt, & rerum etiam veritate nituntur. Mare noſtrum plerunque montibus à terra arcetur; quales in maritima Italiæ ora & in Illyrico, atq. etiam in Palæſtina & in Africa ſunt, promontorijs multis in pelagus excurrentibus, rurſusque curuatis ſinubus, qui nõnunquam portus efficiunt. Huiuſmodi montes in imo maris fundo radices habent, easque plerunque præruptas nudis & præcipitibus ſaxis exeſa iam ob continuam alluuionem terra, vt appulſos fortè excludat potius, quàm admittat. hoc eſt, quod ad montium extrema ſe delatum, atque à terra vectibus & machinis oppoſitis prorſus dicit excluſum, ita vt amplius redeundi in aridam facultas negari videretur. Eas autem montium præruptas difficultates & præcipitia ſaxa, quibus mare in illis locis arcetur, quibuſque ſe in æternum excluſum putabat, vectes terræ nominat; nam vt vectibus & ferramentis vrbium portæ, ne hoſtibus aditus ſit, firmantur (de quibus frequens in ſacro libro mentio eſt) ſic montibus obiectis mare, ne certis locis terram inundet, impeditur. Tamen his omnibus incommodis cùm ſupereſſet Vates, Dei tandem beneficio, cuius in ea re prouidentiam experiebatur, nixus, ſalutem ſibi promiſit futuram.

Subleuabis de corruptione vitam meam Domine Deus meus.

VITÆ ſuæ in tantis malis retentę Deum tandem conſulturum ſperat & credit. afflictã quidẽ nimis ſibi eſſe poſſe vitam, tamen non deſerendam à Deo; neque ſibi iam illo in diſcrimine dimittendam. Multis, inquit, modis preſſus, tamen, ne omnino peream, tibi tandẽ ero ſubleuãdus. hoc eſt, ſubleuare de corruptione, ſubleuare ne corrũpatur. [*Domine Deus meus.*] iam quid hoc ſignificet, docuimus. Igitur ex cõſeruata ſibi hactenus vita ſalutem ſperat. id autem non naturæ, non propriæ virtuti, ſed Deo acceptum refert, quem ſibi in angu-

anguſtiſſimis rebus inuocatum præſentem agnouerit: neque enim in tantis aliam ad ſalutem viam ſibi ipſe muniendam ſtatuit, niſi vt Deum, cuius omnipotens virtus à cælo ad omnes mundi partes pertinet, inuocaret.

Cùm anguſtiaretur in me anima mea, Domini recordatus ſum;

IN miſerrimis & extremis temporum articulis, atque duriſſimis omnino rebus vbi iam vita penè labefactata eſt, mente & animo conſtare, & ad diuini auxilij opem & miſericordiam confugere, optimum omnium remedium eſt; ſed id tamen, niſi ijs, qui totam vitam piè inſtituerint, atque aſſidua diuinarum rerum meditatione exercuerint, eſt difficillimum: ferè enim in huiuſmodi articulis hominum mens præſenti & ſubito periculo perturbata; aliò, quàm operæpretium erat, cogitationem intendit, & extremo impetu occupata aut ſeſe, aut ſuos, aut res ſuas cogitat potius, quàm diuinas, vel ſubita dementia affecta; neque locum, neque ſpatium ad quicquam commodè cogitandum habet. Huius rei exempla aſſidua ab ijs, qui ſubito animi deliquio afficiuntur, aut qui repentè in aquis demerguntur, petere licet. quicunque enim ex ijs parum piè vixerint, & pietatis ſtudijs paulò negligentius incubuerint, ſubito malo oppreſſi & perturbati, nullius neque conſilij, neque rectæ rationis compotes ſunt. hoc autem idem ipſi aliquando reſtituti fatentur. Aiunt enim ſeſe aut nihil, aut minimum Dei, vix tandem ſui ipſorum in illo diſcrimine fuiſſe recordatos, ſed ſubita vi impulſos & penitus fuiſſe abſorptos. Cõtrà verò qui piè & ſapiẽter vitam inſtituere, atque omnes & ſecundas & aduerſas ſibi rerum priuatè, tum publicè ad diuini conſilij & auctoritatis, ac virtutis rationem referre conſueuère, ſi quam fortè ſubitam difficultatem incurrerint, eò quò aſſiduo vſu & meditatione docti própitique fuerant, id eſt, ad diuinum auxilium cogitandum & petendum oportunè confugiunt. Id enim adhibitum aſſiduè pietati ſtudium à negligẽtia differt, quòd alterum certam in omni euentu ad bonum reperiendum exitum viam munit & tradit; alterum verò conſilij oportunè capiendi, aut commodè quippiam firmũ ac certũ apprehendẽdi facultatem adimit, ſicut
Pſal. 1. ſcriptum eſt: Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod
« fructum ſuum dabit in tempore ſuo: & folium eius non defluet, & omnia quæcunque fa-
« ciet, proſperabuntur. non ſic impij, ſed tanquam puluis, quem projicit ventus à facie ter-
« ræ. Quamobrem pietatis rationes, quas in omni re, in omni loco, in ſecundis & aduerſis rebus tenere doctus atque aſſuefactus fuerat Ionas, in hoc maximo & turbulentiſſimo diſcrimine non deſeruit, ſed quamuis grauiſſima & periculoſiſſima calamitatum vi oppreſſus, omnem ferè ſalutem, imò animũ omnem extingui ſibi ſenſiſſet, Dei tamen inuocandi memoriam nũquam extinctam ſenſit. [*Sed Domini*, inquit, *recordatus ſum.*] *Domini* maximum illud Dei nomen hoc in loco appellatur, cuius, quæ in ſacris libris referuntur, rationes ad miſericordiam plerunque ſpectant. [*Cùm anguſtiaretur in me anima mea*, Hebraicè eſt, *cùm cooperiretur in me anima mea.*] Hoc tropo animi defectio, quam deliquium medici vocant, & mentis inopia Hebraicè ſignificatur. cuiuſmodi affectionem ij pati ſolent, qui diuturno labore tolerato grauiſſima fame & ſiti enecantur, ſicut ſcriptũ eſt: Errauerunt in ſolitudine, viam
Pſal. 106. ciuitatis habitaculi non inuenerunt; Eſurientes & ſitientes: anima eorum in ipſis cooperta
" eſt. Latinus ſermo vertit in illo loco, defecit; Hiſpanè ſimili tropo dicitur, *Cubrir ſe le el coraçon.* Igitur oportunè à Vate inuocatus Deus ſeſe præſentem præbuit, ſicut ſcriptum eſt:
" Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus in veritate. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, vt ſaluos faciat eos. Sedẽ autẽ ex qua ſe ſe benignũ exhibuit, hoc eſt cælum, indicat, qui locus, vt omnium digniſſimus, diuinæ naturæ omnia complenti præcipuè tribuitur. ſed cùm de magnitudine, virtute & beneficẽtia, de auxilio ferendo ſermo inſtituitur, is locus præcipuè notatur, vnde omnem virtutem & efficientia in hæc inferiora clemẽta expetimur.

Vt veniat ad te oratio mea, ad templum ſanctum tuum.

Vt, nõ cauſam, ſed affirmationem hoc in loco habet, Hebraicè enim ſic, *Et veniet ad te, & c.*
Pſal. 11. Templum autem ſanctum Dei, cælum dicitur, ſicut ſcriptum eſt: Dominus in templo
Pſal. 103 ſancto ſuo: Dominus in cælo ſedes eius: Dominus in cælo parauit ſedem ſuam. &, Peruenit
2. Paral. 30. oratio in habitaculum ſanctum cæli.

Qui cuſtodiunt vanitates fruſtra, miſericordiam ſuam delinquent.

POENITENTIS & conſilium mutantis oratio & votum hoc eſt; id enim maximis illis periculis effectum fuit, vt à Iona mutata mente deſerto iam officio & diuinæ dignitati & laudi cumulatius etiam conſuleretur. hũc miſericordiæ ſibi à Deo tribuendæ euentum

tum fore affirmat, ſeque eo erga officium ſuum animo, eo erga diuinam gloriam ſtudio incedendum pollicetur, vt plus ex fuga & temerario conſilio, quod ſibi antea initũ fuerat diuinis rebus additum, quàm detractum eſſe exiſtimetur. namque legationi magna ſedulitate, ſumma fide & diligentia ſibi obeundæ, tantum ex ijs, in quas delapſus eſt, difficultatibus auctoritatis afferendum eſſe ait; vt facilè ijs, ad quos legatus fuerit, diuinã cauſam probet: etenim cùm his rem ſuã atque omne negotium expoſuerit, & quantis ob recuſatam legationem incommodis & difficultatibus fuerit affectus, narrauerit; vel miraculo ipſo & prodigio ſtupentibus, facilè pœnitentiã & vitæ atque vitioſæ conſuetudinis emendationem perſuadebit, & à vana ſuperſtitione reuocatis, ad veram pietatem commonſtrabit viam. Niniuitas autem vanæ & cõtaminatæ ſuperſtitionis obſeruatores, quos ipſe officio ſuo ad ſanam mentem reuocaturus eſſet, vanitatis cuſtodientes appellat. [*Qui cuſtodiunt funes vanitatis,*] ſic Hebraicè. *Vanitatis funes,* idem quod vana religio ſignificat: nam religio omnis certis præceptis & inſtitutis hominũ animos alligat (vnde etiam apud Latinos dicta religio eſt) quæ ſi impia ſunt, ſi falſas de Deo deq́. pietate omni opiniones inſerant, ſuperſtitio à Latinis, à Vate noſtro elegãti tranſlatione vanitatis funes dicũtur. Illud igitur votũ Vates hoc in loco nuncupat futurũ, vt officio, diligẽtia & ſedulitate ſua Niniuitæ, qui certa præcepta & inſtituta hactenus ſuperſtitioſè obſeruãtes, & vitioſè ſceleratéq. viuẽtes, tanquam dijs chari gratique eſſent, ſecurè agebant, repentè mutato conſilio ſeſe ex impietate ad ſanam mentem & bonam frugem recipiant. [*Miſericordiam ſuam derelinquent.*] Hebraicè futurum verbum eſt, quod ſententiam ipſam commodius explicat. Sed miſericordiæ nomen Hebraicum hoc in loco ſcriptum, & miſericordiam & ſacrilegium ſine flagitium ſignificat. Ad vtramque autem ſignificationem ſententiæ rationibus accommodandam re ipſa ducimur, ſacrilegam quandam pietatem, qua ſimulachrorum cultores fungerentur, prædicatione ſua tanto ſtudio ſuis deſerendam eſſe, quanto maiori apparatu & auctoritate legatio hæc ageretur. Etenim Niniuitarum mentes ijs, quibus agitatus Ionas fuerat, caſibus cognitis, vt prodigio quodam & certiſſimo diuinæ voluntatis ſigno, permoueri potuerũt magis, quàm ſi ſimplex legatio nullo huiuſmodi admirando ſigno comprobata apud eos ageretur, ita vt nihil hactenus legationis rationibus detractum, ſed multũ etiam auctoritatis & momenti ad perſuadendum additum fuiſſe videatur. Et profectò res ipſa ſic habuit, vt Ionas, qui ſi primum mandatum ſine vlla tergiuerſatione accepiſſet, legatum tantum apud Niniuitas ageret, his, quas perpeſſus eſt, rebus ad legationem additis, expreſſum auctoritatis & voluntatis diuinæ ſignum etiam fuerit, ſicut ſcriptum eſt: Nam ſicut Ionas fuit ſignum Niniuitis, &c. Vtiliorem itaque ſuam operam deinceps & maioris ad diuinam apud homines gloriam ponderis ac momenti, ſeſeque ipſum diuinæ prouidentiæ, iuſtitiæ, & miſericordiæ ſtudioſiſſimũ atque fideliſſimum prædicatorem ac teſtem futurum pollicetur: non ſolùm enim officio ſuo diligenter & fideliter apud eos ad quos legatur functurum; ſed vbi in patriam ex legatione redierit, ſacrificijs faciendis, & votorum, quæ in tantis periculis ſibi facta ſunt, ſolutione perpetuò gratum memoremque animum in beneficentiſſimum Deum præſtiturum. «

Ego autem in voce laudis immolabo tibi: & quæcunque voui reddam pro ſalute mea Domino.

Ex plurimis & illuſtriſſimis rationibus, quæ de diuinæ Rhetoricæ arte nobis obſeruata ſunt, vna eſt, quam deprecationem Latini vocant; cuius frequentiſſimus apud Latinos auctores vſus eſt. Ea conſtat peccati confeſſione primùm, & propriæ miſeriæ atque calamitatis expoſitione; deinde diuinæ miſericordiæ commendatione, & ardentiſſima imploratione, fideique, ac ſpei eius, qui orat, profeſſione; demum maioris ex venia, quàm ex pœna vtilitatis & maioris ad diuinam gloriam acceſſionis promiſſione. Ex huiuſmodi locis argumenta ab ijs petita ſunt, quicunque in hoc genere optimè dixerunt. Plurimum quippe momenti ad impetrandum oratio habet, ſi nos, qui antea inutiles aut infeſti fuerimus officioſos atq. vtiles in poſterũ futuros profiteamur, ſi oſtendamus, plus ex venia & miſericordia dignitatis, honoris & gloriæ Deo ipſi apud quem ſermo habetur, acceſſurum, plus etiam ad illius de publica hominum ſalute conſilium emolumenti futurum, quàm in ipſo deprecantis errore aut ſcelere detrimenti fuerit. Huius generis egregium exemplum ex Pſalmo 51. ponemus: Redde mihi lætitiã ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. Pſalm. 51.
Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Libera me de ſanguinibus Deus «
Deus ſalutis meæ, & exultauit lingua mea iuſtitiam tuam. Domine labia mea aperies, & «
os meum annuntiabit laudem tuam. Hanc adeò omnem rationem Ionas elegantiſſimè in oratione ſua eſt perſecutus. ſeſe enim fidelẽ poſthac diuini conſilij miniſtrum in Aſſyria legatione futurum pollicetur & vouet, atque votum cum ſumma Dei laude & beneficentiæ

centiæ perpetua prædicatione perſoluturū, ita vt ex ijs omnibus rebus Deus ſalutis auctor publicè probetur & prædicetur. neque ſeſe vlterius ſuæ gentis ſtudio, quo minus imperata exequatur, retinendum eſſe; quandoquidem ſua ex tot tantiſque periculis liberatione didicerit Deum ſalutarem omnibus eſſe, qui & ſibi ſalutem & Niniuitis dederit, quique genti ſuæ ab Aſſyrijs perdendæ dare tandem etiam poſſit: cuius propterea conſilio parēre, & ſeſe omniaque alia credere, quàm deeſſe in poſterum malit. qualem verò, quàm felicem huius viri pœnitentia & oratio fidei, ſpei, & pietatis, & profeſſionis officij plena exitum habuerit, ſubiuncta narratione docemur. namque vt ad ſaniorem mentem receptum & ſpe conſtantem, miſericordiamque implorātem atque officium, diligentiam, fidemque ſuam pollicentem, Deus conſpexit, ſtatim triduo iam peracto, condonatis præteritis criminibus, incolumitate, ſaluteque donata ad inſtaurandam legationem imperio, auctoritate atque omni commoda facultate inſtruxit.

Et dixit Dominus piſci, & euomuit Ionam in aridam.

PRÆSENS diuinum auxiliū omnibus in rebus atque locis hæc oratio arguit, & promptam atque expoſitam omnium naturarum obedientiam & fidem, quæ ad Dei nutum & arbitrium totas ſe fingant & accōmodent. [*Dixit Dominus piſci*] illius belluæ ſenſus Dei conſilio ad euomendum Ionam excitatus eſt, quem oportuno terræ loco petito incolumē expoſuit, ſicut ſcriptum eſt: Laudate Dominum de terra dracones & omnes abyſſi: Ignis,
Pſa. 148. " grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. [*In aridam.*] Ad commodum locum euaſiſſe Ionam enatante vltrò bellua ex euomente hoc nomine aridæ ſignificatur. Omnia miraculis ornata & myſterijs grauiſſimis referta ſunt. Hactenus prioris vaticinij argumentum perſecuti ſumus; nunc verò poſterius alterum proponendum nobis eſt, quod Deo duce deinceps explicabimus.

POSTERIORIS VATICINII

ARGVMENTVM.

DIVINI *conſilij de hominum ſalute cōſtantiam vaticiniū hoc continet, & quemadmodum ſancti viri vbi ſemel correpti fuerint, conſilium in melius mutent, & quamuis duram prouinciam ſuſcipere non amplius recuſent, quantumq; diuini verbi nuncius apud eos efficere poſsit, qui vita ſuæ rationem ad veritatis & virtutis normam, naturæq; præſcriptionem dirigere velint. Præterea quantum ponderis ac momenti vera hominum pœnitentia ad diuinam iram placandam habeat, & qua cura ac ſapientia Deus miſericordiæ ſuæ rationes, & immenſa beneficia non ſolùm certa ſtabilitaq;, ſed vt ſibi gratiſsima, ita omnibus hominibus exploratiſsima probatiſsimaq; eſſe ſtudeat.*

CAPVT TERTIVM.

ET *factum eſt verbum Domini ad Ionam ſecundò, dicens.*

CONIVNCTIO, &, res ipſas, quo ordine geſtæ fuerint, docet. Cùm primùm Ionas in terram expoſitus eſt, datam ſibi & recuſatam antea legationem denuo ſumere iuſſus, ſumma fide, diligentia & ſedulitate obit & agit. qua in re diuini conſilij conſtantiam & Vatis obedientiam agnoſcere licet, quòd imminēs Niniuitis ob ſcelera exitiū quàm maturrimum pœnitentia & vitæ emendatione declinari Deus curaret, neque ſeſe huic rei agendæ Ionas negligentem, aut cunctatorem præberet, ſed ab eo loco, in quem expoſitus eſt, Niniuen rectà contenderit, officiumque ſuum ſedulò fecerit; quanquam ea re eorum apud quos agebat, incolumitati conſuli ſciebat, quos tamen ille ſuæ gentis ſtudio perditos potius, quàm ſaluos cupijſſet. Quod autem *Secundò* legimus, id ſignificat legationem, quanquam ijſdem verbis, ijſdem omnino, vt prius rationibus Vati datam, tamen ſine vlla cunctatione fuiſſe obitam. Quid autem legatio cōtineret, ſuo tempore explicatur; nimirum certum & decretum illius vrbis intra quadraginta dies exitium; cuius non tam dandi, quàm auertendi cauſa legaretur: & tamen quo maiores ad pœnitentiam ſtimuli duriſſimo nuntio perterritis incolis adderentur, ſententiam diuinam pronuntiare potius & affirmare, quàm minari, legatus iubetur.

Surge, & vade in Niniuen ciuitatem magnam, & prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te.

FIDEI & ſedulitatis periculum hæc oratio continet. quòd ſurgere, hoc eſt, ſtudioſè ſine vlla-

ne vlla mora rem agere, quòd vnus idemque priuatus homo atq. hoſpes ex inimica etiam gente ad vrbem regiam & maximam grauiſſimum & horrendum nimis nuntium perferre iubetur, eumque non priuatis aut publicis quibuſdam perſonis, vt regi, aut ſenatui, aut ſapientioribus quibuſque nuntiare, ſed publicè & tributim in medium populum proclamare, varia in ſe vulgi iudicia, varios etiam animos experturus, iubetur. [*Prædicationem quam ego loquor ad te.*] Præſens tempus conſtantem conſilij cõfirmationem habet. idem enim illud, quod antea audierat, audire nunc & referre iubetur. namque præſens in diuinis ſermonibus præteritæ rei continet affirmationem: vt, Quod præcipio tibi, hoc tantũ facito Domino Deo tuo: &, Ecce præcipio tibi, cõfortare & eſto robuſtus: id ipſum autem antea præceperat. non ſolùm autem diuinam ſententiam referre, ſed totidem verbis referre, neque quemadmodum æſtimationi ſuæ, & auditorum auribus conſulere, atque iucunda & blanda ſeueris miſcere, & artificioſè rem ipſam inſinuare poſſit, proſpicere iuſſus eſt; ſed ſumma libertate & ſeueritate apertè rem ipſam ſibi mandatam, referre: namque hæc ratio etſi minus fortaſſe populis & principibus gratum ſermonem; perſæpe tamen magis vtilem & ſemper Deo magis probatum reddit. neque enim quicquam diuini verbi oratoribus veritate & ſimplicitate, atque ipſa ſacrorum eloquiorũ inuiolata ſanctitate antiquius & ſanctius eſſe debet, ſi modò ſeſe fideles miniſtros præſtitiſſe velint. Sed, heu pudor, iam omnis hæc ratio noſtris temporibus, noſtris moribus & opinionibus penitus commutata, & à rei ipſius ſimplicitate & grauitate ad inanem oſtentationem, ad vulgi libidinem, ad popularis auræ arbitrium reuocata eſt.

Et ſurrexit Ionas, & abijt in Niniuen iuxta verbum Domini.

NEQVE maturam celeritatem, neque fidem ſedulitatemque Vati in re gerenda defuiſſe ſignificat. neque verò illi aut ipſius rei, quam aggrederetur, magnitudine cogitata & exiſtimata; neque etiam viſa & cognita, vllum, quo minus ſtrenuè ageret, terrorem fuiſſe iniectum.

Et Niniue erat ciuitas magna, Hebraicè eſt, *Ciuitas magna Deo.*

EXIMIAM quandam rei cuiuſpiam in genere ſuo excellentiam nomen Dei adiunctum arguit ex Hebraici ſermonis vſu. nam ſi qua res deo opt. & max. ad vſum vel ad cultum, vel ad laudem tribuenda eſt, eam optimam & maximam in ſuo genere eſſe oportet, quemadmodũ cęlũ illi vt præcipua ſedes tribuitur, quo loco nullus alius in rerum natura dignior eſſe cognoſcitur: cùm tamen omnis & ſuperior & inferior locus immenſa illius magnitudine non impleatur modò, ſed infinito etiam interuallo ſuperetur, ſicut ſcriptum eſt: Cælum eſt ſedes mea, & terra ſcabellum pedum meorum. Neceſſe ergo eſt totum in cælo ſedentis corpus vltra cælum ipſum eminere: quantum verò id corpus eſſe oportet, quod in cælo ſedens terrã pedibus occupet. Igitur cùm nulla earum quæ finem habent rerum, Deo fine carenti aut æquari, aut conuenire aptè poſſit, tamen in vnoquoque genere quæ maximæ & præſtantiſſimæ ſunt, illi tribuuntur. cuius magnitudo cùm ęquari hac ratione non poſſit, ſignificari tamen arguique poteſt. Atque hoc modo dictum eſt; Iuſtitia tua ſicut montes Dei, & cedri Dei, & flamma Dei. Eodem etiam tropo, ſi quid latino ſermone verbis extollere vehementer velimus, diuinum appellamus: *Et diuina opici rodebant carmina mures.* Sed Hiſpanam idioma hunc Hebraicum morem propriùs refert poſſeſſiuo etiam caſu: *Es vna coſa de Dios, vna tierra de Dios.* Quòd verò Niniue iam ſæpius ciuitate magna appellata illud denuo commemoretur, *Et Niniue erat ciuitas magna Deo, &c.*] id nimirum ſignificat maiorem etiam fama & opinione ſua Iona vrbem fuiſſe inuentam; neque tamen eam prouinciam aliàs homini nouo, ſolo, & hoſpiti, atque omni humana ope & auctoritate deſtituto longè duriſſimam & difficillimam fuiſſe depoſitam, ſed ex diuino imperio atque auctoritate adminiſtratam. Hanc adeò in hoc loco ſententiæ rationem ipſa orationis conſequentia & verborum connexio indicat: *Et ſurrexit Ionas & abijt in Niniuen iuxta verbum Domini, & Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum.*] Omnium quæ in toto terrarum orbe conditæ fuere vrbium Niniuen longè maximam fuiſſe, & Architectorum obſeruationibus & antiquorum ſcriptorum teſtimonijs didicimus, ex quibus vnum Diodori Siculi petere & referre placuit. Is vbi Nini Aſſyriorum regis res geſtas narrat, Ipſe, inquit, coactis vndique viribus, & ijs quæ ad totum opus ſpectarent paratis ſupra Euphratem vrbem cõdidit non æqua laterum dimenſione: nam duæ muri partes longiores erant reliquis. horum latus quodlibet longitudine eſt ſtadiorum centum quinquaginta, breuiores verò ſtadijs nonaginta, qua muri dimenſione ambitus ſtadia conplectitur quadringenta octoginta. Et ſanè ſpe ſua nequaquam fruſtratus eſt: nulla enim poſtmodum vrbs tanto ambitu, tãtâue mœnium magnificentia conſtructa eſt altitudo murorum pedum eſt centum; latitudo qua

Iſa. 65.

Diodor. li. 3

tres currus ſimul perambularent. turres mille & quingentæ: quarum altitudo pedum eſt ducentorum. habitare eam coëgit maiori ex parte Aſſyrios,& quidem potentiores ex reliquis nationibus voluntarios aſſumpſit, à nomine ſuo vrbem Ninam appellans. agros propinquos habitatoribus diuiſit. hæc Diodorus. Redactis igitur in miliaria ſtadijs ſexaginta geometricorum miliariorum ſummam conficimus. hæ viginti leucas gallicas reddunt;quod iter,ſi pedibus ingrediaris, tridui communiter eſt. Neque verò breuius confici ab eo poteſt, qui præconium vt Ionas facturus vrbem vicatim ambire ſtatuat. neceſſe enim eſt locum ob viarum & compitorum anfractus & difficultates tardiori luſtratione peragrari. Ad hanc autem rationem huius loci ſententia reuocanda eſt: *Ciuitas magna itinere trium dierum.*] Intellexit enim Ionas non vnius tantùm diei, ſed tridui iter ſibi & laborem atque operam ſumendam eſſe, vt officio ſuo Deique imperio ſatisfaceret, à quo illud in mandatis habuerat: *Vade in Niniuen ciuitatem magnam, & prædica in ea* ciuitate magna *prædicationem quam ego loquor ad te*; ſiue, vt Hebraicè eſt, *proclama*, præconis more, *proclamationem, quam ego loquor ad te.*] intellexerat quippe Vates diuinum conſiliũ omni populo à ſe patefieri oportere. Neque verò aut laboris, aut vrbis magnitudine, aut populi frequentia, quo minus opus munusque ſuum ſedulò exequeretur, retardatus eſt, ſed forti & deliberato animo

4 *Cœpit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius.*

Ex hoc loco vrbem vicatim à diuino præcone ambitam fuiſſe docemur, quam ille, ſi recta via obijſſet, ea etiam parte, qua longior erat, vno die peruadere poſſet, non amplius, quàm ſtadijs ſex ſupra decimum & octauum miliare, extenſam. prædicationis verò ſiue præconij formula huiuſmodi fuit:

Hæc dicit Deus: Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur.

DIVINVM nomen vati imprimis appellatum fuiſſe, quòd præconio auctoritas & fides adiungeretur,ex antecedentibus & conſequẽtibus arguitur.dixerat namque illi Deus, *Prædicationem, quam ego loquor ad te.*] ſimul enim cum præconio ipſo principis & auctoris nomen appellatum eſſe oportuit. & poſthæc etiam ſubiungitur: *Et crediderunt viri Niniuitæ Deo*, &c.] Iam verò præconium ipſum explicemus. [*Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur*, Hebraicè ſic eſt, *Adhuc quadraginta dies & Niniue verſa.*] Sapientem præconij formulam ſpectare & conſiderare operæpretium eſt. Nam breuiſſima periodo diuinum erga populi ſalutem conſilium, ſi reſipiſcere populus velit, aperitur, atque etiam decreta in eundem ſententia, niſi ſibi proſpexerit, denuntiatur, diuinæque miſericordiæ & ſeueritatis etiam rationes certiſſimæ eadem opera explicantur. Solenne enim Deo iam inde à conditi orbis initio eſt,cum ijs hominibus,quos ſcelera & flagitia reos fecêre, pœnitẽtiæ propoſita conditione prius experiri, quàm ſeueritatis ſummo iure agatur. Sic enim & Caini & totius orbis in crimen vocati,& Sodomorum cauſa tractata eſt, vt certum ad pœnitẽtiam tempus ſibi conſulere volentibus, aut ad ſupplicium obſtinatis fuerit conſtitutum,atque diuina de ea re voluntas certis legationibus & publicis actionibus ijs, quorum cauſa agebatur,
Gen. 4. fuerit declarata. Namque illa ad Cainum vox, Vbi eſt Abel frater tuus? hominem reuocantis ad ſanam mentem Dei oratio magis, quàm ſeueri iudicis ſententia eſt: & illa per
Gen 6 cẽtum viginti annos fabricandæ arcæ Noë ſanctiſſimo & integerrimo viro ſuſcepta cura, quid aliud, niſi perpetuum diuini erga orbis ſalutem conſilij aut ſeueri iudicij præconium
Petr. fuiſſe diuus Petrus interpretatur. Quòd etiam Lotus ab Abrahamo diſcedens in Sodomorum vrbes commigrauerit, quid niſi diuinam tot dierum legationem apud eam gentem actam definire poſſumus? Eandem omnino ſententiæ rationem hoc Ionæ præconium oſtendit. Neque enim Niniuen ſicut Sodomam quadrageſimo pòſt die euertendam definitè denuntiauit; ſed fore vt poſt quadraginta dies Niniue verſa ſit, Hebraico verbo vſus HHAPHACH, quod rerum in alteram faciẽ mutationem ſignificat. quo verbo vti à Deo iuſſus eſt, vt neceſſariam omnino eius ciuitatis rerum mutationem eo tempore fore ſignificaret, vel vt ille corruptiſſimus morum & conſuetudinis Sodomorũ non diſſimilis ſtatus in meliorem faciem pœnitentia & conſiliorum ſtudiorumque mutatione, vel diuini iudicij ſententia in æternam ruinam mutandus eſſet. Id autem vel ad vitam in melius mutandam, vel ad certam communis excidionis pœnam ſubeundam deliberandi illis ſpatium dari; ita vt quadrageſimo tranſacto die eam ciuitatem mutatam eſſe neceſſe foret, vt vel alia omnino moribus & ſtudijs & toto ciuitatis ſtatu vel nulla dici poſſet. Id autem dierũ quadraginta ſpatiũ ſatis ad vtramuis rem idoneum diuinæ miſericordiæ & iuſtitiæ decretis fuit iudicatũ, ne aut ij, qui ſaluti propriæ proſpicere vellent, vel nimia temporis longitudine in ſecuritatẽ & ſegnitiẽ, vel nimia etiã breuitate in perturbationes exanimationeſ-

tionesq́ue inciderent. Grauiſſimis autem & breuiſſimis verbis pronuntiata oratio eſt: *Adhuc quadraginta dies & Niniue verſa.*] Significat enim ciuitatem illam, cuius magnitudinis, antiquitatis, & nominis ratio habita diuinitus ſit, vt ad eum potentiæ atque opum gradum, qui totius orbis ſupremus erat, peruenerit, tamen ſceleribus & flagitiis publicè priuatéque ſuſceptis nimium diu contaminatam, atque diuina patiẽtia hactenus fuiſſe abuſam, vt ferri iam amplius & tolerari tanta illa inſolentia, ſuperbia, & contumacia non poſſit. Quamobrem cùm ſatis ſuperq́ue expectatum fuerit, an regum & principum conſilij, an cæterorum hominum vel publica vel priuata cura illa res ad rationem, ad naturæ leges, & ad iuſtitiæ & honeſtatis calculos reuocata corrigetur; neque tamen aliquid hactenus melioris ſpei aut conſilij in illa tota ciuitate extitiſſet, cauſam omnem diuino iudicio actam damnatamq́ue iam fuiſſe, intercedente verò miſericordia quadraginta dierum ſpatium, vel ad morum vel ad rerum totiusq́ue ſtatus mutationem & Sodomæ ſimilem verſionem fuiſſe datum. Interim autem auctoritatis legationi ſuæ conciliandæ cauſa, rem omnem quemadmodum illi
contigiſſet, & totius itineris ſui rationẽ à Iona fuiſſe expoſitam, argumẽto nobis illud Ieſu Luc. 11.
Chriſti veri diuinorum librorum interpretis teſtimoniũ eſt: Sicut Ionas fuit ſignum Nini- “
uitis, ita erit filius hominis generationi huic. Signum autẽ Ionæ ipſe idem, quodnã fuerit, “
patefecit. Sicut Ionas fuit in vẽtre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita erit filius homi- “
nis in corde terræ, &c. Libet autẽ de re ipſa, hoc eſt de Niniuitarũ denuntiata à Vate euer- “
ſione, an fato, an aſtrorum vi, an diuino conſilio parata fuerit, breuibus hoc in loco diſſerere; id quod ad præſentem rationem cognoſcendam, & ad plura huius generis exempla examinanda fortaſſe non fuerit incõmodum. Non ſingulis nationibus & vrbibus modò, ſed ſingulis etiam hominibus ſua aſtra, ſuaq́. in cælorum diſpoſitione momenta certa eſſe, quæ præſint, atque horum aſtrorum & conſtitutionum rationibus omnia, quæcunq. aut ſecunda aut aduerſa eueniant, gubernari ex Chaldæorum diſciplina omnis ferè orbis accepit. Hæc autẽ ratio, veráne omnino, atq. certiſſima ſit, modò non examinabitur à nobis; illud verò ſtatuetur, in bene ac ſapienter gubernata republica, & veræ pietatis præceptis inſtituta huiuſmodi quippiam non eſſe obſeruandum: nam ſi maximè omnibus aliis gentibus & populis ſingula aſtra & fatalia momenta præfecta fuerint, tamen pio atque ſanctè inſtituto populo Dei optimi maximi rerum opificis infinita, certa, ac præſens virtus, pro cultæ vel
neglectæ pietatis ratione vel fouendo vel conſulendo, vel rurſus affligendo adeſt, ſicut ſcri- Deut. 32.
ptum eſt: Quando diuidebat Altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit “
terminos populorum iuxta numerum filiorum Iſraël. Pars autem Domini populus eius, “
Iſraël funiculus hæreditatis eius. Quamobrem huiuſmodi Chaldaicam diſciplinam à pij “
ac ſapientis populi ratione & vitæ totius inſtitutis lõgè alienam eſſe oportere ſacra in primis oracula monuerunt. Audite verbũ, quod locutus eſt Dominus ſuper vos domus Iſraël.
Hæc dicit Dominus: Iuxta vias gentium nolite diſcere, & à ſignis cæli nolite metuere, quæ Ierem. 10.
timent gentes: Quia leges populorum vanæ ſunt, &c. Neque verò in pia & veræ religionis “
præceptis inſtituta gente ſolùm, ſed in aliis etiam nationibus diuinæ prouidẽtiæ argumenta maxima obſeruata ſunt, tametſi non ita frequentibus, neque leuioribus etiam, ſed grauiſſimis & raris cauſis diuinæ virtutis momenta ad calamitatem afferendam lentiora quidem, ſed grauiſſima tamen experiri licuerit, vt communis diluuij & Sodomorũ euerſionis
temporibus, quæ ob publicum iniuriæ ſiue HHAMACZ ſcelus diuinitus allata ſunt, ſicut Ezech. 33.
ſcriptum eſt: Qui in ſanguine comeditis, & oculos veſtros leuatis ad immunditias veſtras, “
& ſanguinem funditis; nunquid terram hęreditate poſſidebitis? Cùm tamen iiſdem aſſidua “
eiuſdem prouidentiæ beneficia, minus tamen agnita & intellecta, quæ auctorem ſuum ſa- “
tis commodè & apertè teſtari poſſent, niſi omnino aſtrorum efficientiæ & virtuti falsò at-
tribuerentur, nunquam defuerint, ſicut ſcriptum eſt: Annuntiantes vobis conuerti ab his Acto. 14.
vanis ad Deum viuum, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt. Qui in “
præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas. & quidem non ſine teſti- “
monio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluuias & tempora fructifera, im- “
plens cibo & lætitia corda eorum. neque verò ſi ratione & diſciplinæ ipſius inſtitutis res “
expendatur, aſtrorum motibus, concurſionibus, & efficientiæ poterit aſcribi. quanquam enim omnia aſtra omneſq́ue cælorum conſtitutiones de vrbis excidio & euerſione conſentirent; multos tamen priuatorum hominum, ſiue ciuium, ſiue hoſpitum felices horoſcopos eſſe neceſſe erat, quorum vis vel ſalutem ipſis, vel communi exitio impedimentum promittere & præſtare potuiſſent. nam quæ aliis infelix ac fatalis hora eſt, eadem & aliis integra atque fortunata ducitur, vt quæ parienti feminæ interitum, infanti verò ipſi maturo ac vegeto naſcendi facultatem attulerit; ita adeò indocti & à diſciplinæ ſuæ rationibus longè aberrantis aſtronomi ſententia illa fuiſſet, quæ euerſionem non Niniuitis ſolùm, ſed

Niniue vrbi in vniuerſum denuntiaret, quæ vox non ciuitatem modò, ſed omnes etiam ciues & hoſpites, omnes denique cùm priuatas, tum publicas comprehenderet res, quibus communis ac certa tempeſtas intra quadrageſimum diem exitium allatura impenderet. Quamobrem Niniuitæ ciues factum apud ſe à Iona hoſpite præconium de communi excidio, diuinum magis vaticinium, quàm aſtrologam prædictionem interpretati legitimis ſupplicationibus atque expiationibus purè ac ſanctè ſuſceptis deprecandum eſſe decreuerunt. Vanum autem & ſuperuacaneum id conſilium videretur calamitatem illam aſtrorum vi afferri credentibus. quod enim naturæ curſu & cælorum ſyderumque efficientia euenturum eſt, an aliis modis caueri poſſit, modò non diſputamus; precibus tamen & ſupplicationibus auerti arcerique poſſe, nullus Chaldæus docuiſſe commemoratur. Igitur Niniuitæ acerbiſſimi ſibi interitus & vrbi ſuæ exitij ſuis ſceleribus allati non aliunde niſi à Deo, quem & ſententiæ & prædictionis auctorem agnoſcerent & crederent, medicinam, & remedium quærendum eſſe intellexêre. Ex qua re effectum eſt, vt neque ſalute omnino deſperata aut vrbem deſeruerint, aut animos deiecerint. neque ad ſuam quiſque geneſim conſulendam confugerint, ſed quibus rebus commune id malum expiari auertique potiſſimum poterat, hoc eſt vitæ, morum, totiusque veteris ac malæ conſuetudinis & corruptiſſimorum conſiliorum mutatione eas res ſibi procurandas communi conſilio & publico decreto ſtatuerint.

Et crediderunt viri Niniuitæ in Domino.

In grauiſſimis & communibus ac repentinis periculis declinandis, & in conſiliis de publica ſalute capiendis omnem cunctationem nimis incommodam eſſe res ipſa & Niniuitarum exemplum docet, multaque interdum tempora exiſtere, quibus celeritate magis, quàm regia auctoritate & magno molimine conſuli conueniat. In hoc autem genere ea maximè ponenda eſſe arbitramur, quæ diuini conſilij auctoritate nituntur, quibus opportunè ac maturè ſuſcipiendis atque ſtudioſè exequendis nullam humanæ potentiæ obſeruationem, aut regiæ dignitatis atq. auctoritatis expectationem obſtare, ſed diuinam potius perſpectam voluntatem præeſſe atque inſtare oporteat. Niniuitæ quum primùm præcone Iona certum atque maturrimum ſibi rebusque ſuis exitium palam prædicari audierunt, illam prędictionem diuinam interpretati, procurari & expiari potius, quàm ad regiam maieſtatem referri oportere intellexêre. neque enim facti ipſis vicatim præconij rationem & curam minus ad ſe, quàm ad regem ſpectare putauerãt; & cùm cauſa communis omnium eſſet, iis primum ſuſcipi debere, ad quos primùm præconis voce fuiſſet delata. neque verò in communi omnium periculo & cauſa vnius tantùm voluntatem expectandam eſſe, quæ aut interceſſione certiſſimum, aut mora & cunctatione repentinum & ineuitabile periculum reddere poſſet. Satis igitur ad procurandam, gerendamque rem auctoritatis & momenti in ipſa diuina ſententia eſſe, quam ea cauſa populo primùm denuntiatam eſſe intelligebant, quòd eius maximè expiare referret. Igitur per eorum virorum tribunos & minores magiſtratus, apud quos prima die proclamatum præconium fuerat, res ipſa procurari cœpta eſt. ſatis enim in communi cauſa, quæ cuique vel priuato curæ eſſe debuerat, horum virorum auctoritas & imperium eſſe debuit. Hebraicus autem ſermo primarios viros & populorum magiſtratus, quos certa munerum cuiuſque notatione non appellat,
Gen. 27. virorum nomine ſignificat: vt, Et interrogauerunt illum viri loci illius de vxore ſua. Sic etiam apud Romanos virorum nomine multi ex magiſtratibus dicebantur, vt duumuiri, triumuiri, centumuiri. Igitur viri Niniuitæ, penes quos tribuum cura erat, *crediderunt in Domino*, Hebraicè eſt, *in Elohim*: } quod nomen diuinum propria ad hunc locum ſignificatione vſurpatum eſt. namq. ad eam rationem ſpectat, qua Deus totius orbis iudex, rector, & gubernator eſt: quo nomine non Iſraëlitis ſolùm, ſed aliis etiam gentibus obſeruatus cultusque & mundi rebus omnibus hominumque actionibus prouidere, omnisque fraudis & ſceleris vindex eſſe creditus fuit. quamobrè à Labano Iacobi ſocero in feriendo fœdere hoc nomen eſt appellatum: Si affixeris, inquit, filias meas, & ſi introduxeris alias vxo-
Gen. 31. res ſuper eas, nullus ſermonis noſtri teſtis eſt abſque Elohim, qui præſens reſpicit. Quòd ſi ego tumulum tranſiero pergens ad te, aut tu præterieris malum mihi cogitans, Deus Abraham & Deus Nachor iudicet inter nos. Iob etiam hominis Armenij virtus & pietas hoc
Iob 1. nomine commendatur, quòd Elohim timuerit, & à malo receſſerit omnibus diebus vitæ ſuæ. Ab Ægyptiis etiam qui magna & monſtroſa numinũ ſuperſtitione imbuti erant, tamen Deum mundi opificem & humanarum rerum iudicem ac vindicẽ hoc nomine fuiſſe
Gen. 42. cultum, illa Ioſephi Ægyptium ſeſe apud fratres ſimulantis oratio arguit. Facite, inquit, quæ dico & viuetis, quia Elohim ego timeo. Sexcentis aliis teſtimoniis eadem res, niſi ſatis aperta eſſe videretur, doceri nobis potuiſſet, hoc eſt Dei nomen Elohim gentibus om-

nibus

nibus fuiſſe olim communiter obſeruatum & cultum, qua ratione mundi opifex, rector,
iudex, atque fraudum ſcelerumque vindex crederetur. Atque hoc nomine, ſi quid non a-
pud Iſraëlitas modò, ſed apud alias etiam nationes indictum aut edictum eſſet, ſine vlla de
religione controuerſia, aut de verbi auctoritate dubitatione, aut exceptione audiebatur.
nomen verò tetragrammaton Iſraëlitis tantummodo familiariſſimum, non nihil repulſæ
ab aliis gentibus, antequam ſignis & prodigiis illuſtratum eſſet, ferebat. Sic enim Ægyptio
regi eius nominis nouitas dubitationem iniecit, fidemque legationi minuit: Quis eſt Do- "
minus vt audiam vocem eius, & Iſraël dimittam? neſcio Dominum & Iſraël non dimit- "
tam. quippe non nationibus aliis eius nominis auctoritas fuit, quæ Abrahami poſteritati
antiqua & grauiſſima auguſtiſſimaque fuerat: Notus enim in Iudæa Dominus, & in Iſraël "
magnum nomen eius, &c. Igitur nomen Elohim gentibus omnibus ſanctiſſimum fuiſſe à
Iona hac in legatione appellatum, ipſa rei & orationis conſequentia arguitur. [*Et crediderunt
viri Niniuitæ in Elohim.*] Idem porrò nomen omnibus deinceps in locis appellatur. quo autem
ſigno, quo oſtento fides Ionæ legationi & præconio adiuncta fuerit, quæſitum ab antiquis
eſt, & commenta potius, quàm certa hiſtoria reſponſum: ſed nobis præter ſimplicem re-
rum, quæ ſibi contigiſſent, narrationem, nihil à Vate ſigni aut oſtenti adhibitum fuiſſe le-
gimus. Itineris verò ſui rationem omnem, & legationis à Deo datæ ſibique recuſatæ, ac
tandem periculis defuncto ſumptæ atque obitæ redditam eſſe, iam illa veraciſſimi docto-
ris noſtri Chriſti auctoritate abundè ſatis docti ſumus: Sicut Ionas fuit ſignum Niniuitis,
&c. Sed neque huiuſmodi ſigni cauſam ipſam eguiſſe (quod tamen editum magnum mo-
mentum, non tam ad fidem faciendam, quàm ad metum religionemque audientium ani-
mis iniiciendam attulit) commodè ac breuiter docere operæpretium videtur. Igitur non
omnia vaticiniorum genera miraculis & prodigiis indigent, vt fidem ſibi vatibusque con-
cilient, ſed ea tantum, quorum ratio circa præcepti alicuius diuini aut veteris conſuetudi-
nis, aut ritus, aut ceremoniarum aut alterius cuiuſpiam antiquæ, certæ, ac probatæ ſan-
ctæque iudicatæ rei & rationis commutationem verſatur; vt ſi quis ſabbathi celebritatem
aut omittendam, aut in aliam diem transferendam eſſe doceret, ſeque ad eam referendam
rem diuinitus legatum eſſe prędicaret, eam legationem ſigno edito conteſtatam eſſe opor-
teret. ita Moſes quòd leges viuendique inſtituta populo laturus præſcripturusque, quòd
libertatem ex antiqua ſeruitute prædicaturus eſſet, certam muneri ſuo fidem miraculo-
rum auctoritate adiunxit: vt credant, inquit Deus, quòd apparuerit tibi Deus patrum "
ſuorum, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob. Sic Chriſtus Ieſus magni con- "
ſilij nuntius veteris diſciplinæ vmbras, quæ ad ritus ceremoniasque pertinerent, nouæ
legis luce & corpore ſuccedente abolendas eſſe docuit, conteſtante Deo ſignis, por-
tentis & miraculis, & ſpiritus ſancti diſtributionibus. Vna tamen in omni hoc genere
cauſa & ratio excepta eſt, ne cuiquam homini, qui impiæ ſuperſtitionis & vanorum
Deorum colendi rationem nouam ſuſcitaret, quamuis maximis & prodigioſiſſimis mi-
raculis, quamuis multis & certis ſignis datis vlla fides haberetur. nam quæ in ea re mi-
racula eduntur, non tam adiungendæ rebus fidei, quàm periculi hominum fidei &
conſtantiæ faciendi cauſa à Deo permitti. Atque de hac quidem re huiuſmodi præ-
ſcripta eſt lex. Propheta qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, Deut.17.
quæ ego non præcepi illi, vt diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur. "
Quòd ſi tacita cogitatione reſponderis: Quomodo poſſum intelligere verbum, quod Do- "
minus non eſt locutus, hoc habebis ſignum: Quod in nomine Domini propheta ille præ- "
dixerit, & non euenerit, hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui "
propheta confinxit, idcirco non timebis eum. Exceptio autem illa eſt: Si ſurrexerit "
in medio tui prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum at- Deut.13.
que portentum, & euenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi, Eamus & ſequamur deos "
alienos, quos ignoras & ſeruiamus eis: non audies verba prophetæ illius aut ſomnia- "
toris, quia tentat vos Dominus Deus veſter, vt palam fiat, vtrum diligatis eum an non, "
in toto corde & in tota anima veſtra. Itaque in grauiſſimis cauſis & antiquis aut receptis
honeſto nomine rebus commutādis ſignum ab auctore exigitur, modò nihil vel impium,
vel ſuperſtitioſum aut ſonet aut oleat: in honeſtis verò & æquiſſimis rebus perorandis nul-
lum exigitur ſignum. Satis enim æquitas per ſe ipſa lucis auctoritatisque habet; cuius præ-
dicandæ atque aſſerendæ non ſolùm prophetes, ſed quicunque ſapiens atque probus vir
ſatis idoneus miniſter atque auctor eſſe poteſt. ſicut in eodem, quem modò citauimus, lo-
co ſcriptum eſt: Dominum Deum veſtrum ſequimini & ipſum timete, & mandata illius "
cuſtodite, & audite vocem eius. Ionæ Niniuitarum ſcelera accuſantis & vltiorem "
prædicentis honeſtiſſima ratio & probabilis re ipſa ſine vllo alio ſigno cauſa fuerat. certis

enim veritatis rationibus nitebatur, quòd diuinum numen maximis & manifeſtiſſimis illorum ſceleribus offenſum pœnas debitas propediem exacturum eſſe denunriaret; hoc
" enim totum argumentum.ſimul cum præconio à Vate eſſe tractatum, & res ipſa & oratio
אלהים etiam indicat. [*Et crediderunt viri Niniuitæ in Eloim.*] hoc eſt in Deo iudice & vindice: namque hoc nomine denuntiata illis fuerat ſententia.quoniam verò quicunque optimas de diuina natura ſententias ſecuti ſunt, non ſolùm iudicij atque æquitatis, ſed miſericordiæ & bonitatis rationes optimas & maximas illi aſſcribunt, atque vt maximam ad vltionem auctoritatem, ita ad deprecationem maximam etiam facilitatem tribuunt, locumque precibus & ſupplicationibus perſæpe relinqui intelligunt. huiuſmodi ſententiis probè inſtructi Niniuitæ viri, vrbi ciuibusque ſuis ſapienter conſuluerunt: nam quibus rebus, rationibus, modis atque actionibus diuinam erga homines miſericordiam commoueri maximè poſſe intellexere, hoc eſt, prauorum ſtudiorum mutatione & ieiuniis, ſupplicibusque precibus & clamoribus, ea omnia ad ſcelus expiandum, Deumque ſibi placandum ac leniendum ſtudioſiſſimè diligentiſſimeque curauere.

Et prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis à maiori vſque ad minorem.

MAGNVM apud diuinam miſericordiam momentum, ieiunia, aſperiorque habitus & omnia ſupplicium mentium argumenta habere, non modò antiqui, ſed noui etiam teſtamenti teſtimoniis exemplisque innumerabilibus oſtendere probareque poſſemus, niſi perſpicua eſſet res, & inter omnes, qui ſacros libros attentè legunt, conſtaret. nam cùm Deus natura miſericors & benignus vehementer humanis precibus & votis, ſi purè & ſanctè
Pſal. 144. fiant, vel ad parcendum ſupplicibus, vel ad ſuccurrendum miſeris, vel ad conſulendum piis moueri adducique ſoleat (ſicut ſcriptum eſt: Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus
" eum in veritate, voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, vt
" ſaluos faciat eos) iis omnibus rebus eundem duci etiam conſequitur, quæ vouentis & ſupplicantis mentis ſtudium vel incendunt magis & adiuuant, vel non ſolùm ſignificant, ſed apertè etiam declarant. cuius generis ieiunia purè ſanctèque ſuſcepta ſunt: quorum legitimus vſus tum ad virtutes promouendas non paruo adiumento eſt, tum ad cupiditatum licentiam & libidinem refrenandam magnum pondus habet, tum etiam ad decretam certamque iam iudici caſtigationem clementiorem reddendam plurimum valet. de quibus omnibus rebus ac de præſtanti ieiuniorum vſu plenius ac commodius in libro De ſacris ſignificationibus diſſerimus Igitur Niniuitæ viri preces & publica vota curaturi ieiunium de more indixere. namque publicè indicta ieiunia vel grauem culpam & commune ſcelus, vel loci aut temporis alicuius religionem, vel violatum numen, vel ſacrum publicè expiari
1. Reg. 25. oportere ſignificabant. quorum exempla in Iudicum & Regum libris & in Apoſtolorum
Ierem. 14. hiſtoriis & apud Vates illuſtria ſatis ſunt. Eius verò ratio non ſolùm Iſraëlitis propria, ſed
Iœl. 1. aliis etiam gentibus communis fuit. magni enim momenti ſobrietas ad orandum placandumque numen eſſe putabatur. Sic Ioui certo ſtatoque die ieiunia apud Romanos ſacra-
Horat. lib. 2. bantur. *Illo Manè die quo tu indicis ieiunia, &c.* ſic publicè ſuſcipienda vota
ſerm. Sat. 3.
Horat. lib. 4. ſobriis commodius & ſanctius nuncupari credebantur: *Longas ô vtinam dux bone ferias*
Od. 5. *Præſtes Heſperiæ, dicimus integro Sicci manè die, &c.* Sed tamen legitimè inſtituta
Iſa. 57. ieiunia vt purè ſanctèque peragantur, malorum ſtudiorum auerſatione & melioris vitæ cura coniuncta eſſe oportet, ſicut ſcriptum eſt: Nónne hoc eſt magis ieiunium, quod elegi?
" diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes. ea autem res vt rectè intel-
" lecta, ſic diligenter curata à Niniuitis eſt. namque paulò pòſt hoc dicitur, Et vidit Dominus opera eorum, quòd conuerſi ſunt à via ſua mala. Itaque ſanctum & Deo gratum, & iis à quibus initur, commodiſſimum ieiunium eſt, quod certam mentium ad meliorem frugem conuerſionē conſequitur & conteſtatur: *Prædicauerunt.*] Publicè indicere hoc in loco prædicare eſt. [*Et veſtiti ſunt ſaccis à maiori vſque ad minorem*, Hebraicè pluraliter eſt, *A magnis vſque ad paruos.*] Inter ea, quæ non ſolùm Dei, qui natura miſericors, clemens & multæ patiētiæ eſt, ſed hominum etiam inimicorū, & immanium atq. capitalium hoſtium miſericordiā commouere ſolent, habitus miſerorum ſupplices non exiguum pondus & momentum habet. namque vt veſtium elegantia & nitidus ac pretioſus cultus lætitiæ, ſuperbiæ, & faſtus ſignificationem habet, & admirationem aliis atque aliis inuidiam mouet; ſic neglectus, horridus, & ſordidatus habitus humilitatis & mœſtitiæ ſpectaculum præbet, ſpectantiumq. oculos & animos vehementer ad miſericordiæ cogitationem impellit. quamobrem in miſerrimis & calamitoſiſſimis bellorum temporibus, ea pars, quæ vel in deditionem hoſtiū, vel in ſalutis deſperationem redacta eſt ducem, quem ſibi pugnando infenſum reddiderit, innumerabili multitudine ſupplex ac ſordida adit, Cuiuſmodi multa exempla apud noſtros

& externos

& externos etiam ſcriptores paſſim legentibus occurrunt:in qua re ſignificanda frequens habituum ſupplicum mentio eſt. Quo autem maior & frequentior ſordidatorum multitudo eſt, eo vehementius ſpectatorum animi mouentur & impelluntur; grauius enim & plenius alienæ miſeriæ ſpectaculum humanarum rerum viciſſitudinis admonet, magnitudineque ac mole ſua impenſius vrget; atque eo maximè, quòd in tanta multitudine feminæ, pueri, puellæ, ſenesque ſint, quorum vel innocentia, vel imbecillitas eiuſmodi conditioni impar & calamitati ferendæ inferior eſſe iudicetur. Ea autem communis omnium & ſpontanea, tam eorum qui in culpa ſunt, quàm qui culpa & noxa carent, deditio ducis miſericordiam vehementer tentat, mentemque ab omni alia cogitatione ad clementiam & lenitatem reuocat. Saccus autem ex omni veſtium materia huic adornandæ rei idoneus maximè eſt, quippe non ſordes modò, ſed horrorem etiam & durum ac miſerum vitæ vſum ſua aſperitate oſtentat. Eadem verò homines erga Deum vindicem & ſcelerum vltorem potentiſſimum placandum, quæ miſeros diuturno & grauiſſimo bello oppreſſos ciues erga victoris miſericordiam commouendam cogitatio tangit. vtrique enim humili & ſupplici deditione & deprecatione veniam ſibi petendam eſſe putant. Sed quibus cum Deo res eſt, vt maxima & bonitate & clementia eius, apud quem agitur, ſpe inductis, ita de integritate, ſeueritate & ſapientia infinita, quæ vel internos animorum affectus calleat, ſolicitis, ne quid fictè aut ſimulatè, ne quid impurè aut indecorè, ne quid non ſtudioſiſſimè agatur, cura maxima eſt. Sapienter igitur à Niniuitis conſultum eſt, ne cui vel ætati, vel ſexui, vel conditioni parceretur, quo minus ſupplex habitus, ſordidatio, ieiunium, & deprecatio, indiceretur, vt ſi quid aliorum vel culpa, vel negligentia, vel indignitas fefelliſſet, aliorũ innocentia, diligentia, pietate, ſtudio, & labori impari imbecillitate ſuppleretur. [*A maioribus vſque ad minores.*] ſexum, ætatem, conditionemque omnem hæc oratio ſignificat. Hæc igitur à viris & populo, antequam ad regem referretur res, ſtudioſiſſimè & maturrimè curata ſunt, quæ publicæ calamitatis expiandæ cauſa, curari ab iis etiam inconſulto rege & potuerunt & debuerunt. Virorum autem illorum in conſilio capiendo celeritatem & diligentiam maximam admirari operæpretium eſt; qui cùm eadem in ciuitate eſſent, tamen prouideri magis communi & inſtanti calamitati, quàm regiam de ea re voluntatem magno molimine expectari oportere intellexerunt. ſed non minori cura aut ſtudio, neque minus commodo negotio à rege ipſo conſultum, prouiſum, attentumque eidem rei, ſed nouis etiam & maximis decretis, virorum & populi conſiliis acceſſionem factam fuiſſe diuina hiſtoria narrat.

Et peruenit verbum ad regem Niniue.

TOTIVS rei ratio ad regem delata eſt, quemadmodũ vir ille diuino nomine futurum propediem vrbis exitium denuntiare cœpiſſet, eoq. præconio populum commotũ, ieiunia, ſupplicesque preces ex tribunorum plebis decreto iniiſſe. quo quidem nuntio vehementer commotus rex, atque de publica ſalute, tum ſpe, tum etiã metu ſolicitus, coacto principum concilio diligentius etiam & grauius de ea re ſtatuit & decreuit, ſuoq. in primis exemplo, quid agi maximè expediret, docuit. [*Peruenit verbum.*] Grauiſſimi negotij & magni momenti rei narratio & fama, quæ admirationem audientibus adferat, vno verbi vocabulo in ſacris ſermonibus ſignificatur: vt, Tranſeamus in Bethleem, & videamus hoc verbum, quod factum eſt, &c. Quanta verò ſedulitate & celeritate publicæ ſalutis curam omni cunctatione, omni regiæ maieſtatis cogitatione remota ſuſcipere regem oporteat, hoc exemplo declaratur. Regem enim Niniue notanter appellauit. qui quamuis omnium totius orbis regum maximus haberetur & eſſet, nulla tamen de ſplendore, magnitudine dignitateque ſua cogitatione retardatus eſt, quo minus ipſe ſupplex ad diuinam miſericordiam confugeret, aliosque ſuo exemplo ad idem ſtudium incitaret.

Et ſurrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere.

SVRGERE, ſtudium, diligentiam & feſtinationẽ ſignificat: vt, Surge, vade in Niniuen. Magnum barbaris regibus ad maieſtatem dignitatemque conſeruandam in veſtiũ ſplendore & cultu & ſtudium ac ſumptũ poni conſueuiſſe, omnibus cùm prophanis, tum etiam ſacris libris obſeruare licet, nobiſque etiam de veſtium ratione ſcribentibus annotare Deo aſpirante licebit. adeò enim ea res è regum ac principum dignitate & magnitudine eſſe ducebatur, vt neque mortuis & vel tumulo condendis, aut pyra extructa cremandis negligenda eſſe putaretur. Sed Niniuitarum rex ſibi populoque ſuo ſapienter proſpiciens, non tam ſplendoris ſui, quàm publicæ ſalutis rationem habendam ſibi eſſe intellexit. neq. verò de ea re diſputari oportere, decerétne tantum populum, tantum populi principem & regem, vnius hominis hoſpitis & ex hoſtili gente voce & præconio adeò commoueri & tur-

bari, vt à iucundo & ſplendido vitæ vſu non probè perſpecta & examinata re, ad mœrorem, ſordes, luctum ſqualoremque traduci; ſed cauſæ ipſi, quæ probabilis ex ſe eſſet, & diuino nomine peroraretur, ſine vlla cunctatione cedendum, & opportuno conſilio rebusq. commodiſſimis procuratis, quàm maturrimè eſſe ſuccurrendum. [*Et indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere.*] Purpuram, aurum, & gemmas ſimplici & horrido ſordidoque ſacco, ſolium autem cinere abiectiſſimo & humillima re commutauit, inferioremque humilitatis gradum rex ipſe quàm populus, compleſſe narratur. quod verò de regali veſtimenti ornatu expoſuimus, vno Hebraico nomine ſignificatur, ADERETH, à potentia, decore, fortitudineq. ducto. Eiuſmodi autem veſtium genus hoc erat, quod materiæ atque artificij rationibus regiam maieſtatem, potentiam & ſplendorem prætenderet. Saccus autem & cinis humillimus pœnitentium habitus & ſitus eſſe in ſacris ſignificationibus oſtendimus. Quia ſi in
» Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, olim in cilicio & cinere pœni-
» tentiam egiſſent. In regio autem munere auctoritatem magis, quàm ſplendorem exigi oportet. Porrò auctoritas vtilibus & honeſtis decernendis & curandis exequendisq. rebus magis, quàm pompa, aut cultu conſeruando ſpectatur.

Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore regis & principum eius, dicens.

COACTO concilio quid maximè facto opus eſſet, deliberatum & conſultatum à rege & principibus, & tandem decretum atque curatum eſſe intelligimus: id verò quod decretum fuerit, non tam præconio, nedum potentia imperatum, ſed conſultò & ſpontè ſuaſum ſuſceptum libentius, vt maiori cum vtilitatis ſpe ageretur; quem ſuaſionis clamorem in vulgus omne delatum eſſe, verbum Hebraicum ZAGHAK declarauit, quod popularem clamorem, qualis in incendiis & publicis periculis excitari ſolet, ſignificat. id verò vt non incerto, aut inſipienti, aut obſcuro auctore fieret, [*Ex ore regis*, aut vt Hebraicè eſt, *ex ſenſu*, vel *ſententia regis:*] ex ſenſu autem regis & principum, propterea quòd illud concilium communiter expedire intelligentes, & ſibi ipſis faciendum, & populo, vt fieret, ſuadẽdum eſſe cenſuerunt. Magnam autem principum & nobilium Aſſyriorum copiam in illa ciuitate fuiſſe, & hic locus indicat, & illud ex Diodoro nobis ſuperius allatum teſtimonium apertè docuit. Igitur publica per pœnitentiam ſcelerum expiatio, & calamitatis deprecatio ab omni illius ciuitatis ordine procurata eſt, & magno omnium ordinum, ætatum conditionumque conſenſu ac ſtudio communiter ſuſcepta. qualis verò regia & principum de hac re ſententia clamoribus declarata fuerit, ſtatim exponitur.

Homines, & iumenta, & boues & pecora non guſtent quicquam, neque paſcantur, & aquam non bibant; & operiantur ſaccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine.

COMMVNI nocentum & innocentium miſeriæ & doloris ſenſu & clamore, atque ſupplici miſerabilique ſpectaculo diuinam miſericordiam commodius implorari, & vehementius commoueri poſſe, indicatum eſt, idque vt purè ſancteque fieret, omni ſtudio eſt curatum. Simul etiam eodem conſilio eademque opera Dei clementiam ad parcendum miſeris & ſupplicibus excitatum, & hominum animos aucto & communicato doloris ſenſu, & confuſo atque miſerabili animantium omnium clamore ad ſupplicem deprecationem auctum iri publicè ſperabatur; neque verò ea opinio regem principeſque fefellit, ſed euentus ipſe ex ſententia procedens ſtabiliuit. neque quòd hominibus ſupplicantibus animantium, ex quibus vſus homini percipitur, ieiunium accedere curatum ſit, ſuis ſapientiæ rationibus caret: nam præterquam quòd Dei clementia & miſericordia tanto ac tam miſerabili ſpectaculo, & confuſis hominum clamoribus, iumentorum vocibus, pecudum atque armentorum balatibus & mugitibus commoueri ad ignoſcendũ poſſe crediderẽ; eiuſdem etiam Dei curam, qua rebus omnibus à ſe conditis conſultum eſſe vult, erga inſontes & ſceleris expertes animas abiiciendam non eſſe, intellexẽre. Quòd ſi hominum clamoribus & precibus ob ipſorum ſcelera non ſatis opportunus locus eſſet, tamen animantiũ & brutorum, quæ hominum cauſa genita ſunt, & quibus diuina prouidentia opportunè conſulit, deſiderio eum, cuius beneficentiam omnia expectant, petunt, atque experiuntur, ſatisfacturum eſſe ſperare licuit. Non enim futurum eſſe putauerunt, vt qui terræ plenitudinem ſemper incolumem auctamque eſſe velit, aliarum rerum culpa alias perire pateretur; ſed potius hominibus nocentibus cum innocentibus parceret, quàm vno omnes tam inſontes, quàm ſontes animas ſupplicio inuolueret; maximè autem ſi alterius partis ſuppli-
Pſalm. 35. ci, alterius verò æqua deprecatione inuocaretur, ſicut ſcriptum eſt: Homines & iumenta
» ſaluabis Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam. Igitur vt hominum
» animi vehementius ad pœnitentiam doloremque moueantur, ac Dei erga nocentes atque inno-

innocentes animas prouidentia & miſericordia impenſius concitetur, homines ieiunio, cæteras verò manſuetas animantes inedia affici, rex principeſque ſuadent, & omnia quæ ſplendidè veſtiri ſternique ſolent, vt homines, vt equi, muli, & cætera. quorum ad vecturam aut ad pompam vſus eſt, ſacco ſordidaq. veſte indui; idq. non decenter aut artificioſe, ſed temerè: *Operiantur, inquit, ſaccis homines & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine.* Maximis igitur & contentiſſimis clamoribus diuinam miſericordiam tum ab hominibus rationis compotibus, tum etiam à brutis implorari cupiunt; quorum quanquam animæ ſenſus & motus plerique, ac vocum ſignificatio & vſus obſcurus hominibus ſit, deſiderium tamen clamor & expectatio diuinam ſapientiam atque prouidentiam minimè fugit, ſicut ſcriptum eſt: Omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore, dante te illis colligent, &c. Verùm enimuero quanquam brutis & ratione ſermoneque carentibus animantibus deſiderium ipſum & clamor ad diuinam miſericordiam mouendam, ſatis ſit; in hominibus tamen, qui à brutorum natura longè abeſſe poſſunt & debent, neque clamor, neque ſermo, neque oratio, neque veſtium ſordidus vſus, neque ieiunium, niſi hæc omnia animorum conſenſione, honeſto ſtudio & morum atque vitæ correctione & emendatione nitantur, ſatis roboris & virium ad diuinam miſericordiam commouendam habere poſſunt. Conſtat namque homo & animi & corporis naturis; ſed vt princeps in eo pars animus eſt, ſic omnium agendarum rerum rationes, ad animi cogitatus, appetitiones & conatus referri oportet: maximè verò in iis conſiliis, ſtudiis, ac rebus omnibus, quæcunque aduerſus Deum ſuſcipiuntur; qui cùm ſpiritus ſit, eas primùm & potiſſimùm rationes expendit, quæ ex animorum vi & facultate proficiſcuntur, ſicut ſcriptum eſt: Scrutans corda & renes Deus. Quamobrem in ſacrificiis & victimis mactandis atque incendendis viſcera & exta magis, quàm cætera membra expetuntur: Quòd ſi ieiunia, preces, clamores, cæteraque huius generis omnia, quæcunque piè, ſancteque inſtituta ſunt, purè ac ſanctè non ſuſcipiantur & curentur, ad placandum Deum atque ad veram accipiendam ſalutem inania prorſus inutiliaque redduntur; quippe cùm iis virtutibus vacua & nuda ſint, quæ Dei à nobis culpa atque offenſione noſtra alienatam voluntatem reconciliare & inclinare ſolent. eæ autem ſunt, viuens atque firma fides, & vitiorum fugiens virtutumque appetens pœnitentia; quibus maxima pietatis ratio continetur. quæcunque verò pietatis formæ obiiciuntur, ſi his neruis & artubus deſtituta ſint, ſpeciem quidem offerre poſſunt, re ipſa tamen aut nullæ, aut vanæ & inanes inutileſque omnino ad ſalutem ſunt, atque ad hypocritarum & hiſtrionum rationem à diuina ſapientia referuntur, ſicut ſcriptum eſt: Me etenim in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt; quaſi gens, quæ iuſtitiam fecerit, & iudicium Dei ſui non dereliquerit: rogant me iudicia iuſtitiæ, & appropinquare Deo volunt. Quare ieiunauimus & non aſpexiſti? Ecce in die ieiunij veſtri inuenietur voluntas veſtra, &c. Huic ergo rationi vt quæ plurimum ad eam, quæ expetebatur, rem momenti ac ponderis habere iudicaretur, omni ſedulitate, ſtudio & diligentia cautum conſultumque eſſe Niniuitarum rex voluit & curauit; nempe vt ieiunia, preces, cæteræque ſupplicis ciuitatis formæ ſuis venis, neruis & oſſibus, hoc eſt, veræ pœnitentiæ & pietatis rationibus certiſſimis & ſolidiſſimis continerentur. Vera autem & legitima pœnitentia vitiorum declinatione ac fuga, & ardenti virtutum amore ſtudioque conſtat, ſicut ſcriptum eſt: Declina à malo & fac bonum, &c. Atque prior quidem pars omni tempore, occaſione, & articulo curari præſtarique poteſt & debet; poſterior verò ſuas, quibus commodè curetur, opportunitates habet: alterius tamen altera principium eſt. namque vitium fugere primum ad virtutis & officij exercitationem, gradum & quaſi aditum facit; primamque ad ſapientiam patefecerit ianuam, quiſquis ſtultitia caruerit. Hinc autem eſt, quòd negatiuis diuinæ legis præceptis perpetua cura & obſeruatio; affirmatiuis verò cura quidem perpetua, ſed certa atque opportuna obſeruatio à Theologis aſſcribitur, ſicut ſcriptum eſt: Quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Iam verò hanc rem quemadmodũ procurari & geri Niniuitarum rex præceperit, audiamus:

Pſalm.104. " Pſal.7. " Iſa.57. " " " Horat. Epiſt. 1.

Et conuertatur vir à via ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorum.

OMNIS in vniuerſum omnium, quæ ab hominibus ſuſcipiuntur, vitiorum & flagitiorum natura duobus maximè generibus cernitur: vnum eſt, quo dedecoris ratio ad vnum quempiam refertur, quatenus de honeſta virtutis deflectit via, & priuatis ſeſe ſolùm vitiis corrumpit & contaminat, vt deſidia, luxuria & libidine, quæ aliæ huius generis multæ ſunt formæ. alterum verò eſt, quo non ſolùm priuatæ vitæ macula inuritur, ſed alienis rebus & ſaluti aut inuidia ſuſcipitur, aut inſidiæ tenduntur, aut iniuria denique infertur; quæ ſi priuatè admittantur, quamuis feras aliquando, certiſſimas tamen & grauiſſimas auctori

ſuo,niſi aliàs vera & legitima pœnitentia expientur,pœnas comparant;ſi verò publicè ſuſcipiantur,maturrimum atque ſeueriſſimum communeque omnibus qui in culpa ſunt, & eorum etiam rebus atque fortunis ſupplicium atque exitium moliuntur, ſicut ſcriptũ eſt:
Geneſ. Et ego diſperdã eos cum terra. Prius illud genus via mala, hoc verò poſterius HHAMAZZ Hebraicè dicitur, à Latino interprete iniquitas ſæpe vertitur; quod quoniam non animi tantum cogitatione admittitur, ſed ſtudio etiam & opera ad nocendum ſuſcipitur, in manibus eſſe dicitur. namque concepta animo in alterum inuidia, aut alia quæcunque lædendi meditata ac ſuſcepta cogitatio, tametſi ſceleris & culpæ effugiat notam, tamen quoad perpetrato opere explicata nondum fuerit, HHAMAZZ vel iniquitas, ſiue iniuria non dicitur. manus autem explicandæ & efficiendæ rei ſignificatione, in arcanis ſermonibus vſur-
Galenus de vſu partium. patur. namque id membrum vni hominum generi præcipuè à natura tributum humani cordis proprium & commodiſſimum inſtrumentum eſt, vt à medicis ſapienter eſt obſer-
Iſai. 13. uatum, ſicut ſcriptum eſt: Omne cor contabeſcet, & omnis manus diſſoluetur. Igitur ab vtroque ſcelerum & vitiorum genere, hoc eſt à priuatis flagitiis & ab iniuria inferenda populum ciueſque ſuos acriter reuocare, huiuſmodi conſilio & oratione Niniuitarum rex ſtuduit. Omnibus autem eam curam iniici voluit, vt ſuam quiſque vitam, ſuos mores & ſtudia omnia æſtimaret, & ſi quid correctione dignum in ſe offenderet, omni diligentia & ſedulitate corrigeretur. Hanc verò communem omnibus indictam legem, nomen, vir, apud
Exod. 11. Hebræos in diſtributionibus vſurpatum ſignificat: idem namque eſt, *Et conuertatur vir*, quod Latino ſermone, & conuertatur vnuſquiſque: vt illud, Dic ergo omni plebi vt poſtulet vir ab amico ſuo vaſa argentea & aurea. Quoniam autem ad publicam calamitatem deprecandam, perfectam abſolutamque per pœnitentiam expiationem eſſe oportebat, eam rem illa potiſſimum ratione procurari rex voluit, quæ in hoc genere omnium certiſſima & exactiſſima eſſe poteſt, vt vnicuique homini mores, ſtudia, atque opera ſua examinandi & iudicandi negotium daretur: quòd nulla nec diligentior, nec certior, neque grauior, quàm propriæ cuiuſque conſcientiæ cenſura ſit, cuius & teſtimoniorum fides & iudiciorum integritas eſt. aliorum enim humanorum iudiciorum omnium, de alterius factis, moribus & ſtudiis ratio & diligentia falli & refelli poteſt, ſui verò vniuſcuiuſq. exploratio
1. Cor. 2. & cognitio non poteſt. Quis enim hominũ ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? Ex qua re illud perſæpe obſeruatum in ſacris libris eſt, vt cùm ſuperbam aliquorum hominum inſolentiam & faſtidium diuina ſapientia retundere velit, ad propriam v-
Pſalm. 4. niuſcuiuſque conſcientiam prouocet: vt, Iraſcimini & nolite peccare, dicite in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini: & illud, Hypocrita primum eiice trabem de
Matth. 7. oculo tuo, &c. Igitur cùm ad commune periculum declinandum integram omnium diligentemque pœnitentiam deſideraret rex, neque facile eſſet in tanta hominum multitudine, & tam difficillima humanorum cordium cognitione aut exactam cuiuſque mores notandi rationem inuenire, aut certum ſingulis correctionis & emendationis modum ſtatuere, æqua omnibus ſalutis conditione propoſita, hoc eſt, pœnitentia vera ſuam cuique cauſam ſuſcipiendam ſuiſque ponderibus examinandam, & quid cuique debeatur, cognoſcendum atque expediendum decreuit. quanquam enim ieiunia, ſordidi ac duri habitus, & ſupplicis deprecationis cura & ſtudium omnibus tam integris, quàm nocentibus indiceretur, tamen pœnitentiæ & correctionis conſilium eorum tantum fuerat, qui ſibi aut priuati vitij & flagitij; aut illatæ iniuriæ, aut aliàs culpæ alicuius conſcij eſſent. Igitur hæc illorũ verborum, quæ proximè ſubiiciuntur, ſententia eſt:

Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat Dominus: & reuertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus.

INNVMERÆ, grauiſſimæ, & ſatis aliàs exploratæ de humanæ pœnitentiæ vſu & fructu, de inexhauſto diuinæ miſericordiæ beneficio rationes ex Latina huius loci verſione, quam nos interpretando ſequimur, in diſceptationem quæſtionemq́ vocantur, quas omnes indicata exemplaris veritate magno cum ſententiæ compendio explicare & conſolidare, quàm perſequi, & cum temporis ac patientiæ diſpendio ad ipſam rei naturã quò tandem deueniendum erat, accommodare, vti facilius, ita conſultius multo eſſe arbitrati ſumus. igitur locus hic, qui Latinè ex Græco verſus ſic, vt legimus, habet, Hebraicè ſic eſt: *Qui ſcit, conuertatur*: & commate puncto interpoſito, alia ſententia inchoatur: *& placabitur Elohim, & reuertetur à furore iræ ſuæ & non peribimus.* Pœnitentiæ conditionem non omnibus, ſed iis tantum, quos certa ſuorum facinorum, delictorum & maleficiorum conſcientia ſtimularet, impoſitam eſſe oratio declarauit. *Qui ſcit, conuertatur*: hoc eſt, qui ſibi conſcius culpæ eſt, ad bonam frugem ſeſe recipiat; atque hoc pacto orbis rectorem & gubernatorem Deum natura benignum & miſericordem placatum iri ſibi ſperandum credendumque eſt, à quo

quadra-

quadraginta dierum ſpatium non fruſtra datum fuiſſe interpretari oportet; id enim tempus & ad ſibi conſulendum, & ad diuinam iram placandam ſatis fuit idoneum. nemo enim eſt cui excitatus iræ ardor, niſi aliàs nouarum offenſionum acceſſione, aut veterum contumacia & contentione auctus fuerit, intra quadrageſimum diem non ſedetur, nedum Deo pœnitentia & offenſionum deteſtatione atque ſupplici nocentium & innocentium deprecatione placato, iræ furorem non modò compreſſum, ſed omnino depoſitum iri ſperari poſſit, qui non vt homo eſt, vt iraſcatur, aut vt filius hominis, vt in æternum oderit, ſed natura benignus, longanimis & miſericors, diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam, & præſtabilis ſuper malitia. Nunquid in æternum proiiciet Deus? aut non apponet vt complacitior ſit adhuc, aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet à generatione in generationem? aut obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? Itaq. omnis illa *Ignoſcet Deus, & reuertetur à furore iræ ſuæ, & non peribimus,* ſpem facientis regis oratio eſt, qui diuinæ iræ indicationem & conuertendæ ſiue euertendæ ciuitatis denuntiationem, & quadraginta dierum inducias factas, cæteraque omnia, quorſum pertinere atque euadere poſſent ſi rectè aut minus rectè prouiderentur & curarentur, optimè intellexerat. Sanè hoc loco Chaldaica interpretatio huius explicationis noſtræ ſententiam dilucidè confirmat; cuius integra verborum verſio huiuſmodi eſt: *Qui ſcit quòd in manibus ſuis culpa ſint, conuertatur ab eis: & miſertum erit ſuper eum à facie Domini.* Quàm verò ſapienter Ionæ præconium rex & Niniuitæ viri intellexerint, operæpretium cognoſcere eſt. non enim verbum euertendi aut vertendi quadraginta dierum ſpatio dato ad exitium vrbis tantùm retulêre, ſed illud interpretati ſunt tãtummodò futurum eſſe, vt vel tota ciuitatis facies quadrageſimo pòſt die ad meliora ſtudia conuerſa, vel ſi id aut negligeretur, aut non diligenter curaretur, diuino iudicio funditus eſſet euerſa. Illud etiam ſilentio non præterire viſum eſt, à Niniuitis hoc tempore vanorum Deorum cultum & inueteratum iam apud ſe ſuperſtitionis errorẽ non fuiſſe depoſitum; ſiquidem ea res maioribus & antiquioribus ſtultitiæ ſtirpibus, & paternarum traditionum & ſophiſticarum diſciplinarum radicibus altiſſimis defixa, ſapientiæ rationibus & miraculorum ac portentorum virtute, & aliis ſpiritus ſancti demonſtrationibus euellenda potius ex hominum mentibus erat, quàm publica pœna & cultorum exitio exſcindenda. Quanquã enim Idololatriæ nefarius error & omnibus ſtultitiæ ac turpitudinis notis inſigne peccatum ſit, nõ tamen ex eo maleficiorũ genere eſt, quæ communi pœna & accelerato ſupplicio vindicari publicè ſoleant, quemadmodum conſcriptis per nos in Amoſum commentariis explicatum eſt. Neque verò ob eam rem Niniuitis periculũ fuerat denuntiatum: neque vlla diuini nominis *Adonai*, quod vanorum numinum cultu contaminatur, mentio facta eſt; ſed tantum *Elohim*, hoc eſt, orbis rectoris & gubernatoris Dei, cuius imperium & dignitas corruptis hominum moribus vltro citroque illatis iniuriis violatur. Quam ob rem illud tantum, cuius cauſa periculum publicè vrbi & ciuibus crearetur purè ac ſanctè per pœnitentiam expiari oportere & expedire ex regij conſilij decreto proclamatum eſt: *Et conuertatur vnuſquiſque à via ſua mala & ab iniquitate, quæ eſt in manibus ſuis. Qui ſcit, conuertatur.*] Horum enim flagitiorum culpa non tantum paterno & hæreditario errore aut ſtulta perſuaſione, vt ſuperſtitione & idololatria, ſed propria cuiuſque malitia & ſcelerato conſilio prudentibus ac ſcientibus contracta erat. ſiquidem nemo homo humani ſenſus & rationis compos eſt, qui turpe & honeſtum in moribus, maximè autem in communis vitæ ſocietate colenda rectum & prauum, æquum & iniquum non diſcernat. qua de re illud veriſſimè dictum ab Apoſtolo eſt: Cùm enim gentes quæ legẽ non habent, ea quæ legis ſunt, faciunt, huiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendũt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & cogitationibus inter ſe inuicem accuſantibus, aut etiam defendentibus, atque ob eam rem concilij Regij edicto declaratum fuerat. [*A via ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus ſuis.*] quòd ſua ſingulorum vitia & ſcelera, vt nota & explorata eſſe cuique poterant, ita ſingulis expianda committerentur. Ea verò res rectè ac ſanctè apteque ad diuinam iram placandam procurata fuiſſe narratur, & quale de ea Dei iudicium & conſilium tandem fuerit, oſtenditur.

Pſal. 76. " "

Hebr. 2.

Amos 1.

Rom. 2. " "

Et vidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt à via ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitia, quam locutus erat, vt faceret eis, & non fecit.

NON de idololatriæ & ſuperſtitionis, cuius extinguendæ ac delendæ alia ratio futura erat, ſed de peruerſis ac deprauatiſſimis moribus, & de publicis atq. priuatis iniuriis Niniuitas Ionæ præconio fuiſſe poſtulatos, euentus ipſe declarauit, quibus ad meliorem frugem & officij ſtudium ſeſe recipientibus benigniſſimè Deus pepercit. illud autem diligenter obſeruandum eſt, non tantam ieiuniorum & ſupplicis habitus & clamorum atque depre-

cationum,quantam mutatæ in melius vitæ ſtudij rationem, ſine qua cætera inania & inutilia ad veram ſalutem creduntur,à Deo fuiſſe habitam. Etenim vera atque vtilis hominibus futura pœnitentia his ponderibus primùm expenſa,atque rationibus his æſtimata,cæteris omnibus actionum generibus,vt ieiuniis,ſupplici & ſordidato habitui,vt clamoribus & deprecationibus ad culpæ atque delicti veniam maximam cum ſpe petendam, momentum & auctoritatem affert;aliàs ſi tanta ac tam efficax virtus deſit,inanibus ac caſſis futuris,
Iſai.1. ſicut ſcriptum eſt : Et cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis; &
» cùm multiplicaueritis orationem,non exaudiam:manus enim veſtræ ſanguine plenę ſunt.
» Lauamini,mundi eſtote, &c. Igitur miſericordiæ erga ſupplices conſilium initurus Deus veræ ac ſolidæ pœnitentiæ rationes in primis expendit,atque de ea re certo iudicio probata,pro clementiæ ſuæ dignitate ſtatuit. *Et vidit Deus.* videndi verbo diuinum iudicium ſignificatur. *opera eorum.* Vt cordis contritio & præteriti peccati deteſtatio mentiſque mutatio veræ ac legitimæ pœnitentiæ virtutis anima & ſpiritus eſt; ſic ſtudiorum quoque & actionum mutatam ac emendatam rationem corpus ipſum eſſe ſacris vtriuſque teſtamenti librorum inſtitutis docemur. Neque enim mentem voluntatemq. mutare ſatis eſt, niſi probatis Deo & piis actionibus,atque omni officio pro temporum & rerum cõmoditate eam
Ibidem. vitæ mutationem teſtemur,ſicut ſcriptum eſt: Auferte malum cogitationum veſtrarum ab
» oculis meis,quieſcite perverſè agere,diſcite benefacere,&c. Ea verò humanorum operum
» ratio,natura & dignitas eſt, vt fidei in Deum noſtræ & veræ pœnitentiæ, & omni denique
Hebr.11. pietati teſtimonio ſint. Et hi omnes teſtimonio fidei probati & inuenti ſunt, inquit Paulus;mortuam quippe fidem & omnem aliam virtutem ſine commodo operum,actionum atque officiorum fructu inanem eſſe euangelica & apoſtolica oratione docemur. Quam ob rem huiuſmodi opera & à pœnitentibus præſtanda officia dignos pœnitentiæ fructus,
Matth.3. D. Ioannes appellat. Huius itaque generis teſtimonij Niniuitarum pœnitentia Deo ſolidiſſimarum rerum ac rationum ſeuero æſtimatori probata eſt. Is vidit opera eorum, quòd conuerſi eſſent à via ſua mala. Magnam eius ciuitatis mutationem fuiſſe,Deo etiam iudice docemur: ab illa enim tanta infamia & nequitia diuini in ſe iudicij & ſententiæ commemorationem illorum animos omni ſtudio,fide & diligentia in aliam partem fuiſſe traductos. Conuerti,aut reuerti à mala via,veram legitimamque pœnitentiam in ſacris libris ſignificat;cuius ratio non mentis mutationem modò,ſed operum atque ſtudiorum & directum ad laudem morum actionumque iter continet: Latinè etiam morum via dicitur, in qua plurimos errare ille non malus moralis diſciplinæ præceptor animaduertit. [*Et miſertus eſt Deus.*] Hebraicè eſt, NIHHAM, quod verbum Latinè non ſatis aptè reddere poſſumus,quanquam non longè aliena ſignificatione vertamus,conſolatus eſt. Id autem propriè verbum adaptari iis ſolet,qui grauem aliquam animi affectionem, vt iram, deſiderium, odium,amorem, noua atque idonea re accedente in contrarium motum commutant. Sic Iſaac Saræ matris deſiderium Rebeccæ conſuetudine leniuit. Sic Deum hominum genus, quos libenter creauerat,ob publicè corruptã & ſceleratã totius orbis viuendi conſuetudinẽ,feciſſe pœnituit. ſic Iſraëlitarũ tribus cæteras exciſæ ac penè deletæ à ſe Beniaminitarũ tribus vehementer miſertum eſt: quibus omnibus atq. aliis locis verbum NIHHAM eſt. Simili his ſignificatione verbum hic accipiendum eſſe ratio ipſa oſtendit, vt accedente Niniuitarum mutatione, Vatis præconio à ſe in illos enuntiatam ſententiam commutaret. Neque verò dicit,quod cogitauerat, *vt faceret*, ſed quod *loquutus erat, vt faceret.* Vt calamitatem & periculum illis,non tam ex diuino ſtudio,quàm ex iuſtitiæ rationibus denuntiatum imminere,& facilè(ſi illi ſibi proſpexiſſent)diuina clementia propulſari potuiſſe intelligatur; quòd verò diuinis verbis eſſet declaratum, prædictum magis vt ſibi cauerent, quàm dictum, vt deſperarent,interpretari oportere. quamobrem loqui verbum potius,quàm dicere vſurpatum eſt. [*Super malitia.*] nomẽ malitia hoc in loco Latinæ ſignificationis non eſt,vt fallax nocẽdi ratio,ac certi cuiuſdam vitij nota ſit,ſed ſcelerum vltionis ſiue punitionis rationibus commodè explicabitur,quod aliàs in ſacris libris Latinus interpres malũ vertit: vt, An eſt malum in ciuitate,quod non faciat Dominus?&, Agam & ego pœnitentiam ſuper malo,quod cogitaui,vt facerem eis. huiuſmodi malum pœnæ diſertiſſimè Theologi dicũt, cùm aliud culpæ, aliud pœnæ malum eſſe docent. [*& non fecit.*] Quadrageſimus dies diuinam clementiam illis teſtatus eſt,quo nihil mali aut damni (quæ niſi ſibi cauiſſent, certiſſima erant) ſenſerunt. Quam rem Dei ſupplicationibus ab illa ciuitate celebratam fuiſſe facilis coniectura eſt. Id verò ex hac ſententia vtiliſſimè obſeruatur, non omnes malorum & pœnarum à Deo prædictiones & obnuntiationes neceſſarias omnino & quaſi fatales hominibus eſſe,ſed plurimarum ex his euentum ex eorum,aduerſum quos factæ ſint,arbitrio atque ſtudio accidere ;neque tam quid prædictum à ſe, quàm quid ab hominibus actum,

geſtum, curatumq́ue fuerit, Deum in hac re ſpectare ſolere; qui cùm benigniſſimus cle-
mentiſſimusq́ue natura ſit, neminem vellet perire, ſed omnes ad pœnitentiam & ſalutis
viam reuerti. Repentè, inquit, loquar aduerſus gentem & aduerſus regnum, vt eradicem & Pet.
deſtruam & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum "
aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam à malo, quod cogitaui, vt facerem ei. & apud Eze- Ierem. 18.
chiëlem idem Deus: Si impius, inquit, egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ "
operatus eſt, & cuſtodierit præcepta mea, vita viuet & non morietur, & omnium iniquita- Ezech. 8.
tum eius, quas operatus eſt, non recordabor; in iuſtitia ſua, quam operatus eſt, viuet. Neq. "
verò ſubtilē illam de hac re inter ſigni & beneplaciti, ſiue antecedentiæ & cōſequentiæ vo- "
luntates diſtinctionem perſequi, aut commodum, aut inſtituto noſtro conueniens eſſe du-
ximus, quòd ſimplicius ſine huiuſmodi acutiſſimis rationibus res ipſa commodè, ac non
minus fortaſſe vtiliter teneri poſſe videatur.

CAPVT QVARTVM.

E T *affiictus eſt Ionas afflictione magna, & iratus eſt.*

OFFICIO ac munere ſuo iam functus Ionas, rei euentum expectabat, qui
vbi cognita populi illius pœnitentia, diuinæ miſericordię conſilium pro-
phetico ſpiritu intellexit, grauiter accepit, adeò vt præ mœrore doloreq́.
animi vitam morte commutare optauerit: quibus autem cauſis eam tri-
ſtitiam ſubierit, facilè ex lectione, atque ex ipſarum ratione rerum conii-
cere eſt. Non enim tantùm ille fidei dignitatiq́ue ſuæ, quantum ſaluti ſuę
metuebat. nemo enim ex vatibus eſt, qui niſi aliàs rem ſuam ageret, lega-
tionis ſuæ exitum iis, apud quos egerit, felicem potius, quàm exitialem eſſe non optet: ma-
ximè cùm eam diuini conſilij ſententiam eſſe intelligat, vt non tam ſalutis deſperandæ,
quàm pœnitentiæ ad miſericordiam implorandam ſuſcipiendæ in propheticis denuntia-
tionibus ratio habeatur. namque ea res legitimè procurata, atque euentu felici probata va-
ticiniorum fidem potius confirmat, quàm derogat. ſatis enim fidei prædicenti vati habere
ij exiſtimantur, qui obnuntiationis rationem ſapienter interpretati expiare & deprecari
procurant. Neque verò auctoritatem fidemq́ue vaticinio ſuo ab iis abrogari Ionas dolere
potuit, qui primis legationis ſuæ actionibus, ſine vllo aut petito aut addito miraculo,
tantum publicè & priuatè tribuiſſent, vt omni voluptatis & deliciarum vſu, omnibus
omnium commoditatibus atque vtilitatibus, & priuatis rerum ſuarum ſtudiis depoſitis;
omni cogitatione, conſilio, cura & diligentia ad ſupplices deprecationes, ad durum vitæ
vſum, deniq. ad nouos & minus fortaſſe iucundos publicè ac priuatè introducēdos mores
conuerſi ſunt. quam rem & lectio ipſa teſtatur, & Ieſu Chriſti confirmat auctoritas: Et "
crediderunt, inquit, viri Niniuitæ Deo, & prædicauerunt ieiunium, &c. &, Viri Niniuitæ Luc. 11.
ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam; quia pœnitentiam ege- "
runt in prædicatione Ionæ. Quo in loco magnam fidem magnamq́ue auctoritatem vnius
hoſpitis & nullis maximis miraculis ornati Ionæ prædicationi tributam fuiſſe, Chriſtus
idem confirmat, cùm ex perſonarum, officiorum & euentuum comparatione Iudæos per-
tinaciæ reos agit: Et ecce, inquit, pluſquam Ionas hic. Igitur non tantum fidei auctorita-
tisq́ue ſuæ, quantum Iſraëliticæ gentis, cuius ille ſtudioſiſſimus erat, cauſam animo & co-
gitatione tractans dolenter & grauiter ſuſcipiebat Ionas, quòd multa illi in mentem veni-
rent, quamobrem moleſtia & angore cruciaretur; tum quod populo ſuperſtitionis & vani
cultus fœditate turpificato dignam ſceleribus & corruptiſſimis moribus pœnam ſuſcepru-
ro ob pœnitentiæ & morum correctionem, retento etiā ſuperſtitionis errore, impunitatis
venia data eſſet, cùm iiſdem Aſſyriis miniſtris genti ſuæ, hoc eſt Iſraëlitis ob idem ſuperſti-
tionis flagitium grauiſſimum periculū creari cognouiſſet, tum etiā quòd ea res Iſraëlitarum
culpam vehementius coarguebat, & cauſam omnem manifeſtius damnabat. quòd Nini-
uitæ vna à ſe nondum plenè abſoluta legatione & obnuntiatione ſuſcepta, tamen cum
ſuorum commodorum iactura, morū mutatione & vitæ emendatione, omni deniq. earum
rerū, quarum rei agebantur, renuntiatione atque deteſtatione, ſupplices cum Deo iudice &
accuſatore decidentes veniam & impunitatem fuerint aſſecuti, & ſibi ipſis, vrbi, rebusq́ue
ſuis ſalutē acceperint, cū Iſraëlitæ tot quotidie legationibus, tot diuinis nuntiis, tot tantisq́.
miraculis, prodigiis & oſtentis, prædictionibusq́. aſſiduis, tot denique rebus inuitati, obiur-
gati, poſtulati, atq. tot damnationis & pœnarū minis & terroribus petiti, imò & interdum

ipſo

ipſo pœnarum & malorum ſenſu & vſu non leuiter tentati, tamen neque ſceleribus abeſſe voluerint, neque ab inſano vani & ſuperſtitioſi cultus errore auerti, neq. à propoſito impietatis ſtudio, vel tantillum dimoueri, nedũ deterreri ſeſe paſſi ſunt. vnde non ſolùm maturo & grauiſſimo ſui rerumq́ue ſuarum exitio multari, ſed horum etiam hominum miniſterio & opera perdi & diſſipari commeriti ſunt; quorum exemplum illorum pertinaciæ comparatum iure commendari potuerat. Hæc igitur rerum & rationum acerrima & attentiſſima cogitatio magnum & acerbum Ionæ dolorem commouit, & præ gentis ſuæ ſtudio vitæ etiam tædium iniecit. Sperauerat namq. fortaſſe fore, vt vel Niniuitæ legationem ſuam minori fide, vel minus etiam integra pœnitentia exciperent, vel retẽto idolorum cultu minus digni eſſent, quibus parceretur, ſed cognitum rei totius euẽtum ad inexhauſtas diuinæ miſericordiæ rationes, quæ plus etiam quàm optamus aut intelligimus, dare ſolet, retulit: hanc enim miſericordiam gentibus in antiquo etiam errore verſatis, morum tantùm & ciuilis vitæ in melius mutatione ſpectata tribui ſolere; Iſraëlitis verò, quibus maior & illuſtrior diuinarum rerũ notitia erat, maius ſupplicium atq. plura omni ex cauſa verbera eſſe ſubeunda intellexit: namque ſeruus, qui ſcit voluntatem domini ſui & nõ facit, vapulabit pluribus. [*Afflictus eſt Ionas afflictione magna.*] Ingentẽ animi dolorem & angorem Hebraica oratio exprimit hac ſententia: *& male habuit Ionas malo magno:*] ita vt non triſtitia quædam leuis, ſed animi morbus & languor ex mæſtitudine indicari poſſet, ſicut ſcriptum eſt: Spiritus triſtis exſiccat oſſa. [*& iratus eſt*, Hebraicè *Iratus eſt ſibi.*] hoc eſt dolore & impatientia affectus vitæ ſuæ odium & tædium concepit, quòd tantum gentibus ſuis ex ea re culpæ conflari, & grauioris ſupplicij comparari intellexiſſet. vſq. adeò autem grauiter & moleſtè eam rem tulit, vt vitæ ſuæ finem breuiſſimum precibus à Deo petierit.

Et orauit ad Dominum & dixit.

Hoc in loco nomen illud ineffabile eſt, quod magnum in Iſraël erat, & familiaribus miſericordiæ beneficiis notiſſimum. *& dixit:*] Irati & dolentis hominis, omniaq. affectu ſuo definientis orationem obſeruare operæpretium eſt.

Obſecro Domine, numquid non hoc verbum meum, cùm adhuc eſſem in terra mea? propter hoc præoccupaui vt fugerem in Tharſis.

Gentis & patriæ ſuæ ſtudio incenſus ex ira potius & impetu, quàm ex ratione orationem inſtituit, non qui diuinæ miſericordiæ erga Aſſyrios Iſraëli hoſtes immanes futuros beneficium laudibus, ſed magis inuidia proſequatur, & ſui illius conſilij, quod de fuga ceperat, probabilem ſibi rationem reddere videatur. Vbi nos legimus *cùm eſſem in terra mea,* Hebraicè eſt, *ſuper terram meam.*] Quæ oratio illum de patria, in qua erat, cogitaſſe indicat: vt,

Habak. 1. Super hoc lætabitur & exultabit, & immolabit ſagenæ ſuæ. *Propter hoc præoccupaui, vt fugerem in*

» *Tharſis;* quòd huius rei exitum, cuiuſmodi tandem acciderit, pertimuerim; futurum enim

» agnoſcebam, vt in gentis meæ ignominiam & excidium Aſſyriis parceres, tametſi illos, niſi omne omnino ſcelus omnemq́ue errorem deponerent, indignos ego eſſe putabam, quibus ignoſceres. ſed tamen tuam naturam & benignitatem cogitanti mihi magna ſuſpicio erat, ſalutis magis horum, quàm exitij cauſa legationem dari, quòd natura ad ignoſcendum, quàm ad vlciſcendum te ſemper promptiorem præſtiteris.

Scio enim quòd tu Deus clemens & miſericors es, patiens & multæ miſerationis, & ignoſcens ſuper malitia.

Ideoqve haud iniuria legationem ſalutis potius, quàm vltionis parandæ cauſa dari interpretabar. hic autem locus eius conſilij, quod de Ionæ fuga in ſuperioribus indicauimus, ſatis manifeſta, ſi diligenter conſideretur, argumenta habet: ſed quòd illic explicata non fuerint, in cauſa eſt Hebraicæ orationis breuitas, & ſummo iudicio collocandis rebus & narrationis partibus præuiſa opportunitas; quam qui rectè obſeruauerit, magnũ etiam ad explicandam ſacrorum librorũ ſententiam cõpendium fecerit. *Scio enim,* Hebraicè eſt in præterito *ſcini* ſiue *noui*. Cæterorum verò omnium, quæ ad diuinæ miſericordiæ rationes referuntur, verbi huius ſignificationes nobis iam indicatas ex Ioëlis commẽtariis petere operæpretium erit.

Et nunc Domine tolle animam meam à me, quia melior mihi eſt mori, quàm vita.

Irati & perturbati hominis ſermo affectibus magis, quàm verbis abundat. nam ſi orationis & ſententiarum cohærentia ſpectetur, nulla ferè eſt; ſi verò dicentis animi motus conſideretur, maxima & vehementiſſima dicendi vis omnino deprehenditur; non tam officij deſerendi conſilio, quàm populi ſui ſtudio ſpontaneum exilium ſibi olim ſuſceptum fuiſſe Ionas oſtenderat. nunc verò diuinum conſilium executo ſuæ gentis ſolicitudinem & curam eo grauiorem acceſſiſſe, quòd certius & maturius exitium, atq. adeò maius crimen

crimen ſuo miniſterio conflatum illis eſſe intelligit. cuius rei cogitationem & ſenſum multo, quàm antea grauiorē non exilio ſolùm, ſed morte vitare optauerit. [*& nunc:*] Iam, inquit, ego tibi officio facto & legatione fideliter obita ſatisfeci, ſed tamen animo meo tanti mali expectatione perturbato nulla alia re, quàm breui vitæ fine ſatisfacere poſſum. igitur & tu tolle animam meam à me, atque extremum vitæ diem accelera; quod ego præmij loco ducam. Homini miſerrimo ac tædio vitæ affecto matura mors potior, quàm vita iudicatur, vtpote quæ omnium præſentium miſeriarum ſenſum omnemq́ue dolorem adimere creditur. Is autem affectus communis eorum omnium eſſe ſolet, qui ſuis aut aliorum ærumnis & calamitatibus grauius premuntur, vt mortem potius, quàm vitam optet. Sufficit mihi (inquit Helias) tolle animam meam, neque enim melior ſum, quàm patres mei. 1.Reg 19.

Et dixit Dominus.

NIHIL à Deo fieri, cuius recta ac valde probanda ratio reddi non poſſit, hæc prompta reſponſio ſignificat: nam cùm irato & oranti homini ſtatim reſponderit, nihil per ſolam potentiam & vim fieri, ſed quæcunque ab eo geruntur, omnia ex ſumma ſapientia, ratione & virtute ſemper proficiſci declarauit. Id autem intellexiſſe noſtra maximè referre, ſicut ſcriptum eſt: Æquitas teſtimonia tua in æternum; intellectum da mihi & viuam. quid autem reſponderit audiamus: Pſalm.119.

Putáſne bene iraſceris tu? Hebraicè, *num bene iraſceris tu?*

SIGNIFICAT ex ſuorum ſtudio magis, quàm ratione profectam iram nimiæ perturbationis nota non carere, vt ipſe forſan putabat; quòd piorum hominum aliquando iuſta & probabilis ira eſſe poſſit: ea autem eſt, quam certa ratio commendat, qualis Moſem fœderis tabulas olim comminuentem inceſſit. Quòd ergo ingenti, quòd minus probabili ira percitus Ionas fuerit, quòd vehementi perturbatione affectus minus rectè ſibi officio, æſtimationiq́ue ac dignitati ſuæ conſuluerit, notatur. Illud aduerbium *benè* & qualitatem & quantitatem ſignificat, vt vehementer nimium ac iuſtè iratus ſibi eſſe videatur néne, Pſalm.32. rogetur. Nam hæc eſt huius aduerbij ſignificatio: vt, Bene pſallite ei in vociferatione: & a- Horat.lib.1. pud Latinos bene nummatus, bene doctus dicitur. Interrogatio autem commoda ad redar- epiſt.5. guendum figura eſt: vt, Si offers pollutum, nónne malum? propria ad verbum huius inter- Malach.1. rogationis verſio Hiſpano ſermone redditur *haze peſado bien*? Quoniam autem qui vehementer perturbati ſunt, rebus magis, quàm oratione ad aliam ſententiam perduci poſſunt; huius redargutionis confirmationem illuſtris cuiuſdam rei exemplo Deus adornauit. nam quamuis Ionas ſola etiam interrogatione redargutus adeò fuerit, vt nihil reſponderit; tamen vt re ipſa & manifeſtis etiam rationibus vrgeretur & teneretur, Deus effecit.

Et egreſſus eſt Ionas de ciuitate, & ſedit contra orientem ciuitatis, & fecit ſibimet vmbraculum ibi: & ſedebat ſubter illud in vmbra, donec videret quid accideret ciuitati.

IONAS vbi præconio ſuo commotæ & turbatæ, atque adeò ſcelus publica & priuata pœnitētia expianti ciuitati veniam dari diuina inſpiratione intellexiſſet, ob eas, quas commemorauimus, cauſas doluit vehementer, ſed tamen non omnino impunitis ac liberis opinione ſua futuris quid tandem fieret, expectare atque obſeruare in animo ſtatuit ſuo; atque ab impiorum & ſibi inimicorum hominum conſuetudine recedens, futuri periculi ſpectator, quàm ſocius eſſe malebat: intellexerat quippe Deum miſertum fuiſſe ſuper malitia, quam locutus fuerat, vt faceret eis, hoc eſt ſuper plena & abſoluta ciuitatis euerſione, non tamen ex eo conſequi, omni prorſus pœna & periculo liberos eſſe voluiſſe. namque & in illius nefarij & famoſiſſimi Iſraëlitarum, qui vituli ſimulachrum coluerant, flagitij hiſtoria, Moſis deprecatione Deus placatus fuiſſe, iiſdem omnino verbis, ſimili huic, quæ Vati aperta fuit, ſententia narratur. Placatusq́ue eſt Dominus ne faceret malum, quod locutus Exod.32. fuerat aduerſus populum ſuum. Et tamen poſt quadraginta dies, quibus Moſes in montem " ſecedens magno ſtudio & continuis deprecationibus populo caſtigato à ſe impetrata ve- Ibidem. nia impunitatem etiam petebat; non tamen plenæ & abſoluta data eſt, ſed percuſſit Domi- " nus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron, inquit Scriptura. Huius rei ſimile aliquod exemplum renouandum fore arbitratus Ionas expectare conſtituit, atque eo conſilio ex vrbe in locum euentui ſpectando idoneum ſecedens, vmbraculum ſibi folis arcendi & frangendi caloris cauſa, herbis, vel calamis, vel aliqua alia opportuniſſima re conſtruxit *Vmbraculum*, Hebraicè *Tugurium*; cuiuſmodi à vinitoribus & cucumerum cuſtodibus ex op- Iſa.1. portuna materia fieri ſolent. quòd verò ab ea parte, quæ ortum ſpectabat, conſidere voluerit, illam

rit, illam cauſam ſubeſſe arbitramur, nimirum putauiſſe Vatem fore, vt ſi calamitas diuinitus afferenda vrbi eſſet, ab occaſu & meridie veniret, quòd ab ea mundi plaga Iſraëlitica regio eſſet, cuius optimus atque maximus ille communis totius orbis Elohim eſſet.

Et præparauit Dominus hederam, & aſcendit ſuper caput Ionæ, vt eſſet vmbra ſuper caput eius (laborauerat enim) & lætatus eſt Ionas ſuper hedera lætitia magna.

ILLVSTRI atque mirabili beneficio à ſe affectum Ionam ad tempus foueri & conſilij ſui opportunè doceri Deus voluit. Namque vbi caloris vi vmbraculi ſtramina exaruerant æſtu nimio laborantem hominem producto atque ad vmbræ commoditatem repente aucto frutice leuauit, quo ille vehementer delectatus eſt, tum quòd præcipuam quandam in ſe Dei curam expertus eſſet, tum quòd reſarciendi ſæpius tugurij moleſtia liberaretur; ac prætcrea etiam quòd natiua ac viua arbuſculæ viriditate, atque admittendæ auræ commoditate commodius iuuaretur. itaque vmbram & ſalubriorem & commodiorem & iucundiorem viriditatis ſpecie, atque liberiorem temperati aëris vſum percipere potuit. Id verò eo gratum ſibi magis accidit, quòd diuino beneficio & prompto miraculo contigiſſet. [*Laborauerat enim*: Hebraicè eſt, *Et ad protegendum illum à malo ſuo.*] Significat illum nimio calore laborantem ferme iam morbo fuiſſe affectum. Quoniam verò certa mali cauſa erat remedio etiam certo vſus, refrigeratione atque aura, & viriditatis aſpectu, atque etiam ipſo plan- [Vitru. lib.1.] tæ halitu & ſpiritu delectabatur. namque arbores, herbæ ac cætera plantarum genera ſuos quæque ſpiritus, quibus aërem inficiant, aut ſalutares aut noxios, pro ſingulorum natura, remittunt: id quod odor ipſe ſenſibus etiam perceptus arguit. atque ob eam rem Chaldaicè locus hic ſic explicatur: *ad hortificandum ei à malo ſuo*:] Sed quodnam hoc fruticis genus fuerit, quod alij hederam, alij cucurbitam, alij aliter vertunt, veri inueniendi ſtudio actos, neque nos breuitatem aliàs profeſſos inquirere, neque pium lectorem attendere pigebit. Nulla gentibus nominum certa eadem lex fuit, ſed quæ pariter à cunctis intelliguntur, aliis atque aliis vocibus deinceps indicata ſunt: neque eſt vbi magis variemus, aut vbi tempora, regiones & vitæ noſtræ non vna ſemper & vbique ratio, plura, quàm in naturæ rerum, maximè verò plantarum nominibus mutauerit; quæ res iis, qui conſcriptos de hac ratione in omnibus linguis libros euoluunt, manifeſta eſt. Quædam tamen in his ſunt, quæ præter communem figuræ & vſus deſcriptionem antiqui Hebraici nominis veſtigia etiam in aliis linguis reliquêre, vt hæc quæ ad vatis delicias, vtilitatem, atque demum perfectam erudi- [Camhi in Ionam.] tionem ex prompto & mirabili Dei beneficio repentè nata atque aucta eſt. Cuius Hebraicum & Chaldaicum nomen eſt *kikaion*, eiuſdem ex antiquis naturæ rerum Hebraicis & Aſſyriis ſcriptoribus huiuſmodi deſcriptio eſt. *Kikaion* frutex eſt latis foliis & vmbræ pa- [Miſnaioth. Gamar.] randæ commodiſſimus. & alio in loco vbi de oleorum natura & eorum ſacris aut prophanis vſibus agitur, Nõ licet, inquiunt, in ea re, vti oleo *kiki*: & in Explicationũ libro, Quid, inquit, eſt *kiki*: doctiſſimus Laris ait eandẽ eſſe Ionæ *kikaion*. & in deſcriptionibus filij Hhanæ legimus, *Kikaion* maximus inter frutices eſt, quem pro tabernarum foribus ſeri ſolere videmus vmbræ cauſa, ſemen proferens oleo faciendo opportunum. eandem verò plantã Arabicè, *kerngha* dici, auctores ſunt, Samuel Hhophnites, & Gaones celeberrimi quondam in Hiſpania ſcriptores. Eius verò magnam in Bætica copiam eſſe, ex cuius ſemine oleum ad lucernas, & ad quoſdam in medicina vſus opportunum exprimatur, iiſdem Gaonibus eſt peruulgatum. hactenus ex Hebræis, Chaldæis & Syris quam breuiſſimè hæc à nobis prolata ſunt: Nũc verò deinceps Græca & Latina cum his collata rem ipſam, quænam apud nos ſit, commonſtrabunt. Neque enim alium eſſe huiuſmodi fruticem opinamur ab eo qui Latinis Ricinus dicitur. Cui nomen à notiſſimi canibuſque infeſtiſſimi inſecti figura ſeminibus expreſſa inditum fuiſſe omnes, qui de ea re ſcripſêre, auctores tradunt. namque eam [Dioſcorid. li. 1. cap. 30. & lib. 4. c. 107. Apuleius de plantis. Plin. lib. 24. c. 7. & lib. 23 cap. 5.] plantam antiquo iiſdemque conſonantibus elementis cum Hebraico & Chaldaico conſtanti nomine Græci *κίκι* dixêre, ex qua oleum efficitur, quod Romanis pariterque Græcis cicinum & ricinum etiam dictum eſſe Dioſcorides, Apuleiuſque docent. Atque Platanus quidem arbor cùm ſterilis ſit, vmbræ tamen & foliorum pulchritudinis cauſa amabilis & expetita omnibus olim, atque in hortis magno etiam ſumptu & cultu nutrita fuit. nullam verò aliam plantam foliorum figura & magnitudine platano ſimiliorem eſſe quàm ricinum, & antiqui auctores affirmauêre, & nos qui vtramque cognouimus, teſtari poſſumus. At verò vt ex ricino, quæ platani ſpeciem habeat, vmbræ etiam commoditas percipi poſſit, [Plin. 15, c. 7.] magnitudo efficit; nã oleæ altitudine in Ægypto & Hiſpania prouenire Plinius ait. Quib. ex rebus intelligimus eam plantam, cuius platano proxima ſpecies gratiſſimam vmbram haberet; natura verò celerrimum incrementum, atque vermiculi dentibus magis peruiam infirmitudinem in Ionæ vſum & conſilij ſui exemplum fuiſſe à Deo productam. Arbitramur

mur autem illam diuina virtute vna nocte exortam ad iuſtam altitudinem creuiſſe,& euigilanti ſummo mane Vati repentè viſam, ſpecie & cômoditate ſua eum vehementer exhilaraſſe.atque hæc res verbis ipſis,quibus narratur,indicata eſt: *Et præparauit Dominus kikaion.*] huiuſmodi namque verbum in iis rebus vſurpatur, quæ prôpta & parata celeritate in ipſo temporis articulo, cùm maximè opportuna ſunt,ſuppeditantur : vt illud, Et præparauit Dominus piſcem grandem,&c. hæc ex Hebraica verbi ratione ad creandi & producendi fruticis celeritatem,& illud etiam *Et lætatus eſt Ionas lætitia magna ſuper kikaion.*] Quam quidem lætitiam repentinus & gratus plantæ conſpectus atque vſus attulit. neque verò ſimplici miraculo aſſcribendum eſt,quòd is frutex vna nocte ad iuſtum modum ſic excreuerit , vt eſſet vmbra ſuper caput illius.Namque ad creſcendi celeritatem foliorum varia inter creſcendum mutatio & transformatio acceſſit,quæ ricino præter alia plantarum genera contingit,in quo nihil æquè Theophraſtus admiratus eſt:quá rẽ auctor ille *ἀνομοιότητα καὶ μετασχηματισμὸν* nominat. Cuius de hac re verba Latinè verſa ſubſcribere placuit:Eius,inquit,qui ricinus nominatur,naſcentia folia à principio rotunda & circinata ſunt; tempore deinde anguloſa fiunt,quaſi dearticulentur. eſt autem mirè diſtincta ricino articulatio vltra vitis & ficus ſimilitudinem,& magis etiam quàm platano.quæ verò planta Hebræis *kik*, ſiue *kikaion*, Arabicis *kernagh*, Græcis *kiki*, Latinis ricinus dicitur;ea eſt,quam officinæ catapotiam maiorem, Hetruſci phaſiolum Romanum, Hiſpani *higuera del inſierno*, Galli ob foliorum articulationem,*palme de Chriſt*; Germani verò tum ob ea,quæ à Theophraſto adnotata ſunt,tum ob admirabilem plantæ altitudinem,quæ in ſuo genere maxima eſt,*vvonder boome*, hoc eſt mirabilem arborem vocant : Hæc de *kikaion* prolixius fortaſſe tractata; tamen non ingrata futura ſperamus. De ipſius verò nominis Græci ad Hebraicum reducendi ratione, pluribus aliàs cùm de hoc genere agendum ſit,diſſeremus. Igitur quo beneficio & miraculo diuinitus affectus fotusq́. fuerit Ionas, iam explicatum eſt. quo verò exemplo diuinum conſilium fuerit edoctus,deinceps explicabitur.

Sup.c.2. Theophraſt.

Et parauit Deus vermem in aſcenſu diluculi in craſtinum, & percuſſit hederam, & exaruit.

VNO tantùm integro die fruticis commoditatem percepiſſe Ionam ex eo intelligimus, quòd poſtero,poſtquam produceretur,die vermis dente corroſus,repentè exaruerit: Eum verò vermem ex eo genere fuiſſe,quod cùm molle ad tactum ſit,dentibus tamen pro naturæ ſuæ ratione duriſſimis & acutiſſimis valet,ita vt arborum etiam truncos perforare poſſit: Hebraicum nomen THOLAGHATH docet. Huiuſmodi genus ruſtici noſtri Terebellam vocant. paulò verò ante ſolis exortum paratus à Deo vermis fuit, vt in ipſo futuri ſtatim caloris articulo plantæ cômoditas grauius etiam Vati deſideraretur. [*Percuſſit hederam & exaruit.*] Imbecillioris naturæ plãtæ ſi perceptus à terra humor deficiat, repente areſcũt, id quod minori etiam labore à vermibus in eiuſmodi genere efficitur, quòd caudice & ramis, arundinis modo, concauis eſt, qualem ricino naturam eſſe Dioſcorides ait . nam & ſolis & intemperati aëris vis interius atque exterius ſubeundo humorem omnem facilius exugit. ſatis igitur ad eam rem fruticem percuſſum eſſe fuit. Neque verò ſolùm vmbræ commoditatem deſiderare coactus eſt Ionas, ſed vehementiori etiam æſtu ad vitæ vſque tædium afflictus eſt. Nam

Et cùm ortus fuiſſet ſol , præcepit Dominus vento calido & vrenti : & percuſſit ſol ſuper caput Ionæ, & æſtuabat.

VEHEMENTI ſolis & venti vi & ricinus facilè periit,& Ionas grauiſſimè afflictus eſt, Deo id ad hominis eruditionem prouidente & curante. quæ res & grauiſſima moleſtia, & maiori plantæ deſiderio eum laborare coëgit. *Aeſtuabat* enim vehementiſſimè, & ad portas mortis præ nimio cordis incendio & membrorum debilitate penè delatus,

Petiuit animæ ſuæ vt moreretur.

OPTIONEM & cupiditatem hæc oratio ſignificat. Allocutus enim eſt animam ſuam Vates more eorum, quos ob grauiſſimum miſeriarum ſenſum,vitæ ſuæ pertædet, & quam ob rem tamdiu viuant,ſecum dolentes queruntur,cùm earum miſeriarum finem in morte eſſe credant : ideò

Dixit, Melius eſt mihi mori, quàm viuere.

VT homini grauiſſimis animi curis & vitæ moleſtiis affecto, cui breui mòrte perire, quàm lento malo diu excruciari & ſuæ gentis cura angi,potius multo ducitur. *Vento calido*, Hebraicè ſubſolanus ventus propriè notatur,qui in orientalioribus regionibus animatis omnibus rebus vehementer nocet: calidiſſimus enim & vrentiſſimus omnium eſt, quod vel ex Pharaonis ſomnio obſeruatur. Gen.

Et dixit.

Et dixit Dominus ad Ionam: Putáſne bene iraſceris tu ſuper hederam?

MORTEM vita meliorem ſibi ac potiorem eſſe Ionas dixerat. Eam ſententiam Deus argumentis ex rerum natura atque indicato ipſius affectu redarguit. namque Ionas fruticem cuius iucundo conſpectu & commoditate delectabatur, amauerat; amiſſum autem vehementer & ſui cauſa dolebat,& miſeratione quadam proſequebatur, quòd tam pulchra,tam breui tempore nata & aucta arbuſcula,tam citò periiſſet,digna ſibi longiori tempore iudicata,quando rebus omnibus florentibus ac pulchris vita & duratio potius, quàm interitus & mors optanda eſſe videatur. Hominis igitur oratio primùm à Deo redarguitur, ac deinde omnis illa vnde eiuſmodi affectiones ortæ fuerant, cogitatio vincitur: Nunquid æquum eſt,inquit Deus,hominem,cui mors potior,quàm vita ducatur,tam grauiter & iniquo animo ricini vnius plantulæ interitum & deſideriũ ferre?nam ſi præ vita optanda mors omnino eſt,pereuntem arbuſculam miſeratione proſequi, ob eamque rem iraſci minimè oportet:ſi verò tibi vni interitus expetitur, quorſum attinet plantæ commoditatem amiſſam tam iniquè ferre,cùm homini vitæ ſuæ pertæſo ad vitam & ſalutem conſeruandam commoda res grata eſſe non poſſit. Igitur vel te viuere non (vt dicis) tædet.

Et dixit: Bene iraſcor ego vſque ad mortem.

SIGNIFICAT ſe non vitæ cupiditate aut mortis odio,ſed miſeriæ longitudine vehementer eſſe commotum, neque iniuria plantæ deſiderium tam iniquo animo ferre, qua non mortem,quam nihilominus expetebat,ſed ipſa morte grauiorem moleſtiæ diuturnitatem ſe vitare poſſe ſperauerat. Iram itaque ſibi non ex mortis cogitatione eſſe, ſed ex ea afflictione,quam eſſet vſque ad mortem perpeſſurus: cuius moleſtiæ odio, & maximæ de gente ſua curæ & doloris deponendi cauſa mortem præoptauerit. Itaque & plantæ ipſius miſeratione & diutius capiendæ miſeriæ odio,in eadem expetendæ mortis ſententia permanentem ſeſe ſatis benè iratum fuiſſe affirmat, qui ſtatim ſuis ipſius orationibus ſapientiſſimè redargutis à Deo conuincitur, argumento ex contentione deprompto.

Et dixit Dominus, qui nihil vnquam non ſummo iudicio & maxima æquitate à ſe factum oſtendit. *Tu* homo, cuius imperfectior & negligentior ac minus clemens natura eſt, *doles ſuper hederam* ſiue *ricinum*.

VVLGAREM natura ſua plantam ex earum genere, quarum iactura leuiſſima aliàs, iis etiam hominibus, quorum induſtria & cultura natæ & auctæ fuerint, leuis eſſe ſolet, & tamen *tu doles*, Hebraicè eſt, HHAZZTHA, *clemens fuiſti*, plantæ,cui colendæ nullum laborem impenderas.

Non laboraſti, neque feciſti vt creſceret.

SPONTE enim ſua me auctore & nata & aucta fuerat.

Quæ ſub vna nocte nata eſt, & ſub vna nocte periit:

VT neque diuturno vſu & conſuetudine tibi gratior & carior eſſe potuerit,neque propterea magnæ miſerationi eſſe,quòd citiſſimè perierit,quando repente etiam extiterit,non magis quàm ramus aliquis ex arbore exciſus, & ante domus limina per noctem affixus ſequenti die vſum viriditatis præbet, at proxima nocte nullo ſui deſiderio relicto areſcit. Hactenus altera contentionis pars, hoc eſt minor; nunc verò altera, maior videlicet ſubiungitur. eſt autem contentio à perſonis & rebus facta.

Et ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua ſunt pluſquam centum viginti millia hominum, qui neſciunt, quid ſit inter dextram & ſiniſtram ſuam, & iumenta multa?

IAM primùm illa maxima perſonarum contentio eſt, *Et ego*. Non enim Deus vt homo eſt,neque vt filius hominis ad iniquitatem & iracundiam magis, quàm ad clementiam & miſericordiam procliuis, ſed miſerator & miſericors, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. Quòd ſi Ionas ricinum ſui cauſa amauerat, vt filij parentes amare ſolent, Deus conditas à ſe res parentum erga liberos amore,qui multo ardentior & certior eſt, proſequitur. Deinde verò ſi res rebus conferantur, iniqua cogitatio eſt hominis ſuam in herbæ vilis exciſione dementiam probantis, eiuſdemque ob eam rem dolentis, quòd ciuitati illuſtriſſimæ & antiquiſſimæ omniumque maximæ Deus pepercerit: cuius
Iſa.6. vrbis frequentia ſuæ maieſtati & gloriæ decori ſit, ſicut ſcriptum eſt: Pleni ſunt cæli & terra maieſtatis gloriæ eius, vtpote quæ Deum ſui auctorem cultoremque teſtentur, quibus cõſulere potius,quam obeſſe vt editis à ſe operibus velit. Quòd ſi Niniuitæ ob peruerſam religio-

religionis rationem & inueteratum ſuperſtitionis errorẽ minus digni eſſent, quibus parceretur, ſupererat tamen ingens quædam puerorum & infantum multitudo, qui ob ætatis innocentiam & imbecillitatem nullius criminis ſocij, neque ſuperſtitionis ſibi eſſe conſcij poterãt: hos verò cùm ſeruatos omnino oportuerit, parẽtũ opera & cura, vt ſeruarẽtur, egere, conſequens fuit, quippe quos ætatis imbecillitas, neq. cõſilij neq. auxilij ſibi compotes eſſe, aut quiſnam dextræ aut ſiniſtræ vſus eſſet, nondum planè cognoſcere ſinebat. Adde etiam innumeram pecorum, iumentorũ, armentorumq́ue copiam, quibus vt nulla boni & mali cognitio, ſic nullum vitæ crimen, nulla ſuperſtitionis ratio, quo minus conſulendum ſit, obeſſe poſſit. id autem genus ſine hominum cura & cultu non magis, quàm infantes ſeruari poteſt. Vt igitur non ſolùm innocentum puerorum, ſed vtilium animantium genus, omne non naturæ dignitate modò, ſed vſu etiam plantis omnibus præſtat, ſic ricino parci cupiẽtem hominem velle vt Niniue parceretur, etiam ſi qui in cùlpa eſſent pœnitentiam non egiſſent, multo magis decuit & oportuit. Quanquam verò vanorum deorum cultoribus ſuæ pœnæ vel in præſenti vel in futura vita luendæ ſint, tamen excisionis publicæ pœna iniquitatis ſuæ HHAMAZZ crimini conſtituta his, qui pœnitentia & correctione atque deprecatione legitimè ſibi prouiderint, ferenda non eſt, quæ tamen pœnitentiam negligentibus vnà cum paruulis & iumentis & gregibus ferenda eſſet. quandoquidem ea eſt ratio HHAMAZZ, vt & auctores ſuos, & auctorum res omnes ſecum in calamitatem & pœnam trahat, ſicut ſcriptum eſt: Repleta eſt terra iniquitate à facie eorum, & ego diſperdam eos cum terra. hoc adeò diuinæ miſericordiæ hominum, ob pœnitentiam, peccata diſſimulantis omnibus gentibus illuſtre exemplum propoſitum eſt.

IN IONAM PROPHETAM.

HYMNVS EX VOTO.

DVLCIVS ſi quid lyra ſacra, ſi quid
Et potes magnum, & ceciniſſe gratum,
Excipe argutis ſocianda vati
Carmina neruis.
Quæ velim cunctis celebrata faſtis,
Quà ſolet flexi peragrator orbis
Sol reuertentes variare puro
Lumine faſces.
Non vt æternum decus aut canenti
Gratia accedat, populiq́; blandis
Plauſibus vatem celebrent, vel auctam
Verſibus artem:
Aſt vt ardenti ſtudio perennes
Orbis immenſus colat vſque magni
Nominis laudes, referatq́; auenti
Pectore grates.
Nam licet vultu proprior benigno
Is pia gentis populum ſuisq́;
Legibus doctum fouet, atque donis
Auget apertis:

 Nullus

Nullus eſt amplo tamen orbe quantum
Circuit cælum locus inquietis
Curſibus, quem non pater ille certo
Numine curet.
Teſtis eſt grato paritura nubes
Imbre fœcundis alimenta glebis;
Teſtis & nunquam reprobis, pijſúe,
Deficiens lux.
Ille ſeu magni ſpatioſa cæli
Templa, ſeu terras iubeat iacentes;
Siue piſcoſi pelagi ſupinas
Voluier vndas:
Fitq́, & ad nutum ſuperis tremendum
Cuncta recurrunt, proprium benignè
Singula & curſum, ſtudiumq́ ponunt,
Votaq́ prima.
Ille mortales ſobolemq́ priſci,
Quem luto molli ſapiens, Adami,
Finxerat, paulo ſuperis minorem
Curat, amatq́.
Hos in horrendas erebi tenebras
Fraude maiorum proprijſq́ noxis.
Semper addictos reuocare lucis
Tendit ad vſum.
Si quid his prauo ſtudio maliſq́
Artibus diri videat pericli
Sponte conceptum, dolet, & ſalutem
Prouidus offert.
Et vocat magnis operis modiſq́,
Et manum lapſo bonus ac petenti
Porrigit, nunquam auxilio piè vo-
cantibus abſens.
Ille & errorum dubijs vagantem
Caſibus quærens miſeratus, agnam
Excipit lætus humeris, refertq́ ad
Paſcua vitæ.
Quantus inuenta pecude ò beatis
Ciuibus plauſus, celebriſq́ toto
Is dies cælo, ac ſuperûm parenti
Gaudia quanta?
Commodè nam ſi fuerit rogatus,
Lenit vltrices patienter iras,
Duraq́ ardentum facilis minarum
Verba remittit.
Diceris fortis ſapienſq́ princeps,
Nec tibi his quidquam ſimile aut ſecundum:

Sed magis patris titulo ac benigni
Nomine gaudes.
Huius immenſi monumenta honoris
Regna cum totis populis, & vrbes,
Multaq; infantum, pecorumq; multa
Secla tulêre.
Ergo iactatum medijs laborum
Fluctibus dudum, teneræ & iuuentæ
Iam tuo ereptum auxilio procellis
Reſpice vatem;
Vnda quem nuper rapidè reſorbens
Faucibus vulgi dedit auferendum:
Vnde nil præter tenebras metumq;
Sentit inertem.
Da pater tuti tenuiſſe portus
Otia, & mentis placidum quietæ
Tempus; ac votis facilem benignus
Annue ſedem:
Siue me excelſum ad ſcopulum referre:
Qui locus nobis ſacer, ac beatæ
Conſcius vitæ cupidis latendi
Contigerat iam:
Seu velis longè ſpatijs remotis
Abdere, vt ſemper tua ſacra præſens
Vſque in extremæ celebrem ſacerdos
Stamina telæ.

BENEDICTI ARIÆ MONTANI IN MICHÆAM PROPHETAM PRÆFATIO

DE ECCLESIÆ RERVM TREPIDATIONE.

ECCLESIAM *Dei iam inde à primis conſtituti mũdi temporibus nimis ſæpe & vehementer diuexatam & afflictam, ac non apertis modo bellis, ſed grauiſſimis perſæpe inſidijs tentatam concuſſamq; fuiſſe, omnis ferè ſacrorum librorum docet hiſtoria. Etenim illa aſtutiſſimi ſerpentis hominum generi primum ſuſcepta inuidia, miſerabili illa prima ac communi Adami ruina oppreſſo, non modò non extincta, ſed etiam vehementius accenſa eſt, quanto dignitatis ſuæ amplitudo hoſtilibus inſidijs & dolis præter opinionem auctior & illuſtrior tandem futura eſſe credebatur. nam qui ſcelerato illo perdendi hominis conſilio appetitum ſibi mundi huius regnum occupandum & conſtabiliendum, ac tyrannidem ſine vllo vindice aut interturbatore in victos atq; deditos exercendam fore ſperauerat, re tandem confecta comperit æternas ſibi cum hominum genere inimicitias, perpetuum negotium, & incertum vel omnino aduerſum conſiliorum exitum, atque regni cum ſumma ignominia amittendi periculum fuiſſe procreatum. eius autem*

auctoritatem & curam Deo optimo, fortiſſimo, ac ſapientiſſimo receptam confirmatamq́; fuiſſe. Supra pectus, inquit, tuum gradieris omnibus diebus vitæ tuæ, & inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius, & ipſum conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius. Hæc verò fatalis ſibi diuini oraculi ſententia eo maiori ſolitudini ac timori fuit, quòd expediendæ atque efficiendæ rei ratio cognoſci apprehendiq́; minimè poterat. namque Dei potentiam tametſi planè infinitam, minus tamen ſibi metuendam hoſtis ille putabat, quòd eam à iuſtitiæ & æquitatis rationibus nulla in re diſceſſuram intelligeret. Quòd ſi non vi, ſed iure fundato in homines imperio ſeſe remouendum & expoliandum eſſe ſuſpicaretur; quonam pacto ea res à diuina ſapientia & iuſtitia confici poſſet; hoc verò dubitabat, hoc laborabat vehementiſſimè. Neque verò fieri nõ omnino poſſe arbitrabatur, vt omnis ſapienter à Deo hominis in terris reſtituendi & ornandi inſtituta ratio, ſapientia ſua, vel potius aſtu turbaretur, aut ſaltem impediretur, atque eam illi opinionem primus ille humanæ dignitatis & proſperitatis frangendæ ſucceſſus aluerat. Quoniam verò ad eam rem, cuius ipſe planè rationem ignorabat, efficiendam humanæ ſobolis opera & miniſterio vſurum eſſe Deum, tum ex oraculo illo, tum ex ipſo perſonarum atque rerum apparatu cognouerat, cogitationem, ſtudium, conatumq́; omnem ſuum in hominibus ijs, qui diuinas partes ſequerentur turbandis, auertendis atque perdendis conſumendum ſibi eſſe duxit: atque id quidem cùm ex altera parte hominum videlicet, quorum ingenium, vires & facultates primo illo periculo expertus perſpexerat, non magni ſibi negotij fore exiſtimaret; ex altera etiam parte, hoc eſt, Dei, quanquam difficilimum indicaret, tamen vt omnibus neruis tentaret, & conaretur, propria audacia & ſuperbia, inſolentiſſimaq́; diuinorum honorum contentione impellebatur, ac primo illo de homine euertẽdo conſilij euentu alliciebatur. Hinc igitur acerbum illud atque diuturnum contra Dei eccleſiam bellum ſuſceptum fuit, quod ab innocentis Abelis cæde vehementer incenſum, nunquam poſtea aut extinctum, aut ſaltem intermiſſum eſt. Hinc furibunda illa optimos quoſque viros perdendi rabies magis, quàm libido extitit; hinc illa inſomnis cura & contumax ſtudium; hinc aſſidua illa variarum artium & operarum ad ſanctam ciuitatem expugnandam & penitus delendam nouis quotidie conſilijs excitata ratio. Quis enim vel animo & cogitatione comprehendere, nedum oratione commemorare valeat, quot & quàm varia ab infeſtiſſimo hoſte nocendi genera inuenta ad eam rem fuerint qui viſibilium non modò militum, hoc eſt, peſſimorum hominum, ſed inuiſibilium etiam cateruarum, hoc eſt, ſuæ factionis ſpirituum innumerabilibus comparatis & productis copijs; diuinos homines multis vexatos modis vel ad deditionem & turpiſſimam ſeruitutem redigere, vel conditionem reſpuentes omnibus ignominijs appetitos, omni etiam carnificina & crudelitate lacerãdos curauit, ſicut ſcriptum eſt: Alij autem diſtenti ſunt non ſuſcipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent reſurrectionem: alii verò ludibria experti inſuper & carceres lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt, circuierunt in melotis & in pellibus caprinis egentes, anguſtiati & afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus, in ſpeluncis & in cauernis terræ. Verùm enimuero cùm his omnibus modis Dei gloriam, & Eccleſiæ vtilitatem atque decus magis conſeruari & augeri, quàm rem ſuam, perſæpe comperiſſet (namque apertis malis & externo bello ſanctiſſimorum hominum vehementius incendi & illuſtrari, diuinamq́; ad protegendum curam ardentius excitari, Eccleſiamq́; ipſam virtutis conſtantia & perſeuerantia grauius etiam confirmari cognouerat) maximam ſibi ac duriſſimam huius generis prouinciam exiguo fructu ſuſceptam intelligens callidius aliquanto & certius minori negotio ac maiori ſucceſſu iniuit conſilium. Cognouerat namque ſeſe fruſtra aduerſus eam gentem neruos intendere omnes, quæ, quo magis affligeretur, eo magis fide, ſpe ac fortitudine, omnibus denique virtutum generibus inſtructa, firmiori indies Dei præſidio vſura eſſet, cuius tutelæ & præſidij virtute quamdiu ipſe arceretur, non modò totius ciuitatis, ſed vnius tantùm

tùm

tùm ciuis cõpotem ſe fieri poſſe deſperabat. Nũquid, aiebat ille, Iob fruſtra timet Deum? nõnne tu vallaſti eum ac domũ eius? vniuerſamq́; ſubſtãtiam eius per circuitum? Quam quidem ob rem altero illo pacis & tranquillitatis exterius turbandæ non repudiato interim conſilio illud alterum aſtu, opera atque ſtudio exorſus agitauit, vt eorum ipſorum, qui intra ciuitatem continerentur, corruptis animis & rationibus commutatis ac turbatis, ad certiorem & faciliorem illius ruinã vteretur. nulla enim re certius aut commodius, quàm inteſtinis bellis, diſſidijs, dolis ac peſtibus Eccleſiæ res labefactari poſſe iudicauit. cætera namque omnia quæcunque à ſe afferrentur externa mala, populo ſancto moleſtiã quidẽ exhibere poterant, firmiſſimũ tamẽ præſidij diuini fundamentũ ſubducere nõ poterãt. Hæc verò vna res cùm ab ipſius perturbata reipub. facie decus omne omnemq́; ſplendorem adimere, tum Deum ipſum abalienare valebat, quòd à turpi vitiorum & ſcelerũ conſuetudine & conſortio diuina lõgiſſimè ratio voluntaſq́; abhorreat, ſicut ſcriptum eſt: Quoniã non Deus volẽs iniquitatẽ tu es, neq́; habitabit iuxta te malignus, neq. permanebũt iniuſti ante oculos tuos: odiſti omnes qui operãtur iniquitatẽ, perdes omnes qui loquuntur mendaciũ. Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus, &c.

Illud itaque omni ſtudio atque opera enixè hoſtis ille perſæpe tentauit, vt ſacroſanctæ imprimis reipub. capitibus, & populi ducibus, regibus nimirum, ſacerdotibus, magiſtris atque cæteris principibus corruptis, reliqui eodem exemplo, vel metu, vel inſcitia, vel neligentia quoque cedentes corrumperentur. Quæ res non rarò ex animi ſententia ſucceſſit: ſæpius namque euenit, vt ſi non omnibus, tamen maxima ac potentiſſima parte, vel ſtultitia obcæcata, vel ſuperſtitione contaminata, vel alijs lethalibus contagionibus affecta publicam rem inteſtina grauius multo, quàm externa bellorum vi peſſundaret.

Et profectò niſi maxima illa diuina bonitas ſui ipſius magis, quàm hominum ratione habita, tantis inferni hoſtis machinationibus & maximis conatibus oportunè occurriſſet, actum planè de tota generis humani re non raris neque leuibus occaſionibus fuiſſet. Verùm propoſiti imprimis ac maximorum à ſe promiſſorum nunquam immemor Deus humanæ ſalutis tandem afferendæ & communis hoſtis ſapientiſſimè euertendi cauſã, eccleſiã ſuam tametſi nonnunquam maximo illo munerum beneficiorumq́; ſuorum atque omnis proſperitatis cumulo non fuerit proſecutus; nunquam tamen aut omnino dereliquit, aut certa cura & prouidentia ſic deſtituit, vt non aliquam virorum copiam exiguam aliquando fortaſſe, ſed ſua tamen tutela non indignam ſibi conſeruaret; quorum gratia cæteris vel parceret, vel clementius conſuleret, atque eorundem etiam opera & exemplo in cæteris ab inſania & ſcelere reuocandis ac ſoluendis vteretur: atque hoc modo in perditiſſimis Iſraëliticarum rerum Achabo rege temporibus, vltra ſeptem probatiſſimorum virorũ millia, qui ſuas partes haberent, Heliæ vati vel vnũ deſideranti relicta & cõſeruata eſſe indicauerat. Hoc etiã conſilio omnibus peſſimorũ vel principũ vel ſacerdotũ turbulentiſſimis tempeſtatibus certi quidam ſanctiſſimi ac fortiſſimi diuina auctoritate viri creati ſunt; quibus cæteros admonendi, reprehendendi, ac liberius etiam accuſandi, omnibuſq́; modis ad veræ pietatis rationes reuocandi curatio ſuſcepta eſt. Mittebat enim Dominus Deus patrum ſuorum ad illos per manum nũtiorum ſuorũ de nocte conſurgens, & quotidie commonens, eo quòd parceret populo ſuo & habitaculo ſuo &c. ait ſcriptura. namque huiuſmodi miniſtrorum opera, ſtudio ac diligentia ſuſceptum ſibi humanæ ſalutis expediendæ & victoriæ ex hoſte reportandæ negotium, quoad tandem omnino per Chriſtum conficeretur, moliri, vrgere ac ſapienter explicare ſtatuerat: horum autem præcipuæ partes fuerunt, populum defectionis imprimis, & admiſſorum in ſe ſcelerum arguere, & diuina ira decretaq́; in ipſos pœnæ, niſi reſipiſcentes legitimis pœnitentiæ rationibus ſibi oportunè conſulerent, admonere; demum contumacibus & ſani conſilij negligentibus ſupplicium ex diuina ſentẽtia publicè vel priuatè ſubeundum obnuntiare, ſicut ſcriptum eſt: Noli ſubtrahere verbum ſi fortè audiant, & conuertatur vnuſquiſque à via ſua mala, & pœniteat me mali, quod cogito facere eis propter malitiam ſtudiorum

Gregor. lib. 3 Dialog. c. 27
Origen. in Eccl. homil. 4.
3. Reg. 19.
Paral. 36.

diorum eorum , & dices ad eos: Hæc dicit Dominus, Si non audieritis me vt ambuletis in lege mea, quam dedi vobis, vt audiatis ſermones ſeruorum meorum prophetarum, quos ego miſi ad vos de nocte conſurgens & dirigens, & non audiſtis: Dabo vobis &c. Atque Eccleſia quidem res ab Abelis iuſti temporibus ad Chriſtiani vſque euangelij prædicationem, his quibus diximus modis habebat, vt nunc externis, nunc verò inteſtinis, interdum etiam vtriſque malis laborans, varijs etiam rationibus pro rerum oportunitate curaretur. Huiusmodi igitur cauſa turbulentis ac perditis Ioatham, Achaz & duris Ezechiæ temporibus Michææ tradita eſt, vt contaminatum omni impietatis, vitiorum & ſuperſtitionum genere Iſraëliticum & Iudaicum populum admonendo, accuſando & exhortando ad ſanitatem quàm diligentiſſimè reuocaret, qui impoſitas ſibi partes, quas fideliſſimè tranſegerat, breui libello complexus diuino conſilio ac maxima cum vtilitatis publicæ ſpe poſteritatis memoriæ mandauit. Eum nobis, quantum ingenij tenuitate promittere ac præſtare poſſimus, breuiter explicaturis Deus humili prece eſt imprimis optandus.

Omnipotens ſapiensque Deus qui numine dextro
Ipſe tuum æterno tempore ducis opus:
Quem non vlla mali vis perturbare, nec aſtus,
Nec valet vlla hominum ſiſtere nequitia:
Sed bonus atque potens iuſtos, populumque piorum
Ad tua non fruſtra maxima dona vocas:
Præſidio afflictis rebus, pereuntibus aſtas
Auxilio, atque graues detegis inſidias:
Da pater ô noſtros colluſtrans lumine ſenſus
Aethereo arcanis dicere digna tuis.

VATI-

VATICINII PRIMI

ARGVMENTVM.

OMNIS libelli huius ratio tribus vaticinijs diſtinguitur, quorum primi huiuſmodi argumentum eſt. omni diligentia, ſtudio atque fide Iſraelitarum & Iudæorum rebus proſpiciens Vates omnia in vtroque populo quæ poſſunt in perdita nefariaq; gente eſſe vitia, reprehendit & vituperat, docetq; diuini auxilij & maximè illius prouidentia, tutela, qua tam diu fuerint vſi, niſi legitima pænitentia ſibi cauerint, fore propediem deſerendos. Eam verò deſertionem communem regibus & populis ſummis & infimis futuram, ita tamen vt primo omnium & grauiſsimo ictu Samaritanum regnum ad caſum detur: deinde verò & Ieroſolymitanum, cuius excidium miſerabili ipſe elegia, quibuſdā eiuſdem tribus ac patriæ ſuæ vicinis vrbibus grauioris luctus cauſa appellatis, deplorat. Oratione verò deinde diſtincta ſua vtrique regno crimina ſeorſum inferuntur, atque Iſraelitis prius impietatis & ſcelerum conſilia ac pertinaciſsima obijciuntur ſtudia: nec non & digniſsima flagitijs prædicuntur ſupplicia, ſimilem hoſtium vim experturis, ei, quam ipſi miſerrimis & ope carentibus ciuibus ſuis opprimendis & expoliandis nefariè intulerint. ita, vt qui ſuperiores ſemper hoſtibus fuiſſent, impares omnino deinceps turpiſsimè ſuccumbentes, & domibus, patria & fortunis omnibus cedere cogantur. Eam verò miſeriam licet diuturnam, & perpetuam, non tamen (quæ diuina eſt benignitas) fore omnino æternam, ſed collectis affliċtiſsimæ gentis reliquijs eſſe tandem aliquando expiendam. Reges autem & principes non ſolùm negligentia, ſed culpa etiam grauioris nomine eodem cum populo crimine inuoluuntur. Poſtremò autem ſermo ad Iudaicum populum transfertur, cuius temeritate & culpa nefandum illud, quod tantorum vtriuſque partis flagitiorum prima radix fuerit, diſsidium factum fuiſſe arguitur, atque eiuſdem etiam gentis innumera & grauiſsima deinde ſcelera, quibus ſubeundas tandem Sioni exciſionis & totius publici decoris amiſsionis pœnas fuerint commeriti, reprehenduntur.

CAPVT I.

VERBVM *Domini quod factum eſt ad Michæam Moraſthitem.*

NON leuē neq. exiguæ auctoritatis cauſam hoc in libro agi perſonarum &
rerum cōmemoratione indicatur: namq. ineffabile illud Dei nomē initio
ipſo appellatum rem grauem & ad pietatis rationes pertinētem apud eos
tractādā eſſe oſtēdit, quibus vera religio ſanctiſſima & cultiſſima eſſe potuit & debuit; nimirū apud Iſraelitas, quos ſacroſācta nominis illius interpretatione inſtructos maximā quandā Dei notitiā habere oportuerit,
ſicut ſcriptū eſt: Notus in Iudęa Deus, in Iſraël magnū nomē eius. *Verbū* Pſalm.75.
autē, præter ea, quæ aliàs vel tractata vel indicata à nobis ſunt, cauſā etiā ſignificat, qualis Exod.17.
in iudicio aut in ſenatu agi ſolet. cuius exemplū illud eſt: Venit ad me populus quærēs ſē-
tentiam Dei; cumque acciderit eis verbum aliquod, veniunt ad me vt iudicem inter eos. Exod.23.
& illud: Munera excæcant oculos ſapientum, & ſubuertunt verba iuſtorum. Itaque ver- "
bum Domini factum ad Michæā, cauſam Dei nomine, cuius rationes & argumenta om- "
nia diuinitus ſuppeditata ſint, huic Vati eſſe agendam ſignificat. Vatis autem nomen &
patria, præterquam quòd ad fidem faciendam, vt aliàs diximus, ſpectat, ad orantis ipſius
fidem ſtudiumque probandum plurimum facit. namque nō ſolùm ſumma erga diuinum
mandatum religione, ſed omni etiam officio ac potius pietate erga patriā defunctum, ſi
minus ad perſuadendam diuinam cauſam ſatisfacere potuiſſe, tamen ad ſtrenuè & fideliter agendam certè ſatis eſſe facturū, credi par fuerat. Erat enim & probus vir & ex illuſtri Iudæorum tribu, quod patriæ ipſius nomen facilè arguit. Moraſthites enim patronymicum Hebraica ratione nomen à Mareſſa Iudaicæ ſortis vrbe deductum eſt. Id enim, præterquam quod & ipſa eadem conſonantium literarum obſeruatio docet, Chaldaica etiam Biblia apertè demonſtrant, hoc modo: *Verbum prophetia à Domino, quod fuit cum Micha ex Mareſſa.*] Hanc autem vnam ex nouem vrbibus, quæ agrorum vſu in Iudaica tribu com-
municarent, fuiſſe, ex Ioſue deſcriptionibus didicimus, Labna, Ether & Aſan, Iephta, & Ioſu.15.
Eſua, & Neſib, Ceila, & Achzib, & Mareſſa, ciuitates nouem & villę earum. Ex ciuitatis verò nomine tribuum & familiarum vniuſcuiuſque hominis certa coniectura eſt.

In diebus Ioatham, Achaz, Ezechia regum Iuda.

IPSA temporum notatio totius agendæ cauſæ argumentum explicare poteſt. namque vel ſuæ tempeſtatis turbulentum ſtatum & præſentes hominum mores, vel paulò ſuperio-

ribus temporibus inclinatas atque ſuis iam labentes & prope iacentes res oratione proſequi ſinguli vates ſolent; quarum rationem non aliunde commodius, quàm ex ipſa Regum hiſtoria peti oportuerit. neque enim à vatibus ſumma criminum & cauſarum capita indicantibus omnis omnium rerum diffuſa narratio exigenda, ſed ex indicatorum temporum hiſtorijs exponenda eſt. Igitur Michæas noſter ſuſceptum ſibi propheticum munus toto ferè trium illorum Iudææ regum Ioathan, Achaz, & Ezechiæ tempore, hoc eſt annis ferè quinquaginta ſtrenuè exſecutus expleuit. nam Ioathan quatuordecim, Achaz ſedecim, Ezechias verò viginti nouem annis rerum ſumma apud Iudæos eſt potitus intra ducenteſimum quadrageſimum tertiũ & trecenteſimum quartũ ædificati prioris templi annum, vndecim ante primam Olympiada annis, ad ſecundum vſque decimæ quartæ annum: quo tempore Azarias, Vrias, Nerias continua ſucceſſione pontificum ſacerdotio prȩfuêre. Pri-

Plutarchus in vita Romuli. mus autem Ioathan regni annus trigeſimus ſextus ferè ante vrbem cõditam Romanis eſt,
quo Amulius Numitore fratre vi expulſo Latinis imperabat. Illud etiam & hæc regũ ap-
Liuius lib. 1. ab vrbe condita. Halicarnaſ. de antiquit. Rom. lib. 1. pellatio indicat, magnam vatibus in dicendo libertatem fuiſſe, quos neque temporũ turbulentiſſimæ tempeſtates, neque veritate offenſa principum maieſtas, neque vlla ſummorum hominum frequentia de integritatis ſtatu deterruerit. Id quod de Michæa etiam noſtro publico conſilij teſtimonio eſt indicatum. Surrexerunt enim viri de ſenioribus terræ, & dixerunt ad omnem cœtum populi loquentes: Michæas de Moraſthi fuit propheta in
Ierem. 26. diebus Ezechiæ regis Iuda, & ait ad omnem populum Iudæ dicens: Hæc dicit Dominus
" exercituum, Sion quaſi ager arabitur, &c. nunquid morte condemnauerunt eum Eze-
" chias rex Iuda & omnis Iuda, &c. Quam verò ob rem Iudææ tantum regum nomina, non Iſraëlis etiam, vt à vatibus alijs appellata ſint, præter ea quæ in communibus quȩſtionibus dicta ſunt, illud etiam in cauſa eſſe arbitramur, quòd nemo ex vatibus ijs, qui ad Iudæ tribum pertinerent, vel regnum vel regni poteſtatem & nomen alijs, quàm Iudæ & Dauidis poſteritati iure deferenda eſſe duxerit, quando & antiquis & recentioribus oraculis Iudaicæ familiæ ea dignitas propria eſſet, cuius maximam partem qui tyrannicè occuparant, nunquam reges aut ſalutati, aut appellati, aut vllo ſigno probati ab alterius partis vatibus fuêre. Quanquam autem cæteri vates, quorum genus ad aliquam ex decem tribubus refertur, regum ſuorum atque Iudæorum ſimul meminerint, vt Hoſſeas & Amos, alter ex Rubenitide tribu, alter verò ex Aſſeritide, qui eos populorum ſuorum reges ſiminus probarent, tamen vtcunque ſortiti ferendos, & ad populi, apud quem præcipuè muneri ſuo prophetico præerant, annales & tempora obſeruanda, appellãdos indicarunt, non prætermiſſa tamen Iudæ regum mentione, ad quos vt proprium regni ius, ſic etiam om-

Hoſſ. 1. nium temporum ratio referenda fuit. Atque ita Hoſſeas in diebus Vziæ, Ioathã & Ahaz
Amos 1. regum Iuda & in diebus Ieroboam filij Ioas regis Iſraël: Amos verò in diebus Oſiæ regis Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas vaticinatus dicitur. Verùm neque Michȩas, quem Iudȩum fuiſſe patriæ nomen arguit, neque Iſaias Ieroſolymitanus ciuis ex regia etiam familia, quanquam ad vtrumque populum amborum rationes pertineant, tamen præter Iudæ regum nomina, nulla alia Iſraëlitarum ad partes ſuas vocanda putauêre, ſicut ſcriptum
Pſalm. 15. eſt: Non congregabo conuenticula eorum, nec memor ero nominũ eorum per labia mea. Atque ita Iſaias in diebus Ioathan & Ezechiæ regum Iuda munere ſuo functus ſcribitur.

Quod vidit ſuper Samariam & Ieruſalem.

LOCORVM commemoratione rerum & cauſȩ grauitas docetur. namque hȩ duȩ vrbes cȩterarum omnium vtriuſque partis principes ac regiæ erant, ſicut ſcriptum eſt: Ca-
Iſai. 7. put Ephraim Samaria, & mons Sion latera aquilonis, ciuitas regis magni. Cauſã igitur ſi-
Pſalm. 47. bi diuinitus ſuſceptã ad regna regesque ipſos & vtriuſq. partis principes ſpectare, quò omnis cæterarum vrbium & populorum ratio referretur, atque non leuis argumenti, ſed quibus totius reipub. vtriuſque ſumma contineretur, actiones futuræ ſignificantur. Auctoritas verò legationi prophetiȩ genere iudicato adiungitur: *Quod vidit.*] Etenim viſio vnus ex ijs vaticinandi modis eſt, qui iam olim à Deo definiti & auctoritatis ſuȩ rationibus proba-
Num. 12. ti fuerant, ſicut ſcriptum eſt: Si quis fuerit propheta inter vos, in viſione apparebo ei, vel
" per ſomnium loquar ad illum, &c. Hactenus ergo totius operis inſcriptio & rerum ac perſonarum modorumque expoſitio & cauſȩ commendatio, nunc deinceps ipſa dicẽtis oratio eſt.

Audite populi omnes, & attendat terra & plenitudo eius.

OMNES tam Iudaicȩ, quàm Iſraëliticȩ factionis tribus in cauſam & crimen imprimis vocantur, reique à Vate diuino nomine conſtituuntur, & ne indicta cauſa iudicium ſuum factum eſſe excuſare poſſint, audire atque attendere iubẽtur: tanta diuina æquitas eſt, vt

ipſos etiam reos cauſę ſuæ auditores & cognitores non admittere modò, verùm vltrò vocare ſoleat. Atqui ſingulæ per ſe tribus populi in ſacris libris dicuntur, quòd eiuſmodi nomen & dignitatem fauſtis auſpicijs & oraculis fuerint olim conſequuti, ſicut ſcriptum eſt: Lætare Zabulon in exitu tuo, & Iſſachar in tabernaculis tuis. Populos vocabunt ad montem &c. ita omnes populi tribus omnes nuncupantur. ſic etiam & alter ille Michæas ſuæ orationis & cauſæ teſtes faciens decẽ tribus olim appellauerat, Audite populi oẽs. Itaq. ſingulę tribus populorũ nomine dicũtur, quibus cũ cõmunis cauſa hęc ſit cõmunis etiã denũtiatio ſubiuncta eſt. *& attendat terra & plenitudo eius.*] Terra omnis Iſraël, tam ea quæ duabus, quàm quæ decẽ tribubus incoleretur. [*Et plenitudo eius:*] non ſingulæ tribus modò, ſed ſinguli vniuſcuiuſque tribus homines, adeò res ad omnes omnium ætatum & ordinum perſonas pertinet, vt ab hac cauſa audienda nemo iure excipiatur. Plenitudinem hominum intelligere oportet, non cæterarum animantium, quæ ſceleris & impietatis crimine acceſſiri nõ poſſunt. ſic illud: Domini eſt terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuerſi qui habitant in eo. Illud ad dialecticam rationem eſt obſeruandum, diſtributiuum nomen eſſe *omnes populi*, ſed tamen incompletè diſtribuens; illud verò cõpletè, *terra & plenitudo eius*, atque huiuſmodi dialecticis & rhetoricis obſeruandis rationibus aſſueſcere operæprecium nonnunquam fuerit. Maximum autem orationi ſuæ, atque omni à ſe agendæ cauſæ fidem diuino teſtimonio interpoſito facit. nam qui de grauiſſimis rebus verba apud populũ Dei nomine facturus erat, certioris fidei cauſa futuro aliquo ſigno Dei voluntatem teſtabatur. Propheta, inquit lex, cùm venerit & dixerit ſignum aliquod futurum, & ſignum illud non venerit, verbum illud Dominus non eſt loquutus. Igitur Samuel prophanæ à Deo defectionis populum accuſaturus orationi ſuæ ſigno lingua nuncupato, voluntatis diuinæ auctoritatem interpoſuit: Nunquid non meſſis tritici eſt hodie? inuocabo Dominum, & dabit voces & pluuias, & ſcietis & videbitis, quòd grande malum feceritis in conſpectu Domini petentes ſuper vos regem. Ad eandem etiam rationem ſua hæc à Michæa oratio dirigitur, qui ſe non ſuo, ſed diuino conſilio & volũtate cauſam aduerſus populos agere profeſſus, eius rei teſtimonium & auctoritatem grauiſſimi ſigni propoſita obſeruatione vendicat. fore enim ait, vt Deus iram & offenſionem ſuam, quam ſuæ fidei denuntiandam mandauerat, re ipſa teſtaretur: hoc eſt, quod dicit:

Deut. 33. « 1 Reg. 22. Pſalm. 23. « 1. Sam. 12. « « « « «

Et ſit Dominus Deus vobis in teſtem.

PRIVS nomen *Dominus* auctoritatis rationibus definitur. namque Hebraicè eſt propriè *Adonai*, quod dominium imperiumque ſignificat. Poſterius verò nomen illud ineffabile illi olim nationi, & nunc maximè Chriſtiano populo ſanctiſſimũ eſt. Ille, inquit, omni rationi orationique meæ fidem, quam vos habere nolueritis, maxima nominis ſui auctoritate faciet; non qui dominationem priuatamque erga vos prouidentiam beneficijs augendis, ſed ſubducendis magis oſtendat; imò qui ſeipſum offenſus de medio veſtri ſubducẽs vos omnes ærumnis & calamitatibus multis relinquat peruios.

Quia ecce Dominus egredietur de loco ſuo, & deſcendet, & calcabit ſuper excelſa terræ.

VTRIVS QVE partis tribuum omnium cladem à ſe obnuntiatam Deum ex templo ſuo, quem locum ad priuatam in illos prouidentiam delegerat, teſtaturum eſſe ait: namque templũ in diuinæ illius maieſtatis non capacem quidem, gratam tamen quandam ſedem dicatum fuerat, ſicut ſcriptum eſt: Vt ſint oculi tui aperti ſuper domũ hanc nocte ac die, ſuper domum de qua dixiſti, Et erit nomen meum ibi, vt exaudias deprecationem ſerui tui & populi tui Iſraël, quodcunque orauerint in loco iſto. Ex quo etiam illud à Dauide votum nuncupatũ eſt: Donec inueniam locum Domino, tabernaculũ Deo Iacob. Cùm autẽ diuina prophetarũ lege ſatis eſſet cautũ ea præſtari, quæ eſſent lingua nuncupata, teſtimonij à Deo ſuæ orationi dandi rationẽ hoc modo Vates definiuit: *Egredietur de loco ſuo*] offenſus, inquit, ſceleribus veſtris locum ſuum, in quo placidè vobis aderat, deſeret, atque obiter, quod à tãta maieſtate & virtute offenſa timeri & expectari par eſt; *Deſcẽdet & calcabit ſuper excelſa terræ.*] Susceptæ tranſlationis rationẽ apta oratione perſequitur. namq. Ieruſalẽ, vbi templũ erat, omnium totius terræ locorum editiſſimum eſſe, pluribus ſacrorũ librorum teſtimoniis conſtat, ſicut ſcriptum eſt: Illuc enim aſcẽderũt tribus tribus &c. ob eam autẽ rem de loco ſuo exceſſurus, deſcenſurus, atque omnẽ terrę regum ac principũ ſuperbiã, faſtũ, inſolentiã fuerat obiter peſſũdaturus. [*Excelſa terræ*] Reges & principes & humanę ſuperbię atque ambitionis miniſtros ac ſatellites omnes hæc verba allegoricõs ſæpe ſignificant. ex quo genere illa ſunt: Deſertos faciam montes & colles, & omne gramen eorũ exſiccabo. & apud Poëtas: *Feriuntq; ſummos Fulgura mõtes.* Itaque principes imprimis ipſos

3. Reg. 7. « « Pſalm. 131. « « « Horat. lib. 2. Od. 10.

& ſuperba omnium ſcelerum atque impietatum capita, vehemens illa Deo deſcendente calamitas oppreſſura fuerat: deinde verò & populos tam Iſraëliticum quàm Iudaicum vehementer fuerat afflictura.

Et conſumentur montes ſubtus eum, & valles ſcindentur ſicut cera à facie ignis; ſicut aqua, quæ decurrunt in præceps.

REGVM & regnorum fines & defectiones montium conſumptio ſignificat, quibus neque Dei irati vim ſuſtinere, neque vbi ſemel perierint, rurſus ſeſe inſtaurare integrum futurum eſt. *ſubtus eum.* hoc eſt, à facie iræ indignationis eius. Populorum verò affligendorum ratio vallium imagine deſcribitur, qui recedentis Dei impetum & vim non magis quàm cera ignis vim ſuſtinere poterunt: valles abundabunt frumento, eadem populi & humilioris conditionis hominum tranſlatione dictum eſt. Ignis verò hoſtem diuina ira immiſſum atque omnia loca vaſtantem ſignificat, vt illud: Quia ignis egreſſus eſt de Heſebon & flamma de medio Sion, & deuorabit partem Moab. Quo verò impetu, quanta celeritate, quibus modis populorum res affligendæ ac profligandæ eſſent, eleganti ſimilitudine exponit. Populos mobilitate, inſtabilitate & perpetua tum opinionum & iudiciorum, tum rerum etiam agitatione & fluxu aquarum inſtar habentes nō ſemel eo nomine, vel angelo interprete, in ſacris dici, nulli fere in ſacris literis verſato dubium eſſe arbitramur, Aquæ quas vidiſti populi ſunt &c. Aquæ verò ſi quæ plano æquabiliq. alueo aut molliter decliui fluāt, coniunctis partibus atque vno veluti corpore decurrunt; quæ verò ex editiore loco demiſſæ in præceps feruntur, præterquam quòd celerrimè deſcēdunt, multis etiam partibus deduci ac diſſipari ſolent, & partim in alia atque alia loca deriuari, partim verò guttis exſilientibus perire atque conſumi. Nulla igitur ſimilitudine Iſraëliticorum populorum celerrima clades & calamitas commodius exprimi potuit, qua partim fame, peſte ac bello perditum, partim à victore hoſte abductum iri ſignificarentur. Huiuſmodi autem Dei irati ac prætereuntis impetū experiri homines ſceleſtos ſolere, non modò hoc Michææ, ſed illo etiam Pſalmographi teſtimonio declaratur: Inclinauit cælos & deſcendit, & caligo ſub pedibus eius &c. Commota eſt & contremuit terra, & fundamenta montium diſſipata ſunt, & commota ſunt quia Dominus iratus eſt eis. Hoc igitur diuinæ indignationis & iræ à ſe denuntiatæ teſtimonium futurum Vates notauit: eius verò indignationis cauſam facilè reperit, nimirum grauiſſimam ſcelerum & flagitiorum culpam, quam Iſraëlitæ & Iudæi præſtitiſſent: non quòd Deus ipſe populum & locum ſuum vltro oderit ac faſtidiosè reliquerit; ſed quòd populus ipſe per ſummam impietatem & ſcelus à ſe ipſo atque à diuino defecerit imperio.

(Pſalm. — Ierem 47. — Pſalm. 17.)

In ſcelere Iacob omne iſtud, & in peccatis domus Iſraël.

IACOB nomen commune eſt, & Iudæos ſimul Iſraëlitaſque complectitur. decem verò tribus non rarò Iſraëlis nomine cenſentur. Igitur omnes in vniuerſum tribus diuinæ defectionis crimine primum accerſit, ac deinde grauioris culpæ Iſraëlitas vt præcipuos omnis impiæ ſuperſtitionis auctores inſimulat. [*In ſcelere Iacob*, Hebraicè, *in peſſag*, rebellione ſiue defectione; de quo genere iam aliàs diximus. Id verò omnibus Iacobi familijs commune crimen erat: multiplex verò ſcelus & peccatorum varia genera Iſraëlitas imprimis premebant. At verò res ita habuit, vt illa ſuperſtitionis ac ſcelerum labes & peſtis apud Iſraëlitarum regiam Samariam primùm orta radices ageret, deinde contage ſua totā prouinciam vſque ad Solymos corrumperet; à Solymis verò Iudææ omnis rebus integris inferretur. namque Samaritani reges primi omnium vani & ſuperſtitioſi cultus morem legibus etiam atque inſtitutis factis induxēre, quorum exemplum impij quidam ex Iudæorum regibus imitati Ieroſolymæ vrbis ſanctitatem adiecto vanorum Deorum cultu polluerunt. regiæ autem ac principis omnium ciuitatis æmulatione vel imitatione, aut gratia, vt ferè in moribns hominnm fit, cæteris Iudææ omnis vrbibus & oppidis eiuſdē rei flagitium admiſſum eſt. Quamobrem omnis imprimis horum criminum culpa in regias ipſas ciuitates conijcitur, tanquam in primos & certiſſimos fontes, vnde deriuata & cum cæteris etiam communicata eſt: Et irritauerunt filij Iſraël verbis non rectis Dominum &c. Iratuſque eſt Dominus vehementer in Iſraël, &c. ſed neque ipſe Iudas cuſtodiuit mādata Domini Dei ſui; ſed ambulauit in erroribus Iſraël, quos operatus fuerat. &c.

(2. Reg. 17.)

Et quod ſcelus Iacob, nónne Samaria? & quæ excelſa Iudæ, nónne Ieruſalem?

INTERROGATIO reſponſione ſubiecta magnam aſſeuerationis atque explicationis habet vim, de qua in Rhetoricis plenius diſſerimus. ſed illud ad certam quandam ſignifica-

tionē facit, quòd Hebraicè maſculino genere hæc dicta ſunt, *& quis ſcelus & quis excelſa &c.* Itaque verbum ob dicentis excandeſcentiam & indignationem deficit, facilè ex ſententię ratione diuinandū; *& quis primus inuenit ſcelus Iacob, nónne Samaria?*] hoc eſt reges ipſi, quorum voluntatem & morē vel gratia vel metu actus vulgus omni opera & diligentia facilè conſequitur: & quiſnam tot fana in Iudæa niſi Ieruſalē exemplo ſuo conſtruxit: neſcio enim quo pacto, aut quo curſu conſuetudinis malæ corruptela à regijs ciuitatibus per omnes prouinciæ partes tanquam calamitoſa tempeſtas peſtiſque citiſſimè peruadat. Id vtinam in noſtrorum temporum moribus non ita certum exploratumque eſſet. Quæ verò dicta à nobis de hac re ſunt, omnia ex ſacris Regum & regnorum hiſtorijs patēt, quæ referre longum magis eſſet, quàm in tanta claritate neceſſarium: regiarum autem ciuitatum nomina reges ipſos metonymicè ſignificant. quæ res non ſemel tantum apud vates obſeruata eſt. Itaque primo omnium à Samaritanis regibus hæc tanta labes integris Iacob rebus allata eſt, atque hoc tantum crimen conflatum: ex qua re commeriti ſunt, vt prima omnium Samaria diuini ſeueritatem iudicij experiretur.

Et ponam Samariam quaſi aceruum lapidum in agro cùm plantatur vinea.

SIGNIFICANTIVS Hebraicè, *in aceruos lapidum in agro ad plantationes vinearum.* Ex conſequenti antecedens facilè arguitur, atque ex vltimo rerum euentu mediæ actiones oſtendūtur. Igitur quàm graues impietatis pœnas Iſraëlitæ atque Samaritani imprimis, qui culpam primi ſuſtinuiſſent, daturi eſſent, quantis calamitatibus, quantis bellorum ſtragibus affligendi ac profligandi prædicto breuitatis cauſa extremo euentu denuntiat. nam quæ tunc Samaria erat, tanto principum ſplendore, tanta cæterorum frequentia hominum celebrata, tantis ædificiorum molibus munita, tantis ſignis & ſtatuis alijſque operibus ornata, ita mutanda ab hoſtibus erat, vt nulli prorſus alij rei, quàm conſerendarum vinearum vſui ſeruiret. Id verò vt commodius fieret pro ruſticæ diſciplinæ ratione ipſis etiam ædificiorum lapidibus in aceruos paſſim congregandis denudanda erat. Neque verò ad arationes aut ſegetum vſus illud ſolum idoneum eſſe potuit, tum ob loci altitudinem, & difficultatem; tum ob ſuperficiei ex calcis & arenæ miſtione ſterilitatem, quæ neque aratris rumpi, neque cultura corrigi poſſet, ſed vtraque res ad vineas potius plantandas maiores multo commoditates habebat, quòd vineæ commodius in collibus proueniant, ſicut ſcriptum eſt: Operuit mōtes vmbra eius: & *Deniq. apertos Bacchus amat colles*, inquit ille: & quòd ſolutiori ſolo gaudeant mixta arenæ craſſioris terræ vi, id quod facilè præſtari potuit apertis altius ad plantationem foueis, vt à ſapientibus agricolis obſeruatur. propterea ſubiungitur: Deut. 12. Georg. 1.

Et detraham in vallem lapides eius, & fundamenta eius reuelabo.

DVPLEX agricultoribus pro ſoli ac ſitus ratione vineas plantandi ratio & modus eſt. namque in plano & æquabili arbuſtiſque ac ſaxis vacuo ſolo foueis tantum & ſcrobibus in ſingulas vites apertis; in lapidoſo verò & montoſo atque arbuſtis veſtito loco noualibus omnino ruptis plantatur. Priorem modum ruſtici noſtri *a hoya*, poſteriorem verò *à taio abierto* dicunt. Igitur Samariæ ſolum & natura aſperum & ædificiorum atque ruinarum acceſſione impeditum detractis primùm lapidibus, apertiſque deinde altiuſque defoſſis noualibus excoli pararique oportuit, vt commodè vineæ plantarentur. Lapides verò, qui aut maceriæ conſtruendæ, aut aceruis ad vmbram relinquendis ſuperfuiſſent, vt inutiles in ſubiectam vallem deuoluere pronum ac facile plantatoribus fuit. quæ res reſtituendæ vrbis ſpem multo etiam magis præcidebat. Quòd verò ſibi omnia hęc Deus curanda ac facienda aſſcribat, prouidentiam & conſilium ſuū probare & aſſerere velle intelligitur. Nam quæ per immiſſos à ſe duces & exercitus geſta ſunt, per ſe geſta eſſe interpretari cōueniet; ſicut ſcriptū de eadē re extat: Et ſuſcitauit Dominus ſpiritū Phul regis Aſſyriorū & ſpiritū Theglath Phalneſſer. &c. Quòd autē omnis Samariæ reſtituēdæ ſpes Iſraëlitis adēpta hoc in vaticinio ſit, eò pertinet, vt neq. ab Iſraëlitis ipſis, neq. ab ijs etiam, qui deductis regū edicto colonijs eam regionem tenuere, Samariam vrbem rurſus ædificatam fuiſſe intelligamus, tātùm ſibi illa ciuitas impietate & ſuperſtitione atque à cæteris admiſſi ſceleris auctoritate commeruerat. quam ob rem ſcriptum eſt: Adduxit autem rex Aſſyriorum viros de Babylone, & de Cutha, & de Ahaiath, & de Emath, & de Sepharuaim, & collocauit eos in ciuitatibus Samariæ pro filijs Iſraël: qui poſſederunt Samariam, & habitauerunt in vrbibus eius. Non ait, in Samaria, neque rurſus, in ea, ſed in vrbibus, &c. Quoniam verò Iſraëlitæ, ac Samaritana ciuitas imprimis vanorum deorum, quorum cultum à vicinis gentibus acceperant, innumera ferè copia & numine vehemēter fidebant; idque non ſolùm præſidio, ſed maximo etiam ciuitati ſuæ ornamento eſſe arbitrabantur, ob in-

1 Par. 5.

2 Reg. 17.

gentem auri & argenti vim, atque donorum multitudinem, quæ tum ſimulachris facien-dis, tum ornandis ſuperſtitioſè ædibus ac delubris impendebantur. Id quod, præterquam quod Idololatriæ rationibus & conſuetudinibus conſtat, ab omnibus ferè vatibus & hiſtoricis proditum memoriæ eſt. propterea igitur quem ea res exitum habitura eſſet, Vates noſter expoſuit.

Et omnia ſculptilia eius concidentur, & omnes mercedes eius comburentur igne, & omnia idola eius ponam in perditionem.

LONGÆ, hoc eſt, trium annorum obſidionis tædio & hoſtium pertinacia vehementer iratos Aſſyrios captam tandem vrbem nimio furore perdituros eſſe Vates docet, atque ita euerſuros, vt habitationi in poſterum omnino inhabilis relinqueretur: id verò cum ligonibus & tormentis irato & concitato hoſti nimis longum efficere eſſet, igne etiam agendum erat, neque cuiquam aut templo, aut aræ, aut delubro, aut ciuitatis & templorum ornamento parcendum, quo minus omnia ferro, atq. igne vaſtata perirent, præter ea deorum ſimulachra, quæ auro argentóue conſtarent; illa namque numinibus etiam ab hoſte contemptis in magnum colentium opprobrium ad metalli vſum omnia concidentur: cætera vero minus aſportatu facilia ornamenta, vt veſtes, aulæa, vaſa, anathemata, tabulæ picitæ, ac votiua monumenta, omnia denique dona, quæ Latinus interpres *mercedes* vertit, *com-*
4 Reg. 21. *burentur igne.* omnia etiam ſimulachra, quibus tota vndique vrbs plena erat, vt vituli in Sa-
« maria ad illorum, qui in Bethel & Dan fuerant, inſtar facti, de quibus meminit Amos, &
» de quibus ſcriptum eſt: Et adolebant incenſum ſuper aras in morem gentium, quas tranſtulerat Dominus à facie eorum, & ſecuti ſunt gentes, quæ erant per circuitum eorum: & adorauerunt vniuerſam militiam cæli, ſeruieruntque Baal &c. Igitur *omnia* hæc *ponam in perditionem*, vt quorum nullum numen, nulla diuina vtilitas eſſe poſſit, nullum etiam veſtigium ſed maxima cultoribus erubeſcentia relinquatur. At verò neque ablati ex ſimulachris auri & argenti vllum ſacrum aut honeſtum vſum fore ſubiungit, quemadmodum neque ſacra aliqua æſtimatio fuerat. namque ea à militibus non religionis, ſed cupiditatis cauſa auferenda atque aſportanda fore, vſus ipſe, in quo conſumenda erant, indicabit, quòd nimirum in meretricum, quas milites amare ſolent, ornamenta ac luxus eſſent impendenda.

Quia de mercedibus meretricis congregata ſunt, & vſque ad mercedem meretricis conuertentur.

QVÆCVNQVE ſacra verè exiſtimantur, etiam ſi ab hoſtibus inuenta ablataque fuerint, magna etiam obſeruantia tractata & culta ad ſanctiores vſus referri ſolent. Sic diuorũ
1 Sam. 4. reliquiæ, oſſa, cineres, monumentaque cætera ab alijs in alia loca victorum cura tranſlata non minori obſeruantia coluntur. Sic Domini Dei Iſraël arca à Palæſtinis capta, quantum præſtari ab idololatris potuit, religioſè ac reuerẽter, quia ſacroſancta exiſtimabatur, in templo conſecrata eſt. neque tantum cupiditas, quantum diuini nominis apud victores ratio valuit. At verò quoniam auri & argenti, quibus Samaritana ſimulachra conſtiterant, nulla ſacra æſtimatio aut re ipſa, aut militum opinione fuit, ideo nulla etiam ſanctioris vſus habita ratio eſt, ſed quo nomine partum id fuerat, eodẽ etiam erat conſumendum. Atqui vanorum deorum cultum ſiue Idololatriam cum meretricia re omnino componere Vates omnes conſueuêre, quòd flagitioſiſſima quædam & prophana cum illis vanis nominibus magis, quàm numinibus ſcortatio hæc ſit. Atque ipſam ciuitatem ſcortum, ſimulachra verò deorũ ac vanos deos ipſos amatores dicere ſolent, vt hoc in loco Samaria meretricis perſonam ſuſtinet, quæ amatores ſuos magnis donis ac muneribus auro etiam & argento in conſuetudinis mercedem & præmium fuerit proſequuta. Id quod non ſe-
Ezech. 16. mel Iſraëliticæ ſynagogæ in Vatum ſermonibus exprobratur, quæ ob eam rem tributaria meretrix aliquando dicta eſt. Factum eſt, inquit Ezechiel, in te contra conſuetudinem mulierum in fornicationibus tuis, in eo enim quod dediſti mercedes & mercedes nõ accepiſti, factum eſt in te contrarium. Nullum igitur meretriciæ mercedis ſanctiorem vſum, quàm meretricium expectare oportuit; namq. lex etiam meretriciũ donum à ſacris vſibus arcebat. [*Et vſque ad mercedem meretricis conuertentur.*] Aſſidua cum meretricibus militum maximè autem gentilium conſuetudo eſt, quam ob rem Veneri Martem poëtæ addixêre. At verò meretrices auariſſimæ ſunt, aſſiduiſque efflagitationibus quæſtum faciunt, ſicut ſcri-
Ibid. ptum eſt: Omnibus meretricibus dãtur mercedes. Huiuſmodi ergo vſus, quã honeſta fuerit eorum olim donorum ratio, indicabit. Talis turpiſſimarum diuitiarum eſſe exitus ſolet, qui ſapienti viro ſemper ad ſuam vtilitatem eſt obſeruandus. Præuiſum autem Samariæ & omnium tribuum horribilem ac grauem caſum lugubri lamentatione deplorans proſequitur, vt qui communis generis certiſſimam calamitatem maximo animi dolore anxius confirmet.

Super hoc plangam & vlulabo, vadam ſpoliatus & nudus, faciam planctum velut draconum & luctum quaſi ſtruthionum.

FVTVRÆ Iſraëlitis calamitatis & miſeriæ grauiſſimæ imaginem in ſe ipſo præſentiẽs Vates expreſſit, qui relicta domo & rebus ſuis, veſtibus depoſitis omnium rerum inopiam & deſideriũ ſignificauit, quod nulla alia re, niſi grauiſſima lamẽtatione leuari poſſe oſtendit: atq. hic habitus & luctum ipſum vehementer accendebat, & grauius ſignum ac teſtimonium aſſeueratæ obnuntiationis ſpectatoribus dabat. Sic & Iſaias nudus per vrbem in ſignum Iudæis inceſſit: eſt autem nuditas animi vehementer commoti index certiſſimus, ſi honeſtus aliàs & probus vir nudus in publicũ proceſſerit, vt illud: Et robuſtus corde nudus fugiet in die illa: & quod apud Victruuium & alios auctores de Archimede legimus. Amos. 3. Victruu.
Spoliatus rebus & fortunis omnibus; *& nudus*, corpore veſtibus exuto. Luctus verò ac lamenti ſui grauitatem duorum animalium imaginibus exiſtimandã propoſuit, quæ præter omne aliud genus ſiti & aquæ deſiderio æſtuare & grauiſſimè gemere ſolent. Ea ſunt ex ſerpentum natura THANIM; ex auium verò IAGHANA; alterum draconem, alterum verò ſtruthionem Latina verſio reddit; Græca verò poſterius hoc Sirenas interpretatur, ſed aptius Latina: de quibus generibus nos in ſacrorum verborum libris commodius ac fuſius (modò Deus inceptis adſit) diſſeremus. Sed hic obſeruationis de hac re noſtræ loca in margine interim indicare placuit. Doloris igitur ſui & lamenti grauitate indicata, elegiam Vates inchoat: Deut 14. Iob. 3. Eſa. 13 & 19. Ierem 14. Thren 4. תנן יענה

Quia deſperata eſt plaga eius, quia venit vſque ad Iudam: Tetigit portam populi mei vſque ad Ieruſalem.

DVPLICEM imprimis cauſam affert, quam ob rem in maximos & acerbiſſimos luctus inciderit: alteram quidem, quòd præuiſa Iſraëlitarum tempora adeò dura ſeſe oſtenderant, vt non Vatem modò ſanctiſſimum ac pientiſſimum virum, ſed quemlibet humanitatis tantum non expertem hominem commouere poſſent: alteram verò, quòd illa clades ad Iudæam vſque peruentura ſe patriæ ac gentis ſuæ ſtudioſiſſimum angeret ac cruciaret. Sunt quædam in ſingulis linguis voces lamentis repentè incipiendis idoneæ, quæ grauiorem de rebus ſuſceptam cogitationem produnt magis, quàm explicant. vt apud Latinos ERGO, Chaldæis ARE, Italis DVNQVE, Hebræis etiam CHI, quam Latinè quia, vel quòd vertimus. [*Quia deſperata eſt plaga eius*, Hebraicè, *quia impotens plaga eius.*] Multas plagas tribubus decem imponendas ſignificat; ſingulas verò impotentes, hoc eſt pernicioſas & mortiferas ac penè inſanabiles fore docet, quales erunt fames, peſtis, gladius & captiuitas; quæ niſi diuinitus prouideantur, humano ſtudio & conſilio ſanari non poterunt. namque omnia hæc in Iſraëlitas vehementer inuaſiſſe, maximè autem omnium captiuitatem, ex qua nunquam hactenus ſunt reſtituti, multis & maximis diuinorum librorum teſtimonijs, de quibus iam ſæpe aliàs diximus, confirmatur. [*Quia venit vſque ad Iudam &c.*] Plagam illam deſperatam ſiue impotentem Samariæ inflictam, illam, inquam, extremæ captiuitatis plagam Iſraëlitarum terminis non contentam ad Iudæam vſque pertinuiſſe præuidens luget acerbiſſimè, quòd eodem crimine cum Iſraëlitis inuoluti Iudæi pari etiam tandem ſupplicio plectendi eſſent. At verò hæc, quam Vates hic lamentatur, plaga non illa calamitas fuit, quam Sennacherib decimo quarto Ezechiæ regis anno Iudæis attulit, qui aſcendẽs 2. Reg. 17.
ad omnes ciuitates Iuda munitas, cepit eas. nam præterquam quòd hæc plaga neque impotens, neque Samaritanæ vlla ex parte ſimilis fuerat, quando argento & auro appenſo curari malum potuit: illud etiam noſtram confirmat ſententiam, quòd in elegiæ fine ad planctum & capillorum euulſionem Iudæa incitatur, ob maximum dolorem ex filiorum abductione acceptum. Quam ob rem ad illam captiuitatem, quam Iudæi Nabuchodonoſore victore perferre coacti ſunt, oratio referenda eſt. [*Quæ venit vſque ad Iudam. tetigit portam populi mei vſque ad Ieruſalem.*] Tranſlatio à peſtilentiæ peruagante populos morbo deſumpta eſt, quòd plaga etiam peſtem Hebraicè ſignificet. Eam autem cladem tanquam tempeſtatem quãdam à primis Iudææ finibus per omnes prouinciæ partes permanantem Mareſſam Vatis patriam contigiſſe, ac tandem ad Ieruſalem principem vrbem pertinuiſſe dicit; in quo obiter ſuam tribum indicat: Tetigit portam populi mei Mareſſam, quæ in Iudæ tribu cenſebatur, non ruptis & dirutis muris, ſed per portam ipſam nemine prohibente ingreſſa eſt, indeque ad Ieroſolymam vſque perlata.

11 *In Geth nolite annunciare, lachrymis ne ploretis.*

IMPOTENTEM Iudaicæ plagæ grauitatem pluribus elegiarum ornamentis amplificat, quòd illa neque proprio, neque aliunde perito conſilio aut præſidio repelli poſſit. nam quæ à Deo per hoſtes allata erat calamitas, ferenda potius, quàm tentatis fruſtra remedijs

augen-

GHEMDATHO. Primum nomen exitum ſiue egreſſionem, ſecundum domum propin-
quitatis ſiue vicinitatis, tertium ſtationem ſeu ſtabilitatem ſuam ſignificat. Horum igitur
vſurpatione & coniunctione nominum Iudaicæ olim tranquillitatis & ſuauis vitæ vſum
mutatũ fore indicat. nam quæ ita iucundè vitã degebat natio, ita perpetua & continente
voluptate fruebatur, vt neq. ad proximã ſibi domum, in qua mœror & luctus eſſet, tranſi-
ret, ſed minimè interruptas iucũditatis horas tranſigere ſtuderet, illam perpetuæ tranquil-
litatis conſtantiam hoſte abducente penitus amiſit. Contexenda imprimis nobis ex ipſis
nominibus oratio, ac deinde latinè vtcunque reddenda eſt: *Non egreſſa eſt ſedens* SEENAN *ad
luctum* BETH-HASZAEL, *accepit à vobis* GHEMDATHO. *Non exijt quæ habitat in exitu ad planctum
domus propinquæ: accipiet ex vobis* (hoſtis) *ſtabilitatem eius.* In huiuſmodi explicandis locis breuiores
nos eſſe rei difficultas non patitur; ita adeo rerum comparationibus calamitatis grauitas
manifeſtior fit, vt quod Iudæa ſummam quietem & tranquillitatem, cui tam diu aſſueue-
rat, inſtabilitate & mutatione victoris opera mutatura ſit. Et quoniam elegiarum certa
ſententiæ ratio eſt, vt variato ſenſu dicentis dolorem maximum arguat, ex alia in aliam
cogitationem Vates dolore impellente repente transfertur.

Quia infirmata eſt in bonum, quæ habitat in amaritudinibus, quia deſcendit malum à Domino *in portam
Ieruſalem.*

Ex Iudçæ vrbibus cuidam Maroth nomen fuiſſe accepimus. Id autem *amaritudines* ſig-
nificat, cui nomini conuenientem caſum Vates deplorat; prouinciam ſcilicet omnem du-
riori iam rerum vſu ad ſecundarum rerum, atque omnis iucunditatis ſenſum ineptam fu-
turam. Sumitur autem tranſlatio ab ijs, quibus diuturno aliquo aut vehementi natura-
lium temperamentorum vitio guſtãdi ſenſus corruptus, atque in amaritudinem mutatus
eſt, quibus nulla vel ſuauiſſimos cibos capiendi voluptas, aut etiã appetentia eſt: ſuperua-
cuam tamen in ea re diligentiam omnem eſſe experiaris. At verò cùm ea ſenſus corruptio
maius ac grauius totius corporis, vnde oriatur, vitium arguat, cuiuſmodi nam eius affe-
ctionis Iudææ regioni cauſa fuerit, facilè Vates reperit & profert: *Quia deſcendit malum à
Domino in portam Ieruſalem.*] namque ex ea vrbe, quæ totius prouinciæ caput & princeps fue-
rat, diuinæ prouidentiæ ac pręcipuę cuiuſdam curæ virtus in cæteras regionis partes com-
modè diffuſa pertinebat, ſicut ſcriptum eſt: Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia ta- Pſalm 86.
bernacula Iacob. Hac virtute & gratia ſubducta, hoc eſt, Deo è loco ſuo, vt ſuperius di-
xerat, egreſſo, omnia prouinciæ membra malorum ſenſu laborare neceſſe eſt. *Deſcendit ma-
lum à Domino.* Bonorum à Deo ſubductionem malorum ſenſus natura conſequitur. hæc ita-
que oratio morbũ non caſu, ſed Dei ſeſe de Ieruſalẽ ſubducentis conſilio eueniſſe arguit.

*Tumultus quadrigæ ſtuporis habitandi Lachis, Principium peccati eſt filiæ Sion. quia in te inuenta ſunt ſce-
lera Iſrael.*

LACHIS Iudææ vrbs florentiſſima equorum atque curruum copia & exercitatione
nobilis fuit, in quam ob vicinitatem & commercium atque exercitationis ſtudium vani
cultus imitatio primum ab Iſraëlitis delata totam deinceps Iudæam corruperat. Huic vr-
bi vanum & inutile equorum ſtudiũ à Vate lugẽte exprobratur. cui nihil ea res profuerit,
quo minus ſceleris, cuius auctor ipſa prima cęteris Iudçæ vrbibus fuerat, pœnas daret gra-
uiſſimas. Oratio autẽ irriſionis figuris conſtat. namque affirmando & concedendo vehe-
menter negat & detrahit. illa, inquit, maxima & celeberrima equorũ & quadrigarum fre-
quentia, illa admiranda & ſtupenda exercitatio & in arte dexteritas, qua Lachiſina ciuitas
pollebat, illa eadem porrò etiam erit illi vtilis, imò nulla prorſus. [*quæ principiũ peccati fuerit filiæ
Sion:*] in eam vrbem ſpectandi cauſa ſæpius venienti. Prima huius carminis pars Hebraicè
ſic habet: *Iunge currus ad equos*] ac ſi diceret, ſequere idem equorum & quadrigarum ſtudium
ſi potes, ex quo eam gloriam adepta es, vt prima Iſraëlitarum impietatem imitata & edo-
cta cæteris magiſtra fuiſſe dicaris. Huiuſmodi figuræ exempla multa apud noſtros & ex- Iſai. 22.
teros auctores ſunt, vt clamoris plena vrbs frequens, ciuitas exultans, &c. & illud:

Inſere nunc Melibœe pyros, pone ordine vites. QVOD verò à tertia perſona in ſecun-
dam repente mutetur, indignantis oratio magis expreſſa eſt, qua perinde ac præſens ſit, Virgil'us.
ciuitas ipſa flagitij accuſatur: vt, Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus, &c. &, Eclog. 1.
Tunc etiam, quem ſextus & octogeſimus annus Pulſat, &c. Pſalm.

Propterea dabit emiſſarios ſuper hæreditatem Geth. Iuue. Sat. 6.

IVDAICARVM rerum inclinationem ob ſcelera temporum comparatione oſtendit:
quòd ab inimicorum populis, quibus olim imperatum fuerit, muneribus porrò miſſis, fru-
ſtra tamen imploranda fides auxiliumque ſit. namque *Geth*, ſiue *Gath* vnam ex nobilibus

Palæſtinę vrbibus à Dauide captam & hæreditati adiunctam ſuæ, Iudęi olim poſſederant, quam ſuo poſtea vitio vnà cum alijs amiſere: hanc verò temporibus calamitoſiſſimis cum munere & legationibus auxilij cauſa fruſtra petendam eſſe dicit. Vtitur autem in dicendo antitheto ſiue verborum contentione vehementi: ſic *Propterea* in eum locum Iudaica res deducta eſt, vt nuntij cum muneribus auxilij cauſa mittendi ſint in Geth, quam non modò tributariam, ſed hæreditariam olim ſibi Iudæa fecerat, *ſuper hæreditatem*. ad hæreditatem. ſicut & illud: Et venit Elcana in Ramatha ſuper domum ſuam. neque verò vllam vel in externis inimicorum ſubſidijs, vel in proprijs atque domeſticis præſidijs aut ſalutem aut fidem experiri licebit, quando & ACZIB etiam operibus munitiſſima vrbe nomine magis ſuo, quam ſpecie & promiſſis digna nuncianda ſit ſpes.

Domos mendacij in deceptionem regibus Iſraël.

HEBRAICE, domos ACZIB. Fuit autem ACZIB ex Iudææ vrbibus vna munitiſſimis domorum ædificijs conſtructa; quas cùm Iſraëlitarum, hoc eſt Iudæorum reges præſidij cauſa peterent, vanas profectò & nomine ſuo dignas reperturi erant. namque ACZIB
Pſalm. 126. mentiri faciam ſignificat, atque ita *domos mendacij in deceptionem regibus Iſraël* inuentum iri credere conueniet. « Quoniam niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat, &c. « Appellat autem hoc in loco reges Iſraël, quibus omni ex parte auxilium negatum iri affirmat, non ſolùm Iudæ reges, ſed & aliarum tribuum. nam de omnibus inſtituta lamentatio eſt.

Adhuc hæredem adducam tibi, quæ habitas in Mareſſa, vſque ad Odollam veniet gloria Iſraël.

MARESSA Vatis patria ex Iudæ ſorte vrbs expulſionem & hæreditatem ſignificans nomē ſortita eſt. namque in alienam hæreditatem niſi priori domino expulſo venire nemo poteſt, ſicut ille aiebat: *Nos expulit ille: Illum aut nequities, aut vafri inſcitia iuris;*
Hor. lib. 2. Sat. 2 *Poſtremū expellet certè viuacior hæres.* Atque ita ſcriptum eſt: Vineam de Ægypto
Pſalm. tranſtuliſti, eieciſti gentes, & plantaſti eam. Ita nomini *Mareſſa* vtramque ſignificanti rem nomen etiam Hebraicum *Iores* appoſuit, quod expulſorem & hæredem quoque ſignificat. Videtur autē ad antiquā hiſtoriā alluſiſſe; qua Iudæa tribus prima in prœliū progreſſa & hoſtibus etiam pulſis prima hęreditatis ordinem adepta narratur, eui metonymicè eadem etiam expulſionis & ſucceſſionis ſors futura denuntiatur. namque antiqua & prima
ירש poſſeſſione atque ſorte hæreditatem ſibi ſtabilijſſe putabat: *Iores* expulſorē & hęredē alium nimirum Aſſyrium hoſtē latura erat. [*vſque ad Odollam veniet gloria Iſraël:*] Eandē rem quā initio deplorauerat, mutatis tantùm nominibus, vt grauiſſimam repetit. huiuſmodi enim commorationum in lamentationibus vſus eſſe ſolet. Sic Dauid in elegia de Saulis & Io-
2. Reg. 1. nathę nece bis illud repetiuit: Quomodo ceciderunt fortes & perierunt, &c initio autem Vates hic in calamitate Iſraëlitica, cui Iudaica etiam coniungenda erat, cauſam & materiam grauiſſimam lamentationi repererat: Quia deſperata eſt plaga eius, quia venit vſque ad Iudæam, &c. Eandem quoque rem ſub ipſum elegiæ finē refert: quòd grauiſſima Iſraëlitarum miſeria totam Iudæam peruadens *ad Odollam vſque* peruenerit, quæ & ipſa Iudææ vrbs primo illo Iudæ patris coniugio illuſtris fuerat. Hæc huius hemiſtichij ſententia eſt. quę tamen, vt melius explicetur, verbi cuiuſdam excuſſionem à nobis requirit. Id apud
כבד Hebræos CABOD eſt, quod propriè grauitatem ſiue grauitudinem; deinde etiam analogicè gloriam ſignificat. Id nomen cùm vno latino verbo ſimpliciter reddi non poſſet, alterutro reddendum fuit; redditum autem in noſtra verſione, illo, quod frequentiſſimum in ſacris libris eſt; vis verò ipſa verbi ad ſententiæ rationem exiſtimanda & referenda relinquitur. namque hoc conſilio commentaria admiſſa inſtitutaque ſunt, vt ſententiæ vim vndecunque ſiue ex ipſarum, de quibus agitur, rerum natura, ſiue ex verborum examinatione compleamus. Quanquam autem prior ratio, hoc eſt, theologicarum rerum exacta cognitio plurimum ad interpretationem momenti habeat, tamen originalium linguarum peritia magnum profectò ad eam rem adiumentum afferre, & plus in receſſu habere, quàm in fronte promittat, à ſapientiſſimis & pientiſſimis viris iudicata eſt. Igitur CABOD ſi grauitatem interpretemur, perpetuum ſententiæ curſum tenebimus, quòd ea calamitas, quam grauiſſimā Iſraël tulerit, Iudææ quoq. vrbibus, & inter eas Odollamo etiam ferenda ſit. Si verò gloriam, vt Latinè eſt, retinere malimus, antiphraſi nobis vtendum neceſſariò eſt, & gloria pro dedecore & ignominia accipienda, vt apud Latinos bellum pro non bellare, hoc eſt, pro duello ſæpiſſimè vſurpatum eſt: Ita et Iſraëlitica ignominia gloriæ illi antiquę contraria ad Odollamum vſque pertinens grauiſſimum vatis fletum vehementer auxerit, adeò vt vtrumque regnum ad miſeriam ſuam ſecum grauiſſimè deplorandam, & mœſtiſſimè plangendam excitare ſtatuerit.

Decaluare & tondere ſuper filios deliciarum tuarum: dilata caluitium tuum ſicut aquila: quoniam captiui ducti ſunt ex te.

VT vtrumque regnum initio lamentatio complexa fuerat, ſic fine etiam ipſo concludit, prioremque ad planctum Iſraëlem vocat, cui prior calamitas accipienda fuit. eam verò reipublicæ omnium matris imaginem exprimit, quæ cùm amiſſorum filiorum deſiderio nullum modum poſſit ſtatuere, capillis præ dolore animi auulſis grauiſſimum luctũ ſuſcipiat. [*Decaluare & tondere.*] Mulieribus prolixior capillus decori, breuior autem dedecori olim ducebatur. Igitur in ſummo dolore & mœrore, quòd ſe miſeras & decori omni indignas oſtenderent, tum euulſis capillis caluitium, tum detonſis deformitatem ſibi parabãt. atque vtraque res ab Iſaia vate breuiter indicatur: Et erit filiabus Sion pro criſpanti crine (Iſai. 3.) caluitium. [*Super filios deliciarũ tuarum,*] quos in maximis deliciis alueras & voluptatis ſummæ vſu educaueras. quibus quo inſolentior miſeriarum vſus accidet, eo acerbior eſt futurus. hæc ad Iſraëlem. ad Iudam etiam illud additum eſt: *Dilata caluitium tuum ſicut aquila.*] Aquila certis ætatis ſuæ annis altiſſimè volare, & vehementi ſuperni caloris vi tacta plu- (Iſaac Hiſpanus in Mich.) mas amittere & nouas deinde reficere ſcribitur. huic ſimilem quendam miſeriarum ſenſu luctum Iudææ regioni Vates indicens, ſimilem etiam reſtitutionis proponit ſpem. namq. Iudæos captiuos Babylonem abducendos rurſus etiam reſtituẽdos fore ſubindicat. [*Quia captiui ducti ſunt ex te.*] Iſraëlis filiis nullum certum calamitatis genus præſcribitur, nullum non experturis. Iudæis verò illud certiſſimũ Babylonicæ captiuitatis aſſignatur, vltra quod nihil temporibus illis durius perpeſſi fuêre. Vſus eſt autem zeugmate figura vatibus familiariſſima, vt filiorum nomen ſemel appellatum ad vtrumque populum referret. femineo autem genere vtramque rempublicam dixit, quòd communio & ſocietas ipſa hominũ matris imaginem exprimere videatur. hoc enim omnium ferè linguarum vſus obtinuit, vt à Græcis πατρὶς, à Latinis patria, ab aliis vniuerſitas femineis nominibus diceretur.

CAPVT SECVNDVM.

VÆ *qui cogitatis inutile, & operamini malum.*

ILLVD in iis, quæ hactenus conſcripſimus, præcedentium Vatum commentariis docuimus, meritas impietatis, ſuperſtitionis & multorũ etiam flagitiorũ pœnas non antè publicè dari ſolere, quã iniquitatis ſiue HHAMASZ ſcelus fuerit publicè graſſatũ. namq. cætera flagitia omnia etiamſi aduerſum diuinam maieſtatẽ admiſſa fuerint, auctores quidem ſuos vitio captos, ſupplicio tandem carere nõ ſinunt; ſiue id in hac vita, ſiue in futura dandum ſit. Vna verò fraudum & iniuriarum publicè ac communiter contracta culpa, cõmuniter etiam ac publicè conſtitutam pœnam quammaturrimè ſubeundam in ſacris libris habet. Hactenus ergo ſuperſtitionis & impietatis erga Deũ pollutæque religionis crimẽ Iſraëlitis pariter & Iudæis intulit, qui ſibi adeò infenſum & iratum Deum reddiderant, vt loco propediem cedentẽ non ſine magno ſuo malo experturi eſſent. namq ſuperſtitio & vani cultus admiſſio peculiarem illam Dei prouidentiam & beneuolentiam abalienat ab iis, quibus vera pietas non eſt, quos tamen non antè publico ſupplicio & vaſtitati addicit, quàm HHAMASZ ſceleribus quaſi cumulo quodã affluere ſit deprehenſum. ſed quoniam præter Dei irati abalienationem, publica etiam famis, peſtis, ac gladij calamitas vtrique genti fuerat obnuntiata, neque præter impietatis & ſuperſtitionis ſcelus vllum aliud HHAMASZ fuerat hactenus crimini datum, ſatiſque ſibi, ob eam tantùm culpam, pœnarum ex Dei abalienatione ſuſtinere videri poſſet; alteram hanc partem, quamobrem grauiſſimis malis publicè ferendis addicerentur, vates perſequitur, & non leuioribus iniuriarũ & HHAMASZ, qui violatæ religionis ſceleribus alligatos; atque vbi à legitimo Dei obſequio & certa religionis fide deſciuere, id quod in procliui ſtatim fuit, ad iniurias publicè inferendas vehementi animi impulſu & omni ſtudio deductos illos fuiſſe demonſtrat. namque iis duabus partibus flagitium vnumquodque conſtat, conſilio videlicet & conatu, atque in conſilio quidem peccatum eſt, in conatu verò ipſo flagitium; in opere denique capitale iam ſcelus ſpectatur, ſicut ſcriptum eſt: Vnuſquiſque verò tẽtatur con- (Iacob. 1.) cupiſcentia ſua abſtractus & illectus, deinde concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortẽ. Igitur omnem iniuriarum ſceleris gradum ab Iſraëlitis & Iudæis completum fuiſſe, animi conſilij & conatus atq. exercitationis argumentis confirmat. orationem autẽ à grauiſſimo & funeſto verbo incipit: [*Væ qui cogitatis inutile, & operamini malum.*] Non ſolùm mentis impulſum vehementem, ſed opus etiam ipſum exprobrat. *Væ*, inquit, vobis qui conceptum animo ſcelus, omni conſilio

& conatu, tum opera omni conſlatum tandem admittitis. *Inutile*, actiuæ ſignificationis verbum hoc in loco eſt. Inutilia, inquit, & incommoda, imò & pernicioſa aliis conſilia vobiſcum agitatis, quæ demum exequamini. Vt autem admittendi cum ſumma fraude ſceleris deliberationem & ſtudium argueret, illud ſubiunxit:

In cubilibus veſtris.

Psal. 4. COGITATIONIBVS liberè ſuſcipiendis commodiſſimus locus cubile eſt, cùm omni externo impedimento amoto & quietiori corporis habitu, ſilenti nocte, ſine arbitris, ſine contẽtione libera cuique cogitatio eſt: vt, Dicite in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini, Selah. ſceleris verò admittendi vehementer deliberata voluntas hac oratione oſtenditur. conatus autem & ſtudium illis etiam verbis arguitur:

In luce matutina faciunt illud.

ITAQVE admittendi ſceleris conſilium commodiſſimè & deliberatiſſimè capitur; vbi autem certum iam eſt, quammaturrimè efficitur. namque ſummo manè conſurgentibus ſcelus initur, vt quantum ad nocendum illis & conſilij & commoditatis ſuperfuerit, tantum iis, quibus iniuria fit, ad propulſandum aut cauendum deſit. Alterum ergo orationis membrum alteri reſpondet hoc modo, *Cogitatis inutile in cubilibus veſtris, & operamini illud in luce matutina, faciunt illud.*] id quod dummodo exequi poſſint, an legibus liceat, an deceat, nihil omnino laborant.

Quoniam eſt contra Deum manus eorum.

Gen. 31. POTENTIAM nimiam & facultatem ad nocendum hæc oratio ſignificat: Hebraicè tropus hic ſic pronuntiatur: *Quoniam eſt Deo manus eorum.*] Quo tropo Laban Iacobo genero ſuccenſens Hebraicè vſus eſt, quem Latinus interpres ſic vertit: Valet manus mea reddere tibi malum. Igitur alienas hæreditates vel fortunas vbi ſemel appetiuerint, & conſilio, calliditate atque iniuria adire poſſe ſperauerint, neque legibus agere, neque moribus decidere, ſed vi inuadere & obtinere; facinus verò ipſum, vbi admiſſum fuerit, calumnia tueri ſtatuunt.

Et concupierunt agros, & violenter tulerunt, & rapuerunt domos.

Ex malorum omnium fonte, ex cupiditate, inquam, iniuriarum & fraudum innumera genera promanant. hæc furia leges & iura omnia diuina humanaque violat. hæc vbi ſemel in pectoribus hominum inſedit, & ſociam ſibi vim addere potuit, alienis maximè fortunis & ſaluti inſidiari ſolet; neque verò in alienam modò ſupellectilem fertur, (namque id minoris facultatis & ignauioris cuiuſdam animi eſt) ſed in ipſos pauperiorum & imbecilliorum agros atque domos omni impetu inuadit, ita vt non expoliare, ſed fortunis omnibus & poſſeſſione miſeros homines deturbare triumphi loco ducatur. Agrorum igitur ſuorum terminos alieni fundi occupatione dilatant, & ædificandarum ædium areas vicinarum domorum deiectione protendunt; vendere enim etiam inuitos dominos vel viliſſimo pretio cogunt: ſi quem verò pertinaciter ſuas res rueri velle intellexerint; tamen damno, iniuria aſſidua, vt tandem cupiditatibus ſuis cedatur, efficiunt.

Iuuen. 14. *Quorum ſi pretio Dominus non vincitur vllo, Nocte boues macri, laſſoq; famelica collo, Armenta ad virides huius mittuntur ariſtas.*

Iſai. Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis; an vos ſoli habitabitis terram? ita adeò cupiiſſe iniquum eſt; quacunque verò ratione ab inuitis abſtuliſſe, longè iniquiſſimum: auaritiæ autem & fraudi contumeliam addere, omnino deteſtabile eſt. Sunt enim, qui cùm cupiditatibus & fraudibus ſuis pauperiorum conatu obſiſti intellexerint, lædi ſe putent, idque adeò indignè ferant, vt vel calumnia occulta, vel manifeſta vi oppreſſis hæreditatem pariter & vitam appetant.

Et calumniabantur virum & domum eius, virum & hæreditatem eius.

HVIVS immaniſſimi ſceleris vtinam nullum aliud exemplum occurreret, quàm illud Nabothi Iſraëlitæ ob Achabi cupiditatem Iezabelis reginæ conſilio & auctoritate non modò appetita vinea defraudati, ſed ignominioſiſſima morte & omnium proſcriptione bonorum pariter affecti: ſed, vt ille ait, *Dicere vix poſſes, quàm multi talia plorent, Et quot venales iniuria fecerit agros.* [*Et calumniabantur,*] Hebraicè verbum eſt GHASSAC, quod vi vel calumnia opprimere ſignificat. Ex hoc loco illud principibus viris obſeruandum cauendumque eſt, ne quid vnquam agatur, quod potentiæ magis, quàm iuris & æquitatis rationibus definiri poſſit; neque illud verbum vnquam vſurpetur, poſſum, licet, eſt, ad Deum manus mea, atque huius generis alia, quæ rarò iniuriæ ſuſpicione carere poſſunt. Cuiuſmodi autem huius generis conſilia & conatus ac ſcelera iudicium diuinum maneat, ſtatuto in Iſraëlitis exemplo ſubiungitur:

Ecce ego cogito ſuper familiam iſtam malum, vnde non auferetis colla veſtra.

VT iſti magna deliberatione & diligenti conſilio cogitatas à ſe iniurias & grauiſſima mala tenuioribus maturè & ſtrenuè afferebant, ſic cogitatum in ſe & deliberatum à Deo ſupplicium grauiſſimè ſubibunt; neque ſibi rem cum incautis & imbecillis hominibus, ſed cum ſapientiſſimo & fortiſſimo Deo tandem fuiſſe comperient. grauitatem autem & ſeueritatem pœnarũ ex diuina cogitatione ſiue meditatione arguit. Inferendi verò ſtrenuitatem inſuperabilem illis verbis indicat: *Vnde non auferetis colla veſtra.*] Sumpta autẽ tranſlatio ab æneo & ferreo iugo captiuitatem Iſraëlitarum duriſſimam & longiſſimam futuram eſſe docet, atque mutatio perſonarum à tertia in ſecundam ob dicendi vehementiam & ſententiæ grauitatem in vatum orationibus frequentiſſima eſt.

Et non ambulabitis ſuperbi, quia tempus malum eſt.

INSOLENTIAM omnem potentiorum, quæ rerum ex animi ſententia ſucceſſu nimium proceſſerat, malorum & miſeriarum vſu reprimendam eſſe demonſtrat, quãdo humana ſuperbia nulla magis re, quàm incommodorum temporum interuentu domatur, ſicut ſcriptum eſt: Vt cognoſcãt, quòd homines ſunt. Ambulare ſuperbè, eſt geſtu, habitu & inceſſu, animi inſolentiam proferre: Hebraicè eſt, *Et non ambulabitis elati.*] namque huiuſmodi ſuperbientium habitus eſt, erecto collo, elatis oculis & deſpicientibus incedere, ſicut ſcriptum eſt: Generatio cuius excelſi ſunt oculi, & palpebræ eius in altum erectæ. [*Quia tempus malum eſt.*] Hebraicè tempus pro certa rerum opportunitate, quam Græci καιρὸς, Hiſpani *Sazon*, dicunt, accipitur: vt, tempus meſſis, tempus ſationis, &c. hoc eſt, quia matura illis & certa incommodorum & pœnarum hora acceſſerit, qua bellum primùm, deinde captiuitatis incommoda ferenda ſunt. Pſalm. 9. Prou. 30.

In illa die ſumetur ſuper vos parabola, & canabitur canticum cum ſuauitate dicentium.

IPSA ſermonis ſimplex ratio & ſententia, quiſnam huiuſmodi elegiarum auctor futurus ſit, docet: neque enim eiuſmodi parabolæ & lamentationis ratio vel falſis prophetis, vel cuilibet pro arbitrio, ſed illis tantùm, qui à ditioribus & potentioribus agris & domibus deturbati fuerant aſſcribenda eſt, quibus ex citiſſimo exitu diuinæ iuſtitiæ edoctis lugubri quodam inſtituto & cantato carmine calamitatis ſuæ ſolamen quæretur. Elegia autem ipſa parabolæ, hoc eſt, ſimilitudinis & exemplorum nomine definitur, quòd variis rerum contentionibus & ſimilitudinibus exemplo aliis de eadem re futura ſit. omnia hæc parabolæ nomen indicat. *Super vos* ſpoliatores & calumniatores, quibus per potentiam omnia licere videbantur, neque quiſquam vel verbo vno ſeſe opponere tutò audebat. [*Et canabitur canticum cum ſuauitate,* Hebraicè eſt, *lamentabitur lamentationem cum ſolamine.*] non quòd miſerias ſuas huiuſmodi carmine ſedari omnino, ſed aliquantulum leniri poſſe ſperet: Hebraicè eſt, NEHI, Hiſpanè *Alinio*. Cuiuſmodi verò ſententiæ elegia futura ſit, ſtatim exponitur.

Depopulatione vaſtati ſumus: pars populi mei commutata eſt, Hebraicè, *depopulari depopulati ſumus nos.*

CVIVSMODI verborum repetitio grauitatem & vehementiam, affeuerationemque coniunctam habet. Calamitatem igitur ſuam primùm commemorat, deinde à quibus allata fuerit, oſtendit, quod à potentioribus & ditioribus hæreditate & fortunis omnibus deturbati fuerint, idque non ab hoſtibus, ſed à conciuibus ſuis, ita vt ipſimet ſibi iniurij fuiſſe videantur. nam qui patriæ propriæ conciuibus manus affert, ſuis ipſius membris & viſceribus attuliſſe meritò dici poſſit. Igitur noſmet nobis damnum malumque attulimus, Hiſpanè *Hauemonos deſtruido*. Et nunc *pars populi mei commutata eſt.*] Quid pauperiorum parti accidiſſet, iam dixit; quid verò ditiorum tandem parti euenerit, ſubiungit, quòd illi à potentioribus eiecti & vaſtati fuerint, hi verò ab hoſtibus etiam eiecti, malè partis poſſeſſionibus deturbati commutari & tranſmigrare cogantur. Sunt autem huiuſmodi lamentationes, ſi linguæ & ſermonis ratio tantùm conſideretur, explicatu difficiliores, quòd perturbati animi orationibus & crebris figuris conſtent. Quamobrem dicentis cogitatio & affectus potius, quàm orationis conſequentia obſeruanda eſt.

Quomodo recedes à me? cùm reuertatur, qui regiones noſtras diuidat? Hebraicè, *Quomodo abſtulis à me.*

CVM admiratione inſultat illi, qui ſe expoliauerat, quòd ad paucorum dierum vſum tantum ſcelus admiſiſſet, cùm propediem venturus eſſet hoſtis, qui quam ille ſibi ablatam ſuæ adiũxiſſet hæreditatẽ militibus ſuis diuideret. Quid profuit, inquit, illi me à fundo expuliſſe meo? cùm breui hoſtis acceſſurus eſſet, qui quæ ab illo coniuncta prædia fuiſſent, diuideret nónne ſatius ſuis limitibus contentum permanere, quàm omnibus carere, fuerat?"

deinde opportunè commemorat diram imprecationem eorum, qui ſpoliati & oppreſſi fuerant, in expoliatores ipſos: quam quidem imprecationem nulla victima expiatam conſequens euentus certiſſimè firmauerit.

Propter hoc non erit tibi mittens funiculum ſortis in cœtum Domini Iſraël.

APTISSIMA in huiuſmodi iniurios homines & familiariſſima miſerorum imprecatio eſt vnica vltionis relicta ratio, quam exitu ſuo non carere innumera paſſim ac quotidiana fere exempla arguunt, vt rebus iis, quæ in poſteritatis gratiam vi, calumnia, & aliis rationibus malis partæ fuerint, optatus hæres non potiatur, ſed is potius, quē minimè omnium ille voluiſſet, fruatur. Huius diræ imprecationis vulgatiſſima quotidie exempla ſunt:

Pſalm. 108. vt: Nutantes transferantur filij eius, & mendicēt: & eiiciantur de habitationibus ſuis. Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eius: & deripiant alieni labores eius, &c. Propter hoc igitur cùm tu legitima hæreditatis & totius rei poſſeſſione me deturbaueris, illud tibi imprecatus tandem eueniſſe gaudeo, vt nullus tibi legitimus hæres ſuperſit, ad quem ex diuina lege & ſacris Iſraëlitarum moribus hæreditas redeat, ſed illud cum ſumma ignominia tibi vſurpandum relinquatur.

Thren. 5. Hæreditas noſtra verſa eſt ad alienos, domus noſtra ad extraneos.

Ne loquamini loquentes, non ſtillabit ſuper iſtos, non comprehendet confuſio.

PROSOPOPOEIA adhuc eadem oſtendit nulla alia ratione potuiſſe violentorū illorum alienarum rerum appetentium conſilium frangi, quàm ipſo extremo ſupplicio atque exitio. namque cætera omnia, nimirum vatum reprehenſiones, reuocationes, accuſationes, dehortamenta ſuperuacanea illis erant, qui neque metu, neque ratione, neque pudore vllo moueri, aut à ſententia deterreri ſeſe ſinerent. Eſt autem ipſorum oppreſſorum & iniuria affectorum hominum ad vates oratio monentium, ne duris & obſtinatis atque diſciplinam omnem contemnentibus hominibus ab iniuria inferenda reuocandis fruſtra operam impendant, quando neque vllo Dei, neque hominum timore ad ius, æquitatem atque innocentiam adduci poſſint. Ne, inquit, aſſiduis ſermonibus apud eos habendis laborē nimiū conſumitote. [*Quia non ſtillabit ſuper iſtos.*] hoc eſt, nullus planè locus illis relictus, quo diuinum verbum in eorum mentes penetrare poſſit; neque vlla etiam erubeſcentia afficiuntur, adeò obſtinata ac dura mens vitio & potentia reddita eſt, vt conſultius eſſe putetur diuinum verbum illis ſubducere, quàm contemptui atque irriſioni exponere ſine vlla vtilitatis ſpe. Hæc adeò cauſa eſſe interdum ſolet, vt in perditiſſimis temporibus magna diuini verbi penuria ſit: ex qua quidem re ſuſpicio quædam imperito vulgo exoriri poteſt, Deum vel huiuſmodi res latere, aut iam tandem delaſſatum, ne perſequatur, impediri, vel adeò delectari, vt impunè abire ſinat.

Dicit domus Iacob, Nunquid abbreuiatus eſt ſpiritus Domini, aut tales ſunt cogitationes eius?

PRIVATI & infimi ac vulgares homines Domus Iacob dicuntur, quòd Iacob, antequam nomen Iſraëlis obtineret, eius conditionis ſeſe fuiſſe profiteretur. Cùm ergo huiuſmodi rerum imperiti homines tantam potentiam & inſolentiā non ſolùm impunè graſſari, ſed ſine reprehenſione, ſine prophetica obiurgatione abire viderent, vtrànam eius rei cauſa eſſet, dubitabant, an quòd ſpiritus Domini, quo vates excitantur, abbreuiatus eſſet; neque tantæ hominum potentiæ & inſolentiæ ſuſtinendæ par eſſet, an quòd Dei cogitationes & ſtudia his ſimilia eſſent, neque eas res reprehendendas duceret, quibus ipſe afficeretur. Ad vtramque autem dubitationis partem remouendam ſapientiſſimè per Vatem ſatisfecit Deus.

Nónne verba mea bona ſunt cum eo qui rectè graditur?

NEQVE abbreuiatus eſt ſpiritus meus, neque tales ſunt cogitationes meæ, ſed propterea ſubductum illis verbum eſt, quòd tantùm apud eos vtile & commodum ſit, qui rectè & honeſtè viuere ſtatuerint: itaque feliciter illis ſuccedit, vt quibus ad rectum vitæ curſum tenendum gratiſſima diuinæ veritatis lux ſit. contrà verò iis, qui impiè agere decreuerint, vehementer odioſum longéque eſt incommodiſſimum, vtpote quibus irriſioni & contemptui magis, quàm correctioni ſit. ſicut ſcriptum eſt:

Pſalm. 118. Spreuiſti omnes diſcedentes à iudiciis tuis, quia iniuſta cogitatio eorum. præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ: ideò dilexi teſtimonia tua. &, Longè à peccatoribus ſalus, quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt. Hæc erga vtramque partem diuini verbi ratio eſt, vt non ſit abbreuiatus ſpiritus Domini, ſed diuinorum verborum copia iis abundè effundatur, quibus vtilia & commoda fore creduntur; iis verò maximè interdum deſint, qui veritati, qui tecto conſilio, qui ſibi denique ipſis defuturi eſſe putentur.

Et econtrario populus meus in aduerſarium conſurrexit: Hebraicè eſt, *Et heri populus meus in hoſtem conſurrexit.*

TEMPORVM & rerum comparatione oſtendit, quàm optimè cum iis agatur, quibus diuinum verbum commodè ſuppetat; rurſus quàm peſſimè cum iis, quorum culpa diuinum verbum ſubtrahitur: & quemadmodum publicæ & priuatæ res, ob publicum ac priuatum iniuriæ inferendæ ſtudium funditus pereant, quas innocentia & iuſtitia maximè tueri & augere ſoleant. Hoc autem ipſorum Iſraëlitarum exemplo docetur, qui non adeò pridem cùm populus Dei eſſent, hoc eſt, cùm pietatem veram colentes legibus inſtitutisque diuinis vterentur, non ſolùm quietè & tranquillè agebant, ſed omnibus & finitimis & remotis hoſtibus ſuperiores erant, ſicut ſcriptum eſt: In te inimicos noſtros ventilabimus " cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis. Nunc verò iidem poſtquam à " Deo, à pietate, à iuſtitiæ & innocentiæ obſeruatione & cultura ad auaritiam, ad iniuriam inferendam deſciuere, diuini verbi auxilio & commoditate deſtituti ignauiſſimi & timidiſſimi redditi ſunt, adeò vt non ſolùm vero, ſed vano etiam hoſtium metu exanimati terreantur, ac turpiſſimè etiam fugiant.

Deſuper tunicam pallium ſuſtuliſtis: & eos qui tranſibant ſimpliciter conuertiſtis in bellum. Hebraicè ſic: *E regione veſtis exuiſtis pallium: & prætereuntes ſecurè redeuntes bello.*

Eò ignauiæ & timiditatis eos rediiſſe ait, vt proſpectam è regione veſtem, quam viator quiſpiam baculo (vt fit) ſuſpenſam ferat, militare ſignum ac vexillum putantes, depoſito etiam celerioris fugæ cauſa pallio, turpiter fugiant. namque pallij in pugna aut in pugnæ opinione denudatio impotentis fugæ ſtudium ſignificat: vt illud, Et robuſtus corde nudus Amos. fugiet in die illa. non ſolùm vero, ſed vano etiam hoſtium metu perterriti vitam nuditate paciſcuntur, veſtemque, quamuis elegantem, viatori auferendam relinquunt, quem illi iter ſecurè & ſimpliciter conficientem inuentis in via ſpoliis, non ſecus ac ſi è prœlio victor rediret, onuſtum & auctum reddunt. *Et prætereuntes ſimpliciter* putaſtis & reddidiſtis *redeuntes bello*. Huius verò tantæ trepidationis & tantæ etiam rerum mutationis cauſam iniuriæ ſtudium fuiſſe ait, quòd miſerabiles pauperiorum hominum vxores domorum ſuarum commoditate, atque earum etiam liberos perpetua hæreditatum ſucceſſione priuauerint.

Mulieres populi mei eieciſtis de domo deliciarum ſuarum, & à paruulis earum tuliſtis laudē meam in perpetuum.

FEMINÆ quietiori & imbecilli magis natura cùm ſint, domi diutius quàm viri manere conſueuêre: eius autem conſuetudinis cauſa ædes ipſas præter cæteras omnes res amant, quas etiam ad inopiam redactæ non niſi omnium hæreditatum poſtremas diſtrahi patiuntur, diſtractas verò omnium rerum maximè & frequentiſſimè ſuſpirant; præſertim cùm conductas deinde domos ſubinde mutare cogantur, tum ſe miſerrimas, tum calamitoſiſſimas vocant, tum eos, quorum cauſa proprias ædes amiſerint, diris omnibus proſequuntur. Atque pauperiorum hominum turbam populum ſuum Deus appellat, id quod non ſemel in ſacris ſermonibus ſuis ore nuncupauit: vt, Tibi derelictus eſt pauper, orpha- Pſalm. no tu eris adiutor. Has à potentioribus iſtis *de domo deliciarum ſuarum*, hoc eſt, de domibus, in " quibus maximè delectabantur, eiectas fuiſſe criminatur. Earum verò filios fundorum & vinearum agrorumque poſſeſſionibus perpetuò deturbatos, quæ à nullis familiis abalienari, ſed in perpetuam laudis ſuæ materiam certis legibus & inſtitutis ac moribus apud ſuos quæque dominos perpetua ſucceſſione conſeruari Deus voluerat. namque ille Chananitidis regionis perpetuum dominum ſibi cùm iure ſuo vendicaſſet, vſum tantùm familiis ipſis Iſraëlitarum tanquam inquilinis perpetua poſteritatis ſucceſſione percipiendum conceſſit. Eam verò laudis ſuæ æternam materiam parabat, quòd vnumquemque portionem ſuam Deo acceptam referre, atque omni pietate & obſeruatione retinere oportuerat, ſicut ſcriptum eſt: Et dedit illis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt, vt cuſto- Pſalm. diant iuſtificationes eius, & legem eius exquirant. Igitur contra ius & fas eſt, laudem meam " in perpetuum deturbatis poſſeſſione hæredibus impedire, ſicut ſcriptum eſt: Terra quoque Leuit. 25. non vendatur in perpetuum, quia mea eſt, & vos aduenæ & coloni mei eſtis. Itaque cùm " populi ſui iniuriis ſuum etiam ius ſibi nefaria fraude imminutum Deus perſequitur; dignum autem tantis ſceleribus iudicium eſt, vt qui quietos, & tranquillè atque innocenter agentes ſolicitauerint & domibus fundiſque priuauerint; eius terræ, quam immodicè appetiuerint, & per ſummam iniuriam occupatam polluerint, vſu in perpetuum porrò abdicentur, cuius iudicij & ſeueræ ſententiæ formula ſequenti verſu pronuntiatur:

Surgite & ite, quia non habebitis hic requiem: propter immunditiam eius corrumpetur putredine peſſima.

Surgite.] Imperatiuo vſus eſt, propterea quòd certa iam & deſtinata res eſſet, adeò vt ſe iam exorari non ſineret; eſt enim is modus inſtando & exequendo idoneus, atque ab omni cunctatione longè alienus: adeò verò certam & maturam fore migrationem oſtendit, vt conſidere vlterius non permittat; vt qui inimicum, à quo vehementer læſus ſit, domi offenſum iniquo animo ferens, grauiſſimeque compellans, exire foras feſtinè iubeat. Quid tibi, inquiens, apud domum meam eſt? nónne pudet? abi citò, feſtina, &c. ite, in captiuitatem videlicet; non enim hæc vobis apta ſedes eſt, quam tantis flagitiis contaminaſtis: neque enim fieri poteſt, vt vitiis & turpitudinibus veſtris polluta terra hæc nō graui nauſea, quoad vos euomat, vehementer laboret, ſicut ſcriptum eſt. Cùm verò huiuſmodi grauibus alioqui tamen vtilibus vaticiniis offenſi principes & populi, ac vatibus ipſis infenſi obſiſterent, atque omni cura & diligentia cauerent, ne quid graue aut durum audirent, dum tamen intereá populares concionatores & ad aſſentationem magis aptè dicentes probarent; & illud temeritatis vel impudentiæ, vel improbitatis ac licentiæ; hoc verò prudentiæ, ſapientiæ, atq. elegantiæ in dicendo nominibus definiretur (vt iudicia hominum de ſimplici veritate & dè populari aſſentatione etiam hodie ſunt) eam rem opportunè Michæas expreſſit, & quales hominum in ſe animos, cuiuſmodi de officio ſuo iudicia & ſententias expertus fuerit, alterius partis comparatione ſignificauit.

Vtinam non eſſem vir habens ſpiritum, & mendacium potius loquerer: ſtillabo tibi in vinum & in ebrietatem, & erit ſuper quem ſtillatur populus iſte.

QVID hęc Latina verſio ſibi velit, Hebraica ſimplicitate appoſita declarabitur. [*Si forſan vir ambulans poſt ventum & falſitatem mendacij.*] hoc eſt, ſi quis popularē auram ſequutus mendacia ſibi ad gratiam confingeret, atque ea quæ delicatis principum & vulgi auribus blanda ac iucunda ſunt, diceret; euiuſmodi de certo voluptatis fructu, de vino & ebrietate, de deliciarum non vetando principibus & diuitibus vſu, de frugum & annonæ non fruſtra à Deo hominibus facta copia; ſi quis, inquam, huiuſmodi argumenta dicenda tractaret, is omnium calculo probatus legitimus populi magiſter communibus ſuffragiis ſalutaretur. Is facilè cauſam rationesque ſuas docili populo perſuaderet, hoc eſt, ſtillaret in vinum & in ebrietatem. namque laſciua licentia à falſis miniſtris religionis prætextu & adulteratis ſententiis facilè hominibus à labore ad libidinem procliuibus inſinuatur. & quicunque hæc ad gratiam aſtutè & apparatè tractare nouit, *erit ſuper quem ſtillatur populus iſte*:] hoc eſt maximo plauſu à populo iſto excipietur, & populi ſtillator, hoc eſt, efficax cōcionator appellabitur, iſque populo iſti, & populus iſte illi aptiſſimus erit, ſimilesque habebunt labra lactucas.

Congregatione congregabo Iacob totum te: in vnum redicam reliquias Iſraël.

ILLVD ſemper Deus Iſraëlitis obteſtatus eſt, illorum culpa euenire, vt perirent; ſuo autem ipſius miſericordiæ conſtanti propoſito effici, vt non funditus perderentur, ſed vt aliquando in gratiam reconciliati reſtituerentur, ſicut ſcriptum eſt: Perditio tua ex te Iſraël, ſalus autem ex me. qua quidem in re diuina erga homines bonitas maximè lucet, & humana culpa apertè cognoſcitur; hinc enim eſt quicquid mali, illinc verò quicquid boni eueniat. nos nobis atque Deo deſumus, Deus nunquam ſibi deeſt; nos officium omne peruertimus, ille ſemper officio ſuo ſatisfacit; nos neceſſariam noſtrimet curam abiicimus, ex nobis verò illum duplex afficit ſolicitudo, & quemadmodum non pereamus, & quemadmodum perditi recipi ac recuperari poſſimus. Atque hæc omnia incredibilem noſtram peruerſitatem & immenſam illius arguunt miſericordiam. Neque verò hic locus exiguam huius rei admirationem habet, quòd in ipſo pronuntiandæ ſententiæ feruore tantis criminibus offenſus Deus, tamen orationis ſtylum miſericordiæ commemoratione interrum-

Habak. 3. pat, ſicut ſcriptum eſt: Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Habet verò affectum oratio ipſa, *Congregatione congregabo totum te*:] Vide, inquit, quanta meorum in te beneficiorum magnitudo, quanta tua in his cogitandis negligentia eſt. namque iam nunc cùm te tua culpa & tantis ſceleribus obligatum, iis captiuitatis & diſperſionis pœnis, quibus dignus fueris, addico; tamen cogitationes pacis cogitans quemadmodum reſtituendus tandem mihi ſis & mecum cogito, & tibi, ne deſperes, enuntiari curo. atque repetitio quidem verbi aſſeuerationem & certitudinem habet. Iacob verò nomen humilitatis & exilij atque captiuitatis rationem indicat; neque enim melioris conditionis populus ille diſperſus futurus erat, quàm fuerit olim Iacob, cùm à patria domo fratris metu profugus ingratam

Gen. 28.

Labano

Labano ſeruitutem nouis ſubinde mutatis conditionibus iniquíſque impoſitis legibus ſeruiret; tamen vt ille diuina miſericordia ex illo inquieto rerum ſtatu, & quodam quaſi ſeruitutis genere redemptus, congregata vxorum, liberorum & ſeruorum familia ad patriam domum reductus Iſraëlis nomen obtinuit, maximè dicente ſibi Domino, Reuertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eroque tecum. Sic etiam populum hũc filiorum Iacobi, cui diſperſionis calamitas obnuntiata eſt, cui dura inter gentes & ignominioſa vitæ lex ſtatuenda & ferenda prædicitur, tandem diuina miſericordia ſibi redimendum reſtituendúmque, atque in vnius Eccleſiæ Chriſtianę communionem admittendum recipit; idque non in totius iam Iſraëlis ſecundum carnem celebri illa frequentia, ſed in reliquiis tantùm, quæ ex tam longa & diuturna calamitate ſuperfuerint, fore præſtandum, Iſai.10.
« ſicut ſcriptum eſt: Si fuerit numerus filiorum Iſraël, quaſi arena maris, reliquiæ ſaluabũtur:
In vnum reducam reliquias Iſraël toto iam terrarum orbe diſſipatas.

Pariter ponam illum quaſi gregem in ouili: Hebraicè, *quaſi oues Boſra.*

VTRO modo vertatur, nihil ſententiæ repugnat, ſed poſterioris verſionis illuſtrior & certior nobis explicatio eſt: namque ad vnum ouile vnamque eccleſiæ communionẽ recipiendi Iſraëlitæ prædicuntur, idque adeò diuino beneficio. Quódnam autem id ouile futurũ eſſet, nomine *Boſra* ſignificauit; nimirum ad idem ouile, in quo ex gentilitatis tenebris ad Euangelij lucem conuerſæ gentes & diuinæ familiæ aſſcriptæ conuerſarentur. Iam verò aliàs diximus nomen Boſra nulli in montibus Seir antiqua Idumæorum ſede, vrbi eſſe, ſed cuidam, quæ omnis gentilitatis caput olim fuerit: id quod ſignificatio ipſa apertè doceret. Boſra etiam conſtantiam ſiue valentiam ſignificare dicebamus. Valentiam verò Romam vrbem totius orbis quondam principem dictam prius fuiſſe antiqui auctores memoriæ prodiderunt. Idem namque *ῥώμη* Græcè, quod valentia Latinè eſt. Atque in hac quidẽ parte antiquorum Hebræorum traditionem hactenus recipimus, qui Boſram eandem Romam eſſe dixêre. Habet autem Romana res maximam atque huic rationi accommodatiſſimam narrationem. namque paruis initiis, hoc eſt, ab ouium paſcuis & caulis, à paſtorum caſulis ad totius orbis imperium in gentilitate excreuit: deinde verò primis & firmiſſimis apud gentes fundamentis in ea vrbe iactis, Chriſtiana pietas totum ferè orbem in Euangelij ditionem redegit, atque exiguis initiis ad innumeram multitudinem propagata eſt. In ea autem primus gregis huius paſtor Petrus Chriſti Domini vice functus eſt, ſuccedentibuſque longa temporum ſerie paſtoribus Chriſtianæ diſciplinæ ratio ita aucta & illuſtrata eſt, vt prima omnium mater Eccleſia meritò appelletur, ad quam totius orbis & gentium omnium catholica communio referenda ſit; in cuius tandem collegium Iſraëlitas cooptandos eſſe Vates hîc prædicit: vnam enim omnium Eccleſiæ communionem & integram ſanctitatem eſſe oportêre, & vates omnes & ipſe ſummus omnium atque vnicus diuinus paſtor (vnde cæteris paſtoribus legitimum ius eſt) teſtati ſunt. Igitur Iſraëlis populum in gratiam tandem à ſe receptum, ad eundem modum, pari ratione ac iure cum iis, qui ex gentibus in ouile vnum admiſſi ſunt, coniungendum eſſe Deus pollicetur. [*Ponam*, inquit, *eum ſicut oues* (quæ illo tempore futuræ ſunt) *in ouili*, ſiue, *Boſra*.] Idem enim eſſe dicere ouile & Boſra, res ipſa declarat, cùm ouile non niſi vnum legitimè eſſe poſſit, ſicut vnus paſtor, vna fides, vnum baptiſma eſt; ita epiſcopatum vnum omnium epiſcoporũ eſſe D. Cyprianus confirmat. Hoc autem ouile, quò primùm ex gentilitate congregatus eſt Cyprianus.
grex, ad quem Iſraëliticus populus tandem eſt agendus, Boſra, hoc eſt, Valentia ſiue Roma eſt, vbi ſuperſtitionis & idololatriæ totius maxima quondam ſedes fuerat. Deinde verò Chriſtianæ omnium gentium pietatis arx constructa eſt.

Quaſi pecus in medio caularum tumultuabuntur à multitudine hominum.

MAXIMA venientium ad Chriſtianam pietatem Iſraëlitarum frequentia Eccleſiam ornandam celebrandamque fore præcinit, quos frequentiſſima celebritate & clariſſima luce lætari oportuerit. Id adeò ouium in ouilium ſuorum caulis confertorum ſimilitudinem perſecutus ſignificauit, quas exultare, comprimi, tumultuariique præ multitudine videmus. quòd verò ad idem ouile vterque populus reducendus ſit, atque tam diuerſum pecorum genus, quales Iſraëlitæ & gentes fuerint in eandem ſtudiorum & vitæ ſocietatem Epheſ.2.
ſit coniungendum, id Chriſti opera & virtute effectum iri docet; à quo, vt Paulus ait, ij qui «
gentes aliquando erant in carne, qui dicebantur præputium ab ea, quæ dicitur circunciſio «
in carne manu facta, qui erant in illo tẽpore ſine Chriſto, abalienati à conuerſatione Iſraël, «
& hoſpites teſtamentorum promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo: «
nunc autẽ in Chriſto Ieſu, qui aliquando erant longè, facti ſunt propè in ſanguine Chriſti.

huius autem opera & efficientia in vnam ſanctorum ciuitatem & Dei familiam aſcriben-
dus populus vterque eſt.

Aſcendet enim pandens iter ante eos: diuidet, & tranſibunt portam, & egredientur per eam.

Hɪc Ieſus Chriſtus publicè vtriuſque populi pacis & concordiæ auctor, & diuinæ ciui-
tatis regendæ dux eſt, quem qui ſequitur, non ambulat in tenebris. [*qui pandens iter ante eos*, qui
ſe ſequentur *diuidet*, ſiue vt in Hebraico eſt, *perruptor ante eos perrumpet*,] & latè patefacta por-
ta in vnius ciuitatis communione & ſocietate tam eos, qui vocati iam olim ex gentibus
fuerint, quàm eos, qui in diuinam gratiam reſtituendi ſunt, Iſraëlitas coniunget. Ipſe enim
Ephes.2. eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens inimicitias in
" carne ſua legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in ſemetipſo, in vno nouo
" homine faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiens
" inimicitias in ſemetipſo, & veniens euangelizauit pacem iis, qui longè fuerant, & pacem
" iis, qui propè, quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu ad Patrem. hæc
Ioan.12. D. Paulus. Idem autem qui viæ & vitæ dux datus à Deo eſt, rex etiã vnctusq́. Domini me-
" ritò ſalutatus eſt. Benedictus qui venit in nomine Domini rex Iſraël.

Et tranſibit rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.

Vᴛ enim Eccleſiæ omnis, ſic & recipiendorum in gratiam Iſraëlitarum, rex & Pontifex
maximus apud ipſum Deum Ieſus eſt, ad vtriuſque dignitatis rationes & res gerendas vn-
ctus, à quo regnum ex vtroque populo factum & Deo Patri conciliatum eſt. namque is
Apoc.5. " publico cantu & communi cæleſtis ſenatus acclamatione audit: Dignus es Domine acci-
" pere librum & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſangui-
ne tuo ex omni tribu, lingua, populo & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum, &c.
Quòd verò regem hunc coram eis tranſiturum pollicetur, eò pertinet, vt diuino Chriſti
1.Cor.12. ſpiritu in viſceribus eorum habitante, quocunque intenderint, agendos eſſe ſignificet. Hu-
iusnamque virtute ſpiritus corpus Chriſti, & membra de membro facti, magna diuina-
Ephes. rum virtutum facultate afficiuntur. Dominum verò in capite eorum proditurum eſſe ait,
1.Cor.11. quòd caput Eccleſiæ Chriſtus, Chriſti verò caput Deus ſit, à quo omnia & per quē omnia.
Ose.3. Huic autē vaticinio illud omnino conſonat, quod ab Hoſſea decantatum eſt: Et poſt hæc
" reuertentur filij Iſraël, & quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid regem ſuum, &c.

CAPVT TERTIVM.

Eᴛ *dixi, Audite principes Iacob, & duces domus Iſraël.*

Oᴍɴɪᴠᴍ iniuriarum & publicè graſſantis vis crimen & culpa prima ac
maxima in principes & iudices transfertur, vtpote qui ferendarum po-
pulo iniuriarum periculū non modò non propulſauerint, ſed vltrò etiam
ſtudioſè creauerint & fouerint. Atque hæc profectò Dei aduerſus prin-
cipes & magiſtratus cauſa ſeueriſſima, ſed certiſſima tamen & perpetua
eſt, quòd ipſorum negligentia atque etiam culpa vis & iniuria ſæuiſſima
populorum peſtis ac pernicies publicè graſſetur. Etenim ſunt aliquando
principes ac magiſtratus, qui admiſſorum in populo ſcelerum ignorationem excuſent, vel
quòd iniuria callidè nimis & aſtutè fiat, adeò vt ſcriptarum legum verbis neque compre-
hendi, neque notari poſſe videatur; cuiuſmodi multa perſæpe exiſtunt iniuriarum excogi-
tata aduerſus legum formulas genera, quas magiſtratus propterea non vlciſcuntur, quòd
contra nullam legem commiſſa eſſe à reo defendantur; cùm tamen manifeſtam iuris &
æquitatis violationem contineant, vel quòd paucorum de iniuria ac vi nomina ad ipſos ab
iis, qui paſſi fuiſſent, delata ſint, qui proprerea impunita libertate vſi fuerint, non alioqui
vſuri ſi ipſi reſciuiſſent. Hos duplici ratione redargutos ſibi eſſe, & eodem cum cæteris imò
grauiori crimine inuolutos Michæas ait: tum quòd principum & magiſtratuum negligen-
tia ignorationis excuſationem non habeat, cùm eorum maximè interſit, ne qua in populo
iniuria fiat, prouidere, an facta alicubi ſit, diligentiſſima animaduerſione conquirere, ſicut
Prou.25. ſcriptum eſt: Gloria Dei abſcondere verbum, gloria autem regis inquirere verbum;
" tum etiam quòd non ſolùm negligentiæ in animaduertendis, ſed maximæ etiam di-
ligentiæ in inferendis iniuriis damnatos ipſos ſtatim arguat & confirmet. [*Et dixi*.] ad
principes & magiſtratus, qui ſe nominatim à crimine exceptos ignorationis cauſa aut
alia tergiuerſatione volebant. [*Principes Iacob*.] Populi humilioris & totius reipub. magi-
ſtratus, quorum alterum nomen humanitatem, alterum verò officium in vobis requi-
rendum arguit.

Nunquid non veſtrum eſt noſſe iudicium?

NAMQVE ob eam rem principes capita Iacob Hebraicè dicti ſunt; quòd hos ipſos quomodo cum cæteris membris & toto reipub. corpore agatur, peruidere in primis & proſpicere oporteat. omnium namque ſenſuum vis in capite vt in præcipua mẽtis arce eſt. Veſtrum igitur erat, proſpicere, audire, olfacere, guſtare, omnibus denique modis intelligere, vbinam ius, vbi iniuria vigeat, & res omnes à calumnia & dolo ab hominum & temporum perfidia & iniquitate ad iuſtitiæ atque æquitatis rationes reuocare: id quod neglexiſſe prius vobis atque adeò grauiſſimum crimen eſt. namq. vbi principes & magiſtratus muneri officioque ſuo diligenter præſunt, iudicium & iuſtitia in terra, vt Iſaias inquit, pernoctant. *Iudicium*, Hebraicè *Miſpat*, idem quod ius æquitatemque ſignificare in commentariis Habbakuq abundè docemus. Igitur in exquirenda animaduertendaque iniuria negligentem fuiſſe in nefario crimine & fraude capitali magiſtratibus ponendum primum eſt; deinde & illud grauioris etiam culpæ nomine ſuſtinendum, quòd non alienarum iniuriarum negligentes, ſed grauiſſimos auctores etiam ſeſe præbuerint. " Iſai. 1.

Qui odio habetis bonum, & diligitis malum.

NVLLVM aut turpius aut pernicioſum magis exemplum eſt, quàm ſi principes & magiſtratus, quos ſumma integritate, continentia & innocentia præditos eſſe oportet, morum in primis turpitudine & auaritia laborent. nam qualis in rempublicam & in miſeros à calumnia & iniuria defendendos, quantus peccatorum, ſceletum, publicæ libertatis, & æris alieni vindex is eſſe poteſt, qui virtutis odio atq. vitiorũ ſtudio ipſe flagrat, qui luxuria, cupiditate & auaritia feruet ferturque? atqui illæ boni principis & magiſtratus partes fuerant, ſicut ſcriptum eſt: Prouide autẽ de omni plebe viros ſapientes ac timentes Deum, Exod. 18. in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, &c. & tamen quemadmodũ hæc ab iſtis obſeruata ratio ſit, audiamus. " "

Qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnem eorum deſuper oſſibus eorum? qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum deſuper excoriauerunt, & oſſa eorum confregerunt, & conciderunt ſicut in lebete, & quaſi carnem in medio olla.

DVÆ rationes pecuniæ ex aliorum laboribus conficiendæ ſunt, aut vſura, aut tributum; illa ſemper damnata; hæc cùm modum exceſſerit, pernicioſiſſima eſt. Aliis igitur diuitibus & potentioribus in ſuperiori capite vis & vſuræ crimen obiectum eſt: nunc verò omnis oratio hæc ad intolerabilia tributa & vectigalia, ad acerbiſſimas capitũ, oſtiorum, & aliis nominibus pecuniarum exactiones ſignificandas tranſlata eſt; quibus populi & ciuitates à magiſtratibus & principibus nonnunquam expilantur & diripiuntur. cuiuſmodi grauiſſimo ſcelere & culpa Iſraëlitas principes teneri Vates confirmat: id quod opportuniſſimis ouium & pecorum atque laniorum, neque aliis etiam linguis ignotis tranſlationibus pronuntiat, quòd oues non paſtorum officium, ſed laniorum crudelitatem expertæ ſunt. miſeros autem & iniuria affectos populum ſuum commiſerationis & indignitatis cauſa Deus appellat. Ipſam autem verborum tranſlationem, cùm longius explicare non vacet, nulla ratione aut breuius, aut commodius, quàm Chaldaicæ paraphraſeos verſione doceri poſſe arbitrati ſumus. Sic autem Chaldaica habent: *Diripientes ſubſtantias populi ab eis, & diuitias pretioſas eorum auferentes. Qui expoliant facultates populi mei, & pecuniam pretioſam eorum ab eis auferunt, & reliquias eorum conſumentes & reddentes & comminuentes ſicut comminguntur membra intra ollam, & particula* (carnium) *intra lebetem.* hactenus Chaldaica. Harum autẽ rerum & acerbiſſimarum populo iniuriarum, vt inueſtigatorem diligentiſſimum, ſic vltorem ſeſe profitetur Deus, & ſeueriſſimo iudicio examinata re par pari relaturum fore vltrò confirmat.

Tunc clamabunt ad Dominum & non exaudiet eos, & abſcondet faciem ſuam ab eis in tempore illo, ſicut nequiter egerunt in adinuentionibus ſuis.

CLAMOR oppreſſorum atque vi affectorum plerumque eſt, maximè qui verbo Hebraico ZAGHAK, reſpondet. qua de re iam aliàs diximus. In qua igitur menſura principes & magiſtratus menſi fuerint, in eadem ipſis remenſum iri dicitur. Ipſi autẽ ſeſe propulſandæ iniuriæ & reſarciendi damni cauſa adeuntes, ac fidem officiumque ipſorum implorantes ciues non ſolùm neglectione, ſed illata atque aucta iniuria damnoq. maiori affectos contentione maxima maliſque modis excipiebant, ſicut ſcriptum eſt: Principes tui infideles, ſocij furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones, pupillo non iudicãt, cauſa viduæ non ingreditur ad illos. Propter hoc, ait Dominus Deus exercituum Deus Iſraël: Heu, ego conſolabor de hoſtibus meis, & vindictam ſumam de inimicis meis. Similia igitur his Iſraëlitis principibus & magiſtratui futura tempora minatus, omnem in ma- פצז Iſai. 1. " " "

gna calamitate ſalutis ſpē auxilio negata aufert: [*Sicut ipſi nequiter egerunt in adinuentionibus ſuis.*] Cùm ipſi miſeros & ſupplices ad ſe confugientes,aut non audirent,aut indignis modis exciperent,aut omnino auerſati negligerent; ſic etiā ipſi ab hoſtibus oppreſſi,& magna inter gentes vi & contumelia affecti nequicquam negligentem meritò Deum implorabunt. Verùm enimuero cùm reprehenſæ à bonis & ſapientibus viris,atq. à veris Dei miniſtris iniquitati principum & magiſtratuum,mendaces contrà prophetæ,qui aſſententur, non deſint,& cupiditati etiam indulgentes ſecuritatem promittant: eaque res dubios aliàs principum animos maximè firmet,atque etiam ad augendam iniuriā excitet; non minus pernicioſum cauſæ huius, quàm cæterorum etiam exemplum apud Iſraëlitas à ſe ſpectatum Vates noſter oratione & diuini etiam indicij ſententia perſequitur.

Hæc dicit Dominus ſuper prophetas, qui ſeducunt populum meum : qui mordent dentibus ſuis, & prædicant pacem: & ſi quis non dederit in ore eorum quippiam, ſanctificant ſuper eum prœlium.

NVLLA magis idonea verum à falſo miniſtro dignoſcendi ratio eſt, quàm vtilitatis & commoditatis eorum obſeruatio.nam qui nulla commoditatum ſuarum ratione habita, nullo perſonarum delectu, ſed veritate tantùm & æquitate ad agendum conſtanter ducitur;is planè integro & proprio fungitur officio. eum verò qui commodis, vtilitatiq́ue ſuæ tantùm ſeruiat,aut prophetæ nomen falsò ſibi vendicare, aut officium prodere conſtabit, ſicut & hi,quos Vates noſter arguit,faciebant;qui promerentibus tantùm omnia bona atque fauſta,iis verò,à quibus nihil accepiſſent,infauſta & calamitoſa omnia obnuntiabant: cuiuſmodi doctrina & miniſterio nihil aut nocentius, aut pernicioſum magis eſſe poteſt. Præterquam enim, quòd veritatis & ſimplicis pietatis, ac religionis proditio grauiſſimam reipub. fraudem afferre ſolet,illud etiam accedit,quòd eiuſmodi ratio quæſtus & commodi cauſa,& pietatis honeſta ſpecie ambitioſè inita,frequentes ſui ſpectatores parere ſoleat. Hæc igitur huius orationis ſententia eſt,in falſos fictosq́ue prophetas , ac diuini verbi ſimulatos miniſtros, quorum falſam ſimulationem propriorum commodorum perpetuò obſeruata ratio prodit,quando non ipſi cæterorum hominum & populi Dei vtilitati, ſed contra populum omnem ſuis commodis inſeruire & ſtudiis obſequi velint.Iis enim,à quibus vel ad cœnam vocati,vel datis vltro cibariis, quæ dente mordeant, aucti fuerint , pacem prædicant;rurſus,ſi quis non dederit in os eorum,quod ſatis ad ingluuiei & voluptatis vſum ſit,ei impietatis nota inuſto, atque in ſummam apud reliquum populum inuidiam rapto,non pericula modò & pœnas,ſed tanquam Dei atque hominum hoſti legitimo iam iam ſuſtinendum cælo,& mari prœlium indicunt. Huic perſimile illud eſt , quod de Meuio quodam Satyricus memoriæ prodidit:

Scurra vagus non qui certum perſæpe teneret, *Impranſus non qui ciuem dignoſceret hoſte.*

Sed grauius multò, quòd ille vrbanitatis, hi verò pietatis ſpecie victum maledicentia aut adulatione quæritabant. Explicata iam ſententia, verborum quorundam ratio breuiter explicanda eſt. *Seducunt populum meum*, non ſuum,non vllius principis,non ignobilē aliquem, ſed meum(Deus inquit)populum: *Qui mordent dentibus & prædicant pacem*, apud quos hilarè & bene accepti conuiuæ fuerint,ſecuritatem & felicitatem plenam prædicant:nunc mordere dentibus,non tranſlatitiè,ſed propriè ac ſimpliciter accipimus. *In ore eorum*, duo ſignificat, & cibaria dare,& pro ipſorum arbitrio ac libidine aſſiduè ac multum dare:namque,os pro appetitu & arbitrio vſurpatur:vt illud,Dilata os tuum,& implebo illud.Itaque horum vaticinia donorum tātùm rationibus,& modis,non veritate ipſa æſtimare eſt:id quod paulò etiam inferius explicatur. [*Et prophetæ eius in pecunia diuinabant. Sanctificant prœlium.*] Sanctificare Hebraicè,certam rem publicè ac legitimè exponere & ſignificare eſt: vt Sanctificare ieiunium,ſanctificare prœlium,iuſtum ac legitimum prœlium idemq́ue certiſſimum denuntiare.Qualem porrò exitum iſtorum diuinatio habitura eſſet, nimirum ipſa qua vterentur diuinandi arte, digniſſimum Vates obnuntiat.

Propterea nox vobis pro viſione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione, & occumbet Sol ſuper prophetas, & obtenebrabitur ſuper eos dies.

GEMINVM legitimorum vatum officium fuit; alterum futura aut abſentia prædicere,vel indicare;alterum quæ ad mores publicè & priuatè pertinerent, perorare. vtrumque autem à fictis falſisq́ue prophetis vſurpabatur,qui propterea quòd ea,quę faciebant,quæq́. dicebant ad ſua commoda referentes, multitudini iucunda eſſe volebant, populares habebantur.atque ea quidem,quæ ad publicos mores referrentur, ipſi quidem ſibi pro temporum ratione,plauſibili oratione,ac fucata religionis ſpecie confingebant:quæ verò ad prædictiones & obnuntiationes ſpectarent,cùm diuinæ prorſus rationis expertes eſſent,augu-

riis,& cæli atque ſyderum obſeruationibus, quibuſdam etiam coniecturis componebant: quæ diuinandi forma,quòd in temporum tempeſtatumq́.rationibus,& in nonnullis etiam ſecundum naturam rebus,vt in morbis & ſalubritate indicandis,nonnunquam congruere videatur,facilè imperitæ, & falſorum magis credulæ multitudini eximiam quandam & omnino conſtantem vaticinandi vim probat.De hac autem re aliàs commodius & plenius dicere nobis Deus aliquando concedet.nunc verò loci huius ſententia aperienda eſt; qua non modò grauiſſimarum ac diuinarum rerum cognitionem,& prædicendi vim,quæ nulla iſtiuſmodi præſtigiatoribus fuerat,ſed omnem etiam ex auguriis & coniecturis,leuiores res,& temporum rationes cognoſcendi , & diuinandi commoditatem & facultatem turbato luminum ac ſyderum proſpectu adimendam eſſe Vates obnuntiat.namque vel iſti ex aſtrorum ordinibus,& motu præſenſiones comparatas, pro nocturnis viſionibus venditabant;vel ex Solis,& lucis atque nubium calore & qualitate coniecturam facientes, vaticinium profitebantur,ſicut ſcriptum eſt: Facto veſpere dicitis, Serenum erit, rubicundum enim eſt cælum:& mane,hodie tempeſtas,rutilat enim triſte cælum,&c.Has igitur omnes rationes in ſuam ipſorum atque populi perniciem, maximeque etiam in proditæ ſimulationis æternum dedecus turbandas eſſe ait. namque nox illis non vllo aſtrorum proſpectu & ordine diſtincta,ſed caliginoſo & nubiloſo cælo erit,& denſiſſimis nubibus omnis diuinandi facultas adimetur,quæque interdiu capi ſolerent coniecturæ,nebulis & tenebris ſoli obductis nullæ prorſus erunt. Iam verò verborum ipſorum vim breuiter examinemus: *Propterea*, ſententiis iudicum pronuntiandis idoneum verbum eſt: [*Nox vobis pro viſione erit:* Hebraicè, *Nox vobis viſio erit.*] Id quod nocturni viſi nomine populo venditabatis,quod tamen ex aſtris & cæli facie obſeruare conſueueritis,idipſum vobis nox mœſtiſſima & erroribus atque timoribus opportuniſſima erit. [*Viſio.*] hic MAHHAZON eſt, quæ propriè ad nocturna viſa,& ſomnia refertur:ſic apud Iob,viſiones noctis dicuntur. [*& tenebræ pro diuinatione*, Hebraicè, *& tenebræ diuinatio.*] Nomen *Miqzzom* diuinationem, non qualis verorum vatum,ſed qualis Chaldæorum augurum,ariolorumque eſt,ſignificat,huiuſmodi illorum artem fuiſſe indicat.Ita adeò omnibus his rebus & rationibus perturbatis, neq. ſibi neque aliis in calamitoſa tempeſtate conſulere valebunt.

Matth. 16.

Et confundentur qui vident viſiones, & confundentur diuini: & operient omnes vultus ſuos, quia non eſt reſponſum Dei.

DEPREHENSAM conſiliorum & ſtudiorum vanitatem erubeſcentia, quam confuſionem ſacra lingua vocat, conſequitur, vt de ea re & voce iam aliàs docuimus. Vehementi igitur huiuſmodi erubeſcentia diuinatores iſtos, & fictos religioſæ diſciplinæ profeſſores,vbi iam detecta fraus fuerit, affectum iri ſignificat; adeò verò grauiter id paſſuros, vt præ erubeſcentia vultus ſuos manu & pallio oppoſitis obuelare ſtudeant. namque is magno & ſubito animi dolore atque ingenti malo oppreſſorum , & lugentium habitus eſt. Nec amictu ora velabis,neq.cibos lugenriũ comedes,&c. Patefacta igitur re, cùm vanitatem exprobrantibus reſpondere nihil poſſint,manu & veſte ori admota, defixiſque in terram oculis,ſcelus ſuum vel hoc geſtu & habitu confiteri cogentur:nempe quicquid hactenus actum,dictum,prædictumque ab ipſis fuerit,fraude,fallaciis,mendaciiſq́. conſtare, non autem diuinum oraculum fuiſſe. [*Quia non eſt reſponſum Dei:*] ita eueniet,vt quod manifeſtæ veritatis cognoſcendæ iudicio,hoc eſt,commodi atq. incommodi rationibus,ad quas omnia ab iſtis referebãtur,populus minus perſpexerit, ipſa calamitatis die,imò ipſa potius caliginoſa duriſſimorum temporum nocte edoctus,non ſine ſuo magno malo tandem intelligat,& quiſnam verus,quis fictus & ſimulatus miniſter fuerit, certiſſimo examine deprehendat & arguat.ex qua re legitimæ muneris ſui auctoritati apud eos; quos veritas ipſa & integra ſimplicitas non mouerat, fidem faciendam eſſe Vates noſter confirmat.

Ezech. 24.

Verumtamen ego repletus ſum fortitudine ſpiritus Domini, iudicio & virtute, vt annuntiem Iacob ſcelus ſuum, & Iſrael peccatum ſuum.

SI quiſpiam eſt, qui ſuſceptum diuina auctoritate munus ſtrenuè & fortiter ac ſumma cum fide gerat, in his propheta nomen profitetur ſuum ; non qui commodorum ſuorum rationem habens, aut ſpem, vel metum, aut odium, vel gratiam, ſed qui in omni conſilio & actione,æquitatem ſolùm atque integritatem ſequatur; id nimirum efficiente diuino ſpiritu,cuius virtute ſe plenum eſſe prædicat:nihil alioqui præter cæteros mortales, quos vel humana potentia terrere, vel ſapientia turbare, vel gratia allicere ſolet, egregium præſtiturus.namque hoc præter alia etiam inter eos miniſtros, qui verè diuino ducuntur ſpiritu, eoſque & quos ſua tantùm ambitio & auaritia agit, diſtat, quòd hi quidem ſuarum

in primis rerum; illi verò alienarum potius & veritatis officiiq́ue ſui in agendo rationem habeant:& dummodo ſuſceptum ſibi munus ſumma fide & integritate exequantur, dum populo & principibus nuda & ſimplici veritate prodeſſe cupiunt, placeréne an diſplicere poſſint,id non laborant,ſed vni ei ſtudent rei, *vt annuntient Iacob ſcelus ſuum, & Iſraël peccatũ ſuum:* Quod ad verba attinet, *Veruntamen*,contentionem dignitatis, auctoritatis , & in officio faciendo integritatis comparationem molitur hæc vox, *Fortitudine ſpiritus*, Hebraicè, *vi ſpiritus*, cui nulla humana vis reſiſtere valeat. *Iudicio*, æquitate,integritate ac veritate:quibus maximè rebus veri vates in agenda cauſa inniti ſolent. hæc enim omnia Hebraicum nomen, *Miſpat*,pro quo Latinè iudicium legimus,ſignificat: de quo in commentariis Habbakuq latius. *Iacob & Iſraël*, ſummos & iufimos illius gentis homines ſignificat,atque omnes in vniuerſum ordines vtrumque nomen comprehendit:nam Iacob humilitatis antiquæ & datæ Deo de perpetuo cultu & obſequio fidei meminiſſe operæpretium eſt, cuius fidei violatio defectionis & ſceleris nomen habet. quamobrem *ſcelus Iacob* dixit, Hebraicè, *defectionem Iacob & peccatum Iſraël*,cui cùm ſplendidum nomen ex fortitudine inditum foret quòd cum Deo
חטא potens fuiſſet,idq́ue nomeu magnam virtutis conſtantiam promitteret ; tamen non præſtiterit,ſed peccauerit. Eſt autem Hebraicè nomen *Hhata*,quod fortitudini contrarium eſt, cui non ineptè Latinum nomen,nequitia reſpondet: Monſtri enim ſimile eſt , vt qui potens cum Deo fuerit:tamen impotenti vitio declinatus nequiter egerit.Eadem autem omnino ſententia,apud Ioſue dictum eſt:Peccauit Iſraël. *& virtute vt annuntiem,&c.* conſtantia,
גבורה grauitate,& perſeuerantia, Hebraicè, *Geburah*. Eum verò vatem qui his virtutibus præditus,his artibus inſtructus fuerit,non ad promerentium gratiam, ſed ad diuini ſpiritus imperium orationes actionesq́ue ſuas relaturum eſſe,conſentaneum eſt:id cùm Vates noſter hactenus re ipſa præſtiterit, nunc deinceps ſummo cum ſtudio vrget atque inſtat .

Audite hoc principes domus Iacob, & iudices domus Iſraël, qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis.

ORATIONEM omnem ab Ephraitis traducit,& ad increpandum Iudæorum principum,ſacerdotum & magiſtratuum prodita officia conuertit,quos non honoris, ſed probri magis cauſa *principes domus Iacob & iudices domus Iſraël* nominat:neque enim ad generis originem Iacobum,ex quo duodecim tribus ortæ & propagatæ fuerunt,ſententia hæc referenda eſt, ſed ad ſuperiorem potius ſermonem reuocanda,in quo Samariæ principes & iudices,quos principes domus Iacob,& iudices domus Iſraël appellauerat; impietatis & iniuriarum,atque grauiſſimæ fraudis accuſatos, diuina ſententia damnauit. Cùm verò Iudæi & Ieroſolymitani omne nefas,ac vitium turpiſſimum ex Iſraëlis imitatione expreſſiſſent, vt iiſdem etiam nominibus,probri & criminis cauſa,appellarentur,commeruerunt:ſicut iidem Iudæorum populi ac principes,& magiſtratus,ob turpiſſimi exempli imitationem,principes Sodomæ,& populus Gomorrhæ ab Iſaia audiêre.ita adeò in his liberè increpandis, & accuſandis ſeſe fortem virum & integerrimum miniſtrum, verumq́ue vatem præſtat; vt non minori,quàm Iſraëlitæ,vitio vſis,idem nomen meritò imponat. Criminis verò iſtis inferendi huiuſmodi initio ſummam faciat : *Qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis*, non minus quàm Iſraëlitæ illi principes ac iudices,à quibus animorum ſimultate & diſſenſione diſſidetis,turpiſſimarũ verò rerum, ambitionis & auaritiæ ſtudio nihil omnino eſtis alieni:namq. illi odio habent bonum,& diligunt malũ:vos autem non bonũ ipſum modò odio habetis,ſed iudicium,æquitatẽ,integritatem,& omnẽ iuris rationẽ abominamini,neque vllum iuris atque iudicij nomen apud vos appellari paſſi, rerum omnium ad iudicandum præſtantiſſimam rationem in primis exoſi,manifeſtam etiam diuinarum legum ſententiam, & legiſlatoris conſilium, importuna quadam & callida iuris interpretatione peruertitis.Itaque cùm duæ in vniuerſum res ſint,quibus omnis cauſa commodiſſimè iudicatur,ratio ſiue æquitas,& lex;alteram vos abominati,nec audire quidem vultis, alteram ad arbitrium,imò ad libidinem veſtram impiè flectentes, verbo ac littera ius omne torquetis; cumq́ue vobis neq.lex,neque ratio ad auaritiam auxiliari poſſit, calumnia & fraus (maxima corruptiſſimorum hominum ad ſummas diuitias compendia)admittuntur: atque ita breui ex alienis laboribus magna pecunia publicè & priuatè per ſummam iniuriam confecta, vrbem veſtram publicis & priuatis ædificiis atque aliis ornamentis augetis.

Qui ædificatis Sion in ſanguinibus, & Ieruſalem in iniquitate.

ILLVD inter cætera principibus & iudicibus in adminiſtranda republica caueri oportet,ne quid vitij aut iniuriæ contra publicam aut priuatam rem, publicæ etiam rei,aut religionis ſiue pietatis nomine admittatur : namque bonorum ſpe mali quicquam fieri D.

Paulus vetat. Perſæpe enim aduerſarius iſte noſter Sathan, vel ſummos & prudentiſſimos Rom. 3.
viros falſa viſione & ſpecie virtutis atque ſplendoris fallit & ad multa ac grauiſſima ſcele-
ra, aut priuati aut publici commodi ſtudio impellit. hinc euenit, vt excogitatis mulctarum
generibus, & publicæ fiſci & priuatæ iudicum, magiſtratuum, & delatorum pecuniæ per
ſummam nonnunquam fraudem augeantur. neque enim ea ſolùm, quæ verè commiſſa
ſunt, luuntur: ſed delatorum malitia & iudicum auaritia fit, vt multorum innocentum res
inſidiis & fraude direptæ pereant, quando cauſæ non æquitatis rationibus, ſed malitioſis
legum interpretationibus & extenſionibus definiuntur: ex qua pecunia pars quædam de-
latori, quædam iudici, quædam etiam fiſco, aut publicis operibus adiudicatur. Huiuſmodi
mulctas ac pœnas cùm iure interdum certis nominibus ſtatui poſſe non negetur: non raro
tamen iniurioſè irrogari atque exigi deprehenſum eſt. His autem modis confecta pecunia
magnopetè in publicis & priuatis ædificiis Ieruſalem per ſummũ nefas auctam atq. ador-
natã à principibus & magiſtratibus fuiſſe Vates arguit. [*In ſanguinibus.*] Pauperibus & in-
nocentibus illatas iniurias, & acerbiſſimas capitum, oſtiorum, aliorumq́ue nominum ex-
actiones, quibus victus ac vitæ commodus cibus miſeræ tributariorum plebi ſubducitur,
ſanguines nominat: nam victu & vitæ ſubſidio quempiam fraudaſſe, proximum homici-
dio ſcelus eſt, quod diuina ſententia confirmatur: Ipſi quoque contra ſanguinem eorũ in-
ſidiantur, & moliuntur fraudes contra animas ſuas, ſic ſunt ſemitæ omnis auarè rapientis, Prou. 1.
animas poſſidentium rapiunt. *Iniquitate*, Hebraicè *Ghauah*, in peruerſitate & deprauatione,
quòd auaritiæ & pecuniæ conficiendæ cauſa, iura, legum interpretationes, conſuetudineſ-
q́ue deprauarentur. *Sion* celeberrimus in ipſa vrbe mons fuit regia arce & operibus magni-
ficis munitus: *Ieruſalem* verò tota vrbs publicis & priuatis ædificiis conſtructa erat. Igitur
vt regiæ & principum ædes, & publica etiam loca, necnon & muri ipſi magnificè ex dire-
ptis miſerorum & innocentum fortunis, tum tributorum, tum mulctarum nomine auge-
bantur; ſi quid enim non ſolùm commiſſum, ſed falsò etiam delatũ foret, vel publicis ope-
ribus, vel priuatis magiſtratuum ædibus & commodis mulcta erat: eiuſmodi verò pecuniæ
communi ſtudio ſinguli ordines pro ſua quiſque parte inſtabant.

Principes eius in muneribus iudicabant, & ſacerdotes eius in mercede docebant, & prophetæ eius in pecunia diuinabant:

O AVRI ſacra fames, ô ſacrarum & prophanarũ rerum interturbatrix auaritia, quam
tu vitæ & officij partem non tentas, & tentatam non violas, violatamq́ue non prodis! &
quæ in ipſam ſanctiſſimorum in repub. munerum arcem inuadens, prima ordinum om-
nium capita, principes, ſacerdotesq́ue expugnas, quid in inferioribus rebus & ordi-
nibus intactum nefaſta linquis? Tria præſtantiſſima & ſumma in repub. munera ſunt, Iuris
dicendi poteſtas, ſacerdotium & vaticinium, quæ ad ſocietatem hominum inter ſe conſer-
uandam, ad mores componendos, ad collocandas in tuto futuræ ac perpetuæ felicitatis ra-
tiones pertinent: hæc eos, qui purè ac ſumma fide & integritate adminiſtrare apud ſe con-
ſtituerint, aliorum omnibus commodis & publica vtilitate, non ſua priuatè duci oportue- Exod. 17.
rit, ſicut ſcriptum eſt: Eliges tibi viros, &c. in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam: “
Sed tamen principes eius non iure, non veritate, ſed muneribus iudicabant. Hebraicè, “
Szhobhad, Hiſpanè, *cohecho*: apud Romanos repetundarum iudicium de hac re datur. Sacer-
dotes verò, quos diuinæ legis præceptis & ſacris myſteriis docendis, idq́ue gratis, præeſſe
voluerat Deus, ſicut ſcriptum eſt: Hi cuſtodierunt eloquium tuum & pactum tuum ſerua- Deut. 33.
uerunt, docebunt iudicia tua Iacob, & legem tuam Iſraël; idq́ue non mercede, ſed gratis, vt “
acceperint: namque ſtatutis à Deo cibariis contenti, mercedes diſciplinæ ſectari non de-
buerunt; ſed & hi mercede docentes doctrinæ rationes non ad veritatem & integritatem,
ſed ad priuatam vtilitatem referebant: denique cùm propheticum munus diuinum planè
ſit, neque eius ſanctitatem vllo pretio corrumpi aut pollui ſit fas. Si dederit, inquit Balac,
domum ſuam plenam argenti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, vt
vel plus vel minus loquar, nihilominus iſti verum vaticinium profeſſi, ſed mera ſomnia &
fallacias confingentes in pecunia diuinabant. non ait vaticinabantur, ſed *diuinabant*. de quo
genere iam diximus. Hæ principum, ſacerdotum & prophetarum ſpectatæ virtutes, hæc
ſtudia & artes, Vates inquit, ſunt, qui tamen, ſi ſuperis placet, vana & ſimulata conſeruatæ
religionis iactatione tantùm ſibi aſſentantur & indulgent, vt nihil mali metuendum eſſe
confirment, vtpote Dei principis maximi & potentiſſimi conſecratam in vrbe ſua ædem
colentis præſidio tutis: quam tanti ab eo fieri exiſtimant, vt deſerendam nunquam fore
metuant. eum verò templo aſſiſtentem ſuo, eorum vitam, res & fortunas omnes firmiſſi-
mis certæ prouidentiæ propugnaculis eſſe defenſurum: ita adeò, quem iſti Deum optim.

max. & fortiſſimum vltorem agnoſcentes prædicant, nouis indies ſceleribus ex ea cogitatione ſuſceptis infenſum ſibi magisque iratum faciunt.

Et ſuper Dominum requieſcebant dicentes: Nunquid non Dominus in medio noſtri eſt? non venient ſuper nos mala, Hebraicè, *ſuper Dominum nitebantur.*

NON modò factu, ſed dictu etiam nefas eſt ad grauiſſima ſuſcipienda ſcelera eius ope, gratia atque auctoritate niti, qui vitia & ſcelera omnia acerbiſſimè odit & auerſatur. *Nunquid non Dominus in medio noſtri?* Conciuem & principem Dominum prædicant, quem inter tot tantaque nefaria flagitia, tamen loci & templi (quo ipſum maximè delectari putabant) fouendi & colendi gratia quiduis potius paſſurũ, quàm abiturum ſtultiſſimè iactant, quaſi Dei cultum & religionẽ nuſquam gentiũ, præterquã Ieroſolymis cõſeruari dicerent, quod à gentibus aliis atque à vicinis Iſraëlitis ob idololatriam & ſuperſtitionem ſemotus inter anguſtos Iudææ fines ſeſe contineret, vnde diſcedenti nullus, quò ſe reciperet, locus in omni terrarum orbe ſupereſſet. *In medio populi* alicuius eſſe, idẽ quod tranquillè & placidè quieteque habitare eſt; Hiſpanè, *Eſtar de aßiento*. Sic matrona illa Sunamitis Heliſæo ſtudij, gratiæ, auctoritatisque ſuæ opem omnem & diligentiam, ſi quo in negotio experiri vel-
4.Reg 4. let, expectare iubenti reſpondit: In medio populi mei ego habito. Itaque iſti principem & conciuem Deum, cuius auctoritatis & virtutis præſidia periculo oppoſito exponunt, tamen aſſiduis ſceleribus à ſe abalienant. Huiuſmodi autem ſtultam & pernicioſam confi-
Ierem.7. dentiam illis ſæpe diſſuadendam Deus ipſe per vates curauit. Nolite confidere in verbis
» mendacij dicentes: Templum Domini, templum Domini eſt: Quoniam ſi bene direxeritis
» vias veſtras & ſtudia veſtra, ſi feceritis iudicium inter virum & proximum eius, aduenæ,
» pupillo, & viduæ non feceritis calumniam, & ſanguinem innocentem non effuderitis in lo-
» co hoc, & poſt deos alienos non abieritis, in malum vobiſmetipſis: Habitabo vobiſcum in
» loco iſto, &c. Sed cùm loci illius ſanctitudo & maieſtas innumeris omnium generum ſceleribus contaminata, ad latronum præſidium & aſylum, (vt apud eundem vatem Deus dicebat) redacta ſit, parem Silo ruinam magis quàm certam aliquam & perpetuã à Deo propugnationem, ſicut & idem vates obteſtatus prædixit, expectari neceſſe eſt. Ite ad locum meum Silo, vbi habitauit nomen meum à principio, & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Iſraël. Quantæ verò fraudi huiuſmodi ſtulta fiducia Iſraëlitis futura eſſet, ſubiuncto verſu Michæas prædicit:

Propter hoc, cauſa veſtri Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalem quaſi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelſa ſiluarum.

MAGNA in iudicandis rebus peruerſitas eſt, minora maioribus, deterioraque dignioribus anteferre; diuinum præterea iudicium eadem peruerſitate definire, inſipientiſſimæ ac nefariæ prorſus cogitationis eſt: nam res ita diſtinctæ ſunt, vt alia aliam naturæ rationibus longè excellat. Quamobrem ſuis eas ponderibus examinari æſtimarique, æquum, conſentaneumque eſt. Ab hoc autem recto æſtimandi ſenſu & modo Deum omnium rerum auctorem diſiunctum eſſe velle, inſipientiſſimum & ſtultiſſimum, atque à diuinitate alieniſſimum aſſerere eſt. Conſtat autem homines non materialis templi cauſa, ſed templum hominum cauſa eſſe conſtructum: idque tam diu Deo gratum atque cultum auctumq́. fore, dum hominibus ſacrum ſanctumque ritè cõſeruetur: vbi verò omni flagitio & ſcelere pollutum ab iiſdem fuerit, huius rei cauſa ingratiſſimum fore neceſſe eſt. Neque enim diuina & ſapientiſſima virtus vlla re in terris, præterquam hominum conſuetudine delectatur, qua, ſi ſua ipſorum culpa indigni reddantur, nihil præterea in terris eſt, quod magnoperè
Prou.8. foueat & diligat, ſicut ſcriptum eſt: Et deliciæ meæ eſſe cum filiis hominũ. Igitur quæ cauſa hominum amantur & curantur, eadem eorundem rurſus culpa negliguntur. Cuius rei exemplum in Ieroſolymitanorum & Iudæorum euertendis rebus duplici periculo Deus ſtatuit. namque illi dum templi atq. externi cultus maieſtate fidentes, pietatis rationes peruertunt, & iura omnia diuina humanaque violant, funeſtos ignes vrbi temploque ſuo ex diuini conſilij ſententia à Babylonico hoſte inferendos incitant. Id autem quod rebus primùm integris experti fuerant, poſtea demum nõ plenè reſtitutis, æterno exitio poſt Chriſti tempora pertulêre. [*Cauſa veſtri Sion quaſi ager arabitur.*] namque is mons cauſa veſtri à Deo quodam propugnatus & vehementer illuſtratus, nunc deinceps, poſtquã in ſanguinibus ædificatus eſt, excidio addictus deſtinatusque fuit: vt quæ debellatæ & dirutæ vrbes ab hoſtibus perferre ſolent, ipſe etiam perferat. Conſueuêre autem duces dirutis à ſe vrbibus,
Horat.lib.1. aratro impreſſo & tracto, perpetuam ſolitudinem aſſcribere, atq. reſtitutione interdicere.
Od.16. Sic Poëta de æterno Troiæ aliarumque excidio mentionem faciens dixit:

Hoſtilis eratrum exercitus inſolens. Et Ieruſalem in iniquitate conſtructa, *quaſi acervus lapidum erit*, magnificis domibus, muris, atq; ædibus euerſis & dirutis. [*Et mons templi in excelſa ſiluarum.*] Templum in Monte Moria maximis lapidibus primùm à Salomone ædificatum, deinde etiam à Zorobabelis ſociis reſtitutum, ac demum ab Herode eſt inſtauratum. Eius autem diruti ruinas tantis lapidibus temerè deiectis eminentium in ſiluis rupium inſtar habituras eſſe Vates præcinit: id quod rei ipſi conſentaneum eſt. Vtrumque verò Ieroſolymæ vrbis & templi excidium, & quod à Nabuchodonoſore, & quod à Deo editum, ſimilem ob culpam & confidentiam fuit, Michæas vno vaticinio ſignificauit. namque Chaldæorum primùm exercitu vaſtatã, atque incenſam vrbem, templumque ipſum dirutum per integrum ferè ſeculum manſiſſe, in ſacris annalibus legimus. Qua de re illa decantata elegia eſt: Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam, hoc eſt, in aceruum lapidum. namque idem vtroque in loco nomen Hebraicè eſt: deinde verò à Romanis ita deſtructam, vt nihil omnino antiquorum ædificiorum retentum, neque in tanta templi illius mole lapis lapidi commodè impoſitus, vt Chriſtus prædixerat, conſeruatus fuerit. Nam quæ nunc Ieroſolyma dicitur, ab Ælio Adriano Æliæ nomine conſtructa, neque antiquam faciem, neque ſitum etiam retinet. Quod & obſcura quædam illius quæ extant veſtigia, & deſcriptio ipſa manifeſtè arguunt: quippe maxima nunc oppidi & frequentiſſima pars ad Caluarij montis, & Ieſu Chriſti ſeruatoris ſepulchrum pertinet; qui locus olim à muris nonnullo diſtabat interuallo. Atque hanc vaticinij partem ad Iudæos tantùm principes, & populum ſpectaſſe apud Ieremiam accepimus: Michæas de Moraſthi fuit propheta in diebus Ezechiæ regis Iuda, & ait ad omnem populum Iudæ dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalem in aceruum lapidum erit, & mons domus Domini in excelſa ſiluarum, &c.

Pſalm.78. | Ioſeph. de bello Iudaic. | Iſaac Hiſp. in Mich. | Ierem.26.

VATICINII SECVNDI ARGVMENTVM.

ISRAELITARVM & Iudæorum ſtragem, exilia, necnon Samariæ & Ieruſalem exciſiones atque incendia, nihil omnino impeditura eſſe affirmantur, quo minus Deus maximis rebus, quas iã olim promiſerat, præſtãdis ſibi ipſi conſtet. Nouum enim montem mirbis & illuſtriſſimis ornamentis parandum augendumq; eſſe, in quo noua & pulcherrima gratiſſimaq; conſtructa æde Deus Optimus Max. ſtabilem ſibi ſedem & certum domicilium collocet: cuius maieſtatem & ſanctitatem admirata gentes, nationesq; omnes vndique petentes & confluentes, magna celebrem frequentia. Neque verò odio vt olim montem illum Sion terreſtrẽ vaſtabundi, ſed ſummo diuinæ legis perdiſcendæ ſtudio impulſi, obſeruabundi conſcendent. Illo autem aureo ſeculo bella omnia & prælia, turbas, inimicitias & ſimultates toto orbe terrarum moderato & concordi communis religionis ſtatu compoſitum iri, prædicit Vates. Ea verò felicitate non gentes & nationes modò, ſed Iſraëlitas & Iudæos, qui hactenus toto orbe diſperſi diſiectiq; fuerint, vſuros, qui ab illa longæ captiuitatis miſeria, ab illis animorum ſimultatibus & inimicitiis de liberatoris miſericordia in gratiam & concordiam ſecum, atque cum alijs gentibus, ita reducendi ſint, vt vni Chriſto legitimo ex Dauidis poſteritate regi proximus pareant. magnum tamen in primis à gentibus omnibus conſlictum, & magnam ſanctiſſimæ eccleſiæ oppugnationem ſuſcipiendam, quæ tamen propugnatore Deo extinguetur, Iſraëlitis atque alijs gentibus (à quibus Euangelium coletur) in vnum coniunctis; quibus omnibus Rex ille Chriſtus præficiendus ſit: cuius regnum & imperium ad fines orbis terræ propagatum iri dicit. Salutem autem illam piorum & impietatis totius expugnationem, non ferro, non armis, non equis aut curribus, ſed diuini ſpiritus efficientia & virtute fore expediendam, quam ſumma ſpiritualis pacis & honeſtiſſimi otij nullo metu aut ſuſpicione interturbata tranquillitas, & nullis armis, aut equis, aut muris indigens ſecuritas conſecutura ſit. Atque hæc profectò omnis ratio, & à Vate noſtro expreſſa rerum & ſeculorum imago ampliſſimum & feliciſſimum Chriſtianæ eccleſiæ ſtatum, in quo adeò per ſpiritum ſanctum Chriſti virtute, & diuino atque immortali merito collocanda fuerat, ſignificat. Hactenus argumentum.

CAPVT QVARTVM.

ET in nouiſſimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & ſublimis ſuper colles.

AD ROMANOS ſcribens D. Paulus diuinorum promiſſorum conſtantiam & fidem perſubtili de ea re oratione habita manifeſtè probat, quòd tametſi homines ſibi ipſis ſalutíque ſuæ ſæpenumero deſint, Deus tamen nunquam ſibi promiſſiſque ſuis præſtandis defuerit; idque ſapientiſſimè curauerit, atque egerit, vt propoſita hominum generi de publica ſalute ſpes, quo magis communis aduerſarij dolo & fraude debilitata eſſe aliquando videretur; eo firmioribus & amplioribus conſiliorum fundamentis ad euentum vſque ipſum fuerit adminiſtrata. Effecerat quidem publicus ille

Greg. in Eze. hom. 13. | Hieron. in Ia[...]

Leo Papa de nat.ſerm.10 humani generis hoſtis,vt mons ille terreſtris Sion & Ieruſalem cum templo illo ſuo materiali incolentiū vitio & culpa repudiaretur;vt autem conſilium illud de cæleſti regno ſtabiliendo repudiaretur,efficere non potuit:namque templi mons in excelſa ſiluarum redactus numquam impediuit,quo minus ille eccleſiæ mons, in quo ciuitatem ſuam inſtituere Deus cogitauerat & magnis Dei promiſſis & digniſſimis tandem ac certiſſimis fundamentis ſtabilitum,& maximis ornamentis auctum ſit.hanc igitur rem vates grauiſſimo prędicit oraculo. Quanquam mons ille terrenæ & lapideæ ac ligneæ domus Domini ob cultorum flagitia ruinis & exciſionibus horridus incultæque ac ſaxoſæ ſiluæ ſimilis tandem euaſerit, tamen ſtatuto à Deo tempore futurum erat, vt mons ſanctæ ac legitimæ domus Domini, in qua ille ſibi æternam ſedem collocaturus eſſet(ea autem Chriſtianæ eccleſiæ religio eſt) omnes alios montes, omnem alium ſiue veræ ſiue falſæ religionis cultum tanto excelleret interuallo,quanto vanitatem veritas,luxque vmbram excellit. Neque verò obſcura nimis ſignificatione religionibus omnibus montium nomē à Vate eſt inditum,quòd non modò ſuperſtitioſa gentium templa,ſed ſacella etiā, quibus Dij illi vaniſſimi colerentur, in montibus editioribusq.locis ſita eſſe,ad diuinitatis & maieſtatis rationem pertinere putabatur, quæ ex ea re fana dicta fuiſſe nemo eruditus eſt qui neſciat. Igitur veritate & ſanctitate Chriſtianæ eccleſiæ religio cùm Iudaicam vmbram, tum aliarum ſuperſtitionū tenebras adeò ſuperatura eſſe dicitur,vt illa relicta aliiſque damnatis, hæc vna,velut vnicum ſalutis publicæ præſidium,communi omnium gentium conſilio & ſtudio petenda eſſet. Domum autē Domini homines ipſos eccleſiæq. mēbra appellat, ſicut ſcriptum eſt:Templū Domini,ſanctum eſt,quod eſtis vos.Hoc autem vaticiniū eodem planè viſu & non diſſimili oratione ab Iſaia & Michæa vatibus exceptum decantatumq. eſt,non quòd hinc ab illo mutuata verba in ſuam orationē tranſlata ſint,ſed quòd præuiſam eandem rem,vt propriè diceret,iiſdem ferè verbis dicere fuerit conſentaneum. *In nouiſſimo dierum*,acceptabili tempore & diebus ſalutis noſtræ Chriſtianorū aurea & feliciſſima ætate, in quos fines ſeculorū deuenerunt. *Præparatus*, Hebraice NACHON.non ſolùm præparationem,ſed erectionem & firmitudinem etiam ſignificat;ita adeò firmum ac ſtabile in perpetuumq. ſibi domicilium in Chriſtiana catholica eccleſia collocaturum Deum Vates promiſêre. Excellentiā autem illā non mole & magnitudine lapidum, & cacuminis altitudine inacceſſibili præter mōtes cæteros,ſed virtute atq.ſpiritus diuini efficientia vt ſpiritualis mons ſpirituali dignitate & amplitudine excellat;quam omnes vndique gentes agnoſcentes maximo ſtudio petant.

Rupert. in Mich.lib.1.

Iſai.2.

Et fluent ad eum populi & properabunt gentes multæ & dicent,Venite aſcendamus ad montem Domini & ad montem Dei Iacob, & docebit nos de viis ſuis,& ibimus in ſemitis eius.

MAGNA & aſſidua cultorum frequentia Chriſtianam religionem celebrandam eſſe canit,quos ſacroſancti euangelij notitia ad communis religionis & vitæ ſocietatem ineundam vocatura eſſet. Frequentia verò & aſſiduitas atque ſtudium duobus commodiſſimis verbis ſignificata ſunt, *& fluent & properabunt.* communitas verò ſtudiorum, & animorum de ea re conſenſio illa adhortatione oſtenditur, *Venite & aſcendamus.* Ad terreſtrem Ieruſalem verbum, *Aſcendamus*, referendum eſt,quòd ab illius imagine omnis hæc vera cæleſtis ciuitatis ratio in ſacris libris tranſlata ſit. conſonant enim altiſſimi montis nomen, & aſcendere verbum. Quod autem ad domum Dei Iacob additur,eò pertinet, vt antiqui in Iacob collocati beneficij memoria ad eandem & maiorem dignitatis ſpem ſeſe mutuò aduocent. Nam ab eo,qui ex humili Iacob illuſtrem Iſraëlem reddiderat, ſe etiam ab illa infima ſeruitutis conditione ad diuinam libertatem, ab errorum cæcis tenebris ad veram lucem reuocatos traductum iri credere & ſperare par erat. Itaque huius montis expetitio aliarum omnium religionum & ſuperſtitionum,à quibus gentes imbutæ fuerant,repudiationem arguit. Ob quod verò emolumentum id conſilij communiter à gentibus capiendum eſſet,ſtatim declaratur: *& docebit nos de viis ſuis, & ibimus in ſemitis eius.* Vanæ & ſtultæ ſapientiæ profeſſionem omnibus gentibus fuiſſe Chriſtianæ doctrinæ virtutis & efficientiæ comparatione Vates docet. Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui tenebris obſcuratum habentes intellectum,alienati à vita Dei per ignorationem,quæ eſt in illis,&c. Hūc autem errorem agnoſcentes populos,Chriſtum Dei virtutem & ſapientiā perituros vates oraculis prædixerunt.Ad te gentes venient ab extremis terræ,& dicent: Verè mendaciū poſſederunt patres noſtri,& vanitatem,quæ eis non profuit,&c.Quas verò doceri cupient vias,diuinæ ſapientiæ rationes & honeſtiſſima viuendi inſtituta erunt; non philoſophicæ cogitationes aliquæ,quales multos olim variarū ſectarū homines adumbrata magis ſpecie virtutis mouerunt,quàm vera & præſtantiſſima aliqua virtute iuuerint. Verùm enimuero vniuerſæ viæ Dn̄i miſericordia & veritas his qui ſeruant teſtamentū eius.huius verò maximæ

Ephe.4.

Ierem.16.

Pſal 102.

rationis ſumma Chriſtus eſt, Dei ſapientia & Dei virtus, de quo nobis grandis & interpretabilis ad dicendum ſermo eſt. Neque verò ſterilem & ieiunam aliquam aut tepidam diſciplinam fore vates prædicat, ſed viuam atque efficacem, quæ cultores ſuos vehementi honeſtatis amore affectos ad aſſiduam veræ & diuinæ virtutis exercitationem vltrò impellat, non vt antiquæ legis temporibus cùm accepta Deo in Sina monte lex cultores ſuos terrebat magis quàm ad veram ac ſolidam pietatem alliceret, ſicut ſcriptum eſt: Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſraël, & domui Iuda fœdus nouũ, non ſecundum pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehẽdi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum eis, &c. dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, &c. Huius nouę & in corde ſcribendæ legis participes populi etiam illi futuri erant qui ad montem Dei Iacob euangelica legatione vocati concurrerent. [*Et docebit nos de vijs ſuis, & ibimus in ſemitis eius.*] Omnẽ virtutis rationem & minima etiam præcepta obſeruaturos ſeſe profitẽtur, non vt antiqui illi Iſraëlitæ, quibus ob viarum Domini ignorationem diuina requies iureiurãdo etiam negata eſt. Illam igitur legem, quæ in Arabiæ montibus lata eſt, quippe quæ nihil ad perfectum adduxerit, antiquatum, & nouam quandam efficaciſſimam non Hebræis modò, ſed populis omnibus promulgandam diuinitus latum iri vates prædixerunt. cuius prædicandæ initium Ieroſolymis factum miniſtrorum officio & conſequẽtibus ſignis per omnem terrarum orbem propagaretur: namque publicæ ſalutis præconium & lætiſſimum euangelium à Sion in cæteras orbis nationes perferendum eſſe diuinis oraculis eſt proditum. Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. Hanc diuinæ noui teſtamenti in cordibus ſcribendæ legis perfectionẽ longè antiqua illa præſtantiorem agnoſcentes vates cum vera gloria prædicauerũt. cuiuſmodi prædicatio à vate noſtro aſſeueranter initur.

Ierem. 31. « « « « «
Pſal. 22.
Marc. vlt.
Hebr. 1.
Iſai. 49. b.

Quia de Sion egredietur lex & verbum Domini de Ieruſalem: & iudicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes vſque in longinquum.

Quia.] Vox hæc præter alia multa, aſſeuerationis vim in ſacris obtinet: vt, Quia non repellet Dominus plebem ſuam. Huiuſmodi autem hoc in loco ſignificationem habet, vt antiquata repudiatæ iam prioris legis, vt parum efficacis, ratione, poſterioris vim & efficientiã anteponat. *Verbum Domini*, verbum abbreuiatum, Verbum conſummans in æquitate, quod Dominus facturum ſe pollicitus fuerat. Verbum fidei, quod ab Apoſtolis prædicatum eſt. cuius ea vis erit, vt *iudicet inter populos multos, & corripiat gentes fortes vſque in longinquum*, ſpiritu ſancto in diſcipulos immiſſo, à quo mundus de peccato, de iuſtitia & iudicio arguendus fuerat, ſtultis de auaritia, de ambitione, de gloria, de rerũ ſumma, de vitę huius felicitate opinionibus euolutis & ſublatis: nouiſque de modeſtia, de paupertate, de concordia, de mutua charitate & pace, iiſdemque veriſſimis in eorum mentibus confixis ſententijs.

Pſal. 111.
«
Rom. 9.

Et concident gladios ſuos in vomeres, & haſtas ſuas in ligones: non ſumet gens aduerſus gentem gladium, & non diſcent vltrà belligerare.

ELEGANTISSIMA & poëtica periphraſi diuinam animorum pacem & tranquillitatem Chriſtianis omnium gentium hominibus futuram deſcribit, non pacem qualem mundus falsò promittit & habet, ſed piam quandam & æternam pacem maximo animorum conſenſu & vera charitate (quæ non quærit quæ ſua ſunt, neque æmulatur) conciliandam felicitatem præterea & rerum omnium copiam, communemque omnibus vtilitatem conſecuturam ſubiungit. Id verò argumento à deſtinatis producto confirmat. namque belli metuſque depoſitionem comparati ferri atque æris à bellicis ad ruſticos vſus tranſlatio, & militaris diſciplinæ diſſuetudo, agriculturæque ſtudium manifeſtè arguent. namque arma in vomeres conflare quid aliud quàm belli ceſſationem & agriculturæ ac pacis commodiſſima ſtudia, & militaris diſciplinę negligentiam ac ſecuritatem perpetuam ſignificat; ſic apud Iſaiam: Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces; non leuabit gens contra gentem, neque exercebuntur vltrà ad prœlium. Atque hoc modo Chriſti imperium Ieroſolymis in monte domus Domini initio fundatum non ferro & cæde, ſed diuini ſpiritus vi, ſummaque in pace toto orbe dilatandum erat, ac tanta etiam iuſtitia, æquitate & innocentia gerendum, vt nullius rapinæ, nullius iniuriæ, nullius denique violentiæ metu communis & publica pax interturbari poſſet.

Iſai. 2.
« «

Et ſedebit vir ſubtus vineam ſuam & ſubtus ficum ſuam, & non erit qui deterreat, quia os Domini exercituum locutum eſt.

SECVRITATEM tranquillitatemque publicam ruſticæ rei cura ſtudiumque ſignificat.

Sedere autem in arborum vmbraculis, honeſto otio & quiete abundantis, vitamque ſine
Iſai.36. graui vllo labore, ſine ſuſpicione vel contentione traducentis eſt. Hinc illud ſpectat quod
Rabſaces Ieroſolymitanos allocutus dicebat: Egredimini ad me & comedite vnuſquiſ-
Horat.lib.3. que vineam ſuam, & vnuſquiſq. ficum ſuam, &c. & apud exteros eædem res iiſdem ima-
Od.5. Virg.Eclo.1. ginibus ſignificantur: vt, *Portaſq; non clauſas & arua Marte coli populata noſtro*: & illud, *Recubās ſub
tegmine fagi*. At verò diuino præſidio & tutela efficiendum eſſe ait, vt nulli qui ad illud Chri-
ſti regnum pertineant, vlla pœna aut metu, vlla periculi denuntiatione vel terreantur, vel
tranquillo animo eſſe & conſiſtere vetentur: *Quia os Domini exercituum locutum eſt*. Diuinorum
promiſſorum conſtantia & certitudo illuſtri potentiæ mentione confirmatur. Verba enim
Domini veritatem, *exercituum* verò ad id quod promiſſum fuerit, præſtandum facultatem ar-
guit: quam rem & aliàs annotauimus: Igitur ſecuritatem, animorumque tranquillitatem
certiſſimam illis ex eo arguit, quòd à potētiſſimo & fortiſſimo & conſtantiſſimæ fidei Deo
Ioan.10. in proprium gregem recipiendos eſſe ſponſum confirmatumque ſit. Oues autem Chriſti
Rom.8. nemo tollere, nemo à charitate Dei ſeparare poterit. *Os Domini locutum eſt*. vehementem aſ-
ſeuerationem oratio habet; non enim confictō ab homine aliquo, ſed certo Dei ipſius ſer-
mone & viuæ vocis oraculo de ea re recepium eſſe. At verò eccleſiam tam ex omniū gen-
tium populis, quàm ex Iſraëlitis conflatam vna pietatis & diuini cultus cōſpiratione, vna
iucundiſſima vitę & officiorum omnium ſocietate coniungendam eſſe, ita vt (quemadmo-
dum Paulus ait) idem omnes ſapiant, idem ſentiant. hoc etiam Vates noſter gratulabun-
dus canit:

*Quia omnes populi ambulabunt vnuſquiſque in nomine Dei ſui, nos autem ambulabimus in nomine Domi-
ni noſtri in æternum & vltrà.*

LOCVS hic vt Latinè redditur, difficilior aliquanto eſt, qui tamen ſententia ipſa com-
modè explicabitur, quorundam tantùm verborum rationibus annotatis. *Quia*, affirmatio-
nis magis, quàm cauſæ ſignificationem hoc loco habet. Verbum futurum, *ambulabunt*, non
ad rationem futuri, ſed ad conſuetudinem referendum eſt. Abſoluitur namque à tempo-
ris notatione verbum hoc in loco, ſicut & ſæpe obſeruandum docuimus. Itaque ambula-
bunt, ambulāt vel ambulare ſolent. explicandum eſt, præterea inciſum punctum poſt con-
iunctionem *autem* figendum eſt, atque oratio ipſa hoc modo eſt legenda: *Quia omnes populi
ambulantes vnuſquiſque in nomine Dei ſui, & nos ambulabimus in nomine Dei noſtri in æternum & vltra*. Ita
adeò ex omnium nationum ad veritatem & lucem reuocatis hominibus, & ex Iſraëlitis
etiam in gratiam reſtitutis vnam communem & catholicam eccleſiam, vnum baptiſma,
vnum Dei vnius nomen colendum, vnum euangelii & fidei obſequium futurum eſſe con-
firmat: neque varias antè opinionum, ſuperſtitionum, religionumque contentiones im-
pedituras eſſe, quominus in eundem tantum pietatis veræ ac ſanctiſſimæ religionis con-
ſenſum conueniatur. Eam autem rem iam diuinitus præſtitam, & cumulatiſſimè tandem
Galat.4. præſtandam apoſtoli omnes multis in locis prædicant: Tunc quidem ignorantes Deum,
" iis, qui natura non ſunt dij, ſeruiebatis; nunc autem cùm cognoueritis Deum, imò cogniti
Ephe.2. ſitis à Deo, &c. & ad Epheſios: Memores eſtote, quòd aliquando vos, qui eratis gentes in
" carne, qui dicebamini præputium ab ea quæ dicitur circumciſio in carne, manu facta, qui
" eratis illo tempore ſine Chriſto, alienati à conuerſatione Iſrael, & hoſpites teſtamentorū,
" promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo: nunc autem in Chriſto Ieſu
" vos qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti: Ipſe enim eſt pax no-
" ſtra, vt recōciliet ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſe-
" metipſo, & veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuiſtis, & pacem iis, qui propè,
" quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu ad patrem, &c. Oportuno au-
tem Zeugmate Vates hic vſus fuit, vt communem gentium & Iſraëlitarum ad perpetuum
Dei vnius cultum, conſpirationem & concordiam ſignificaret: *Omnes populi &c. & nos ambu-
labimus in nomine*, quanquam multitudinis numero vna tātùm perſona eaque prima (quę con-
Ephe.2. ſenſum magis oſtendit) pronuntiata eſt. ſic Paulus: Habemus, inquit, acceſſum ambo in
vno ſpiritu ad patrē. Quod ad verba attinet, vox. *autem*, non aduerſanter, ſed coniunctiuè
ſiue adiunctiuè ponitur: vt, Abraham autem genuit Iſaac, Iſaac autē &c. namque ſi ex
Hebraico ad verbum vertas, vertendum profectò eſt, *& nos*. Quoniam verò diuino con-
ſilio res ita decreta conſtitutaque fuerat, vt cùm pauci primùm ex Iſraëlitis, per quos ini-
tio gerenda eſſet, ad eccleſiæ ſacrę ciuitatem receptis, cæteriſque ob incredulitatem repul-
ſis plenitudo gentium admiſſa eſſet, Iſraëlis tandem reliquiis gratia ſalusq. afferretur, cau-
ſæ ipſius ratio poſtulare videbatur, vt eodem, quo expediendum eſſet ordine negotium
à vatibus prænuntiaretur; ſimul vt admiranda Dei ſapientia & veritatis ratio conſta-
ret, & ex iis quæ tranſactæ primùm fuiſſent, rebus, earum etiam, quas ſperari oportue-
rat, cer-

tat, certa daretur expectatio.

In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem; & eam quam eieceram colligam, & quam afflixeram, conſolabor: & ponam claudicantem in reliquias: & eam quæ laborauerat in gentem robuſtã: & regnabit Dominus ſuper eos in monte Sion, ex hoc nunc & vſque in æternum.

MISERATIONIS & miſericordiæ diuinę rationibus oportuna ouium & pecudum translatio eſt: quę libenter ac ſępe à ſacris auctoribus vſurpatur. Huic imagini, ſi qua miſeriæ acceſſio adpingatur, miſericordiæ rationes impenſius excitat & commouet, vt ſi claudam vel infirmam, vel aberrantem, vel perditam ouem dicas, cuiuſmodi frequens in ſacris libris mentio eſt. Igitur de reſtituendis in gratiam Iſraëlitarum ſitis diſſipatiſque reliquiis receptum ſponſumque à Deo eſſe Vates commemorat. appellat namque claudicantem Iſraëlitarum familiam tribubus duabus minorem alluſione ad Iacobum olim claudicantem facta. Iudæorum verò gentem eiectam vocat, quòd ea poſtremùm ex patrijs finibus, atque ex diuina maximè gratia procul eiecta fuerit. nam poſtrema & iuſtiſſima Iudæorum ob pulſum è propria vinea hæredem, id eſt, ob repudiatum Chriſtum reprobatio fuit, ſicut ſcriptum fuerat: Quia repuliſtis verbum hoc, idcirco erit vobis iniquitas hæc ſicut interruptio cadens. eiuſdem autem gentis cauſa ait, *& quam afflixeram, conſolabor*, Hebraicè *& aſperè tractaueram*. Vehementer enim ab eo tempore quo diſcedentibus apoſtolis derelicti deſertique fuerant, vexati, obcęcati afflictique ſunt, vt pœnas dederint ſanguinis etiam omnis, qui effuſus fuerat ab Abel iuſto vſque ad Zachariam filium Barachiæ &c. atque Iſraëlitarum quidem qui ſemel tantùm capti & abducti ſunt, quòd variè fuerint diſperſi, res omnes afflictæ magis debilitatęque ſunt. Iudæorum verò quanquam Babylonica prius & Romana poſterius captiuitate fuerint profligatæ, tamen quòd commodiores migrationi ſuę regiones nacti fuerint, minus imminutæ minuſque attenuatæ fuêre. Quamobrem Iſraëlitarum futuram ſalutem reliquiarum nomine ſignificat: *& ponam claudicantem in reliquias*. Nam diuina miſericordia effectum eſt, vt Iſraëlitæ tot malis, tot miſerijs, tot rerum & temporum caſibus, incommodis & difficultatibus affecti non funditus perierint, ſicut ſcriptum eſt: Miſericordia Domini, quòd non ſumus conſumpti, quia non defecerunt miſerationes eius. Hebraica autem lingua reliquiarum nomine duo ſignificat: id quod ex miſeris & afflictis rebus relictũ eſt, & quod ad futuræ reſtitutionis ſpem quoq. fuerit reſiduum. Atque vtramque ad rem promiſſionis huius referẽda ſententia eſt, vt tantarum miſeriarum ſitæ reliquiæ diuino demum beneficio collectæ in futuræ deinde ſanctę ſobolis ſpem repoſitæ foueantur, ſicut quondam à Vate ſcriptum, & ab Apoſtolo commodè relatum fuit: Si fuerit numerus filiorum Iſraël quaſi arena maris, reliquiæ ſaluæ erunt. Iudæorũ verò res, quę minus imminutæ permanſerint, celerius & validius reſtitutum iri promittit. [*Et eam quæ laborauerat in gentem robuſtam.*] Æqualẽ autẽ vtriſque & Iudæis & Iſraëlitis & communem gratiam, eandemque cæleſtis regni communionem, & nulla, vt olim, diſſenſione, nullo diſſidio interturbatam ſocietatem, eundem vnius Dei cultum, eandem pietatis verę muniendam viam fore ait. [*Et regnabit Dominus ſuper eos in monte Sion ex hoc nunc & vſque in ſeculũ.*] Chriſti Ieſu legitimi ex Dauidis familia regis opera & virtute regnũ hoc ęterno Deo & patri ſtabiliendũ & conſeruandum eſſe docet, ſpiritu ſancto in ſuos immiſſo, per quem in gratia illa ſtent & glorientur in gloria filiorum Dei. Id quod & diuinus ille legatus ad Virginem verba faciens explicuit: Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris ſui, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Sion eccleſiam catholicam intelligimus montem, quem præ alijs omnibus dilexit Dominus, fundatum exultatione vniuerſę terrę in ciuitatem Regis magni. Hæc vbi ſigillatim de vtraque gente vaticinatus eſt, ſermonem ad eccleſiam gratulabundus conuertit, quam ad magnæ felicitatis & celeberrimæ frequentiæ ſpem vocat.

Iſai. 30. Thren. 3. Luc. 1.

Et tu turris gregis, nebuloſa filia Sion vſque ad te veniet; veniet poteſtas prima regnũ filia Ieruſalem.

ILLVSTRIA perſępe & notiſſima nomina ad diuinas res ſimilitudine quadam transferuntur; vt paradiſus, qui locus in terra amœniſſimus & beatiſſimus fuit, cælum quandoque & pijs paratam ſedem ſignificat, Sic & *Turris gregis* celeberrimus & antiquiſſimus iuxta Ieroſolymam locus, & Iacobi olim ibidem cum familia habitantis monumento illuſtris, ad catholicam eccleſiam ſignificandam commodiſſimè transfertur, quòd ab exigua eo loci primùm orta & conſtituta familia ampliſſima ſoboles proſeminata eſt. Vniuerſum verò piorum populum ad principis & paſtoris ſui rationem relatum gregis nomine dici clarius eſt, quàm vt expoſitione egeat: vt, Percutiã paſtorẽ, & diſpergẽtur oues gregis: &, Nolite timere puſillus grex. eccleſiam igitur cõmunem piorũ omniũ matrẽ appellat, quã numeroſiſſi-

Marc. 14.

roſiſſimæ ſobolis & æterni ac diuini regni ſpe conſolatur. Huius initia parua quidem, illuſtria tamen apud terreſtrem illam Ieroſolymam facta in ampliſsimum tãdem & maximis populi & dignitatis incrementis illuſtriſſimum ſtatum perferenda eſſe canit. *Nebuloſa*
עפל *filia Sion*. excelſa admodum turris, vt nebulis cacumen abſcondas, Hebraicè GHOPHEL, excelſum & munitiſſimum præſidium arcemque ſignificat, quam ob æternam & inexpugnabilem futuræ felicitatis ſtabilitatem hoc nomine appellauit, cui dignitas illa inchoati olim apud ſynagogam regni perfecta tandem & abſoluta deferẽda erat. Affirmationem autem & gratulationẽ repetitio illa habet, *ad te veniet, veniet poteſtas.* ita adeò eccleſiam communem quandam omnibus Iſraëlitarum & gentium familijs ciuitatem & regni ſedem, in quo ſuũ
Ezec. 47. ſingulis eodem iure, hoc eſt, diuinæ miſericordiæ beneficio domicilium ſit. Quam rem & Ezechiel Vates à ſe præuiſam elegãti imagine deſcripſit. Communem enim gentibus omnibus ciuitatem fore dicit, in qua ſuæ vnicuique tribui portæ, quas maxima frequentia celebrent, futuræ ſint. Hunc verò locum nonnihil variatis perſonis eadem omnino ſententia ſic Paraphraſtes Chaldæus vertit: *Et tu Meſsias Iſraëlis: qui abſconditus es à facie congregationis Sion, ſibi futurum regnum eſt, vt adueniat, & veniet poteſtas priſtina regno congregationis Ieruſalem*, ſic Chaldaicè.

Nunc quare mœrore contraheris? numquid rex non eſt tibi, aut conſiliarius tuus perijt, quia comprehendit te dolor ſicut parturientem?

ISRAELITAS velut inſtanti iam calamitate perturbatos atque metu doloreque dilatos ad aduerſarum rerum tolerantiam afferendæque per Deum ſalutis ſpem atque expectationem adhortatur primùm, ne diuturni mali ſenſu, debilitati & dolore fracti, ſe reſtituendos eſſe deſperarent. Igitur ſalutis ſpem diuinæ commemoratione prouidentiæ redintegrauit, ac non oportere, inquit, animum perpetuis lamentis addictum deſpondere eos, qui regem conſulemque ſuum non deficere, ſed ſemper viuere manereque intelligãt; quã ob rem ferendas quidem interim eſſe iuſtè conſtitutas ſibi pœnas, ſed poſtremũ rerũ ſuarum euentum, Deo opt. max. regi, conſiliario auctorique ſuo permittendum; ex cuius miſericordia certam ſalutem, vt ex ſua ipſorum noxia certam calamitatem, expectare conſentaneum eſt, maximè cùm vtraque res prædicta & prænuntiata ſit ab eo, qui ſalutem quidem vltrò, calamitatem verò non niſi inuitus, id eſt, impietate & ſcelere irritatus adferre ſolet. Igitur denuntiati mali ſenſu & vſu promiſſi ſibi boni certam ſpem oſtendi oportuerit. *Nunc*, illationem non tempus hoc in loco ſignificat. Igitur cùm hæc à me dicta & prænuntiata ſint, *Quare mœrore contraheris?* Alloquitur enim Iſraëlitarum ſocietatem velut præſente calamitate in futurarum ſemper miſeriarum metu poſitam. *Numquid rex non eſt tibi, aut conſiliarius tuus perijt?* neque enim tibi deſperandum eſt, quamdiu rex tuus, qui tibi ſemper optimè conſultum eſſe voluit, vixerit, viuet autem in æternum. Quamobrem in ipſo miſeriarum vſu diuinum conſilium etiam agnoſcendum eſt, idemque futuro rerum exitu expectandum. Neque enim præſenti dolore ſuccumbere debes, cui modum tandem & finem accedere poſſe intellexeris. Exigui namque conſilij & abiectiſſimi animi femina illa eſſet, quæ incidente partus tempore dolorum difficultatibus affecta, ita animo concideret, vt ſibi & fœtui lucis & vitæ vſum adimeret. *Quia comprehendit te dolor ſicut parturiens*, atque ob eam rem contraheris, cùm contrà potius forti & conſtanti animo, ad diuinam fidem & miſericordiam, ad diuinam opem, auxiliumque petendum omni cogitatione, conatu ac ſtudio conuerti debueris. Ita adeò longæ ac diuturnæ Iſraëlitarũ miſeriæ ſenſum, & antiquæ felicitatis deſideriũ, diuinæ prouidentiæ & miſericordiæ commemoratione, & futuræ tandẽ ampliſſimæ reſtitutionis ſpe conſolatur. Contrà verò Iudæorum, inſolentiam breuioris quidem grauiſſimæ, tamen calamitatis obnuntiatione, & furentẽ peccandi impetũ cohibere conatur, quos ad reddẽdæ etiam priuatè ipſis & publicè omnibus ſalutis expectationem tandem excitat.

Dole, & ſatage filia Sion quaſi parturiens, quia nunc egredieris de ciuitate, & habitabis in regione: & venies vſque ad Babylonem, ibi liberaberis: ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum.

SAPIENTISSIMIS & commodiſſimis alteri atque alteri populo rationibus & orationibus vates egit. Illius enim miſerrimis rebus, propoſita ſpe, ſuccurrerat, hic inſolentia elatis & perturbatis, magno adiuncto metu, occurrit, cũ ſubeundas propediẽ Iudæis pœnas grauitatis potius exiſtimatione metuere, quàm breuitatis cogitatione contẽnere oporteat. Pariendi enim tempus illis appropinquare, non ludendi: quod quamquam breue ſit, non leue, non doloribus maximis & miſerijs vacuum eſſe poſſit, quibus eã mala & ſcelera admiſſa fuerint, à quibus nõ niſi datis & ſolutis pœnis liberari poſſe putandũ ſit: *Quia nunc egredieris de ciuitate*] Ieruſalẽ capta & abducta migrabis & forma iſtã ciuitatis extincta habitabis

in re-

In regione. Hebraicè, *habitabis in agro:* tædioſiſſima & duriſſima ijs, qui vrbanæ vitæ aſſueuerint, habitatione: qualis olim captis & abductis victoris lege contingebat, non intra vrbes ipſas, ſed in ſuburbanis, & pagis, anguſto & incommodo domicilio, ſuper flumina Babylonis, vbi ſedentes patriæ ciuitatis memoriam, luctu & gemitu aſſiduo, grauiſſimiſque ſuſpirijs proſequerentur. Sic etiam Romæ habitabant, qui ad eam vrbem à victoribus fuerant deducti: *Nunc ſacri fontis nemus & delubra locantur Iudæis, quorum cophinus, fœnumq; ſupellex.* Igitur non in vrbe, ſed in regione, atque agris aliarum vrbium, non paucorum dierum, neq. commoda ſedes tibi collocanda eſt; neque id prope patriam vrbem tibi continget, vt vel facilè viſendi ſpe, vel aſſiduis nuntijs recreari poſſis, *ſed venies vſque ad Babylonem.* Quòd ſi redemptionem & liberationem tandem tibi à Deo impetrandam eſſe ſperes: interim tamen dolendum tibi, & grauem miſeriam ferendam eſſe memento: *ibi liberaberis* non prius, quàm tibi conſtituto tempore inſolentiæ, flagitij, atque impietatis pœnas dederis: *ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum.* Inter infeſtam tibi & inimicam gẽtem interim agentẽ; ita adeò ſupplicij grauitatem à re ipſa, à locorum & commodorum comparatione, ab interuallo & perſonis Vates arguit. Quamquam autem Iudæa gens à Babylonijs afflicta, & miſerè diu fuerit vexata: tamen vt diuina, pura ac ſancta religio extingueretur, ex ea re non euenit. Diuini enim conſilij fuerat, vt contaminata à gente ſua religio pœnis illis expiaretur, non autem perderetur; neque enim ea vnius gentis conſilijs, & conatibus extingui poterat, quã Deus illuſtriſſimam & omnibus totius orbis gentibus ad expugnandum cõgregatis, ſuperiorem fore ſtatuerat: Imò ex illius apud Babylonios afflictæ ſynagogæ reliquijs pulcherrimam, & frequentiſſimã, atque illuſtriſſimam eccleſiam ſibi proſeminandam ſuſceperat: aduerſus quam neque principes & poteſtates, neque altitudo, neque profundum, neque omnes denique inferi præualebunt. Pſalm. 136 Iuuen. Sat. 6

Et nunc congregatæ ſunt ſuper te gentes multæ, quæ dicunt, Lapidetur, & aſpiciat in Sion oculus noſter.

Et nunc.] Parandam porrò ab omnibus gentibus Chriſtianæ eccleſiæ, hoc eſt, Sionis filię impugnationem, & diuinam propugnationem, celeberrimamque de hoſtibus victoriam breuibus prædicit: quo ſermone omnis antiquæ ſynagogę, & præſentis eccleſiæ ſtatus præſcribitur: mirum enim dictu eſt, quantæ ex gentibus, & populis omnibus copiæ ſanctum Ieſu Chriſti euangelium ad impugnationem ſibi ſumpſerint, quantumque in cæleſtẽ hanc diſciplinam, tanquam in contaminatiſſimam aliquam ſuperſtitionem, tanquam in communem orbis peſtem odium ſtruxerint: hinc illa barbara & effera in ſanctiſſimos & fortiſſimos martyres ſæuitia. De qua illud verè à D. Paulo decantatum eſt: Quoniam propter te mortificamur tota die, exiſtimati ſumus tanquam oues occiſionis. namque princeps ille mundi huius cùm diuinum & arcanum ſalutis publicæ negotium ſe fruſtra contendente expeditum tranſactumque cognouiſſet, illud omnibus conſilijs, ſtudijs & conatibus curabat, ſcilicet ne pręclarus atque exoptandus de tanta felicitate nuncius publicè in omnes gentes perlatus audiretur. Sed id conſilijs & impugnationibus ſuis effecit, vt ipſa morientium & cęſorum propter Chriſtianam pietatem cęde, diuina cauſa verior, clarior & illuſtrior euaderet, ſicut ſcriptum eſt: Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Itaque non dubitandum ſynagogæ eſſe ait, vt nõ ex paucorum hoſtium, hoc eſt, Babyloniorum manibus tandem liberetur; ſiquidem futurum eſt, vt eius filia Eccleſia furentes & violentiſſimos gentium omnium exceptos in ſe impetus tãdem cohibeat, atque illuſtri victoria ſuperet. Quę dicunt lapidetur, tãquam ſuperſtitioſa & nouorum dæmoniorũ aſſertrix (ſicut illi dicebant) Hebraicè verbum eſt THEHHENAPH, Latinè ſuperſtitietur, expietur vt impia. [*Et aſpiciat in Sion oculus noſter.*] Vltionis ſtudium & cupiditatem maximam hæc ſignificat oratio: vt illud, Et ſuper inimicos meos aſpexit oculus meus: &, Euge, euge viderunt oculi noſtri, nempe id, quod cupieramus. illud autem ex iſtorũ Eccleſię hoſtium conſilio, conſpiratione & ſtudio euenturum eſſe ait, vt quo frequentior impugnantium numerus fuerit, eo illuſtrior victoria, eo certior & manifeſtior Dei erga eccleſiam prouidentia conſiliumque agnoſcatur. Arnobius. Lactantius. Plinius Iunior. Auguſt. de ciuit. Dei. Rom. 8.

Ipſi autem non cognouerunt cogitationes Domini, & non cognouerunt conſilium eius, quia congregauit eas, quaſi fœnum areæ.

ADVERSARIORVM conſilijs & conatibus ad ſuam ipſorum perniciem ſapientiſſimè Deum vti ſolere frequentibus diuinorum librorum teſtimonijs atque exemplis docemur, ſicut ſcriptum eſt: Et cum peruerſo peruerteris, quia tu populum humilem ſaluum facies, & oculos ſuperborum humiliabis, &c. Igitur illum aduerſariorum omnium vltrò aduerſus euangelium & eccleſiam concurſum, illum maximum conſiliorum, moliminum, ar-

morum & rerum omnium apparatum illuſtrioris Ieſu Chriſti & eccleſiæ victoriæ materiam fore prædicit, vt maxima manipulorum in aream coaceruatio maiorem trituram & cumulatiores aſſeruandi frumenti aceruos promittit. Iam verò præuiſa à ſe & certa victoria geſtiens, eccleſiam ad magnam ſpem & rem ſtrenuè gerendam, ac veluti negotio ipſi iam præſentem alloquitur:

Surge & tritura filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, & vngulas tuas ponam æreas.

QVANTO virtutis & dignitatis diuinæ atque gratiæ interuallo noui teſtamenti eccleſia veterem ſynagogam ex diuino beneficio excellat, inſignis contentionis imagine ſignificatur. namque illa oui claudicanti & eiectæ, quæ ferarum incurſionibus facilè expoſita eſſet; hanc verò robuſtiſſimo & ad trituram expediendam valentiſſimo tauro, qui vltra proprium robur ferreis cornibus & æreis vngulis prædictus ſit, perſimilem eſſe dixit; id adeo cum à natura eſſe non poſſit, diuino beneficio contingere Vates declarat. [*Ponam cornu tuum ferreum.*] Taurus in pugna validiſſimus eſt, quòd non dente modò, ſed cornu magis & pedibus rem agat. Eam rationem ſacri auctores à natura ad animum transferen-
Pſalm. 111. Pſalm. 43. tes, diuinæ virtuti opportuniſſimè accommodant: vt, Cornu eius exaltabitur in gloria: In te inimicos noſtros ventilabimus cornu. Sed ad maximas aduerſariorum pugnas, ſiue illæ viſibiles, ſiue inuiſibiles fuerint, ſtrenuè exercendas, hæc ſimilitudo præcipuè transfertur. Hæc autem omnia diuini ſpiritus, quo Chriſtiana religio gubernanda erat, virtutem ſignificant; virtutem autem illuſtriſſimam quondam, nunc autem quanquam non omnino deſideratam; temporum tamen atque hominum vitio minus fortaſſe, quàm expediret, manifeſtam: de cuius rationibus vt aliquando commodius & fuſius diſſeramus, propitium mihi Deum eſſe velim. Huius ergo diuini ſpiritus virtute & magnitudine omnes eccleſiæ hoſtes ſuperandos, omniaque illorum pretioſiſſima ſpolia, ſapientiam, ſcientiam, nobilitatem, potentiam, opes, diuitias, quicquid denique pulchrum preclarumque huius mundi cultoribus exiſtimatur, victoriæ iure detracta, Deo victori dedicanda eſſe prædicit.

Et comminues populos multos, & interficies Domino rapinas eorum.

QVÆNAM eorum, qui verbo Euangelij victi fuerunt, res apoſtolorum voluntati permiſſæ non ſunt; quæ diuitiæ non in communes, tum eccleſiarum, tum pauperum vſus vltrò oblatæ, qui libri curioſi non exuſti? quæ arma tandem non depoſita? quæ humanarum ſcientiarum contra diuinam ſapientiam rationes non damnatæ fuerunt? demum nihil adeò magnum, adeò dignum, adeò probatum antea hominibus fuerat, quod in obſequium fidei non traderetur.

Et fortitudinem eorum Domino vniuerſæ terræ.

SOLENNE olim magnis ducibus & imperatoribus fuit, parta ex hoſtibus victoria, ex eorum, qui victi eſſent, armis & ſpolijs, Deo quemque ſuo clara exornataque trophæa cũ huiuſmodi inſcriptione ſtatuere: *Ioui ſeruatori. Marti vltori. Neptuno. Libero patri.*

Igitur in hac diuina de euangelij hoſtibus victoria illud ſacris pugnę miniſtris & magiſtratibus ſolenne; ſanctius tamen ſeruandum eſſe ſignificat, vt detracta victis ſpolia non ficto alicui & vano numini, ſed vero vniuerſæ terræ Deo humanæ ſalutis auctori maximo, ſtatuto trophæo, dedicentur. [*Domino vniuerſæ terræ.*] Epigrammatis formula ex antiquarum inſcriptionum imitatione deſcripta eſt.

CAPVT V.

NVNC *vaſtaberis filia latronis: obſidionem poſuerunt ſuper nos; in virga percutient in maxilla Iudicem Iſrael.*

HACTENVS caput quartum in Hebræo. Immanem, ferum & capitalem eccleſiæ & euangelij hoſtem gentilitatem fuiſſe omnibus antiquis hiſtorijs compertum exploratumque eſt, quòd illa plurimarum religionum, imò ſuperſtitionum immenſa varietas de ſacroſancto Chriſti euangelio impediendo coniurata, magno impetu, communi ſtudio, omnibus opibus & copijs in eius verbi præcones & miniſtros irruerit. eam adeò rem certioris ſibi ruinæ & exitij cauſam futuram eſſe Vates præuidens obnunciauit, ſermone à victoribus ad victos ipſos conuerſo, quibus eiuſmodi dicendi figura non minore vaſtatio-

nis,quàm alteris victoriæ fidem facit. [*Nunc vaſtaberis filia latronis.*] Elegans in Hebraico exemplari eiuſdem verbi variæ ſignificationis eſt vſus,qui Latinè planè reddi non poſſit. *Nūc Thitgodedi,filia Gedud*; vbi nomen *Gedud* congregationem ſiue exercitum vel cœtum; *Gadad* verbum congregare & incidere, atque capillos vſque ad caluitium euellere ſignificat. Gentilitas autem quod non vni certę familiæ aſſeribi poſſit, filia cœtus dicitur. contrà verò ecclefia filia Sion & filia Iſraël appellatur. Vtriuſque autem ſignificationis ſententiam continet, vt varię ſuperſtitionis cultorū cœtū magnis copijs congregatū & ſenſim minuendū, tandē caluitij modo vaſtandum eſſe doceat. Eiuſque à Deo exciſionis duplex cauſa & culpa profertur;altera quòd cōmuni ſtudio,conatu & impetu ad expugnandam vrbē ſanctā, hoc eſt eccleſiam, eiusq́. miniſtros, quorum numero ſeſe Vates aſcribit, coniūgere cogitauerint: altera quòd comprehēſos à ſe iudices & magiſtratus Iſraëlis nimis aſperè & contumelioſè tractauerint, & ipſum præcipuè maximum Iſraëlis ducem Chriſtum calamo in maxilla ad ignominiam percuſſum, probris omnibus affecerint. cuius infandi facinoris miniſtri milites imprimis ex gentilitate fuēre;qui expuentes in eum accipiebant arundinem & illudentes percutiebant caput eius, & dabant ei alapas. Vnam autem Chriſti & Eccleſiæ miniſtrorumque eius cauſam eſſe totis ſacrorum librorum folijs docemur: vt, Saule,Saule,quid me perſequeris? Ego,inquit,Ieſus Nazarenus,quem tu perſequeris: cùm tamen ille ſacros euangelij miniſtros & pios Chriſtiani nominis profeſſores eſſet inſecutus. Igitur magnam rerum omnium mutationem illuſtrem, & perpetuam pietatis de impietate & ſuperſtitione victoriam ſua auctoritate & Chriſti virtute vbi futurā Deus promiſerat, commodè ad tanti ducis celebrandam patriam & locum ſermonē conuertit: quo in loco non minora prouidentiæ & auctoritatis ſuæ argumenta, quàm in ipſa gerendæ rei expeditione inuenienda eſſe dicit, cùm ex tam humili & exiguo oppidulo tantum ducem ſibi, imò tantam omni orbi lucem & ſalutem producturus ſit.

Matth. 27. Ioan. 19. Act. 9.

Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſraël, & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.

MAGNVM Chriſti Ieſu in publicam hominum ſalutem mittendi, & diuini generis & humani ortus humilitatis ſacramentū hoc vaticinio contineri publici aduerſariorū noſtrorū concilij interpretatione docti ſumus: quā ſacri euangeliſtæ verā & certā agnoſcentes, narratione tantùm retulerunt. Sed quoniam ex illorum gente excæcati quidam & tantis myſterijs indigni interpretes, maiorum ſuorum ſententiam cauillosa quadam argutia frangere conati ſunt: quanquam nobis interpretē profeſſis diſputationem agere conſilium non fuerit; tamen quod ad veritatem propugnandam commodè fieri poſſit, explicata primùm orationis ſententia, cauillatorum iſtorum conatus leui oppugnatione infringere operæpretium viſum eſt. Igitur tantæ totius orbis ſalutis, & ſacræ eccleſiæ conſtituendæ à ſe præcātatæ occaſione futuræ ſeruatoris illius patriæ Bethlehem gratulatur, ſimul & magna ac certiſſima de illo obſeruanda oracula pronunciat, cùm quòd illum ex Dauidis familia oriundum eodem cum Dauide loco ortum, tum quòd duabus eum naturis diuina pariter & humana cōſtare ſubindicat. [*Et tu Bethlehem Ephrata.*] Ad vaticinij certitudinem loci etiam notatio pertinet, cùm Meſſiam ſuum Bethlehemitem fore ex Iudæ tribu, atque adeò ex Dauidis domo, quæ olim Bethlehem fuit, cuius præcipuus ciuis Ieſſe ſiue Iſai Dauidis pater commemoratur ex antiqua Iudæorum familia Booza patre ortus vir. Cùm verò duo oppida Bethlehem nomine in terra Iſraëlis fuerint; alterū in Zabulonitide ſorte, vnum ex duodecim in illius tribus valle conſcriptis oppidis ſecundū Semerona & Iedabam, ſicut ſcriptū eſt: Et Catheth, & Naom, & Semeron, & Iedaba, & Bethlehem: alterum verò frequenti memoria celebratum in Iudæ hæreditate, cui Ephrata prius nomen fuerat, Rachelis vicino ſepulchro inſigne. ſic enim ex Moſis hiſtoria accepimus: Mortua eſt ergo Rachel, & ſepulta eſt in via, quæ ducit Ephrata, hæc eſt Bethlehem. certæ igitur notationis cauſa Bethlehem Ephrata hoc vaticinio eſt appellata. Cuius quidem oppidi ratio ſi ad militum copiam & conſcribendum numerum referatur, perexigua profectò erit, quòd tam paruum oppidū cum cæteris Iudæ vrbibus, ex quibus multæ myriades hominum conſcribi poſſunt, comparandum non ſit. ſi verò ad ipſam conficiendæ rei ſummam relata ratio ſit, nequaquam minimum oppidum, ſed omnium maximum & digniſſimum cenſebitur, vtpote quod expectatiſſimi illius diuini ducis, qui totius populi gubernationi, ſaluti atque cæleſtis regni procurationi diuino cōſilio præficiendus erit, natalibus deſtinatum ſit. Ex hac adeò explicatione, quæ à nobis deſcripta eſt, locum hunc nihil cum illo quem apud D. Matthæum legimus, pugnare conſtiterit, quando eadem argumenti vis, eadem excepta vtrobique ſententia eſt. nam Vates hic argumentationis propoſiti-

Ioſu. 19. Gen. 35.

poſitionem pronuntiauit, ſapientes verò illi deductam rationis ipſius concluſionem pro-
tulerunt; quæ ad præſentis cauſæ quęſtionem commodiſſimè faciebat; hæc ad loci & pa-
triæ prædicationem: ad perſonæ verò ipſius dignitatem & amplitudinē illud magno quo-
dam diuini ſpiritus impetu raptus arcanum planè & diuinum Vates edidit non ſine ſubli-
mi voce & vehementi oris manuſque geſtu & habitu, tanquam admirabile quiddam pro-
מוצא nuntiandum. [*Et egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.*] *Egreſſus*, Hebraicè *Mozzah* rei vel negotij
cuiuſpiam initium, vnde primùm inſtituitur atque oritur, ſignificat; vt Solis primū Arie-
tis gradum tenentis primus ab oriente motus hoc nomine Hebraicè; Latinè verò egreſſus
ſiue egreſſio dicitur: vt, A ſummo cælo egreſſio eius, &c. Qua quidē ex obſeruatione Meſ-
ſiæ originem in hoc loco ſignificari docemur. Non eſſe autem vnā tantùm in hoc Meſſia
naturam nomen ipſum multitudinis numero Hebraicè pronuntiatum arguit, cùm in ſo-
lis egreſſione ſingulari numero dictum ſit: hîc autem multitudinis numero egreſſus dican-
tur. Igitur duas naturas in Chriſto fore præcinuit Vates, quarum rationes & deſcriptiones
ex varia temporum notatione arguendas docuit. nam quę prior nobis & cognoſcentibus
natura ſeſe offert, hoc eſt humana, ab initio rerum conditarum, hoc eſt à prima hominum
קדם origine initium ducere dicta eſt. ſiquidem initium, quod Hebraicè KEDEM dicitur, tem-
poris & mundi principium eſt; atque ita locus ille, In principio creauit Deus cælum & ter-
ram, Chaldaicè, ad temporis initiū relatus, ſic verſus eſt, BEKADMIN, voce à KEDEM
deducta. Igitur alterum egreſſum alteramque Chriſti naturam & originem ac negotij eius
inſtitutam rationem, ab illo, qui primus hominum omnium extitit, Adamo fuiſſe ait, at-
que ad illius res & rationes componendas promiſſum olim fuiſſe Chriſtum, ex illoque
temporis initio iam myſterium hoc cœpiſſe, ſubindicatur. atque hæc quidem explicatio
Gen. 3. cum diuina illa ſententia conuenit: Inimicitias ponam inter te & mulierem, ſemen illius
" & ſemen tuum, & ipſum conteret caput tuum, & tu dominaberis illius. Alterū verò Meſ-
" ſiæ & ducis magni in Bethlehē naſcituri egreſſum *à diebus æternitatis* eſſe ait. Atque hac ora-
tione nulla alia, diuinam in Chriſto naturam, vt non planè diceret, ſed prophetico dicen-
di genere ſignificaret, aut certius aut melius probare & confirmare potuit. namque æter-
nitatis dies vnius Dei, non aliarum ita rerum ſunt. Cæterę namque omnes, præter vnum
Deum, naturæ mundi initio aut poſteriores, aut certè coæuę ſunt, & ſeculorum originem
Psalm. 89. nullæ excedunt. Deus autem noſter ante ſecula & priuſquam montes fierent, aut forma-
" retur terra & orbis, à ſeculo eſt. Quibus ex rebus omnibus & rationibus illud conſequitur;
diuinum hunc ducem Meſſiam qua homo eſt, ab initio atque à primo hominum paren-
te Adamo, qua verò Deus eſt, à diebus æternitatis egreſſum habere. Illud verò ſilen-
tio prętereundum non eſt, quòd humana in Chriſto natura terreno & humano patre ca-
rere ſubindicatur. quandoquidem eius egreſſus ad mundi initium relatus, illum ſecundum
hominem non humano ſemine, ſed diuinæ planè virtutis opera productū declarat, quem-
admodum primus homo nullo ab homine ſatus ſolum ſui auctorem & ſatorem Deum
agnoſcit. Vt igitur Adam primus diuina virtute ex terra factus purus quidem & innocens
primū extitit, atque ad imaginem & ſimilitudinem Dei prodiiſſe dictus eſt (cùm cæteri ab
Luc. 1. hoc iam corrupto homine orti non ad Dei, ſed ad parentis ipſorum imaginem geniti di-
cantur) ſic poſterior hic Adam ex ſanctiſſimæ virginis puriſſimo ſanguine Altiſſimi virtu-
te & ſpiritus ſancti obumbratione conceptus ſanctuſque natus; huius etiam humanę na-
turæ ratione Dei filius appellatus eſt. Conſtat igitur illum vtroque egreſſu ad diuinam
virtutem eſſe referendum, qui quòd Deus ſit, à diebus æternitatis habet; quòd verò homo
eſt, quanquam in fine temporum ex humana matre ſit natus, tamen paternum initium
non ab homine, aut humano gignendi homines modo, ſed à Deo atque diuina produ-
cendi hominem & ineffabili atque adoranda magis, quàm inueſtiganda virtute habet.
Hæc adeò ratio Chriſtum vtraque ex parte ad patrem relatum cæleſtem planè, & qua ho-
mo eſt, ad Dei imaginem magis etiam, quàm antiquum illum factum eſſe probat, ſicut
1. Cor. 15 ſcriptum eſt: Primus Adam de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cęleſtis; verus
" quidem homo ex humana carne & anima rationali conſtans, ſed quo verior homo eſt,
hoc propius ad diuinam imaginem & ſimilitudinem accedens, vt propius quidem Adam
primus accedebat, antequam natura ſua vitio & culpa deformata filios ad imaginem ſuā
Gen. 4. genuiſſe dici poſſet. Atque adeo ad hoc myſterium & ad hanc vtriuſque Ieſu Chriſti
egreſſus rationem conſiderandam D. Lucas longam illam ſuam ſeriem reuocabat, cùm ſic
Luc. 3. ſcriberet: Vt putabatur filius Ioſeph; vt putabatur, inquit, ſed non erat. nam ex diuina na-
tura patrem habebat Deum, ex humana verò neque patris Ioſeph filius erat, ſed matris
virginis, cuius legalis pater Ioſeph, virginis verò naturalis & legitimus parens Heli erat,
qui fuit Mathath, qui fuit Leui, &c. qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit
Dei,.

Dei. Hactenùs de principis ac ducis noſtri Chriſti Ieſu egreſſibus; nunc verò deinceps ad-
uerſariorum in veritatem coniecta tela quàm celerrimè retundamus. Ieſum, inquiunt,
Nazarenum, quanquam in Bethlehem natum admittamus; tamen Chriſtum fuiſſe ex
eo negamus, quòd ſcriptum ſit: qui poteſtatem habeat in populo meo Iſraël, quem tamen
Iſraëlitarum poteſtati paruiſſe magis, quàm præfuiſſe conſtat. Præterea Meſſia quicun-
que ille ſit; Deus non fore ex eo arguitur, quòd ab initio progreſſum eius eſſe Vates af-
firmet; ſed Deum ab initio eſſe dicere nefas eſt, qui ante omne temporis initium æternus
fuerit, ſicut ſcriptum eſt: Antequam montes fierent, &c.

RESPONSIO.

REGNVM Chriſti non eſſe de hoc mundo, vt ipſe idem profeſſus eſt, ſic libenter fate- Pſal. 70.
mur, atque ita etiam cæleſte & diuinũ planè regnum omni diuina virtute & poteſtate au-
ctoritateque præditum, ab omni vana pompa atque ambitione, omni auaritia & crudeli-
tate atque inhumanitate alienum illi tribuimus. hæc enim omnia hominum mundana &
vana, momentanea, fluxa, caduca, & perturbationibus plena ſunt, cùm cæleſtis regni au-
ctoritas non his rebus, ſed diuini verbi virtute & ſacrarum viarum cognitione nitatur, ſicut
ſcriptum eſt: Et docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius. quia de Sion exibit Michæ. 4.
lex, & verbum Domini de Ieruſalem. Quòd verò Deus principio careat, ſumma fide ex-
cipientes, Chriſti quidem egreſſum alterum quatenus homo eſt, ab initio eſſe affirmamus:
alterum verò quatenus Deus eſt, à diebus æternitatis, (quæ pars conſulto à vobis præter-
miſſa eſt) deduci aſſerimus: Quod ſi Hebraicum nomen *Gholam*, non æternitatem, ſed ſe-
culum vertere oportere Iudæi contendant, nihil de ea re laborandum nobis eſt, quando
diuinam æternitatem non minus eodem ſeculi nomine atque eodem dicendi tropo, quàm
æternitatis expreſſo vocabulo dici conſtet, ſicut ſcriptũ eſt: A ſeculo & vſque in ſeculum Pſalm. 40.
tu es Deus. & iterum, Priuſquam formaretur terra & orbis, à ſeculo tu es. Iam verò Chal- Pſalm. 79.
daicam antiquæ auctoritatis in hunc locum interpretationem Latinè ad verbum redda-
mus: *Et tu Bethleem Ephrata, ſicut paruula es ad numerandum in millibus domus Iuda, ex te à facie mea exibit*
Chriſtus, vt ſit faciens regnum ſuper Iſrael, cuius nomen præparatum à principio à diebus ſeculi.] Verſio hæc &
antiquam ſynagogæ à Matthæo relatam, & noſtram etiam interpretationem confirmat.
Atque vt incœptum de Meſſia ſermonem Vates abſolueret, gerendę ab ipſo rei rationem
notato temporum ordine ſapientiſſimè & certiſſimè explicuit: quemadmodum ex durio-
ribus & anguſtioribus primùm temporibus ad maximam & præclariſſimam felicitatem
apoſtoli ac diſcipuli Chriſti euaſuri eſſent.

Propter hoc dabit eos vſque ad tempus, in quo parturiens pariet: & reliquiæ fratrum eius conuertentur
ad filios Iſrael, Hebraicè, *ſuper filios Iſrael.*

Propter hoc] non efficientem, ſed finalem cauſam aut rationem Hebraica vox habet. Hu-
ius autem loci hæc ſentẽtia eſt, Chriſtum Dei filium & humanæ ſalutis interpretem, nun-
tium & auctorem, vt opus negotiumque ſuum non humano apparatu, ſed diuino conſilio
& virtute confectum probet, plurima primùm & duriſſima ab hominibus perpeſſurum;
adeò vt ea res diſcipulos apoſtoloſque ſuos in ſolicitudine ac metu, propter ſalutem etiam
ſuam ponat, donec periculis & difficultatibus illis, quaſi partu quodam laborumque fun-
ctione euaſis, & regnum ſuum ſibi & perpetuã illis & ſtabilem felicitatem ac ſecuritatem
ſpiritu ſancto immiſſo confirmaret. [*Propter hoc dabit eos vſque ad tempus, in quo parturiens pariet.*]
Graues quidem, ſed breues tamen turbas, metus, dolores, atque curas diſcipulorum fore, Luc. 22.
lętiſſimum autem tandem exitum habitura hæc parturiẽtis & partus imagine ſignificauit.
nam qui læti prius ſub cuſtode & præceptore duceque ſuo ſecuri nulliuſque rei egentes
agebant, eiuſdem in gentium & inimicorum manus traditi abſentia & deſiderio, ſibi ipſis
anxiè timere & ſolicitè cauere cœperunt, quibus ob eam rem dictũ fuit: Omnes vos ſcan- Math. 24.
dalum patiemini in me in nocte iſta: ſcriptum eſt enim, Percutiã paſtorem & diſpergen-
tur oues gregis. Sed poſtquam ſpiritu ſancto in diſcipulos immiſſo dextera Dei exaltatus
ac filius publicè declaratus eſt, ex virtute ſanctificationis Chriſtus Ieſus appoſitis in dies &
additis diſcipulis, *reliquiæ fratrum eius conuerſæ ſunt ſuper filios Iſraël.*] Multi enim ex fratribus Iu-
dęis, qui ſecundum carnem ex genere Chriſti erant, apoſtolis veris Iſraëlis filijs, in quibus
dolus non erat (qui in tentationibus permanentes cum Deo potẽtes audire meritò potue-
runt) additi ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Vos qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, Luc. 22.
ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, &c. totum illũ locũ mente re- "
colere operæpretiũ erit, nec non & primum, ſecundũ, tertiumq́. ex hiſtorijs apoſtolicis ca- Act. 1. 2. 3.
put: Qui receperũt, inquit, ſermonẽ eius baptizati ſũt, & appoſitę ſunt in illa die animę cir- "
citer tria millia, &c. Quãta autẽ, quàm firma & conſtans felicitas, quãta hominum & diſci-
pulorũ frequentia ac celeritas hæc turbata primùm tempora ſecutura ſit, ſtatim ſubiungit:

Et ſta-

Et ſtabit & paſcet in fortitudine Domini in ſublimitate nominis Dei ſui, & conuertentur, quia nunc magnificabitur vſque ad terminos terræ.

ac. 1. *Et ſtabit*] Firmam ſibi ſedem & domiciliũ in cælorũ regno collocabit, cuius nullus finis
futurus erit. [*Et paſcet in fortitudine Domini.*] Suſceptũ ſemel ſibi gregẽ & parêre atque obſequi
ſtudentẽ omni cura, ſtudio tutelaque proſecutus, ſecurum, tutum incolumemque ſeruabit.
„ Oues, inquit, meæ vocem meã audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam
„ æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea:
„ Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu patris
mei; & ego & pater vnũ ſumus. namque ſuo & patris nomine ac virtute commiſſum &
creditum ſibi populum maximis diuini ſpiritus muneribus recturum eſſe iam olim diuinis oraculis apud ſanctiſſimos vates verbum ipſum Dei receperat. huius rei cauſa ait: *In fortitudine Domini, in ſublimitate nominis Dei ſui.*] Ex qua re illud eueniet, vt qui antè ſumma contentione nomen illius oppugnauerant, illuſtre & grauiſſimum cæteris ſtatuentes exemplum, conuertantur, & tandem illius regnum & nomen ad orbis vſq. terrarum fines propagetur. Huius adeò loci integram ſententiam, vt res ipſa cum oraculo aptiſſimè conueniret, ſub ipſis iam diuinæ ſuæ expeditionis initijs Chriſtus apoſtolos allocutus referebat:
Ioan. 16. „ Amen dico vobis, quia plorabitis vos & flebitis, mundus autem gaudebit: vos autem con-
« triſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Mulier cùm parit, triſtitiam habet,
« quia venit hora eius; cùm autem pepererit puerum, iam non meminit preſſuræ, quia na-
„ tus eſt homo in mundum; & vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis: iterum autem vi-
„ debo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis, &c. nam totus ille locus ad hunc commodiſſimè refertur. [*Quia nunc magnificabitur.*] Vaticinio rem præ-
Pſalm. ſentem facit. ſignificat autem *nunc* idem, quod de cætero. [*Magnificabitur vſque ad terminos ter-*
« *ra.*] ſicut ſcriptum eſt: Et dominabitur à mari vſque ad mare, à flumine vſque ad termi-
« nos orbis terræ. coram illo procedent Æthiopes, & inimici eius terram lingent. Reges
„ Tharſis & inſulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent, &c. nullum enim euangelicæ rei hoſtem, adeò ferum, adeò barbarum futurum eſſe, qui non tandem victus ſe Chriſto dedat: id quod in certis generibus vates olim promittentes eleganti ſynecdoche cõmuniter intelligi voluêre; maximè autem cùm alij alios nominantes vniuerſos fere comprehenderent.

Et erit pax.

HABITABIT enim lupus cum agno, & communi in vnum Chriſti regnum conſpi-
Iſai. 7. Acto. 2. 3. ratione multitudinis credentium erit cor vnum & anima vna, & erunt quotidie vnanimiter perſeuerantes in oratione in templis, quibus nihil omnes vel domeſtici vel externi vel viſibiles vel inuiſibiles hoſtes ſub tanti cuſtodis tutela & præſidio latentibus nocebit. Hebraicè, *& erit hæc pax.* Pax Chriſti vera & vehementer expetenda, non quam mundus infidam inutilemque pacem dat, ſed certa & diuina pax omnem formidinem & turbas omnes à ſuorum cordibus expulſura, quòd in perpetua principis ſui Ieſu cuſtodia & tutela ſe latere intelligant. Non turbetur cor veſtrum neq. formidet, &c. Cuiuſmodi autem pax iuſtitiæ & iudicij rationibus munita futura ſit, ſtatim declarat.

Aſſyrius cùm venerit in terram noſtram, & quando calcauerit in domibus noſtris: & ſuſcitabimus ſuper eum ſeptem paſtores, & octo primates homines, & paſcent terram Aſſur in gladio, & terram Nimrod in lanceis.

ET erit, inquit, hoc modo certa & iudicio atque æquitate cõfirmata pax, vt Aſſyrij, qui maximi olim antiquæ Eccleſiæ & infeſtiſſimi hoſtes, pertinacique odio à vera religione alieni fuerant, tum demum ſocietate & religionis ac pietatis communione nobiſcum iuncti diuinis legibus pareant, & apoſtolis atque eccleſiaſticis magiſtratibus dicto obtemperent, à quibus validiſſimo Euangelij verbo & diuina virtute gubernentur. Aſſyrium autem certiſſimum & maximum quondam hoſtẽ præcipuè appellatum, cæterorum omnium perſonas gerere Deus voluit. Hic, inquit, cùm compoſita iam pace terram noſtram petierit, & domos etiam noſtras familiaris conſuetudinis cauſa frequentauerit, præfectos ſibi ex ritu moreque noſtro principes, iudices, epiſcopos & presbyteros etiam multos ſuſcipiet, qui quondam ſolus imperare neminique parêre volebat. Ij autem paſtores & primates homines regent *Aſſur in gladio*, qualem magiſtratus & vindices in iram ei, qui malè
Rom. 13. Ephe. 6 agit, geſtare ſolent. Hic autem ſpiritus gladius (quod eſt verbum Dei) futurus fuit; neque ſolum Aſſyrij terram in omnes alias regiones tyrãnidem exercentem, ſed Babylonem ipſam antiquum & primum eius tyrannidis caput, & bellorum ac cedis omni orbi magiſtram in lanceis & faſcibus, alijſque magiſtratuum & poteſtatis inſignibus regent. Eadem

autem

autem ſententia eſt, ſiue, vt Latina verſio habet, *lanceis*, ſiue, vt Hebraica habet, *apertionibus*, legamus. namque magnam pacem & ſecuritatem, magnamque iuſtitiæ & æquitatis ſignificationem portarum apertio habet: vt illud, *Portaſq; non clauſas & arua Marte coli populata noſtro.* Hor lib. 3. od. 5. Huius loci interpretatio, qua pacis imago & argumentum proponitur, tũ ob eam rem belli rationes non admittit, tum etiam quod non duces, non præfecti militum, ſed paſtores & primates hominum, ſiue, vt Latinè eſt, *primates homines*, nominentur. Nullum autẽ maius & certius pacis argumentũ eſt, quàm vt milites exarmati, iudices verò armati, & portæ vrbium patentes viſantur. Atque ob eam rem ſeptẽ & octo tantùm futuros dixit gubernatores, qui gladium geſtarent, quibuſque cæteri omnes obtemperarent; eumque gladiũ nõ ad bellũ, ſed ad innocentiæ tutelam & priuatarũ iniuriarũ propulſationem fore, ita vt patentibus portis, nullius aut publici & externi hoſtis metu, aut priuati inimici ſuſpicione ſecuris agere liceat. [*Septem & octo*] certum numerum neque eum magnum, ſatis tamen pro negotij rationibus idoneum ſignificat; à qua ſignificatione illud alienum non eſt: Da partes ſeptem, nec non & octo, &c. Eccle. 11. In noſtris vulgaribus linguis ſeptem & octo numerum in eadem ſignificatione vſurpamus. *Nimrod* primus poſt diluuium orbis tyrãnus & belli gerendi auctor fuit, robuſtiſſimus venator ob eam rem appellatus. Gen. 10. Fuit autẽ principium regni eius Babylon & Arach & Chalanne in terra Sennaar. Magnam porrò ab inimicis & hoſtibus atque omni ſuſpicione carentem ſecuritatem per Chriſtum fore confirmat, quòd ea diuini verbi vis, ea euangelij virtus ſit, vt pacem veram & firmam nulla inſidiarum opinione interturbatam, denique non qualem mundus dare ſolet, ſed ex vero animorum conſenſu, & communi in vnam Chriſti fidem conſpiratione profectam tribuat. namque ſpiritus ille diuinus pacis omnem ſenſum exſuperantis auctor, ſecuros agere iubebit. itaque quorum olim perfidiæ & inſidijs nihil credebatur, eorum porrò deinceps conſuetudini nihil diffident, Chriſto id efficiente, qui

Et liberabit ab Aſſur cum venerit in terram noſtram, & cum calcauerit in finibus noſtris.

CALCARE verbum frequentationem & celebritatem, familiaremque conſuetudinẽ Isai. 1. ſignificat: vt illud, Dum veneritis ante conſpectum meum, quis quæſiuit hæc de manibus « veſtris, vt calcetis in atrijs meis? Omni autem belli & inſidiarum ſuſpicione atque metu amiſſo, tranquillitatis, quietis, felicitatiſque maximæ fidelibus futuræ imago amplificatis rationibus appingitur.

Et erunt reliquiæ Iacob in medio populorum multorum, quaſi ros à Domino, & quaſi ſtillæ ſuper herbam, quæ non expectant virum, & non præſtolantur filios hominum.

NON eadem quidem gentium omnium erga ſe iudicia, non paria ſtudia eccleſiam Chriſtianam primis ſuarum rerum initijs habituram; nihilominus tamen eodem proſpero ſemper diuini ſpiritus flatu vſuram eſſe, ſacris oraculis eſt decantatum. quanquam enim diuini euangelij à ſimplicioribus omnium gentium hominibus magno plauſu ſuſcepta cauſa eſt, tamen ab huius mundi auctoribus magno conatu, ingenti ſtudio & graui cõtentione fuit oppugnata. Verùm enimuero & ſuſcipientium & oppugnatorum partes eiuſdem diuinæ virtutis, diſſimilem tamen in ſe effectum experturas eſſe Deus & promiſſione olim declarauit, & re atque euentu ipſo demum præſtitit: nam quibus euangelium ſuſceptum fuit, diuina ſalus; quibus verò repulſum, horrenda cæcitas, & iuſtiſſima pernicies allata eſt, vtrumque rege temperante cælitum. Quam rem non minori auctoritate quàm veritate D. Paulus cæterique Apoſtoli prædicauerunt. non erubeſco, inquit, Rom. 1. Euangelium: Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, &c. Reuelatur enim ira Dei « de cælo ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei « iniuſtitia detinent. Atque de hoc duplici euangelij in credentibus & in repellentibus effectu grandis nobis & interpretabilis ad dicendum ſermo eſt; quem cùm hoc in loco breuitatis cauſa explicare non poſſimus, ſententiæ tamen cognoſcendæ gratia annotare certè debemus. Igitur quòd maximæ ac diuinæ virtutis gratia paucorum hominum miniſterio, hoc eſt, euangelio ab apoſtolis & diſcipulis annuntiato, in magnam gentium copiam effundenda eſſet, priori hoc verſu Vates ſignificauit, nimirum paucorum & humana opinione humillimorum atque imbecillium hominum, (qualis Iacob habebatur antequam Iſraël dictus eſſet) conſuetudinem & miniſterium magno vſui multis gentibus, quibuſcum verſarentur, futurum, idque adeo diuinæ tantum virtuti & auctoritati, non autem humanis negotijs aut opibus aut facultatibus aſcribi oportere, quemadmodum matutinus ros & pluuiæ ſtillæ ſolo Dei beneficio, non hominis vllo ſtudio aut opera è nubibus & cælo diffuſa herbarum generi gratiſſima vtiliſſimaque ſunt, ſicut & à vatibus eſt decantatum.

tatum: Et deſcendet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.

Bucol. *Et ros in tenera pecori gratiſſimus herba eſt,* *In medio populorum multorum.* inquit ille.

Tranquillum, quietum, ac felix vitæ genus hoc tropo ſignificari iam ſuperius diximus. *Populorum* autem abſolutè dictum eſt, vt populos iam ſuos ac familiares ſignificaret, quibuſcum optimè ac feliciſſimè actum iri promiſit; contra verò, cum ijs, qui repulſam euangelio attulerũt, durè admodum ac ſeuerè eſſe agendum: illos enim ſumma gratia, maximis ac diuinis beneficijs, hos verò graui vltione & debitis pœnis affici diuinum conſilium fuerat; ita vt euangelij curſus beneficentia, gratia & ſalute, alteros verò ſumma animaduerſionis ſeueritate perſeuerans conficiatur. hoc eſt quod ſubiungitur:

Et erunt reliquiæ Iacob in gentibus, in medio populorum multorum, quaſi leo in iumentis ſiluarum, & quaſi catulus leonis in gregibus pecorum; qui cùm tranſierit & conculcauerit, & ceperit, non eſt qui eruat; & exaltabitur manus tua ſuper hoſtes tuos, & omnes inimici tui interibunt.

In gentibus in medio populorum, &c.] Aliæ atque aliæ partes, alio atque alio dicendi modo ſignificantur: Gentes namque in Hebraici ſermonis de religione rationibus, ijdem qui apud
Rom. 1. nos infideles dicuntur. Gentes, inquit Paulus, quæ legem non habent, &c. Ita adeò, qui à vera religione alieni, ſuperſtitionis errorem tuentur, gentes nuncupantur. Horum igitur Euangelio obnitentium conatum, & violentum in miniſtros & profeſſores impetum ſumma conſtantia & virtute contemnendum comprimendumque eſſe confirmat. Quis
Rom. 8. enim eos ſeparabit à charitate Chriſti, quæ in cordibus eorum diffuſa eſt; tribulatio, an anguſtia? Leonis autem fortiſſimi animantium omnium principis imagine ſacrorum miniſtrorum conſtantiam, atque in re gerenda ſtrenuitatem inſuperabilemque virtutem deſcribit, atque eadem imagine omne negotium Deo ipſi acceptum refert. diuina enim
1. Cor. 1. virtus leonis nomine & ratione non rarò in ſacris enunciatur: vt, Ne quando rapiat, & nõ « ſit, qui eripiat, &c. Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in ſemetipſo, & odorem « notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco. maiores verò & minores oppugnantium conatus, ita infringere potuerant, *quaſi Leo in iumentis ſiluarum, & quaſi catulus leonis in gregibus pecorum.*] Huius verò maximæ victoriæ ſpem Eccleſiæ ipſi facit. [*& exaltabitur, &c. & omnes inimici tui interibunt.*] Neque verò ad eam victoriam de hoſtibus reportandam, vel ad eandẽ porrò feliciter conſeruandam armis, aut bellico apparatu aliquo (quibus homines fidere ſolent) opus fuerit; quinimo diuinam tantùm virtutem diuinamque tutelam profeſſis &
1. Sam. 17. expertis cætera arma omnia damnata deſpicientur. cuius rei illuſtre exẽplum Dauid olim in ſeipſo edidit, qui non in armis, ſed in nomine Domini Dei Iſraël aduerſariorum ſuperbiam, & violentiæ impetum repreſſit.

Et erit in die illa, dicit Dominus: auferam equos tuos de medio tui, & diſperdam quadrigas tuas: & perdam ciuitates terræ tuæ, & deſtruam omnes munitiones tuas.

ARMORVM vſum crudelitas, munitionũ verò rationẽ metus ac ſuſpicio inuenêre. hæc q. non ſine magnis parantur ſumptibus, non ſine labore etiã & valetudinis detrimento, & ſalutis etiam periculo tractantur. namque armorum geſtatio, equorum & curruũ quotidiana exercitatio, præterquam quòd belli meditationem habent, corporibus nocent, & animis nimium obſunt vt cõpertum eſt; quippe quę ad cæteras paci & humanæ vitæ vtiles diſciplinas capeſſendas inutiles homines ignauoſque plerumque reddat. Igitur in illa die vbi Dominus pro nobis tacentibus pugnauerit ac vicerit, futuramque de cætero quietem ac pacem perpetuò conſtituerit, ſuperuacaneus iam equorum quadrigarumque demendus eſt vſus, Domino id efficiente; cuius tantùm conſilio, ſtudio gratiaque nitemur. Ciuitates verò, quæ, metus & ſuſpicionis cauſa, muris, operibuſque olim munitæ fuerant, metu iam deinceps amoto, omnino ait eſſe perdendas; non quòd delendæ etiam domus ædeſque, & ſolum vertendum ſit, ſed quòd illis tantùm operibus, quæ obſidionis ac belli
Abraham in Zachar. vitandi vel ſuſtentandi cauſa conſtructa fuerant, partim neglectu, partim etiam dedita opera in ſalubriores vſus dirutis, loci ipſi non vrbium ſed oppidorum nomine habitan-
Vitruui. lib. 1. di eſſent, ac maiori etiam incolarum numero ob pacem frequentandi, ædificiorum etiam ſitu pro vitæ, rerum & perſonarum commoditatibus dilatato. namque ſalubriorem multo oppidis, quàm vrbibus habitationem liberum aëris meatum efficere ex architectorum
Gen. 4. & medicorum præceptis docemur. Vrbes namque metus cauſa conſtructas, munitas &
Iuuenalis Saty. 15. cuſtoditas, vel ille primus vrbium ædificator Cain neminem non timens teſtabitur: & ille;

Communi dare ſigna tuba, tutarier iiſdem *Mœnibus, atque vna portarum claue teneri.*

Zach. 2. Securitati verò & paci vrbes humiles magis conuenire, atque eam rem felicis & tranquil- « læ vitæ teſtimonio eſſe Iſaias oſtendit: Et ſecuritas vſque in ſempiternum, & ſedebit po-

populus

pulus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta, in humilitate humiliabitur ciuitas, &c. Atque pacis, cōmoditatis & ſanitatis cauſa muri ac munitiſſima quæque opera peribunt, & vt Zacharias ait: Abſque muro habitabitur Ieruſalem præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius, &c. neque verò tantum armorum, turrium, munitionum ac bellici totius apparatus nullus vſus erit, ſed omnis etiam ſuperſtitio, auguria omnia, omnis variorum deorum cultus, quæ aut ad belli, aut aliàs ad vitæ commoditates valere olim exiſtimabantur, ſublato iam diuini ſpiritus beneficio errore, compoſita perpetua pace, quiete & remiſſione ab vno ſolo vero Deo parta, extinguenda penitus delendaque ſunt; vt neque ijs, qui ex gentilitate euangelio credentes in ſocietatem ſanctorum venerint, neque ijs etiam, qui ex imperfecta Iudæorum in perfectiſſimam vitæ & ſpiritus Chriſtianam legem deuenerint, vlla iam priorum ſuperſtitionum & vanorum cultuum ratio habeatur. Zac. 2. " "

Et auferam maleficia de manu tua, & diuinationes non erunt in te.

QVÆ omnia ad belli ac pacis euentus valere Iudæi aliquando, & gentes ſæpiſſimè arbitrati ſunt. namque & Saul pythoniſſam feminam, quem exitum futuri prœlij expectare poſſet, conſuluit. & idē etiam aliquando complures alij impiè & ſtultè nimium factitarunt, qui & belli cauſas alijs atq; alijs rebus, euentus verò fortunæ atque aliis vanis numinibus aſſcribentes, vota vaniſſima pro victoria, pro ſalute, pro felicitate, fruſtra tamen, nuncupabant. Niſi enim Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. 1. Sam. 28. "

Et perire faciam ſculptilia tua, & ſtatuas tuas de medio tui: & non adorabis vltrà opera manuum tuarum, & euellam lucos tuos de medio tui; & conteram ciuitates tuas.

NEQVE enim adorabis Deos alienos præter me, cui vni perpetuo ſemper cultu vt vero ſalutis tuæ auctori obedies, ac tandem ſtultitiam agnoſcens tuam, & antiquo veterni morbo ſolutus eas res colere deſines, quæ præter humani artificis ingenium, nihil præterea numinis, nihil vtilitatis aut efficientiæ in ſe habent; qua enim dij appellentur, nulla certa ratio eſt, cùm nullus olim Iupiter, nullus Bacchus deus fuerit, ſed aut hi mortales, aut nulli extiterint. Igitur horum ſimulachra ficta planè & mentita ſunt ita adeò inutiles ſtatuæ illæ omnes luci, fana, delubra, & cætera ſuperſtitionis impedimenta magis, quàm religionis monumenta vnius veri Dei culto ſuſcepto, peribunt. Si qui verò fuerint, quibus veritas hæc euangelica impugnanda repellendaque eſſe videatur, quibuſque diuinæ virtuti repugnare conſilium ſit, ijs ego grauiſſimæ vltionis diem adeſſe denuntio.

Et faciam in furore & indignatione vltionem, in omnibus gentibus, quæ non audierint.

GRAVITER in eos animaduertendum eſſe ait, qui antiquum gētilitatis errorem tuentes, ſacroſancto Chriſti verbo, hoc eſt, ſalutis eorum euangelio audire noluerint, ſi tamen iuſtum eſt apud Deum retribuere retributionem ijs, qui vos tribulant, & vobis, qui tribulamini, requiem nobiſcum in reuelatione Domini Ieſu de cælo cum angelis virtutis eius in flamma ignis datis vindictam ijs, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt euangelicæ gloriæ Chriſti, &c. audire pro obedire hoc in loco eſt: vt illud, Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit, &c. Illud autem obſcurius aliquanto eſt, quod Latinè legimus: *& conterā ciuitates tuas:*] nam cùm ſupernus dictum ſemel ſit, non videtur eadem ſententia repetitum. Quamobrem ad inimicas & infenſas hominum ſocietates, quæ contra piorum populum de ſuperſtitione defēdenda coniurauerint, referenda ſententia eſt. hanc autem expoſitionem, prætérquam quòd nomen ipſum Hebraicum & vrbes, & deſtructiones, & inimicos ſignificans docet, ſubiectæ ſtatim ſententiæ ratio confirmat: *Et faciam in furore, &c.* His etiam Chaldaica verſio manifeſtè accedit: *Et euellam plantationes populorum de medio tui, & perdam auctores inimicitiæ tuæ.*] *Inimicitiæ tuæ,* paſſiua ſignificatione accipiendum eſt. Addit autem & Paraphraſtes: *Et faciā in furore & in indignatione vltiones iudicij de populis, qui non ſuſceperint doctrinam legis diuinæ.* 2. Theſſ. 1.

VATI-

VATICINII TERTII ARGVMENTVM.

CVM iam primi & antiquiſſimi illius de humana ſalute promiſſi conſtantiam & fidem noua receptione Deus firmaſſet, docuiſſetq; Iſraëlitarum & Iudæorum corrupta ac deprauata ſtudia impedimento non fore, quo minus ex eorum gente totius orbis ſeruator ac diuinus præceptor ille naſceretur, cùm tamē interim multorum ſcelerū pœna ab eis eſſet repetenda: grauiſſima nūc porrò deinceps oratione ſtultas vtriuſq. generis de diuinis et humanis rebus cogitationes redarguit, quòd videlicet varium ſibi nunc iucundiſſimorum, nunc verò duriſſimorum temporum vſum ad diuinam ſolùm voluntatem & rerum omnium mutationem atque inconſtantiam magis, quàm ad ſuam culpam aliquam, aut commeritam noxiam reuocarent. Principio igitur grauiſſimis & ſimpliciſſimis teſtibus veriſſimisq; ætatum omnium narratis hiſtorijs inſtitutum ſibi ab initio de beneficentia & cura erga eos conſilium conſtans fixumq; ſemper fuiſſe Deus oſtendit, nihilq; aliud, quàm pacem, ſalutem, & felicitatem, ſibi vltrò cogitatum vnquam eſſe ait. Id quod maximis collocati aſſiduè in eos beneficij argumentis confirmat: quòd ex Aegyptiaca ſeruitute redemptos legatorum ſuorum magnæ auctoritatis virorum, pacisq; atque felicitatis interpretum opera & diligentia deduxerit; quòd ex illa tanta primogenitorum & Aegyptiorum communi clade incolumes ſeruauerit; quòd non iniquis aut duris condicionibus, ſed æquiſſimis legibus in ſuam tutelam familiamq; receperit; quòd pietatem veram officiumq; prodentes aſſiduis vatum legationibus obieſtatum reuocandos curauerit, atque ad declinanda commeritarum pœnarum pericula ſæpiſſimè fuerit adhortatus: ſua tamen ipſos illa ſingulari inſolentia, ſuperbia & contumacia in ea mala, quæ à ſe euertendi cauſa indicata, prædicta dilataq; diu eſſent, præcipites fuiſſe delatos, cùm nullum nequitiæ, iniuriæ, impietatis ac ſceleris genus ſit, quo ſe illi non vehementiſſimè & pertinaciſſimè alligauerint. Quamobrem ne publicè tandem ac communiter punirentur, priuatis & velut cenſorijs animaduerſionibus hactenus affecti fuerant. Sed cùm nihilominus deprauatam illam ſuam conſuetudinem, quam perſequi decreuerant, vi mordicus tenerent, publicum illud, quod iam laturi erant, ſupplicium ſibi vltrò ipſos exquiſiuiſſe. Itaque non Dei odium, aut conſilij mutationem, ſed ſuam ipſorum ſuperbiam, contumaciam & impietatem his omnibus rebus & rationibus argui poſſe confirmat Vates; maximè autem, quòd inter animaduerſionis & repetendarum pœnarum iudicia ipſa de futura reſtitutione & reconciliatione in gratiam Deus etiam cogitet, atque huius beneficij ſpem illis oraculorum reſponſis faciat, quæ omnia vehementem magis amorem & certam atque conſtantem in eos ornandos voluntatem & ſtudium, quàm odium aliquod diuinum aut humanarum rerum viciſſitudinem probant. Atque adeò omnis humani mali cauſam & culpam non Deo, qui benignus cùm ſit, conſilio ſuo nunquam defuit, ſed hominibus ipſis, qui ſibi deeſſe voluerunt, aſſcribendam eſſe ex hac diuina diſputatione docemur.

CAPVT SEXTVM.

AVDITE *quæ Dominus loquitur.*

SVPERIORIBVS duobus vaticinijs Samariæ vaſtatio & Solymorū expugnatio, & vtriuſque tādem populi reſtitutio prædicta eſt. Hæc autem res illam Iſraëlitis opinionem forſan attulerat, nimirum diuinum erga ipſos conſilium & volūtatem interdum mutari, & nunc ad gratiam, nunc verò ad inuidiam odiumque vltrò inclinando aliquando proſpera æquabiliaque ſecundo vitæ ſine vlla offenſione curſu, aliquando rurſus aduerſiſſima illis omnia prouideri, ſiue quòd humanarum natura rerum, vel Deo inuito, id neceſſariò ferat, ſiue (quod impium magis cogitatu eſt) diuina ex ſeſe mutabilis natura ſit, atque vt principes homines dijs ſimillimi vulgo habiti, ab ijſdē quas antè amauerant, rebus & perſonis vel delicato vel vitioſo faſtidio & ſatietate aliquando ſoleant abalienari; atque ex ea re eueniat, vt ex eorundem vatum prædictionibus, quædam bonæ ac fauſtæ, quædam verò malæ horribileſque exiſtant, quòd eæ mutatum Dei ſæpius renouatumque interdum, rurſuſque repudiatum conſilium interpretatione conſequantur. Hæc adeò falſa ratio in Iſraëlitarum & Iudæorum cogitationem venire incidereque
Pſalm. 61. potuit, vt iudicia hominum ſunt temerè plerumque ac perperam de diuinis humaniſque
" rebus exiſtimantium, ſicut ſcriptum eſt: Veruntamen vani filij hominum ſunt, mendaces
" filij hominum in ſtateris ſuis, vt decipiant ipſi in vanitate in idipſum. Huiuſmodi igitur falſa ratione deducendos ſibi Iſraëlitas, atque in veram certamque de diuini ac ſalutaris cōſilij conſtantia ſententiam adducendos Dei partes acturus Propheta ſuſcipit, oſtenditque plurimum ſemper boni, nihil vnquam mali vltrò ipſis à Deo fuiſſe allatum: ſi quid verò interea odij, iniuriæ vel periculi aliunde immineret, magna cura & grauiſſimis propugnationis

tionis ac prouidentiæ argumentis diuinitus fuiſſe propulſatum. nihil præterea durum, difficile, aut iniquum, nihil damnoſum aut ſumptuoſum fuiſſe illis imperatum, vt laqueum ſibi ad offenſionem, atque ad ſalutis fortunarúmue appetentiam paratum ſibi ſuſpicari aut dicere poſſent; nihil denique ex occulto, nihil cum populo hoc ex inſidijs actum, populo, inquam, iuſtum, propitium, proſpicientem æquabilemque ſemper ſibi ac beneficũ Deum experto. quibus omnibus ex rebus, excidij, captiuitatis, cæterorumque periculorum atque calamitatum cauſam, culpamque omnem ab ipſo populo ſuſtineri conſequitur; vtpote qui à pertinaci inferendæ iniuriæ ſtudio nullis neque admonitionibus, neque accuſationibus, neque minis, ſed neque animaduerſionibus quidem fuerit vnquam deterritus. [*Audite quæſo quæ Dominus loquitur.*] Vatis populum alloquẽtis, attentionemq. ac docilitatem magno ipſorum vtilitatis ſtudio captantis oratio eſt. Verbũ autem, *quæſo*, ſiue *nunc*, Hebraicè, N A, vehementem Vatis erga eos affectum ſignificat, magnamque ab eis attentionem & ſtudium poſtulat ad eam cauſam cognoſcendam quam vehementiſſimè perorandam Deus ſibi crediderit. Vt autem ipſius, de qua acturus erat, rei grauitatem argueret, quanam voce, quo geſtu, quo habitu, qua denique pronuntiatione & ſpiritu orare iubeatur, exponit. Audite, inquit, quo imperio, quanto ſtudio me nunc repentè Dominus, qui ſuam cauſam ſuſcipere iubet, alloquitur. נא

Surge, contende iudicio aduerſum montes, & audiant colles vocem tuam.

DILIGENTIAM, ſtudium & fidelitatem, atque in agendis rebus vehementem operam verbum, *ſurge*, vt iam aliàs docuimus, requirit. Tantum autem in hac cauſa grauitatis, ponderis ac momenti eſt, vt non oſcitantem, aut ignauum, aut ſedentem aliquem, ſed ſedulum & fidelem operique inſtantem actorem poſtulet. Cur autem ex omni natura montes potiſſimùm aduocari ad partes fuerint, cùm aliàs pro rerum rationibus, nunc cęlum & terra, nunc mare & aliæ mundi partes appellari ſoleant, illud in cauſa eſt, quòd de conſiliorum & ſtudiorum ſuorum conſtantia ſermonẽ habere Deus parauerit. Quamobrem contentionis & comparationis cauſa eas potiſſimùm naturas appellari voluit, quæ cæterarum omnium firmiſſimæ conſtantiſſimæque ſunt, vt montes & colles, qui non modò cęlum natura mobilem, ſed terram ipſam in medio orbis loco cõtentam & permanẽtem ſtabilitate firmitudineq. vincunt, vtpote qui robore, vallo & ſitu ſuo terram, ne vel ventorum impetu, vel caloris vi, vel aquarum inundatione diſſipentur contineant. Itaq. magnæ in rerum natura virtutis & conſtantiæ nomen obtinent, ſicut ſcriptum eſt: Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia, &c. Igitur vt ſuam maximam virtutem & conſiliorum actionumque in beneficio faciendo conſtantiam Deus probaret, non cum montibus modò, qui ab ipſo, nimirum eorum præparatore, virtutem & conſtantiam habere cognoſcũtur, ſed cum ipſis etiam terrę fundamẽtis, quibus montes cęteraq. innitũtur, conſtantiã firmitudinemque ſuam in contentione poni iubet. [*Contẽde iudicio aduerſum mõtes.*] Non quòd precipua cauſę diſceptatio; nõ quòd reprehenſio ipſa ad montes pertineat, qui cùm rationis ſermoniſque, imò & ſenſus expertes ſint, extra omnem culpam cauſamque ponantur neceſſe eſt; ſed quòd firmitudinis & conſtantię comparationem cùm habeant, ad eam contentionem appellari oportunè poſſint. Itaque *aduerſu* idem hoc in loco, quod ad, vel cum, ſignificat: vt apud Ciceronem, contendere aduerſus aliquem, hoc eſt, in contentionem venire, legimus. [*Contende iudicio aduerſus montes*, Hebraicè, *cum montibus.*] Contendere autem iudicio, Dei & mõtium conſtantiam diligenti iudicio examinare eſt: ita Hebraicè hæc vnico verbo R I B diſceptandi & contendendi ſignificantur. Eam verò cauſam vt grauiſſimam non ſegniter aut frigidè, non vulgari, non ſedata aliqua, ſed vehementi actione, & maxima contentiſſimaque voce orari iubet, ita vt montibus etiam ipſis ad partes vocatis tanto clamore permotis, diuina cauſa probetur, atque his ipſis teſtibus & arbitris Iſraëlitæ & Iudæi temerarij iudicij, corruptarumque omnino opinionum & impietatis etiam cõuincantur, hoc eſt quod ait: *Audiant colles vocem tuam:*] quod ad vocis & actionis vehementiam refertur; ad cauſæ autem argumentum illud:

Deut. 32. Iſai. 1.

Pſalm. 64.

Cicero ad Atticũ 227

רב

Audiant montes vocem Domini, & fortia fundamenta terræ.

QVIBVSCVM de propoſiti conſtantia & perſeuerantia contendendum eſt. Id quod tandem ad populi huius audaciam & temeritatẽ confutandam, quò omnis hæc cauſa pertinet, plurimum valebit. namque lis ipſa & iudicium non cum montibus præcipuè eſt:

Sed iudicium Domino cum populo ſuo, & cum Iſraël dijudicabitur.

HOC ſermone totius cauſæ finis manifeſtè proponitur, & quiſnam in ea reus futurus ſit, quo etiã genere agendũ ſit, nempe iudiciali, & quo potiſſimũ actionis modo, hoc eſt, culpæ

roſiſſimæ ſobolis & æterni ac diuini regni ſpe conſolatur. Huius initia parua quidem, illuſtria tamen apud terreſtrem illam Ieroſolymam facta in ampliſsimum tādem & maximis populi & dignitatis incrementis illuſtriſſimum ſtatum perferenda eſſe canit. *Nebuloſa filia Sion.* excelſa admodum turris, vt nebulis cacumen abſcondas, Hebraicè GHOPHEL, excelſum & munitiſſimum præſidium arcemque ſignificat, quam ob æternam & inexpugnabilem futuræ felicitatis ſtabilitatem hoc nomine appellauit, cui dignitas illa inchoati olim apud ſynagogam regni perfecta tandem & abſoluta deferēda erat. Affirmationem autem & gratulationē repetitio illa habet, *ad te veniet, veniet poteſtas.* ita adeò eccleſiam communem quandam omnibus Iſraëlitarum & gentium familijs ciuitatem & regni ſedem, in quo ſuũ
Ezec. 47. ſingulis eodem iure, hoc eſt, diuinæ miſericordiæ beneficio domicilium ſit. Quam rem & Ezechiel Vates à ſe præuiſam elegāti imagine deſcripſit. Communem enim gentibus omnibus ciuitatem fore dicit, in qua ſuæ vnicuique tribui portæ, quas maxima frequentia celebrent, futuræ ſint. Hunc verò locum nonnihil variatis perſonis eadem omnino ſententia ſic Paraphraſtes Chaldæus vertit: *Et tu Meſsias Iſraelis: qui abſconditus es à facie congregationis Sion, tibi futurum regnum eſt, vt aduenias, & veniet poteſtas priſtina regno congregationis Ieruſalem*, ſic Chaldaicè.

Nunc quare mœrore contraheris? numquid rex non eſt tibi, aut conſiliarius tuus perijt, quia comprehendit te dolor ſicut parturientem?

ISRAELITAS velut inſtanti iam calamitate perturbatos atque metu doloreque dilatos ad aduerſarum rerum tolerantiam afferendæque per Deum ſalutis ſpem atque expectationem adhortatur primùm, ne diuturni mali ſenſu, debilitati & dolore fracti, ſe reſtituendos eſſe deſperarent. Igitur ſalutis ſpem diuinæ commemoratione prouidentiæ redintegrauit, ac non oportere, inquit, animum perpetuis lamentis addictum deſpondere eos, qui regem conſulemque ſuum non deficere, ſed ſemper viuere manereque intelligāt; quā ob rem ferendas quidem interim eſſe iuſtè conſtitutas ſibi pœnas, ſed poſtremũ rerũ ſuarum euentum, Deo opt. max. regi, conſiliario auctorique ſuo permittendum; ex cuius miſericordia certam ſalutem, vt ex ſua ipſorum noxia certam calamitatem, expectare conſentaneum eſt, maximè cùm vtraque res prædicta & prænuntiata ſit ab eo, qui ſalutem quidem vltrò, calamitatem verò non niſi inuitus, id eſt, impietate & ſcelere irritatus adferre ſolet. Igitur denuntiati mali ſenſu & vſu promiſſi ſibi boni certam ſpem oſtendi oportuerit. *Nunc*, illationem non tempus hoc in loco ſignificat. Igitur cùm hæc à me dicta & prænuntiata ſint, *Quare mœrore contraheris?* Alloquitur enim Iſraëlitarum ſocietatem velut præſente calamitate in futurarum ſemper miſeriarum metu poſitam. *Numquid rex non eſt tibi, aut conſiliarius tuus perijt?* neque enim tibi deſperandum eſt, quamdiu rex tuus, qui tibi ſemper optimè conſultum eſſe voluit, vixerit, viuet autem in æternum. Quamobrem in ipſo miſeriarum vſu diuinum conſilium etiam agnoſcendum eſt, idemque futuro rerum exitu expectandum. Neque enim præſenti dolore ſuccumbere debes, cui modum tandem & finem accedere poſſe intellexeris. Exigui namque conſilij & abiectiſſimi animi femina illa eſſet, quæ incidente partus tempore dolorum difficultatibus affecta, ita animo concideret, vt ſibi & fœtui lucis & vitæ vſum adimeret. *Quia comprehendit te dolor ſicut parturiens*, atque ob eam rem contraheris, cùm contrà potius forti & conſtanti animo, ad diuinam fidem & miſericordiam, ad diuinam opem, auxiliumque petendum omni cogitatione, conatu ac ſtudio conuerti debueris. Ita adeò longæ ac diuturnæ Iſraëlitarũ miſeriæ ſenſum, & antiquæ felicitatis deſideriũ, diuinæ prouidentiæ & miſericordiæ commemoratione, & futuræ tandē ampliſſimæ reſtitutionis ſpe conſolatur. Contrà verò Iudæorum, inſolentiam breuioris quidem grauiſſimæ, tamen calamitatis obnuntiatione, & furentē peccandi impetũ cohibere conatur, quos ad reddēdæ etiam priuatè ipſis & publicè omnibus ſalutis expectationem tandem excitat.

Dole, & ſatage filia Sion quaſi parturiens, quia nunc egredieris de ciuitate, & habitabis in regione: & venies vſque ad Babylonem, ibi liberaberis: ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum.

SAPIENTISSIMIS & commodiſſimis alteri atque alteri populo rationibus & orationibus vates egit. Illius enim miſerrimis rebus, propoſita ſpe, ſuccurrerat, hic inſolentia elatis & perturbatis, magno adiuncto metu, occurrit, cũ ſubeundas propediē Iudæis pœnas grauitatis potius exiſtimatione metuere, quàm breuitatis cogitatione contēnere oporteat. Pariendi enim tempus illis appropinquare, non ludendi: quod quamquam breue ſit, non leue, non doloribus maximis & miſerijs vacuum eſſe poſſit, quibus ea mala & ſcelera admiſſa fuerint, à quibus nō niſi datis & ſolutis pœnis liberari poſſe putandũ ſit: *Quia nunc egredieris de ciuitate*] Ieruſalē capta & abducta migrabis & forma iſta ciuitatis extincta *habitabis*

In regione. Hebraicè, *habitabis in agro*: tædioſiſſima & duriſſima ijs, qui vrbanæ vitæ aſſueuerint,
habitatione: qualis olim captis & abductis victoris lege contingebat, non intra vrbes ipſas, Pſalm. 13;
ſed in ſuburbanis, & pagis, auguſto & incommodo domicilio, ſuper flumina Babylonis,
vbi ſedentes patriæ ciuitatis memoriam, luctu & gemitu aſſiduo, grauiſſimiſque ſuſpirijs
proſequerentur. Sic etiam Romæ habitabant, qui ad eam vrbem à victoribus fuerant de-
ducti: *Nunc ſacri fontis nemus & delubra locantur Iudæis, quorum cophinus, fænumq́; ſupellex.* Igitur Iuuen. Sat.
non in vrbe, ſed in regione, atque agris aliarum vrbium, non paucorum dierum, neq. com-
moda ſedes tibi collocanda eſt; neque id prope patriam vrbem tibi continget, vt vel faci-
lè viſendi ſpe, vel aſſiduis nuntijs recreari poſſis, *ſed venies vſque ad Babylonem.* Quòd ſi redem-
ptionem & liberationem tandem tibi à Deo impetrandam eſſe ſperes: interim tamen do-
lendum tibi, & grauem miſeriam ferendam eſſe memento: *ibi liberaberis* non prius, quàm ti-
bi conſtituto tempore inſolentiæ, flagitij, atque impietatis pœnas dederis: *ibi redimet te Domi-
nus de manu inimicorum tuorum.* Inter infeſtam tibi & inimicam gẽtem interim agentẽ; ita adeò
ſupplicij grauitatem à re ipſa, à locorum & commodorum comparatione, ab interuallo &
perſonis Vates arguit. Quamquam autem Iudæa gens à Babylonijs afflicta, & miſerè diu
fuerit vexata: tamen vt diuina, pura ac ſancta religio extingueretur, ex ea re non euenit.
Diuini enim conſilij fuerat, vt contaminata à gente ſua religio pœnis illis expiaretur, non
autem perderetur; neque enim ea vnius gentis conſilijs, & conatibus extingui poterat, quã
Deus illuſtriſſimam & omnibus totius orbis gentibus ad expugnandum cõgregatis, ſupe-
riorem fore ſtatuerat: Imò ex illius apud Babylonios afflictæ ſynagogæ reliquijs pulcher-
rimam, & frequentiſſimã, atque illuſtriſſimam eccleſiam ſibi proſeminandam ſuſceperat:
aduerſus quam neque principes & poteſtates, neque altitudo, neque profundum, neque
omnes denique inferi præualebunt.

Et nunc congregatæ ſunt ſuper te gentes multæ, quæ dicunt, Lapidetur, & aſpiciat in Sion oculus noſter.

Et nunc.] Parandam porrò ab omnibus gentibus Chriſtianæ eccleſiæ, hoc eſt, Sionis filię
impugnationem, & diuinam propugnationem, celeberrimamq́ue de hoſtibus victoriam
breuibus prædicit: quo ſermone omnis antiquæ ſynagogę, & præſentis eccleſiæ ſtatus præ-
ſcribitur: mirum enim dictu eſt, quantæ ex gentibus, & populis omnibus copiæ ſanctum
Ieſu Chriſti euangelium ad impugnationem ſibi ſumpſerint, quantumq́ue in cæleſtẽ hanc
diſciplinam, tanquam in contaminatiſſimam aliquam ſuperſtitionem, tanquam in com-
munem orbis peſtem odium ſtruxerint: hinc illa barbara & effera in ſanctiſſimos & for- Arnobius. Lactantius.
tiſſimos martyres ſæuitia. De qua illud verè à D. Paulo decantatum eſt: Quoniam propter Plinius Iu-
te mortificamur tota die, exiſtimati ſumus tanquam oues occiſionis. namque princeps il- nior.
le mundi huius cùm diuinum & arcanum ſalutis publicæ negotium ſe fruſtra contenden-
te expeditum tranſactumq́ue cognouiſſet, illud omnibus conſilijs, ſtudijs & conatibus cu- Auguſt. de
rabat, ſcilicet ne pręclarus atque exoptandus de tanta felicitate nuncius publicè in omnes ciuit. Dei.
gentes perlatus audiretur. Sed id conſilijs & impugnationibus ſuis effecit, vt ipſa morien-
tium & cęſorum propter Chriſtianam pietatem cęde, diuina cauſa verior, clarior & illu-
ſtrior euaderet, ſicut ſcriptum eſt: Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dile-
xit nos. Itaque non dubitandum ſynagogæ eſſe ait, vt nõ ex paucorum hoſtium, hoc eſt, Rom. 8.
Babyloniorum manibus tandem liberetur; ſiquidem futurum eſt, vt eius filia Eccleſia fu-
rentes & violentiſſimos gentium omnium exceptos in ſe impetus tãdem cohibeat, atque
illuſtri victoria ſuperet. Quę dicunt lapidetur, tãquam ſuperſtitioſa & nouorum dæmo-
niorũ aſſertrix (ſicut illi dicebant) Hebraicè verbum eſt THEHHENAPH, Latinè ſuper-
ſtitietur, expietur vt impia. [*Et aſpiciat in Sion oculus noſter.*] Vltionis ſtudium & cupiditatem חנף
maximam hæc ſignificat oratio: vt illud, Et ſuper inimicos meos aſpexit oculus meus: &,
Euge, euge viderunt oculi noſtri, nempe id, quod cupieramus. illud autem ex iſtorũ Ec-
cleſię hoſtium conſilio, conſpiratione & ſtudio euenturum eſſe ait, vt quo frequentior im-
pugnantium numerus fuerit, eo illuſtrior victoria, eo certior & manifeſtior Dei erga ec-
cleſiam prouidentia conſiliumq́ue agnoſcatur.

Ipſi autem non cognouerunt cogitationes Domini, & non cognouerunt conſilium eius, quia congregauit eos, quaſi fœnum areæ.

ADVERSARIORVM conſilijs & conatibus ad ſuam ipſorum perniciem ſapientiſſimè
Deum vti ſolere frequentibus diuinorum librorum teſtimonijs atque exemplis docemur,
ſicut ſcriptum eſt: Et cum peruerſo peruertẽris, quia tu populum humilem ſaluum facies,
& oculos ſuperborum humiliabis, &c. Igitur illum aduerſariorum omnium vltrò aduer-
ſus euangelium & eccleſiam concurſum, illum maximum conſiliorum, moliminum, ar-

 morum

morum & rerum omnium apparatum illuſtrioris Ieſu Chriſti & eccleſiæ victoriæ materiam fore prædicit, vt maxima manipulorum in aream coaceruatio maiorem trituram & cumulatiores aſſeruandi frumenti aceruos promittit. Iam verò præuiſa à ſe & certa victoria geſtiens, eccleſiam ad magnam ſpem & rem ſtrenuè gerendam, ac veluti negotio ipſi iam præſentem alloquitur:.

Surge & tritura filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, & vngulas tuas ponam æreas.

QVANTO virtutis & dignitatis diuinæ atque gratiæ interuallo noui teſtamenti eccleſia veterem ſynagogam ex diuino beneficio excellat, inſignis contentionis imagine ſignificatur. namque illa oui claudicanti & eiectæ, quæ ferarum incurſionibus facilè expoſita eſſet; hanc verò robuſtiſſimo & ad trituram expediendam valentiſſimo tauro, qui vltra proprium robur ferreis cornibus & æreis vngulis præditus ſit, perſimilem eſſe dixit; id adeo cum à natura eſſe non poſſit, diuino beneficio contingere Vates declarat. [*Ponam cornu tuum ferreum.*] Taurus in pugna validiſſimus eſt, quòd non dente modò, ſed cornu magis & pedibus rem agat. Eam rationem ſacri auctores à natura ad animum transferentes, diuinæ virtuti oportuniſſimè accommodant: vt, Cornu eius exaltabitur in gloria: In te inimicos noſtros ventilabimus cornu.. Sed ad maximas aduerſariorum pugnas, ſiue illæ viſibiles, ſiue inuiſibiles fuerint, ſtrenuè exercendas, hæc ſimilitudo præcipuè transfertur. Hæc autem omnia diuini ſpiritus, quo Chriſtiana religio gubernanda erat, virtutem ſignificant; virtutem autem illuſtriſſimam quondam, nunc autem quanquam non omnino deſideratam; temporum tamen atque hominum vitio minus fortaſſe, quàm expediret, manifeſtam: de cuius rationibus vt aliquando commodius & fuſius diſſeramus, propitium mihi Deum eſſe velim. Huius ergo diuini ſpiritus virtute & magnitudine omnes eccleſiæ hoſtes ſuperandos, omniaque illorum precioſiſſima ſpolia, ſapientiam, ſcientiam, nobilitatem, potentiam, opes, diuitias, quicquid denique pulchrum preclarumque huius mundi cultoribus exiſtimatur, victoriæ iure detracta, Deo victori dedicanda eſſe præcinit.

Pſalm. 111. Pſalm. 43.

Et comminues populos multos, & interficies Domino rapinas eorum.

QVÆNAM eorum, qui verbo Euangelij victi fuerunt, res apoſtolorum voluntati permiſſæ non ſunt; quæ diuitiæ non in communes, tum eccleſiarum, tum pauperum vſus vltro oblatæ, qui libri curioſi non exuſti? quæ arma tandem non depoſita? quæ humanarum ſcientiarum contra diuinam ſapientiam rationes non damnatæ fuerunt? demum nihil adeò magnum, adeò dignum, adeò probatum antea hominibus fuerat, quod in obſequium fidei non traderetur.

Et fortitudinem eorum Domino vniuerſæ terræ.

SOLENNE olim magnis ducibus & imperatoribus fuit, parta ex hoſtibus victoria, ex eorum, qui victi eſſent, armis & ſpolijs, Deo quemque ſuo clara exornataque trophæa cũ huiuſmodi inſcriptione ſtatuere: *Ioui ſeruatori. Marti vltori. Neptuno Libero patri.*

Igitur in hac diuina de euangelij hoſtibus victoria illud ſacris pugnę miniſtris & magiſtratibus ſolenne; ſanctius tamen ſeruandum eſſe ſignificat; vt detracta victis ſpolia non ficto alicui & vano numini, ſed vero vniuerſæ terræ Deo humanæ ſalutis auctori maximo, ſtatuto trophæo, dedicentur. [*Domino vniuerſæ terræ:*] Epigrammatis formula ex antiquatum inſcriptionum imitatione deſcripta eſt.

CAPVT V.

NVNC *vaſtaberis filia latronis: obſidionem poſuerunt ſuper nos; in virga percutient in maxilla Iudicem Iſrael.*

HACTENVS caput quartum in Hebręo. Immanem, ferum & capitalem eccleſiæ & euangelij hoſtem gentilitatem fuiſſe omnibus antiquis hiſtorijs compertum exploratumque eſt, quòd illa plurimarum religionum, imò ſuperſtitionum immenſa varietas de ſacroſancto Chriſti euangelio impediendo coniurata, magno impetu, communi ſtudio, omnibus opibus & copijs in eius verbi præcones & miniſtros irruerit. eam adeò rem certioris ſibi ruinæ & exitij cauſam futuram eſſe Vates præuidens obnunciauit, ſermone à victoribus ad victos ipſos conuerſo, quibus eiuſmodi dicendi figura non minore vaſtatio-

nis,quàm alteris victoriæ fidem facit. [*Nunc vaſtaberis filia latronis.*] Elegans in Hebraico exemplari eiuſdem verbi variæ ſignificationis eſt vſus,qui Latinè planè reddi non poſſit. *Nũc Thitgodedi,filia Gedud*; vbi nomen *Gedud* congregationem ſiue exercitum vel cœtum;*Gadad* verbum congregare & incidere, atque capillos vſque ad caluitium euellere ſignificat.Gentilitas autem quod non vni certę familiæ aſſcribi poſſit, filia cœtus dicitur .contrà verò ecclesia filia Sion & filia Iſraël appellatur. Vtriuſque autem ſignificationis ſententiam continet, vt varię ſuperſtitionis cultorũ cœtũ magnis copijs congregatũ & ſenſim minuendũ, tandẽ caluitij modo vaſtandum eſſe doceat. Eiuſque à Deo exciſionis duplex cauſa & culpa profertur;altera quòd cõmuni ſtudio,conatu & impetu ad expugnandam vrbẽ ſanctã, hoc eſt ecclesiam, eiusq. miniſtros; quorum numero ſeſe Vates aſcribit, coniũgere cogitauerint: altera quòd comprehẽſos à ſe iudices & magiſtratus Iſraëlis nimis aſperè & contumelioſè tractauerint, & ipſum præcipuè maximum Iſraëlis ducem Chriſtum calamo in maxilla ad ignominiam percuſſum, probris omnibus affecerint . cuius infandi facinoris miniſtri milites imprimis ex gentilitate fuêre;qui expuentes in eum accipiebant arundinem & illudentes percutiebant caput eius, & dabant ei alapas. Vnam autem Chriſti & Ecclesiæ miniſtrorumque eius cauſam eſſe totis ſacrorum librorum folijs docemur: vt, Saule,Saule,quid me perſequeris? Ego,inquit,Ieſus Nazarenus,quem tu perſequeris:cùm tamen ille ſacros euangelij miniſtros & pios Chriſtiani nominis profeſſores eſſet inſecutus. Igitur magnam rerum omnium mutationem illuſtrem, & perpetuam pietatis de impietate & ſuperſtitione victoriam ſua auctoritate & Chriſti virtute vbi futurã Deus promiſerat, commodè ad tanti ducis celebrandam patriam & locum ſermonẽ conuertit:quo in loco non minora prouidentiæ & auctoritatis ſuæ argumenta, quàm in ipſa gerendæ rei expeditione inuenienda eſſe dicit,cùm ex tam humili & exiguo oppidulo tantum ducem ſibi, imò tantam omni orbi lucem & ſalutem producturus ſit.

Matth. 27. Ioan. 19. Act. 9.

Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſraël, & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.

MAGNVM Chriſti Ieſu in publicam hominum ſalutem mittendi,& diuini generis & humani ortus humilitatis ſacramentũ hoc vaticinio contineri publici aduerſariorũ noſtrorũ concilij interpretatione docti ſumus: quã ſacri euangeliſtæ verã & certã agnoſcentes, narratione tantùm retulerunt. Sed quoniam ex illorum gente excæcati quidam & tantis myſterijs indigni interpretes, maiorum ſuorum ſententiam cauilloſa quadam argutia frangere conati ſunt: quanquam nobis interpretẽ profeſſis diſputationem agere conſilium non fuerit; tamen quod ad veritatem propugnandam commodè fieri poſſit, explicata primùm orationis ſententia, cauillatorum iſtorum conatus leui oppugnatione infringere operæpretium viſum eſt. Igitur tantæ totius orbis ſalutis, & ſacræ eccleſiæ conſtituendæ à ſe prædicatæ occaſione futuræ ſeruatoris illius patriæ Bethlehem gratulatur, ſimul & magna ac certiſſima de illo obſeruanda oracula pronunciat, cùm quòd illum ex Dauidis familia oriundum eodem cum Dauide loco ortum, tum quòd duabus eum naturis diuina pariter & humana cõſtare ſubindicat. [*Et tu Bethlehem Ephrata.*] Ad vaticinij certitudinem loci etiam notatio pertinet, cùm Meſſiam ſuum Bethlehemitem fore ex Iudæ tribu, atque adeò ex Dauidis domo, quæ olim Bethlehem fuit, cuius præcipuus ciuis Ieſſe ſiue Iſai Dauidis pater commemoratur ex antiqua Iudæorum familia Booza patre ortus vir. Cùm verò duo oppida Bethlehem nomine in terra Iſraëlis fuerint; alterũ in Zabulonitide ſorte, vnum ex duodecim in illius tribus valle conſcriptis oppidis ſecundũ Semerona & Iedabam, ſicut ſcriptũ eſt: Et Catheth,& Naom,& Semeron,& Iedaba,& Bethlehem: alterum verò frequenti memoria celebratum in Iudæ hæreditate, cui Ephrata prius nomen fuerat, Rachelis vicino ſepulchro inſigne. ſic enim ex Moſis hiſtoria accepimus: Mortua eſt ergo Rachel,& ſepulta eſt in via, quæ ducit Ephrata, hæc eſt Bethlehem. certæ igitur notationis cauſa Bethlehem Ephrata hoc vaticinio eſt appellata. Cuius quidem oppidi ratio ſi ad militum copiam & conſcribendum numerum referatur, perexigua profectò erit, quòd tam paruum oppidũ cum cæteris Iudæ vrbibus, ex quibus multæ myriades hominum conſcribi poſſunt, comparandum non ſit. ſi verò ad ipſam conficiendæ rei ſummam relata ratio ſit, nequaquam minimum oppidum, ſed omnium maximum & digniſſimum cenſebitur, vtpote quod expectatiſſimi illius diuini ducis, qui totius populi gubernationi, ſaluti atque cæleſtis regni procurationi diuino cõſilio præficiendus erit, natalibus deſtinatum ſit. Ex hac adeò explicatione, quæ à nobis deſcripta eſt, locum hunc nihil cum illo quem apud D. Matthæum legimus, pugnare conſtiterit, quando eadem argumenti vis, eadem excepta vtrobique ſententia eſt. nam Vates hic argumentationis propoſiti-

Ioſu. 19. Gen. 35.

poſitionem pronuntiauit, ſapientes verò illi deductam rationis ipſius concluſionem protulerunt; quæ ad præſentis cauſæ queſtionem commodiſſimè faciebat; hæc ad loci & patriæ prædicationem: ad perſonæ verò ipſius dignitatem & amplitudinē illud magno quodam diuini ſpiritus impetu raptus arcanum planè & diuinum Vates edidit non ſine ſublimi voce & vehementi oris manuſque geſtu & habitu, tanquam admirabile quiddam pronuntiandum. [*Et egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.*] *Egreſſus*, Hebraicè *Mozzah* rei vel negotij cuiuſpiam initium, vnde primùm inſtituitur atque oritur, ſignificat; vt Solis primū Arietis gradum tenentis primus ab oriente motus hoc nomine Hebraicè; Latinè verò egreſſus ſiue egreſſio dicitur: vt, A ſummo cælo egreſſio eius, &c. Qua quidē ex obſeruatione Meſſiæ originem in hoc loco ſignificari docemur. Non eſſe autem vnā tantùm in hoc Meſſia naturam nomen ipſum multitudinis numero Hebraicè pronuntiatum arguit, cùm in ſolis egreſſione ſingulari numero dictum ſit: hîc autem multitudinis numero egreſſus dicantur. Igitur duas naturas in Chriſto fore præcinuit Vates, quarum rationes & deſcriptiones ex varia temporum notatione arguendas docuit. nam quę prior nobis & cognoſcentibus natura ſeſe offert, hoc eſt humana, ab initio rerum conditarum, hoc eſt à prima hominum origine initium ducere dicta eſt. ſiquidem initium, quod Hebraicè KEDEM dicitur, temporis & mundi principium eſt; atque ita locus ille, In principio creauit Deus cælum & terram, Chaldaicè, ad temporis initiū relatus, ſic verſus eſt, BEKADMIN, voce à KEDEM deducta. Igitur alterum egreſſum alteramque Chriſti naturam & originem ac negotij eius inſtitutam rationem, ab illo, qui primus hominum omnium extitit, Adamo fuiſſe ait, atque ad illius res & rationes componendas promiſſum olim fuiſſe Chriſtum, ex illoque temporis initio iam myſterium hoc cœpiſſe, ſubindicatur. atque hæc quidem explicatio cum diuina illa ſententia conuenit: Inimicitias ponam inter te & mulierem, ſemen illius " & ſemen tuum, & ipſum conteret caput tuum, & tu dominaberis illius. Alterū verò Meſ" ſiæ & ducis magni in Bethlehē naſcituri egreſſum *à diebus æternitatis* eſſe ait. Atque hac oratione nulla alia, diuinam in Chriſto naturam, vt non planè diceret, ſed prophetico dicendi genere ſignificaret, aut certius aut melius probare & confirmare potuit. namque æternitatis dies vnius Dei, non aliarum ita rerum ſunt. Cæterę namque omnes, præter vnum Deum, naturæ mundi initio aut poſteriores, aut certè coæuę ſunt, & ſeculorum originem nullæ excedunt. Deus autem noſter ante ſecula & priuſquam montes fierent, aut forma" retur terra & orbis, à ſeculo eſt. Quibus ex rebus omnibus & rationibus illud conſequitur; diuinum hunc ducem Meſſiam qua homo eſt, ab initio atque à primo hominum parente Adamo, qua verò Deus eſt, à diebus æternitatis egreſſum habere. Illud verò ſilentio prętereundum non eſt, quòd humana in Chriſto natura terreno & humano patre carere ſubindicatur. quandoquidem eius egreſſus ad mundi initium relatus, illum ſecundum hominem non humano ſemine, ſed diuinæ planè virtutis opera productū declarat, quemadmodum primus homo nullo ab homine ſatus ſolum ſui auctorem & ſatorem Deum agnoſcit. Vt igitur Adam primus diuina virtute ex terra factus purus quidem & innocens primū extitit, atque ad imaginem & ſimilitudinem Dei prodijſſe dictus eſt (cùm cæteri ab hoc iam corrupto homine orti non ad Dei, ſed ad parentis ipſorum imaginem geniti dicantur) ſic poſterior hic Adam ex ſanctiſſimæ virginis puriſſimo ſanguine Altiſſimi virtute & ſpiritus ſancti obumbratione conceptus ſanctuſque natus; huius etiam humanę naturæ ratione Dei filius appellatus eſt. Conſtat igitur illum vtroque egreſſu ad diuinam virtutem eſſe referendum, qui quòd Deus ſit, à diebus æternitatis habet; quòd verò homo eſt, quanquam in fine temporum ex humana matre ſit natus, tamen paternum initium non ab homine, aut humano gignendi homines modo, ſed à Deo atque diuina producendi hominem & ineffabili atque adoranda magis, quàm inueſtiganda virtute habet. Hæc adeò ratio Chriſtum vtraque ex parte ad patrem relatum cæleſtem planè, & qua homo eſt, ad Dei imaginem magis etiam, quàm antiquum illum factum eſſe probat, ſicut ſcriptum eſt: Primus Adam de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cęleſtis; verus " quidem homo ex humana carne & anima rationali conſtans, ſed quo verior homo eſt, hoc propius ad diuinam imaginem & ſimilitudinem accedens, vt propius quidem Adam primus accedebat, antequam natura ſua vitio & culpa deformata filios ad imaginem ſuā genuiſſe dici poſſet. Atque adeo ad hoc myſterium & ad hanc vtriuſque Ieſu Chriſti egreſſus rationem conſiderandam D. Lucas longam illam ſuam ſeriem reuocabat, cùm ſic ſcriberet: Vt putabatur filius Ioſeph; vt putabatur, inquit, ſed non erat. nam ex diuina natura patrem habebat Deum, ex humana verò neque patris Ioſeph filius erat, ſed matris virginis, cuius legalis pater Ioſeph, virginis verò naturalis & legitimus parens Heli erat, qui fuit Mathath, qui fuit Leui, &c. qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei,

Marginalia: מוצא — קדם — Gen. 3. — Pſalm. 89. — Luc. 1. — 1. Cor. 15 — Gen. 4. — Luc. 3.

Dei. Hactenùs de principis ac ducis noſtri Chriſti Ieſu egreſſibus; nunc verò deinceps aduerſariorum in veritatem coniecta tela quàm celerrimè retundamus. Ieſum, inquiunt, Nazarenum, quanquam in Bethlehem natum admittamus; tamen Chriſtum fuiſſe ex eo negamus, quòd ſcriptum ſit: qui poteſtatem habeat in populo meo Iſraël, quem tamen Iſraëlitarum poteſtati paruiſſe magis, quàm præfuiſſe conſtat. Præterea Meſſia quicunque ille ſit, Deus non fore ex eo arguitur, quòd ab initio progreſſum eius eſſe Vates affirmet; ſed Deum ab initio eſſe dicere nefas eſt, qui ante omne temporis initium æternus fuerit, ſicut ſcriptum eſt: Antequam montes fierent, &c.

RESPONSIO.

REGNVM Chriſti non eſſe de hoc mundo, vt ipſe idem profeſſus eſt, ſic libenter fatemur, atque ita etiam cæleſte & diuinũ planè regnum omni diuina virtute & poteſtate auctoritateque præditum, ab omni vana pompa atque ambitione, omni auaritia & crudelitate atque inhumanitate alienum illi tribuimus. hæc enim omnia hominum mundana & vana, momentanea, fluxa, caduca, & perturbationibus plena ſunt, cùm cæleſtis regni auctoritas non his rebus, ſed diuini verbi virtute & ſacrarum viarum cognitione nitatur, ſicut ſcriptum eſt: Et docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius. quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem. Quòd verò Deus principio careat, ſumma fide excipientes, Chriſti quidem egreſſum alterum quatenus homo eſt, ab initio eſſe affirmamus: alterum verò quatenus Deus eſt, à diebus æternitatis, (quæ pars conſulto à vobis prætermiſſa eſt) deduci aſſerimus: Quod ſi Hebraicum nomen *Gholam*, non æternitatem, ſed ſeculum vertere oportere Iudæi contendant, nihil de ea re laborandum nobis eſt, quando diuinam æternitatem non minus eodem ſeculi nomine atque eodem dicendi tropo, quàm æternitatis expreſſo vocabulo dici conſtet, ſicut ſcriptũ eſt: A ſeculo & vſque in ſeculum tu es Deus: & iterum, Priuſquam formaretur terra & orbis, à ſeculo tu es. Iam verò Chaldaicam antiquæ auctoritatis in hunc locum interpretationem Latinè ad verbum reddamus: *Et tu Bethleem Ephrata, ſicut paruula es ad numerandum in millibus domus Iuda, ex te à facie mea exibit Chriſtus, vt ſit faciens regnum ſuper Iſrael, cuius nomen præparatum à principio à diebus ſeculi.*] Verſio hæc & antiquam ſynagogæ à Matthæo relatam, & noſtram etiam interpretationem confirmat. Atque vt inceptum de Meſſia ſermonem Vates abſolueret, gerendę ab ipſo rei rationem notato temporum ordine ſapientiſſimè & certiſſimè explicuit: quemadmodum ex durioribus & anguſtioribus primùm temporibus ad maximam & præclariſſimam felicitatem apoſtoli ac diſcipuli Chriſti euaſuri eſſent. Pſal. 70. Michæ. 4. Pſalm. 40. Pſalm. 79.

Propter hoc dabit eos vſque ad tempus, in quo parturiens pariet: & reliquia fratrum eius conuertentur ad filios Iſraël, Hebraicè, *ſuper filios Iſrael.*

Propter hoc] non efficientem, ſed finalem cauſam aut rationem Hebraica vox habet. Huius autem loci hæc ſentẽtia eſt, Chriſtum Dei filium & humanæ ſalutis interpretem, nuntium & auctorem, vt opus negotiumque ſuum non humano apparatu, ſed diuino conſilio & virtute confectum probet, plurima primùm & duriſſima ab hominibus perpeſſurum; adeò vt ea res diſcipulos apoſtoloſque ſuos in ſolicitudine ac metu, propter ſalutem etiam ſuam ponat, donec periculis & difficultatibus illis, quaſi partu quodam laborumque functione euaſis, & regnum ſuum ſibi & perpetuã illis & ſtabilem felicitatem ac ſecuritatem ſpiritu ſancto immiſſo confirmaret. [*Propter hoc dabit eos vſque ad tempus, in quo parturiens pariet.*] Graues quidem, ſed breues tamen turbas, metus, dolores, atque curas diſcipulorum fore, lętiſſimum autem tandem exitum habitura hæc parturiẽtis & partus imagine ſignificauit. nam qui læti prius ſub cuſtode & præceptore duceque ſuo ſecuri nulliuſque rei egentes agebant, eiuſdem in gentium & inimicorum manus traditi abſentia & deſiderio, ſibi ipſis anxiè timere & ſolicitè cauere cœperunt, quibus ob eam rem dictũ fuit: Omnes vos ſcandalum patiemini in me in nocte iſta: ſcriptum eſt enim, Percutiã paſtorem & diſpergentur oues gregis. Sed poſtquam ſpiritu ſancto in diſcipulos immiſſo dextera Dei exaltatus ac filius publicè declaratus eſt, ex virtute ſanctificationis Chriſtus Ieſus appoſitis in dies & additis diſcipulis, *reliquiæ fratrum eius conuerſæ ſunt ſuper filios Iſraël.*] Multi enim ex fratribus Iudęis, qui ſecundum carnem ex genere Chriſti erant, apoſtolis veris Iſraëlis filijs, in quibus dolus non erat (qui in tentationibus permanentes cum Deo potẽtes audire meritò potuerunt) additi ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Vos qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, &c. totum illũ locũ mente recolere operæpretiũ erit, nec non & primum, ſecundũ, tertiumq́. ex hiſtorijs apoſtolicis caput: Qui receperũt, inquit, ſermonẽ eius baptizati ſũt, & appoſitę ſunt in illa die animę circiter tria millia, &c. Quãta autẽ, quàm firma & conſtans felicitas, quãta hominum & diſcipulorũ frequentia ac celeritas hæc turbata primùm tempora ſecutura ſit, ſtatim ſubiungit: Luc. 22. Math. 24. Luc. 22. » Act. 1. 2. 3. "

Et ſtabit & paſcet in fortitudine Domini in ſublimitate nominis Dei ſui, & conuertentur, quia nunc magnificabitur vſque ad terminos terræ.

ac. 1. *Et ſtabit*] Firmam ſibi ſedem & domiciliũ in cælorũ regno collocabit, cuius nullus finis
futurus erit. [*Et paſcet in fortitudine Domini.*] Suſceptũ ſemel ſibi gregẽ & parêre atque obſequi
ſtudentẽ omni cura, ſtudio tutelaque proſecutus, ſecurum, tutum incolumemque ſeruabit.
„ Oues, inquit, meæ vocem meã audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam
„ æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea:
„ Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu patris
mei; & ego & pater vnũ ſumus. namque ſuo & patris nomine ac virtute commiſſum &
creditum ſibi populum maximis diuini ſpiritus muneribus recturum eſſe iam olim diuinis oraculis apud ſanctiſſimos vates verbum ipſum Dei receperat. huius rei cauſa ait: *In
fortitudine Domini, in ſublimitate nominis Dei ſui.*] Ex qua re illud eueniet, vt qui antè ſumma contentione nomen illius oppugnauerant, illuſtre & grauiſſimum cæteris ſtatuentes exemplum, conuertantur, & tandem illius regnum & nomen ad orbis vſq. terrarum fines propagetur. Huius adeò loci integram ſententiam, vt res ipſa cum oraculo aptiſſimè conueniret, ſub ipſis iam diuinæ ſuæ expeditionis initijs Chriſtus apoſtolos allocutus referebat:
Ioan. 16. Amen dico vobis, quia plorabitis vos & flebitis, mundus autem gaudebit: vos autem con-
« triſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Mulier cùm parit, triſtitiam habet,
« quia venit hora eius; cùm autem pepererit puerum, iam non meminit preſſuræ, quia na-
» tus eſt homo in mundum; & vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis: iterum autem vi-
» debo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis, &c. nam totus ille locus ad hunc commodiſſimè refertur. [*Quia nunc magnificabitur.*] Vaticinio rem præ-
Pſalm. ſentem facit. ſignificat autem *nunc* idem, quod de cætero. [*Magnificabitur vſque ad terminos ter-*
« *ræ.*] ſicut ſcriptum eſt: Et dominabitur à mari vſque ad mare, à flumine vſque ad termi-
« nos orbis terræ. coram illo procedent Æthiopes, & inimici eius terram lingent. Reges
» Tharſis & inſulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent, &c. nullum
enim euangelicæ rei hoſtem, adeò ferum, adeò barbarum futurum eſſe, qui non tandem victus ſe Chriſto dedat: id quod in certis generibus vates olim promittentes eleganti ſynecdoche cõmuniter intelligi voluêre; maximè autem cùm alij alios nominantes vniuerſos fere comprehenderent.

Et erit pax.

HABITABIT enim lupus cum agno, & communi in vnum Chriſti regnum conſpi-
Iſai. 7. ratione multitudinis credentium erit cor vnum & anima vna, & erunt quotidie vnanimi-
Acto. 1. 3. ter perſeuerantes in oratione in templis, quibus nihil omnes vel domeſtici vel externi vel viſibiles vel inuiſibiles hoſtes ſub tanti cuſtodis tutela & præſidio latentibus nocebit. Hebraicè, *& erit hæc pax.* Pax Chriſti vera & vehementer expetenda, non quam mundus infidam inutilemque pacem dat, ſed certa & diuina pax omnem formidinem & turbas omnes à ſuorum cordibus expulſura, quòd in perpetua principis ſui Ieſu cuſtodia & tutela ſe latere intelligant. Non turbetur cor veſtrum neq. formidet, &c. Cuiuſmodi autem pax iuſtitiæ & iudicij rationibus munita futura ſit, ſtatim declarat.

Aſſyrius cùm venerit in terram noſtram, & quando calcauerit in domibus noſtris: & ſuſcitabimus ſuper eum ſeptem paſtores, & octo primates homines, & paſcent terram Aſſur in gladio, & terram Nimrod in lanceis.

ET erit, inquit, hoc modo certa & iudicio atque æquitate cõfirmata pax, vt Aſſyrij, qui maximi olim antiquæ Eccleſiæ & infeſtiſſimi hoſtes, pertinacique odio à vera religione alieni fuerant, tum demum ſocietate & religionis ac pietatis communione nobiſcum iuncti diuinis legibus pareant, & apoſtolis atque eccleſiaſticis magiſtratibus dicto obtemperent, à quibus validiſſimo Euangelij verbo & diuina virtute gubernentur. Aſſyrium autem certiſſimum & maximum quondam hoſtẽ præcipuè appellatum, cæterorum omnium perſonas gerere Deus voluit. Hic, inquit, cùm compoſita iam pace terram noſtram petierit, & domos etiam noſtras familiaris conſuetudinis cauſa frequentauerit, præfectos ſibi ex ritu moreque noſtro principes, iudices, epiſcopos & presbyteros etiam multos ſuſcipiet, qui quondam ſolus imperare neminique parêre volebat. Ij autem paſtores & primates homines regent *Aſſur in gladio*, qualem magiſtratus & vindices in iram ei, qui malè
Rom. 13. agit, geſtare ſolent. Hic autem ſpiritus gladius (quod eſt verbum Dei) futurus fuit; neque
Ephe. 6 ſolum Aſſyrij terram in omnes alias regiones tyrãnidem exercentem, ſed Babylonem ipſam antiquum & primum eius tyrannidis caput, & bellorum ac cędis omni orbi magiſtram in lanceis & faſcibus, alijſque magiſtratuum & poteſtatis inſignibus regent. Eadem

autem

autem ſententia eſt, ſiue, vt Latina verſio habet, *lanceis*, ſiue, vt Hebraica habet, *aperitionibus*, legamus. namque magnam pacem & ſecuritatem, magnamque iuſtitiæ & æquitatis ſignificationem portarum apertio habet: vt illud, *Portaſq; non clauſas & arma Marte coli populata noſtro.* Huius loci interpretatio, qua pacis imago & argumentum proponitur, tũ ob eam rem belli rationes non admittit, tum etiam quod non duces, non præfecti militum, ſed paſtores & primates hominum, ſiue, vt Latinè eſt, *primates homines*, nominentur. Nullum autẽ maius & certius pacis argumentũ eſt, quàm vt milites exarmati, iudices verò armati, & portæ vrbium patentes viſantur. Atque ob eam rem ſeptẽ & octo tantùm futuros dixit gubernatores, qui gladium geſtarent, quibuſque cæteri omnes obtemperarent; eumque gladiũ nõ ad bellũ, ſed ad innocentiæ tutelam & priuatarũ iniuriarũ propulſationem fore, ita vt patentibus portis, nullius aut publici & externi hoſtis metu, aut priuati inimici ſuſpicione ſecuris agere liceat. [*Septem & octo*] certum numerum neque eum magnum, ſatis tamen pro negotij rationibus idoneum ſignificat; à qua ſignificatione illud alienum non eſt: Da partes ſeptem, nec non & octo, &c. In noſtris vulgaribus linguis ſeptem & octo numerum in eadem ſignificatione vſurpamus. *Nimrod* primus poſt diluuium orbis tyrãnus & belli gerendi auctor fuit, robuſtiſſimus venator ob eam rem appellatus. Fuit autẽ principium regni eius Babylon & Arach & Chalanne in terra Sennaar. Magnam porrò ab inimicis & hoſtibus atque omni ſuſpicione carentem ſecuritatem per Chriſtum fore confirmat, quòd ea diuini verbi vis, ea euangelij virtus ſit, vt pacem veram & firmam nulla inſidiarum opinione interturbatam, denique non qualem mundus dare ſolet, ſed ex vero animorum conſenſu, & communi in vnam Chriſti fidem conſpiratione profectam tribuat. namque ſpiritus ille diuinus pacis omnem ſenſum exſuperantis auctor, ſecuros agere iubebit. itaque quorum olim perfidiæ & inſidijs nihil credebatur, eorum porrò deinceps conſuetudini nihil diffident, Chriſto id efficiente, qui

Hor lib. 3. od. 5.

Eccle. 11.

Gen. 10.

Et liberabit ab Aſſur cùm venerit in terram noſtram, & cùm calcauerit in finibus noſtris.

CALCARE verbum frequentationem & celebritatem, familiaremque conſuetudinẽ ſignificat: vt illud, Dum veneritis ante conſpectum meum, quis quæſiuit hæc de manibus veſtris; vt calcetis in atrijs meis? Omni autem belli & inſidiarum ſuſpicione atque metu amiſſo, tranquillitatis, quietis, felicitatiſque maximæ fidelibus futuræ imago amplificatis rationibus appingitur. Iſai. 1.

Et erunt reliquiæ Iacob in medio populorum multorum, quaſi ros à Domino, & quaſi ſtilla ſuper herbam, quæ non expectant virum, & non præſtolantur filios hominum.

NON eadem quidem gentium omnium erga ſe iudicia, non paria ſtudia eccleſiam Chriſtianam primis ſuarum rerum initijs habituram; nihilominus tamen eodem proſpero ſemper diuini ſpiritus flatu vſuram eſſe, ſacris oraculis eſt decantatum. quanquam enim diuini euangelij à ſimplicioribus omnium gentium hominibus magno plauſu ſuſcepta cauſa eſt, tamen ab huius mundi auctoribus magno conatu, ingenti ſtudio & graui cõtentione fuit oppugnata. Verùm enimuero & ſuſcipientium & oppugnatorum partes eiuſdem diuinæ virtutis, diſſimilem tamen in ſe effectum experturas eſſe Deus & promiſſione olim declarauit, & re atque euentu ipſo demum præſtitit: nam quibus euangelium ſuſceptum fuit, diuina ſalus; quibus verò repulſum, horrenda cæcitas, & iuſtiſſima pernicies allata eſt, vtrumque rege temperante cælitum. Quam rem non minori auctoritate quàm veritate D. Paulus cæterique Apoſtoli prædicauerunt. non erubeſco, inquit, Euangelium: Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, &c. Reuelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei iniuſtitia detinent. Atque de hoc duplici euangelij in credentibus & in repellentibus effectu grandis nobis & interpretabilis ad dicendum ſermo eſt; quem cùm hoc in loco breuitatis cauſa explicare non poſſimus, ſententiæ tamen cognoſcendæ gratia annotare certè debemus. Igitur quòd maximæ ac diuinæ virtutis gratia paucorum hominum miniſterio, hoc eſt, euangelio ab apoſtolis & diſcipulis annunciato, in magnam gentium copiam effundenda eſſet, priori hoc verſu Vates ſignificauit, nimirum paucorum & humana opinione humillimorum atque imbecillium hominum, (qualis Iacob habebatur antequam Iſraël dictus eſſet) conſuetudinem & miniſterium magno vſui multis gentibus, quibuſcum verſarentur, futurum, idque adeo diuinæ tantum virtuti & auctoritati, non autem humanis negotijs aut opibus aut facultatibus aſcribi oportere, quemadmodum matutinus ros & pluuiæ ſtillæ ſolo Dei beneficio, non hominis vllo ſtudio aut opera è nubibus & cælo diffuſa herbarum generi gratiſſima vtiliſſimaque ſunt, ſicut & à vatibus eſt decantatum.

Rom. 1.

tatum: Et deſcendet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram,

Bucol. *Et ros in tenera pecori gratiſſimus herba eſt,* *In medio populorum multorum.* inquit ille.

Tranquillum, quietum, ac felix vitæ genus hoc tropo ſignificari iam ſuperius diximus. *Populorum* autem abſolutè dictum eſt, vt populos iam ſuos ac familiares ſignificaret, quibuſcum optimè ac feliciſſimè actum iri promiſit; contra verò, cum iis, qui repulſam euangelio attulerūt, durè admodum ac ſeuerè eſſe agendum: illos enim ſumma gratia, maximis ac diuinis beneficiis, hos verò graui vltione & debitis pœnis affici diuinum conſilium fuerat; ita vt euangelii curſus beneficentia, gratia & ſalute, alteros verò ſumma animaduerſionis ſeueritate perſeuerans conficiatur. hoc eſt quod ſubiungitur:

Et erunt reliquiæ Iacob in gentibus, in medio populorum multorum, quaſi leo in iumentis ſiluarum, & quaſi catulus leonis in gregibus pecorum; qui cùm tranſierit & conculcauerit, & ceperit, non eſt qui eruat; & exaltabitur manus tua ſuper hoſtes tuos, & omnes inimici tui interibunt.

In gentibus in medio populorum, &c.] Aliæ atque aliæ partes, alio atque alio dicendi modo ſignificantur: Gentes namque in Hebraici ſermonis de religione rationibus, iidem qui apud
Rom.2. nos infideles dicuntur. Gentes, inquit Paulus, quæ legem non habent, &c. Ita adeò, qui à vera religione alieni, ſuperſtitionis errorem ruentur, gentes nuncupantur. Horum igitur Euangelio obnitentium conatum, & violentum in miniſtros & profeſſores impetum ſumma conſtantia & virtute contemnendum comprimendumque eſſe confirmat. Quis
Rom.8. enim eos ſeparabit à charitate Chriſti, quæ in cordibus eorum diffuſa eſt; tribulatio, an anguſtia? Leonis autem fortiſſimi animantium omnium principis imagine ſacrorum miniſtrorum conſtantiam, atque in re gerenda ſtrenuitatem inſuperabilemque virtutem deſcribit, atque eadem imagine omne negotium Deo ipſi acceptum refert. diuina enim
2.Cor.2. virtus leonis nomine & ratione non raro in ſacris enuntiatur: vt, Ne quando rapiat, & nõ
« ſit, qui eripiat, &c. Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in ſemetipſo, & odorem
‹ notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco. maiores verò & minores oppugnantium conatus, ita infringere potuerant, *quaſi Leo in iumentis ſiluarum, & quaſi catulus leonis in gregibus pecorum.*] Huius verò maximæ victoriæ ſpem Eccleſiæ ipſi facit. [*& exaltabitur &c. & omnes inimici tui interibunt.*] Neque verò ad eam victoriam de hoſtibus reportandam, vel ad eandẽ porrò feliciter conſeruandam armis, aut bellico apparatu aliquo (quibus homines fidere ſolent) opus fuerit; quinimo diuinam tantùm virtutem diuinamque tutelam profeſſis &
1.Sam.17. expertis cætera arma omnia damnata deſpicientur. cuius rei illuſtre exẽplum Dauid olim in ſeipſo edidit, qui non in armis, ſed in nomine Domini Dei Iſraël aduerſariorum ſuperbiam, & violentiæ impetum repreſſit.

Et erit in die illa, dicit Dominus: auferam equos tuos de medio tui, & diſperdam quadrigas tuas: & perdam ciuitates terræ tuæ, & deſtruam omnes munitiones tuas.

ARMORVM vſum crudelitas, munitionũ verò rationẽ metus ac ſuſpicio inuenêre. hęcq. non ſine magnis parantur ſumptibus, non ſine labore etiã & valetudinis detrimento, & ſalutis etiam periculo tractantur. namque armorum geſtatio, equorum & curruũ quotidiana exercitatio, præterquam quòd belli meditationem habent, corporibus nocent, & animis nimium obſunt vt cõpertum eſt; quippe quæ ad cæteras paci & humanæ vitæ vtiles diſciplinas capeſſendas inutiles homines ignauoſque plerumque reddat. Igitur in illa die vbi Dominus pro nobis tacentibus pugnauerit ac vicerit, futuramque de cætero quietem ac pacem perpetuò conſtituerit, ſuperuacaneus iam equorum quadrigarumque demendus eſt vſus, Domino id efficiente; cuius tantùm conſilio, ſtudio gratiaque nitemur. Ciuitates verò, quæ, metus & ſuſpicionis cauſa, muris, operibuſque olim munitæ fuerant, metu iam deinceps amoto, omnino ait eſſe perdendas; non quòd delendæ etiam domus ædeſque, & ſolum vertendum ſit, ſed quòd illis tantùm operibus, quæ obſidionis ac belli
Abraham in vitandi vel ſuſtentandi cauſa conſtructa fuerant, partim neglectu, partim etiam dedita
Zachar. opera in ſalubriores vſus dirutis, loci ipſi non vrbium ſed oppidorum nomine habitan-
Vitruui. di eſſent, ac maiori etiam incolarum numero ob pacem frequentandi, ædificiorum etiam
lib.2. ſitu pro vitæ, rerum & perſonarum commoditatibus dilatato. namque ſalubriorem multo oppidis, quàm vrbibus habitationem liberum aëris meatum efficere ex architectorum
Gen.4. & medicorum præceptis docemur. Vrbes namque metus cauſa conſtructas, munitas &
Iuuenalis cuſtoditas, vel ille primus vrbium ædificator Cain neminem non timens teſtabitur: & ille;
Saty.15. *Communi dare ſigna tuba, tutarier iiſdem* *Mœnibus, atque vna portarum claue teneri.*

Zach.2. Securitati verò & paci vrbes humiles magis conuenire, atque eam rem felicis & tranquil-
« læ vitæ teſtimonio eſſe Iſaias oſtendit: Et ſecuritas vſque in ſempiternum, & ſedebit populus

pulus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta, in humilitate humiliabitur ciuitas, &c. Atque pacis, cōmoditatis & ſanitatis cauſa muri ac munitiſſima quæque opera peribunt, & vt Zacharias ait: Abſque muro habitabitur Ieruſalem præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius, &c. neque verò tantum armorum, turrium, munitionum ac bellici totius apparatus nullus vſus erit, ſed omnis etiam ſuperſtitio, auguria omnia, omnis vanorum deorum cultus, quæ aut ad belli, aut aliàs ad vitæ commoditates valere olim exiſtimabantur, ſublato iam diuini ſpiritus beneficio errore, compoſita perpetua pace, quiete & remiſſione ab vno ſolo vero Deo parta, extinguenda penitus delendaque ſunt; vt neque ijs, qui ex gentilitate euangelio credentes in ſocietatem ſanctorum venerint, neque ijs etiam, qui ex imperfecta Iudæorum in perfectiſſimam vitæ & ſpiritus Chriſtianam legem deuenerint, vlla iam priorum ſuperſtitionum & vanorum cultuum ratio habeatur. Zac. 2. " "

Et auferam maleficia de manu tua, & diuinationes non erunt in te.

QVÆ omnia ad belli ac pacis euentus valere Iudæi aliquando, & gentes ſæpiſſimè arbitrati ſunt. namque & Saul pythoniſſam feminam, quem exitum futuri prœlij expectare poſſet, conſuluit. & idē etiam aliquando complures alij impiè & ſtultè nimium factitarunt, qui & belli cauſas alijs atq. alijs rebus, euentus verò fortunæ atque aliis vanis numinibus aſſcribentes, vota vaniſſima pro victoria, pro ſalute, pro felicitate, fruſtra tamen, nuncupabant. Niſi enim Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. 1. Sam. 28. "

Et perire faciam ſculptilia tua, & ſtatuas tuas de medio tui: & non adorabis vltrà opera manuum tuarum, & euellam lucos tuos de medio tui; & conteram ciuitates tuas.

NEQVE enim adorabis Deos alienos præter me, cui vni perpetuo ſemper cultu vt vero ſalutis tuæ auctori obedies, ac tandem ſtultitiam agnoſcens tuam, & antiquo veterni morbo ſolutus eas res colere deſines, quæ præter humani artificis ingenium, nihil præterea numinis, nihil vtilitatis aut efficientiæ in ſe habent; qua enim dij appellentur, nulla certa ratio eſt, cùm nullus olim Iupiter, nullus Bacchus deus fuerit, ſed aut hi mortales, aut nulli extiterint. Igitur horum ſimulachra ficta planè & mentita ſunt ita adeò inutiles ſtatuæ illæ omnes luci, fana, delubra, & cætera ſuperſtitionis impedimenta magis, quàm religionis monumenta vnius veri Dei cultu ſuſcepto, peribunt. Si qui verò fuerint, quibus veritas hæc euangelica impugnanda repellendaque eſſe videatur, quibuſque diuinæ virtuti repugnare conſilium ſit, ijs ego grauiſſimæ vltionis diem adeſſe denuntio.

Et faciam in furore & indignatione vltionem, in omnibus gentibus, quæ non audierint.

GRAVITER in eos animaduertendum eſſe ait, qui antiquum gētilitatis errorem tuentes, ſacroſancto Chriſti verbo, hoc eſt, ſalutis eorum euangelio audire noluerint, ſi tamen iuſtum eſt apud Deum retribuere retributionem ijs, qui vos tribulant, & vobis, qui tribulamini, requiem nobiſcum in reuelatione Domini Ieſu de cælo cum angelis virtutis eius in flamma ignis datis vindictam ijs, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt euangelicæ gloriæ Chriſti, &c. audire pro obedire hoc in loco eſt: vt illud, Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit, &c. Illud autem obſcurius aliquanto eſt, quod Latinè legimus: *& conterā ciuitates tuas:*] nam cùm ſuperius dictum ſemel ſit, non videtur eadem ſententia repetitum. Quamobrem ad inimicas & infenſas hominum ſocietates, quæ contra piorum populum de ſuperſtitione defēdenda coniurauerint, referenda ſententia eſt. hanc autem expoſitionem, præterquam quòd nomen ipſum Hebraicum & vrbes, & deſtructiones, & inimicos ſignificans docet, ſubiectæ ſtatim ſententiæ ratio confirmat: *Et faciam in furore, &c.* His etiam Chaldaica verſio manifeſtè accedit: *Et euellam plantationes populorum de medio tui, & perdam auctores inimicitiæ tuæ.*] *Inimicitiæ tuæ,* paſſiua ſignificatione accipiendum eſt. Addit autem & Paraphraſtes: *Et faciā in furore & in indignatione vltiones iudicij de populis, qui non ſuſceperint doctrinam legis diuinæ.* 2. Theſſ. 1.

tionis ac prouidentiæ argumentis diuinitus fuiſſe propulſatum. nihil præterea durum, difficile, aut iniquum, nihil damnoſum aut ſumptuoſum fuiſſe illis imperatum, vt laqueum ſibi ad offenſionem, atque ad ſalutis fortunarúmque appetentiam paratum ſibi ſuſpicari aut dicere poſſent; nihil denique ex occulto, nihil cum populo hoc ex inſidijs actum, populo, inquam, iuſtum, propitium, proſpicientem æquabileſmque ſemper ſibi ac beneficū Deum experto. quibus omnibus ex rebus, excidij, captiuitatis, cæterorumque periculorum atque calamitatum cauſam, culpamque omnem ab ipſo populo ſuſtineri conſequitur; vtpote qui à pertinaci inferendæ iniuriæ ſtudio nullis neque admonitionibus, neque accuſationibus, neque minis, ſed neque animaduerſionibus quidem fuerit vnquam deterritus. [*Audite quaſo quæ Dominus loquitur.*] Vatis populum alloquētis, attentionemq. ac docilitatem magno ipſorum vtilitatis ſtudio captantis oratio eſt. Verbū autem, *quæſo*, ſiue *nunc*, Hebraicè, N A, vehementem Vatis erga eos affectum ſignificat, magnamque ab eis attentionem & ſtudium poſtulat ad eam cauſam cognoſcendam quam vehementiſſimè perorandam Deus ſibi crediderit. Vt autem ipſius, de qua acturus erat, rei grauitatem argueret, quanam voce, quo geſtu, quo habitu, qua denique pronunciatione & ſpiritu orare iubeatur, exponit. Audite, inquir, quo imperio, quanto ſtudio me nunc repentè Dominus, qui ſuam cauſam ſuſcipere iubet, alloquitur. נא

Surge, contende iudicio aduerſum montes, & audiant colles vocem tuam.

DILIGENTIAM, ſtudium & fidelitatem, atque in agendis rebus vehementem operam verbum, *ſurge*, vt iam aliàs docuimus, requirit. Tantum autem in hac cauſa grauitatis, ponderis ac momenti eſt, vt non oſcitantem, aut ignauum, aut ſedentem aliquem, ſed ſedulum & fidelem operique inſtantem actorem poſtulet. Cur autem ex omni natura montes potiſſimùm aduocati ad partes fuerint, cùm aliàs pro rerum rationibus, nunc cœlum & terra, nunc mare & aliæ mundi partes appellari ſoleant, illud in cauſa eſt, quòd de conſiliorum & ſtudiorum ſuorum conſtantia ſermonē habere Deus parauerit. Quamobrem contentionis & comparationis cauſa eas potiſſimùm naturas appellari voluit, quæ cæterarum omnium firmiſſimæ conſtantiſſimæque ſunt, vt montes & colles, qui non modò cœlum natura mobilem, ſed terram ipſam in medio orbis loco cōtentam & permanētem ſtabilitate firmitudineq. vincunt, vtpote qui robore, vallo & ſitu ſuo terram, ne vel ventorum impetu, vel caloris vi, vel aquarum inundatione diſſipentur contineant. Itaq. magnæ in rerum natura virtutis & conſtantiæ nomen obtinent, ſicut ſcriptum eſt: Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia, &c. Igitur vt ſuam maximam virtutem & conſiliorum actionumque in beneficio faciendo conſtantiam Deus probaret, non cum montibus modò, qui ab ipſo, nimirum eorum præparatore, virtutem & conſtantiam habere cognoſcūtur, ſed cum ipſis etiam terræ fundamētis, quibus montes cæteraq. innitūtur, conſtantiā firmitudinemque ſuam in contentione poni iubet. [*Contēde iudicio aduerſum mōtes.*] Non quòd præcipua cauſæ diſceptatio; nō quòd reprehenſio ipſa ad montes pertineat, qui cùm rationis ſermoniſque, imò & ſenſus expertes ſint, extra omnem culpam cauſamque ponantur neceſſe eſt; ſed quòd firmitudinis & conſtantiæ comparationem cùm habeant, ad eam contentionem appellari oportunè poſſint. Itaque *aduerſus* idem hoc in loco, quod ad, vel cum, ſignificat: vt apud Ciceronem, contendere aduerſus aliquem, hoc eſt, in contentionem venire, legimus. [*Contende iudicio aduerſus montes*, Hebraicè, *cum montibus.*] Contendere autem iudicio, Dei & mōtium conſtantiam diligenti iudicio examinare eſt: ita Hebraicè hæc vnico verbo R I B diſceptandi & contendendi ſignificantur. Eam verò cauſam vt grauiſſimam non ſegniter aut frigidè, non vulgari, non ſedata aliqua, ſed vehementi actione, & maxima contentiſſimaque voce orari iubet, ita vt montibus etiam ipſis ad partes vocatis tanto clamore permotis, diuina cauſa probetur, atque his ipſis teſtibus & arbitris Iſraëlitæ & Iudæi temerarij iudicij, corruptarumque omnino opinionum & impietatis etiam cōuincantur, hoc eſt quod ait: *Audiant colles vocem tuam:*] quod ad vocis & actionis vehementiam refertur; ad cauſæ autem argumentum illud: Deut. 32. Iſa. 1. Pſalm. 64. Cicero ad Atticū 227 רב

Audiant montes vocem Domini, & fortia fundamenta terræ.

QVIBVSCVM de propoſiti conſtantia & perſeuerantia contendendum eſt. Id quod tandem ad populi huius audaciam & temeritatē confutandam, quò omnis hæc cauſa pertinet, plurimum valebit. namque lis ipſa & iudicium non cum montibus præcipuè eſt:

Sed iudicium Domino cum populo ſuo, & cum Iſraël dijudicabitur.

HOC ſermone totius cauſæ finis manifeſtè proponitur, & quiſnam in ea reus futurus ſit, quo etiā genere agendū ſit, nempe iudiciali, & quo potiſſimū actionis modo, hoc eſt, culpæ

repre-

io ꝓrehenſione & incuſatione vtendum fuerit, explicatur. Quòd autem iudicium Domino cum populo ſuo eſſe dicit, de vtriuſque, videlicet, Domini erga populum, & populi erga Dominum officio, atque de officij conſtantia certamẽ Domino cum populo ſuo eſſe docet, atque adeò potentia, maieſtate, auctoritateque omni prætermiſſa, rẽ æquitate agi atque diiudicari Deum velle illa oratione profitetur. [*Et cum Iſraël diiudicabitur.*] Iſraëli potenti cum Deo appellato ſecum diſputare & diſceptare, atque liberius etiam, ſi quid querelæ habeat, incuſare, integrum omnino eſſe vult, atque ob eam rem verbũ diiudicare vſurpauit, quo ex Hebraico ITHVACHAH, æquo iure & legibus cum aliquo de aliqua re diſceptando decertare ſignificat, vt ex illo præcipuè loco doceri apertè poſſumus: Pone hic coram fratribus meis & fratribus tuis, & iudicent inter me & te; vbi idem verbum eſt. Igitur falsò aſcriptæ ſibi à populo inconſtantiæ cauſam in iudicium Deus afferri vult, atq. ipſe prior cauſam dicit, quod grauiſſimum etiam in eo genere eſt, vt is de cuius nomine & præclariſſima fama nefariè detractum fuerit, tamen cauſam prior dicat, cùm eum potius, qui notam indicare velit, priorem dicere & legibus ſit & moribus cõſtitutum. ſed hęc nouata agendi ratio diuinæ cauſæ integritatem arguit, quæ quocunque modo agatur, ſemper tamen obtinenda eſt. Atque ſtatus quidem cauſæ coniecturalis primùm, in definitiuum tandem deſinit. Principio enim illud in controuerſiam diſceptationemq́ue vocatur, an diuinum de beneficentia conſilium & ſtudium ſemper apud Iſraëlitas conſtiterit, necne. Affirmat autem Deus conſtitiſſe & propoſitionem ipſam temporum omniũ, quibus perpetuo illis æquiſſimi regis, propugnatoris ac patris officium beneuolentiamq́ue præſtiterit, narratis hiſtorijs confirmat hoc modo:

Hebr. יתוכח — Gen. 31.

Popule meus, quid feci tibi, aut quid moleſtus fui tibi? reſponde mihi.

INTERROGATIONIS vſus ad veritatem ex aduerſarij reſponſione confirmandam accommodiſſimus eſt, atq. adeò familiariſſimus ijs, qui cauſę ſuæ integritate nituntur. Atque hæc totius actionis propoſitio duabus partibus conſtat; alteram quidem is, qui agit, ſibi ſuſcipit; alteram aduerſario diſputandam permittit. Eſt autem huiuſmodi propoſitionis ſententia: Ego te maximis & innumeris beneficijs à me acceptis nullo vnquam damno aut incommodo affectum fuiſſe aio. atq. beneficia quidem, quod à me data tibi affirmem, referens percurram; incommoda autem & damna, quòd data negem, vt oſtendas tuæ liberę partes ſunto. [*Popule meus.*] Iure ſummo ſe cum illis experiri populo ſuo appellãdo profitetur. namque ſuum peculiarem populum multis & maximis rebus geſtis redemptum, atque ſeruitutis etiam nomine comparatum ſibi fuiſſe, iam ſæpe aliàs probatum & nemini vnquam dubium eſt. Apud hunc tamen populum non modò iuſtæ & clementis ſemper ſeruitutis rationes, ſed omnia ſumma æquiſſimi regis, beneuolentiſſimique patris officia conſtitiſſe ait. [*Quid feci tibi?* Hebraicè, *Quid?*] admiratione ſimul cum interrogatione habet. Quid, quantumq́ue boni atq. beneficiorum feci tibi! vt illud, Attendite & videte quid vobis Dominus facturus hodie eſt: & illud, Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ. quibus eadẽ Hebraicè lectionis & pronuntiationis forma eſt. Hæc ego referã, inquit, tu verò, quid moleſtus fuerim tibi, reſponde mihi. Hebraicum verbum moleſtiam, defatigationem laſſitudinemq́ue ſignificat, vt non modò grauiori aliqua moleſtia, ſed fatigatione aut laſſitudine illos à ſe affectos neget, quin potius æquiſſimis legibus ſalutaribuſq́ue præceptis inſtructos ſumma lenitate & clementia deuinctos fuiſſe confirmet, qui tamen ingrato ac beneficiorum immemori ingenio ſemper fuerint. Iam verò prior propoſitionis pars narratione probatur, argumentis non à ſuſpicione aut coniectura, aut probabili alia ratione, ſed à manifeſto facto ductis.

Exod. 14. Pſalm. 31.

Quia eduxi te de terra Aegypti, & de domo ſeruientium liberaui te.

MAXIMORVM Dei beneficiorum capita quædam exponuntur, quæ tamen breuitatis cauſa non explicantur, quòd illuſtriora ſint, quàm vt explicatione indigeant; ſed quæ rerum tamen ipſarum notatione intelligantur: nam de terra Ægypti cùm dicit, illud ſignificat, neminem ſeruum illinc liberum euaſiſſe, neque vllam tantam ſeruorum copiam & vim apud Ægyptios extitiſſe, quæ ſeſe in libertatem vindicare poſſet; id quod ſuo ipſorum periculo arguitur: quibus quo maior numerus accedebat, eo grauior & deſperatior ſeruitutis moleſtia in dies augebatur perpetuò opprimendis, niſi diuina virtute & miſericordia conſultum ſubuentumq́ue eſſet. *Et de domo ſeruientium*, Latinè ergaſtulum, Hiſpanè & Arabicè *Mazmorra* hęc dicitur, quę ipſa duriſſimæ ſeruitutis & incommodiſſimæ vitę anguſtiſſimæq́ue habitationis ſignificationem habet. Atque huius capitis mentione facta, cętera, quę in ea re contenta longum eſſet commemorare, cogitanda reliquit: cuiuſmodi ſunt ſigna illa in Ægyptiorũ rebus & filijs edita. dum verò addit, *de domo ſeruientium liberaui te*; exitia-

exitialem illam Ægyptiis in mari acceptam cladem, qua tandem redempti liberatiq. omnino fuerant, ſubindicauit. Neque enim ante illam diuinam victoriam vrgentium ſe, atque in ſeruitutis deditionem redigere geſtientium dominorum metu liberati Iſraëlitæ ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Immutatumque eſt cor Pharaonis & ſeruorum eius ſuper populum, & dixerunt: Quid voluimus facere, vt dimitteremus Iſraël ne ſeruiret nobis? &c. liberauitque Dominus Iſraël in die illa (marinæ cladis) de manu Ægyptiorum; & viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos: timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino & Moſi ſeruo eius, &c. Magnum myſterium nobis hoc eſt. Appellat autem Ægyptiorum regionẽ domum ſeruientium, vel ſeruorum, quòd in ea ſub iniquiſſimis & viliſſimis dominis duram Iſraëlitæ ſeruitutem ſeruierint. Conſtat enim Ægyptios infimæ præ cæteris hominibus, hoc eſt ſeruilis conditionis hæreditariâ Chami progenitoris noxâ fuiſſe, in quem illud decretum fuerat fixum: Seruus ſeruorum erit fratribus ſuis. Itaque non ſolùm à ſeruitutis domo, ſed à ſeruorum viliſſimorum ac proinde crudeliſſimorum hominum ſuperba dominatione ſibi liberatos Iſraëlitas fuiſſe aſſerit. ex domo autem ſeruientium, vbi ſeruorum ſerui fuerant. Totum autem hunc locum Chaldæus interpres hoc modo verterat: *Popule meus, quid boni dixi faciendum tibi & non feci, aut qua in re durius me tecum geſſi, conteſtare aduerſum me.* Iam verò redemptos & à duriſſimis dominis vindicatos, quanto honore ac dignitate augendos, quàm liberalibus modis inſtruendos, quanta cuſtodiendos diligentia, quàm denique admirabili commoditate per ſolitudinem deducendos curauerit, eius negotij miniſtris & illuſtribus procuratoribus appellatis oſtendit. Exod. Geneſ.

Et miſi ante faciem tuam Moſen, & Aaron, & Mariam.

AQVIBVS miniſtris quicquid vel ad animorum inſtitutionem, atque ad diuinam gratiam conciliandam, ad proſperam æquabilemque publicæ atque priuatæ etiam rei felicitatem commodiſſimum eſſet, prouiſum procuratumq. fuit. Etenim Moſe legato & diuinæ benignitatis internuntio ſuauiſſimus ille cibus illis ſuppeditatus fuit; eodẽ etiã interprete, lex lata, & maxima atque illuſtriſſima veræ ſapientiæ & puriſſimæ pietatis ac ſanctiſſimæ fidei fundamenta iacta ſunt. Aarone verò antiſtite erratorum & religionis expiatio procurabatur, & diuinæ legis diſciplina eodem aſſiduo atque peritiſſimo doctore percipiobatur. ne quid verò ex plena atque integra totius rei publicæ felicitate deſiderari poſſet, & nulla non ex parte optimè cum populo ageretur, eorundem virorum digniſſima ſoror Maria diuino vaticinandi ſpiritu aucta, feminarum ad pietatem dux & exemplar propoſita eſt. Ita adeò horum miniſtrorum nominibus appellatis plurimas & maximas commoditates populo illi in ſolitudine perceptas contineri videmus, quas, vtpote certas atque notas explicare neceſſarium non fuit. Chaldaicè hæc ſic habent: *Et miſi coram te tres prophetas Moſen, & Aaron, & Mariam: Moſen ad docendum traditionem iudicij: Aaron ad propitiandum ſuper populum: Mariam ad illuminationem feminarum.* Satis autem fuerat earum rerum & beneficiorum memoriam populo refricaſſe, quarum commemoratione hiſtoriam omnem contentam recoli neceſſe erat. Quamobrem narratione prætermiſſa, recordationis tantum rationibus & verbis eſt vſus hoc modo:

Popule meus memento quæſo quid cogitauerit contra te Balac rex Moab, & quid reſponderit ei Balaam filius Beor.

NEQVE verò bonorum atque felicitatis modò auctorem, ſed malorum ac periculorum omnium propulſatorem & interruptorem ſeſe illis præbuiſſe Deus affirmat, quando nihil adeò ſiniſtri & aduerſi, nihil periculi vel hoſtium conſilio & conatu oblatum, vel ſua ipſorum culpa illis in itinere procreatum initumque eſt, quod diuina cura & miſericordia vel omnino propulſatum, vel auerſum perruptumque non fuerit. [*Popule meus memento, &c.*] Manifeſtum erga eos ſtudium, & ſingularem curam non ſolùm apertè in eos videntes & ſentientes, ſed in abſentes etiam collocatis beneficiis arguit: idque adeò non ſua commemoratione, ſed hoſtium ipſorum & maleuolorum teſtimonio confirmat, vt non oſtentationis præſentibus, ſed amoris & ſtudij cauſa abſentibus ac ignorantibus & prouidiſſe & conſuluiſſe probetur. nam cùm Balac rex Moab Balaami magi incantationibus & diris paratam populo huic felicitatem perturbare & contaminare ſtuduiſſet, ad eamque expediendam rem nulli aut ſumptui aut operæ parcere in animum induxiſſet; non modò tamen conatus ſuos Dei omnipotentis conſilio & virtute comprimi & refutari; ſed præſentium futurorumque ſeculorum vtriuſque generis commoditates proſperitateſque vitæ prædictas confirmatum iri, renouatis atque explicatis ab eodem Balaamo reſponſis, intel-

lexit. Quid autem cogitauerit Balac, & quid reſpõderit illi Balaam, breuiter recitare commodiſſimum duximus. Primum Balac mandatum ad Balaamum allatum huiuſmodi eſt: Num. 22. Ecce egreſſus eſt populus ex Ægypto, qui operuit faciem terræ ſedens contra me. Veni igitur & maledic populo huic, quia fortior me eſt, ſi quo modo poſſum percutere, & eiicere eum de terra mea: noui enim quòd benedictus ſit, cui benedixeris; & maledictus, in quem maledicta congeſſeris. Reſponſum verò à Balaamo relatũ illud eſt: Ite in terram veſtram, quia prohibuit me Dominus venire vobiſcum. illud etiam alterum denuo miſſis & magna omnia promittentibus nouis legatis dictum eſt: Si dederit mihi Balaac plenam domum ſuam argenti & auri, non potero immutare verba Domini Dei mei, vt vel plus, vel minus loquar, &c. Cum verò vrgente atq. inſtante rege, & magno apparatu ac ſumptu negotium ipſum conficiente, Iſraëlitarum res nefaſtæ & vitioſæ ab augure definiendæ expectarentur, illud eſt datum reſponſum: Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? qua ratione deteſter, quem Dominus non deteſtatur? & illud: Moriatur anima mea in morte iuſtorum, &c. & illud: Num aliud poſſum loqui, niſi quod iuſſerit Dominus, &c. Multa præterea reſponſa breuitatis cauſa prætermittimus, quibus Iſraëliticæ gentis defendendæ tutelam, amplificandæ & ornandæ ſtudium curamq. Deo ſuſceptam fuiſſe diuinator ille teſtatus eſt. & tamen hæc omnia ignaris nec opinantibus inſciiſque Iſraëlitis geſta commemorari operæpretium fuit, vt Deus non ſolùm felicitatis auctor ſtudioſiſſimus, ſed alexicaços etiam, hoc eſt, malorum expulſor vigilantiſſimus probaretur. Verùm enimuero ex maximis & plurimis periculis, quæ propulſatore monitoreq. Deo declinata populo huic fuerant, vnum tantùm cõmemoratur; cætera verò totius itineris facta ſumma indicantur.

De Setim.

CALLIDVM & periculoſum illud Balaami conſilium & inceptum, de proſtituendis populo Moabitis mulieribus, huius mentione nominis indicauit; quòd, niſi iam latius ſerpens maturrimè reciſum eſſet, actum profectò de omni Iſraëlitarum re atque gente fuiſſet. Memento igitur quid reſponderit toties Balaam regi, & quid demum eidem impenſius & pertinacius etiam ſolicitanti de exitiali illo apud *Setim* conſilio reſpondit. Hæc inquam, te meminiſſe, & cætera, quæcunque ab Ægypto, vnde liber eductus fueras, quoad Galgalam vſque perueneris, tibi vel optata vel non optata contigerint, in memoriam reupcare oportuerit, vt in hac controuerſia à mendacio contra verum ſtare deſineres, &

Vt cognoſceres iuſtitias Domini,

Et iuſtam Dei omni ex parte victoriam hac in cauſa agnoſceres. *Iuſtitias* ob eam rem pronuntiauit, quòd & in beneficio faciendo, & in malo ac periculo propulſando diuinas rationes omnes inter ſe conſentire confirmaret. Quod ad orationem attinet, verbum *Reſponderit*, Zeugmate figura ad omnia reſponſa primùm, atque ad illud *De Setim* relatum à nobis eſt; quod quanquam coniunctione careat, tamen coniungendum ſuperioribus duximus. neque verò hoc in ſacris ſermonibus raro euenit, vt ſol, luna, pro ſol & luna: Ruben, Gad. Atque hæc loci huius lectio & explicatio præ cæteris, quas Latinè, Hebraicè & Græcè legimus, magis placuit, quòd cum geſtarum rerum ratione conſentire viſa eſt.

Capitulo 2. Reg. 5. Iudic. 10. 3. Sam. 7.

Vſque ad Galgalum.

TOTIVS longi itineris illius finis Galgala fuit, ex quo loco promiſſa regio capi & debellari cœpta eſt: Cur autem Canaanitidis terræ, hoſte diuina virtute pulſo, ab illis occupatæ non etiam meminerit, illud in cauſa eſſe arbitramur, quod ab illa poſſeſſione propediem deturbandis, atque ob eam rem diuinum ſtudium & conſtantiam in dubium vocantibus ea potiſſimùm beneficia commemorari commodum fuerat, quæ nulla mutatione interrupta, ſed certa rataque in eos conſtitiſſent. ex quibus illud infertur, Iuſtitias Domini maniſeſtas eſſe; atque ex eo fieri, vt futurum exilium non ad diuinæ voluntatis mutationem, ſed ad eorum ipſorum culpam & perfidiam referri deberet, qui diuinis & commodiſſimis conditionibus, quibus cum Deo de retinenda poſſeſſione tranſegiſſent, minus ſteterant: quos enim tot tantiſque beneficiis obſtrictos, tantis honoribus auctos, tot modis ornatos, tanta denique cura & ſtudio defenſos, quaſcunque etiam grauiores & ſumptuoſiores conditiones & leges impoſitas perferre oportuiſſet, tamen æquiſſimas, mitiſſimas, vtiliſſimaſque negligere & perrumpere non puduit. Quarum legum & conditionum liberam, æquabilem honeſtamque rationem & ſententiam, inducta aduerſarij ipſius ad recitandum & differendum perſona, arguit, vt cauſæ æquitas aduerſarij eiuſdem confeſſione conuincatur.

Quid

Quid dignum offeram Domino? Curuabo genu Deo excelſo? numquid offeram ei holocauſtomata & vitulos anniculos?

NON difficilem, neque faſtidioſam, neque etiam ſumptuoſam Dei dominationem, ſed æquam, diuinam iuſtiſſimamque poteſtatem & gubernationem Iſraëlitas expertos fuiſſe, argumentis à remotione & ſubiuncta expoſitione ductis probat. Inducit autem ipſum tot nominibus deuinctum Deo populum de iuſto atque æquo cultu obſequioque præſtando deliberantem, cui cum diuinis meritis & rerum ratione ac iure nulla ſeruitus, nulla tributa, nulla munera ſatis magna eſſe, videri poſſet, tamen clementiſſima & iuſtiſſima, imò ſibi ipſis potiùs vtiliſſima conditio propoſita eſt. [*Quid dignum offeram Domino?* Hebraicè, *in quo occurram Domino, ineffabilis nominis principi.*] Cùm enim aduenientes principes, præter vectigalium penſionem muneribus etiam allatis à populis genu minoribus excipi ſoleant; quidnam potiſſimum tanto tamque excelſo Deo gubernatorique meo pergratum aut iucundum adferri poſſit? Eſt autem prima deliberatio, an exquiſito nimis munerum genere & elegantia, an multitudine magis delectetur. *Nunquid offeram ei holocauſtomata?* Cùm nullum munus diuinæ naturę à mortalibus commodius, quàm ſacrificium concinnari poſſe videatur, quòd hoc obſequij genus nulli, præterquam Deo, conueniat; illa interim conſultatio atque deliberatio accidit, num integris magis atque omnino incendendis adolendisque victimis, quæ holocauſtomata dicuntur, iiſdemque ſelecta hoſtia, hoc eſt anniculis iuuencis cornua producentibus & vngulas, qui maximè omnium idonei putantur; an maxima potius frequentia & feriendarum victimarum aſſiduitate delectetur: an etiam pretioſiores hominibus res, nempe chariſſima filiorum capita deuoueri ſibi expetat? nulli enim rei quæ grata modò illi fore exiſtimetur, parcendum eſſe, maximorum debitorum ratio docet. Neque enim Abraham filio ſuo vnigenito ſacrificare iuſſus, pepercerat: hoc eſt quod dicit:

Nunquid placari poteſt Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? numquid dabo primogenitum meum pro ſcelere meo? fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?

MAGNA conſultatio inducta eſt, quibus maximè rebus expiato ſcelere, Dei mortalibus placari gratia iniri poſſit: quæ ſi difficillimæ & chariſſimæ eſſent, tantæ tamen maieſtatis, tantæ poteſtatis, tantæ denique gratiæ conciliandæ cauſa eſſent nihilominus ferendæ. Verùm enimuero grauiſſimam huiuſmodi deliberationem æquiſſima atque ſapientiſſima interpoſiti à Deo decreti ſententia Deus abſoluit.

Indicabo tibi (ô homo) *quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te.*

BENIGNITATEM, lenitatem, ſuamque erga mortales ineffabilem miſericordiam, rerum, quæ arduæ ſcopuloſæque iudicantur, & difficillimos ipſis explicatus habere cognoſcuntur, duritie mollita, & difficultate omni à ſe compoſita vehementer commendat. Vt autem eiuſmodi ratio omnis commodius ac melius accipiatur, perſonarum, & deliberantis & ſtatuentis inductione oratio ipſa diſtingui ſolet. Cuiuſmodi illuſtre illud non ſatis hactenus pro dignitate explicatum exemplum apud D. Paulum extat: Quid ergo dicemus? [Rom. 7.] lex peccatum eſt? abſit. [8] & tandem ſubiungitur: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? [14] atque eam dubitationem ſapientiſſimo reſponſo Apoſtolus ipſe tollit: Gratia, inquit, Dei per Ieſum Chriſtum, quid ſit bonum, quid optimum probatiſſimumque Deo ſit; diuinum & certiſſimum de re tanta reſponſum, & clementiſſimæ ſeruitutis, atque ſuauis iugi argumentum audiamus:

Vtique facere iudicium & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo.

SI EX rerum quidem ratione, ſi ex diuinorum beneficiorum magnitudine, atque ex principis Dei dignitate exiſtimandum eſſet negotium, nihil vnquam harum, quæ commemoratæ ſunt, rerum, neque omnium ſimul cumulata & iuncta ratio ſatis ad diuinum cultum facere poſſe videatur: ſed tanta tamen diuina benignitas, tanta æquitas & clementia eſt, vt eam potiſſimum ſibi piè ſancteque ab hominibus colendi rationem optauerit, & iam inde ab initio inſtituerit, quæ ex hominum ipſorum re atque vtilitate maximè eſſet, quæque homini ipſi, qua homo eſt, longè omnium facillima commodiſſimaque iudicaretur. Ob eam verò rem dixit: *Indicabo tibi ô homo*, ſiue, vt Hebraicè eſt, *Indicaui tibi.*] quòd iam pridem certa de hac re voluntas in ſacrarum legum libris à Deo ipſo iudicata expoſitaque fuerit, ſicut ſcriptum eſt: Et nunc Iſraël audi iudicia, quæ ego doceo te, vt facias ea & viuas. &: Melior [Deut. 4.] eſt obedientia, quàm victima. [1. Sam. 15.] Omnis verò hæc à Vate commemorata ratio pietatis terminis definitur. Eſt autem pietas vniuſcuiuſque erga Deum & homines officium. id tribus maximè partibus diſtribuitur, æquitate, beneficentia, & ſanctitudine: prima & ſecunda

in hominum inter ſe fide, ſocietate, vitæque communitate legitimè honeſteque conſer-
uanda; tertia in Dei veneratione, inuocatione, ac ſupplicatione ſpectatur. eæ autem nomi-
nibus his iudicio, miſericordia & ſolicitudine, ſiue ſubmiſſione erga Deum appellantur.
atque æquitatis quidem & miſericordiæ certæ iam nobis atque aliàs explicatæ deſcriptio-
nes ſunt: Quæ verò ſolicitudinis ratio ſit, paucis aperire operæpretium fuerit. Hebraicè
צנע verbum eſt HASZNEAGH, quod ſolicitum & ſubmiſſum eſſe ſignificat. Is verò animi
habitus fidelium ſeruorum proprius eſt, qui tametſi liberaliter ſeruiant, nihil ſibi tamẽ ma-
gnum ob eam rem arrogantes, dominorum gratiam reuerentia & modeſtia, perpetuaque
obſeruantia promereri ſtudent.: nam ſi maximè ad impoſitæ ſeruitutis onera ferenda ſa-
tisfeciſſe videantur, tamen ad referendam pro debito & officio, pro Domini dignitate, &
beneficiorum atque clementiæ erga ſe magnitudine, gratiam, nũquam ſe ſatisfacturos eſſe
arbitrentur. Huiuſmodi ſe colentis modeſtum animum & nihil altum ſapientem, atq. ſa-
Luc. 17. lutem ſuam cum timore & tremore, vt Paulus præcipit, operantem Deus requirit, ſicut
» ſcriptum eſt: Cùm hæc omnia feceritis, dicite, ſerui inutiles ſumus: quod debuimus facere,
» fecimus, &c. & illud: Captiuantes intellectum in obſequium Chriſti. Iam verò quàm aptè
verba ipſa cùm rebus conueniunt! namque iudicio, quòd ea pietatis pars ad debitionem
magis, quàm ad liberalitatem referatur, verbum, facere, hoc eſt præſtare & ſoluere; miſeri-
cordiæ autẽ, quòd hæc ſtudio magis, quàm debito conſtet, verbũ, diligere, hoc eſt, vltro ani-
mum ad eam capeſſendam inducere, coniunctum eſt. Igitur populi tot tantisq́. beneficiis à
tanto principe rege, & patre affecti, hoc quod pietatis terminis definitũ eſt, officium hone-
ſtiſſimum, æquiſſimum ac præſtitu commodiſſimum fuerat. quanta verò negligentia, imò
quanta impietate, & quantis flagitiis proditum id fuerit, ſubiuncta expoſitione arguitur:

Vox Domini ad ciuitatem clamat: & ſalus timentibus nomen eius.

QVICVNQVE non audacia aut confidentia, non ſuſpicionibus, non alienis, ſed pro-
priis rationibus, vel facti potius demonſtrationibus cauſam ſuam confirmauerint, ſeq́. of-
ficio abundaſſe oſtenderint, vbi ad docendas ingrati atque etiam ſcelerati aduerſarij frau-
des oratione fuerit peruentum, cauſæ victoria & fiducia, atque aduerſarij factorum & re-
rum demonſtrandarum indignitate concitati, & ad ſuum explendum, & ad audientiũ ani-
mos excitandos & permouendos contentiſſima voce clamare, atque huiuſmodi clamori-
Ierem. 17. bus & inſultatione manifeſtè ſceleratorum hominum nomina, facta, resq́ue proſequi ſo-
Ierem. 47. lent, ſicut ſcriptum eſt: Fuit ergo tibi in deriſum & clamorem Iſraël, quaſi inter fures repe-
» riſſes eum. & illud: Clama, ne ceſſes, & annuntia populo meo peccata eorum, & domui
Iſai. 1. Iacob ſcelera eorum. & apud exteros etiam illud:
Iuuen. Sat. 1. *Quis cælum terræ non miſceat, & mare cælo? Si fur diſpliceat Verri, &c.*
Huiuſmodi autem indignationis & victricis cauſæ, atque deprehenſi aduerſariorum ſcele-
ris ac fraudis iudicem Dei ad ciuitatem clamantis vocem Vates indicat, non conſuetam
aliam aut officioſam admonitionem & hortationẽ, qualis in quotidianis ſermonibus aſſi-
duè à vatibus ageretur. Sed vox indignantis Domini maxima & contentiſſima ad ciuitatẽ
clamabit, vt omnem iudicij, miſericordiæ & ſolicitudinis rationem, omne ius officiumq́ue
proditum & pollutum eſſe demonſtret: id quod paucorum piorum ſanctorumq́. virorum
pace dictum actumq́ue fuerit, quos intentata publicè in omnem ciuitatem crimina neque
honore ſuo neque præmio fraudandos ſemper excipiunt. [*Et ſalus timentibus nomen eius, ſiue no-*
תושיה *men tuum.*] Nomen Hebraicum THVSSIAH, quod Latinè *ſalus* redditũ eſt, intelligentiam
ſignificat, hoc eſt, exceptionem; ſed vtro modo vertas, conſtans ſibi ſententia eſt. Atq. exce-
ptione quidem piis & nominis diuini cultoribus data, ciuitates omnes tributim impietatis,
iniuriæ & ſceleris manifeſta factorum & ſignorum expoſitione notantur.

Audite tribus, & quis approbabit illud.

מטה NOMEN Hebraicum MATEH & virgã propriè & tribũ metaphoricè ſignificat, quòd
ex duodecim tribubus, tanquam virgis faſciculus ille domus Iacob cõpactus & colligatus
fuerit, vnde ſingulæ olim tribus cùm ſacerdotij pontificatusq. dignitatẽ ambientes ſeſe in
ſortem coniecisſent, ſingulas virgas contuliſſe traduntur: ac tãdem ſors illa Leuiticæ tribui
Aaronique edita eſt. Igitur cùm iam ſortem ſuam in cauſa eduxerit Deus, tribuũ ipſarum
virgam, hoc eſt ſortem conijcere educereque parat; quam adeò duram, adeò grauem fore
oſtendit, vt non vulgari aliquo & communi præcone, ſed vocaliſſimo integerrimoque ad
proclamandum denuntiatore egere confirmet. Hebraico verbo Latini noſtri ſignificatio
percipitur. *Quis, inquit,* IAGIDAH, *denuntiabit illud?*] Interrogatio ipſa difficultatem magni-
tudinemq́ue rei oſtendit, non triuiali alicui denuntiatori, ſed fortiſſimo & integerrimo, at-
que in agendis diuinis partibus & cauſis ſtrenuo Vati ad annuntiandum & approbandum

credendam. quis igitur grauiſſimam & nefandam iſtorum impietatem & totius officij proditionem effari poſſit? quum non ſolùm antiquis & præteritis, ſed nquis etiam & præſentibus cupiditatibus & manifeſtis auaritiæ, iniuriæ & rapinæ flagitiis vniuerſæ iſtorum domus tanquam incendio aliquo flagrent.

Adhuc ignis in domo impij theſauri iniquitatis, & menſura minor iræ plena.

PRIMAM illam officij partem, hoc eſt, iudicium flagitio oculis magis, quàm opinione, manibus, quàm ſuſpicione deprehenſo, proditam arguit, quòd impiorum hominũ domus ipſæ iniuriarum, & fraudum igne adhuc flagrent, & diuitiis mala ratione partis refertæ conſpiciantur, & menſuræ doloſæ in commerciorum fraudem cõparatæ paſſim offendantur, quæ res diuino iudicio cum primis abominanda damnatiſſimaque eſt, & apud Amoſum etiam notatiſſima: vt, Minuamus, inquit, menſuram, & augeamus ſiclum: hoc eſt quòd menſuram minorem iræ plenã dicit, quòd ad maximas diuitias breuiſſimè augendas nulla commodior viſa via ſit, quàm vt compendium fraude commutetur. Id verò quo commodius fiat, adhibita etiam vi & contumelia promouetur, cùm in eos, qui mẽſuræ dolum notauerint, iraſci & debacchari venditores ſoleanr, & vel ad emendum vel ad agendum coactos, diceptiones demum & vexationes exercere. huiuſmodi verò iræ plenæ menſuræ diuinam etiam iram in venditores ipſos cumulatius concire valent. Amos 8.

Nunquid iuſtificabo ſtateram impiam, & ſacculi pondera doloſa?

NEFARIVM capitalis fraudis crimen contentione & incremento amplificatur: quarundam enim rerum ea natura eſt, vt non exerceri modò, ſed neque poſſideri ſine crimine poſſint. Atque eæ nimirum ſunt, quæ nullius probati, ſed aut noxij, aut damnoſi vſus eſſe poſſint, vt venena, quæ tantum ad inferendã mortem parantur: huius generis doloſi nummi, menſuræ & ſtateræ ſunt, quæ quicunque parauerit ſceleris ſuſpicione, vel potius crimine ſeſe liberare iure non poſſit. hoc eſt quod Latinè legimus: [*Nunquid iuſtificabo ſtateram doloſam & ſacculi pondera doloſa?*] cùm ſcriptum legeque cautum ſit, Nõ habebis in ſacculo diuerſa pondera maius & minus; neque erit in domo tua modius maior & minor. Hebraicè hęc paſſiuè eadem omnino ſententia leguntur: Num immunis ero cum bilance iniqua, cum ſaccello, &c. *Saccelli*, ſacculi, nam diminutum à ſacco nomen eſt. ita adeò certiſſima quædam iniuriæ & flagitij argumenta ſunt, quæ nunquam interpretari ipſa poſſis, nedum ſi ad ſigna ipſa & inſtrumenta factum etiam & facinus vſuſque accedat. Omnis autem commercij & conſuetudinis hominum inter ſe ratio rebus & verbis, dictis conuentiſque conſtat. Vtriuſque autem partis inconſtantia & falſitas in manifeſto fraudis crimine ponitur. Quantum autem populus iſte & ciuitatum illarum ciues vtraque æquitatis & iudicij parte prodita fraudis ſuſcepiſſent, docet. Deut. 25.

In quibus diuites eius repleti ſunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum.

CVIVS iudicij violatione miſericordiæ etiam proditionem, imò & odium quoque arguit, quod non ſolùm latrones & fures, prędones & id genus maligni homines, qui iniuria, contumelia, vel fraude & mendacio viuere inſtituunt, ſed diuites illius ciuitatis, quos cùm nulla premeret inopia, tamen iniquitate repleti, & ſimulationis, mendacij, fictionis, atque omni denique faciendæ fraudis arte & vitio contaminatiſſimi eſſent, neque præter mendacium & fallaciam quicquam loqui ex diuturna iam nocendi & fallendi conſuetudine poſſent. Cùm autem ex abundantia cordis os loquatur, eiuſmodi perpetuo mẽdax oratio miſericordiæ non amorem, ſed odium manifeſtè arguit. [*Repleti ſunt iniquitate,*] iniuriæ, contumeliæ, fraudis. dolique ſcelere: namq. Hebraicè HHAMAZZ eſt, de quo genere iam aliàs diſſeruimus. [*Fraudulenta in ore eorum.*] Doloſæ & fraudulentæ orationis conſuetudinem, & natiuum iam ferè vitium hic tropus ſignificat, quòd nulla, niſi fraudulenta & doloſa verba aut pronuntiare, aut in ore etiam concipere didiciſſent, ita vt verum & ſimplicem ſermonem proferre conatis, præ deſuetudine verba non ſuccurrerent. Tertium illud pietatis officium requirendum reſtabat, quod optimas de Deo, de Dei beneficiis & virtutibus, deque omni humana ad diuinam relata ratione ſententias continet. ſed quonam modo præſtari hoc ab iis potuit, qui nihil verè cogitare aut loqui conſueuerunt? quin potius diuinas res perperam interpretati aiebant humana ſeſe viciſſitudine atque mutatione, & diuino odio vel ſaltem tædio agitari & vrgeri, & homines (vt Comicus inquit) à Diis pro ludibrio vt pilas haberi, & quò velint verti ſolere. & huiuſmodi ſtultas de Deo ſententias, quæ à veritatis ignaro ac negligenti paſſim vſurpantur, de quibus ſcriptum eſt: Væ eis, quoniam re- Plautus. Hoſ. 7.

„ ceſſerunt à me;vaſtabũtur,quia preuaricati ſunt in me,& ego redemi eos,& ipſi locuti ſunt contra me mendacia.Ita adeò neque vlla ex parte officium præſtiterunt, neque pietatis & cultus veri rationibus atque admonitionibus vllum planè locum reliquêre, neq. vllis ſermonibus,neque minis,neque caſtigationibus animum,vt ſibi ipſis melius conſulerent,aduertere voluerunt. hoc eſt quod ſubiungit:.

Et ego ergo cœpi percutere te perditione pro peccatis tuis.

TOTIVS peroratæ cauſæ propoſitio,ſiue, vt rhetores vocant, intentio, opportuna expoſitione confirmatur, quòd videlicet allatæ illis hactenus calamitates non mali ex odio illati, ſed pœnarum, ob culpam, ad correptionem repetendarum rationibus definiri debeant. Id verò multis argumentis confirmat,cùm quòd non plena & abſoluta animaduerſione,ſed certo animaduerſionis modo, & quaſi principio quodã aduerſum illos vſus fuerit. [*Et ego cœpi te percutere perditione:*] Tum etiam quod certum mulctarum genus ad peccatorum & ſcelerum rationem relatum iudicij æquitatem ſimul indicare, & peccandi modum iam diſſuadere,niſi planè vitioſis, cæcis & obſtinatis, facile poſſet. [*ſuper peccatis tuis.*] ita vt fraudis & auaritiæ atque inſatiabilis cupiditatis, malè partarum rerum defectio,ſubductio, incommoditas, deſideriumque mulcta eſſet.

Tu comedes, & non ſaturaberis: & humiliaberis in medio tui: apprehendes, & non ſaluabis: & quos ſaluaueris, in gladium dabo. tu ſeminabis,& non metes: tu calcabis oliuam, & non vngêris oleo: & muſtum, & non bibes vinum.

SENTENTIÆ & contextus ratio facilis iudicatu eſt: Quòd Iſraëlitas iis potiſſimùm mulctis & pœnis mulctatos oſtendat, quæ auaritiæ criminum iudices pariter & vindices ſint, vt non caſu, non odio,ſed certo iudicio ad ſuã vtilitatem tandẽ reſipiſcentibus, contumacibus verò in magnum malum extremamq; perniciem euaſuræ irrogatæ eſſe iudicari poſſunt. [*Tu comedes,& non ſaturaberis.*] Extremam rerum & diuitiarum malis rationibus comparatam copiam extrema inopia & incommoditas comes ſequitur. atque hoc qui noſtris moribus & temporibus non videt,is planè cæcus eſt. nulla enim ætate tantum auri argentique,& tantum incommoditatis indigentiæque extitiſſe, vnquam legimus, vt veriſſimum illud Chriſti Ieſu dictum in nos præcipuè conſcriptum eſſe videatur: Videte, quòd
Luc. 12. „ non in abundantia cuiuſquam eſt ſufficientia illius ex iis quæ poſſidet. Huius autẽ incommoditatis cauſam non ad rerum defectum,quando innumerabiles & immenſæ ſint,ſed ad infelicem earum vſum, quæ cùm Deo inuiſæ fuerint, aut nullo, aut exiguo imminutoque emolumento conſumuntur. hoc eſt quod dicit: *Humiliaberis in medio tui.*] Magnas,vt ille inquit,inter opes inops eris. namque humiliari hoc in loco, idem quod apud Latinos extrema miſeria premi ſignificat: vt,Quia humiliata eſt in puluere anima noſtra, conglutinatus eſt in terra venter noſter. [*In medio tui,*] inter opes diuitiasq. tuas,quibus tute tibi beatus videris,tamen miſerrimus eris. Huiuſmodi ſignificationem habet tropus hîc,*in medio*, vt aliàs docuimus. Et quoniam ob filiorum & hæredum curam pecuniis quærẽdis inhiare, iiſdem-
Pſalm. 16. que expendendis nimium parcere homines plerumque ſolent, ſicut ſcriptum eſt: Saturati ſunt filiis, & dimiſerũt reliquias ſuas paruulis ſuis. hac etiam infelicitatis parte mulctandos eſſe dicit, vt aut deſiderata filiorum ſobole nõ augeantur, aut procreata miſerè otbentur. [*Apprehendes,& non ſaluabis.*] Apprehendere idem quod concipere eſt, eademque apud Hebræos & Græcos ſignificatione verba vſurpantur. Immaturos igitur partus, qui ſupereſſe non valeant, vel abortus potius horum vxoribus edendos eſſe, ſi quos tamen edi contigerit, ex his anguſtiis in iſta euaſerint deteriora, vt ad hoſtilem gladium & crudelitatem explendam, magno labore & cura, magnoque ſumptu eductos nutriant. Itaque falſa ſobolis propagandæ atque diuitiis & fortunis locupletandæ ſpe fruſtrandos eſſe denuntiat. malè partarum autem rerum curam & laborem ſuum; vſum verò fructus aliorum, atque adeò inimicorum hoſtiumque ſuorum diuina ſententia fore confirmat: *Tu ſeminabis & non metes: tu calcabis oliuam, & non vngêris oleo: muſtum, & non bibes vinum.*]

NON modò res,quæ malis rationibus auctæ fuerint,ſed earum etiam labore, cura, atq. induſtria conſumpta infelices exitus habere diuina ſapientia docet. idque adeò tribus ex agricultura exemplis oſtendit: cuius ratio laboris plurimum, fraudis minimum, vtilitatis verò non parum habere, plerumque iudicatur. hæc autem ſi minus proſperè ceſſerint, cætera in quibus apertior iniuriæ & fraudis ſuſpicio eſt, infeliciſſimè ceſſura eſſe putandum eſt. In his autem tribus generibus tantiſper vana fructus percipiendi ſpe ductum iri homines ſignificat, dum cura omni conſumpta, opportunis ad eam rem exantlatis laboribus, vſum voluptatémue capiendi proxima iam commoditate priuati, vehementiori deſide-
rio gra-

rio,grauioriq́ue dolore contabeſcant. [*Tu ſeminabis, & non metes.*] In ipſa meſſis abundantia & copia voluptatem quandam eſſe,antiqui obſeruarunt,ſicut ſcriptum eſt: Lætabuntur & exultabunt in te, ſicut qui lætantur in meſſe multa. [*Calcabis oliuam.*] Hactenus improbus tantùm labor,& ſordida quædam curatio eſt arandi,putandi,legendi, decerpendiq́ue intenta cura,tum fumoſa,olida, infectaque præli & vaſorum tractatio. [*Et non vngêris oleo.*] Hic ex antiquorum ſententia optimus eſt olei vſus, vt cutem, oſſa, neruosq́ue exterius inunctum curet,caputq́ue atque faciem in vnguenta compoſitum exhilaret,ſicut ſcriptum eſt: Vt exhilaret faciem in oleo. *Muſtum.* verbū *calcabis*, per zeugma ſubauditur. Poëticè autem & metonymicè,muſtum pro vua, ſicut Iſaias molentes farinam dixit. [*Et non bibes vinum.*] qui vnus & iucundiſſimus eius naturæ eſt.nam vinum lætificat cor hominis. Quàm verò hæc pœnarum genera & formæ cum notatis antea vitiis conueniant, vt par pari referri videatur,diuinumq́ue conſilium eo ipſo agnoſcatur, breuiter doceamus.Pietatis partes violatæ fuerant,iudicium,miſericordia & ſolicitudo ambulandi cum Deo,atque hac poſtrema fides & religio,diuinæq́ue naturæ obſeruantia continetur,quam iſti mendaciis & falſis opinionibus atque aſſertionibus polluerant, dicentes terram deſertam eſſe à Deo,&c. Huic illa pœna reſpondet, Cœpi percutere vos perditione, vt terram deſeratis. Quòd verò non fecerint iudicium, ſed commercia imminutis menſuris, & omni fraudis genere violauerint,illud ſubiêre: [*tu comedes, & non ſaturaberis.*] quòd imminuto victu & inopi copia vſuri eſſent. quòd autē miſericordiam non amauerint,illorum filios aut abortu,aut cæde,illos verò miſerrima comparatorum iam fructuum ſubductione afficiēdos eſſe. Illud autem poſtremò Deus in hac cauſa oſtendit, tanta hunc populum dementia deprauatum fuiſſe,vt his tam manifeſtis diuini de beneficentia, de iuſtitia & æquitate, de correptione conſilij,atque ipſorum vitij & culpæ argumentis, his admonitionibus, his denique ictibus pulſi non reſipuerint, aut euigilauerint, ſed cum ſceleris & vitij conſuetudine in ſuperſtitionis ſtudium impiiſſimorum principum exemplo excitati, impenſiusq́ue incumbentes, extremi exitij periculum fuerint ſibiipſis moliti.

Iſai. 9.

Pſalm. 103.

Et cuſtodiſti præcepta Amri, & omne opus domus Achab, & ambulaſti in voluntatibus eorum, vt darem te in perditionem, & habitatores eius in ſibilum, & opprobrium populi mei portabitis.

Amri Iſraëlitarum v. rex quadrageſimo ſexto diſſenſionis anno regnum obiit,impiæ ſuperſtitionis inſtaurator atque ſtudioſiſſimus aſſertor & vindex. nam fecit Amri malum in conſpectu Domini,& operatus eſt nequiter ſuper omnes qui fuerunt ante eum: Ambulauitq́ue in omni via Ieroboā filij Nabat,& in peccatis eius,quibus peccare fecerat Iſraël, vt irritaret Dominum Deum Iſraël in vanitatibus ſuis. huic filius Achab maximus paternæ impietatis imitator ſucceſſit. Horum autem præcepta & inſtituta cæteri non ſolùm Iſraëlitæ,ſed Iudæi etiam reges & populi ſtudioſiſſimè ſeruauerunt, ſicut in vtrorumq. regum hiſtoriis traditum eſt: quæ res exitio vtriuſque regibus & populis tandem fuit. Vtrumque autem populum hac oratione complexus eſt Deus;alterum quidem exempli;alterum imitationis nomine deteſtatus. At verò ſermo ipſe cum Iudæa gente & Ieroſolymorum vrbe atque regibus habetur,qui eos,à quibus animo & voluntate diſſidebant, ſuperſtitionis ſtudio imitati ſunt. Quamobrem extremum ſibiipſis vrbiq́ue ſuæ exitium, ciuibus verò turpem captiuitatis ſeruitutem attulerunt,quibus pro gloria ac fama æternam ignominiam, vt tanti mali auctoribus reportandam denuntiat. Verba iam expendamus. [*Cuſtodiſti.*] Hebraicè verbum hoc præter propriam ſignificationem diligentiam ſtudiumq́ue indicat. [*In voluntatibus eorum.* Sic habet emendata Latina lectio,non *voluptatibus.*] namq. Hebraicum nomen conſilia ſtudioſè inita ſignificat. [*vt darem te in perditionem.*] Ad regiam domum, ſenatum,magiſtratumq́ue pronomen maſculinum Hebraicè refertur,quòd domus, maſculino genere in illa lingua dicuntur. [*Et habitatores eius in ſibilum.*] *Habitatores* Ieruſalem. namque Hebraicè, *Eius*, femininum ad vrbem pertinet. [*In ſibilum.*] Imperatoribus in victoria & triumpho datum plauſum victorum & captiuorum irriſio conſequitur. Sibilus verò popularem irriſionem atque inſultationem in miſeros indicare ſolet: vt illud, Omnis qui tranſit per eam ſibilabit & mouebit manum ſuam. [*Et opprobrium populi mei portabitis.*] quòd tantis calamitatibus,tantis miſeriis coopertus populus, regum & principum ſuorum, qui & ſceleris & mali auctores fuerint,nomina aſſidua recordatione, & conſequenti imprecatione, probro, atque ignominia vſurpaturus ſit.

3. Reg. 16.

CAPVT SEPTIMVM.

VÆ mihi quia factus ſum ſicus qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non eſt botrus ad comedendum, præcoquas ficus deſiderauit anima mea.

CVM Vates Dei nomine Iſraëliticum & Iudaicũ populos & reges in crimen vocaret, optimum quemque & pientiſſimum excipiendum curauerat, atque in ſuas partes eandemq. cauſam ſuſceptum & cooptatum voluerat; arbitratus fieri non poſſe, vt in tanto populo nõ multi ſupereſſent, qui ſinceræ religionis & pietatis fidem tuerentur. ob eam autem rem dixerat: Et ſalus timentibus nomen eius. & rurſus: Quis, inquit, approbabit illud? atq. adeò hac ratione & opinione officium munusq. ſuum libentius adminiſtrabat, aduocatos ſibi ad eam rem optimos viros nõ deeſſe ratus. nunc verò diuino ac prophetico ſpiritu rariſſimos aut nullos ferè harum partiũ extare edoctus, deſiderium hoc ſuum mœſto carmine & lugubri admodum elegia proſecutus, vicem ſuam in primis dolet, cui antiquis potius ætatibus natum fuiſſe cupienti, turbulenta ac grauis formidoloſiſſimi temporis tempeſtas oblata ſit, vt in tanta ſceleratorum hominũ conſuetudine probos & pios viros, quorum ſocietate animum ſuum alere reficereque poſſit, deſiderare cogatur. Eam autem lamentationem aptiſſima cum primis ſimilitudine exorſus, expoſitione deinde perſequitur. [*Væ mihi,*] Hebraicè mœſtiſſima interiectio eſt, quã Latinè ſatis exprimere non poſſumus. [*Quia factus ſum ſicut qui colligit.*] hoc in loco punctus figendus eſt, & æſtatis nomen Latinè ſubaudiendum. Illud autem *qui colligit*, datiuo caſu eſt explicandũ. Accidit, inquit, mihi ſicut colligenti in æſtate relictas à meſſoribus ſpicas; quarum, quòd nimio æſtu hiantium grana omnia deciderint, nullus omnino vſus eſt. non minus autem laboris bonis viris in hac ætate conquirendis fruſtra mihi animo ac mente ſuſceptum eſt, cùm aliquos ex anteactis ætatibus pietatis cultores ſupereſſe arbitratus, nullos tandem inuenerim. Æſtatis autem nomen, quod Latinè ſubaudiendum dicimus, & Hebraicè expreſſum eſt, & ex verbo *colligere*, propriè ad ſpicas refertur. [*In autumno racemos vindemiæ.*] Hebraicè, *ſicut racemos in vindemia.*] verbum, quærens, ex ſententiæ ratione addendum eſt. Significat autem rariſſimos ex antiqua diſciplina viros inueniri poſſe, quibus pietatis ille incorruptus ſuccus adhuc maneat: ſeque nimium ſerò natum eſſe conqueritur, quando & ex maturæ ætatis viris, & ex ſenibus vel ſtudij, vel partium ſuarum hominẽ vix quemquam integrum & incorruptum inuenire poſſit; hos enim vt racemos ſeriùs iam quæſitos & raros, & vino aut cibo ineptos reperiri. [*Non eſt botrus ad comedendum.*] Autumno iam cedente ſi qui forſan racemuli viti inhærent, aut ob tardum ortum acerbiſſimi, aut ob nimiam maturitatem & imbrium ſuperuentum eluti corruptique offenduntur. Ita etiam hos temporum ſuorum homines, etiam eos, qui pietatem aliquo modo profitentur, aut tempeſtatis grauiſſimæ impetu languidos & tumidos, aut nimia ſuperſtitione imbutos, nihil præterea maturæ aut commodæ virtutis expertum ſeſe fuiſſe dicit. Quibus rebus adductum ſe Vates ait, vt ſimplicem illam & antiquam primorum ſuæ gentis parentum pietatem, & integrã maturamque virtutem deſideraret. hoc eſt quod inquit: *Præcoces ficus deſiderauit anima mea.*] Antiquos enim illius gentis patres eximia in Deum pietate, & in homines fide & virtute præditos fuiſſe legimus, quales poſt Abrahamum, Iſaacum & Iacobum, primi etiam illi regionis poſſeſſores, qui ſub Ioſue vixere, extitiſſe dicũtur, ſicut ſcriptũ eſt: Seruiuitq. Iſraël Domino cunctis diebus Ioſue & ſeniorum, qui longo vixerunt tempore poſt Ioſue, & qui nouerant omnia opera Domini, quæ fecerat in Iſraël. Hos præcoces ficus tranſlationem ſuam perſecutus appellat, quòd vt prima æſtate matureſcentes ficus, gratiſſimi & ſuauiſſimi fuerint. Inter quos natum ſe fuiſſe optare ait. nam cùm ſuccedentia ſibi tempora hominum vitio ſemper deteriora ſint, quicunque mentis compotes ab intelligentia ſenſuque vulgi longiſſimè diſiuncti ſunt, auream antiquorum hominum ætatem deſiderare ſolent. ſic ille aiebat: *Hos vtinam inter Heroas natum tellus me prima tuliſſet.* Sic Iſaias ætatis ſuæ proborum hominum penuriam lamentatur: Iuſtus periit & non eſt qui recogitet, &c. Sic etiam Poëta: *Damnoſa quid non minuit dies! Aetas parentum peior auis tulit Nos nequiores, mox daturos Progeniem vitioſiorem.* Iam verò tranſlationẽ ſuam explicaturus Vates, cùm antiquam illam in vita ſimplicitatem & ſolidam virtutem nõ ſine graui ſuſpirio requiſierit, in quales hominum mores, in quam vel occultam hypocriſim vel apertam impietatem, in quæ demum turbulentiſſima tempora inciderit, expoſitione vſus docet; oſtenditque nullum temporibus ſuis ius, nullum officium, nullum denique naturæ, neceſſitudinis aut pietatis nomen tam ſanctum eſſe, quod non aut occulta fraude, aut aperto flagitio maxima cum impudentia violetur.

Ioſu. 24.

Iuuenalis Sat. 15.

Horat. lib. 3. ſerm. Sat. 2.

Periit ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt: omnes in ſanguine inſidiantur, vir fratrem ſuum ad mortem venatur.

ÆTATIS aureæ deſiderio affectus ferream ſuam (cuius metalli noſtra hæc, in qua viuimus, aut etiam deterioris eſt) partitione deſcribit. [*Periit ſanctus de terra*, Hebraicè, *ſanctus miſericors.*] Nullam hominibus humanitatem eſſe conqueritur. nam qui humanitate aliqua prædit fuerant, iam pridem de vita migrantes in terris eſſe deſiêre. neque verò humanitatem ſolùm, ſed æquitatem etiam deſiderari ait, quòd humanitas benignitate & æquitas iure & debito definiatur. denique *rectus in hominibus non eſt.*] Sunt enim qui miſericordia ducantur: atque hi optimi omnium cenſentur. ſunt qui ſeueriorem viam ſecuti, ſeſe iuſtitiæ tantùm, fidei & æquitatis vindices & ſectatores profiteantur; ſed vtriuſque virtutis rationes omnes abolitas iam eſſe ait.

In quarum ſubiere locum fraudeſq; doliq;, Inſidiæq;, & vis, & amor ſceleratus habendi. Ouid. Meta. lib. 1.

[*Omnes in ſanguine inſidiantur.*] Vltionis & iniuriæ inferendæ, atque violentiæ ſtudium, & excogitatas ad eam rem truculentas & impias leges, conflatas perditiſſimorum hominũ ſocietates, exitioſaſque coniurationes, atque id genus alia oratio hæc ſignificat. Omnis autem hæc miſericordiæ, illa verò æquitati oppoſita ratio eſt. [*Vir fratrem ſuum ad mortem venatur.*] Hyperbolicus quidem, ſed veriſſimus ſermo, quo nullus humanæ ſocietatis locum tam firmum aut naturæ aut alterius neceſſitudinis præſidium habere dicitur, vt contra auaritiæ inſidias tutus ſit.

Viuitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus,
Non ſocer à genero: fratrum quoque gratia rara eſt. Ouid. Meta. lib. 1.

Quid enim tutum eſſe poſſit, quando fratris germani res frater ſibi in prædam ponens, tanquam venator ferarum carnes omni arte, dolo, circumuentione, machinis, telis, & ſi aliter haberi non poſſint, tamen vel vi vel calumnia oppreſſo morteq́. affecto fratre, auferendas proponit! Rem, quocunque modo, rem, inquit ille. [*Venatur ad mortem.*] Eadem, ſed grauiori etiam ſignificatione & tranſlatione, qua circumuenire & opprimere à Latinis dicitur: Hebraicè hoc in loco *Rete* eſt. [*Venatur ad mortem.*] rete, omneſque inſidias & dolos ſignificat. Atque hoc commune totius populi & ſummorum & infimorum ſtudium, hæc cura eſt, alienas fortunas & vitam etiam per ſummum nefas appetere. Illud autem principum & potentiorum proprium flagitium eſt, extrema ſcelera & vim iniuriamque inferendam legum auctoritatè & iuris ac maieſtatis nomine tueri atque honeſtare velle.

Malum manuum ſuarum dicunt bonum: princeps poſtulat, & iudex in reddendo eſt: & magnus locutus eſt deſiderium animæ ſuæ, & conturbauerunt eam.

PRINCIPVM, iudicum, iuriſconſultorum, vt priuatis commodis vtilitatique, omni etiam iniuria ſeruiant, & iuris nominibus aut malitioſa potius iuris interpretatione proſpiciant, conſilia, rationes, atque mores plurimum conuenire ait. namque vbi ſemel alienæ res appetitæ fuerint, quo iure, quáue iniuria inuadi poſſint, cauſa protinus inuenitur; atque adeò negotium ipſum tanto artificio, tantaque auctoritate conditur & tranſigitur, tanta maieſtate confirmatur, vt à nemine vel ſanctiſſimo homine, iniuriæ, iniquitatis, vel aliquo alio fraudis nomine notari, nedum impediri tutò poſſit. Res autem hoc modo adornatur & expeditur. In primis princeps ipſe magnas res, & bello & pace gerendi cauſas prætexens poſtulat. de quibus ad magiſtratum & conſiliũ refertur; qui verò deliberant, id maximè ſequũtur, quod principẽ maximè cupere intellexerint. [*Iudex in reddendo eſt.*] In ea totus ſententia eſt, vt principis cupiditatibus morẽ gerat, ſed vt honeſtiori etiam nomine adornata, nullus iis, qui opprimuntur, vel qui indignitate rei offendũtur, locus relinquatur, religionis etiã & pietatis profeſſor ſacerdos quiſpiã ſummę & venerandæ auctoritatis ad cauſam adhibitus reſpõſa non ex diuinæ ratione legis, vel publicę rei, ſed ex cupiditatis & ambitionis ſuæ cõmodis & rationibus dat. quibus nullo pacto melius, quã regis ingenio & libidini obſequendo, conſuli poſſe arbitratur. hoc eſt quod dicit: *Et magnus locutus eſt deſiderium animæ ſuæ:* Hebraicè & Chaldaicè, *deſiderium corruptum animæ ſuæ ipſe.*] Animã autẽ hoc loco appetitum ſignificare, nomen NEPHESS Hebraicũ docet. Magni autẽ appellatione ſacerdotẽ aliquem ſummũ, vel eius vice fungentẽ quempiã, qui religionis rebus interpretandis, adminiſtrãdis docendisq́. præſit, antonomaticè indicari, & ratio ipſa rei & vox etiam confirmat. namq. magnus ſummi ſacerdotis cognomen eſt, & in magiſtrorum atq. Phariſæorũ ſalutationibus eiuſdem auctoritatis nomen vſurpatur, ſicut ſcriptum eſt: Et amant primas cathedras, &c. & ſalutari ab hominibus, & appellari Rabbi. quæ vox Magnum ſiue magnum meum ſignificat. atque in Iudæa quidem ſummi ſacerdotes erant à Deo olim inſtituti: apud Iſraëlitas verò alij etiam à regibus infimæ ſortis homines creati ſunt, qui in religionis conſiliis & rebus gerendis magnorum ſacerdotum officio fungerentur; quorum ſententia ad princi-

1.Reg.12. pum gratiam venalis erat, ſicut ſcriptum eſt: Conſtituitque ſacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Leui, &c. Igitur horum trium ordinum, videlicet principum, iudicum & ſacerdotum potentia, ſententia, approbatione trãſacta res, inſolubili nodo colligatur. hoc eſt quod Vates concludendo ſubiungit: *& conturbauerunt eam.*] Fraudulentas iſtorum & implicatas ad diripiendũ rationes, atque iniqua, calumnioſa, & iuris nominibus intertexta decreta breui aptiſſimæ ſimilitudinis deſcriptione expreſſit. namque verbum Hebraicum, pro quo Latinus (quam commodiſſimè potuit) conturbare reddidit, GHABATH eſt, quod in impeditiſſimis ramorum, funiculorum, vel aliarum huiuſmodi rerum tricis vſurpatur. Hiſpanè propriè, *emmarañar*, Italicè, *inviluppare* dicitur. Igitur nodos quoſdam, tricas, & legum, rationum, decretorum, ſcriptorumque gryppos ab iſtis auaritiæ ſatellitibus & iniuriæ conſultis communi conſilio parari ſolere ait, vt ſi minus diuino & humano iuri ſatisfieri poſſit, tamen ſibiipſis ſuiſq. cõmodis, cum maxima obtrectantium pernicie, ſeruiatur. Femineum autem pronomen *eam*, pro neutro Latino aut Græco, Hiſpano & Italico articulis ex Hebraico idiomate accipiendum eſt, vel ſi nomen addere placeat, *rem* addendum arbitramur: *Conturbauerant eam (rem.)* namque omnia duo ad cohærendum tertium aliquid requirunt, & quaſi nodum vinculumque deſiderant. Vbi igitur ad principum cupiditatem & iudicis decreta magni cuiuſpiam approbatio accedit, æqui atque iniqui rationes omnes tantæ auctoritatis fiducia ſine vlla diſſoluendi ſpe cõturbantur. Hiſpanè hoc ſic pronuntiatur, *y emmerañnam la.* Italicè, *& ſela inuiluppanodumq;.* Ita adeò triplex hic funiculus ruptu difficillimus contorquetur. Quantum autem huiuſmodi principes, magiſtratus & religionis miniſtri dignitate, officio, atque opera ſua abuſi publicis & priuatis rebus detrimenti afferant, oſtendit Vates: quos, quoniam vtiles interdum & reipub. commodi eſſe dicuntur, comparatione facta examinat: & cùm aliquid boni & commodi agere curauerint, plus in ea re detrimenti, quàm emolumenti eſſe affirmat. nam cùm nullam præcipuè diuinæ legis & veræ pietatis atque communis ſocietatis rationem habeant, ne omnino nihil in communem rem cõferre iudicati, totius populi in ſe odium & diſſenſionẽ concitent, iure dicundo & gubernando & docendo, nonnulla publica & priuata negotia tractant; ita tamẽ, vt eos, quorum intererſit, non potius inter ſe tranſegiſſe, quàm horum operam expectaſſe, vehementer pœniteat. adeò omnia craſtinationibus, dilationibus, tædiis, tranſactionibus, intolerabili ſumptu actionum & iudiciorum implicamentis, innumeriſq. aliis incommodis corrumpuntur. Præterea quanta iſtorum in gubernando ſuperbia & inſolentia, in iudicando moroſitas, in docendo peruerſitas & vanitas fuerit, antiquos legentibus libros perſpicuum eſt. hoc eſt quod Vates noſter dicit:

Qui optimus in eis eſt, quaſi paliurus: & qui rectus, quaſi ſpina de ſepe: Hebraicè, *optimum eorum, &c. & rectum præ ſepimento.*

VTRO modo legamus, eadem ſententiæ vis, ſed explicatior tamen Hebraicè eſt. nimirum illud ſignificat oratio. Iſtorum principum, iudicum, & magnorum (vbi ſemel diuinus timor ſit depoſitus) probatiſſimam etiam operam plus aloës, quàm mellis habere: eique qui experiri voluerit, quemadmodum ſi quis ſpinas tractauerit, obeſſe magis, quàm prodeſſe confirmat. Si quid verò recti atque æqui nomine ab iſtis expediendum ſuſciperetur, pluribus & maioribus difficultatibus, quàm ſpinis intexta ſepta iis, quorum agebatur res, conſtitiſſe ait. neque verò quenquam horum eſſe, qui officij partem aliquam pollicitus gratis præſtiterit, ſed eo dumtaxat tempore curauerit, cùm præſenti allato munere fuerit ſolicitatus: ſtatim verò cùm nihil pretij abs te acceperit, cauſam tuam neglecturus.

In die ſpeculationis tuæ viſitatio tua venit: nunc erit vaſtitas eorum.

COMMVNI ferè linguarum omnium more ad propoſitæ rei exemplum explicandum
Pſal.90. ſecundam aliquam perſonam tanquam præſentem alloquitur: vt, Non accedet ad te ma-
Horat.ſerm. lib 2.Sat.5. lum, &c. & Horatius: *dixeris experiar*, &c. Quo die iniqui principes, iudices, & magni iſti te munere onuſtum contemplati fuerint, eo die tantùm negotij tui meminerunt; quum verò munere vacuum conſpexerint, nihil minus agunt, omnem alienarum rerum memoriam abiiciunt, conturbantque res omnes: quos vtinam debita ſors viceſque ſuperbæ conturbent. Commodè autem Vates conturbationem illis imprecatur, qui aliorum res conturbare & confundere parui pendant. [*Nunc erit vaſtitas eorum.*] Imprecatio vaticinio con-
Pſalm 107. iuncta eſt futuro tempore ex more pronuntiata: vt, Fiat habitatio eorum deſerta. cæteræque illius pſalmi imprecationes, quæ futuro tempore Hebraicè dicuntur, & Latinè etiam Thyeſtææ preces eodem tempore mittuntur. vt,

Et inquietis aſſidens præcordiis, *Pauore ſomnos auferam,* &c. Coniunctionis autem de- Hora. Epod.
fectus, & *nunc;* particula futuri propediem mali imprecationem arguunt. nam ſi abſolutè Od. 5.
vaticinium eſſet, coniunctio *&*, vel autem, adderetur: vt, Et erit tanquam lignum, &c. [*Va-* Pſalm. 1.
ſtitas eorum; Hebraicè *conturbatio & perplexitas eorum.*] ab illo Hebraico verbo deductũ nomen Exod. 14.
eſt, pro quo Latinus intetpres reddidit, *coacti ſunt in terra.* Concluſit autem in ſummas an-
guſtias illorum res adducendas, quemadmodum alienæ ſunt ab ipſis adductæ. Quod ad
verba attinet, viſitationem pro alieni negotij memoria & recordatione accipimus: vt, Vi- Gen. 12.
ſitauit Dominus Saram: &, Viſitans viſitabit vos Dominus, &c. Cùm verò maximum ab Exod. 3.
iſtis nocumentum allatum cum exiguo emolumento comparauerit, deducta argumenta-
tione docet, nihil in vniuerſum præcipui aut egregij officij à malis & pietate carentibus
principibus, iudicibus, & magnis eſſe exſpectandum: neque verò propterea de illis aut pa-
lam, aut obſcurius dettahendum, quòd ea res inſidiis omnium etiam neceſſariorum &
coniunctiſſimorum hominum expoſita, certiſſimum periculum, ſi quis imprudenter ege-
rit, creare ſoleat.

Nolite credere amico: & nolite confidere in duce.

DVO illa poſteriota officia iudicis, & magni, nomine amici, ſiue, vt Hebraicè eſt, ſocij
concluſit, quòd ad humanam ſocietatem conſeruandam, & ad communes & priuatas res
ſumma cum æquitate & facilitate componendas inſtituta ſint. Vnde in ſacris ſermonibus
huiuſmodi miniſtri cæterorum fratres appellantur: his igitur amicis, qui diuino timore
depoſito, commoditatibus ſuis ſeruire deprehenſi fuerint, vel omnia bona promittentibus
ſanctéque iurantibus non eſt crēdendum. nam ſi quid præſtetur, quale illud euadat, iam ſu-
perius eſt explicatum. Principem autem qui potētia & maieſtate præ cæteris valet, ducem
appellauit. Atque horum quidem omnium, ſi mali ſint, amicitiam & conſuetudinem com-
modi paululum, offenſionem verò incommodi & mali plurimum honeſtis & ſimplicibus
viris afferre poſſe ait. Ita adeò fit, vt neque huiuſmodi amicis neque inimicis vti expediat.
namque horum cùm facta & mores probare turpiſſimum ſit; contrà etiam improbare, ve-
hementer periculoſum eſt; iis maximè temporibus, cùm rara hominum fides, nulla miſeri-
cordia, nulla aut neceſſitudinis aut officij ſanctitas, nulla arcani religio eſt; ſed ab iis maxi-
mè ſimplicitas proditur; quibus tutò ſeſe credere præcipuè oportuerit. Igitur de huiuſmo-
di potentiorum hominũ peruerſis rebus & rationibus tacere magis, quàm detrahere com-
modum tutumque eſt. Quòd ita vel natura, vel moribus, vel fato quodam comparatum
ſit, vt nihil aduerſum hos agas, nihil aſſequaris, nihil moliaris, nihil denique dicas, quod la- Eccleſ. 10.
tere eos valeat in tempore, ſicut ſcriptum eſt: In cogitatione tua regi ne detrahas, & in ſe- «
creto cubiculi tui ne maledixeris diuiti, quia & aues cæli portabunt vocem tuam, & qui «
habent pennas, annuntiabunt ſententiam.

Ab ea quæ dormit in ſinu tuo cuſtodi clauſtra oris tui.

VT nullorum amicitia quàm coniugum coniunctior eſt, ita nullam communis ſalutis
& commodi curam attentiorem eſſe oportuerat. Primum enim & antiquiſſimum atq. ob
id ſanctiſſimum amicitiæ & mutuæ fidei vinculum, thorus immaculatus eſt; Erunt enim Gen. 2.
duo in carne vna; & tamen rara etiam vxoris fides in huiuſmodi, quæ ad potentiores perti- «
net, cauſa eſt, vel Vate noſtro docente, vel Chriſto etiã veritatis doctore maximo referen-
te, qui hunc Michææ locum ad eandem explicandam ſententiã in ſuum tranſtulit Euan-
gelium. Illud autem maximam ſignificationem habet, quòd vxor hoc modo indicata ſit.
[*Quæ dormit in ſinu tuo.*] vt neque dulcis amoris, neque honeſtarum deliciarum conſueta fa-
miliaritas proditionis & perfidiæ ſuſpicionem fugere & vetare valeat. neq. verò de his re-
bus aut miſeris temporibus ſermonem apud quenquam etiam familiariſſimum & neceſ-
ſarium habere, ſed neque hiſcere quidem tutum eſt, quando oris atq. vultus, geſtibus & nu-
tibus malignus interpres & arbiter non deſit. Quamobrem ait, *Cuſtodi clauſtra oris tui.*]

Quia filius contumeliam facit patri, & filia conſurgit aduerſum matrem ſuam, nurus aduerſum ſocrum ſuam: & inimici hominis domeſtici eius.

NVLLVM æqualium amorem, nullam minorum erga maiores; aut bene merētes tum
obſeruantiam, tum fidem, nullum deniq. familiaritatis aut neceſſitudinis officiũ ſanctum
conſtare, ſed omnia proditionibus, inſidiis, ſuſpicionibus & dolis referta corruptaque eſſe,
omni honeſtæ coniunctionis genere expoſito & notato arguit. [*Quia filius contumeliam facit
patri.*] Non modò vxor viro æquali infida eſt, ſed & filius patri, cuius obſeruantiſſimus eſſe
debuit, ignominiam gratiarum loco refert. [*Contumeliam facit patri.*] Hebraicè, contumeliã &
ignominiam idem vocabulum ſignificat, illi nimirum præcepto oppoſitam vocē, Honora

patrem tuum,&c. [*Filia conſurgit.*] quam non modò matri ſuæ obſeruantem, ſed obſequiis omnibus addictam penituſque ſubiectam metuentemque eſſe oportuit,ſicut ſcriptum eſt:
Eccle. 7. » Et hilarem faciem tuam ad illos. [*Et nurus aduerſum ſocrum ſuam.*] Nurum nouam nuptã vox Hebraica ſignificat,quo tempore nurus à ſocru & benigniſſimè excipi, & gratiſſimè in filiarum gregem recipi plerumque ſolet. namque antiquioris conſuetudinis nuruum mores ſocrubus non conuenire mirum admodum non fuiſſet. Quid autem à cæteris vel amicis, vel neceſſariis,vel familiaribus exſpectare oporteat,ex horum ſanctorum nominũ comparatione conſequitur;nimirum non fidem aut beneuolentiam,ſed apertas etiam inimici-
» tias & odia.Quandoquidem ſanctus de terra periit,& rectus in hominibus nõ eſt. Quibus
» omnibus ex rebus illud conſequitur & confirmatur,Iſraëliticam ſynagogã non ex diuinæ in ſe beneficentiæ conſilij mutatione,ſed ex inteſtino ſuorum cuiuſq. ordinis & conditionis hominum morbo & vitio laborare.è quibus nullã vnquam ſalutis proponere ſibi poſſit ſpem,vtpote grauioris impietatis,flagitij & vitij morbo implicatis,tum infimis,tũ ſummis in ea hominibus,vt à planta pedis vſq.ad caput ſanitas in ea non ſit,ſed à principe vſq. ad ſacerdotem omnes auaritiæ ſtudeant.Ita adeò ſi iſtorum ratio & virtus ſpectanda eſſet, à quibus ſemper malum ſynagoga acceperit,deſperanda profectò ſalus foret:ſed tamen ſapientiori iam cogitatione ſuſcepta,maximam ſalutis & vitæ ſpem ex ſanctiſſimis Dei promiſſis, quem ſemper beneficentiſſimum ac malorum prædictorem & propulſatorẽ fuerit experta, ſpem ſibi proponendam intelligit. Cuius perſonam ſuſcipiens Vates orationem etiam de hac re maxima ex diuinis promiſſis,redintegrata ſpe, renouat.

Ego autem ad Dominum aſpiciam: exſpectabo Deum ſaluatorem meum, audiet me Deus meus.

NEQVE ad principes,neq. ad iudices,neq.ad magnos etiam, à quibus miſerrimis ſemper modis afflicta,vexata & profligata ſit,ſicut ſcriptum eſt: Non eſt qui conſoletur eam ex omnibus chariseius,omnes amici eius ſpreuerunt eam,& facti ſunt ei inimici: ſed ad vnicum ſalutis auctorem Deum, & ad ipſam ſalutem Ieſum Chriſtum Dei filium ſeſe animo & cogitatione omniquę ſpe & multa prece conuerſam randem exaudiendam eſſe ait. [*Ad Dominum aſpiciam.*] Hebraicum verbum attentiſſimam exſpectationem ſignificat;cuiuſmodi
Pſalm. illud eſt: Attenuati ſunt oculi mei ſuſpicientes in cælum,& mane aſtabo tibi & videbo,ſiue
» aſpiciam.& illud: Leuabo oculos meos in montes vnde veniet auxilium mihi. Omnia hæc
» ad eundem ſperantium & exſpectantium habitum referuntur. [*Exſpectabo Deum ſaluatorem meum.*] nomen Hebraicum ſaluatoris eandem,quam Ieſus ſeruatoris noſtris nomen,originem habet. [*Audiet me Deus meus.*] Nomen Dei Hebraicum gubernatorem ſignificat;cuius in ſe prouidentiam & proſpicientiam ſemper fuerit experta, eiuſdem tandem in gratiam redire ſperat. Hanc verò tantæ gratiæ ſibi propoſitam ſpem gentilitati in ſuas miſerias inſultanti denuntiare ſtudet, cui & arcanam diuinorum iudiciorum, & apertam miſericordiarum rationem probans religione iniecta ſuperbiam & inſolentiam diſſuadeat.

Ne læteris inimica mea, quia cecidi: conſurgam cùm ſedero in tenebris: Dominus lux mea eſt.

FVTVRIS grauibus ſibi miſeriis per Enthuſiaſmon iam præſens Synagoga modum tandem ex diuina miſericordia ſtatuendum eſſe ſperat; atque iuſtitiæ interim rationibus probatis fortè ſibi ad tolerationem animum cõparare ſtudet. [*Ne læteris inimica mea.*] Synagogam gentibus omnibus inuiſam ſemper fuiſſe clarius eſt,quàm vt expoſitione indigeat,
Pſalm. 73. ſicut ſcriptum eſt: Leua manus tuas in ſuperbias eorum in finem, quanta malignatus eſt
» inimicus in ſancto, &c. Huius inimici populi ſuperbam in ſuas miſerias inſultationẽ diui-
» ni iudicij & miſericordiæ futuræque ſibi gratiæ commemoratione, atque ipſius rei indignitate propoſita cohibere ſtudet. [*Quia cecidi.*] Indigna fortibus & honeſtis animis vltionis ratio eſt,inimici caſu ſine vlla ſua victoria exultare,maximè cùm non ad æternum exitium & ruinam,ſed ad felicioris conditionis reſtitutionem ſperandam,præſentiumque temporum animaduerſionem & correctionem tolerandã id accidiſſe intelligatur. [*Conſurgam cùm ſedero in tenebris.*] non inquit, Iacuero, ſed ſedero: neq.enim mortua ſine vitæ ſpe,ſed ſedens mœſtarum viduarum more ſitu tamen viuentis & reſurrectionem exſpectantis manſura ſum. *In tenebris*, obſcuro loco,ſedentibus, quanquam ij viuant; nullæ tamen commodæ actiones,nulla officia ſunt, quoad lucis gratiſſimo beneficio auctis opportunus tum membro-
Exod. 10. rum,tum aliarum rerum vſus concedatur, ſicut ſcriptum eſt: Nemo vidit fratrem ſuum;
» nec mouit ſe de loco,in quo erat. At verò non vulgarem aliquam aut corruptibilẽ lucem,
» non ſolem aut lunam mundi hæc luminaria, quæ vt aliquando non fuerunt, ita vt aliquando non ſint,accidere poſſit, ſed æternam lucem indeficientem ſibi ſæpiſſimè promiſſam, tum promiſſionis, tum ſempiternæ & indeficientis, inexhauſtæ naturæ rationibus

ſperandam ſibi exſpectandamque fore ait. *Dominus lux mea eſt.*] ſicut Iſaias dixit: Super te autem orietur Dominus. Hanc autem ruinam atque inertem in tenebris vitam, otioſaque & ingrata tempora ab Iſraëlitarum & Iudæorum gente traducenda, præſentem illorum conditionem omnibus miſeriis & perturbationibus animorum præſertim maximis populo illi ob ipſorum culpam oblatam interpretari conuenit, quæ nunc induratio, nunc excæcatio, interdum etiam caſus ab Apoſtolis appellatur, quæ miſerrimis hominibus eo vſque perferenda eſt, quoad tantis exantlatis laboribus & ſuam culpam plenè fateri, & Dei in ſe miſericordiam cumulatè contingat experiri. Iſai. 60.

Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei: donec cauſam meam iudicet & faciat iudicium meum: educet me in lucem, & videbo iuſtitiam eius.

NON diuino odio, ſed ira & paterna, ſeueriore tamen, indignatione ſeſe agi affirmat. quamobrem eam miſeriam non ad æternum gentis ſuæ exitium fore interpretatur, ſicut ſcriptum eſt: Nunquid in perpetuum comminabitur? Quam ob rem hunc laboris iugum Pſalm. ſibi conſtanti animo ferre certum eſt, quod & futuræ gratiæ ſpe leuius quidem, quàm pro culpæ ſuæ magnitudine, & errorum atq. ſcelerum ſuorum ratione iuſtiſſimum intellexerit. *Quoniam peccaui ei.*] Atq. hæc ferendæ pœnæ vnica & certiſſima cauſa eſt, ſicut ſcriptum eſt: In ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram, &c. Hanc autem miſeriam eo vſque ſibi ferendam fore ait, quoad placatum ſibi Deum & tãtorum malorum atq. iniuriæ vehementius etiam vrgentis indignitate cõmotum, libertatis tandem ſuæ vindicem experiri contingat, ſicut ſcriptum eſt: Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. [*Donec cauſam meam iudicet, & faciat iudicium meum.*] Verbum iudicare, Hebraicum non ſolùm iudicium, ſed vindica- Hab. 3. tionem etiam ſignificat. Eſt autem vindicatio, per quam vim & contumeliã defendendo Cicer. aut vlciſcendo propulſamus à nobis, & à noſtris, qui nobis chari ſunt, & per quam peccata puniuntur. Huius verbi ſignificatio & ratio abundè illo pſalmo explicatur: Iudica Domi- Pſalm. 34. ne nocentes me, expugna impugnantes me, &c. Vtramq. autem rem, ſua ipſorum peccata, & hoſtium ſæuitiam, Deo iudicandam eſſe ait. grauius autem laturum & ſeuerius etiã vindicaturum eſſe Deum nimium malorum & moleſtiarum, ac contumeliæ onus, quo Iſraëliticus populus à diabolo, qui his cæcitatis & indurationis atque tenebrarum temporibus iſtos in ſua poteſtate tenuerit, atque ab eius miniſtris vexatus fuerit, hoc diuinæ libertatis vaticinio explicatur. At verò quod huiuſmodi non volẽtis neq. currentis, ſed Dei miſerentis opus & beneficium futurum eſt, à quo è tantis culparũ cæcitatis & indurationis tenebris in veniæ lucẽ atq. in diuinæ iuſtitiæ communionẽ ſeſe vocandos credere & ſperare iubeantur, additũ illud eſt: *Educet me in lucem, & videbo iuſtitiam eius.*] Lucẽ euangelij ſignificat, de qua ſcriptũ eſt: Quia tenebræ tranſierunt, & verũ lumen iam lucet. & iterũ alia ſcriptura 1. Ioh. 2. dicit: Vt virtutes eius annuntietis, qui eduxit vos de tenebris in admirabile lumen ſuũ. Iu- 1. Pet. 2. ſtitiã verò Dei eam indicat, quæ eiuſdẽ Euangelij virtute hominibus contingit. Namque Rom. 1. euangeliũ virtus Dei eſt ad ſalutem omni credẽti, Iudæo primùm & Græco. Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidẽ, hoc eſt, per illud cõmunicatur iis, qui credunt & obediũt verbo filij Dei. Quoniã autẽ ob religionis cauſam, & ob diuinæ prouidentiæ priuatè in Iſraëlitas conſtantis beneficiũ, inuidia illa & cõtentio gentilitatis aduerſus Iſraëlitas orta eſt, quæ dum Iſraëliticæ res afflictæ & vexatæ eſſent, viciſſe ſibi videbatur, & inanem olim diuinæ erga ſe prouidentiæ prædicationẽ arguere & confirmare ſtudebat. Ex hac tandẽ ſalute & tanta nouæ felicitatis longè etiã antiquæ illi præſtantis ſpectatione gentilitatem redargutũ & pudefactum iri docet. ipſos autẽ Iſraëlitas ob extinctas illo tempore gentilitatis rationes omnes incredibili voluptate & iucunditate perfundendos eſſe vaticinatur.

Et aſpiciet inimica mea & operietur confuſione, quæ dicit ad me, Vbi eſt Dominus Deus tuus?

VVLGARI enim hominum errore & deprauato iudicio accidit, vt ex præſenti aduerſitate præteritorum ſtudiorum & felicitatis curſus vanus, & pietatis profeſſio & prouidentiæ prædicatio falſa fuiſſe arguantur. Huiuſmodi ſtultis ſententiis corruptiſſimum vulgus hominum eſt, quibus vnaquæque res non exiſtimatione & ratione, ſed corruptis opinionibus definitur. Hoc aſſerendæ prouidentiæ ſtudio incenſi ſapientes ac ſancti viri inſtantem à ſeſe calamitatem ſunt ſoliti deprecari: vt, Non nobis Domine non nobis, ſed nomi- Pſalm. 114. ni tuo da gloriam: ſuper miſericordia tua & veritate tua, ne quando dicant gentes, Vbi eſt Deus eorum? Quicunq. autem hac rerũ exiſtimatione & certa ratione ducitur, vt ſecundas res diuino beneficio, aduerſas verò iudicio & animaduerſioni aſcribat, is dubio procul cauſam ſuam tandem obtinebit, & aduerſarij impietatem ſeueriſſimo diuinę vltionis exemplo ſpectato conuincet. hoc eſt quod Synagoga diuinam tandem per Chriſtum gratiam impetratura gentilitati penitus extinguendæ denunciat.

Oc

Oculi mei videbunt in eam: nunc erit in conculcationem vt lutum platearum.

NVLLVS plenius & commodius exoptatæ rei deſiderium, quàm oculorum ſenſus con-
ſolatur. Ex quo fit, vt in eiuſmodi deſideratis rationibus hic præcipuè ſenſus teſtis citari ſo-
leat: vt, Oculi mei conſpecturi ſunt. Sed quod ad phraſim facit, Videre in aliquem eſt, ſup-
plicij illius & calamitatis, contra quàm ille crediderit, ſpectatorem ſeſe præbere: vt, Quo-
niam ex omni tribulatione eripuiſti me, & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus;
Hebraicè eadem vtrobique oratio eſt. Omnem verò hanc pro Iſraëlitis aduerſus gentes &
eos, qui ex gentibus euangelio crediderunt, cauſam ſapientiſſimè D. Paulus ad Romanos
ſcribens perorat; & ſuperbiam omnem inſolentemq. inſultationem diſſuadens, modeſtiam,
pietatem & religionem perſuadere ſtudet. Si quis autem Chaldaicè legere & intelligere di-
dicerit, hunc in Chaldaicis Bibliis locum vehementer ad Apoſtoli cognoſcendam ſenten-
tiam pertinentē legat: quem, quòd diffuſior aliquanto eſt, Latinè hic interpretari nō libuit.

Dies vt ædificentur maceriæ tuæ: in die illa longè fiet lex.

CONVERSO ad Synagogam ſermone certam & perpetuam Deo auctore ſalutem, &
rectum, proſperum ac perpetuum vitæ curſum vaticinatur, ſecurumque rerum ſtatū ædi-
ficatis maceriis & rupturis ac ruinis omnibus reſarciendis, domiciliumque diuino numini
conſecratum, ſartum tectum ab omni periculo conſeruandum prædicit. Eam verò diem vt
certam, decretam, ac diuinitus promiſſam ter in verſuum initiis & medio repetitam cele-
brat. Sed hæc omnia ſpirituali populi illius ædificatione, & in ſanctam Eccleſiæ ciuitatem
Amos 9. receptione definire in primis oportuerit, ſicut ſcriptum eſt: In die illa ſuſcitabo tabernacu-
lum Dauid, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius, &c. Omnis autē huma-
na animorum miſeria & ſeruitus peccati debitione, quaſi iure quodam nitebatur. Illa enim
ex cauſa antiquo hoſti homo omnis debitor addictus plurimis & grauiſſimis nominibus
tenebatur, quæ niſi Dei filius Deus & homo ſanguine ſuo exoluēs expunxiſſet, nemo pro-
fecto, non mortalium modò hominum, ſed neq. immortalium angelorum proprię virtutis
rationibus fuiſſet ſoluendo. Hoc igitur præſtantiſſimum beneficium hominū genus à Deo
per Chriſtum obtinet; cuius beneficij quicunq. compotes fiunt (fiunt autem fide & obe-
dientia) perfecta libertate gaudentibus, tum culpæ, tum miſeriarum omnium ſpiritualium
Iſai. 9. datur immunitas. Quam rem elegantiſſimo carmine Iſaias vates celebrauerat: Quia iugum
oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius confregiſti, ſicut in die Ma-
» dian. Eandem etiam Vates hic noſter Iſraëlitis in eandem diuinorum beneficiorum com-
munionem & ſocietatem conuocandis gratulabundus concinit: *In die illa longè fiet lex.*] He-
חק braicè HOK, debitorum legem ſignificat, quam Interpres noſter aliàs ius vertit, vt apud
1. Samuel. Gen. 47. Samuelem de regiis exactionibus cum populo agentem, aliàs circumlocutione vſus expli-
Rom. 7. cat, vt in Ægyptiorum ſacerdotum conſtitutis cibariis. de hac autem lege Paulus ſic: Lex
» ſpiritus vitæ liberauit me à lege peccati & mortis. Magnam autem quietem & ſecuritatem
Synagogæ Eccleſiæ ius & ſocietatē accepturæ promittit: quòd Eccleſię in vnū ſpiritum ex
vtroque populo coniungendæ pia quadam & perpetua tranquillitate & pace parta, ex om-
nibus viſibilibus & inuiſibilibus hoſtibus vndique victoria vtendum ſit.

In die illa; & vſque ad te veniet Aſſur; & vſque ad ciuitates munitas: & à ciuitatibus munitis vſque ad flumen, & ad mare de mari, & ad montem de monte.

IN *die illa.*] Acclamationi & gratulationi opportuna repetitio eſt: non enim cum ſubie-
cta ſententia coniungitur, ſed præcedentibus appenditur: Hebraicè *dies illa* abſolutè dicitur,
quod certam, lætam & diuino conſilio conſtitutam diē ſignificat. Cæterùm pace iam com-
poſita & eccleſia in ampliſſimo ſtatu collocata, communem omnium tum Iſraëlitarum ex
omni loco, vbi diſperſi ſunt, tum aliarum etiam vndique gentium conuentum ſumma læ-
titia celebrandum eſſe præcinit. [*Et vſque ad te veniet Aſſur*: Hebraicè, *vſque ad te veniet ab vſque
Aſſur, &c.*] Primùm enim vicina Iſraëlitis regionum loca certis limitibus notantur: deinde
orbis omnis reliquus indicatis in genere terminis deſcribitur. *Ab Aſſur vſq. ad ciuitates munitas.*]
Armeniam hoc nomine indicari Chaldæus paraphraſtes exponit, quæ in *Labhlabh*, *Habur* &
fluuium *Gozanum* diuiditur: quò migraſſe quondam Iſraëlitas accepimus. (ſunt autem, qui
Ægyptum hoc loco interpretentur, ſed migrationis ratio à Chaldæo interprete ſtat:) inde
vero quicunque vſque ad flumen totis illis regionibus conſedēre. Flumen autem in ſacris
Pſal. 71. antonomaticōs Euphrates nominatur: vt, Et dominabitur a mari vſque ad mare, à flumi-
1. Reg. 4. ne vſque ad terminos. & Salomon omnem regionem quæ citra flumen erat, obtinuiſſe di-
ctus eſt. Deinde verò omnia terrarum tum maritima, tum etiā mediterranea loca duobus
repetitis nominibus complexus eſt Vates: *Et à mari ad mare:*] ab occiduo Oceano ad orien-
talem, à ſeptentrionali etiam ad auſtralem, ſi terræ terminos per ambitum ſpectes: ſi verò

interiora terrarum metiri velis, *ad montem de monte.*] namque Geographiæ periti ex editiſſimis montibus adiacentes terras contemplati, metiri conſueuêre. Omnium igitur fidelium in vnam eccleſię ſocietatem concurſus; vanarum verò ſectarum & ſuperſtitionis profeſſorum magna vaſtitas futura, prædicitur.

Et terra erit in deſolationem propter habitatores ſuos, propter fructum cogitationum eorum.

HEBRAICE *à fructu cogitationum*, &c. Illud ſignificat vanorum ſtudiorum, in quę hactenus eccleſiæ infenſæ & inimicæ gentes incubuerint, nullum tandem fructũ eſſe percipiendum: quamobrem ſtudia ipſa ſuis cultoribus deſertum iri obnuntiat. Diuini autem honoris & publicæ vtilitatis ſtudio incenſus præuiſam à ſe Eccleſiæ felicitatem futuram pro ſua parte etiam certam, ratam, conſtantemque eſſe exoptat, & tanquam voto nuncupato orat. Grauiſſima verò & ſpei atque deſiderij argumentis refertiſſima oratione Deum ſuum allocutus inquit:

Paſce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ.

SIC Iſaias, ſic alij vates præuiſam ſibi futuri Ieſu Chriſti regni felicitatem votis omni- Iſai. 64.
bus & precibus proſecuti ſunt: Vtinam dirumperes cælos, & venires. Salua Domine po-
pulum tuum, & benedic hæreditati tuæ. Cuiuſmodi autem regni æquitatem, clementiam Pſalm. 27.
& lenitatem, cuiuſmodi regis curam, virtutem & prouidentiam experturus populus Chri-
ſti eſſet, paſcendi ſimilitudine propoſita ſatis commodè ſignificatũ eſt. quòd non vanis &
ſuperſtitioſis doctrinarum erroribus, non fallacibus figmentis, non comparatis ad priuata
inſtitutorum & doctorum auctorumque commoda, aut ad humanæ gloriæ monumenta
rationibus, tanquam bruta pecora, prout ducebantur, euntes, vt Paulus dixit, perdendi
eſſent; ſed Deo ipſo optimo, maximo & benigniſſimo, necnon & ſapientiſſimo ac proui-
dentiſſimo paſtore vſuris, nullus metus, nulla ſuſpicio, nullius commodæ rei deſiderium Pſal. 22.
eſſet futurum, ſicut ſcriptum eſt: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ me
collocauit, &c. [*In virga tua.*] Diuinũ ſpiritum cõſolatorem appellatum ſignificat, quo filij
Dei ducti, non plecti, nõ terreri aut conſternati, ſed cõmodiſſimè, ſuauiſſimè tutiſſimeq́. agi
ſolent. Virga, inquit, tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Eius autem vitæ & cõuer-
ſationis honeſtiſſimum, tutiſſimum & integrum, atque ſanctiſſimum vſum & proſperum
felicitatis ac perpetuum curſum antiquis temporalium commoditatum imaginibus & no-
minibus propoſitis deſcribit.

Habitantes ſolos in ſaltu: In medio Carmeli paſcentur Baſan & Galaad iuxta dies antiquos.

HABITANTES *ſolos in ſaltu.*] Vt rei ipſius nomina, hoc eſt, paſtionem, paſtorem & gregem, ſic partium etiam & circunſtantiarum vocabula non ſimpliciter, ſed ex tranſlationis rationibus interpretari, ſententiæ conſequentia nos mouet: Igitur *ſolos in ſaltu*, vel ſilua commoraturos eos, qui à Deo paſcantur, docet; vtpote nullis in hac vita alieni pecoris contagiis lædendos, nullis corruptelis contaminandos, nullo ferarum impetu à gregis & ſocietatis communione abalienandos. *Baſan* autem & *Galaad*; quæ regiones paſtionis magnitudine fertiliſſimæ ſunt, Iſraëlitis olim vltra promiſſæ terræ rationes & pacta cõceſſæ, & prius occupatæ, quàm in deſideratam tot ſeculis patriam venirent. Huiuſmodi autem loca vitæ huius inſtar habuêre, in qua eos, qui Chriſti eſſent, maximis & diuinis donis, commoditatibus & iucũditatibus à Spiritu ſancto Chriſti, ante etiam, quàm ad cæleſtem patriam peruenirent, afficiendos eſſe, & ſacri vates præcinuêre, & ſancti etiam Apoſtoli re ipſa præſti-
tum eſſe, diuina gratulatione ſæpe confirmarunt. Benedictus Deus qui benedixit nos in
omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus. Quoniam verò omnis ratio hæc non carnalis, Ephe. 1.
ſed ſpiritualis eſt, atque ex illis antiquis figuris imaginum tantùm & ſignorum rationibus reuocanda, non autem pari rerum pondere examinanda fuit, antiquis etiam teſtimoniis & expoſitionibus id indicari notarique Deus voluit. Quamobrem ſępe ſimilitudinis particula aliqua à ſacris ſcriptoribus addita myſterium ipſum indicatur, vt à Vate noſtro, *Iuxta dies antiquos.*] vt ad illam antiquam figuram atq. vmbram res ipſa referatur, non vt res cum re comparetur. non enim dicit paria vel æqualia, vel eadem, quæ diebus antiquis, ſed *iuxta*, vel vt Hebraicè CHE, non comparationis, ſed aſſimilationis vulgatiſſima nota eſt: eademque in ſubiecti verſus initio legitur:

Secundum diem egreſſionis tuæ de terra Aegypti oſtendam ei mirabilia.

STVDIOSAS vatis & diuino conſilio conſonas preces gratiſſimas & efficaces fuiſſe, ipſius Dei reſpondentis, & ſumma atque feliciſſima omnia promittẽtis oratio arguit. Tantum piorum virorum humiles & honeſtæ obſecrationes, atque vota valent, ſicut ſcriptum eſt: Clamabit ad me, & ego exaudiam eum. Igitur petenti vati, vt pius ille Chriſtianorum

futurus grex perpetua Dei prouidentia & ſpiritus ſancti gratia ac ductu gubernetur, & optata ipſa, & maxima alia dona promittuntur ab eo, qui poteſt dare vltra etiam, quàm petimus aut intelligimus, vt Paulus inquit. Sed res myſterio & imagine, prout illius temporis ferebat ratio, non aperta deſcriptione recipitur. Omnia verò quæcunq. admiranda in illa expeditione diuina, cùm populus Iſraëliticus ab Ægyptiaca ſeruitute non ſua, ſed Dei redemptoris virtute liberatus eſt, multo etiam illuſtriora, multo præſtantiora oſtendẽda illis eſſe, idem Deus auctor pollicetur. Sed quæ ſalutem illam magnam maxima & ſtupenda beneficia adornarunt, præter ea, quæ præceſſerant, prodigia illa ſunt: Primogenitorũ Ægyptij cædes, Iſraëlitarum libera & læta migratio, Erythræi ſiue rubri maris lucidæ & obſcuræ nubis interiectu vtrorumque ingreſſus, & tandem Iſraëlitarum maxima cum incolumitate & triumpho traiectio, hoſtium verò grauiſſima clades atque abſoluta extinctio, & quæ hanc victoriam conſequuta ſunt: illud quadraginta annorum per ſolitudinem tantis diuinæ prouidentiæ argumentis directum, beneficiis munitum, conſiliis gubernatum, ac miraculis denique illuſtratum iter, quoad in optatam patriam deuentum eſt, illaque tum vicinarum, tum longinquarum gentium admiratione, ſtupore & metu plena exſpectatio, quæ tandem rei ipſius magnitudine & feliciſſimo euentu victa eſt. Omnia igitur hæc & quæcunque ad hæc referuntur, ad beatum illud Iſraëliticæ reipublicæ tempus ſiue diem in ſacris ſermonibus dictum pertinent. vt illud: In die, qua apprehẽdi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti. Igitur non eadem hæc iterum repetenda, ſed ad horum tamen inſtar alia longè magis ſtupenda & admiratione digna, quibus hominum ſalus adornaretur pariter & illuſtraretur, edenda eſſe diuinis vatum oraculis eſt proditum. Quemadmodum verò omnia hæc diuini verbi promiſſa & pacta, à Chriſto Ieſu tãtæ expeditionis iam tunc deſignato, ac tandem poſtea conſtituto & præfecto duce verè & conſtanter præſtita fuerint, dabitur nobis tempore ſuo longius etiam & copioſius explicandi locus, cùm ad tot tantorumque myſteriorum ſacroſanctam lucem, hoc eſt, noui teſtamenti volumina euoluenda Deo propitio & ductore peruenire contigerit, quæ ſiue noſtra, ſiue alterius dignioris miniſtri opera in publicam catholicæ eccleſiæ vtilitatem & lætitiam, vt aliquando indicentur, aut ipſius diuini ſpiritus dono & inenarrabili beneficio publicè hominibus pateſiant, commune mecum piis omnibus votum fieri percupio. Sed iam ad inſtitutum opus redeamus. Catholicam Chriſti Eccleſiam duobus ex populis, Iſraëlitis videlicet, atq. gentibus coniungendam fore decretum erat: in qua ea omnia, quæ ab Iſraëlitis accepta fuerant, beneficia auguſtioribus & diuinioribus modis collocanda eſſe, hac oratione Deus vati ſignificauit, quem vt populi ſui partes agentem allocutus promiſſionis non ipſi ſolùm populo, ſed eccleſiæ cõmuni factæ ſpe confirmat. [*Secundum diem egreſſionis tuæ ô vates de terra Aegypti.*] cùm non ille ipſe egreſſus eſſet, ſed illius, quorum ipſe perſonam ſuſtinebat, populus, & maiores. *Oſtendam ei mirabilia,*] non, inquit, tibi vni aut populo tuo, ſed ei populo à me in vnam Eccleſiæ ſocietatem coniungendo. Huius verò tantę ſalutis non obſcurum, ſed illuſtre & gentibus omnibus notiſſimum, atque omni ex parte admirandum ſtupendumque exemplum fore ait, & cui non vlla humana vel vis, vel potentia, vel ſapientia, non vllę portæ inferi reſiſtere poſſint.

Ezech.

Videbunt gentes & confundentur ſuper omni fortitudine ſua, ponent manum ſuper os, aures eorum ſurdæ erunt: lingent puluerem ſicut ſerpentes, velut reptilia terræ proturbabuntur de ædibus ſuis.

VIDEBVNT *gentes,*] quod incredibile humana & animali ſapientia iudicatum eſt, tamen re ipſa factum & præſtitum, grauiſſimiſque exemplis illuſtratum ſenſu ipſo oculorum & admirabili ſtupendoque ſpectaculo cognoſcetur, ſicut ſcriptum eſt: Omnes qui viderint illos, cognoſcent eos, quia iſti ſunt ſemẽ, cui benedixit Dominus, &c. Diuinas enim eorum, quibus ſpiritus ſanctus Chriſti datus fuerit, virtutes, gentibus illis, inter quas lucerent ſicut luminaria in mundo, palam ſpectãdas eſſe, & vates prodidere, & grauiſſimi teſtes editas ſpectataſque ſatis probauere. Deo autẽ gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco. Quæ verò de multiplici oris atque corporis habitu & geſtu congeruntur, eò omnia pertinent, vt inimicarũ eccleſiæ gentium & infideliũ perturbatio & metus, exſpectatio, ſtupor & deditio ſignificetur. Quicunque enim eccleſiæ ſpiritualem felicitatem oculis contemplati fuerint, omni vel honeſta, veriſimili, vel etiam ficta & callida obiectione & oratione deſtituti, neq. obſiſtere, neq. hiſcere contrà valentes, *Confundentur ſuper fortitudine ſua, ponent manum ſuam ſuper os.*] Hic enim ob certi reſponſi penuriã ſilentii habitus eſt: vt illud, Si eſt tibi intellectus, reſponde proximo: ſin autem, pone manum tuam ſuper os tuum, ne capiaris in verbo indiſciplinato. Qui verò longius ſepoſiti fuerint, tantã eccleſiæ felicitatem & dignitatem, tantam eorum, qui contrà

2.Cor.2. — Eccle.5.

contendant, calamitatẽ vbi certis nuntijs & grauibus auctoribus acceperint, magnitudine rei attoniti, atque grauiſſimo ſermone perterrefacti, tanquam futuri fulminis prænuntia tonitrua obturatis auribus vitare conabuntur. [*Aures eorum ſurdæ erunt.*] Sicut aſpides ſurdæ (Iſai.57.) obturantes aures ſuas, vt non exaudiant vocem incãtatoris, &c. Quod autem addit: *Lingent puluerem ſicut ſerpentes, velut reptilia terræ,*] Veritati & virtuti diuinæ cedentium deditionem abiectiſſimo omnium habitu & ſitu deſcribere voluit: nullius namque animantis, quàm ſerpentium & reptilium generis, abiectior aut depreſſior corporis conſtitutio atq; motio eſt, quòd ea corporis trahendi ſors ſerpentibus iam inde à primis humanæ miſeriæ initijs diuina ſententia edita eſt: Super pectus tuũ ambulabis, & terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. (Geneſ.) Quantæ verò conſternationis fuerit, hominem bipedem erecta ſtatura, atque ſpectante cęlum ore conditum, non modò quadrupedum more pronum, ſed ad ſerpentium inſtar procumbentem, terram pauidum & trementem menteque perturbatum lingere, quiuis facilè exiſtimare poterit. huiuſmodi illud eſt: Corã illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent. Hiſpanè hæc ſententia ſic dicitur: *coſer la boca, con la tierra.* ſed vt res incremento amplificaretur, illud etiam additum eſt, *Velut reptilia terræ.* Hebraicum nomen vermium genera, quæ terrę aut vi aut morbo & corruptione procreãtur, ſignificat: hæc enim non modò corpus mouendo trahunt, ſed ore etiam terræ innituntur. Tanto autem pauore, tanto diuinæ vltionis metu agendos huiuſmodi veræ religionis hoſtes dicit, vt conſcientia ſimul ſtimulati, neque in proprijs ſedibus conſiſtere valeant.

Proturbabuntur de ædibus ſuis: Dominum Deum noſtrum deſiderabunt, & timebunt te.

PROTVRBATIONIS cauſam ſubijcit, vltionis videlicet diuinæ exſpectationem & timorem. Pauor enim non ſolùm dubios & ſolicitos homines reddit, ſed omnem ſapientiam ex animo expectorat: ſicut ſcriptum eſt: Areſcentibus hominibus præ timore, &c. (Luc.21) [*Dominum Deum noſtrum deſiderabunt.*] Expectabunt vltorem & pauebunt, vt Hebraicè eſt, *& timebunt te.* Ad Dei populum ſermo conuertitur, quem admirabilem formidabilemque hoſtibus fore dicit. atque ad illam imaginem ratio hęc reuocanda eſt, quod Iſraëlitarum exploratoribus à Rahab fuerat indicatum: Noui quòd Dominus tradiderit vobis terrã: etenim irruit in nos timor veſter, & elanguerunt omnes habitatores terrę. (Ioſu.2.) Verùm enimuerò hæc tanta ſalus & Iſraëliticarũ rerum reſtitutio, vel maxima potius ex paruis reliquijs amplificatio non ipſorum, qui ſeruarentur, virtuti aut dignitati, ſed diuinæ miſericordię omnino accepta referenda erat, qui abalienatos à ſe ipſorum culpa & malo merito rurſus in gratiam recipiendos decreuerat. qua in re maximum & admirandum prouidentiæ, voluntatis, curæ, ſtudijque in eum populum ſui exemplum ſtatuere parabat; quamobrem pientiſſimam ſimul & ſapientiſſimã ſupplicationem ſuo nomine Vates decernit & peragit, quam ipſe Deo immortali & benigno gratam fore intelligens, ad totius operis calcem addidit:

Quis Deus ſimilis tui, qui aufers iniquitatem, & tranſis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ?

QVIS *Deus*] Ex pluribus diuinis variarum rationum nominibus id quod hoc in loco appellatur fortitudinem ſignificat. Atque adeò antithetis exornata oratio eſt. admiratur enim Dei miſericordiam & lenitatem, qui cùm fortis ſit, & vlciſci atque in æternum punire & extinguere inuiſos ſibi ob ſcelus Iſraëlitas poſſet; tamen iniquitatem patienter & leniter ferat & auferat; & peccatum, ne in æternum animaduertatur, tandem pertranſeat & miſſum faciat. *reliquiarum*] Iſrael eorum, qui ex diuturna punitione & caſtigatione felici illa ætate reliqui fuerint, [*hæreditatis tuæ,*] quam tantis miraculis, tantis virtutibus emptam ab initio poſſediſti, quam non faſtidio, ſed pertinacis culpæ, & repulſæ illius à verbo tuo acceptæ offenſione relinqueras, ſicut ſcriptum eſt: Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam, dedi dilectam animæ meæ in manus inimicorum eius: (Ierem.7.) Facta eſt mihi hæreditas mea, quaſi leo in ſilua, dedit contra me vocem ſuam (dicens, tolle, tolle, crucifige eum,) ideò odiui eam. Huius igitur tibi vehementer dilectæ hæreditatis, ne omnino, vt digna erat, periret, reliquias tibi ſupereſſe bonus & benignus voluiſti, & ne pœnas vlterius daret, modum ipſe ſtatuens pro miſericordiæ tuæ magnitudine & ſtudio indignari vlterius peperciſti.

Et non immittet vltra furorem ſuum; quoniam volens miſericordiam eſt.

NON *immittet*, Hebraicè *non obſirmabit.*] tandem, inquit, remittet furoris impetum. Eſt autem futurum verbum, quod in loco conſuetudinem, morem, aut ingenij alicuiúſue rei perpetuam & conſtantem rationem ſignificat: non, inquit, pertinaciter infenſus eſſe ſolet

in æternum, imò ab hac mente quam longiſſimè alienus eſſe arguitur. [*Quoniam*(natura ſua) *volens miſericordiam eſt.*] atque adeò hæc virtus perpetuò de ipſo prædicatur. Huius tum naturæ expectatio, tum promiſſionum & clariſſimi iuriſiurandi ad patres quondam iurati obſeruatio futuræ tandem veniç & gratiæ certiſſimam nobis faciunt ſpem.

Reuertetur & miſerebitur noſtri.

DEI ab hominibus, atque adeò à rebus omnibus auerſionem calamitas & miſeria extrema conſequitur; ſicut ſcriptum eſt: Auertente te faciem tuam omnia turbabuntur.
Pſal.103. contra verò lucis & placidi vultus reddirionem recreatio & felicitas omnis comitatur: &
" in lumine, inquit, vultus tui ambulabunt, & in iuſtitia tua exaltabuntur, quia gloria vir-
" tutis eorum tu es. Quoniam verò ſalutem hanc non ſuis, ſed futuris temporibus Vates afferendam præuiderat, quænam eius afferendæ ratio, ne peccatis & culpis impediretur, ineunda eſſet, exponit, quod & præteritorum hominum offenſionis immemor præſentium peccata immerſurus erat. atque ob eam rem perſonarum à prima in tertiam mutatione dicendo vſus eſt Vates.

Deponet iniquitates noſtras, & proijciet in profundum maris omnia peccata eorum.

SIC Hebraicè *Iniquitates noſtras,*] eorum qui nunc ſumus, & ad illud vſque tempus erimus. [*peccata eorum,*] qui feliciſſimos illos attingêt dies. [*In profundum maris.*] rebus in çternum
Pſal.45. occulendis locus hic idoneus maximè eſt, omnium linguarum ſermonibus ad eam ratio-
" nem vſurpatus: vt, Non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor
Hor.lib.1 car.1. maris. & illud apud exteros: *Siue flamma, ſeu mari libet Adriano.* Mos autem & ritus olim Iſraëlitis fuit, quæcunque abominanda, dira nefaſtaque dicta eſſent, in mare ſalſum, quod
Miſnaioth de Phaſe.c.8 proximum eſſet, proijcere. Sed hæc peccatorum & ſcelerum demerſio ad rubrum mortis Chriſti mare pertinet, de quo ſcriptum eſt: Aquæ inundabunt & delebitur fœdus veſtrum
Iſa.28. cum morte, & pactum veſtrū cum inferno non ſtabit. de quo ſuo loco, ſi Deus votis annuerit, dicemus. Omnium autem debitorum remiſſionem tribus nominatis generibus, iniquitate, peſſagh & peccato complexus eſt. At verò tantorum bonorum & ſpiritualium donationum promiſſiones & receptiones, quibus fideles omnes niti ad ſalutem poſſunt, conſtantes & certas fore confirmat.

Dabis veritatem Iacob; miſericordiam Abrahām: quæ iuraſti patribus noſtris à diebus antiquis.

QVID cauſæ fuerit, quòd ſentētiam hanc diuerſa à Moſis orationis formula pronuntiauerit, breuibus inueſtigare placuit. Moſes enim tribus ordine ſuo nominatis patribus dixerat: Memento ſeruorum tuorum Abraham, Iſaac & Iacob, quibus iuraſti per temetipſum &c. hic verò dixit: *Dabis veritatem Iacob, miſericordiam Abraham,* &c. Præpoſuit Iacob, cui & veritatis rationem aſſcripſit, & Iſaaco prætermiſſo Abrahamū miſericordiæ mentione facta ſubiecit. Huius autem rationis, quanquam breuiter, tamen paulò altius repetendum caput eſt. Igitur omnium Iſraëliticarum rerum & temporum rationem ſeriem & euentus omnes Iacobo dormiēti apud illam ſacram & arcanam ſcalam oſtēſa eſſe aliàs latius exponendum, & hic breuiter referendum eſt. Iſraëlitarum natio ex Ægypto primum deducta Cananitidem regionem diuino etiam beneficio occupauit, indeque ob nefaria ſcelera & ſuperſtitionem pulſa, toto orbe diſperſa eſt, cuius pars quædam, quæ Chriſtum venientem ſuſcepit, feliciſſimo naſcentis Eccleſiæ tempore fuit maximis & diuinis muneribus ornata; reliqua verò omnis multitudo ad certam & deſtinatam miſericordiæ diem in gratiam recipienda, atque maximis & ſpiritualibus donis augenda: interim, ne omnino periret, diuinitus eſt conſeruata. Atque hæc omnia oraculo illo diuino
Gen.27. pronuntiata ſunt: Terram in qua dormis, tibi dabo & ſemini tuo. Ad poſſeſſionem hoc
" ſpectat; ad migrationem verò & diſperſionem miſeramque atque humilem ſeruitutis con-
" ditionem illud: Eritque ſemen tuum quaſi puluis terræ: dilataberis ad orientem & occi-
" dentem, ſeptentrionem & meridiem, ſed afferendam interim per Chriſtum hominum ge-
" neri ſalutem tertia hæc pars ſignificauit: Benedicentur in te & in ſemine tuo cunctæ tri-
" bus terræ. Demum perpetuam in captiuitatis miſeria cuſtodiam, conſeruationem atque futuram reſtitutionem, & totius hiſtoriæ certitudinem illa vltima pars continet: Et ero
" cuſtos tuus, quocunque perrexeris, & reducam te in terrā hāc: nec dimittam te, niſi compleuero vniuerſa, quæ dixi. Ita adeò non modò felicitatis promiſſionibus, ſed pœnarum, animaduerſionum & calamitatum o'nuntiationibus hoc reſponſum veritatis, hoc eſt, conſtantiç atque euentus certitudinis nomine à Vate exceptum eſt. Dare autem veritatem

idem eſt, quod Latinè dicitur, id quod lingua nuncupatum eſt, præſtare & reddere, & Cic. de off. c.
quod de Iſraëlitarum primum ſalute & reſtitutione omniq́ue temporum ratione ſermo
præcipuè inſtitutus vati eſſet. Ab oraculo & promiſſis Iacobo factis orationem hanc in-
choauit, ac ſi diceret, omnia, quæ Iacobo ſugienti & diuinæ fidei ac prouidentiæ ſeſe cre-
denti de poſteris ſuis prædicta proditaq́ue oraculo fuerant, tandem certiſſima euentibus
ipſis euaſura eſſe. At verò quòd præter ea, quæ Iacobi genus contigere, quædam etiam
Abrahamo promiſſa ſunt de diuina pluribus gentibus (quarum parer ipſe futurus erat) Gen. 5.
miſericordia tribuenda, hoc eſt, de cœleſti ciuitate illis communicãda, quãquam nullis me- "
ritis chari, nulla ſcriptæ legis antea diſciplina imbuti, nullis promiſſis ducti, ſine Chriſto,
alienati à conuerſatione Iſraël, hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, Epheſ. 2.
& ſine Deo in hoc mundo eſſent: vt illud, In ſemine tuo benedicenrur omnes familiæ ter- "
ræ, & patrem multarum gentium dedi te ante Deum, cui credidiſti. Quoniam Deus ea, "
quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt, vocat. Ob eam rem, hoc eſt, ob gentium vocatio- "
nem ſolis diuinæ miſericordiæ rationibus ſuo tempore fururam air, vt veritatẽ Iacobo, ſic
etiam Abrahamo eo nomine, quòd pater mulrarum gentium appellatus eſſet, miſericor-
diam eſſe à Deo tribuendam. In hanc autem huius loci ſententiam Apoſtolus ad Roma-
nos planè ſcripſit: Dico enim Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter Rom. 15.
veritarem Dei ad confirmandas promiſſiones patrum: Gentes autem ſuper miſericordia "
honorare Deum, &c. In his aurem nominibus Iſaac propterea prætermiſſus eſt, quòd Iſaac "
Iacobi, cuius rariones conſideratæ iam nobis ſunt, & Eſau pater fuit. Eſau autem earum
gentium perſonam ſuſtinet, quibus Euangelij promiſſio adeò vilis ducta eſt, vt ſuam im- Hebr. 12.
pietatem, ſuperſtitionem, ſuaq́ue humanarum & caducarum rerum ſtudia ob eam rem "
deponere noluerint, fornicatores & prophani vt Eſau, qui propter vnam eſcam panis &
lentis primogenita ſua vilipendens vendidit. His igitur qui pertinaci ſtudio errorem
ſuum tueri & vitium fouere voluêre, nulla imprimis promiſſio, imò nullus miſericor-
diæ locus in diuinis rationibus & ſcriptis eſt definitus; ſed extremum omnibus exitium
eſt denuntiatum: Et non erunt reliquiæ domus Eſau, quia Dominus locutus eſt. Cæteræ
autem gentes, quibus diuinæ miſericordiæ beneficia ſuſtinenda fuerunt, ad Abrahamum
gentium multarum patrem referuntur, à quo, præter Iſaacum promiſſionis filium, mulræ
ex Cethura Aſſyriorum, & plurimæ ex Agar Ægyptiorum & Iſmaëlitarum familiæ va-
rijs orbis terræ regionibus proſeminatæ ſunt. Hos igitur Abrahæ filios ſecundum car-
nem, & alios etiam ſecundum fidem in eandem familiam receptos, diuinam miſericor-
diam conſecuturos eſſe Michæas prodidit. Ad id autem, quodcunque boni ac fauſti Deo
auctore Iſraëlitis futurũ erat, promiſſiones patribus factas, nondum eo tempore ſatis ob
ſuã magnitudinẽ intellectas, ſed nimis tamen magno deſiderio expectatas, pertinere con-
cludit.

Quæ iuraſti patribus noſtris à diebus antiquis.

QVÆ quanquam nondum ſatis explorata, tamen certiſſima & maxima iam olim no-
bis, inquit, habentur.

IN MICHAEAM PROPHETAM, CARMEN EX VOTO.

O Qvi doctiloquis verſibus ardua
Vates geſta ducum ponere fortium
Aſſueti, imperiumq́; orbis in vltimos
Fines in trepido milite proditum;
Et qui conſilijs prædita prouidis
Magnorum canitis pectora principum;
Per quæ vel populis pacis & aureæ, &
Iuris certus honor, vel decus & rei
Vſus cuique ſuæ contigit innocens,
Huc omnes numeros vertite carminum,
Quidquid mens valeat dicere vel pium,
Vel vox eximium, vel citharæ ſequi,
Contentis fidibus cantus & aurea
Alternis pariter templa ſonent choris.
Et quæ nos humilis munere barbiti
Conamur tenues magna nouis modis,
Vos dignis melius tollite laudibus:
Vos mecum æterni principis, & Dei
Numen carminibus dicite; qui genus
Noſtrum, & res hominum qui imperio tenens
Præſtanti ſapiens frena regit manu;
Qui fert non dubijs lancibus omnia
Summorum ac populi iura, nec arduos
Suſpectans apices infima deſpicit:
Sed qua ſidereum prouidus æthera,
Qua terras placidus temperat & mare,
Cura res hominum proſpicit ac fouens
Rector muneribus omnia commodis
Producens fluidi tempora ſeculi.
Hic regum indocili colla domat iugo,
Obſcuroq́; premit carcere principes:
Quandoq́; & medio de grege pauperum
Tollit, cui imperij ſceptra micantia,
Et tractanda potens iura hominum ferat,
Sic viſum grauibus conſilijs Dei:
Nam ſæpe & ſtygiis eruta fluctibus
Reges Ambitio perdidit inſolens,
Et nunquam ſaturis pallida faucibus
Auri ſacra fames peſtiferum genus
Eius, qui proprium nomen ab aurea

Luce olim poſitum vertit in inuidum,
Serpentis docilis terrea lingere.
Hæ peſtes animum, & corda regentium
Quantis inficiant ſeminibus mali,
Senſere & populi, ſenſit & vrbium
Magnarum numerus innumerabilis:
Quæ quondam validis ardua turribus
Certauere poli vincere culmina;
Nunc tantùm tumulis ſaxa perennibus,
Et ſpelunca malis ſentibus horrida,
Qua ſecura cubet cum catulis fera,
Vltricem ſcelerum iuſtitiam indicant;
Dum per faſq; nefaſq; irruit arbiter,
Et regum indomitam ſæpe licentiam
In maiora fouet pellere crimina.
Iam quæ clauſtra decus iuraq; muniunt,
Perrumpit genitrix callida fraus doli,
Et vis ſimplicius fraude nocens ruit,
Exemplo vt populus doctus, & indigam
Oppreſſus fugiens pauperiem pati
Nec leges timeat, nec metuat graueis
Pœnas tartarei ſulfura fluminis:
Sed quæuis ſubeat crimina, maximas
Sudore exiguo vt diuitias paret.
Aſt nos cuncta leui pondere ducimus,
Quæ vel gemmifero Phiſeon alueo,
Vel rubris Erythre marginibus lauat,
Si nec Sithinea texta domus trabe,
Nec curas adimit lectus eburneus,
Nec fucis Tyriis ebria vellera:
Quod ſi me cupidum ſpiritus in ſuam
Tutelam placidus excipiat, neque
Cognouiſſe vetet munera duplici
Conſecrata libro, nec neget indere
Numen viſceribus, dum meditor, ſuum,
Vel Cyrum ſuperem ſorte beatior.

FINIS.

BENEDICTI ARIÆ MONTANI HISPALENSIS, IN NAHHVM PROPHETAE VATICINIVM PRÆFATIO

DE POTENTIA.

RERVM omnium, quæ maximè ab hominibus habentur, vnam humanam potētiam & opulentam mortalis vitæ huius proſperitatem eſſe, quæ pulchritudinis quidem & felicitatis magnæ ſpeciem offerat, reapſe verò occultis malis plena, dolis obnoxia frequentibus, & apertis etiam periculis peruia ſit, omnia ferè temporum ſecula notabili atque exitiali principum, imperiorumq́; exitu ſæpius indicarunt: ſed diuini imprimis arcaniq́; libri grauiſſimis ſententijs & teſtimonijs perſæpe docuerunt. Nam præterquam quòd externæ hominum inuidiæ, ſuſpicionibus aſſiduis, & cùm hoſtium, tum verò ciuiū inſidijs frequentibus potentia omnis humana pateat, & diſtrictum gladium capiti ſemper impendentem timeat: illud longè grauiſſimū & periculoſiſſimum eſt, quòd cum ipſis opum, fortunarum, ſplendoris & gloriæ alimentis corruptiſſimi quidam opinionum, audaciæ, ſuperbiæ, & temeritatis atque arrogantiæ ſucci trahuntur, qui in lethalia venena ſenſim conuerſi, grauiſſimos & exitiales morbos, acerbiſſimosq́; ac repentinos maximarum huiuſmodi rerum afferunt interitus.

Principiò namque proſperitate ipſa, ſecundo ac iucundo præſentium rerum vſu, ſenſu atque ſplendore ita humanæ mentis acies vincitur & hebeſcit, vt præteritorum temporum oblita, in futurorum rationem peruidendam cura & cogitatiōne intendere non valeat; & in eam opinionem homines adducit, vt ſummam rerum & dignitatis vel ſuis maximis meritis & virtutibus, vel natalibus generisq́; ſplendori, vel alijs huiuſmodi rebus neceſſario immutabiliq́; fato debitam contigiſſe, foreq́; propriam ac perpetuam credant. quibus craſſiſſimis errorum offuſis tenebris, non ad cæterorum modò hominum con-
4.Reg.19. temptionem & deſpicientiam, ſed ad maximam tandem erga Deum impietatem dedu-
" cit: ſicut ſcriptum eſt, Cui exprobraſti, & quem blaſphemaſti? contra quem exaltaſti
" vocem tuam, & eleuaſti in excelſum oculos tuos? Contra ſanctum Iſraël, & dixiſti: In
" multitudine curruum meorū aſcendi excelſa montium, &c. Inſaniſti in me, & ſuperbia tua aſcendit in aures meas, &c. Ex quo erroris fonte ſuperbia quidam, & importuniſſima inſolentia naſcitur, quæ mendacij perſuaſione innixa, vel Deum proſperitatis illius auctorem non agnoſcit, vel iudicem futurum non reueretur, vel negligentem quæſitorem; neque æquo examine ſummos pariter atque infimos iudicaturum credit, ſed per-
Isai.16. ſonarum atque honorum maximè terræ principum rationem eſſe habiturum putat, con-
" tra quàm diuinitus conſultum decretumq́; eſt. Iudicans & quærens iudicium, & velo-
" citer reddens quod iuſtum eſt: Audiuimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde, ſuperbia eius, & arrogātia eius, & indignatio eius, plus quàm fortitudo eius, &c. Illud etiam ex eodem morum fonte natum quotidianum & pernicioſum deprauati iudicii ſpectatur exemplum, quòd communis humanæ conditionis potentiores perſæpe obliti, cæteros homines perinde ac ſi ex alia viliore atque deteriore materia extiterint, vel alterius auctoris, cuſtodis & patroni Dei in tutelam traditi, vel in imperii legem aſcripti fuerint; adeò ſe minores & inferiores arbitrantur, vt verbis, muneribus, omniq́; obſeruantia ſeipſos ab illis coli, exigui & imminuti officii loco ducant: ac parum abeſt, quin diuinos honores, mactatis etiam hoſtiis, verbo exigant, re tamen ipſa appetere atque velle videantur: id quod aliquando etiam humanam ſuperbiam & inſolentiam apertè ſibi arrogare & petere auſam eſſe, ille à Nabuchodonoſore poſitus coloſſus arguit, nec non & aliorum
Dan.3. hiſtoriæ teſtantur, qui dicentes in corde ſuo, Deus ego ſum; diuinos à populis erga ſeſe
" cultus imperauere. Cùm tamen reges ipſos & ſummos in populis magiſtratus, atque

imperii

imperii clauum tenentes, & reipub. gubernacula tractantes, cæterorum fratres diuina Deut. 17.
lex appellet, & aliam agendi inter ſe, quàm pro fratrũ iure & more rationem ſacra ora-
cula notant, diſſuadeat. Nunquid non pater vnus omnium noſtrum? nunquid non Deus Malach. 2.
vnus creauit nos? quare ergo deſpicit vnuſquiſque veſtrum fratrem ſuum &c? Neque “
verò clementis, & ad gerendam publicam rem oportuni tributi nomine exactis, vel ſpon- “
tè à populo datis rebus contenti ſunt, ſed prædæ vſque inhiantes priuatas imbecilliorum
ciuium fortunas diripere appetunt, quamq́; ad eam rem viam commodiſſimam, maxi-
miq́; compendij fore arbitrati fuerint, eam potiſſimùm, quocunque modo iniri poſſit, mu-
niunt, ſiue fraude atque dolo, ſiue calumnia, ſiue tandem aperta vi agendum ſit, quo in-
re quáue iniuria, id minimum laborant, ſed apertis ſemel augendæ pecuniæ ſulcis tam-
diu inſiſtunt, quoad nihil omnino miſeris & oppreſſis, quo vitam familiamq́; commodè Prou. 21.
alere poſſint, reliquum ſit: ſicut ſcriptum eſt: Exaltatio oculorum, & dilatatio cordis “
ſulcus impiorum in peccatum: cogitationes robuſti ſemper in abundantia, &c. His
autem illud accedit grauiſſimum, quòd datum iſtis forſan iuſto Dei iudicio imperium
non prouidentiæ diuinæ, ſed ſuæ ipſorum felicitati & genio acceptum referentes, propriaq́;
arrogantes virtuti propagare etiam ac dilatare ambitioſiſſimè ſtudent: neque verò præ-
ter opes, potentiam & vim vllo alio, vel diuino, vel humano, ſed ſtatuto tantum in ar-
mis iure ſibi agendum eſſe arbitrantur. quamobrem externis etiam atque longinquis na-
tionibus à quibus nulla vnquam iniuria, ſed neque leuiſſima quidem offenſione affecti
fuerant, affectatæ tantùm Monarchiæ cauſa, grauiſſimum bellum denuntiant, atque
adeò ad muniendam in alios maxima feritate viam, terribileq́; crudelitatis exemplum
cæteris edendum in eos, qui non vltrò ſeſe dediderint, vel hoc ipſum legitimam cauſam
eſſe ſtatuentes, extrema atque inexorabili ſæuitia vtuntur, atque alios horrendi exem-
pli metu impulſos, in imperij deditionem redigunt: eamq́; rem omni iniuriæ, & conſcien-
tiæ ſuſpicione abiecta, omni etiam ſublata religione; felicitati, virtuti, fatiſq́; ſuis aſ- Habbak. 1
cribunt: ſicut ſcriptum eſt, Propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo, “
quia in ipſis incraſſata eſt pars eius, & cibus eius electus. Propter hoc ergo expandit ſage- “
nam ſuam, & ſemper interficere gentes non ceſſat.

Igitur quæ ex ambitione, & Luciferi imitatione humana potentia orta eſt, vbi diui-
næ legis præcepta & inſtituta (quibus ad publicam potius vtilitatem, & ad ſocietatis hu-
manæ ſeruandæ commodiorem vſum, quàm ad priuatas commoditates à Deo directa at-
que inſtructa fuerat) vbi denique iuris & æquitatis fines prætergreſſa fuerit, in conſe-
quentia vitia ſuperbiam, ambitionem & cupiditatem protinus delapſa, humanam om-
nem tranquillitatem & pacem excludat, ſumma imis miſceat, omnem denique cùm pri-
uatam, tum publicam rem perturbet & peruertat, & grauiſſimam proinde mortalium
in ſe inuidiam immortaliſq́; Dei offenſionem & iram concitet neceſſe eſt: Væ qui congre- Habba 2.
gat auaritiam malam domui ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius, & liberari ſe putat de ma- “
nu mali. Cogitaſti confuſionem, concidiſti populos multos, & peccauit anima tua: Quia “
lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter iuncturas eſt, reſpondebit, &c. & ſicut “
ſcriptum eſt, Abominatio Domino omnis ſuperbus: manus ad manum non abſoluetur. Prouer. 16.
Illud verò nonnunquam exiſtere videmus, vt cùm potentiorum proſperitas, diuitiæ &
opes, atque ipſa demum imperia per ſummum ſcelus, & grauiſſimas iniurias creſcere au-
geriq́; magis videantur, non ſine magno & ſapienti permittentis Dei conſilio accidat, vt
de ſummo rerum & proſperitatis gradu, quem omni iam orbi ſpectabiles tenuerant, præ-
cipites deturbati, notando tantæ ruinæ omnibus gentibus exemplo atque grauiſſimo exi-
tu ſtultam hominum opinionem vehementius redarguant, qui humanam proſperitatem,
dignitatẽ atque potentiam mole magnitudineq́; ſua, & maximo rerum omniũ apparatu
magis quàm innocẽtia, pietate & iuſtitia conſiſtere cõſeruariq́; poſſe putant: ſicut ſcriptũ
eſt, Auferentur iudicia tua à facie eius: omniũ inimicorũ ſuorum dominabitur. Dixit Pſalm. 10.
enim in corde ſuo, non mouebor à generatione in generationem ſine malo. &, Quoniã lau- “

 datur “

datur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur, &c. verùm enimuero fieri omnino non poſſe, vt quæ per ſummum nefas parta, & non ſine ſcelere aucta potentia gloriaq́; ſit; quanquam altas humanis opibus, & facultatibus radices egerit, ad longiſſimum tempus perduret, ac non potius ad ſpectabilioris exitus opportunitatem exſpectatam, repentino & ſtupendo caſu ruat, diuina nos reſponſa perſæpe docuerũt: Vidi impium exaltatum & eleuatum ſuper cedros Libani: Et tranſiui, & ecce non erat: quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius.

Pſal. 36.

Grauiſſimum autem rei argumentiq́; huius documentum & exemplum Aſſyrij olim imperij principio progreſſione atque exitu omni mortalium poſteritati editum eſt: illud enim à ſuperbiſſima & immaniſſima Nimrodi tyrannide initium ducens, progreſſus vt longiſſimos, ita etiam inſolentiſſimos habuit: quippe ditionis, dominationiſq́; ſuæ rationes Dei conſilijs minimè aſcribens, quòd omnium poſt diluuium prima & antiquiſſima eſſent, fatales quoq́; neque vnquam adeò interituras fore indicauerat. Ipſe autem, inquit Eſaias, non ſic arbitrabitur, & cor eius non ita exiſtimabit; ſed ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium non paucarũ. Et Sophonias de Niniue Aſſyriorum regia vrbe: Hæc eſt, inquit, ciuitas glorioſa habitans in confidentia, quæ dicebat in corde ſuo: Ego ſum, & extra me non eſt alia amplius, &c. Sed ea tamen monarchia maximis impietatis & iniuriæ ſeſe ſceleribus alligans, exitio tandem ſuo futuris porrò imperijs omnem perpetuitatis eiuſmodi artibus & rationibus parandæ atque ſtatuendæ opinionem, ſi modò animum aduertere intelligereq́; velint, omnino ſuſtulit; ſicut ſcriptum eſt: Quomodo facta eſt in deſertum cubile beſtiæ? omnis qui tranſit per eam ſibilabit, & mouebit manum ſuam.

Iſa. 10.
Soph. 2.
Ibid.

Huius igitur tanti imperij exitium, & grauiſſimum hactenus etiam iacentis caſum Nahum Vates diuino ſpiritu edoctus & præditus ante præuiſum, maxima adhuc proſperitatis & diuturnitatis opinione florentibus rebus obnuntiauit. cuius vaticinij argumentum diuino imprimis ad vota implorato numine aperiendum nobis explicandúmque eſt.

VOTVM.

Me neque conſilijs, propria aut virtute valentem,
Da pater ô, totum numinis eſſe tui:
Qui faſtumque auſuſque hominum, menteſque ſuperbas
In Chaos & ſtygias ire iubes tenebras:
Ex humilique pios deuectos puluere in aſtra
Tollis, dans menſis accubuiſſe tuis.
Te ſine nil ſummum, æternum nil eſſe fatemur,
Te ſine prodeſſe aut poſſe placere nihil.
Vt placeam, proſimque pijs, tua munera ſunto:
Laudibus ergo tuis prouidus annuito.

ARGV-

ARGVMENTVM. VATICINII.

NINIVEN antiquiſſimam urbem, atque Aſſyrij imperij firmiſſimum caput, ob regum, principum, populiq́ue eius ſcelera, atque ob illatam omni ferè orbi iniuriam, inſolentiusq́ue geſtum imperium; maximè autem ob iniquum & nefarium animum aduerſus Iſraelitas, & Ieroſolymitanos, atque adeò aduerſus Dei optimi maximi honorem, nominisq́ue dignitatem & ſplendorem, fixo diuina ſententia decreto penitus exſcindendam funeſtandamq́ue eſſe Nahhum Vates obnuntiat, omnem etiam regij generis ſobolem radicitus euellendam. Huiuſmodi autem conſilium ſuum breui exſequendum, niſi pœnitentia & obſeruationi tum ſibi cauiſſent, per Ionam Vatem Niniuitis aperiri Deus curauerat. Nunc verò illos, quòd ad antiqua & ſcelerata ſtudia conuerſi, omni orbi, atque maximè dedicato Deo Iſraelitarum populo, nulla religionis ratione habita, infeſtiſſimi fuerint, Nabuchodonoſoris vim & ſæuitiam, atque diuini imprimis iudicij ſeueritatem experturos tandem eſſe prædicit. Cùm autem Vates Nabuchodonoſoris potentiæ ad hanc rem meminerit, commoda digreſſione vſus, Ieroſolymam ab eodem, bello & incendio vaſtandam, ignemq́ue ſacro templo inferendū indicat, eo quòd Deus populi & principum impietate vehementer offenſus, ciuitatis illius curam ſtudiumq́ue eſſet remiſſurus. deinde ad propoſitum reuerſus Nahhum, Niniuis excidium oratione, atque decantata elegia perſequitur, tantiq́ue ſupplicij cauſam, & culpam palam cognoſcendam profert, atque omnem propugnanda & defendenda vrbis ſpem, Niniuitis contentione inducta adimit, quod Nabuchodonoſoris potentia & virtus, & in bello gerendo felicitas No Amonis maxima apud Aegyptios vrbis proxima & recēti excidio perſpecta exploratáq́ue fuerit. pari autem exemplo futurum, vt Niniue capta extindatur, cuius muri tanta potentiæ impetu vel ſuſtinendo, vel tardādo impares omnino ſint; ciues autem ac viri mulieribus imbelliores; mercatores verò ac principes vitio, otio atque luxu nimio affluentes, quibus turpis fuga, quàm dimicatio, aut honeſta in prælio mors potior iudicanda, atque ſtudioſè magis, quàm propugnatio, paranda ſit.

CAPVT PRIMVM.

ONVS *Niniue: Liber viſionis Nahhum: Elceſæi.*

NINIVEN à Græcis & Latinis auctoribus Ninam dictam Aſſyriorum imperij celeberrimam & principem vrbem fuiſſe, ex prophanis & ſacris rerum ac temporum monumentis accepimus. Hæc autem ab Aſſuro Nino Senaareo ex poſteris Semi ad Euphratis fluuij ripas condita olim fuerat: ſicut ſcriptum eſt, De terra illa egreſſus eſt Aſſur, & Gen. 10.
ædificauit Niniuen, &c. & inferius: Filij Sem, Elā, & Aſſur, &c. Poſt illa autem ſecula Abraham ex Chetura vxore præter alios liberos Iecſam ſuſcepit, ex quo Dedan genitus; à Dedano verò populi illi progeniti ſunt, qui cum Niniuitis & Aſſyrijs reg- Gen. 25.
ni & ciuitatum cōmunione coniuncti Aſſurim in ſacra hiſtoria dicti ſunt, non quòd alterum Aſſur generis ſui parentem habuerint; ſed quòd ex Dedano procreati, cognatis ex eadem Semi familia oriundis Aſſyrijs ſeſe immiſcuerint. atque hæc communis Aſſyriorum omnium origo fuit: cuius ratio ad hiſtoriarum ſpecie aliàs diſſentientium concordiā plurimum valet. Ad inſcriptionis autem huius ſententiam aperiendam quiddam ex Iona iam diffuſius à nobis obſeruatū repetere operæpretiū viſum eſt. Ionā aduerſum Niniuen ſic vaticinatum, Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur, nō ſimpliciter exponendum eſſe docebamus, ita vt quadraginta dierū ſimplicium elapſo tempore Niniue Sodomæ inſtar euertenda eſſet: ſed ſapientiſſimo Dei conſilio concinnatam orationem illud ſignificaſſe, fore proculdubio primum vt intra quadrageſimū à Vatis præconio diem, vel Niniue ex ſceleratis & nefarijs ſtudijs conuerſa, vel omnino euerſa eſſet. deinde etiam fore vt quadrageſimo pòſt anno, ob iniuriam gentibus omnibus & Iſraëlitis maximè illatā, penitus eſſet excindenda. ita adeò diuinū conſilium ſibi omni ex parte cōſtans certumq́ue probatur. namq. quadrageſimo ferè anno à facto per Ionam præconio, Iſraëlitæ ab Aſſyrijs hoſtili animo, & crudelitate infeſtati, vexati atq. debilitati ſunt. Ab anno enim vltimo Ieroboam duodecimi Iſraëlitarum regis, quo rege Iſraëliticæ res ex Ionæ oraculo 2. Reg. 17.
feliciter gerebantur, vſque ad ſextum Hoſſeæ filij Ela, qui ab Aſſyrijs tributarius factus Ioſephus li.
eſt, anni fluxêre quadraginta: atque ab eo annò diuina in Aſſyrios de iniuria & impietate 9. c. 15.
ſententia lata & pronuntiata, oneris nomen ſortita eſt. hoc autem modo ratiò ſubducitur: Zacharias & Salum anno vno regnarunt, Manahem annis decem tyrannidem occu- Ioſephus. li.
pauit, Phacea annis duobus; Phacea alter annis viginti regnauit, poſt hunc Hoſſeas filius 9. c 10.
Ela; cuius regni ſexto anno Samaria obſeſſa, & in tributi ſeruitutē redacta eſt. quo facinore 4 Reg 18. Ioſephus li.

Aſſy- 9. c. 14.

Aſſyrij præter alias grauiſſimas orbis ferè totius offenſiones, illatarum etiam per crudelitatem Iſraëlitis iniuriarum, & contemptæ religionis etiam ſeſe alligarunt, regniq́ue ſui exciſionem commeruerũt: atque cladem per Nabuchodonoſorem Babyloniorum regem
Lib. de ſerie mundi. anno regni illius primo fuiſſe allatam, antiqui Hebræorum chronographi tradunt. atque hoc fuit onus Niniue iam tum ex Ionæ vaticinio ſignificatum, nunc verò à Nahhum ex profeſſo etiam explicatum. Dierum autem plurali nomine Hebraico in ſermone annos
Leuit. 25. etiam ſignificare, multa ſcripturarum loca declarant: vt ille, Habebit licentiam redimendi, donec vnus impleatur annus. quo loco Hebraicè dies eſt, quē Latinus Interpres optimè annum vertit. Neque verò eandem temporum rationem ex Hebraicis literis, numeris & myſterijs in eodem Ionę vaticinio ſubtilius etiam conſiderare pigebit, modò id breuiter expedire poſſimus. namque non aliena nobis à re ipſa interpretatio viſa eſt, vt certũ tempus in illa Ionæ oratione notaretur, quoad Niniuitarum res duraturæ eſſent, centum videlicet ac viginti annis. ſiquidem Ionas quadraginta annis ante ſubactam Samariam præ-
Series mundi. conium Niniuitis fecit. Samariæ autem expugnatio Ieroſolymorum cladem centum triginta ſeptem annis præceſſit: quam decimo nono Nabuchodonoſoris anno allatam eſſe conſtantior traditio eſt. anno autem primo eiuſdem regis Niniuen exciſam Hebræi auctores ferè omnes prodidere. igitur à quadrageſimo anno vaticinij Ionæ, hoc eſt, à primo ſubactæ Samariæ ad primum Nabuchodonoſoris, centum viginti anni interceduñt. Id autem illius vaticinij numeralibus literis & ſignificantibus nominibus ſic indicatur: Adhuc quadraginta dies. Quadraginta dies, quadraginta anni ſunt. porrò vox, Adhuc, quæ
עוד additionem ſignificat, Hebraicè eſt *Ghod*, quæ ſuis Hebraicis literis conſcripta Ghaim, vau, Daleth numerum octogenarium omnibus hebraicè ſcientibus conficit; octoginta verò quadraginta additis, centum & viginti numerus efficitur: quo tempore Niniue à Babylonis rege exciſa eſt. Igitur quæ ſignificanter dicta à Iona fuerant, Nahhum explicanda confirmandaq́ue ſuſcepit. illud etiam compertum exploratumq́ue nobis eſt, Senacheribum Aſſyriorum imperatorem, Samaria ſub iugum iam miſſa, Ieroſolymam vſque ſacrilego animo atque expugnandi cauſa progreſſum ingentem vna nocte cladem diuinitus accepiſſe, & cum extincti penè exercitus reliquijs domum redire coactum, ibique paulò pòſt in cuiuſdam ex dijs ſuis templo ſacrificantem, à proprijs filijs qui poſt eum regnaue-
Herod. li. 1. 4 Reg 20. Iſai. 39. re, fuiſſe occiſum. Eodem autem tempore Babylonij reges ſub Niniuitico imperio erant, quos ob eam rem exteri ſcriptores Babylonis præfectos vocant. Id autem in ſacris hiſtorijs manifeſtè explicatur: vt, In tempore illo miſit Merodach Baladan rex Babyloniorum literas & munera Ezechiæ, &c. cui Nabuchodonoſor in regno ſucceſſiſſe dicitur, à quo aſcitis in auxilium Medis, primo regni ſui anno Niniue capta & exciſa eſt; atque Aſſyrium imperij ſolium Babylonem tranſlatum & ad Perſarum vſque occupationem ſtabilitum.
Oroſius. Huius verò rei rationes apud Græcos & Latinos auctores, & temporum, & geſtarum rerum & nominum notationibus variæ, inconſtanteſq́ue ſibijpſis videntur; certiſſimæ verò
Diod. Sicul. & conſtantiſſimæ, ex ſacris libris, & hebraicis narrationibus petuntur. Quoniam verò poſtrema Niniuitarum regum culpa, quæ diuinam vltionem maturauerit, Iſraëliticis tribubus vltra omnem humanitatis modum allata calamitas fuit, eodem tempore vaticinium hoc à Nahhum editum fuiſſe, ex Hebraicis Chronicis accepimus, cùm aliàs nullã certam
Sedergholã. neque temporis, neque patriæ, neque tribus rationem quæ ad hunc Vatem pertineat, ex ſacris libris notari hactenus contigerit. Sed in eo libro, qui Mundi ſeries Hebraicè inſcribitur; Iohel, Nahhum & Habbakuq ad Manaſſei tempora referuntur; quem, quòd impius & iniquiſſimus fuerit, indignum, quem ſuis libris appellarēt, exiſtimauerint: ſed nos aliam cauſam fuiſſe putamus; nimirum, quòd horum vaticinia, non tam rerum à populo Iſraëlitico geſtarum rationes, vel vitiorum & ſcelerum criminationes (quibus cognoſcendis & explicandis regum & principum tempora commodè adnotantur) quàm ſuppliciorum & pœnarum obnuntiationes, & ratas definitaſq́ue ſententias continent, ſiue ea Iſraëlitis, ſiue alijs nationibus ſubeunda ferendaq́ue ſint. Quæ res ad quæ tempora pertinerent, euentus ipſi magis, quàm regum ſub quibus vates ſcriberent, nomina indicare & declarare potuerunt. Illud autem quod Chaldæus paraphraſtes in vocabulo ELCESÆI exponit, patronymicum nomen eſſe ab Elcus Galilææ (vt D. Hieronymus interpretatur) vico, illius tantum auctoritate nititur, cùm nullum hoc nomine locum in omni veteris & noui Teſtamenti geographia, neque apud alium quempiam diligentem regionis illius deſcriptorem nobis obſeruaſſe contigerit. nam quę Salomon Gallus tradit, non alia, quàm Chaldæi paraphraſtis fide probantur. Neque verò alienum eſſet nomen Elceſæi ad ſigni-
לקש ficationem relatum, officij magis, quàm patriæ rationibus definire. ſiquidem *Lacas* Hebraicum verbum, ex quo nomen hoc deducitur, tardare ſiue ſerotinare vel poſteriorem eſſe ſigni-

ſignificat: vnde illud celebre Serotinæ pluuiæ, qua ſegetes perficerentur, nomen Malkus factum fuit; atque adeò huiuſmodi cognomine illud ſignificari potuit, quæ ſuperiori tempore obſcurè & implicitè velut temporanea pluuia à Iona obnunciata, inſtillataque fuerit, cùm nondum herbeſcentem viriditatẽ oportunitas eliceret, nunc iam & idoneo tempore à Nahhumo explicari, & ad maturitatem fere produci. quam rem & Chaldæus interpres non obſcurè indicauit ita exponens: *Onus calicis præparati ad exhibendum Niniue, à principio ex quo vaticinatus eſt aduerſus eam Ionas filius Amithai de Migath Hapher: conuerſa eſt à debito ſuo, & cum addidit ad peccandum rurſus vaticinatus eſt ſuper eam Nahhum de domo Cuſsi*, &c. Quid verò onus propriè ſignificet, in commentarijs Habbakuq abundè docebimus & in communi præfatione: cætera verò inſcriptionis verba hic exponimus, vt eum ad quem ſermo habeatur, & cuiuſnam modi ſermo ſit primùm; deinde eum qui habuerit, & quo vaticinandi genere vſus fuerit, & quanam ratione munus ſuum fuerit executus, explicemus. grauem igitur & certam Dei ſententiam in Niniuitas pronunciatam illa verba indicant, *Onus Niniue.* huius verò ſententiæ interpretem certum, & diuino ſpiritu auctum, atque grauiſſimo futurorum præſciendi modo affectũ poſteriora illa docent, *Viſionis Nahhum Elceſai*: qui quòd certi conſtantiſque vaticinij fide & auctoritate niteretur, nomen ſuum profiteri veritus non ſit: ſed quòd librum appellat, eò pertinet, vt non ipſe Niniuen Aſſyrioſque legationis & vaticinij ſui orator petijſſe; ſed literis eò miſſis diuinum conſilium aperuiſſe intelligatur. namque liber multas communis atque cognatæ inter ſe rationis ſignificat res, ex quibus vna epiſtola eſt. vt apud Iſaiam: In tempore illo miſit Merodac Baladan filius Baladan rex Babylonis libros & munera ad Ezechiam, &c. quod ipſum idẽ interpres in Regum annalibus literas verterat. Atque de libri inſcriptione hactenus: nunc verò deinceps vaticinium ipſum exponamus. Iſai 39. 4. Reg 20.

Deus æmulator & vlciſcens Dominus, vlciſcens Dominus, & habens furorem: vlciſcens Dominus in hoſtes ſuos, & iraſcens ipſe inimicis ſuis.

SVBLIMI orationis exordio vaticiniũ aduerſus Niniuitas ſuũ vates inchoauit, qui Dei virtutẽ, conſilium & prouidentiam ſimul, & illorum facinora & nefaria ſcelera illuſtri & grauiſſimo præconio indicaret, atque hominum proinde animis metum, religionemque inijceret. namque grauiſſimis imprimis verbis diuinæ res, rationeſque proponũtur: deinde etiam hominum ipſorum crimina ea eſſe inferuntur, in quibus grauiſsima diuinarum rationum exempla iure edi debeant: igitur futuram Niniuitarum cladem, nequis nullis eorum flagitijs, ſed cæli aſtrorumq. curſibus vel caſui, vel priuatæ forſitan Dei cuiuſpiam, ex ijs, qui temporibus illis vanè colebãtur, voluntati aſcriberet, Dei Opt. Max. illius Adonai virtuti, conſilio & iudicio, vt prædictam antè, ſic eandem editam aſcribendam eſſe confirmat. Atque cauſa ipſa primùm facultatis & voluntatis; deinde etiam iuris rationibus & ponderibus examinanda proponitur. Quoniam verò varias facultatum rationes alijs atque alijs numinibus, deluſa olim antiquitas tribuebat, hoſque illis potentia & ira, rurſus illos his lenitate & benignitate, alioſque alijs conſilio, agendarumque rerum dexteritate anteponebat; ex qua re fieri poſſet, vt Iſraëlitarum Deum Adonai, ex illo quatuor literis conſtanti nomine, ad miſericordiam promptum, non item ad iudicium ſententiam vltionemque idoneum eſſe putarent, aut aliorum Deorum viribus & numinibus impediri poſſe crederent. hanc omnem rationem ipſo tandem euentu confirmandam Vates exponit, eamque eſſe Dei ſui naturam docet; in qua ſumma & maxima virtus, facultas, ſummum conſilium, ſumma ars, agendarum rerum ſcientia, ſumma denique felicitas, & quicquid demum numinibus omnibus attribui magnum debeat, & poſſit in huius Adonai natura ſummum & maximum ac proprium ſit. ab ea verò parte potiſſimùm exorditur, quæ quòd rarius oſtenſa, minus hominibus cogitata, minuſque formidata eſt, quam inſtitutæ ſibi orationi apprimè oportunam eſſe intellexit, id eſt, à ſumma vlciſcendi facultate, & iuſtiſſima voluntate, quam edita tandem Niniuitarum ſtrages, horribiliſque cædes, cum prædictionibus & obnunciationibus comparata confirmatura ſit. *Deus æmulator.* Ex multis diuinis nominibus id hoc in loco appellatur, quod ad infinitam virtutis & fortitudinis rationem pertinet. Atque ita agendarum rerum facultas prima proponitur, deinde etiam & voluntas ſubiungitur, quæ exemplorum indicijs confirmatur: *æmulator* ſiue zelotes, qui de rebus, dignitate, iureque ſuo quicquam detrahi non patiatur, detractum autem grauiſſimè vlciſci ſoleat: ſicut ſcriptum eſt, Zelatus eſt Dominus terram ſuam, &c. Illud autem hoc nomine ſignificatur, Niniuitarum excidium non caſu, non iniuſto odio, non temerario aliquo faſtidio, ſed iuſtiſſimo offenſi Dei iudicio futurum eſſe. quanquam verò nomen illud ſuum tetragrammaton, miſericordiæ rationes plurimas in ſe contineat, Ioel. 2.

tamen

tamen de vlciſcendi facultate ac iure nihil omnino detrahit: cuius rei argumẽto varia exempla in Ægyptios & in alios nominis numinísque ſui violatores & contemptores edita ſunt. [*& vlciſcens Dominus.*] Illud hoc in loco obſeruandum eſt, nomẽ, Dominus, quod ad miſericordiam refertur, futuri rationem obtinere, quod illud tempus perpetuitatem aſſiduitatemque apud Hebræos, vt apud Latinos & Græcos præſens indicat: qua de re nos multa & vtiliſſima in commentarijs Habbakuq & alijs docemus: ſed *vlciſcens* participium præſenti tempore dici, quod apud Hebræos non ad aſſiduitatem, ſed ad certã oportunitatem pertinet: ita adeò huiuſmodi oratione Deus perpetuò quidem miſericors, oportuno tamen tempore vltor eſſe prædicatur. Eſt autem grauiſſimum, & terribile audientium animis epitheton vlciſcens, ſiue vltor. namque vltio ipſa cuicunque aſſcribatur, horrendam vim impetumque non facilè retardabilem indicat, nedum ſi Deo fortiſſimo & potentiſſimo atque patientiſſimo aliàs, noxæ tamen & ſcelerum magnitudine irritato aſſcribenda ſit, vnde grauiſſima & terribilis illa ob acceptas iniurias Romanis olim Martis vltoris effigies & inſcriptio, quam in nummis etiamnum videmus, excogitata eſt. Quid autem vlturus in Aſſyriorum, & Niniues excidio Deus eſſet, facile coniectu eſt; nimirum animorum ſæuitiam & nimiam per ſummum nefas dominandi libidinem, exercitamque vltra omnem humanitatis modum in victos omnes, cùm ex gentibus cæteris, tum maximè ex Iſraelitis crudelitatem: neque enim illi diuinum in ea re conſilium ſecuti oportuna & clementi, vel belli gerendi, vel dominandi ratione vſi ſunt, ſed ſua magis ambitione & cupiditatibus elati immani tyrannide omnia occupare ſtuduerunt. Qui quanquam irati Dei virga in ſacris appellentur, non eo interpretanda appellatio eſt, vt quicquid impiè inhumaneque geſſerint, diuino iuſſu & conſilio geſtum eſſe aſſeratur: ſed ita iſtorum animis, conſilijs & facinoribus Deum ad populos caſtigandos vſum eſſe, vt inuadentes libertati & facultatibus permittens ſuis, inuaſos ipſos neque conſilio, neque auxilio ad propugnandum, ſeſeque defendendum iuuerit: quicquid autem victores peccarent & delirarent, ſibi ipſis fraudi foret. itaque vt nonnunquam dæmonis mali non quidem probata voluntate & nocendi cupiditate, ad impios tamen & ſceleratos homines puniendos Deus vtitur: ſic Aſſyriorum ambitione & ſæuitia permiſſa ad repetendas de gentibus quibuſdam, & de Iſraelitis etiam pœnas eſt vſus, ex qua re id Aſſyrij commiſerunt, vt non diuinam ſibi gratiam, ſed offenſionem maximam, ac proinde vltionem commeruerint, tum quòd non ex diuino conſilio, ſed ex ſua libidine rem geſſerint, tum verò quòd omnem humanitatis,

Iſa 10. imò omnem ſæuitiæ & crudelitatis modum excedentes, aliorum res vehementius etiam,
« quàm pro diuini conſilij rationibus afflixerint & vexauerint: ſicut ſcriptum eſt, Væ Aſſur,
« virga furoris mei & baculus ipſe eſt, in manu eius indignatio mea. Ad gentem fallacem
« mittam eum, & cõtra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat ſpolia, & diripiat præ-
« dam, & ponat illum in conculcationem quaſi lutum platearum. Ipſe autem non ſic arbi-
Zach. 1. trabitur, & cor eius non ita exiſtimabit, ſed ad conterendum erit cor eius, & ad interne-
» cionem gentium non paucarum: & illud, Ira magna ego iraſcor ſuper gentes opulentas:
» quia ego iratus ſum parum; ipſi verò adiuuerunt in malum. Quòd autem vltionis nomen

repetitum ter fuerit, eò pertinet vt lenta plerumque numinis ira, grauiſſima tamen eſſe oſtendatur; vtpote quæ non punitionis modò, ſed vltionis rationibus definiatur: habet enim apud Hebræos ternarius numerus magnam aſſeuerationem, & ſuperlatiuum gradum in diuinis maximè nominibus atque appellationibus indicat. nam vt trinitatis ratio diuinæ naturæ ſi perſonas conſideremus, maximè conuenit, ſic omnibus in rebus & vir-

Iſai. 1. tutum ac facultatum appellationibus numero Deus impare gaudet: vt, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus. &c. Quanquam autem diuina lege cautum ſit, ne quis inimicum accepta iniuria vlciſcatur; tamen hoſtes & rerum ſuarũ publicos afflictores, publicè etiam vlciſci fas iuſque eſt. legis enim verba ſociorum & populi proprij nominibus rem ipſam

Leuit. 19. definiunt: Non quæres vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum: ciues tantum lex antiqua vel filios populi tui, quemadmodũ in Hebræo eſt, vltione liberat, hoſtes non item: maximè autem affligentes, quos legitimè indicto bello petere & vlciſci licuit, vt in ijſdem ſacris legibus præſcribitur, quamobrem non reprehendendam animi perturbationem, ſed iuſtiſſimam iram & indignationem, atque vlciſcendi rationem ſibi Deus Opt. Max. aſſcribit, cùm hoſtium ſuorum vltorem ſe prædicat; ſatis enim iuſta, imò iuſtiſſima vltionis cauſa eſt, hoſtem Deo quempiam eſſe declaratum, maximè autem Deo Adonai, hoc eſt, & re & nomine miſericordiſſimo, quem tam lenem tamque clementem ad iras irritaſſe maxima ac grauiſſima vltione expiandum nefas fuerit. [*Vlciſcens Dominus, & habens furorem, vlciſcens Dominus in hoſtes ſuos, & iraſcens ipſe inimicis ſuis.*] Vt nunquam iniuſta ira, & illegitima vltio Domino Adonai aſſcribi poſſit, qui ſeſe non niſi hoſtium & afflictorum

ſuorum

ſuorum, vt in Hebræo eſt, vltorem profiteatur, ſatis autem iuſtam & neceſſariam diuinitus vlciſcendi eſſe, ſiquis ſeſe Deo hoſtem præbeat, non ſolùm diuinis oraculis planum eſt: vt, Heu vindicabor de hoſtibus meis, &c. Sed gentium etiam ſapientia de dijs ſuis eſt proditum: vt, *Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor.* At verò oſtenſa iam Dei ad vltionem iuſta & legitima voluntate, eadem repetitis verbis aſſeueranter confirmata omnis obliuionis diuinæ ſtulta opinio, ex hominum animis longæ patientiæ prædicatione à Vate tollitur. Fieri enim perſæpe ſolet, vt hominum culpam, non ſtatim pœna comes premat, ex quo periculoſa quædam ſecuritas quorundam animis præſtatur, Deū vel omnia, vel plurima ſcelera omnino diſſimulare, atque negligere falſo opinantibus; cùm tamen id non diuinæ negligentiæ, ſed patientiæ & lenitati aſſcribi, atque proinde aut expiari ſcelus, aut grauius ſupplicium timeri oportuiſſet. Ne quem igitur huiuſmodi ſtulta opinio fallat, Vates hac anthypophora præcaueri voluit, qua nullum, vel læſæ, vel imminutæ maieſtatis ſuæ crimen, niſi aliàs ob legitimam pœnitentiam & expiationem condonatum fuerit, impunitum tandem effugi poſſe affirmet. Iſai. 1. Aeneid. 1.

Dominus patiens, & magnus fortitudine, & mundans non faciet innocentem.

In ſuperiori verſu, quo loco Latinè poſterius illud legimus, *iraſcens ipſe inimicis ſuis*: Hebraicè verbum eſt, quod cum iræ rationibus obſeruare etiam & tempus occupare ſignificat. Hiſpanè propriè dicimus, *tenerla guardada.* quæ oratio ad commodum & opportunum pœnas cum dignitate repetendi tempus ſignificandum vſurpatur. hoc autem tropo vſus Vates noſter diuinæ ad vltionem tarditatis cauſam expoſuit. Obſeruat, inquit, quidē Dominus inimicos ſuos, veterumque offenſionum nunquam oblitus, vel legitimè ſibi ſatiſfieri per pœnitentiam expiationemque exſpectat, vel ipſe tandem grauibus de aduerſarijs pœnis ſumptis opportunè ſatiſfactū curat: ſicut ſcriptum eſt, Nō tardat Deus promiſſionem ſuam; ſed patienter agit, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. 1. Pet. 3. Et finem itaque, & efficientem tardæ vltionis cauſam Vates profert: quòd ſcelera & offenſiones hominum in ſe vel pœnitentię legitimum, vel vltionis opportuniſſimum tempus Deus aucupatus obſeruet, eo quòd natura lenis patientiſſimusque ſit, aliàs nullam malarum rerum ac facinorum impunitam alicui libertatem donaturus. hoc eſt quod dicit: *Et mundans non faciet innocentem,*] hoc eſt, neminem ſcelere alligatum temerè ſoluet. verba ipſa, quòd ſignificationem habeant arcanam, nobis explicanda ſunt. *Dominus patiens,* Hebraicè, *latus naribus.*] quo tropo lenis & patiens cuiuſpiam natura ſignificatur, vt apud Ioëlem docuimus: nam qui anguſtis naribus ſunt, inflammati ex offenſione cordis fumos ob meatuum anguſtias, & citius concipiunt, & tardius efflant. [*Magnus fortitudine.*] Vera fortitudo, fortitudiniſque comites, magnitudo animi, grauitas, patientia & opportuna rerum deſpicientia his verbis apud Hebræos definiuntur, ad eumque referuntur, cuius animus, neque offenſionibus, neque repulſis frangitur, ſed conſtans ſemper ſibi ipſi perſeuerat. Latini virtutem hanc animi conſtantiam dicunt, cui contraria affectio impotentia eſt: hoc orationis genere, iiſdemque verbis Moſes in illa celeberrima deprecatione vſus eſt: Magnificetur ergo fortitudo Domini, ſicut iuraſti, dicens, Dominus patiēs, & multæ miſericordiæ, ferens iniquitatem & ſcelera, nullumque innoxium relinquens. Itaque longa expectatio, diuturnaque diſſimulatio diuinam magnitudinem, fortitudinem, conſtantiam, ſapientiamque, atq. ad opportunitatis vſum prudentiam, non autem negligentiam, aut ignauiam, imbecillitatémue vllam, non ſcelerum impunitatem, arguit. nam quod ad hanc rem pertinet, *mundans non faciet innocentem,* id hæc oratio ſignificat, quod à Moſe relatum eſt, nullum innoxium relinquens. namque eadem vtroque in loco verborum formula, eadem orationis compoſitio eſt. Innoxium relinquere, eſt impunitatem ſcelerum alicui per negligentiam dare: id quod à diuini iudicij grauitate & ſeueritate prorſus eſt alienum; ſicut ſcriptū eſt, Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro vitæ. at verò orationem Hebraicam Latinus interpres, quæ circumlocutione explicare noluit, ſimplicibus verbis, quæ commodiora viſa fuere, reddidit; non qui ſententiam omnem exponeret, ſed qui rationem ipſam rerum indicans, ex fontibus ſuis petendam exponendamque ſtudioſis relinqueret. quod Latinus hoc loco ad verbum redderet: Et liberare non liberabit, vel dimittere non dimittet, non ſatis plenè ſententiā explicare poteſt. NAKI, Hebraicè eū ſignificat, qui impunitatem aſſecutus eſt. Huiuſmodi verò quippiam à Deo non niſi legitimis rationibus præſtari iam diximus. Nemo igitur ſibi liberam ſcelerum impunitatem, & dimiſſionē ex Dei diſſimulatione promittat. namq. ille proculdubio dimittens nō dimittet. Chaldæus paraphraſtes hunc locū ſic reddidit: *Et dimittet pœnitentibus; nō pœnitentibus verò non dimittet.* Hic rē ipſam magis, quàm orationem explicuit: quod ſæpius etiam facere conſueuit. Probato autem

Num. 14.

Ibidem.

נקי

conſilio & voluntate Dei, ſeu eræque aduerſus hoſtes ſuos vltionis ſtudio, temporis aucupandi ſcientia, facultas proximè oſtendenda probandaque fuit; quæ & ipſa ad maximas res gerendas expetitur. Hanc adeò cęteris nihilo virtutibus minorem Deo eſſe confirmat, vt non ſolum in conſulendo ſapientiam & prudentiam, ſed in agendo etiam dexteritatem & celeritatem, omni aduerſariorum conſilio, prudentia atque virtute incom-
Pſalm.7. parabilem in modum, ſuperiorem, cuius aduentum nulla hoſtium diligentia præcauere,
« cuiuſque impetum nulla humanarum rerum firmitudo ſuſtinere poſſit: ita adeò ſuppliciũ, vbi conſuluerit, maturare ſolet, vt longę exſpectationis motam, & negligentiæ opinionem conficiendæ rei celeritate vincat. Hæc autem res duabus rationibus, & agentis virtute, & miniſtrorum quibus ad agendas res interdum vtitur, maximis viribus, & prompta ac parata in conficiendo celeritate confirmatur.

Dominus in tempeſtate & turbine via eius, & nebulæ puluis pedum eius.

EXPEDITIONIS faciendæ rationem, atque repentinum ineuitabilemque hoſtibus impetum turbinis, & tempeſtatis nominibus indicauit. namque eiuſmodi naturæ celerrima hominibus, animantibus, arboribus atque montibus etiam interdum inſuperabilis vis eſt. Vox Domini cõcutientis deſertum: Vox Domini confringentis cedros: & commi-
Pſalm. 28. nuet Dominus cedros Libani, &c. Vox Domini diluuium inhabitare facit, &c. Igitur viæ
» Domini agendique rationes & momenta, maxima, vehementiſſima & celerrima ſunt, cui, qua ſe expediat in tempeſtate & turbine, via eſt, quæ loco, ſitu, & celeritate mortales omnes, mortalia facta, machinas, munitionem ac præſidium omne longè ſuperet; eademq. hoſtes ipſos turbet, neque cauere ſibijpſis, neque oppugnare poſſe ſinat. [*Nebulæ puluis pedum eius.*] Ita ipſe ex ſuperiori loco, tanta vi & celeritate præditus, tantis miniſtris circumſeptus, in hoſtibus ſuis denſa nebularum & tenebrarum caligine præoccupatis, neque ſibi cauere, aut ſalutem fuga quærere, nedum obſiſtere, ac repugnare valentibus, quas ſtrages edere poſſit, facilè intelligitur: atque hoc ipſum ſigna illa, & calamitates Ægyptijs quõdam allatæ declarant. Neque verò vno tantùm ad agendam rem miniſtrorum genere, ſed pluribus, ijſdemque validiſſimis vti poteſt, & ſolet. namq. & montibus, & ventis, & mari, & fluminibus fortiſſimis, & horrẽdis naturæ rerum partibus imperat; quibus, quamuis difficillima imperata, promptiſſimè conficiuntur.

Increpans mare & exſiccans illud, & omnia flumina ad deſertum deducens.

DVOBVS illis miniſtris tempeſtate & turbine, non ſolùm terras, ſed aquas etiã turbari atque commiſceri poſſe, antiquis diuinarum rerum monumentis proditum, & frequentibus ætatum omnium exemplis confirmatum eſt. namque omnia Deo viuunt, omnia dicto parent, & tanquam ſerui obediunt. præponitur verò in oratione mare fluminibus, quòd in eo naturæ genere maximè excellat, à quo cùm ſola increpatione exiccari, exhauriri, atque aduerſum naturã ingeniumque ſuum cõtrahi & coarctari ſoleat; quid exſpectare oporteat, ſi dilatari, & terras inundare iubeatur? Abyſſus vt veſtimẽtum ami-
Pſalm. 102. ctus eius, ſuper montes ſtabant aquæ. Ab increpatione tua fugient, à facie tonitrui formidabunt. Increpatio autem dominorum in ſeruos eſt, quiduis expediri ſatis pro imperio iubentium. cuiuſmodi increpatio illa apud Comicum eſt: *Vos iſtac intro auferte, abite.* Hoc mo-
Terent. in Andr. act. 1. Scen. 1. do per turbinem, aut tempeſtatem, vel venti vim aliam, per vocem tonitrui, aut aliàs increpans Deus, & mari & fluminibus auditur. Et increpuit mare rubrum, & exſiccatum
Pſalm. 107. eſt, & poſuit flumina in deſertum, exitus aquarum in ſitim, &c. atque hoc modo alijs alijs-
Pſam. 106. que voluntatis ſuæ miniſtris ad gerendas pro conſilij ſui decreto res aliò atque aliò miſſis Dominus Deus exercituum vti conſueuit. Namque ad perdendos Ægyptios, ſuoſque liberandos Iſraëlitas cùm extendiſſet Moſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus flan-
Exod 14 te vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in ſiccum, diuiſaque eſt aqua. Atque
Ezech. 27. illud etiam aduerſus Tyrios decantatum eſt: In aquis multis adduxerunt te remiges tui: ventus contriuit te in corde maris. Nonnunquam etiam & per turbinem res agitur, ac per nubem, & imbrem, caligine, nimbis & grandine mixtam, ita vt aduerſarijs omnis agendarum rerum, imò ſibi proſpiciendi facultas adimatur: ſicut ſcriptum eſt; Et reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnã nubis & ignis, interfecit exercitus eorum. Vtroque autem modo, vel ventorum vi, vel nubis obiectu mare à Deo increpatũ excitari poſſe & ſolere, Ionæ hiſtoria nos docet, cùm immiſit Dominus ſpiritum tempeſtatis in mare, & facta eſt tempeſtas magna in mari. Idem etiam & in fluminibus fieri
Pſalm. poſſe, res ipſa arguit. nam quod in mari rubro antea factum erat, in Iordane etiã effectum
« eſt; vnde illud admirantis Vatis carmen extat: Quid eſt tibi mare quod fugiſti, aut tu Ior-
« danis, quia conuerſus es retrorſum? à facie Domini mota eſt terra. &c. Neque verò ſegnius

nius in montibus etiam hæc diuina virtus ventorum, & turbinis, ac nubium vi oſtendi probariq́ue poteſt: ſicut ſcriptum eſt, Montes exultaſtis ſicut arietes, & colles ſicut agni ouium. Ita omnia ima ſummis verti & miſceri tanti principis imperio & voluntate facilè poſſunt. hoc eſt quod Vates noſter addit:

Infirmatus eſt Baſan & Carmelus, & flos Libani elanguit. Montes commoti ſunt ab eo, & colles deſolati ſunt.

HÆC omnia, montes, colles, lapidum, plantarum, mineraliumq́ue naturas, quæ in montibus plerunque gignuntur à Deo, tum propria virtute, & ſola voluntate, tum etiam ventorum vi turbari, affligi & perdi, quotidiano ferè ſpectaculo agnouimus. namq. venti, præterquam quòd arbores frangant & comminuant, exſiccare etiam, & vrere virentia & humentia quæque ſolent, vbi vehementius æquo, flando incubuerint; ſicut ſcriptum eſt: Et reuelabit condenſa, &c. Idem etiam & nubium, ac tempeſtatum impetu fieri poteſt & ſolet, cùm aquæ vel nimiæ, & intra terræ viſcera conceptæ, terræ concuſſiones, tremores atque eruptiones perſæpe efficiant, atque ſi nimis multæ ſunt, ipſis etiam plantis vehementer noceant. Tria autem nobiliſſimorum magnitudine, & pulchritudine mõtium nomina exempli cauſa vſurpata ſunt; ex quibus argumentum ad omnem eiuſdem generis naturam aptè deducitur: nam quæ montibus omnibus, vel firmitudinis, vel pulchritudinis, vel vſus vtilitatiſq́ue rationes, vel communes, aut propriè quorundam ſunt, eas ad Baſanum, Carmelum, & Libanum à ſacris auctoribus præſtantia quadã accommodari aliâs docebimus. ob eam rem igitur ex ſpecie genus ipſum in argumentationis cõcluſione comprehenſum eſt. [*Montes commoti ſunt ab eo, & colles deſolati ſunt.*] Ex quo fit, vt neque cæteræ terrarum orbis partes ſecuræ eſſe poſſint, quandoquidem neque montes ipſi Dei venientis, & turbinem, tempeſtatem nubemq́ue ingenté agentis impetum ſuſtinere poſſint, cùm montes firmiſſima terræ pars ſint. Pſalm.

Et contremuit terra à facie eius, & omnes habitantes in ea.

GRAVISSIMO augmentandi genere, hoc eſt, contentione diuinam ad res agendas virtutem, & humanam ad propugnandum imbecillitatem Vates cõfirmauit, maiora quæque minoribus rebus præponens, atque ex alijs alia inducens, ita vt de virtute, & miniſtrorum eius efficientia, maria, flumina, Baſan, Carmelus, Libanus, montes, colles exſiccari, areſcere, findi, rumpi, diſſipari probaret; quæ omnia naturæ opera maxima & fortiſſima iudicantur, nedum terras hominumq́ue habitationes & molimina, vt vrbes, turres, propugnacula, munitiones, & cætera quæ ad declinanda pericula à mortalibus parantur, quæ cũ auctoribus ipſa ſuis mortalia ſunt, multo alijs minora perire poſſe putandũ eſt. [*& contremuit,* Hebraicè eſt, *Et ſublata eſt,*] ac ſi ventorum, vel inundationum vi terram omnem vaſtari poſſe dicat, vt in diluuij, & in Sodomorum temporibus accidit. Hæc autem omnia cò pertinere videntur, vt euertendæ Niniuis ratio ſignificaretur; quæ ſi antiquis Græcorum, & Latinorum hiſtorijs fides habenda eſt, non multum ab huius vaticinij obnuntiatione diſcrepat; quanquam temporum & perſonarum notationibus, non omnino ſecum, neque cum veritate ipſa conſentiat, ſed maximarum & illuſtrium notationum nomina, & tempora, quàm res & facta ipſorum memoriam nonnihil immutare procliuius & facilius eſt. ex quo fit, vt facta ipſa plerunq. apud auctores conſtent, perſonæ & tẽpora certa nõ conſtẽt: factũ enim ipſis relictis monumẽtis & ſignis indicari poteſt, perſonę verò & tempora ob fluxã ſeculorum & gentiũ naturam, ob minus attentam diligentiam, ob variam linguarum & ſermonum atque dominationis mutationem inuerti ac turbari facilè poſſunt: ex diuinis autem ſcripturis temporũ vera ratio petenda eſt. Hæc obiter ad hiſtoriarum cognitionem non incommodè annotare libuit, quæ nobis in ea facultate magno ſemper vſui fuêre. ad inſtitutum igitur redeamus. Niniuen ſiue Ninam ab alijs gentibus appellatam vrbem, quæ murorum ambitu, firmitudine, & turrium propugnaculorumq́ue numero; & robore, bellicis nondum inuentis tormentis, inexpugnabilis eſſe crederetur, poſt multa & aduerſa prẹlia non ſine calamitate primum inita & ſuſtentata, tandem Babylonij Perſis in ſocietatem conuocatis, obſederunt. Quãm obſidionem traducendi ſpe ferre paratus Aſſyriorũ rex rebus omnibus, quæ ad eã tolerãdam ſibi & ciuibus neceſſariæ erant, antè paratis, intra vrbem ſummo otio biennium totum ſeſe continuit, tertio autem anno continuis imbribus excreſcens fluuius cùm partem vrbis inundaſſet, muros deiecit ad ſtadia viginti. Erat autem reſponſum progenitoribus datum, nunquam Ninam capi poſſe, niſi cùm fluuius vrbi hoſtis fieret. Igitur rex exiſtimans oraculi tempus adueniſſe, deſperata ſalute pyram in regia ingentem exſtruxit, in quam vxoribus & Eunuchis concluſis auro, argento, veſteq́ue omni regia impoſitis ſeſe vnà cremandum

Hor. arte Poet.

Diod. Sicul. lib 3. Iuſt. lib. 1. Oroſ. lib. 2. & lib 1. c. 19. Euſeb. Herod. li. 1.

in ignem iniecit. Hoſtes audita regis morte, vrbem per eam, quæ ab oraculo prædicta erat, muri partem ingreſſi, imperio potiti ſunt: atque ita Aſſyriorum imperium, quod ad trigeſimam prolem à Nino peruenerat, annis mille & quadringentis à Nina Babylonem tranſlatum eſt, pauloque poſt ad Perſas tandem deductum. Hæc expugnatæ & euerſæ Niniues hiſtoriæ ſumma eſt, quam diuino conſilio, & ventorũ imbriumq. vi ac impetu magis, quàm humana potentia, aut bellica virtute expugnãdam cùm vates hic noſter, tũ alij etiam obnuntiarant, quorum oraculis nixus Babyloniorum ille rex, quem auctores Beleſum nominant, diuturnum bellum, prœlia & pugnas, quamuis damnoſis atque aduerſis euentibus, ſumma tamen contentione, deinde & obſidionem pertinaciter ſolus vrgens cæteris longæ vſque ad victoriam perſeuerantiæ auctor fuit. quanquam Græci, Latinique hiſtorici vaticiniorum ſacrorum ignari, aut ab ipſis gentium auctoribus (qui omnia ſibi ſuiſque dijs & diſciplinis ambitioſè tribuebant) decepti, oracula ipſa ad Chaldæas prædictiones retulerunt. Illud autem certum exploratumque eſt, huiuſmodi vaticinia ab Iſraëlitis ad eos fuiſſe delata, quod initio ipſo libri vel epiſtolæ nomine operi inſcripto Nahhum declarat: ex quo libro, atque ex alijs vatum reſponſis fata ſua vt ab ipſis vocabantur illi cognouere, atque poſteris etiam cognoſcenda tradidere: quæ tamen (vt hominum in ſuam perniciem affectata ſtultitia eſt) decantata illis magis quàm certa eſſent, quoad euentu ipſo firmata ſera nimis fide exciperentur. id quod illi ipſi Latini, & Græci auctores indicant. nam de oraculorum fide agens Diodorus, inquit, Quod nunquam futurum ratus Ninæ rex, ſpem ceperat obſidionis traducendæ ſimul, & futura auxilia exſpectabat. Ad eiuſmodi ergo euentum omnis hæc à Vate de diuinis miniſtris vento, turbine, tempeſtate, nubibus, &c. deque horum efficientia commemorata ratio non incõmodè relata eſt. nam qui horum miniſtrorum vi maria & flumina exhaurire, exſiccare & ſiſtere, contra ipſorum ingenium & naturalem appetitum ac motum poteſt, & augere nimium, atque inundationibus producere eadem poterit: atque hoc pacto montes & colles, & quod multo facilius & promptius eſt, hominum habitationes cum habitatoribus ipſis tollere, atque excidere: ita adeò præter ipſam turbinem & tempeſtatem, &c. ex naturæ ipſius atque tranſlationis rationibus interpretari non alienum erit. nam fluminum, nimborum & ventorum vim quib. Euphrates exundãs vrbis muros deiecit, magna populorũ & exercituũ multitudo, magna Babylonij ducis conſtantia & pertinax animi ad victoriã cõtentio eadem oratione ſignificatur: populos enim aquarum nomine dici & Ioannes in Apocalypſi nos docuit, & nos aliàs explicuimus. Namque ad Niniuis expugnationem ex quatuor primùm

Apoc. 17. gentibus, Babylonijs, Perſis, Medis & Arabibus hominum quadringenta millia numero, armis inſtructi, muniti caſtris, ac de rebus communibus conſultantes conuenêre; quibus poſtea præter alios quam plurimos transfugas Bactrianorum exercitus à rege deficiens acceſſit. auctor Diodorus. Vltimus autem Niniuitarum Imperator *Tonos concoleros* fuit, qui Romanis pariter ac Græcis Sardanapalus ille luxuria & corruptione infamis dictus eſt. Ex ijs autem, quæ commemorata ſunt, illud conficitur, nullam eſſe priuatam vim, nullam tantam cuiuſquam potentiam, nullam roboris magnitudinem, quæ irati Dei impetum ſuſtinere poſſit; quando nulla earum, quæ fortiſſimæ exiſtimantur, rerum natura, tempeſtatis, turbinis, vel nubis ab eo immiſſæ vim conſtanter perferre valeat: idque adeò non pleni furoris opus eſſe, nedum hominum mortalium vlla vis tanta ſit, quæ vehementiſſimè ignis inſtar habentem Dei iram exſpectet, incolumiſque perferat.

Ante faciem indignationis eius quis ſtabit; & quis reſiſtet in ira furoris eius? indignatio eius effuſa eſt vt ignis, & petræ diſſolutæ ſunt ab eo.

FIRMISSIMA argumentationis totius concluſio hæc eſt, contentionis rationibus, & vtriuſque partis amplificationibus confirmata. namque ſuperius venientis Dei impetum tempeſtatis & nubium imaginibus declarauit, cui oppoſitas rerum formas & præſtantes naturas, vt maria, flumina, montes, vrbes &c. impares omnino oſtendit; nunc verò maiorem multo, atque efficientiorem vim cum infirmiſſima natura comparat; altera ex parte ignem vehementiſſimum, qui lapides etiam duriſſimos diſſoluere poſſit; altera verò homines componens: quos, ſi fortitudinem & robur ſpectes, vanitati, atque vmbræ ſimillimos inuenias. *Quis ſtabit.* Relatiuum *quis*, vbi Deus excipitur, hominem quærit: vt, Ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit? Operæpretium autem eſt huiuſmodi argumentationum formas ſæpe obſeruare, quæ quoniam ex diuinæ ſapientiæ rationibus petuntur, grauiores multo ſunt, quàm quæ vllis vel Græcis, vel Latinis dialecticorum præceptis hactenus fuerint traditæ: cùm plurium ſimul argumentationũ vim & efficientiã habeant: atque hoc modo ſignificationis propriæ & tranſlationis obſeruatæ rationibus hæc nobis argumen-

mentatio explicata eſt. Ignis autem natura poſtremo loco producta à Vate & appellata eſt, vt omnem aduerſariis defenſionis cogitationem excinderet: à quibus nonnullæ obiici res poſſent, quas vel ob loci & ſitus altitudinem, vt quæ proxima cæleſtibus orbibus ſunt, vel ob natiuam firmitudinem, vt ſaxa neque aquarum neq. tempeſtatis vis vel tentare vel erumpere poſſit. igitur quandam aliam diuinæ iræ vim adhuc eſſe omnium, quæ componi cum ea poſſint, longè præſtātiſſimam; nempe ignem, qui non ſolùm ſuprema loca cōſcendere, ſed in duriſſimorum lapidum viſcera inſuperabili impetu penetrare valeat: quamobrem παγκρατὴς à vatibus antiquis eſt cognominatus. Pindar. Nemeo. Od. 4. Ex lapidū verò generibus SZVRIM omnium fortiſſimum & firmiſſimum notatum eſt, quòd neque metallorum venis interiectis, neque terræ aut aquæ mixtionibus infirmatur, qualia facilius igni diſſoluuntur, ſed cautes potius, aut ſi quid durius Latino nomine ſignificari poteſt, quod denſiori atque aridiori materia conſtet, cuius nulla liquoris concreti pars ſit, quod tamen ſuſtinendo igni, quin diffindatur, par eſſe non poteſt. atque ob eam rem verbum aptiſſimum additum eſt, *diſſoluti ſunt*, ſiue vt Hebraicè commodius reddamus *diſrupti*: Hiſpanè adhuc commodius, *ſtallando ſaltan*. Verùm enimuerò admirandam Dei, & præſentiſſimam pro rerum & perſonarum rationibus prouidentiam illuſtri exceptione Vates aſſerit, ne quiſpiam videlicet ex allatis tempeſtatum, turbinum & ignis naturæ ſimilitudinibus rerum aliquam aut temporum communem omnibus atque indiſcretam confuſionem interpretaretur. ignis namque & tempeſtates atque inundationes ſi naturæ ſuæ relinquantur, cùm ſenſu menteque careant, obuia quæque pari modo afficiant neceſſe eſt; contra verò Deus, cuius natura mens magis, quàm aliud eſt: atque adeò (ſi attributas illi virtutes ſpectemus) mens ſapiens, benigna, clemens, miſericors, iuſta atque potens nihil temere, nihil indiſcretè aut confusè agere poteſt, ſed prudentiſſimè, ſapientiſſimè, atque æquiſſimè omnia moderatur. ex quo fit, vt ſiue ipſi ſua efficientia tantam rem gerat, ſiue alterius naturæ vi atque commoditate vtatur, nihil omnino efficiat quod à ſapientiæ, prouidentiæ, benignitatis, atque æquitatis rationibus alienum ſit. ſiue ergo igni, ſiue tempeſtate, ſiue inundatione res agenda ſit, ita potenter clauum tenet, ita gubernacula ſapienter tractat, vt in maximo iræ & indignationis in aduerſarios impetu, piorum ſaluti & liberationi miris modis proſpiciat & conſulat. cuius rei varia exempla cùm afferri poſſent; Noë tamen & filiorum eius, in antiquo diluuio, Loti in Sodomorum euerſione & incendio, Iſraëlitarum in Ægyptiacis calamitatibus liberationes argumento grauiſſimo fuerint. qua de re multæ & celeberrimæ ſacrorum auctorum acclamationes atque ſententiæ exiſtunt: vt, Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus: vt liberentur dilecti tui, &c. Igitur hanc pios homines à periculis excipiendi curam Vates ſubiecto carmine ſignificauit, ne quis omnium piorum & impiorum res duriſſimis temporibus eodem caſu promiſcuè conuolutas vtique putaret, hoc eſt quod dicit: Pſalm. 59.

Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis, & ſciens ſperantes in ſe.

POTENTIAM & virtutem hactenus prædicauerat, cui nunc prouidentiam, ſapiētiam & bonitatem diuinæ naturæ proprias, & re ipſa à ſe inuicem nunquam ſeparabiles in Deo virtutes adiungit. [*Bonus, confortans & ſciens.*] *Bonus* æquitatem, iuſtitiam, curamq́ Dei erga pios præſtandam hoc nomen ſignificat, & ad promiſſorum euentum animos attendentium excitat; qualis ſignificatio & in illo carmine eſt: Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo Domine ſecundum verbum tuum. Pſal. 118. [*& confortans in die tribulationis.*] Hebraicè eſt, *ad confortandum ſiue auxiliandum.*] cum ſuperiori verbo bonus coniungitur, vt mens, voluntas, ſtudiumq́ue diuinū erga pios in anguſtis temporibus præſtantiſſimum ſignificetur: id autem nulli vnquam deeſſe, qui pietate erga Deum, ſimplicitate & innocentia vitæ ſeſe dignum diuina cura præſtiterit, quanquam omnia turbentur, quanquam mundus ipſe ruinam minetur. Nouit tamen Deus ſuos à tentatione eripere, ait Apoſtolus; & Iſaias, Dicite, inquit, iuſto quia bonū; quia fructum manuū ſuarum comedet. 2 Pet. 2. Iſai 3. eius autē rei indicium certiſſimū Dei ipſius eſt, cui cùm corda & renes ſcrutetur, quinam digni hoc beneficio ſint, ſolus optimè nouit. Pſal 7. *ſciens ſperantes in ſe*, Hebraicè, *cognoſcens*: vt illud, Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum, & iter impiorum peribit. Pſal. 2. ita adeò in publica tum gentis cuiuſpiam, tum Aſſyriorum calamitate, ſi quiſpiam diuino iudicio probatus, qui in diuina prouidentia ſpem collocauerit, inueniatur, is profectò magnum pietatis, virtutis, atque ſpei ſuæ fructum Dei beneficio percipiet. Exceptione autem piorum facta ad inſtitutam orationem redit; Niniuitiſq́ue extremum & plenum excidium, atque integrum vna tantùm expeditione dandum exitium denuntiat, ne vt aliæ gentes paulatim labefactandos & tollendos ſe eſſe exiſtimarent, atque hoc modo aliquam ſibi diuturnitatis ſpem promitterent. Nonnullis enim regnis, imperiis, & publicis

m rebus

rebus hoc aliquando contigit, vt paulatim detritæ, & labefactatæ, tanquam morbo quodam longo laborantes, tandem extinguerentur: nonnullo interim vitæ & rerum, ſi non ita ſecundo, tamen optabili relicto vſu, vt Iſraëlitis olim, vt Romanis etiam. Id verò Niniuitis omninò negatū eſſe Vates ait: quibus vna tantùm hoſtiū pertinaci expeditione & fluminis tandem irruptione pereundum fuit. Neque enim Beleſus ille Babyloniorum Rex multis etiam aduerſis prœliis ſuperatus, & caſtris exutus, atque ad montana ſeſe recipere coactus,
Diod.lib.3. contentionem prius remiſit, quàm rem confectam vidit: eamque pertinaciam, & perſeuerantiam à ſociis de diſceſſu cogitantibus commemorata ſæpius ac renouata oraculorum fide perſuaſit. Quam rem diuino conſilio eueniſſe huius Vatis prædictionibus docemur, à quo & conficiendæ rei ratio, nimirum fluminis inundatio, & abſoluta tandem vno bello excidio apertiſſimè obnunciatæ ſunt.

Et in diluuio prætereunte conſummationem faciet loci eius, & inimicos eius perſequentur tenebræ.

Et in diluuio.] Hebraicum verbum, *Seteph*, inundationem fluminis propriè ſignificat; nam
שטף מבול diluuium, quem Græci cataclyſmum dicunt, *Mabul* Hebraicè nominatur. Inundatio autem (quanquam id nomē à Latinis pro illuuione etiam vſurpatur) fluminum tamen proprium
Iſai.30. eſſe, ille apud Iſaiam locus docet: Spiritus eius velut torrens inundans vſque ad medium colli, ad perdendas gentes, &c. Quid autem clarius à Vate noſtro de extrema & exitiali Euphratis in Niniuen irruptione, atque hanc conſequenti clade dici potuit, quam loci, in quo ciuitas ipſa fidebat, firmitudinem inundationis impetu demoliendam, ipſoſque, qui reſiſtere poſſent, milites trucidandos, vt nulla neque in loco, neque in armis ſalutis reliqua ſpes eſſet. namque Aſſyriorum Imperator, cùm exercitui ducem præfeciſſet Salamenum vxoris fratrem, cuſtodiendæ vrbis curam ipſe ſumpſit: igitur hoſtes in locis patentibus, iuxta vrbem duobus prœliis copias regias fudūt, interfectoque Salameno, reliquos perſequentes, partim in fuga cædunt, partim in flumen Euphratem præcipites agunt; paucis qui cædi ſuperfuerant in vrbem compulſis: adeò ingens occiſorum numerus fuit, vt fluuius redundante hominum ſanguine colorē mutarit; reliqua quibus nunc ſuperſedemus ex ipſis ſcriptoribus petere operæpretiū fuerit. hoc autē eſt quod Nahhum prædixerat: *& inimicos eius perſequentur tenebræ.*] Aſſyrios ob illatam omni orbi, & Iſraëlitis præcipuè in religionis contemptum iniuriam, Dei inimicos ſiue hoſtes Vates appellat; quoniam, vt ſtatim exponemus, Dei hoſtes vltrò ſe ipſi profeſſi fuerant: quantæ verò tenebræ iſtos & militiæ, & domi perſecutæ fuerint, modò oſtendimus, quum maxima pars occiſa, reliqua verò in vrbem coacta, tandem omnes extremam cladem acceperint, Deo honoris, dignitatis, populi, rerumque ſuarum vltore, cuius ſeſe illi hoſtes iampridem declarauerant, atq. ſuperiores fore
Iſa.36. ſtultiſſimis cogitationibus decepti cogitauerant, ſicut ſcriptum eſt: Nō vobis tribuat Eze-
» chias fiduciam ſuper Dominum, dicens: Eruens liberabit nos Dominus, non dabitur ciui-
» tas iſta in manu regis Aſſyriorum. Quis eſt ex omnibus diis terrarum, qui eruerit terram
» ſuam, de manu mea? vt eruat Dominus Hieruſalem de manu mea? Ita ſuperbè Dominum irritantibus, non ſolùm gentium ſuarum opportunum defenſorem & propugnatorem, ſed extremæ illius vno tantùm bello aquis & milite illato cladis auctorem præſtiturum profitetur.

Quid cogitatis contra Dominum? conſummationem ipſe faciet: non conſurget duplex tribulatio.

VANVM fore illis conſilium omne, & irritos conatus, quibus eam calamitatem euadere, vel ſaltem interrumpere cogitabunt, qua ſemel tantùm illata vaſtandi tandem, perdendique ſunt: *Non conſurget duplex tribulatio*, ſed vna tantùm obſidione oppreſſos hoſtis tādem occupabit. Iam verò quemadmodum opprimendi obruendique, ac tandem rapiendi Niniuitæ fuerint, Vates exponit: vt omnis adeò illa res diuino conſilio conſtare arguatur. Non futurum eſſe inquit, vt omnis illa multitudo, multis & variis prœliis fuſa & ſuperata, paulatim excindatur, atque grauiſſima pugna victa, vel abducatur, vel fortiter & honeſtè pereat: ſed fortiſſimis quibuſque primùm cum Salameno duce trucidatis, vt in ſuperioribus carminibus ſignificatum eſt; reliqua multitudo cum rege ſuo in vnum locū congregata, & quaſi in faſcem coacta, ſimul vna aduerſariorum opera, & allata clade pereat: vt in ſpinis per agros diſperſis accidere ſolet, quas agricolæ, vt agris atq. animantibus nocentes, palis, furcis & raſtris vndique in vnum conuolutas aceruum ſubiecto igni conſumunt; magno aliàs tædio ſi ſingulæ incenderentur, futuras. Igitur Niniuitas celeberrimis conuiuiis, & frequentibus epulis indulgentes, Dei conſilio inexpectantes atque imparatos opprimens hoſtis non antè obſidione liberaturus erat, quàm cōficeret. id verò quemadmodum expeditum fuerit, lecto primum verſu, exponemus.

Qui,

Quia ſicut ſpinæ ſe inuicem complectuntur; ſic conuiuium eorum pariter potantium, conſumentur quaſi ſtipula ariditate plena.

QVANQVAM ter aut amplius etiam à Niniuitarum Imperatore Babylonius Rex victus, fugatus, ac tandem caſtris exutus fuerit, infeſtiſſimiſque pugnis ad Babylonios vſque montes fugatus: tamen oraculorum fide nixus, nunquam à propoſito incœptoque deterritus fuit, ac tandiu in ſpei negotiique ſuſcepti conſtantia perſeuerauit, quoad miſſum ab Imperatore Bactrianorum exercitum libertatis nomine ſuis copiis addidit. hæc verò Aſſyriorum Imperator ignorans, & ſuperiorum victoriarum memor, ad hilaritatem profuſus, epulum militibus ex ſacris vinumque abundè præbuit, aliaque epulo accommodata: his intentos Aſſyrios, vbi per transfugas hoſtis cognouiſſet vino atq. cibo grauatos, ſomno quietique indulgentes, atque omnino imparatos adortus, noctu caſtra expugnauit, & multis interfectis, reliquos in vrbem compulit, ſpinarũ inſtar congregatos & obſeſſos tandem perditurus. Hanc autem rem ſic euentu ipſo expeditam & confectã adeò planè Vates noſter prædixit, vt nihil planius deſcribi potuiſſe videatur: extremam verò conſummationem illa ſimilitudine ſignificauit, *Quaſi ſtipula ariditate plena*:] quæ aridiſſima & leuiſſima cùm ſit, facillimè incenſa, breuiſſimè conſumitur, atque fauillis etiã raris ac diſiectis omnino perit: ita quaſcunq. Niniuitarũ ſitas reliquias diſſipatum iri prædicit. Atq. adeò huiuſmodi repentinus, grauiſſimus, exitialiſque, & perpetuo diuinæ vltionis monumento notabilis, tantæ potentiæ, tyrannidis, ſuperbiæ & impietatis exitus fuit, hic eius antiquiſſimæ & maximæ atque incomparabilis vrbis, quæ cum Deo gigantum more contendere auſa eſt. Diod. lib. 3.

Ex te enim exibit cogitans contra Deum malitiam, mente pertractans præuaricationem.

PRINCIPVM impietatem populo, & populi principibus exitium afferre ſæpiſſimè ex ſacris libris obſeruauimus: deinde & homines felicitate atque ſecundis rebus inſolentes adeò fieri, vt nefario auſu, non ſolùm Dei maieſtatem & contemnere & lædere, atque imminuere conentur. cuiuſmodi nefarium exemplum Senacherib ille Aſſyrius Ninæ rex, & ſuperbiſſima atque crudeli in Iſraëlitas expeditione & ſacrilego aduerſum Ieroſolymam conſilio, diuinæ maieſtatis & religionis contemptione edidit: quæ res cum publica iniuria coniuncta, & ignominioſam eidem ipſi fugam, atque probroſam à propriis filiis necem, & vrbi, imperioque, omnique illius poſteritati meritum exitium maturauit. id verò Ninæ vrbi à vate noſtro exprobratur, quæ reges, principeſque ſuperbos tanquam ſacrilegos produxerit, vt non hominibus modò cæteris, ſed Deo ipſi optimo, maximo, ac benigniſſimo impiè obſiſtere cogitauerit, diuinoque illius honori detraxerit; minorem fore affirmans, quàm vt ſuos conatus frangere impedireue poſſet: ſeque illi cõparans magnum regem appellare non dubitarit, & illud deinde addiderit: Non conturbet vos Ezechias dicens, Dominus liberauit nos. & quòd hoc tantum nefas, non temerè ſed conſultò ſuſceptum à rege illo fuit. ob eam rem Vates inquit: *Cogitans & mente pertractans*, ſiue vt Hebraicè eſt, *conſulens*.] quòd verò Latinus interpres præuaricationem vertit, Hebraico verbo facilè explicatur, *Beliaghal*: cuius verbi ſignificatio ad ſacrilegos nefarioſque auſus, conatus & incœptus propriè aptatur: ita vbicunque *Beliaghal* eſt, Latinè, nefarium, nefandum, ſacrilegum aptè interpretabimur. At verò rem ipſam auditu indignam ſuis verbis definire & notare Vates noluit, ſed grauiſſima oratione, & execrandis nominibus indicauit. nam quæ nefaria & ſacrilega ſunt, ea ſuis verbis commemorare & pronuntiare ſancti & pij, atq. prudentes viri vt vehementer deteſtentur, plerumque recuſant. Sic Ezechias in ſupplici illa ad Deum deprecatione: Inclina, inquit, Domine aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide, & audi omnia verba Senacherib, quæ miſit ad blaſphemandum Deum viuentem. quæ atroci blaſphemiæ vocabulo notata, tamen non recitantur. Iſai. 36. Iſai. 37.

Hæc dicit Dominus, ſi perfecti fuerint, & ita plures, ſic quoque attondentur & pertranſibit: afflixi te, & non affligam te vltra.

MEMINISSE oportet huius Vatis rationes cum Ionæ vaticinio pluribus in rebus conſentire, quod & initio annotandum eſſe docuimus: atque hoc pacto quorundam locorum explicatio, ad illius vatis librum reuocanda eſt, ex quibus vnus hic eſſe indicatur, alioqui ſententiæ cum rebus ipſis non aptè conueniet. Igitur Ionas prædixerat Niniuitis: Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. quibus tamen venia illa tempeſtate ob pœnitentiam, & ſtudiorum actionumque correctionem data eſt: Vidit enim Dominus opera eorum, quia conuerſi ſunt à via ſua mala, & miſertus eſt Dominus ſuper malo, quod locutus fuerat vt faceret eis: hoc autem miſericordiæ diuinæ beneficio, tum ob vitæ & morum perfectam emendationem, tum etiam ob maximam populi ipſius multitudinem, cui natu- Ion. 3.

Ion. 3. ra ſua clementiſſimus Deus pepercit, affecti ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Et ego non parcam ci-
» uitati magnæ, in qua ſunt plus quàm centum viginti millia hominum, qui neſciunt quid
» ſit inter dexteram & ſiniſtram ſuam, & iumenta multa. Itaque opportuna pœnitentia, vi-
tæque emendatione, & perdendorũ magna & miſerabili copia benignißimus Deus tunc
exorari ſe ſiuerat: nunc verò rebus rurſum ſcelere, iniuria, nefariaque impietate corruptiſ-
ſimis, eò culpæ & indignationis in ſe diuinæ prolapſos eſſe Niniuitas ait, vt dum repetun-
tur publica calamitate pœnæ nulla neque emendationis vitæ, neque populi multitudinis
ratio habenda ſit. Namque ob eam rem vaticinium hoc onus appellatum eſt; quod iudicij
ſententiam firmam, pœnamque ſine prouocatione, animaduerſionem ſine auxilio conti-
neat. cuiuſmodi horrendum & formidandum iudicium in eos aliquando exerceri ſolet,
Heb. 13. qui, ſi diutius expectarentur, vel pœnæ metu deterriti, vel miraculorum magnitudine per-
Num. 13. moti, in ſacco & cinere pœnitentiam, vt Præceptor noſter affirmat, egiſſent: ſed huiuſmodi
S. Clemens lib. 10. tardam & ſeram nimis pœnitentiam inutilem perſæpe fore, ex diuina diſciplina, & com-
muni theologorum placito accepimus, ſicut ſcriptum eſt: Date Deo noſtro gloriam, ante-
Chryſoſt. 11 hom. 2 & hom. 12. quam contenebreſcere faciat: & offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos, &c. Et Eſau
nõ inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis quæſiſſet eam. Iſraëlitis quoque
Aug. hom. 4. & 41. ad Herẽ. & ſer. 48. & 66. & 71. cùm illi in exploratorum cauſa infidelitatis & timiditatis ſuæ vitium magno etiam ſtudio
ac conatu corrigere, diuinamque iram deriuare niterentur, impetus ardorque repreſſus, &
diuinæ in illos ſententiæ conſtantia identidem oſtenſa, atque euentu ipſo confirmata eſt.
Huius igitur argumenti ſententia in Niniuitas, diuini nominis auctoritate à Vate noſtro
Hila. in Pſal. 118. fertur, vt neque iam poſthac tanto ſcelere & crimine, tanta iniuriarum illatarum magnitu-
Hug. de S. Vict. li. 2. de Sacram. c. 5. dine, ac turpiſſimarum rerum ſtudio nobilitatis, non modò ob reſipiſcentiam, ſed neque
ob vitæ integritatem, ſi tamen ſeipſos integros perfectoſque fore dicant, neque etiam
Cyp. pag. 109 ob multitudinem, ſi plurimi ſint, parcendum fuerit, ſed extremum ab omnibus exitium
Bern. fol. 84. & ſer. 18. dandum eſſe confirmat. [*Sic quoque attondentur.*] Ipſa tonſio exciſionem communem, nulla
neque maiorum neque minorum ratione habita, ſignificat: neque verò ſemel ſententia di-
Gerſon. 2. pag tract. 47 uina ad pœnam alligantis vllam reclamationem, aut virtutem ad reſiſtẽdum magis, quàm
ſerm. 1 in ſeptuag. agnis aduerſum tondentes futuram. quam exciſionis calamitatem vnam eandemque ple-
Iſai. 53. nè extremam abſolutamque adeò fore ait, vt repetere amplius non ſit; id quod conuerſo
ad vrbem ipſam ſermone aſſeueranter obnũtiatur. *Afflixi te, & non affligam te vltra.*] *Afflixi* He-
braicum verbũ, humiliare, opprimere atque obruere ſignificat. pronomen *Te*, quod ad Ni-
niuen ciuitatem referatur, femininum eſt. præteritum verò tempus certitudinem aſſeue-
rationemque ex familiari vatum ſermone habet. Id verò quod dicitur, *& pertranſibit,*] ex-
tremum Niniuiticarum rerum dignitatiſque nunquam amplius reſtituendarum finem
docet. Ninæ verò vrbis prædicto iam exitu, totius etiam regiæ familiæ gloriam, dignita-
tem, ſplendorem, & nomen quoque vnà extinctum iri denuntiat: vt nullus omnino ex ea
familia ſuperſit, qui ciuitati illi, atque aliis Aſſyriis imperare poſſit. ea verò res Ninæ ipſi
obnuntiatur.

Et nunc conteram virgam eius de dorſo tuo, & vincula tua diſrumpam.

VIRGÆ, vinculorum, iugorumque nominibus imperium, ditionem, poteſtatemque
Iſai. ſignificari multis exemplis obſeruauimus: vt, Virgam humeri eius, & iugum oneris eius,
Pſal. 2. & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti, &c. Et: diſrumpamus vincula eorum. &: reges eos in
Diod. lib. 3. virga ferrea. Poteſtatem igitur eius familiæ, quæ à Nino ad trigeſimam prolem vſque per-
uenerat, Niniue capta præſciſſurum ſeſe fore Deus affirmat: *& nunc* concluſiuæ vim obti-
Ioel. net: vt, Et nunc conuertimini ad me, &c. idem eſt quod igitur. [*virgam eius de dorſo tuo.*] pro-
» nomen, *eius*, maſculinum, Hebraicè ad regem; *tuo*, femininum ad vrbem referendum eſt.
[*Vincula tua.*] iura quibus populi regi imperatorique ſuo tenentur, quæ priuato cuiquam
violari nefas eſt: ea tamen diuino conſilio & manifeſto indicio nonnunquam perrumpun-
Luc. 1. tur, atque ab aliis ad alios imperio tranſlato impietatis, & malè geſtarum rerum pœnæ
» luuntur, ſicut ſcriptum eſt: Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles, &c. [*Virgam
eius.*] Regis Aſſyriorum qui tibi imperat. [*& vincula tua diſrumpam.*] Niniues principis & an-
tiquiſſimæ vrbis dominatum & poteſtatem in qua cæteræ omnes orbis ciuitates teneban-
tur, euerſum iri confirmat: nam que pronomina & nomina ſceptro, iugo & vinculis adiun-
» cta, actiuam, non paſſiuam ſignificationem habent: vt, Diſrumpamus vincula eorũ, & pro-
iiciamus à nobis iugum ipſorum. vincula, inquit, quibus nos alligant, & iugum quo pre-
munt. Nunc verò regiæ ac gentis ſtirpes omnes ex publico & priuato poteſtatis obtinen-
dæ loco eiiciendas eſſe, idque ex diuini decreti ſententia euenturum ait. atque vt Niniuen
ipſam hactenus allocutus eſt, ſic regem, qui ea tempeſtate imperaret, quem etiam ignomi-
nioſo ſepulchri titulo afficiendum eſſe prædicit.

Et præ-

Et præcipiet ſuper te Dominus, non ſeminabitur ex nomine tuo amplius: de domo Dei tui, interficiam ſculptile, & conflatile ponam ſepulchrum tuum, quia inhonoratus es.

HÆC ad eum regem qui vltimis Ninæ temporibus Aſſyriis imperabat, magis quàm ad Senacheribum pertinent. namq. Senacheribo à duobus filiis Adramelech & Saraſar, dum ſacra faceret, occiſo, Aſſarhaddo filius ſucceſſit: quem quatuor annis tãtum imperaſſe Metaſthenes Perſa ſcripſit, vltimumque fuiſſe ex ea familia. Porrò haud diu rerum potitũ res ipſa arguit, quando Merodach Babylonius Rex, qui huius regnum occupauit, nuntios ad Ezechiam miſerit. Hunc autem Merodacum Baladad cognomẽto dictum fuiſſe Ioſephus tradit, quem cæteri Latini & Græci auctores ex literarum vicino ſtridore Beleſum vocant. de qua literarum mutatione nos aliàs plura & exactiùs Deo annuente docebimus. Ad hunc verò vltimum Ninæ regem omnia quæ de illis temporibus à ſacris & prophanis auctoribus ſcribuntur, pertinere arbitror. [*Non ſeminabitur ex ſemine tuo amplius,*] neminem vlterius ex illius regis familia hominem regni hæredem aut compotem fore ait. namq. obſeſſa Nina, atque Aſſyriorum exercitu ſuperato & trucidato, rex magno in diſcrimine regnum verſari videns, filios tres, duasque filias cum magna auri, argentique copia in Paphlagoniam ad Cottam præſidem miſit, ducum omnium ſibi acceptiſſimum. Horum autem nullum porrò monumentum extare credimus. [*Et de domo Dei tui interficiam ſculptile & conflatile.*] In ipſa vrbis exciſione, quidquid vtile & ad prædam cõmodum fuit, vt aurum, argentũ, & veſtes pretioſæ, aſportatum eſt: cætera verò diruta, exciſa & incenſa periêre; ſic enim Diodorus ſcripſit: Arbaces ſuis bonis ciuibus conceſſis, vrbem à ſolo euertit, aurum argentumque omne (nam ad multa talenta ex incendio confluxerant) detulit in Ecbatanam Mediæ vrbem. Illud verò quod poſtremo loco dicitur, *Ponam ſepulchrum tuum quia inhonoratus es,*] probroſam atque ignominioſam regis ipſius vitam, ad æternam nominis infamiam ſepulchro inſcribendam eſſe oſtendit, cùm in aliis regum & principum ſepulchris res præclaræ, & bello, & pace geſtæ certis magnorum verborum formulis incidi ſoleant: in illius autem regis ſepulchro inſigne ignominiæ teſtimonium futurum eſſe illa breui formula ſignificatur, *Quia inhonoratus es,* Hebraicè ad verbum, *quòd ignominiosè contemptibilis fuiſti.*] namque probroſæ vitæ vſu cognito Babylonios, & Perſas ad contemptionem primum, deinde ad defectionem, ac demum ad inferendum bellum incitatos fuiſſe Trogus Pompeius & Diodorus docuêre. Cupiens autem Arbaces Medus regis vitam inſpicere, datâ vni ex eunuchis aurea phiala ad Sardanapalum introductus eſt: conſpecta regis mollitie, & muliebri apparatu, illum vt nullius rei hominem deſpexit, magisque in ſpem incubuit à Chaldæo datam. Porrò quod regis illius nomine Epitaphium proditum celebratumque olim fuit, cum hac probroſæ inſcriptionis formula, re & ſententia plurimum conuenit, de quo Diodorus hæc memoriæ prodidit. Adeò verò deliciæ, turpis voluptas, incontinentiaque in eo viguêre, vt ſucceſſoribus poſt obitum ſuum in ſepulchro inſcribi barbarica lingua mandauerit, quod poſtmodum Græcus interpretatus eſt: *Hæc habeo quæ comedi, & quæ cum amore & voluptate percepi, ea plurima & præcipua relicta ſunt.*] Quo ſiue ab ipſo mandatum, ſiue ab alio quopiam non ſine diuino conſilio excogitatum fuerit, nihil infame, aut probroſum magis inſcribi potuit: hæc igitur horum verborum ſententia eſt, *Quia inhonoratus es.*] Adeò verò certam, adeò maturè hanc Aſſyrij imperij exciſionem futuram eſſe confirmat, vt Iudææ regioni Vates tantam pacem & ſecuritatem gratulabundus, futuros propediem huius rei nuntios polliceatur, qui pro depoſito metu, & pace, tum omni orbi, tum ſibiipſis & pro ſecuritate ab iis immaniſſimis hoſtibus & nefariis tyrannis diuinitus præſtita, lætum diem agere, & cæſis hoſtiis vota Deo perſoluere ſuadeant. Magno igitur & lætiſſimo Enthuſiaſmo excitatus Vates, ac rem velut præſentem contemplatus, Ieroſolymitanos ad ſpem certam hac oratione vſus rapit.

Melaſt. 10. 4. Reg. 10. Iſai. 39. Ioſeph. lib. 3. c. 3. Iuſtin. lib. 1. Diod. lib. 3.

Ecce ſuper montes pedes euangelizantis, & annuntiantis pacem: celebra Iuda feſtiuitates tuas, & redde vota tua: quia non adijciet vltra vt pertranſeat in te Belial, vniuerſus interijt.

MAGNA & aſſidua Iudæis Aſſyriorum principum metu trepidatio fuit, quamdiu illud imperium ſtetit, poſtquam ipſi violatæ pietatis ſeſe alligauerant: nam præter vicinum & proximum Iſraëliticæ calamitatis exemplum, ſuis etiam periculis aſſiduè perterrefacti, nullum quietum aut tranquillum tempus traducebant. Maximè enim omnium Aſſyriorum potentia metuebatur, quæ vel ſola, vel finitimis hoſtibus ſeſe ſociam coniungens, malum illis perſæpe afferret, ſicut ſcriptum eſt: Tabernacula Idumæorũ & Iſmaëlitæ, Moab, Pſalm 82.
"& Agareni, Gebal & Amon, Amalec, alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Etenim Aſſur
"venit cum illis, facti ſunt in adiutorium filiis Loth, &c. At verò Ninæ rege & regia ſobole omni extincta, exoptatum nuntium Iudæis afferendum eſſe prædicit: *Ecce ſuper montes pedes*

euangelizantis & annuntiantis pacem.] rem certam & breui futuram vox *Ecce*, indicat. quòd verò ſuper montes ſcribitur, id ex antiquo more eſt. Conſueuêre enim olim veteres, quæcunque populis omnibus nota publicè eſſe vellent, quæque omnium ſcire referret, præconis voce ex montibus proclamanda curare. ea verò res per magiſtratus curabatur, atq. hoc modo faſti dies, nouilunia, ieiunia, & quæcunque in bello, aut pace publicè cognoſci & obſeruari oporteret, publicè indicebantur: ea verò res præmiſſis præconibus expediebatur, qui ex certis in regione montibus proclamantes annuntiarent: ita vt ſigno dato adiacentes populi parati, attentè rem audirent, quam alij ab aliis acceptam, & in proximos montes procurrentes vlterioribus etiam populis tradebant; atque hoc pacto, quæ publicè cognoſci oportuiſſet, breuiſſimo tempore ad omnes regionis populos exponebatur, quòd regio ipſa ita montibus & campis diſtincta eſſet, vt præconum voces commodè ex editioribus locis

Miſnaioth traſt de feſt. & de ieiun.

per omnia pertinerent. Hunc morem ex antiquo Miſnaioth libro, præter alia plurima, & ad ſacrarum ſcripturarum interpretationem cõmodiſſima obſeruauimus, quem frequenter vatum orationibus indicatum, ſemel annotaſſe operæpretiũ viſum eſt. Sic enim Iſaias:

Iſai. 40.

Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, &c. [*Celebra Iuda feſtiuitates tuas,*] quas hactenus hoſtium metu perterritis, per pagos, & per oppida liberè celebrare non licuerat, nunc publicos lætitiæ dies cum ſumma hilaritate celebrare, & cæteris deinde feſtis de more peragendis operam dare integrũ erit. Quoniam verò hæc ex hoſtibus Aſſyriis & Niniuitarum regibus, ſecuritas Dei terrarum orbi & Iudææ genti proſpicientis conſilio & beneficio contigit. [*Redde vota tua,*] quæcunq. pro optata ex horum hoſtium metu liberatione tibi fuerant nuncupata. Illud autem indicendorum feſtorum, & totius lætitiæ annuntiatæ elogium eodem præconio exponendũ erat. [*Quia non adijciet vltra, vt pertranſeat in te Belial, vniuerſus interijt.*] Senacheribi impium & ſacrilegum genus prorſus extinguendum, nunquam amplius ſacræ Dei religioni inſultaturum eſſe affirmat; id autem genus ex nefariis conſiliis & ſacrilegis aduerſus omnem religionem ſtudiis Belial appellat eodem verbo repetito, quod nuper vſurpauerat, vbi Interpres vertit: Mente pertractans præuaricationem. eſt enim Beliaghal nefarium quoddã vitioſum apud Hebræos nomẽ, de quo nos alias: Igitur quæ ipſis regibus de familiæ ſuæ excidio obnũtiata ſunt, hoc ad Iudæam nuntio, quaſi corollario quodam repetita cõfirmantur. Verùm enimuerò illud cognitione dignũ ducimus, Nahhum Vatẽ eadem ferècũ Iſaia oratione vſum, quædam lætiſſima verba conſultò prætermiſiſſe; cuius prætermiſſionis rationem ſtatim ex-

Iſai. 52.

ponemus. Apud Iſaiam ſic legimus: Quàm pulchri ſuper montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis ſalutem, &c. Hanc orationem Nahhumus cùm referret, tamen neque boni, neq. ſalutis meminit; propterea quòd Iſaiæ vaticinium de publica, vera, certa, & abſoluta hominum ſalute, per Chriſtum omni populo, Iudæo primum & Græco, afferenda declarandum fuit. hoc verò Nahhumi vatis de Ninæ vrbis excidio, & principum eius interitu, ex quibus parta pax, non tamen perpetua, non integra illis ſalus conſtitit. nam poſt Ninam exciſam, breui pace & quiete vſos, Nabuchodonoſor infeſtis armis expugnauit, atque Babylonem captos abduxit. Igitur hæc pax fuit, non tamen bonum, ſine vlla malorum fece abſolutum, neque integra ſalus futura fuit: quemadmodum illa altera per Chriſtum afferenda fuerat, quam reipſa & feliciſſimo

Rom. 10.

hominibus euentu allatam diuus Paulus intelligens, eandem Iſaiæ orationem gratulabundus vſurpauit.

CAPVT SECVNDVM.

ASCENDIT *qui diſpergat coram te, qui cuſtodiat obſidionem.*

POSTQVAM Vates Babylonij regis de Niniue reportãdam victoriam, vaticinatus pacẽ Iudæis promiſiſſet, eadẽ etiã Babylonicarũ rerum præuidẽtia cognita ſibi Nabuchodonoſoris de Ieroſolymis trophæa, & triũphum iiſdẽ Iudæis denuntiat, quibus pacem à Senacheribi genere, & ſecuritatẽ à Niniuitarum regno nũtiauerat. nam futurũ eſſe viderat, vt Iudæi ter à Nabuchodonoſore victi, tandẽ vrbe & libertate amiſſa captiui abducerentur. Igitur ne prædicto, aut etiã cognito iam Ninæ caſu, ſecuri in deteriora etiã vitia prolapſi, grauius aliquid ſibi commereantur, futuræ propediẽ ipſos ab eodem Aſſyriorũ victore calamitatis admonens, quem non ob Ninæ excidium ſalutis auctorem ſuæ, ſed inſidiatorem tandem interpretari oportet. Quanquam enim ab illo antiquo Aſſyriorum ſeſe metu reſpiraſſe ſentiant, huius tamen potentiæ nouo timore propediem obſidendos intelligant. eundem itaque Niniues vaſtatorem ſibi etiam ipſis infeſtum fore prædicit. [*Aſcendit qui diſpergat coram te:* Hebraicè, *Aſcendit diſpergens in faciem tuam.*] Nabuchodono-

chodonoſoris epitheton in ſacris,& fortaſſe etiam in communibus illorum temporum ſermonibus vſurpatum, *diſpergens.* namque hoc moris olim fuit, vt maximi principes, certis ſiue ingenij,ſiue geſtarum rerum appellationibus,vel ad gloriam,vel ad ignominiam celebrarentur,vt Hercules ille à Græcis Alexicacos dictus eſt. Hoc igitur Epitheto *Maphitz*, Nabuchodonoſorem celebratum fuiſſe, hoc atque aliis vatum teſtimoniis didicimus. quod verbum diſperſorem,ſiue vaſtatorem ſignificat,quòd is ad multorum regnorum, & populorum retundendam ſuperbiam,impietatemq́ue puniendam,atque animaduertenda facinora,dux & vindex à Deo creatus eſſet: quemadmodum id apertè à Ieremia vate explica- Ierem.5.
tur: *Maphetz* tu mihi vaſa belli,ego collidam in te gentes,& diſperdam in te regna.Collide- "
re,diſpergere,& quod huic ſignificationi finitimum eſt,vaſtare,ex eodem Hebraico verbo ".
rectè vertuntur. Hunc itaque vaſtatorem in Iudæam, Hieroſolymam vſque populabundum aſcenſurum Vates à ſe præuiſum, præterito tempore, ob certitudinem denuntiat. *Aſcendit*] Iſraëliticam & Iudæam regionem Aſſyria terra editiorem eſſe,ex geographiæ rationibus conſtat.ex quo fit,vt venientibus ab eo tractu verbum aſcendere, frequentiſſimè vſurpetur:vt, Aſcendit Senacherib rex Aſſyriorum ad vniuerſas ciuitates Iuda, &c. Hunc igitur magno impetu aſcenſurum, remq́ue aperto bello ſtrenuè aduerſus Iudæam geſturum eſſe ait. [*In faciem tuam.*] faciem Iudæ Hieroſolymam,vt præſtātiſſimam & principem totius regionis vrbem appellat:eſt autem dicendi figura ſignificātiſſima, qua intrepidus, & nihil cunctans aduerſarij animus indicatur. Hiſpanè dicimus: *Venirſe alos ojos,ó alas barbas.* [*Qui cuſtodiat obſidionem.*] qui te,quanquam munitiſſimis loco & arte vrbibus ſeptum,tamdiu obſideat,quoad obſidione belloq́ue victum in deditionē redigat, redactumq́. abducat. Expedit igitur tibi vias & itinera, atque omnem miſeræ ſeruitutis laborem iamnunc meditari, ad eamq́ue conditionem ferendam exerceri.

Contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde.

CONSVEVERE ſacri vates huiuſmodi exhortationibus ferendas populis,quibus ob- Iſai.30.
nuntiant,miſerias,tanquam præſentes deſcribere: vt, Virgo filia Sidonis in Cithin ſurgens transfreta:ibi non erit requies tibi. [*Contemplare viam.*] iamnunc proſpice qua via tibi eundum ſit,atque ad parendum ſeruitutis neceſſitati,qua tua tandem culpa(quæ vitare potueris)premeris,animum & vires offirmato. [*Conforta lumbos,robora virtutem valde.*] Magnam roboris in animantium corpore partem in lumbis eſſe,& diuinæ,& humanæ philoſophię rationibus docemur. Minimus digitus meus groſſior eſt lumbis patris mei.& imbecilli atque 3.Reg.12.
debiles à Latinis elumbes dicuntur. *Valde*, ad longum, magnumq́ue laborem perferendum. Huius autem rei rationem eam reddit quòd Iudæorum reſpub. perinde atque Iſraëlitæ, ob vitia & ſcelera affligenda,euertendaq́ue breui eſſet, atque illius tantæ ciuitatis maieſtas, amplitudo & dignitas ex diuini iudicij decreto deformanda.

Quia reddidit Dominus ſuperbiam Iacob, ſicut ſuperbiam Iſraël.

ISRAELIS & Iacobi nomina,alterū Iſraëliticas res florentes ac proſperas;alterum verò diminutas attenuataſq́ue ſignificat,quemadmodum ſæpius aliàs docuimus. Igitur cùm omnes illius gentis res ſtatum ſuum integrum tenerent, magna quadam & ſublimi excellentia Iſraël præditus erat,quam excellentiam Hebraicè GAON dictam,Latinus interpres nunc ſuperbiam,nunc ſpeciem nominat. ſed cùm iam decem tribubus victis, abductis & diſſipatis, Iudæa ſola ſupereſſet, Iſraëlis ſublimitas ad Iacobi humilitatem redacta eſt,cui tamen Ieruſalem pulcherrima & maxima vrbs atque antiqua regia,templi religione, & ciuium frequentia celeberrima relicta erat.quæ dum dignitatem,& ſtatum ſuum retineret,ſi non Iſraëliticam, tamen Iacobæam excellentiam conſeruare potuit. hanc verò à Nabuchodonoſore non leuiori ruina, quam Iſraëlis illa felicitas ab Aſſyriis Senacheribi opera afficiendam eſſe Vates præuidens obnuntiauit, quia reddidit Dominus ſuperbiam Iacob, vel excellentiam Iacob, ſicut excellentiam Iſraël. ſimilem enim fore Ieroſolymitanorum excellentiæ exitum, Deo id ex iudicij ſententia permittente, præuiderat Vates, vt & vrbe exciſa ciues capti abducerentur;Ieruſalem verò ſuperbiam, ſiue GAON, Iacob appellari ex illo etiam pſalmi carmine didicimus: Elegit nobis hæreditatem ſuam, ſpeciem Iacob, Pſalm. 82.
quem dilexit: GAON *Iacob*. Quemadmodum verò ſimilem caſum Iacobæa ſuperbia, & Iſraëlitica habuerint, ſubiuncto carmine vates declarat.

Quia vaſtatores diſſipauerunt eos, & propagines eorum corruperunt.

VT huius initio capitis Nabuchodonoſorem diſpergentem cognominauerat: ſic eundem & Senacheribum,duos Iſraëlitarum,& Iudæorum expugnatores futuros, vaſtatores

appellat Vates: Vaſtauerunt eos Iſraëlitas & Iudæ regnum Eſt autem tranſlatio ab excisis vitibus: vt illud apud Hoſſeam: Vitis euacuata Iſraël. namque idem verbum ab illo vate vſurparur, quam tranſlationem perſecutus ſubiungit: *& propagines eorum corruperunt.*] abſciſſas, inquit, propagines abſtulerunt: quòd tam vrbes regias, quàm cætera oppida expugnata, direpta vaſtataque fuerint: ita adeò omnis hæc vaticinij pars, triſtis, & calamitoſa Iudæis, non læta eſt, quæ & culpam indicet, & dandas ob culpam pœnas declaret. Quantam verò ſtragem in Niniue, & in Ieruſalem, atque aliis in locis Nabuchodonoſor editurus eſſet, ſignis ipſis, & indiciis expoſitis oſtendit.

Hoſ. 10.

Clypeus fortium eius ignitus, viri exercitus in coccineis, ignea habena currus in die præparationis eius.

ARMIS, & veſtibus cædis maximæ indicia oſtendenda eſſe dicit, & ipſam inſtructionem aſpectumque ſignorum, & militum tãtam vim habitura eſſe, vt perterrefacere & pellere aduerſariorum copias poſſit. namque duces ipſos non quouis nomine, ſed fortium appellatione celebrat, quorum clypei aliàs terſiſſimi & ſplendentes adiecto occiſorum cruore, ignis inſtar habituros eſſe confirmat. namque Hebraicè adiectiuum eſt, MEODAM, quod ſanguineum ruborem, & rubini lapidis ſplendorem ſignificat. militum verò veſtes ob hoſtilis ſanguinis effuſi copiam cocco tinctæ exiſtimari facilè poterant. [*Viri exercitus in coccineis.*] Armorum & veſtium rubor & fulgor, ingentem cædem, & occiſionem factam arguit, vt apud Iſaiam. Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut
Iſai 36. calcantium in torculari? Torcular calcaui ſolus, &c. & occidi eos, &c. Neq. minorem verò terrorem inſtructarum acierum, & curruum impetu atque vi, quàm ignis hoſtibus incuſſuros oſtendit. [*Ignea habena currus.*] Siue ob ſcintillantes ferreas rotas, ſiue ob falces curruum curſu & ſole, ac ſanguine vibrantes, ignisque ſpeciem intuentium oculis obiicientes, ſiue ob vtramque rem hæc dicta ſunt, illud certum exploratumque eſt, magnam vim, atque in re gerenda celeritatem hac oratione ſignificari. [*In die præparationis eius,*] quo tempore ab bellum ſeſe parauerint & inſtruxerint. quòd verò addidit,

Et agitatores conſopiti ſunt;

AD pauorem tremoremque ſpectat, quo magni etiam duces, & principes horum etiam venientium conſpectu afficiendi erant. [*Agitatores,*] populorum duces, & principes interpretamur, non ex iis qui bellum inferant, ſed ex iis quibus inferendum erat. porrò hæc res Hebraicè per ſimilitudinem dicta eſt, *& buxi contremuerunt.*] buxus enim ex firmiſſimarum arborum genere eſt. Aſſyriorum autem, Nabuco duce, ad bella gerenda alacritatem, & promptum animum, præſtanteſque vires, atque etiam ad conficiendam rem celeritatem, grauiſſimis verbis expreſſit Vates.

In itineribus conturbati ſunt quadrigæ, colliſi ſunt in plateis aſpectus eorum quaſi lampades, quaſi fulgura diſcurrentia:

HVIVS verſus ſententia cum ſuperioris fine coniungenda eſt: In die præparationis eorum. Tantam enim tum promptitudinem, tum animi alacritatem militibus illa expeditionis die futuram, vt præ ſtudio belli & pugnæ cupiditate, præ magna properandi & procedendi feſtinatione ſeſe inuicem in viis impellant & turbent, tãtam etiam illorum copiam, & apparatum bellicum, vt neque latis etiam plateis quadrigæ capi poſſint, quin collidantur: ex qua turba, ingentem, & horribilem clamorem audiri neceſſe fuerit. auditu igitur terribilis exercitus ille erit, viſu verò terribilior: namque armorum fulgore, & animorum furore, vultuſque alacritate vehementis ignis vim quandam, ſpeciemque præbebunt. [*Aſpectus eorum quaſi lampades.*] Expectatu autem longè terribiliſſimi futuri ſunt, quippe qui tanta celeritate, tantoque impetu rem agunt, vt antequam præuideri, aut vitari poſſint, conficiant. [*Quaſi fulgura diſcurrentia.*] Fulguris vis ea eſt, vt antè feriat exturbetque oculos, quàm plenè cerni, & coëuntibus palpebris vitari poſſit. [*in itineribus.*] Itinera pro viis legimus: namque Hebraicum nomen vias propriè ſignificat. At verò tantæ hoſtium procellæ deuitandæ Iudæos, quanquam fortiſſimos aliàs, impares futuros eſſe prædicit, quòd ob ſua ſcelera à Deo deſerti, nihil humanis viribus conari aut moliri valeant, quod benè, & ex animi ſententia ſuccedat; vtpote qui præ animi timore & trepidatione, neque muros etiam defendere, neque portas, quo minus rumpantur, propugnare, neque templi illius, cuius cùm munitione, tum maieſtate nitebantur & magnopere confidebant, molem tueri & defendere valeant.

Recordabitur fortium ſuorum, ruent in itineribus ſuis: velociter aſcendent muros eius, & præparabitur vmbraculum.

IVDAM rerum olim à maioribus ſuis geſtarum memorem, pro aris, & focis pugna conſt i-

conſtituta, tamen degenerem nimis virtutem ſuam, minores omnino vires, minus propitium ſibi Deum experturum eſſe dicit: ita, vt antiquæ fortitudinis memoria & deſiderium probro magis, quàm honori ac laudi ſibi ſit. [*Ruent in itineribus ſuis.*] Vrbem ſuam defendere conati, & properantes, tamen ex timore & trepidatione compulſi impingent. At verò cùm ſeſe ad committendam pugnam minus armis & viribus valere cognoſcant, muros defendere conabuntur, quibus ſeſe, ſuaſque res intra vrbem obſeſſi tueantur, atque ad eam rem ex ſcutis, & clypeis vmbracula ſibi parabunt, quibus & ſolis calorem arcere & miſſilium ictus excipere poſſint: ſed cùm præter diuinam opem, cui maximè nitendum eſt, vera propugnatio & defenſio, non tam murorum, & operum munitione, quàm commiſſa cum excepto in campis hoſte pugna conſtet, alioqui enim imbellibus & ſegnibus ciuibus, vel ænei muri inutiles tandem ſunt, ex ea re illud fiet:

Portæ fluuiorum apertæ ſunt, & templum ad ſolum dirutum.

HIEROSOLYMA duobus torrentibus Cedron & Gihhon alluebatur, ad quos celebres quædam portæ ſpectabant, quas armorum vi ruptas & patefactas Chaldæorum exercitus irruens, celeberrimum illud totius orbis templum diruit, incendit & vaſtauit, quod ob ciuium, & cultorum ſcelera, & nefaria flagitia, diuini numinis maieſtate deſertum eſt. inde adeò euenit, vt omnis illius ciuitatis & regnum omne de priſtino ſtatu conuulſum ad miſerrimam ſeruitutis conditionem deſcenderit.

Miles captiuus ductus eſt: & ancillæ eius minabantur, gementes vt columbæ, murmurabant in cordibus ſuis.

CONVVLSVM & conuerſum rerum ſtatum, & vltimum euentum deſcribit. nam quæ olim diuina ope tuta & defenſa ciuitas, felices & lætos dies agebat, ac puellarum choris, & cantibus, omnique lætitiæ & celebritati vacabat, nunc contrà, deſerta à Deo, ciuibus ſuis expoliata, in ſeruitutem redacta, in ſqualore, luctu & lamentis viuat neceſſe eſt, atque ciuium, & feminarum ſuarum deſiderio mœſtiſſima iaceat. quas vt olim aſſiduis cantibus, & feſtis, ita nunc deinceps acerbiſſimis gemitibus & ſuſpiriis continuam operam daturas videt. [*Miles captiuus ductus eſt*, Hebraicè eſt, *munitio eius abducta, ſublata eſt.*] quod ad Dei maieſtatem ſeſe ab illis ſubducentem referri poteſt; niſi magis placeat locum de humana ope, & virtute interpretari. [*Et ancillæ eius minabantur, gementes vt columbæ.*] Huius loci ſimpliciter ex verbis explicati, ſententia expoſita eſt, quem tamen, ſi ex tranſlatione explicare libeat, ſacerdotum, & leuitarum cómemoratione aperiemus, qui cantus, & choros, quibus in templo indulgebant, in luctum, & mœrorem apud Babylonem conuerterunt, ſicut ſcriptum eſt: Illic ſedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. [*Murmurantes in cordibus ſuis,*] plangentes pectora ſua, atque hoc modo gemitu & lamentis ille tympanorum & cantionum vſus commutatur. Atque hactenus Nahhum noſter, dum Ninæ, & Aſſyrij imperij caſum ex profeſſo vaticinaretur, ad prædicendam Iudaici regni calamitatem & vaſtationẽ commodè digreſſus eſt: nunc verò ad propoſitum reuerſus orationem in Aſſyriorũ rebus tractandis conſumit, cuius cum digreſſione ipſa ſententiam commodè connectens, inquit; Ninam vrbem, non vt Hieroſolymam portis à milite fractis, ſed Euphratis fluminis irruptione expugnandam & capiendam eſſe: cuius fluminis redundantis vi & impetu muri deiecti, locum militibus ad irrumpendum patefacerent. illarum verò aquarum inundatione omnis hominum, & rerum copia, quæ ab antiquis temporibus eo loci tanquam in piſcinam confluxerat, ſublata penitus & eiecta fuit. Pſalm. “ Iſa. 3.

Et Niniue quaſi piſcina aquarum aqua eius.

SIC ex Græca verſione noſter Interpres vertit; ex Hebraico verò ad verbum, & ex Chaldaica interpretatione ſic: *Et Niniue vt piſcina aquarũ à diebus eſt.*] Vtriuſque lectionis eandem ſententiam exponemus. namque huius loci argumentum illud eſt: Niniuen fluminis irruptione facta, captu expugnatuque multò, quàm Hieroſolymam, fore faciliorem; quòd eos ciues ſortita ſit, qui ob loci, ſolique mollitudinem imbelles, ignauique redditi, dimicare non valeant. Ex qua re illud profectò efficietur, vt minimo periculo, parta tandem victoria, ingens victoribus præda paretur. Ex duobus oppidis natura & ſitu diſſimilibus, ac diuinæ tutelæ beneficio deſertis, ſuoque ingenio relictis, id magis conari, atque diutius hoſtium impetum ſuſtinere tamen poterit, quod fortiores, robuſtiores, durioriique vitæ vſu exercitatos incolas habuerit, vt Hieroſolyma, & Iudææ vrbes, quæ quod aſperioribus, & ſiccioribus locis ſitæ eſſent, robuſtiores viros nactæ ſunt, quàm Niniue, quæ campeſtribus, paluſtribus, & irriguo ſolo condita fuerat. namque hæc ad Euphraten fluuium, in Aſſyriæ campo ædificata, ſolum humens, craſſumque ſortita eſt, vbi non altè defoſſa terra, aquæ quacunque erumpunt. adde quod flumen ipſum canalibus deriuatum, regionem Hippocrates de locis atre & aqua ad finem. Herod.

Diod.Sicu. lib.3. Iſaac Hiſpanus in Nahhum. irrigat, & in ipſos vſque vrbanos hortos admittitur. ex quo euenit, vt ternis, & quaternis contignationibus ædes conſtruerentur, quòd in ipſo terræ infimo ſolo inutilis habitatio eſſet. hanc illius loci naturam & ſitum ex antiqua lectione, atque ex hominum, qui noſtra ætate ibidem commorati ſunt, relatu accepimus: Igitur cùm Niniue diuini iudicij ſententia hoſtibus tradenda eſſet perinde ac Hieroſolyma, tamen minus negotij victoribus exhibitura fuit, quòd imbecilles omnino & ignauos viros, tum ob vitæ ipſorum delicias & luxum, tum ob ſoli, ac cæli naturam aleret. Namque Hieroſolymitani fortium ſuorũ memores nonnihil conati, quanquam in ipſis viis ob timorem impingentes, tamen muros defendendi cauſa celerius occupaturi, & vmbraculis munituri erant. [*At verò Niniue vrbs vt piſcina aquarum aquæ eius,*] mollibus paluſtribusque ciuibus habitata, & culta, qui non maiori robore, in ipſo calamitatis articulo conſtabunt, quàm ſi aquei toti eſſent, & molli luto ficti, omnique ſiccitatis conſiſtentia carentes; quos ſi oratione, voce atque clamore, vel eorum duces, vel quiſpiam alius à fuga reuocare, & ad dimicationem laudemque hortari ſtudeat, nihilo plus efficiet quàm ſi piſcinæ aquas aperto ſemel, qua defluant, exitu, hortatione & clamore compeſcere, & retinere paret. hoc eſt quod ſubiungitur:

Ipſi verò fugerunt: ſtate, ſtate: & non eſt qui reuertatur.

IGNAVAM & turpẽ fugam inductione expreſſit: non enim rarò euenit, vt ducũ oratione & clamoribus, ad pudorem & honeſtatẽ, ad honeſtam etiam pro aris, & focis mortẽ, qui iam terga vertere cœperant, reuocentur. hi verò, quamſuis magno clamore ſtudioq́. reuocati, nec faciem quidem conuertent, tanto fugæ impetu, impotentiq́. timore perculſi agentur, adeò vt hoſtibus ſine vllo negotio in vacuam piſcinam deſcendentibus, immenſas prædas ex iſtorum rebus parare & capere liceat, ad quam rem iam ſibi præuiſam Vates ipſe noſter vel ſua, vel alterius inducta oratione Babylonios milites adhortatur.

Diripite argentum, diripite aurum: & non eſt finis diuitiarum ex omnibus vaſis deſiderabilibus.

ARGENTVM, quòd maiori copia contingat, vt obuium magis inquirentibus, in oratione præpoſitum eſt; *aurum*, vt dignius & rarius, poſtpoſitum: cuius tamen magnam vim direptam ex Nina vrbe à Chaldæis fuiſſe antiqui ſcriptores tradiderunt. Aurum argen-

Diod.lib.3. tumque omne (nam ad multa talenta ex incendio effluxerat) detulit Arbaces Ecbatanam Mediæ vrbem. hæc Diodorus. Cæterarum autem, quæ in pretio habeantur rerum, vt veſtis, ſtatuarum, vaſorum, & menſarum, & quæcunque ad delicias voluptatemque comparari ſolent, infinitam in illa terrarum omnium principe & expoliatrice vrbe copiam inuentum iri aſſerit, ita vt à victoribus omnino diripi & aſportari non poſſit: quamobrem maximis quibuſque ablatis, cætera victis ad vſum permiſſa relictaque ſunt. ſic Diodorus, Suis, inquit, bonis ciuibus conceſſis. eo quòd cæterarum, præter aurum, argentum & gemmas, ratio haberi non poſſet, ſubiunxit: *Non eſt finis diuitiarum ex omnibus vaſis deſiderabilibus.*] Supellectilis, & vtenſilium omnium rerum genus, Hebraico ſermone vaſa dicuntur, vt vaſa belli-

Exod.12. ca, vaſa domus, &c. Ita Iſraëlitæ omnium vaſorum genera ex Ægyptiis diripienda commodato petere à Deo iuſſi ſunt: Deſiderabile autem illa lingua idem quod noſtra, pretioſum eſt. [*Non eſt finis diuitiarum;* Hebraicè, *non eſt finis conſtructioni & cumulo magnitudinis.*] qua oratione infinita rerum omnium ſtrues vndique Ninam comportata fuiſſe indicatur. libet autem locum hunc expoſitionis cauſa ex Chaldæo vertere: *Et Niniue vt domus congregationis aquarum à diebus antiquis eſt. & ipſi fugient: State, ſtate, & non eſt qui reſiciat ad ſtandum.*] Huiuſmodi autem Niniuiticarum rerum exitum fore oſtendit, vt direptioni expoſitæ, nulla dominorum ſuorum virtute defendi poſſint, quos pauor, metus, atque ſalutis potius propriæ, quàm vlla rerum vel fortunarum, aut dignitatis cura, afficiet.

Diſſipata eſt & ſciſſa, dilacerata, & cor tabeſcens, & diſſolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus: & facies omnium eorum ſicut nigredo ollæ.

COR *tabeſcens,*] timoris nimij deſcriptio eſt, qui tentato primùm corde omnis in animali fortitudinis principe membro, cæteras deinde corporis partes, quibus animi virtus exercetur aut indicatur, perturbat. [*diſſolutio geniculorum.*] Genua firmitudinis efficientiam

Eccle.7. præcipuè experiuntur, eiusque defectum maximè indicant, ſicut ſcriptum eſt: Omnes ma-

» nus diſſoluentur, omnia genua fluent aquis. [*Defectio in cunctis renibus,*] vires, atque laboris

» ferendi, firmique & recti corporis habitus in lumbis renibusque ſunt. Propterea, inquit, repleti ſunt lumbi mei dolore, anguſtia apprehendit me vt parturientis. lumborum autem extremam regionem, & quaſi initia ipſa renes, qua parte corpus flectitur, occupant, vehementem autem timorem, & exanimationem facies ipſa cinereo ac fuſco colore in ſicer,

[*Et facies omnium eorum ſicut nigredo ollæ.*] ſic Ioël: A facie eius cruciabuntur populi, omnes vultus redigentur in ollam. Igitur vrbe exciſa, rebus omnibus partim direptis, partim diſiectis, hominibus verò vehementi metu exanimatis, magnum & memorabile humanæ inſolentiæ, ſuperbiæ, & gloriæ diuinitus infringendæ exemplum edendum eſſe ait: adeò vt non ſine admiratione priſtini ſtatus recordatio & memoria cum præſentium rerum comparatione reperiatur. Quando illam totius orbis principem vrbem ſummi Imperatoris regiam ſedem, cæterarum prouinciarum principibus frequentiſſimam, tum ſoli fertilitate, tum comportatis vndique rebus opulentiſſimam, faſtu, deliciiſque affluentem repentino ictu in tantum caſum datam eſſe conſtiterit. Ioël. 2.

Vbi eſt habitaculum leonum, & paſcua catulorum leonum, ad quam iuit leo, vt ingrederetur illuc: catulus leonis, & non eſt qui exterreat? Leo cepit ſufficienter catulis ſuis, & necauit leænis ſuis: & impleuit præda ſpeluncas ſuas, & cubile ſuum rapina.

ELEGIACO carmine hæc à Vate decantata ſunt, quod ad celebrandam huius ruinæ memoriam maximè idoneum eſt: oratio verò magnis verbis, & ſimilitudinibus tranſlatis conſtat, quæ rei ipſius magnitudinem ſatis explicant. initium autem ab interrogatione admirationi coniuncta fit; atque ab inſperato, & incredibili argumentum ducitur. Reges olim & Principes, maximè autem qui cæteras gentes bello infeſtarent & diriperent, leonum nomine dicti ferè in linguis omnibus fuere, quòd id animantium genus, præter cætera, vi, cæde, prædaque gaudeat, & viuat: ſic etiam catuli leonum minores principes qui iiſdem ſtudiis tenerentur, appellati ſunt. Aſcendit leo de cubili ſuo, & prædo gentium ſe leuauit, &c. de principibus autem: Super illum rugierunt leunculi, &c. Vt autem leones principes dicuntur, ſic regia ipſa vrbs leonum ſpelunca non ineptè appellatur, cuiuſmodi Niniuen fuiſſe ſacræ & prophanæ hiſtoriæ tradunt, eo conſilio à Nino conditam, coque murorum, turrium, ædium, atque commoditatum omnium opere conſtructam & comparatam, vt conſeruando orbis imperio idonea, & comportandis ex omni natione diuitiis, rebusque omnibus coaceruandis capax, deinde & coactis ex omni Aſſyriæ vrbe principibus commoda ſedes foret, de qua ſic apud exteros legimus: Ipſe coactis vndique viribus, & his quæ ad tantum opus ſpectarent paratis, ſupra Euphratem vrbem condidit, &c. & paulò poſt ſubiungitur: Et ſanè ſpe ſua nequaquam fruſtratus eſt. nulla enim poſtmodum vrbs tanto ambitu, tantàue mœnium magnificentia conſtructa eſt. Altitudo murorum pedum eſt centum, latitudo, qua tres currus ſimul perambularent, turres mille, & quingentæ, quarum altitudo pedum eſt ducentorum. Habitare eam coëgit maiori ex parte Aſſyrios; & quidem potentiores ex reliquis nationibus aſſumpſit: hæc Diodorus. Hanc igitur vrbem, hanc imperatoris Aſſyrij arcem, & omnium Aſſyrij principum commune domicilium, hunc omnium ſummorum ducum conuentum, & direptæ ex toto orbe prædæ receptaculum, Vates noſter habitaculum leonum, & paſcua catulorum nominauit. Illud autem aſſiduum diripiendi orbis, & comportandæ in hanc vrbem prædæ ſtudium illis verbis deſcripſit: *Ad quam iuit leo, vt ingrederetur illuc.* Ducum verò, & principum cæteras prouincias expoliantium tutum receptaculum eſſe ſignificauit, dicens: *Catulus leonis, & non eſt qui exterreat.*] Non modò autem ad neceſſarios & opportunos vitæ vſus, ſed ad faſtum, luxum, & delicias quoque, quibus nihil ſatis eſſe poſſe videtur, ex detractis per vim, iniuriam & rapinam vndique ſpoliis comportatam fuiſſe ait: *Leo cepit ſufficienter catulis ſuis, & necauit leænis ſuis.*] Leænas Imperatorum vxores, pellices, concubinas, quibus cùm feminæ eſſent, vt abundè ad luxum, & faſtum ad mollitiem ornatumque ſuppeditaretur, maximo ſumptu, imò maxima præda, & rapina opus fuit: illud verò longè maximum & infinitum penè eſt, poſt tot ſumptus in ſe ſuiſque feminis effuſiſſimè impenſos, tamen ex præda & rapina magnam diuitiarum, quæ in theſauros reponerentur, ſuperfuiſſe vim. [*Et impleuit præda ſpeluncas ſuas, & cubile ſuum rapina.*] Magnam verò, & perpetuam ſecuritatem ſibi, poſteriſque ſuis Niniuitæ reges tantæ vrbis magnitudine, firmitudine, ac munitione promiſiſſe illa oratio indicat: *Catulus leonis, & non eſt qui exterreat.*] Ita adeò Ninæ totius orbis principis & maximæ vrbis, cuius reges omnium gentium tyrannidem occupauerant; extremum excidium præuidens Vates cecinit; atque omnis denique illius potentiæ repentinam æternamque ruinam prædicit. Eius verò potentiæ fundamentum quadruplex, quo illa natio ad propagandum imperium nitebatur, diuinitus euertendum eſſe ipſius omnipotentis Dei ſermone inducto denuntiat:

Ierem. 4. Ierem. 2. 14. Diod. lib. 3.

Ecce ego ad te dicit Dominus exercituum, & ſuccendam vſque ad fumum quadrigas tuas, & leunculos tuos comedet gladius, & exterminabo de terra prædam tuam, & non audietur vltrà vox nuntiorum tuorum.

HVMANAM potentiam, quamuis maximam, quamuis magno præſidio munitam, ſplendore ornatam, opibus tutam, ſapientia gubernatam, quamuis inſuperabilem omnino creditam, tamen diuina vis repentino interitu perdere & diſſipare poteſt, ſicut ſcriptũ eſt:
1.Reg.2. Quia Deus ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes. Arcus fortium ſu-
» peratus eſt, &c. Quamobrem Ninæ vrbi, quæ maxima ad æternitatem momenta habere ſibi videbatur, excidium diuino conſilio & virtute futurum denuntiatur, & quæ nullum hominum genus non contemnebat, Deum vltorem expectare iubetur; qui quanta ad rem gerendam facultate valeat, ipſa appellatione declaratur, *Dominus exercituum.* namque huiuſmodi exercituum mentionem in magnis vltionibus & grauiſſimis calamitatibus populo aut regno afferendis fieri plerumque ſolere, iam ſæpe aliàs docuimus. Illa igitur huius loci ſententia eſt: Quanquam tu ô leonum ſpelunca omnem humanum aduerſum te conatum contemnas, neque vllam tantam potentiam eſſe exiſtimes, quæ turbandis rebus tuis par eſſe poſſit, tamen ecce ego, cui ſuperi inferique exercitus omnes parent; ego inquam, vultum indignabundus ad te conuertam, omnem dignitatem, ſplẽdorem, amplitudinem, omnem potentiam, denique res omnes tuas funditus euertam & perdam. Omnis verò maximi imperij, & potiundæ rerum ſummæ ſpes quatuor præcipue fundamentis (ex humanæ ſapientiæ præceptis & inſtitutis) nititur; ea ſunt rei militaris copia & diſciplina, ducum & principum auctoritas, & opum, ac potentiæ opinio, ampliſſimæ pecuniæ ſuppeditatio, magna prudentiæ, conſiliorum, atque opportunæ orationis facultas: multa enim, quæ vi & armis confici difficilè poſſunt, legationum, actionumque prudentia, & commoda eloquentia expediuntur. his omnibus rebus atque artibus inſtructam fuiſſe Aſſyriorum potentiſſimam & regiam ciuitatem, præterquam quod ſacri libri teſtantur, exteris etiam hiſtoriis declaratur. Ea verò omnia fundamenta cum tota imperij & potentiæ mole euerſurũ ſe Deus denuntiat. [*Et ſuccendam vſque ad fumum quadrigas tuas*, Hebraicè, *in fumo.*] Maximam & præſtantiſſimam bellici apparatus partem pro omni apparatu nominauit. [*Quadrigas,*] quas igni abſumendas, & in fumum ad cælum vſque ſublatum redigendas eſſe dicit. principum deinde & ducum cædem ſignificat. [*& leunculos tuos comedet gladius.*] Pecuniæ vero faciendæ vias potentioribus notiſſimas, prædæ, tributorum, vectigaliumq́. exactiones, & quæ ad hæc genera referri poſſunt, illa oratione indicauit: *Et exterminabo de terra prædam tuam.*] Cæterùm omnem conſiliorum, actionum & ſermonum idoneam facultatem nuntiorũ nomine expreſſit: quòd eos qui de magnis rebus legantur, ad agendam ſtrenuè rem, eiuſmodi artibus inſtructos eſſe oporteat, qualem Rabſacen illum ducem & regium nuntium fuiſſe illa ad Hieroſolymitanos pro deditione ſuadenda habita oratio arguit: quæ non minorem auditorum animis metum ac terrorem, quàm grauiſſima quædam pugnæ expectatio, iniicere potuit. namque & facundia & eloquentia Aſſyrij, vt aliis etiam artibus, valuerunt. Ad hanc autem rationem illud pertinet: *Et non audietur vox nuntiorum tuorum.*

CAPVT TERTIVM.

VÆ ciuitas ſanguinum, vniuerſa mendacij dilaceratione plena, non recedet à te rapina.

PRONVNTIATÆ in Niniuen & Niniuitas ſententiæ, ac decretarum pœnarum cauſam & crimẽ Vates de more agit, vt nulla neque graui, neq. leui re diuina iuſtitia & æquitas nõ probetur. Eſt autẽ hæc in ſacris libris plurimum obſeruata formula, vt diuina primùm ad vlciſcendum virtute ac potentia oſtenſa, ſeueraque deinde in homines pronuntiata ſententia, vltimo demum loco crimen peroretur, vt culpa ſemper, quàm pœna grauior eſſe exiſtimari poſſit; quæ ſi primo loco diceretur, minus attentè fortaſsè reis ipſis & cæteris, qui eodem ſcelere ſeſe alligauerint, (quæ hominum inſolentia eſt) quàm pœnarum decreto compulſis audiretur. Illud præterea obſeruandum eſt, vt ſi quando pœnas ab aliquo diuinitus repetitas eſſe cognoſcamus, cuius crimen publicè non conſtiterit, cauſam tamen ſubeſſe intelligamus; quæ quanquam dicta apud nos non ſit, tamen id præter rationem minimè fuerit, cùm Deus cauſam primò ſibi cognitam, non ſemper ante, ſed poſt pronuntiatam ſententiam publicè tractare & informare conſueuerit. Igitur publicæ animaduerſionis, & repetundarum de aliqua gente, natione, ciuitate, vel populo pœnarum crimen, publicam iniuriam, ſiue *Hhamaſz*, eſſe,

iam

iam ſæpius docuimus. Huiuſmodi autem crimen Niniuitis illatum hoc capite peroratur: eam verò orationem commodo ad accuſationes verbo Vates inchoauit. *Va*, quod certam culpam,& exſpectandam pœnam indicat. Omnis autem iniuriæ ratio duobus potiſſimùm generibus, vi,& fraude ſpectatur, quibus Ninam ſeſe alligaſſe, ipſa ſtatim propoſitione declaratur. [*Ciuitas ſanguinum.*] Omne violentiæ ſuſceptum ſcelus & culpa *ſanguinum* plurali nomine ſignificatur. namque de ſingulis ſeorſum ſic definiri ſolent: Sanguis eius ſuper caput eius. Niniue autem affectatum totius orbis imperium non ſine maximis & perſæpe iniuſtis cædibus conſtituit. namque ad plenam dominationem ſummum ius in armis eſſe ambitioſiſſimi homines arbitrantur: multas autem nationes & vrbes bello crudeliſſimo ſubactas, plures etiam dolo, fraudeque circumuentas ſocietate, immunitateque promiſſa, non tamen præſtita, fuiſſe ſignificat: cùm neque ſocietatis conflandæ, neque tutelæ ſuſcipiendæ, ſed auferendæ prædæ, diripiendæque pecuniæ conſilium appetituſque eſſet. hoc eſt quod dicit: *Vniuerſa mendacij dilaceratione plena*, quòd præter vim, fraude etiam & direptione omnis conſtaret, neq; vnquam (quocunque modo aſſequi id poſſet) à præda, rapina, ſpoliis atque vectigalibus, tributis, aliiſq. pecuniæ faciendæ viis iniuſtè muniendis deſiſteret. quæ omnia genera graui & criminoſo rapinæ nomine cōplexus eſt. *non recedet à te rapina.* futuram, perpetuam & aſſiduam conſuetudinem indicat. Propoſitum autem crimen circunſtantiarum & facultatum expoſitione confirmatur: oſtendit enim Vates quibus rebus, quibus artibus, qua potentia Aſſyrij occupatam vi & fraude tyrannidem tueri ſtuduerint; nimirum non innocentia, æquitate, & humanitate, ſed terrore & formidine, atque potentiæ oſtentatione.

Vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ feruentis, & equitis aſcendentis: & micantis gladij, & fulgurantis haſtæ, & multitudinis interfectæ, & grauis ruina: neque eſt finis cadauerum, & corruent in corporibus ſuis.

DIXIMVS hanc orationem ad crimen magis, quàm ad pœnam pertinere: quamobrem ad criminis rationes explicatio reuocanda eſt. Igitur fundandi & propagandi imperij rationem, & facultatem partitione atque expolitione indicauit, quòd perterrefaciendos homines armorum ſtrepitu, quadrigarum graui ſonitu, equorum & equitum tumultu, gladiorum & haſtarum horrendo ſplendore edita, ſine vlla miſericordia in alios ad aliorum horribile exemplum ſpectanda cæde, atque huiuſmodi multis crudelitatis argumentis, quę hominum ſenſus, animumque tentare & permouere valeant, Aſſyrij vſi fuerint. [*Neque eſt finis cadauerum, & corruent in corporibus ſuis.*] Infinitam hominum cædem ab ipſis factam ſignificat, adeò vt liberum ſibi ipſis iter cadauerum multitudine impedierint. *& corruent*, ita vt corruant, *in corporibus ſuis*. *Suis* non reciprocum eſt, ſed ad tertiam perſonam pertinet, *in corporibus* illorum cadauerum paſſim ſtratis & iacentibus. ob huiuſmodi autem vim omnibus gentibus illatam, futuram eſſe Niniues Aſſyrij imperij principis ciuitatis, & regū ac principum ſtragem atque euerſionem (quam iam prædixerit) Vates docet. Illa etiam quæ fraudè & dolo commiſſa ſcelera ſunt, ad hanc violentiæ culpam accedunt, vt quòd blādis perſuaſionibus atque aſtuta oratione & aſtronomica diſciplinæ oſtentatione, cæteris gentibus deditionem perſuadere ſtuduerit, perſuaſiſque grauem ſeruitutis conditionem ſtatuerit; perinde atque meretrices facere conſueuerunt, quæ miſeros adoleſcentes blanditiis & veneficiis in ſuam conſuetudinem immerſos miſerè decipiūt, ſicut ſcriptum eſt: Fauus enim diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. nouiſſima autem illius amara quaſi abſynthium. Igitur Ninæ ciuitatis fallacias fraudeſque cum meretriciis artibus aptiſſimè comparatæ ſunt. Prou. 5. " "

Propter multitudinem fornicationum meretricis ſpecioſa & grata, & habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus ſuis, & familias in maleficiis ſuis.

ASSYRII præter vim & arma, quibus magnam orbis partem debellarunt, vt antiquiſſimos in regione ſua hominum humanis diſciplinis inſtructos, oratione, legationibus & ſapientia; maximè autem Chaldæarum, quas vocant, diſciplinarum opinione multis nationibus impoſuêre, atque ſplendore etiam & imperij magnitudine illuſêre, tantæ amplitudinis claritate perſtrictis, & ſocietatem amicitiamque ambientibus: quorum tamen non amicitiam, ſed dominationem & tyrannidem contigit experiri. has autē verè meretricias & ad perdendum idoneas artes, atq. hanc fucum faciendi calliditatem Vates noſter notat, & fraudis nominibus damnat, *multitudinemq; fornicationum* appellat. [*Meretricis ſpecioſæ.*] imperij magnitudinem ſplendoremque ſignificat, quo aliarum nationum principum oculos perſtrinxere, quos tandem amore captos perdidêre: quemadmodum Iſraëlitis accidit, qui au-

xilij & ſocietatis cauſa,cum Aſſyriis cōiuncti victoribus parēre, & in miſeram ſeruitutem venire coacti ſunt. [*& grata*] ad eloquentiam & facundiam, ac decipiendi facultatem, qua Aſſyrij legati imperitioribus gentibus & regibus deditionem perſuadebant. qua de re ſuperius legimus:& non audietur vltrà vox nuntiorum tuorum. [*& habentis maleficia.*] maximè aſtrorum peritiæ opinionem, & fucatis hac de re orationibus totius orbis imperium fato quodam & cælorum benignitate ſibi deberi Aſſyrij prædicabant, ſicut ſcriptum eſt:Hæc eſt fortitudo eius Dei ſui. Huiuſmodi itaque artibus,dolis & beneficiis allectas ceteras nationes libertatis ſpoliauit. [*Quæ vendidit gentes in fornicationibus ſuis*,&c.] Vendere apud Hebræos,idem quod libertatem præcidere eſt:vt, Gratis venundati eſtis. itaque tum vi & armis,tum fraudibus,dolis, & technis multæ & maximæ nationes ab Aſſyriis victæ, ſubactæ,deluſæ & captæ fuerunt:quarum artium vanitatem & præſtigias,dolos & fraudes omni orbi tandem patefactum,& ludibrio atque inſultatione expoſitum iri Deus iudex & vltor denuntiat: ſermo verò ad meretricis tranſlationem ſemel inſtitutam adaptatur.

Iſai.52.

Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & reuelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam in gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.

FVTVRVM Niniuitis dedecus & probrum duobus impudicæ feminæ ignominia notandæ modis expreſſum eſt,quorum alter eſt muliebrium veſtium oras,ſoli puluere & luto ſordidas in feminæ ipſius faciem ita reiicere,vt pudenda turpiſſimè detegātur. quo ſpectaculo nullum magis ignominioſum mulieribus eſſe poteſt. [*Reuelabo pudenda tua in facie tua.*] *Pudenda*, ſordidas veſtium fimbrias,quæ terram lambentes,lutum, cœnum, ſordesq. omnes contrahunt,ex Hebraico nomine, *Solim* interpretamur. ſubductis autē veſtibus,& in faciē reiectis,turpe & deridēdum editur ſpectaculum. [*Et oſtendam in gentibus nuditatem tuam,& regnis ignominiam tuam.*] Alter verò ignominiæ in mulieribus modus eſt formæ,qua feminæ maximè valere,viroſq. allicere & capere ſtudent,turpitudo & fœditas,quæ magnum amantium feruorē in deriſum mutare valet,ſicut à Poëta inſultante decantatum eſt: *Poſſent vt iuuenes viſere feruidi, Multo non ſine riſu dilapſam in cineres facem.* Huiuſmodi deformitate hāc, de qua vates noſter loquitur,meretricem eadem opera afficiendam ludibrioque omnium exponendam eſſe oſtendit. namque obiectæ ex fœdo veſtium limbo ſordes faciem, quæ fuco olim illinebatur, nunc demum fœdantes ridiculam ſpeciem præbebunt. hoc eſt quod dicit:

Horat.lib.4. Od.13.

Et proijciam ſuper te abominationes, & contumelijs te afficiam, & ponam te in exemplum.

VT olim omnibus admirationi fueras,nunc iam deinceps contemptioni,deſpectioni & ridiculo ſpectaculo futura es, *in exemplum:* ad verbum ex Hebraico *in ſpectaculum.* ſpectaculum autem miſerabile,imò præter contemptionem & irriſionem, cūctis,quos olim tuis artibus perdideris,gratiſſimum & optatiſſimum.namque hic maximæ & inuidioſæ potentiæ exitus eſt, vt oppreſſa tandem omnium, quibus antea vel admirabilis vel formidabilis fuerat, contemptione, ludibrio, inſultationeque excipiatur.

Et erit omnis qui viderit te, reſiliet ad te, & dicet: Vaſtata eſt Niniue.

COEPTAM ſcorti ratione & tranſlationem adhuc Vates perſequitur.namque gratam diu faciem & fucatā ſpeciem vbi quis fœdiſſimā ſordidiſſimamq. conſpexerit,abominatus continuò declinabit.Atque hactenus tranſlationem explicuimus: nunc verò deinceps rem ipſam breuibus exponemus. ex omnibus qui Aſſyrio Niniuitarum imperio parebāt principibus,deſpectiſſimum & contemptiſſimum Babylonis regem,ſiue vt alij appellant, præfectum,quem poſtremum in regis gratia gradum compleret, eius humilitatis tædio & offenſione alienatum contra Ninam vrbem, illiusque regni,quæ ſpecioſiſſima totius imperij facies erat,nouas res moliturū eſſe Vates noſter ſignificat:cuius opera Deus ad multarum iniuriarū vltionem vſurus eſſet.ex qua re illud effectum eſt,vt Aſſyrij imperij turpitudo & fœditas,hoc eſt, fraudes,fallaciæ,impoſturæ,mendacia, doli, cæteræq. ad decipiendū idoneæ & conſuetæ artes,quæ ob principū omnium concordē obedientiam celatæ olim diſſimulatæq. fuerant, nunc demū patefactæ,& in ridiculum atq. ignominioſum ſpectaculum expoſitæ, omnium nationū,quibus admirabile aut formidabile illud imperium fuerit,abalienatos animos ad ſubitam defectionem cōmouerent. [*Et omnis qui viderit te,reſiliet à te.*] Et (quod omnium ferè hominum ingenium eſt, vt ſeſe facilè & libenter ab admiratione & ſuſpectione rerum ad contemptionem odiumque traducant)eueniet etiam,vt quę multorum amatorum animos fide beneuolentiaque ſibi deuinxiſſe videbatur, nullius demum non modò ſtudium,ſed miſericordiam expertura ſit: *ſequitur enim vulgus fortunam,vt ſemper, & odit Damnatos*, vt Poëta aiebat.illa igitur omnium communis oratio, *Vaſtata eſt Niniue:*] animorum alienationem indicabit.

Iuuen.Sat. 10.

Quis commouebit ſuper te caput? vnde quæram conſolatorem tibi?

AFFIRMATIVA interrogatio hoc loco negationis obtinet vim, neminemque hominem fore ait, qui tantæ ruinæ miſericordia commoueatur, aut adeſſe conſolando velit, nedum auxilio ferendo, aut inſtaurandis Ninæ rebus ſtudeat. [*Quis commouebit ſuper te caput?*] Verbum Hebraicum *Nod*, ſolicitum conſolantis motum ex alienæ miſeriæ dolore concitatum ſignificat: atque idem verbum Latinus interpres in libro Iob viſitare ad conſolandum; in aliis verò quàm plurimis locis apud Iſaiam & Ieremiam conſolari vertit: bis verò capitis nomine adiuncto, in hoc libro ſemel, & iterum etiam in Iobi hiſtoria rem ipſam indicauit: Et mouerunt ſuper eum caput, & conſolati ſunt eum ſuper omni malo quod intulerat Dominus ſuper eum. itaque moueri ſiue mouere caput alienam vicem dolentis & conſolantis habitus eſt. igitur longè alios erga ſe aliarum gentium animos, quàm putauerat Niniue, expertura eſſe docetur [*Vnde quæram conſolatorem tibi?*] cùm nullibi inueniendum eſſe certò ſciam. Iam verò Nabuchodonoſoris potentiam, & in re gerenda felicitatem, atq. ad Ninam diruendam incredibilem virtutem comparatione Vates arguit: fieríque poſſe affirmat, atque euentu ipſo comprobat, vt ab eo quem minorem & inferiorem credideris, maximæ conficiantur res. atque hæc parum fortaſſe perſpecta & explorata & nonnunquam contempta ratio multis & magnis regnis exitium ſæpe attulit.

Numquid melior es ab Alexandria populorum, quæ habitas in fluminibus aquæ, in circuitu eius: cuius diuitiæ, mare: aqua, muri eius.

NVLLAM hominum quamuis ſitu & opere firmiſſimam, diuitiis opulentiſſimam, auxiliis & opibus florentiſſimam, habitationem inexpugnabilem eſſe, multa nos olim exempla docuerunt. nihil enim à filiis hominum adeò firmum aut inacceſſibile ſtatui poteſt, quod ab aliis hominum filiis (modò Deus non tueatur) adiri labefactaríque nõ valeat. Igitur præcedentium rerum exempla nullis huiuſmodi rebus niti & fidere monent. quemadmodum Niniue alterius vrbis nihilò ſe inferioris comparatione maximam aliquam firmitudinem & ſtabilitatem ſibi promittere vetatur. Sed quænam illa vrbs, quam interpres *Alexandriam* vertit, fuerit, ratione altius deducta docebimus. Nahhumi ætate Alexandria vrbs nondum erat; quippe quæ ab Alexandro Macedone Dinocratis architecti opera vſo condita fuerit, anno regni illius quarto; poſt libertatem Babylonienſem ducenteſimo decimo quarto: ab orbe autem condito ferè ter milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo primo: ter centum & duobus annis à Ninæ euerſione: namque hæc, quantum ex Hebraicis annalibus coniicimus, à Nabuchodonoſore expugnata fuit, quem anno ab orbis initio ter milleſimo triceнteſimo vigeſimo nono rerum potitum accepimus. Igitur non de ipſa Alexandria vrbe ſermo Vati noſtro ad comparationem cum Nina inſtituitur, ſed de altera eodem loco olim ſita maxima vrbe, cui Ægyptium nomen fuerit, *No Amon*, Amonis Dei apud Ægyptios & Cyrenæios celebratiſſimi templo fortaſſe & nomine clariſſima: quam in Ægyptij maris littore ad Mareotim lacum, & Nili amnis oſtia ſitam fuiſſe, ex huius Vatis & aliorum auctorum deſcriptione cognouimus. Eam autem vrbem ſitu ædificiiſque maximam & munitiſſimam, auxiliaribuſque copiis florentiſſimam à Nabuchodonoſore exciſam fuiſſe, teſtes præter hunc Vatem ſunt Ieremias & Ezechiel. Ecce, inquit, ego Dominus viſitabo ſuper AMON de NO, & ſuper Pharaonem, & ſuper omnes qui confidunt in eo: & dabo eos in manus quærentium animas eorum, & in manus Nabuchodonoſor regis Babyloniæ, & manus ſeruorum eius, &c. eadem etiam apud Ezechielem diuina ſententia in NO vrbem pronunciata eſt. In huius verò Vrbis ſitu & ruinis Alexandriam poſtea conditam fuiſſe D. Hieronymus memoriæ prodidit, quod ex antiquis hiſtoriis atque ex Chaldaica Bibliorum interpretatione conſtat: namque Chaldæus paraphraſtes in locorum ſitu notando, non priſca, ſed ea quæ ætate ſua celebrabãtur, nomina vſurpat, vt Hiſpaniam, Italiam, &c. Quam rationem perpetuò ſecutus, NO vrbẽ quoties apud Vates offendit, Alexandriam nominat, quam Latina verſio ſemper imitata eſt; quanquam Græca editio varia & diſcrepans in huius nominis notatione eſt. Huius autẽ vrbis incomparabilem potentiam, loco, & ſitu, & commeatuum opportunitatibus, & multarum & magnarũ gentium ſtudiis arguit. [*quæ habitas in fluminibus,*] inter Nili amnium in noſtrum mare permeantium maxima oſtia maximis excipiendis nauibus idonea, quibus ab ortu & occaſu vallatur: ab Auſtro verò Mareoti lacu celeberrimo & cõmodiſſimo, à Septentrione Libyco, ſiue Ægyptico pelago: ita vt commeatuum & neceſſariarum rerum opportunitatibus multis abundet, & ſitu atque aquarum ambitu munitiſſima ſit. [*Aquæ in circuitu eius: cuius diuitiæ, mare.*] Portuoſum & firmiſſimum præſidium, necnon & conuehendis ex omni orbis parte rebus & mercibus maximè idoneum. *Muri eius, aqua.*] Si verò de ſociorum ſtudiis & auxiliaribus

Ezech. 30.
Ierem. 46.
D. Hiero in epitap. Paulæ.
Mela lib. 1.

copiis

copiis quæramus, innumerabiles & fortiſſimos nationum populos recenſebimus, quæ antiqua generis neceſſitudine coniunctæ, ſalutis & periculorum ſocietatem religiosè pactæ fuerant, quotquot ex Chamo ſiue Chameſeno Noachi filio oriundæ eſſent.

Aethiopia fortitudo eius & Aegyptus, & non eſt finis.

FREQVENTISSIMAM vrbibus & oppidis cultiſſimamque Ægyptum fuiſſe, omnes tum prophanæ, tum ſacræ teſtantur hiſtoriæ.

Africa & Libyes fuerunt in auxilio tuo.

MVTATIONE perſonæ ſubitaque apoſtrophe ad NO, ex Vatum more vſus hic noſter eſt. Hos autem omnes non metu vel potentia coactos, ſed generis communione & vicinitatis neceſſitudine impulſos, auxilium NO vrbi intuliſſe res ipſa declarat. nam teſte Moſe,
Gen. 10. Chus Miſzraim & Phut filij Cham fuêre, quos Latini & Græci Æthiopes, Ægyptios, Afroſque vocant. Africæ autem partem Libyam dici Ezechiel auctor eſt: & tamen tanta ſi-
Ezech. 30. tus & opportunitatum felicitas, tanta auxiliorum magnitudo & copia NO vrbem ab Aſſyriorum exercitu defendere non valuit.

Sed & ipſa in tranſmigrationem ducta eſt in captiuitatem: paruuli eius eliſi ſunt in capite omnium viarum, & ſuper inclytos eius miſerunt ſortem, & omnes optimates eius confixi ſunt in compedibus.

HÆC omnia ad NO vrbem referũtur, quam ante Ninæ caſum extrema belli pericula & exitiales calamitates ab Aſſyriorum exercitu accepturam eſſe obiter Nahhum vaticinatus eſt, præterito tempore ob eam rem vſus quòd certiſſima prædictio ſit. Igitur accepta NO ciuitati, clades, & principum atque grauiſſimorum virorum eius vincula, ac reliquæ turbæ captiuitas, argumento ex contentione ſunt. Ninam vrbem ex diuino conſilio hoſtibus traditam, excidi facilius poſſe: quippe quæ quanquã maxima & firmiſſima videatur, cum NO Amon naturali præſidio & auxiliorum virtute atque ſtudio comparanda non ſit.

Et tu ergo inebriaberis: & eris deſpecta, & tu quæres auxilium ab inimico.

NON minorem aut leuiorem amaritudinis calicem ad fundum vſque exhauſturã Niniuen dicit, ita vt omnem illam antiquam ſuperbiam & inſolentiam; imò omne etiã conſilij, facultatis, vt ebria indigens facilè ab hoſtibus euerſa & diſſipata pereat. *& eris deſpecta,* Hebraicè *& eris abſcondita,* perinde ab oculis hominum ſublata ac ſi nunquam fuiſſes, ita inebriatio rerum perturbationem & trepidationem, quam mox abſconſio & diſſipatio ſecutura ſit, ſignificat: vt illud apud Abdiam, Bibent & abſorbentur, & erunt quaſi non fuerint. neq. verò vel fideliora, vel vtiliora quæſita & rogata aduerſus hoſtes Niniuen experturam eſſe confirmat, quam voluntaria regum & ſociorum, fortiſſimorumque ac neceſſariorum Alexandria experta ſit: plurimum enim voluntariæ operæ rogatis & coactis præſtant, & tamen cùm meliora nihil profuerint *No Amon,* nihil omnino Ninæ deteriora profutura eſſe conſequitur. *Et tu quæres auxilium ab inimico,* quãdo tuis viribus & facultatibus minor futura es, quàm vt obſiſtere & hoſtis impetum ſuſtinere valeas. Verùm enimuerò *No Amon* & ſi non meliori ſucceſſu, meliori tamẽ fide auxiliarios habebit ſocios, qui quòd amici & neceſſarij fuerint, ſi nihil aliud pręſtiterint, tamen dimicaturi ſunt. At verò Niniue eorum quibus maximè fidebat, voluntates & ſtudia erga ſe extincta, atque ad hoſtes ipſos in ſuam perniciem tranſlata deprehendet. quæ res pulchra ſimilitudine deſcribitur:

Omnes munitiones tuæ ſicut ficus cum groſſis ſuis: ſi concuſſæ fuerint, cadent in os comedentis.

NIHIL aliud quàm belli exitum, cùm ab hoſtibus, tum ab auxiliaribus etiam ſpectandum, atque exſpectati euentus ratione omnem rem gerendam eſſe dicit. namque Ninæ rebus labantibus & ruentibus, ad prædæ potius & direptionis ſpem, quàm ad officium, vel miſericordiam ſocij & auxiliares impellentur: itaque aſciti atque aduocati ad auxiliũ ſeſe hoſtibus facilè coniungent, cùm certæ & maturæ ruinæ opinione ad libertatem primùm, deinde ad ſpolia animum appulerint: vt in arboribus, maximè autem in ficubus accidere ſolet, quæ cùm maturas, præcoces fructus & paruo momento decidentes habeant, omnes quotquot adſunt, ad impellendum deciduaſque ficus excipiendum inuitant, quando nemo ſit, qui in tanta nouorum fructuum comedendi opportunitate ſeſe ab impulſu & ficubus excipiendis temperare velit. [*Sicut ficus cum groſſis ſuis.*] groſſos præcoces Ficus maturas interpretamur ex Hebraico nomine *Becborim*; id quod ſequenti oratione declaratur: *Cadent in os comedentis.*] Hac autem ſimilitudine certam victoriæ & prædæ ſpẽ hoſtibus Vates promittit: quando neque obſiſtentiũ & propugnantium Niniuitarũ virtute, neq. murorũ ac propugnaculorũ firmitudine arcendi ſunt. namq. ciues ipſi imbelles atq. ignauiſſimi erãt: muri verò nullo expugnantiũ negotio, aquarum impetu vltro diruti, portæq. adapertæ fuêre, & admiſſo hoſte ſi quid munitionis, aut præſidij reliquum fuerat, illato igni expugnatum eſt.

Ecce populus tuus mulieres in medio tui: inimicis tuis ad apertionem pandentur portæ terræ tuæ, deuorabit ignis vectes tuos.

HÆC iam ex ſuperioribus clara explicataque ſunt. Niniuen autem aduerſa ſociorum ſtudia & defectiones expertam fuiſſe, externi etiam auctores memoriæ prodiderunt. Diod. lib. 3. Nuntiatum eſt Bactrianorum exercitum ad regem mitti, propinquumque eſſe magnis itineribus proficiſcentem. viſum eſt igitur Arbaci reliquiſq. cum expeditis militibus obuiam proficiſci, vt aut defectionem perſuaderent Bactrianis, aut ad id armis cogerẽt. Primùm duces; tum reliqui libertatem aſſerentes, copijs cæterorum ſeſe addiderunt. Hæc Diodorus: qui biennali primùm obſidione preſſos Niniuitas, ac deinde in vrbe ipſa ſimul omnes oppreſſos, varijſque modis perditos fuiſſe affirmat: id quod Vates noſter futurum prædixerat ad ea, quæ ad tolerandam obſidionem neceſſaria ſunt, parare; atque muros & præſidia reficere hortatus.

Aquam propter obſidionem hauri tibi, extrue munitiones tuas: intra in lutum & calca, ſubigens tene laterem.

QVÆCVNQVE Deus cuſtodita & ſeruata non vult, grauem laborem difficilemque curam quidem, nullam tamen certam ſalutem præſtare obnitentibus poſſunt. Vanum eſt vobis, inquit Vates, ante lucem ſurgere: ſurgite poſtquam ſederitis qui manducatis panem doloris. Igitur curam, ſtudium, diligentiam, metum, trepidationem, prouidentiamque, fruſtra tamen omnia hæc Niniuitis fore ſignificat. duarum verò præcipuè rerum, quæ maximæ ad tolerandam obſidionem neceſſariæ ſunt, commemoratione cæteræ comprehenduntur: aqua enim ad victus vitæque vſus opportuniſſima eſt, & murorum propugnaculorumque curatio. lateritios autem Ninæ muros fuiſſe, quòd illa regio campeſtris lapidum copia careat, omnes antiqui & ſacri & prophani ſcriptores tradiderũt. [*Intra lutum & calca, ſubigens tene laterem.*] Verba hæc omnia eius artis propria ſũt. de lateribus autem Vitruuium conſulere operæpretium eſt. quidam incocti, alij cocti antiquis fuerunt, vtrique firmi, ſed cocti magis. hac autem cura, hac tanta proſpicientia, hoc labore nihil aliud ſibi illi præſtiterunt, niſi vt maiorem funditus perdendi commoditatem hoſtibus pararent: coactos enim & in vnum quaſi aceruum congregatos, igni, ferro, captiuitateq. adoriri, afficere & perdere facillimum fuit; non ſecus quàm bruchi & locuſtarum genera, quæ cùm ſparſa volant, neque comprehendi, neque perdi poſſunt, in vnum verò locum propter frigus congregata & conſtipata, & capi opportunè atque occidi, & admoto ſepibus quibus hæſerint, igni cremari poſſunt. hoc eſt quod dicit:

Ibi comedet te ignis: peribis gladio, deuorabit te vt bruchus: congregare ergo vt bruchus, multiplicare vt locuſta.

QVÆ res magno molimine, ſtudio, celeritate, maxima frequentia adornatæ comparantur, eædem vbi repentè afflictæ fuerint, maximo tumultu corruunt, maximaque turba & victorum inſultatione labefactantur, & maximum demum & memorabile humanorum conſiliorum vanitatis exemplum ad poſteriora etiam ſecula ſtatuunt: quod vel Ninæ vrbis ratio apertè docet, cui tanta hominũ frequentia, tot tantaque mercatorum atq. publicanorum negotia, tanta vndique conflata pecunia, tot opes, tanta principum celebritas, tantuſque dignitatis ſplendor, illud ſolum parauêre, vt grauiori caſu & maiori cum molimine funditus periret. quæ res vt inutilis omnino, imò vt ad neceſſitatem etiam vrgens, à Vate obijcitur.

Plures feciſti negotiationes tuas, quàm ſtellæ ſunt cæli: bruchus expanſus eſt, & auolauit.

MERCATVRÆ, & conficiendæ pecuniæ vias & genera, arteſque exquiſitas, quibus maxima & frequentiſſima totiuſque orbis princeps Nina vrbs celebrata fuit, ad ſtellarum inſtar innumera fuiſſe docet: ipſorum verò mercatorum copiam, induſtriam & ſolicitudinẽ cum brucho locuſtarum velociſſimo, & ſtrenuiſſimo genere comparauit; principum autem & primatũ virorum, neq. multitudine, neque frequentia locuſtis minorẽ fuiſſe ait.

Cuſtodes tui quaſi locuſtæ, & paruuli tui quaſi locuſtæ locuſtarum, quæ conſidunt in ſepibus in die frigoris: ſol ortus eſt, & auolauerunt, & non eſt cognitus locus earum vbi fuerint.

Ex tanta tamque ſuperba principum, & ſummorum virorũ multitudine & frequentia, nullum ne veſtigium quidem relinquendum eſſe ait, vt conuenientium, & ſepes occupare ſolentium locuſtarum neque locus quidem, vnde ſole exorto auolauerint, neque pars ea quam occupauerint, facilè dignoſcitur: quòd huiuſmodi naturæ illæ ſint, vt omnes ſimul auolent. tanta in vrbe ſolitudo, & in agris vaſtitas; tam deſerta, inculta & relicta om-

nia futura eſſe Vates denuntiauit. [*Cuſtodes tui*] ſūmos duces & principes ſignificat, id quod Hebraicum nomen declarat *Menezar*, quod comatum & coronatum principem aptè verteris. [*& paruuli tui*] ſummis principibus minores, nobiles tamē & genere & ſplendore inſignes. namque hoc in loco Vates Aſſyrium nomen *Taphzzar* vſurpauit, quod regulum,
Ierem. 51. optimatem atque præfectum in illa lingua ſignificare, teſtis eſt Ieremias: Perficite, inquit, & numerate contra eam Taphzzar. Iam verò poſtremo loco Aſſyriorum, & Ninæ regi ipſi tantorum antea malorum, tantæ tyrannidis maximo auctori conſiliorum, vanitatum, & omnis potentiæ, ſplendoris, amplitudiniſq́; finem extremum denuntiat: quem (vt malo & damno ignominia etiam accedat) omnium nationum quas iniuria contumeliaq́ue affecerat, lætitia & plauſu excipiendum eſſe confirmat.

Dormitauerunt paſtores tui Rex Aſſur, ſepelientur principes tui: latitauit populus in montibus, & non eſt qui congreget.

GRAVISSIMAS & vigilantiſſimas conſulum & ſapientum, qui de regni atque imperij rebus & ſumma conſultare cogitareq́ue ſolerent, conſidentes laxatum iri demonſtrat, adeò vt paſtores & patres qui conſilijs antea capiendis, & prouidendis rebus intenti eſſet, quieſcere demum & dormire videantur; ita nullus conſilio, nullus prouidentiæ illorum locus futurus eſt. Ij verò qui cōſulta & decreta ſtrenuè exequebantur, cùm iudices & magiſtratus, tum etiam duces, quorum dexteritate & diligentia res expeditentur, perinde ac ſi ſepulti eſſent, immobiles, ignaui atque inutiles redderentur. Quibus ex rebus eueniet, vt innumera illa Aſſyrij populi multitudo, rectorum conſilio & principum diligentia & cura deſtituta, tanquam diſpetſus ſine paſtore grex, per montes & deuia, atque ſolitudines errabundus victorum direptioni, abductioni atque voluntati omni exponatur: ita fiet vt ad Babylonici regis partes atque ſtudia facillimè traducatur. [*Paſtores tui*] cōſiliorum & principes, quibus regni ſtatus curæ eſt, nomen ſignificat ex verbo Hebraico *Ragha*, quod paſcere, cogitare, & conſulere eſt: appellat autem paſtores regis, & non populi, quòd conſilia, actiones & ſtudia omnia regis magis, quàm populi cauſa ſuſcipi ſoleant. neque enim illud præcipuè quemadmodum rex populo plurimum prodeſſe, ſed quemadmodum populus Regi maximo vſui eſſe poſſit; deliberatur. Igitur futurum eſſe ait, vt omni primum conſilio, deinde præſidio omni deſtitutus & vitam pariter, & dignitatem cum ſumma & æterna ignominia (quæ magnis principibus grauiſſima calamitas eſt,) amittat.

Non eſt obſcura contritio tua, peſſima eſt plaga tua.

NAMQVE optatiſſimus eius caſus nuntius ad omnes terræ orbis partes, quæcunque illius tyrannide vel oppreſſæ, vel læſæ fuiſſent, perlatus, maximo plauſu & publica lætitia acceptus eſt. *Peſſima eſt plaga tua*, quam diſſimulare tacendo, vel ferendo non poſſis: adeò enim grauis eſt, vt eius ſonitus longè lateq́ue audiatur. ſic enim in maximarum rerum ca-
Horat. ſu accidit: vt illud, *Auditumq́; Medis Heſperiæ ſonitum ruinæ.*

Omnes qui audierunt auditionem tuam, compreſſerunt manum ſuper te.

SENTENTIA explicata, verborū ratio habēda eſt. [*audire auditionē,*] gratiſſimæ rei & ma-
Ierem. 10. gni cuiuſdam caſus nuntium ſignificat: vt, Vox auditionis ecce venit, & commotio magna de terra Aquilonis, &c. [*Compreſſerūt manum,*] plauſum qui manibus datur oratio hæc ſi-
Pſal. 46. gnificat, gratulationis, aut comprobationis manifeſtum ſignū: vt, Omnes gentes plaudite
4. Reg. 11. manibus: & illud, Et plaudentes manu dixerunt, Viuat Rex. Hanc autem optatiſſimam diem & publica lætitia celebrandam, incredibili clamore, & maximo plauſu comprobandam omnibus ijs, qui ab Aſſyriorum rege damno, vel malo affecti fuiſſent. Communem igitur toti orbi fore ait, quòd nulla orbis natio ſit quæ illius tantæ ac tam diuturnæ tyrannidis incommodis immunis omnino & libera perſeuerauerit. hoc eſt quod Vates in totius orationis epilogo ſubiecit:

Quia ſuper quem non tranſiit malitia tua ſemper?

INTERROGATIONEM negatiuam aſſeueratione affirmatio excipere ſolet. Aſſiduis autem iniurijs, exactionibus alijſq́ue malorum generibus cunctas orbis nationes, imò cunctos etiam homines vexatos fuiſſe confirmat: ita adeò publicam iniuriam, publica calamitate, ex diuinæ ſententiæ decreto vlciſci ſolere huius imperij & vrbis excidione docemur.

HYMNVS EX VOTO IN NAHHVM ODE DICOLOS TETRASTROPHOS.

O Me quid latebras quærere, & auium
Vulgo nunc medijs rupibus abditum
Obſcurè miſeros & ſine gloria
Percurriſſe iuuat dies?
Atque æuum ſtudijs heu nimium breue
Inſtantem grauibus ducere, quid pati
Duram pauperiem? ſpernere dulcium
Vitæ commoda partium?
Et cur non potius magna potentium
Præſens facta ſequar, iamq́ animoſior
Contendam gradibus ſcandere proſpera
Clari munera nominis?
Illic diuitiæ, & præmia maxima
Audendi, & celſo gloria vertice
Attollens ſolio collocat intimus
Productum è tenebris virum:
Faſces vt pauidum, & ſceptra minantia
Magnorumq́ frequens turba clientium
Perſtringat populum, cogat & annuo
Regem munere proſequi.
Atqui nec rigida durior æſculo
Senſus, delicijs vt valeam frui
Contingit, ſtupidum & conſilij impotens
Aut eſt ingenium mihi.
Vt ſpes aggrediar, coner vt optimas
Artes, intrepidas atque vias, quibus
Hærentem celebri culmine lauream,
Summumq́ eripiam decus.
At nec præcipuis artibus, aut opus
Extremo ingenio eſt: ſæpius imperant
Vulgares animæ, & ridiculum caput
Sublimes apices tenet.
Sed quò te rapit hic præcipitem furor
O mens, quas tenebras concipis impij
Erroris? dubio puppis in æquore
Amiſiſſe viam pudet.
Heu quid perpetuis curſibus attinet,
Indulſiſſe bonis artibus, & modos
Et cauſas penitus noſſe, quis exitus,
Quæ rerum maneant vices?

Si fruſtra ſapimus, nullaq; protinus
Viuendi eueniunt commoda rectius,
Seu quis deſidia tempora conterat,
Doctrinaúe colat vias.
Quod ſi noſtra minus pectora roborant
Sermones hominum, percipe certius
Diuinum eloquium, ſacraq; carminum
Non fallentia dogmata.
Vt magni quondam conſilijs Dei
Splendorem, & ſolij nomina regij.
Sublatum ex humili puluere, nec ſibi
Credens tanta, ferat caput.
Hæc nullis hominum parta laboribus,
Sed (quod ſic placuit) numinis edita
Nutu, non opibus, non gladijs, neque
Seruantur ſtrepitu graui.
Aſt præſens pietas, iuraq; & innocens,
Et recti impauidus propoſiti tenax,
Et vindex animus fraudis & integræ
Virtutis ſtudio calens:
Et ſolers publici certaq; commodi,
Priuataq; rei tempora negligens,
Cura & aſsiduus pro populo labor
Supremum ſtatuunt decus.
In qua ſæpe viri munera maximi
Delecti, potius paſcere in aſperis
Dumetis pecudum bruta bidentium
Orant agmina, vel boum.
Aſt duris alius maxima cladibus
Et fuſo temerè ſanguine ciuium
Deſtructis alijs culmina, & arduas
Conſtruxiſſe parat domos.
Quem tetra ambitio iuncta cupidine
Sternentem populos fluminis in modum
Quod rupto penitus proruit alueo,
Per fas atque nefas rapit.
Sic viſum Domino, qui mare temperat
Qui cælum imperio, quiq; homines regit,
Voluens conſilio ſecula prouido
Et iudex, bonus & pater.
Namque ille & ſceleris crimina publici
Et fraudes populi principe & improbo
Permiſſa & nimia ſæpe licentia
Vlciſci grauiter ſolet.
Sed vi, ac innumera cæde potentiam
Conſtructam, & liquido ſanguine, non ſine

Rapina atque dolo, & ſpolijs putat
Confirmare ferum genus.
Ergo vel laqueis omnia callidis,
Aut legum innumeris flexibus ac dolo
Conſtant, innocuumq́; capit ſagax
Fraus, & deſpoliat pecus.
Aut dura aggreditur frangere cuſpide,
Conatum poſitas rumpere vel plagas,
Vel caſum gemitu ferre miſerrimum,
Vel fugiſſe malum graue.
Non longum ſceleris tempus & impiæ
Fraudis; poſſe tamen perpetuum ſinit
Eſſe æuum, ſubito ſed ruit impios
Frementi Deus impetu.
Et iam perpetuis ſubdita molibus
Fundamenta tremunt, cunctaq́; gloriæ
Vertuntur pariter pondera cum ſuis
In magnum dominis malum.
Et quam vt flammiuomis perderet ignibus
Infenſos populos egerat excitans
Fuſtem perſimilem conijcit in rogum,
Atque ardere iubet Deus.
Diuinis igitur muneribus nimis
Impar, quæ iam vltrò poſcere ſit nefas,
Horreſcens pelagi ſolliciti minas
Hic nauem ad ſcopulum ligo.
Hic me perpetuis carminibus dabo,
Sermoneſq́; Dei lætior audiam,
Et ſtratus mediter gramine florido
Fontis margine vel ſacri.

BENE-

FINIS.

BENEDICTI ARIÆ MONTANI HISPALENSIS ENARRATIONES IN HABBAKVQ PROPHETAM.

PRÆFATIO DE PROVIDENTIA.

Plato ſatetur negat multis argumentis apud Plutarchū Euripides, Balbus apud Ciceronē Cottæ Epicuro reſpondit, quē Diogenes ita refellit, vt meritò ab Auguſtin li. de Ciuit. Dei Cicero reprehēdatur, qui vt actionē liberam ſeruaret, ignaros Deus fecerit. Cicero de natura Deorū ex Ariſtotelis ſententia.

Socrates apud Xenophontem comment. 3.

Eadem ferè Socrates apud Xenophontem.

Vnde Pythagoras neceſſitate circundatū mundū dicebat. Et Parmenides & Democritus omnia neceſſitatis præſcripto fieri..

ANTIQVA olim ac vetus de prouidentia quæſtio eſt, quæ multorum maximorumq́ue virorum ingenia exercuit, ac diu multúmque vexauit. Neque vllum aliud argumentum homines non modò literarum & philoſophiæ rudes, ſed etiam doctos vehementius vnquam ſolicitauit, quàm hoc de diuina erga homines prouidentia. Quoniam Deum eſſe diuinamq́ue naturam immortalem, feliciſſimam, omnibuſq́ue modis beatam, quæ humani ingenij captum infinito ſuperaret exceſſu, etſi quæſitum aliquando fuerit, à nemine tamen mortalium eſt negatum, qui vel hominis ſolùm nomē tueretur. Fuère quidē ἄθεοι quos tanquā prodigioſa monſtra rariſſimos per longiſſimam mundi ætatem terra edidit, quorumq́ue linguas potius, quàm mentes monſtra dixerimus: quippe qui voce tantùm mentiri auſi ſint, idq́ue negare quod mente fateri cogebantur. Ambitioni autem & nouitati ſtudere voluerunt, vt ne quid cū cæteris hominibus cōmune ſentire viderentur, ſibi ipſis ſuiſq́ue mentibus diſſentanea protulerint, Deum, diuinámque naturam eſſe negantes. Quæ quidem illorum aſſertio tanquam monſtroſa iampridem ſuis ipſorum auctorum actionibus, orationibus, teſtimoniis, & viuendi ratione ac fine exploſa eſt, nedum à cæteris hominibus ab ipſaq́ue natura reiecta. At verò præter iſtos alij omnes, quicunque communis ſenſus participes extiterunt ab ipſa prima infantia ad extremum vſque vitæ tempus non modo Deum eſſe ſentire viſi ſunt, ſed & nutibus, vocibus, & oratione, tum rationis atque veritatis vi cogente, tum natura dictante, ſunt confeſſi. Illa tamen quæſtio multorum animos in varias ſententias diſtraxit: num hæc quæ ab omnibus eſſe concederetur, diuina immortaliſq́ue natura mortales homines mortaliáque cuncta gubernaret, & rebus conſuleret humanis, humanaſq́ue actiones & dicta, atq́ue facta curaret? Atque omnes hi quidem dum cælum omni ex parte patens atque apertum intuētur, dum totam mundi fabricam, ſinguláſq́ue eius partes contemplantur, dum ſolis, lunæ, atque ſtellarum lucem, pulchritudinem, errores, curſus, progreſſionéſq́ue conſpiciunt, dum terræ ſitum, dum montium, dum fluuiorum fontiúmque naturas, dum temporum mutationes ac momenta varia, atque diuerſarum quæ gignuntur & intereunt rerum vires ratione obſeruant: non potuerunt cogitare admirabilem vniuerſi molem, tótque eius partes, tanto támque perpetuo ordine, tantaq́ue tum effectuum tum temporum concordia, tam diu ſine vllo rectore conſtare durareque poſſe, quamobrem conſilio iudicioq́ue diuino mundum regi crediderе. Hæc igitur vniuerſi conſtitutio atque conſtantia efficax ratio fuit ad confirmandum non ſolùm Deum eſſe, ſed & mundum omnéſque eius partes ab ipſo gubernari. Atq́ue hoc quidem argumentum omnibus commune fuit, & iis videlicet qui naturam rationémque ſunt ſecuti ducem, & iis etiam quibus naturæ informatis, diuini ſpiritus acceſſit inſtitutio atque doctrina. Hi namque de hac re frequentiſſimè in hanc ſententiam ſcripſerunt, quam diuinus:

nintus Vates eleganter his deducit carminibus: Cæli enarrant gloriã Dei, & opera ma- Pſal. 17.
nuum eius annunciat firmamentum. Dies dici eructat verbum, & nox nocti indicat „
ſcientiam. Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. In „
omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. In ſole poſuit ta- “
bernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Exultauit vt gi- “
gas ad currendã viam: à ſummo cælo egreſsio eius. Et occurſus eius vſque ad ſummũ eius, „
nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius. Sic Dauid, ſic alij complures diuinarum rerũ ſcri- „
ptores. nec diſſimili verborum figura, ſed eadem omnino ſententia idem argumentum illi tractauêre, qui ſecundum naturæ inſtitutionem de rebus philoſophati ſunt.

Claudianus in Ruffin.

Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem,
Curarent ſuperi terras, an nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu.
Nam cùm diſpoſiti quæſiſſem fœdera mundi,
Præſcriptoſque maris fines, annique meatus,
Et lucis noctiſque vices, tunc omnia rebar
Conſilio firmata Dei, qui lege moueri
Sidera, qui fruges diuerſo tempore naſci,
Qui variam Phœben alieno iuſſerit igne
Compleri ſolemque ſuo, porrexerit vndis
Littora, tellurem medio librauerit axe.

Summa igitur totius argumentationis eſt, mundum mente prouidentiáque gubernari, qui in tanta motuum, temporum atque naturarum diuerſitate tanta concordia conſtantiáque permaneat. Fuêre tamen permulti, quibus contraria omnino recepta ſententia eſt; qui tametſi Deum eſſe non negarent, tametſi mundi ordinem & concordiam, & agnoſcerent, & faterentur: tamen hominum res à numine vel non prouideri, vel omnino negligi putabant. Cur autem ita iudicauerint, in cauſa illud eſt, quòd in humanis rebus confuſa omnia perturbatáque, & quadã quaſi fortunæ volubilitate iactata ſpectarentur. Nam cùm hominem omnium, quæ à natura facta ſunt rerum præſtantiſſimum eſſe viderent, animal videlicet imprimis prouidum, ſagax, acutum, multiplex, memor rationis & conſilij plenum. cúmque in eodem ipſo hominum genere eos maximè excellere natura, & dignitate conſpicerent, qui mentis animique virtutibus cæteros ſuperare ſtudeant; ſæpe autem fieri, vt qui inter homines optimi eſſent, infimum inter ipſos locum tenerent, & omni miſeriarum & calamitatum pondere premerentur, ita videlicet, vt ab iniuſtis paterentur iuſti, & indoctis docti contemptui eſſent; & omnino quicunque ſanctitate, iuſtitia, innocentia, integritate, atque omni doctrina, & virtute ornatiſſimi eſſent, eoſdem infima & conditione, & fortuna eſſe: contrà verò qui ſtultitia amentiáque laborarent, iniuſtitia, rapina, cæde atque omni ſcelerum & flagitiorum genere flagrarẽt. hos in ſumma florentiq; eſſe fortuna, & ad ſummum honoris gradum perduci. hos itaque beatos eſſe, illos miſeros. Quæ quidem rerum ac rationum perturbatio quóſdam adducere potuit, vt diuinam naturam ſine prouidentia & cura eſſe putarent. nam cùm Deus iuſtiſſimus natura ſit, ſi rebus humanis prouideret, cõſequens eſſet cum ijs pulcherrimè actũ iri, qui optimè atque ſapientiſſimè vitam inſtituiſſent: quod longè ſecus plerumque fieri videbant. Vnde idem ille Poëta; quem priora argumenta, atque rationes Deum eſſe docebant, his poſterioribus impulſum ſe de hac re in dubium veniſſe fatetur.

Diagoras Mileſius. Theodorus Grinenſis.

Argumentũ eſt Diogenis apud Ciceronem, cui reſpondet Auguſtinus. lib. de Ciuitate Dei, & Gregorius multo luculentius.

Sed cùm res hominum tanta caligine volui
Aſpicerem, lætoſque diu florere nocentes
Vexarique pios: rurſus labefacta cadebat
Relligio, cauſæque viam non ſponte ſequebar
Alterius, vacuo quæ currere ſemina motu
Affirmat, magnumque nouas per inane figuras

Fortuna non arte regi, quæ numina cenſet
Ambigua vel nulla putat, vel neſcia veri.

Hæc igitur vna ratio humanarum rerum, quas quidem peruerſo ordine geri plerumque videbant, hanc de diuina natura, diuinaq; prouidentia quæſtionem attulit, quæ mundi fabricam tantùm intuentibus nulla credebatur futura. Atque hæc quidem res cauſam Epicuro dedit, quo inſanas illas ſuas de mundo, de Deo, de rerum generatione & corruptione opiniones, atque de humani animi ſereret interitu. Siquidem mundum eiuſq; partes caſu conſtare, & temeraria minutiſſimorum corporum per inane coniunctione & ſeparatione omnia concreſcere diſſoluiq; affirmauit.

Hor. lib. 1 ſerm. ſaty. 9. *Unde hominum genus, & pecudes, pictaq; volucres. Dei verò naturam beatiſſimam ac perfectiſſimam perpetua quiete & tranquillitate uti, neque noſtrarum rerum indigere, neque humanis negotijs actionibúſue ſua omnino miſcere, & piorum atque impiorum rationibus planè neglectis, extra omnem mundi locum ſepoſitam, ſecurum, vt inquit Satyricus, agere æuum. Quod autem ijdem interdum Deum eſſe affirment, humanarum verò rerum negligentem ſtatuant; iidemq; ipſi contrà nonnunquam Deum eſſe negent, nihil diuerſum ſibiq; diſſentiens dicunt. ſiquidem ad humanæ contemplationis rationem idem eſt Deum nullum eſſe affirmare, aut noſtris rebus conſulentē non eſſe. Vtraque enim aſſertio eandem inter mortales impietatē ſeminat, eaſdē de religione opiniones, ac pari falſitate ac malitia imbutas inſerit. Igitur ſumma huius argumētationis hæc eſt: Si Deus eſt, iuſtus eſt: ſi rebus humanis prouidet Deus, iuſtè prouideat neceſſe eſt: id eſt, ſi iuſtè prouidet, cum optimis optimè, cum impiis autem peſſimè, vt agatur æquum bonúmque eſt: ſed deterrimè cum optimis in vita agitur; contra optimè cum improbis; non ergo iuſtè cum hominibus agitur. Conſequens eſt igitur hominum res à Deo non curari; quæ ſi curarentur, iuſtè curari diuinæ iuſtitiæ atque æquitatis eſſet. Igitur vel Deus non eſt, vel (quod proximum eſt) humanarum rerum eſt negligens. Atque vniuerſam hanc ſententiam vno diſticho complexus mihi videtur Epigrammatum poëta, cùm dixit:*

Martialis. Marmoreo tumulo Licinus iacet, at Cato paruo, &
Pompeius: nullós credimus eſſe Deos.

Ergo vt ad noſtri Prophetæ enarrationem propius accedamus, non parum lucis ad ſermonum eius ſenſum intelligentiámque propoſita quæſtio attulerit; ſiquidem eandem illam hic Propheta per occaſionem ponit quæſtionem, ab eáque dicendi capit exordium: nam cùm ille diuino afflatus ſpiritu venturam Iudææ gētis calamitatē prauideret, quam Nabuchodonoſor ſecundus attulit, dum bellum Iudæis infert, & cruenta victoria vſus vniuerſam ferè turbam captiuam in triumpho duxit; tantam barbari principis carnificinam & crudelitatem animo cernens, ingentem adeò dolorem accipit, vt ſuæ gentis miſericordia motus, communi de prouidentia quæſtione exordiatur. Quæ quidem in argumento plurimus eſt. nā multis illud grauiſſimiſq; rationib. dilatat, & ad finem vſq; perducit; neque prius deſiſtit, quàm reddito à Deo reſponſo animo ſatis factum eſſe ſuo cognoſcit. Eandem igitur illam quæſtionem nos ita referemus, vt prophetæ ſermonem ſecuti, reſponſionem ad ſuum differamus locum. Opportunum autem aliquando erit, vt non ſententiarum modò, ſed & verborum artificijq; rationem reddamus. quæ quidem res in optimis quibuſque ſcriptoribus ſpectata; in ſacrorum verò librorum enarrationibus ſpectatiſſima eſſe debet. non ſolùm enim diuinorum verborū quærēda inueſtigādáque ratio eſt, ſed quo quidq; ordine, qua figura, quo tropo, quóue ſchemate dicatur, arte iudicióq; eſt expendendum, vt diuina ſcripta nulla perfectionis parte vacare manifeſtò comperiantur. Igitur locorum communium apud rhetores non vulgaris eſt commendatio: Plurimum enim & claritatis & lucis ad propoſitas cauſas afferre probantur, & ad iudicandum de

rebus accommodati ſunt; ſi ſuo tempore adhibeantur, & ad docendos, iuuandos inclinandoſq́; animos magnam, vt ait Quintilianus, vim afferunt: cuiuſmodi ſunt illi, quibus rem quamque vel factum laudamus; aut contra iuſtum vel iniuſtum docemus; aut tale quippiam aliud rebus vel factis ſubeſſe putamus. Solenne autem grauiſſimè & ornatiſſimè dicentibus eſſe videmus, vt, cùm res poſtulat, ſingulare argumentum, hoc eſt, hypotheſin, ad communem quæſtionem, hoc eſt theſin referant: atque hæc ad dialecticã rationem ſpectant. ad elocutionem verò illud, quod propheta ab exclamatione initium facit: quod plerumque vſu venit iis, qui rem aliquam grauem diutius animo cogitantes, neque illius indignitatem vlterius ferre valentes, dolore, vel indignatione, vel miſericordia, vel alia quadam affectione commoti in huiuſmodi vehementes erumpunt voces. quod plerumque euenit, vbi de rebus ac moribus hominum agitur. Simili dicendi artificio, & non abſimili figura Iuuenalis vſus eſt, qui hypocritarum offenſus moribus eorum reprehenſionem ab indignatione ſic exorditur:

Vltra Sauromatas fugere hinc libet & glacilem Saty.1.
Oceanum quoties aliquid de moribus audent
Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia viuunt, &c.

Sic etiam Horatius ab admiratione votorum varietatem & inconſtantiam accuſaturus inchoat: Hor lib.1. Saty.1.

Quî fit Mecœnas, vt nemo quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu fors obiecerit, illa
Contentus viuat, laudet diuerſa ſequentes.

Sic noſter Propheta exordium ab exclamatione ducit. quæ dicendi figura, & attentionis plurimum parare ſolet in auditoribus, & ad conſiderandam rerum, de quibus agitur, grauitatem plurimum confert.

n 5 CAPVT

HABBAKVQ

CAPVT PRIMVM.

ONVS *quod vidit Halbakuq Propheta.*

TOTIVS Prophetiæ argumentum eſt, qualis ſit prophetiæ ratio, & quis vaticinandi modus, & quis ſit Vates, explicans. *Onus* pro graui & luctus pleno vaticinio à diuo Hieronymo exponi nemo, qui illius ſcriptis operam dederit, ignorat. Sed nos illud ad explicandam huius vocis vim addemus, quotieſcunque calamitatem aliquã ex firma Dei ſententia certoque cõſilio venturã ſacri vates prænuntiant, hac voce, *oneris*, vti ſolitos eſſe. ſiquidẽ quibus in locis Latini legunt *onus*, Hebræi in ſua lingua legunt MASSA, vocem ſcilicet à verbo Naſſa deductam, quæ apud illos præter alia multa ad quæ transfertur, ferre & baiulare ſignificat. Vnde Maſſa, hoc eſt onus ferendum. Cùm enim homines vitijs irretiti, ſceleribus operam dant, quæ diuina lege, & recta mentis ratione prohibentur; ſolet Deus illos per Vates ſuos deterrere, & ad ſanam mentem melioremque vitam reuocare: minaturque illis mala plurima, & iuſtam animaduerſionem, niſi à flagitijs deſiſtant, & niſi offenſionum illos pœniteat. Quæ quidem ſupplicia & pœnas, tamdiu à ſe parari, & quaſi in faſcẽ colligari oſtendit, quamdiu mutandæ vitæ ſpatium concedit. Atque huiuſmodi ſuum conſilium ſæpiſſimè hominibus Deus aperit: plenæque ſunt ſacrorum librorum paginę huiuſmodi admonitionibus:

משא

Pſal.7. " Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrauit, arcum ſuum tetendit, & parauit illum: & in eo parauit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit. Quid aliud hæc gladij, arcus, vaſorum mortis, & ſagittarum coaceruatio ſignificat, niſi faſcem quendam pœnarum ac ſuppliciorum à Deo in improbos homines colligari atque parari, niſi peccare deſiſtant, & ad meliorem redeant vitã? Quòd ſi illi diuinis præceptis obedire ac parere voluerint, non
Ierem.17. eſt dubium quin ipſe aptatos pœnarum faſces diſſoluat; vtpote qui ad clementiam, quàm
" ad vindicationem multò ſit promptior, quemadmodum ipſe de ſeſe pollicetur: Ecce ego,
" inquit, fingo contra vos malum, & cogito contra vos cogitationem: reuertatur vnuſ-
" quiſque à via ſua mala, & dirigite vias veſtras, & ſtudia veſtra: nam repentè loquar ad-
" uerſus regnum, & aduerſus gentem, vt eradicem & deſtruam, & diſperdam illud: Si pœ-
" nitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœ-
" nitentiam ſuper malo quod cogitaui, vt facerem ei. hæc Deus. At cùm hominum inſolentia & improbitas ad contumaciam vſque progreſſa fuerit, neque à vitijs & ſceleribus, quibus ſemel adhęſerunt, diuelli ſe vlla admonitione, vllis minis, vlláue alia ſuaſione patiuntur, tum verò propoſitas minas intentaque pericula non vana eſſe demõſtrat Deus, deque improbis & contumacibus ſupplicium ſumit; lata tamen prius æquo iudicij ordine ſententia. Cuius quidem ſententiæ præconem prophetam aliquem conſtituit, per quem iudiciorum ſuorum rationem exhibet, vt & illi, in quos ſententia pronuntiatur, cùm ſupplicium acciderit, non fortuna aut caſu accidiſſe interpretentur, verùm diuini iudicij certam infallibilemque ſententiam approbent & agnoſcant; alij verò ad quos de hac re peruenerit fama, eius diuinæ ſeueritatis exemplo, & Deũ colere & honeſtè diſcant viuere. Huiuſmodi ergo ſententias vatibus ad pronuntiandum mandatas, diuinus ſermo onera appellare ſolet, vel, vt diuus Hieronymus vertit, aſſumptiones: nos verò explicationis cauſa onera ferenda dicimus. Nam quæ Deus antè parauerat, atque colligauerat, iam in iuſtam oneris grauitatem aptata illi ſuſtineant oportet; qui parãtem Deum & prædicentem, & ad meliora inuitantem reuereri & colere noluerunt. Ferendum igitur, & inuitis ſuſtinendum onus eſt, nec vlla tergiuerſatione abijciendum. Itaque cùm onus legerimus, pœnam ſine prouocatione, & animaduerſionem ſine auxilio dari intelligamus. Vt enim diuina miſericordia nullum habet finem erga eos, qui illam, dum ad ipſam inuitantur, expoſcunt: ita diuina exſpectatio certos fines, certoſque modos à iuſtitia conſtitutos habet: ad quos cùm peruentum ſit, iuſtè in eos animaduerti oportet, qui Dei lenitate & clementia ſunt abuſi. Sic enim hominum generi ante diluuiũ centum atque viginti anno-
Gen.7. rum ſpatium Deus ad reſipiſcẽdum dedit. Quo peracto, Ingredere (inquit ad Noë) in
" arcam tu & omnis domus tua; adhuc enim, & poſt dies ſeptem ego pluam ſuper terram
" quadraginta diebus & quadraginta noctibus: & delebo omnem ſubſtantiam, quam feci deſuper facie terræ. Atque hæc de onere, *Quod vidit Habbakuq.* Inter vaticinationum gene-

ra, de quibus alio in loco à nobis tractatum eſt, planiſſimum atque manifeſtiſſimum, viſio eſt: cùm diuinus ſcilicet ſpiritus vatū oculos aperit, & ea quæ ventura ſunt, velut in theatro quodam ſpectanda proponit, quemadmodum factum legimus in libro Regum: cùm Heliſeus propheta Deum oraret, vt diſcipuli oculos aperiret, manifeſtatione prophetica viſuri exercitum magnum à Deo in auxilium ipſorum, & eius vrbis, in qua tunc Vates agebat, miſſum. Hiſtoriæ autem verba hæc ſunt: Heu, inquit diſcipulus Vati, heu domine mi, quid faciemus? at ille reſpondit: Noli timere, plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis. Cumque oraſſet Heliſeus, ait, Domine aperi oculos pueri huius vt videat. & aperuit Dominus oculos pueri, & vidit; quia ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Heliſei. Apparet ergo videndi aut viſionis voce, manifeſtam rerum futurarum repręſentationem velut ſpectaculo quodam explicatam ſignificari. Sed de toto hoc vaticinationum genere plura à nobis & exactius aliàs repetuntur. [*Quod vidit Habbakuq propheta.*] Ex nominis & officij auctoritate fidē orationi facit. Patria ac genus prophetæ illis temporibus nota fuēre: nobis autem nihil horum præter nomen ex ſacrorum librorum auctoritate ac teſtimonio compertum hactenus eſt. neque diuus Hieronymus certi quicquam de hac re ſtatuit, niſi quantum ex Danielis hiſtoria Danielis tēpore Habbakuq fuiſſe coniectura coarguit: neque certus eſt an liber hic ante calamitatem Iudææ gentis, quæ libri argumentum eſt, an poſt ipſam cladem iam populo allatam ſit editus. nos tamen ex ipſa prophetiæ ratione, & ex interpretatione illarum vocum, viſio atq. onus, ante cladem acceptam vaticinationem hanc editam fuiſſe arbitramur. namque viſionis & videndi vocabula in diuinis libris, cùm de prophetis agitur, ad alias res, præterquam ad futurarum rerum prædictiones, accommodari nuſquam comperimus. Igitur Habbakuq de futura captiuitate vaticinatum fuiſſe dicimus: hoc enim præter videndi verbum propriè etiam ſignificat illud nomen onus, quod de certæ atque latæ in ſceleſtos ſententiæ vaticinatione dici modò docuimus. Atque adeò ſic exponit Chaldæus interpres, ſcribit enim, *matà inebuatha*, id eſt, onus prophetiæ: nō de re quæ iam præceſſerit: ſed quæ ventura ſit; ſermonē haberi ſignificās. Idē enim ex ipſis prophetæ verbis manifeſtum fit, cùm ex Dei perſona dicat: Opus ego operor in diebus veſtris, quod nō credetis ſi quis vobis narret. Quòd ſi de præterita calamitate diceret, quî fieri poſſet, vt qui iam ipſius teſtes ſuo magno malo facti eſſent, non crederent? De futuris igitur ſermo eſt, ſiue illa paulò pòſt, ſiue poſt annorum aliquot ſpatium ventura ſint. Quo autem tēpore fuerit hic propheta, coniectandum nobis eſt. Chaldæus interpres ſummæ apud Hebręos auctoritatis ſcriptor, in ipſo enarrationis initio Habbakuq Sunamitidis feminæ filium fuiſſe dicit, illum quem in vitam reſtituerat Heliſeus propheta. Probatiſſima autem apud Hebræos temporum ratio (quem librum illi Mundi ſeriem vocant) Habbakuq prophetiam in Manaſſei regis ætatem refert, ipſumque cum Iohele atque Nahhum vatibus coniūgit. His conſentiunt Græci atque Latini hiſtorici ferè omnes qui de Hebræorum rebus ſcripſere. Porrò Heliſeum prophetam centum ac viginti octo annis ante Manaſſei regnum inter viuos numerari deſijſſe, teſtes ſunt diuinæ imprimis literæ, & Ioſephus, & Iudæorū annales. Is enim anno à mundi ortu centeſimo nono ſupra termilleſimum mortuus eſt. Ab eo anno ad Manaſſeum regem centum & viginti octo anni introierunt. Huius enim regni initium anno poſt mundi ortum termilleſimo ducenteſimo trigeſimo ſeptimo fuit. Ab initio regni huius ad Solymorum expugnationem, duos ſupra centum inuenimus annos; expugnata enim fuit ea vrbs vndecimo Eliachimi regis anno, qui fuit mundi termilleſimus, tricenteſimus, trigeſimus ſextus. igitur ab Heliſei vatis obitu ad eam vſque cladem duodetriginta ac ducentorum ſpatium metimur annorum. Vnde fit, vt ſi Danielis tempore adhuc inter viuos numeraretur Habbakuq, trecentorum ferè annorum ſuperaret ætatem: quam vitæ longitudinem illis temporibus rariſſimam, neq. ab hiſtorijs prætermittendam eſſe certum eſt. Quare omiſſa Ionathæ auctoritate ipſa re & ratione veritatem exquirere oportet. nos igitur Danielis hiſtoriam omnino recipientes (quanquam ea ab Hebræis non recipiatur; neque Hieronymi temporibus recepta prorſus erat) illum in vltima Manaſſei tempora reijcimus: ita vt in eo ſeculo fuerit, tametſi non in ipſis Manaſſei regis annis. nihilque inde incommodi aut abſurdi fuerit, quandoquidem commune ſcriptoribus omnibus eſt, vt eos, qui ſe annorum vicinitate coniunxerint, ad eandem referant ætatem. Itaque cùm Nahhum, Iohelem, Habbakuq in diebus Manaſſei vaticinatos fuiſſe, Hebræorum annales & Euſebius, atque alij referunt, illos in eadem tempeſtate fuiſſe, hoc eſt, de ijſdem negotijs egiſſe, & in eodem vixiſſe ſeculo intelligamus, in quibus certū quoddā tempus in diuinis libris non aſſignatur: ſolemne enim id plerumque eſt in diuinis literis, vt in ipſo Prophetarum initio, ſub quibus regibus vixerint, aut vaticinati fuerint, dicatur.

De onere videre operæpretiū fuerit quæ in quæſtionibus proœmialibus diſſeruimus.

catur. Sed de his omnibus aliâs à nobis proprio argumento eſt actum in opere, quod de temporum & regnorum ratione compoſuimus, atque in communibus de Prophetarum ratione diſputationibus. Fuit igitur Habbakuq circa mundi annum III.M.CC.XCI. qui fuit CCC.LVII. ab ędificato priori templo, quod tempus ad Gręcorum tempora relatum ſecundum Olympiada vigeſimam ſeptimam, & vt Romanorum annalium rationē etiam habeamus, circa annum ab vrbe condita octogeſimum ſecundum vaticinatum fuiſſe dicimus. Sed ne temerè hunc vatem in hæc tempora referre videamur, locus ex libris Regum, ex quo non leuem facimus de hac re coniecturam, excutiendus nobis eſt. Scriptum igitur eſt in vltimo Regum libro, eo in capite in quo de Manaſſei regis criminibus agitur:
4.Reg.2. « Locutuſque eſt Dominus in manu ſeruorum ſuorũ prophetarum, dicens, Quia fecit Ma-
« naſſes rex Iuda abominationes iſtas peſſimas ſuper omnia quæ fecerant Amorrhæi ante
« eum, & peccare fecit etiam Iudam in immũditijs ſuis: propterea hæc dicit Dominus Deus
« Iſraël: Ecce ego inducam mala ſuper Ieruſalem & Iudam, vt quicunque audierit, tinniant
« ambæ aures eius. Quo in loco omnia ferè verba quæ prophetarum nomine recitantur, Ieremiæ Vatis eſſe deprehendimus, præter pauca illa, quæ de auditione, & audientium ſtupore inſeruntur: quorum nullum apud Ieremiam eſt; ſed eadem omnino ſententia exigua figuræ varietate apud hunc Vatem legitur. nam primo ſtatim capite ſcribit: Aſpicite in gentibus, & admiramini & obſtupeſcite, quia opus factum eſt in diebus veſtris quod nemo credet, cùm narrabitur. Cùm ergo per Dei vates hanc calamitatem prædictam afferat Scriptura, propter Manaſſei temeritatem atque ſcelera à Iudæorum gente mutata; cumque in eadem recitatione horum duorum vatum permiſta verba in eandem ſententiam coniũgantur, conſequens eſt eos eadem tempeſtate fuiſſe, & ad idem vnumque ſeculum pertinere, eandemque agitaſſe cauſam. atque hactenus de propheta, de vaticinandi modo, de onere, & tandem de totius operis argumento atque inſcriptione.

Vſquequo Domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis? Quare oſtendiſti mihi iniquitatem & laborem, videre prædam & iniuſtitiam contra me? Quare reſpicis contemptores, & taces, conculcante impio iuſtiorem ſe?

CONQVERITVR in ipſo exordio Vates exclamatione ad Deum facta, atque conqueſtionis cauſam aſſignat, quòd ipſe miſerrimo ſpectaculo noctes dieſque torqueatur acriter, eo quòd iniuſtitiam, vim atque furorem in humanis rebus impunè graſſari videat, & quòd tam diu de hac re cogitatione atque oratione cum Deo egerit, neque tamen tantis malis modum reperiat, neque quem exitum habitura hæc ſint, ab ipſo numine ſit edoctus. [*Vſquequo ergo*, inquit, *Domine clamabo, & non exaudies?*] Exaudire Deus dicitur, cùm reſponſo oraculóue, aut quouis alio ſigno reſpondere ſolet rogantibus, & ſe non ſurdum eſſe teſtari. Semper enim Deus audit homines, vel antequam quicquam loquantur. namque non effata modò, ſed neque cogitata latere ipſum poſſunt. ſed quemadmodum inter homines is non audire dicitur, qui ſæpe compellatus non reſpondet, idque fit vel audiendi ſenſu turbato, vel ſomno aut profundis curis oppreſſo, vel ob ſpatij magnitudinem voces non percipiente, vel vehementi aliquo ſtrepitu, vel quouis alio modo impedito: Sic ſcriptura eoſdem dicendi & ſentiendi tropos ad diuinas res accommodans, ſolet eiuſmo-
Pſalm.12. di oratione vti: Vſquequo Domine obliuiſceris me in finem? vſquequo auertis faciē tuam
« à me? &, Exurge, quare obdormis Domine? exurge, ne repellas in finem. Neque tamen
« dedignatur Deus huiuſmodi orationes animorum affectibus plenas: imò maximè moueri ſolet (quæ ſua benignitas eſt) & duci ad exaudiendum, cùm piorum hominum voces ſuaues & dulcem querimoniam aut exclamationem, aut indignationem, aut ſimilem aliquem exprimentes animi affectum, audit: gaudetque ſe ad nos verborum ſermoniſque figura accommodari, vt benignitatis & bonitatis ſuæ immenſas diuitias explicet: nimi-
2.Pet.1. rum qui, vt hæc oſtenderet, filium ſuum æternum nobis comparauit, noſtræ naturæ om-
« nino participem fieri volens, vt ſuæ nos diuinitatis participes efficeret. Antiquum eſt ergo apud Deum, vt cum hominibus ſermones conferat, ſeque ad eorum loquendi, differendi, diſceptandique rationes vltro dimittat: & quæ ingrata importunaque tantæ maieſtati videri alioqui poſſent, gratiſſimè ille excipiat, & libenter patiatur quauis ſe ratione, quouis ſermone à pijs hominibus compellari. Cui rei vel illud argumēto eſſe poſſit, quod
Gen.18. Geneſis 18. cap. legimus, quo in loco Deus tam diu cum Abrahamo diſceptare, arguere, rationem ponere, & de ſua iuſtitia & miſericordia diſceptare patitur, dum Abrahā quid iam proferat, non inuenit: & quæ ipſi Abrahamo longa, atque audax diſputatio videbatur (quamobrem veniam identidem petebat, dicens, Loquar ad Dominum meum, cùm ipſe puluis & cinis ſim) hanc ſibi gratam atque modeſtam eſſe, vel ipſa audiendi patientia,

& reſ-

& reſpondendi facilitate declarauit: Nam quis ſicut Dominus Deus noſter qui in altis Pſal. 113.
habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terra? Non igitur nouum eſt Habbakuq Vatem
cum Deo de hac re expoſtulantem audire, quòd cum tam diu vehementer clamantem
non exaudiat. [*Vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis?*] Expolitio rhetorica eſt, quæ apud
poëtas heteroſis, vel heterotis dicitur: vt illud, *Sic omnia fatis* Virg. Geor. 1.
In peius ruere, & retro ſublapſa referri. [*Vim patiens.*] Induit Vates piorum omnium
perſonam & eorum qui de humanis rebus humaniter ſentiunt. namque eadem hæc omnium
cauſa eſt, eadem querimonia: neque quiſquam pius homo eſt, qui iniuriam alteri
illatam à ſe alienam putet, & idem diuinam fidem atque auxilium non imploret. Vim
ergo patitur Vates, vel alijs iniuſtè illatam ſentit, & offenſionem ipſe alienis excipit incommodis,
& vim patitur dum hac de prouidentia diſputatione ſecum ipſe torquetur:
neque alijs de hac re rogantibus ſatisfacere ipſe poteſt, neque qua ratione ſibi alijsque ſatisfaciat,
à Deo edocetur, quem ſæpius hoc ipſum orauit. Hanc vim maximè ſe pati conqueritur,
quòd cùm Dei cultor ſit, & pijs de diuina natura ſententijs imbutus, multos diuinam
prouidentiam accuſantes, qua ratione peruincat, non habet: optatque ſibi ab ipſo
numine ſuggeri, quod ad hanc diſſoluendam quæſtionem conueniat. Multis igitur nominibus
ſe vim pati proclamat, quorum omnium origo atque principium, ex hac impiorum
in bonos viros inulta licentia ducitur. [*Clamabo & vociferabor.*] multis ac ſupplicibus
verbis, & acutiſſimis vocibus omnique affectu feruentibus te orabo: ſic Chaldæus:
Vſquequo Domine ego orans ero? [*Vim patiens,* Hebraicè HHAMAZZ] omne iniuriæ & contumeliæ,
mali atque damni genus ſignificat hæc vox; & breuiter quicquid in hominum &
rerum publicarum perniciem committitur; & quod Deum ad orbis exitium laceſſere, atque
irritare natum eſt. nam cùm Moſes flagitia omnia quibus hominum genus ſcatebat,
quo tempore aquarum inundatione conſumptus orbis eſt, exprimere vellet, hac vſus eſt
voce, dicens, Impleta enim erat terra Hhamazz iniquitate. quod manifeſtam cumprimis Gen. 9.
iniuriam, atque publicam in omni flagitiorum genere peccandi licentiam cum contumacia
coniunctam ſignificat. transfertur enim per metaphoram à verbo manifeſtationem
& nuditatem ſignante. [*Quare oſtendiſti iniquitatem & laborem, videre prædam, & iniuſtitiam.*] Amplificatio
eſt per expolitionem ad exaggerandam rem enumeratione criminum iniquitatis
& laboris, prædæ & iniuſtitiæ. Quare, inquit, pateris me tam diu hoc indigno atq. miſerrimo
rerum humanarum ſpectaculo cruciari atque conſumi? cùm nullus dies ſit, in quo
noua iniuriarum atque violentiæ exempla non videam: quæ tu mihi velut ſpectanda proponere
videris, quando tu mihi vitam producis, & tamen his rebus quæ me acriter torquent,
modum ſtatuere non videris. Quibus in verbis propheta Deum omnia cognoſcere
aſſerit, & cuncta hæc ab eo permitti: ſed qua ratione quoue conſilio Deus hæc permittat;
hoc verò ipſum agere optareque, vt ſibi aperiatur: cùm ipſe rationem non inueniat,
quamobrem tot tantæque permittantur iniuriæ. Hoc igitur eſt quod dicit: *Oſtendis & videre.*]
ſubaudiendum, vt ex Hebræo intelligimus, *Thabit*, id eſt videre facis me. neque enim
horum quicquam te latet. [*Iniquitatem.*] Vitium quo quiſq. à recta ratione diuorſus agitur,
iniquitas vocatur. *Auen*, prauitas Hebraicè quicquid ſcilicet à recto deuiat, ſiue illud ſit in
priuatis tantùm moribus, & nihil incommodi alijs afferat præter offenſionem, ſiue iniurioſum
in alios ſit. eſtque velut genus quoddam ad ea quæ ſequuntur relatum. [*Laborem.*]
moleſtiam ſignificat, & earum miſeriarum genera omnia, quibus mortalis hæc humanæ
naturæ conditio afficitur, quorumque maxima pars iuſtos homines & ſimplices ac minimè
fallaces inuadit, iuxta illud: In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non Pſalm. 73.
flagellabuntur. [*Prædam.*] Omne rapinæ genus, omnemque rerum alienarum iniuſtum
vſum complectitur hæc vox, ſiue vi, ſiue fraude atque dolo malo res agatur. [*Iniuſtitiam.*]
violentiam, vt ſuperius, expoſuimus vocabulum (vim) eadem enim eſt dictio Hebræa.
Porrò omnia ſcelerum & iniuriarum genera, in quibus filij hominum qui nihil niſi terrenum
ſapiunt, verſantur, quatuor his nominibus notat Vates. [*Contra me.*] Coram me, palam,
ante meos oculos, vt non de antiquis temporibus ſolùm conqueri videatur, ſed de
ſuo etiam tempore, cuius ipſe teſtis eſſet, & tantarum calamitatum ſpectator triſtiſſimus.
hoc eſt, quod Hebraicè ſignificatur hoc in loco. ſic etiam Græca interpretatur condicio
ἐξ ἐναντίας μου ſic paſſim in diuinis libris: Et peccatū meum contra me eſt ſemper. Direxerunt Pſalm. 51. Gen. 17.
oculos ſuos contra Sodomam: neque inauditus Latinis hic loquendi modus: vt *Stat* Iuuenalis.
contra, ſtariq; iubet. [*Quare reſpicis contemptores & taces.*] Quod de rebus dixerat, nūc ad perſonas accōmodat: Satyr. 4.
nā ſcelera illa per ſe non exiſtūt ſeparata, ſed ab hominib. ſuſcipiūtur, & in ipſis
qui ſuſcipiunt, exiſtunt. Eſt igitur in dialecticis locus ex abſtracto ad concretum, vt vulgo
dicitur. Quare, inquit, tu Deus reſpicis contemptores iuris, legum & totius æquitatis,

qui religione nulla tangũtur, ſed diuina humanaq́. omnia contẽnunt, atq. dũ ſibi ſuiſque ambitionibus voluptatibus,& libidinibus indulgent, omni incommodorũ genere quemuis afficere pro nihilo ducũt. Quare ergo Domine contemptores reſpicis & pateris eos rerum ſecundarũ inſolentia vſque adeò efferri, vt pios atque probos homines præ ſe contemnant, & indigniſſimis tractent modis? & tamen in his omnibus tu cæli & mundi rector ac iudex, cur conniues, cur taces conculcante impio iuſtiorem ſe? nonne te hoc ſpectaculum offendit? atqui ipſa res clamat ad te: cur ergo taces? cur non reſpondes clamanti? nonne cùm Abel à fratre eſt interemptus, extincti iuuenis ſanguis ad te de terra clamabat, tuamque iuſtitiam acutis ac vehementibus appellabat vocibus? Inde autem manifeſtum planumque factum eſt nobis, ipſa ſcelera te quotidie irritare, & iuſtorũ ſanguinem effuſum ad te ſemper clamitare. quare ergo tu non exaudis? & ſi non animaduerſione aliqua aut pæna, vel vocibus è cælo miſſis improbos nocenteſque ab iniuria inferenda deterres? [*Iuſtiorem ſe.*] Scitè additum eſt *iuſtiorem ſe*: quandoquidem ſi acta hominum exactiſſima diuinarum legum regula iudicentur à Deo, rariſſimi quidem erunt, quibus ille integritatis ac iuſtitiæ teſtimonium dabit; ſi qui tamen fuerint, omnia ipſi Deo accepta referant oportet. Nam præter vnum Chriſtum omnes in Adam peccauerunt, inquit Apoſtolus, & omnes egent gratia Dei: id eſt, & ſi maximè quiſpiam per totam vitam integris ſemper virtutib. vſus ſit (quod etiã ſine diuina ope fieri nequit) ſed tamẽ ſi maximè ſit vſus ab illo tamen Adæ peccato, ab illa labe & macula nemo præter vnum Chriſtum natura integer extitit. quicunque verò præter eum extiterit, is non naturæ ſuæ, ſed Dei gratiæ ac dono integritatem ſuam acceptam referat. Talem tamen hominem neminem hactenus fuiſſe legimus, ſanctiſſimam Dei genitricem ſemper excipimus, cuius integritati ſummę, cuius puritati, cuiuſque admirandæ ſanctitati tantum tribuimus, vt ipſam extra omnem humanæ conditionis aleam cõſtituamus: & cùm de ſanctitate, de integritate, deque omnibus virtutum ornamentis agitur, nihil quod ad hanc virginem pertineat, in dubium aut quæſtionem venire patiamur. Igitur cùm Scriptura dicat, omnes in Adam peccauerunt, manifeſtum fit, neminem communi atque naturali ordine productum hominem ab illius primi parentis labe & macula tam vacuum, atque purum extitiſſe vnquam, vt ſeſe Dei gratia non egere iactare poſſit. Quam quidem ob rem ſi hominum puritas, ſanctitas & iuſtitia acri & ſeuero Dei iudicio examinentur, quidnam ſperandum putemus? nunquid, inquit Iob, iuſtificari poteſt homo coram Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce luna etiam non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mũdæ in conſpectu eius: Quanto magis homo putredo & filius hominis vermis? Verùm enimuero cùm de iuſtitia agimus, & de iuſtis hominibus fit mentio, non ſemper vſque adeò anguſtis vtimur regulis, ſed plerumque iuſtitiæ vocabulum in ea ſignificatione vſurpamus, vt virtutum omnium vſum quendam eſſe dicamus, quantum humana conditio Deo opem ferente conſequi contingereq́ue poſſit: quæ iuſtitia moralis appellatur. ſic veteres philoſophi iuſtitiam definierunt, ſic Chriſtiani theologi: ſic etiam eam ipſam iuſtitiam definiri concedent, quicunque in ſacris literis fuerint verſati. Neque nobis hic ſermo eſt de altera iuſtitiæ, ſiue iuſtificationis ratione, qua impij à Deo iuſtificantur; namque ſuo illa loco ſeſe nobis tractandam explicandamque offeret, ſed de iuſtitia loquimur humana: hoc eſt de quadam morum ſecundum virtutem compoſitione & ſocietate, per quam iuſti quidam dicuntur: quam eandem vel bonitatem vel probitatem appellare libet. Gradus autem huius iuſtitiæ ſunt; & quidam quaſi aſcenſus, vnde & qui ea præditi ſunt, comparationem inter ſe admittunt; neque enim quicunque iuſtus eſt, continuo æquè atque alius quiſpiam iuſtus eſt. Iuſti quidem dicuntur qui virtutum ſtudio tenentur, etiamſi nulla veræ religionis notitia ad eos peruenerit; ſed hi tamen iuſtitia quadam philoſophica (vt ita dixerim) iuſti ſunt: quorum iuſtitia, & ſi ad æternam felicitatem ob fidei defectum vtilis non ſit, eſt tamen vtilis vt viros bonos efficiat eos qui poſſident, bonitate, quæ à recta ratione & ab honeſtis moribus ſic appellatur. vtilis etiam eſt, vt qui ea præditi omnino fuerint, æternas in morte pœnas non ſubeant, neque hoc iuſtitiæ huius honore fraudandi ſunt ex philoſophis & gentibus; quicunque iuſtam operam aſſiduumque ſtudium virtutibus nauarunt. atque inter hos ipſos alij alios hac iuſtitiæ laude præcurrunt. Sunt etiam his toto genere iuſtiores, quicunque hanc virtutum morumque iuſtitiam cum veræ ſanctæque religionis notitia coniungunt: id eſt, quorum animi certa informati fide erga verum Deum omnibus virtutum ornamentis inſtruuntur. ad quem quidem modum & Abel iuſtus, & Simeon, & viri multi in antiquis & nouis libris iuſti dicuntur. Igitur de iuſtitia & de iuſtis hęc à nobis hactenus dicta ſint: quæ ſi ad ſummam redigamus, iuſtum natura neminem hominem præter vnum Ieſum ortum eſſe dicimus (atque de ea iuſtitia loquimur, quæ omnem

Ad hanc iuſtitiæ rationem acceſſit Plato in Protagora.

Rom. 5.

Exponitur locus diui Pauli.

Iob 25.

Ita Iamblichus.

omnē diuini iudicij reprehenſionē fugere poſſit) & quicunq. verè inculpateq. iuſti ſunt, hos non natura, ſed diuinæ benignitatis ope ſic iuſtos eſſe: iuſtos præterea eſſe quoſdam philoſophica quidem iuſtitia, quoſdā verò religioſa iuſtitia iuſtos dici. atq. hæc genera inter ſe comparationem admittere, & in ipſis generibus gradus quoſdam eſſe. Cùm ergo de iuſtorum oppreſſione Vates queritur, non hoc agit, vt iuſtitiam exactiſſimis diuini iudicij regulis metiatur; ſed ad huius iuſtitiæ, quæ in humanis moribus ſpectari poteſt, normam & moderationem rem totam præſcribit: ſecundum quam Iudæorum gens Aſſyriorum rege ac populo multo iuſtior erat, vtpote quem etſi non alio nomine, vel hoc ipſo quòd verum Deum coleret, cuius ſe familiarem populum profitebatur, longo ſuperabat interuallo. Et quamuis Deum ſibi vitijs, ſuperſtitionibus & ſceleribus multis infenſum reddiderat Iudæorum gens, ob eamque cauſam iuſtitiæ nomen plerique exuiſſent; multi tamen ex illis in iuſtorum numero erant, quos communi cum cæteris ſeruitutis condicione Aſſyriorum rex affecturus erat. Quod vel in Hieremia Vate fit manifeſtum, qui, tametſi & bonus & iuſtus eſſet, tamen in eodē illo bello captiuus ductus eſt. Hoc igitur eſt quod Habbakuq clamat, hoc eſt quod dolet, quòd iuſti ab iniuſtioribus patiantur. nō ille nunc ſimpliciter & ſua vi iuſtitiam conſiderat, ſed ex collatione argumentum ducit; eoſque iuſtos appellat, qui à communi hominum iniuſtitia ſunt alieni, aut ſaltem minus quàm ij, à quibus patiuntur, iniuſti ſunt. Eandem hanc ſententiam Heſiodus in Operibus ſimili ferè verborum congerie protulit, quam nos ex tempore ſic vertimus:

Inſitia nulla eſt ratio. quicunque Deorum — Heſiodus in Operib.
Religione calet, qui ſanctè numina curat,
Hunc homines ſoliti veſtri contemnere inertem:
Sed qui ſacra Deum neglexit, faſq; nefaſq;
Permiſcet, falſa & nectit periuria lingua,
Hic multum ante alios ſolet admirabilis eſſe.
Fortior hic vexat meliorem ſæpe nocendo
Artibus iniuſtis, iniuſta & fraude doloq;.

Et facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptilia non habentia ducem.

PVLCHERRIMA ſimilitudine res hæc amplificatur. Nam & Æliani auctoritate & vulgari experimento, inter omnia animantium genera piſces iniuſtiſſimos eſſe conſtat: ſolent enim alij alios deuorare. neque ſolum in diuerſam ſpeciem; ſed in ſuam omnino naturam vnumquodque eorum genus ſæuire ſolet. quod vel in publicis & priuatis piſcinis deprehendimus, in quibus annua paruulorum ſoboles à grandioribus deuoratur. Proxima in hac ratione reptilia ſunt, quæ ſe mutuo inceſſunt, lacerant & interimunt; atque à potentioribus imbecilliora perduntur. Et reptilis nomine non omnia eius generis, hoc in loco ſignificari intelligimus, ſed quædam notiſſimæ ſæuitiæ, quale eſt Hippopotamus, animal & in aqua, & in terra degens: quod vſque adeò ſæuum eſt, & in ſuum etiam genus crudele, vt apud antiquos iniuſtitiæ atque violentiæ ſymbolū extiterit. quam quidem rem in regum ſceptris ſignabant, ſupernè Ciconiam, infernè verò Hippopotamum figurantes, hoc ſignificato vt vis iuſtitiæ parêret. Appellatione autem reptilium hoc animal & multa alia continentur, quæ neque piſces verè ſunt, neque ad terreſtrium animantium rationem referuntur, ſed medium quandam naturam tuentur, nūc in aquis, nunc in terra degunt; vnde amphibia ſunt appellata. talia ſunt crocodili, angues & marini lacerti; compluraque alia ad hanc formam à natura efficta: ſed & lacerti terreſtres ſæuiſſimi ſunt, & atrociſſimam inter ſeſe crudelitatem exercent. Vniuerſa porrò hæc viuentium genera, de quibus diximus, vindice carent & rectore. neque enim in ſua natura ducem ſequuntur neque in aliena agnoſcunt. nam pecudes & armenta homini parent, ipſumque ſequuntur, & metuunt. In ferarum genere, vt in leonibus atque alijs, ſua quædam conſeruatur ſocietas, neque ſe mutuo lacerant, & ſi quando ob paſtum, aut venerem irritantur, non tamen vſque ad necem ſæuiunt, & vt in quibuſdam eorum experimento obſeruatum eſt, & pugnas dirimere, & pericula a ſe inuicē depellere nouerunt. In auium natura quædam quaſi iuſtitia atque ſocietas per ſingulas ſpecies conſeruata conſpicitur. nam & quibuſdam parêre, quoſdam duces ſequi reperiuntur; gregatim vagantur, vocibus inter ſe agunt, ſeque ad paſtus inuitant, atque à periculis deterrent. At verò piſces ducem nullum neque publicè neque priuatè recipiunt: nam etſi cete grandia in mari à Deo creata & legimus & conſpicimus, non tamen ad cæteros piſces aut moderandos, aut regendos efficta eſſe intelligimus: ſed vt ſuæ naturæ numerum compleant, & per mare liberè vagentur, quem- Pſalm. 103.

Aelianus de hiſt. animal.

admodum in diuinis legimus carminibus: Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus, il-
" lic reptilia quorum non eſt numerus. Animalia puſilla cum magnis, illic naues pertran-
" ſibunt. Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei (ſcilicet mari) non ad gubernandum
" agendúmue cæteros piſces. Eſt igitur argumentum ab inexſpectata ſimilitudine. nã cùm homo ad vitæ communitatem ſocietatemque ſeruandam à natura effictus eſſe videatur; conſequens eſt, vt iuſtitiam colat, in qua vna coniunctio atque ſocietas omnis continetur; alioquin ſimilis omnino erit hominum multitudo multitudini piſcium & reptilium, quibus nullus iudex datus eſt, nullus vindex; apud quos nulla eſt æquitatis forma aut clementiæ, ſed violentia atque potentia res omnis agitur: & minores maioribus in vſum & eſcam cedunt. Eſt igitur hæc maxima indignitatis amplificatio, quando à quibus iuſtitia coli debuerat, ab his æquè colitur, atque ab illis, quæ ad hanc ipſam colendam minimè nata ſunt. Neque verò interim ignoramus, quid hoc in loco nobis ab Hebraicè ſcientibus obijci poſſet. Sed nos Latinis hominib. operam damus, & Latina Biblia potius quàm Hebraica ſuſcipimus enarranda; eámque maximè verſionem ſequimur, quæ ab vniuerſa ferè Latinorum eccleſia recepta eſt, quam vulgatam appellãt. Romanis igitur, & Romanam ſocietatem colentibus Chriſtianis ſatisfacere cupimus, & quæ illis in communi lectionum vſu ſunt, interpretari; vt & ſacrorum librorum ſenſum percipiant, atque ad ſuam accommodent vtilitatem: interdum etiam cum Latinis Hebraica, Chaldaica, aut Græca coniungimus, quando ſcilicet ad interpretationis perſpicuitatẽ opus eſſe iudicauerimus. Iis verò iuſto ſeparatim opere ſatisfaciemus, qui altiora eruditionis fundamenta iecerint, quales ij ſunt qui ad Theologiæ diſciplinam, linguarum cognitionem, & variæ eruditionis adhibent ornamenta: namque & his (ſi Deus conceſſerit) magnum nos adiumentum allaturos ſperamus, ſi, quas iam diu obſeruationes colligimus, aliquando edi contingat.

Et factum eſt iudicium, & contradictio potentior.

AMPLIFICATIO eſt per enumerationem ſpecierum: nam cùm ſemel propoſuerit diuinus Vates iuſtos ab iniuſtis conculcari atque opprimi, id quod in genere dixerat, per ſpecierum enumerationem confirmat. qui locus à bonis auctoribus frequentiſſimè occupatur, vt à Flacco:

Horat. ſer. lib. 1. ſat. 1.

Nemo, quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu ſors obiecerit; illa
Contentus viuat? laudet diuerſa ſequentes?
O fortunati mercatores, grauis annis
Miles ait, multo iam fractus membra labore.
Contrà mercator, nauim iactantibus auſtris;
Militia eſt potior, &c.

Hanc confirmandi formam, multum & momenti & ornamenti probandis rebus addentem noſter vſurpat Vates. Porrò iniuriarum multa & varia genera eſſe, vtinam non tam experimento, quàm legum & hiſtoriarum lectione cognoſceremus. multas namque; vel potius innumeras iniuriarum formas in hominum vita reperias, & humanarum etiam legum (quarum immenſitas penè eſt infinita) numerum ſuperantes. Sed quanquam iniuriæ nullis nominibus præ multitudine poſſent efferri, ad quædam tamen quaſi capita redigi facilè poſſunt, iuxta rationem affectuum & perturbationum humani animi, ex quibus fontibus illæ emanant. Aut igitur per ſuperbiam res agitur, ac feritatem quandã animos efferantem, vt dicitur, quæ ſuperbis & inſolentibus frequens eſt, vnde & tyrannis exoritur; aut agitur arte & calliditate: vt cùm quis vi alterum opprimere vel non poteſt, vel ob potentiæ inopiam non audet, occaſiones anſaſque litigandi captat, atque alienas res acutis rationibus inuadit, & in hæreditate aut fortunis diu commoratum deturbat, aut fraudem aliquam cogitat, quo iure, quáue iniuria alterum lædat. Quòd ſi nihil horum ſit, furto occultáque nocetur rapina. Ad hæc capita omnes iniurias referri poſſe planum eſt: quæ quidem capita hic à Vate expoſita, à nobis autem partim iam explicata ſunt: namque de iniquitate, labore, præda & iniuſtitia, id eſt, violentia, ſuperius diximus: de iudicio & contradictione nunc paucis dicemus. Iudicium apud ſacros auctores diuerſam varijs in locis ſignificationem habet, ſecũdum varias Hebraicæ linguæ voces pro quibus in Latinis ponitur libris. nam cùm Hebraicæ dictionis Rib, vim atque notationem reddit, non ſimpliciter iudicium ſignificat, ſed occaſionem iniuſtæ litis ab aliquo aduerſus quempiã alium captatam, vt hac ratione illi nocere poſſit, vel eius res, vel honorem, vel dignitatem inuadere, id quod Latini propriè rixam nominant. cuiuſmodi contentionem & rixam eiuſque exitum pulchrè Iuuenalis deſcribit ad finem tertiæ Satyræ:

Miſera cognoſce procemia rixæ:
Si rixa eſt, vbi tu pulſas, ego vapulo tantum. Iuuenalis Sat. 3.

Vbi cum pulcherrima conformatione totam rixandi ſeriem depinxit, tandem inquit:

Dicere ſi tentes aliquid, tacitúſue recedas,
Tantundem eſt: feriunt pariter: vadimonia deinde
Irati faciunt: libertas pauperis hæc eſt.
Pulſatus rogat, & pugnis conciſus adorat,
Vt liceat paucis cum dentibus inde reuerti.

Hoc ipſum hoc loco iudicij nomine ſignificatur, rixa videlicet, & iniuſtæ ad litigandum
occaſionis captatio: vt tandem aliquid inueniatur, quo iure quáue iniuria noceri alteri
poſſit. Atque vt commodius rem intelligas, ſcito hoc nomine ſignificari accuratam illam, Vide noſtros
& inimicitiis incenſam contentionem, quæ Abrahæ paſtoribus, cum illis, qui Loti greges in Hoſeam
ducebant, de paſtionibus fuerat. Eo namque loco dictionem illam Rib, tum rixam, tum commentarios.
iurgium Latinus interpres vertit. Vnde, inquit, facta eſt rixa inter paſtores gregum Abra- Gen. 13.
ham & Lot. & ſubdit: non ſit quæſo, inquit Abraham, iurgium inter me & te, & inter pa- "
ſtores meos, & paſtores tuos. Alteri autem alteros de communibus paſcuis depellere certa- "
bant. hæc eadem ſignificationis vis & notatio illarum dictionum eſt: Iudica Domine no- Pſal. 7.
centes me, id eſt, Domine ſuſcipe pro me rixam, quam maleuoli aduerſum me parant. & Pſal. 35.
illud: Surge Domine & iudica cauſam tuam, id eſt, occaſiones quas aduerſus te captant ij, "
qui gloriæ & dignitati tuæ detrahere conantur: & complura alia quæ in hac ſignificatione "
paſſim inueniuntur. hæc de iudicio. Contradictio autem iniuriæ genus eſt, cùm quis teme-
rè & ſuperbè alterum tractat, & tyrannidem in eos, qui ſibi ſubiecti ſunt, exercet; quoſque
vexare poteſt, quocunque modo vexare paratus eſt. Sunt enim multi ingenio contentioſo,
& nunquam quieto, quibus illud moleſtiſſimum videtur, ſi cæteris moleſtiam exhibere de-
ſinant, aliorum bonis inuident, ſermonibus obſtrepunt, dignitati detrahunt, quieti & tran-
quillitati inſidiantur; neque aliorum rem, neque cauſam, neque ſententiam potiorem eſſe
patiuntur: & (vt ſummatim dicamus) contradictio illa in libris ſacris dicitur, qua quis, ne
quid alteri bene cedat, contendit. Huiuſmodi ingenio præditum hominem nobis ſacri li-
bri proponunt principem quendam Araphæ filium ciuitatis Geth tyrannum, illum ſcili-
cet, quem ſenos in manibus & pedibus digitos habuiſſe commemorant: virumque excel-
ſum fuiſſe dicunt, hoc eſt ſuperbum & contradictioni ſtudētem, qui Iſraëlem conuitiis eſt
cōſectatus. Vbi Latinus interpres vertit Vir excelſus, Hebraicum exemplar habet Vir Ma- מדון
don: quæ vox eadem hoc in loco eſt, vbi contradictionem interpretatur. Idem planius atq. Pſal. 79.
expeditius huius propoſitione carminis explicabitur: Poſuiſti nos in contradictionē vici- "
nis noſtris, & inimici noſtri ſubſannauerunt nos. & in Prouerbiis: Homo peruerſus ſuſci- Prou. 16.
tat lites. vbique hæc dictio *Madon* inuenitur, & ex eorum locorum collatione planè intel-
ligitur res. Queritur ergo propheta apud Deum hac ſcelerum impunitate factum eſſe, vt
omnia iniuriarum genera indies augeantur & creſcant. Niſi enim mali coërceantur, non
ſolùm illi nocere ſolent licentius, ſed ad illorum exemplum multi ad iniuriam inferendam
animos erigunt: atque inde fit vt iudicium & contradictio potentior indies fiat, & ad ſum-
mum nocendi gradum, niſi coërceatur, aſcendat.

Propter hoc lacerata eſt lex, & non peruenit vſque ad finem iudicium.

Non raró in ſacris libris diuinæ legis obſeruantiam commendari videmus. nam cùm
humanarum actionum clariſſimam lucem illam eſſe conſtet, cuicunque ad beatitudinem
æternam animus aſpirat, eidem à diuina lege, tanquam à luce totam vitam illuſtrante vel
tantillum diſcedere non licet: vnde fit vt ad hoc homines aſſiduis ſuaſionibus aduocentur,
ne diuinam legem vlla ratione deſerant, neque ab ea ad dexteram aut ad ſiniſtram decli-
nent, aut ab illius aſſidua meditatione animum auocent vnquam: iuxta illud, Et in lege eius
meditabitur die ac nocte. Itaque intentos eſſe oportet iuſtos homines diuinæ legi, eiusque Pſal. 1.
aſſiduo teneri ſtudio, eique adhærere. Quamobrē cùm de diuinæ legis obſeruantia in ſacris
pręcipitur libris, huiuſmodi verba ſæpiſſimè vſurpantur, tenere, cōtendere, alligare, non re-
cedere, adhærere, &c. vt diuinus inquit Vates: Adhæſi teſtimoniis tuis Domine, noli me Ioſu 12. Pſal. 118.
confundere. His verbis contrariam omnino ſignificationem illud habet, quod in noſtro "
Vate Habbakuq legimus, ſiue vt Latinè lacerare legatur, ſiue vt Hebraicè remittere.
[*Propter hoc lacerata eſt*, ſiue, *propter hoc remiſſa eſt lex.*] Nam qui diuinæ legi intentiſſimè adhære-
re, ipſamque nunquam dimittere, ſed manibus alligatam, & fronti appenſam tenere iu-
bentur, ij cùm malorum hominum atque bonorum tam diuerſas tamque iniquas ſortes
conſiderant, ita vt malorum viam felicem ac florentem; contrà verò bonorum miſeram &

inſuauem plerumque conſpiciant,& animos demittere,& virtutis viam deſerere quodammodo cogi videntur, & inutilem legis obſeruantiam exiſtimare, vt ille horum ipſorum

Pſalm.72. hominum perſonam ſuſtinens inquit: Et dixi, Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum,& laui inter innocentes manus meas,& fui flagellatus tota die,& caſtigatio mea in matutinis. hoc igitur eſt quod Propheta noſter indignatur, argumento ducto à conſequentibus. Cùm, inquit, tantum iniuriis, tantumque ſceleribus licere intelligatur, fit vt homines ij, qui diuinæ legi adhærere, eidemque diligentiſſimè ſtudere iubentur, eandem ipſam tanquam

Auguſt lib. de prædeſtinatione. inutilem dimittant, lacerent atque diſrumpant, & quod in promptu eſt, ad alteram licenter & ſcelerate viuendi viam traducantur. nam cùm ſemel huiuſmodi opinionibus humani animi imbuuntur, vt hominum actiones à Deo non curari credant, nullum ſcelus non ſuſcipiunt, nullam legem non perrumpunt & negligunt, & ab inferendis omnium generum iniuriis, humanorum ſuppliciorum, ac pœnarum metu tantum prohibentur: quòd ſi

Diogenes Laertius. humanos iudices latere ſe ſperauerint, ſacra prophanis miſcebunt. Quam quidem ob rem rectè præcipiunt ij, qui à ciuitatibus, quas legibus atque inſtitutis tuentur, harum opinio-

In lib. de republica. num auctores ſophiſtas arceri iubent. non mediocrem enim, ſed maximam (vt Hippodamus Pythagoræus inquit) infelicitatem hominum animis ſophiſtarum diſſertationes ingenerant, ſi quid auſi fuerint innouare, præter commune iudicium in diuinis humaniſque rebus. quo admiſſo neque veritas maior, neque vita tutior honeſtiórue futura ſit, ſed maiori potius caligine atque perturbatione inuoluenda: ita vt animus religione ac metu omni

Euripides apud Plutarchum de Placitis. vacuus ingenio petulanter exultet,& variis malignus ſit modis. Tales autem opiniones huius fere generis omnes ſunt, aut nullum eſſe numen, aut quamuis ſit, non hoc tamen præditum eſſe affectu in genus humanum, vt ipſum inſpiciat & curet; ſed relinqui id & negligi ab ipſo. præterea nihil poſt mortem hominis ſupereſſe: Illæ etiam opiniones huius notæ ſunt, neque minus aut erroris mentibus, aut infelicitatis vitæ hominum, aut calamitatis rebus publicis afferentes, quæ aduerſus diuinam Chriſtianamque veritatem à quibuſdam quaſi tempeſtates quædam excitatæ ſunt, quibus omnes eorum diſcipuli (qui vtinam non tam multi eſſent) ab officio & vitæ ſanctitate, ad licentiam libertatemque viuendi ſunt auocati. Qui quidem huiuſmodi ineptas atque impias ſententias afferunt: Sola fide homines iuſtificari: Nullam neque operum, neque humani officij ad æternam ſalutem vtilitatem eſſe: Non eſſe in nobis ſitum non peccare, ſed omnino in nobis, vel inuitis, fato quodam peccata erumpere: Nullum eſſe in homine arbitrium præterquam ad male agendum faciendumque. Et quæcunque illi, prô Deum immortalé, contra commune hominum iudicium, aduerſus leges, aduerſus philoſophiam, aduerſus diuinorum oraculorum fidem & veritatem, in maximam morum labem, & Chriſtianæ religionis dedecus proferre auſi ſunt. nam quid per Deum immortalem refert, dicat ne quis Deum humana opera non curare, vt Epicuræi olim dixêre; an opera humana nihil ad æternam felicitatem omnino conferre? quemadmodum iſti dicunt. nónne hoc eſt Epicuri ſectam excitare? nónne deteriores reddere Chriſtianos, quàm Epicuri vllus vnquam diſcipulus extiterit? nam qui Chriſtianam pietatem ſic definit, vt nihil humani neque officij, neque arbitrij ad illam admittat, ac potius omnem, quamuis officioſam, humanam actionem damnabilem deteſtabilemque Deo eſſe contendat, is mihi videtur, non Epicuri modò eſſe diſcipulus; ſed cuius ſe præceptorem vocari omnino Epicurum pudeat. nunquam enim ille eò inſaniæ proceſſit, vt honeſtas actiones damnaret, eáſq. menſtruaris pannis ſimiles aſſereret. Sed vt ad explicandi officium redeamus, de his nunc ſatis. *Propter hoc*, inquit Vates, *lacerata eſt lex.*] Dolent

Pſal.118. vehementer ſancti viri, quòd diuina lex ab hominibus contemnatur, vt ſcriptum eſt: Vidi præuaricantes,& tabeſcebam, quia non cuſtodierunt legem tuam. Sed eo grauius dolent quòd legis contemnendæ cauſam à Deo ſibi dari impij homines prædicent, aſſerentes non illorum culpam eſſe, ſi minus diuinæ legi intenti ſint, ſed numinis, cùm nullum inter bonos & malos fieri iudicium videant. Arguit igitur hoc in loco Vates à conſequentibus incommodis: nimirum diuinæ legis ſtudio flagrantis & incenſi animi hæc verba ſunt. [*Et non peruenit vſque ad finem iudicium.*] Ex eorum perſona loquitur, qui diuinam legem hac occaſione perrumpunt. Eſt enim illorum ratio qua ſe ad id faciendum adductos aſſerunt, quia non peruenit vſque ad finem iudicium, id eſt, quoniam ſatis ſuperque à nobis iam exſpectatum eſt, num aliquando Deus officio iudicis in humanis rebus ſatisfacturus ſit, & ſuum cuique ius redditurus. ſed cùm hæc tam diuturni deſiderij exſpectatio non expleatur, ſe, inquiunt, aliquando hoc iudicium fore, iam deſperare. [*Quia non peruenit vſque ad finem iudicium.*] Porrò hoc loco iudicij nomine eam virtutem ſignificari dicimus, quam in omnium hominum animis, maximè autem iudicum, perpetuò ſitam eſſe oportet: boni, ſcilicet, &

cet, &

cet,& mali cognitionem,cum conſtanti voluntate ius ſuum vnicuique tribuendi: eſt enim apud Hebræos nomen Miſpat, deductum à verbo quod iudicare ſignificat. itaque iudicium iuſti & æqui efficax ſtudium eſſe definimus, quod Hiſpanicè dicimus *La razon*. quod vt exemplo adducto melius intelligatur, Abrahamum hanc in diuino colloquio vocem audiamus vſurpantē: Abſit à te Domine vt rem hanc facias,& occidas iuſtum cum impio.non eſt hoc tuum, qui iudicas omnē terram,nequaquam facies iudicium? Hebraicè interrogatione legitur,id eſt,quî fieri poteſt vt communis totius orbis iudex, & qui omnibus terræ iudicibus exemplar ad imitandum ſit, tamen hac in re iudicium non faciat? hoc eſt, iuſti atque æqui rationem non habeat? Hiſpanè *el que ha de iuzgar à todos no hara la razon?* Itaque iudicium Latinè cùm pro nomine *Miſpat* Hebraico redditur, hac ſignificatione declaratur, quæ frequentiſſima in ſacris libris eſt: vt, Cognoui quia faciet Dominus iudicium inopis,& vindictam pauperum. [*vſque ad finem*,] id eſt, nunquam, vel in æternum: vt illud, Vſquequo obliuiſceris mei Domine in finem? Exurge Domine, & ne repellas in finem. &: Patientia pauperum non peribit in finem. Igitur indignum eſt quod hoc in multorum ore verſetur, inquit Habbakuq, iudicium dignum peruenturum eſſe nunquam.

Quia impius præualet aduerſus iuſtum, propterea egreditur iudicium peruerſum.

HOC eſt totius argumentationis pondus, hæc probatio, hæc confirmatio. Sunt autem verba non ex prophetæ opinione prolata,ſed eorum,qui diuinum negant iudicium, diuinamque de rebus humanis cognitionem. atque iuxta ſacrorum ſermonum rationem ac modum enthymema eſt,duas tantùm argumentationis partes continens, aſſumptionem videlicet & concluſionem. Hoc modo autem tota argumentatio concluditur: Si impij iuſtos impunè circumueniunt,iudicium peruerſum eſt: ſed iuſtos circumueniunt impij, ergo iudicium non eſt aduerſus eos,vel ſi eſt, peruerſum ac prauum eſt. Huius autem argumentationis tantùm duas partes protulit, minorem videlicet antecedentis partem, & intentionem. optarimque ego eos qui ſacrarum literarum ſtudio tenentur,huiuſmodi argumentationibus tractandis aſſueſcere. plurimum enim ea exercitatio,& ad intelligendum & ad docendum confert. qua de re nos aliâs præcipiemus. Propterea concludendi officio fungitur,vt ergo, igitur, cuius frequens in hac ſignificatione eſt vſus,præcedente particula, quia, vel quouis alio antecedentis occupante locum: vt, Propterea confitebor tibi in æternum & in ſeculum ſeculi: Eſtque argumentatio hęc à poſteriori:non enim iniuſtorum impunitas in cauſa eſt, vt iudicium diuinum non ſit, ſed ſignum & argumentum eſt ad probandum iudicium non eſſe, vt fumum non eſſe, ſignum eſt quod ignis non ſubſit: non autem cauſa eſt, vt non ſubſit ignis. Quare argumentum eſt ab euentis ad antecedentia productum, vt diximus, à Vate eorum perſonam ſuſtinente, qui prouidentiam negant. Porrò iudicium peruerſum aut prauum fortuna,& non ratione res gubernari ſignificat: nam quæ ratione reguntur, rectè ſemper reguntur: neque enim vllam prauitatis partem ad ſe admittere ratio poteſt. ſed iudicium hoc in loco idem cum ratione eſſe dicimus. ſi ergo iudicium peruerſum eſt,iudicij vim & naturam non habet; atque ex conſequenti non rectè iudicium,ſed iudicij prauitas quædam eſt, quale iudicium fortunæ vulgus hominum tribuit, non autem quale Dei eſſe oporteat iudicium, ſi Deus hominum facta iudicaret. Hactenus exordium libri eſt: in quo diſputatio de prouidentia, partim ex piorum hominum querela, partim ex eorum argumento, qui eandē ipſam negant, in alteram contradictionis partem producta eſt. Præterea & quibus argumentis à Vate exornetur oratio, diximus, qui rei indignitatem à ſua ipſius indignatione, à conſequenti diuini cultus iactura,& legis contemptu amplificat. Iam verò locum communem ad priuatam refert cauſam,& hypotheſim ad theſin reducit;& quam agendi hoc habuerit occaſionem, iam explicat, proprioque vatis fungitur officio:nam onus prænuntiat, quod diuina viſione præcognouerat: bellum videlicet calamitoſum à Chaldæis cum Iudæa gente ſuſcipiendum.

Aſpicite in gentibus & videte, & admiramini, & obſtupeſcite: quia opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credet cum narrabitur.

ATTENTIONEM captat Vates futuræ calamitatis magnitudine & mole propoſita, vt metum & religionem hoc pacto auditoribus ſuadeat, ipſoſque, quorum res agitur, à corrupta & vitioſa conſuetudine,ad vitæ emendationem & correctionem hortetur. Nam quanquam poſtha hæc & temporale ſupplicium illis ob anteactam vitam ſint ſubeunda, minus tamen iratum ſibi numen ſentietur,leuioreſque multo pœnæ dabuntur, ſi ad vitæ

correctionem ſupplicationes aſſiduæ,& calamitatum deprecationes adiunctæ ſint.namque ſcriptum eſt: Et vidit cùm tribularentur,& audiuit orationem eorum. Et memor fuit teſtamenti ſui, & pœnituit eum ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ, & dedit eos in miſericordias in conſpectu omnium qui ceperant eos. Igitur calamitatis imaginem,quam ipſe diuina viſione perceperat, ante oculos auditorum proponit:illiusque magnitudinem multis modis amplificat,hoſtium genus,animos,mores,copias,artes,promptitudinem,dexteritatem,velocitatē,eorumq. ipſorum apparatus,& arma,& cætera explicat,quibus maior in bello crudelitas,& calamitas maior exſpectatur. [*Aſpicite in gentibus & conſiderate.*] Prius verbum ad ſenſum;poſterius verò ad animum cogitationemque pertinet. Aſpicite rem, quam Deus per me vobis in imagine ſpectandam exhibet, *& videte*, conſiderate,atque animo & cogitatione tantarum tamque atrociſſimarum rerum, quis effectus,quiſque futurus ſit euentus,percipite. [*In gentibus.*] Quandoquidem malum quod Iudæis impendebat,ex gentibus profecturum erat,quas Deus ad puniendum bello populum ſuum excitabat,hortatur Vates gentem ſuam, vt ad eam calamitatem, quam ipſe à gentibus venturam videbat,oculos atque animum intendant. Atque etiam mortalibus omnibus hanc rem manifeſtam fieri cupit,vt totus terrarum orbis intelligat, quantum noceat Deum contemnere, & honeſtati turpitudinem anteferre.nam quas opes,quas diuitias, quaſque potentias, homines ad luxum, ad voluptates,ad omnem vitiorum & iniuriarum commoditatem comparant,eiſdem Deus ad eoſdem ipſos vindicatione & ſupplicio afficiendos,vtitur. Sed illud hoc in loco breuibus annotare libuit,quòd vbi cum Hebræis Latini legunt, *In gentibus*, Græci in Bibliis ſuis legunt, *Contemptores*. atque adeò in Actibus Apoſtolicis eadem vox legitur,vbi Paulus in oratione illa grauiſſima, quam apud Hebræos de Chriſtiana religione habuit,hunc Habbakuq locum totidem ferè verbis vſurpat, vbi etiam pro vocibus illis, *in gentibus*, illam ſubſtituit *contemptores*: Sed huius varietatis rationem, vel in illius libri interpretatione,vel commodiore in loco reddemus: nunc illud annotaſſe ſatis fuerit,eandem eſſe nobis cum Hebræis in hoc loco lectionem, & Græcum interpretem, nō Hebraicum exemplar, ſed illam D.Pauli varietatem fuiſſe ſecutum, quæ ſuo quidem loco opportuna eſt, & pulchrè hæret. ſed quid ſignificet illud *in gentibus*, explicatum à nobis eſt. [*Et obſtupeſcite, & admiramini.*] Raritatem & magnitudinem rerum ſenſu perceptarum ſequitur admiratio: admirationem in ipſis ſenſibus ſtupor conſequitur. Cùm enim quis ſubitam aliquam rem, præſertim noxium aliquid videt, quod communem modum conſuetudinemque excedat, ſtatim primo congreſſu in admirationem rapitur incogniti & inopinati euentus.porrò ſi admiratio vires incrementumque ſumat, ſtupor efficitur. Eſt autem ſtupor, aut totius corporis, aut quorundam in ipſo membrorum imperfecta quædam reſolutio, vt Galenus & Hippocrates docent. Cuius cùm multæ cauſæ commemorentur, vna

Aphoriſmorum lib. 5. De cauſis ſymptomat.

eſt, cùm ex triſti aliqua & acerba cogitatione ſenſus opprimitur: calor enim ad interiorem animi ſedem penetrans, exteriora membra deſerit: vnde fit, vt vel totum corpus, vel aliqua eius pars, ſuo munere officioque priuetur. Quamobrem qui huiuſmodi patiuntur, aut ſurdi fiunt, aut repentè obmuteſcunt, aut immobiles redduntur, donec ea affectio commutetur, quam affectionem ex repentino admirandoque occurſu proficiſcentem pulcherrimè poëta deſcribit:

Extemplò Aeneæ ſoluuntur frigore membra, *Obriguit, ſteteruntq; comæ, & vox faucibus hæſit.*

Vt igitur Vates noſter impendentis calamitatis magnitudinem ſignificaret, vel ex ipſa cogitatione, admiratione, atque ſtupore quemuis attendentem opprimendum eſſe minatur.porrò quòd admirari,& ſtupeſcere iubet,atque imperatiuo vtitur, tropus eſt,& dicendi quædam figura.neque enim eiuſmodi affectiones imperari alicui poſſunt, quæ non volentes,ſed inuitos opprimere ſolent:quippe cùm ad ſenſum corporis,& ad ſentiendi membra pertinent: ſed tamen quicunque earum affectionum antecedentem actionem imperat,ipſas eaſdem naturæ lege conſequentes imperare videtur. Neque enim fieri poteſt, vt qui tam immane & ferox ſpectaculum videat, non admiretur & ſtupefiat. Quamobrem eodem modo omnia verba coniunxit: *Videte, ſtupeſcite, admiramini.*] Figura autem hæc in rhetoricis Incrementum appellatur, ſatis ad amplificandum accommodata: vt,

Propert. elegiarum li. 1.

Tunc mihi conſtantis deiecit lumina faſtus, *Et caput impoſitis preſſit amor pedibus:*

[*Quia opus operor in diebus veſtris.*] Propoſitio eſt, & totius narrationis caput: in qua rei magnitudo & grauitas explicantur.namq. cùm in ſacris libris operari legimus, grauius quid intelligere ſolemus,quàm ſi ſimpliciter, facere, legamus: illud enim verbū facere, cōmunem ſignificationē habet. operari autē certæ ſignificationis eſt,quo aliquid non ſolùm fieri, ſed etiā magna diligentia & molimine parari intelligimus. idq. in multis obſeruatū eſt exemplis: vt in illo, In operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator: & in illo, Da illis

ſecun-

ſecundum opera eorum, & ſecundum adinuentionem ipſorum retribue illis. Cùm ergo hoc in loco opus & operari audiamus, magnam quandam rem, & ſuo in genere grauem adornari intelligimus. Eſt autem hoc verè artis oratoriæ proprium, vt ſuis verbis ſingula proferantur, magna magnis, exigua exiguis. Quare cum rei magnitudine, quæ hoc in loco proponitur, rectè verborum magnitudo & grauitas coniungitur: quod etiam in Hebraica lingua aptius notatur. namque in duabus vocibus, opus, operor, duobus Iambis vtitur Vates: qui pes ad graues & acerbas res maximè eſt accõmodatus. [*Opus operor.*] Verbis Dei loquitur Vates, cuius perſonam induit, vt grauiorem orationem reddat: grauius enim quid auditur, cùm ipſum Deum verba facientem inducunt, ipſumque quaſi ante oculos ſtatuunt, quàm cum ab eo tanquam abſente accepta verba nobis reddunt. vnde in grauibus & magni momenti negotiis huius figuræ frequens eſt vſus; quam conformationem rhetores vocant. Sic Malachias: Ecce ego mitto angelum meum. Iſaias: In ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram, quia veni, & non erat vir; vocaui, & non erat qui audiret. graue quiddam atque vehemens huiuſmodi figuræ ſemper ſonant. Quòd autem dicit, [*Opus ego operor.*] id ſignificat, videlicet eam calamitatem non caſu aut fortuna, ſed diuino conſilio venturam: quandoquidem ea hominum peruerſitas eſt, vt plerumque, ne ſua agnoſcant malefacta, animaduerſiones atque pœnas non diuinæ iuſtitiæ, ſed fortunæ, & temporum varietati aſſcribant; cùm tamen horum nihil, neque in caſus, neque in fortunæ poteſtate, ſed in Dei voluntate & conſilio ſit poſitum: qui vrbes, regiones, & regna ob incolentium malitiam euertere ſolet, quemadmodum ſcriptum eſt: An eſt malum in ciuitate, quod non faciat Dominus? Ego (inquit Deus) ego ſum, qui ſupplicium vobis tam graue & ſeuerum mole multa paro: vtpote qui non ſemper religionis meæ contemptum inultum patior. [*Quod nemo credet cùm narrabitur.*] Epiphonema eſt, id eſt magnitudinis rei cum acclamatione æſtimatio, frequens & magni ponderis dicendi figura. vt illud: *Horreſco referens.* Atque totus hic verborum ſententiarumque ornatus ad maximum negotium maxima cum expoſitione amplificandum pertinet, vt & ſcelerum & culpæ, quæ huius pœnæ cauſa extiterint, grauitas diligentius æſtimetur, & iuſtitiæ diuinæ ſeueritas agnoſcatur. Quamobrem & eandem hanc ſententiam aliis enuntiatam verbis in libris Regum legimus, vt intelligamus hæc ad auditorum admirationem & ſtuporem, & ad rei magnitudinem explicandam prædici. ſic enim in loco illo, & apud Ieremiam legimus: Ecce ego inducam mala ſuper Ieruſalem & Iudam, vt quicunque audierit tinniant ambæ aures eius. Porrò illud veriſſimè à Deo enuntiatur, non credituros eos, qui audierint, tum propter eorum ipſorum contumaciam; tum etiam propter ingentem rei grauitatem: quæ cùm non ſit ex earum genere, quæ à confidentibus hominibus timeri ſolent, eorum fidem exceſſura huiuſmodi rerum prædictio videbatur. nam ex Ieremiæ Vatis hiſtoria intelligimus, quanta fuerit hominum de hac re incredulitas: cùm ſuis iidem ipſi ſceleribus blandientes, quæ diuinus Vates verbis exagitabat miris, tamen pœnarum terrores & minas illi omnes contemnebant, ipſumque Vatem, tanquam moleſtè nimis, & ſatyricè mordentem, multis affectum contumeliis explodebant. calamitatem autem eandem cum hoc Vates ille prædicebat.

Malach. 3. Iſai. 50. Amos 3. 4. Reg 21. Ierem. 19.

Quia ecce ego ſuſcitabo Chaldæos gentem amaram & velocem, ambulantem ſuper latitudinem terræ, vt poſſideat tabernacula non ſua.

CHALDÆA regio eſt in Babylonis ditione, inter ipſam Babylonem & Arabiam deſertam, & inter Tygrim & Euphratem ſita, aut ſecundũ Ptolemæum inter Euphratem & regium fluuium. iacet autem ad oriẽtem Iudææ terræ. In ea celebriores vrbes à Ptolemæo commemorantur, Idicara, Ceſa, Sorthida, Biranda, & Mardocææ regioni contermina Ielma. De qua regione copioſè Plinius, Strabo, & in libris Geographicis Volaterranus ſcripſere: ſed & multa apud Ieremiam leguntur. Frequens autem mentio Chaldæorum eſt apud Græcos & Latinos ſcriptores: atque adeò apud poëtas maximè. Sed hæc vox aliud in illis plerumque ſignificat, nempe homines magicæ artis, ſacerdotes, atque aſtrologiæ & matheſeos peritos, & qui ex aſtris futura diuinant, ſiue illi ex hac regione, vbi primum hæc diſciplina tradita memoratur, ſiue aliunde ſint, harum tamen artium peritiam teneant, de quibus Iuuenalis:

Chaldæos priusvocatos Cephenos ſcribit Stephanus.

Chaldæis ſed maior erit fiducia. quicquid Dixerit Aſtrologus, credent à fonte petitum Hammonis. Satyr. 6.

Sed nos hoc in loco Chaldæos intelligimus eius, quam deſcripſimus, regionis incolas. Qui cùm in Babylonis regno atque ditione eſſent, à Nabuchodonoſore in multarum gentium, atque regnorum excidionem conducendi erant. *Suſcito*, in perniciem veſtram & vaſtationem: verbum enim tranſlatiuum eſt ſuſcitare, ab his, qui vacantem aliquem

atque otio ſomnoque indulgentem ad munus aliquod obeundum excitant, & ſolicitant. Atque in hac ſignificatione frequenter à ſacris ſcriptoribus vſurpatur: vt, Suſcitauit Do-
2.Par.21. minus contra Ioram ſpiritum Philiſtinorum,& Arabum, qui confines ſunt Æthiopibus.
Pſalm.3. Atque illud ex hac ſignificatione eſt: Multi inſurgunt aduerſum me. & illud: Exurge Do-
Pſalm.7. mine in ira tua eadem namque dictio eſt in Hebraico exemplari. Omnia autem hæc exci-tationem & ſolicitationem ad aliquid vehementius agendum ſignificant, ſiue in malum, ſiue in bonum ſit. Quòd autem Chaldæos nominat certa & propria nota illos deſcribens, id ad auctoritatem & certitudinem vaticinij facit. Hoc enim intereſt inter veriſſima Dei reſponſa,& inter illa quæ à dæmonibus,& ab aruſpicibus,cæteriſq. vanarum & fallacium præſtigiarum profeſſoribus & diuinatoribus eduntur, quòd ab his incerta atque ambigua communibus verbis atque obſcuris, & ad vtrumque euentum paratis oracula edebantur. quale illud fuit: *Aio te Aeacida Romanos vincere poſſe.*

At verò quæ à diuino ſpiritu,& vero Dei conſilio reſponſa reddebantur, ea certiſſimis ſignata notis,& propriis verbis enunciata fuerunt, additiſque gentium, regionum, atque perſonarum etiam, per quas res gerendæ erant, nominibus, diuinam naturam vnam, veram & ſapientiſſimam, atque humanis rebus proſpicientem arguebant,& vatibus auctoritatem fidemque conciliabant: nam ſi diceret, Ego ſuſcitabo gentem quandam, &c. id fortunæ & temporis poteſtati aſcribi poterat, quæ (vt nonnulli putant) nihil æternum manere permittit, omnia permutat, omnia transfert. Sed cùm Chaldæos gentem velocem, copioſam, &c. deſcribat, id non ad fortunam, ſed ad certum ſtatutumque conſilium referri debet. [*Gentem amaram.*] Demonſtrationis & propoſitionis narratio eſt & expolitio quædam. Auget autem vehementer calamitatis deſcriptionem genere hoſtium, animis, promptitudine, & in vniuerſum facultatibus illorum expoſitis. ſolet namque in negotiis ſiue belli, ſiue pacis gerendis & voluntas & facultas ſpectari. hæc omnia partitione propoſita Vates explicat, in primiſque voluntatem exponit, dicens: *Amaram gentem.*] *Amaram* vox eſt actiua interdum, interdum autem paſſiua,& à guſtandi ſenſu ad animum commodè transfertur. nam quicquid acerbitate quadam moleſta vel palatum, vel animum alicuius afficit, amarũ illi eſſe dicimus; ac rurſus cuius aut ſenſus, aut animus huiuſmodi affectione laborat, eum amarũ eſſe dicimus; atque ita amarum os, palatũ, linguam, atque animum appellamus. Priori autem ſignificatione hoc in loco amaritudinis ratio vſurpatur; vt Chaldæos indignabundos iracundoſque eſſe ſignificet Deus, & ad nocendum attentos, & quibus nihil iucundius contingere poſſit, quàm ſi triſtitia & amaritudine quamplurimos af-
Pſalm.63. ficiant. Atque adeò hæc ſignificatio frequens in ſacris libris eſt: vt, Intenderunt arcum rem
Coloſſ.3. amaram. & apud D. Paulum: Viri, diligite vxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas. Eadem etiam tranſlatione Latini vtuntur ſcriptores: vt,

Iuuen.ſat.2.

Qui tunc leges reuocarat amaras
Omnibus, atque ipſis Veneri Martiq; timendas.

Horrendum igitur hominum genus & inuiſum Chaldæi: quorum animi ad amaritudinem inferendam attenti ſunt. [*Et velocem.*] Veloces nonnunquam Scriptura appellat, quos Latini temerarios & petulãtes, homines videlicet animi ſæuiſſimi, ac præcipitis conſilij, quibus ante confectum negotium eſt, quàm conſultum aut perpenſum: aptiſſimum genus ad commiſcendas & perturbandas res omnes, qui dummodo libidinem expleant ſuam, nihil ſibi non licere putant; hos Scriptura veloces vocat, [illegible]que vitium quo laborant, velocitatem appellat. Quæ quidem res à corpore ad animum ita transfertur, vt ſuo ſe in loco tranſlatio ipſa exponat. Eſt autem vox Hebraica *Nimhar*, quæ in Latinis Bibliis nunc feſtinatio, nunc celeritas, interdum velocitas, nonnunquam verò ſtultitia redditur, vt apud
Iſa.59. Iſaiam: Feſtinant, vt effundant ſanguinem innocentem. & in Prouerbiis: Pedes eorum ad
Prou.1. malum currunt,& feſtinant, vt effundant ſanguinem: vbi autem nos apud Iſaiam legimus,
Iſai.32. Et cor ſtultorum intelliget ſcientiam, Hebræi legunt, Et veloces corde intelligent ſcientiam. itaque temeritas & inconſulta actionũ properatio in his omnibus ſignificatur; Quod quidem hominum genus Hiſpani *Traujeſſos* appellant: quæ vox petulantiam atque temeritatem ſonat. Huiuſmodi igitur ingenia à ſe contra Iudæos excitata teſtatur Deus, gentem amaram & velocem. atque hæc ad voluntatem pertinent in rhetoricis præceptis: nunc autem facultatem explicabimus. [*Ambulantem in latitudinem terræ vt poſſideat tabernacula non ſua.*] Oſtendit facultatem eorum à copia & multitudine: vſqueadeò enim magnum exercitum ex Chaldæa regione collecturus erat Babyloniorum rex, vt non poſſet anguſtis capi locis, ſed planitiem omnem occuparet. Eſtque argumentum à relatiuis: nam ſi locum ampliſſimum eſſe oportebat, qui illos caperet, copioſiſſimum eorum exercitum eſſe neceſſe erat. [*Ambulantem ſuper latitudinem terræ.* aut; vt in Hebræo eſt, *ſuper latitudines.*] Numerum innume-

numerabilem eorum fore ſignificat : atque eo magis horribilem & formidoloſum, quòd veluti feræ ſuis ſiluis eiectæ, in alienas migrarent obuia quæque vaſtabundæ : nam cùm Chaldæa regio anguſtior eſſet, quàm vt indigenarum multitudinem capere & alere poſſet, nouas illi ſedes quærere, & ferro atque igni parare cogitarunt. Quod in cauſa erat, vt promptiores animos, ac vires firmiores eorum dux in eis experiretur, quos non ſolùm belli cupiditas, ſed neceſſitas ad nocendum adigeret. atque id eſt quod dicit: *vt poſſideat tabernacula non ſua.*] non ſolùm, inquit, alienas regiones, agros ac ſiluas, ſed vrbes atque domos, incolis aut pulſis, aut occiſis occupabit, alienisq. fruetur laboribus & fortunis. nam tabernaculi nomen totam domum cum ſuis ornamentis, & vniuerſa ſupellectile ſignificat. namque olim primos hominum in tabernaculis habitaſſe, ex ſacris & prophanis hiſtoriis accepimus, & à Victruuio in primo De architectura libro edocti ſumus. Sed poſtea quàm in vrbes conuenerunt, tabernaculorum vſus minus frequens eſſe cœpit, præterquam in campeſtribus Scythis, & in Arabum gente. hi enim cùm pecuariam rem exerceant, paſcua ſequuntur, neque fixas ſedes vſquam habent. ſed & qui militarem degunt vitam, tabernaculis caſtrenſibus vtuntur; cæteri verò hominum plerumq. domicilia colunt. Cùm ergo prima habitatio in tabernaculis fuerit, effectum eſt, vt pro vrbibus, pro oppidis, pro domibus, & pro quacunque habitatione tabernaculi nomen vſurparetur: quemadmodum & rates à poëtis pro quocunq. nauigio vſurpatur, cùm id genus materiæ rude atque impolitum primis nauigationis inuentoribus in vſu fuerit. Hoc eſt ergo quod Chaldæus exercitus curat, ruſticas & vrbanas aliorũ poſſeſſiones, propriis dominis bello ac cæde deturbatis vſurpare. *Non ſua*, aliena. habet autem vim & amplificationem illa negatio, *non ſua*, vehementiorem, quàm ſi diceret aliena: quaſi dicat indigna, quæ à tam iniuſtis poſſeſſoribus teneantur. Iuſtinus hiſtoriog.

Horribilis & terribilis eſt, ex ſe ipſa iudicium & onus eius egredietur.

AMPLIFICAT calamitatis terrorem, animum & vires deſcribens eorum, per quos ventura erat, primumque ſæuitiæ indicia & notas reperit: deinde vires, & in agendo celeritatem deſcribit. [*Horribilis.*] inquit, eſt, id eſt, ipſo etiam aſpectu & veniendi impetu horrorem atque terrorem iniiciet, vt apud Hoſſeam dies Domini magna & horribilis dicitur: Hoſſ. 2. eſt enim vtrobique actiua ſignificatio. Sed illud altius ſæuitiam illorum exaggerat, quod ſequitur, *Ex ſe ipſa iudicium & onus eius egredietur.*] Significat enim Chaldæam gentem ſuperbam nimium & inſolentem fore; quippe quæ nullis, neque naturæ, neque gentium legibus vtatur, nullis hominum conſiliis acquieſcat, neque ius aut æquitatem ſequatur, ſed ſuo tantùm conſilio, vel potius ſua libidine & temeritate pro legibus, proque rationibus ſit vſura: non alieno, inquit, iudicio, ſed ſuo tantum ſtabit, neque ex naturæ ratione, neque ex æquo & bono iudicabit res, ſed ex ſe, id eſt ex ſuo impetu ſuaq. temeritate: quemadmodum autem iudicauerit, ſic ſtatuet atque decernet, ex ſe ipſa iudicabit, ex ſe etiam ipſa decernet, ſententiamque pronuntiabit. Hoc enim *onus* ſignificat, quod Chaldęus interpres explicat ſcribens *Gezirathch*, id eſt, ſententia eius. Indicat ergo his verbis propheta Chaldæos in omni conſilio, in omnibus actionibus voluntatem tantùm pro ratione ſecuturos eſſe. quare nihil neque audacius, neque ferocius eſſe poteſt, in mentibus præcipuè temerariis, & ingeniis velocibus, vt paulo ſuperius dixerat. namque impotentiſſimę, & ad vindictam incenſæ feminæ hæc vox eſt: Iuuenal. Satyr. 6.

Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.

Conſideranda autem hoc in loco eſt barbarorum militum feritas & immanitas, atque effrenatus ad res gerendas furor: quibus quidem morbis vtinam Chriſtiani milites non laborarent.

Leuiores pardis equi eius, & velociores lupis veſpertinis.

ARGVMENTVM eſt à deſtinatis ſumptum: namque multum deſtinata atque inſtrumenta ad res gerendas conferre ſolent. Deſcribit autem inter præcipua inſtrumenta bellica equos ſuperbum animal, & ad bella præcipuè aptum, quodque non modicam victoriæ partem ſibi vendicare ſolet: iuxta illud, Equus paratur ad diem belli. Porrò optimi in hoc Prou. 21. genere ſunt & nobiliſſimi, qui curſu præſtant: nam pulchritudine excellere, ad luxum potius, quàm ad vtilitatem ſpectat.

Optimus hic quocunque venit de gramine, cuius Iuuenal.
Clara fuga ante alios, & primus in æquore puluis. Satyr. 8.

Et, vt Fabius inquit, equi ad curſum gignuntur. quod ſi ad hunc vſum geniti ſunt, conſequens eſt eos optimos eſſe, qui maximè hoc præſtiterint. Quamobrem in ſacris literis equi ob velocitatem; currus verò ob fortitudinem frequentiſſimè nominantur. vt: Hi in Pſalm. 19. curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Domini noſtri ſperauimus. Prædicat igitur

Vates

Quam rem innuit, dicens: *diffundentur,*] eò quòd nullus locus eos capere, nulla regio alere poſſit. quamobrem neceſſe eſt eos diffundi, vt prædas ſibi capiant. ſic vertit Chaldæus interpres: *Equites eius multiplicabuntur.*] Deinde autem rei conficiendæ celeritatem dexteritatemque explicat, dicens: *Equites namque eius de longè venient, volabunt quaſi aquila, feſtinans ad comedendum.*] Aquilarum genus rapaciſſimum eſt, & vehementer famelicum, atque adeò pernicioſum, vt ſæpenumero vna regio non ſufficiat ad duos nutriendos aquilarum pullos. Quare alterum abiicere ſolent tædio nutriendi. Et alioqui vnum par aquilarum magno ad populandum tractu vt ſatietur, indiget. Porrò in tota auium (quas nouimus) natura nulli maior honos, neque vis maior, quàm aquilæ eſt. Volatus autem & viſus tanta præſtãtia, vt in ipſam ſolis lucem intendat oculos, & nubes volando tranſcendat. Quare Dauid Saulem & Ionathan velociores aquilis fuiſſe dicit, cùm illos velociſſimos prædicare vellet. Vnde fit vt prædam procul proſpiciat, & ad eam quamcelerrimè aduolet. Hanc autem totam rem per ſimilitudinem ad Chaldæos hoſtes transfert Vates, ſignificans gentem illam, quæ ſuis non contenta finibus aliena inuaderet loca, famis ac ventris neceſſitate coactam, omnia quæcunque peteret loca eſſe vaſtaturam: neque verò fore vt voto aut conatu falleretur; quippe quæ non niſi in certas & exploratas regiones eſſet ventura, quas poſtquam occupauerit exinaniri & diripi neceſſe eſt, diffuſo per ſingula milite, & crebris decurſionibus omnia vaſtante. propterea, inquit, *diffundentur.*] quia quemadmodum aquilæ ſparia determinant, vt prædentur; ita iſti præ multitudine diffuſi, regiones, vrbes, atque oppida ad prædam determinabunt, nulliſque ſuis quas ſortiti fuerint, partibus parcent; quippe qui non tam mercede conducti, quàm viuendi neceſſitate bellum ſuſcipiant. Plin. lib. 10. cap. 3.

Omnes ad prædam venient, & facies eorum ventus vrens.

HACTENVS ſimilitudinem: nunc verò aſſimilationem ſubiungit. Quemadmodum, inquit, aquilæ prædam procul proſpectant, & ad eam celerrimè volant, ſic omnes hi ingenti prædãdi ſtudio agentur. Præterea communem & pernicioſam illorum vaſtationem ſubſolano vento comparat, qui in illis maximè regionibus vſque adeò vehemens eſt, vt ſegetes, agros, vineta, ſiluaſque exurat: quod ex multis Scripturarum locis, & experimento ipſo intelligimus. hic enim ventus eſt quem Pharao ſpicas exurentem ſomniauit, & quo Deus ad exſiccandum rubri maris cœnum eſt vſus. Quemadmodum igitur quacunq. perflat Subſolanus omnia exurit: ſic etiam hi obuia quæque populabuntur. [*Facies eorum.*] non quòd viſu & facie exurant, ſed quæcunque in conſpectu venientium poſita fuerint, ab ipſis vaſtabuntur. [*Ventus vrens.*] Periphraſis ſubſolani venti, quem Hebraica lectio nomine ſuo ſignat KADIM: ſed Latinus interpres vim & effectum potius, quàm vocem tranſtulit, vt planior eſſet ſenſus. קדים

Et congregabit quaſi arenam captiuitatem: & ipſe de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt. Ipſe ſuper omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam.

CVM Propheta hactenus Chaldæorum copias, illorumque animos, dexteritatem, & bellicum apparatum deſcripſerit; nunc id quod conſequens ad hæc erit, deſcribit, quæ ſcilicet horum geſta, quæ victoriæ, quæ prædæ atque vaſtationes futuræ ſint. quandoquidem neque magni reges, neque potentiſſimi principes pares futuri illis ſunt, neque ad reſiſtendum illis vllum conſilium, aut vis vlla ſufficiet. nulluſque adeò tutus erit locus natura, aut arte munitus, in quo ab iſtorum impetu & fortitudine cuiquam tutò eſſe liceat. Amplificat autem Vates rem partitione & enumeratione eorum, quæ regna, prouincias, & vrbes, fortiſſima & expugnatu difficilia efficere ſolent. Ea autem ſunt, reges ipſi in primis & duces, quorum conſilio ac virtute reſpublicæ reguntur & defenduntur. Deinde ipſa locorum munitio & commoditas, quæ interdum natura, interdum arte conſtat. [*Congregabit,* inquit, *ſicut arenam captiuitatem.*] Nam cùm populus innumerus ſit, & ſinguli prædas faciant, in immenſum excreſcet cumulum captiuorum multitudo, quam ſibi bello, gladioque parabit: perinde ac ſi arenam maris accumulare ſtudeat, quæ facilè effodientibus cedere ſolet, & maior in congerendo, quàm in eruendo labor ſuſcipitur. Quòd ſi quis congreganti reſiſtere aut repugnare moliatur, ſiue ſit rex, ſiue princeps quiſpiam potentiſſimus, fruſtra conabitur; quandoquidem gens illa reges omnes, omneſque principes cõtemnit & deridet; tantum ſuis viribus & multitudini fidit. [*De regibus triumphabit.*] illos deſpiciet & irridebit triumphantium more, qui principes hoſtium in triumpho ducere ſolebant, vt ſuam potentiam oſtenderent, eoſque riſui & ludibrio exponebant. [*& tyranni ridiculi eius erunt.*] Principes omnes tyranni olim dicebantur, donec ob dominandi inſolentiam, tyrannidis nomen in odium venit. ſic Virgilius: *Dextram tetigiſſe tyranni.* Hac ſignificatione De Crœſo hiſtor.

hoc in loco ab interprete nomen poſitum eſt. ſic etiam id Chaldæus interpres explicat,
שלטוניא ſcribens: *Siltonaia*, Soldanos, potêtes. eſt autem figura expolitio, reges, tyranni. Porrò ridendi verbum ad contemptum referri in ſcripturis ſolet, cùm quis viribus omnino impar aduerſus potentiorem aliquid conatur. nihil enim amplius efficere ſolet, quàm ſuas vires ſuoſque conatus in ludibrium & contemptionem adducere; quemadmodum contigit illis, qui aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius, gigantæos quoſdam furores conceperant; quos, qui habitat in cælis, irridebat, & Dominus ſubſannabat eos. ſic gens illa Chaldæa reges, & potentiſſimos prouinciarum principes irridebit & contemnet. Quòd ſi quis vt illorum effugiat manus, ad munitiſſimas confugiat vrbes; neque ibi tutus eſſe poterit: quandoquidem omnem munitam vrbem contemnet etiam, atque irridebit. nam ſi maximè in præcipiti editoque loco ſita ſit vrbs, vt illa gens innumera, & ad omnem occurſum in ſua virtute & fortuna confidens eſt, ingentem ex puluere cumulum admouebit, qui præaltum quemuis montem excellat atque hoc modo facilè ſibi ad expugnandum locum parabit viam; ex puluere, inquam, minutiſſimo cumulabit aggerem, nedum ſaxis, lignis, aliaq. materia: tantus eſt illorum numerus. In Hebraicis pulueris mentio fit, vt facilitas cuiuſcunque vrbis oppugnandæ ſignificetur. Porrò munitionis nomen vrbes & oppida ſignificat, non tam ædificiorum & murorum fortitudine, quàm ſitu, & natura loci munita. qualem Tyrum fuiſſe apud Ioſue legimus: quam hoc munitionis vocabulo inſignit, dicens: Et ad ciuitatem munitiſſimam Tyrum. cuius ſitum & fortitudinem ſi quis cognoſcere cupit, Quintum Curtium conſulat. Antiqui enim vrbes, quas munitiſſimas eſſe volebant, in editiſſimis & præruptis montibus ædificabant, vt loci naturæ fidentes tutius viuerent, & hoſtes minus timerent. qualem ſitum primam Græciæ vrbem Athenas habuiſſe legimus, & qualem in Ieroſolymæ deſcriptione celebrari videmus. Quòd ſi Chaldæorum exercitum nulla munitio, nulla vrbs, quamuis opere & natura firmiſſima, à direptione prohibere poterit, quid fiet in iis locis, quæ minus munita ſunt, & murorũ tantùm atque portarum propugnaculis vallata? Hoc argumento Vates rem in deſperationem adducit, cùm oſtendat nulla humana ratione Chaldæorum incurſionem & impetum infringi poſſe.

Tunc mutabitur ſpiritus, & pertranſibit & corruet: Hæc eſt fortitudo eius Dei ſui.

COMMVNE id quamplurimorum hominum vitium eſt, vt ſecundarum rerum proſperitate inflati atque elati, ſeſe homines eſſe obliuiſcantur, ſicut ſcriptum eſt: Homo cùm
Pſal. 48. in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Atque hæc quidem hominum ſuperbia & inſolentia in cauſa eſt, vt de ſummo proſperitatis gradu à diuina iuſtitia deturbêtur. Quæ quidem res ſi nobis omnium ſeculorum exemplis demonſtranda eſſet, non video quem commentaria noſtra finem eſſent habitura: cùm nulla olim ætas, nulla hodie dies huius argumenti innumeris vacet exemplis. magna enim eſt humanæ mentis perfidia, malitia atque mobilitas: ex quo fit, vt varios habitus pro vario rerũ euentu induat. Hoc vitio Vates Nabuchodonoſorẽ laboraturum prædicit. eam cùm in tantã rerum geſtarũ gloriã elatus eſſet, tãtum terrarũ & regnorum ſibi ſubiici conſpiceret, vt iam pro ioco duceret regum & tyrannorũ fortitudinẽ, exercitusque, quãuis numeroſos, atque vrbes omnes non ſolùm arte, ſed natura munitas contemneret: in eam inſolentiam & inſaniam incidit, vt ſe non exiſtimaret diuinæ voluntatis miniſtrum, quem verus & totius mundi gubernator Deus ad vindicanda in quibuſdam populis ſcelera ſtatuiſſet. Qua in re ſi quid victoriæ, potentiæ, magnitudinis & gloriæ fuiſſet adeptus, id omne ſummo Dei viuentis conſilio & voluntati acceptum referre oportebat. quæ tamen ille omnia Deo ſuo, hoc eſt, genio ſuo (qui illum ad tanta tamque præclara facinora, ſummumque gloriæ gradum extulerat) tribuit. hanc ſuperbiam illius ruinæ cauſam Vates futuram eſſe prænuntiat. Tunc, inquit, mutabitur ſpiritus Nabuchodonoſoris in arrogantiam & inſolentiam, vt qui de ſe humanè ſentire debuiſſet, & ſuam felicitatẽ Deo viuenti tribuere; tamen rationis modum fineſque pertranſeat, & fortitudinem ſuam Deum ſuum eſſe prædicet; neque verum Deum agnoſcat, cuius nutu atque conſilio omnia reguntur & gubernantur. [*Hæc eſt fortitudo eius Dei ſui*,] id eſt, ſuo genio fortitudinem & magnitudinem ſuã acceptam refert. In illa namque falſa gentium religione ſuos deos, ſuum genium, ſuamque Iunonem vnuſquiſque habere putabatur, qui ſibi priuata tutela & re conſulerent. Vt Plinius his verbis docet: Cùm ſinguli quoque ex ſemetipſis totidem Deos faciãt, Iunones geniosque adoptando ſibi. Quam quidem ad rem D. Auguſtinus reſpiciens, ex veterum ſententia, genium vniuſcuiuſque animam rationalem eſſe dixit; ideoq. ſingulorum ſingulos eſſe, & a gerendo quidam appellatos affirmant, quòd multa gerere poſſent, atque primùm genulos, deinde genios vocitarunt. Ideo etiam de eadem re Horatius:

Scit Genius, natale comes qui temperat aſtrum
Naturæ Deus humanæ, mortalis in vnum-
Quodque caput, vultu mutabilis, albus, & ater.

Horatius, 2. Epiſt.

Hic etiam ille Socratis dæmon fuiſſe à multis perhibetur. [*Spiritus.*] autem hoc in loco pro animi motu & impulſu,quo homo ad aliquid intelligendum agendúmue excitatur, accipitur:qualia multa frequentiſſimè in ſacris libris leguntur: vt,Spiritus amaritudinis, ſpiritus doloris atque iræ. iuxta quam rationem ſcriptum eſt: Excitauit Dominus ſpiritum Phul.&:Excitauit Dominus contra Ioram ſpiritum Palæſtinorum,& Arabum. Sic etiam Nabuchodonoſoris ſpiritum Dominus in Iudæos,aliaſque gẽtes excitauerat. ſed ille mutabit ſpiritum ſuum, ita vt non à Deo viuente,ſed à ſe ipſo ſuo genio, ſuaque fortitudine excitatum eſſe prædicaret. [*Pertranſibit.*] rationis & ſapientiæ modum atque menſuram excedet. [*Errorrnet,*] in arrogantiæ & elationis crimen. nam verbum eſt Hebræis ASSAM, quod peccare, ruere & euertere ſignificat. Chaldaicè autem ſic exponitur HAB, id eſt, peccabit, Dei viuentis gloriam,& laudem falsò ſibi genioque ſuo attribuens.

Xenophon. 1. Paralip. 2. Paralip.

Numquid tu à principio Domine Deus meus, ſancte meus: & non moriemur? Domine in iudicium poſuiſti eum, & fortem, vt corriperes, fundaſti eum.

ACCVSAT Propheta impietatis Chaldæorum regem,& hac occaſione ad Deum prouocat omnis iniquitatis vindicem & iudicem ſeuerum.Interim autẽ ipſius miſericordiam captat ſupplexque implorat. Quare,inquit,barbarus hic hoſtis tantum Deo ſuo, virtuti & potentiæ ſuæ tribuit,cùm tibi omnia accepta referre deberet Deo vero & omnium rerum conditori,qui à principio ſemper fuiſti Deus,totius mundi fabricator,qui vniuerſa gubernas,cui nullum eſt principium,nulluſque finis,qui rebus omnibus principia ponis,ipſiſque Nabuchodonoſori,vt in rerum natura eſſet,principium poſuiſti;deinde vt rex eſſet,& per eum populos rebelles punires,per te conſtitutũ eſt:Sed & tu es etiã ille Deus verus, qui nos in populum tuum ab antiquis diebus ſanctificaſti,cuius nomẽ apud nos ſanctiſſimum eſt. Populus tuus omnes nos ſumus,tu Deus noſter, ſanctus noſter, cui nos peculiari quodam religionis iure dedicati ſumus.quæ res multis nationibus,& vniuerſo iam orbi nota eſt, ob antiquam & veterem beneficiorum & miraculorum gloriam,quibus te nobis eximio quodam fauore conſulere teſtatus es. neque ego, inquit Vates, tantùm laboro iſtius metu tyranni; quandoquidem ſcio te, qui patres noſtros electos olim ex hoſtibus fortiſſimis liberaueris,effecturum etiam,vt ſi maximè caſtigemur, tamen non pereamus. Cur enim nos moriemur, antiqua gens tua, qui te verum Deum à principio,& ante principium fatemur, cui omnium rerum imperiũ religiosè & verè tribuimus; & ſi ſceleribus cõtaminati & polluti multis, tamen ab hac confeſſione nunquam alieni ſumus, quòd tu Deus noſter es rerum omnium fabricator, atque moderator : atque nos hac ſaltem in re iuſtiores ſumus, quàm impius iſte princeps,qui te non agnoſcit, gloriamque ſuam & magnitudinem ſibi ipſi ſuæque virtuti aſcribit,atque hoc ſolum pro Deo colit. Huius tantæ inſolentiæ offenſione & indignitate vehementer moueor. hæc eſt huius verſus ſententia: [*Deus meus ſancte meus.*] Perſonam totius populi ſuſtinet hoc in loco Vates, id eſt, quem nos ſanctiſſimum colimus & adoramus, qui nos in peculiarem tutelam ſuſcepiſti; atque id variis & admirandis rationibus teſtatus es,atque ita in nobis ſanctificatus,quemadmodum ſcriptum eſt: Dominus redemptor veſter ſanctus Iſraël. & rurſus: Ego Dominus veſter creans Iſraël, rex veſter. Si ergo nos populi ſumus & gens tua, hic autem princeps tantùm à te in punitionis miniſtrum inſtitutus; ſi nos in eadem confeſſione permanemus,ille verò deſipit;neque tuum ſe miniſtrum prædicat, ſed potentiam virtutemque ſuam iactat, iuſtiores quidem illo ſumus;quare ergo moriemur?vt ille cogitat omnes nos non ſolùm in exilium pellere,& Babyloniam captiuos ducere,ſed acerbiſſimè necare & trucidare,ita vt nomen noſtrum prorſus extinguat,qui tibi dicati ſumus, ſuum autem nomen, qui te felicitatis ſuæ auctorem non agnoſcit,quàm celeberrimum reddat.quod quidem non fiet, cùm tu iudex ſis integerrimus. Quod autem ad dicendi rationem pertinet, locus eſt ex comparatione, quam rhetores contentionem vocant,hoc modo:Si tu nobis ſanctus es,& hæc ſanctitas ad tuã gloriam nominis pertinet: contrà verò ſi iſte ad hoc negotium abs te conſtitutus erat, neque tamen te ſanctum iſte fatetur, non decet tuam iuſtitiam, tuamque miſericordiam, vt nos moriamur; iſte verò fortuna omni proſperè fungatur. [*In iudicium poſuiſti eum, & fortem,vt corriperes, fundaſti eum.*] id eſt,vt iudicij tui miniſter eſſet,quod in populos quoſdam exercere parabas,atque ad hoc fortitudinem impartitus illi fueras,non autem in populorum perniciem,& orbis exitium,vt ipſe apud ſe cogitat, quaſi nulla ratio commiſſi officij eſſet reddenda. Verùm enimuerò

Iſai 43. 44

Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum.

Et maleficos impunè peccare permittas:

Et reſpicere ad iniquitatem non poteris,

Pſal. 5. Inoffenſis oculis,& ſemper conniuentibus: Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es;
» neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos. [*Iniquitatem.*] Idem hæc dictio ſignificat, quod iniuria & tyrannis.

Quare non reſpicis ſuper iniquè agentes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe? Et facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens principem.

Indignatione & miſericordiæ prouocatione querelam ſuam apud Deũ deplorat;querelam, inquam,quotidianam iuſtorum hominum, & eorum, quibus iniquitas & iniuſtitia diſplicet;quales ſi multi in rebuſpub.eſſent,non tam frequens eſſet inferendæ iniuriæ conſuetudo atq. vſus: ſed hic locus iam ſuperius à nobis eſt explicatus. Quod autem ad artem pertinet, figura eſt, quæ apud rhetores commoratio dicitur, à nobis in Rhetoricis noſtris firmamentum eſt appellata. Ea eſt,vt deſcribit Cicero, cùm in loco firmiſſimo, quo tota cauſa continetur,manetur diutius,& eodem ſæpius reditur. Tota autem cauſa, quam Vates in hoc libro agit,præcipuè circa diuinam prouidentiam verſatur,quam diſputationem ab initio ſuſcepit,occaſionem ex Iudaica, quam vaticinatur, calamitate nactus. Illud autem hoc loco animaduerſione dignum arbitramur,ex duobus argumentis,quibus aduerſus diuinam prouidentiam homines diſputant,alterum grauius multo eſſe,quàm alterum:nempe proſperitatem improborum,quàm proborum calamitatem. namque & improbitas adeò certa & aperta eſt, vt negari aut diſſimulari non poſſit; imò ipſa ſuis partibus omnibus prodatur & indicetur. Probitas verò non adeò certa in hominibus eſt, vt omnem vitij ſuſpicionem excludat:facilius enim eſt, quiſnam turpiter atque improbè, quàm quis purè & innocenter viuat,iudicare & teſtari. Latent enim occulta in hominibus aliquando vitia,quæ Deo tamẽ manifeſta & aperta ſunt;ex quo fit, vt improbos proſperitate aliquando vſos affirmare facilius multo ſit,quàm eos,qui in miſeria ſunt,probos apertè teſtari,cùm
Pſal. 18. in promptu ſit illa ſententia: Delicta quis intelligit,occulta, &c. Fortaſſe enim hi qui iuſti iudicantur ab hominibus,occultæ alicuius,vel præſentis,vel præteritæ culpæ pœnas luunt. Atque hæc eſt cauſa,quamobrem Vates gentis ſuæ,hoc eſt, Iudæorum probitatẽ, vel non allegaret,vel ex comparatione tantùm leuiter indicaret, quòd hac in parte locum, quo niteretur,non haberet,illo autem altero argumento inſiſteret,quod apertiſſimum & grauiſſimum eſſet, hoc eſt improborum proſperitate obiicienda.

Totum in hamo ſuo ſubleuauit,traxit illud in ſagenam ſuam, & congregauit in rete ſuum. Super hoc lætabitur & exultabit, propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo: quia in ipſis incraſſata eſt pars eius, & cibus eius electus. Propter hoc ergo expandit ſagenam ſuam, & ſemper interficere gentes non ceſſat.

Ex ſimilitudine orationem in allegoriam commutauit. Eſt enim, vt Quintilianus ait,
Vide Ariſto. ad Theodect. grata in eloquendo nouitas & commutatio. Porrò allegoria metaphora perpetua eſt, quæ aliud verbis, aliud ſenſu oſtendit, cuius frequentiſſimus in ſacris libris vſus eſt, de qua nos aliàs plura & exactius; quandoquidem neceſſariam admodum huius figuræ cognitionem
Titelmãnus in Præfatione in Iſaiam. Theologis eſſe cõſtat. Igitur cùm bonorum & malorum hominum negotium piſcibus & reptilibus aſſimilauerit,quæ ſine vindice à fortioribus deuorantur,eandem hanc ſimilitudinem perſequitur;cuius hæc ſententia eſt: Nihil humanius Nabuchodonoſor de hominum genere iudicat,quàm piſcator de piſcibus iudicare ſolet,quos omnibus artibus expiſcari & captare nulla ratione ſibi vetitum putat; omneſque in cibum aut lucrum expoſitos eſſe credit. Quapropter omnibus piſcatoriis inſtrumentis mare peragit, idque tamdiu ſibi licere arbitratur,quàm diu piſces non deficiant;omnes enim in ſuum vſum creatos eſſe dicit, & cùm proxima exhauſerit loca,longinqua petit.

Iuuenalis Satyr. 5. *Dum gula ſæuit Retibus aſſiduis penitus ſcrutante macello Proxima,nec patitur Tyrrhenum creſcere piſcem;*
vt inquit Satyricus. Hoc apud ſe piſcator ſtatuit:quippe qui nullum vindicem metuit,qui ſe à captura arceat, nec vlla diuina aut humana lege, ab huiuſmodi officio interdictum ſibi eſſe nouit, ſed naturæ lege vniuerſa hæc animantia in ferarum genere numerata, & ex conſequenti communia eſſe cenſet. quod autem de piſcium & reptilium genere
Inſtitut. li. 1. de iuſtitia & virtute. piſcator ſtatuit, idem apud ſe de hominibus Nabuchodonoſorem ſtatuiſſe Propheta oſtendit; videlicet, nullo ſe numine, nullo iure, nulla lege prohiberi, quo minus hominum vita,ſalute, fortuniſque omnibus pro ſua libidine fruatur, omniaque humana in ſuum vſum & vtilitatem eſſe expoſita,& tantum ſibi in ea re licere, quantum ipſe bello & armis ſibi parauerit. neque ſe Dei miniſtrum, ſed virtutis ſuæ ſatellitem iudicat. Vnde fit, vt nullum bellandi finem faciat, nullumque in bello modum habeat, ſed propriæ

tantum

tantùm gloriæ & vtilitatis ſtudio ardens, inſolenti & ſuperba victoria in omnes vtatur: nec tamen vno regno neque altero, neque vna aut altera natione in ſuam poteſtatem redacta, contentus ſit; ſed ſummum totius orbis expetens imperium, nullam prouinciam, nullamq́. gentem à ſuis armis tutam eſſe patiatur. [*ſed totum in hamo ſubleuauit.*] Hamum per tranſlationem arma vocat, quibus homines in bello tanquam piſces hamo capiuntur. [*Et in ſagenam ſuam traxit illud.*]. id eſt, maximo & fortiſſimo exercitu expugnauit. [*Et congregauit in rete ſuum*] Expolitio rhetorica eſt, idem ſignificans, ſed rem magis exaggerans. Sagena enim & rete figura tantùm & poſitura differunt, cùm vtrumque lino in caſſes feneſtrato conſtet. Vtrumq. autem pro exercitu & copiis ponitur, quibus omnia capiebat, & vaſtabat barbarus imperator ille. [*Super hoc lætabitur & exultabit, propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo.*] Cùm Nabuchodonoſor victorias omnes & felicitatem ſuam à diuino conſilio ad ſuam fortitudinem & fortunam transferret, nullum belli finem faciens, fortunam ſuam ſequi cogitabat, & quo pluribus proſperabatur ſucceſſibus, eo ſibi placebat magis, ſuamq́ue virtutem & exercitum impenſius laudabat; atque id ſolùm pro numine Deoq́ue colebat, quia victorias triumphosq́ue omnes per ſuam virtutem & exercitus fortitudinem indies creſcere & augeri ſibi perſuaſerat. Sacrificabat ergo ſagenæ & reti ſuo trophæa atque titulos ſtatuendo, quæ belli laudis, victoriarumq́. inſignia & monumenta ſibi apud poſteros eſſent. [*Quia in ipſis incraſſata eſt pars eius, & cibus eius electus.*] Perſtat in allegoria. Dignum putat, inquit, ſuam virtutem & fortitudinem ſplendidiſſimis gloriæ monumentis illuſtrare; vtpote qui tantum terrarum & regnorum imperio ſuo adiecerit. [*Propter hoc expandit ſagenam ſuam, & ſemper interficere gentes non ceſſat?*] Hic verſus apud Hebræos cum interrogatione legitur: quæ figura elegantiorem orationem reddit, & affectum explicat vehementiorem. Eſt autē totius orationis concluſio & intentio, qua Nabuchudonoſor tanta felicitate indignus eſſe arguitur, ac ſi pluribus diceret: Tantíne Domine Deus impietas & inhumanitas abs te fit, vt ab impiiſſimo tyranno & ſceleratiſſimo ambitionis miniſtro totum orbē turbari permittas, neq. à perdendis populis prohibeas? Itáne ſua ille fructur inſania? qui te proſperitatis ſuæ auctorem non agnoſcit? atque eo magis conſultum ſibi eſſe putabit, quo magis erga te impius, & erga mortale genus crudelis fuerit? Eſt autem argumentum ex abſurdis & repugnantibus: interrogatio verò latentem habet negationem, ſicut & illa: Si fuerint quinquaginta iuſti in ciuitate, peribunt ſimul? [*Et ſemper interficere gentes non ceſſat.*] Hoc vaticinium ad hiſtoriā pertinet. nam victoriarū magnitudine elatus Nabuchodonoſor, & dilatandi imperij cupidus, non vicinis ſolùm & finitimis, ſed longinquioribus etiam bellum intulit, & totum orbem inuadere cogitauit. Conſtat autem illius victorias plures & maximas fuiſſe. nam Nechum Ægypti Pharaonem iuxta Circanim vrbem vicit, & totam Syriam Peluſium vſq. (Iudæa dempta) vna belli expeditione confecit, Iehoiachim regem Hieruſalem tributarium fecit; eundem poſt hæc vrbe capta occidit: poſtremò templum incendit, & Iudæos captiuos Babyloniam duxit. quæ omnia & in ſacris libris, & Ioſephi, & aliorum Hebræorum hiſtoriis leguntur. [*Expandit ſagenam ſuam.*] Hebraicum verbū ſignificat euaginauit vel excuſſit. Idem enim eſt cum eo, quo vtitur Scriptura; cùm filios Iacob ex Ægypto redeuntes, ſaccós ſuos excuſſiſſe, & argentum in eis inueniſſe narrat. Significat autem lectio hæc Nabuchodonoſorem frequenter domum prædæ onera depoſitum rediiſſe, quemadmodum piſcator facit, qui vaſa piſcibus captis plena frequenter domi exonerat. Chaldaica autem lectio non euaginare ſagenam, ſed mittere interpretatur. ſed vtraque ſententia eandem rem oſtendit: ſiue enim ſæpe rete exoneretur, ſiue explicetur ſæpe, piſcandi frequentationem vtrumque indicat, tametſi præda certior retis exoneratione ſignificatur.

Sagena.

Gen. 25.

CAPVT SECVNDVM.

SVPER *cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper munitionem: & contemplabor, vt videam quid dicatur mihi, & quid reſpondeam ad arguentem me.*

DOCET nos hoc in loco diuinus ſpiritus, nulla in re deſperandum eſſe iis, qui vera pietate & religione Deum colunt. nam & ſi quis nullum calamitatum modum, nullam conſolationem in miſeris rebus inueniat; tamen ſpem abiicere atque animum deſtituere, exigui & puſilli ingenij indicium eſt. Imò etiam in maximè dubiis rebus maximè ſperandum eſt. Commouet enim hæc ſpes diuinæ naturæ bonitatem & miſericordiam, ita vt non patiatur Deus eos, qui ſic affecti ſunt, diu vexari; ſed illos ex omni ſolicitudine & labore tempeſtiuè liberet. Tali quidem erga Deum pietate erat Habbakuq; qui tametſi de diuina prouidentia anxio & ſolicito animo eſſet, ſuiſq́ue & aliorum

Pijs ſemper ſperandum.

de hac

de hac re argumentis premeretur, neque vllum quæſtionis finem inuenire aut excogitare
poſſet, cumque Deum de hac re conſuluiſſet, idq. omni argumentorum & querelarũ ge-
nere dilataſſet; non tamen dilata ſatisfactione deſperauit, ſed tam diu perſtitit, donec cer-
tum de maxima & difficillima quæſtione à numine reſponſum referret. Tantum pia fides,
tantum perpetua in propoſito ſuſceptoque conſilio conſtantia valet. Atque id eſt quod
huius capitis initio indicatur: *Super cuſtodiam meam ſtabo.*] Ipſius prophetæ oratio eſt, ſuum
Cuſtodia. conſilium ſuumque officium ſe non deſerturum profeſſi. Vtitur autem translatione ſum-
pta ab hominibus, qui in ſpeculis collocantur, ex quibus hoſtium res obſeruant, & ſociis
ſuis ſigno aliquo ſublato indicant. Ad hunc autem modum Deus prophetam ſuum ſtatue-
Prophetas hominum vtilitatis cauſa creatos. rat, vt venturam à Chaldæis calamitatem prophetico ſpiritu præuideret, & Iudæorũ gen-
ti prædiceret. Prophetarum autem munus ad hominum potius vtilitatem, quàm ad in-
commodum inſtitutum eſt, ſed quæ ipſe hactenus viderat ad malum & pernicié ſuæ gen-
tis & aliarum, atque adeò ad piorum hominum anxietatem & ſolicitudinem pertinebant:
quandoquidem non ſolùm de bello Iudæis à Chaldæo principe inferendo in illo vaticinio
agebatur, ſed diuina prouidentia in dubium & quæſtionem veniebat. Hinc eſt quod vates
dicit, ſe neque ſibi neque officio ſuo ſatisfacere poſſe, niſi ab eodem prophetico ſpiritu ali-
quid reſponſi referat, quo ſolicitudinem anxietatemque iſtam ſuo piorumque hominum
animis excutiat. [*Super cuſtodiam meam:* Chaldaicum exemplar habet, *vigiliam meam,*] voca-
bulo eandem rem quam nos expoſuimus, apertius ſignificante; quaſi ſignificet vates non
ſe relicturum propheticam ſtationem, & officij contentionem, donec habeat quid de hac
re piis hominibus reſpondeat. [*Stabo,*] non ſedebo, ſed exſpectantis & vigilis munus ſuſce-
ptum exequar. [*& figam gradum ſuper munitionem.*] Idem aliis verbis dicit: quæ repetitio rem
aliquam vel negotium vrgentibus propria eſt. vt apud Satyricum: *Nocte boues macri laſſóq;
famelica collo Armenta.* alterum enim alterius expolitio eſt. Stare & figere gradum idem v-
trumque ſignificat, & à propoſito non declinandi firmitudinem indicat; ſed prior à poſte-
riori corroboratur. [*Super munitionem,*] Ad eandem translationem pertinet: nam vigiles &
cuſtodes in munita aliqua ſpecula collocantur, vnde & hoſtium res proſpectas ſuis indi-
cent. Munitionem autem pro muro aut turri vel arce vſurpari in diuinis ſcripturis multis
oſtenditur locis, vt apud Zachariam: Ædificauit Tyrus munitionem ſuam. Pulcherrimè
autem vatum officium hac translatione depingitur, nam & mali & boni & commodi &
incommodi interpretes; futura mala prænuntiant, & quibus caueri poſſunt, monent; atque
futurorum etiam bonorum indices nuntiique ſunt. [*Et contemplabor, vt videam quid dicatur mihi,*
. צפה *& quid reſpondeam ad arguentem me.*] Accommodato ad ſpeculatores verbo vſus eſt; *Aſcappe,*
Hebraicè eſt aliquid intentis oculis acerrimè contemplari: qui conſiderandi modus pro-
prius philoſophãrium eſt, qui rerum naturas & cauſas quàm maximè contemplantur, per-
ſpectasque aliis exponunt. Sic Tullius, cæleſtia contemplari in philoſophicis libris ſæpe
vſurpat. intentis itaque oculis ſe proſpecturum dicit Vates, donec à Deo doceatur, quem
ſit euentum habitura propoſita quæſtio; indeque reſpõſum colligat, quo arguenti reſpon-
deat; nam prophetæ & doctores in religione huiuſmodi quæſtionibus ſæpe à multis con-
ſuluntur, & quandoque grauiſſimis tanguntur argumentis. Quamobrem eos in ſacris litte-
ris apprimè verſatos, & in omni quæ ad veram pietatem pertinet quæſtione, quam maxi-
mè ad reſpondendum promptos eſſe: hoc enim, & ad diuinum cultum & religionem & ad
„ hominum vtilitatem plurimum præſtat, quare & ſcriptum eſt: Labia ſacerdotis cuſtodiét
2. Tim. 3. „ ſcientiam, & legem ex ore eius requirent. Qua etiam de re egregium illud D. Pauli præce-
„ ptum extat: Et quia ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per
„ fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu: Omnis enim ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad do-
„ cendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit ho-
„ mo Dei ad omne opus bonum inſtructus. In hoc conſilio noſter Vates perſtabat, cùm hæc
diceret: in quo perſtare decet eos omnes, qui pium populum erudiendum munere & offi-
cio ſuſceperunt: quibus ad omnem propoſitam quæſtionem quid reſpondeant, in ſacris
ſcripturis paratum eſt. Quòd ſi difficilis adeò aliqua quæſtio occurrat, cuius ratio & re-
ſponſio eorum mentem, & in legendo diligentiam fugiat, protinus ad Dei ſapientiam &
liberalitatem eſt recurrendum, qui omnibus dat abundanter, pluſquam petimus aut opta-
mus. neque vnquam aliquis ad eum pia & ſupplice oratione recurrit, quin multo quàm an-
tea de diuinis myſteriis doctior redeat. Quam quidem ad rem huius vatis exemplo mo-
nemur. [*Quid reſpondeam mihi,*] Hebraicè legitur *in me,* quæ lectio propheticum reſponſum
indicat. Illuſtrat namque diuinus ſpiritus vatum mentes, & intra ipſorum animos diuinæ
ſapientiæ documenta infert. quæ docendi forma potentior multo eſt, quàm ea quæ per au-
rium aut oculorum officium inducitur.

Et reſpondebit mihi Dominus, & dixit.

IN nonnullis codicibus legimus *reſpondebit*, in aliis verò *reſpondit*, idem tamen in omnibus ſenſus eſt:nam ſententia præteritum tempus dicit, etiam ſi vox futurum ſonet: ferè enim illud in Hebraicis perpetuum eſt, vt futurum tempus cum coniunctione vau (quæ idem cum noſtra,&,ſignificat) ad præteritum referatur, & rurſus præteritum cum eadem coniunctione iunctum,futuri habeat ſignificationem.ex quo fit, vt coniunctio illa vau, ab illius linguæ grammaticis conuerſiua ſiue permutatrix appelletur. Hoc autem præceptum cùm alij multi,tum D. Hieronymus frequenter obſeruauit. Latinus verò interpres, non ſemper eundem retinet modum: plerumque enim Latinam ſecutus grammaticam tempus non tempori,ſed ſignificationi reddit: & vbi in ſenſu præteritum eſſe debet, præteritum reponit:pari rurſus ratione futurum. Interdum verò eodem, quo apud Hebræos eſt, tempore interpretatur,nullo tamen ſententiæ diſpendio,modò hoc,quod oſtendimus, de hac coniunctione præceptum diligenter teneatur.ſed de grammatica ratione ſatis. Quod autem ad theologicum ſpectat ſenſum,conſiderandum diligenter eſt, quàm præſto Deus ſit conſilio & auxilio iis,qui eius miſericordiam implorant. Iacta,inquit diuinus Vates, ſuper Dominum curam tuam,& ipſe te enutriet:non dabit diu fluctuationem iuſto:& iterum; Accedite, inquit, ad eum,& illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. Non paſſus eſt hoc in loco Deus Vatem ſuum Habbakuq diuturna animi cogitatione vexari, neque illius vultum apud eos, qui ipſum de hac re interrogarent, hæſitatione rubere. Sed apertiſſimo atque certiſſimo reſponſo,& vatem ſuũ ſolicitudine liberauit, & cæteros quos hæc vexat quæſtio, manifeſtam docuit veritatem. Pſalm. 54. Pſalm 33

Scribe viſum & explana eum ſuper tabulas: vt percurrat qui legerit eum. quia adhuc viſus procul, & apparebit in finem, & non mentietur. Si moram fecerit exſpecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.

IVBET Deus prophetam ſuum ſolicitudinem hanc deponere, atque docere homines quid in hac quæſtione de impiorum proſperitate ſit exſpectãdum, iubetque vt reſponſum de hac re ſcriptura perſequatur,& in publicas tabulas inferat; quo diuinũ de hac re conſilium & iudicium notiſſimum omnibus, & quàm teſtatiſſimum ſit, nec cuiquam amplius de diuina erga homines prouidentia, ſcrupulum aut dubitationem hæc ſceleſtiſſimorum hominum proſperitas iniiciat. [*Scribe viſum.*] maximam certitudinem ſignificat,cùm non ſolùm auditu,ſed prophetico viſu id Vates cognouerit, quod mox cæteris hominibus indicaturus ſit.Scribere autem iubetur,vt maximè teſtatum ſit conſilium, atque à pluribus percipiatur,& monumentis in omnium ſeculorum poſteritatem conſeruetur. namque ea eſt ſcripturæ commoditas & vſus, vt apud abſentes & futuros homines rerum geſtarum narrationem,eadem qua acceperit fide,iiſdem omnino verbis exponat. quod autem tabulis & non libro aut volumine ſcriptum eſſe vult,id facit, vt ſuum de hac re cõſilium in medio poſitum,& manifeſtum omnibus ſit.nam libri & volumina volui & ſignari ſolent, & non omnibus edi,& intra ſcrinia contineri;quippe cùm ad hanc rem facilè accommodentur:tabulæ in publico propoſitæ loco,& qui legentium oculos non fugiat, ad hoc maximè proponuntur,vt cognoſcendi poteſtas populo ſit,atque ſemper expoſita repetendaque lectione omnium (quorum id cognoſcere intererit,quod in ipſis ſcriptum eſt) negligentiam & ignorationem accuſent. Tabulas verò multitudinis numero propterea nominat, quòd pluribus hoc conſilium iudiciumque ſuum Deus notum atque manifeſtum fieri velit, cùm plures tabulæ idem argumentum omnino continentes non ad hoc ſcribantur, vt in vno loco omnes, ſed ſingulæ ſingulis ſuſpendantur locis. [*Et explana eum.*] Quamuis ſoli Vati viſum hoc datum à Deo ſit, neque omnes ad propheticam viſionem ſint apti, nullum tamen expoſitionis illius non participem fieri vult Deus: ideoque iubet explanari viſum, eo potiſſimùm modo, quò maximè legentibus poſſit eſſe notum & manifeſtum. nullis igitur ænigmatibus, nullis allegoriis, nullis dicendi figuris; ſed noto, quotidiano vulgarique ſermone (quemadmodum & Vates facit) id tractari iubet; neque ſolàm dictionis rationem perſpicuam manifeſtamque eſſe vult Deus, ſed ipſas characterum atque literarum figuras prægrandes lectuque facillimas depingi.atque id eſt quod dicit: [*Vt percurrat qui legerit eum;*] id eſt,vt ſine vlla cunctatione à quouis & legatur & intelligatur,vt diuinum de hac re cõſilium apud hominum animos, quam maximè teſtatũ ſit,& ab omnibus iuſtũ Dei iudicium futurũ expectetur.nã fieri non poteſt vt tẽpore idoneo & opportuno loco nõ veniat,quicquid Deus ventutũ prædixerit. non enim Deus mẽtiri aut fallere vnquã poteſt;nec eſt quicquã quod illius impediat conſiliũ & voluntatẽ: Quare & quod ille venturũ dixerit,ſiue in hominũ vtilitatẽ,ſiue in eorundẽ incõmoditatẽ & ſuppliciũ prædicatur,id ſuo tẽpore veniat neceſſe eſt:dum tamen eadẽ vel beneficij vel supplicij

inferendi ratio maneat. Solet quidem ille ſæpe malum aliquod minari, quod tamen aliqua differtur mora, dum reſipiſcendi tempus iis conceditur, quibus minæ illæ & pericula intenduntur, ſicut ſcriptum eſt: Non tardat Deus promiſſionem ſuam (ſicut quidam exiſtimant) ſed patienter agit nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. Solet idem beneficiorum ſuorum promiſſiones differre, vt diuturna piorum exſpectatione magis deſideratæ, tandem non ſine fœnore & temporis vſura cumulatiores accedant. Verùm enimuerò tametſi diuina ſupplicia non in ipſa peccandi occaſione de impiis ſceleratiſque hominibus ſumantur, tametſi inducias nonnunquam faciant; tamen diuina beneficia commodam iuuandi occaſionem nunquam amittunt; ſcriptum enim eſt: Et factus eſt Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Quòd autem in ipſa ſemper benefaciendi opportunitate præſtò ſit, malorum verò pœnis repetendis ſæpe ſit cunctatus, illud in cauſa eſt, quoniam Deus noſter multus eſt ad ignoſcendum, longanimus & miſericors, & præſtabilis ſuper malitia. At verò cùm vel breuiſſima temporis mora ab hominibus longiſſima, ob animæ naturæ imbecillitatem iudicetur, fit vt de futuris rebus interdum ſtultè deſperetur, non attendentibus videlicet neque intelligentibus, vt inquit Petrus, quòd vnus dies apud Deum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies vnus. Quam quidem ob rem de hoc nos negotio ipſius Dei verbis per Vatem admonemur. inquit enim: *Quia adhuc viſus procul, & apparebit in finem, & non mentietur.*] id eſt, tametſi aliquantum viſionis differatur euentus, idoneo tamen tempore apparebit & demonſtrabitur, ſiue vt Chaldaica habent, *conſtabit in finem*: id eſt, tandem. Nam vt inferius oſtendemus, poſt ſeptuaginta annos ab excidio Ieroſolymitano hoc vaticinium impletum eſt, & non erit vanum quodcunque per vatem ſuum Deus prædixit. [*Si moram fecerit exſpecta illum, quia veniens veniet & non tardabit.*] Hæc ex his quæ ſuperius diximus, explicata ſunt. Eſt autem expolitio elegantiſſimè repetita, quæ piorum hominum tolerantiam exigit, & impatientiæ imbecillitatem redarguit. [*Veniens veniet & non tardabit.*] Repetitio eſt in ſacris libris ad aſſeuerationem frequentiſſima: idem namque ſignificat, ac ſi dicatur, certiſſimè veniet. Caſtigans caſtigauit me Dominus & morti non tradidit me. id eſt, caſtigauit me quidem. neque inaudita figura eſt apud alios auctores, vt apud Lucianum: Videns equidem vidi, ſed tamen res ipſa monſtro ſimilis eſt. [*& non tardabit.*] Neque enim paucorum annorum longa eſſe poteſt mora. namque quod futurum eſt, citò venire ſolet: quandoquidem velociſſimè tempus currit, & res omnes, quæ futuræ ſunt, ſecum affert. & mille anni ante oculos Dei tanquam dies heſterna quæ præteriit, & cuſtodia in nocte, quæ pro nihilo habentur. Igitur quodcunque ille promiſerit, quodcunque prædixerit, factum puta.

1.Pet.2. — Pſalm.9. — Ioel.2. — Lucianus in dial.mort.

Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo: Iuſtus autem in fide ſua viuet.

OSTENDIT quam vtilitatem afferat hoc oraculum, ſi clariſſima ſcriptura exponatur. Duo, inquit, ſunt hominum genera; vnum piorum; alterum verò impiorum: Qui impij ſunt non facilè diuinis verbis credunt, ſed ad id quod præſens eſt tantùm reſpicientes, de futuris rebus omnino deſperant; neque vllam rerum mutationem timent: tantùm ad ea, quæ inſtant, ſibi prouidere ſtudent, non credentes futurum vt Deus aliquando ſui iudicij, ſuæque de rebus humanis curæ præbeat argumentum. Quòd ſi per vatum reſponſa futurum Dei iudicium, & rerum mutationem venturam eſſe admoneantur, neque reſponſis credere, neque vllis admonitionibus obedire volunt, ſed ob præſentem fortunam animum demittunt, atque negant futurum eſſe, vt Deus futuro in tempore iudicet, quod in præſenti iudicare nolit. Hi igitur animo ad hunc modum fracto atque demiſſo, cùm de futuris deſperent rebus, ad id quod inſtat, quodque præſens eſt, ſeſe accommodant, & ſi quam adhuc pietatis portionem conſeruabant, abiiciunt omnino, & dummodo præſenti felicitate fruantur, vel minus ſaltem miſerè vita vtantur, omnem pietatis iacturam contemnunt. namque hæc communis & vulgata ſententia eſt tyrannis omnibus, atque iis qui rapina, cæde, iniuria, atque omni flagitiorum genere flagrant: qui dum à malefaciendo diuini iudicij propoſita mentione deterrentur, reſpondere ſolent, ſe talibus creditoribus multum delectari, qui quod illis ereptum eſt, tam longo tempore retineri patiantur, & ad diem vſque iudicij repetendum differant. At verò qui verè pij ſunt, toti à diuinis libris, cõſiliis & reſponſis pendent, cumque Deum de humanis rebus iudicaturum ſe, & diem tandẽ impiis dicturum audierint, fidem diuinis verbis adhibent, animum reuocant, atque erigunt, & futurorum bonorum ſpe præſentia mala ſolantur & perferunt; tantũ illis firmitatis, tantum roboris pietas, & diuinis verbis tributa fides addit, vt qui deficere & deſperare poſſent ſi ad præſentes tantùm atque inſtantes res animum attenderent, ad diuina reſpicientes oracula, eximiam futurorum bonorum ſpem concipiant, & ſumma virtute contra omnẽ miſeriam atque

atque omnem aduerſum euentum firmentur. Hæc igitur proximorum verſuum ſententia eſt: *Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo.* id eſt, cùm fides fundamentũ ſit omnium virtutum, quicunque fide non nititur, procliue eſt vt labatur, & quouis fortunę momento huc illuc impellatur. Quam ob rem infeliciſſimus eiuſmodi hominum finis eſt, quorum vita nullo fidei ſundamento nititur. Non igitur erit recta anima ipſius, hoc eſt, rectã vitæ viam nunquam ſequetur, ſed incertam atque æſtuoſam. Animam pro vita hic accipimus Hebraicam proprietatem ſecuti. eſt enim in ea lingua *Nephes*, quod verbum eam animæ vim ſignificat, qua viuimus, ſentimus & mouemur; qua etiam ſignificatione illud dicitur: Et factus eſt Adã in animam viuentem. & illud, Qui amat animam ſuam, perdet illam; & qui perdit animam ſuam, inueniet eam. Hæc igitur incredulorum condicio eſt. Contrà verò iuſtorum diuerſa omnino eſt condicio, non humilis, non abiecta, ſed diua atque excelſa; quippe qui cùm diuinis verbis fidem habeãt, huicque fidei firmiſſimè nitantur, honeſtiſſimum vitæ curſum conſtantiſſimè tenent: illud ſcientes, quòd Diuinum verbum in æternum permanet: quare futurum eſſe, vt quod Deus prædixerit, ſine vlla mutatione eueniat. Igitur ad diuini verbi rationem vitam inſtituunt, moreſque componunt, & quicquid miſeriarum, quicquid ærumnarum ipſorum vitam inuaſerit, fide perferunt, & promiſſæ in melius mutationis ſpe ſuperant. Atque hoc eſt quod dicit: *Iuſtus autem in ſua fide viuet.*] Quemadmodum, inquit, ob fidei defectum incredulorum vita miſera & inconſtans eſt; ita rurſus iuſtorum vita ob firmiſſimum fidei fundamentum conſtans & inexpugnabilis efficitur, quam nulla violentia, nullus fortunæ impetus deprimat. *In fide ſua viuet*, conſtans erit. Porrò totus hic locus ad hunc modum in Chaldaicis Biblijs legitur: *Ecce impij dicunt in corde ſuo, non erunt hæc omnia (quæ Deus prædici iubet.) Sed iuſti in veritate eius, videlicet Dei firmabuntur.* Atque hic eſt huius lectionis genuinus, & ad verba accommodatus ſenſus. Quam ob rem Chriſtianum ego ac verè pium lectorem admoneo, atque etiam obſecro, vt attendat quàm miſerè quidam in hoc loco labantur, qui hac prophetæ auctoritate errorem aliquem defendere cogitant, illum, inquam, errorem, quo hominem ſola fide iuſtificari affirmant. nam ſi iuſtus, inquiunt, ex fide viuit, fides vita iuſti eſt: ſed vita iuſti eſt iuſtitia, fides ergo iuſtitia eſt, atque ex conſequenti fides iuſtificat. Sed ineptam hanc & ſophiſticam argumentandi rationem oſtendemus: quæ non ſolùm eos in forma & ratiocinationis figura, ſed in ſingulis partibus fallit. Quid huic propheticæ ſententiæ cum iuſtificatione hominum? Vates loquitur de virtute ac tolerantia, quam fides diuinis verbis habita piorum hominum animis addit ad ærumnas omnes, omneſque calamitates perferendas, ad omnem miſeriarum impetum infringendum, ſicut ſcriptum eſt: Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, &c. De hac re hoc in loco Vates agit, non de iuſtificatione impij. Facillimum videre eſt, quàm parum ſequax ſit ſenſus, ſi ſuperiora, quæ ad verbum explicata ſunt, cum iſta quorundam interpretatione cohęrere cogantur. Nonne ipſa clamat fides vt nulla fides iſti interpretationi habeatur? Igitur locus hic de iuſtificatione nunc non eſt. Vates dicit iuſtum fide niti, vt vitæ honeſtæ conſtantiam non deſerat: illi dicunt, fide ſola viuitur, neque alia vitæ honeſtate opus eſt; num hæc cohærent? num non omnino diſſident? Deinde verò quàm mendoſè illud colligatur aduertendum eſt, Iuſtus in fide ſua viuet, ergo vita iuſti eſt fides. arguitur namque à deſtinatis ad cauſam formalem, quæ nunquam ſe mutuo ſequuntur: neque refert vtrum interpretemur ex fide, an in fide, quando idem vtrinque ſenſus eruitur. In Hebraico exemplari inſtrumentalis orationis pars inuenitur *Beemunatho*, id eſt in fide ſua, atque idem eſt ex fide ſua, vt apud Naſonem, *Viuitur ex rapto*. Igitur nulla eſt reciproca conſequentia à deſtinatis ad ipſam formam: neque enim rectè ſic colligitur, Viuitur ex rapto, ergo rapina eſt vita hominum. Illud rectè ſequitur, Viuitur ex rapto, ergo (iuxta corruptam hominum opinionem) rapina ad viuendum neceſſaria exiſtimatur: ita & pariter ſequitur, Iuſtus ex fide, ſiue in fide, viuit, ergo fides eſt neceſſaria ad vitam iuſti. Hoc verò nos concedimus & recipimus. nam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, & adeò huic conſequentiæ aſſentimur, vt neceſſariam eſſe dicamus fidem ad iuſtè viuẽdum; fundamentum enim veræ religionis eſt fides: Quoniã accedentẽ ad Deum primùm credere oportet quòd eſt, & quòd requirentibus ſe remunerator eſt. Nam cùm quiſpiam Deum eſſe remuneratorem credit, libenter pietatis & iuſtitiæ operibus vacat, atque in illis conſtantiſſimè verſatur, credens fidelem eſſe eum qui promiſit. Itaque fidem neceſſariam eſſe ad iuſtè ſanctęque viuendum concedimus: ipſam verò fidem eſſe vitam iuſti, hoc negamus. Iuſtitia enim diuina ſpiritus ſancti gratia eſt, quam Deus ijs, qui credunt, quique legi eius obtemperant, & mandata eius nimis cuſtodiunt, largitur. Duas itaque partes neceſſarias ad iuſtè ſanctęque viuendum, fidem & pietatis culturam (quæ in

[Margin notes: נפש (beside "Nephes"); Gen. 1. / Mat. 10. (beside "Et factus eſt Adã…"); Hebr. 11. (beside "perferendas… Sancti per fidem"); Ariſ. 2. Top. (beside "ta iuſti eſt fides"); Ariſt 1. Poſt. (beside "gitur, Viuitur ex rapto")]

Chriſtianis præſtandis officijs verſatur) ſtatuimus. ipſam autem iuſti vitã negamus cum alterutra harum partium in conſequentiam conuerti. quòd ſi qui diuinæ ſcripturæ & bonarum artium ignoratione decepti eiuſmodi conſequentias admittunt, in promptu eſt, vt illas etiam admittant, quas ex Horatianis verſibus coniungere libet.

Hor. epiſt. lib. 1.

Si fortè in medio poſitorum abſtemius herbis
Viuis & vrtica: ſic viues, protinus vt te
Confeſtim diues fortunæ riuus inauret.

Sic argumentor: Si Iccius Horatianus herbis & vrtica viuebat, ergo vrtica & herbæ erant Iccij vita: quod quàm doctè concedatur, ijdem ipſi viderint. Itaque primum in argumentatione iſtorum illud aſſerimus, hanc auctoritatem ab illis incommodè adduci & in alium ſenſum atque eam vates protulit, & D. Paulus citauit. deinde conſequentiæ rationem infirmam eſſe affirmamus, negamuſque enthymematis conſequentiam. Iuſtus ex fide viuit, ergo fides eſt vita iuſti: non enim ablatiuus caſus cum recto conuertitur, & fallacia in conſtructione conſtat. vnde iſtis totum illud Epicherema corruit, quo aſſerunt fidem eſſe iuſtitiam, & ex conſequenti fidem eſſe, quæ ſola formaliter (vt diſputationum verbis vtar) iuſtificet. Præterea aliam in ratiocinatione iſtorum fallaciam latere deprehendimus. nam cùm hoc loco vitam non ſimpliciter, & ex ipſius verbi vi accipiatur, ſed pro conſtãtia & firmitudine ex quadam proportione ſiue analogia vſurpetur, iſti in argumentatione ſimpliciter accipiunt: quę quidem in redargutionum ratione prima deceptio eſt. hæc nunc breuiter aduerſus iſtos, vt diſcant, qua ratione, quo ſtudio, qua diligentia in ſacris verbis interpretandis vtendum ſit. Dabit autem Deus vt diffuſius & exactius de his omnibus cum illis agamus: Si quo modo ad æmulandum prouocem fratres meos, qui à cæleſtis patris luce & doctrina in miſerrimas tenebras à non bonis ducibus decepti prolapſi ſunt: dolenda enim eſt tanta Chriſtianorum hominum iactura. Iam verò Vatem noſtrum audiamus.

Et quomodo vinum potantem decipit, ſic erit ſuperbus, & non decorabitur.

VT planior & expeditior huius loci ratio nobis fiat, ad hiſtorias recurrendum eſt, ad quas locus hic refertur. Legimus igitur in Danielis hiſtoria Nabuchodonoſorem Babyloniorum tyrannum qui cum Deo opt. max. de virtute, fortitudine & ſapientia contenderat; qui omnium rerum à ſe geſtarum vni ſibi ſuoque genio decus & laudem tribuebat; hunc, inquam, multis modis à Deo redargutum fuiſſe legimus: atque ſtultitiæ ſuæ conuictum coactumque vero atque immortali Deo laudem concedere. namque primum accidit, vt cùm ſomnium ſomniaſſet, quo vehementer exterritus fuerat, cuius tamen poſtquam euigilauit omnino oblitus eſt, Chaldæos omnes, & vniuerſos imperij ſui ſapientes ad ſe conuocatos, & ſomnium & ſomnij interpretationem interrogaret, neque tamen illi quicquam de ea re à quoquam reſponderetur, ita vt tyrannica ira percitus de perdendis cunctis per Aſſyriam ſapientibus cogitaret: denique inuentus eſt vnus Daniel ex Hebræorum gente, qui diuino edoctus ſpiritu regi ea in re cumulatè ſatisfecit, omnemq́. mutandarum rerum & regnorum ſeriem expoſuit. qua re cognita atque perſpecta, Hebræorum Deum ſolum ſapientiſſimum & Deorum maximum eſt confeſſus. Iterum verò eadem confeſſione eſt vſus, poſtquam tres pueros, hoc eſt, tres præſtantiſſimos viros & ſui adminiſtratores regni, quos comburi iuſſerat, viuentes illęſoſque in medijs flammis conſpexit. Idem autem tertiò confiteri eſt coactus, cùm ſecundi ſomnij interpretationem, & ex Daniele audiuit, & ſuo ipſius periculo quàm veriſſimam eſſe cognouit. nã & regno exutus humanum ingenium in ferinum mutauit, & cum bellùis per duodecim menſes eodem cum illis victu vſus, errauit. Poſtquam autem ſibi regnoque ſuo redditus eſt, ſeipſum impietatis & ſtultitiæ accuſauit, & maximo Hebræorum Deo virtutem omnem, ſapientiam, poteſtatem, omnem denique laudem conceſſit. hæc omnia in ſeipſo Nabuchodonoſor expertus eſt: atque ita ſtultitiæ ſuæ pœnas dedit. Sed & tandem ſucceſſione in regno priuatus eſt, vt cœptum in ſe tyrãnidis ſupplicium in poſteritate ſua perſolueret. nã quanquam neque ipſe, neque filius eius regno expoliati fuerint, in Balthaſare tamen impio nepote ipſius, & Babylonici regni, & Nabuchodonoſoris familiæ finis eſt factus. namque is Balthaſar ob imitatam aui tyrannidem & ob ſacrorum vaſorum prophanationem, quæ ex Hieroſolymitano templo à Nabuchodonoſore ipſius auo ablata fuerant, & vita & regno priuatus eadem illa nocte fuit, qua myſticæ ſcripturæ in muro exaratæ expoſitione Daniele interprete eſt edoctus. In hoc autem Balthaſare, & Nabuchodonoſoris familia, & Aſſyrij imperij gloria defecêre. Occiſus enim eſt à quodam ex regijs cuſtodibus, eiuſque caput Dario (qui regnum occupauit) eſt allatum, vt Saadias Hebræus ſcriptor affirmat.

quo tempore Iudæi liberè in patriam redire publico edicto permiſſi ſunt. fuit verò Balthaſar nepos Nabuchodonoſoris ex Amilino Euilmerodacho eius filio. Ecce igitur quẽ finem habuerit huius tyranni ſuperbia, arrogantia & crudelitas. Ecce diuini iudicii manifeſtationem. ecce impiorum hominum exitum, & rerum à Deo factam mutationem. nam quas Deus aduerſus impios atque iniuſtos homines iras concipit, non ſtatim oſtendit (non enim iraſcitur per ſingulos dies) ſed expectatione & patientia homines ad meliora aduocat: quam diuinam patientiam impijſſimus quiſque negligentiam interpretatur. Quare & cumulatiores ſcelerum atque iniuſtitiæ theſauros reponit in diem iræ & reuela- Pſalm. 3. tionis iuſti iudicij Dei, qui tandem vnicuique pro factorum ſuorum ratione, vel præmia, Rom. 2. vel ſupplicia tribuit. Illi autem rerum proſperitate & ſucceſſu obcæcati, imminentẽ Dei vltionem non vident; nec, ſi maximè per vates & diuini verbi miniſtros moneantur, credere volunt: ſed vt noſter Vates docet, *Et quomodo vinum potantem decipit, ſic erit vir ſuperbus, & non decorabitur.*

Qui dilatauit quaſi infernus animam ſuam, & ipſe quaſi mors, & non adimpletur.

PVLCHERRIMA ſimilitudine humanæ felicitatis initia, progreſſus & euentum deſcribit. nam quemadmodum in ciborum & potuum generibus nihil eſt quod æquè hominem fallat & lædat ac vinum; ſic etiam in humanis rebus & negotijs nihil eſt, quod homines ipſos maiori dementia afficiat, quàm ſecundarum rerum ſucceſſus. Etenim vinum ea laborat infamia, quòd quanto ſuauius fuerit, tanto magis inutile ac nocens ſit. Quam ob rem maximè à Lacedæmonijs illud Gorgonis Cleomenis regis filiæ dictum celebratur; quam cùm pater aliquando iuſſiſſet, vt cuidam mercedis nomine frumentum daret, & elogium addidiſſet dicens: Docuit enim me vinum ſuauius reddere: Ergo, inquit, ô pater, & Plut. in apophth. vini plus bibetur, & qui biberint molliores deterioreſq́ue reddentur. Porrò quantum vini vis ijs præcipuè noceat, qui intemperantius ipſo vtūtur, teſtis eſt nobis qui primus eius rei fecit periculum Noe, & omnis antiqua ſcriptorum memoria, & quotidiani ſpectaculi experimentum idem teſtantur. nam quemadmodum ſi modeſtè & temperatè bibatur, Pſal 103. neque indecens, neque inſalubre eſt: iuuat enim inprimis cor, & frigidioribus ventricu- 1. Tim. 5. lis confert: ita nihil neque indecorum magis, neque ſanitati magis contrarium, quàm illius intemperantior hauſtus eſſe poteſt. Quare in diuinis ſcripturis regibus & ſacerdotibus in phano agentibus, atque ijs hominibus qui vitam ſuam ſanctius inſtituere parant, vini vſus prohibetur; vtpote quòd & animum perturbet & corpus imbecillum reddat. Ideò nõ iniuria à vetuſtiſſimo poëta & philoſopho pro vino virus ſæpe appellatur. Inquit enim,

Denique cùm viri vis penetrauit
Acris, & in venas diſceſſit diditus ardor, Lucretius.
Conſequitur grauitas membrorum, præpediuntur
Crura, vacillanti tardeſcit lingua, madet mens,
Nant oculi, clamor, ſingultus, iurgia gliſcunt.
Et iam cætera de genere hoc quæcunque ſequuntur,
Cur ea ſunt, niſi quod vehemens violentia viri
Conturbare animum conſueuit corpore in ipſo.

Ea porrò vini fallacia eſt, is dolus, vt ſaporis ſuauitate paulatim bibentes capiat; ita vt futuri nocumenti ſecuros præſenti voluptate intemperantius abuti faciat, donec ipſius vis cordis regnum occupet: deinde totum hominem primò proſternat, ac denique peruincat. Quare illud ſcitiſſimè atque ſalſiſſimè ſimul apud Plautum legitur: Malus luctator eſt vinum, primùm pedes occupat. Ipſa porrò bibendi, vt Plinius inquit, conſuetudo auiditatem Plin. lib. 14. auget, atque ex conſequenti perniciem molitur. Eſt igitur ad hunc modum humanæ proſperitatis efficta ratio. namque ſecundarum rerum proſpero ſucceſſu decepti homines, vſque adeò fortunæ dolis capiuntur, vt nihil aliud niſi ipſam fortunam ſequi cogitent. Itaque ſui obliti pennas ſibi aptare ſtudent, quibus & cælum petere, & inde numen deturbare, ſeſe denique in regio Dei ſolio collocare Luciferi more moliantur: quæ cogitatio, fraus & dementia illos in editiſſima ſuperbiæ prærupta effert, vnde tandem præcipites grauiſſimè deturbātur. [*Et non decorabitur.*] deſtituetur tandem, omniq́ue ſucceſſu priuabitur, ita vt qui per ambitionem omnia peſſundabat, totius gentis fabula fiat, illiuſq́ue nomen non niſi in opprobrium proferatur. *Qui dilatauit quaſi infernus animam ſuam, & ipſe quaſi mors, & non adimpletur.*

Et congregauit ad ſe omnes gentes, & coaceruauit ad ſe omnes populos.

AMBITIONIS naturam deſcribit, & inexplebilem affectatæ tyrãnidis cupiditatem: nam cùm ſemel hac hydropiſi laborare cœperit homo, prò Deum immortalem, quot tu-

Vide Ciceronem 1. de offic. multus, quantas rerum turbas & confuſiones excitat; nullius vitæ, nullius ſanguini parcit: dummodo rerum potiatur, omnium mortalium fortunas vitaſque perdere pro nihilo ducit; imò eo magis ſibi ipſi placet, quo maiorem ſtragem ediderit: quandoquidem eam vnam viam ad maximam gloriam, & maximum imperium ſibi propoſuit. Extant plurima tyrannorum exempla, quæ hanc rem clariſſimè teſtantur. Hoc autem ambitioſorum & tyrannorum ingenium pulcherrimè Vates deſcribit, ipſius Nabuchodonoſoris mores & ingeniũ exprimens, *Qui dilatauit quaſi infernum animam ſuam.* Inferni & mortis imagine inexplebilem & inſaturabilem hominem atque cædis auidiſſimum diuina ſcripta ſignificant: Mortis enim natura inexplebilis eſt, nunquam finem occidendi faciens. Neque vlla orbi dies illuceſcit, quæ funus ducere ceſſet: neque vlla etiam tanta vnquam cadauerum copia fuit, quam terræ ſinus commune omnium ſepulchrum non caperet. vnde fit, vt ab antiquis terra omnium mater ſit appellata, non tam quòd omnes gigneret & produceret,
Iſai. 53. Prou. 30. quàm quòd omnes in ſe reciperet & conderet, quemadmodum ſcriptum eſt: Dilatauit infernus animam ſuam: & à Salomone etiam eleganter eſt expreſſum; inquit enim: Tria ſunt inſaturabilia, & quartum nunquam dicit ſufficit. Infernus &c. Infernus autem hoc loco non pro horrenda illa pœnarum & vindicationis diuinæ ſede, vbi impij ac ſontes homines poſt hanc vitam crucientur, ſed pro cadauerũ ſepulchro vſurpatur: quod ipſa Hebraica vox maximè indicat. nam illud propriè *Seol* ſignificat, quod pluribus Scripturarum
שאול locis indicatur. Id enim Iacob ſignificauit, cùm conſolantibus liberis ſuis in Ioſephi filij
Gen. 34. deſiderio reſpondit: Deſcendam ad filium meum lugens in infernum. id eſt, nullam de rapto filio conſolationem admittam: ſed dabo operam, vt ſordibus luctuque viuẽdi finem faciam, ad ſepulchrumque efferar, neque amplius apud ſuperos ſim, cùm filius meus apud
Gen. 44. ſuperos eſſe deſierit. & iterum idem Iacob: Deducetis (inquit) canos meos cum mœrore ad inferos. id eſt, me ſenem mœrore confectum, ſepulturæ dabitis. Non ſolum autem in Hebraica lingua Inferni & Inferorum vocabulũ pro ſepultura vſurpatur, ſed Latini plerumque eandem rem his vocabulis indicant. ex qua ſignificatione illud in communi ſermone apud antiquos verſabatur, cùm cuiuſpiam obitum ſignificare volebant: deſiit eſſe apud ſuperos. nam ſuperos vocabant eos, qui ſupra terram eſſent, inferos verò qui ſubter terram conduntur. Quam rem nos aliàs fuſius tractabimus, cùm de Gentium theologia diſſeremus. Igitur nunquam ſepulchrum cadaueribus ſatiatur: ſed quo plura in ſe recipit, eo magis animam ſuam dilatat. Animam autem pro appetentia hic accipimus, ita vt non ipſam animæ naturam ſignificet, ſed eam illius partem, quæ appetitionis origo eſt: quam vim & ſignificationem non rarò in ſacris libris obſeruamus: vt, Anima noſtra arida eſt,
Num. 10. Prou. 6. nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi man. Item: Non grandis eſt culpa, cùm quis furatus fuerit, vt eſurientem impleat animam. [*Et ipſe quaſi mors & non adimpletur.*] Idẽ alijs verbis ad amplificandam rem dicitur. namque mors ſepulturam antecedit. Quòd ſi ſepulchrum nunquam ſaturatur, neque mors ex conſequenti ſaturatur vnquam: eſt enim ſepultura mortis miniſtra. *Et non adimpletur.* Coniunctio, &, pro relatiuo poſita eſt, id eſt, quæ non adimpletur. Igitur vt neque mors hominum ſtrage, neque ſepulchrum cadauerum paſtu expletur, ita & tyrannus homo, qualis Nabuchodonoſor fuit, nullum expugnandis capiendiſque gentibus finem & modũ facere cogitat. [*Sed congregauit ad ſe omnes gentes, & coaceruauit ad ſe omnes populos.*] Congeries verborum, cõgregauit & coaceruauit, effrenatam dominãdi appetentiam ſignificat. At verò non diuturna fuit hæc huius tyranni felicitas. namque ille multis (vt iam expoſuimus) deturbatus modis, & ſe hominem eſſe agnouit, & hominum omnium infimum ſe geſſit; quippe qui ex humano ingenio in ferinum commutatus eſt, & tandem ea ſpe, quam de regni & imperij æternitate ſibi fecerat, fruſtratus. Hunc autem tantæ ſuperbiæ exitum vaticinatur propheta. Vtitur verò dicendi figura quæ à Græcis Sarcaſmos dicitur, à noſtris ſubſannatio vel inſultatio dici poteſt. Ea autem eſt cùm alicui in miſerrimo calamitatis gradu poſito præteritum ſtudium & negotium, quæ cùm illo exitu non conueniunt, exprobramus, vt ille apud Maronem: *En agros & quam bello Troiane petiſti Heſperiam metire iacens.* Ita etiam futurum Vates prædicit, vt gentes illæ, quas Nabuchodonoſor bellis & tyrannico imperio turbauerat, vbi vltionem diuinam, infelicemque illius exitum conſpexerint, omnes multis illum maledictis figant, multis illi ſuam arrogantiam modis exprobrent.

Nunquid non omnes iſti ſuper eum parabolam ſument, & loquelam ænigmatum eius? & dicetur, Væ ei qui multiplicat non ſua? Vſquequo aggrauat contra ſe denſum lutum? Nunquid non repentè conſurgent, qui mordeant te: & ſuſcitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis? Quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis: propter ſanguinem hominis, & iniqui-

iniquitatem terræ ciuitatis & omnium habitantium in ea.

SVPER *eam parabolam ſument.*] hanc inter cæteras virtutes hominum mentibus natura tribuit, vt in alienis negotijs & cauſis periculum faciant, indéque exempla petant ad ſua gerenda negotia. ex quo fit, vt multi alienarum rerum obſeruatione res & rationes ſuas ſapienter curent. vnde natum illud prouerbium eſt, Sapientiſſimum eſſe aliena inſania frui. Huiuſmodi autem ſententias & exempla, quæ ex aliorum euentibus petuntur, ſacræ literæ parabolas vocant; quæ in dialectica propriè exempla vocantur. Igitur exitialis Nabuchodonoſoris exitus, cùm multis gentibus ob ipſius claritatem notabilis eſſet, effecit, vt qui aliquanto antè ex illius felicitate argumenta petebant, ad aſſerendũ humanas res à numine non curari, atque ex conſequẽti iniuſtè viuere, quàm iuſtè, optabilius eſſe, ijdem paulo poſt ſententias colligant, & vitæ præcepta & inſtituta ſibi capiant, alijsq́ue capienda proponant, quibus iuſtitia iniuſtitiæ præferatur, quibus innocentia laudetur, quibus denique diuina erga homines prouidentia eſſe cõprobetur. Sumere itaque parabolam eſt, ex alicuius rei, perſonæ vel negotij ſerie & exitu ſententiam aliquam vitæ vtilem colligere, & quod cuipiam re contigit, id ſequendum fugiendúmue proponere. Huius autem verbi frequens in hac ſignificatione vſus eſt apud Euãgeliſtas. Sunt & aliæ huius nominis, parabola, ſignificationes; ſed hæc ad hunc locum pertinet. Quod verò additur, *Et loquelam ænigmatum eius,*] ad illud alludit, quòd huiuſmodi homines, qui tyrannidem & orbis imperium expetunt, quaſdem ſententias & ænigmata ſibi proponunt, quibus abuſi ſuis libidinibus colorem, honeſtatẽ, auctoritatemq́ue conciliare ſtudent, atque hęc frequenter vſurpant, & pro emblematis habent. Sic Iulium Cæſarem cùm patriæ vim pararet, dictitare ſolitum ferunt: Si ius violandum eſt, propter imperium eſt violandum. Sic Marcum Craſſum, cuius auaritia nullum niſi ferueti auro epoto finem inuenit; illud frequenter iactaſſe accepimus: Nullas opes ſatis eſſe, quæ ſuis reditibus exercitum alere non poſſent. Denique Romanorum ambitio cùm totum orbem debellaret, illud de ſe prædicabat:

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Noſtro autem tempore Valentinus Rom. eccleſiæ Cardinalis cùm ob ſperatam rerum ſummam & tyrannidem ſacrum galerum depoſuiſſet, ſeq́ue eccleſiaſtica dignitate abdicaſſet, illam diuini Vatis ſententiam ad ſuam libidinem torquebat: Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum. Talia igitur ænigmata taleſq́ue ſententias ſibi vſurpabat Nabuchodonoſor, cùm de toto orbe debellando cogitaret: quibus & ſtudium ſuum fouebat, ſuiſq́ue negotijs auctoritatem adiungere conabatur. Quale iſtud fuit quod ipſe Nabuchodonoſor Danieli reſpondit, cùm is miſerum ſuperbiæ ſuæ exitum illi prædiceret. Nónne, inquit, hæc eſt Babylon ciuitas magna quam ego ædificaui in domum regni in robore fortitudinis meæ & in gloria decoris mei? Hæc autem ænigmata ij deridentes ſæpiſſimè referebãt, quos ille ſub acerbiſſimũ iugum miſerat, & dicebant vt Vates antea prædixerat. En quò deueniunt illi, qui ſuis non contenti, aliena appetunt & inuadunt, & per iniuriã opes ſibi cumulant! En quanta ruina illi opprimuntur, qui ingẽtia ædificia ſibi ex luto conſtruunt, hoc eſt, qui nullo iuſtitiæ iacto fundamento nimiam potentiam violenter conſequuntur? quæ cùm per violentiam ſtare non poſſit, pronum eſt vt corruat. Porrò harum parabolarum ſtylus obſcurior eſt, tum quòd ipſa parabolarum dictio talis eſſe ſolet, quando pleraque in illis per allegorias & tranſlationes dicuntur, quarum figurarum ratio obſcurior cæteris eſt: tum etiam quòd hæc omnia à Vate carminibus pronuntiata ſunt. Carmina autem vel ob ipſam pedum & numerorum ſtructuram altiorem difficilioremq́ue dicendi formam ſeruant. Carminis verò genus, quo hæc apud Hebræos leguntur, dactylicorum rationem ſequitur, quale eſt illud:

Vides, vt alta ſtet niue candidum Hor. lib. 1. od. 9.
Soracte, nec iam ſuſtineant onus.

[*Aggrauat contra ſe denſum lutum.*] Hac allegoria ſæpiſſimè vana & inutilia negotia in ſacris libris ſignificantur, & in quibus multum laboris ſine vllo fructu inſumatur, vt apud Ezechielem: Ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant luto abſque paleis. Latini etiam Ezec. 13.
eadem tranſlatione vtuntur. nam Cicero lutea negotia, id eſt, laborioſa & infrugifera appellat. Chaldaica Biblia hunc locum ſic vertunt: *Qui munit ſibi arcem peccatorum, cuius per quam certiſſima ruina eſt. Nunquid non repentè conſurgent, qui mordeant te, & ſuſcitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis?* Alia parabola, qua etiam tyrannorum & iniuſtorum hominum exitus ſignificatur. Transfertur autem dicendi modus à feris, quæ ſua natura hominis conſpectum fugiũt, neque niſi laceſſitæ nocere ſolent. Nam dum illæ ſalutem fuga ſibi quærere poſſunt, neminem aggrediuntur, cùm maximè hominem formident, ſicut ſcriptum eſt: Et tremor ve- Gen. 8.

ſter ac terror ſit ſuper cuncta animalia terræ. Illę tamen interdum à venatoribus agitatæ ſibi conſulunt, & ſe, quibus armis à natura instructæ ſunt, tuentur, ſiue dentibus, ſiue cornibus, ſiue vnguibus pugnas committant. Hac tranſlatione vſuros eos Propheta vaticinatur, qui in Nabuchodonoſoris calamitatem inſultarent. namque dicturi ſunt: Nunquámne timebas rerum mutationem futuram eſſe? Sed tamen ecce illi, quos tu ſæuiſſimis bellis agitabas, quique te maximè timebant & formidabant, nunc rurſus te mordent atque lacerant, & de tua ſuperbia & arrogantia triumphant, quaſque diuitias iniuſtiſſimis modis parauęras atque auxeras, eaſdem hi diripiunt. Mordere igitur hoc in loco idem ſigni-
Gal. 5. ficet quod illatas iniurias vlciſci, vt apud Paulum: Quòd ſi inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem conſumamini. Eadem res eodem verbo apud Latinos notatur: vt,

Iuuen. Sat. 2. *Nouiue igitur iure ac meritò vitia vltima fictos*
Contemnunt ſcauros, & caſtigata remordent?

Porrò hæc ſimilitudo in ſequentibus explicatur, dum dicitur: *Quia ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis, propter ſanguinem hominis, & iniquitatem terræ ciuitatis, & omnium habitantium in ea.* Hoc enim diuina lex & ratio poſtulat, vt maleficus & ſceleratus quod fecerit, exſpectet. Vnde fit, vt omnis tyrannidis infeliciſſimus ſit exitus; quam quidem rem omnes omnium gentium & ſeculorum hiſtoriæ teſtantur. Quapropter quoniam idem illud Nabuchodonoſori eiuſque poſteritati euenit, quod tyrannis omnibus euenire ſolet: hæc etiam referunt, qui in illius ſuperbiam inſultant. dicunt autem: Tua illa libido, tuus ille inexplebilis rapinæ & prædarum appetitus in cauſa fuit, vt tu aliquando prædæ fores iis, quos Deus in plurimarum gentium vltionem parauerat, qui fuerunt Medi ac Perſæ. nam hos ſolos ex vicinis gentibus Babylonius rex non debellauerat. hi igitur, qui reliqui fuerant, cæteras nationes victas & ſpoliatas vlciſcentur. Hæc autē omnia illi euenient ob immenſam humani ſanguinis effuſionem, qua ille cruentus tyrannus cōtaminatiſſimus erat, & ob maximam terrarum atque vrbium vaſtationem & direptionem, *iniquitatem terræ ciuitatis*, id eſt, violentiam & rapinam in vrbes earumque agros, & habitatores exercitam. Nam ciuitatem pro pluribus ciuitatibus hoc in loco legimus. hæc enim numerorum collectio frequens in ſacra lingua eſt, vt quercum Mambre pro querceto & loco quercubus
Curtius li. 3. frequenti poſitum eſt, & à Latinis ſcriptoribus conducere militem dicitur. Chaldæus paraphraſtes hæc vltima verba ad Iſraëlitarum regionem refert. inquit enim: *Propter ſanguinem hominum & rapinam terræ Iſraël ciuitatem & omnium habitantium in ea.* Ciuitatis nomen ſimpliciter poſitum ſolam Hieroſolymam Chaldæo ſignificat, quæ res ſua ratione non caret: nam vt
Plin lib. 5. c. 14. apud Latinos vrbis nomen nullo adiuncto prolatum Romam ſignificat; ſic apud Orientales gentes ciuitatis vocabulum Hieroſolymā illis temporibus indicabat: quam omnium
Tacit. 20. Orientis vrbium longè clariſſimam fuiſſe Plinius & Tacitus teſtantur.

Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius: & liberari ſe putat de manu mali. Cogitaſti confuſionem domui tuæ, concidiſti populos multos, & peccauit anima tua. Quia lapis de pariete clamabit: & lignum quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit.

EANDEM ſententiam alia parabola exornat Vates, dum inſultantium Nabuchodonoſori perſonam ſuſtinet. Deſcribit autem pulcherrimè eiuſmodi tyrannorum auaritiam, & iniuſtam opum & diuitiarum cupiditatem. namque perinde ac ſi totus mundus ſibi ſolis conditus eſſet, ita in ſuas tantum delicias, & in ſuam vtilitatem omnes omnium hominum opes, omnes diuitias transferunt, nulla de alienis neque incommodis, neque damnis cura tacti. atque hæc quidem augendarum opum via, hæc inexplebilis domorum, prædiorū & hæreditatum cupiditas, hoc propriæ vtilitatis ſtudium, quàm in frequenti vſu ſit, innumeræ hominum, populorum, ac gentium querelæ & multæ tam in diuinis literis,
Iſai. 5. quàm in humanis huiuſmodi reprehenſiones teſtantur. Væ, inquit Deus per Iſaiam, qui coniūgitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, vſque ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos ſoli in medio terræ? Hoc igitur eſt auaritiam malā congregare domui ſuæ, velle omnes omnium gētium diuitias, opes, commoditates, omnia inſuper omnium ciuitatum ornamenta in priuatum dominium vſumque transferre, atque ad expellendam libidinem hanc omnia diuina & humana iura violare. Hac inſania laborant multi reges atque tyranni. hac Roma laborauit, his iniuriis totius orbis opes ad ſe tranſtulit.

Iuue. Sat. 8. *Plena domus tunc omnis, & ingens ſtabat aceruus*
Nummorum. Spartana chlamys, conchylia Coa:
Et cum Parrhaſij tabulis, ſignisq; Myronis
Phidiacum viuebat ebur, nec non Polycleti
Multus vbique labor, raræ ſine Mentore menſæ.

HAC etiam cupiditate inſolentiſſimus ille Nabuchodonoſor flagrauit. nam quemadmodum volucres dum nidificant, vndique quæſitam materiam in eum locum, quem ponendis nidis optauerint, congerunt, eosque quàm poſſunt aptiſſimè fingunt, & ſubſternunt, ita vt locus inacceſſus ac tutus ſit, & ipſæ commodè cubent: ſic & Babylonicus ille tyrannus in Babylonem ſuam, quam præcipuè ſibi ſedem delegerat, omnes omnium gentium & ciuitatum diuitias & opes, ac materiam omnem comportauerat, vt tutiſſimum nidum ſibi cõſtrueret, hoc eſt, munitiſſimam arcem & omni apparatu deliciarum refertiſſimam: in qua nomen genusque ſuum æternum facere cogitabat, putabatque ſibi hoc pacto omnium hoſtium & temporum iniuriam à regno genteque ſua propulſatum iri. Hoc enim ſignificat vates cùm dicit: *Et liberari ſe putat de manu mali* Quòd autem ille ſibi hoc ſtultè perſuaſiſſet vltra id quòd hoc in loco diuinus ſpiritus de illo aſſerit, ipſe etiam idẽ apud Danielem ſeſe ſumptuosè inſolenterque iactat: Nonne, inquit, hæc eſt Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domũ regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Ecce vt vaticinium cum ipſo euentu conuenit: nam quod vates tranſlatione à nido ſumpta prædixerat, ille manifeſtè exponit dicens: quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis, & in gloria decoris, hoc eſt, inſtruxi ego mihi & poſteris meis nidum tutiſſimum, & quàm molliſſimum. [*Cogitaſti confuſionem domui tuæ, concidiſti populos multos, & peccauit anima tua.*] Inſultat adhuc Nabuchodonoſori, atque illius exemplo tyrannis omnibus, qui dum optimè ſibi ſuiſque rebus conſulere putant, peſſimè id agunt. Nihil enim violentum durare perpetuò poteſt, aut permanere; illi autem furore & effrenata violentia diuina omnia humanaque peruertunt. Conſequens ergo eſt ea, quæ ipſi maximè ſtabilia eſſe voluerunt, ſtabilia poſſe eſſe minimè. Porrò in quibus negotijs gerendis magnum conſilium homines ineunt, ſi is exitus contingat, qui non optabatur, maximè ſolent erubeſcere: vt ſcriptum eſt: Et confundantur in conſiliis, in quibus cogitant. Cùm ergo tanta tamque callida Nabuchodonoſoris de regno, domo, nomine & fortunis ſuis ſtabiliendis cõſultatio fuerit, idque tum maximè ſe effecturum is putauerit, ſi omniũ nationũ, populorũ & hominũ opes euertiſſet, in ſuamq́. retuliſſet vrbẽ; cumq́. hoc durare ac permanere non poſſet, ſed eo certiorem illi ruinam promitteret atque ederet, quo violentiùs ille omnia prædatus eſſet & ſpoliaſſet, neceſſe erat illum in exitu tam votis ſuis & cõſilijs contrario dolere atque erubeſcere (ad quem quidem exitum & erubeſcentiã omnes tandem peruenient, quicunque iniuſtè & violenter ſuam rem conficere parant) quantoque callidius & potentius ſuis rebus conſuluerint, tanto maturius & certius exitium eos expectare oportuerit; quòd ſi minus expectauerint, tamẽ imparatos opprimet, & erubeſcere coget. Quòd autem dicit Propheta: *Cogitaſti confuſionem domui tuæ, concidiſti populos multos, & peccauit anima tua*, tropus loquendi eſt, in quo conſequens pro antecedente ponitur. namque Nabuchodonoſor non inierat conſilium de perdenda domo, ſed ſtabilienda potius & amplificanda. Verùm quoniam ex ea ratione, qua hæc ab ipſo gerenda erant, ex populorum videlicet conciſione, illius domui ruina maxima & certiſſima impendebat, diuina iuſtitia id ſemper exigente, ideò ipſum confuſionem domui ſuæ cogitaſſe dicit. nam qui homicidium cogitat, & fugam, & bonorum proſcriptionem, & proprium tandem exitium cogitat, quãuis ille odio & vindictæ cupiditate perturbatus, hæc poſteriora non animaduertat. Itaque cogitauit negotium ex quo domus ſuæ confuſio ſecuta eſt. [*Peccauit anima tua.*] Appetitus tuus & nimia dominandi libido te decepit, tranſuerſumque egit. Itaque conſilij rationem voto ineptiſſimam tuo iniſti. Talis exitus omnes habet ambitioſos, talis te habeat exitus oportet. Animã pro appetitu hoc in loco dixit: Hebraicè enim eſt NEPHES: vt, Dilatauit infernus animam ſuam. Confuſionis autem vocabulo non idem in diuinis libris, quod in Latinis ſignificatur. nam confundo verbum & confuſio rerum permixtionem & perturbationem ſignificat, id ſcilicet quod diſtinctioni opponitur: vt Ciceroni vis diuina, & toti mundo confuſa dicitur, hoc eſt, permixta. In Latina autem & recepta Bibliorum interpretatione idem ferè eſt confundi & confuſio, quod erubeſcere & erubeſcentia. quæ res (vt Philoſophus ait & D. Thomas diſputat) vitium ſonat: namque in turpibus actionibus, aut in ijs, quæ à ratione deuiant, erubeſcimus: vt cùm in vitæ inſtituto, aut in diſciplinis fœdè labimur, vel erramus. Itaque confuſio in diuinis libris hanc naturę animaduerſionem ſignificat, qua conſcientia ipſa quemcunque in ſcelere, aut ignoratione eorum, quæ ignorari non decebat, deprehenſum afficit, vt in pſalmo: Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulachris ſuis. &, Confudiſti hodie vultus ſeruorũ tuorũ, qui ſaluã fecerũt animam tuã, & animas ſeruorum tuorum &c. [*Quia lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit.*] Solenne ſcribẽtibus omnibus eſt, & in communi ſermone receptum, vt cùm magnam & manifeſtam ali-

Dan. 4.

quam rem indicare velint, rebus ſenſu ac voce carentibus ſenſum & vocem tribuant; ad rei magnitudinem amplificandam. Igitur cùm maximi alicuius beneficij mentionem facimus, cùm ſcelus aliquod indignum verbis exagitamus, cùm iniuriam illatam exponimus, cùm denique triſte aliquid aut lætum maximè explicare contendimus, cælum, terram, elementa omnia, omneſque res etiam ratione & ſenſu carentes, ſolicitamus. Huiuſ-
Iſai. 1. modi illud in ſacris carminibus eſt: Omnia oſſa mea dicent, Domine quis ſimilis tui? &c. & illud apud Iſaiã: Audite cæli & auribus percipe terra. Et innumera huius generis exempla, quæ paſſim legentibus occurrunt. Itaque vt collatas vndique ex diuerſis populis per iniuriam opes hoc in loco Vates ſignificaret, atque harum rapinarum vltionem à gentibus venturam prædiceret, non ſolùm gentes ipſas, quæ ſpoliatę fortunis à Nabuchodonoſore fuerant, ſuam calamitatem dolituras deploraturaſque pronuntiat; ſed ipſa etiam ſpolia, quæ varijs è locis corraſa, & in Babylonem deportata fuerant, ipſa inquam eadem clamore, & vocibus immaniſſimi tyranni vim, & potentiam accuſatura eſſe vaticinatur, & ad veteres dominos clamatura, quaſi ſe violenter hac in domo detineri doleant, & ad pro-
Ariſt. 2. Phyſicorum. prium locum, vnde delata ſunt, referri poſtulent. Quicquid enim violentia afficitur, contra naturæ ſuæ rationem id patitur, atque vel manifeſto, vel ſaltem naturali appetitu cupit in ſuum locum ſedemque reduci. Quòd ſi maximè hæc naturalis mutarum rerũ vox ab hominibus non audiatur; auditur tamen à Deo, cui omnia viuunt, cui omnia loquuntur, qui omnium rerum naturas nouit, qui quid rectè, quid malè collocatum ſit, peruidet. Itaque ad eum Abelis iuſti ſanguis clamat, & recentis adhuc Mundi ſceleribus terra oppreſſa, & Sodomorum regio flagitijs fœdata ad eum vociferatur, & ab hominibus ſe malè pati queritur & vindicari ſe poſtulat: ſic etiam populorum omnium diuitiæ, opes, ſupellex & ornamenta omnia, quæ in Nabuchodonoſoris regia iniuſtè detinentur, clamabunt: & non ſolùm quæ ſoluta atque mobilia ſunt, qualia aurum, argentum, veſtes & eiuſmodi alia; ſed quæ arte & ſtructura colligata, & quaſi perpetuò manſura eſſent, collocata ſunt, vt lapides & trabes ex quibus ipſe domum ſuam ædificauerat, omnia cõquerentur, & clamabunt ſe violenter detineri, & iniuſtè rapta, & proprijs è locis mota fuiſſe. Cùm autem lapides & ligna tantum nominet, cætera omnia ſpolia complectitur. nam totum hoc negotium perdendarum vrbium & proprij regni ſtabiliendi, ſub conſtruendi nidi & ædificandæ domus tranſlatione prius enuntiauerat. Nunc ergo cùm lignum & lapides clamatum ire demonſtret, totam domum innuit, quæ ijs duabus materijs conſtare ſolet: nam intritum & cæmentum non propriè ad ædificiorũ materiã, ſed ad materiæ miniſteriũ referuntur: ſunt enim materię colligatio quædam. Domus autem ipſa ex duabus conſtat rebus, muris & tecto: lapides muros conficiunt: ligna autem tectum conſarciunt. deniq. tota domus conclamabit, tota iniuriã & rapinã accuſabit, tota diruetur, & ex conſequenti tota tyranni familia, regnum vniuerſum, conſilia, vota omnia iuſto Dei iudicio peribunt. Clamabit lapis: Ego à veteri ſede mea raptus, & malè hic collocatus ſum. Reſpondebit trabs: Pari ego iniuria afficior. & quoniam in ſtructuræ opere paries tectum præcedit, con-
Iacob. 5. ſentaneum eſt, vt prior lapis clamet, & tignum reſpondeat. Eodem hoc tropo S. Iacobus iniuſtè retentæ operariorũ mercedis diuites accuſat: Ecce, inquit, merces operariorum veſtrorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit. Eodem etiam tropo Tullius Verrem compilatæ prouinciæ arguit, dum illum repetundarum accuſat, vt ſecundam eius legentibus orationem patebit. Multũ enim, vt Fabius docet, vehementiæ, multum acerbitatis huiuſmodi tropi atque figuræ in accuſationibus habent. Porro tota illa circuitio, lignum quod inter iuncturas ædificiorum eſt, illa trabium capita ſignificat, quæ à Latinis propriè proceres ap-
כפים pellantur, ab Hebræis verò CAPHIM, id eſt manus, ita ab illis dicitur, quòd quaſi manus quædam tranſuerſos aſſeres ſuſtentent.

Væ qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate.

EPIPHONEMA eſt, & ſuperiorum argumentationum cum acclamatione concluſio: habent enim eiuſmodi ſententiæ maximam in docendo gratiam, & in perſuadendo efficaciam. Oſtendit autem ſententia hæc infelicem & dignum tyrannorum & auarorũ hominum exitum; qui talis omnibus futurus tandem eſt, qualis Nabuchodonoſori futurus hic prædicitur, miſerrimus videlicet & infeliciſſimus, cum ſummo opprobrio & nominis infamia: ita vt qui ſe cunctis admirabiles reddere cogitabant, cunctis tandem fabula & deteſtatio fiant. Ædificare autem ciuitatem in ſanguinibus, & præparare vrbem in iniquitate, ſiue, vt Chaldaica habent, in dolis, eſt per vim, iniuriam, fraudes, atque dolos facultates rerũ, copias, & opes ac potentiam conſequi, & regni regnandíque rationem pro-

prijs-

prijs commoditatibus definire.

Hæc proceres, hac magnos formula reges,
Atque duces, populosq́; tenet, populiq́; magiſtros.

Quos vtinam aliquando hanc iniuſtè dominãdi libidinem cohibere videamus,& ad temperatam viuendi rationem pro ſuo cuiuſque officio reduci.

Nunquid non hæc ſunt à Domino exercituum? Laborabunt enim populi in multo igne & gentes in vacuum, & deficient: quia replebitur terra, vt cognoſcant gloriam Domini, quaſi aqua operientes mare.

HÆC totius quæſtionis, quam hactenus ſequuti ſumus, reſponſio atque concluſio eſt, in qua Vates nihil diuinam prouidentiam latêre aut fugere poſſe demonſtrat. nam in ſuperioribus ex Nabuchodonoſoris regis tyrannide, & ex nimia illa & non toleranda potentia, qua ipſum in gentibus dominaturum præuidebat, occaſione data in hanc de prouidentia diſputationem incidit, quam omnibus argumentis dilatauit, omni verborum copia ardentiſſimisque animi affectibus eſt perſequutus: ita vt vniuerſa omnium, qui de hac re diſputauerunt, argumenta, ad hæc, quæ à noſtro Vate deprompta ſunt referantur: quibus ſi aptè reſpondeatur, cæteris omnibus reſponſum iri manifeſtum eſt. Igitur cùm totius diſputationis ſumma hæc ſit, felicitatem impiorum hominum & piorum in hoc Mundo miſeriam argumento eſſe, quòd hominum res à Deo negligantur. quandoquidem ſi humana Deus curaret, ipſum humanorum ſcelerum vindicem eſſe decebat: & cùm ſingularem dubitationem, hoc eſt, theſin iam ſuſtulerit, dum videlicet venturum in Nabuchodonoſorem eiuſque poſteritatem malum inſtinctu afflatuque diuino præuidet & prædicit, communem etiam dubitationem, quæ ex illa ſingulari allata erat, ſublatã eſſe conſtat: atque hoc eſt quod his verbis continetur. Prædicit enim Vates fore, vt conatus cuncti, opera, laboresq́. omnes quæ in vrbibus, domibuſque ædificandis & ornandis, in diuitijs & operibus comparandis, in toto denique regno ſtabiliendo Chaldæorum gens cum ſuo rege conſumpſerint, omnia aut hoſtili igni incenſa pereant, aut in prædatorum vſum poteſtatemq́ue veniant, ita vt qui laborauerant igni, ſe laboraſſe in augendis opibus, quæ ignis & direptionis materia forent, tandem cognoſcant. nam in linguarum vſu eſt, vt perituræ res igni conſumendæ eſſe dicantur: eſt enim elementum vaſtans omnia, & ad extremam conſumptionem velociſſimè perducens. Vnde illud Amoſi: Et mittam ignẽ in domum Azaël: Et mittam ignem in murum Tyri, id eſt, extremam vaſtationem. & illud Catulli: Amos. 1.

At vos interea venite, in ignem Pleni ruris & inficetiarum
Annales Voluſi, &c. Catullus.

Et vulgari ſermone ſummè exinanitam & vaſtatam domum aliquam ſignificare volentes, dicere ſolemus: *Entro fuego por la caſa.* In multo autem igne laborant, qui ingentes & excelſas domos & turres conſtruunt, in incendij materiam venturas; quemadmodum de viſceroſis & proceri corporis hominibus dicimus, eos magnã terræ molem & copioſum vermibus paſtum geſtare. [*Et laborabunt gentes in vacuum, & deficient.*] Eiuſdem ſententiæ repetitio eſt, & Hebræis familiariſſima expolitio: nam gentes & populi idem ſignificat vtrumque: quandoquidem populus gentium coniunctio & ſocietas quædam eſt. In vanum autem vſque ad laſſitudinem laboraturos eſſe dicit Chaldæos; quoniam omnia, quæ ipſi magnis laboribus & aſſiduis ſudoribus ſibi parauerant, Medorum direptioni & incendijs erant relinquenda. quod perinde erat, ac ſi ipſi in vacuum inſudauiſſent, & ſine vllo operæpretio dies & noctes vſque ad defectionem & virium laſſitudinem ſeſe exercuiſſent. [*Et deficient.*] Exemplaria coniunctione carent, & ſenſus aptius cohæret. Igitur ex hac argumentatione aptè infertur, Deum mortalia curare omnia. nam cùm ille per Vatem ſuum hunc rerum euentũ prædixerit, & quemadmodum prædicta hæc ſunt, ita ſuo tempore euenerint; manifeſtum fit non caſu, ſed conſilio diuino hæc curari. Hæc eſt ergo totius argumentationis concluſio: *Nunquid non hæc ſunt à Domino exercituum?*] Interrogatione infertur, *hæc*; de quibus antea diſſeruimus, certo Dei conſilio non caſu euenire. nam cùm omnem hanc Nabuchodonoſoris tyrannidem, cunctaque illius conſilia, actioneſque omnes per vates ſuos prædixerit Deus; conſequens eſt, ipſum eſſe ſapientiſſimum, & qui res omnes præuideat, & quem non ſolùm facta, ſed neque cogitata quidem humana latêre poſſint. Deinde verò cùm idem ipſe Deus vniuerſos harum rerum, actionum; item & conſiliorum euentus per eoſdẽ ipſos Vates ſuos prænunciet, & ſuppliciũ ſe de tyrãnis principibus, deq́. violentis ipſorũ populis ſumpturum minetur; cumque exitus ipſi rerũ vaticinijs reſpondeant, conſequens eſt, ipſum humanis rebus prouidere, & iudiciũ nõ in æternũ differri, ſed ſuo tẽpore à iuſtiſſimo & ſanctiſſimo iudice exerceri. non enim fieri poteſt, vt cùm rerum euentus

prædictionibus reſpondeant, res caſu & incerto motu volui dicantur: ſed à Domino exercituum hæc omnia euenire. Quoniam autem hanc de Babylonica calamitate ſententiam teſtatiſſimam eſſe volebat Deus; quippe quæ diuinæ erga homines prouidentiæ argumentum futura erat; eiſdem ferè verbis & ampliori oratione eandem rē per Ieremiam Deus prædixit, eo capite, quod apud Latinos primum à quinquageſimo numeratur; vbi
Ierem. 51. hic verſus etiam totus Hebraicè continetur, qui Latinè immutatis nonnihil verbis ita red-
“ ditus eſt: Hæc dicit Dominus exercituum: Murus Babylonis ille altiſſimus ſuffoſſione ſuf-
“ fodietur, & portæ eius excelſæ igne comburentur, & labores populorum ad nihilum, &
“ gentium in igne erunt, & diſperibunt. Porrò illud notatione & animaduerſione dignum eſt, quod ferè in Vatum ſermonibus exercituum poſſeſſio coniuncta Dei nomini potentiam illius ſignificat & facultates, per quas quamcunque rem gerere voluerit, facillimè geret; vt auditoribus notum omnibus ſit, diuinam potētiam fugere minimè quenquā poſſe, cùm ipſe exercitus habeat multos atque fortiſſimos, qui ad nutum parati ſemper ſunt. atque adeò huius dictionis figura tunc vates vtuntur, cum de diuino iudicio, de ſupplicio ſumendo, de ſceleribus vindicandis agitur: & quod ad certam rationem propriùs accidit, hac exercituum adiunctione ſeſe Deus appellat, vbi cum principibus, cum tyrannis, cum diuitibus, & potentia elatis hominibus, cum ſuperbis deniq. & ſcelere obduratis illi ſermo
Isai. eſt: vt apud Iſaiam, Hæc dicit Dominus Deus exercituum fortis Iſraël: Heu ego conſola-
“ bor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis. Itaque huius coniunctionis, *Deus exercituum*, figura, diuina fortitudo, & ſumma ad res gerendas facultas ſignificatur: neque id in Vatum libris ſolùm, ſed in Euangelicis & Apoſtolicis etiam ſcripturis. Erit igitur hæc notatio obſeruatioque non pœnitenda, vt in multis modis, quibus diuinum nomen in Scripturis pronuntiatur, quid in ſingulis ſignificetur, diſtinguere & intelligere huiuſmodi obſeruationibus aſſueſcamus. [*Quia replebitur terra vt cognoſcat gloriam Domini quaſi aqua operiens mare.*] Abſoluerat Vates priorem explendi in Babylonis regem iudicij quæſtionem, ex qua illa communis de malorum & bonorum diſcrimine diſputatio oriebatur: cuius cauſa diuina prouidentia à multis in dubium vocabatur; & religio etiam ac pietas in multorum animis (vt in ſuperioribus Vates conqueſtus eſt) frigebat, videbaturque hac parte diuinus honor minui, ſi nulla hominū cura ſuperûm mentes tangeret. Abſoluit igitur hanc etiam communem de prouidentia quæſtionem, aſſerens poſt ſumptum de Babylonis rege eiuſque regno & gentibus ſupplicium futurum, vt vniuerſi orbis terræ habitatores huius rei fama & veritate conuicti, diuinam curam, diuinamque erga homines prouidentiam agnoſcant, & Dominum Deum mundi principem & rectorem ſanctè religioſeque colāt, laudibuſque & diuinis honoribus proſequantur. namque hæc ratio atque cōſideratio humanos animos religione tangit; omneſque ad diuinos honores incitantur facto de impijs hominibus iudicio, ſicut ſcriptum eſt: Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam, manus
Pſalm. 51. ſuas lauabit in ſanguine peccatoris, & dicet homo: Vtiq. ſi eſt fructus iuſto, vtiq. eſt Deus
“ iudicans eos in terra. & alibi: Et cognoſcetur Dominus iudicia faciēs, quādo in operibus
Pſalm. 9. manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator. Igitur cùm ij, qui de diuina prouidentia in dubium venerant, iudicij in impios exerciti ſpectatores tandem fiunt; tum denique diuturnam illam ipſorum felicitatem gradus quoſdam fuiſſe cognoſcunt, quibus ad excelſum aſcendebant locum; vnde illis grauior pararetur caſus, & inſigne ruinæ veſtigium fieret. Itaque totus hic dicendi proceſſus, tota impiorum felicitatis amplificatio, hæc ipſorum infelicis exitus demonſtratio eò pertinet, vt quo magis proſperè beateque viuere impij homines videantur; eo minus illorum laudi, gloriæ & commodis inuideamus, ſicut ſcriptum eſt: Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem: Quoniam tanquam fœnum velociter areſcent, & quemadmodum olera herbarum citò decident. Hic ergo impiorum hominum exitus omnem de prouidentia dubitationem tollit; ſicut ille idem poëta, quem in huius libri initio de hac re hæſitantem recitauimus, fatetur. inquit enim:

Claudianus. *Abſtulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum.*

Quare, quoniam Nabuchodonoſoris eiuſque regni negotium, ratioque omnis, vniuerſis hominibus nota eo tempore erant, multique de diuina prouidentia dubitabant, eò quòd tyrannum illum communem hominum peſtem, impunè omnia perdentem videbant; neque ipſi etiam Iſraëlitico populo parcentem; neque ſanctiſſimo illi fano, vbi vnus veruſque Deus colebatur; conſequens eſt, hanc de diuina vindicatione famam totius orbis fines peragraturam, vt ita diuinus honor apud omnes percrebeſcat, & illuſtri laude celebretur, nulluſque ſit locus, in quo Domini gloria non ſplendeat, perinde atque aquæ operientes mare, quæ ſua liquida continuaque natura, quemlibet quantumuis exiguum

& re-

& reductum locum ſubeunt & complent, & in quoſcunq. receſſus ſe inſinuant. Eſt autem hæc aptiſſima ſimilitudo, & diuini ſpiritus elocutione digna. namque aquæ maris non ſolùm multitudine, ſed occupatione omnem menſuram excedunt. [*Gloria Domini*,] magnitudine, laude & ſplendore: vt qui latere hac ex parte videbatur, dum de ipſius erga homines cura ambigitur, idem hac etiam ratione nomen decuſque ſuum infinitè dilatet & illuſtret. Hoc autem ita eueniſſe, vt Vates prædixerit, omnes ſcilicet, qui hoc audierũt, Deum laudaſſe, & honoribus diuinis celebraſſe, præclaro atque graui teſtimonio diuina ſcriptura comprobat, ipſius videlicet Cyri Medi regis confeſſione, qui, poſtquam Babylonem ceperat, ſe Dei miniſtrum in regno Chaldæorum expugnando fuiſſe declarauit. Omnia, inquit, regna terræ tradidit mihi Dominus Deus cæli. Porrò particula illa (*quia*) quæ initium Eſdr. 1.
in hoc verſu facit, non rationalis eſt, ſed illatiua aut demonſtratiua, vt nempe, ſcilicet, & huiuſmodi. Colligit namque ex priore concluſione poſteriorem, ac ſi diceret dialectico modo: Si Nabuchodonoſor merita caret pœna, Deus illius ſcelera negligit, & ex conſequenti humanis rebus non proſpicit. At Nabuchodonoſor pœnas dabit certas, & à Deo prænuntiatas: ergo Deus illius ſcelera peruidet: itaque humanis rebus proſpicit. quare in diuinis Scripturis non ſolùm nominum & verborum ſignificationem, ſed particularum etiam officia notare oportet. namque eadem particula varia officia alijs atque alijs in locis exercet. In Chaldaicis Biblijs loco, *Quia*, ſcribitur, *Ecce*.

Væ qui potum dat amico ſuo, mittens fel ſuum, & inebrians: vt aſpiciat nuditatem eius. Repletus es ignominia pro gloria: bibe tu quoque & conſopire. Circumdabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam. Quia iniquitas Libani operiet te, & vaſtitas animalium deterrebit eos de ſanguinibus hominis, & iniquitate terræ, & ciuitatis, & omnium habitantium in ea.

V*Æ qui potum dat amico ſuo*] Solent victores inſolentia & rerum euentis elati in eos, qui victi ab ipſis ſunt, variè illudere & inſultare, ac maximos & præſtantiſſimos quoſque Reges, duces, atque viros ad ludibrium ponere, atque iis variè ad ſuam voluntatem vti: quos prior ſors veneratione; poſterior verò miſeratione dignos effecerat. Hoc autem grauiſſimum contumeliæ genus eſt, & ipſo mortis diſcrimine durius, quod nonnulli magni elatique animi viri ſpontanea nece commutauerunt. Hinc Cato ne inſultãtis Cæſaris triumphum ſequeretur, æternum ſeueritatis ſuæ monumentum Vticæ reliquit. Nam quod durius magiſque deteſtandum inhumanitatis exemplum edere quis poſſit, quàm illud quod Adonibezec apud victores Iudæos ſe confeſſus eſt? ſeptuaginta videlicet reges à ſe captos, præciſis manuum & pedum ſummitatibus, ſub eius menſa, veluti canes, reliquias Iudic. 1.
lambere & colligere fuiſſe coactos. Hæc ſummæ immanitatis exempla ſunt, & quæ ferinam omnem crudelitatem longè ſuperent. namque feris vltima crudelitatis linea occiſio eſt, homini verò crudeli leuiſſima res iniuſta etiam nex videtur, niſi in viuentes & ſentientes durioribus ipſa morte ferocitatis exemplis inſultatum ſit. Vt igitur Nabuchodonoſor omnium ſui temporis tyrannorum potentiſſimus fuit, ita omnium longè inſolentiſſimus, qui vſque adeò omnẽ humanæ ſocietatis ſanctitatẽ & religionẽ contempſit, vt nullius hominis dignitatem curaret: ſed, vt in ſuperioribus de ipſo ipſiuſque exercitu Vates dixit, reges & potentiſſimos quoſque duces in ludum ſibi proponeret. Huius autem tyranni mos (vt ex Vatis verbis notatur) fuit in cœnis & conuiuijs, quæ ipſe ſplendidè celebrabat, reges illos, quibus victis pro ſeruis vtebatur, ad immodicas potationes cogere, ſeque eorum ludorum quos conficere ebrietas ſolet, otioſum ſpectatorem præbere. Itaque hominum ignominia & turpitudine magis, quàm honeſtate & decore delectabatur: cùm illud regiam maieſtatem maximè deceret, vt quo illuſtriorem clientum & ſeruorum familiã haberet, eo honeſtius atque liberalius eos tractaret. At verò huius generis iniurias & contumelias nunquam inultas diuina iuſtitia prætermittit: ſed eiſdem Deus ipſe ſupplicijs vti ſolet in eos, qui huiuſmodi afficiuntur voluptatibus. nam & Adonibezec hoc idem in ſe agnoſcit: dicens, Sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Hoc igitur eſt quod Nabuchodonoſori Vates obijcit. quare & iniuriarum eum accuſat, quod videlicet amicis ſuis, ſiue (vt Hebraica habent) ſociis, qui fortuna & dignitate illi pares fuerant; vtpote qui reges, duces, & populorum rectores extiterant, quòd ſi belli iure vel victoriæ neceſſitate in ſuam deditionem venerant; homines tamen erant, & naturæ communione ſocij, & priſtinæ dignitatis recordatione venerabiles, quibuſq. nõ ad ludos & irriſionem, ſed ad honeſtiſſima regni miniſteria vti decebat: tamen tyrannus hic intemperantius propinans, turpe ex eorum ignominia & dedecore ſpectaculum ſibi parabat. Itaque tota hæc oratio illuc ſpectat, vt ludibria & contumelias, quibus à potentioribus ij, qui inferiores ſunt, afficiuntur, accuſet & damnet, Deumque ipſum huius ſceleris vindicem oſtendat,

qui

qui iis,qui talia committunt,eum, quem meruerunt, fructum retribuet, vt ipſi etiam Nabuchodonoſori retribuit: quem belluinam vitam ab hominum ſocietate remotum viuere coëgit: vt quemadmodum ille alios per ebrietatẽ humanę mentis vſu priuabat,ita ille de communi ſenſu, ſanitate ac mente deturbatus, meritas pœnas lueret. Quare dictum eſt illi: *Bibe tu quoque & conſopire.*] nam eſt qui tibi pleniſſimo calice propinet;eſt,inquam,Deus, à quo capaciſſimum poculum exhaurire cogaris inſipientiæ & ſtuporis, ita vt humanam in te imaginem non agnoſcas, ſed belluinam exiſtimes. [*Circumdabit te*, Hebraicè paſſiuè legitur eadem ſententia ,ſed ſignificantius,*circumdabitur in te*,vel,*ſuper te.*] quod ad imum vſque fundum exhauriendum illi eſſe calicem indicat, ita vt calix dum exhauritur, ſemicirculum deſcribat. Hiſpanè dicimus, *Empinar el vaſo*. Hoc autem vel inuitus feres. nam dextera Dei, qua nihil potentius eſſe poteſt, tibi propinabit,quam tu tyranne prohibere non poteris. [*Et vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.*] Ebrietatem maximam ſignificat ,cuius manifeſtum ſignum in ſanis aliàs corporibus eſt vomitus. Hoc enim argumento turpiſſimam

Iſai. 17. ebrietatem arguit Iſaias, dicens: Omnes enim menſæ repletæ ſunt vomitu ſordium. Hoc etiam argumento Tullius Verris ebrietatem probat: Tu, inquit, iſtis lateribus,iſto robore, iſta totius corporis firmitate, in medio ſenatu vomuiſti. Appellatur autem à Vate vomitus ignominiæ, id eſt,turpiſſimus. nam eſt vomitus, qui non ex ebrietate, ſed ex ægritu-

1. Aphor. dine euenit; qualis ille eſt,quem in acceſſionum initiis aliquando contingere Hippocra-

Galenus lib. 3 de cauſis Symptom. tes ait: & hunc leuando morbo vtiliſſimum eſſe docet. Hic autem vomitus ex eo turpis non eſt ,quòd non perſonæ vitio, ſed naturæ morbum ſuperantis, aut præ imbecillitate cedentis opera eueniat: at verò qui ex crapula & ebrietate accidit vomitus,hunc turpitudinis & ignominiæ nota liberare poſſit nemo. Quare vomitum ignominiæ ſuper gloriam Nabuchodonoſoris venturum Vates prædicit, qui totam illam ipſius gloriam, totum regium ſplendorem turpiſſima ignominia fœdè inuoluat, vt qui ſe gloriæ ſplendore & dignitate cæteris hominibus præſtare putabat, tantumque ſibi indulgebat, vt ſuum genium felicitatis ſuæ auctorem ſolum agnoſceret: idem nunc cæteris hominibus inferior reddatur, vt communem cum belluis vitam humanæ mentis impos, complures dies,imò menſes degat. Acerbiſſimus igitur hic potus eſt,quem Deus propinat, & formidandus maximè ,vtpote qui tantum obſtupefacere homines poſſit, vt è ſumma gloria in ignominiam

Pſalm. 74. detrudentur,ſicut ſcriptum eſt: Hunc humiliat & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto: Et inclinauit ex hoc in hoc: veruntamen fex eius non eſt exinanita: bibent omnes peccatores terræ. Quod ad dicendi rationem attinet, in iudiciali genere hæc oratio verſatur. namque & primò inhumanitatis & iniuriarum tyrannus accuſatur, & narratio affectibus & ſtomacho plena multis expolitionibus amplificatur. hypotheſin præterea pulcherrimam continet, qua criminis indignitas exaggeratur, cùm dicitur: *Væ qui potum dat amico mittens fel ſuum, & inebrians.*] namque hæc deſcriptio ſtudioſam criminis ſuſcipiendi voluntatem arguit; ita vt non factum modò, ſed voluntatem accuſet: qui locus in accuſationibus maximus eſt. deinde iudicii ſententiam pronuntiat ipſi reo ſubeundam. [*Bibe quoque tu,&c.*Nunc verò circa verborum rationem illa notare libet; vbi Latini habent, *mittens fel ſuum*, non intelligendum de felle ſimpliciter, ſed vt Chaldaica & Hebraica Biblia habent, *inclinans cadum apertum ſuum.*] Quibus verbis conuiuas ab illo cados vſque ad fecem ſiccare fuiſſe coactos ſignificatur. nam quod quidam hoc in loco de potu laxatiuo Zedechiæ à Nabuchodonoſore porrecto tradunt, id nobis fide & teſtimonio caret, etiam ſi Hebræos auctores citent. Præterea poſſeſſiuus caſus ignominiæ, adiectiui nominis locum occupat. nam & rarus adiectiuorũ vſus Hebræis eſt,& frequens pro adiectiuo genitiui vſurpatio: vt locus ſanctitatis,id eſt, ſanctus; filius iniquitatis,& ſenectutis, hoc eſt, iniquus, & ſenex. ita vomitus ignominiæ, id eſt, turpis vomitus, & indecorus. [*Quia iniquitas Libani operiet te,& vaſtitas animalium deterrebit eos de ſanguinibus hominis, & iniquitate terræ, & ciuitatis,& omnium habitantium in ea.*] Hæc eſt diuinæ ſententiæ cauſa, & damnationis ratio, quam eleganter Vates explicat: prædixerat enim Nabuchodonoſoris punitionem,ipſumque imprimis viuentem & regno & mente euertendum; deinde ipſius poſteritatem familiamque omnem,omnemque gloriam extirpandam funditusque tollendam: nunc cauſam elogiumque huius rei ſubiicit, effrenatam videlicet violentiam, qua in omnes homines, maximè autem in Iudæorum ciuitates & gentem eſt vſus. Vtitur autem allegorica elocutione, quam paulò pòſt idem Vates explicat. nam cùm proximè illi venturam mentis inſaniam denuntiaſſet, ipſumque belluis ſimilem aliquando futurum prædixiſſet,eundem nunc tanquam belluam quandã alloquitur,& totam orationem verbis ad illam vitæ formã accõmodatis cõficit, perinde ac ſi dicat: O bellua quæ nunc in agris & ſiluis agis, occurſusque hominum formidas, hic pauor, hic metus, hæc te calamitas propterea nunc

oppri-

opprimit, quòd tu olim ſanctiſſimum illum montem Siona maximo numini ſacrum, veluti ſiluam quandam prophanum vaſtumq́ue reddidiſti, omneſq́ue Ieroſolymitanos ciues ſæuiſſimè trucidaſti. En crimen tuum, en ſcelus, en iuſtum criminis & ſceleris ſupplicium. Memineris te Deum immortalem, cui ille lucus ſacer erat, irritaſſe, neque illius te iram effugere potuiſſe. Hactenus allegoria vſus eſt; cuius explicationem continuo addit, dicens: Ob ſanguines interfectorum hominum, ob totius terræ vaſtationem, atque ob ciuitatis Ieruſalem direptionem, & ob ciuium eius internecionem, quam crudeliſſimè exercuiſti. ob hęc omnia hoc tibi à Deo viuente periculum, imò hoc ſupplicium inſtat. Porrò illud quod dicit, *Quia vaſtitas animalium deterrebit eos,*] Catholica ſententia eſt ad hunc locum in argumentatione aptiſſimè accommodata. Cuius hic primum eſt ſenſus: Omnis fera, quæ inſidijs & rapto viuit, tandem inſidijs & venatu perit. namque ſolent homines aſſiduis ferarum damnis offenſi congregari, ſaltuſq́ue & ſiluas circundare, ipſaſq́ue feras excitatas & agitatas capere, atque perdere. Itaque quo magis rapax atque nocens bellua eſt, eo grauiorem ab hominibus internecionem metuit, eoque vehementius humanos occurſus, damnorum, quæ ipſa dederit, conſcia formidat, ſicut ſcriptum eſt: Poſuiſti tenebras Pſal. 103.
& facta eſt nox: in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſiluæ: Catuli Leonum rugientes vt rapiant, & quęrant à Deo eſcam ſibi. Ortus eſt ſol, & congregabuntur, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Igitur hoc eſt ſententiæ argumentum, feras eodem modo perire quo viuunt; præda viuunt; pręda tandem venatoribus fiunt. Ex hac ſententia argumentationem ſuam ita diſponit Vates, vt propoſitionis locum ipſa obtineat; ſiue, vt Dialectici vocant, maioris præmiſſę aſſumptionem, ſiue minorem ipſam theſim conſtituat, hoc eſt, cauſam & negotium quod ad Regem attinet; pro complexione autem ſiue concluſione diuinam ſententiam collocet hoc modo: Feras ſæuitia ad ſuam perniciem excitare atque agitare ſolet: Tu Libanum ſæuiſſimè vaſtaſti; ergo à Libani Domino excitaberis atque agitaberis. Hæc eſt ſyllogiſmi forma. Verùm vates non dialectica diſpoſitione, ſed oratoria vtitur. nam concluſionem primò ponit, cùm dicit: *Bibe quoque tu, &c.*] Deinde aſſumptionem in allegoria, & in eius explicatione ſic collocat: *Quia iniquitas Libani, & de ſanguinibus hominis, & de iniquitate terræ.* medio autem loco propoſitionem ſiue maiorem ſtatuit, *Vaſtitas animalium deterrebit eos.*] Quam catholicam ſententiam eſſe diximus ad hanc cauſam aptiſſimè relatam. Vocamus autem catholicam ſententiam experimento & rerum obſeruatione atque vſu collectam rationem, & ad vitæ atque morum inſtitutionem vtilem. quarum itaque ſententiarum maxima vis in docendo ac ſuadendo, & in orationibus exorandis eſſe ſolet. nūc de ratione huius allegoriæ pauca. Libani nomine Siona montem & incolas atque habitatores eius intelligimus: nam præterquam quòd paulo pòſt ipſe idem ſeſe Vates explicat, ſic appellari ſolitum eſſe montem Siona, argumentum nobis facit Moſes, qui Deum orabat vt ſe permitteret terram illam patribus promiſſam luſtrare, & montem, & Libanum. Vbi Siona montem appellat, & eundem Libanum, vel quòd Libani pars eſſet, vel Libano adeò vicinus, vt pro eodem cenſeretur. Nam de Libano Phœniciæ monte videndo nulla illi cura erat; vt pote qui terræ promiſſæ finis & terminus eſſet, non autem pars. Itaque per Metonymiam montem Libani pro Sione mōte, in quo Ieruſalem ſita erat, accipit: aut ex parte totū, aut ex vicino vicinū: quo loquendi tropo ſępe auctores vtuntur, vt Virg. Aeneid. 3.
Poſtquam res Aſiæ Priamiq́ euertere gentem Immeritam placuit ſuperis. Quo in loco pro Troiæ rebus totius Aſiæ res ponit. Chaldæus paraphraſtes vice Libani domum ſanctuarij ſcribit, quem interlinearis Gloſa, & Hieronymus, atque Nicolaus Lyranus ſecuti ſunt. [*Et vaſtitas animalium deterrebit eos.*] Pronomen hoc neutrum eſſe oportuit, quia ad animalium nomen refertur in allegoria; in explicatione autem ad raptores omnes: ſed hic nondum allegoriam deſeruerat Scriptura. nam & in exemplari idem genus vtrobique conſeruatur in nomine animalis, & in pronomine. Et quia hæc diuerſorum generum coniunctio dura videbatur auctori Gloſæ, quam interlinearem appellant; ideò [*eos*] ſubſtituit, ad ſignificatum potius, quàm ad verba alludens. Ego nullum vitium in Interprete arguo: ſi quid eſt, quod ſuſpicer, ad ſcriptorum audaciam refero, qui in multis alijs locis malè ingenioſi eſſe voluerunt.

Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus: conflatile & imaginem falſam? quia ſperauit in figmento fictor eius, vt faceret ſimulachra muta.

HACTENVS cauſæ intentionem Vates protraxit; nunc verò alteram orationis partem, in qua depulſio eſt, ſuſcipit. nam quicunque artis non expers animum ad totam hanc orationem aduerterit, ipſam in iudiciali genere verſari intelliget. Cuius quidem artificij rationem & modos omnes in Capitis huius fine indicabimus: nunc ſententiam ipſam interpretemur. Igitur in ſuperiori orationis parte, dum Vates Babylonium regem accu-

ſat, rationem ipſius regis expoſuit, qua ipſe videlicet ſuam cauſam defendere tuerique ſtudebat. cuius quidem rationis hæc erat ſententia, ſe ſuis numinibus charum eſſe, à ſuo foueri genio, in cuius fide & tutela erat; neque vnquam fortunā ſuam deſerturum, ſed fortiter res omnes ſe geſturum: nulla ſe formidine deterreri, nullis viribus à ſumma conſequenda potentia retrahi poſſe: quandoquidem hæc eſt fortitudo eius Deus ſuus. Itaque nullius hominis aut Dei minas, aut vim timebat, dum ſuum ille Deum aſtantem ſibi præſentemque haberet. Huius Dei ſui bonis auſpicijs ſe ad magnam & præclaram laudem aſpirare; neque vllum bellis gerendis, niſi cum ſummo imperio, modū ſibi eſſe ſtatuendum. Itaque tota ſuorum negotiorum ſpes, tota ratio & fiducia in Deo ſuo tantùm erat. Hanc tyranni rationem acutiſſimè ac diſertiſſimè noſter Vates euertit, probatque falſam atque vanam omnino eſſe: quandoquidem Chaldæorum & gentium dij, quibus fidebant, quorumque tutelæ ſeſe crediderant, nihil diuinum præter inane nomen haberent, cui nulla in ipſis res, nulla ratio reſpondeat. Eſt autem totius argumentationis hæc ſumma. Quod non eſt, prodeſſe poteſt nihil; dij gentium nulli ſunt, prodeſſe ergo nequeunt. Huius ſyllogiſmi maiorem propoſitionem prętermittet, quippe quę in ipſa aſſumptione comprehendatur: aſſumptionem verò ſiue minorem propoſitionem pluribus argumentis probat. vtitur namque enthymemate, cuius in liberiore oratione frequens vſus eſt. Primum ergo arguit ab efficiente, dicens: *Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus?*] Huius argumentationis hæc eſt ſententia: Dei natura talis eſt, vt humana non egeat opera, ſed ſibi ipſa ſufficit vt ſit, & vt beatè viuat; ſed dij, quos gentes colunt, opera artificum egent, vt ſint; ergo prodeſſe non poſſunt hominibus: quia id quod ſunt, totum arti, nihil naturæ ſuæ debent. Ergo quæ maior eſſe poteſt demētia, quàm ob eo opem auxiliumque efflagitare, cui non ſolùm poſſe, ſed neque eſſe ſubeſt vllum; & totum quod eſt ſecundum hoc nomen quo appellatur, id ab homine eſt, & ab homine non naturali, ſed artificiali cauſa productum: ſed quæ ex arte producuntur, ſecundum quod ex arte ſunt, omni prorſus motu carent, & ex conſequenti omni actione, vtilitate atque auxilio. nam ars formam quidem, hoc eſt, figuram, quæ ſecundum artem eſt, præſtare poteſt. motū verò præſtare nullo modo poteſt. Vnde eſt quòd florem quis imitari arte queat, floris odorem addere nequit. Igitur cùm dij, quibus gentes fidunt, id quod eſt, Deum eſſe ex ſe non habeant, ſed fabris acceptum referant; conſequens eſt eos diuina virtute carere, quam fabrilis ars addere figmento non poteſt: nam ſi poſſet, conſequens eſſet, naturam homine præſtantiorem ab homine produci poſſe: quod manifeſtè falſum deprehenditur. nam homo naturali generatione ſimilem ſibi ipſi producit hominem; artificiali verò opera inferiorem ſe rem homo profert. atque ita nihil eſt idolum, niſi quod artifex eſſe voluit, ſiue Belum, ſiue Nabonem, ſiue Dagonem, ſiue quoquo id nomine appellare libuit. Quam rem & ipſi etiam, qui inter gentes ſapientes habiti ſunt, & intelligunt, & fatentur:

Hor. 1. ſer. Satyr. 8.

> *Olim*, inquit, *truncus eram ficulnus, inutile lignum:*
> *Cùm faber incertus ſcamnum faceretne Priapum;*
> *Maluit eſſe Deum: Deus inde ego furum, auiumq;*
> *Maxima formido.*

Hoc eſt, Inde ex fabri arbitrio Priapus ego ſum; nam ex me nihil ſum, niſi truncus ficulnus, inutile lignum. Igitur cùm à ſculptore lignum ſit id quod eſt, neque numen aliud illi nomini ſubſit, præter accommodatam ad id nomen ab artifice formam, ſculptile inutile eſſe: conſequens eſt, & ſtultos eſſe qui ſculptilibus fidunt. Deinde argumentum eſt à contentione ſiue comparatione hac forma: Omne efficiens quo tale eſt, ſuo effectu præſtantius eſt: ſed dij gentium hominum effecta ſunt; effecta autem non ſecundum naturam, ſed ſecundum artem. porrò ea quæ per artem fiunt, ijs quæ naturæ ordine efficiuntur, minora ſunt. multo deteriore igitur condicione ſculptile ſuo artifice eſt: ſed artifex nihil amplius, quàm homo prodeſſe poteſt. Stultū eſt ergo ſpē ſummā ab homine in ea re collocari, quæ ipſo ſperāte multo eſt inferior. Hoc igitur eſt, quod dicit: *Et imaginem falſam.*] cui nulla ſubeſt ſecundum nomen, quod habet, veritas. nam etſi Dei nomen habeat, falſò tamen impoſitum illi nomen eſt. [*Quia ſperauit in figmento fictor eius.*] Cùm figmentum nihil ſit omnino, ſi fingendi artificium ceſſaret, at fictor ſibi ipſi auxiliari non poteſt; multo ergo minus figmentum, quod vt ſit, fictoris opera indiget. Quod autem addit: *vt faceret ſimulachra muta,*] aliud argumentum innuit; ducitur autem argumentum ex loco qui ab effectis dicitur. Inter effecta verò rerum omnem, quæ ſecundum naturam eſt, actionem connumeramus. Et profecto Deus ille princeps, parens rerum, fabricatorque mundi, nullo magis hominem ſeparauit à cæteris (quæ etiam mortalia ſunt) animalibus, quàm dicendi facultate. nam rationem nobis præcipuam dedit, eiuſque nos cum immortalibus ſpiritibus participes eſſe voluit.

Vide Mercurium in Aeſculapio. Ariſt. 2. Poſt.

voluit. Sed ipſa ratio neque tam nos iuuaret, neque tam eſſet in nobis manifeſta, niſi quæ concepiſſemus mente, edere etiam loquendo poſſemus. Cętera autem animalia & ſi intellectus cuiuſdam ſcintillam & cogitationem aliquam ſortita ſint, quia tamen certiſſimo rationis interprete ſermone carent, muta atque irrationalia vocantur. denique homines quibus negata vox eſt, quantulum, vt Fabius inquit, adiuuat animus ille cæleſtis? Quare ſi nihil in homine orationis facultate melius eſt, per quam & cogitare atque intelligere, & cogitata inuicem proferre poſſunt, quid deterius eſſe ſculptilibus dijs poſſet, qui cum humanam ſpeciem & formam referant, humano tamen officio fungi nequeunt; ita vt non diuinæ modò, ſed humanæ omnino virtutis expertes ſint: non enim loqui, non inuocantibus reſpondere; ſed neque vllam omnino vocem etiam brutorum more edere valent: nam qui eos finxit atque cælauit, ſpeciem quidem fingere potuit, at vocem præſtare non potuit: ſed fecit ſimulachra muta, & quæ ne auxilium quidem vel falsò polliceri, nedum implorantibus ferre poſſint. Atque hæc oratio cum irriſione proferenda eſt, vt ijs in quos dicitur, ruborem excitet; quippe qui tales colant deos, quos cum maximè in humanis caſibus implorauerint, appellauerint, inuocauerint, inutiles omnino, & quod deſperatiſſimum eſt, mutos eſſe ſentiant. Ad hunc modum & illud in pſalmo profertur: Et mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vitulæ comedentis fœnum. quo in loco verba illa, Comedentis fœnum, cum vultu & indignatione legenda ſunt: quæ prolatio in his rebus neceſſaria eſt, quæ ſecundum opinionem maximæ exiſtimantur; ſecundum rationem verò minimi momenti ſunt, vt illud apud Satyricum: Pſal 105. " "

Laudis titulique cupido
Hæſuri ſaxis cinerum cuſtodibus, ad quæ
Diſcutienda valent ſterilis mala robora ficus: Iuuenal. Sat. 10.

Væ qui dicit ligno, expergiſcere: ſurge, lapidi iacenti. Nunquid ipſe docere poterit? Ecce iſte coopertus eſt auro & argento. & omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eius.

V*Æ qui dicit.*] Præcedenti argumento, quod ex loco ab effectis ducebatur, aliud Vates ſubijcit à relatiuis depromptum, quo idolorum cultum inutilem & vaniſſimum eſſe demonſtrat, atque ex conſequenti vanorum deorum cultores damnat. Eſt autem huiuſmodi argumentationis figura & modus. Simulachra cùm muta ſint, appellantibus reſpondere non poſſunt; conſequens ergo eſt, ſtultum eſſe ea appellare: atque eo amplius homines inſanire, quo crebrius ea appellent. Igitur conſtat ſimulachrorum cultores inſanos eſſe. Hæc argumentationis ſumma eſt, quæ quidem in ea figura conſtituitur, quę ad abſurdum atque atopon ducit. Sed hanc dialecticam argumentandi rationem oratoriè Vates proſequitur, & duobus argumentis ſimul componit, & expolitione amplificat. *Væ*, concluſionis vim obtinet in argumentatione. ſignificat autem hoc in loco vanum irritumque laborem in Deorum inuocatione exhauſtum, & eos colenti maximè erubeſcendum eſſe colligit: vtpote, qui in dolore vel miſeriis ſuis ad rem mutam & inutilem opem ſibi imploraturus confugerit. nam ſimulachra quatenus ex arte ſunt, muta ſunt, vt præcedenti argumento probatum eſt. at verò quatenus ad aliquam rerum, quæ ſecundum naturam ſunt, partem pertinent, eatenus omnino muta ſunt, & omnis ſenſus atque vitę expertia. Sunt enim aut marmor, aut ebur, aut lignum aliquod, aut ſi quid his ſimile artifex ad fingenda ſimulachra elegerit. At verò hęc corpora muta ſunt omni diuina virtute, imò omni ſpiritu & vita carentia, nedum auxilium aliquod appellantibus latura. namque inter illa corpora, quæ à natura compoſita ſunt, infimum iſta gradum obtinent, nempe lapis & lignum ab radice & trunco exciſum, metalla, & cetera quæcunque eius generis ſunt. Stultiſſimum eſt ergo huiuſmodi mutas & vitæ expertes res ſupplicationibus & clamoribus pulſare, & varijs atque vehementibus verborum repetitionibus vexare, *ſurge, expergiſcere*, fer opem: & quemadmodum ille Martem ſuum appellabat:

O pater vrbis
Nec galeam quaſſas? nec terram cuſpide pulſas? Iuuen Sat. 2.
Nec quereris patri? Vade ergo & cede ſeueri
Iugeribus campi, quem negligis.

Et tamen hæc omnia fruſtra, cùm lapidem ille, aut æs, aut lignum aliquod his clamoribus compellaret. [*Nunquid ipſe docere poterit?*] Confirmat argumentum experimento ipſo atque vſu omnem demõſtrationẽ ſuperante. Hactenus enim philoſophica protulerat argumenta ex rei ipſius natura obſeruationeque deprompta: nunc verò manifeſto & vulgari experimento, quod etiam artis & philoſophiæ rudes peruincat, probat inutilem eſſe vanumque omnium gentilium ſimulachrorum cultum: fruſtraque ſpem collocari in re, quæ ſe vl-

lam opem laturam ipſa neget. namque perpetua ipſorum ſimulachrorum taciturnitas & ſilentium, quo ſe appellantes excipiunt, confeſſionem quandam imitatur, qua ſe inutilia eſſe, nulliuſque momenti fatentur. Quamobrem ſtultiſſimos eſſe eorum cultores manifeſtum eſt; & omni lapide & ligno ſtupidiores, qui ſimulachra fruſtra inuocati, vel eorum ipſorum perpetuo ſilentio nunquam tandem doceri poſſunt. hoc autem eſt quod dicit: *Nunquid ipſe* lapis aut truncus *docere poterit?*] quod cum exclamatione potius, quàm ſimplici interrogatione pronuntiandum eſt: id eſt, minus profectò ſtupidus lapis aut truncus eſt, qui ſe inutilem eſſe ſilentio docet, quàm cultor eius, qui hoc nũquam tandem intelligit. [*Ecce iſte coopertus eſt auro & argento.*] Duo hæc metalla ad ſimplicẽ & faciliorẽ commerciorum vſum ab antiquiſſimis recepta ſupra ſuã ipſorum naturæ condicionem hominum ſtultitia atq. dementia extulit. namque non contenti nummos ea ferire, ad corporum ornamenta tranſtulêre, torquibus, monilibus, annulis, & innumeris luxuriæ commentis ex ea materia ductis: inde & metallis pretiũ, & ipſorum potiundi ardentior cupido accreuit; ſecuta eſt maxima poſſidentium retinendo auaritia. Inde autem maxima de ijs, qui quam plurimum poſſiderẽt felicitatis opinio irrepſit. denique hæc duo metalla ſupremum in his rebus, quæ in vita vulgo expetuntur, gradum occupauêre, & quieti, & vitæ, & honeſtati prælata tandem ſunt; & tantum non diuinos honores rudia adhuc & inculta in hominum opinione meruêre; quibus tamen cælata & in imagines efficta perfuncta ſunt. Ita vulgus quæ auguſtiora ſacratioraque numina eſſe volebat, ea aurea vel argentea faciebat:

Virgilius Eclog. 7.

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus, inquit ille: *at tu*
Si fœtura gregem ſuppleuerit, aureus eſto.

Igitur magna ſuperſtitionis & ſtultitiæ antiquæ occaſio fuit, quòd quæ ſimulachra ſanctiſſima eſſe volebant, ea aurea vel ſaltem inaurata illius ſuperſtitionis antiſtites fingenda eſſe curauerunt. nam vulgus & falſa religionis traditione deceptum, & pretioſæ materiæ fulgore, quaſi præſtigijs quibuſdam eluſum, inania ſimulachra pro numinibus colebat, illis ſupplicationes decernebat, illis vota nuncupabat. Cuius deceptionis auctores pontifices ipſos & ſacrorum antiſtites fuiſſe, Stoicus Satyrarum ſcriptor hos ipſos ſeueriſſimè arguens teſtatur:

Perſius ſat. 2.

Dicite Pontifices: In ſacro quid facit aurum?
Nempe id quod Veneri donatæ à virgine puppæ.

Igitur ſtultitiam hanc noſter Vates arguit & irridet, & vulgatem æſtimationem eleuat: primùm quòd ex ſua cupiditate & corrupta opinione res omnino abiectas, & vltimum in naturæ ordine locum ſortitas, argentum & aurum Deos eſſe putent. nam ſi maximè totum aureum eſſet opus à quocunque vel mutorum etiam animalium, imò à quacunque vel abiectiſſima planta; naturæ & virtutis præſtantia longè ſuperaretur. at neque tota aurea eſſe, ſed inaurata, hoc eſt, auro vel argento obducta, quæ nullum in viſceribus ſpiritum, nullam vitæ partem contineant. Viuunt quidem ſuo viuendi modo herbæ, viuunt flores, viuunt frutices, creſcunt & nitent arbores; cunctæ præterea feræ, pecudes, belluæque omnes, & quicquid in aquis, aut in ſicca mouetur, vitam, motum, ſenſumque omnia participant, aliquem omnia vtilitatis fructum præbent: nemo autem hominum hæc Deos eſſe putat, niſi forſan Ægyptij, qui hæc ſibi colenda portenta ambitioſè ſuſcepere: quos tamen reliquæ nationes omnibus cachinnis irrident.

Iuue. Sat. 15.

Quis neſcit Voluſi Bithynice, qualia demens
Aegyptus portenta colat? crocodilon adorat
Pars hæc: illa pauet ſaturam ſerpentibus Ibin.
Effigies ſacri nitet aurea cercopitheci,
Dimidio magicæ reſonant vbi Memnone chordæ.
Porrum ac cepe nefas violare, & frangere morſu.
O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina! lanatis animalibus abſtinet omnis
Menſa. nefas illic fœtum iugulare capellæ.

Ergo cùm meritò qui huiuſmodi naturas rerum pro diis colunt, à ſimulachrorum cultoribus irrideantur, quanto maiore cachinno ſe dignos eſſe putent, qui marmor, æs, aut lignum aliquod auro vel argento obductum ſuſpiciunt & timent? quandoquidem eæ res nullam formam aut figuram ſortiuntur, nullumque vſum aut fructum præbent, niſi quæ fictorum & ſculptorum ars, aut corrupta hominum opinio illis tribuerit. [*Et omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eius.*] Huius nominis, *ſpiritus*, ſignificatio multiplex in diuinis libris eſt. Vna autem eius ſignificationis forma, ſecundum quam hoc in loco vſurpatur, prima illa vitæ ratio eſt, qua omne animal perpetuò exercetur: quæ maximè propria vitæ eſt: atque

ijs quidem animantibus, quæ pulmonem & arterias habent, ſpiritus animæ vis illa dici-
tur, qua aſpirant atque reſpirant. nam in pulmonibus ineſt raritas quædam & aſſimilis
ſpongiæ mollitudo, ad hauriendum aërem aptiſſima, qui tum ſe contrahunt aſpirantes,
tum ſpiritu dilatant, vt frequenter ducatur cibus animalis, quo maximè aluntur animan-
tes. Aſpera autem arteria ad pulmones vſque pertinens excipit animam eam, quæ ducta
eſt ſpiritu, eademque à pulmone reſpirat: ita ſpiritus hoc in loco viuam reſpirandi vim
& facultatem ſignificat, vt etiam apud Ciceronem, apud quem in Philoſophicis libris ſic
legitur: Aër, inquit, ille, quem ſpiritum dicimus. At verò in ijs animantibus quæ pulmo-
ne carent, alia quædam perpetuæ actionis vis eſt, quæ hic quam explicuimus, proportio-
ne confertur, vt in alijs qui ſub aquis viuunt, vt in ijs etiam quæ inſecta à philoſophanti-
bus appellantur. Omnem igitur huiuſmodi ſpiritum gentilium deorum ſimulacris Vates
ineſſe negat, atque ex conſequenti, ea omni vita & virtute carere aſſeuerat. nam vel illa
ſolida intus ſunt vel concaua, ſolidis lapidibus, aut metallis, cùm nullæ arteriæ nullus pul-
mo, neque his ſimile inſit quicquam, conſtat nullum ſpiritum ſubeſſe poſſe, ſed neque
concauis; quandoquidem artifex nulla huiuſmodi animæ ac ſpiritus inſtrumenta præſti-
terit: quod ſi maximè præſtitiſſet, vim tamen & vitam talibus inſtrumentis aptam mini-
mè præſtare poſſet. Illud hoc in loco in diſceptationem quæſtionemque à theologis vo-
cari ſolet: Num deorum ſimulachra gentilium aliquem ſpiritum habere poſſint, ita vt vi-
uere, moueri aut loqui videantur? Quam quidem nonnulli diſtinctione vſi abſoluunt: du-
plex, inquiunt, eſt ſpiritus, alter bonus, malus alter: bonus quidem & ſanctus ſpiritus, ne-
que ſimulachra intus agit, neque ea occupat aut obſidet, ſicut ſcriptum eſt: Et ſpiritus non
eſt in viſceribus eius. At verò malus ſpiritus anima quidem imbuere non poteſt, occupare
verò poteſt atq. obſidere. nos autem cùm nihil à malo ſpiritu, ſine aut diuino conſilio, aut
ſaltem permiſſione fieri poſſe credamus, ipſam dæmonum naturam & vim prætermitti-
mus (ſecundum quam multa & agere & facere poſſent, quæ tamen repreſſi & cohibiti vel
tentare non audent) de ijs verò, quæ ab ipſis exercita actaque ſunt, inquirimus, num ſimu-
lachra & effigies, quæ pro diis à gentibus colebantur ſpiritum aliquem ſiue bonum, ſiue
malum, non continere intra ſe, ſed præferre, vel imitari etiam viſa ſint? Atqui nos in ea Rom. 1.
ſententia ſumus, vt hoc fieri non poſſe putemus: nam tametſi multa à Deo in gentiũ pœ-
nam & ſupplicium, vel turpiſſima etiam permiſſa ſint, nuſquã tamen legimus permiſſum,
vt gentes in colẽdis ſimulachris, aliqua veritatis imagine deciperentur: Atque totius qui-
dem ſubſecuti erroris origo & caput hoc vnum fuit, quod à vero & omnium parente Deo
deſciſcentes, ad id, quod Deus non erat, transfugerunt. Cuius quidem ratio nunquam
illos fallere potuit, ſed illi omnem in ſe aditum rationi præcluſerunt, & libenter à menda-
cio contra verum ſtetêre; quos tamen non raró Deus per ſacros Vates, imò etiam per ſuos Liuius
ipſorum ſapientes vocatos aliquando huius ſtultitiæ atque dementiæ admonuit; nedum Orpheus.
eos falſis imaginibus & ſpectaculis hac in re eludi permitteret. Atque quod ipſe quidem Socrates.
in antiquorum libris legerim, nullum fide dignum extare exemplũ memini, cuius aucto-
ritate ab hac ſententia dimouear: ſi quod autem alicubi inuenitur, tantum abeſt vt fidem
faciat, vt ab ijſdem etiam à quibus edita ſunt, tanquam ſacerdotum & antiſtitũ præſtigiæ
irrideantur. Quale eſt illud:

Et mouiſſe caput viſa eſt argentea ſerpens Iuue. Sat. 6.
Illius lachrymis.

Nam ea quæ de oraculis traduntur, cùm illa per viuos homines fuſa eſſe ferantur, alte-
rius tractationis ſunt. Simulachra autem vllam vitæ partem imitari, & prophanæ literæ
non probant, & diuinæ præcisè negant: Os habent, & non loquentur: oculos habent, & Pſal. 113.
non videbunt: aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabum: manus ha-
bent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture ſuo.
Quoniam omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eorum. nullus omnino ſpiritus. Nam quod
ad ſermonis rationem pertinet, hoc notatione dignum videtur, non eodẽ modo vniuer-
ſalem propoſitionem negatiuam in diuinis libris ſemper enuntiari, quo in Latina & Græ-
ca lingua enũtiari ſolet. In his enim duabus linguis duę contrariæ propoſitiones ſic enun-
tiantur: Omnis homo eſt doctus, nullus homo eſt doctus. Ar ſacrorũ librorum germanus
ſermo, & Latinus etiam, qui in vulgata editione illi reſpõdet, nõ perpetuò ad hanc regulã
normamque dirigitur; quippe qui in pluribus locis verba, omnis non, idem, quod nullus
ſignificare inueniantur. namque vbi in ſacrorum inſtitutione Iudæis adipis eſu interdici-
tur, ſic legimus: Omnem adipem non comedetis. & in legibus de dierum obſeruatione, Leuit. 3.
pluſquam vigeſies repetitur: Omne opus non facietis, quibus & ſimile illud eſt: Et poſuit Leuit. 23.
Deus ſignũ Cain, vt nõ interficeret eũ omnis qui inueniſſet eum. Atque hoc in loco diuini Geneſ. 4.

ſpiritus

ſter ac terror ſit ſuper cuncta animalia terræ. Illę tamen, interdum à venatoribus agitatæ ſibi conſulunt, & ſe, quibus armis à natura inſtructæ ſunt, tuentur, ſiue dentibus, ſiue cornibus, ſiue vnguibus pugnas committant. Hac tranſlatione vſuros eos Propheta vaticinatur, qui in Nabuchodonoſoris calamitatem inſultarent. namque dicturi ſunt: Nunquámne timebas rerum mutationem futuram eſſe? Sed tamen ecce illi, quos tu ſæuiſſimis bellis agitabas, quique te maximè timebant & formidabant, nunc rurſus te mordent atque lacerant, & de tua ſuperbia & arrogantia triumphant, quaſque diuitias iniuſtiſſimis modis parauéras atque auxeras, eaſdem hi diripiunt. Mordere igitur hoc in loco idem ſignificet quod illatas iniurias vlciſci, vt apud Paulum: Quòd ſi inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem conſumamini. Eadem res eodem verbo apud Latinos notatur: vt,

Gal. 5.

Iuuen. Sat. 2.

Nonne igitur iure ac meritò vitia vltima fictos
Contemnunt ſcauros, & caſtigata remordent?

Porrò hæc ſimilitudo in ſequentibus explicatur, dum dicitur: *Quia ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis, propter ſanguinem hominis, & iniquitatem terræ ciuitatis, & omnium habitantium in ea.* Hoc enim diuina lex & ratio poſtulat, vt maleficus & ſceleratus quod fecerit, exſpectet. Vnde fit, vt omnis tyrannidis infeliciſſimus ſit exitus; quam quidem rem omnes omnium gentium & ſeculorum hiſtoriæ teſtantur. Quapropter quoniam idem illud Nabuchodonoſori eiuſque poſteritati euenit, quod tyrannis omnibus euenire ſolet: hæc etiam referunt, qui in illius ſuperbiam inſultant. dicunt autem: Tua illa libido, tuus ille inexplebilis rapinæ & prædarum appetitus in cauſa fuit, vt tu aliquando prædæ fores iis, quos Deus in plurimarum gentium vltionem parauerat, qui fuerunt Medi ac Perſæ. nam hos ſolos ex vicinis gentibus Babylonius rex non debellauerat. hi igitur, qui reliqui fuerant, cæteras nationes victas & ſpoliatas vlciſcentur. Hæc autē omnia illi euenient ob immenſam humani ſanguinis effuſionem, qua ille cruentus tyrannus cōtaminatiſſimus erat, & ob maximam terrarum atque vrbium vaſtationem & direptionem, *iniquitatem terræ ciuitatis*, id eſt, violentiam & rapinam in vrbes earumque agros, & habitatores exercitam. Nam ciuitatem pro pluribus ciuitatibus hoc in loco legimus. hæc enim numerorum collectio frequens in ſacra lingua eſt, vt quercum Mambre pro querceto & loco quercubus frequenti poſitum eſt, & à Latinis ſcriptoribus conducere militem dicitur. Chaldæus paraphraſtes hæc vltima verba ad Iſraelitarum regionem refert. inquit enim: *Propter ſanguinem hominum & rapinam terræ Iſraël ciuitatem & omnium habitantium in ea.* Ciuitatis nomen ſimpliciter poſitum ſolam Hieroſolymam Chaldæo ſignificat, quæ res ſua ratione non caret: nam vt apud Latinos vrbis nomen nullo adiuncto prolatum Romam ſignificat; ſic apud Orientales gentes ciuitatis vocabulum Hieroſolymā illis temporibus indicabat: quam omnium Orientis vrbium longè clariſſimam fuiſſe Plinius & Tacitus teſtantur.

Curtius li. 3.

Plin lib. 5. c. 14.
Tacit. 20.

Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius: & liberari ſe putat de manu mali. Cogitaſti confuſionem domui tuæ, concidiſti populos multos, & peccauit anima tua. Quia lapis de pariete clamabit: & lignum quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit.

EANDEM ſententiam alia parabola exornat Vates, dum inſultantium Nabuchodonoſori perſonam ſuſtinet. Deſcribit autem pulcherrimè eiuſmodi tyrannorum auaritiam, & iniuſtam opum & diuitiarum cupiditatem. namque perinde ac ſi totus mundus ſibi ſolis conditus eſſet, ita in ſuas tantum delicias, & in ſuam vtilitatem omnes omnium hominum opes, omnes diuitias transferunt, nulla de alienis neque incommodis, neque damnis cura tacti. atque hæc quidem augendarum opum via, hæc inexplebilis domorum, prædiorū & hæreditatum cupiditas, hoc propriæ vtilitatis ſtudium, quàm in frequenti vſu ſit, innumeræ hominum, populorum, ac gentium querelæ & multæ tam in diuinis literis, quàm in humanis huiuſmodi reprehenſiones teſtantur. Væ, inquit Deus per Iſaiam, qui coniūgitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, vſque ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos ſoli in medio terræ? Hoc igitur eſt auaritiam malā congregare domui ſuæ, velle omnes omnium gētium diuitias, opes, commoditates, omnia inſuper omnium ciuitatum ornamenta in priuatum dominium vſumque transferre, atque ad expellendam libidinem hanc omnia diuina & humana iura violare. Hac inſania laborant multi reges atque tyranni. hac Roma laborauit; his iniurijs totius orbis opes ad ſe tranſtulit.

Iſai. 5.

Iuue. Sat. 8.

Plena domus tunc omnis, & ingens ſtabat aceruus
Nummorum, Spartana chlamys, conchylia Coa:
Et cum Parrhaſij tabulis, ſignisq; Myronis
Phidiacum viuebat ebur, nec non Polycleti
Multus vbique labor, rara ſine Mentore menſa.

HAC etiam cupiditate inſolentiſſimus ille Nabuchodonoſor flagrauit. nam quemadmodum volucres dum nidificant, vndique quæſitam materiam in eum locum, quem ponendis nidis optauerint, congerunt, eosque quàm poſſunt aptiſſimè fingunt, & ſubſternunt, ita vt locus inacceſſus ac tutus ſit, & ipſæ commodè cubent: ſic & Babylonicus ille tyrannus in Babylonem ſuam, quam præcipuè ſibi ſedem delegerat, omnes omnium gentium & ciuitatum diuitias & opes, ac materiam omnem comportauerat, vt tutiſſimum nidum ſibi cōſtrueret, hoc eſt, munitiſſimam arcem & omni apparatu deliciarum refertiſſimam: in qua nomen genusque ſuum æternum facere cogitabat, putabatque ſibi hoc pacto omnium hoſtium & temporum iniuriam à regno genteque ſua propulſatum iri. Hoc enim ſignificat vates cùm dicit: *Et liberari ſe putas de manu mali* Quòd autem ille ſibi hoc ſtultè perſuaſiſſet vltra id quòd hoc in loco diuinus ſpiritus de illo aſſerit, ipſe etiam idē apud Daniclem ſeſe ſumptuosè inſolenterque iactat: Nonne, inquit, hæc eſt Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domū regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Ecce vt vaticinium cum ipſo euentu conuenit: nam quod vates tranſlatione à nido ſumpta prædixerat, ille manifeſtè exponit dicens: quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis, & in gloria decoris, hoc eſt, inſtruxi ego mihi & poſteris meis nidum tutiſſimum, & quàm molliſſimum. [*Cogitaſti confuſionem domui tuæ, concidiſti populos multos, & peccauit anima tua.*] Inſultat adhuc Nabuchodonoſori, atque illius exemplo tyrannis omnibus, qui dum optimè ſibi ſuiſque rebus conſulere putant, peſſimè id agunt. Nihil enim violentum durare perpetuò poteſt, aut permanere; illa autem furore & effrenata violentia diuina omnia humanaque peruertunt. Conſequens ergo eſt ea, quæ ipſi maximè ſtabilia eſſe voluerunt, ſtabilia poſſe eſſe minimè. Porrò in quibus negotijs gerendis magnum conſilium homines ineunt, ſi is exitus contingat, qui non optabatur, maximè ſolent erubeſcere: vt ſcriptum eſt: Et confundantur in conſiliis, in quibus cogitant. Cùm ergo tanta tamque callida Nabuchodonoſoris de regno, domo, nomine & fortunis ſuis ſtabiliendis cōſultatio fuerit, idque tum maximè ſe effecturum is putauerit, ſi omniū nationū, populorū & hominū opes euertiſſet, in ſuamq. retuliſſet vrbē; cumq. hoc durare ac permanere non poſſet, ſed eo certiorem illi ruinam promitteret atque ederet, quo violentiùs ille omnia prædatus eſſet & ſpoliaſſet, neceſſe erat illum in exitu tam votis ſuis & cōſilijs contrario dolere atque erubeſcere (ad quem quidem exitum & erubeſcentiā omnes tandem peruenient, quicunque iniuſtè & violenter ſuam rem conficere parant) quantoque callidius & potentius ſuis rebus conſuluerint, tanto maturius & certius exitium eos expectare oportuerit; quòd ſi minus expectauerint, tamē imparatos opprimet, & erubeſcere coget. Quòd autem dicit Propheta: *Cogitaſti confuſionem domui tuæ, concidiſti populos multos, & peccauit anima tua*, tropus loquendi eſt, in quo conſequens pro antecedente ponitur. namque Nabuchodonoſor non inierat conſilium de perdenda domo, ſed ſtabilienda potius & amplificanda. Verùm quoniam ex ea ratione, qua hæc ab ipſo gerenda erant, ex populorum videlicet conciſione, illius domui ruina maxima & certiſſima impendebat, diuina iuſtitia id ſemper exigente, ideò ipſum confuſionem domui ſuæ cogitaſſe dicit. nam qui homicidium cogitat, & fugam, & bonorum proſcriptionem, & proprium tandem exitium cogitat, quāuis ille odio & vindictæ cupiditate perturbatus, hæc poſteriora non animaduertat. Itaque cogitauit negotium ex quo domus ſuæ confuſio ſecuta eſt. [*Peccauit anima tua.*] Appetitus tuus & nimia dominandi libido te decepit, tranſuerſumque egit. Itaque conſilij rationem voto ineptiſſimam tuo iniſti. Talis exitus omnes habet ambitioſos, talis te habeat exitus oportet. Animā pro appetitu hoc in loco dixit: Hebraicè enim eſt NEPHES: vt, Dilatauit infernus animam ſuam. Confuſionis autem vocabulo non idem in diuinis libris, quod in Latinis ſignificatur. nam confundo verbum & confuſio rerum permixtionem & perturbationem ſignificat, id ſcilicet quod diſtinctioni opponitur: vt Ciceroni vis diuina, & toti mundo confuſa dicitur, hoc eſt, permixta. In Latina autem & recepta Bibliorum interpretatione idem ferè eſt confundi & confuſio, quod erubeſcere & erubeſcentia. quæ res (vt Philoſophus ait & D. Thomas diſputat) vitium ſonat: namque in turpibus actionibus, aut in ijs, quæ à ratione deuiant, erubeſcimus: vt cùm in vitæ inſtituto, aut in diſciplinis fœdè labimur, vel erramus. Itaque confuſio in diuinis libris hanc naturę animaduerſionem ſignificat, qua conſcientia ipſa quemcunque in ſcelere, aut ignoratione eorum, quæ ignorari non decebat, deprehenſum afficit, vt in pſalmo: Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulachris ſuis. &, Confudiſti hodie vultus ſeruorū tuorū, qui ſaluā fecerūt animam tuā, & animas ſeruorum tuorum &c. [*Quia lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit.*] Solenne ſcribētibus omnibus eſt, & in communi ſermone receptum, vt cùm magnam & manifeſtam ali-

Dan. 4.

quam rem indicare velint, rebus ſenſu ac voce carentibus ſenſum & vocem tribuant, ad rei magnitudinem amplificandam. Igitur cùm maximi alicuius beneficij mentionem facimus, cùm ſcelus aliquod indignum verbis exagitamus, cùm iniuriam illatam exponimus, cùm denique triſte aliquid aut lætum maximè explicare contendimus, cælum, terram, elementa omnia, omneſque res etiam ratione & ſenſu carentes, ſolicitamus. Huiuſmodi illud in ſacris carminibus eſt: Omnia oſſa mea dicent, Domine quis ſimilis tui? &c. & illud apud Iſaiã: Audite cæli & auribus percipe terra. Et innumera huius generis exempla, quæ paſſim legentibus occurrunt. Itaque vt collatas vndique ex diuerſis populis per iniuriam opes hoc in loco Vates ſignificaret, atque harum rapinarum vltionem à gentibus venturam prædiceret, non ſolùm gentes ipſas, quæ ſpoliatę fortunis à Nabuchodonoſore fuerant, ſuam calamitatem dolituras deploraturaſque pronuntiat; ſed ipſa etiam ſpolia, quæ varijs è locis corraſa, & in Babylonem deportata fuerant, ipſa inquam eadem clamore, & vocibus immaniſſimi tyranni vim, & potentiam accuſatura eſſe vaticinatur, & ad veteres dominos clamatura, quaſi ſe violenter hac in domo detineri doleant, & ad proprium locum, vnde delata ſunt, referri poſtulent. Quicquid enim violentia afficitur, contra naturæ ſuæ rationem id patitur, atque vel manifeſto, vel ſaltem naturali appetitu cupit in ſuum locum ſedemque reduci. Quòd ſi maximè hæc naturalis mutarum rerũ vox ab hominibus non audiatur; auditur tamen à Deo, cui omnia viuunt, cui omnia loquuntur, qui omnium rerum naturas nouit, qui quid rectè, quid malè collocatum ſit, peruidet. Itaque ad eum Abelis iuſti ſanguis clamat, & recentis adhuc Mundi ſceleribus terra oppreſſa, & Sodomorum regio flagitijs fœdata ad eum vociferatur, & ab hominibus ſe malè pati queritur & vindicari ſe poſtulat: ſic etiam populorum omnium diuitiæ, opes, ſupellex & ornamenta omnia, quæ in Nabuchodonoſoris regia iniuſtè detinentur, clamabunt: & non ſolùm quæ ſoluta atque mobilia ſunt, qualia aurum, argentum, veſtes & eiuſmodi alia; ſed quæ arte & ſtructura colligata, & quaſi perpetuò manſura eſſent, collocata ſunt, vt lapides & trabes ex quibus ipſe domum ſuam ædificauerat, omnia cõquerentur, & clamabunt ſe violenter detineri, & iniuſtè rapta, & proprijs è locis mota fuiſſe. Cùm autem lapides & ligna tantum nominet, cætera omnia ſpolia complectitur. nam totum hoc negotium perdendarum vrbium & proprij regni ſtabiliendi, ſub conſtruendi nidi & ædificandæ domus tranſlatione prius enuntiauerat. Nunc ergo cùm lignum & lapides clamaturum ire demonſtret, totam domum innuit, quæ ijs duabus materijs conſtare ſolet: nam intritum & cæmentum non propriè ad ædificiorũ materiã, ſed ad materiæ miniſteriũ referuntur: ſunt enim materię colligatio quædam. Domus autem ipſa ex duabus conſtat rebus, muris & tecto: lapides muros conficiunt: ligna autem tectum conſarciunt. deniq. tota domus conclamabit, tota iniuriã & rapinã accuſabit, tota diruetur, & ex conſequenti tota tyranni familia, regnum vniuerſum, conſilia, vota omnia iuſto Dei iudicio peribunt. Clamabit lapis: Ego à veteri ſede mea raptus, & malè hic collocatus ſum. Reſpondebit trabs: Pari ego iniuria afficior. & quoniam in ſtructuræ opere paries tectum præcedit, conſentaneum eſt, vt prior lapis clamet, & tignum reſpondeat. Eodem hoc tropo S. Iacobus iniuſtè retentæ operariorũ mercedis diuites accuſat: Ecce, inquit, merces operariorum veſtrorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit. Eodem etiam tropo Tullius Verrem compilatæ prouinciæ arguit, dum illum repetundarum accuſat, vt ſecundam eius legentibus orationem patebit. Multũ enim, vt Fabius docet, vehementiæ, multum acerbitatis huiuſmodi tropi atque figuræ in accuſationibus habent. Porro tota illa circuitio, lignum quod inter iuncturas ædificiorum eſt, illa trabium capita ſignificat, quæ à Latinis propriè proceres appellantur, ab Hebræis verò CAPHIM, id eſt manus, ita ab illis dicitur, quòd quaſi manus quædam tranſuerſos aſſeres ſuſtentent.

[Margin: Iſai. 1. — Ariſt. 2. Phyſicorum. — Iacob. 5. — כפים]

Væ qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate.

EPIPHONEMA eſt, & ſuperiorum argumentationum cum acclamatione concluſio: habent enim eiuſmodi ſententiæ maximam in docendo gratiam, & in perſuadendo efficaciam. Oſtendit autem ſententia hæc infelicem & dignum tyrannorum & auarorũ hominum exitum; qui talis omnibus futurus tandem eſt, qualis Nabuchodonoſori futurus hic prædicitur, miſerrimus videlicet & infeliciſſimus, cum ſummo opprobrio & nominis infamia: ita vt qui ſe cunctis admirabiles reddere cogitabant, cunctis tandem fabula & deteſtatio fiant. Ædificare autem ciuitatem in ſanguinibus, & præparare vrbem in iniquitate, ſiue, vt Chaldaica habent, in dolis, eſt per vim, iniuriam, fraudes, atque dolos facultates rerũ, copias, & opes ac potentiam conſequi, & regni regnandique rationem pro-

prijs

prijs commoditatibus definire.

Hæc proceres, hæc magnos formula reges,
Atque duces, populosq́; tenet, populiq́; magiſtros.

Quos vtinam aliquando hanc iniuſtè dominădi libidinem cohibere videamus,& ad temperatam viuendi rationem pro ſuo cuiuſque officio reduci.

Nunquid non hæc ſunt à Domino exercituum? Laborabunt enim populi in multo igne & gentes in vacuum, & deficient: quia replebitur terra, vt cognoſcant gloriam Domini, quaſi aqua operientes mare.

HÆC totius quæſtionis, quam hactenus ſequuti ſumus, reſponſio atque concluſio eſt, in qua Vates nihil diuinam prouidentiam latêre aut fugere poſſe demonſtrat. nam in ſuperioribus ex Nabuchodonoſoris regis tyrannide, & ex nimia illa & non toleranda potentia, qua ipſum in gentibus dominaturum præuidebat, occaſione data in hanc de prouidentia diſputationem incidit, quam omnibus argumentis dilatauit, omni verborum copia ardentiſſimisque animi affectibus eſt perſequutus: ita vt vniuerſa omnium, qui de hac re diſputauerunt, argumenta, ad hæc, quæ à noſtro Vate deprompta ſunt referantur: quibus ſi aptè reſpondeatur, cæteris omnibus reſponſum iri manifeſtum eſt. Igitur cùm totius diſputationis ſumma hæc ſit, felicitatem impiorum hominum & piorum in hoc Mundo miſeriam argumento eſſe, quòd hominum res à Deo negligantur. quandoquidem ſi humana Deus curaret, ipſum humanorum ſcelerum vindicem eſſe decebat: & cùm ſingularem dubitationem, hoc eſt, theſin iam ſuſtulerit, dum videlicet venturum in Nabuchodonoſorem eiuſque poſteritatem malum inſtinctu afflatuque diuino præuidet & prædicit, communem etiam dubitationem, quæ ex illa ſingulari allata erat; ſublatã eſſe conſtat: atque hoc eſt quod his verbis continetur. Prædicit enim Vates fore, vt conatus cuncti, opera, laboresq́. omnes quæ in vrbibus, domibuſque ædificandis & ornandis, in diuitijs & operibus comparandis, in toto denique regno ſtabiliendo Chaldæorum gens cum ſuo rege conſumpſerint, omnia aut hoſtili igni incenſa pereant, aut in prædatorum vſum poteſtatemq́ue veniant, ita vt qui laborauerant igni, ſe laboraſſe in augendis opibus, quæ ignis & direptionis materia forent, tandem cognoſcant. nam in linguarum vſu eſt, vt perituræ res igni conſumendæ eſſe dicantur: eſt enim elementum vaſtans omnia, & ad extremam conſumptionem velociſſimè perducens. Vnde illud Amoſi: Et mittam ignẽ in domum Azaël: Et mittam ignem in murum Tyri, id eſt, extremam vaſtationem. & illud Catulli: Amos. 1.

At vos interea venite, in ignem *Pleni ſhurris & infacetiarum* Catullus.
Annales Voluſi, &c.

Et vulgari ſermone ſummè exinanitam & vaſtatam domum aliquam ſignificare volentes, dicere ſolemus: *Entro fuego por la caſa.* In multo autem igne laborant, qui ingentes & excelſas domos & turres conſtruunt, in incendij materiam venturas, quemadmodum de viſceroſis & proceri corporis hominibus dicimus, eos magnã terræ molem & copioſum vermibus paſtum geſtare. [*Et laborabunt gentes in vacuum, & deficient.*] Eiuſdem ſententiæ repetitio eſt, & Hebræis familiariſſima expolitio: nam gentes & populi idem ſignificat vtrumque: quandoquidem populus gentium coniunctio & ſocietas quædam eſt. In vanum autem vſque ad laſſitudinem laboraturos eſſe dicit Chaldæos; quoniam omnia, quæ ipſi magnis laboribus & aſſiduis ſudoribus ſibi parauerant, Medorum direptioni & incendijs erant relinquenda. quod perinde erat, ac ſi ipſi in vacuum inſudauiſſent, & ſine vllo operæpretio dies & noctes vſque ad defectionem & virium laſſitudinem ſeſe exercuiſſent. [*Et deficient.*] Exemplaria coniunctione carent, & ſenſus aptius cohæret. Igitur ex hac argumentatione aptè infertur, Deum mortalia curare omnia. nam cùm ille per Vatem ſuum hunc rerum euentũ prædixerit, & quemadmodum prædicta hæc ſunt, ita ſuo tempore euenerint; manifeſtum fit non caſu, ſed conſilio diuino hæc curari. Hæc eſt ergo totius argumentationis concluſio: *Nunquid non hæc ſunt à Domino exercituum?*] Interrogatione infertur, *hæc*, de quibus antea diſſeruimus, certo Dei conſilio non caſu euenire. nam cùm omnem hanc Nabuchodonoſoris tyrannidem, cunctaque illius conſilia, actioneſque omnes per vates ſuos prædixerit Deus; conſequens eſt, ipſum eſſe ſapientiſſimum, & qui res omnes præuideat, & quem non ſolùm facta, ſed neque cogitata quidem humana latêre poſſint. Deinde verò cùm idem ipſe Deus vniuerſos harum rerum, actionum, item & conſiliorum euentus per eoſdẽ ipſos Vates ſuos prænunciet, & ſuppliciũ ſe de tyrãnis principibus, deq́. violentis ipſorũ populis ſumpturum minetur; cumq́ue exitus ipſi rerũ vaticinijs reſpondeant, conſequens eſt, ipſum humanis rebus prouidere, & iudiciũ nõ in æternũ differri, ſed ſuo tẽpore à iuſtiſſimo & ſanctiſſimo iudice exerceri. non enim fieri poteſt, vt cùm rerum euentus

prædi-

prædictionibus reſpondeant, res caſu & incerto motu volui dicantur: ſed à Domino exercituum hæc omnia euenire. Quoniam autem hanc de Babylonica calamitate ſententiam teſtatiſſimam eſſe volebat Deus; quippe quæ diuinæ erga homines prouidentiæ argumentum futura erat; eiſdem ferè verbis & ampliori oratione eandem te per Ieremiam Deus prædixit, eo capite, quod apud Latinos primum à quinquageſimo numeratur; vbi

Ierem. 51. hic verſus etiam totus Hebraicè continetur, qui Latinè immutatis nonnihil verbis ita redditus eſt: Hæc dicit Dominus exercituum: Murus Babylonis ille altiſſimus ſuffoſſione ſuffodietur, & portæ eius excelſæ igne comburentur, & labores populorum ad nihilum, & gentium in igne erunt, & diſperibunt. Porrò illud notatione & animaduerſione dignum eſt, quod ferè in Vatum ſermonibus exercituum poſſeſſio coniuncta Dei nomini potentiam illius ſignificat & facultates, per quas quamcunque rem gerere voluerit, facillimè geret; vt auditoribus notum omnibus ſit, diuinam potētiam fugere minimè quenquā poſſe, cùm ipſe exercitus habeat multos atque fortiſſimos, qui ad nutum parati ſemper ſunt. atque adeò huius dictionis figura tunc vates vtuntur, cùm de diuino iudicio, de ſupplicio ſumendo, de ſceleribus vindicandis agitur: & quod ad certam rationem propriùs accidit, hac exercituum adiunctione ſeſe Deus appellat, vbi cum principibus, cum tyrannis, cum diuitibus, & potentia elatis hominibus, cum ſuperbis deniq. & ſcelere obduratis illi ſermo

Iſai. eſt: vt apud Iſaiam, Hæc dicit Dominus Deus exercituum fortis Iſraël: Heu ego conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis. Itaque huius coniunctionis, *Deus exercituum*, figura, diuina fortitudo, & ſumma ad res gerendas facultas ſignificatur: neque id in Vatum libris ſolùm, ſed in Euangelicis & Apoſtolicis etiam ſcripturis. Erit igitur hæc notatio obſeruatioque non pœnitenda, vt in multis modis, quibus diuinum nomen in Scripturis pronuntiatur, quid in ſingulis ſignificetur, diſtinguere & intelligere huiuſmodi obſeruationibus aſſueſcamus. [*Quia replebitur terra vt cognoſcat gloriam Domini quaſi aqua operiens mare.*] Abſoluerat Vates priorem explendi in Babylonis regem iudicij quæſtionem, ex qua illa communis de malorum & bonorum diſcrimine diſputatio oriebatur: cuius cauſa diuina prouidentia à multis in dubium vocabatur; & religio etiam ac pietas in multorum animis (vt in ſuperioribus Vates conqueſtus eſt) frigebat, videbaturque hac parte diuinus honor minui, ſi nulla hominū cura ſuperûm mentes tangeret. Abſoluit igitur hanc etiam communem de prouidentia quæſtionem, aſſerens poſt ſumptum de Babylonis rege eiuſque regno & gentibus ſupplicium futurum, vt vniuerſi orbis terræ habitatores huius rei fama & veritate conuicti, diuinam curam, diuinamque erga homines prouidentiam agnoſcant, & Dominum Deum mundi principem & rectorem ſanctè religioſeque colāt, laudibusque & diuinis honoribus proſequantur. namque hæc ratio atque cōſideratio humanos animos religione tangit; omneſque ad diuinos honores incitant facto de impijs hominibus iudicio, ſicut ſcriptum eſt: Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam, manus

Pſalm. 51. ſuas lauabit in ſanguine peccatoris, & dicet homo: Vtiq. ſi eſt fructus iuſto, vtiq. eſt Deus iudicans eos in terra. & alibi: Et cognoſcetur Dominus iudicia faciēs, quādo in operibus

Pſalm. 9. manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator. Igitur cùm ij, qui de diuina prouidentia in dubium venerant, iudicij in impios exerciti ſpectatores tandem fiunt; tum denique diuturnam illam ipſorum felicitatem gradus quoſdam fuiſſe cognoſcunt, quibus ad excelſum aſcendebant locum; vnde illis grauior pararetur caſus, & inſigne ruinæ veſtigium fieret. Itaque totus hic dicendi proceſſus, tota impiorum felicitatis amplificatio, hæc ipſorum infelicis exitus demonſtratio eò pertinet, vt quo magis proſperè beateque viuere impij homines videantur; eo minus illorum laudi, gloriæ & commodis inuideamus, ſicut ſcriptum eſt: Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem: Quoniam tanquam fœnum velociter areſcent, & quemadmodum olera herbarum citò decident. Hic ergo impiorum hominum exitus omnem de prouidentia dubitationem tollit; ſicut ille idem poëta, quem in huius libri initio de hac re hæſitantem recitauimus, fatetur. inquit enim:

Claudianus. *Abſtulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum.*

Quare, quoniam Nabuchodonoſoris eiuſque regni negotium, ratioque omnis, vniuerſis hominibus nota eo tempore erant, multique de diuina prouidentia dubitabant, eò quòd tyrannum illum communem hominum peſtem, impunè omnia perdentem videbant; neque ipſi etiam Iſraëlitico populo parcentem; neque ſanctiſſimo illi fano, vbi vnus veruſque Deus colebatur; conſequens eſt, hanc de diuina vindicatione famam totius orbis fines peragraturam, vt ita diuinus honor apud omnes percrebeſcat, & illuſtri laude celebretur, nulluſque ſit locus, in quo Domini gloria non ſplendeat, perinde atque aquæ operientes mare, quæ ſua liquida continuaque natura, quemlibet quantumuis exiguum

& reductum locum ſubeunt & complent, & in quoſcunq. receſſus ſe inſinuant. Eſt autem hæc aptiſſima ſimilitudo, & diuini ſpiritus elocutione digna. namque aquæ maris non ſolùm multitudine, ſed occupatione omnem menſuram excedunt. [*Gloria Domini,*] magnitudine, laude & ſplendore: vt qui latere hac ex parte videbatur, dum de ipſius erga homines cura ambigitur, idem hac etiam ratione nomen decuſque ſuum infinitè dilatet & illuſtret. Hoc autem ita eueniſſe, vt Vates prædixerit, omnes ſcilicet, qui hoc audierũt, Deum laudaſſe, & honoribus diuinis celebraſſe, præclaro atque graui teſtimonio diuina ſcriptura comprobat, ipſius videlicet Cyri Medi regis confeſſione, qui, poſtquam Babylonem ceperat, ſe Dei miniſtrum in regno Chaldæorum expugnando fuiſſe declarauit. Omnia, inquit, regna terræ tradidit mihi Dominus Deus cæli. Porrò particula illa (*quia*) quæ initium in hoc verſu facit, non rationalis eſt, ſed illatiua aut demonſtratiua, vt nempe, ſcilicet, & huiuſmodi. Colligit namque ex priore concluſione poſteriorem, ac ſi diceret dialectico modo: Si Nabuchodonoſor merita caret pœna, Deus illius ſcelera negligit, & ex conſequenti humanis rebus non proſpicit. At Nabuchodonoſor pœnas dabit certas, & à Deo prænuntiatas: ergo Deus illius ſcelera peruidet: itaque humanis rebus proſpicit. quare in diuinis Scripturis non ſolùm nominum & verborum ſignificationem, ſed particularum etiam officia notare oportet. namque eadem particula varia officia alijs atque alijs in locis exercet. In Chaldaicis Biblijs loco, *Quia*, ſcribitur, *Ecce*. Eſdr. 1.

Væ qui potum dat amico ſuo, mittens fel ſuum, & inebrians: vt aſpiciat nuditatem eius. Repletus es ignominia pro gloria: bibe tu quoque & conſopire. Circumdabit te calix dextræ Domini, & vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam. Quia iniquitas Libani operiet te, & vaſtitas animalium deterrebit eos de ſanguinibus hominis, & iniquitate terræ, & ciuitatis, & omnium habitantium in ea.

VÆ *qui potum dat amico ſuo*] Solent victores inſolentia & rerum euentis elati in eos, qui victi ab ipſis ſunt, variè illudere & inſultare, ac maximos & præſtantiſſimos quoſque Reges, duces, atque viros ad ludibrium ponere, atque ijs variè ad ſuam voluntatem vti: quos prior ſors veneratione; poſterior verò miſeratione dignos effecerat. Hoc autem grauiſſimum contumeliæ genus eſt, & ipſo mortis diſcrimine durius, quod nonnulli magni elatique animi viri ſpontanea nece commutauerunt. Hinc Cato ne inſultãtis Cæſaris triumphum ſequeretur, æternum ſeueritatis ſuæ monumentum Vticæ reliquit. Nam quod durius magiſque deteſtandum inhumanitatis exemplum edere quis poſſit, quàm illud quod Adonibezec apud victores Iudæos ſe confeſſus eſt? ſeptuaginta videlicet reges à ſe captos, præciſis manuum & pedum ſummitatibus, ſub eius menſa, veluti canes, reliquias lambere & colligere fuiſſe coactos. Hæc ſummæ immanitatis exempla ſunt, & quæ ferinam omnem crudelitatem longè ſuperent. namque feris vltima crudelitatis linea occiſio eſt, homini verò crudeli leuiſſima res iniuſta etiam nex videtur, niſi in viuentes & ſentientes durioribus ipſa morte ferocitatis exemplis inſultatum ſit. Vt igitur Nabuchodonoſor omnium ſui temporis tyrannorum potentiſſimus fuit, ita omnium longè inſolentiſſimus, qui vſque adeò omnẽ humanæ ſocietatis ſanctitatẽ & religionẽ contempſit, vt nullius hominis dignitatem curaret: ſed, vt in ſuperioribus de ipſo ipſiuſque exercitu Vates dixit, reges & potentiſſimos quoſque duces in ludum ſibi proponeret. Huius autem tyranni mos (vt ex Vatis verbis notatur) fuit in cœnis & conuiuijs, quæ ipſe ſplendidè celebrabat, reges illos, quibus victis pro ſeruis vtebatur, ad immodicas potationes cogere, ſeque eorum ludorum quos conficere ebrietas ſolet, otioſum ſpectatorem præbere. Itaque hominum ignominia & turpitudine magis, quàm honeſtate & decore delectabatur: cùm illud regiam maieſtatem maximè deceret, vt quo illuſtriorem clientum & ſeruorum familiã haberet, eo honeſtius atque liberalius eos tractaret. At verò huius generis iniurias & contumelias nunquam inultas diuina iuſtitia prætermittit: ſed eiſdem Deus ipſe ſupplicijs vti ſolet in eos, qui huiuſmodi afficiuntur voluptatibus. nam & Adonibezec hoc idem in ſe agnoſcit: dicens, Sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Hoc igitur eſt quod Nabuchodonoſori Vates obijcit. quare & iniuriarum eum accuſat, quod videlicet amicis ſuis, ſiue (vt Hebraica habent) ſocijs, qui fortuna & dignitate illi pares fuerant; vtpote qui reges, duces, & populorum rectores extiterant, quòd ſi belli iure vel victoriæ neceſſitate in ſuam deditionem venerant; homines tamen erant, & naturæ communione ſocij, & priſtinæ dignitatis recordatione venerabiles, quibuſq. nõ ad ludos & irriſionem, ſed ad honeſtiſſima regni miniſteria vti decebat: tamen tyrannus hic intemperantiæ propinãdis, turpe ex eorum ignominia & dedecore ſpectaculum ſibi parabat. Itaque tota hæc oratio illuc ſpectat, vt ludibria & contumelias, quibus à potentioribus ij, qui inferiores ſunt, afficiuntur, accuſet & damnet, Deumque ipſum huius ſceleris vindicem oſtendat, Iudic. 1.

qui iis, qui talia committunt, eum, quem meruerunt, fructum retribuet, vt ipſi etiam Nabuchodonoſori retribuit: quem belluinam vitam ab hominum ſocietate remotum viuere coëgit: vt quemadmodum ille alios per ebrietatē humanę mentis vſu priuabat, ita ille de communi ſenſu, ſanitate ac mente deturbatus, meritas pœnas lueret. Quare dictum eſt illi: *Bibe tu quoque & conſopire.*] nam eſt qui tibi pleniſſimo calice propinet; eſt, inquam, Deus, à quo capaciſſimum poculum exhaurire cogaris inſipientiæ & ſtuporis, ita vt humanam in te imaginem non agnoſcas, ſed belluinam exiſtimes. [*Circumdabit te*, Hebraicè paſſiuè legitur eadem ſententia, ſed ſignificantius, *circumdabitur in te*, vel, *ſuper te.*] quod ad imum vſque fundum exhauriendum illi eſſe calicem indicat, ita vt calix dum exhauritur, ſemicirculum deſcribat. Hiſpanè dicimus, *Empinar el vaſo.* Hoc autem vel inuitus feres. nam dextera Dei, qua nihil potentius eſſe poteſt, tibi propinabit, quam tu tyranne prohibere non poteris. [*Et vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.*] Ebrietatem maximam ſignificat, cuius manifeſtum ſignum in ſanis aliàs corporibus eſt vomitus. Hoc enim argumento turpiſſimam
Iſai. 17. ebrietatem arguit Iſaias, dicens: Omnes enim menſæ repletæ ſunt vomitu ſordium. Hoc etiam argumento Tullius Verris ebrietatem probat: Tu, inquit, iſtis lateribus, iſto robore, iſta totius corporis firmitate, in medio ſenatu vomuiſti. Appellatur autem à Vate vomitus ignominiæ, id eſt, turpiſſimus. nam eſt vomitus, qui non ex ebrietate, ſed ex ægritu-
1. Aphor. dine euenit; qualis ille eſt, quem in acceſſionum initijs aliquando contingere Hippocra-
Galenus lib. 3 de cauſis Symptom. tes ait: & hunc leuando morbo vtiliſſimum eſſe docet. Hic autem vomitus ex eo turpis non eſt, quòd non perſonæ vitio, ſed naturæ morbum ſuperantis, aut præ imbecillitate cedentis opera eueniat: at verò qui ex crapula & ebrietate accidit vomitus, hunc turpitudinis & ignominiæ nota liberare poſſit nemo. Quare vomitum ignominiæ ſuper gloriam Nabuchodonoſoris venturum Vates prædicit, qui totam illam ipſius gloriam, totum regium ſplendorem turpiſſima ignominia fœdè inuoluat, vt qui ſe gloriæ ſplendore & dignitate cæteris hominibus præſtare putabat, tantumque ſibi indulgebat, vt ſuum genium felicitatis ſuæ auctorem ſolum agnoſceret: idem nunc cæteris hominibus inferior reddatur, vt communem cum belluis vitam humanæ mentis impos, complures dies, imò menſes degat. Acerbiſſimus igitur hic potus eſt, quem Deus propinat, & formidandus maximè, vtpote qui tantum obſtupefacere homines poſſit, vt è ſumma gloria in ignominiam detrudantur, ſicut ſcriptum eſt: Hunc humiliat & hunc exaltat, quia calix in manu Domi-
Pſalm. 74. ni vini meri plenus mixto: Et inclinauit ex hoc in hoc: veruntamen fex eius non eſt exinanita: bibent omnes peccatores terræ. Quod ad dicendi rationem attinet, in iudiciali genere hæc oratio verſatur. namque & primò inhumanitatis & iniuriarum tyrannus accuſatur, & narratio affectibus & ſtomacho plena multis expolitionibus amplificatur. hypotheſin præterea pulcherrimam continet, qua criminis indignitas exaggeratur, cùm dicitur: *Væ qui potum dat amico mittens fel ſuum, & inebrians.*] namque hæc deſcriptio ſtudioſam criminis ſuſcipiendi voluntatem arguit; ita vt non factum modò, ſed voluntatem accuſet: qui locus in accuſationibus maximus eſt. deinde iudicij ſententiam pronuntiat ipſi reo ſubeundam. [*Bibe quoque tu, &c.* Nunc verò circa verborum rationem illa notare libet; vbi Latini habent, *mittens fel ſuum*, non intelligendum de felle ſimpliciter, ſed vt Chaldaica & Hebraica Biblia habent, *inclinans cadum acerbum ſuum.*] Quibus verbis conuiuas ab illo cados vſque ad fecem ſiccare fuiſſe coactos ſignificatur. nam quod quidam hoc in loco de potu laxatiuo Zedechiæ à Nabuchodonoſore porrecto tradunt, id nobis fide & teſtimonio caret, etiam ſi Hebræos auctores citent. Præterea poſſeſſiuus caſus ignominiæ, adiectiui nominis locum occupat. nam & rarus adiectiuorū vſus Hebræis eſt, & frequens pro adiectiuo genitiui vſurpatio: vt locus ſanctitatis, id eſt, ſanctus; filius iniquitatis, & ſenectutis, hoc eſt, iniquus, & ſenex. ita vomitus ignominiæ, id eſt, turpis vomitus, & indecorus. [*Quia iniquitas Libani operiet te, & vaſtitas animalium deterrebit eos de ſanguinibus hominis, & iniquitate terræ, & ciuitatis, & omnium habitantium in ea.*] Hæc eſt diuinæ ſententiæ cauſa, & damnationis ratio, quam eleganter Vates explicat: prædixerat enim Nabuchodonoſoris punitionem, ipſumque imprimis viuentem & regno & mente euertendum; deinde ipſius poſteritatem familiamque omnem, omnemque gloriam extirpandam funditusque tollendam: nunc cauſam elogiumque huius rei ſubijcit, effrenatam videlicet violentiam, qua in omnes homines, maximè autem in Iudæorum ciuitates & gentem eſt vſus. Vtitur autem allegorica elocutione, quam paulò pòſt idem Vates explicat. nam cùm proximè illi venturam mentis inſaniam denuntiaſſet, ipſumque belluis ſimilem aliquando futurum prædixiſſet, eundem nunc tanquam belluam quandā alloquitur, & totam orationem verbis ad illam vitæ formā accōmodatis cōficit, perinde ac ſi dicat: O bellua quæ nunc in agris & ſiluis agis, occurſusque hominum formidas, hic pauor, hic metus, hæc te calamitas propterea nunc oppri-

opprimit, quòd tu olim ſanctiſſimum illum montem Siona maximo numini ſacrum, veluti ſiluam quandam prophanum vaſtumque reddidiſti, omneſque Ieroſolymitanos ciues ſæuiſſimè trucidaſti. En crimen tuum, en ſcelus, en iuſtum criminis & ſceleris ſupplicium. Memineris te Deum immortalem, cui ille lucus ſacer erat, irritaſſe, neque illius te iram effugere potuiſſe. Hactenus allegoria vſus eſt; cuius explicationem continuo addit, dicens: Ob ſanguines interfectorum hominum, ob totius terræ vaſtationem, atque ob ciuitatis Ieruſalem direptionem, & ob ciuium eius internecionem, quam crudeliſſimè exercuiſti. ob hęc omnia hoc tibi à Deo viuente periculum, imò hoc ſupplicium inſtat. Porrò illud quod dicit, *Quia vaſtitas animalium deterrebit eos;*] Catholica ſententia eſt ad hunc locum in argumentatione aptiſſimè accommodata. Cuius hic primum eſt ſenſus: Omnis fera, quæ inſidijs & rapto viuit, tandem inſidijs & venatu perit. namque ſolent homines aſſiduis ferarum damnis offenſi congregari, ſaltuſque & ſiluas circundare, ipſaſque feras excitatas & agitatas capere, atque perdere. Itaque quo magis rapax atque nocens bellua eſt, eo grauiorem ab hominibus internecionem metuit, eoque vehementius humanos occurſus, damnorum, quæ ipſa dederit, conſcia formidat, ſicut ſcriptum eſt: Poſuiſti tenebras Pſal. 103.
& facta eſt nox: in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſiluæ: Catuli Leonum rugientes vt rapiant, & quęrant à Deo eſcam ſibi. Ortus eſt ſol, & congregabuntur, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Igitur hoc eſt ſententiæ argumentum, feras eodem modo perire quo viuunt; præda viuunt; pręda tandem venatoribus fiunt. Ex hac ſententia argumentationem ſuam ita diſponit Vates, vt propoſitionis locum ipſa obtineat; ſiue, vt Dialectici vocant, maioris præmiſſę aſſumptionem, ſiue minorem ipſam theſim conſtituat, hoc eſt, cauſam & negotium quod ad Regem attinet; pro complexione autem ſiue concluſione diuinam ſententiam collocet hoc modo: Feras ſæuitia ad ſuam perniciem excitare atque agitare ſolet: Tu Libanum ſæuiſſimè vaſtaſti; ergo à Libani Domino excitaberis atque agitaberis. Hæc eſt ſyllogiſmi forma. Verùm vates non dialectica diſpoſitione, ſed oratoria vtitur. nam concluſionem primò ponit, cùm dicit: *Bibe quoque tu, &c.*] Deinde aſſumptionem in allegoria, & in eius explicatione ſic collocat: *Quia iniquitas Libani, & de ſanguinibus hominis, & de iniquitate terræ.* medio autem loco propoſitionem ſiue maiorem ſtatuit, *Vaſtitas animalium deterrebit eos.*] Quam catholicam ſententiam eſſe diximus ad hanc cauſam aptiſſimè relatam. Vocamus autem catholicam ſententiam experimento & rerum obſeruatione atque vſu collectam rationem, & ad vitæ atque morum inſtitutionem vtilem. quarum itaque ſententiarum maxima vis in docendo ac ſuadendo, & in orationibus exorandis eſſe ſolet. nũc de ratione huius allegoriæ pauca. Libani nomine Siona montem & incolas atque habitatores eius intelligimus: nam præterquam quòd paulo pòſt ipſe idem ſeſe Vates explicat, ſic appellari ſolitum eſſe montem Siona, argumentum nobis facit Moſes, qui Deum orabat vt ſe permitteret terram illam patribus promiſſam luſtrare, & montem, & Libanum. Vbi Siona montem appellat, & eundem Libanum, vel quòd Libani pars eſſet, vel Libano adeò vicinus, vt pro eodem cenſeretur. Nam de Libano Phœniciæ monte videndo nulla illi cura erat; vt pote qui terræ promiſſæ finis & terminus eſſet, non autem pars. Itaque per Metonymiam montem Libani pro Sione mõte, in quo Ieruſalem ſita erat, accipit: aut ex parte totũ, aut ex vicino vicinũ: quo loquendi tropo ſępe auctores vtuntur, vt Virg. Aeneid. 3.
Poſtquam res Aſiæ Priamiq; euertere gentem Immeritam placuit ſuperis. Quo in loco pro Troiæ rebus totius Aſiæ res ponit. Chaldæus paraphraſtes vice Libani domum ſanctuarij ſcribit, quem interlinearis Gloſa, & Hieronymus, atque Nicolaus Lyranus ſecuti ſunt. [*Et vaſtitas animalium deterrebit eos.*] Pronomen hoc neutrum eſſe oportuit, quia ad animalium nomen refertur in allegoria; in explicatione autem ad raptores omnes: ſed hic nondum allegoriam deſeruerat Scriptura. nam & in exemplari idem genus vtrobique conſeruatur in nomine animalis, & in pronomine. Et quia hæc diuerſorum generum coniunctio dura videbatur auctori Gloſæ, quam interlinearem appellant; ideò [*eos*] ſubſtituit, ad ſignificatum potius, quàm ad verba alludens. Ego nullum vitium in Interprete arguo: ſi quid eſt, quod ſuſpicer, ad ſcriptorum audaciam refero, qui in multis alijs locis malè ingenioſi eſſe voluerunt.

Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus: conflatile & imaginem falſam? quia ſperauit in figmento fictor eius, vt faceret ſimulachra muta.

HACTENVS cauſæ intentionem Vates protraxit; nunc verò alteram orationis partem, in qua depulſio eſt, ſuſcipit. nam quicunque artis non expers animum ad totam hanc orationem aduerterit, ipſam in iudiciali genere verſari intelliget. Cuius quidem artificij rationem & modos omnes in Capitis huius fine indicabimus: nunc ſententiam ipſam interpretemur. Igitur in ſuperiori orationis parte, dum Vates Babylonium regem accu-

ſat, ra-

ſat, rationem ipſius regis expoſuit, qua ipſe videlicet ſuam cauſam defendere tuerique ſtudebat. cuius quidem rationis hæc erat ſententia, ſe ſuis numinibus charum eſſe, à ſuo foueri genio, in cuius fide & tutela erat; neque vnquam fortunā ſuam deſerturum, ſed fortiter res omnes ſe geſturum: nulla ſe formidine deterreri, nullis viribus à ſumma conſequenda potentia retrahi poſſe: quandoquidem hæc eſt fortitudo eius Deus ſuus. Itaque nullius hominis aut Dei minas, aut vim timebat, dum ſuum ille Deum aſtantem ſibi præſentemque haberet. Huius Dei ſui bonis auſpicijs ſe ad magnam & præclaram laudem aſpirare; neque vllum bellis gerendis, niſi cum ſummo imperio, modū ſibi eſſe ſtatuendum. Itaque tota ſuorum negotiorum ſpes, tota ratio & fiducia in Deo ſuo tantùm erat. Hanc tyranni rationem acutiſſimè ac diſertiſſimè noſter Vates euertit, probatque falſam atque vanam omnino eſſe: quandoquidem Chaldæorum & gentium dij, quibus fidebant, quorumque tutelæ ſeſe crediderant, nihil diuinum præter inane nomen haberent, cui nulla in ipſis res, nulla ratio reſpondeat. Eſt autem totius argumentationis hæc ſumma. Quod non eſt, prodeſſe poteſt nihil; dij gentium nulli ſunt, prodeſſe ergo nequeunt. Huius ſyllogiſmi maiorem propoſitionem prętermittet, quippe quę in ipſa aſſumptione comprehendatur: aſſumptionem verò ſiue minorem propoſitionem pluribus argumentis probat. vtitur namque enthymemate, cuius in liberiore oratione frequens vſus eſt. Primum ergo arguit ab efficiente, dicens: *Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus?*] Huius argumentationis hæc eſt ſententia: Dei natura talis eſt, vt humana non egeat opera, ſed ſibi ipſa ſufficit vt ſit, & vt beatè viuat; ſed dij, quos gentes colunt, opera artificum egent, vt ſint; ergo prodeſſe non poſſunt hominibus: quia id quod ſunt, totum arti, nihil naturæ ſuæ debent. Ergo quæ maior eſſe poteſt demētia, quàm ob eo opem auxiliumque efflagitare, cui non ſolùm poſſe, ſed neque eſſe ſubeſt vllum; & totum quod eſt ſecundum hoc nomen quo appellatur, id ab homine eſt, & ab homine non naturali, ſed artificiali cauſa productum: ſed quæ ex arte producuntur, ſecundum quod ex arte ſunt, omni prorſus motu carent, & ex conſequenti omni actione, vtilitate atque auxilio. nam ars formam quidem, hoc eſt, figuram, quæ ſecundum artem eſt, præſtare poteſt. motū verò præſtare nullo modo poteſt. Vnde eſt quòd florem quis imitari arte queat, floris odorem addere nequit. Igitur cùm dij, quibus gentes fidunt, id quod eſt, Deum eſſe ex ſe non habeant, ſed fabris acceptum referant; conſequens eſt eos diuina virtute carere, quam fabrilis ars addere figmento non poteſt: nam ſi poſſet, conſequens eſſet, naturam homine præſtantiorem ab homine produci poſſe: quod manifeſtè falſum deprehenditur. nam homo naturali generatione ſimilem ſibi ipſi producit hominem; artificiali verò opera inferiorem ſe rem homo profert. atque ita nihil eſt idolum, niſi quod artifex eſſe voluit, ſiue Belum, ſiue Nabonem, ſiue Dagonem, ſiue quoquo id nomine appellare libuit. Quam rem & ipſi etiam, qui inter gentes ſapientes habiti ſunt, & intelligunt, & fatentur:

Hor. 1. ſer. Satyr. 8.

> *Olim,* inquit, *truncus eram ficulnus, inutile lignum:*
> *Cùm faber incertus ſcamnum faceretne Priapum;*
> *Maluit eſſe Deum: Deus inde ego furum, auiumq;*
> *Maxima formido.*

Hoc eſt, Inde ex fabri arbitrio Priapus ego ſum; nam ex me nihil ſum, niſi truncus ficulnus, inutile lignum. Igitur cùm à ſculptore lignum ſit id quod eſt, ueque numen aliud illi nomini ſubſit, præter accommodatam ad id nomen ab artifice formam, ſculptile inutile eſſe: conſequens eſt, & ſtultos eſſe qui ſculptilibus fidunt. Deinde argumentum eſt à contentione ſiue comparatione hac forma: Omne efficiens quo tale eſt, ſuo effectu præſtantius eſt: ſed dij gentium hominum effecta ſunt; effecta autem non ſecundum naturam, ſed ſecundum artem. porrò ea quæ per artem fiunt, ijs quæ naturæ ordine efficiuntur, minora ſunt. multo deteriore igitur condicione ſculptile ſuo artifice eſt: ſed artifex nihil amplius, quàm homo prodeſſe poteſt. Stultū eſt ergo ſpē ſummā ab homine in ea re collocari, quæ ipſo ſperāte multo eſt inferior. Hoc igitur eſt, quod dicit: *Et imaginem falſam.*]cui nulla ſubeſt ſecundum nomen, quod habet, veritas. nam etſi Dei nomen habeat, falsò tamen impoſitum illi nomen eſt. [*Quia ſperauit in figmento fictor eius.*]Cùm figmentum nihil ſit omnino, ſi fingendi artificium ceſſaret, at fictor ſibi ipſi auxiliari non poteſt; multo ergo minus figmentum, quod vt ſit, fictoris opera indiget. Quod autem addit: *vt faceret ſimulachra muta,*] aliud argumentum innuit; ducitur autem argumentum ex loco qui ab effectis dicitur. Inter effecta verò rerum omnem, quæ ſecundum naturam eſt, actionem connumeramus. Et profecto Deus ille princeps, parens rerum, fabricatorque mundi, nullo magis hominem ſeparauit à cæteris (quæ etiam mortalia ſunt) animalibus, quàm dicendi facultate. nam rationem nobis præcipuam dedit, eiusque nos cum immortalibus ſpiritibus participes eſſe voluit.

Vide Mercurium in Aeſculapio. Ariſt. 2. Poſt.

voluit. Sed ipſa ratio neque tam nos iuuaret, neque tam eſſet in nobis manifeſta, niſi quæ concepiſſemus mente, edere etiam loquendo poſſemus. Cętera autem animalia & ſi intellectus cuiuſdam ſcintillam & cogitationem aliquam ſortita ſint, quia tamen certiſſimo rationis interprete ſermone carent, muta atque irrationalia vocantur. denique homines quibus negata vox eſt, quantulum, vt Fabius inquit, adiuuat animus ille cæleſtis? Quare ſi nihil in homine orationis facultate melius eſt, per quam & cogitare atque intelligere, & cogitata inuicem proferre poſſunt, quid deterius eſſe ſculptilibus dijs poſſet, qui cùm humanam ſpeciem & formam referant, humano tamen officio fungi nequeunt; ita vt non diuinæ modò, ſed humanæ omnino virtutis expertes ſint: non enim loqui, non inuocantibus reſpondere; ſed neque vllam omnino vocem etiam brutorum more edere valent: nam qui eos finxit atque cælauit, ſpeciem quidem fingere potuit, at vocem præſtare non potuit: ſed fecit ſimulachra muta, & quæ ne auxilium quidem vel falsò polliceri, nedum implorantibus ferre poſſint. Atque hæc oratio cum irriſione proferenda eſt, vt ijs in quos dicitur, ruborem excitet; quippe qui tales colant deos, quos cùm maximè in humanis caſibus implorauerint, appellauerint, inuocauerint, inutiles omnino, & quod deſperatiſſimum eſt, mutos eſſe ſentiant. Ad hunc modum & illud in pſalmo profertur: Et mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vitulæ comedentis fœnum. quo in Pſal 105.
loco verba illa, Comedentis fœnum, cum vultu & indignatione legenda ſunt: quæ prolatio in his rebus neceſſaria eſt, quæ ſecundum opinionem maximæ exiſtimantur; ſecundum rationem verò minimi momenti ſunt, vt illud apud Satyricum:

Laudis tituliq; cupido
Haſuri ſaxis cinerum cuſtodibus, ad quæ Iuuenal. Sat. 10.
Diſcutienda valent ſterilis mala robora ficus:

Væ qui dicit ligno, expergiſcere: ſurge, lapidi iacenti. Nunquid ipſe docere poterit? Ecce iſte coopertus eſt auro & argento. & omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eius.

V*Æ qui dicit.*] Præcedenti argumento, quod ex loco ab effectis ducebatur, aliud Vates ſubijcit à relatiuis deprompt um, quo idolorum cultum inutilem & vaniſſimum eſſe demonſtrat, atque ex conſequenti vanorum deorum cultores damnat. Eſt autem huiuſmodi argumentationis figura & modus. Simulachra cùm muta ſint, appellantibus reſpondere non poſſunt; conſequens ergo eſt, ſtultum eſſe ea appellare: atque eo amplius homines inſanire, quo crebrius ea appellent. Igitur conſtat ſimulachrorum cultores inſanos eſſe. Hæc argumentationis ſumma eſt, quæ quidem in ea figura conſtituitur, quę ad abſurdum atque atopon ducit. Sed hanc dialecticam argumentandi rationem oratoriè Vates proſequitur, & duobus argumentis ſimul componit, & expolitione amplificat. *Væ*, concluſionis vim obtinet in argumentatione. ſignificat autem hoc in loco vanum irritumque laborem in Deorum inuocatione exhauſtum, & eos colenti maximè erubeſcendum eſſe colligit: vtpote, qui in dolore vel miſeriis ſuis ad rem mutam & inutilem opem ſibi imploraturus confugerit. nam ſimulachra quatenus ex arte ſunt, muta ſunt, vt præcedenti argumento probatum eſt. at verò quatenus ad aliquam rerum, quæ ſecundum naturam ſunt, partem pertinent, eatenus omnino muta ſunt, & omnis ſenſus atque vitę expertia. Sunt enim aut marmor, aut ebur, aut lignum aliquod, aut ſi quid his ſimile artifex ad fingenda ſimulachra elegerit. At verò hęc corpora muta ſunt omni diuina virtute, imò omni ſpiritu & vita carentia, nedum auxilium aliquod appellantibus latura. namque inter illa corpora, quæ à natura compoſita ſunt, infimum iſta gradum obtinent, nempe lapis & lignum ab radice & trunco exciſum, metalla, & cetera quæcunque eius generis ſunt. Stultiſſimum eſt ergo huiuſmodi mutas & vitæ expertes res ſupplicationibus & clamoribus pulſare, & varijs atque vehementibus verborum repetitionibus vexare, *ſurge, expergiſcere*, fer opem: & quemadmodum ille Martem ſuum appellabat:

O pater vrbis
Nec galeam quaſſas? nec terram cuſpide pulſas? Iuuen Sat. 2.
Nec quereris patri? Vade ergo & cede ſeueri
Iugeribus campi, quem negligis.

Et tamen hæc omnia fruſtra, cùm lapidem ille, aut æs, aut lignum aliquod his clamoribus compellaret. [*Nunquid ipſe docere poterit?*] Confirmat argumentum experimento ipſo atque vſu omnem demõſtrationẽ ſuperante. Hactenus enim philoſophica protulerat argumenta ex rei ipſius natura obſeruationeque deprompta: nunc verò manifeſto & vulgari experimento, quod etiam artis & philoſophiæ rudes peruincat, probat inutilem eſſe vanumque omnium gentilium ſimulachrorum cultum: fruſtraque ſpem collocari in ea

lam opem laturam ipſa neget. namque perpetua ipſorum ſimulachrorum taciturnitas & ſilentium, quo ſe appellantes excipiunt, confeſſionem quandam imitatur, qua ſe inutilia eſſe, nulliusque momenti fatentur. Quamobrem ſtultiſſimos eſſe eorum cultores manifeſtum eſt; & omni lapide & ligno ſtupidiores, qui ſimulachra fruſtra inuocari, vel eorum ipſorum perpetuo ſilentio nunquam tandem doceri poſſunt. hoc autem eſt quod dicit: *Nunquid ipſe* lapis aut truncus *docere poterit?*] quod cum exclamatione potius, quàm ſimplici interrogatione pronuntiandum eſt: id eſt, minus profectò ſtupidus lapis aut truncus eſt, qui ſe inutilem eſſe ſilentio docet, quàm cultor eius, qui hoc nūquam tandem intelligit. [*Ecce iſte coopertus eſt auro & argento.*] Duo hæc metalla ad ſimplicē & faciliorē commerciorum vſum ab antiquiſſimis recepta ſupra ſuā ipſorum naturæ condicionem hominum ſtultitia atq. dementia extulit. namque non contenti nummos ea ferire, ad corporum ornamenta tranſtulêre, torquibus, monilibus, annulis, & innumeris luxuriæ commentis ex ea materia ductis: inde & metallis pretiū, & ipſorum potiundi ardentior cupido accreuit; ſecuta eſt maxima poſſidentium retinendo auaritia. Inde autem maxima de iis, qui quam plurimum poſſiderēt felicitatis opinio irrepſit. denique hæc duo metalla ſupremum in his rebus, quæ in vita vulgo experuntur, gradum occupauêre, & quieti, & vitæ, & honeſtati prælata tandem ſunt; & tantum non diuinos honores rudia adhuc & inculta in hominum opinione meruêre; quibus tamen cælata & in imagines efficta perfuncta ſunt. Ita vulgus quæ auguſtiora ſacratioraque numina eſſe volebat, ea aurea vel argentea faciebat:

Virgilius Eclog. 7.

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus, inquit ille: *at tu*
Si fœtura gregem ſuppleuerit, aureus eſto.

Igitur magna ſuperſtitionis & ſtultitiæ antiquæ occaſio fuit, quòd quæ ſimulachra ſanctiſſima eſſe volebant, ea aurea vel ſaltem inaurata illius ſuperſtitionis antiſtites fingenda eſſe curauerunt. nam vulgus & falſa religionis traditione deceptum, & pretioſæ materiæ fulgore, quaſi præſtigiis quibuſdam eluſum, inania ſimulachra pro numinibus colebat, illis ſupplicationes decernebat, illis vota nuncupabat. Cuius deceptionis auctores pontifices ipſos & ſacrorum antiſtites fuiſſe, Stoicus Satyrarum ſcriptor hos ipſos ſeueriſſimè arguens teſtatur:

Perſius ſat. 2.

Dicite Pontifices : in ſacro quid facit aurum?
Nempe id quod Veneri donatæ à virgine puppæ.

Igitur ſtultitiam hanc noſter Vates arguit & irridet, & vulgarem æſtimationem eleuat: primùm quòd ex ſua cupiditate & corrupta opinione res omnino abiectas, & vltimum in naturæ ordine locum ſortitas, argentum & aurum Deos eſſe putent. nam ſi maximè totum aureum eſſet opus à quocunque vel mutorum etiam animalium, imò à quacunque vel abiectiſſima planta; naturæ & virtutis præſtantia longè ſuperaretur. at neque tota aurea eſſe, ſed inaurata, hoc eſt, auro vel argento obducta, quæ nullum in viſceribus ſpiritum, nullam vitæ partem contineant. Viuunt quidem ſuo viuendi modo herbæ, viuunt flores, viuunt frutices, creſcunt & nitent arbores; cunctæ præterea feræ, pecudes, belluæque omnes, & quicquid in aquis, aut in ſicca mouetur, vitam, motum, ſenſumque omnia participant, aliquem omnia vtilitatis fructum præbent: nemo autem hominum hæc Deos eſſe putat, niſi forſan Ægyptii, qui hæc ſibi colenda portenta ambitioſè ſuſcepere: quos tamen reliquæ nationes omnibus cachinnis irrident.

Iuue. Sat. 15.

Quis neſcit Voluſi Bithynice, qualia demens
Aegyptus portenta colat? crocodilon adorat
Pars hæc: illa pauet ſaturam ſerpentibus Ibin.
Effigies ſacri nitet aurea cercopitheci,
Dimidio magicæ reſonant vbi Memnone chordæ.
Porrum ac cæpe nefas violare, & frangere morſu.
O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina! lanatis animalibus abſtinet omnis
Menſa. nefas illic fœtum iugulare capellæ.

Ergo cùm meritò qui huiuſmodi naturas rerum pro diis colunt, à ſimulachrorum cultoribus irrideantur, quanto maiore cachinno ſe dignos eſſe putent, qui marmor, æs, aut lignum aliquod auro vel argento obductum ſuſpiciunt & timent? quandoquidem eæ res nullam formam aut figuram ſortiuntur, nullumque vſum aut fructum præbent, niſi quæ fictorum & ſculptorum ars, aut corrupta hominum opinio illis tribuerit. [*Et omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eius.*] Huius nominis, *ſpiritus,* ſignificatio multiplex in diuinis libris eſt. Vna autem eius ſignificationis forma, ſecundum quam hoc in loco vſurpatur, prima illa vitæ ratio eſt, qua omne animal perpetuò exercetur: quæ maximè propria vitæ eſt: atque

ijs quidem animantibus, quæ pulmonem & arterias habent, ſpiritus animæ vis illa dicitur, qua aſpirant atque reſpirant. nam in pulmonibus ineſt raritas quædam & aſſimilis ſpongiæ mollitudo, ad hauriendum aërem aptiſſima, qui tum ſe contrahunt aſpirantes, tum ſpiritu dilatant, vt frequenter ducatur cibus animalis, quo maximè aluntur animantes. Aſpera autem arteria ad pulmones vſque pertinens excipit animam eam, quæ ducta eſt ſpiritu, eademque à pulmone reſpirat: ita ſpiritus hoc in loco viuam reſpirandi vim & facultatem ſignificat, vt etiam apud Ciceronem, apud quem in Philoſophicis libris ſic legitur: Aër, inquit, ille, quem ſpiritum dicimus. At verò in ijs animantibus quæ pulmone carent, alia quædam perpetuæ actionis vis eſt, quæ hic quam explicuimus, proportione confertur, vt in alijs qui ſub aquis viuunt, vt in ijs etiam quæ inſecta à philoſophantibus appellantur. Omnem igitur huiuſmodi ſpiritum gentilium deorum ſimulacris Vates ineſſe negat, atque ex conſequenti, ea omni vita & virtute carere aſſeuerat. nam vel illa ſolida intus ſunt vel concaua, ſolidis lapidibus, aut metallis, cùm nullæ arteriæ nullus pulmo, neque his ſimile inſit quicquam, conſtat nullum ſpiritum ſubeſſe poſſe, ſed neque concauis; quandoquidem artifex nulla huiuſmodi animæ ac ſpiritus inſtrumenta præſtiterit: quod ſi maximè præſtitiſſet, vim tamen & vitam talibus inſtrumentis aptam minimè præſtare poſſet. Illud hoc in loco in diſceptationem quæſtionemque à theologis vocari ſolet: Num deorum ſimulachra gentilium aliquem ſpiritum habere poſſint, ita vt viuere, moueri aut loqui videantur? Quam quidem nonnulli diſtinctione vſi abſoluunt: duplex, inquiunt, eſt ſpiritus, alter bonus, malus alter: bonus quidem & ſanctus ſpiritus, neque ſimulachra intus agit, neque ea occupat aut obſidet, ſicut ſcriptum eſt: Et ſpiritus non eſt in viſceribus eius. At verò malus ſpiritus anima quidem imbuere non poteſt, occupare verò poteſt atq. obſidere. nos autem cùm nihil à malo ſpiritu, ſine aut diuino conſilio, aut ſaltem permiſſione fieri poſſe credamus, ipſam dæmonum naturam & vim prætermittimus (ſecundum quam multa & agere & facere poſſent, quæ tamen repreſſi & cohibiti vel tentare non audent) de ijs verò, quæ ab ipſis exercita actaque ſunt, inquirimus, num ſimulachra & effigies, quæ pro dijs à gentibus colebantur ſpiritum aliquem ſiue bonum, ſiue malum, non continere intra ſe, ſed præferre, vel imitati etiam viſa ſint? Atqui nos in ea Rom. 1.
ſententia ſumus, vt hoc fieri non poſſe putemus: nam tametſi multa à Deo in gentiũ pœnam & ſupplicium, vel turpiſſima etiam permiſſa ſint, nuſquã tamen legimus permiſſum, vt gentes in colẽdis ſimulachris, aliqua veritatis imagine deciperentur: Atque totius quidem ſubſecuti erroris origo & caput hoc vnum fuit, quod à vero & omnium parente Deo deſciſcentes, ad id, quod Deus non erat, transfugerunt. Cuius quidem ratio nunquam illos fallere potuit, ſed illi omnem in ſe aditum rationi præcluſerunt, & libenter à mendacio contra verum ſtetêre; quos tamen non rarò Deus per ſacros Vates, imò etiam per ſuos Linius
ipſorum ſapientes vocatos aliquando huius ſtultitiæ atque dementiæ admonuit; nedum Orpheus.
eos falſis imaginibus & ſpectaculis hac in re eludi permitteret. Atque quod ipſe quidem Socrates.
in antiquorum libris legerim, nullum fide dignum extare exemplũ memini, cuius auctoritate ab hac ſententia dimouear: ſi quod autem alicubi inuenitur, tantum abeſt vt fidem faciat, vt ab ijſdem etiam à quibus edita ſunt, tanquam ſacerdotum & antiſtitũ præſtigiæ irrideantur. Quale eſt illud:

Et mouiſſe caput viſa eſt argentea ſerpens Iuue. Sat. 6.
Illius lachrymis.

Nam ea quæ de oraculis traduntur, cùm illa per viuos homines fuſa eſſe ferantur, altetius tractationis ſunt. Simulachra autem vllam vitæ partem imitari, & prophanæ literæ non probant, & diuinæ præcisè negant: Os habent, & non loquentur: oculos habent, & Pſal. 113.
non videbunt: aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt: manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture ſuo. Quoniam omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eorum. nullus omnino ſpiritus. Nam quod ad ſermonis rationem pertinet, hoc notatione dignum videtur, non eodẽ modo vniuerſalem propoſitionem negatiuam in diuinis libris ſemper enuntiari, quo in Latina & Græca lingua enũciari ſolet. In his enim duabus linguis duæ contrariæ propoſitiones ſic enuntiantur: Omnis homo eſt doctus, nullus homo eſt doctus. At ſacrorũ librorum germanus ſermo, & Latinus etiam, qui in vulgata editione illi reſpõdet, nõ perpetuò ad hanc regulã normamque dirigitur; quippe qui in pluribus locis verba, omnis non, idem, quod nullus ſignificare inueniantur. namque vbi in ſacrorum inſtitutione Iudæis adipis eſu interdicitur, ſic legimus: Omnem adipem non comedetis. & in legibus de dierum obſeruatione, Leuit. 3.
pluſquam vigeſies repetitur: Omne opus non facietis, quibus & ſimile illud eſt: Et poſuit Leuit. 23.
Deus ſignũ Cain, vt nõ interficeret eũ omnis qui inueniſſet eum. Atque hoc in loco diuini Geneſ. 4.

ſpiritus

ſpiritus conſilium & ſapientia legentium admirationem poſtulat, quòd cùm Vates cum gentibus de illorum religione diſceptaret, non aliunde, quàm ex philoſophia & rerum natura argumenta duxerit, vt ſcilicet diuinus ſpiritus ad illam ſapientiæ imaginem, quam gentes intuentur, ſeſe accommodaret, iiſdemque artibus eos ſuperaret, quibus illi plurimum præſtant. Tota namq. probatio & confirmatio topica eſt, & ab his locis deprompta; quæ in re, aut circa rem verſari dicuntur: à materia videlicet ſimulachrorum; ab ipſorum, quæ ſecundum artem eſt, forma ab effectis, à relatiuis. Qua ex re illud didiciſſe retulerit, optimam ſelectiſſimamque viam conuincendi eos, qui à veritate deſciuerunt, eam eſſe, videlicet vt eorum ipſorum argumentis, fundamentis, & illis, quibus maximè fidunt, artibus ſuperentur. Quapropter nos libenter cum iis, qui nouas errorum vias ſecuti ſunt, non alio, quàm diuinæ Scripturæ teſtimonio, cuius ipſe ſe ſacerdotes falsò prædicant, contendimus. Iudæorum etiam duritatem & perfidiam veteris teſtamẽti telis & fulminibus inuademus: Arabum verò tenebras ſui ipſorum Alcorani ſcintillis quibuſdam diſcutere licebit: nam in illo cinere quædam lucis ſcintillæ latent, quæ ſi foueantur, noſtræ, hoc eſt, Chriſtianæ atque Catholicæ veritatis, & ſuæ ipſorum deceptionis & falſitatis indices profecto ſunt. Sed gentes, & quæ nulla, & quæ vana ſimulachra colunt, quales noſtro tempore ſunt orientales Indi, & Æthiopes aliqui, & qui noui Oceani orbem habitant, ex ipſa natura ductis argumentis aduocare primùm, & erudire; deinde ſacrorum librorum myſteriis imbuere conueniet. quanquam autem gentium ſimulachra, & quos illi Deos appellabant, nullius frugis, nulliusque momenti eſſe diuino oraculo, & ipſa rei veritate & notatione demonſtratum ſit: non alienum tamen aut ingratum hoc loco erit; ſi

Lucian. in Somnio.

Luciani de hac re iudicium & teſtimonium ſubiiciamus, vt illorum ipſorum, qui philoſophiam profeſſi, & rerum naturam ducem tantùm ſecuti ſunt, argumentis vniuerſa ratio hæc manifeſtior fiat. Ille enim in dialogo, qui inſcribitur Gallus, cùm de perpetua ſolicitudine, qua tyranni vrgentur, diſputaret, rem totam hac ſimilitudine explicat. Ego verò, inquit Gallus, cùm me tot miſeriis premi ſentirem, & eos qui me felicem prædicabant, decipi cognoſcerem, me ipſum miſerabar; qui maximis illis coloſſis quàm ſimillimus eſſem, quos aut Phidias, aut Myron, aut Praxiteles fecerit. quorum alius quidem ſecundum exteriorem figurã Neptunus eſt; alius verò Iupiter ex auro vel ebore pulcherrimè elaboratus, ac fulmen, vel fulgur, vel tridentẽ dextra tenet. At verò ſi paululum inclinatus ea, quæ intus ſunt, conſpexeris, vectes me hercule quoſdam, & cuneos; & clauos vndique connexos videbis: adde ſtipites & ſudes; picem etiam bitumine mixtam, & huiuſmodi plurimam quandam deformitatem interius occultam. Omitto dicere muſculorum ingentem copiam, & araneorum, qui ſuas ibi ſedes poſuerunt, atque interdum rixas turbaſque agitant; atque tale quiddam regnum eſt.

Dominus autem in templo ſancto ſuo: ſileat à facie eius omnis terra.

COMPARATIONE ſententiam ſuam Vates cõfirmat. nam Deum immortalẽ de Nabuchodonoſore pœnas ſumpturum eſſe prædixerat, quas ab illo effugi non poſſe aſſeuerauerat: quandoquidem id quod tyrannus auxilio ſibi fore putabat, vanum tandem experturus erat: cùm nulli eorum eſſent, quibus fidebat, dii, nullamque omnino virtutem ſortiti, neque in vlla mundi parte locari. nam propria deorũ ſedes cælũ eſt (vtpote ſupremus locus ſupremæ naturæ conueniens.) At verò cælum Deus ille vnicus immortalis, quem

Ariſt. 1. de cælo & mũdo.

Hebræi colebant, vt maieſtatis eius propriam ſedem, & quandam regni arcem ſolus obtinet, ille cæli opifex, ille gubernator, ille proprio iure poſſeſſor eſt; neque regni parem ſociũ, neq. æmulum patitur. Gentium autẽ dii, cùm in cælo nõ ſint, nullibi eſſe poſſunt. In terra autẽ eſſe quis dicat deos, & nullum in cælo ius habere? Sed eos etiam non eſſe in terra, ipſa experientia oſtendit: nam in ſimulachris, vbi maximè illorum aliqua vis reſidere putatur, nullam omnino eſſe oſtenſum eſt. At verò neque in domibus aut vrbibus habitant: namque ea hominum habitatio propria eſt, ſicut ſcriptum eſt: Cælum cæli Do-

Pſal. 113.

mino, terram autem dedit filiis hominum. Nullibi igitur ſunt gentium dii. Deus ergo ſolus totius mundi ædificator & gubernator eſt. nam terra cælo ſubiacet, illiuſque vim in ſe perpetuò experitur, & ſecundum cæli ordinem variè pro temporum ratione gubernatur: & ex conſequenti, omnia quæ in terra ſunt, cælo ſubiitant. Cælum autem Domini Dei immortalis templum ac ſedes eſt. Nihil igitur eſt quod ſub illius imperium & ditionẽ non cadat, cùm poſſit cælum concutere, & totam terram euertere. Ergo quicquid ille decreuerit, citra omnem repugnantiam fiet. Taceat ergo omnis terra à facie eius, neque quiſquam ſit, qui ſe illi opponere audeat, aut contra vel mutire, cùm illius imperium detractate nemo poſſit, nedum tu poſſis ô Babylonice rex ea; quæ tibi illius nomine enuncian-

tur, effugere. [*Omnis terra.*] Metonymia eſt, qua omnes orbis habitatores ſignificantur. Verbi ſuppoſitum ei rei accommodare oportet, cui ipſa verbi actio competere poteſt. Tacere autem cùm ex his verbis ſit, quæ priuationem, vt dialectici loquuntur, ſignificant, nulli rei conuenire poteſt, niſi eidem & vocis & ſermonis vſus viciſſim conueniat. Quare cùm terra omnis tacere à facie Dei iubeatur, omnibus mortalibus ſilentium indicitur: vt illud, Pſal. 56.
Omnis terra adoret te, & pſallat tibi: pſalmum dicat nomini tuo. Idem etiam tropus alijs "
auctoribus in vſu eſt, vt apud Poëtam:

Et cuncta terrarum ſubacta, Præter atrocem animum Catonis. Hor. carm. lib. 2. od. 1.

Huius ergo orationis hæc ſententia eſt: Deum ex editiſſima cæli arce, quam ſuæ maieſtati regiam eſſe voluit, cælum, maria, ac terras, & quæ in his locis ſunt, vniuerſa gubernare, & quicquid ille eſſe voluerit, id fere vt ſit: neque quemquam Deorum eſſe poſſe, (qui tamen nulli ſunt) qui illius conſilijs occurrere obſiſtereque valeat. Quamobrem cùm primùm Deus de Babylonijs iudicium fecerit, ipſe imprimis deos, quos illi vanè colebant, de ſuis puluinaribus & delubris deiiciendos & confringendos eſſe, per Iſaiam prædicit: Confra- Iſai. 46.
ctus eſt Bel, contritus eſt Nabo, facta ſunt ſimulachra eorum beſtijs & iumentis: onera "
veſtra graui pondere vſque ad laſſitudinem contabuerunt, & contrita ſunt ſimul: non po- "
tuerunt ſaluare portantem. Vt autem id exequamur, quod ſacrorum librorum interpretationem ſuſcipientes profeſſi ſumus; pauca de dicendi artificio hîc indicare viſum eſt; & quædam quaſi capita notare, quæ aditum lectori ad omnes locos inueſtigandos, omnemque orationis ornatum ſpectandum patefaciant. Quam profectò curam quiſquis ſuſcipere voluerit, plurimum & ad iudicandum, & ad eloquendum vtilitatis fructusq́ percipiet. Igitur tota cauſa in iudiciali genere verſatur, in qua Deus iudex conſtituitur, accuſator Vates eſt, is Nabuchodonoſorē reū facit. Status autem cauſæ legitimus eſt; cōtinet enim quæſtionē de iuſto & iniuſto. An videlicet Babylonius rex iure contra omnes nationes, ac maximè contra Dei populum bellum faciat? An iure in eos qui à ſe victi fuerint truculentiſſimè ſæuiat? hoc autem genus officijs conſtat duobus, intentionis, ac depulſionis. Cuius quinque partes ſunt: Procœmium, narratio, probatio, refutatio, peroratio. Procœmium, in hoc Vate ad eum vſque verſum pertinet, [*Aſpicite in gentibus.*] Narrationē & probationem primi capitis finis claudit: atque probatio illa quæ narrata ſunt, iniuſtè fieri arguit. Confutatio autem ab illo verſu incipit [*Quid prodeſt ſculptile,*] & cum ipſo capite terminatur. Inter hæc autem Iudicis ſententia inſeritur, cuius ratio atque æquitas multis argumentis indicatur. Eſt autem ſententiæ initium: *Et reſpondit mihi.*

CAPVT TERTIVM.

ORATIO *Habbakuq Prophetæ pro ignorantiis.*

QVANQVAM omnia quidem, quæ in Vatum libris ſcripta ſunt, humani intellectus captum longè ſuperare videantur, propter ſummam & argumenti magnitudinem, & orationis ſublimitatem, tamen in ijs ipſis ſcriptis illa longè difficillima ſunt, quæ cantici & orationis titulo ſunt inſignita: in his enim & dicentis impetus feruentior, & magnū argumenti pondus anguſtis orationis ſpatijs continetur, & ipſe dictionis atq. orationis habitus & color; vt eſt quidem elegantiſſimus, ita explicatu difficillimus: quippe qui tum numerorum & pedum natura, quibus carmina conſtant, id exigente; tum etiam ipſo poëtico eloquio, quod à communi ſermone maximè diſtat, non vulgarem rationis & ſententiæ ſuæ iudicem admittat. Conſtat autem, vt nihil eorum, quæ in diuinis libris continentur; neque rectè neque commodè enarrari poteſt, niſi illius eiuſdē ſpiritus, à quo hæc dictata ſūt, nomine & auxilio inuocato, ita in locis his quæ grauiora ſūt, voca repetere, & quaſi noua precatione vti oportere. cuius ego religionis legē ſanctiſſimā ſecutus, ipſū mihi in auxiliū diuinū Spiritū inuoco, qui Vatū mentes, vt hęc ſublimiora canerēt, excellentius auxit, vt præſens mihi & propitius adſit, animumq́. meū ad cōmunē eccleſiæ ſuæ vtilitatē ſuo numine illuſtret, quātumq́. opus ad hæc enarranda eſſe nouit, tantū mihi ingenij aſpiret, & me qualē eſſe voluit, faciat, amē. [*Oratio Habbakuq Prophetæ pro ignorantijs.*] Titulus ipſe & inſcriptio argumenti partē, & dicendi genus indicat, nā in diuinis libris, orationis nomine, verba apud Deum facta de re aliqua graui ſignificantur, cùm de leui-

leuibus & exigui momenti negotijs, ijſdemque ad veram hominum vtilitatem non pertinentibus verba fundere nefas ſit: in ijs autem negotijs oratione vti plerumque oporteat, quæ magna omnino ſunt, & diuinum auxilium, vt benè rectèque perficiantur, expoſcunt: qualia ſunt, vel malorum deprecationes, vel bonorum, quæ verè talia ſunt, petitiones. Ipſa igitur inſcriptio argumento nobis eſt, rem grauem magnique momenti ſubeſſe, quam & attendere, & intelligere operæpretium ſit. Quod autem additur, *pro ignorantijs*, id Chaldæus paraphraſtes, longo verborum tractu vſus, ad populi Iudaici peccata refert, quæ ab eo ignorantiæ vocantur, ob quæ Iudæorum gens in Babylone captiua ducta fuerit. Ipſe autem in diſputatione & dialogo totum hoc negotium commentatur: atque Paraphraſtes ille Hebrææ dictionis etymologiam ſecutus eſt, quæ illud propria notatione ſignificat, quod à Latinis hoc nomine, *ignorantia*, ſignificatur. Quare & Latinus interpres eandẽ Etymologiæ vim obſeruans ita tranſtulit, *pro ignorantijs*. At verò nobis varia de hac re legentibus, & nominis vſum rationemque notantibus, ſimplicior quidem alia, ſed aptior fortaſſe inſcriptionis ratio reddenda eſt, idque quàm fieri poſſit breuiſſimè. Principio igitur orationem hanc à Vate appellatam meminiſſe oportuerit, quò nomine grandius quiddam & ſublimius auditoribus promittitur. Deinde carmine hanc orationem conſcriptam eſſe, non modò ipſa Hebræa vocum ſtructura, ſed ipſa etiam Latina verſio indicat, quamuis ſoluto ſermone reddita ſit. nam & verborũ ſublimitas, & clauſularũ certa quędã concíſio ac breuitas, quiddã proſa oratione numeroſius produnt, vt illud de his rectè dicatur:

Inuenies etiam disiecti membra poetæ.

Carminis autem cùm multa genera ſint, nec tamen omnia omnibus argumentis conueniant, commune poëtis omnibus eſt, & quaſi quoddam ſolenne ſeruatum, vt poëmatum principijs carminis genus annotetur, vt ex ipſa inſcriptione qualis res, quoque dicendi habitu tractetur, & ad quales numeros illa canenda ſint, cognoſcatur. Non vna autem eſt nominum carminibus imponendorũ ratio, cùm quædã ab ipſo argumẽto, quod communiter in ea referri ſolet, nomen habeant, vt apud Græcos & Latinos Heroicũ, Elegiacum: quædam à muſicis, quibus cantantur inſtrumentis, vt Lyricum; quædam verò ab inuentoribus, vt Sapphicum; atque à numerorum & pedum menſura & modo alia appellentur, vt Hexametrum, Pentametrum; & ab alijs quamplurimis notis multa alia appellationem ſortiantur: quæ omnia perſequi pro huius loci ratione longiſſimum, & non adeò fortaſſe neceſſarium ſit. Quòd ſi nobis Pſalmorum librum dextro numine interpretari contigerit, longiorem de hac re diſputationem (vt illius loci propriam) pollicemur. Interim ſatis fuerit indicare Hebræam dictionem *Sighionoth*, pro qua Latinè *ignorantias* legimus, nomẽ eſſe, & genus carminis, quo hæc oratio decantari ſolita eſt, ſignificare: quod vel legere Hebraicè ſcientibus facilè perſuadebitur, qui non in vno Dauidis Pſalmo eandem dictionem titulo præfixã reperient, vt in pſalmo ſeptimo, *Sighaion le-Dauid*, hoc eſt, Pſalmus Dauid, ex eo carminum genere, quod *Sighaion* vocant, cuius pluralis numerus eſt *Sighionoth*, vt hoc in loco legimus: vt cùm nos dicimus Phaleucium Catulli, Sapphicum Horatij. Particula autem, *pro*, accommodationem carminis ad ſuum genus, non cauſam aut finem ſignificat, vt Pſalmus Dauid *pro* torcularibus, quod inſtrumenti muſici nomen erat. Nec me verò ignorantiæ etymologia mouet, cùm variam & multiplicem eſſe rationem, cur nomina alia atque alia carminibus imponantur, indicatum à nobis modò ſit. Quandoquidem hæc artium & ſcientiarum vocabula (quæ Logici ſecundæ intentionis terminos nuncupant) pleraque trãſlata ſint, & à remotis ſimilitudinibus petantur, quorum lex & ratio non ſemper religioſè ſeruatur: ſed quòd initio ad vnum finem repertum eſt, cuius rei gratia, id nomen eſt ſortitum, ad alios fines atque vſus poſtea transfertur. Vt Græcis & Latinis vſu venit, cùm Elegiacum carmen à lugubri & triſti argumento ad hominum heroũque laudes, & ad epigrammatum iocos nõ rarò transfugiat. Igitur ignorantiarum nomen in hoc loco carminis nomen eſſe cenſemus, quamcunque ſibi eius nominis etymologia ſignificationẽ vindicet. Adde quòd ipſe poſſeſſiuus caſus cum Pſalmorum inſcriptionibus omnino conuenit: Pſalmus Dauid pro torcularibus. Pſalmus Dauid ſuper vincentem. Canticum canticorum Salomonis: Sic oratio Habbakuq pro ignorantijs. Minor autem omnino laboreſſet, hęc Hebraicè ſcientes docere, in qua lingua ipſe verborũ habitus & ordo rẽ manifeſtè indicat. Sed de inſcriptione ſatis iã multa dicta à nobis ſunt. Iã verò de ipſo orationis argumento, quæ reſtãt dicamus. qua in re illud notatione dignũ eſt ijs, qui Vatũ lectionibus operã & ſtudiũ nauare parant, nullũ ſacrũ Vatẽ fuiſſe, qui de noui Teſtamenti ætate aliquid non prædixerit: nã cùm Hebræorũ populus ad hoc à Deo electus fuiſſe legatur, vt ex eorũ gente ille totius orbis redemptor aliquando naſceretur, atque vt idem populus veræ religionis diſciplinam interim conſeruaret, hoc omniũ Vatũ munus, hoc officiũ fuit,

vt no-

vt populum mala diſciplina deprauatum corrigerent, & ad quas res à Deo electi eſſent, admonerent: vt ſuæ illi electionis memores officijs ſatisfacerent, quantum illius electionis dignitas & amplitudo poſtulabat. Itaque omnes de venturo Meſſia aliquid, nonnulli plurima prædixerunt. Omnes prophetæ, inquit Petrus, à Samuele & deinceps annuntiauerunt dies iſtos, huius aureæ noui teſtamenti ætatis. At verò locus, in quo diuini Vates hæc myſteria tractent, non poteſt certus aliquis & communis omnibus adnotari, cùm pro alijs atque alijs occaſionibus hæc ab illis myſteria aliter atque aliter tractentur. ſed tamen illorum pleriſque hoc quaſi ſolenne & ſanctum eſt, vt circa ſuarum vaticinationum fines aliquam de hac re mentionem faciant. Quam rem & Hebræi vatum interpretes his fere verbis indicauerunt. Omnes, inquiunt, vates, qui ad hoc miſſi ſunt, vt aberrantem populum reprehenderent, illique ventura ob impietatem ſupplicia prædicerent, in ipſis ſcriptorum principijs reprehēſiones & accuſationes, in fine verò conſolationes adhibere conſueuerunt. conſolationes autem illi venturi redemptoris promiſſiones appellant. Quam quidem rationem Vates noſter ſecutus videtur, atque in tota illa, quæ hactenus præceſſit, oratione multa de Iudęorum calamitate prędixit: nunc verò de Chriſti aduentu iam operi ſuo finem facturus diſſerit. Tota autem decertatio cum Deo eſt, quem Vates ſolicitè admodum conſulit, quis expectandus Iſraëlitico populo ſit exitus. Neque enim fruſtra tot tamque diuinis beneficiis eam gentem olim affecerat, tantiſque miraculis illuſtrauerat; quibus ille vniuerſo orbi teſtatum eſſe voluit, hanc gentem in magnum aliquod negotium vnam ex cunctis à ſe fuiſſe ſelectam. In eloquendo autem interrogatione ex more ſuo vtitur: cuius figuræ rationem & elegantiam in huius libri principio pluribus verbis indicauimus.

Act. 5.

Hebr. adnotatio.

Domine audiui auditionem tuam, & timui: Domine opus tuum in medio annorum, viuifica illud: In medio annorum notum facies: cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.

ADMIRATIONIS & ſolicitudinis materiam diuinum oraculum Vati dederat, cùm in eo tam diuturnæ migrationis Iudaicę gentis admonitus fuerit. namque duriſſimum videbatur populum illum tanto tempore infenſum Deo fore, quem populum ipſe Deus peculiaribus & diuinis beneficiis antea fouiſſet, atque ad tantam dignitatem extuliſſet; hunc rurſus ita à Deo ſperni & repudiari, vt feris hoſtibus cedere ac parêre, & in eorum poteſtate procul à patria miſerrimam vitam degere cogatur, vt magnopere timendum fuerit, ne in tantis miſerijs & calamitatibus populus ille deficeret, & de ſummo illo gradu, in quo à Deo collocatus fuerat, deijceretur. Quam ob rem Deum ipſum alloquitur, cui, præteritorum beneficiorum ſummam explicat, oratque vt inceptum in ipſis opus perficiat, illumque totius orbis redemptorem, quem ex ea gente vniuerſo mundo dare decreuerat, quamuis illius gentis criminibus & impietate offenſus fuerit, tandem dare non abnuat aut differat: ſed oportuno tempore immēſum miſericordię ſuę theſaurū aperiat; quodque non ſemel pollicitus fuerit omnibus gentibus beneficium, cuius manifeſtam promiſſionem tanto miraculorum apparatu ornauerit, eadem benignitate adductus concedat. Eodem hoc orandi exemplo vſus eſt Moſes, cùm conſtitutum ob impietatem in Iſraëlitas ſupplicium deprecatur, inquit enim: Vt audiant Ægyptij, de quorum medio eduxiſti populum iſtum, & habitatores terræ huius, qui audierunt, quòd tu Domine in populo iſto ſis, & facie videaris ad faciem, & nubes tua protegat illos, & in columna nubis pręcedas eos per diem, & in columna ignis per noctem: quòd occideris tantam multitudinem quaſi vnum hominem, & dicant: Non poterat introducere populum in terram, pro qua iurauerat: ideo occidit eos in ſolitudine. Magnificetur ergo fortitudo Domini, ſicut iuraſti dicens: Dominus patiens & multæ miſericordiæ, auferens iniquitatem & ſcelera, nullumque innoxium derelinquens: qui viſitas peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Dimitte obſecro peccatum populi huius, ſecundum miſericordiæ tuæ magnitudinem, ſicut propitius fuiſti egredientibus de Ægypto vſque ad locum iſtum. Atque hæc quidem Moſis oratio multum lucis nobis ad eorum quæ ſequuntur, intelligentiam adferet: quando eadem vtrobique differendi forma, iiſdem pene argumentis, illic breuior & contractior, hic longior & diffuſior eſt. [*Domine audiui auditionem tuam, & timui.*] Quod Latinè hoc in loco nomine *Domine*, ſignificatur, in Hebraico exemplari nomen illud ineffabile eſt, quatuor literis conſtans, quod diuinam naturā maximè prę cęteris nominibus ſignificat: cuius ſignificationis abſolutam rationem nemo mortalium (niſi familiari quodam priuilegio à Deo edoctus quiſpiam fuerit) eſt aſſecutus. quo nomine diuina ſcriptura ferè vtitur, vbi negotium agitur, quod ad Iudęorum gentem, vel ad venturi Meſſię partes pertineat. eſt autem nomen in orationibus huiuſmodi ad impetrandum accommodatiſſimum. O Deus (inquit) eo te nomine appello, quo tu te apud famulum tuum Moſen appellaue-

Num. 14.

ras, cùm de redimendo ab Ægyptiaco populo cũ illo conuenisti, vt vel hoc nomine audi-
to tuæ benignitatis memineris, & populum tuum tanta calamitate, & me hac, qua vehe-
menter angor, cura liberes. [*Audiui auditionem tuam, & timui.*] Auditio idem quod nuntius vel
fama ſignificat. In Vatum autem ſermonibus nuntium à Deo in futuræ rei prædictione
Ierem. 51. immiſſum accipimus, ſiue id nuntium per miniſtros Dei ſpiritus, ſiue certo per quietem
viſo, ſiue quouis alio modo à Vatibus acciperetur. Sic apud Ieremiam: Et in anno veniet
auditio, & poſt hunc annum auditio, & iniquitas terræ, & dominator ſuper dominatorem.
Iſai. 53. & apud Iſaiam: Quis credidit auditui noſtro? ſiue auditioni noſtræ? nam idem verbum in
his omnibus locis legitur. cuius quidem verbi quoniam frequens vſus eſt, hanc certam
ſignificationem ſtatuimus, vt auditionem vel auditum nuntium eſſe dicamus, quem Va-
tes, vt ad populum perferretur, accipiebant. hanc rem Latini veteres in religionis ſuæ my-
ſterijs nuntiationem appellabant. nam quæ augures vel aruſpices obſeruauerant, ea nun-
tiabant. Cicero in libro De diuinatione: Nos, inquit, nũtiationem ſolam habemus, Con-
ſules etiam inſpectionem. Quam quidem dictionem ab illorum vanitate & ſuperſtitione
ad noſtram veritatem, rei certius explicandæ gratia, transferre licebit. Itaque Domine,
inquit Vates, cùm audierim quæ mihi nuntianda credideris, rerum exſpectatione & me-
tu vehementer ſolicitus factus ſum. nam & diuina etiam nũtiatione acceperam te ſanctum
Ioſu. 24. eſſe, fortem & zelotem: quandoquidem Ioſue dux tuus ita ſcriptum te dictante nobis re-
liquit: Deus enim ſanctus & fortis & æmulator eſt, nec ignoſcet peccatis & ſceleribus ve-
ſtris, ſi dimiſeritis Dominum, & ſeruieritis dijs alienis, conuertet ſe, & affliget vos atque
ſubuertet, poſtquam præſtiterit vobis bona. [*Domine opus tuum in medio annorum, viuifica illud in
medio annorum notum facies: cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.*] Hoc eſt totius orationis thema
& argumentum. quærit enim Vates, num Deus Iudæorum impietati infenſus, conſilium
ſuum de Chriſto ex illorum genere mittendo abiecturus ſit. Opus autem Dei vocat Iſraë-
lẽ, in qua gente præ cæteris ornanda atque illuſtranda multũ operæ, vt ita dicamus, Deus
poſuerat: neque enim communibus tantùm omnium nationum beneficijs eam proſecu-
tus fuerat, ſed ſingulari illos ſtudio ſemper fouerat & auxerat: ſignificat autem *opus*, hoc in
loco, negotium proprium ſummo ſtudio, ſummaque diligentia curatum. At hac appel-
Iſai. 45. latione Deus ipſe in eadem ſignificatione apud Iſaiam vtitur: Hęc dicit Dominus ſanctus
Iſraël plaſtes eius, Ventura interrogate me ſuper filios meos, & ſuper opus manuum
mearũ. Igitur Domine, inquit, ex quo ego ex te nuntiationem hanc acceperim, qua ven-
turam in Iudæos calamitatẽ per me prædici voluiſti, ex eo ſolicito & anxio animo ſum, an
opus tuum iſtud, quod tanta cura, tantoque conſilio hactenus produxiſti, perficere tan-
dem ſtatueris? an perpetuò ſpernere, & repudiare deſtinaueris? nam ſi impietatem reſpi-
cies, nihil eſt, quod illos in tuam gratiam ſuamque antiquam dignitatem redituros ſpe-
rem; qui te toties vitijs & ſceleribus ſuis offenderunt: ſed cùm ad tuam gratiam aditum
huius gentis merita inuenire nequeant, hunc, precor, tua immenſa illa miſericordia pa-
tefaciat. [*In medio annorum viuifica illud.*] Anne opus iſtud tuum in æternum abiectum iacere
patieris? nonne aliquando illud reſtitues? ſed exorari te ſine, & pro tua illa miſericordia
viuifica, & reſtitue populum iſtum, & cùm tempus illud aduenerit, quo Chriſtum tuum
[illegible] ex hac gente miſſurus es, id, quæſo, perfice, quod diuino conſilio iſto decreueras: quod
ſpero facies. nam tempus erit in quo totius orbis fines tanti tui beneficij fama peragrabit,
neque in æternum id celabis, ſed in medio annorum notum facies. Medium autem anno-
rum id Vates vocat, quod nos certum & conſtitutum tempus dicimus. namq. totius tem-
poris ſumma præſens Deo eſt: qui quamuis nullis temporum legibus aſtrictus ſit, vtpote
æternus, & ab omni motu & tempore ſeiunctus, tamen multa alijs atque alijs temporibus
agit, ſcilicet illius conſilio & prouidentia id exigente. Duo igitur tempora diuerſo anno-
rum numero obſeruãda proponuntur: alterum ab humani generis ruina vſque ad eius re-
parationem: alterum verò ab ipſo reparationis principio vſque ad totius mundi finem. At
illud tempus, quod prioris finis fuit, & poſterioris initium, medium annorum à Vate vo-
catur: neque enim hoc in loco medium geometrica aut arithmetica partitione ſtatuitur,
ſed vtriuſque temporis interciſio quædam ſignificatur. lingua enim ſancta id quod nos
medium interpretamur, varijs dictionibus appellat. nam quæ in illa *thoch*, vel *Metziagh*, vel
quereb proferuntur, nos omnia vno vocabulo medij reddimus. Singulorum tamen diuerſa
תוך in ſe notatio eſt. nam *Metziagh*, geometricum vel arithmeticum medium ſignificat. At ve-
מצע rò *thoch* & *quereb* ſic medium Hebræis ſignificant, vt Latinis inter & intra. Hoc autem loco
קרב *quereb* legimus, ita vt in medio annorum inter annos, certo in tempore interpretemur, at-
que ab eo quod æternum eſt ſeparemus. Precatur igitur ne huius gentis gloriam & digni-
tatem perpetuò iacere permittat, ſed ſuo in tempore viuificet atque reſtituat, miſſo vide-
licet

licet ex ea gente orbis totius aſſertore Chriſto. Atque adeò multa ſunt in ſacris libris loca, in quibus medium hac ſignificatione vſurpatur: vt, Quia ſanctus in medio tui Deus Iſraël. &: Mittam peſtilentiam in medio veſtri. & illud: Afferamus ad nos arcam Domini, & veniat in medio noſtri. quæ omnia intra te, & intra nos, & inter nos certiſſimè explicaueris. [*Cùm iratus fueris miſericordiæ recordaberis.*] Innumeris diuinorum librorum teſtimonijs probatum eſt, antiquiorem eſſe apud Deum miſericordiam, quàm iram. nam miſericordia ſua illi natura conſtat, iram autem noſtra peccata incitauêre: Miſericordia bonitatis diuinæ comes & ſocia eſt; ira verò iuſtitiæ miniſtra: at iuſtitia meritum reſpicit; bonitas autem & miſericordia ante omnem meritum. Denique niſi peccatum extitiſſet, nullam Dei iram legeremus: at verò miſericordiam & bonitatem, etiam ſi peccatum nullum fuiſſet, legeremus. Nam quòd Mundum hunc condiderit; bonitatis & benignitatis fuit: quòd hominem illum primum, atque in illo totum hominum genus tot maximis beneficijs ornauerit, benignitatis hoc diuinæ fuit: quod autem hominis malè imperio parentis ingratitudini infenſus fuerit, id poſterius fuit, atque à nobis ortum habuit; non ab ipſo Deo. Porrò quòd hominum generi ignoſcere decreuerit, id ab ipſo Deo, non à nobis natum eſt. Sed & Abrahæ euocatio Iſaaci & Iacobi electio non humanam virtutem, ſed Deum auctorem habuit. Denique Iſraëlitico populo toties imperium detrectanti iratum Deum agnouimus: cuius tamen iræ incitatores ipſi ſuis ſceleribus fuerunt. quoties autem illis Deus ignouerit, id ex ſua miſericordia fecit. At verò diuinus animus nullius perturbationis, qualis eſt ira, capax eſt: ſed tamen illum iratum nobis ſacræ literæ ſæpiſſimè deſcribunt, vt graue ſupplicium ab illius iuſtitia de ſceleratis ſumendum indicent: quãdoquidem irati non leuiter iniurias vlciſcuntur. idem autem Deus ſine vlla animi perturbatione efficere ſolet. Deſcribitur autem iratus Deus vt homines magis peccare formident, quando Deum eorum ſcelera grauiſſimè vindicaturum eſſe ſciant. Itaque huiuſmodi verba, ira, furor, triſtitia, pœnitudo, & quæcunque talia ſunt, ita Deo tribuuntur, vt omne id, quod naturæ impotentiam, aut vitium aliquod in his verbis ſignificat, in Deo negetur: quatenus verò actionem, vim, virtutemque ſignificant, id omne in Deo affirmetur. Et vt ſcholarum verbis interdum vtamur, hæc verba de Deo non ſecundum affectus, ſed ſecundum effectus dicũtur. De miſericordia autẽ aliàs plurib. à nobis diſputabitur: ſed illud ad huius interpretationem ſatis ſit dixiſſe, antiquiorem apud Deũ eſſe miſericordiam, quã irã, ſicut ſcriptum eſt: Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & miſericordiarum tuarum quæ à ſeculo ſunt. Psal 24. Et quoties Deus iratus nobis oſtẽditur, id contra ingeniũ ſuũ quodammodo eſſe; neq. enim vltro, ſed, vt ita dicam, inuitus iraſcitur, id humanis ſceleribus poſtulãtibus, iuxta illud: Peccata veſtra prohibuerũt à vobis bonũ. Iere. 5. Quoties autẽ ſeſe nobis miſericordẽ probet, id ſpõte & ex ſuo ingenio facit. Vtramq. autẽ hanc rẽ idẽ ipſe docet dicẽs: Perditio tua ex te Iſraël: ſalus autẽ ex me. Quam quidẽ rẽ qui ſubtiliùs diſputatã cognoſcere volet, is D. Thomam Aquinatẽ in quartũ Sententiarũ, qui vocatur, librũ legat. D. Thomas 4. ſenten. diſt. 46. Igitur Vates Deũ orat, vt naturalis miſericordiæ rationẽ habeat, iramq. deponat, quã ipſe non libenter habet. [*Recordaberis*, inquit, *miſericordiæ*] tanquam præcipui apud te affectus, & quo tu iã inde à principio vſus fueris, ipſa profectò natura tua te miſericordiæ tuæ admonebit.

Deus ab auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharan.

ENVMERAT Vates beneficia, miracula & ſigna; item apparatum omnem diuinum, quibus Dominus in Iſraëlitarum gente tuenda, ornanda atque amplificãda vſus eſt. Nam cùm illos ab Ægyptiaca ſeruitute liberaret educeretque, ipſe Deus illorum ducẽ ſeſe præbuit, & mirabili nube illos obtexit, & ad Arabicũ vſque ſinum deduxit; deinde ſiccis pedibus per mare traduxit: deinde verò in Arabię mõtibus ſignis, portẽtis & miraculis ſuam præſentiam teſtatus, ſanctiſſimas illis leges promulgauit; poſt hæc per quadraginta annos varijs peragrationibus circũductos cæleſtibus illis & decãtatiſſimis pauit cibis. demũ promiſſionum & miſericordiarũ ſuarum memor expulſis gentibus illis deſideratam terrã poſſidendam tradidit. Igitur *Deus ab auſtro veniet*. Lex Hebræis in Sina Arabiæ monte data eſt. Sina autem mons Theman & Pharan montibus vicinus eſt: nam Theman alio nomine Seir vocatur. Igitur in Sinai ſeſe illis multis ſignis oſtenderat, ita vt eum præſentem omnes cognoſcerent, maxima religione tacti, quod tunc humana voce alloquutũ audierant (ſiue ille idem ipſe Deus fuerit, ſiue illius vicem gerens angelus quiſpiam) in exemplari autem huius orationis pro Latino nomine *Auſtro* legimus *Theman*. nam interpres ad mundi plagam tantùm reſpexit, quæ nonnunquam nomine Theman in Scripturis ſignificatur, quoniam Themanus mons Iudææ Auſtralis eſt. nos, vt res certior apertiorque ſit, montem hoc in loco ſignari dicimus, quẽ ad auſtrum ſitũ etiã dicimus. Igitur Dominus à Themano auſtrali mõte veniet, & ſanctus de monte Pharã, qui etiã Sinæ monti vicinus eſt. Eſt autem

qui ijs,qui talia committunt,eum, quem meruerunt, fructum retribuet, vt ipſi etiam Nabuchodonoſori retribuit: quem belluinam vitam ab hominum ſocietate remotum viuere coëgit: vt quemadmodum ille alios per ebrietatẽ humanę mentis vſu priuabat,ita ille de communi ſenſu, ſanitate ac mente deturbatus, meritas pœnas lueret. Quare dictum eſt illi: *Bibe tu quoque & conſopire.*] nam eſt qui tibi pleniſſimo calice propinet;eſt,inquam,Deus, à quo capaciſſimum poculum exhaurire cogaris inſipientiæ & ſtuporis, ita vt humanam in te imaginem non agnoſcas, ſed belluinam exiſtimes. [*Circumdabit te*, Hebraicè paſſiuè legitur eadem ſententia, ſed ſignificantius,*circumdabitur in te*,vel,*ſuper te*.] quod ad imum vſque fundum exhauriendum illi eſſe calicem indicat, ita vt calix dum exhauritur, ſemicirculum deſcribat. Hiſpanè dicimus, *Empinar el vaſo*. Hoc autem vel inuitus feres. nam dextera Dei, qua nihil potentius eſſe poteſt, tibi propinabit,quam tu tyranne prohibere non poteris. [*Et vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.*] Ebrietatem maximam ſignificat, cuius manifeſtum ſignum in ſanis aliàs corporibus eſt vomitus. Hoc enim argumento turpiſſimam

Iſai. 17. ebrietatem arguit Iſaias, dicens: Omnes enim menſæ repletæ ſunt vomitu ſordium. Hoc etiam argumento Tullius Verris ebrietatem probat: Tu, inquit, iſtis lateribus,iſto robore, iſta totius corporis firmitate, in medio ſenatu vomuiſti. Appellatur autem à Vate vomitus ignominiæ, id eſt,turpiſſimus. nam eſt vomitus, qui non ex ebrietate, ſed ex ægritu-

1. Aphor. dine euenit; qualis ille eſt,quem in acceſſionum initijs aliquando contingere Hippocra-

Galenus lib. 3 de cauſis Symptom. tes ait: & hunc leuando morbo vtiliſſimum eſſe docet. Hic autem vomitus ex eo turpis non eſt, quòd non perſonæ vitio, ſed naturæ morbum ſuperantis, aut præ imbecillitate cedentis opera eueniat: at verò qui ex crapula & ebrietate accidit vomitus,hunc turpitudinis & ignominiæ nota liberare poſſit nemo. Quare vomitum ignominiæ ſuper gloriam Nabuchodonoſoris venturum Vates prædicit, qui totam illam ipſius gloriam, totum regium ſplendorem turpiſſima ignominia fœdè inuoluat, vt qui ſe gloriæ ſplendore & dignitate cæteris hominibus præſtare putabat, tantumque ſibi indulgebat, vt ſuum genium felicitatis ſuæ auctorem ſolum agnoſceret: idem nunc cæteris hominibus inferior reddatur, vt communem cum belluis vitam humanæ mentis impos, complures dies,imò menſes degat. Acerbiſſimus igitur hic potus eſt,quem Deus propinat, & formidandus maximè, vtpote qui tantum obſtupefacere homines poſſit, vt è ſumma gloria in ignominiam deturbentur,ſicut ſcriptum eſt: Hunc humiliat & hunc exaltat,quia calix in manu Domi-

Pſalm. 74. " ni vini meri plenus mixto: Et inclinauit ex hoc in hoc: veruntamen fex eius non eſt exi-
" nanita: bibent omnes peccatores terræ. Quod ad dicendi rationem attinet, in iudiciali genere hæc oratio verſatur. namque & primò inhumanitatis & iniuriarum tyrannus accuſatur, & narratio affectibus & ſtomacho plena multis expolitionibus amplificatur. hypotheſin præterea pulcherrimam continet, qua criminis indignitas exaggeratur, cùm dicitur: *Væ qui potum dat amico mittens fel ſuum, & inebrians.*] namque hæc deſcriptio ſtudioſam criminis ſuſcipiendi voluntatem arguit; ita vt non factum modò, ſed voluntatem accuſet: qui locus in accuſationibus maximus eſt. deinde iudicij ſententiam pronuntiat ipſi reo ſubeundam. [*Bibe quoque tu,&c.* Nunc verò circa verborum rationem illa notare libet; vbi Latini habent, *mittens fel ſuum*, non intelligendum de felle ſimpliciter, ſed vt Chaldaica & Hebraica Biblia habent, *inclinans cadum acerbum ſuum.*] Quibus verbis conuiuas ab illo cados vſque ad fecem ſiccare fuiſſe coactos ſignificatur. nam quod quidam hoc in loco de potu laxatiuo Zedechiæ à Nabuchodonoſore porrecto tradunt, id nobis fide & teſtimonio caret, etiam ſi Hebræos auctores citent. Præterea poſſeſſiuus caſus ignominiæ, adiectiui nominis locum occupat. nam & rarus adiectiuorũ vſus Hebræis eſt,& frequens pro adiectiuo genitiui vſurpatio: vt locus ſanctitatis,id eſt, ſanctus; filius iniquitatis,& ſenectutis, hoc eſt, iniquus, & ſenex. ita vomitus ignominiæ, id eſt, turpis vomitus, & indecorus. [*Quia iniquitas Libani operiet te, & vaſtitas animalium deterrebit eos de ſanguinibus hominis, & iniquitate terræ, & ciuitatis, & omnium habitantium in ea.*] Hæc eſt diuinæ ſententiæ cauſa, & damnationis ratio, quam eleganter Vates explicat: prædixerat enim Nabuchodonoſoris punitionem, ipſumque imprimis viuentem & regno & mente euertendum; deinde ipſius poſteritatem familiamque omnem, omnemque gloriam extirpandam funditusque tollendam: nunc cauſam elogiumque huius rei ſubijcit, effrenatam videlicet violentiam, qua in omnes homines, maximè autem in Iudæorum ciuitates & gentem eſt vſus. Vtitur autem allegorica elocutione, quam paulò pòſt idem Vates explicat. nam cùm proximè illi venturam mentis inſaniam denuntiaſſet, ipſumque belluis ſimilem aliquando futurum prædixiſſet,eundem nunc tanquam belluam quandã alloquitur,& totam orationem verbis ad illam vitæ formã accõmodatis cõficit, perinde ac ſi dicat: O bellua quæ nunc in agris & ſiluis agis, occurſusque hominum formidas, hic pauor, hic metus, hæc te calamitas propterea nunc

oppri-

opprimit, quòd tu olim ſanctiſſimum illum montem Siona maximo numini ſacrum, veluti ſiluam quandam prophanum vaſtumque reddidiſti, omneſque Ieroſolymitanos ciues ſæuiſſimè trucidaſti. En crimen tuum, en ſcelus, en iuſtum criminis & ſceleris ſupplicium. Memineris te Deum immortalem, cui ille lucus ſacer erat, irritaſſe, neque illius te iram effugere potuiſſe. Hactenus allegoria vſus eſt; cuius explicationem continuo addit, dicens: Ob ſanguines interfectorum hominum, ob totius terræ vaſtationem, atque ob ciuitatis Ieruſalem direptionem, & ob ciuium eius internecionem, quam crudeliſſimè exercuiſti. ob hęc omnia hoc tibi à Deo viuente periculum, imò hoc ſupplicium inſtat. Porrò illud quod dicit, *Quia vaſtitas animalium deterrebit eos,*] Catholica ſententia eſt ad hunc locum in argumentatione aptiſſimè accommodata. Cuius hic primum eſt ſenſus: Omnis fera, quæ inſidijs & rapto viuit, tandem inſidijs & venatu perit. namque ſolent homines aſſiduis ferarum damnis offenſi congregari, ſaltuſque & ſiluas circundare, ipſaſque feras excitatas & agitatas capere, atque perdere. Itaque quo magis rapax atque nocens bellua eſt, eo grauiorem ab hominibus internecionem metuit, eoque vehementius humanos occurſus, damnorum, quæ ipſa dederit, conſcia formidat, ſicut ſcriptum eſt: Poſuiſti tenebras Pſal. 103.
& facta eſt nox: in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſiluæ: Catuli Leonum rugientes vt rapiant, & quęrant à Deo eſcam ſibi. Ortus eſt ſol, & congregabuntur, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Igitur hoc eſt ſententiæ argumentum, feras eodem modo perire quo viuunt; præda viuunt; pręda tandem venatoribus fiunt. Ex hac ſententia argumentationem ſuam ita diſponit Vates; vt propoſitionis locum ipſa obtineat; ſiue, vt Dialectici vocant, maioris præmiſſę aſſumptionem, ſiue minorem ipſam theſim conſtituat, hoc eſt, cauſam & negotium quod ad Regem attinet; pro complexione autem ſiue concluſione diuinam ſententiam collocet hoc modo: Feras ſæuitia ad ſuam perniciem excitare atque agitare ſolet: Tu Libanum ſæuiſſimè vaſtaſti; ergo à Libani Domino excitaberis atque agitaberis. Hæc eſt ſyllogiſmi forma. Verùm vates non dialectica diſpoſitione, ſed oratoria vtitur. nam concluſionem primò ponit, cùm dicit: *Bibe quoque tu, &c.*] Deinde aſſumptionem in allegoria, & in eius explicatione ſic collocat: *Quia iniquitas Libani, & de ſanguinibus hominis, & de iniquitate terræ.* medio autem loco propoſitionem ſiue maiorem ſtatuit, *Vaſtitas animalium deterrebit eos.*] Quam catholicam ſententiam eſſe diximus ad hanc cauſam aptiſſimè relatam. Vocamus autem catholicam ſententiam experimento & rerum obſeruatione atque vſu collectam rationem, & ad vitæ atque morum inſtitutionem vtilem. quarum itaque ſententiarum maxima vis in docendo ac ſuadendo, & in orationibus exorandis eſſe ſolet. nũc de ratione huius allegoriæ pauca. Libani nomine Siona montem & incolas atque habitatores eius intelligimus: nam præterquam quòd paulo pòſt ipſe idem ſeſe Vates explicat, ſic appellari ſolitum eſſe montem Siona, argumentum nobis facit Moſes, qui Deum orabat vt ſe permitteret terram illam patribus promiſſam luſtrare, & montem, & Libanum. Vbi Siona montem appellat, & eundem Libanum, vel quòd Libani pars eſſet, vel Libano adeò vicinus, vt pro eodem cenſeretur. Nam de Libano Phœniciæ monte videndo nulla illi cura erat; vt pote qui terræ promiſſæ finis & terminus eſſet, non autem pars. Itaque per Metonymiam montem Libani pro Sione mõte, in quo Ieruſalem ſita erat, accipit: aut ex parte totũ, aut ex vicino vicinũ: quo loquendi tropo ſępe auctores vtuntur, vt Virg. Aeneid. 3.
Poſtquam res Aſiæ Priamiq; euertere gentem Immeritam placuit ſuperis. Quo in loco pro Troiæ rebus totius Aſiæ res ponit. Chaldæus paraphraſtes vice Libani domum ſanctuarij ſcribit, quem interlinearis Gloſa, & Hieronymus, atque Nicolaus Lyranus ſecuti ſunt. [*Et vaſtitas animalium deterrebit eos.*] Pronomen hoc neutrum eſſe oportuit, quia ad animalium nomen refertur in allegoria; in explicatione autem ad raptores omnes: ſed hic nondum allegoriam deſeruerat Scriptura. nam & in exemplari idem genus vtrobique conſeruatur in nomine animalis, & in pronomine. Et quia hæc diuerſorum generum coniunctio dura videbatur auctori Gloſæ, quam interlinearem appellant; ideò [*eos*] ſubſtituit, ad ſignificatum potius, quàm ad verba alludens. Ego nullum vitium in Interprete arguo: ſi quid eſt, quod ſuſpicer, ad ſcriptorum audaciam refero, qui in multis alijs locis malè ingenioſi eſſe voluerunt.

Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus: conflatile & imaginem falſam? quia ſperauit in figmento fictor eius, vt faceret ſimulacra muta.

HACTENVS cauſæ intentionem Vates protraxit; nunc verò alteram orationis partem, in qua depulſio eſt, ſuſcipit. nam quicunque artis non expers animum ad totam hanc orationem aduerterit, ipſam in iudiciali genere verſari intelliget. Cuius quidem artificij rationem & modos omnes in Capitis huius fine indicabimus: nunc ſententiam ipſam interpretemur. Igitur in ſuperiori orationis parte, dum Vates Babylonium regem accu-

ſat, ra-

ſat, rationem ipſius regis expoſuit, qua ipſe videlicet ſuam cauſam defendere tueriq́ue ſtudebat. cuius quidem rationis hæc erat ſententia, ſe ſuis numinibus charum eſſe, à ſuo foueri genio, in cuius fide & tutela erat; neque vnquam fortunā ſuam deſerturum, ſed fortiter res omnes ſe geſturum: nulla ſe formidine deterreri, nullis viribus à ſumma conſequenda potentia retrahi poſſe: quandoquidem hæc eſt fortitudo eius Deus ſuus. Itaque nullius hominis aut Dei minas, aut vim timebat, dum ſuum ille Deum aſtantem ſibi præſentemq́ue haberet. Huius Dei ſui bonis auſpicijs ſe ad magnam & præclaram laudem aſpirare; neque vllum bellis gerendis, niſi cum ſummo impetio, modū ſibi eſſe ſtaruendum. Itaque tota ſuorum negotiorum ſpes, tota ratio & fiducia in Deo ſuo tantùm erat. Hanc tyranni rationem acutiſſimè ac diſertiſſimè noſter Vates euertit, probatq́ue falſam atque vanam omnino eſſe: quandoquidem Chaldæorum & gentium dij, quibus fidebant, quorumq́ue tutelæ ſeſe crediderant, nihil diuinum præter inane nomen haberent, cui nulla in ipſis res, nulla ratio reſpondeat. Eſt autem totius argumentationis hæc ſumma. Quod non eſt, prodeſſe poteſt nihil; dij gentium nulli ſunt, prodeſſe ergo nequeunt. Huius ſyllogiſmi maiorem propoſitionem prętermittet, quippe quę in ipſa aſſumptione comprehendatur: aſſumptionem verò ſiue minorem propoſitionem pluribus argumentis probat. vtitur namque enthymemate, cuius in liberiore oratione frequens vſus eſt. Primum ergo arguit ab efficiente, dicens: *Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus?*] Huius argumentationis hæc eſt ſententia: Dei natura talis eſt, vt humana non egeat opera, ſed ſibi ipſa ſufficit vt ſit, & vt beatè viuat; ſed dij, quos gentes colunt, opera artificum egent, vt ſint; ergo prodeſſe non poſſunt hominibus: quia id quod ſunt, totum arti, nihil naturæ ſuæ debent. Ergo quæ maior eſſe poteſt demētia, quàm ob eo opem auxiliumq́ue efflagitare, cui non ſolùm poſſe, ſed neque eſſe ſubeſt vllum; & totum quod eſt ſecundum hoc nomen quo appellatur, id ab homine eſt, & ab homine non naturali, ſed artificiali cauſa productum: ſed quæ ex arte producuntur, ſecundum quod ex arte ſunt, omni prorſus motu carent, & ex conſequenti omni actione, vtilitate atque auxilio. nam ars formam quidem, hoc eſt, figuram, quæ ſecundum artem eſt, præſtare poteſt. motū verò præſtare nullo modo poteſt. Vnde eſt quòd florem quis imitari arte queat, floris odorem addere nequit. Igitur cùm dij, quibus gentes fidunt, id quod eſt, Deum eſſe ex ſe non habeant, ſed fabris acceptum referant; conſequens eſt eos diuina virtute carere, quam fabrilis ars addere figmento non poteſt: nam ſi poſſet, conſequens eſſet, naturam homine præſtantiorem ab homine produci poſſe: quod manifeſtè falſum deprehenditur. nam homo naturali generatione ſimilem ſibi ipſi producit hominem; artificiali verò opera inferiorem ſe rem homo proferr. atque ita nihil eſt idolum, niſi quòd artifex eſſe voluit, ſiue Belum, ſiue Nabonem, ſiue Dagonem, ſiue quoquo id nomine appellare libuit. Quam rem & ipſi etiam, qui inter gentes ſapientes habiti ſunt, & intelligunt, & fatentur:

Hor. 1. ſer. Satyr. 8.

Olim, inquit, truncus eram ficulnus, inutile lignum:
Cùm faber incertus ſcamnum faceretne Priapum;
Maluit eſſe Deum: Deus inde ego ſurum, auiumq́;
Maxima formido.

Hoc eſt, Inde ex fabri arbitrio Priapus ego ſum; nam ex me nihil ſum, niſi truncus ficulnus, inutile lignum. Igitur cùm à ſculptore lignum ſit id quod eſt, neque numen aliud illi nomini ſubſit, præter accommodatam ad id nomen ab artifice formam, ſculptile inutile eſſe: conſequens eſt, & ſtultos eſſe qui ſculptilibus fidunt. Deinde argumentum eſt à contentione ſiue comparatione hac forma: Omne efficiens quo tale eſt, ſuo effectu præſtantius eſt: ſed dij gentium hominum effecta ſunt; effecta autem non ſecundum naturam, ſed ſecundum artem. porrò ea quæ per artem fiunt, ijs quæ naturæ ordine efficiuntur, minora ſunt. multo deteriore igitur condicione ſculptile ſuo artifice eſt: ſed artifex nihil amplius, quàm homo prodeſſe poteſt. Stultū eſt ergo ſpē ſummā ab homine in ea re collocari, quæ ipſo ſperāte multo eſt inferior. Hoc igitur eſt, quod dicit: *Et imaginem falſam.*] cui nulla ſubeſt ſecundum nomen, quod habet, veritas. nam etſi Dei nomen habeat, falsò tamen impoſitum illi nomen eſt. [*Quia ſperauit in figmento fictor eius.*] Cùm figmentum nihil ſit omnino, ſi fingendi artificium ceſſaret, at fictor ſibi ipſi auxiliari non poteſt; multo ergo minus figmentum, quod vt ſit, fictoris opera indiget. Quod autem addit: *vt faceret ſimulachra muta,*] aliud argumentum innuit; ducitur autem argumentum ex loco qui ab effectis dicitur. Inter effecta verò rerum omnem, quæ ſecundum naturam eſt, actionem connumeramus. Et profecto Deus ille princeps, parens rerum, fabricatorq́ue mundi, nullo magis hominem ſeparauit à cæteris (quæ etiam mortalia ſunt) animalibus, quàm dicendi facultate. nam rationem nobis præcipuam dedit, eiusq́ue nos cum immortalibus ſpiritibus participes eſſe voluit.

Vide Mercurium in Aeſculapio. Ariſt. 2. Poſt.

voluit. Sed ipſa ratio neque tam nós iuuaret, neque tam eſſet in nobis manifeſta, niſi quæ concepiſſemus mente, edere etiam loquendo poſſemus. Cętera autem animalia & ſi intellectus cuiuſdam ſcintillam & cogitationem aliquam ſortita ſint, quia tamen certiſſimo rationis interprete ſermone carent, muta atque irrationalia vocantur. denique homines quibus negata vox eſt, quantulum, vt Fabius inquit, adiuuat animus ille cæleſtis? Quare ſi nihil in homine orationis facultate melius eſt, per quam & cogitare atque intelligere, & cogitata inuicem proferre poſſunt, quid deterius eſſe ſculptilibus dijs poſſet, qui cùm humanam ſpeciem & formam referant, humano tamen officio fungi nequeunt; ita vt non diuinæ modò, ſed humanæ omnino virtutis expertes ſint: non enim loqui, non inuocantibus reſpondere; ſed neque vllam omnino vocem etiam brutorum more edere valent. nam qui eos finxit atque cælauit, ſpeciem quidem fingere potuit, at vocem præſtare non potuit: ſed fecit ſimulachra muta, & quæ ne auxilium quidem vel falsò polliceri, nedum implorantibus ferre poſſint. Atque hæc oratio cum irriſione proferenda eſt, vt ijs in quos dicitur, ruborem excitet; quippe qui tales colant deos, quos cùm maximè in humanis caſibus implorauerint, appellauerint, inuocauerint, inutiles omnino, & quod deſperatiſſimum eſt, mutos eſſe ſentiant. Ad hunc modum & illud in pſalmo profertur: Et mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vitulæ comedentis fœnum. quo in Pſal 105. loco verba illa, Comedentis fœnum, cum vultu & indignatione legenda ſunt: quæ pro- " latio in his rebus neceſſaria eſt, quæ ſecundum opinionem maximæ exiſtimantur; ſecun- " dum rationem verò minimi momenti ſunt, vt illud apud Satyricum:

Laudis titulíq; cupido
Hæſuri ſaxis cinerum cuſtodibus, ad quæ Iuuenal.
Diſcutienda valent ſterilis mala robora ficus: Sat. 10.

Væ qui dicit ligno, expergiſcere: ſurge, lapidi iacenti. Nunquid ipſe docere poterit? Ecce iſte coopertus eſt auro & argento. & omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eius.

V*Æ qui dicit.*] Præcedenti argumento, quod ex loco ab effectis ducebatur, aliud Vates ſubijcit à relatiuis deprompuum, quo idolorum cultum inutilem & vaniſſimum eſſe demonſtrat, atque ex conſequenti vanorum deorum cultores damnat. Eſt autem huiuſmodi argumentationis figura & modus. Simulachra cùm muta ſint, appellantibus reſpondere non poſſunt; conſequens ergo eſt, ſtultum eſſe ea appellare: atque eo amplius homines inſanire, quo crebrius ea appellent. Igitur conſtat ſimulachrorum cultores inſanos eſſe. Hæc argumentationis ſumma eſt, quæ quidem in ea figura conſtituitur, quę ad abſurdum atque atopon ducit. Sed hanc dialecticam argumentandi rationem oratoriè Vates proſequitur, & duobus argumentis ſimul componit, & expolitione amplificat. *Væ*, concluſionis vim obtinet in argumentatione. ſignificat autem hoc in loco vanum irritumque laborem in Deorum inuocatione exhauſtum, & eos colenti maximè erubeſcendum eſſe colligit: vtpote, qui in dolore vel miſeriis ſuis ad rem mutam & inutilem opem ſibi imploraturus confugerit. nam ſimulachra quàtenus ex arte ſunt, muta ſunt, vt præcedenti argumento probatum eſt. at verò quatenus ad aliquam rerum, quæ ſecundum naturam ſunt, partem pertinent, eatenus omnino muta ſunt, & omnis ſenſus atque vitę expertia. Sunt enim aut marmor, aut ebur, aut lignum aliquod, aut ſi quid his ſimile artifex ad fingenda ſimulachra elegerit. At verò hęc corpora muta ſunt omni diuina virtute, imò omni ſpiritu & vita carentia, nedum auxilium aliquod appellantibus latura. namque inter illa corpora, quæ à natura compoſita ſunt, infimum iſta gradum obtinent, nempe lapis & lignum ab radice & trunco exciſum, metalla, & cetera quæcunque eius generis ſunt. Stultiſſimum eſt ergo huiuſmodi mutas & vitæ expertes res ſupplicationibus & clamoribus pulſare, & varijs atque vehementibus verborum repetitionibus vexare, *ſurge, expergiſcere*, fer opem: & quemadmodum ille Martem ſuum appellabat:

O pater vrbis
Nec galeam quaſſas? nec terram cuſpide pulſas? Iuuen Sat. 2.
Nec quereris patri? Vade ergo & cede ſeueri
Iugeribus campi, quem negligis.

Et tamen hæc omnia fruſtra, cùm lapidem ille, aut æs, aut lignum aliquod his clamoribus compellaret. [*Nunquid ipſe docere poterit?*] Confirmat argumentum experimento ipſo atque vſu omnem demõſtrationẽ ſuperante. Hactenus enim philoſophica protulerat argumenta ex rei ipſius natura obſeruationeque deprompta: nunc verò manifeſto & vulgari experimento, quod etiam artis & philoſophiæ rudes peruincat, probat inutilem eſſe vanumque omnium gentilium ſimulachrorum cultum: fruſtráque ſpem collocari in re quæ ſe...

ijs quidem animantibus, quæ pulmonem & arterias habent, ſpiritus animæ vis illa dicitur, qua aſpirant atque reſpirant. nam in pulmonibus ineſt raritas quædam & aſſimilis ſpongiæ mollitudo, ad hauriendum aërem aptiſſima, qui tum ſe contrahunt aſpirantes, tum ſpiritu dilatant, vt frequenter ducatur cibus animalis, quo maximè aluntur animantes. Aſpera autem arteria ad pulmones vſque pertinens excipit animam eam, quæ ducta eſt ſpiritu, eademque à pulmone reſpirat: ita ſpiritus hoc in loco viuam reſpirandi vim & facultatem ſignificat, vt etiam apud Ciceronem, apud quem in Philoſophicis libris ſic legitur: Aër, inquit, ille, quem ſpiritum dicimus. At verò in ijs animantibus quæ pulmone carent, alia quædam perpetuæ actionis vis eſt, quæ hic quam explicuimus, proportione confertur, vt in alijs qui ſub aquis viuunt, vt in ijs etiam quæ inſecta à philoſophantibus appellantur. Omnem igitur huiuſmodi ſpiritum gentilium deorum ſimulacris Vates ineſſe negat, atque ex conſequenti, ea omni vita & virtute carere aſſeuerat. nam vel illa ſolida intus ſunt vel concaua, ſolidis lapidibus, aut metallis, cùm nullæ arteriæ nullus pulmo, neque his ſimile inſit quicquam, conſtat nullum ſpiritum ſubeſſe poſſe, ſed neque concauis; quandoquidem artifex nulla huiuſmodi animæ ac ſpiritus inſtrumenta præſtiterit: quod ſi maximè præſtitiſſet, vim tamen & vitam talibus inſtrumentis aptam minimè præſtare poſſet. Illud hoc in loco in diſceptationem quæſtionemque à theologis vocari ſolet: Num deorum ſimulachra gentilium aliquem ſpiritum habere poſſint, ita vt viuere, moueri aut loqui videantur? Quam quidem nonnulli diſtinctione vſi abſoluunt: duplex, inquiunt, eſt ſpiritus, alter bonus, malus alter: bonus quidem & ſanctus ſpiritus, neque ſimulachra intus agit, neque ea occupat aut obſidet, ſicut ſcriptum eſt: Et ſpiritus non eſt in viſceribus eius. At verò malus ſpiritus anima quidem imbuere non poteſt, occupare verò poteſt atq. obſidere. nos autem cùm nihil à malo ſpiritu, ſine aut diuino conſilio, aut ſaltem permiſſione fieri poſſe credamus, ipſam dæmonum naturam & vim prætermittimus (ſecundum quam multa & agere & facere poſſent, quæ tamen repreſſi & cohibiti vel tentare non audent) de ijs verò, quæ ab ipſis exercita actaque ſunt, inquirimus, num ſimulachra & effigies, quæ pro diis à gentibus colebantur ſpiritum aliquem ſiue bonum, ſiue malum, non continere intra ſe, ſed præferre, vel imitari etiam viſa ſint? Atqui nos in ea Rom. 1.
ſententia ſumus, vt hoc fieri non poſſe putemus: nam tametſi multa à Deo in gentiū pœnam & ſupplicium, vel turpiſſima etiam permiſſa ſint, nuſquā tamen legimus permiſſum, vt gentes in colēdis ſimulachris, aliqua veritatis imagine deciperentur: Atque totius quidem ſubſecuti erroris origo & caput hoc vnum fuit, quod à vero & omnium patente Deo deſciſcentes, ad id, quod Deus non erat, transfugerunt. Cuius quidem ratio nunquam illos fallere potuit, ſed illi omnem in ſe aditum rationi præcluſerunt, & libenter à mendacio contra verum ſtetêre; quos tamen non rarò Deus per ſacros Vates, imò etiam per ſuos Liuius
ipſorum ſapientes vocatos aliquando huius ſtultitiæ atque dementiæ admonuit; nedum Orpheus.
eos falſis imaginibus & ſpectaculis hac in re eludi permitteret. Atque quòd ipſe quidem Socrates.
in antiquorum libris legerim, nullum fide dignum extare exemplū memini, cuius auctoritate ab hac ſententia dimouear: ſi quod autem alicubi inuenitur, tantum abeſt vt fidem faciat, vt ab ijſdem etiam à quibus edita ſunt, tanquam ſacerdotum & antiſtitū præſtigiæ irrideantur. Quale eſt illud:

Et mouiſſe caput viſa eſt argentea ſerpens Iuue. Sat. 6.
Illius lachrymis.

Nam ea quæ de oraculis traduntur, cùm illa per viuos homines fuſa eſſe ferantur, alterius tractationis ſunt. Simulachra autem vllam vitæ partem imitari, & prophanæ literæ non probant, & diuinæ præcisè negant: Os habent, & non loquentur: oculos habent, & Pſal. 113.
non videbunt: aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt: manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture ſuo. Quoniam omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eorum. nullus omnino ſpiritus. Nam quod ad ſermonis rationem pertinet, hoc notatione dignum videtur, non eodē modo vniuerſalem propoſitionem negatiuam in diuinis libris ſemper enuntiari, quo in Latina & Græca lingua enūtiari ſolet. In his enim duabus linguis duæ contrariæ propoſitiones ſic enuntiantur: Omnis homo eſt doctus, nullus homo eſt doctus. At ſacrorū librorum germanus ſermo, & Latinus etiam, qui in vulgata editione illi reſpōdet, nō perpetuò ad hanc regulā normamque dirigitur; quippe qui in pluribus locis verba, omnis non, idem, quod nullus ſignificare inueniantur. namque vbi in ſacrorum inſtitutione Iudæis adipis eſu interdicitur, ſic legimus: Omnem adipem non comedetis. & in legibus de dierum obſeruatione, Leuit. 3.
pluſquam vigeſies repetitur: Omne opus non facietis, quibus & ſimile illud eſt: Et poſuit Leuit. 23.
Deus ſignū Cain, vt nō interficeret eū omnis qui inueniſſet eum. Atque hoc in loco diuini Geneſ. 4.

ſpiritus conſilium & ſapientia legentium admirationem poſtulat, quòd cùm Vates cum gentibus de illorum religione diſceptaret, non aliunde, quàm ex philoſophia & rerum natura argumenta duxerit, vt ſcilicet diuinus ſpiritus ad illam ſapientiæ imaginem, quam gentes intuentur, ſeſe accommodaret, iiſdemque artibus eos ſuperaret, quibus illi plurimum præſtant. Tota namq. probatio & confirmatio topica eſt, & ab his locis deprompta; quæ in re, aut circa rem verſari dicuntur: à materia videlicet ſimulachrorum; ab ipſorum, quæ ſecundum artem eſt, forma ab effectis, à relatiuis. Qua ex re illud didiciſſe retulerit, optimam ſelectiſſimamque viam conuincendi eos, qui à veritate deſciuerunt, eam eſſe, videlicet vt eorum ipſorum argumentis, fundamentis, & illis, quibus maximè fidunt, artibus ſuperentur. Quapropter nos libenter cum iis, qui nouas errorum vias ſecuti ſunt, non alio, quàm diuinæ Scripturæ teſtimonio, cuius ipſe ſe ſacerdotes falsò prædicant, contendimus. Iudæorum etiam duritatem & perfidiam veteris teſtamēti telis & fulminibus inuademus: Arabum verò tenebras ſui ipſorum Alcorani ſcintillis quibuſdam diſcutere licebit: nam in illo cinere quædam lucis ſcintillæ latent, quæ ſi foueantur, noſtræ, hoc eſt, Chriſtianæ atque Catholicæ veritatis, & ſuæ ipſorum deceptionis & falſitatis indices profectò ſunt. Sed gentes, & quæ nulla, & quæ vana ſimulachra colunt, quales noſtro tempore ſunt orientales Indi, & Æthiopes aliqui, & qui nouū Oceani orbem habitant, ex ipſa natura ductis argumentis aduocare primùm, & erudire; deinde ſacrorum librorum myſteriis imbuere conueniet. quanquam autem gentium ſimulachra, & quos illi Deos appellabant, nullius frugis, nulliusque momenti eſſe diuino oraculo, & ipſa rei veritate & notatione demonſtratum ſit: non alienum tamen aut ingratum hoc loco erit; ſi Luciani de hac re iudicium & teſtimonium ſubiiciamus, vt illorum ipſorum, qui philoſophiam profeſſi, & rerum naturam ducem tantùm ſecuti ſunt, argumentis vniuerſi ratio hæc manifeſtior fiat. Ille enim in dialogo, qui inſcribitur Gallus, cùm de perpetua ſolicitudine, qua tyranni vrgentur, diſputaret, rem totam hac ſimilitudine explicat. Ego verò, inquit Gallus, cùm me tot miſeriis premi ſentirem, & eos qui me felicem prædicabant, decipi cognoſcerem, me ipſum miſerabar; qui maximis illis coloſſis quàm ſimillimus eſſem, quos aut Phidias, aut Myron, aut Praxiteles fecerit. quorum alius quidem ſecundum exteriorem figurā Neptunus eſt; alius verò Iupiter ex auro vel ebore pulcherrimè elaboratus, ac fulmen, vel fulgur, vel tridentē dextra tenet. At verò ſi paululum inclinatus ea, quæ intus ſunt, conſpexeris, vectes me hercule quoſdam, & cuneos; & clauos vndique connexos videbis: adde ſtipites & ſudes; picem etiam bitumine mixtam, & huiuſmodi plurimam quandam deformitatem interius occultam. Omitto dicere muſculorum ingentem copiam, & araneorum, qui ſuas ibi ſedes poſuerunt, atque interdum rixas turbasque agitant; atque tale quiddam regnum eſt.

Luciani in Somnio.

Dominus autem in templo ſancto ſuo: ſileat à facie eius omnis terra.

COMPARATIONE ſententiam ſuam Vates cōfirmat. nam Deum immortalē de Nabuchodonoſore pœnas ſumpturum eſſe prædixerat, quas ab illo effugi non poſſe aſſeuerauerat: quandoquidem id quod tyrannus auxilio ſibi fore putabat, vanum tandem experturus erat: cùm nulli eorum eſſent, quibus fidebat, dii, nullamque omnino virtutem ſortiti, neque in vlla mundi parte locati. nam propria deorū ſedes cælū eſt (vtpote ſupremus locus ſupremæ naturæ conueniens.) At verò cælum Deus ille vnicus immortalis, quem Hebræi colebant, vt maieſtatis eius propriam ſedem, & quandam regni arcem ſolus obtinet, ille cæli opifex, ille gubernator, ille proprio iure poſſeſſor eſt; neque regni parem ſociū, neq. æmulum patitur. Gentium autē dii, cùm in cælo nō ſint, nullibi eſſe poſſunt. In terra autē eſſe quis dicat deos, & nullum in cælo ius habere? Sed eos etiam non eſſe in terra, ipſa experientia oſtendit: nam in ſimulachris, vbi maximè illorum aliqua vis reſidere putatur, nullam omnino eſſe oſtenſum eſt. At verò neque in domibus aut vrbibus habitant: namque ea hominum habitatio propria eſt, ſicut ſcriptum eſt: Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Nullibi igitur ſunt gentium dii. Deus ergo ſolus totius mundi ædificator & gubernator eſt. nam terra cælo ſubiacet, illiuſque vim in ſe perpetuò experitur, & ſecundum cæli ordinem variè pro temporum ratione gubernatur: & ex conſequenti, omnia quæ in terra ſunt, cælo ſubſtant. Cælum autem Domini Dei immortalis templum ac ſedes eſt. Nihil igitur eſt quod ſub illius imperium & ditionē non cadat, cùm poſſit cælum concutere, & totam terram euertere. Ergo quicquid ille decreuerit, citra omnem repugnantiam fiet. Taceat ergo omnis terra à facie eius, neque quiſquam ſit, qui ſe illi opponere audeat, aut contra vel mutire, cùm illius imperium detractare nemo poſſit, nedum tu poſſis ô Babylonice rex ea, quæ tibi illius nomine enuncian-

Ariſt. 1. de cælo & mūdo.

Pſal. 113.

tur, effugere. [*Omnis terra.*] Metonymia eſt, qua omnes orbis habitatores ſignificantur. Verbi ſuppoſitum ei rei accommodare oportet, cui ipſa verbi actio competere poteſt. Tacere autem cùm ex his verbis ſit, quæ priuationem, vt dialectici loquuntur, ſignificant, nulli rei conuenire poteſt, niſi eidem & vocis & ſermonis vſus viciſſim conueniat. Quare cùm terra omnis tacere à facie Dei iubeatur, omnibus mortalibus ſilentium indicitur: vt illud, Psal. 96.
" Omnis terra adoret te, & pſallat tibi: pſalmum dicat nomini tuo. Idem etiam tropus alijs auctoribus in vſu eſt, vt apud Poëtam:

Et cuncta terrarum ſubacta, *Præter atrocem animum Catonis.* Hor. carm. lib. 2. od. 1.

Huius ergo orationis hæc ſententia eſt: Deum ex editiſſima cæli arce, quam ſuæ maieſtati regiam eſſe voluit, cælum, maria, ac terras, & quæ in his locis ſunt, vniuerſa gubernare, & quicquid ille eſſe voluerit, id fere vt ſit: neque quemquam Deorum eſſe poſſe, (qui tamen nulli ſunt) qui illius conſilijs occurrere obſiſtereque valeat. Quamobrem cùm primum Deus de Babylonijs iudicium fecerit, ipſe imprimis deos, quos illi vanè colebant, de ſuis puluinaribus & delubris deiiciendos & confringendos eſſe, per Iſaiam prædicit: Confra- Isai. 46.
" ctus eſt Bel, contritus eſt Nabo, facta ſunt ſimulachra eorum beſtijs & iumentis: onera
" veſtra graui pondere vſque ad laſſitudinem contabuerunt, & contrita ſunt ſimul: non potuerunt ſaluare portantem. Vt autem id exequamur, quod ſacrorum librorum interpretationem ſuſcipientes profeſſi ſumus, pauca de dicendi artificio hîc indicare viſum eſt; & quædam quaſi capita notare, quæ aditum lectori ad omnes locos inueſtigandos, omnemque orationis ornatum ſpectandum patefaciant. Quam profectò curam quiſquis ſuſcipere voluerit, plurimum & ad iudicandum, & ad eloquendum vtilitatis fructusq. percipiet. Igitur tota cauſa in iudiciali genere verſatur, in qua Deus iudex conſtituitur, accuſator Vates eſt; is Nabuchodonoſorē reū facit. Status autem cauſæ legitimus eſt; cōtinet enim quæſtionē de iuſto & iniuſto. An videlicet Babylonius rex iure contra omnes nationes, ac maximè contra Dei populum bellum faciat? An iure in eos qui à ſe victi fuerint truculentiſſimè ſæuiat? hoc autem genus officijs conſtat duobus, intentionis, ac depulſionis. Cuius quinque partes ſunt: Prooemium, narratio, probatio, refutatio, peroratio: Prooemium, in hoc Vate ad eum vſque verſum pertinet, [*Aſpicite in gentibus.*] Narrationē & probationem primi capitis finis claudit: atque probatio illa quæ narrata ſunt, iniuſtè fieri arguit. Confutatio autem ab illo verſu incipit: [*Quid prodeſt ſculptile,*] & cum ipſo capite terminatur. Inter hæc autem Iudicis ſententia inſeritur, cuius ratio atque æquitas multis argumentis indicatur. Eſt autem ſententiæ initium: *Et reſpondit mihi.*

CAPVT TERTIVM.

ORATIO *Habbakuq Prophetæ pro ignorantiis.*

QVANQVAM omnia quidem, quæ in Vatum libris ſcripta ſunt, humani intellectus captum longè ſuperare videantur, propter ſummam & argumenti magnitudinem, & orationis ſublimitatem, tamen in ijs ipſis ſcriptis illa longè difficillima ſunt, quæ cantici & orationis titulo ſunt inſignita: in his enim & dicentis impetus feruentior, & magnū argumenti pondus anguſtis orationis ſpatijs continetur, & ipſe dictionis atq. orationis habitus & color, vt eſt quidem elegantiſſimus, ita explicatu difficillimus: quippe qui tum numerorum & pedum natura, quibus carmina conſtant, id exigente, tum etiam ipſo poëtico eloquio, quod à communi ſermone maximè diſtat, non vulgarem rationis & ſententiæ ſuæ iudicem admittat. Conſtat autem, vt nihil eorum, quæ in diuinis libris continentur; neque rectè neque commodè enarrari poteſt, niſi illius eiuſdē ſpiritus, à quo hæc dictata ſūt, nomine & auxilio inuocato, ita in locis his quæ grauiora ſūt, vota repetere, & quaſi noua precatione vti oportere. cuius ego religionis legē ſanctiſſimā ſecutus, ipſū mihi in auxiliū diuinū Spiritū inuoco, qui Vatū mentes, vt hęc ſublimiora canerēt, excellentius auxit, vt præſens mihi & propitius adſit, animumq. meū ad cōmunē eccleſiæ ſuæ vtilitatē ſuo numine illuſtret, quātumq. opus ad hæc enarranda eſſe nouit, tantū mihi ingenij aſpiret, & me qualē eſſe voluit, faciat, amē. [*Oratio Habbakuq Prophetæ pro ignorantijs.*] Titulus ipſe & inſcriptio argumenti partē, & dicendi genus indicatinā in diuinis libris, orationis nomine, verba apud Deum facta de re aliqua graui ſignificantur, cùm de

leuibus & exigui momenti negotijs, iiſdemque ad veram hominum vtilitatem non pertinentibus verba fundere nefas ſit: in ijs autem negotijs oratione vti plerumque oporteat, quæ magna omnino ſunt, & diuinum auxilium, vt benè rectèque perficiantur, expoſcunt: qualia ſunt, vel malorum deprecationes, vel bonorum, quæ verè talia ſunt, petitiones. Ipſa igitur inſcriptio argumento nobis eſt, rem grauem magnique momenti ſubeſſe, quam & attendere, & intelligere operæpretium ſit. Quod autem additur, *pro ignorantijs*, id Chaldæus paraphraſtes, longo verborum tractu vſus, ad populi Iudaici peccata refert, quæ ab eo ignorantiæ vocantur, ob quæ Iudæorum gens in Babylone captiua ducta fuerit. Ipſe autem in diſputatione & dialogo totum hoc negotium commentatur: atque Paraphraſtes ille Hebrææ dictionis etymologiam ſecutus eſt, quæ illud propria notatione ſignificat, quod à Latinis hoc nomine, *ignorantia*, ſignificatur. Quare & Latinus interpres eandẽ Etymologiæ vim obſeruans ita tranſtulit, *pro ignorantijs*. At verò nobis varia de hac re legentibus, & nominis vſum rationemque notantibus, ſimplicior quidem alia, ſed aptior fortaſſe inſcriptionis ratio reddenda eſt, idque quàm fieri poſſit breuiſſimè. Principio igitur orationem hanc à Vate appellatam meminiſſe oportuerit, quò nomine grandius quiddam & ſublimius auditoribus promittitur. Deinde carmine hanc orationem conſcriptam eſſe, non modò ipſa Hebræa vocum ſtructura, ſed ipſa etiam Latina verſio indicat, quamuis ſoluto ſermone reddita ſit. nam & verborũ ſublimitas, & clauſularũ certa quædã concifio ac breuitas, quiddã proſa oratione numeroſius produnt, vt illud de his rectè dicatur:

Inuenies etiam diſiecti membra poetæ.

Carminis autem cùm multa genera ſint, nec tamen omnia omnibus argumentis conueniant, commune poetis omnibus eſt, & quaſi quoddam ſolenne ſeruatum, vt poëmatum principijs carminis genus annotetur, vt ex ipſa inſcriptione qualis res, quoque dicendi habitu tractetur, & ad quales numeros illa canenda ſint, cognoſcatur. Non vna autem eſt nominum carminibus imponendorũ ratio, cùm quædã ab ipſo argumento, quod communiter in ea referri ſolet, nomen habeant, vt apud Græcos & Latinos Heroicũ, Elegiacum: quædam à muſicis, quibus cantantur inſtrumentis, vt Lyricum; quædam verò ab inuentoribus, vt Sapphicum; atque à numerorum & pedum menſura & modo alia appellentur, vt Hexametrum, Pentametrum; & ab alijs quamplurimis nomis multa alia appellationem ſortiantur: quæ omnia perſequi pro huius loci ratione longiſſimum, & non adeò fortaſſe neceſſarium ſit. Quòd ſi nobis Pſalmorum librum dextro numine interpretari contigerit, longiorem de hac re diſputationem (vt illius loci propriam) pollicemur. Interim ſatis fuerit indicare Hebræam dictionem *Sighionoth*, pro qua Latinè *ignorantias* legimus, nomẽ eſſe, & genus carminis, quo hæc oratio decantari ſolita eſt, ſignificare: quod vel legere Hebraicè ſcientibus facilè perſuadebitur, qui non in vno Dauidis Pſalmo eandem dictionem titulo præfixã reperient, vt in pſalmo ſeptimo, *Sighaion le-David*, hoc eſt, Pſalmus Dauid, ex eo carminum genere, quod *Sighaion* vocant, cuius pluralis numerus eſt *Sighionoth*, vt hoc in loco legimus: vt cùm nos dicimus Phaleucium Catulli, Sapphicum Horatij. Particula autem, *pro*, accommodationem carminis ad ſuum genus, non cauſam aut finem ſignificat, vt Pſalmus Dauid *pro* torcularibus, quod inſtrumenti muſici nomen erat. Nec me verò ignorantiæ etymologia mouet, cùm variam & multiplicem eſſe rationem, cur nomina alia atque alia carminibus imponantur, indicatum à nobis modò ſit. Quandoquidem hæc artium & ſcientiarum vocabula (quæ Logici ſecundæ intentionis terminos nuncupant) pleraque trãſlata ſint, & à remotis ſimilitudinibus petantur, quorum lex & ratio non ſemper religioſè ſeruatur: ſed quòd initio ad vnum finem repertum eſt, cuius rei gratia, id nomen eſt ſortitum, ad alios fines atque vſus poſtea transfertur. Vt Græcis & Latinis vſu venit, cùm Elegiacum carmen à lugubri & triſti argumento ad hominum heroũque laudes, & ad epigrammatum iocos non rarò transfugiat. Igitur ignorantiarum nomen in hoc loco carminis nomen eſſe cenſemus, quamcunque ſibi eius nominis etymologia ſignificatione vindicet. Adde quod ipſe poſſeſſiuus caſus cum Pſalmorum inſcriptionibus omnino conuenit: Pſalmus Dauid pro torcularibus. Pſalmus Dauid ſuper vinconem. Canticum canticorum Salomonis: Sic oratio Habbakuq pro ignorantijs. Minor autem omnino laboreſſet, hæc Hebraicè ſcientes docere, in qua lingua ipſe verborũ habitus & ordo rẽ manifeſtè indicat. Sed de inſcriptione ſatis iã multa dicta à nobis ſunt. Iã verò de ipſo orationis argumento, quæ reſtãt dicamus. quia in re illud notatione dignũ eſt ijs, qui Vatũ lectionibus operã & ſtudiũ nauare parant, nullũ ſacrũ Vatẽ fuiſſe, qui de noui Teſtamenti ætate aliquid non prædixerit: nã cùm Hebræorũ populus ad hoc à Deo electus fuiſſe legatur, vt ex eorũ gente ille totius orbis redemptor aliquando naſceretur; atque vt idem populus veræ religionis diſciplinam interim conſeruaret, hoc omniũ Vatũ munus, hoc officiũ fuit,

vt po-

vt populum mala diſciplina deprauatum corrigerent, & ad quas res à Deo electi eſſent, admonerent: vt ſuæ illi electionis memores officijs ſatisfacerent, quantum illius electionis dignitas & amplitudo poſtulabat. Itaque omnes de venturo Meſſia aliquid, nonnulli plurima prædixerunt. Omnes prophetæ, inquit Petrus, à Samuele & deinceps annuntiauerunt dies iſtos, huius aureæ noui teſtamenti ætatis. At verò locus, in quo diuini Vates hæc myſteria tractent, non poteſt certus aliquis & communis omnibus adnotari, cùm pro alijs atque alijs occaſionibus hæc ab illis myſteria aliter atque aliter tractentur. ſed tamen illorum pleriſque hoc quaſi ſolenne & ſanctum eſt, vt circa ſuarum vaticinationum fines aliquam de hac re mentionem faciant. Quam rem & Hebræi vatum interpretes his fere verbis indicauerunt. Omnes, inquiunt, vates, qui ad hoc miſſi ſunt, vt aberrantem populum reprehenderent, illique ventura ob impietatem ſupplicia prædicerent, in ipſis ſcriptorum principijs reprehẽſiones & accuſationes, in fine verò conſolationes adhibere conſueuerunt. conſolationes autem illi venturi redemptoris promiſſiones appellanr. Quam quidem rationem Vates noſter ſecutus videtur, atque in tota illa, quæ hactenus præceſſit, oratione multa de Iudęorum calamitate prędixit: nunc verò de Chriſti aduentu iam operi ſuo finem facturus diſſerit. Tota autem decertatio cum Deo eſt, quem Vates ſolicitè admodum conſulit, quis expectandus Iſraëlitico populo ſit exitus. Neque enim fruſtra tot tamque diuinis beneficiis eam gentem olim affecerat, tantiſque miraculis illuſtrauerat; quibus ille vniuerſo orbi teſtatum eſſe voluit, hanc gentem in magnum aliquod negotium vnam ex cunctis à ſe fuiſſe ſelectam. In eloquendo autem interrogatione ex more ſuo vtitur: cuius figuræ rationem & elegantiam in huius libri principio pluribus verbis indicauimus.

Act. 5.

Hebr. adnotatio.

Domine audiui auditionem tuam, & timui: Domine opus tuum in medio annorum, viuifica illud: In medio annorum notum facies: cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.

ADMIRATIONIS & ſolicitudinis materiam diuinum oraculum Vati dederat, cùm in eo tam diuturnæ migrationis Iudaicę gentis admonitus fuerit. namque duriſſimum videbatur populum illum tanto tempore infenſum Deo fore, quem populum ipſe Deus peculiaribus & diuinis beneficiis antea fouiſſet, atque ad tantam dignitatem extuliſſet; hunc rurſus ita à Deo ſperni & repudiari, vt feris hoſtibus cedere ac parêre, & in eorum poteſtate procul à patria miſerrimam vitam degere cogatur, vt magnopere timendum fuerit, ne in tantis miſerijs & calamitatibus populus ille deficeret, & de ſummo illo gradu, in quo à Deo collocatus fuérat, deijceretur. Quam ob rem Deum ipſum alloquitur, cui, præteritorum beneficiorum ſummam explicat, oratque vt inceptum in ipſis opus perficiat, illumque totius orbis redemptorem, quem ex ea gente vniuerſo mundo dare decreuerat, quamuis illius gentis criminibus & impietate offenſus fuerit, tandem dare non abnuat aut differat: ſed oportuno tempore immẽſum miſericordię ſuę theſaurũ aperiat; quodque non ſemel pollicitus fuerit omnibus gentibus beneficium, cuius manifeſtam promiſſionem tanto miraculorum apparatu ornauerit, eadem benignitate adductus concedat. Eodem hoc orandi exemplo vſus eſt Moſes, cùm conſtitutum ob impietatem in Iſraëlitas ſupplicium deprecatur, inquit enim: Vt audiant Ægyptij, de quorum medio eduxiſti populum iſtum, & habitatores terræ huius, qui audierunt, quòd tu Domine in populo iſto ſis, & facie videaris ad faciem, & nubes tua protegat illos, & in columna nubis pręcedas eos per diem, & in columna ignis per noctem: quòd occideris tantam multitudinem quaſi vnum hominem, & dicant: Non poterat introducere populum in terram, pro qua iurauerat: ideo occidit eos in ſolitudine. Magnificetur ergo fortitudo Domini, ſicut iuraſti dicens: Dominus patiens & multæ miſericordiæ, auferens iniquitatem & ſcelera, nullumque innoxium derelinquens: qui viſitas peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Dimitte obſecro peccatum populi huius, ſecundum miſericordiæ tuæ magnitudinem, ſicut propitius fuiſti egredientibus de Ægypto vſque ad locum iſtum. Atque hæc quidem Moſis oratio multum lucis nobis ad eorum quæ ſequuntur, intelligentiam adferet: quando eadem vtrobique differendi forma, iiſdem penè argumentis, illic breuior & contractior, hic longior & diffuſior eſt. [*Domine audiui auditionem tuam, & timui.*] Quod Latinè hoc in loco nomine *Domine*, ſignificatur, in Hebraico exemplari nomen illud ineffabile eſt, quatuor literis conſtans, quod diuinam naturã maximè pręcęteris nominibus ſignificat: cuius ſignificationis abſolutam rationem nemo mortalium (niſi familiari quodam priuilegio à Deo edoctus quiſpiam fuerit) eſt aſſecutus. quo nomine diuina ſcriptura ferè vtitur, vbi negotium agitur, quod ad Iudęorum gentem, vel ad venturi Meſſię partes pertineat. eſt autem nomen in orationibus huiuſmodi ad impetrandum accommodatiſſimum. O Deus (inquit) eo te nomine appello, quo tu te apud famulum tuum Moſen appellaue-

Num. 14.

ras, cùm de redimendo ab Ægyptiaco populo cũ illo conueniſti, vt vel hoc nomine audito tuæ benignitatis memineris, & populum tuum tanta calamitate, & me hac, qua vehementer angor, cura liberes. [*Audiui auditionem tuam, & timui.*] Auditio idem quod nuntius vel fama ſignificat. In Vatum autem ſermonibus nuntium à Deo in futuræ rei prædictione
Ierem. 51. immiſſum accipimus, ſiue id nuntium per miniſtros Dei ſpiritus, ſiue certo per quietem viſo, ſiue quouis alio modo à Vatibus acciperetur. Sic apud Ieremiam: Et in anno veniet auditio,& poſt hunc annum auditio,& iniquitas terræ,& dominator ſuper dominatorem.
Iſai. 53. & apud Iſaiam: Quis credidit auditui noſtro? ſiue auditioni noſtræ? nam idem verbum in his omnibus locis legitur. cuius quidem verbi quoniam frequens vſus eſt, hanc certam ſignificationem ſtatuimus, vt auditionem vel auditum nuntium eſſe dicamus, quem Vates, vt ad populum perferretur, accipiebant. hanc rem Latini veteres in religionis ſuæ myſterijs nuntiationem appellabant. nam quæ augures vel aruſpices obſeruauerant, ea nuntiabant. Cicero in libro De diuinatione: Nos, inquit, nũtiationem ſolam habemus, Conſules etiam inſpectionem. Quam quidem dictionem ab illorum vanitate & ſuperſtitione ad noſtram veritatem, rei certius explicandæ gratia, transferre licebit. Itaque Domine, inquit Vates, cùm audierim quæ mihi nuntianda credideris, rerum exſpectatione & metu vehementer ſolicitus factus ſum. nam & diuina etiam nũtiatione acceperam te ſanctum
Ioſu. 24. eſſe, fortem & zelotem. quandoquidem Ioſue dux tuus ita ſcriptum te dictante nobis reliquit: Deus enim ſanctus & fortis & æmulator eſt, nec ignoſcet peccatis & ſceleribus veſtris, ſi dimiſeritis Dominum, & ſeruieritis dijs alienis, conuertet ſe, & affliget vos atque ſubuertet, poſtquam præſtiterit vobis bona. [*Domine opus tuum in medio annorum, viuifica illud in medio annorum notum facies: cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.*] Hoc eſt totius orationis thema & argumentum. quærit enim Vates, num Deus Iudæorum impietati infenſus, conſilium ſuum de Chriſto ex illorum genere mittendo abiecturus ſit. Opus autem Dei vocat Iſraële, in qua gente præ cæteris ornanda atque illuſtranda multũ operæ, vt ita dicamus, Deus poſuerat: neque enim communibus tantùm omnium nationum beneficijs eam proſecutus fuerat, ſed ſingulari illos ſtudio ſemper fouerat & auxerat: ſignificat autem *opus*, hoc in loco, negotium proprium ſummo ſtudio, ſummaque diligentia curatum. At hac appel-
Iſai. 45. latione Deus ipſe in eadem ſignificatione apud Iſaiam vtitur: Hęc dicit Dominus ſanctus Iſraël plaſtes eius, Ventura interrogate me ſuper filios meos, & ſuper opus manuum mearũ. Igitur Domine, inquit, ex quo ego ex te nuntiationem hanc acceperim, qua venturam in Iudæos calamitatẽ per me prædici voluiſti, ex eo ſolicito & anxio animo ſum, an opus tuum iſtud, quod tanta cura, tantoque conſilio hactenus produxiſti, perficere tandem ſtatueris? an perpetuò ſpernere, & repudiare deſtinaueris? nam ſi impietatem reſpicies, nihil eſt, quod illos in tuam gratiam, ſuamque antiquam dignitatem redituros ſperem; qui te toties vitijs & ſceleribus ſuis offenderunt: ſed cùm ad tuam gratiam aditum huius gentis merita inuenire nequeant, hunc, precor, tua immenſa illa miſericordia patefaciat. [*In medio annorum viuifica illud.*] Anne opus iſtud tuum in æternum abiectum iacere patieris? nonne aliquando illud reſtitues? ſed exorari te ſine, & pro tua illa miſericordia viuifica, & reſtitue populum iſtum, & cùm tempus illud aduenerit, quo Chriſtum tuum ex hac gente miſſurus es, id, quæſo, perfice, quod diuino conſilio iſto decreueras: quod ſpero facies. nam tempus erit in quo totius orbis fines tanti tui beneficij fama peragrabit, neque in æternum id celabis, ſed in medio annorum notum facies. Medium autem annorum id Vates vocat, quod nos certum & conſtitutum tempus dicimus. namq. totius temporis ſumma præſens Deo eſt: qui quamuis nullis temporum legibus aſtrictus ſit, vtpote æternus, & ab omni motu & tempore ſeiunctus, tamen multa alijs atque alijs temporibus agit, ſcilicet illius conſilio & prouidentia id exigente. Duo igitur tempora diuerſo annorum numero obſeruãda proponuntur: alterum ab humani generis ruina vſque ad eius reparationem: alterum verò ab ipſo reparationis principio vſque ad totius mundi finem. At illud tempus, quod prioris finis fuit, & poſterioris initium, medium annorum à Vate vocatur: neque enim hoc in loco medium geometrica aut arithmetica partitione ſtatuitur, ſed vtriuſque temporis interciſio quædam ſignificatur. lingua enim ſancta id quod nos medium interpretamur, varijs dictionibus appellat. nam quæ in illa *thoch*, vel *Metziagh*, vel *quereb* proferuntur, nos omnia vno vocabulo medij reddimus. Singulorum tamen diuerſa
תוך inſignatio eſt. nam *Metziagh*, geometricum vel arithmeticum medium ſignificat. At ve-
מצע rò *thoch* & *quereb* ſic medium Hebræis ſignificant, vt Latinis inter & intus. Hoc autem loco
קרב *quereb* legimus, ita vt in medio annorum intra annos, certo in tempore interpretemur, atque ab eo quod æternum eſt ſeparemus. Precatur igitur ne huius gentis gloriam & dignitatem perpetuò iacere permittat, ſed ſuo in tempore viuificet atque reſtituat, miſſo vide-

licet ex ea gente orbis totius aſſertore Chriſto. Atque adeò multa ſunt in ſacris libris loca, in quibus medium hac ſignificatione vſurpatur: vt, Quia ſanctus in medio tui Deus Iſraël. & : Mittam peſtilentiam in medio veſtri. & illud: Afferamus ad nos arcam Domini, & veniat in medio noſtri. quæ omnia intra te, & intra nos, & inter nos certiſſimè explicaueris. Leuit. 26. 1.Reg.4. [*Cùm iratus fueris miſericordiæ recordaberis.*] Innumeris diuinorum librorum teſtimonijs probatum eſt, antiquiorem eſſe apud Deum miſericordiam, quàm iram. nam miſericordia ſua illi natura conſtat, iram autem noſtra peccata incitauêre: Miſericordia bonitatis diuinæ comes & ſocia eſt; ira verò iuſtitiæ miniſtra: at iuſtitia meritum reſpicit; bonitas autem & miſericordia ante omnem meritum. Denique niſi peccatum extitiſſet, nullam Dei iram legeremus: at verò miſericordiam & bonitatem, etiam ſi peccatum nullum fuiſſet, legeremus. Nam quòd Mundum hunc condiderit, bonitatis & benignitatis fuit: quòd hominem illum primum, atque in illo totum hominum genus tot maximis beneficijs ornauerit, benignitatis hoc diuinæ fuit: quod autem hominis malè imperio parentis ingratitudini infenſus fuerit, id poſterius fuit, atque à nobis ortum habuit; non ab ipſo Deo. Porrò quòd hominum generi ignoſcere decreuerit, id ab ipſo Deo, non à nobis natum eſt. Sed & Abrahæ euocatio Iſaaci & Iacobi electio non humanam virtutem, ſed Deum auctorem habuit. Denique Iſraëlitico populo toties imperium detrectanti iratum Deum agnouimus: cuius tamen iræ incitatores ipſi ſuis ſceleribus fuerunt. quoties autem illis Deus ignouerit, id ex ſua miſericordia fecit. At verò diuinus animus nullius perturbationis, qualis eſt ira, capax eſt: ſed tamen illum iratum nobis ſacræ literæ ſæpiſſimè deſcribunt, vt graue ſupplicium ab illius iuſtitia de ſceleratis ſumendum indicent: quãdoquidem irati non leuiter iniurias vlciſcuntur. idem autem Deus ſine vlla animi perturbatione efficere ſolet. Deſcribitur autem iratus Deus vt homines magis peccare formident, quando Deum eorum ſcelera grauiſſimè vindicaturum eſſe ſciant. Itaque huiuſmodi verba, ira, furor, triſtitia, pœnitudo, & quæcunque talia ſunt, ita Deo tribuuntur, vt omne id, quod naturæ impotentiam, aut vitium aliquod in his verbis ſignificat, in Deo negetur: quatenus verò actionem, vim, virtutemque ſignificant, id omne in Deo affirmetur Et vt ſcholarum verbis interdum vtamur, hæc verba de Deo non ſecundum affectus, ſed ſecundum effectus dicũtur. De miſericordia autẽ aliàs plurib. à nobis diſputabitur: ſed illud ad huius interpretationem ſatis ſit dixiſſe, antiquiorem apud Deũ eſſe miſericordiam, quã irã, ſicut ſcriptum eſt: Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & miſericordiarum tuarum Pſal 24. quæ à ſeculo ſunt. Et quoties Deus iratus nobis oſtẽditur, id contra ingeniũ ſuũ quodammodo eſſe; neq. enim vltro, ſed, vt ita dicam, inuitus iraſcitur, id humanis ſceleribus poſtulãtibus, iuxta illud: Peccata veſtra prohibuerũt à vobis bonũ. Quoties autẽ ſeſe nobis mi- Ierem. 5. ſericordẽ præbet, id ſpõte & ex ſuo ingenio facit. Vtramq. autẽ hanc rẽ idẽ ipſe docet dicẽs: Perditio tua ex te Iſraël: ſalus autẽ ex me. Quam quidẽ rẽ qui ſubtiliùs diſputatã cognoſ- D. Thomas cere volet, is D. Thomam Aquinatẽ in quartũ Sententiarũ, qui vocatur, librũ legat. Igitur 4. ſenten. Vates Deũ orat, vt naturalis miſericordiæ rationẽ habeat, iramq. deponat, quã ipſe non li- diſt. 46. benter habet. [*Recordaberis, inquit, miſericordiæ*] tanquam præcipui apud te affectus; & quo tu iã inde à principio vſus fueris, ipſa profectò natura tua te miſericordiæ tuæ admonebit.

Deus ab auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharan.

ENVMERAT Vates beneficia, miracula & ſigna; item apparatum omnem diuinum, quibus Dominus in Iſraëlitarum gente tuenda, ornanda atque amplificãda vſus eſt. Nam cùm illos ab Ægyptiaca ſeruitute liberaret educeretque, ipſe Deus illorum ducẽ ſeſe præbuit, & mirabili nube illos obtexit, & ad Arabicũ vſque ſinum deduxit; deinde ſiccis pedibus per mare traduxit: deinde verò in Arabię mõtibus ſignis, portẽtis & miraculis ſuam præſentiam teſtatus, ſanctiſſimas illis leges promulgauit; poſt hæc per quadraginta annos varijs peragrationibus circũductos cæleſtibus illis & decãtatiſſimis pauit cibis. demũ promiſſionum & miſericordiarũ ſuarum memor expulſis gentibus illis deſideratam terrã poſſidendam tradidit. Igitur *Deus ab auſtro veniet*. Lex Hebræis in Sina Arabiæ monte data eſt. Sina autem mons Theman & Pharan montibus vicinus eſt: nam Theman alio nomine Seir vocatur. Igitur in Sinai ſeſe illis multis ſignis oſtenderat, ita vt eum præſentem omnes cognoſcerent, maxima religione tacti, quòd tunc humana voce alloquutũ audierant (ſiue ille idem ipſe Deus fuerit; ſiue illius vicem gerens angelus quiſpiam) in exemplari autem huius orationis pro Latino nomine *Auſtro* legimus *Theman*. nam interpres ad mundi plagam tantùm reſpexit, quæ nonnunquam nomine Theman in Scripturis ſignificatur, quoniam Themanus mons Iudææ Auſtralis eſt. nos, vt res certior apertiorque ſit, montem hoc in loco ſignari dicimus, quẽ ad auſtrum ſitũ etiã dicimus. Igitur Dominus à Themano auſtrali mõte veniet, & ſanctus de monte Pharã, qui etiã Sinæ monti vicinus eſt. Eſt autem

Metonymia figura in poëtico eloquio ſatis frequens, cùm vicinus pro vicino vſurpatur lo-
Deut. 33. co. Qua etiam figura Moſes in benedictione illa eadem omnino cum hoc carmine ſenten-
" tia vſus eſt. Inquit enim, Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis; apparuit de
" monte Pharan. atque hæc carmina ſe viciſſim interpretantur. Quòd autem dicit, Deus de
Theman vel Auſtro, *& ſanctus de mõte Pharan,*] eiuſdem ſententiæ repetitio eſt diuerſa ora-
tione expolita, tropus in diuinis Scripturis frequentiſſimus, & in alijs auctoribus non ra-
rus. *Deus*, autem rectorem gubernatoremque in hoc loco ſignificat, quod vnum ex multis
Dei nominibus eſt. At verò *ſanctus* eundem Deum ſignificat, quatenus ſe Hebræorum gen-
ti certis quibuſdam beneficijs, ijsque maximis, tutorem & vindicem præbuit; idque mul-
tis ſignis teſtatus eſt. de quibus nominibus nos aliàs plura & exactius. Porrò vt ijs etiam,
qui Hebraicè ſciunt, conſulamus, aduertendum eſt hoc in carmine in exemplari ſcriptum
סלה eſſe *Celah*, quod verbum interiectionis vim habet, & in illa lingua lætantium, vel trium-
phantium, interdum etiam & ſpiritu ouantium vox, Dauidicos pſalmos cantantibus paſ-
ſim obuia, & à D. Hieronymo ſatis notata: quam doctiſſimus ille ſanctus linguæ ſuæ vſu
profert *Sela*.

Operuit cælos gloria eius, & laudis eius plena eſt terra.

CVM Deus in Sina monte populum alloquutus eſt, ita maieſtatem ſuam & præſentiam
eſt teſtatus, vt nullus fuerit qui ipſum adeſſe negare poſſet, quando totum cælum coruſ-
cationibus, & igneis lampadibus emicuit, fulgurum crebra vis, & tonitrua ingentia ad-
dita ſunt, & vox articulata humana maior humanis auribus audita eſt. Itaque Deum ve-
niſſe; nemo fuit qui inficias iret; imò omnes timore perterriti Moſen rogauêre, vt diuina
mandata ab ipſo eodem ad eos perferenda curentur: ſe enim tantæ maieſtati ſuſtinendæ
impares omnino eſſe. Hoc igitur Vates innuit, *gloriam Dei*, hoc eſt, aduentus eius manife-
ſtiſſima ſigna cælos operuiſſe, ita vt cæli ſpecies à mortalibus præ fulgore & fumo conſpi-
ci non poſſet, & tota terra laude illius impleretur. vndique enim magnus admirantis po-
puli clamor perſonabat. Gloria Dei in Scripturis diuinæ naturæ, aut ſapientiæ, aut virtu-
Pſalm. 18. tis præconium & teſtimonium ſæpe ſignificat. Laudis autem nomine teſtimonium ipſum
Pſal. 8. ab hominibus receptum & approbatum ſignificatur, vt in pſalmo legimus: Cæli enarrant
gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamẽtum. & in alio pſalmo: Ex ore in-
fantium, inquit, & lactentium perfeciſti laudem.

Et ſplendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius: & ibi abſcondita eſt fortitudo eius.

DEVM nemo vidit vnquam ſicuti eſt. namque mortalibus oculis diuina natura vide-
ri non poteſt. ſolet autem Deus ſpecies quaſdam, vel immenſæ lucis vel denſiſſimæ noctis
humanis oculis obijcere, quorum vtrumque humanum ſenſum ſuperando, diuinam ma-
ieſtatem adeſſe teſtatur. ſic olim in Madian Moſi apparuerat, ſic aliquando Dauidi, ſic
Haiæ, ſic etiam in Thabor monte tribus teſtibus ſeſe oſtendit: maximo autem ſplendoris
apparatu ſeſe apud Sinam montem in numeroſiſſimo hominum conuentu ac turba ſpe-
ctandum præbuit, eo modò, quo maximè ab hominibus mortalibusque oculis ſpectari
fas erat. qui tantam lucem admirati illius præſentiam omnes fatebantur. Erat enim ſplen-
dor ille vt excellentiſſima quædam lux, & totius luminis quaſi quidam fons, quod dictio
אור Hebræa notat, Or, illi luci, quam Deus primam creauit, voce & notatione reſpondens. In
manibus autem Dei duo cornua erant, hoc eſt tabulæ legis duæ ſplendentes quaſi ſolis ra-
dij, quos cornua hoc in loco Vates vocat, ob flammarum & radiorum pyramidalem &
tortuoſam figuram: vnde & Vulcanum poëtæ claudum finxêre. Cornua igitur legem
Deut. 33. igneam intelleximus, ſicut de eodem argumẽto ſcriptum eſt: Et in dextera eius ignea lex.
" namque illa interpretatio, quæ à nonnullis affertur de ſplendore vultus Moſis, durior qui-
dem eſt, quàm vt huic loco aptari poſſit. In hoc autẽ lucis & ſplendoris apparatu, quaſi in
quodam tentorio diuina natura, vis & fortitudo latebat, ita vt eã homines adorare poſ-
ſent, videre non poſſent.

Ante faciem eius ibit mors, egredietur diabolus ante pedes eius.

CÆDEM & ſtragem horribilem deſcribit, quam Deus illo tempore edidit, cùm popu-
lum ſuum in terram Chananæorum deduxit. nam communis & popularis ſtrages illa fuit,
& velut peſtis quædam omnia vaſtans, nullum hominum delectum habens, ſed regibus
cum plebe permixtis ſummos & infimos pariter confundens, terram ſceleratis habitato-
ribus purgabat, vt populo ſuo ſanctiores ſedes pararet: hoc autem per mortem ſuæ iuſti-
Exod. 23. tiæ miniſtram Deus effecit; cui hoc munus idem Deus iniunxerat, quemadmodum ſeſe
" facturum antè promiſerat, dicens: Terrorem meum mittam in præcurſum tuũ, & occidam

omnem

omnem populum ad quem ingredieris. Quod autem addit, *Egredietur diabolus ante pedes eius,*] eiuſdem ſententiæ repetitio eſt, & expolitio verbis immutatis. Sed diaboli nomen nõ hic malum ſpiritum hominum animis inſidias parantem ſignificat; ſed vim quandam humanæ cædis effectricem, quæ eadem cum morte eſt, ſiue hominum, ſiue angelorum, ſiue dę-monum miniſterio afferatur. Mortis autem multa in ſingulis linguarum ſermonibus nomina ſunt, ex varijs eius cauſarum & effectuũ notationibus impoſita: inter hæc quædam communia & vulgi ſermone trita; quædam verò poëtica. Atque in priore oratione ſimpliciter mors profertur in Hebraica lingua; in poſteriore verò ſplendidiore vocabulo, & tragicam ſignificationem habente Vates vſus eſt. quod Hebræis eſt, *Reſſeph*, non mortem רשף ſimpliciter innuit, ſed peſtilentem & vndique graſſantem ſtragem, atque obuia quæque ignea vi inflammantem & funeſtantem. hunc quidem verſum ita Hiſpanè aptiſſimè interpretari poſſumus, *De lante del señor la muerte andaua Por ſui lacayo el Huerco caminaua.*

Steterit, & menſus eſt terram: aſpexit & diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſeculi: incuruati ſunt colles mundi, ab itineribus æternitatis eius.

TOTIVS itineris Dei rationem ordine deſcribit. hactenus enim quid in Sina monte & deſerta illa ſolitudine geſtum ſit, & quid ſub ipſum in optatam terram introitum acciderit: nunc autem, quæ circa ipſius terræ occupationem Deo auctore euenerint, narrat; atque primas vrbes, Hiericunta & Hai, aliaſque plurimas nullo negotio captas legimus, donec regium Dei tentorium in Galgalis fixum, & diuini fœderis arca ibidem collocata eſt. nam antea per omnes quas expugnari opus erat, vrbes arca Dei circumferebatur. Vt autem Galgala ventum eſt, oraculo reddito tabernaculum erexêre: neque amplius arcam loco illo mouerunt, donec cunctæ vicinæ nationes debellatæ ſunt. totum autem hoc negotium quatuordecim annis expeditum fuit: deinde verò totius terræ partes diſtributæ ſunt, agri certis terminis diuiſi, & quo quemque loco habitare fas eſſet, ſtatutum fuit. His igitur omnibus rebus & negotiis Deus ipſe Galgalis præerat, indeque quid faciendum eſſet, quid non faciendum, imperabat; & quaſi in editiori loco aliquo ſtans cunctis gerendis conſulebat rebus. ideò Vates dicit: *Stetit, & menſus eſt terram.*] Terræ diſtributionem illius expugnatio præceſſerat; ſed in narrandis negotijs priores res ex poſterioribus, vt Fabius inquit, commodè arguuntur. [*Aſpexit & diſſoluit gentes:*] Cùm Deus in Galgalis commoraretur, nullo Iſraëliticæ gentis negotio nationes cunctæ peribant, & venienti hoſti cedebant, ita vt magna populorum multitudo à pauciſſimis ex Hebræorum gente ſuperaretur. Quæ res non humano conſilio, non viribus, neq. armis, non bellico apparatu, ſed diuino nutu & voluntate geſtæ ſunt nã Deus è Galgalis locum proſpiciebat, quo acies dirigere opus eſſet, illiuſque iuſſu exercitus in expeditionem deducebatur, ad cuius aduentum hoſtium pars ſeſe in fugam conijciebat; pars victoribus cedebant, multi autem gladio, plurimi verò terrore & ipſa belli turba peribãt: neq. ſolum populus & innumera vulgi multitudo hunc vitæ & fortunarum exitum habuere, ſed & reges ipſi, principes, ducesque quorum conſilio & viribus cæteri nitebantur, quique gloria ex antiquo gigantum genere & opibus celeberrimi erant, cæteroſque mortales excellebant: hi omnes ſolo diuino nutu victi & ſub- Pſalm. 49.
acti pariter regno & vita expulſi ſunt. Aſpexit igitur de Galgalis; non enim in arcu ſuo poſſederũt Iſraëlitæ terram, & gladius eorũ nõ ſaluauit eos: ſed dextera tua Domine, inquit Vates; illuminatio vultus tui, quoniam ſolo vultu & aſpectu omnes gentes à facie eorum deiecit, [*diſſoluit gentes*] extirpauit & funditus ſuſtulit. Eſt enim apud Hebræos translatum verbum ex agricultura, quod euellere ſignificat. quæ quidem cura ruſticis eſſe ſolet, vt inutiles plantas inde extirpent, vbi fertiliores conſerendę ſint. Idem autẽ Dei opus fuit, Pſal. 79.
ſicut ſcriptum eſt: Vineam de Ægypto tranſtuliſti, eieciſti gentes, & plantaſti eam. [*& contriti ſunt montes ſeculi.*] Mõtium & colliũ nominibus principes & duces allegoricè ſignificantur. nam cùm totam hominum turbam atque adeò ipſum genus humanum diuina ſcriptura terrę nomine appellare ſoleat, fit, vt montium & colliũ nomina principibus & ſummis viris imponat, quia montes in terra altiores editioresque conſpiciuntur. Atque illud ex hac ſignificatione dictum eſt: Conſtituit Dominus humiliare omnem montem excel- Baruch. 5.
ſum. [*Montes ſeculi & colles mundi.*] repetitio eiuſdem ſententiæ eſt: gradus tamen quoſdã honoris & imperij innuit. nam colles montibus humiliores ſunt. *Seculi* autem, *& mundi* addit, vt ſignificet antiquas eorum fuiſſe dignitates, & quadam quaſi hæreditaria ſtabilitate firmatas. E quibus tamen Deus illos deiecit, ſedeſque illorum euertit & comminuit. [*Ab itineribus æternitatis eius.*] Æternitatis ſiue ſeculi itinera diuina Scriptura totius mũdi ordinem, quo cuncta geruntur, appellat. Dicimus autem ſeculi, quoniam in Hebræo verbum *Gholam* eſt, עולם
quod mundum hunc, cælumque & temporis rationẽ, in quo cuncta mouentur, oriuntur

& intereunt, ſignificat. Porrò huic mundi naturæ & cæleſtibus orbibus, & motibus tãtum
4. Meteor. Ariſtotel. antiqui tribuerunt, vt cuncta hæc inferiora, atque adeò humanos animos & mentes illis ſubijcerent. quæ illorum dementia eò vſque proceſſit, vt cuncta fato conſtare etiã ab Stoicis (qui omnium philoſophantium prudentiſſimi habiti ſunt) dicerentur. Hinc verò regum, principum & ſummorum virorum faſtidioſa inſolentia ortum habuit, cùm ſe cæterorum dominos natura & fato eſſe crederent: & tanquam montes quidam & colles, cæteris mortalibus dominos ſe & imperatores, certo quodam cęleſti iure conſtitutos (quo dementiæ morbo vtinam Chriſtiani principes non teneantur) cùm tamẽ id falsò, & ex diuinarum rerum ignoratione iudicatum ſit. namque cęli & mundi nulla vis eſt, nulla natura, nullus motus, nulla denique actio, quæ diuina lege, diuinoque conſilio non regatur: neque vllum imperium aut dominatio ex ſideribus, ſtellis, aut ex eorum progreſſionibus & inſtitutionibus pendet; ſed ex ſolo Dei conſilio & voluntate, qui pro ſuo arbitrio hunc humiliat & hunc exaltat, & regnum ab indignis ad digniores transfert, hiſque abdicatis alios rurſum in horum locũ vel iuſtos ſubſtituit vel ſaltem impietatis & ſcelerum eorum,
1. Reg. 2. quibus ſuccedunt, vindices. Quoniam totius terræ Deus iudex eſt, cuius ſunt cardines or-
" bis terrarum, & poſuit ſuper eos orbem, ipſe pedes ſanctorum ſuorum ſeruabit, & impij
" in tenebris conticeſcent; neque quiſquam eſt, qui fortitudine ſua roboretur. Igitur cùm
" mundi itinera, & voluendorum temporum ratio illi ſoli conſtent, factum eſt vt montes illi ſeculi & colles Mundi loco mouerentur, ipſo ita conſulente & iubẽte. hunc locũ Chaldaica Biblia ſic reddunt: *Poteſtas ſeculi illius eſt,*] hoc eſt, imperium, vis & auctoritas omnium ſeculorum illius ſunt ſolius. Seculum igitur, temporis æternitatem hoc loco interpretamur: temporum autem & ſeculorum viciſſitudines & ordines, quibus cuncta geruntur, æternitatis itinera vocamus. nam & Cicero in Rhetoricis æternitatis partem tempus appellat, æternitatis vocabulo pro mundi natura vſurpato. Igitur quòd Chananæi reges ſuperati & regno ſpoliati ſint, Deus effecit, cui ſoli æternitatis itinera ſubſtant. Eandẽ omnino ſententiam eodem argumento Anna illa Prophetes confirmat; Dominus, inquit,
1. Samuel. 2. pauperem facit, & ditat; humiliat & ſubleuat. cauſæ autem rationem ſtatim ſubiungit:
" Quia Domini ſunt cardines orbis terræ, & poſuit ſuper eos orbem.

Pro iniquitate vidi tentoria Aethiopiæ: turbabuntur pelles terræ Madian.

QVO in loco noſtra verſio habet Æthiopiam, Hebraica lectio habet *Chuſan*. At verò Chus, nomen eſt viri cuiuſdam ex poſteris Noë, cui in prima illa terrarũ apertione poſt diluuium ea regio, quæ nunc Æthiopia dicitur, habitanda ceſſit, vnde & nomen accepit. Chuſan verò alius quidam fuit, qui eam Syriæ partem, quæ Meſopotamia dicitur, regno obtinuit. Contigit autem vocabulorum ſimilitudine hunc locum ita obſcurum effici, vt, niſi Hebraica exemplaria ſuccurrerent, non explicanda, ſed diuinanda nobis interpretatio foret. Chuſan igitur Meſopotamiæ rex Iſraëlitas à Deo ob impietatem relictos ſub iugum miſit, & per octo annos acerbiſſimè oppreſſit; quibus pœnitentibus & numinis cle-
Iudic. 13. mentiam implorantibus Othoniel dux & iudex datus eſt: cuius conſilio & opera acerbiſſimum illud ſeruituris iugum eſt reiectum. fuit autem is annus, quo à Chuſano Iſraëlitæ
Ioſe. li. 5. c. 4. victi ſunt, octogeſimus tertius poſt exitum ab Ægypto. Hunc autem regem Ioſephus hiſtoricus Chuſartum appellat. Porrò cùm idolorum ſuperſtitione Iſraëlitę identidem contaminarentur, in Madianitarum ditionem à Deo traditi ſunt, duriſſimamque ſeruitutem perpeſſi anno ab exitu ducenteſimo & ſecundo ſupra quadrageſimum. Sed cùm filij Iſraël Dominum Deum ſuum in calamitate appellaſſent, liberatorem ab eo habuère Gedeo-
Iudi. c. 6. 7. nem Hierobaghalum filiũ Ioas ex familia Ezri, qui hoſtes ſuos fortiſſimè oppreſſit, Oreb & Zeb & Salmana principibus interfectis. qua in expeditione centum viginti millia ex
Ioſe. li. 5. c. 7. Madianitarum & Arabum gente perierunt. Igitur vtramque hiſtoriam noſter Vates hoc carmine refert, multiplex videlicet diuinæ in Iſraëlitas miſericordiæ argumentum commemorans. Vtitur autẽ anthypophora in dicendo. nam ſi quiſpiã obijceret: Etſi Deus beneficijs maximis gentem iſtam affecerit, id tamen tunc fuit, cùm innocentiores illi eſſent, neque idolorum cultu polluti omnes, vt fuit tempore Ioſue ducis, quorum temporũ hiſtoriæ abs te citatæ & expoſitæ ſunt. At verò cũ omni ſceleri & impietatis genere Deum offenſum & alienatum natio iſta reddiderit, apparet nõ futurum eſſe, vt ij ſdem diuinis beneficiis afficiatur. quam quidem obiectionẽ diſertiſſimè Vates depellit dicens: In ijs etiam temporibus, quibus Deus Hebræis maximè offenſus erat, miſericordiæ ſuæ fuiſſe recordatum: cuius rei duę illæ inſignes liberationes Othoniele & Gedeone miniſtris editæ argumento, inquit Vates, mihi ſunt. [*Pro iniquitate.*] Cùm omni facinorum & impietatis genere populus flagraret, vidi ego, dum antiqua Dei beneficia vetereſque hiſtorias tacitus mecum

ſecolo

recolo, vidi, inquam, tentoria Chuſan Raſathain euerſa, omnemq́ue eius exercitũ à pauciſſimis noſtræ gentis, Deo opem ferente, fuſum, fugatum & cæſum, & cortinas ac vela, quibus Medorum plauſtra & tabernacula obteguntur, turbata omnia, & confuſa nimio terrore conſpexi & obuoluta. Atque hæc omnia poëtica elocutione à Vate prolata ſunt: eſt enim conciſum & figuratum totum ferè dicendi genus, quo in hac oratione vtitur. Vidi tentoria Chuſan, turbata. nam Zeugma eſt, cuius verbum eſt in poſteriori clauſula, *turbabuntur*. *Pelles*, vela, ſiue cortinæ tabernaculorum, ſynecdoche pro totis tẽtorijs. nam extrema tabernaculorum vela, quæ ſolùm pluuias & ventos accipiebant, ex pellibus ad hanc rem arte paratis olim fuerant, vnde pro totis tabernaculis vſurpantur, vt in Pſalmo: Extendens cælum ſicut pellem: & in Canticis, Sicut pelles Salomonis, legimus. Porrò quod inquit, *turbabuntur*, ad ſomnium illud alludit, quod quidam Gedeone audiente commilitoni noctu exterritus narrabat. Vidi, inquit, ſomnium, & videbatur mihi quaſi ſubcineritius panis ex hordeo volui & in caſtra Madian deſcendere: cumq́ue perueniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud, atque ſubuertit, & terræ penitus coæquauit. Eſt oratio in genere deliberatiuo, nititur in honeſtõ & facili: argumenta ducuntur à diuiſione temporum, initio & incremento, de quibus Fabius lib. 5. fol. 92.

Nunquid in fluminibus iratus es Domine? aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua? qui aſcendis ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio? Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum, iuramenta tribubus, quæ locutus es.

COMMODISSIMVM argumentum hoc eſt, & diſertiſſimum, quo Vates diuinum conſilium de Iſraëlitico populo ornando & amplificando probat. vnde futurum eſſe arguit, vt idem Deus ſuum opus aliquando perficiat. Vtitur autem coniecturali argumentatione ex obſeruatione miraculorum, quæ à Deo edita ſunt, quæ non fruſtra edita eſſe contendit: quandoquidem neque exigua quæque opera à Deo fruſtra aut temerè edi poſſunt, nedum maxima quæque & admiratione excipiẽda temerè aut fruſtra ab eo fieri putentur: imò eo maiores operum fines & cauſas eſſe oportet, quo ipſa quæ efficiuntur opera maiora fuerint. At verò illa ſigna & portenta non exiguam admirabilitatem faciunt, quibus Deus Iſraëlitas Ægypto egreſſos & Palæſtinam ſtatim ingreſſuros proſecutus eſt. namque & Arabici ſinus vndæ & fluctus & Iordanis fluuij curſus illis ceſſêre: alteris aquis diductis & muri ſpeciem hinc inde conſtituentibus; alteris verò ſuperiori quidem parte refluentibus, inferiore autem parte impetu defluentibus citato. atque geminum hoc in eodem genere miraculum non Hebræis modò gentibus, ſed alijs etiam nationibus notiſſimum & celebratiſſimum fuiſſe ſacræ teſtantur hiſtoriæ. nam de altero, Audiuimus, inquit Rahab, quòd ſiccauerit Dominus aquas maris rubri ad veſtrum introitum, quando egreſſi eſtis ex Ægypto. & de altero ſcriptũ eſt: Poſtquã audierũt omnes reges Amorrhęorum, qui habitabant trans Iordanem ad occidentalem plagam, & cuncti reges Chanaan, qui propinqua poſſidebant maris loca, quòd ſiccaſſet Dominus fluenta Iordanis coram filijs Iſraël donec tranſirent, diſſolutum eſt cor eorum, & non remãſit in eis ſpiritus, timentium introitum filiorum Iſraël. Hoc igitur argumento Vates vtitur, vt à Deo Iſraëlitarum gentem fouendam, exornandam, & maximis beneficijs amplificandam, iam inde à principio ſuſceptam fuiſſe probet. quare futurum eſſe, vt inceptum in illis opus maximi illius diuini ac promiſſi beneficij cumulatione perficiat, miſſo videlicet ſeruatore illo, qui tyrannidem grauiſſimam antiqui hoſtis penitus deleat. namque aliàs tot miracula, tot diuina vi edita portenta propria ſignificatione vacarent, ſi omnino feliciſſimum aliquẽ exitum habitura non eſſent; quod qui diuinam benignitatem cognouit, nunquam metuere potuit. Quare, inquit Vates, rubrum mare olim ſiccaueras optime Deus? Quare Iordanem flumen toto impetu, & pleno tunc alueo torrentem ſiſtere atque recurrere coëgiſti? nonne ob filios Iſraël miraculis iſtis illuſtrandos? nonne ob eoſdem ſummo honore euehendos? quibus cælum, terram, ſaxa, ignem, aërem, aquam, omnem denique elementorum naturam parêre, & in vſum cedere voluiſti? Anne alia quæpiam horum portentorum ratio fuerat? Anne ideò id effeciſti, quòd te mare & flumina aliquando laceſſerint, quibus tu offenſus ſupplicium iſtud parabas? Atqui Deo nulla rerũ natura præter eam, quæ rationis & mentis capax eſt, aut repugnare, aut offenſioni eſſe poteſt: quare neque diuinam iram experiri. Igitur nullum tibi negotium cum aquis fuerat, ſed cum tua hac gente, pro quibus tu in mari ipſo aduerſus Ægyptium Pharaonem & vniuerſum eius exercitum validiſſimè dimicaſti. [*Qui aſcendis ſuper equos tuos.*] Eandem rem alio argumento confirmat è loco, qui dicitur à relatiuis, ſiue ad aliquid; cuius hæc forma eſt: Ægyptij rubrũ mare hoſtili in Hebræos animo tentauerunt; tu Ægyptios omnes in mari perdidiſti: conſequens ergo eſt, te

Ioſ. 2.
Ioſ. 3.

non maris odio, ſed Hebræorum ſtudio teneri: ideoque equos tuos aſcendiſſe te, & quadrigis tuis vectum, illorum equos & currus ſuperaſſe & perdidiſſe. Quadrigas autem currus allegoricè nominauit, ſimul & rem poëtica iucunditate exornans, & diuinæ virtutis magnitudinem comparatione demonſtrans. nam in bellico hominum apparatu, equi & currus inter fortiſſima pugnæ inſtrumenta primum locum apud antiquos omnes tenent, quæ tamen inania & leuiſſima ad ſalutem ſunt, cùm alios equos, alios Deus currus habeat, quibus hæc omnia hominum fortiſſima munimenta ſuperentur & comminuantur, ſicut ſcriptum eſt: Equus paratur ad diem pugnæ, ſed Domini eſt ſaluatio. & alibi: fallax
Prouer. 21. equus ad ſalutem. Quare? quia non eſt ſalus in carne conſtantibus equis, ſed in quadrigis diuinis ſalus & liberatio eſt, quibus ille ſolet equum & aſcenſorē deijcere in mare, & currus Pharaonis & exercitum eius; ipſe autem ſuis equis & quadrigis & mare tranſilire, & ſuum populum incolumem ac ſaluum præteruehere; quoniam ſolæ illæ quadrigæ ſaluare poſſunt. [*Nunquid in fluminibus & in mari?*] Ordine mutato protulit, quia ad artē reſpexit amplificationis autē ars à minoribus maiora petit. [*Quia aſcendis.*] cauſalis eſt ſiue rationalis ex parte antecedentis, idem ſignificans quod ideò; hoc ſenſu: Tu hunc populum maximè fouebas, ideò ſuper equos tuos aſcendiſti. *Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum, iuramenta tribubus, quæ locutus es.*

Fluuios ſcindes terræ.

COMPLEXIONIS vim verſus hic obtinet, qua Vates ex antecedentibus colligit Dei verbum & promiſſa ſuo ſucceſſu non eſſe caritura. rem verò ipſam perpetua tranſlatione perſequitur, & à communi ſermonis vſu ad ſublime dicendi genus vaticinantium more tranſcendit. namque ſimul ac diuinus ille ſpiritus Vatum afflauit mentes, cogitationibus ſimul atque orationibus eorum diuinas quaſdē addit pennas, ita vt non humi repere, ſed per medium cælum volare, atque ea peruagari loca videantur, quò humana mens difficillimos ad interpretandum habere poſſit acceſſus. ergo cùm hactenus, ſumpta ex militia & bello tranſlatione, ampliſſimos illos apparatus expoſuiſſet, quibus in Iſraëlitico populo ornando atque fouendo Deus eſt vſus, eandem deinceps orationis figuram perſecutus, futurum eſſe prædicit, vt promiſſus ille tot ſeculis orbis redemptor, & malorum expulſor Chriſtus ab ipſo Deo tandem mittatur. nam vt nemo fortis ac belli vſu peritus homo arma, equos, quadrigas, atque alia ad belligerandum neceſſaria inſtrumenta & impedimenta aut comparat, aut in hoſtiles agros temerè profert, vtque idem nunquā armatus equos conſcendit & quadrigis citato vehitur curſu, vanæ cuiuſdam meditationis cauſa, ſed arcu armiſque ſuis vſus, quantum præſtare ille poteſt, ſe exercet, & veras pugnas committit, hoſteſque ſuos aut ferro vulnerat, aut quadrigarum rotis proterit, aut equorum impetu conculcat, donec eam, quā deſtinauit, victoriam pariat: ſic etiam conſentaneū, inquit Vates, non eſt, vt tanto apparatu bellum mundo propter populum tuum indixeris & inchoaueris, & tamen arcum tuum neque proferas, neque teneas, quo tibi maximam ex hoſtibus tuis victoriam reportes, & veram populo parias, partamque ſerues libertatē, maximè cùm eam rem non ſemel, neque coram paucis aut obſcuris hominibus, neque ioco fueris pollicitus; imò verò frequentibus promiſſionibus, & diuinis iuriſiurandi ſacramentis, duodecim tribus Iſraël nobiliſſimam totius orbis gentem, atque familiam omnium frequentiſſimam in hac olim ſpe collocaueris, atque hactenus tenueris. Quas autem res huic populo ſperandas propoſueras, eaſdem cæteris totius orbis nationibus per hos & propoſitas, & nuntiatas eſſe voluiſti, vt ſcriptum eſt: Poſui te in lucem gentium, vt ſit ſalus mea
Iſai. 51. vſque ad extremum terræ. Chriſtum autem arcum Dei vocat Vates, eo quòd verbum ſit diuinum, quo ſua aduerſus infernos hoſtes bella geſturus ſit Deus; atque victurus, qui ſpiritu oris ſui fortiſſima quæque mundi regna conficiet, & populum ſuum à ſeruitute in diuinam reconciliabit libertatem. Hunc Paulus Chriſtum Dei ſapientiam, & Dei virtutem appellat. Igitur ex apparatu & iureiurando complexionem ſuam colligit Vates, hoc modo: Si quis & fortis & ſapiens vir magnum quid apparare viſus fuerit, aliquid ab eo deſtinatum eſſe oportet, quam ob rem apparatum illum moliatur: quòd ſi ipſe animi cogitata ac deſtinata amicis indicauerit, maximo eſt argumento eam ab eo rem adornari atque comparari, quam ſe optare prædixerat. Igitur cùm Deus ſummè ſapiens atque omnipotens tantis olim iuramentis apud probatos teſtes ſuum conſilium aperuerit, ac deinceps tantum ad eam rem inſtruxerit apparatum; conſequens eſt eum conſilio ſuo ſibique ipſi non defuturum; cùm præſertim ea res ſit, quam ſe ipſe præſtiturum eſt pollicitus, quę magnum miſericordiæ & virtutis diuinæ argumentum eſſe poſſit: cùm verò ipſe miſericordię ſuę conſilium mutare minimè ſoleat, ex his omnibus rebus colligitur ſpes noſtras à Deo non eſſe fallendas. certum quippe atque conſtans de miſericordia conſilium ſuum

eſſe vult Deus : Miſerebor, inquit, cui miſerebor; & miſericordiam præſtabo cui miſericors ero. *Quæ locutus es*, in exemplari ſic legimus, *dictum Selah*, hoc eſt dictum certiſſimum & aſſeueratione confirmatum. nam vocabuli *Celah*, ſiue *Selah*, ſignificatione nõ vnum tantùm animi motum indicari poſſe iam antea docuimus: eamque interiectionis huius vim eſſe, vt vehementiam ei, cui accommodatur, orationi adiungat. Orationum autem non ſimplex eſt genus: vnum enim animi cogitationes, aut indicando ſignificat, aut aſſeuerando manifeſtat, aut iureiurando confirmat: alterum verò affectus animorumque motus alio modo aperit & exponit.

Format enim natura prius nos intus ad omnem Hor arte Poet.
Fortunarum habitum, iuuat, aut impellit ad iram,
Aut ad humum mœrore graui deducit & angit;
Pòſt effert animi motus interprete lingua.

Igitur quamlibet orationis formam hæc adornent, interiectio *Selah*, grauiorem atque auguſtiorem efficientia reddit ſua. Dei autem dicta quædam atque verba eiuſmodi ſunt, quæ euentu carere ſuo ipſe Deus cupiat; cuiuſmodi ſunt eæ, quæ minarũ plenæ ſunt, reprehenſiones & prædictiones. quæ enim huius generis ſunt, dicta eſſe cupit Deus & prædicata, euentu autem ſuo comprobata eſſe non cupit, imò vitæ hominum correctione percupit eſſe impedita. Repente, inquit, loquar aduerſus gentem, & aduerſus regnum, vt eradicem & deſtruam illud: ſi pœnitentiam egerit gens illa à peccato ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerẽ ei. quæ huius generis ſunt orationes & verba, non vocantur in diuinis Scripturis verba ſiue dicta, *Celah*: At verò diuinæ miſericordiæ pacta & conuenta, & quod ad hæc pertinet iuſiurandum, id profecto dictum *Celah*, hoc eſt certum & conſtans, atque ingenti aſſeueratione confirmatum, quod exitu atque ſucceſſu non fruſtrabitur ſuo. [*Fluuios ſcindes terra.*] In complexione confirmanda iiſdem vtitur argumentis, quibus in eadem conficienda fuerat vſus. nam cùm coniecturalem ſtatum imitetur hæc oratio, & coniectura ab iis capiatur circunſtantiis, quæ maximè aut voluntatem arguunt aut facultatem, vtraque parte abſolutiſſimè Vates vſus eſt. nam & diuina voluntas & facultas vtriſque iis rebus cognoſcitur, quæ ad argumentationem à Vate ſunt productæ. Citauerat autem admiranda illa & innumera ſpectacula, quæ Deus vt populum ornaret ſuum ediderat: quibus quaſi præludiis attentos hominũ animos reddidit ad ſpectandũ eum, quẽ miſſurus eſſet, Chriſtũ, nunc deinceps alia citat non minori profecto admiratione excipienda, quibus eandem probet rem: ea autem ſunt, petræ diruptio, quam Deus per Moſen in ſolitudine percuſſit, ex qua vberrimis venis eruperunt aquæ, quibus frequentiſſimus ille populus ſitim extingueret. At vero cùm alia longè grauiori ſiti laborarent homines, futurum eſſe Vates ait, vt Deus è terra fontem & fluuium viuentis atque perennis aquæ proferat, qua ſitis illa expleri æternum poſſit. quod idem ipſe viuus fons apud Ioannem non ſemel eſt teſtatus. Si ſcires, inquit, donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forſan petiiſſes ab eo. Omnis qui bibit ex hac aqua, ſitiet iterum; qui autem biberit aquam quam ego dabo ei, nõ ſitiet in æternũ. [*Fluuios terra.*] Ad ſignificatum potius quàm ad ſignificationem alludit. nam antiqui illi fluuii ex petra eruperant percuſſa, noui autem fluuii quos Chriſtus iis aperturus erat quos ſpiritu ſancto replendos curaret, ex ipſa terra noſtra erant erupturi. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. hoc autem dicebat de Spiritu ſancto, quem erant accepturi credentes in eum. At verò terræ nomine humanam ſignificari naturam, ex multis cognouimus ſacrarum literarum locis, & ex illo apertiſſimè: Benedixiſti Domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob. Etenim ſubiungit Vates: Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Ierem.18. — סלה — סלה — Ioan.7. — Pſal.74.

Viderunt te & doluerunt montes.

PERGIT adhuc Vates confirmare complexionem, quam cõfecerat: & argumenta producit fortiſſima, quibus aſſerit futurum eſſe, vt Deus negotiũ ſuum, quod ſuſceperat, perfectum tandem explicet. Eſt autem primùm hoc argumentum à diuino honore & dignitate ſumptum: qui locus frequentiſſimè ab iis qui Deum orant conſideratur. Decet namque Deum ſuum illud maximum prouidentiæ atque miſericordiæ nomen non negligere, cùm diuinæ prouidentiæ eiuſmodi ſint res, quæ religione humanos animos, quos vtriuſque rei fides imbuerit, & obſtringere, & in eadem continere poſſunt. Quam ob rem Moſes ſententia illa apud Deum interpellando atque orando ſæpe vtitur, Et quid facies, inquit, nomini illi tuo magno? Sic etiam hoc in loco Habbakuq diuinam miſericordiam atque prouidentiam decere cõprobat, vt tanta res ſemel inchoata, & tantis argumentis & oſtentis illuſtrata in lucem tandem perfectiſſimè edatur; alioqui quid faciat Deus nomini illi ſuo,

quod

quod magnſim, imò maximum & tremendum adeò gentibus voluit eſſe notum? nonne dicent omnes qui audierint, quia non potuit Deus præſtare illis id, quod ſe præſtiturum antiquis olim tribubus iurauerat; ideò gentem illam Babylonica perdidit ſeruitute? nimirum hoc dicere poterunt reges terræ & principes illi, qui viderant te cùm ex Ægypto
Ioſ. 5. in Chananæorum regionem populum tuum, tuaſque illas colonias deduceres, qui certiores de aduentu tuo facti grauiſſimo metu & dolore ſunt affecti. Poſtquam enim audierant omnes reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Iordanem ad occidentalem plagam, & cuncti reges Chananæorum, qui propinqua poſſidebant magni maris loca, quòd ſiccaſſet Dominus fluenta Iordanis coram filiis Iſraël, donec tranſirent, diſſolutum eſt cor eorum, & non remanſit in eis ſpiritus timentium introitum filiorum Iſraël. Cùm ergo apud omnes reges nomen tuũ tantis oſtentis miraculis & ſignis fueris profeſſus, & cunctis te huius populi ducẽ aduenire fuerit manifeſtum, fierine poteſt, vt tu hæc loca, quæ ad maximæ tuæ illius miſericordiæ theatrum tibi comparaſti, deſerta atque neglecta relinqui permittas, & nõ potius illud maximum vniuerſo orbi ſpectaculum edas, quod æternam hominibus eſt allaturum ſalutem? *Montes.* Montium nomine reges & populorum principes atque
Iſai 2. duces intelligimus, vt apud Iſaiam: Dies Domini exercituum ſuper omnes montes excelſos, & ſuper omnes colles eleuatos. *Viderunt te.* Inter omnes ſenſus viſus maximè excellit, atque is eſt, quo nullus ad intellectionem iuuandam eſt accõmodatior. quare & ad eum cæteri referuntur, neque quicquam ad cuiuſque rei cognitionem ab eo deſiderari putatur, qui ſe eam rem vidiſſe fuerit teſtatus. Cõmune igitur omnibus linguis eſt, cùm rei cuiuſquam certitudo probanda ſit, hoc verbum potius, quã cætera, quæ ad alios pertinent ſen-
Gen. ſus, vſurpare, vt illud: Et vidit Iacob, quòd eſſet frumentum in Ægypto. Illi ergo Chananæi reges, etiam ſi Deum illorum regionem cum populo ſuo inuadẽtem non vidiſſent, certiſſimis tamen argumentis eum adeſſe cognouerunt.

Gurges aquarum tranſiit; dedit abyſſus vocem ſuam.

NVLLA natura ad diuinorum ſignorum admirationem & teſtimonium magis quam aqua appoſita eſt. nam cæterarum quidem rerum, vel quæ in ſublimi fiunt, vel quæ in terris videntur, ſi permutentur naturæ, aut earum curſus & fluxiones, aut ceteræ impediantur, vel innouentur vires, admiratione quidẽ excipi id ſolet. Sed quoniã idem aliquando ſecundum naturam accidere poteſt, oculos tamen animoſque ſpectantium non adeò perſtringit, vt vehementes æſtus, vt denſiſſimi imbres, terræ tremores, fulgura, fulmina & tonitrua; ignitæ præterea ſpecies, & ſimilia his quæcunque ſunt, quorum ea vis eſſe ſolet, vt metu magis terreant, quam admiratione obſtupefaciant. Quæ verò in aquarum natura aut alienæ aut repentinæ ſentiuntur mutationes, eæ maximas admirationes excitare, & diuinam virtutem & prouidentiam arguere ſunt apta. namque hæc cæleſtium corporũ rationem & ſimplicitatem quodammodo imitatur, ita vt nunquam curſus ſuos & motus atque virtutes mutari, aut ſiſti, aut impediri, niſi maximis & diuinis de cauſis pati ſoleat. Quam ob rem quanquam multa & maxima Ieſu Chriſti admirãda opera, curationes, impuriſſimorum ſpirituum expulſiones Apoſtoli vidiſſent, diuinam tamen eius virtutem
Mat. 4. cõpoſitis ab eodem maris fluctibus & tempeſtate ſedata maximè ſunt admirati: Quis eſt, inquiunt iſte, quia etiam venti & mare obediunt ei? Argumenta igitur, quæ à Vate noſtro in complexionis confirmationem afferuntur, ex eo genere ſunt, quod ad probandã diuinitatem maximè eſt accommodatum. nam Iordanis aquę populo Iſraëlitico tranſmittenti, in duas partes diductæ ceſſere; atque inferior quidem pars in Aſphaltiten lacum, quo is amnis excipi ſolet, citiſſimè defluxit. Superior verò aquarũ portio præter motus atque impetus ſui rationem ſubſtitit, & perinde ac ſi obiecto muro impedita eſſet, redundantem curſum verſus caput reflexit. Atque ea loca inundatione occupauit, quo nunquam antea aut poſt illud tempus pertingere eſt viſus. Hanc etiam aquarum nouam & inauditam
Pſal. 113. concuſſionem: & proprij curſus mutationem regius Vates diuini aduentus teſtem non ſine admiratione citat: Quid eſt tibi mare quòd fugiſti, & tu Iordanis quia conuerſus es retrorſum? Gurgitem ergo aquarum tranſijſſe dicit Habbakuq, eamque fluminis partem ſignificat, quæ adeò citato, imò adeò præcipiti curſu in Sodomiticum lacum defluxit, vt ingenti vndarum fragore fuerit excepta. cuius rei cauſa dixit: *dedit abyſſus vocem ſuam.*

Altitudo manus ſuas leuauit.

EA aquarum in Iordane pars, quæ in ſuperiori conſtitit loco, finibus non contenta ſuis, quos, dum inundatione augetur, complere ſolet, vlteriora peruaſit loca, & ſiparum terminos dilatauit. namq. eo tẽpore Iordanis fluuius liquatis Libani montis niuibus auctiſ-

ſinus tumidiſſimúſque tuebat. atque hoc aquarum incrementum altitudinem vocat Vates, quæ quoniam fines ſuos, intra quos aliàs etiam auctæ contineri tamen ſolent, eo tempore ſunt prætergreſſæ, propterea manus ſuas leuauiſſe à Vate dicuntur. namque tota oratio poëticis exornationibus, & proprijs linguæ Hebraicæ tranſlationibus conſtat, in qua lingua aquarum termini, ſiue littora, ſeu ripæ, ſiue margines ſint, manus vocantur: vt, Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus. neq. diſſimili tranſlatione vſus eſt Naſo, Pſalm. 105.
cùm maris deſcriberet ambitum: *Nec brachia longo Margine terrarum porrexerat Amphitrite.* Metamor. lib. 2.

Sol & Luna ſteterunt in habitaculo tuo, in luce ſagittarũ tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.

MIRACVLVM aliud recenſet Vates, quod non minorem contemplantibus admirationem, quàm cætera mouere debeat: quod diuina virtute occupantibus iam Chananæorum regionem Iſraëlitis editum fuiſſe legimus. Amorrhæum victum & in fugam verſum dum Iſraëlitæ perſequerentur, Ioſue dux Deum precatus eſt, ne prius Solis & Lunæ in cælo præſentia carerent, quam hoſtes diſſiparentur. orationem autem euentus eſt conſequutus, ita vt orantis fidei cæli obtemperarent. Solem propterea & Lunam in tabernaculo ſuo ad Dei imperium ſtetiſſe Vates dicit, & curſus ſuos ad ſacri exercitus cõmoditatem temperaſſe, ac ſi Mundi luminaria non lumen hominibus adferrent, quo actionibus vacare poſſent: ſed ipſa potius ad ſuum perficiendum iter lucem & ſplendorem armorum & iaculorum Dei ſpectarent. Argutiſſimè profecto à Vate miraculum hoc eſt conſideratum. Cùm Solem & Lunam hoc in negotio ſuum munus mutaſſe dicat; vtpote quæ lumine & virtute ſua alia omnia ducere & gubernare ſoleant; iuxta id quod ſcriptum eſt: Solem in poteſtatem diei, Lunam in poteſtatem noctis. Et cùm agendarum rerum tempora ab his Pſalm. 135.
exſpectare & metiri ſoleamus; tamen eo die factũ eſt, vt curſus & temporis ſui rationem "
ab humano negotio ipſa luminaria caperent. atq. eam rem admiranda obſeruatione diui- "
næ ſignificat hiſtoria his verbis: Nec fuit talis dies ante illum; nec poſt illum, vt exaudi- "
ret Dominus vocem hominis. Quoniam Dominus pugnauit pro Iſraële. cam autem hiſtoriam non tam humanis, quàm diuinis copijs à Domino Iſraëlitis partam fuiſſe diuina narrat hiſtoria: cuius rei cauſa Vates haſtæ & tælorum Dei meminit, quorum acies adeò ſplendida eſt, vt maximis luminaribus Soli & Lunæ lumen afferre poſſint.

In fremitu conculcabis terram, & in furore tuo obſtupefacies gentes.

DIVINÆ iuſtitiæ vltionisque vim atque impetum deſcribit, & manifeſta præſentis Dei argumenta congerit, quibus olim probatum fuit, Deum adeſſe qui Iſraëlitarum populum duceret: quo tempore primùm Palæſtinam inuaſerunt. nam ſeptem quibus regio illa incolebatur, gentes tanta celeritate victæ & penitus ſublatæ ſunt, vt rem non niſi diui-
na virtute actam putare quis poſſit. Voluit namque Deus & illarum gentium ſcelera ce- Deut. 33.
lerrimè vlciſci, & populo ſuo perquam maturè ſedes parare, agros cultiſſimos, domos at- "
que vrbes optimè conſtructas omnibusq. affluentes rebus, & multa ornatas ſupellectili "
tradere. Porrò conficiendæ rei rationes admirabiles victoriam ipſam non hominum aut viribus, aut conſilijs, ſed diuinæ aſcribunt virtuti: nam prima omnium vrbs Iericus non
telis, non tormentis, non bellicis machinis, ſed populi clamore, hoc eſt, Dei idipſum im- Ioſue. 10.
perantis voce corruit: & huic proxima Hai non ſine miraculis & ipſa fuit expugnata. de- "
nique vt tota regio tam celeriter in Iſraëlitarum ditionem veniret, nihil aliud, quàm Dei "
virtus effecit, qui terram ipſam fremitu conculcabat atque premebat, & venienti populo cedere cogebat: neque quiſquam ex eius regionis incolis adeò fortis fuit, vt diuinum furorem & indignationem impauidus exſpectare poſſet: tantus eſt vltoris Dei terror, tanta-
que formido. Hanc eandem rem diuinis carminibus decantatam ita legimus: Manus tua Pſal. 43.
gentes diſperdidit: afflixiſti populos & expuliſti eos. neque enim in gladio ſuo poſſede- "
runt terram: & arcus eorum non ſaluauit eos Sed dextera tua & brachium tuum; & illu- "
minatio vultus tui, quoniam complacuiſti in eis. Quod verò ad dictionis & exornationis "
rationem attinet, heteroſin figuram hoc in loco agnoſcimus, familiariſſimam Vatibus exornationem: cuius vſus eſt eandem rem expolire, & illuſtriorem ampli oremque ſententiæ repetitione, verborum varietate reddere: in fremitu conculcare terram & in furore obſtupefacere gentes. fremitus autem & furor, quorum hic mentio fit, ſonitus magis, quàm voces ſunt, eiuſdem animi motus index vterque, ſed inſtrumento alter ab altero diuerſus. nam fremitus gutture ſpiritus pleno & per os compreſſis fermè labris erumpentis buccis nonnihil tumentibus fit. Furor verò propriè eſt naribus expreſſus ſonitus, ignito atque ardenti ſpiritu concitatus. Atque hoc modo de his rebus philoſophari ipſa Hebraicorum verborum germana ſignificatione cogimur.

Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo.

HACTENVS Vates ijs argumentis eſt vſus, quæ diuinum de maximo negotio conſi-
lium probare valeant. nam & Dei iuramentum citauit, & antecedentes apparatus expo-
ſuit, quibus diuina prouidentia populum Iſraëliticum ornauit, & peculiarem ſibi popu-
lum comparauit, atque à cæterarum gentium ſocietate conſortioque ſegregauit, & multis
maximiſque miraculis editis totius orbis animos atque oculos in eam gentem eamque re-
gionem conuertendos curauit, nimirum ſpectaturos quid maximarum rerũ in illa regio-
ne efficere moliretur Deus. Maximum autem Dei negotium, quam ob rem hæc omnia,
quæ commemorata à Vate ſunt, parabantur, diuini Chriſti exhibitio fuit, quia ad eam
rem efficiendam & promiſſus fuerat, & vngendus, vt amiſſam gentibus ſalutem reſtitue-
ret, atque maximum orbis hoſtem diabolum vinceret, perderet, & à tyrannico remoue-
ret imperlo. Igitur propoſitis hactenus argumẽtis, complexionem iterum manifeſtiorem
Vates conficit, qua Deum tandem maximam illam contra infernorum tyrannidem expe-
ditionem effecturum eſſe vaticinatur. eamque rem Chriſto ſuo duce confecturum prædi-
cit: quam rem adeò certam fore credit, vt perinde ac ſi geſta iam eſſet ex antecedentibus
eius rei imaginibus & figuris colligat, præteritique temporis verbo vſus pronuntiet. Cùm
enim Deus certo & præfinito tempore ad populi ſui, hoc eſt, ad omnium hominum pio-
rum ſalutem ex hoſtium tyrannide expediendam egreſſurus ſit, rem ipſam futuram Vates
à ſe quaſi iam geſta ſit, mentis agitatione præuiſam, vt ferè omnibus ſolenne eſt Vatibus,
velut actam prædicit. *egreſſus es*, pro egreſſurus es.

Percuſſiſti caput de domo impij, denudaſti fundamentum eius vſque ad collum.

IMPIETATIS omnis regnum apud inferos eſt, vbi dæmoniorum princeps Baalze-
bub primas tenet, illa prima impiorum familia, ille malorum omnium caput, & cuncto-
rum origo ſcelerum ex illa familia ſcaturit. Totius autem eius tyrannidis arx, & id cui fi-
dit, firmamentum, peccatum eſt: namque illud à diuino ſpiritu decreti chirographum
nominatur, quo iure, quáue iniuria hominum genus eam tyrannidem ferre coacti ſunt.
Ioan. 7. Hunc autem hoſtem Chriſtus victor regno pepulit, & omni iure (quidquid illi iuris in
“ homines fuerat) deleto, ſuos in libertatem reconciliauit. nam qui facit peccatum ſeruus
“ eſt peccati. Quòd ſi filius vos liberauerit, verè liberi eritis, idem filius aiebat. Atqui cu-
ratum ab eo & molitum maximè atque etiam effectum eſt, vt omnes liberarentur; niſi
Col. 2. quos propria ipſorum culpa in ſeruitutem adiudicatos detineat. Ipſe namque triumphãs
“ nos palam in ſemetipſo eduxit, expoliãs omnem principatum & poteſtatem, delens quod
“ aduerſum nos erat chirographum decreti, hoc eſt, peccatum quod erat cõtrarium nobis,
“ affigens illud cruci. Hanc autem Chriſti victoriam & populi ſui libertatem exornata at-
que figurarum ſplendoribus illuſtri oratione cantat Vates, duplici vſus tranſlatione per-
petua (ſiue allegoriam Græcè vocare maluerimus.) nam ipſam totam inferorum imperij
rationem domum nominat; rurſus domus fundamentis quaſi illa animal quoddam ſit,
collum affingit. Laudat igitur Deũ, quòd caput impietatis omnis, & totius familiæ prin-
cipem & patrem contuderit Chriſto ſuo duce atque auctore, iuxta id quod diuini verbi
Gen. 3. comminantis prædictione idem tartareus princeps audierat: Inimicitiam ponam inter te
“ & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius: & ipſa conteret caput tuum. fundamento-
“ rum autem denudatione vſque ad collum omnem hoſtis potentiam, omnem poteſtatem
præciſam ademptamq. ſignificat. nã vt arborum radices, quibus terræ hærent, ad capitis
in animantibus vicẽ accedunt, & quæ his radicibus continua eſt, trunci pars collum re-
fert. vtraque autem hæc ſi præcidantur, & circunducta terra nudentur, arborem perire
neceſſe eſt. Ita ſi quis maximarum ædium fundamẽta à primis firmitudinis initijs ad col-
lum vſque, hoc eſt, ad eã partẽ, quæ ad pauimentum vſque pertinet, diruat, totius ædificij
ruinam ſequi pronũ atque promptũ eſt. Igitur Chriſtus fundamentũ percuſſit, & ad col-
lum vſque denudauit, expolians principatus & poteſtates, quæ capiti, velut collũ, proxima
eſſe ſolent. Nudationis autẽ tranſlatione diuina carmina vtuntur, cùm de diruendis muris
cæteriſque ædificijs verba fiunt, quod idẽ verbũ Latinus interpres alibi exinanire vertit, vt
Pſalm. 136. in pſalmo: Qui dicunt exinanite vſq. ad fundamentũ in ea. Poterat eodem verbo hoc in
loco vti, quo res eadẽ aptè etiã ſignificaretur, exinaniſti fundamentũ eius vſq. ad collum.
Poterat & hoc nudandi verbo commodiſſimè in Pſalmo illo vti: Denudate vſque ad fun-
damentũ in ea. Illud autem nõ inauditum apud aliarũ linguarum auctores eſt, cùm rẽ ali-
quã certiſſimã quanquã futuram ſignificare volunt, tamen præterito verbo velut iam ge-
ſtam enuntiant, vt apud Liuiũ, Annibal: Si tales animos, inquit, in prælio habebitis mili-
tes quales hic oſtenditis, vicimus. Illud autem non prætermittendum eſſe arbitrati ſumus,

in car-

in carminis huius fine additum eſſe verbum *Cela* ſiue *Selah*, de cuius vi & multiplici ad ſignificationum rationem augendam vehementia alio in loco nobis eſt dictũ. Ea enim vox eſt, quæ nullo in loco non magnum aliquid molitur, & quæ eam ſententiam, quam ſequitur, affeueratione atque acclamatione & certiorem reddat & auguſtiorem. סלה

Maledixiſti ſceptris eius, capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo ad diſpergendum me: exultatio eorum, ſicut eius, qui deuorat pauperem in abſcondito.

LOCVS eſt aliquantulum obſcurus, propterea quòd nomen *ſceptris* non in acquiſitionis caſu poſitum eſt, ſed inſtrumenti caſum obtinet. Perſtat igitur in allegoria Vates, & Chriſti de hoſte antiquo victoriam perſequitur: eiuſque hoſtis & totius exercitus inferorũ ferociam, atque impetum apta ſimilitudine deſcribit. nam vt olim Iſraëlem rubrum mare tranſmittentem Ægyptius Pharao vt perderet maximo cum impetu perſequutus, in ipſo mari & ſe & vniuerſum exercitum perdidit: ſic etiam antiquus ille humani generis hoſtis vniuerſam hominum eccleſiam, quam Chriſtus inundantes ſanguine mortis ſuæ fluctus ſubiturus ſuſceperat, truculenter eſt inſectatus: ſed in illis fluctibus hoſtis ipſe cũ exercitu periit. Chriſtus autẽ ſuſceptam eccleſiam ſaluam atq. incolumẽ in libertatem reconciliauit. Vna ergo oratione & antiquam imaginem, & reconditum in imagine arcanum conſequitur Vates. namque hoc illius antiquæ hiſtoriæ fuerat myſterium. At verò caput ipſum hoſtium, hoc eſt, diabolum Chriſtus confecit, & inane atq. maledictum reddidit ſuo ipſius ſceptro, quo omnia ille conterere atque peſſundare fuerat ſolitus, hoc eſt morte ipſa, qua ille tyrannidem in orbe exercebat. Hanc mortem dum morte ſua Chriſtus extinguit, hoſtem ſceptro ſuo conficit, ſicut & Iſaias futurum eſſe præterito verbo vſus fuerat vaticinatus: Iugum, inquit, oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti, ſicut in die Madian. Iſai. 9.
[*Venientibus vt turbo ad diſpergendum me.*] Magno quippe impetu peccatorum multitudo in orbem confluxerat, ingens malorum ſpirituum turba humanũ vexabat genus, ſed vbi abundauit peccatum, abundauit & gratia. [*Exultatio eorum ſicut eius qui deuorat pauperem in abſcondito.*] Quicunque nulla religione, nullo diuino metu à maleficio terrentur, tantum humanos conſpectus fallere ſtudent: id ſi contingat, nihil obſtiterit, quo minus ſacra prophanis miſceant. Simili ergo animo atque impetu pari infernorũ hoſtium turbam, hominum genus funditus perdendi cupiditate exultaſſe Vates aſſerit. ſuum autem ipſius nomen profert, dum omnium hominum perſonam ſuſtinet. [*Ad diſpergendum me,*] id eſt, nos omnes, quicunq. humanæ naturæ participes ſumus. nam ea eſt ſpiritus mali mens, id ingenium, vt quidquid mali vni ſemel obtulit, id cunctis oblatum eſſe velit. Quam ob rem à theologis, qui de eiuſdem ſpiritus natura philoſophantur, illud frequenter vſurpatur: angelos quicquid apprehendant, immobiliter ac pertinaciter apprehendere. Pauperem autem in abſcondito qui maleficij ſtudio deuorant, exultare dicuntur. nam qui tali ingenio ſunt, non niſi mentis impulſu & vehementi ſtudio ad huiuſmodi maleficia accedunt, de quibus ſcriptum eſt: Inſidiatur vt rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum. & alio in loco idem ſtudium apertius ſignificatur: Veloces pedes eorum ad effundẽdum ſanguinem. Quantum autem, qui huiuſmodi ſunt, admittendo exultent ſcelere; ex dolore, quo, cùm id minus contigerit, afficiuntur, argui facilè poterit.

Ebrius ac petulans, qui nullum fortè cecidit,
Dat pœnas, noctem patitur lugentis amicum Iuuen. Sat. 3.
Pelidæ, cubat in faciem, mox deinde ſupinus
Ergo non aliter poterit dormire: quibuſdam
Somnum rixa facit.

Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.

QVEMADMODVM Iſraëlitæ Moſe duce Arabicum ſinũ illæſi atque incolumes tranſierunt, neque quiſquam ex illis incommodi quicquam accepit, propterea quòd maximi imperatoris Dei, cuius imperium obſeruabant, equis vndæ ceſſerant, ſeſeque in muri ſpeciem vndique diduxerant, donec populus ille Dei pertranſiret. Atque non ſolùm ab aquis læſi nihil fuerunt, ſed neque luto, neque cœno impediti, quo minus liberi & puri alterius littoris oram tenerent. Contrà verò Ægyptij hoſtes, dum Dei populum in mare ipſum ſequuntur, extincti omnes atque aquis obruti ſunt. ita etiam Dei populus, qui cum Chriſto acerbiſſimæ mortis fluctus penetrauit, ſaluus atque incolumis eodem Chriſto reſurgente euaſit, extincto interim veteri homine, & omni exercitu hoſtium deleto. quam rem diuina virtute effectam fuiſſe, ſacræ veterum & nouorum librorum literæ probant. namque id non humana vi aut conſilio, ſed diuina ſolùm effici potuit virtute, vt inundantibus aquis

Iſai.10. mortis & inferorum delerentur iura, ſicut ſcriptum eſt: Aquæ inundabũt, & delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit. Omnia autem hæc humanæ redemptionis myſteria arcanis verborum & rerum imaginibus vates olim perorarunt. Ea namq. hoc dicendi genere diuino dictante ſpiritu excipiebant, & literarum monumentis ad piorum hominum ſpem commendabant, neque eius negotij arcanum apertum illis temporibus fuerat, donec is acceſſit, cui Deus clauem Dauid tradidit. is ergo negotio ritè peracto, & re perfecta, diuini conſilij arcanum, ſpiritu ſancto in multos hominum miſſo, aperuit, quod abſconditum fuit à ſeculis & generationibus: nunc autem reuelauit

Col.1. " Deus ſanctis ſuis, quibus voluit notas facere diuitias gloriæ ſacramenti huius in gentibus, " quibus apertus eſt ſenſus, vt diuinorum librorum ſcripta intelligerent. iis ergo omnis illa antiquarum imaginum & ceremoniarum & ſacrarum rerum ratio aperta fuit, atque patefacta omnia, quæ priſcis hominibus non niſi obſcuris & implicitis ſymbolis tradita conſtiterant..

Audiui & conturbatus eſt venter meus, à voce contremuerunt labia mea.

DICENDI finem facere iam parat Vates noſter, quamobrem argumenta omnia breuiter colligit, & totam libri huius rationem paucis reuocat, & ſacratiſſimæ expeditionis, quam Chriſtus facturus erat in Hieruſalem, narrationem perſtringit. nam dum Vates hactenus de Iſraëlitici populi calamitatibus verba feciſſet, & eius rei occaſione Deum appellaſſet, quæſiſſetque num in miſericordiæ pactionibus manſurus eſſet Deus, & grauiſſima argumentatione confirmauiſſet futurum, vt quæ tanto molimine incœpta eſſent, feliciter perficerentur, dum his rebus Vates intentus eſſet, diuinum reſponſum accepit, quo certam fore & firmam ſanctamq; Dei promiſſionem, certior eſt factus, vnde illud protulit: Egreſſus in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo. & quæ deinceps ſequuntur. Verùm enimuerò victoriam illam non niſi grauiſſimo prœlio, & multo ſanguine reportandã eſſe diuinus Vates præuidit. namque ad eam ſibi pariendam aggreſſum Chriſtum Deus omnium noſtrûm debita, omnium culpas ſuſtinere iuſſit, vt pro omnibus guſtaret mortem, & vniuerſum pretium ipſe ſolus expẽderet: atque adeò dum omnium peccatorum perſonas

Iſai.53. " ſuſtineret, ſolus tamẽ duriſſimi certaminis torcular calcaret. nam de eo multa in hanc ſen-
" tentiam prædicta legimus: Deſpectum & nouiſſimum virorum, virum dolorum & ſcien-
" tem infirmitatẽ, & quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus: vnde nec reputauimus eum.
" Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, & nos putauimus eum
" quaſi leproſum & percuſſum à Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter ini-
" quitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & li-
" uore eius ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſq. in viam ſuam decli-
" nauit, & poſuit Dominus in eo iniquitatẽ omnium noſtrum. Oblatus eſt quia ipſe voluit,
" & non aperuit os ſuum. Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente
" ſe obmuteſcet, & nõ aperiet os ſuum. De anguſtia & de iudicio ſublatus eſt: generationem
" eius quis enarrabit? quia abſciſſus eſt de terra viuentium: propter ſcelus populi mei percuſſi
" eum. Et dabit impios pro ſepultura, & diuitem pro morte ſua: eo quòd iniquitatem non
" fecerit, neq. dolus fuerit in ore eius: Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate, ſi po-
" ſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu
" eius dirigetur. Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit & ſaturabitur. In ſcientia ſua iu-
" ſtificabit ipſe iuſtus ſeruos meos multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideò diſper-
" tiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia, pro eo quòd tradidit in mortem animã ſuam,
" & cum ſceleratis reputatus eſt, & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit. Hunc totum ex Iſaia locum proferre placuit; qui, ſi rectè conſideretur, ad hanc Vatis noſtri ſententiam aperiendam iudicari poſſit aptiſſimus. namque dum huius maximi reparationis noſtræ negotij rationem mente Vates agitaret, & datum ſibi de hac re oraculum contemplaretur, animo conturbatus eſt, nimirum cognoſcens quantis malis premeretur humanum genus, cuius libertatem tanti conſtare oportebat. Atque hæc res fuit, quamobrem dixerit: *Audiui*, ex diuino reſponſo, quanto in diſcrimine hominum genus ſit, cui cum Chriſto mortem oppetere neceſſe ſit, vt ſuarum miſeriarum finis fiat. Eam autem Chriſti mortem crudeliſſimam atq. duriſſimam fore intellexi, vt in eius tribulatione nos, quicunq. illius paſſionibus communicare velimus, ſalui atque liberi quieſcamus. hæc igitur cùm ego audiiſſem animoque verſaſſem, non potui non mente atq. omnibus artubus contremiſcere. Ventrem autem Hebraico tropo pro corde dixit: timoris enim & tremoris principium à corde eſt. Totam verò eam, quæ in corpore cauitas eſt, membrorum vitalium locum eſſe conſtat, in quibus principatum cor obtinet: corde autem tremoribus affecto, omnia viſcera

contre-

contremiſcere conſentaneum eſt. Sed ventris nomine in ſacris libris tam ventriculũ, quam inferiorẽ aluũ; & quidquid iis locis continetur, ſignificari intelligimus. vt: Conturbatus eſt Pſalm. 30.
in ira oculus meus, anima mea & venter meus. Ergo ingens atque irrequieta animi affectio, ſiue metus, ſiue doloris, interiorum partium concuſſione indicatur, vt apud Iob: Interiora Iob 30.
mea efferbuerunt abſq. vlla requie. ea res fit natiuo calore ad interiora regreſſo, quo membrorum principi cordi ſuccurratur, externis interim artubus à natura neglectis: quam rem oris pallor & labiorum tremor conſequitur. huiuſmodi affectionibus ſe tentatum oſtẽdit Vates, cùm arduam illam humanæ ſalutis rationem diuino reſponſo accepit. [*Tremuerunt labia mea,*] à voce mihi mente animoque audita huius orationis hæc certa ſententia eſt.

Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat.

VERBA hæc futuri temporis ſunt, non imperatiui; & pro præteritis Hebraico more vſurpantur, cõiunctionis vi id efficiente, vt ſuperius: Audiui & conturbatus eſt vẽter meus. Hebraicè *conturbabitur* legimus. Tota autem hæc oratio in amplificãda Vatis affectione conſumitur, qua ſe ex maximi arcani conſideratione ita commotum eſſe oſtendit, vt conſiſtere pedibus non valeat, neque ſibi à tremore temperare, & perinde ſe viribus deſtitutum affirmat, ac ſi eius oſſa quæ firmiſſima totius corporis pars eſſe ſolent, putredine fuerint conſumpta, & ipſe pedibus conſiſtere non valens totus tremore corripiatur. hoc eſt ſubter me ſcateat, vel ſubter me tremam: nam primæ perſonæ verbum in exemplari eſt.

Vt requieſcam in die tribulationis, vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum.

VIDEO aliter verti potuiſſe hunc locum, quò apertior eſſet atque planior ſentẽtia: ſed quoad fieri poſſit, dabimus operam, vt in inſtituto maneamus, id eſt, vt ſentẽtiam eius, qua vtimur, interpretationis aut ex eius ipſius verbis, aut ex ipſis, in quibus primũ ſcripta ſunt, linguis, aut ex re & argumento ipſo aperiamus; neq. quicquã niſi maxima difficultate coacti de vulgata verſione variemus. Ergo quiſquis noſtras has commentationes ad hanc verſionem nobis accommodatas, quantum ad Hebraicam veritatem proximè accedant, cognoſcere voluerit, aliorum interpretum verſiones, quæ multæ ſunt, conſulere poterit: & quantum ab aliis hæc diſſentiat, quantum conſentiat, & collatione, & commentariorum lectione perſpicere. Iam verò ad propoſitum reuertamur. Maximam vati mouit admirationem, ita vt tremorem etiam attulerit, quòd in tantæ preſſuræ & tam ardui diſcriminis die, ipſe, qui vnus erat ex iis, qui humanam, hoc eſt, ſuam ſperabant ſalutem, cùm Chriſtus pro omnibus mortem oppeteret, atque omnium perſonã in duriſſimo illo mortis conflictu ſuſtineret, morte quidem ſimul cum ſuſcepta à Chriſto gente afficeretur, nullo tamen tentaretur dolore. Omnis enim dolor Ieſum Chriſtum inuaſit: cuius quidem mortis fructum atque vtilitatem, non autem acerbitatem cæteri homines perceperunt. Fuẽre illi quidem in tribulatione, in ſupplicio cum Chriſto, Chriſtus tamen pro omnibus dolebat, cæteri quieſcebant, nimirum quia hæc ſpiritu nobis gerebantur, & arcano explicabãtur negotio. id vates noſter ſignificat, *vt requieſcam.* Coniunctio, *vt,* explicantis atque exponentis, ſiue rationem reddentis officio fungitur: namque pro Hebraica voce *aſſer* reddita eſt; cuius hoc munus eſt. Vehementer admiratus ſum, inquit Vates, quod in die tribulationis Chriſti, cùm ille acerbiſſimum ſupplicium pro omnibus daturus ſit, tamẽ ego ſum requieturus, ita vt quæ ego commiſerim ſcelera, ille luat; ego verò cum eodem moriar, & tamen eius mortis dolore non afficiar: quæ res, & mihi, & populo noſtro, hoc eſt, vniuerſæ eccleſię ab ipſo ad hanc rem ſuſceptæ (cui ego annumerabor) continget. Populum autẽ accinctum, populum coniunctum & colligatum, atque in vnum corpus diuina virtute concinnatum ſignificat, cuius Chriſtus futurus erat caput: cuius liuore, vt D. Petrus ait, ſanati ſumus.

Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis.

ELEGANTISSIMA & diuino reſponſo digniſſima concluſione argumentum ſuum Vates abſoluit, cuius exemplo quicunque religionem atque pietatem colunt, ad maxima quæque incommoda perferenda animari poſſunt, vbi ſemel diuinæ voluntatis certiores ex ſacris libris, aut alia ratione fuerint facti: Eſt autem huiuſmodi horum trium carminum ſententia Vates præuiſam populi ſui calamitatem cum Deo fuerat queſtus: cuius rei occaſione de maximis Dei miſericordiis atque promiſſis inciderat in diſputationem, num hæc inter ſe conuenire poſſent, vt Deus ſuis promiſſis & pactionibus ſtaret, & populum tantis afficeret calamitatibus, quem eundem promiſſionum abſoluendarum & teſtem & prædicatorem delegerat dum hæc Vates mente agitat, atque oratione apud Deum tractat, diuinorum verborum atque conuentorum conſtantiam intelligit; neque impediri poſſe

Deum

Deum,quo minus ea,quæ in illo populo edenda promiſerat, tandem edat, quamuis maximas populus ille calamitates accipiat. namque diuina prouidentia & populo ſcelerato per calamitatem corrigendo,& ſuis pollicitationibus exoluendis fuerat conſultura. Huius igitur veritatis admonitus Habbakuq,ad eam ſpem,quam ipſe maximam eſt ingreſſus,cæteros vocat,iubetque pios omnes nullis aduerſis rebus terreri, nullis doloribus frangi, nullo futurorum malorum metu exanimari;ſed diuinæ miſericordiæ pactionum memores eſſe, qua recordatione id efficiatur vt propoſiti tenaciſſimi ſint,neque ſalutis à Deo accipiendæ ſpem abiiciant: ita fiet vt earum rerum,quæ tam diu ab eis ſperatæ atque exſpectatæ ſunt, compotes tandem efficiantur. ſibi autem hunc animum iam eſſe,vt ſi maximè omnia perire atque ruinam minari videantur,tamen ſalutem à Deo promiſſam deſperetur nunquam, *& ſi fractus,* vt inquit ille, *labatur orbis Impauidum nihil nociture attingant ruinæ.* Hæc eorum quæ aſſcribuntur carminum ſententia eſt. Hanc ille partitionibus exornat,& elegantiſſima earum calamitatum enumeratione, quibus maximè frangi homines ſolent,& ſibi ſuæque vitæ metuere: cuiuſmodi ſunt agrorum ſterilitates, pecorum atque armentorum ſtrages & peſtes, quarum rerum copia vt ad hanc mortalem vitam eſt neceſſaria, ſic earundem penuria ad eandem vitam incommodiſſima eſt. [*ficus enim non florebit.*] Ficus arborum omnium feraciſſima eſt ob natiui ſucci abundantiam, & quæ minima inter cæteras plantas cultura indigeat. nam ſponte prouenire ſolet, & inculto ſolo, imò verò & in ſaxis & muris fructus annuos interdum binos ferre, neque intermiſſa requie vt plurima ex arborum generibus ſibi conſulere,atque ea prima eſt, quæ pro flore fructum ipſum proferat: ex quo fit vt certiſſimum præter cæteras, in quibus flos fructum antecedit, ſuæ vtilitatis argumentum promat. quòd ſi ficus aliquando ſuos flores neget, reliquarum arborum fructus fruſtra ſperes. His autem proxima eſt vitis natura, quæ ſi non fructus, tamen ramorum & pampinorum eſt fœcūdiſſima: rarò autem euenit vt hoc genus vuas omnino neget. Quòd ſi vuarum & germinum careat prouentu, actum eſt de anni illius ſpe: maximam enim anni ſterilitatem eſſe oportet, quæ germinis proferendi facultatem adimat. Iam verò olearum ea natura eſt, vt ſi non ſingulis annis, certis tamen vberi baccarum prouentu pretium operæ colentium abſoluat, atque futuram ſui vtilitatem in præcedentis anni menſibus promittat; lætior namque viret, & multis quaſi gemmulis tumeſcit: atque huiuſmodi indicationes obſeruantem rarò fallunt. quam ob rem oliuetorum, qui in Bætica ſunt domini huiuſmodi notationibus admoniti, à præcedenti autumno in eum qui ſequitur muliercularum idoneum ad oliuas colligendas numerum mercede interdum præmiſſa conducere ſolent. Hoc autem à Vate oliuæ opus vocatur. namque ex ſacrorum librorum

Pſalm.106. idiomate eſt, vt arbores fructum facere dicantur: vt, Et fecerunt fructum natiuitatis. fructus verò ipſe opus arboris nominatur. igitur grauem eſſe cauſam oportet, quam ob rem oliuæ quem fructum ante fecerant & oſtenderant, tamen cultoribus negent. mentiri autem ſiue negare plantæ fructus dicuntur, quando ſunt cultoribus ingratæ; vt

Horat. epiſt. lib 1. apud Horatium: *Spem mentita ſeges.*

Et arua non afferent cibum.

QVANQVAM aliorum fructuum penuriam vtcumque pati homines poſſint, frumenti tamen defectum ferre non poſſunt. Caput namque ad humanam vitam alendam panis

Pſalm.103. eſt; ſcriptum eſt enim: Et panis cor hominis confirmet. & alio in loco: Qui producit fru-

Pſalm.146. mentum & herbam vſui hominum. Quòd ſi frumenta omnino deſiderentur, atque aliorum fructuum defectibus hoc accedat, maximum eſſe annonæ conflictum neceſſe eſt. fieri autem interdum ſolet, vt cùm dies complures frumento homines caruerint, pecore ex longinquioribus locis adacto extremam famem ſuſtentent. quòd ſi pecorum etiam copia deficiat, nihil niſi aut diuinam prouidentiam,& admirabilem aliquem cibum, aut mortē expectare dabitur. Porrò Iſraëlitica regio his rebus, quas hactenus commemorauimus, adeò abundabat, vt vicinas etiam aleret regiones. Nam & Tyri rex Hiram tritici, hordei, vini, &

2.Paral.2. olei permutatione ad maximi illius templi fabricationem ligna ex Libano mōte cæſa ſuppeditauit, & Hebronis agros plurima & generoſiſſima pecora aluiſſe Samuelis hiſtoria

1.Sam.15. docemur. huius autem rei penuria laborare, extremæ (vt diximus) ſterilitatis eſt malum. Eam igitur rem cæteris addit Vates & ſubdit:

Abſcindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præſepibus.

VTRVMQVE genus propterea nominauit, vt omni ex parte ſterilitatis exequeretur rationem. namque armentorum & pecorum diuerſa eſt natura, & fieri plerumque ſolet, vt quibus annis & tempeſtatibus alterum genus malè habeat, alterum gaudeat. Oues glacie conſtrictos campos amant, boues verò frequentes deſiderant imbres. Ex qua

re

vtriuſque generis optata Hiſpano prouerbio eleganter ſunt indicata: *Si quiera llonieſſe haſta, que mi cuerno ſe remolle cieſſe: Si quiera claſſe haſta que mi lana ſeme enbetraſſe.* Quòd ſi vtraque & pecora & armenta deficiant, non tam anni vitio, quàm diuina ira id euenire putandum eſt. Hæc autem omnia ſimul accidere poſſe Vates concedit; ſe tamen de ea ſpe, quam diuinæ ſibi ſubminiſtrant promiſſiones, deiici poſſe negat. Sed cùm maximè omnia ruinam & mortem minitari videantur, tum maximè ſe promiſſæ ſibi à Deo ſalutis, & exſpectati Chriſti ſeruatoris cogitatione exultaturum.

Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.

HOC EST, in Deo ſeruatore meo. Planum namque atque apertum iam omnibus fere eſt nomine *Ieſuagh* ſalutis & ſaluationis rationem ſignificari. Cuius quidem rei interpres nobis diuinus nuntius fuit, qui cùm imponendum diuino puero nomen Ioſepho ederet, Matth. 1.
hoc ſermone nominis rationem reddidit: Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.

Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi ceruorum: & ſuper excelſa mea deducet me victor in pſalmis canentem.

INTER omnes oratorias exornationes commoratio, quam vocant, ſacris ſcriptoribus familiariſſima eſt: quum in ea re, in qua cauſæ noſtræ firmitatẽ collocauimus, diutius commoramur. Hoc genus nos in Chriſtianis rhetoricis, quas carmine conſcripſimus, firmamentum vocauimus. nulla autem re ſacri ſcriptores magis, quàm diuinæ miſericordiæ fide atque ſpe nituntur. Ex qua illa in omnium ore frequentiſſima ſententia eſt: Propter miſe- Pſal. 39.
ricordiam tuam & veritatem tuam: &, Miſericordia tua vſque ad cęlos, & veritas tua vſque
ad nubes. Antiqua igitur diſciplina, & acceptis à ſe reſponſis edoctus Vates, totam ſpem Pſal. 55.
ſuam in diuinis pollicitationibus, atque in miſericordia poſuit. Audierat enim ille id quod nobis referret: Iuſtus autem ex fide viuit. Hac igitur fide ſibi ſe conſtare dicit, eamq́. ſpem nunquam eſſe fallendam, ſed voti tandem compotem Deo auctore euaſurum, vt nulla ſit calamitas, quam non huius ſpei atque fidei ope perferat, & tandem illius maximi atque diuini beneficij acceptione perueniat. Dominum igitur Deum fortitudinem ſuam vocat, quoniam ea victoria non humana virtute, ſed diuinæ miſericordiæ auxilio atque opera illi conſtabit. nam cùm Chriſtus ſuam diuinam atque humanam naturam cum ſuis communicaturus fuerit, ob eam cauſam, quicunque eius communicationis & beneficij participes verè fuerint, ex eo, quem ante deſcripſimus, conflictu victores, & præſtantiſſimæ libertatis
compotes euadent. Si enim filius vos liberauerit, verè liberi eritis, aiebat idem Deus atque Ioan. 8.
homo Chriſtus, ita vt illud ab illis quàm veriſſimè cantari poſſit: In te inimicos noſtros
ventilabimus cornu: & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis. [*Et ponet pedes meos* Pſal. 43.
quaſi ceruorum.] Summam conficiendæ rei celeritatem hac ſimilitudine ſignificat. nam quamuis ex quadrupedibus nonnullæ citatiſſimo valeant curſu, nulla tamen magis victoriam currendo repræſentat, quàm cerua, quæ ſaltu arbuſta ſuperat, & ſaxa, & flumina aliquando tranſmittit; adde quòd decor membrorum & totius corporis habitudo, venatorum contemptum magis imitatur, quàm fugam: eadem ſemper altiora loca curſu petit, vnde deſpicere magis, quàm metuere inſequentes ſe poſſit. hoc autem magis in femina cerua, quàm in maribus, ex eo quòd illæ cornibus careant, perſpicitur: quamobrem & Hebraicè *quaſi ceruarum* legimus. Ob eandem etiam conſideratione ̃ in Cãticis ſponſus ceruorum hinnulo ſimilis eſſe prædicatur. neque diſſimilem ob cauſam hoc carmen à Dauide præcantatum Vates noſter hoc in loco vſurpauit, Qui æquauit, inquit, pedes meos ceruis, & ſuper excelſa ſtatuens me. Excelſa etiam loca, aut victoriam, aut certè hoſtium contemptum ſua natura atque ſitu parant. Eam rem hoc loco ſibi Vates ex fide, quam diuinis verbis habet, promittit, nimirum victoriæ viam ſibi à Deo eſſe aperiendam. ex qua re illud confici oporteat, vt ipſe carminibus condendis, & Deo gratiarum actionibus, ob tanta beneficia, celebrando vacet: Atque ex ea re materiam elegantiſſimorum verſuum atque heroicorum ſibi fore ſuppeditandam. Talia enim carmina non niſi à lætiſſimis, atque omni anxietate carentibus ingeniis cantari ſolent. quorum inſcriptio eſt, *lamnaſceah Bineghinoth*. Huius autem verbi *lamnaſceah*, pro quo Latinus interpres frequenter *victori* vertit, ſententiam, hoc in loco exponere non incõmodum fore viſum eſt. namque ea ad Vatis noſtri orationẽ illuſtrandam,
atque ad multorum pſalmorum inſcriptiones intelligendas conducet. Igitur verbũ *naſſagh* נצח
vincere, ſtudiosè aliquid & ſolicitè, ac non negligenter agere ſignificat. Eius autem verbi vſus familiaris atque frequens eſt publicis ſacrarum rerum miniſtris, quorum intereſt munus ſuum diligenter atque ſtrenuè exequi. maximè autem iis accommodari ſolet, qui aliis

tanquam duces in adminiſtranda re præficiuntur; nimirum vt cęteros hortentur, inſtruant, atque in negotio præcurrant. huius rei atque verbi exempla multa ſacros legentibus libros occurrent, ex quibus vnū & alterum apud Eſdram vno in capite indicabimus, quæ Latinè
Eſd.3. » ſic in vulgata editione legimus. Anno autem ſecundo, aduentus eorum ad tem-
» plum Dei in Ieruſalem, menſe ſecundo, cœperunt Zorobabel filius Salathiel, & Io-
» ſue filius Ioſedec, & reliqui de fratribus eorum ſacerdotes, & Leuitæ, & omnes qui ve-
» nerant de captiuitate in Ieruſalem, & conſtituerunt Leuitas à viginti annis & ſupra, vt vr-
» gerent opus Domini. Stetitque Ioſue & filij eius & fratres eius, Cedmiel & filij eius, filij
» Iuda quaſi vir vnus, vt inſtarent ſuper eos, qui faciebant opus Domini. Hæc igitur Latina verba vrgere, & inſtare, quid Hebraicum verbum ſignificet, & ad quas perſonas accommodetur, nos docent. hæc negotia curandi verbo Romani ſignificabant: nam & regia munera & ludos diis ſacros, & funus curare dicebant, & curare vt ſacrorum templorum ſarta eſſent tecta. Ergo inter cætera ſacrarum rerum genera carminum & hymnorum, atque totius ſacræ muſicæ curatores erant, ad quos quid quo modulationum genere, & à quibus, & quando canendum eſſet, conſulere pertinebat. Vnum autem carminum genus erat, quod *Neghinoth* vocabant, quò lætæ atque gratiſſimæ res & affectuum plenæ dicebantur, quæque hoſtium atque periculorum propulſationem vel narrarent, vel ſibi promit-
» terent. Cuius generis eſt pſalmus, Cùm inuocarem: & illud: Exaudi Deus orationē meam.
» huic ergo carminum generi ſe vacaturum vouet Habbakuq, quo præterita rerum diſcrimina, & præſentem redemptionis lætitiam celebret.

ORATIO INTERPRETIS.

O qui orbem regis pater, & mortalia curas,
Auſaq; funeſti nulla probas ſceleris,
Nec pateris fluitare tuo feruentia cultu
Pectora, nec miſeros deſeris eſſe pios:
Illud opus renouare tuum ne deſine noſtris
Mentibus, illud opus, quo facis eſſe Deos.
Et nos perpetuas laudes, nos grata canemus
Carmina pro tantis commoda muneribus.

IN HABBAKVQ PROPHETÆ COMMENTARIA CARMEN EX VOTO.

NON cœpta lætis vota parentibus,
Cùm pulcher infans ludit amabilem,
Cui ſceptra mater, cui coronas
Poſcit auens prece blandiente.
Non quæ per artes innumeras genus
Mortale duris vſque laboribus
Exercet auri vel cupido,
Spéſve leuis malè ſana honoris:
Non quidquid errans denique ſuſpicit
Vulgus, beatos efficit, aut iuuat
Curas, vel auertit ſequaces,
Otia vel meditata præſtat.
Nam quæ caducis condita partibus
Auctore conſtant munera debili,
Nil illa magnum, nil perenne
Efficere, aut tolerare poſſunt.

Quid-

Quidquid coruſci continet ætheris
Tranſmiſſus axis, ſcilicet aëra,
Telluris oras, & liquentem
Vis penetrat ſuperatq; pontum.
Diſiuncta quòd ſi corpora ſedibus,
Vnde & decoris artibus efficax
Natura fingit res, teneri
Perpetuos nequeunt in annos:
Quid comparatis fraudibus, ac dolo
Mortalis audens ingenij manus
Componet atris eximendum
Temporibus vicibusq; lethi?
Cum gente gentem iungito ſedulam,
Commune cœptis & ſtudium para:
Vox vna cunctis, arsq; conſtet,
Nulla manus properare ceſſet.
Sed videt vltor principium Deus
Non auſpicatæ molis, & arduæ
Spectator attendit propinquus
Stultitiæ aſsiduos labores.
Mox & micanti fulmine, & horrido
Turbata cæli murmure diſſonat:
Sermone turba, & inquietas
Cura ſubit variata mentes.
Tunc quam potentis nominis ambitus
Turrim propinquam ſideribus poli
Vergebat, humani furoris
Eſſe iubet monumenta iudex.
Iamq; appetitæ munera gloriæ,
Confœderatas & ſtudijs opes
Deforme conuoluens ruinæ
Nomen habet Babylon pudendum.
Sed tu quid altas imperij domos
Nunc & decorum perpetuum tibi
Proponis amens per ſceleſtos
Viq; doloq; vagatus auſus?
Tentata prauis bella tumultibus,
Atque inuidentum prælia gentium,
Et fraude prognatas rapinas,
Anne bonum paritura credas?
Conſtructus amplis principijs domus
Murus, labore & conſilio graui
Per damna, per cædes iniquas
Artificem ſtimulante cura,
Tantiſper hæret molibus ac breui
Suffultus arctæ munere machinæ

Auctoris orbi dum malignum
Teſtis opuſq;, animumq; prodat.
Sed iam peracto iudicio Dei,
Qui cuncta vindex crimina diſcutit,
Gaudere quærente, & laborum
Iam domino meditante fructus,
Inclinat aucto pondere funditus
Congeſta lapſis vndique partibus
Moles, & incautum patronum
Cum famulis premit, atque natis.
Optata ſeris regna nepotibus,
Et cogitati præmia nominis,
Obliuiones vel ſilentes
Incelebri ſubeunt ſepulchro,
Vel fumiganti turbine pulueris,
Quem lapſa moles excitet altius,
Differtur exemplis in æuum
Hiſtoria improperanda diris.
Tunc, quæ imperitis ancipiti gradu
Conſtare viſa eſt cura vigil Dei,
Dum flos nocentum præniteret,
Certa manet, ſuperatq; vindex.
Tum clara ſignis perpetuis patent
Exempla ſummi iudicis, & graui
Sanctamq; funeſtamq; gentem
Indicio memorata monſtrant.
Vt nulla caſus Sortis & inuidæ
Vis voluat orbis munia conſona,
Nec terra, mortaléſue turmæ
Iudicijs careant ſupernis.
Et ſæpe ſummi numinis abdita
Mentem tyrannos præcipites pati,
Pœnas vt indictas prophanis
Dent populi male pertinaces.
Poſt vindicato verberibus malo,
Corrupta turpi flagra ſuperbia,
Neruoſq; marcenteſq; virgas
In tenebras reijci perennes.

FINIS.

BENEDICTI ARIÆ MONTANI HISPALENSIS IN SOPHONIAM PROPHETAM PRÆFATIO.

DE DIVINO IVDICIO.

DIVINORVM *iudiciorum rationes perperam ab hominibus percipi ac*
definiri, præterquam quòd in ſacris libris perſæpe notatum eſt, ipſa etiam
mortalium corrupta ſtudia actionéſque declarant. Etenim nihil aut ſe-
gnius aut rarius, quam diuinam iuſtitiam & ſeueritatem cogitari ab
illis arbitror: quam in omni vitæ parte oculis proponendam ſacer Va-
tes docebat. In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Non Pſalm. 117.
enim qui operantur iniquitatem in vijs eius ambulauerunt. Namque
diuinorum iudiciorũ perpetuò conſiderata atque obſeruata ratio temeritatem, ſtultitiam,
licentiámque omnem in conſilijs actionibúſque hominum reprehendit, audaciam compri-
mit, ambitionem cupiditatémque frenat: vt ex iiſdem ipſis diuinis oraculis accepimus. In Ibidem.
quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos. A mandatis tuis in- "
tellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis. Equidem nemo tam malo, támque auda-
ci animo eſt, qui dum præſentem iudicem videat, eúmque magna ſapientia in cognoſcen-
dis, magna in iudicandis criminibus ſeueritate & conſtantia præditum, manus à ſcelere &
maleficio admittendo non abſtineat: cúmque nulla in re, nullo in loco ſe illius oculos &
mentem fallere poſſe ſperet, aliam vitæ viam ſibi, quàm per ſcelus, muniendam ſuſcipiat,
atque ea paulatim ſtudia remittens deponat, quæ iudicem vehementer improbaturũ, nun-
quam verò ignoraturum eſſe intellexerit. Quòd ſi hæc in homine concepta ſeueritatis &
ſapientiæ opinione ſtudioſè & rectè curarentur, quanto diligentius curam eſſe oportuerat
ab iis, qui Deum omni ſemper loco præſentem, & humana non ſolùm facta, ſed cogitata
omnia obſeruantem, ſanctiſſimum, æquiſſimum, ſeueriſſimúmque, atque vitij omnis & ſce-
leris vltorem grauiſſimũ iudicem ante oculos ſibi proponerent, de quo ſcriptum eſt: Quo- Pſalm. 5.
niam non Deus volens iniquitatem tu es: neque habitabit iuxta te malignus, neque per- "
manebunt iniuſti ante oculos tuos. Odiſti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes "
qui loquuntur mendacium. Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus. Qui "
plantauit aurem, non audiet, qui finxit oculum, non conſiderat, qui docet hominem ſcien- Pſalm. 93.
tiam? Dominus idem ſcit cogitationes hominum: igitur qui exaſperant, non exaltentur in "
ſemetipſis. Et profectò vel nullam, vel admodum exiguam de diuinis iudicijs cogitationem
hominibus eſſe non concepta modò, ſed & aſſiduè ſuſcepta ſcelera, quibus totus terrarum
orbis publicè ac priuatè contaminatiſſimus affluit, manifeſtè indicant: vbi gens contra gen-
tem, & regnum aduerſus regnum, vel leuiſſimis, vel nullis cauſis inſurgit, vbi tanta ambi-
tio, tanta cupiditas, tot iniuriarum genera graſſantur, vt totus mundus in maligno poſitus
eſſe meritò dicatur.

Sed id dolendum maximè eſt, quòd nullæ nationes minus de diuinis iudicijs cogitare vi-
dentur, quàm eæ quæ Chriſtianæ diſciplinæ legibus tenentur, præceptis & inſtitutis abun-
dant. Vbi incredibile eſt, quàm ſecus, atque huius cogitationis lex & ratio poſtulet, pu-
blicè ac priuatè agatur. Atque vtinam hæc nobis in eam partem diſputata eſſe videri poſ-
ſent, vt comparatio non cum alijs gentibus, non cum falſis, mendacibus ac barbaris eorum
qui Chriſtum non receperint, ſectis atque doctrinis, ſed cum ipſa Chriſtianæ diſciplinæ
perfectione fieri exiſtimaretur: ita vt in noſtris moribus ad externarum nationum ratio-
nem reuocatis, aliqua laudis pars inueniri poſſet: ad ipſam verò euangelicæ diſciplinæ
normam & regulam iudicatis, exacta quædam perfectio deſideraretur. Sed prô dolor &
pudor, iam non nobis hæc ratio illis Chriſtianorum præceptorum ponderibus & euangelica
ſtatera, ſed communi omnibus diuinæ iuſtitiæ ac ſeueritatis cognitione, velut rudi quadam
& populari trutina examinanda eſt. neque enim modò de inimicorum dilectione, de bene-

ficio vltrò in immeritis collocando, de tolerandis patienter eorum, qui læſerint, amore &
ſalutis ſtudio, iniuriis, de eroganda omnino in egenos atque in alios pios vſus pecunia, &
de honeſtiſſima benignitatis, liberalitatis, comitatis, humanitatiſque omnis contentione,
de maxima alienorum, de minima verò propriorum commodorum cura, non denique de
illuſtri Chriſti exemplo omni vitæ noſtræ parte exprimendo agitur, & de ſuauiſſimo illo
Matth. 11. iugo, quod ab eius perfectis diſcipulis ferri oportuit. Quibus de rebus omnibus illud ſcri-
ptum eſt: Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus
veſtris, &c. Quòd iam iſtius perfectæ Chriſtianorum vitæ ſplendor ferè omnis his moribus
obſoleuerit, & prodigij loco ducatur, ſi quæ harum præſtantiſſimarum virtutum ſcintilla
appareat, adeò extinctum egregium id vitæ ſtudium, & ſtudioſorum genus eſt. de quibus
Iſa. 6. illud fuerat decantatum: Et ſcietur in gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio
" populorum. Omnes qui viderint illos, cognoſcent illos, & dicent: quia iſti ſunt ſemen cui
" benedixit Dominus. Nunc verò alia nobis rerum ratio repoſcitur, quæ ab ijs reddi poſſit,
qui cum Dei notitia diuini iudicij, atque in ſceleratos conſtituendi ſupplicij metum ha-
beant, ſiue is ex philoſophica quadam ſapientia atque obſeruatione, vt apud gentes, ſiue ex
ſacra inſtitutione & diſciplina allatus ſit: in quo genere Iſraëlitæ olim fuerunt, & nunc
maximè Chriſtiani ſunt. A quibus maius atque abundantius officium exſpectandum pro-
pterea fuerit, quòd diuinarum rerum cognitio, certiſſimis ipſius Dei oraculis accepta ſit,
Pſalm. Qui non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Sed quæ per Deum
" immortalem tam barbara, non modò lingua & natione, ſed natura, & moribus gens notari
hodie poſſet, in qua vel rariora cogniti, explorati & certi diuini iudicij; vel frequentiora
rurſus diuini timoris repulſi argumenta reperiantur? Vbinam terrarum publica ac pri-
uata honeſtas, ac decus minus conſeruatur? vbi copioſum magis, & multiplex iniuriarum
genus inuenitur? vbi ambitio, ac inſatiabilis habendi dominandiq; cupiditas proiecta atq.
Galat. 5. effrenata magis eſt? vbi fornicatio, immunditia, impudicitia, luxus, veneficia, inimicitiæ,
" contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, hæreſes, inuidiæ, homicidia, ebrietates, co-
" meſſationes, & his ſimilia innumera vitiorum genera frequentius & grauius obueniunt?
Tandem vt plura & maxima breui ſermone concludamus, quodnam hominum infidum
genus iuſto militiæ ſacramento prodito, nefariè magis atque impudenter egit? nónne illud
celeberrimum honeſtiſſimumq; votum, Chriſtianæ militiæ tironibus, clariſſimo iureiu-
rando, coram ſanctiſſima trini atque vnius Dei maieſtate, legitimo eccleſiæ ſacerdoti, gra-
uibus aduocatorum teſtimonijs, repetita aſſeueratione, nuncupatur? Satanæ & omnibus
Auguſt. epi- operibus eius, & omnibus pompis eius, abrenuntio, abrenuntio, abrenuntio. Cuiuſmodi nam
ſtol. 118. iſta abrenuntiatio eſt? Ecqua ſanctiſſimi ac iuſtiſſimi iuriſiurandi huius, ad ſacroſanctum
Gregor. lib.
33. Moral. 2. baptiſmi fontem, illuſtribus verbis comprehenſi, religio fideſq; ſeruatur? Pudet profectò,
pudet noſtrorum morum, ac corruptæ & contaminatæ vitæ, quæ ad iuſtiſſimi ſacramenti
obligationem collota, perfidiæ ac ſacrilegij manifeſto teneatur. Neque verò conſilium eſt,
ſanctiſſimos & integerrimos Chriſtianæ diſciplinæ milites hac nomine notare, neq. vllam
eorum hoc pacto offenſionem excipere, quos hæc perditiſſima tempora pariter nobiſcum
luctu proſequi intelleximus. nam communis hæc piorum & bonorum omnium querela eſt.
ſed ad propoſitum redeamus. Igitur vel nullam, vel leuiſſimam diuinorum iudiciorum in
omnium ferè hominum animis verſari cogitationem, ipſa eorum ſtudia, cogitationeſq; ar-
guunt. Hanc verò maximam negligentiam ex eo natam eſſe arbitramur, quòd non vt mi-
ſericordiæ, ſic diuinæ etiam iuſtitiæ aſſidua publicè ac priuatè exempla edi ſpectariq; ſo-
leant. namque ille communis omnium hoſtis antiquus ſerpens aſtutiſſimus, diuinarum re-
rum rationes, abductis à recta ſacrarum ſcripturarum cognitione, atque à ſapienti re-
rum temporumq; obſeruatione hominibus, perperam ſemper interpretatus, iudiciorum tar-
ditatem & dilationem negligentiæ nomine definire; ſi quid verò interim repetita pœna ali-
cubi obſeruatum fuerit, caſibus id, vel incertis cælorum & ſiderum curſibus, non autem di-
uinæ prouidentiæ, aſcribere conſueuit. Quamobrem huiuſmodi prauitatis erroribus im-
butæ mentes incredibili ad omne facinus audacia armantur, & accumulatis ſceleribus
maio-

maiorem in dies culpam ſuſtinentes, in grauiorem ſemper Dei offenſionẽ incurrunt, pluſq; ſibi indies pœnarum comparant, ſicut ſcriptum eſt: An diuitias benignitatis Dei & longanimitatis contemnis? Ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecundum duritiam tuam & impœnitens cor tuum theſaurizas tibi iram in diem iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei: qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Itaque iudicij vel priuatè, vel publicè exercendi cunctatio, & tarditas Dei circa humanas res negligentiæ, vel ſcelerum contemptioni, vel ignorationi à ſtultiſſimis hominibus aſſcribitur: cùm tamen ex ipſa rerum ratione, & præteritorum temporum prudenti obſeruatione, clementiæ potius, miſericordiæq;, & benignæ Dei erga hominum ſalutem voluntati, aſſcribi oportere, ſanctiſſimi Apoſtoli confirmauerint. Longanimitatem Dei ſalutem arbitramini, ſicut chariſſimus noſter Paulus ſecundum datam ſibi à Deo ſapientiam in ſuis ſcribit epiſtolis, inquit Petrus. Verum enimuero vt hunc ex hominum mentibus errorem penitus tolleret Deus, non modò re ipſa, & grauiſsimis iudiciis edendis, ac repetitis ſeuerè pœnis, publica & priuata ſcelera ſæpe vltus eſt: ſed illud etiam curauit, vt hæc ratio à ſanctiſsimis & grauiſsimis vatibus, ac diuinarum rerum ſapientiſsimis magiſtris, & futura prædiceretur, & indicaretur præterita; neque quis videlicet ſumpta de aliis ſupplicia ad ſe nihil pertinere arbitratus, in pœnitentiæ ſtudium ſeſe tradere, ac ſalutem ſibi legitimis rationibus petere negligeret. Inter alios verò ſanctiſsimos vates vnus etiã Sophonias eſt, cui diuinæ iuſtitiæ & ſeueritatis prædicandæ munus eſt delatũ. Cuius grauiſſima oratione illud apertè docemur, nullum contumacium hominum flagitium, nullũ ſcelus aut vitium eſſe, quod (niſi legitimæ pœnitentiæ rationibus opportunè curatum expiatumq; fuerit) ſeuerisſimi tandem iudicij pœnas effugiat. Id quod multorum hominum, populorum & regnorum, quibus publici ac priuati ſcelerũ pœnæ futuris tẽporibus dandæ erant, certiſsimis exẽplis confirmatur: ex quibus cæteras etiam nationes, atque poſteritatem omnem erudiri, & ſui de ea re conſilij, quod conſtantiſsimũ ſemper eſt, doceri Deus voluit. Illius enim reſponſis oſtenſum eſt, nullius eorum, qui diuinum ius faſq; violauerint, nomen de tabulis eximendum eſſe, quo minus vnuſquiſque eam, qua ſeſe alligauerit, culpam (niſi veniam præſcriptis rationibus & modis impetret) vel in ſe vnum priuatè, vel in ſuos etiam publicè, in hac vita, vel communiter in omnes tandem homines ſtatuto puri iudicij die ſeueriſsimo ſupplicio luat. Cuius grauiſsimæ orationis explicandæ argumẽtum, inuocato prius in noſtra vota Deo, componemus.

Rom. 2.

VOTVM.

Ætherei quem ſede poli ſanctiſsima cunctis
Dicere iura viris credimus & populis:
Et quem facta latent mortalia nulla, nec auſus,
Humanum quicquid concipit ingenium:
Da facilis tua iudicij myſteria magni
Quà fas eſt, populis explicuiſſe piis:
Si quæcunque ſacri dicunt oracula vates,
Ad noſtros quoque vis pertinuiſſe dies.

ARGVMENTVM VATICINII.

PRÆVISAM ſibi Hieroſolymæ vrbis priorem illam exciſionem, & ad omnes etiam tam probos, quàm improbos Iudæos, vel cæde, vel captiuitate pertinentem calamitatem Sophonias cumprimis prædicit. quamobrē ætatis ſuæ pios omnes ad placandum Deum exhortatur. deinde poſt Iudaicam cladem, Palæſtinorum, Moabitarum atque Ammonitarum res ex diuino conſilio, Nabuchodonoſoris ictu graui, ad caſum ſceleribus illorum dignum dandas eſſe docet. Horum autem perpetuam fore ruinam oſtendit, adeò vt reſtitutis ex Babylonica captiuitate Iudæis, lætior ad habitandum relinquatur locus. cæteras etiam nationes, quæ vel iniuſto bello, vel graui tyrannide alios, ac præſertim Iſraëlitas plus æquo vexauerint, vt Aſſyrios & Aethiopes, pœnas quoque daturas aſſirmat. deinde verò reſtitutorum ex Babylone Iudæorum alteram cladem, & vrbis etiam exciſionem ſibi diuinitus oſtenſam ſignificat, ob legis diuinæ violationem, & repulſum à republica ciuitateq; ſua Chriſtum Dei Ieſum Nazarenum. Quos poſterioris calamitatis huius ærumnis & miſeriis tam diu premēdos eſſe ait, quoad conſtitutum diuino conſilio tempus aduentauerit, cùm impietatis omnibus toto orbe diſſipatis & penitus deſtructis reliquiis, diuinæ notitiæ lumen nationibus cunctis, Chriſtiani euangelij prædicatione porrigatur. Quo feliciſsimo tempore Iſraëlitæ etiam & Iudæi ſuum tandem maximum errorē agnoſcentes & confeſsi, in veniam, miſericordiam gratiamq; recipientur: qui quamuis tenuis & afflictus, variiſq; vexatus modis populus fuerit; tamen diuino dono in magnum vitæ & virtutis ſplendorem reddendi ſunt: atque omni tyrannidis, maximè autem ſpiritualis, immunitate & libertate accepta & confirmata, in vnam nobiſcum eccleſiam ex omni exilij ſui loco collecti, æternam quandam & piam, communemq; cum Chriſtianis omnibus tranquillitatem & pacem ſanctiſsimi ſpiritus beneficio ducent.

CAPVT PRIMVM.

VERBVM Domini quod factum eſt ad Sophoniam filium Cuſsi, filij Godoliæ, filij Amariæ, filij Ezechiæ, in diebus Ioſiæ filij Amon regis Iudæ.

TOTIVS operis inſcriptio eſt, qua fides dicendis rebus, diuini conſilij auctoritate, & Vatis ipſius orantis dignitate atque integritate affertur: iiſdem verò cognoſcendis & interpretandis, ex temporum notatione, regiſque appellatione, lux opportuna porrigitur. Quatuor autem patrum ſuorum ad atauum vſque Ezechiam clara illa ætate nomina, legationis ſuæ confirmandæ cauſa interponere, expreſſeque appellare Vates non dubitauit, quæ profectò (niſi fidem ſuam diuina auctoritate liberaturum ſeſe intelligeret) denigranda & contaminanda proferre veritus fuiſſet. Quanquam autem quatuor ſuis ætatibus illuſtres viros nominauerit, ex manifeſto tamen ſacrorum librorum teſtimonio, neque huius Vatis patria, neque certa generis & familiæ tribus, quænam fuerit, inter homines peritos conſtare video; id quod illo ſeculo conſtitiſſe, ipſa nominum illuſtrium profeſſio arguit. Præterea & apud Iudæos Vatem hunc cum maioribus ſuis claruiſſe ex eo coniicimus, quòd de Iuda & Ieruſalem vaticinatus fuerit, apud quos patrum ſuorum memoriam conſultò renouauit. Eius autem patres, Cuſsi, Godolias, Amarias & Ezechias an in Vatum numero ponendi ſint (quemadmodum antiqui Hebraici ſcriptores

Hebræor. traditio in peſictha Rabbathi Hieronym. in Sophoniā. Canihi Ioſeph. Hiſpa. Abraham Eſdræ.

de appellatis Vatum omnium parentibus in vniuerſum tradunt) nobis ſanè exploratum ſatis non eſt; illud certè eſt compertum, maxima illa ſuis ætatibus nomina, & poſterioribus etiam apud eam gentem, cui fidei cauſa interponebantur, fuiſſe. Illud verò obſcuriori coniectura iudicatum, opinione magis, quàm certa ſententia, quidam augurantur, Ezechiam Vatis huius atauum eundem & regem illum Iudæ illuſtrem fuiſſe; neque enim eam rem inſcriptio ipſa prætermiſiſſet, cùm Amoné, qui duobus tantum annis, iiſque infeliciter rerum potitus fuerit, regem appellet. Quòd ſi regis nomen ad Ioſiam tantum pium atque optimum principem quis referēdum putet, nihil eſt quòd Ezechiæ regis dignitatem commemorari prohibuiſſet, qui inter optimos principes, patriæque patres pientiſſimos nō mediocrem locum obtinet. Porrò Hebræi auctores, qui de Vatum omnium ætatibus ſcripſēre,

Tractatu de peſictha Rabbathi, & in lib. de annalibus mundi,

Sophoniam, Ieremiam & Oldam, eodem tempore floruiſſe tradunt; Ieremiam in publicis concionibus & foris, frequentique hominum conuentu vaticinia ſua peroraſſe; Sophoniam in Synagogis & literarum gymnaſiis; Oldam autem apud ætatis ciuitatiſque ſuę fœminas fuiſſe vaticinatam commemorant: à quibus tamen nihil de regio Vatis huius genere memoriæ proditum eſt, cùm ea res in Iſaiæ hiſtoria non ſit prætermiſſa, quem Amaſiæ ex fratre nepotem fuiſſe, ab iiſdem accepimus. Illa autem celeberrima publicæ rei, &

totius

totius religionis expiandæ à Ioſia rege ſuſcepta procuratio plurimum cum Vatis huius
conſilio atque exhortatione concordans, argumento non leui nobis eſt, vaticiniũ hoc pri-
mis eius regni annis fuiſſe editum. nam quo tempore Iudæi impietate, ſcelere & flagitiis
contaminatiſſimi fuerint, futuræ ſibi calamitatis, & grauiſſimæ animaduerſionis ſenten-
tiam, diuino oraculo pronuntiatam audiſſe, veriſimile & probabile eſt; ei autem calamito-
ſo malo, ne maturius etiam afferretur, boni principis cura & procurationibus fuiſſe inter-
ceſſum: cuius pientiſſimi regis de ea re cura & diligẽtia in Regum hiſtoriis copiosè narra-
tur. Hactenus operis inſcriptio & procemium eſt: nunc deinceps orationis propoſitio am-
plificationibus, atque expolitionibus à Vate tractata nobis etiam explicanda eſt.

Congregans congregabo omnia à facie terræ, dicit Dominus: congregans hominem & pecus, congregans volatilia cæli, & piſces maris: & ruinæ impiorum erunt: & diſperdam homines à facie terræ, dicit Dominus.

CLADEM omni Iudææ regioni diuinitus afferendam communi oratione propoſita
confirmat: quam ſubiuncta ſtatim partitione exponit. namque vniuerſalis propoſitionis
explicãdæ rationem ad ea tantum genera, quæ ſubiecta explicatione definita fuerint, non
ad naturam vniuerſam reuocari oportuerit. Quamobrem propoſitio: *Congregans congrega-
bo omnia.*] præter hominum, pecudum, auium, piſcium, omniumque terreſtrium definita
genera, nullum aliud hoc loco complectitur, non ſtirpes, non mineralia, non denique quic-
quid in partitionem ipſam productum non fuerit. Itaque vniuerſale hoc verbum, *Omnis*,
certis mediis, non ſummo rerum omnium genere eſt cernendum, ſicut neque terræ no-
men, quod non de omni terrarum orbe, ſed de Iudæa tantùm regione interpretari, nos ra-
tio ipſa, & conſequens oratio cogit: neque enim à facie vniuerſæ terræ, vt in diluuij ratio-
nibus, ſed *A facie terræ*,] dixit, vt certam regionem, hoc eſt, quam ipſe Vates incoleret, no-
tari facilis coniectura eſſet. Exciſionem autem ſiue cladem illam, omnibus terræ incolis
communiter afferendam, congregandi verbo explicuit, quod ad extremam & abſolutam
calamitatem ſignificandam aptiſſimè apud Hebræos transfertur. ex quo genere illa ſunt:
Ego congregor ad populum meum: & Congregabis animam tuam, & animas domus tuę. Gen. 59.
Latinus ſermo propinqua huic ſignificationi verba habet, conficere & corradere, ſed Iudic 17.
Hiſpana lingua proximum *Arrebañar*: eſt enim res, quas tollere quis paret, penitus conuelle-
re, & vndique in vnum locum raſtris ligonibuſque corraſas prorſus adimere. [*Congregans
hominem & pecus*, &c.] Quanquam hæc ſimpliciter exponi & poſſe & ſolere non ignore-
mus, vt deficientibus è terra hominibus cæteræ etiam animantes, quæ commodiùs viuen-
di cauſa hominum culturam ſequuntur, deficiant; tamen piſcium, quibus hoc non acci-
dit, natura appellata, & ipſa rerum ratio, & conſequens in oratione explicatio, omnia ad
homines per tranſlationem referenda eſſe docet. Illa igitur huius loci ſententia eſt, om-
nium ordinum, generum & conditionum homines, vel cæde, vel captiuitate, ab illa re-
gione tollendos eſſe. Eam verò ſententiam ſublimi verborum & orationis genere Vates
Dei partes dicendo agens expreſſit. Namque variarum animantium nominibus, plura ho-
minum vitæ genera notari, in libro De ſacro arcanoque ſermone docemus. Sunt autem
quidam homines ob ruſticiorem vitæ vſum & exercitationem, & ingenio, & cultu durio-
res, quos aptiſſima ſimilitudine hominem & pecus Vates dicit, Hebraicè, *Adam & Behema*. בהמה
Atque *Behema*, non omne animal dicitur, ſed quod ad hominum terræq. cultum idoneum
eſt. Quare omnem terræ populum Hebraicè appellatum, Latinè verò ruſticum homi-
num genus cumprimis excindendum eſſe ait. Deinde alterum genus principum & ſum-
morum virorum nominat, quos ob vitæ & gloriæ dignitatem, ob ſublimium rerum ſtu-
dium *Volatilia cæli* nominat. Tertium autem hominum genus exlex, atque ſceleſtum, iniu-
riæ, ſceleri, voluptatibuſque deditum cum piſcibus ſtupido, rapaci & impolitico prorſus
animantium genere aptiſſimè componitur, vt apud Habbakuq: Et facies homines velut Hab. 1.
piſces maris. Sed & huiuſmodi vitæ hominum genera piſcium nomine notari, ſubiun-
cta oratione Vates ipſe oſtendit: *Et ruinæ impiorum erunt*; ſiue, vt ex Hebraico clarius legi-
mus, *& offendicula cum impiis*,] hoc eſt: Perdam impios cum ſtudiis, conatibus, & nocendi
artibus ac dolis, quibus ad aliorum perniciem vti ſolent. Quartum porrò genus, in homi-
num ſocietate, vitæque communitate, eorum eſt, qui variis, cum humilibus tum ingenuis
artibus ſeſe exercentes vitam degunt; hos etiam, quibuſcunque nominibus fuerint,
corradendos abducendoſque è terra eſſe ait. [*Et diſperdam homines à facie terræ.*] Homi-
nes, inquit, reptilibus perſimiles, qui vario manuum ſuarum labore, induſtria & co-
natu, vitam per terram trahunt magis, quàm agant, omnes in vniuerſum congregabo.
Quę verò tranſlationibus hactenus hominum genera notata ſunt, eadem ſubiunctis expo-
litionibus apertè explicantur. in primis autem quam terram ſignificauerit, exponit: dein-

de etiam, quinam homines pecus, qui volatilia, & quæ ruinæ ſiue offendicula piſcium, hoc eſt, impiorum dicantur, exponit.

Et extendam manum meam ſuper Iudam, & ſuper omnes habitatores Ieruſalem: & diſperdam de loco reliquias Baal, & nomina adituorum cum ſacerdotibus: & eos qui adorant ſuper tecta militiam cæli, & adorant, & iurant in Domino, & iurant in Melchom.

TERRAM quam omni incolentium genere expoliandam ſibi eſſe dixerat, Iudam eſſe ait. Extendere manum, vltionem magna diligentia & ſeueritate ſtudioque paratam ſigni-
» ficat: vt illud, Ideò iratus eſt furor Domini, ſuper populum ſuum: & extendit manũ ſuam
» ſuper eum, & percuſſit eum. Habitatores verò Ieruſalem, & filij Iudæ, cùm ciuitas illa omnium vitæ generum hominibus conſtaret, homines, pecus, volatilia, & piſces, quos commemorauerat, ſunt. At verò ruinæ impiorum, & offendicula cum impiis, illa fuerunt. [*Et diſperdam de loco hoc reliquias Baal.*] Reliquias Baal, omnem, qui poſt decem tribuum abductionem apud Iudæos conſeruatus eſt, ſuperſtitioſum cultum interpretamur. namque ſuperſtitio & idololatria, vanorumque numinum conſecratio, apud decem tribus cœpta, procurata & aucta, ad Iudæos, vt ſæpe aliàs docuimus, deuecta eſt: apud quos, ad Babylonicam vſque tranſmigrationem, ignominioſa hæc labes, neque diuturnitate euaneſcere, neq. bo-
Hoſ. 2. norum principum diligentia prorſus elui potuit, quoad abductis omnino hominibus deleta eſt. De nomine *Baal* ſatis apud Hoſſeam diſſeruimus. Vlterius autem ruinæ impiorum exponuntur. [*Et nomina adituorum cum ſacerdotibus.*] Falſorum numinum, ſuperſtitioſarumq. ſectarum miniſtros, quorum innumerabilem copiam illa tempora, ventris & otij atq. iner-
Heliæ Methurghaman. tiæ cauſa, genuerunt, æditua noſtra verſio nominat, Græca verò *ἱερέας*: quos non tam ſacerdotes, quàm augures Plutarchus interpretatur. Hebraicus verò ſermo, & Chaldaica etiã expoſitio *Chemarim* vocat: quo nomine Chaldæus interpres vanorum Deorum ſacrificulos perpetuò vertit. Significat autem verbum atros & cõuolutos, ſiue quòd atris veſtibus vterentur, ſiue (quod magis placet) in certa collegia familiaſque diſtincti eſſent, ſuaſque ſingulæ ſectæ domos haberent; in quibus concluſi habitarent: quales Idææ Matris famulos, atq. Iſidis & Anubis ſacerdotes, qualiaque augurum collegia in gentium libris legimus. Horum autem nomina appellationeſque varias, atque ſectarum collegiorumque diſtinctiones penitus extinctum iri Deus ait: non ſolùm autem hos; ſed omnes in vniuerſum pios & impios, omnes etiam ſuperſtitioſos, & quicunque vanos deos publicè priuatéue coluerint, ex illa vrbe regioneque tollendos eſſe ait, quoniam eam cladem & calamitatem communem omnibus Deus eſſe voluerat, quicunque impietatis ac ſceleris, publicæque iniuriæ conſuetudine contaminatæ regionis incolæ eſſent, quoniam illa labes ac macula, vel ſocietate & communione, vel diſſimulationis, vel tolerantiæ & negligentiæ nomine ad omnes pertineret. oportebat enim eos, qui diuinarum rerum ſtudio arderent, à contaminata, & tot vaticiniis fruſtra ad officium reuocata ciuitate migraſſe. Quoſcunq. igitur illa clades omnium
4. Reg. 23. ordinum & generum homines offenderet, ex diuini decreti ſententia oppreſſura fuerat,
» ſicut ſcriptum eſt: Veruntamen non eſt auerſus Dominus ab ira furoris ſui magni, quo ira-
» tus eſt furor eius ſupra Iudam, propter irritationes, quibus prouocauerat eum Manaſſes.
» Quamobrem vt eam calamitatem communem omnibus ſine vlla exceptione fore oſtenderet, ipſa, quæ cultum & religionem ſpectant, genera omnia complexus eſt; nam religio & ſuperſtitio in ſacerdotibus primùm, deinde in populis cernitur. Sacerdotes autem vel vanis diis ſacrificant: & hi dicuntur ærditui, ſiue CHOMARIM; vel veræ religionis atque vnius Dei ſacras ceremonias, puramque religionem ſuſceptam tuentur: atque hi Hebraicè COHANIM, Latinè miniſtri & ſacerdotes nominantur. Vtrorumque officium & pàrtes ſunt ſacra ceremoniaſque curare, & populum religionis, ſiue illa vera ſit, ſiue falſa quam profiteantur, rationes, & pietatis cultum docere. Populi verò officium cultu diuino & adoratione, quæ latria à Theologis dicitur, exhibenda, atque vita etiam ad eam, quam edocti fuerint, pietatis rationem & normam dirigenda ſpectatur. hæc autem ratio vel ex cultu, vel ex iuriſiurandi formulis manifeſtè deprehenditur. nam quod vnuſquiſque religioſè colit
Hebr. 6. & veneratur, id in rationum ſuarum firmanda fide iurat, ſicut ſcriptum eſt: Homines per maiorem ſe iurant. Triplex autem in populo illo ratio ſpectatur. nam pars quædam ſuperſtitioni dedita, ſidera & ſolem atque lunam, quibus mortalis vitæ poteſtatem maximam deluſa antiquitas tribuebat, publicè colebat: pars autem Deum verum venerabatur. rurſus alij qui nulla religione obſtricti eſſent, neque Deum verum, neque cælum ſanctitate & pietate placandum ſibi eſſe crederent, officium ac diligentem cultum omnem regi ſuo, à quo vno dignitatis fortunarumque ſuarum commoda accipi & augeri poſſe ſperarent, tribuebant. Omnia verò ſtudiorum genera hæc, vel cultu, vel iuriſiurandi formulis facilè de-

prehendere & agnoſcere eſt:quæ omnia Vates noſter certis notis oſtendit: nam poſtquam vtriuſque partis,hoc eſt,ſuperſtitionis ſacrificulos, & veræ religionis miniſtros; hos proprio vocabulo ſacerdotes;illos æditḡos appellauit, populum partim in ſuperſtitioſos, partim in veros Dei cultores,partim verò in impios atque atheos,nihil præter terrena aut ſapientes,aut ſperantes,diuiſit:ac primos quidem, *Qui adorant ſuper tecta militiam cæli,*] hoc eſt, qui ſuperſtitionem,qua imbuti ſunt,non obſcurè profitentur, ſed palàm, aperto cælo, noctu,atque interdiu,aſtrorum, quibus numen eſſe credunt, cultui adorationiq́ue ſupplices vacant.Supra tecta aliquid fieri,Hebraica dicendi formula, publicam & manifeſtam rem arguit:vt,Super tecta eius,& in plateis eius omnis vlulans.& illud: Quod audiſtis in cubiculo,prædicate ſuper tecta.eſt enim is locus editiſſimus,& omniū non ſolùm qui propius, ſed qui longius etiam ſunt,conſpectui expoſitus.Id verò commodè fieri potuiſſe,vt in tectis & ſupplicari,& prædicari poſſet,ex antiqua ædificiorum illius regionis ratione perſpicuum eſt:de qua nos aliàs proprio inſtituto ſermone,modò Deus votis annuat,diſſeremus. ſecundum verò hominum religionis veræ ſanctitatem colentium genus, ſic Vates deſcripſit: *Et qui adorant, & iurant in Domino.*] tertium porro ſic: *Et iurantes in Melchom.*] Nomen Hebraicum cum pronomine coniunctò eſt MALCHAM,regem ſuum,ſiue regem eorum ſignificans.ita,qui nullum neque vanum,neque verum Deum colendum ſibi propoſuerant, & ineundæ regionis gratiæ & aſſentationis cauſa per regis caput,Græco more,iurabant, & viuit rex,viuit anima tua ô rex.cuiuſmodi frequens iuſiurandum in ſacris paſſim obſeruare eſt. Itaque omnia hæc tum ſacerdotum, tum populi ipſius hominum genera diſtincta interpretari oportere arbitramur,non,vt quibuſdā fortaſſe videatur, cōfuſè & permixtim. [*Qui adorant, & qui iurant,&c.* Ex Hebraico,Chaldaico,Græcoq́ue ſermone *Adorantes,iurantes, &c.* exponimus:namque in participio maior orationis,& rerum diſtinctio eſt, Omnibus verò his tribus hominum generibus,& qui plures,& qui vnum,& qui nullum Deum colerent,communem calamitatem fore confirmat:quibus & demum quartum adiecit,eorum, qui pietatem,quam ſanctè coluerant,falſa tandem opinione abducti deſeruiſſent,quòd humanas res à Deo negligi,& temporum caſibus,vel ſiderū curſibus permitti putarent. Quibus ex erroribus duæ hominum ſectæ proficiſci ſolent:altera eorum qui à religione deducuntur:altera verò atheorum, apud quos nulla vnquam Dei religio ſuſcipitur. Vtramque autem ſectam duobus carminis vnius hemiſtichiis complexus eſt:

Iſai.15.
"
Matth.7.
"

Et qui auerterunt de poſt tergum Domini, & qui non quæſierunt Dominum, nec inueſtigauerunt eum.

ILLI quæſitum & inuentum prodidêre:hi verò omnino nunquam quæſiêre, neque in animum induxêre,vt,an ſit Deus, an humana curet, ſtudioſè ac diligenter inueſtigarent. Vtramque tamen ſectam eodem genere comprehenſam,non verbis, non oratione, ſed re ipſa & ſuo magno malo tantæ impietatis redarguendam conuincendamq́ue propediem eſſe Vates affirmat: ita vt comparato cum vaticiniis & prædictionibus euentu, humanas res curæ Deo eſſe,ſuo grauiſſimo periculo intelligant,quum ſe impietatis & ſceleris pœnas, ab hoſtibus,quibus victoria promiſſa fuerit, repetitas, dare ſenſerint. Igitur tantam, tam impiam ac nefariam opinionem nulla oratione, vel diſputatione, ſed re ipſa & periculo tolli oportere Vates ait:

Silete à facie Domini Dei: quia iuxta eſt dies Domini, quia præparauit Dominus hoſtiam, ſanctificauit vocatos ſuos.

Silete à facie Domini,] Aptiſſima figura futuræ vltionis exſpectationem ad diuinam prouidentiam probandam ſuadet: nec verbis opus eſſe ait,ſed rebus & factis. itaque à verbis ad facta probationem omnem Vates prouocat. Latinus ſermo hanc orationis & ſententiæ figuram ſic reddit: *Sed quid verbis opus eſt?* Hiſpanus verò: *Callad dexad hazer à dios.* Appellat autem Dominum Deum, quia commodus locus appellationi dominationis & poteſtatis eſt, vbi de prouidentia agitur. Ea autem cauſa, quemadmodum grauiſſimo exemplo probāda Deo ſit,ſtatim exponit: *Quia iuxta eſt dies Domini.*] Quanquam alias miſericordiæ,quàm iuſtitiæ rationibus probandis prouidentiam ſuam frequentius teſtari Deus conſueuerit:tamen vbi cauſa ipſa poſtulat,animaduerſionis publicæ ac priuatæ tempus idoneum conſtituit,quo ſe hominum ſcelera minimè probare oſtendat.Id autem tandem adueniens imparatos nec opinantes impios ſæpe opprimit,& maturius, quàm creditum fuerat, appropinquat,ſicut ſcriptum eſt: Non tardat Deus promiſſionem ſuam, ſed patienter agit, nolés aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. hoc eſt quod Vates noſter ait: prope, imò proximè adeſt,cùm ſua prouidentia, non ſine magno impiorum & apoſtatarū malo, probanda Deo maxima cum dignitate eſt.namque is ad certam diem,eamq́ue proximam,

1.Pet.2.
"
"

mactandas victimas parauit: quam diem celebrem, atque frequenti conuocatorum ad eam
rem turba illuſtrem, perpetuoque memorabilem eſſe vult: qui tanquam eius victimæ mi-
niſtri & pœnas de impiis & ſceleratis ſumptas teſtari poſſint. Igitur ille hoſtium conuen-
tus conuiuij cuiuſdam ſpeciem præbuit, quo cõſtituta ad prouidentiam ſuam aſſerendum
die, Nabuchodonoſor eiusque exercitus excepti à Deo ſunt. Huiuſmodi autem celebrita-
tem commodiſſima epularis victimæ mactandæ tranſlatione breuiter Vates ſignificauit:
[*Præparauit Dominus hoſtiam,*] Qui noluit hactenus temporales pœnas de quibuſdam ex im-
piis iſtis priuatè ſumere; ſed ad certam diem omnes ſeruatos, ſolenne quoddam ſpectacu-
lum editurus, innumeræ hoſtium multitudini, qui & miniſtri, & ſpectatores, & teſtes eſ-
ſent, trucidandos, ſpoliandos, abducendosque obiicere. Quam rem tam diu diſtulit, quoad
ij, quibus expedienda erat, ſuas copias cæteraque ad eam rem neceſſaria, atque opportuna
inſtruerent & pararent. Hoc eſt quod ſubiungit: [*Sanctificauit vocatos ſuos.*] Vocare & ſan-
ctificare, verba in conuiuiis, ludis, conuentibusque publicis, atque in copiis cogendis, exer-
Ioel. 3. citibusque conducendis, frequenter vſurpata ſunt: vt, Sanctificate ieiunium, conuocate
Iſai. 13. cœtum. &: Ego mandaui ſanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea. Ad hunc
itaque modum Nabuchodonoſorem eiusque exercitum, vocatos ſuos dicit Deus, quos à
Ierem. 1. ſe ad Iudaicam cladem certa die afferendam deſtinatos eſſe ait. Eſt autem ſanctificare hoc
loco, deſtinare, præparare, adornare ad munus aliquod obeundum: vt, Priuſquam exires
ab vtero, ſanctificaui te. Verùm enimuerò calamitatem illam ita exponit, vt iis in primis
afferendam denuntiet, qui publicæ fraudis & iniuriarum maximè ſeſe alligauerint: cuiuſ-
modi ſunt reges, principes, horumque familiares & miniſtri; quos facilè in bello ipſo ho-
ſtibus cognoſcere fuerit; vtpote peregrino & diuerſo à cætera turba veſtitu cultuque no-
tabiles. Hos igitur maximè ferro trucidandos, cęteros verò capiendos magis, abducendoſ-
que fore oſtendit.

*Et erit in die hoſtiæ Domini, viſitabo ſuper principes, & ſuper filios regis, & ſuper omnes qui induti ſunt
veſte peregrina.*

OB INIVRIÆ publicæ, ſiue HHAMAZZ culpam publicè populos puniri, atque vl-
tionem maturari ſolere, iam ſæpius alij vates nobis demonſtrauêre: quod ipſum & hic Va-
tes noſter confirmat. grauiorem autem vltionis animaduerſionem in eos futuram, qui in-
iuriæ faciendæ auctores magni, miniſtrique fuerunt: cuius notæ principes in primis, & de-
inde regum ac principum familiares erant, qui cùm pauperiorum laboribus, ſudoribus, &
fortunis, per fraudem, iniuriam & ſcelus fruerentur, certius & grauius ſibi in communi ca-
lamitate malum commerita noxia pepererunt. Diem verò illam, qua tot publica ſcelera
vlciſci decreuerat Deus, diem hoſtiæ, ſiue victimæ Domini Vates appellat. Omnem autem
regiam familiam in tria genera partitus eſt; in principes, filios regis, & cæteros aulæ & curię
familiares, ac variis muneribus præfectos miniſtros, quos, vt breuiter comprehenderet,
veſtium, quibus à reliquo populo diſcernantur, notatione ſignificauit. namque aulicos
maiori veſtium apparatu & ſplendore vti, manifeſtum eſt. deinde in regiis familiis, quæ
ſpectabili ordinum, officiorum ac munerum varietate diſtinctæ & conſtitutæ ſunt, ſolenne
illud ſeruari ſolet, vt ſingula officia ſuis veſtium generibus, vario modo forma materiaque
confectis, inſignita ſint, idque tum in pace, tum in bello etiam obſeruaretur. Quemadmo-
dum in Iudæorum regum domibus à Salomone inſtitutum, ac magna cum admiratione
3. Reg. 10. ab hoſpitibus viſum ſpectatumque fuiſſe legimus: Videns autem regina Saba omnem ſa-
pientiam Salomonis, & domum, quam ædificauerat, & cibos mẽſæ eius, & habitacula ſer-
uorum & ordines miniſtrantium, veſtesque eorum, &c. non habebat vltrà ſpiritum. Hos
autem veſte peregrina indutos conſultò Vates dixit, quod alieno à cætera turba genere ve-
ſtium, atque ex aliis nationibus etiam imitato plerumque vti conſpiciamus, atque liben-
tius aliena & peregrina officiorum quàm proprij ſermonis nomina vſurpare. Vt *Bercan,
galdres ferreruelo li gagamba, ſumiller, contralor*, &c. De quibus alio in loco quæ ad ſacrorum libro-
rum explicationem faciant, plura nos, Deo propitio, dicturi obſeruauimus. Igitur princi-
pum familiares, & publicæ iniuriæ miniſtros ac reos huiuſmodi omnes, vel veſtiũ ipſarum
notatione facilè hoſtibus ad cædem prodendos eſſe ſignificauit. [*Viſitabo ſuper.*] animaduer-
tere in aliquem Latinè hoc dicitur. [*Super principes & filios regis.*] Quàm verè hoc præſtitum
Ierem. 52. fuerit, Ieremias docuit: Et iugulauit rex Babylonis filios Sedechiæ in oculis eius, ſed &
omnes principes Iuda occidit in Reblatha. Omnes autem miniſtros & familiares regios
illa die puniendos eſſe oſtendit, in quibus ſuam etiam pœnam iis conſtituit, qui ob compa-
randæ & faciendæ omnibus modis regiæ pecuniæ munus & curam plurimum gratia & fa-
miliaritate apud dominos ſuos valerent, ad quos facilem ſemper ac liberum acceſſum ha-
bebant

bebant; vtpote qui dominorum rebus, commodis & dignitati atque amplitudini tum conſilio, tum opera inſeruire dicerentur.

Et viſitabo ſuper omnem qui arroganter ingreditur ſuper limen in die illa, qui complent domum Domini ſui iniquitate & dolo.

ET *viſitabo in die illa ſuper, &c.*] Hoc modo carminis huius ſententiæ coniunguntur: id autem quod dicitur, arroganter ingredi ſuper limen, domeſticam conſuetudinē & magnam familiaritatem ſignificat eorum, qui gratiæ aut vtilitatis nominibus facillimos ad principes aditus, neque vllis, aut cuſtodibus, aut ianuis, aut ianitoribus, aut cubiculariis intercluſos, vt cætera turba, habent; neque ipſo etiam limine, quo minus in ædes, in conclaue ſeſe citò proripiant, retardantur; ſed celerrimè tranſmiſſi in locum penetrant: nimirum qui domum ipſam domini ſui iniuria, rapina, & fraude partis rebus complent. hæc huius carminis explicatio eſt: quam commentis aliàs multis ſatis difficilem interpretes reddidêre. [*Arroganter ingrediuntur limen,* Hebraicè eſt, *tranſiliunt limen.*] Magnam fiduciam nullo impetu retardatam oratio ſignificat, vt illa: Et in nomine tuo tranſgrediar murum. idem namque verbum vtrobique eſt. Ad familiaritatis rationem ædes, veſtibulum, limen, tectumque diuidebantur. Clientes autem ad veſtibulum admiſſi dominum quoad prodeat, exſpectant, familiariſſimi tranſiliunt limen, tectumque nemine prohibente ſubeunt. itaque magnam familiaritatem & frequentationem oratio hæc ſignificauit. hæc igitur principum & ſummorum virorum, quos volatilium nomine ſignificatos diximus, calamitas & clades, cui & illa ſubiungitur, cæteris hominibus, quos piſces appellauerat Vates, afferenda.

Pſalm. " Cicero in orationibus.

Et erit in die illa, dicit Dominus, vox clamoris à porta piſcium, & vlulatus à Secunda, & contritio magna à collibus.

COMMVNEM totius populi calamitatem & miſeriam ex communi dolore & luctu, confuſoque per vrbem clamore futuram arguit. portam in vrbe Ieruſalem piſcium cognomento fuiſſe ex Nehemię hiſtoria accepimus, Et ad portam piſcium, & turrim Hananaël. apud hanc portam forum piſcium fuiſſe ſcriptores opinantur. *Secundam* verò hoc loco appellatam Hebraicè MISNE, etiam ex Regū libris vrbis celebrem locum fuiſſe cognouimus, in qua Olda prophetis à regiis miniſtris eſt conſulta: Et ipſa, inquit, habitabat in Ieruſalem in Secunda. quem locum Chaldæus interpres Scholam, ſiue Doctrinæ domum exponit. Porrò vrbem illam in collibus vario nomine diſtinctis poſitam, pſalmus ille deſcribit: Fundamenta eius in montibus ſanctis, &c. ex quibus vnus collis Gareb à Ieremia eſt notatus. Omnem autem in vniuerſum vrbem Ieroſolymam, cui miſerrima hæc tempora indicerentur, his nominibus à Vate comprehenſam, fidem nobis facit Ioſephi Hiſpani vrbis deſcriptio, quam auctor ille in Regum Commentariis fecit. ait enim triplici muro, & vrbem, & ordinum omnium regiones fuiſſe diſtinctas. Intra primum murum plebem omnem, & variarum artium officinas tabernaſque fuiſſe dicit. intra ſecundum verò nobilitatem, magiſtratus, & liberalium diſciplinarum ſtudioſos, & doctores ac profeſſores, apud quos & Olda prophetis habitabat. intra tertium verò mons domus Domini erat. Has autem omnes vrbis partes Vates noſter hoc loco ſignificaſſe videtur. namque à porta piſcium, piſcatorum, venatorum, & cæterorum qui victum ſimilibus artibus quærunt, regio erat. in ſecunda nobilitas. in tertio autem, hoc eſt, in monte domus Domini: *Contritio magna in collibus.*] Quandoquidem in illa vrbis parte templo diruto atque incenſo, contritio ac ruina magna præcipuè edita eſt. atque hæc vrbis ſors diuino iudicio coniecta fuit. Populo verò ipſi plena atque abſoluta exciſio, partim cæde, partim abductione parabatur.

Nehem. 12. " 2. Reg. 22. " Ierem. 31. " Ioſephus Hiſpanus in 2. Reg cap. 22.

Vlulate habitatores Pilæ: conticuit omnis populus Chanaan, diſperierunt omnes inuoluti argento.

LOCVM in vrbe Ieruſalem fuiſſe Pilam, ſiue Mortarium dictum communis interpretum omnium ſententia eſt. Sed Chaldæus paraphraſtes *Vallem Kedron* reddidit, cui mortarij nomen, vel ob ſitus profunditatem, vel ob frequentem mortariorum & pilarum ſonitum & ſtrepitum inditum videtur, quòd condimentorum forum ibidem fortaſſe fuerit. Huius autem loci habitatoribus excidium populi totius deplorandum denuntiat; vtpote magno eorum, quibus cum viuebant, victumque ſibiipſis parabant, deſiderio propediem afficiendis: namque piſtores, cetarij, lanij, coqui, fartores, piſcatores, & hoc genus omne in frequentiſſimo populo commodiſſimè viuunt, egeſtate aliàs maxima afficiendi, ſi deſint, quibus ipſi cibos parent & conficiant, cùm nulla alia arte valeant. Ciuitates autem maximæ & opulentæ, quatenus ad huiuſmodi hominum quæſtum ſpectat, in duo genera diui-

duntur;in pauperiorum turbam & diuitum:cum vtriſque autem hoc hominum genus illiberales ſuos & ſordidos quæſtus facit,cui pauperiorum turba non minus, quàm ditiorum facultas vtilis eſſe ſolet.apud alios enim ciborum vilitas,frequentia;apud alios raritas,pretij magnitudine compenſatur. Hoc igitur hominum genus cùm ſolicitum mœſtumque eſſe, ac luctui indulgere iubeat, magnam vtriuſque ciuitatis partis vaſtitatem futuram eſſe docet. Duas autem illas partes,quas plebeios ſiue pauperiorum turbam,& diuites diximus, duplici circuitione populi Chanaan, & inuolutorum argento Vates ſignificauit. atque vulgus ipſum duabus de cauſis populum Chanaan dictum arbitramur: quod Chanaan nomen,præter eius gentis,quæ à Ioſue pulſa ex illa regione olim fuerat,notationem, negotiatores etiam & emptores, venditoreſque ſignificat: vt illud, (Hoſſ. 12.) Chanaan in manu eius ſtatera doloſa,&c. Ex vtraque autem ſignificatione Iudææ regionis plebem & turbam,ex variis negotiis & artibus lucrum facientem, populum Chanaan appellauit: quem non ſecus, atque Chananæi olim ex eadem regione pulſi, vacuum & vaſtum locum relicturum eſſe affirmat. neque verò ditiſſimorum hominum ſortem minus afflictam fore ait: *Diſperierunt omnes inuoluti argento.*] Qui pecuniis adeò abundabant, vt argento onuſti eſſe dicerentur. Hebraicè, *Onuſti argento* legimus. Verbum autem conticere, idem quod deficere ſignificat. ſurda enim & muta habitatio redditur, vnde habitatores pulſi ac penitus ſublati ſunt: vt, Conticuit (Ierem. 47.) Aſcalon & reliquiæ vallis earum. Quanta autem calamitate, quanto dolore ac labore populus ipſe & diuites conficiendi eſſent, ex aliorum, quibus illi ad quæſtum vtiles fuerant, dolore ac mœſtitia arguit. (Ierem. 25.) Vlulatus enim præter dolorem & gemitum, ſolicitudinem etiam curamque ſui maximam, & vtilis rei deſiderium arguit: vt, (Iſai. 23.) Vlulate naues maris. Vlulate paſtores & clamate, quia defecit, &c. Huic rationi perſimilis illa apud Satyricum eſt:

Ambubaiarum collegia, pharmacopolæ,
Mendici, mimi, balatrones, hoc genus omne
Mœſtum ac ſolicitum eſt cantoris morte Tigelli:
Quippe benignus erat, &c.

(Horat. ſermon. lib. 1. Satyr. 2.)

Hunc locum Chaldæus interpres ita vertit: *Periit omnis populus cuius opera Chananæorum populi operibus ſimilia fuere, ſublati ſunt opulenti pecuniis.*] Quos, vt idem hic Vates ait, argentum eorum liberare non poterit.

Et erit in tempore illo: & ſcrutabor Ieruſalem in lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in fecibus ſuis, qui dicunt in cordibus ſuis, Non faciet benè Dominus, & non faciet malè.

PROVIDENTIAM ſuam, & negatam ab impiis humanarum rerum curam non modò publicis, ſed priuatis etiam exemplis in ipſos impietatis tacitos etiam reos edendis probaturum ſe eſſe Deus profitetur. neque enim eos ſolùm, qui manifeſte prouidentiam impugnant, ſed etiam eos qui oratione pietatem profitentur, cogitatione autem occulta apud ſe ipſos, deinde etiam vitæ inſtituto & ſtudiis negant, calamitatem accepturos eſſe ait: ita vt iidem ipſi qui prudentia quadam mundana, aſtutiaque religionis cuiuſdam ſimulatione cæteros homines fallebant, vbi ſeſe impietatis & ſceleris pœna affici ſenſerint, diuinam prouidentiam, & iuſtiſſimum iudicium ſuo magno malo agnoſcere & confiteri cogantur. Huiuſmodi verò exactum publicè & priuatè exercendum iudicium, atque diligentè etiam occultæ impietatis inquiſitionem certiſſimè futuram, aptiſſimo argumento à deſtinatis dicto, Deus docuit. [*Et erit in tempore illo.*] Tempus hoc loco certam & maturam agendæ rei opportunitatem ſignificat. namque Hebraicum nomen GHET, eandem ferè cum Græco καιρὸς, quod tempeſtiuam opportunitatem ſignificat, definitionem habet: vt illud, (Pſalm. 1.) Quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Ex his autem aliiſque quamplurimis ſacrorum librorum locis certas quaſdam ad diuina iudicia edenda opportunitates, certos cognitionis ſtudioſiſſimè oſtendendæ & probandæ dies eſſe docemur. neque enim Deus, qui miſericordiæ ſuæ rationes ab æterno, & in æternum timentibus ſe probat, iram indignationemque ſuam in impios & ſceleratos ita frequenter oſtendit. eſt quidem ille iuſtus iudex, fortis & patiens; (Pſalm.) ſed non iraſcitur per ſingulos dies. niſi verò conuerſi fuerint impij, gladium ſuum vibrauit, &c. Itaque opportunam quandam iudiciorum Ieroſolymitanis, & omnibus Iudææ regionis, cùm manifeſtæ, tum occultæ impietatis reis conſtitutam diem ſibi Deus confirmat. diligentiſſimam autem & exactiſſimam reorum omnium impietatis, occultorum etiam criminum inquiſitionem, lucernæ ſibi ad eam rem adhibendæ imagine, expreſſit. nam qui domos inquirendæ cuiuſpiam rei cauſa ſcrutari parant, accenſam lucernam adhibere ſolent, quam ad omnia loca, ad omnes angulos, quò ſolis lumen penetrare non poſſit, perferunt; ſic accenſa lucerna amiſſam drachmam quærere mulieres in euangelio

dicun-

dicuntur. Sic illius etiam elegantiſſimi prouerbij ſententia commodè aperitur : Lucerna Prouer. 20.
Domini ſpiraculum hominis,qui inueſtigat omnia ſecreta ventris.Sic igitur nullum in Ie- c
roſolyma impietatis reum fore ait, qui Dei inquirentis iudicium & diligentiam effugere
valeat.In eos verò præcipuè animaduertendum eſſe air, qui ob perpetuum antea ſecunda-
rum rerum vſum, prouidentiam animo & cogitatione negantes, religione omni amo-
ta, tranquillam, & voluptatibus ac deliciis affluentem vitam agerent, nullo hactenus ad-
uerſo impetu agitati atque turbati, ſed vt vinum in dolio ſuper feces ſuas reſidens, purum,
perſpicuum atque integrum manet, quoad immiſſo in fundum ligno, aut impetu aliàs fa-
cto mixtum turbatumque redditur. [*Super viros defixos in fecibus ſuis.*] Diuitiarum, delicia-
rum & voluptatum perpetuum vſum, & tranquillam iſtorum hominum vitam hac ſimi-
litudine ſignificauit. ex qua illud docemur, ea quæ maximè vulgo appetuntur, feces à Deo
appellari. Quàm verò periculoſus ac præceps huiuſmodi perpetuus ſecundarum rerum
vſus ſit, operæpretium eſt animaduertere: quippe qui humanos animos ad impietatem
vel manifeſtam, vel, ſi cui maior aſtutia calliditaſque ſit, occultam, & ad peruerſum de
bonorum & malorum finibus iudicium impellat. [*Qui dicunt in cordibus ſuis, non faciet benè Do-
minus, & non faciet malè.*] Non faciet Dominus benè piis, & non faciet malè impiis: ita adeò
nulla rectè factis præmia, nulla peccatis ſupplicia deberi putant. Quibus tamen, vbi gra-
uiſſima illa, feces omnes, cum omni ſplendore & dignitate, & vitam ipſam turbatura ca-
lamitas aduenerit, diuinum de rebus & factis hominum iudicium, vel inuitis probandum
erit. Hoc eſt quod dicit:

*Et erit fortitudo eorum in direptionem, & domus eorum in deſertum: & ædificabunt domos, & non habi-
tabunt: & plantabunt vineas, & non bibent vinum earum.*

TRANSLATAM ſimilitudinem eleganter explicat. namque feces, quarum vis &
natura, ſi commodè reſideat, vinum conſeruat; ſi verò miſceatur & turbetur, aut tolla-
tur, corrumpit turbatum & direptum; dolium verò ipſum pertuſum ac confractum iri
confirmat, fruſtraque remedia ad eam rem quærenda, nihil tandem, quo minus pertur-
betur ac perdatur vinum, profutura. [*Fortitudo eorum.*] Diuitias intelligit, quarum ma-
gnitudine, copia atque vſu iſtorum hominum beata vita nititur: hæ feces ab hoſtibus di-
ripiendæ fuerunt. dolia verò domus eorum in deſolationem futuræ, quos nihil vel no-
uas ac plures domos ædificare, vel agros colere vineaſque plantare, ad ſtabiliendam rem
iuuabit, omnibus domibus, agrorum vinearumque poſſeſſionibus funditus deturban-
dos. Eam verò diuini iudicij publicè priuateque probandi diem non longè nimium
abeſſe Vates ait, ne videlicet diuturni temporis opinione ſecuris, iucundo interim vitæ
rerumque vſu frui liceret; ſed vel prædictioni credentibus perpetuus timor obſiſteret, vel
fidem non habentibus ſubita calamitatis & oppreſſionis inſperata vis grauior multo im-
paratis afferretur.

Iuxtà eſt dies Domini magnus, iuxtà & velox nimis.

NON ſolùm prope adeſſe diem, ſed nimis maturè venturam eſſe ait. quanquam
enim certa ac præfixa quædam dies illa ſit, tempuſque ipſum certis ſuis momentis ſem-
per agatur: tamen vbi calamitas accedit, præter opinionem feſtinaſſe ſemper videtur. Ad-
de quòd continuus curſus & motus tempora nihil cunctando accelerat, & *Hoc, quod loqui-* Perſius.
mur, inde eſt, ait Satyricus. Qua de re illud ſcriptum eſt: Non tardat Deus promiſſio- 2. Pet.
nem ſuam, &c. Magnus verò dies appellatur, & quòd tantæ rei expeditione inſignis, nota-
biliſque ſemper futurus ſit, & ipſis, qui pœnas luent, longior ſolito videndus. eius autem
adeò matura die quàm grauis & miſera calamitas exſpectanda ſit, à conſequentibus argui-
tur. Quòd nullius vel fortiſſimi, vel ſtrenuiſſimi viri vox, niſi lugubris & miſera, timoriſ-
que ac doloris index audiri poſſet.

Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis.

ILLVD ſignificat, maximum ac lugubrem, & muliebrem gemitum atque eiulatum to-
ta vrbe audiendum illa die eſſe, non qui à feminis, aut imbellibus, ſed qui à fortiſſimo quo-
que edatur. Oratio autem ex carmine Hebraico, ad verbum ab interprete Latino reddita,
ſoluta oratione ſic excipitur: *Fortis tribulabitur ibi voce diei Domini amara.*] Verbum verò *tribu-
labitur*, idem quod vociferari, eiulareque ſignificat. In exemplari eſt TZAREAHH, quod
non tribulationem anguſtiamque modò, ſed immanem clamorem, grauiſſimamque vo-
ciferationem indicat: namque ab exaltatione & altitudine deductum eſt, vt apud Iſaiam: Iſai. 42
Dominus ſicut fortis egredietur, ſicut vir prœliator ſuſcitabit zelum : vociferabitur c

& clamabit,ſuper inimicos ſuos confortabitur. Longè tamen diuerſus ab hoc ille fortium clamor in die illa futurus à Sophonia prædicitur,maximus ille quidem,ſed qui amaritudinem miſeriamq́ue ſonet magis,quàm exhortationem ſocis,aut terrorem hoſtibus ſignificet. Itaque fletum, gemitum,eiulationem etiam fortiſſimis hominibus & ſtrenuiſſimis illa Domini dies allatura eſt, eo quòd maximarum miſeriarum vſu ſenſum omnem animumq́ue occupatura ſit.

Dies illa, dies iræ, calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & turbinis, dies nebulæ, & caliginis.

SVBITO maximo & improuiſo malo oppreſſis non agendi aut effugiendi modò, ſed cogitandi etiam facultas adimitur,ſenſibus, animoq́ue in primis perturbatis. Huiuſmodi diem Vates Iudæis denuntiat,diuinæ in eos indignationis,& maximæ ac miſerrimæ calamitatis,vt neque conſilij locus, [*Tenebrarum* verò, *turbinis & caliginis,*] vt neque defenſionis copia detur. neque verò id porrò prodeſſe quicquam poterit, quod in extremis anguſtiis poſtremum petitur, vt qui ineundo prœlio pugnæq́ue ſuſtinendæ pares non fuerint, murorum,munitionumq́ue præſidiis tegantur.nam præter immiſſum diuinitus terrorē, præter conſiliorum auxiliiq́ue inopiam,grauiſſimum hoſtium impetum, omni munitione ſuperiorem experiri cogentur.

Dies tubæ & clangoris ſuper ciuitates munitas, & ſuper angulos excelſos.

CHALDÆORVM vis & impetus maior fore,quàm vt vlla locorū munitione & præſidio reprimi retardariq́ue poſſit,ex eo oſtenditur,quòd illorum tubæ & litui, cæteriq́. bellici cantus in ipſis vrbibus natura & opere munitiſſimis,in turribus etiam , quæ firmiſſima munitionis pars eſſe ſolent,cum ſubito & maximo ciuium terrore & pauore audiendi ſint, ita vt ad conceptum metum,animorumq́ue perturbationem hoc etiam accedat, [*Super angulos excelſos.*] In murorū angulis turres reliquo ædificio ſublimiores collocari ſolent,vnde ciues pro mœnium defenſione propugnent: noſtro tempore poſt inuenta ignea tormenta humiliores turres ad propugnationem parantur, quos Balloartos vocant. Adeò verò magnum,adeò inſtructum,atque extremè promptum Chaldæorum exercitum fore Vates noſter ait,vt nullo negotio editiſſimas turres conſcendere, indeq́ue populum tubarum & lituorum clangoribus,& ſonitu perterrefacere poſſit; nimirum qui, vt Habbakuq dixerat, Super omnem munitionem ridebit,& comportabit aggerem,& capiet eam.hanc verò tam celerem ac facilem hoſtium in vrbes irruptionem, quanta ciuium ſtrages , quanta clades conſequutura ſit, ſtatim docet.

Et tribulabo homines, & ambulabunt vt cæci,quia Domino peccauerunt, & effundam ſanguinem eorum vt humus, & corpora eorum ſicut ſtercora.

CHALDÆORVM obſidione atque irruptione Iudæos homines in eas temporum,animi,atque ſpiritus anguſtias adductum iri ait,vt turbati conſiliiq́ue inopes magno in errore vagentur,atque alij in alios impingentes facilem hoſtium ſæuitiæ materiā præbeant : quorum ſanguini non magis parcatur, quàm inerti pulueri, cuius nullum apud homines pretium eſt. Neque verò occiſorum cadaueribus ſepeliendis , atque cum humanitate aliqua tractandis vlla maior adhibebitur cura,quàm rideribus corradendis,verrendis,& in commune aliquod ſterquilinium comportandis adhiberi ſolet. Puluis enim & rudera vilitatis ſignificationem habent, vt in libro De ſacro & arcano ſermone docebimus. Hæc autē calamitas quanto ſuo merito, quàm iuſto Dei iudicio illis adueniat , interim Vates docuit, quando cæcitatem illam & conſilij inopiam ex eo euenire inquit,quia Domino miſericordi,ipſorumq́ue protectori & defenſori maximo,cuius ſolo conſilio iuuari, auxilio niti ſolerent,peccauerunt. huiuſmodi namque ex peccato fructus percipiuntur. id quod ex manifeſtis eorum ipſorum,de quibus agimus,confeſſionibus patefit. A diebus Patrum noſtro-

Eſd. 9. " rum,ſed & nos ipſi peccauimus grauiter vſq.ad diem hanc: & in iniquitatibus noſtris tra-
" diti ſumus ipſi,& reges noſtri,& ſacerdotes noſtri,in manum regum terrarum , & in gla-
" dium & in captiuitatem,& in rapinam,& in confuſionem vultus, ſicut & die hac.

Omnia autem ad Deum,cuius conſilio & decreto gerenda fuerant,referuntur. *Tribulabo, & effundam, &c. corpora eorum.* Carnem ſiue(vt Chaldaicè exponitur) cadauera ſignificat. Neque verò vllam vel diuitiarum,vel dignitatis,vel ordinis rationem hac in re habendam hoſtibus eſſe Deus ait,quo minus eodem omnes modo,nullo diſcrimine, & pereant,& ſepulturæ honore careant. namque hac parte, vel victores ipſi miſericordia, prece, vel pretio adducti, vel occiſorum familiares & neceſſarij fide ac pietate defuncti perſonas in bello diſtinguere conſueuerunt. Omnibus itaque ignobilis quidam & promiſcuus exitus denuntiatur, eò

quòd

quòd idem diuinum iudicium in eos qui eodem crimine inuoluti fuerint, ſeuerè edendum ex ercendumq́ue ſit. hoc eſt quod ſubiungitur:

Sed & argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini: in igne zeli eius deuorabitur omnis terra: quia conſummationem cum feſtinatione faciet cunctis habitantibus ſuper terram.

Intactis opulentior *Theſauris Arabum, & diuitis Indiæ,* Hor.lib.3.
Cæmentis licet occupes *Tyrrhenum omne tuis, & mare Ponticum:* car.Od.24.
Si figit adamantinos *Summis verticibus dira neceſſitas* *Clauos: non animum metu,*
Non mortis laqueis expedies caput. Hæc Poëtæ carmina hanc Vatis noſtri ſententiam, ad noſtros vſus relatam, exponunt. Quid ergo tam anxiè percupitæ, tanta cura, ſtudio, ſolicitudine, & perſæpe ſcelere comparatæ diuitiæ opesq́. pulchrum præſtant? Verùm enimuero illud diligenter obſeruandum eſt, diuini iudicij integritatem, vim & ſeueritatem ignis imagine à Vate depingi. Ignis autem ea natura eſt, vt nulli neque maximæ rei parcat, ſed vbi illatus agris fuerit, maiori vi & ſtrepitu proceras arbores, quàm gramina ſtipulasq́. conſumat: idq́ue adeò maxima & expeditiſſima ciuitate conficiat. Hanc autem ſimilitudinem ad Iudaicarum rerum caſum Vates noſter illo hemiſtichio tranſtulit: *In igne zeli eius deuorabitur omnis terra.* Eam verò conſequentibus carminis verbis ipſe idem expoſuit, vt ſe metonymia & tranſlatione vſum indicaret. [*Conſummationem cum feſtinatione.*] ignis vim expreſſit. [*Cunctis habitantibus ſuper terram,*] Metonymiam aperuit, & terram à ſe pro Iudææ regionis incolis vſurpatam eſſe docuit.

CAPVT SECVNDVM.

CONVENITE *& congregamini gens non amabilis. Priuſquam pariat iuſſio quaſi puluerem tranſeuntem diem, antequam veniat ſuper vos ira furoris Domini, antequam veniat ſuper vos dies iræ indignationis Domini.*

HACTENVS decretum & certum Dei in Iudæos iudicium Vates expoſuerat, & afferendam omni illi regioni docuerat calamitatem, & commune periculum, quod non omnino declinari perrumpiq́ue poſſit, tamen ſi diligenter & ſtudioſè procuretur, minui certè poſſe nunc deinceps confirmat, & ad id negotium capeſſendum grauiſſima & ſapientiſſima oratione ſuos hortatur: certum præterea modum, & diuinitus conſtitutam, qua procurari res ea poſſit, formulam, hoc eſt, pœnitentiam docet. namq. hæc vna ratio ſi ſanctè, purè & legitimè, atque opportunè explicetur, ad culparum pœnas, diuinamq́ue animaduerſionem effugiendam, vel ſupplicium certè minuendum, plurimum valet. Sed tamen quemadmodum ea ratio rectè iniri poſſit, in primis Vates præcipit: *Conuenite & congregamini.*] Quid hæc præceptio ſignificet, Hebraica verba nobis exponunt, *Colligimini & colligite.* Eſt enim Hebraicum verbum eorum propriè, qui res aliquas collecturi, minutim & diligentiſſimè diſquirunt & ſcrutantur, vt decuſſas ex arbore oliuas, nuces, & eiuſmodi alia, quæ nullam omnino legentium patiuntur negligentiam. Atque hoc verbum Exo. 5. & 15
in illa Iſraëlitarum apud Ægyptios paleas & quiſquilias colligendi cura frequēter, ac pro- "
priè vſurpatur: à quibus rebus ad alia argumenta, ſimilitudine ſententiæ, cōmodè ab Iſaia Iſai.29.
& Sophonia transfertur. Igitur iis, qui iratum Deum placare, ſibiq́ue propitium, vel cle- "
mentem reddere expetunt, diligentiſſimam, & religioſiſſimam pœnitentiam tum priuatè, tum publicè ſuſcipi debere, vel huius verbi vſurpatione Vates confirmat. Neque verò ſolùm futuræ vitæ emendatione, ſed & præteritarum culparum agnitione & deteſtatione, veræ pœnitentiæ ratio conſolidatur. namque vitæ morumq́ue emendatio fructus pœnitentiæ propriè dicuntur: ipſa verò, vnde fructus illi proueniunt, pœnitentia, impiè & ſceleratè factorum, & totius corruptæ conſuetudinis damnatio atque deteſtatio eſt: quam meliora ſtudia, & ſtudiorum deinde indices optimi conatus, & rectè facta conſequuntur, ſicut ſcriptum eſt: Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquas cogitationes ſuas: & reuertatur ad Dominum, &c. Hanc autem omnem rationē Vates noſter huius capitis initio præſcripſit. [*Colligimini,*] verbum reciprocum Hebraicè eſt, qua voce Latini carent: ad ſingulos autem ſententia refertur, vt vnumquemque in ſeſe deſcendere, ſeque ipſum excutere, ſcrutari, expendere, & quæcunque vitio culpaq́ue non careant, notare ac damnare, atq. vehementi animi dolore proſequi iubeat. Sed quoniam non modò ſibi vnumquemque, ſed alios aliis etiam ſtudio, exemplo & opera prodeſſe oportet, ad priuatam & communem de huiuſmodi pœnitentia curam ciues ſuos Vates hortatur. *Et congregamini.*] Hebraicè idem

verbum quod priori loco reciprocè pronuntiatum eſt, actiuè rurſus repetitur. *Colligimini & colligite.* Vos, inquit, in vos deſcendentes, veſtra primùm, deinde communia ſtudia notantes corrigite, hæc illius verbi ſententia eſt: *Congregamini.* officio, inquit, mutuo vos hac in re iuuate. [*Gens non amabilis.*] Argumento à iudicatis ducto miſerrimum ſuarum rerum ſtatum illis, quò ſibi diligentiùs & ſtudioſiùs proſpiciant, demõſtrat. Appellat autem gentem non amabilem, ſiue vt Hebraicè eſt, non concupitam, tum quòd aliarum nationum omnes, tum Dei protectoris voluntates à ſe abalienauerit. Quantum enim inuiſa nationibus cæteris Iudæa gens olim fuerit, & ſacræ, & prophanæ hiſtoriæ frequenter oſtendunt: quas tamen diuinæ gratiæ & prouidentiæ innixa, contemnere facilè potuit. Illo autem vnico, & maximo, & firmiſſimo propugnatore ob ſuam culpam deſtituta, nihil præter extremam
" miſeriam exſpectare potuit, quemadmodum toto illo Pſalmo obſeruare eſt: Saluaſti enim
Pſalm.43. " nos de affligentibus nos: & omnes odientes nos confudiſti. In Deo laudabimur tota die, &
" in nomine tuo confitebimur in ſecula. nunc autem repuliſti & confudiſti nos, & non egre-
" dieris Deus in virtutibus noſtris, &c. Igitur gentium omnium inuidia flagrantibus, & Deo
" etiam ob ſcelera inuiſis, vnicum perfugium & præſidium ſalutis, ſancta & legitima pœnitentia eſt. [*Priuſquam pariat iuſſio quaſi puluerem tranſeuntem diem.*] Iuſſionẽ Vates hoc loco diuini iudicij decretum appellat, quo certa pœnis exigendis dies dicta eſt, nulliſque hominũ nota, præterquam iis quibus indicata à Deo ſit, qui tempora & momẽta in ſua poteſtate poſuit; quæ, quoniam ex diuini conſilij arcano ſubito eduntur, aptiſſima tranſlatione pari dicuntur. ante verò quàm eiuſmodi calamitoſæ tempeſtates edantur, opportuna deprecatione effici poteſt, vt vel auertantur omnino, vel commutentur, vel etiam clementiores multo extent. Quæ ſi non ſapienter prouideantur, imparatis, atque imprudentibus aduenientes, omnia in turbinis modum vaſtata atq; deſerta, *quaſi puluerem tranſeuntem*, relinquent. Vt enim æſtiui turbines, ſublati diſſipatique pulueris neque veſtigiũ quidem relinquunt: ſic rerum, inquit, veſtrarum, vbi dies illa tranſierit, neque nomen quidem relinquetur. fieri autem poſſe, vt vel irati & infenſi Dei vltoris acerba ſeueritas pœnitentia mitigetur, vel omnino calamitoſæ illius diei periculum vitetur, geminata oratione Vates confirmauit. [*Antequam veniat ſuper vos ira furoris Domini.*] Quid ſit iuſſio pariens quaſi puluerem tranſeuntem diem, expoſuit. namque ira furoris ſeuerior & vehementior multo, quàm indignatio eſt. Ob eam rem in poſteriori membro ait: *Antequam veniat ſuper vos dies indignationis Domini:* Hebraicè eſt, *Antequam non veniat dies.*] fieri enim poſſe intelligit, vt quamdiu decretum illius Dei pronuntiatum atque fixum non fuerit, intercedatur, vt non figatur, aut vt protrahatur: id quod vbi iam dies ipſe aduenerit, fruſtra tentabitur. Ex hoc autem huius Vatis, aliiſque plurimis ſacrorum librorum locis, pœnitentiam hominum legitimè & opportunè ſuſceptam, nunquàm ſuperuacaneam eſſe, docemur: neq. ad æterna tantum ſupplicia condonanda, ſed ad temporales etiam pœnas, vel effugiendas, vel minuendas eſſe commodiſſimam. Cùm autem ſeriò & legitimè pœnitenti, poſt prauorum ſtudiorum & malè factorum, cæterarumque animi tempeſtatum, cum ſummo dolore & pudore deteſtationem & declinationem optimus portus vitæ & conſilij in melius mutatio ſit, ſicut ſcriptum eſt: Declina à malo & fac bonum, &c. proximum vati noſtro fuit, vt poſteriorem pœnitentiæ partem priori adiungeret.

Quærite Dominum omnes manſueti terræ, qui iudicium eius eſtis operati: quærite iuſtum, quærite manſuetum: ſi quomodo abſcondamini in die furoris Domini.

POENITENTIAM ad pœnarum & periculorum deprecationem populo ſuaſerat, cuius alteram partem in ſuperiori verſu indicauit; quæ delictorum inquiſitione, deteſtatione & confeſſione definitur: alteram verò, quæ vitæ & conſiliorum mutatione ſpectatur, nunc deinceps ſubiuncturus, eos opportunè excipit, qui modeſtia & virtute præditi pietatis officia præſtabant. quos interim non otioſos eſſe vult, ſed orationibus & deprecationibus propriæ & communi ſaluti procurandæ deditos eſſe iubet. [*Quærite Dominum omnes manſueti terræ, qui iudicium eius eſtis operati.*] Ex hoc hominum genere, qui pietatẽ veram, & fide & officio faciendo profiterentur, quanquam raros, nonnullos tamen fuiſſe ex ſacris libris
3.Reg.19. acceptimus. Septem enim millia virorum in Iſraël, qui genu ante Baal non curuauerant, ſibi
" relicta eſſe Deus affirmauit. Atque etiam in Ieruſalem & Iudæa quoſdam, qui communi calamitate inuoluti hoſtium ſæuitiam experti eſſent, Pſaltes deplorauit. Poſuerunt, inquit,
Pſalm.79. morticinia ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cæli, & carnes ſanctorum tuorum beſtiis
" terræ. Huiuſmodi autem ſanctos & pios homines ad quærendum placandumque Deum Vates hortatur. cæteros verò, qui vitiorum & ſcelerum ſibi conſcij eſſent, poſt priores pœnitentiæ partes ritè & legitimè tranſactas, ad poſteriores purè ac ſanctè ſuſcipiendas aduocat,

uocat,vt vel futuras pœnas omnino effugiant, vel minores multo ſubeant. [*Quærite iuſtum, quærite manſuetum.*] Subſtantiuam potius quàm adiectiuam ſignificationem *iuſtum* & *manſuetum* habent. Iuſtitiæ nomine,omnem eius,quæ in communi vitæ ſocietate ſpectatur,virtutis partem: manſuetudinis verò ſiue modeſtiæ verbo, priuatorum morum compoſitionem complexus eſt. [*Quærite.*] Magnum ſtudium diligentemque operam poſtulare Hebræi ſolent, cùm verbum illud *Bacas* vſurpant; maximæ autem cuiuſdam & arcanæ ſignificationis id eſt, quod huiuſmodi exhortationibus Vates adiunxit. Vtramque enim tum proborum,tum improborum partem, ad ſuum cuiuſque officium faciendum ſtudioſè hortatus ſubiunxit. [*Si quomodo abſcondamini in die furoris Domini*: Hebraicè eſt, *fortaſsis abſcondamini.* Chaldaicè verò, *forſan proteget ſuper vos in die indignationis Domini*: Græcè autem, *vt protegamini in die iræ Domini.*] Qua quidem oratione Babylonicam captiuitatem ſignificatam fuiſſe, eamque ad diuinæ potius miſericordiæ, quàm ad punitionis rationes à Vate reuocatam arbitramur. Maximæ enim clementiæ opus fuit, magnam eorum partem, ob ſupplices preces & pœnitentiam, in die iræ Domini, & ignis cuncta vaſtantis, exceptam ſeruatamque in Chaldæam, ad reſtitutionis futuræ ſpem transmitti, ibidemque ne omnino perirent, protegi ac foueri; nec multis etiam aliorum Iſraëlitarum inſtar detineri (id quod Ieremias agnoſcens gratè & piè prædicabat: Miſericordia Domini quia non ſumus conſumpti, quia non defecerunt miſerationes eius) aliàs funditus perituris, niſi diuina miſericordia prouiſum conſultumque eſſet, vt interim dum dies iræ pertranſirent, in diuina tutela, quanquam anguſtius & laborioſius gentibus afferendæ propediem ſalutis certa proponeretur ſpes, cùm tamen aliis gentibus diuinæ indignationis, & exercendi iudicij dies, exciſionem calamitatemque extremam allatura eſſet, vt Palæſtinis, Tyriis, & cæteris, quos vel ſine reſtitutionis, vel veſtigij ſaltem relinquendi ſpe funditus euertendos eſſe, & Vates hic, & alij etiam obnuntiarunt. Itaque Iudæis pœnitentia ad certæ aliàs animaduerſionis & venturæ ob pertinaces diuturnas culpas calamitatis vel auerſionem, vel clementiam ſaltem impetrandam indicitur: quòd ſingularis cuiuſdam in ſe diuinæ prouidentiæ beneficium, aliis etiam vicinis nationibus meritò negatum, interpretari oporteat. Ob eamque rem pœnitentiæ ſuſcipiendæ, ad ſalutem & reſtitutionem ſperandam, ſuaſioni diſsimile in aliis gentibus edendum exemplum Vates propoſuit. *Quia Gaza*, &c. Illud interim ad linguæ & ſententiæ rationem notare operæpretium eſt, verbi illius, *ſi quomodo*, ſiue, vt ex Hebraico, & Chaldaico vertimus, *forſan*, latentem dubitationem non ex conſequenti, ſed ex antecedenti negotio definiendam eſſe. namque antecedentis exacta certitudo, conſequentis aſſeuerationem infert. neque enim diuina miſericordia Vatis oraculo commemorata & promiſſa, ſed humana ad miſericordiam impetrandam legitima diligentia in dubium vocatur. Plura autem de hac ratione & dicta aliàs, docente atque aſpirante Deo, à nobis dicenda ſunt.

צפ *(margin)* | Thren. 3. | Ariſtoteles 2. Topicor.

Quia Gaza deſtructa erit, & Aſcalon in deſertum; Azotum in Meridie eijcient, & Accaron eradicabitur.

VICINÆ Palæſtinorum gentis integram & perpetuam cladem, diuino iudicio futuram, obiter prædicit: ex qua miſericordiæ in Iudæos beneficium confirmat. namque vt eodem ferè terræ ſitu, eadem cæli parte & aſtris ſubiacentes gentes diſpares omnino rerum ſuarum exitus habeant, præter certum Dei conſilium & voluntatem accidere non poteſt, ita vt aliis poſt cladem breuis reſtitutio, aliis nulla omnino, vel exigua, atque longiſſimum poſt tempus contingat. Hæc verò ſententia eleganti & vehementi oratione à Vate Hebraicè pronuntiata eſt, verbis videlicet ex ipſa nominum vicinitate deflexis. quam figuram Hebræi *Zzahuth*, Græci paronomaſiam, noſtri adnominationem vocant: vt,

Huic dari verbera, tibi verba. Quam quidem rationis orationiſque venuſtatem vel ſententiæ vim, nullus profectò interpres, ex aliis in alias linguas, maximè autem ex Hebraica, transferre commodè poteſt; quemadmodum nos aliàs iuſto de hac re ſermone habendo, ſi Deus annuerit, diſputabimus. ad quem locum huius carminis verba expendenda conſultò reſeruamus. Igitur poſtquam certam Iudæis apud Babylonios, diuinam protectionem & futuram ex illa captiuitate liberationem, atque diſsimilem omnino nationibus aliis exitum Vates noſter ſignificauit & prædixit, ad eam explicandam latiuſque exponendam rem commodè digreditur.

Terentius Heauton. act. 2. Scen. 3

Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum: verbum Domini ſuper vos Chanaan terra Philiſtinorum, & diſperdam te, ita vt non ſit inhabitator.

PALÆSTINOS, Ammonitas, Moabitas, ob maxima publicè & priuatè ſuſcepta ſcelera, atque ob illatas aliis gentibus, maximè autē Iſraëlitis, ex religionis cōtentione, iniurias,

diuinæ vltionis pericula ſubituros, Iſaias, Ieremias, Amos, aliíque Vates prædixere. Id autem ipſum Sophonias prædicens, ſimilemque cum Iudæorum calamitate afferendam à Chaldæis cladem confirmans, diſſimiles tamen illis futuros exitus docet. quòd Palæſtini partim occiſi, partim è ſua regione pulſi, nunquam amplius reſtituendi ſint. Iudæi verò Babylonem abducti, in patriam non poſt multos annos diuino beneficio remigraturi; atque non ſuam modò regionem rurſus, ſed & Palæſtinorum terram ad proprios vſus occupaturi ſint. Omnem autem Palæſtinorum regionem vicini maris nomine Vates ſignificauit, cùm Gazam, Aſcalonem, &c. prius appellaſſet, atque ex altera orationis parte alteram intelligi voluiſſet. Cui regioni extremam vaſtitatem obnuntiaturus, funeſtam vocem, *va*, pronuntiauit. [*Qui habitatis funiculum maris.*] Terræ & hæreditatis ſors & pars, quæ
Pſalm. 15. cuique obtingit, funis ſiue funiculus in ſacro ſermone dicitur: vt, Funes ceciderunt mihi in
Cicero orationū tom. 5 fol. 233. præclaris: etenim hæreditas mea præclara eſt mihi. nam vt apud Latinos decempedis, ſic apud Hebræos & Chananæos funibus metatos agros & oppidorum ſitus fuiſſe legimus. Palæſtinos autem ad maris littus longè exporrectos, hæc deſcriptio, vt aliæ plurimæ oſtendunt. Ex quorū nomine Mare illud omne, quod occidentalem Chananææ regionē alluit,
Exod. 23. Palæſtinorū dictum eſt. Ponam, inquit Deus, terminos tuos à mari rubro, vſq. ad mare Pa-
„ læſtinorum. Ex Hebraico nomine proprio ad nominis ſignificationem Latinus interpres Chaldæum imitatus alluſit. namq. Hebraicè eſt: *Gens Cheretæorum.* Sunt autem Cheretæi ex
1. Sam. 30. Palæſtinorum familiis celeberrimi. vnde ad Auſtralem plagam Cheretæi irrupiſſe in Palæſtinos ille ſeruus Ægyptius Dauidi referebat. Conſultò autem Vates ex nomine ipſo futuram genti exciſionem denuntiauit (quippe Cheretæus, exciſum, ſiue excindendum ſignificat) vt cum nomine exitum conuenire confirmaret: gens, inquit, exciſorum, ſiue quod idem eſt, perditorum. Quamobrem Chaldæus paraphraſtes hunc locum ſic vertit: *Populus qui damnatus eſt exciſione.*] hos verò Palæſtinorum populos, ex omnibus antiquis Chananæorum, diuino iudicio, olim pulſis familiis, ſimul cum cæteris ſuæ gentis clade affectum iri Vates obnuntiat: atque ob eam rem Chanaan nominis meminit. [*Verbum Domini ſuper vos Chanaan terra Palæſtinorum.*] Quanquam enim Palæſtini dicti fuerint, tamen ex eorum gente, quibus Deus ob ſua nefaria ſcelera infenſus fuerit; hoc eſt, ex Chananæis eſſe
Ioſ. 19. confirmat, ſicut ſcriptum aliàs eſt: Chananæis aſſcribes quinq. regulos Philiſtiim, Gazeos, Azotios, Aſcalonitas, Chetæos, & Accaronitas: quos demum, vt alios olim, funditus euertendos perdendoſque eſſe ait. [*Et diſperdam te ita, vt non ſit inhabitator.*] Eius verò exciſionis magnitudinem, conſequentis vaſtitatis deſcriptione, arguit.

Et erit funiculus maris requies paſtorum, & caulæ pecorum.

MARITIMAM illam regionem, Palæſtinorum vrbibus dirutis, incoliſque eiectis, vaſtatam in paſtorum pecorumque vſus futuram eſſe docet. quæ extremæ exciſionis deſcri-
Iſai. 17. „ ptio eſt: vt illa, Derelictæ ciuitates Aroër gregibus erunt, & requieſcent ibi, & non erit qui exterreat. ſic apud exteros:

Dum Priami, Paridiſq; buſto
Horat. lib 3. Od. 3. *Inſultet armentum, & catulos feræ*
Celent inultæ. Eum autem tractum omnem Iudæ tribui, non ad habitationis, ſed ad paſtionis commoditatem aſſcribendum eſſe dicit: ſiue illi ex antiqua terræ diſtributione obuenerit, ſiue cæteris Iſraëlitis deficientibus Iudaica tribus in hæreditatem vocetur. Eadem igitur opera & perpetuam Palæſtinis exciſionem, & futuram Iudæis ex Babylone reſtitutionem prædicit.

Et erit funiculus eius qui remanſerit de domo Iuda, ibi paſcentur: in domibus Aſcalonis ad veſperam requieſcent.

MAXIMÆ vaſtitatis & ſolitudinis aſſeuerationem habet antitheton illud *ibi, in domibus Aſcalonis ad veſperam requieſcent.* In Aſcaloniticis ruinis commodus magalibus conſtruendis locus erit, quo ſe greges paſti veſperi recipiant. Quemadmodum autem id fieri tandem poſſit, reſtitutione Iudæorum promiſſa, exponit.

Quia viſitabit eos Dominus Deus eorum, & auertet captiuitatem eorum.

ID quod Palæſtinis minimè continget, A Palæſtinis autem ad Moabitas, & Ammonitarum gentem ſermonem transferens Vates, horum regionē perpetua vaſtatione afficiendam diuini oraculi auctoritate confirmat: ac tantæ diuinæ vltionis cauſam, publicam iniuriam, & iuſtis gentium vltionem eſſe definit. Ad eam autem tractandam cauſam Dei iudicis perſonam Vates induit, qui ex cognitione culpæ legitimam pœnam decernat.

Audiui opprobrium Moab, & blaſphemias filiorum Ammon: quæ exprobrauerunt populo meo, & magnificati ſunt ſuper terminos eorum.

Audiui verbum ad iudices,reges,& magiſtratuum cauſam ſeriò cognoſcentium rationem commodo in loco vſurpatur: vt, Audiui enim murmur veſtrum. Quomodo audiet me Pharao? Itaque iuridicum verbum eſt,& Latinam iudicialem cognitionem propriè exprimit. Duplex autem Moabitis & Ammonitis iniuriarum crimen infertur, & contumeliæ videlicet,& poſſeſſionis iniuſtè vſurpatæ. nam Iudæis dum Babylonem migrarent, & per ſuam regionem tranſeuntibus,iniuriis contumeliiſque impoſitis inſolenter inſultaſſe,& in Iſraëlitarum poſſeſſionem violatis terminis irruiſſe,conuicti ſunt.Qua de re ſic Amos pronuntiauerat:Super tribus ſceleribus filiorum Ammon,& ſuper quartum non parcam, eo quòd diſſecuerint prægnantes ad dilatandum terminum ſuum. Hactenus crimen: nunc ſupplicij ſumendi ſententia deinceps pronuntiatur,& grauiſſima Dei vltoris,& ſacrilegiorum vindicis appellatione atque iureiurando confirmatur.

Exod.16. Exod.6. Amos 1.

Propterea viuo, dicit Deus exercituum, Deus Iſraël.

PROPTEREA cauſam ſignificat,iuſtiſſimumq́. Dei iudicium ob perorata crimina arguit. [*viuo ego.*] Sententiæ certæ confirmatio eſt, nullo reuocationis relicto loco. [*Dominus exercituum,*] Deus iniuriarum vltor,vt ſæpe aliàs expoſuimus. [*Deus Iſrael.*] religionis veræ vindicem atque pietatis cauſis & rationibus prouidentem ſeſe Deus hoc loco profitetur. namque nomen *Elohim*, quod ad orbis gubernationem ſpectat, vſurpatum eſt, & Iſraëlis appellatio,ad religionis veræ rationem refertur.Ob religionis autem ſimultatem, non ob aliam priuatam iniuriam,Iſraëlitas à vicinis gentibus vexatos fuiſſe ſæpe legimus. Etenim cùm Iſraëlis nomen in probris & contumeliis vſurpatur, diuinæ magis dignitati, quàm ipſorum hominum cauſæ derogatur. Atque ex hac noſtra annotatione plurima ſacrorum librorum loca explicari commodè poſſunt;vt illud apud Samuelem: Ego exprobraui hodie agminibus Iſraël. Quem locum ſic Dauid ipſe à Deo vnctus expoſuit. Quis enim eſt « hic incircunciſus, qui exprobrauit agminibus Dei viuentis? Tanta igitur dignitate atque « auctoritate, tanta humanarum rerum cura, tanto religionis veræ præditus ſtudio iudex ſic pronuntiat:

1.Sam.17.

Quia Moab, vt Sodoma erit, & filij Ammon quaſi Gomorrha, ſiccitas ſpinarum, & aceruus ſalis,deſertumq́, vſque in æternum: reliquiæ populi mei diripient eos, & reſidui gentis meæ poßidebunt illos. hoc enim eueniet eis pro ſuperbia ſua, quæ blaſphemauerunt, & magnificati ſunt ſuper populum Domini exercituum.

OMNIVM carminum horum ſententia, ex iis quæ dicta iam ſunt nobis, explicata eſt. Nonnulla verba breuiter examinare libet. [*Siccitas ſpinarum*, Hebraicè, *rugitus vrticarum.*] Vrticas in ruinarum ruderibus & in domibus deſertis naſci videmus. Has apud Moabitarum & Ammonitarum exciſas vrbes, ob religionis infrequentiam & ſolitudinem, adeò altè creſcentes fore Vates ait, vt vento flante colliſæ, rugitum qualem meſſes magnæ ſolent, edant. [*Et aceruus ſalis*,ſiue, vt Hebraicè eſt,*foſſio ſalis,*] Sterilitatem terræ futuram, habitationi atque humanis vſibus importunam, ſalis natura etiam inſperſa efficit,nedum ſi natiua ingenitaq́ue ſit. Quamobrem Sodomorum agrum æterna ſterilitate damnatum,in mare ſalis fuiſſe redactum legimus. non minor neque minus perpetua vaſtatio Ammonitis obnuntiatur: quorum ager, quacunque effoſſus fuerit, ſalina ſit. [*Et reſidui meæ gentis poßidebunt illos*, Hebraicè, *diripient illos.*] Si quid, inquit,genti reliquum fuerit quod vſibus hominum idoneum ſit,id ab iis qui reſtituti fuerint ex gente mea, diripietur, cùm terra omnino vaſtata vicinorum tantùm voluntati & direptioni exponenda ſit. Hæc verò tantæ perpetuæ vaſtationis prædictio non obſcuram, non leuem, ſed grauiſſimam & manifeſtam culpam coarguit. [*Pro ſuperbia ſua quæ blaſphemauerunt,& magnificati ſunt ſuper populum Domini exercituum.*] Iniuriæ quidem, probra & contumeliæ, exciſionem illis attulerunt, ſed vt inſtar Gomorrhæ æterna vaſtitas accideret, in cauſa fuit ſingularis illa arrogantia, ſuperbia & impietas, qua in populi Domini exercituum calamitates & miſerias,inhumanè inſultauerant. [*magnificati ſunt.*] Idem hæc oratio ſignificat,quod Latinis dicitur ſuperbè atque inſolenter ſeſe erga aliquem gerere. Fuerat autem (vt ex verborum ratione conijcitur) eiuſmodi inſultantium ſacrilega & nefaria oratio,quæ ſacroſanctæ Domini Dei exercituum dignitati, virtuti & gloriæ detraheret, cæteraque falsò dicta numina, qualia ab ipſis & ab aliis nationibus colebantur,tutelæ ac prouidentiæ vi, atque poteſtate antepoſueret. Huius etenim ſignificationis, blaſphemiæ nomen eſt. de quo nos plura aliàs ad communem vtilitatem, Deo docente, referemus. Eam igitur rem ita ſeuerè acturum ſe Deus oſtendit, vt ampliſſi-

mæ dignitatis & ſplendoris ſui cauſam, non modò aduerſus harum gentium numina, ſed
contra omnium nationum falsò appellatos Deos, veræ ac ſolidæ gloriæ rationibus tan-
dem obtineat. qua in re magnum illud de tollenda funditus per euangelium ſuperſtitione
ſacramentum & diuinum arcanum obiter indicatur.

Horribilis Dominus ſuper eos, & attenuabit omnes deos terræ: & adorabunt eum viri de loco ſuo, omnes inſulæ gentium.

VIM poteſtatemque ſuam diuinam maximis & ſeueriſſimis exemplis apud eos,qui
aliter exiſtimauerint,Deum probaturum eſſe confirmat: neque ſolùm hos horumque nu-
mina,ſed omnes tandem deos appellatos, vbicunque terrarum culti fuerint, vanos ac fu-
tiles cultoribus ſuis redditurum,atque in contemptionem adducturum eſſe;vt ſibi ſoli om-
nis veræ pietatis cultus,communi omnium tam cultiorum, quàm barbararum nationum
conſenſu & conſpiratione tribuatur.nam cùm ſua quiſque numina tutelaresque Deos pa-
trios,indigenas,aduenas & hoſpites quorum infinita fere nomina erant,huius vnici ac ve-
ri Dei prædicatione attenuata inaniaque expertus fuerit. [*Adorabunt eum viri de loco ſuo.*] vbi-
cunque terrarum fuerint,ſiue continentem terram,ſiue inſulas incolant, omnes veri & po-
tentiſſimi Dei nomen religionemque ſuſcipient: hoc enim verbum *Adorabunt*, ſignificat,
quod ex argumenti ratione ad latriam à Theologis dictam eſt referendum. [*Viri de loco ſuo.*]
Latinus ſermo hoc ſic pronuntiat: Vbicunque locorum, ſiue,vbicunque terrarum. namq.
Iſai. nomen vir apud Hebræos diſtributionem;apud Latinos vnuſquiſque vel ſinguli,habet: vt
" illud,Et non docebit vir fratrem ſuum, & vir amicum ſuum. eadem apud Italos nominis,
huomo,vſurpatio eſt,vt *ſei ſcudi per huomo*.[*Omnes inſulæ gentium.*] Europæ partes ac præcipuè Græ-
Geneſ. ciam omnem, Italiam, Galliam, Hiſpaniamque ſignificat, quas propriè gentium inſulas
Moſes cognominauit,vt nos exactiùs in ſacra,quam molimur,geographia(modò Deus ad-
ſit)docebimus.Commodè autem cùm de diuinæ virtutis contentione ageretur, dignitatis
ſuæ non apud eos modò, quibus cum priuata ſibi res eſſet, ſed apud omnes etiam quibus
communis illa cauſa erat,probandæ tandem,tuendæ ac retinendæ mentionem fecit. Quæ
Zach. 14. tamen ratio ad optatum ſperatumque Chriſti, & euangelij tempus, vt ad hypotheſin the-
ſis reuocanda eſt,quando,vt Vates alius prædixit,erit,Dominus rex ſuper omnem terram.
quod de noſtra aurea noui teſtamenti ætate accipiendum eſt. Atque hanc de idololatriæ
ſuperſtitione victoriam ſibi reportandam, ad omnes habitabiles terræ partes pertine-
re confirmat. nam cùm deos terræ commemoraſſet, Aſiam in qua Ammonitis &
Moabitis vaticinabatur, ſignificare viſus eſt; inſularum verò nomine Europam: reli-
qua erat tertia illa pars quæ ad Auſtrum ſita eſt; quam Africam dicimus: cuius re-
motiſſimam prouinciam Vates in partes vocans, propinquiores etiam ſibi ſub iugum
mittendas iudicauit.

Sed & vos Aethiopes interfecti gladio meo eritis.

AFRICÆ extremos habitatores Æthiopes *Mizraim* filios fuiſſe ex ſacra terræ de-
ſcriptione accepimus. Hos autem diuini verbi gladio ſuperatos euangelicis legibus ob-
temperatum ire confirmat. Habet verò arcanam ſignificationem verbum illud *gladio meo*,
quod nos diuinum verbum,viuum & efficax,& penetrantius omni gladio ancipiti,& per-
Hebr. 4. tingens vſque ad diuiſionem animæ cum diuo Paulo definimus. Et gladius, inquit, ſpiri-
Iſai. 27.66. tus quod eſt verbum Dei. Gladium ſpiritus idem quod gladium ſuum Deus dicit,de quo
Ephes. 6. gladio ſcriptum eſt: Accingere gladium tuum ſuper femur tuum potentiſſime. Atque il-
" lud etiam de hac eadem victoria à diuino vate decantatum eſt: In die illa viſitabit Domi-
Pſalm. 44. " nus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum,&c. Ab
hypotheſi autem ad theſim ſuam reuerſus, non modò Ammonitis & Moabitis, qui victo
& abducto Iſraëli cum religionis opprobrio inſultauerint, ſed ipſe etiam victoribus Aſſy-
riis dignitatem potentiamque ſuam,atque maximam contra omnes eorum deos virtutem
propediem probandam eſſe Deus confirmat: quibus imperij defectionem, & ſplendoris
illius,quo ſeſe inſolentiſſimè iactauerant, exſtinctionem denuntiat. qua in oratione Nini-
uiticum caſum apertè prædicit.

Et extendet manum ſuam ſuper Aquilonem, & perdet Aſſur: & ponet ſpecioſam in ſolitudinem, & in inuium, & quaſi deſertum.

ASSYRIORVM regio,maximè autem Babylon ad Orientem Iudæis expoſita,ad Bo-
ream propius inclinat; vnde linguæ vſus obtinuit, vt plagæ nomine regio ipſa ſignificare-
tur; quemadmodum nauigatores noſtri Italiam petentes ortum petere dicuntur. vulgo

caminar

terminat à leuante. ſic frequentiſſimè Aquilo pro Aſſyriorum regione vſurpatur: vt, Quia malum ego adduco ab Aquilone,contritionem magnam, &c. Sed poſterior verſus pars priorem hoc in loco expoſuit. [*& perdet Aſſur.*] Hæc verò ad Niniue, & Babylonis vrbis exciſionem, eiuſque imperij, quod propediem ad Perſas transferendum erat, inclinationem pertinét. qua de re nos plura & exactius apud Nahhum, ex diuino beneficio,commentati ſumus. Vrbis verò illius vaſtationem & ruinam ex conſequenti vaſtatione arguit. [*& ponam ſpecioſam.*] Niniuen ſignificat,cuius nomen Interpres noſter non ad verbum, ſed ad ſignificationem reddidit,vt ſententiæ antitheton indicaret,videlicet, *ſpecioſam in ſolitudinem,*] ſed vt proprium nomen eſſe deprehenderetur, capitali litera in emendatis codicibus ſcriptum eſt:ſed Hebraicè,Chaldaicè,& Græcè, Niniue,legitur. Ita Aquilonis nomine Babylonem;ſpecioſæ verò Niniuen interpretamur. Illius enim reges in Iudæam regionem & Ieroſolymam vrbem, atque adeò in ſacrum Dei templum ſuperbè, inſolenter atque impiè ſacrilego animo;huius verò in decem Iſraëliticas tribus, atque in omnem ferè orbem maximè inſignes extitere iniuriæ. Cuius magnam ac perpetuam vaſtitatem ex ferarum & auium commodis habitationibus deſcribit. Quòd habitatoribus vacua, his animantium generibus in latibulorum & nidorum vſum ceſſura ſit.

Et accubabunt in medio eius greges, & omnes beſtiæ gentium.

PECVDVM pecorumque gregibus,atque boum equorumque armentis, aſinarum, camelorum,& omnibus denique brutis,quæ ad hominum vſus ali conſeruariq. ſolent,commoda & ſpatioſa magalià in Niniue ruinis fore oſtendit. Omnia autem animantium,quæ homini in vſus cedunt,genera hac periphraſi complexus eſt. [*Omnes beſtiæ gentium.* ſiue vt Hebraicè ad verbum, *greges omnium brutorum gentis.*] Cæteris etiam tum animantibus ſilueſtribus, tum auiculis tutas & tranquillas fore ſedes ait: tantam loci ſolitudinem & vaſtitatem futuram eſſe confirmat.

Et onocrotalus & ericius in liminibus eius morabuntur.

DVO animantium genera in vaſtitatis & ſolitudinis deſcriptione frequentia in ſacra
lingua *Kaath*,& *Kipod* ſunt,quæ à Latinis interpretibus variè redduntur.nam *Kaath* interdum «
pellicanus,vt in Pſalmo;Similis factus ſum pellicano ſolitudinis.nonnunquã verò onocro- Pſal. 102.
talus in noſtra verſione dicitur,vt in hoc loco,& apud Iſaiam.*Kipod* verò apud Iſaiã & hunc Iſai 34.
Vatem ericius,vertit interpres. At verò ex Hebræis nonnulli ſunt qui auis genus eſſe di- Iſai. 14.
cant.Quidam verò teſtudinem tardum animal interpretantur,quòd Arabicè *Kempod* voce- «
tur.nomen autem à verbo *Kaphad*,quod præcidere ſignificat, deductum eſt. Quænam verò «
animantium genera ſint,hactenus nobis exploratum non eſt.Illud certè ſtatuere poſſumus ex auium natura vtrumq. eſſe,quod in ſuperliminaribus portarum habitare poſſit,quò teſtudo aſcendere minimè valet.atque *Kaath*,quidem in carniuorarũ & impuro cibo veſcentium auium genere cenſeri,quam *Kaath*, dictam arbitramur, quòd deuoratum cibum rurſus euomat,à verbo *Kaah* Hebraico,quod Latinè vomere dicimus.Sed de his omnibus aliàs commodius diſſerere nobis diuina benignitate continget. [*In liminibus eius morabuntur.*] Nomen Hebraicum ſuperius limen hyperthyron Græcis dictum ſignificat, quod duabus antis ſiue paraſtatis impoſitum, portam domus conſtituit. Id quoniam florum & pomorum ſculpturis Aſſyrij architecti ornare conſueuerunt, caphtor, id eſt, florarium vocant. Huius ſuprema pars vmbellæ inſtar extra muri rectum ductum prominens, quam artifices cornicem dicunt, commodam auibus ſedem præbere poteſt. Deinde etiam alias aues,quæ celeriores, minores, ac vagæ inſtabileſque magis natura ſunt, vt monedulas, ficedulas, galerites, philomelas, & id genus alias ob loci ſolitudinem ſecurè atque impunè garrituras eſſe ait.

Vox cantantis in feneſtra, Chaldaicè, *Vox auis garrientis in feneſtra.*

IN Hebraico,*cantantis* futurum eſt, vt perpetuitatem illam, de qua ſæpe aliàs diximus explicet: nullam domorum frequentiam fore ait,vt in feneſtris auiculæ garriant, ne dum in tectis; nec tamen ſit qui exterreat.

Coruus in ſuperliminari, quoniam attenuabo robur eius.

MAGNAM in oſtiis ſolitudinem ex liminis & valuarum deſertione arguit. [*Coruus in ſuperliminari*, Hebraicè, *ſolitudo in limine.*] per Metonymiam oſtij ſolitudo ſignificata eſt. Græcus interpres,quem Latinus ſequitur,nomen Hebraicum *Hhoreb*, *Ghoreb*, legit, & coruos reddidit,vocis vicinitate tractus. Chaldæus verò ſententiam ſimplicem,explicata,vt ſolet,figura

expoſuit.

expoſuit. [*Solitudo in porta.*] Magnæ verò ſolitudinis ſignum, valuarum vetuſtas & conſumptio eſt: quæ aliàs ad domorum cuſtodiam diligenter aptari, & ornatius etiam muniri, ad eamque rem ex optima & durabili materia parari ſolent, vt cæli aëris ac frequentiæ iniurias tolerare poſſint. præſtantiſſima autem in hoc genere cedrina materia eſt, quam tamen vetuſtate & neglectione attenuandam conſumendamque eſſe ait. [*Quoniam attenuabo robur eius.*] Roboris nomen cedri genus firmiſſimum & diuturnum intelligimus, quod Hebraicè *Erez* dicitur. Hæc verò tam exquiſita vaſtitatis deſcriptio eò pertinet, vt humanæ ſuperbiæ, maximæ ac perpetuæ creditæ felicitatis, quæ iniuriæ & inſolentiæ rationibus nixa fuerit, qualis exitus futurus fuerit, intelligatur. quæ res priorum & poſteriorum temporum comparatione oſtenditur.

Hæc eſt ciuitas glorioſa habitans in confidentia: quæ dicebat in corde ſuo, ego ſum, & extra me non eſt alia amplius.

NINIVE primi & antiquiſſimi Imperij caput, incredibili ſecundarum rerum proſperitate vſa, æternam inoffenſamque felicitatem, & ſumma omnia ſibi ipſi promiſerat, quæ iiſdem, quibus cœperat, rationibus, vi, iniuria, tyrannide, opibus & diuitiis per ſuperbam dominationem amplificandis, præſtari atque ſtabiliri poſſe crediderat, propriaque ac legitima fore ſibi perſuaſerat. [*Extra me non eſt alia amplius.*] Solam ſe dominari & rerum potiri perpetuis temporum & ſeculorum curſibus ſibi perſuaſerat. *Dicere in corde*, eſt ſeriò & conſtanter cogitare & affirmare, atque ad eam rationem conſilia, ſtudia actionesque dirigere: vt, Dixit enim in corde ſuo, non mouebor à generatione in generationem ſine malo. Huiuſmodi ſtultiſſimas erroris opiniones, ob humanæ proſperitatis curſum, dementia deprauati homines imbibere & tenere ſolent: quas non niſi aduerſis penitus & incommodiſſimis euentibus amittunt. namque & Babylon quæ Niniue deſtructæ in imperium ſucceſſit, eadem de ſeſe inſolentius etiam prædicabat, ſicut ſcriptum eſt: Et dixiſti in corde tuo, ego ſum, & præter me non eſt altera. cùm tamen ſatis ſuperque poſteriorum temporum exempla ſint, quibus poſteriora hominum ſecula admoneri docerique poſſint.

Pſal. 10. » » Iſai 47.

Quomodo facta eſt in deſertum cubile beſtiæ? omnis qui tranſit per eam, ſibilabit, & mouebit manum ſuam.

OBSERVATI euentus admiratio diligentem humanæ ſuperbiæ exitus contemplationem ſuadet. Eſt autem locus ex comparatione temporum & ſtatuum. namque frequentiſſima & potentiſſima vrbs in eam vaſtitatem redacta, vt ferarum cubilibus commodiſſimè deſeruiat, non ſine magna prætereuntium admiratione, & triſti oratione, viſitur. [*Sibilabit, & mouebit manum ſuam.*] Variarum rerum & gloriæ caſum conſiderantis, & ſecum animo atque oratione tractantis geſtus habitusque deſcribitur. namque mouere manum, aliud quàm plaudere eſt. nam hæc manus alterius motatio commiſerationem admirationemque magis, quàm inſultationem ſignificat. Aliam autem aliorum de Niniue rebus agitationem atque orationem eſſe neceſſe fuerat, quemadmodum varia hominum, varieque affecta erga eandem rem ingenia ſunt.

CAPVT TERTIVM.

VÆ prouocatrix & redempta ciuitas, columba, &c.

HACTENVS eam calamitatem, quæ Hieroſolymis & omni Iudææ regno à Chaldæis ex diuino conſilio allata eſt, Vates prædixerat, & vicinarum etiam gentium cladem, perpetuumque caſum indicauerat, cùm tamen futuræ Dei miſerentis beneficio liberationis ex Babylonica ſeruitute, ſpem Ieroſolymitanis faceret certiſſimam, nunc verò deinceps noui & grauiſſimi, maximeque diuturni periculi poſterioribus temporibus adeundi terrores Iudæis iniicit & denuntiat, ſi quomodo illorum mens, vt caueant & proſpiciant, incitari reflectique poſſit, iuſtiſſimas alias & grauiſſimas, poſt tantam antea oraculorum, conſiliorum, admonitionum & prædictionum fruſtra ſumptam & conſumptam operam & curam, pœnas demum daturis. Igitur huius capitis ſententia non ad priorem Solymorum calamitatem repetendam & confirmandam, ſed ad poſteriorem totius Iudææ gentis cladem, quæ ob publica populi & principum ſcelera atque ob nefariam illam Chriſti legitimi & ſanctiſſimi regis repulſam, à Romanis diuino iudicio allata eſt. Quam, quòd grauiſſimam fore Vates præuiderat (qualis non fuit vlla alia ab initio creaturæ, quam condidit Deus vſque nunc,

Marc. 13.

nec

nec ſimilis futura eſt) horribili & infauſto verbo exorſus denuntiauit. *Væ prouocatrix & redempta ciuitas, columba.*] Publicum Iudæorum crimen duplici ex cauſa conflatum eſt: altera, quòd tot beneficiis antea affecti, tamen per ſumma & nefaria ſcelera ſeſe ſemper ingratos indignosque præſtiterint: altera, quòd ad diuinam demum æternamque ſalutem, atque ad regni cæleſtis felicitatem præſente & oblato vltro rege, & magni conſilij angelo, tantique negotij duce & auſpice diuina auctoritate vocati, tamen ſuæ viſitationis tempus, & ea quæ ad pacem ſibi eſſent, neglexerint & repudiarint. *Prouocatricem* vocat Ieroſolymam vrbem, quæ poſt acceptam ex Babylone libertatem, multis tamen ac grauiſſimis modis, diuinam in ſe iram, & vicinarum, atque longinquarum etiam gentium inuidiam commouerit; adeò vt variis Græcorum & Romanorum bellis concuſſa, Herodum tandem tyrannide ſub Romano imperio oppreſſa fuerit. Quam demum ſpirituali libertate donandam, & regni cæleſtis communione atque dignitate illuſtrandam Chriſtus redemptor ſuſceperat, vereque morte ac reſurrectione ſua redemptam, in admirabilem filiorum Dei gloriam & lucem tranſtuliſſet, niſi ipſi ſibi, quo minus id præſtaretur, impedimento eſſent, non recipientes cæleſtis regni hæredem; cuius prodita fide regnum etiam abiurarunt. Non habemus, inquiunt, regem, niſi Cæſarem. &, Nolumus hunc regnare ſuper nos. *Redemptam* autem non ab re appellat. nam quod ad diuini officij & beneficij rationem pertinet, verè redẽpta fuerat, niſi ipſa ſibi deeſſe in ea re quàm adeſſe maluiſſet. Quam tot diuinis beneficiis, tot maximis muneribus ornatam, tanta Dei cura conſeruatam, neque ſolùm à Babylonica ſeruitute, ſed ab infernali etiam captiuitate liberam, in regnum diuinæ gloriæ, quantum omni beneficio, ſtudio atque opera diuinitus agi commodiſſimè potuit, tranſlatam, & ſponſæ modo ornatam ac dilectam, ſingularem columbæ amorem & fidem ſponſo præſtare oportuit, vocantique omni officio ac potius pietate adeſſe, & incomparabilis in ſe amoris diuini magnitudinem mutuo & feruentiſſimo amore comprehenſam diligenti obſequio contueri: cuius tamen illa fidei & officij rationes omnes nefariè peruerterit. [*Columba:*] Vnicè dilectam fuiſſe Iudæam & propriam Deo, in qua maxima & ſingularia amoris officia conſtiterint, nomen hoc indicat: namque columba ob naturæ inuiolabilem cum compare ſuo ſocietatem, mutui amoris atque ſingularis fidei ſignificationẽ habet, vt in arcano Cantico: Columba mea, perfecta mea. Solent tamen interdum feminæ columbæ comparem marem voce & amoris ſignificationibus magnis ſibi indulgentem, non mutuo officio, ſed faſtidio atque inſolentia excipere, roſtroque petentes arcere, ambientemque atque vltro rogantem repellere. Quam rem nos perſæpe obſeruauimus, quòd femina natura imprudentior, atque impotentis magis animi ſit. Quamobrem columba ſeducta & ſtulta nonnunquam dicitur: vt illud, Et facta eſt Ephraim quaſi columba ſeducta, & non habens cor. Huius verò erroris & mali diſſuadendi cauſa ſponſus columbam ſuam perfectam appellabat, quòd perfectum ab ea fidei & mutui amoris officium exigeret. Quàm verò ſeſe ſtultam, & faſtidioſam, & ingratam columbam, tot maximis & diuinis beneficiis acceptis, tantis amoris in ſe argumentis perſpectis, Hieroſolyma Iudææ regionis princeps ciuitas præbuerit, ſubiuncto carmine notatum copioſè exponitur.

Non audiuit Dominum, & non ſuſcepit diſciplinam: in Domino non eſt confiſa, ad Deum ſuum non appropinquauit.

HIERVSALEM per Chriſtum eius ad pœnitentiæ ſtudium vocata, atque ad cæleſtis regni dignitatem, neque diuinæ vocationi fidem, neque pœnitentiæ ſtudium adhibere voluit: namque duabus iis potiſſimum rationibus fide & pœnitentia, quibus omnium virtutum ſumma continetur, eos qui cæleſtis regni hæreditatem adire capeſſereque vellent, ornatos & inſtructos eſſe debere, diuini conſilij ſententia decretum, & multis grauiſſimisque præconiis pronuntiatum eſt. Quia appropinquabit regnum cælorum, pœnitentiam agite. Math. 3.
& illud: Pœnitemini & credite euangelio. Eam tamen ſponſi vocantis vocem Ieroſolyma Marc. 1.
non audiuit. *non audiuit Dominum.*] Qui quanquam quondam in patribus per prophetas
multifariam multisque modis locutus fuerat, tamen nouiſſimè in filio ipſos allocutus eſt: Hebr. 1.
quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula. Huius etiam ſententiæ illud [illegible] apud Iſaiam oraculum eſt: In ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram: quia
veni, & non erat vir; vocaui, & non erat qui audiret. Itaque non audire, non credere inter- Iſai. 50.
pretamur: ſunt enim præcepta auditionis, hoc eſt fidei, & præcepta actionis, hoc eſt, operum & pœnitentiæ ſtudij: de quibus aliàs plura & exactius. quarum rerum cùm neutra prætermittenda ſit, Iudæi vtramque nefariè contempſerunt. [*Et non ſuſcepit diſciplinam.*] Ad operum & pœnitentiæ rationes oratio hæc pertinet, neque enim peruerſa & ſcelerata am-

bitio-

bitionis, auaritiæ & libidinis, omniumq́ue flagitiorum ſtudia, quamuis frequentibus admonitionibus, hortationibus, & libetioribus etiam accuſationibus prouocati deponere, aut remittere, neque munitam & commonſtratam ſibi iuſtitiæ viam ſequi voluerunt. Venit enim ad vos Ioannes in via iuſtitiæ, & non credidiſtis ei. publicani autem & meretrices crediderunt ei. vos autem videntes nec pœnitentiam habuiſtis poſtea, vt crederetis ei? hæc Dominus Ieſus Chriſtus iiſdem obiiciens improbabat. Deinde etiā illud his flagitiis acceſſit, vt Moſaicæ legis, quam ipſi perperam interpretati fuerant, ceremoniali tantùm & vmbratili vſu & conſuetudine, atque externo ſolùm cultu nixi, nullam aliam ſalutis & vitæ rationem quærendam & tenendam, nullum firmius in Deo ipſo & Chriſto eius felicitatis veræ fundamentum ponendum ſibi eſſe duxerint. [*In Domino non eſt confiſa.*] præter quem nulla vera aut ſolida iuſtitia eſt: ſed ſine vlla in Deum & in mediatorē, & æternæ propitiationis atque ſalutis pontificem fide, ceremonialis tantùm cultus obſeruatione, non ex fide & pœnitentia, ſed ex operibus legis, quæ tamē imperfectiſſimè & frigidiſſimè ab ipſis præſtarentur, omnem iuſtitiæ ſuæ ſummam præfiniuit. Iſraël verò ſectando legem iuſtitiæ non peruenit. quare? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus legis. Offenderunt enim in lapidem offenſionis, &c. Qua de re, hoc eſt, de operibus legis, quæ ſine fide ab Apoſtolo contemnuntur; deque operibus fidei, quæ ab eodem, ad cæleſtis regni hæreditatem capiendam vehementer probantur, quæque pluſquam neceſſaria ad eam rem ſunt, nos aliàs longius, & maxima cum cognoſcentium vtilitate, & magna etiam totius cauſæ huius perſpicuitate, tantùm Deus ſtudiis, conatibus & incœptis benignè adſit, diſſeremus. [*Et ad Deum ſuum non appropinquauit.*] quem tamen certis notis & ſignis agnoſcendum antiquiſſimorum oraculorum iudicio & exhortationibus acceperat. Exulta filia Sion, iubila filia Ieruſalem: quia ecce rex tuus venit tibi iuſtus & ſaluator, ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ. Hunc verò regem iuſtum & ſaluatorem in propria veniētem, ſui non receperunt, ſed eiectum è vinea, ignominiisq́ue affectum regem abiurarunt: Nolumus, inquiunt, hunc regnare ſuper nos, tantùm abeſt vt venientem gratè & libenter in ſuam ciuitatem receperint. Illud ad ſententiæ rationem explicandam obſeruare operæpretium, nomen Dei hoc in loco vſurpatum Hebraicè ELOHIM eſſe: quod quanquam diuinam naturam non ſignificet, officium tamen diuinum ſignificat: quod nomen nos aliàs, iudices, à gubernatoris, ducis, magiſtratuumq́. rationibus definiuimus: vt illud, Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Huius autem nominis appellatio inſolubilem temeritatis & affectatæ ignorationis notam Iudæis inurit. Quibus quanquam Chriſtus Adonai, hoc eſt, diuinæ naturæ nomine agnitus initio non fuerit (nam ſi eam ſapiētiam aſſecuti fuiſſent, nunquam Dominum gloriæ, vt Paulus affirmat, crucifixiſſent) tamen Elohim, hoc eſt, legiſlatoris, gubernatoris, regis, prophetæ, diuini denique legati ac ducis nomine cognoſci oportuit eum in quo nihil, quod ad tantam dignitatem pertineret, deſiderari potuit, niſi ipſi ſibi ſincerum ac prudens de illius virtute iudicium ademiſſent. Si non veniſſem, inquit, & locutus eis non fuiſſem, & ſigna non feciſſem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Cùm tamen à Moſe certis notis ſpectandum, & probandum Chriſtum accepiſſent, ſui per omnia ſimillimum vatem, longè tamen auctoritate omnium poſt homines natos præſtantiſſimum. Prophetam, inquit, ſuſcitabit tibi Dominus de medio tui, de gente tua, & de fratribus tuis ſicut meipſum. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam. Igitur Iudæi ignorantes iuſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Finis enim legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. Hos autem quo modo verum legis finem Chriſtum ſumma culpa ſua ignoraſſe, ſed & veras diuinæ legis rationes omnino peruertiſſe, vates omnes, & Chriſtus ipſe Apoſtolique notauere, illud vitio dantes, quòd exteriori & ſuperſtitioſo nimium ceremoniarum & rituum cultu contenti, præcipua pietatis officia, innocentiam, iuſtitiam, charitatem, & honeſtatem omnem non ſolùm neglexiſſent, ſed maximis flagitiis publicè ac priuatè mutauiſſent. Ex quibus omnibus rebus diuinum odium, & vrbis ſuæ excidium, & eas, quibus adhuc operiuntur, miſerias, ipſi ſibi peperere: id quod Vates noſter deinceps perſequitur.

Marginal notes: Matth. 21. (beside "aut remittere…"); Rom. (beside "non peruenit…"); Zach. 9. (beside "non appropinquauit…"); Ioan. 1. (beside "pullum filium aſinæ…"); אלהים (beside "men Dei hoc in loco…"); Iohan. (beside "ac prudens de illius virtute…"); Deut. 17. (beside "ctoritate omnium…"); Rom. 10. (beside "legis Chriſtus ad iuſtitiam…").

Principes eius in medio eius, quaſi leones rugientes, iudices eius lupi veſpere, non relinquebant in mane. Prophetæ eius veſani, viri infideles: ſacerdotes eius polluerunt ſanctum, iniuſtè egerunt contra legem.

QVATVOR publicorum miniſtrorum ordinibus omnis publicæ rei ſumma adminiſtratur: Principum quorum auctoritate reſpub. ne quid vel à ſuis incommodi, vel extrinſecus detrimenti accipiat, defenditur: Iudicum iudicio & opera ſingulorum cauſæ ad communem vtilitatem conficiuntur: Prophetarum, qui in magnis & nouis negotiis de diuina

volun-

voluntate conſuluntur: & Sacerdotum, qui diuinæ legis & pietatis rationes, & populum
vltro doceant, & conſulti putè & integrè explicent. Atque in horum ſanctiſſimè præſtitis
officiis ſummam reipublicæ ſalutem, proditis autem ſummam perniciem eſſe, Deus tum
aliàs frequenter, tum in illo pſalmo declarauit: Deus ſtetit in ſynagoga deorum, &c. Ve- Pſalm. 81.
rùm enimuero rationes officiorum ſuorum omnes à Iudaicæ gentis miniſtris perturbatas,
corruptas, & ad priuata ſui ipſorum commoda reuocatas fuiſſe Vates criminatur. [*Princi-*
pes eius in medio eius, quaſi leones rugientes.] Quantam in populo ſtragem Herodum regum fa- Ioſe. de bello
milia, & qui his ſucceſſêre, nouarum rerum ſeditioſi auctores ediderint, cùm hic comme- Iudai. Græcè
morare nimis longum ſit, à Ioſepho, Ægeſippo, cæteriſque Hebræis ſcriptoribus petere & Hebraicè.
operæpretium fuerit, vbi manifeſtè deprehendi poteſt, principes ex paſtorum officio in Ægeſip. lib.
leoninam rabiem fuiſſe traductos. [*in medio eius.*] vt vbi commodius cuſtodiri oportuit, ieiuniorū. li.
commodius contrà lacerare & diripere valeant. Horum ſceleratum exemplum, ſed maio- receptionis.
ri auaritia iudices imitati ſunt. namque iuris & iudiciorum callida interpretatione in om-
nium fortunas & bona impetum faciebant, neque vllum diripiendi modum ſtatuentes,
quaſi lupi veſpertini, omnia miſerorum ciuium bona funditus deuorabant. Occulta au-
tem & fraudulenta iſtorum perditiſſima auaritia luporum veſpertinorum nomine ſignifi-
cata eſt: de quo genere nos in commentariis Habbakuq diſſeruimus. Illud verò, *non relin-*
quebant in mane, Hebraicè eſt, *non oſſabant.*] ne oſſa quidem in craſtinum ſibi rurſus petenda
corrodendaque relinquebant: tanta celeritate & ingluuie miſerorum res tota ab iſtis con-
ficiebatur, vt neque viliſſima quæque ex ciuium bonis & ſupellectili, non modò in vſum
dominis, ſed in alteram direptionem ſibi ipſis reſeruarent. Neque diſſimiles his illa ſecula
vates ſortita ſunt, ſed *veſanos & infideles,* leuiſſimum & vaniſſimum hominum genus, quod
nullo diuino ſpiritu, ſed ſua tantùm temeritate excitatum & ductum imperitæ multi-
tudini faceret fucum. Quales plures pſeudoprophetas illis temporibus extitiſſe legimus:
de quo genere Chriſtus verus Dei nuntius & filius illud Iudæis prædicens exprobrabat:
Ego veni in nomine patris mei, & non accepiſtis me: Si alius venerit in nomine ſuo, illum Ioan. 5.
accipietis. *Infideles,* Hebraicè eſt, *viri præuaricationum,* qui debitam Deo & populo fidem pa-
riter violauerint. Iam verò quales ſacerdotes tempora illa ſortita fuerint, videamus.
[*Sacerdotes polluerunt ſanctum, iniuſtè egerunt contra legem.*] Duplex ſacerdotale munus & offi-
cium, ſacrificia & doctrinam, ab iſtis violata, atque ſuis ipſorum commodis & vtili-
tati ſeruire coacta indicat. Quæ magna labes & pernicies Iudæorum reipublicæ illis
maximè Chriſti ſeculis allata eſt: cùm venalibus ſacerdotiis Annas & Caiphas, at-
que his perſimilia capita præeſſent. [*Iniuſtè egerunt contra legem,* Hebraicè *iniuriam fecerunt*
legi.] Hiſpanicè, *Aggrauiaron la ley.* Ad nouas, falſas & violentas legis interpretationes, ad
illam traditionum ſuperſtitioſam obſeruantiam, atque ad Phariſæorum, Sadducæorum,
Baiſæorum & Epicureorum inductas factiones & ſectas oratio hæc pertinet. Horum verò
flagitiorum integerrimum iudicem & tantæ impietatis vindicem Deum ſeſe præbiturum
eſſe confirmat.

Dominus iuſtus in medio eius non faciet iniquitatem: manè manè iudicium ſuum dabit in lucem, & non abſ-
condetur. neſciuit autem iniquus confuſionem.

CVM Dominus vniuerſæ terræ Deus ſit, & ſanctiſſimus iudex, fieri nullo pacto poteſt,
vt eius gentis & ciuitatis, cuius ſe regem & iudicem manifeſtis teſtimoniis profeſſus fue-
rit, ſacrilega & ſcelerata crimina diſſimulet. [*In medio eius non faciet iniquitatem.*] quinimo ille
grauiſſima ſeueritatis ſuæ exempla ſingulis diebus non obſcurè editurus eſt. [*Manè manè iu-*
dicium ſuum dabit in lucem, & non abſcondetur.] namque ante illam extremam Ieroſolymorum
per Titum allatam cladem multæ publicæ ac priuatæ calamitates diuinam indignatio- Matth. 24.
nem & iudicij ſeueritatem probauêre. Conſurrexit enim gens in gentem, & regnum «
aduerſus regnum, & fuerunt peſtilentiæ & fames, & terræmotus per loca. hæc au- «
tem initia dolorum fuerunt. Quibus rebus, & ſanctiſſimorum Apoſtolorum prædicatio-
nibus aſſiduis cæteri commouerentur, proteruitatis tamen & pertinaciæ contentionem re-
mittere noluerunt: ſed illud magis facinus obſtinatè & ſacrilegè in ſe admiſerunt, quod ab
ipſo ſalutis æternæ pontifice Chriſto fuerat prædictum. Tradent enim vos in tribulatio-
nem, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomē meum. Et tunc ſcan- «
dalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem. Et multi pſeudopro- «
phetæ ſurgent, & ſeducent multos, & quoniam abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas »
multorum. hanc omnem ſententiam illa Vatis noſtri oratio indicat. [*Neſciuit autem iniquus*
confuſionem.] hoc eſt: Quanquam hæc omnia ſingulis diebus iudicia edantur, tamen ij, qui-
bus mala mens, maluſque animus erit, neque his iudiciis perterrefacti, neque Apoſtolicis
indicatio-

indicationibus pudefacti, à propoſito declinaturi ſunt, vt veniat ira Domini ſuper eos, & ſit tribulatio, qualis nulla antea fuerit ab initio creaturæ, quam condidit Deus, nec in poſterum vlla vnquam futura ſit. Illa verò oratio, *Mane mane iudicium ſuum dabit in lucem,*] eiuſ-
Pſalm. 100. dem cum illa ſignificationis eſt: In matutinis interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. Quæ verò de initiis dolorum in genere dicta fuerant, in ſpecie nunc explicantur.

Diſperdidi gentes, & diſſipati ſunt anguli earum: deſertas feci vias eorum, dum non eſt qui tranſeat: deſolatæ ſunt ciuitates eorum, non remanente viro, neque vllo habitatore.

HÆC ex illo loco aperta ſunt, Surget gens contra gentem, &c. Quanto autem ſtudio, ſolicitudine & opera, per Apoſtolos ſuos & Euangelij verbum, Iudæos ab errore atque impietatis propoſito reuocare curaturus erat Chriſtus, ſi quomodo carnem ſuam ad imitandum prouocaret; ſi quomodo futura pericula declinantes, ad maximorum & diuinorum beneficiorum, & cæleſtis regni largitionem & communicationem alliceret, ſubiuncto carmine Vates demonſtrat:

Et dixi, attamen timebis me, ſuſcipies diſciplinam: & non peribit habitaculum eius propter omnia, in quibus viſitaui eam.

DEI ad pœnitētiam & miſericordiæ rationes ineundas Iudaicum populum exſpectantis oratio eſt, non raro à Chriſti Apoſtolis vſurpata. [*Timebis me.*] Religionem veram timor
Domini ſanctus arguit, ſicut ſcriptū eſt: Timor Domini eſt ſcientiæ religioſitas, &c. [*Suſci-*
Eccle. 1. *pies diſciplinam.*] Pœnitentiam vitæ, ac morum ad diuinam normam exactionem, nomen diſciplinæ ſignificat: nam vox caſtigationē propriè ſonat. [*Et non peribit habitacul. eius.*] mutatio perſonæ, quæ tamen Hebraicè nulla, hoc in loco eſt namque minus perſpicuam orationem reddit. Significat autem fide & pœnitētia caueri ab eis poſſe, quo minus Ieruſalē ſancta vrbs funditus euerteretur. cuius vicem vſque adeò Chriſtus dolebat, vt ſine luctu & la-
Luc. 19. chrymis commemorare nō potuerit. Patienter igitur agebat Deus nolēs aliquos ex eis perire, ſed omnes ad pœnitentiam, atque ad ſalutis viam reuerti. Neque verò conſeruandæ tantùm vrbis & gentis cura, ſed magno etiam felicitatis æternæ illis cōmunicandæ deſiderio teneri ſe Deus confirmat. [*Propter omnia in quibus viſitaui eam.*] Namq. huius rei cauſa conſeruatam gentem volebat, vt Chriſti iuſtitiæ, ſanctitatis, diuinitatis, & omnis ineffabilis regni & dignitatis participem faceret. hæc omnia viſitationis nomine definiuntur, atq. etiam omnes illæ felicitatis diuinitus oblatæ rationes, in quibus viſitauit nos oriēs ex alto. in tanta verò Dei erga iſtorum ſalutem diligentia, quanta rurſus eorum ipſorum negligentia, vel ſententiæ potius, & prauæ conſuetudinis obſtinatio fuerit, ſtatim Vates opponit:

Veruntamen diluculo ſurgentes corruperunt omnes cogitationes ſuas.

MAGNA ſedulitate & diligentia, communique opera in peruerſa ſtudia, & corruptæ vitæ conſuetudinem Iudæorum mores incubuiſſe hæc oratio ſignificat, quemadmodum de his ipſis temporibus indicatum à Chriſto eſt. Quoniam, inquit, abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Si quis autem illius tempeſtatis res cognoſcere cupiat, præter ea, quæ in Apoſtolorum actis & epiſtolis ſparſa ſunt; Ioſephi Iudæi hiſtoriam Græcè atque Hebraicè etiam legat, nos verò orationis verba breuiter interpretemur. [*Veruntamen.*] Hebraicum verbum contrarium omnino præcedenti ſententiæ euentum arguit. [*Diluculo ſurgentes.*] Vno ſimplici verbo SACHAM, res duæ ſignificantur, mane conſurgere, & humerum humero coniungere: quibus maxima & communis diligentia, & opera alicui negotio adhibenda explicatur, vt in libro De arcano ſermone docebimus. In quam verò rem inclinatè omnes incubuerint, videamus. [*Corruperunt omnes cogitationes ſuas.*] Nulla oratione neq. grauius, neq. breuius Iudæorum obdurata obſtinatio exprimi potuit. nam conſultò dataq. opera & communicato ſtudio non ſolùm actionibus, ſed cogitationibus, & conſiliis omnibus corrumpendis totum ſe penitus illum populum tradidiſſe ait: Vbi verò animi nerui omnes, ingeniumque communi multorū ſtudio intendantur, valeant neceſſe eſt. Pœnitet profectò nos in tanta huiuſmodi orationum magnitudine & ſignificatione, breuitati conſulentes, adeò pauca explicando dicere Quæ igitur & quanta Iudæorum calamitas Chriſti temporibus futura eſſet, quæ iſtorū culpa, quanta Dei miſericordiæ; exſpectationis & ſtudij apud eoſdē contemptio, ac proinde quàm iuſta damnatio ac punitio cōſequutura eſſet, grauiſſimè & luculentiſſimè eſt a Vate hactenus explicatum. Quem verò tandem hæc res exitum habitura ſit, nimirum non qualē eius gentis ſtudia ac facta promerεantur, ſed qualem diuinæ miſericordiæ & veritatis immenſitatem deceat, nunc deinceps exponitur.

Quapropter exſpecta me, dicit Dominus, in die reſurrectionis meæ in futurum.

IVDÆORVM & Iſraëlitarum diſſipatas, & toto orbe diſperſas reliquias, non ſuo ipſorum meritò, ſed diuinæ miſericordiæ & veritatis certo propoſito tandem liberatum iri, & à multis ſanctis viris diuino oraculo proditum eſt, & à noſtro Vate hoc in loco præclarè explicatur. *Quapropter, &c.* Satis, inquit Deus, benignè hactenus vobiſcum actum eſt, ſatis magnum & ſpectatum bonitatis & clementiæ meæ priuatæque erga vos prouidentiæ exemplum fuerit, ſceleris & ſuperſtitionis damnatos, Babylonemque abductos breui poſt tempore in patriam fuiſſe reſtitutos, ibidemque varijs & maximis beneficijs interim affectos quoad publicus orbis redemptor veſterque Propheta & dux adueniens reciperetur: quem etiam rogantem vltrò & inuitantem pacem & felicitatem æquiſſimis legibus offerenté repuliſſe parum vobis viſum eſt, niſi euangelio ab ipſius diſcipulis per Spiritum ſanctum, tot ſignis & prodigijs atque eiuſdem ſpiritus diſtributionibus, denuntiato obnixè eſſet repugnatum. Satis nimium ſatis patientia mea, ſatis demum priuata prouidētia abuſi eſtis: quod verò non funditus de cætero pereatis, miſericordiā ſummā interpretari oportuerit. Cæterū antiqua illa & priuata beneficiorum meorū aſſiduitas, illa rerū veſtrarum propria quædam atque ab aliarū gentiū rationibus longè diſtincta cura, vobis exſpectanda non eſt, quos iam deinceps ad communem cum alijs etiam infidelibus nationibus prouidentiæ vſum reiectos interim eſſe volo, quoad tempus illud aduentauerit, cùm ad nominis religioniſque meæ & euangelij cultum ſuſcipiendum, gētes nationeſque omnes pariter adducendæ ſunt. Interim verò vobis, qui certa quadam cuſtodia & tutela antea fouebamini, omnium mortalium miſerrimè ætas degenda eſt. Quia enim reprobaſtis verbū hoc, idcirco erit vobis iniquitas hæc quaſi interruptio cadens, vt Iſaias inquit. Omnem hanc à nobis explicatam ſententiam verbo illo, *quapropter*, ſignificari atque inferri arbitrati ſumus: nam vox Hebræa LACHEN ſententiæ poſterioris rationem longè repetitæ priorum rerum cogitationi annectit. cuius officij apud Græcos eſt, ἐκεῖν, & apud Latinos *igitur*. Illā verò feliciſſimā ætatē diuino conſilio ad gētes omnes quę in tenebris & in vmbra mortis ſedent, illuminandas præfinitā, reſque in illa ætate gerendas illuſtri oratione ſignificauit. [*Exſpecta me, dicit Dominus.*] Huiuſmodi vaticinium & apud Hoſſeam explicuimus. *Dicit Dominus* certam ſtabilemque ſententiam, quam neque ob temporis diuturnitatem deſperari aut negligi oporteat, ſignificat. [*In die reſurrectionis meæ.* Hebraicè ad verbū, *ad diem cùm ſurrexero.*] Magni negotij vel bello vel pace gerendi inceptionem verbū ſurgere, Hebraicè ſignificat, quod aliquando etiam ſtare, noſter Interpres vertit: vt, Surrexit Moſes, & defenſis puellis &c. Surge Domine ac diſſipentur inimici tui. Latinus ſermo proxima huic ſignificatione verbū extare vſurpat. *In futurum*, Hebraicè ad verbū, *ad vſque*. Plenam, integrā, perpetuamq. euangelij, & diuinæ legis de omni impietate & errore victoriam futuram indicat. Hunc locum ſic Chaldaicè legimus: *Quapropter ſuſtinete verbum meum, dicit Dominus, vſque ad diem reuelationis meæ ad iudicandum.*] Iudicij abſoluti nomine, & ratione futuram rerum in melius mutationem definit: quam definitionem luculenter perſequutus explicat.

Exod. 2. Num. 1.

Quia iudicium meum vt congregem gentes, & colligam regna: & effundam ſuper eos indignationem meam, & omnem iram furoris mei: in igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra.

IVDICIVM *meum*, certi & ſapientiſſimi conſilij decretum. Omnem impietatis & ſuperſtitionis, errorum ſectarumque varium, vaſtum, lateque patentem ſtatum, gentium & regnorum nominibus expreſſit: quibus vt variæ familiæ, variæque linguæ, ſic varia etiā religionum vel ſuperſtitionum potius & impietatis genera ſub tyrannico Satanæ imperio ſunt, quæ ad certum tempus diuina patientia tolerare decreuit, tandem omnino euertenda, & in ditionem ſuam euangelij virtute redigenda, atque ſub vno paſtore Chriſto, vna cuſtodiæ & religionis ratione, communique lege atque diuini Spiritus ductu gubernanda. Euangelij autem efficientia altera iræ, indignationis & zeli nominibus; altera verò labij puri reſtituendi rationibus explicatur. Perfecta namque & probata diuina victoria, qua victorum animi pariter & corpora ſub diuini obſequij iugum mittantur, ſpiritualis eſt, atque ſpiritualibus armis conſtat, potenti virtutis Dei euangelio, & verbo illo abbreuiato & conſummanti in æquitate: quod à Domino faciendum eſſe Vates prædixerant, de quo verbo plura aliàs, & exactius. Huiuſmodi verò bellum & victoriam diuini verbi virtute ad impietatis extinctionem exſpectari oportēre, ipſe belli & victoriæ conſequens exitus declarat.

Rom. 9.

Quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes nomen Domini, & ſeruiant ei humero vno.

IVDÆORVM exſpectationē ad illam vſque ætatem differre Deus decreuit, cùm gen-

tes omnes veræ & ſanctiſſimę religionis communione iungendę ſint. quam ſocietatem labij electi ſiue puri imagine deſcripſit, relata nimirum ratione ad illa tempora, quibus ob linguarum diuiſionem ingens animorum diſſidium & diſſenſio facta eſt. Nulla enim maior hominũ diſiunctio eſſe poteſt, quàm quę ex varia religionis ratione atque oratione accidit, cùm totis animis & verbis diſſidetur, aliuſque aliam vitæ inſtituendæ viam, ex verę religionis, vel ex erroris rationibus muniendam ſibi ducit. *Labium* verò *electum*, ſiue vt Hębraicè eſt, *purum*, ex illa linguarum diuiſione per ſimilitudinem tranſlatum eſt, cùm Hebraici ſermonis puritas (quę prima omnium lingua fuit) ad paucas familias redacta eſt, cęteris omnibus magna verborum & orationum varietate diſiunctis. Neque id verò futurum eſſe affirmat, vt omnibus eadem Hebraica lingua reſtituatur, ſed vt idem Deus, cuius ineffabile nomen illa tantùm lingua rectè pronuntiatur, communi omnium conſenſu, atque eodem omnino cultus, doctrinę & ſapientię genere, & eadem velut formula publicè colatur, Spiritu ſancto id efficiente, qui veritatis rationes omnibus nationibus aperiens
Phil. 2. docebit; neque enim alia virtute, quàm diuina, id effici præſtariue poteſt. Huius igitur
" tantæ rei auctoritatem ſibi vni Deus ipſe tribuit dicens *Reddam*, idemque promiſſionis ſententiam explicat: *vt inuocent omnes nomen Domini.*] idipſum omnes ſapiant, eandem charitatem habentes, vnanimes idipſum ſentientes. Hic locus Chāldaicè ſic habet: *Quia tunc mutabo ſuper omnibus populis ſermonem vnum clarum, vt orent illi omnes in nomine Domini, & colant eum humero vno.*] *Humerum vnum*, idem plurimorum ſtudium ſignificare aliàs docuimus. Transfertur autem ſimilitudo à bobus iugo coniunctis, quibus idem onus trahitur, de iugo & onere
Zach. 14. Chriſtianæ legis intelligendum. De hac verò eadem re ſic Zacharias vaticinatus eſt: In die
" illa erit Deus vnus, & nomen eius vnum. hanc verò Chriſtianæ ac veræ religionis communionem ad longinquas etiam gentium regiones, quæ ab vnius veri Dei cognitione alieniſſimæ fuerant, pertinere ait.

Vltra flumina Æthiopiæ, inde ſupplices mei filij diſperſorum meorum deferent munus mihi.

NON modò Æthiopas, qui Africam incoluêre, ſed omnes orientalis Indiæ vltra Indum & Gangem nationes hac oratione complexus eſt. [*Vltra flumina Chus.*] pro quo noſter interpres *flumina Æthiopiæ* vertit. nam Æthiopes Abyſſinos ſub iugum diuinæ legis mittendos eſſe, iam aliàs fuerat prædictum. Omnem verò orientalem oram, & longiſſimum tractum, vſque ad eas terras, quæ à noſtris nauigatoribus inuentæ, noui orbis nomen obtinuerunt, ſignificatas à Vate noſtro eſſe, duo imprimis argumenta fidem nobis faciunt. alterum verbum, *vltra*, alterum nomen fluuiorum, & Chus eſt: namque *vltra* Hebraicè eſt GHEBER, quod à tranſmittendi verbo deductum, trans propriè vertimus. Atqui à Palæſtina Abyſſinos Æthiopes petentibus, nulli inſignes fluuij tranſmittuntur: qui enim in toto illo tractu maximi ſunt, partim Septentrionem verſus in Libycum mare procurrunt, vt Nilus, Bragada & Ciniphus; partim in meridionalem Oceanum deſcendunt, ſed hi vt exigui, ſic etiam obſcuri ignobileſque ſunt. At verò orientem verſus tendentibus, præter Tygrim, qui Perſidē regionem interluit, maxi-
Pomp. Mela lib. 1. ca. 1. ma flumina Indus & Ganges, & ſi quæ vltra in Synarum regione ſunt, tranſmitti neceſſe eſt. Indiam & quicquid vltrà eſt (quod totam Aſiam eſſe grauiſſimi ſcriptores tradide-
Gen 10. runt) illa oratione, vltra flumina Chus, definimus. omnem namque illum vaſtum lateque patentem Aſiæ tractum, qui ad ſolis auroræque ortum protenditur, à filijs Chus occupatum fuiſſe Moſes tradidit. qua de re nos aliàs præſenti tractatione Deo donante, dicemus. Rectè itaq. Chaldęus interpres hunc locũ tenẽs reddidit: *Abuſq; trans flumina Hodu.* quod nos Indiã, Hebræi, Chaldæi, Arabes, Syri, vel Hodu, vel Hondu, vel Hundu di-
Ibid. cunt. [*Inde ſupplices mei filij diſperſorum meorum deferent munus mihi.*] Non Iſraëlitas tantùm, ſed gentes etiam diuino olim conſilio, toto orbe diductas & diſperſas, eorum, inquam, filios à quibus diſſeminata eſt tota terra, munus acceptum & gratum veræ & ſanctiſſimæ religionis communi ſtudio, & profeſſione, vni Deo optimo & maximo eſſe allaturas dicit. Non ignoramus nomina illa, *Supplices mei filij diſperſorum meorum,*] Hebraicè gentilia nomina magis, quàm appellatiua videri. ſed nos vulgatam verſionem, quàm fieri poſſit religioſiſſimè ſequi inſtituimus. hæc verò Chaldaicam paraphraſin hoc in loco expreſſit. Iudæarum verò & Iſraëliticarum rerum ſtatus, quem ad illud vſque tempus deterrimum fore prædixerat, quemadmodum in ſummam felicitatem conuertendus ſit, deinceps exponit.

In illa;

In illa die non confunderis ſuper cunctis adinuentionibus tuis, quibus præuaricata es in me: quia tunc auferam de medio tui magniloquos ſuperbiæ tuæ, & non adijcies exaltari amplius in monte ſancto meo.

HÆC quæ à Vate noſtro dicta deſcriptaque ſunt omnia, non ad poſterioris templi,
ſed ad futuræ per Chriſtum Iudęorum reſtitutionis ætatem pertinere, res ipſa indicat.
namque poſterioris templi temporibus, poſt recuperatam ex Babylonica ſeruitute liber-
tatem, aduſque excilam per Titum & Iulianum Ieroſolymam, non modò gentes vario-
rum Deorum nomina coluiſſe, ſed Iudæos ipſos in plures Phariſæorum, Saducæorum,
Baiſetorum & Epicureorum ſectas; quas adhuc etiam proſequuntur, diuiſos fuiſſe ac-
cepimus. tantum abeſt, vt eadem omnium lingua, idem ad diuinum ſuſcipiendum cul-
tum humerus fuerit. Quamobrem ad communem omnibus auream euangelij ætatem re-
ferenda hæc ſunt: cuius myſterium iam Chriſto ad dexteram æterni patris ſedente ope-
ratur: olim quidem omnibus orbis nationibus auditum primo naſcentis eccleſiæ tempo-
re, ſed clarè tamen de cætero enunciandum, & diuini Spiritus virtute explicandum. Cui
rei ianuam noſtro æuo aperiri ac propemodum patefieri videmus, cùm ad ignotiſſimas
antè regiones noſtrorum hominum nauigatio pertineat. in quibus tametſi non tanta di-
uini Spiritus efficientia, quantam futuram demum ſperamus, non ſine magno tamen fru-
ctu Chriſti nomen auditur & ſuſcipitur. Cùm verò plenitudo gentium vnius veri Dei Iſai.59.
& Chriſti eius plenam notitiam habuerit, tunc veniet ex Sion qui eripiat & auertat im- Rom.11.
pietatem à Iacob: & hoc à me illis teſtamentum, cùm abſtulero peccata eorum. Eam
porrò peccatorum ablationem nouæ & laudatiſſimæ vitæ vſus, & diuina quædam conſue-
tudo, diuini Spiritus virtute atque efficientia, conſequutura eſt. [*In illa die non confunderis.*]
Confuſio, quam pudefactionem aliàs expoſuimus, peccatorum pœnæ comes indiuidua Ariſt.in Ethic.
eſt, aut vitium ipſa, aut non ſine vitio eſt. Huius verò rei nullum apud Iudæorum gentem
turpe exemplum de cætero edendum eſſe ait, atque ex conſequenti argumento puram &
ſanctam probatamque vitam ſine vlla reprehenſionis materia publicè colendam illis eſſe
docet, longè ab ea quam hactenus vixerint, alienam, adeò vt cõfundi iam amplius neceſſe
non ſit. quippe magna rerum, ſtudiorum, actionumque mutatio & feliciſſima quædam
doctrinæ, & totius vitæ inſtituendæ, atque mundi pene renouatio futura ſit. [*In cunctis ad-
inuentionibus tuis, quibus præuaricata es in me.*] Adinuentiones quæ dicantur in ſacris libris, longius
diſſerere, & exactè definire ad finem properanti non vacat: ſatis illud indicaſſe fuerit,
nomen GHALILA, à verbo GHALAL, deductum, quod pueriliter agere ſignificat, ad
eas res vſurpari, quæ cùm viles atque obſcuræ nulliuſque momenti natura ſua ſint, ſerio
tamen & magno cum molimine & ſtudio, contra ius atque fas tractantur & ſtabiliuntur.
id quod non ſine magno religionis & publicæ rei detrimento admittitur. Hiſpanè, *rapaze-
rias*, non inconcinno vocabulo dicimus. *Præuaricari*, verò quid ſit, iam aliàs expoſuimus.
Huiuſmodi verò adinuentiones religionis nomine, eorum potiſſimum, qui ſeſe aliorum
duces magiſtroſq́. profiterentur, temeritate & inſolentia arroganter inductas fuiſſe oſten-
dit. [*Quia tunc auferam de medio tui magniloquos ſuperbiæ tuæ.*] Superbum & arrogans Phariſæorum
& Scribarum ſupercilium deſcribit, quorum puerilibus adinuentionibus, ad ſuam ipſo-
rũ ambitionem cupiditatemque excogitatis & compoſitis, veræ ac diuinæ pietatis virtus
obſcurata & penè obruta iacebat. Quam rem Magiſter ipſe vitæ diuinus illis vitio dedit:
Væ vobis Scribæ & Phariſæi, quia tuliſtis clauem regni cælorum, & neque vos intratis, nec
ſinitis alios intrare. [*Et non adijcies exaltari amplius in monte ſancto meo.*] nam anteà religionis præ-
textu, & longæ orationis obtentu, atq. magiſterij ambitioſo ſupercilio, & domos vidua-
rum deuorare, & plebis loculos exhaurire, & animos ſuperſtitione implere conſueuerant,
primas cathedras & ſalutationes in foro, & publicum plauſum magiſtrorumque appella-
tionem amantes, atque tandem tyrannidem quandam in populum exercentes. quo vitio
omnes ferè gentium ſacerdotes, & religionum illarum profeſſores etiam notare eſt, Mon-
tem ſanctum ſuum, ſiue, montem ſanctitatis ſuæ religionem diuinam Deus perſæpe ap-
pellat: vt, Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius. quales
autem religionis miniſtros, & pietatis veræ profeſſores ætas illa aurea ſortitura ſit, horum
nimirum moribus, ſtudio & habitu longè diſſimiles, deinceps explicatur.

Et derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum: & ſperabunt in nomine Domini.

O FELICISSIMAM hominum ætatem, in qua me natum eſſe horum temporum
vehementer pertæſum ſæpius optare profiteor! magnum hominum delectum euan-
gelij virtute & efficacia futurum eſſe docet, magnamq. rerum mutationẽ indicat, quando
cælorũ regnum & Ieruſalẽ ſancta ciuitas non ſuperbis atque ambitioſis, ſed modeſtiſſimis

Matth. & Spiritú pauperibus ciuibus ſtequentanda eſt : Ipſorum enim eſt regnum cælorum, in
“ cuius communionem neminem admittendum eſſe, qui non ſeſe paruuli inſtar humilia-
» uerit, Chriſtus declarauit. Illa enim maxima & pretioſiſſima cæleſtis regni ſacramenta,
Matth. 18. à ſapientibus & prudentibus huius mundi abſcondita, paruulis verò reuelata eſſe, ſapien-
» tiſſimus ille & ſummus omnium pater voluit. [*Et relinquam.*] diuinum opus hoc fore oſten-
Math. 11. dit, à Chriſto Ieſu maxima euangelij virtute efficiendum, qui permundaturus erat aream
“ ſuam, & triticum congregaturus in horreum ſuum, paleas verò inextinguibili igne com-
Math. 3. buſturus. permundari autem ab ipſo oportuit populum acceptabilem, ſectatorem bono-
“ rum operum, ſicut ſcriptum eſt: Et vram eos ſicut vritur argentum: & probabo eos ſicut
Zach. 13. probatur aurum. [*Et ſperabunt in nomine Domini.*] Nulla ſua ipſorum ſapientia, prudentia, vir-
“ tute, nullis opibus aut diuitijs humanis, nullo denique rerum humanarum genere, ſed tan-
tùm diuinæ gratiæ & charitatis ſpe nixi, omnem humilitatis paupertatiſque ſuæ magni-
Tit. 2. tudinem non patienter modò, ſed libenter etiam ſuſtinebunt, Exſpectantes beatam ſpem
& aduentum gloriæ magni Dei, &c. cuius viuæ & diuinæ ſpei maxima & illuſtriſſima in
nouo teſtamẽto præconia ſunt. omnis autẽ oratio hęc ſentẽtiæ ſuperioris antitheti cõſtat
nam magniloquis ſuperbię, populus pauper & egenus; exaltationi verò in monte ſancto,
ſpes in nomine Domini opponitur. Nomen Domini, virtutem & efficientiam interpre-
tamur, aliàs etiam definitũ. Quod nos Latinè legimus, *egenum*, Chaldaicus interpres ver-
tit, tolerantem violentiam & contumeliam. cuiuſmodi ciues regno ſuo Deus aſſcripſit,
Math. 13. nimirum Spiritu ſancto & igni baptizatos, pauperes quidem ſpiritu, ſed cæleſtibus tamen
“ muneribus ditiſſimos; vtpote reges, Quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Diuinæ
etiam ſapientiæ rationibus abundaturos eos illa oratione interpretamur: *Et ſperabunt in no-
mine Domini:*] nominis enim notitiam ſpes ipſa arguit. nam HAZZA verbum in alicuius
Pſalm. 36. præſidio tutelaque latere ſperareque ſignificat: vt, Filij autem hominum ſub tegmine ala-
“ rum tuarum ſperabunt, &c. At verò præter diuinarum rerum cognitionem, præter viuam
illam fidem & ſpem, omni vitio alienos, magnis & illuſtribus virtutibus præditos fore,
Vates docet.

Reliquiæ Iſraël nõ facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, & non inuenietur in ore eorũ lingua doloſa.

NVLLA neque operum actionúmue prauitate, neque dictorum vanitate, neque frau-
de aut dolo, ſed neque arte conſtantis orationis parte notandos illos eſſe dicit, qui puram,
ſanctamque omni ex parte probatam vitam, vt ſpirituales viros, & ſimplici ac diuino ſpi-
ritu actos decet, tranſacturi ſunt. quorum non ſolùm probata ſtudia & opera, ſed ſermo
atque conſuetudo omnis innocentiſſima & ſanctiſſima, nullis iuramentis indigens fides,
quam ſolummodo eſt & non confirmatura ſit. neque enim alio conſuetudinis genere, alia
omnino aſtutia & calliditate opus erit ijs, qui velut oues diuini Spiritus virtute, & Chriſti
Ieſu tutela paſcentur.

Quoniam ipſi paſcentur & accubabunt, & non erit qui exterreat.

DIVINI Spiritus gratia & charitate gubernandos illos eſſe ait, cùm in Chriſti Ieſu
Ioan. 10. grege numerentur: cuius tutela & præſidio muniti, nulla vi, nullo metu, nullo externo
“ impetu perturbari poſſint; tum quòd paſtorem nacti fuerint optimum & vigilantiſſimum,
Rom. 7. cuius oues nemo rapere valeat; tum quòd ipſi in eo diuinę notitię & dilectionis gradu
» collocati ſint, de quo nulla vel infernę vel humanę potentię vi deijci poſſint. Quis enim
accuſabit aduerſus electos Dei? aut quis ſeparabit illos à charitate Dei, quę eſt in Chriſto
Ieſu Domino noſtro? [*Lingua doloſa.* Hebraicè, *lingua* THARMITH.] Significat autem *thar-*
תרמית *mith*, quicquid à ſincera & ſimplici veritatis ratione & oratione alienũ eſt. quod Chriſtus
Math. 5. in præceptis inſtitutiſque ſuis fugiendũ omnino docens, deſcripſit. quod autem his abun-
dantius eſt, à malo eſt. cætera omnia verba deſcribere feſtinantibus non licet, ſatis fuerit
indicaſſe.

Lauda filia Sion, iubila filia Iſraël: lætare & exulta in omni corde filia Ieruſalem.

RESTITVTI in gratiam Iſraëlis felicitatem ſumma cum gratulatione & lętitia præ-
uidens Vates, attente exſpectandam, & gratiſſimè tandem excipiendam, & publica atque
perpetua lætitia colendam proponit. namque futuram quaſi præſentem intuitus, adeò
magnam & perfectam fore contemplatur, vt iam nunc exſpectatam, nedum pręſentem,
celebrandam iudicet. eam verò quibus poteſt maximis verbis deſcribit; quam tamen pro-
prijs & ęqualibus deſcribere pro rei magnitudine & dignitate contingere hominibus non
poſſit. Neq. enim oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit, quan-
Corinth. 2. ta præparauit Deus diligentibus ſe. Omnes autem Iſraëlitarum tribus in vnam Chriſtia-
» næ pietatis ſocietatem & vitæ communitatem cum cæteris nationibus conuocandas ad
laudem & lætitiam, atque ad perpetuam gratiarum actionem hortatur. eius laudationis
illu-

illuſtriſſima exempla noui teſtamenti tempore celebrantur; quale illud eſt: Benedictus 1.Pet.1.
Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam «
regenerauit nos in ſpem viuam, per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis, in hęreditatem incorruptibilem, incontaminatam & immarceſcibilem, conſeruatam in cælis in vobis, qui in virtute Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem, reuelari in tempore nouiſſimo, in quo exultabitis modicum, nunc ſi oportet contriſtari in varijs tentationibus, vt probatio veſtrę fidei multo pretioſior auro, quod per ignem probatur, inueniatur, in laudem & gloriam, & honorem in reuelationem Ieſu Chriſti, quem cùm videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes, creditis: credentes autem, exultatis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei veſtrę ſalutem animarum. [*Lauda, iubila, lætare.*] Lætitiæ publicæ amplificatio eſt, quæ per incrementum rhetoricis dicitur; ſed verbum *lauda*, Hebraicè cantum celebrationemque ſignificat, vt ad gratulationem faciendam hortetur. [*Filia Sion.*] Iudæos nunc ob ſcelera & impietatem à Deo abalienatos, ſed in maiorem tamen quàm vnquam anteà reſtituendos, enthuſiaſmo vſus alloquitur: quæ figura ſacris Vatibus familiariſſima eſt, atque aliarum etiam nationum poëtis in magni momenti rebus annuntiandis non ignota, vt illud: Hor.lib.2. od.20.

Iam iam reſidunt cruribus aſperæ
Pelles: & album mutor in alitem
Supernè.

[*Filia Iſraël.*] Decem tribus nunc toto ferè orbe diſperſas ſignificat, quas in vnam ciuitatem Ieruſalem, hoc eſt, in vnam veræ religionis communionem, ſimul cum Iudæis recipiendas fore Ezechiel prædixit. eam vero duodecim tribuum ciuitatem, *filiam Ieruſalem* appellat; hiſque publicam lætitiam gratulationemque tribus potiſſimum nominibus decernit. Ezech.16. [*Exulta, inquit, in omni corde.*] Plenam ſummamque lætitiam eſſe vult, cui nihil doloris, metus aut ſuſpicionis permixtum ſit: quòd ſumma, pia, & æterna pace, non quomodo mundus dat, ſed diuina quadam & perpetua animorum tranquillitate, quæ exuperat omnem ſenſum, frui contigerit.

Abſtulit Dominus iudicium tuum, auertit inimicos tuos: rex Iſraël Dominus in medio tui, non timebis malum vltrà.

TRIPLICI de cauſa gratulationem indictam docuimus. prima eſt, Iudicium eorum à Domino eſſe ablatum: id, inquam, diuinum iudicium, quod grauibus excæcationis & exilij abalienationiſque pœnis luendis hactenus experti eſſent, fuiſſe tandem de cætero ſublatum, ita vt non amplius iudicij, ſed miſericordiæ rationibus agendum cum illis fuerit. altera verò cauſa eſt, *auertit inimicos tuos.*] peccatorum & ſcelerum abolitionem ſignificat, qui feriſſimi & immaniſſimi hominum hoſtes communes ſunt, à quibus primum proditi, in diuinam offenſionem, deinde in plurima mala incidimus. id quod his ipſis Iſraëlitis Deus aliàs declarauit: Quis, inquit, eſt hic liber repudij matris veſtræ quo dimiſi eam? aut Iſai.50.
quis eſt hic creditor meus, cui vendidi vos? ecce enim in iniquitatibus veſtris venditi eſtis, «
& in ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtrã, &c. Huiuſmodi hoſtibus extinctis nihil damnationis reliquum eſt ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant, quoſque lex ſpiritus vitæ à lege peccati & mortis liberauit. Hanc diuinam liberationem Rom.8.
gratulatus videre iam Zacharias geſtiebat, vehementerque prædicabat: Vt ſine timore de Lucæ.1.
manu omnium inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi, in ſanctitate & iuſtitia «
coram ipſo omnibus diebus noſtris. Hæc nobis maxima & diuina myſteria, dum Vatum promiſſa antiqua exponimus, breuiter indicaſſe ſat fuerit, latius & altius præſenti loco, hoc eſt, nouo teſtamento enarrando, ſi Deus id conceſſerit, explicaturis, donec diuini Spiritus dono, quod fore aliquando ſperamus, eadem in ipſis hominum animis reperiantur. Vbi verſio Latina habet *inimicos tuos,*] Hebraicè nomen eſt quod ſingulari & plurali numero non ſine magna ſignificatione interpretari debeamus. namque ſcelera omnia, infeſtaque hominum generi vitia, interdum peccata, interdum verò peccatum, vel peccati corpus multis illis membris conſtans dicitur. peccata autem quædam ſacrificiorum myſticorum interuentu & diuina virtute, antiquis hominibus purè & ſanctè deprecantibus dimittebantur. peccatum verò ipſum, hoc eſt, corpus peccati, non antè ablatum eſt, quàm perfectiſſimo Chriſti Ieſu ſacrificio penitus aboleretur: cuius maximi ſacrificij virtute, antiquæ hoſtiæ quicquid illud erat, præſtabant. Huius igitur agni immolati, & in conſummationem omnium ſeculorũ ſemel occiſi ſanguine omnia mundi peccata penitus ſublata ſunt, ſed quod non ad omnes homines illud beneficium pertinuerit, ipſorum culpa, non

ſacrificij defectu aut imbecillitate euenit. qua de re maxima & grauiſſima in nouo teſtamento diſputatio eſt. Igitur, *inimicos,*] inimicum, eodem verbo concluſa, non peccata modò, ſed ipſum corpus peccati, & chyrographum decreti ſignificat, quod erat contrarium nobis, quodque à Chriſto de medio ſublatum cruciq́ue affixum eſt. cuius maximi beneficij communione aliquando tandem afficiendis Iſraelitis iam nunc Vates noſter gratulatur. Tertia demũ lætitiæ cauſa illa eſt, *Rex Iſraël Dominus in medio tui, non timebis malum vltrà.*] Omnia ferè noui teſtamenti & diuinæ Ieſu Chriſti virtutis myſteria his vltimis vaticinij carminibus traduntur, quæ nobis percurrere magis quàm explicare licet: neque alius commodior ad explicãdum locus dari poteſt, quàm vt de diuina illa & arcana corporis & ſanguinis Chriſti communicatione aliquando diſſerere contingat. Perpetuam itaque & æternam piamq́ue pacem hanc illis fore ex eo arguit, quòd regem Iſraëlis Dominum Deum

Tit. 3. miſericordem intra ſe perpetuò ſibi prouidentem, atque omni ſpirituali benedictione & gratia in cæleſtibus conſulentem habituri ſint: id quod nullis eorum operibus iuſtitiæ neceſſario, ſed vltro diuinæ miſericordiæ beneficio præſtandum fuerit, Per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit ſuper eos abundè per Ieſum Chriſtum ſaluatorem noſtrum: vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſint ſecundũ ſpem vitæ æternæ. [*In medio tui.*] Prætergratam, tutam tranquillamq́ue habitationem, quam tropicè ſignificari iam aliâs docuimus, id etiam arcanè ſignificatur, quod Chriſtus ipſe aliquando explicuit: Regnum, inquiens, Dei intra vos eſt. & quod Ioannes euangelij ſui initio tradidit, Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre plenum gratiæ & veritatis: de qua habitatione gratiæ, & veritatis plenitudine, obſcurè admodum & leuiter, pro rei dignitate, hactenus ab interpretibus tractatum eſt. Magnam autem rerum Iſraëliticarũ mutationem, magnam totius eccleſiæ, & perpetuam felicitatẽ præſentis Dei beneficio de cętero fore Vates prędicit, cùm ſine timore de manu omnium inimicorum ſuorum liberati Chriſtiani ſeruiant illi, in ſancti-

Luc. 1. ctate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus ſuis.

In die illa dicetur Ieruſalem, Noli timere Sion: non diſſoluantur manus tuæ. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipſe ſaluabit: gaudebit ſuper te in lætitia: ſilebit in dilectione tua, & exultabit ſuper te in laude.

VERBVM dicere, paſſiua ſiue imperſonali voce pronuntiatum, certam, exploratam atque conſtantem rem ſignificat, quæ tanquam communi prouerbio prædicãda ſit, vt apud Iſaiam: Miniſtri Dei noſtri, dicetur vobis, Ieruſalem cæleſtem ciuitatem, quæ in terris

Iſai. 6. cœpta & inſtituta ad cælum vſque pertinet, intelligere oportet, liberam quidem illam, &

Gal. 4. à terrenæ Ieroſolymæ condicione longè alienam: cuius ſitum & rationes grauiſſimè diuus Paulus deſcripſit. huic autem perpetua ex diuino beneficio atque præſidio ſecuritas promittitur, per Spiritũ ſanctum Chriſti, cuius ampliſſimis muneribus ornanda fouendaq́ue

Mat. 17. perpetuò eſt. Ecce ego, inquit ille, vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. [*Noli timere.*] Diuina exhortatio Vatum oraculis confirmata eſt. Sion vrbis Ieruſalem arx fuit, quæ in libera illa Ieruſalem ſanctiſſimam & firmiſſimam ſpiritualium hominum partẽ ſignificat. [*non diſſoluantur manus.*] timore exanimatorum hominum habitus manuum remiſſio

Iſai. 40. eſt, vt illud: Confortate manus diſſolutas. Perpetua verò Dei præſentia, prouidentia & tutela, atq. ſpiritualis gratia illa oratione ſignificatur: *Dominus Deus tuus in medio tui.*] nam quid ille tropus in medio eſſe, ſignificet, iam aliâs expoſuimus. Libet autem verborum ipſorum ſignificationes Latinè indicare, plenam verò rationem ſapientibus exiſtimandam relinquere. *Dominus,* nomen admirabile eſt quatuor literis conſtans, cuius ineffabiles rationes ad miſericordiam plurimum pertinere iam docuimus. *Deus tuus* Elohim, prouidẽtiæ & gubernationis definitionibus explicatur. *fortis,* Hebraicè GIBOR, propugnatorem tutoremq́ue maximum ſignificat, qualem Hiſpana lingua BARRAGAN vocat. Diuinæ itaque miſericordię, prouidentię, tutelę atque gratiæ, & præſidij præſens perpetuaq́ue, ac penè familiaris conſuetudo annuntiatur, ijs nimirum, quibus voluit Deus notas facere diuitias ſacramenti huius in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cuius efficaciſſimum ac ſanctiſſimum nomen IESV, Hebraicè refert, atque illius munus apertè indicat. quemadmodũ verò in illam ſalutem diuinamq́ue gratiam plenam & integram reconciliandi ſint, expōnit. *Gaudebit ſuper te in lætitia:*] tantum abeſt vt ira & indignatione tecum, vt antea offenſus nimium egerat, iam deinceps agat: quinimo præteritorum temporum offenſione omni depoſita, atque in ſummam gratiam amicitiamq́ue conuerſa, *ſilebit in dilectione tua:*] nullum de cętero de preteritis offenſionibus verbum faciet: propter remiſſionem præcedentium delicto-

Rom. 3. rum, vt Paulus inquit, ad ſuſtentationem Dei: qua quicunque in huiuſmodi gratiam reconci-

conciliati fuerint, ſuſtentãdi ſunt. [*Et exultabit ſuper te in laude*, Hebraicè *in cantico*.] quod ſummæ lætitiæ & exultationis argumentum eſt. Quanto enim gaudio, quanta lætitia in horum reconciliatione affici eum patrem oportet, qui ſuper vno peccatore ad pœnitentiam conuerſo, feſtum diem lætiſſimaque conuiuia celebrat? Nam ſi delictum eorum diuitię ſunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentium, quanto magis plenitudo eorum? Rom. 11. hic locus Chaldaicè ſic habet: *Dominus Deus tuus dixit, vt poneret habitationem tuam intra te: fortis propinquus, gaudebit ſuper te in gaudio, abſcondet delictas tua, in miſericordia ſua gaudebit ſuper te gaudio.*] Verum enimuero totius eccleſiæ Chriſtianæ, tam ex gentibus quam ex Iudęis coniungendę, ſocietatem, felicitatem & ampliſſimũ ſtatũ iam dicendi finem facturus Vates deſcribit.

Nugas qui à lege receſſerant, congregabo, quia ex te erunt: vt non vltrà habeas ſuper eis opprobrium. Ecce ego interficiam omnes qui afflixerunt te in tempore illo: & ſaluabo claudicantem, & eã quæ eiecta fuerat, congregabo.

DVPLICI gentis genere conſtat eccleſia, Iſraëlitis & gentibus: gentes ex magna verę religionis ignoratione, ex denſis errorum tenebris ad lucem; Iſraëlitę verò ex inimicitia ad gratiam reuocantur. Veruntamen hunc gerendæ, atque expediendę rei modũ, & hanc rationem Deo inire placuit, vt interim dum Iſraëlitarum tribus ſuorum ſcelerum; Iudęorum verò gens impietatis & repulſę Chriſto allatę pœnas certo tempore conſtitutas penderent, gentium nationes euangelij verbo vocatæ adoptarentur, & ſic plenitudo gentium, vt Paulus inquit, intraret, ac tandem omnis Iſraël ſaluus fieret. Hanc autem rationem Rom. 11. omnem, conſequentemque deinde pacem, tranquillitatem & felicitatẽ Vates noſter ſignificat. cuius oratio, quòd obſcurius Latinè verſa ſit, explicanda eſt. [*Nugas qui à lege receſſerant, congregabo.*] *Nugas* non eſt Latinę ſignificationis hoc in loco, ſed Latinus interpres Hebraicum verbum NVGE, plura etiam, quàm vno Latino ſimplici nomine reddi poſſent, comprehendens, mutato tantum fine, vt Hebraicè pronuntiatur, reliquit; id quod idem relatiuo maſculino adiũcto indicauit. *Qui à lege &c.* facilè enim arguitur ad perſonam, non ad rem nomen *nuge* referri. ſignificat autem *nuge*, afflictos, miſeros & remotos, remotos, inquam, à lege, ſiue, vt Hebraicè eſt, *à condicto*, præſcripto, cõſtitutoque tempore. quòd ſi vno verbo à lege non longè alieno vertere velimus, ſanctione dicendum arbitror. ex quibus rationibus illud efficitur, vt de gentium vocatione hic locus exponendus fuerit. Qui cùm Epheſ. 2. fuerint olim ſine Chriſto, alienati à conuerſatione Iſraël, & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo: poſtea in Chriſto Ieſu, qui aliquãdo longè erant, facti ſunt propè in ſanguine Chriſti. hos ad eandẽ cum Iſraëlitis eccleſiæ cõmunionẽ primũ cõgregandos ſibi Deus recipit. [*Quia ex te erũt*, Hebraicè *à te erunt*.] Pſalm. quod prę & prius aliquando ſignificat, vt, iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis, id eſt præ filijs ſuis. Gentes itaq. omnes primum vocandas admittẽdasq. eſſe dicit. [*Vt non vltrà habeas ſuper eis opprobrium.*] Magno opprobrio gentibus Iſraëlitæ olim inſultabant. nihil enim deteſtandum magis aut infame, quàm gentium & incircunciſorum nomen habebant. Effunde, inquiunt, iram tuam in gentes quæ te non nouerunt, & in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt. & huiuſmodi paſſim exprobrationum contemptionumque exempla apud Iſraëlitas multa inuenire eſt. Nullum verò huiuſmodi probrum gentibus, ad euangelij lumen, veriique Dei notitiam, & gratiæ communionem vocatis per Iſraëlitas, ſed neque per eccleſiam obiectandum eſſe ait. cui nulla ab his ſuſpicio, nulla fraus, nullum malum metuendum ſit, in pacem, concordiam, atque adeò in eandem ſocietatis communionem coniunctis. id autem peccatis & ſceleribus, atque ſpiritualibus hoſtibus qui eccleſiam infeſtarunt, extinctis, amotis & profligatis præſtandum eſſe Deus declarat. [*Ecce ego interficiam omnes qui afflixerunt te in tempore illo.*] Spirituales hoſtes, per quos bellum eccleſiæ allatum eſt, omnes interficiendos, vel, vt ex Hebraico clarius vertimus, conficiendos eſſe dicit, ita vt peccatorum mole depoſita, & diaboli iure omni, vel tyrannide potius extincta, gentes in eccleſiæ & fidei obſequium captæ vltro addantur. id verò cùm expeditum fuerit, [*Saluabo claudicantem, & eam quæ eiecta fuerat, congregabo.*] Iſraëlitarum gentem duabus tribubus minorem, varijs orbis partibus diſperſam, claudicantis nomine ſignificat. Iudæorum verò, & Beniaminitarum tribum, quę vna Iudęę appellatione continetur, eiectam dixit, quòd hæc maximè gens ob nefariam Chriſti & euangelij repulſam, repudiata abdicataque, & in reprobum ſenſum à Deo iuſtiſſimè tradita fuerit, ſicut ſcriptum eſt: Quia repuliſtis verbum hoc, idcirco erit vobis iniquitas hæc quaſi interruptio cadens. Alterum igitur populũ vbicunque terrarum fuerit, diuinæ miſericordiæ & Chriſtiani euangelij virtute ſeruandum: alterum verò qui eiectus & abalienatus fuerat, in ſuam gratiam reſtituendum, maximiſque

beneficijs benigniſſimiſque modis accipiendum ſibi Deus promittit. ex qua re illud eueniet, vt perlata antea apud omnes nationes cum maximo dolore & dedecore ignominia, magna laude & gratulatione mutetur.

Et ponam eos in laudem & in nomen, in omni terra confuſionis eorum.

ISRAELITÆ, & in his maximè Iudæi vbicunque locorum verſantur, omnium hominum miſerrimi, obſcuriſſimi, contemptiſſimique ſunt, adeò, vt præ nationibus alijs neglecti maximè, deſertique, imò & exagitati à Deo eſſe exiſtimentur: id quod illi in deprecationibus ſuis aſſiduè queruntur. Horum tamen ex diuina miſericordia, conuerſo ſtatu, maxima infamia in maximam gloriam conuertenda eſt. Vt enim ex illo quondam infido, atque diuinis vocationibus pertinaciter renuente populo, quidam Apoſtoli & diſcipuli extitêre, qui ardentiſſimo Chriſtianæ pietatis ſtudio & exemplo magnam gloriam adepti ſunt; ſic futurum eſt, vt reſtitutus in diuinam gratiam populus omnis cum ſumma Chriſtiani nominis gloria apud omnes gentes commendetur, ſicut ſcriptũ eſt: Quòd ſi delibatio ſancta eſt & maſſa, & radix ſancta & rami. *Nomen*, famam & gloriam, tum Hebraicè tum Latinè ſignificat: vt, Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis. & illud:

Rom. 1. Pſal. 47. Hor. lib. 3. Od. 3.

Horrenda latè nomen in vltimas Extendat oras, &c.

Celebrem igitur atque illuſtrem Iſraëlitarum in diuinam gratiam cõciliationem fore Vates docet, eaque ſpe præſentem miſeriam conſolatus atque ad extremum perferre hortatus, certam ratamque diuinam promiſſionem fore confirmat.

In tempore illo, quo adducam vos, & in tempore quo congregabo vos: dabo enim vos in laudem & in nomen omnibus populis terræ, cùm conuertero captiuitatem veſtram coram oculis veſtris, dicit Dominus.

VTROSQVE, & Iſraëlitas, & Iudæos diſtinctis verbis indicauit. [*quo adducam vos:*] Iſraëlitarum diſperſionem in vnã fidei, eccleſiæ & baptiſmatis communionẽ adducẽdam. [*Congregabo vos,*] Iudæos in gratiam conciliandos interpretamur, quos à miſerrima peccatorum ſeruitute in ſpiritualem libertatem vindicatos, pro illa, in qua iacebant, humilitate illuſtri nomine ornandos eſſe dicit. [*Cùm conuertero captiuitatem veſtram.*] Hebraicè eodẽ nomine captiuitatẽ, & captiuitates veſtras, dicitur, vt variũ & multiplex ſeruitutis genus oſtendatur. namq. præter externam miſeriã, quam alij ex vtroque populo aliter ferunt, duriores eſſe Iudæis partes, ob indurationem & abalienationem, docuimus. Quod verò additum eſt, *Coram oculis veſtris:*] magnum illius libertatis, & rerũ mutationis myſterium indicat, quod ijs duntaxat apertum exploratumque eſſe poteſt, qui ſenſu proprio & periculo in ſeipſis facto, quid ſit veterem hominem cum actibus & concupiſcentijs ſuis deponere, nouerũt. Cæteris verò omnibus cognitu difficillimum fore arbitramur. maximi enim operis fuerit oſtendere, quemadmodum duriſſimæ ſeruitutis onere depoſito, viuentes & ſentientes homines, mortui tamen peccato, viui verò iuſtitiæ & Deo, diuinam illam libertatem agnoſcant. quod vt ſine diuina virtute experiri, ſic etiã ſine diuino auxilio, & magna quadam diuini Spiritus indicatione nemini vel intelligere omnino, vel apertè explicare contingit. Hæc ex illis ſummæ ſapientiæ rationibus vna eſt, quam inter perfectos loqui & tractare ſeſe Apoſtoli profitebantur, quæ abſcondita eſt; quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram. Eam autem rem quòd maximi momenti, & ſingularis cuiuſdam excellentiæ eſſet, maiorisque cognitionis, quàm vt humani animi ſenſu, & cogitatione percipi poſſet, ſuo tempore tamen explicandam, atque re ipſa docendam confirmandamque Deus ipſe promittit, & in ſeſe recipit. [*Dicit Dominus:*] Nomen *Dominus*, tetragrammaton eſt, quod ad miſericordiæ rationes, atque ad dictorum conuentorumque conſtantiam & veritatẽ confirmandam frequentiſſimè appellari docuimus, atque in maximis promiſſionibus præſtandis commodiſſimè adhiberi. Huc autem pertinet, quod apud Moſem Deus ipſe de ſeſe profeſſus declarauit: Ego, inquit, Dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob, in Deo omnipotenti: & nomen meum ADONAI, non indicaui eis. cui ſit honor, & gloria, & laus per infinita ſeculorum ſecula, Amen.

1. Cor. 2. Exod. 6.

Madriti in Hiſpania menſe Ianuario, Anni Chriſti, 1568.

IN SO-

IN SOPHONIAM VATEM
CARMEN EX VOTO.

Ode tricolos tetraſtrophos.

ET feruens pietas, & populi mei
Antiquum ſtudium, ſanctaq; veritas
Vatem dicere cantu
Rerum mira iubet nouo:
Quæ vel nota valent addere maximos
Virtutis cumulos & ſapientiæ,
Vel neglecta beatæ
Vitæ perdere præmium:
O qui ſiderium prouidus æthera;
Qui terras, pelagus, qui vaga flumina
Aequis legibus ornas,
Et certa reficis vice.
Qui mundo ſapiens principium nouo
Inducens tenebras lumine fulgido
Mutas, ordinibusq;
Res exſtare iubes bonis.
Atque anni vario tempora pondere
Libras, & proprÿs lumina curſibus,
Cuncta & ſecula miris
Conſentire facis modis:
Quod nox pura refert aſtra nitentia,
Et forma, & ſpatÿs diſſona commodis,
Certo nomine dicis,
Munusq; & numerum tenes.
Sic diſcors vario conſtitit ordine
Rerum compoſitus terminus & decor,
Et ius omnia ſanctum
Auctoris retinent ſui.
Quòd ſi tranſpoſitis legibus vndique
Diſpenſata parent munera vertere,
Terris protinus altis
Subſtratus iaceat polus.
Idem condiderat ſimplicius genus
Cæleſtes animas arbitrio ſui
Firmanda ingenia amplo
Cæli munere milites.
Et quos de tenui puluere finxerat
Mirandis opifex artibus omnium
Terrarum Dominos &
Monſtroſi maris arbitros:

Hos (namque ætheree participes dedit
Mentis eſſe) magus perpetuò pios
Conſeruaſſe decebat
Commiſſas fidei vices.
Sed ventoſa malæ cura potentiæ
Sublimes animos vincere fortior
Duro perdidit altum
Caſu Luciferi gregem:
Auſi præcipiti conſilio polum
Attentare ſuper lucida ſidera,
Aequalemq́; Tonanti
Affectaſſe locum patri.
Aſt vltrix ſceleris pœna gigantici
Deiectum è ſuperûm ſedibus aureis
Nigras præcipitem dat
Inferni in tenebras lacus.
Iam nec priſca minus noxa parentibus
Primis perniciem protinus attulit,
Et fatale nepotum
Pomum viſceribus nocens.
Poſt primam generi peſtiferam luem
Fœcunda, heu, ſcelerum ſecula turpium
Iuſtas numinis iras
Pœna vindice ſentiunt.
Effuſisq́; diu nubibus & mari
Viuentum penitus deſierat genus,
Vnus ni Pater inſons
Cauiſſet monitus malum.
Poſt hæc aſsiduo mundus & arduo
Exemplo didicit iuſta nocentium
Pœnæ pondera certo
Cæli conſilio dari.
Si quemquam excipiat ſupplicium graue
Concepti ſceleris dum furit, & breuem
Aetatem volat: hunc ſed
Carcer perpetuus manet:
Obſcuris vbi mors ignibus horrida
Commiſcens picibus ſulphura pinguibus
Exercet face nunquam
Exſtincta meritum gregem.
Ille idem proprio numine proſperis
Aptus conſilijs perpetuò bonas
Pacis cogitat arteis,
Et grato ſtudio fouet.
Et clemens placidum nomen ab vltimis
Ducens principijs orbis in vltima

Nullo

Nullo ſæcula fine
Parcit ſupplicibus ſuis.
Idem & magnifici propoſiti tenax,
Dictorumq́ memor prouidet & cauet,
Cui ſe cunque benignum
Dixit, cui facilem fore.
Sed quo me æquoribus cymba patentibus,
Et nullis penitus littoribus mari
Concluſo rapere audax
Remis inualidum paras?
Quin magnus potius muneribus Dei
Augeri, atque animo perpetuis frui
Poſcam ſupplice voto
Quàm tantum temerem ſacrum.

BENEDICTI ARIÆ MONTANI HISPALENSIS IN HAGGAEVM PROPHAETAM DE RECTA EXPETENDARVM RERVM RATIONE PRÆFATIO.

NIHIL profecto magis ad humana negotia ſtrenuè gerenda feliciterq́ explicanda conducere poſſe arbitror, quàm illud ſapienter prouidere, quid agentibus primum ante oculos proponendum, & unde potiſſimum agendarum rerum initia ducenda; quis in ijs ipſis ordo ac modus ſit commodiſſimè ſtatuendus. namque bona prudentiæ virtutis pars, in ſtatuendis bonorum finibus & terminis, atque in earum, quæ ad hos fines deducere poſſunt, rerum actionumq́ delectu habendo ſpectatur: neque enim omnia, quæ hominibus bona iudicantur, æqualia inter ſeſe ſunt, ſed in vario bonorum genere, alia alijs, & natura ſua, & ad hominum vtilitatem relata, longè & multum ad vſum dignitatemq́ præſtant & antecellunt: id quod vel de vna ſapientia humanorum in hac vita bonorum facilè principe merito prædicatum eſt. Et lætatus ſum in omnibus, quoniam antecedebat me ſapientia: & ignorabam quod omnium bonorum mater eſt. Sap. 7. *Ergo cùm non eadem bonorum dignitas, neque vis eadem ſit, conſultiſſimum profecto fuerit, quodnam genus maximè vnicuique naturæ commodum ſit, diligenter imprimis perſpicere, & quis etiam optimus finis ad quem agendarum rerum rationibus accommodatis ex animi ſententia negotium ſuccedat. In omni autem bonorum genere nullum eſt, quod vel natura ſua, vel ad hominum vtilitatem relatum cum diuina natura cōparari vlla ex parte poſſit. nam cùm illa ſummū bonum, atque omniū aliorum fons & origo ſit, tum rationis participi naturæ, qualis homo corpore & animo conſtans eſt, maximè proprium bonum eſſe iudicatur. ſiquidem id vnicuique naturæ præſtantiſſimum, & maximè proprium bonum eſt, à quo natura ipſa maximè augeri & perfici poteſt. Humanam verò naturam vnius Dei virtute & efficientia perfectiſſimum dig-*

Plato in Parmenide.

Plotinus

Ariſt. lib. 2. de ortu & interitu.

nitatis, felicitatis, & ornamenti ſui gradum obtinere poſſe ex eo oſtẽditur, quòd ad illius imaginẽ ſimilitudinemq́; ab initio condita cùm fuerit, aut cum exemplari ipſo maximè conformari, aut quàm proximè ipſi accedere hærereq́; deſiderat. Atq; hæc vnica & maxima res eſt, ad quã omnes, qui veræ ſapientiæ rationes tenuerunt, contento ſtudio curſuq́;
Pſalm.72. venire cupiebant. Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terrã? deficit caro „ mea & cor meum, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. Neque vero contingere non poſſe putandũ eſt, vt humana natura quæ (ſi cum Deo comparetur) abiecta omnino & infimæ ſortis iudicatur, eò dignitatis peruenire poſſit, vt vel perſimilis Deo ſit, vel intimè adhæreat. Quanquam enim id longè abeſſe ab hominum humilitate videatur; tamen diuina virtute & gratia effici poſſe cognouimus, vt infima noſtra hæc ab illa præſtantiſsima Dei natura mirabili quodam modo ſuſcepta atq; immutata in ſuæ virtutis conformationem perficiatur. Ut enim ignis efficientia & vis aliarum rerum omnium, quas proximè contingit, naturam arreptam & ſuperatam incendens, in ſeſe transformat, à nulla eadem tamen transformatur; ſic Deus hominũ mentes ad ſe rapere, atq; inenarrabilis excellentiæ communicatione ſecum coniungere, neque vlla virtutis infirmitate prohibetur, neque humana natura ineptitudine impeditur. ſiquidem ad exemplaris ſimilitudinem quàm proximè accedere exempli naturæ non repugnat, cùm præcipuè infinita exemplaris virtus, magnaq́; erga exemplum ſuum dilectio & cura interceſſerit. Neque verò hoc Deum ipſum nolle putandum eſt, qui ſuam de hac re erga homines voluntatem
Prouer.8. benigniſſimè declarauit. Et deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum: nunc ergo filij audite me, &c. Atque adeò hoc ſuum conſilium, hoc propoſitum ſemper fuiſſe idem ipſe apud Vatem profitetur. Ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes. Cuius quidem rei manifeſtum exemplum, idem Deus orbi ſpectandum, hominibusq́; ipſis in ſeſe ſperandum edidit, cùm verbum ſuum vnigenitum carnem factum nobis exhibuerit, habitareq́; in nobis curauerit. Qua ex re humana natura eam dignitatem conſequuta eſt, vt idem Deus atque homo veriſſimè dici prædicariq́; poſſit. Eius verò dignitatis communionem & ſocietatem cæteris hominibus modò ſanctè & legitimè quæſitam, propoſitam eſſe, accipiendamq́; fore, ſanctiſſimorum virorum teſtimonio confirmatum eſt, vt ſi non natura, certè gratia & veritate dij & filij Excelſi habeantur & ſint, atq; ad diuinam quandam humano ſermo-
1.Iohan 3. ne inenarrabilem ſpiritus ſui cõmunicationem & largitionem cooptentur. Videte, inquit
Iohan.1. " Ioannes, qualem charitatem dederit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus. Quot- „ quot enim filium eius vnigenitum ritè & legitimè receperunt, dedit eis poteſtatem filios „ Dei fieri, de cuius plenitudine omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Cùm itaq; Deus maximum & præſtantiſsimum hominibus bonum ſit, id imprimis optandũ quærendumq́; eſt; quod vbi nactus adeptusq́; fueris, nihil omnino deſiderare vlterius poſſis, vt ſcriptum
Pſalm.72. eſt: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam. & illud: A fructu frumenti, vini & olei ſui multiplicati ſunt: in pace in idipſum dormiam & requieſcam: quoniam tu Domine ſolummodo in ſpe conſtituiſti me. Neque verò finem ipſum & bonum ſummum agnoſci, optariq́; ſatis hominibus fuerit, niſi illud etiam ſtudioſè prouideatur, quibus potiſſimùm rebus & modis quærendum ſit. vehementer enim in ea re falli atque errare poſſe homines, vt pro certis incerta conſilia ineuntes à propoſito conſtitutoq́; fine longè nimium abducantur, eodem ipſo admonente, atque indicante Deo
Iſai 47. docentur. Utinam attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet quaſi flumen pax tua: & iu" ſtitia tua ſicut gurgites maris. Nulla autem alia re vel melius, vel commodius certa hominibus ad felicitatem via, quàm ſancta & caſtæ religionis procuratione, & pietatis
1.Tim.9. exercitatione munitur. Religionem autem & pietatem, rectis ergà Deum & homines » præſtandis officijs definimus, vt ſcriptũ eſt: Religio munda & immaculata apud Deum
Iacob.1. & patrem hæc eſt: Viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatũ ſe „ cuſtodire ab hoc ſeculo. & : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex to» ta anima tua, & ex tota mente tua, & proximum tuum ſicut teipſum, &c. Atque incertas

certas & obſcuras priuatorum hominum opiniones (quas perditionis ſectas Apoſtolus nominauit) à religionis nomine & ratione prorſus excludimus: puram verò & ſimplicem pietatis culturam, à ſacra & catholica eccleſia ex diuinis libris acceptam atque explicatam agnoſcimus: ne quis videlicet nouis commentis aut priuatis cogitationibus inſolenter exultet, ſibique religionis nomine plaudat, cùm à vera pietate & catholica fidei communione longè ſit alienus. Verùm enimuero magna hominum pars, etiam eorum qui Dei atque diuinarũ rerum, ſacrorumq́; librorũ notitiam habent, hoc ſtultitiæ vitio laborat, vt neq. rectã de bonorũ finib. exiſtimationẽ recipiat, neq. ſi maximè intellexerit, quæ quibus præſtent rectam tamen veri inueniendi boni viam muniat & inſiſtat. namque vt ſummum bonum maximè expeti; ſic quæcunque eòdem conducunt, imprimis cognoſci, parari atque expediri oportuerit, ſicut ſcriptum eſt: Primum quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius. *Contrà euenit, vt humanæ, caducæ & infimæ res primæ omnium maximo & contentiſſimo ſtudio, diuinæ verò poſtrèmo loco minima cura atque opera à pleriſque hominibus quærantur. Etenim cùm optima vitæ omnis & temporis pars, maxima etiam conſilia, cogitatio, actiones, operaq́; omnis ferè in iis exquirendis rebus conſumantur, quæ ad mortalis vitæ huius commoditates falsò plerunq. expetuntur, ex eo manifeſtè conſequi videtur, homines vel prima & maxima bona in eiuſmodi commoditatibus, diuitiis, opibus, potentiaq́; collocare, vel ſi æterna iſtis præſtare putent, ſibi tamen ipſis reipſa atque omni vitæ vſu diſſentire, qui iis bonis, quæ verè prima ſunt, minimum; iſtis verò quæ vel nulla, vel poſtrema habentur, plurimum conſilii, ſtudii atque operæ impendant. de quibus illud meritò decantetur:* Nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius. *Cæterùm quicunque de diuinis & humanis rebus rectè & ſapienter iudicauêre, illud ſibi propoſuerunt, vt quæ ad religionem pietatémque pertinere intelligerent, imprimis curarent. Humana verò, & maximè quæ ad priuata ſui ipſorum commoda ſpectarent, vel omnino negligerent, vel poſtremo loco agenda tractandaq́; reſeruarent. Atq. hoc modo & ordine gerendis rebus conſtituto omnia rectè fieri poſſe, feliciterq́; ex animi ſententia ſuccedere putauêre. itaque vltra rectam ac legitimam officiorum ac munerum ſuorum adminiſtrationem, vltrà pietatis & publicæ vtilitatis curam templis & aris conſtruendis, aliiſq́; ad diuinum cultum ſpectantibus vacabant; intelligentes nimirum fore, vt Deum, cuius rem atq. honorem ſibi primũ propoſuiſſent, propitium ad cætera omnia cùm priuata, tum publica feliciter obeunda haberent: id quod aliter vel cogitari, vel agi, ſummæ peruerſitatis eſſe iudicauerunt. Atque huius conſilii & ſtudii frequentia ac illuſtria in omnibus diuinæ ſapientiæ libris exempla ſunt, vt illud:* Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob: ſi introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero ſuper lectum ſtrati mei, ſi dedero ſomnũ oculis meis, & palpebris meis dormitationem: donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob, &c. *Verùm vt ad noſtra tempora ſermo reuocetur, ſi de hac etiam cauſa dicendum hîc ſit; profectò rectè perſpecta & examinata re, omnis ratio hæc deprauata eſſe facilè deprehenditur. Quotus enim quiſq; eſt, à quo priuatis publica, ſacra prophanis anteponantur? à quo diuina non modo non diligentius, ſed pari diligentia ſuſcipiantur & curentur? Videre eſt paſſim templa viuentis Dei inopia & Chriſtianorum hominum, qui ſarta tectaq́; & tueri poſſent, & deberent, negligentia ruere, & excidi penitus, cùm tantis incommodis, cùm tot hoſtis Chriſtianam religionem oppugnantis artibus, technis & dolis, vel non occurratur omnino, vel ea ratione occurratur, non vt animorum ſaluti præcipuè, ſed vt priuatis mundi commoditatibus imprimis conſuli intelligatur; vt vera ac propria noſtrorum temporũ illa querela ſit:* Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus: diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium platearum! *Videre eſt tantum inopum & pauperiorum hominum numerum, qui præter magnam verbi Dei, & rectæ animorum inſtitutionis penuriam, ingenti etiam victus parandi ſibi neceſſitate laborant, vt de vtroque genere illud veriſſimè Ieremias queſtus fuerit:* Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. *Neque minus graue illud exemplum eſt, externum religionis cultum negligi, & maiori ex*

Pſal. 131.

Thren. 4.

parte labefactari, adeò vt templa, aræ, ſacerdotia, & quæ ad hæc referuntur multa non modò noua rarius multo ſtatuantur, ſed quod maximè dolendũ eſt, plurima ex his, magno cum maiorum noſtrorum pietatis exemplo inſtituta atque erecta olim, nunc vel omnino neglecta pereant, diripiantur diruanturq́;, & ad propria commoda alenda, augendamq́; potentiam traducantur, huius autem rei rariſſima & paucis cura eſt: illarũ autem plurimis & frequentiſſima, edendi, bibendi, ædificandarum domorum, nubendi, & nuptui tradendi ſtudijs ſemper vacare. Et querimur interim temporũ tẽpeſtates & procellas, miramur populorum diſſenſiones & ciuium diſcordias, hoſtium in nos impetus timemus, illatas nobis priuatim iniurias lamentamur, cùm propulſatorem omnis mali, bonorumq́; omnium auctorem & principem Deũ corruptiſſimis cogitationibus & ſtudiis, atque multiplici impietatis genere à nobis abalienauerimus, ſicut ſcriptum eſt: Peccata veſtra prohibuerunt à vobis bonũ. Huiuſmodi autem de bonorum finibus conſtituendis, & de recta ſtudiorum ratione à nobis inſtitutum ſermonem Haggæus propheta in ſuorum temporum homines peroratum, ad noſtram vtilitatem ſcriptum reliquit. Cuius grauiſſimas verborum & ſententiarum rationes expoſituri, argumentum exponemus, inuocato imprimis eodem, à quo dictata hæc fuère, diuino Spiritu, vt eius benignitate auxilioq́; freti, ſacroſancta myſteria hæc vtiliter explicemus.

VOTVM.

Summe Deus, rerumq́ue caput, poſtremaq́ue finis,
Et certis hominum dux bone conſilijs:
A te principium ſumat, tibi deſinat omne,
Quicquid nunc Vatis mensq́ue manusq́ue parat:
Ingratum infelixq́ue olim ſtudiumq́ue laborq́ue eſt,
Alma vbi non adſit numinis aura tui.

ARGV-

ARGVMENTVM VATICINII.

IVDAICVM populum ex Babylonica captiuitate liberatum negligentiæ nomine Vates accuſat & reprehendit, quòd ab ædificando ad religionis cultum templo ſuperſederent; quippe qui à Perſarum regibus ædificationem intermittere iuſſi, tempus ædificandi diuinitus conſtitutum nondum aduentaſſe falsò arbitrarentur, cùm eadem illis omnino copia & publicarum, & ſuarum domorum ædificandarum facta eſſet, & tamen priuatæ ac prophanæ ædificationi intentis, ſacræ ædes negligerentur. Id verò non, niſi irato & offenſo numine committi, ex conſequenti periculo arguit. quòd eorum opera, vt infauſtè cœpta, ſic infelices exitus haberent. Huiuſmodi autem oratione perſuaſos Zorobabelis, & Iehoſuæ ſacerdotis animos ad templi ædificationem vna cum reliquo populo fuiſſe appulſos. Cùm verò quibuſdam hominibus ex prioris templi recordatione & comparatione poſterius hoc magnitudine & operis elegantia eleuandum, deſpiciendum, tantaq́; maieſtate omnino indignum indicaretur, horum cogitationibus & ſententijs, ne videlicet opus intermitteretur, Vates occurrit, docetq́; obſequio magis ædificantium, quàm operis magnitudine & mole, diuinam naturam delectari atque affici: oſtenditq́; non minorem, quàm prioris illius huius ſecundi templi gloriam futuram; quippe quod Ieſu Chriſti patribus olim deſiderati præſentia ornandum eſſet. Neque tamen tantum lapideis ædificijs tribuendum eſſe, vt non magis religionis ipſius ratio præcipuè curetur. Namque & hoc materiale templum, etiam dirutum aliquando, exciſumq́; iri prædicit; nouum verò quoddam inſtituendum, in quo certa, perpetua ſanctaq́; omnino ſedes ac domicilium Deo collocetur: id autem ſpirituale templum fore ſignificat. Cuius tempore diuina & tranquilla pax omni orbi afferenda ſit, id quod huius ſecundi temporibus non contigerat. Admonet deinde quo ſtudio, quanta cura, quanta etiam ſinceritate in huius templi ædificationem communiter incumbendum ſit. neque enim dum templum ædificare liceret, ſimplici tantùm altari conſecrato officio & debito ſuo, atque iuſſioni diuinæ ſatis fieri poſſe ait, niſi inceptum opus perficiatur: quod gratum Deo fore conſequens ſtatim publicarum & priuatarum rerum felicitas demonſtratura ſit. Conuerſo demum ad Zorobabelem ſermone, maximam familiæ ſuæ dignitatem fore vaticinatur. quæ quanquam illis temporibus regij honoris & muneris diadema non obtineret, tamē ſub ipſum templi illius finem ac poſt tertij initia, perpetuo Chriſti regis æternoq́; ſplendore illuſtranda eſſet: cuius maxima virtute & efficientia, diuina miſericordia & gratia ad omnes nationes pertineat.

CAPVT PRIMVM.

IN anno ſecundo Darij regis, in menſe ſexto, in die vna menſis, factum eſt verbum Domini in manu Haggæi prophetæ ad Zorobabelem filium Salathielis ducem Iuda, & ad Ieſum filium Ioſedec ſacerdotem magnum dicens.

AD. HAGGÆI explicāda vaticinia quædam de Babylonica tranſmigratione, & de Ieroſolymorū reſtitutione paulo altius repetere placuit: quæ ſui ipſorum contemplatione, & explicandarum rerum illuſtratione pretium operæ attendentium abſoluant. Igitur Iudæi, vt ex ſacris hiſtoriarum & vaticiniorum libris accepimus, à Chaldæis victi & in Babyloniā ex diuini iudicij ſentētia migrare coacti ſunt; vt qui religionem pietatiſque officia omnia peruertiſſent, atque ſuperſtitionis, inceſtus, homicidiorum, & aliorum, quæ ad hæc referuntur generum ſceleribus ſeſe contaminaſſent. Præterea etiam quòd prophanādis feſtorum rationibus, contaminandis iudicijs, iniurijs rapiniſque aſſiduis per nefas nobilitati legitimas terræ aruorumque vacationes auarè ſimul & impiè corrupiſſent, omnem denique veteris diſciplinæ formam, & rempublicam omnem peruertiſſent. Captiuitatis autem tempus pro Iudæorum, & vacationis interturbatæ ratione, ad ſeptuageſimum vſque annum prorogandum eſſe Vates prædixerat. Etenim antiquum illud de hominum ſalute per Chriſtum afferenda conſiliū nunquam Deus mutauit; ſed illud ſemper maximè prouidit, quemadmodum cum iuſta & æqua in ſceleratos homines animaduerſione propoſitū ſuū illud diuinumque conſiliū commodiſſimè tandē exequeretur. Igitur poſt ſeptuaginta annos Iudæi in patriam diuino beneficio reducti ſunt; vbi anteactis laboribus & periculis reſipiſcentes, atque ad bonam frugē recepti in perpetuæ deinceps gratulationis, ſupplicationis officio perſiſterent, & futuram vniuerſo orbi ſalutē, ſaluatoremque illū patribus olim promiſſum votis ac precibus aſſiduis peterent: atque hoc modo, & ſibi propitium Deum, & communi ſaluti promptius conſulentē reddere oportuit. Neque enim illa ex Babylone libertas certā, perfectam atque exactam ſalutem illis attulit, quibus tot fratres, tot filij toto orbe diſperſi diſſipatiq́; ſupereſſēt: ſed tamē ad communem ſalutē oprandā ſanctiusq́; petendā maximas commoditates illa Iudæorū in patriā reſtitutio cōtinebat.

nam-

namque & virtutibus officijſque exercendis, precibus & votis faciendis, religionis legitimæ ſtudijs liberius vacare licebat populo à prophano aliarum gentium commercio & ſocietate ſubducto, cui & templi ad ſacrificia & ſupplicationes commoditas eſſet & copia. Atque hoc ſuum de Iudæis ex Babylone liberãdis & reducendis conſilium Deus apud Ie-
Ierem. 29. remiam Vatem apertè expoſuit: Hæc dicit Dominus, Cùm cœperint impleri in Baby-
" lone ſeptuaginta anni, viſitabo vos, & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, vt redu-
" cam vos ad locum iſtum. Ego enim ſcio cogitationes, quas cogito ſuper vos, ait Dominus; cogitationes pacis & non afflictionis, vt dem vobis finem & patientiam: & inuocabitis me, & cætera, quæ his ſubiunguntur omnia. quibus quamobrem Iudæi in patriam reſtituendi eſſent ante oculos exponitur, vt videlicet pietatis & pœnitentiæ ſtudiis, votis ac precibus, humilique ſupplicationi, & communis perfectæque ſalutis petitionibus commodius vacare poſſent. Atque huiuſmodi conſilium ſuum cogitationes pacis, & nõ afflictionis appellat Deus, quas eò præcipuè pertinere dicit, vt det illis finẽ & patientiam, ſiue vt ex Hebraico exponimus, poſteritatem & expectationem. Poſteritatem verò & exſpectationem redemptionem atque ſalutem perfectam interpretamur, qua iræ illi, cuius nos omnes filij eramus, finis atque modus imponendus fuerat. Quamobrem ſubiunxit: Et inuocabitis me, & venietis; & orabitis me, & ego exaudiã vos. Huius namque rei gratia in patriam reſtituendi, & libertatis, doctrinæ, templi, ac ſacrificiorum commoditatibus augendi erant. Neque enim illa verba, inuocabitis me, & venietis, & orabitis, admonitionis & exhortationis, ſed magis imperij, atque præcepti ſunt; quæ ſi ſanctè illis procurarentur, quid Deus ipſe præſtiturus eſſet deinceps exponit. Cùm quæſieritis me in toto
" corde veſtro, inueniar à vobis, dicit Dominus; & reducam captiuitatem veſtram, & con-
" gregabo vos de cunctis locis, ad quæ expuli vos, &c. Namque de libertate ex Babylone hęc interpretari non debere res ipſa docet, quòd eius libertatis compotibus ſupplicationes precesque, ad ſui cęterorumque fratrum certam diuinamque ſalutem impetrandam denuntientur. Atque hæc de illa ex Babylone libertate diuini conſilij ratio nobis ex ſacrorum librorum lectione reddita eſt. Vt autem in eam, quam diximus, orandi, ſupplicandi petendique curam & ſtudium commodius publicè & communiter incumberetur, templum illis rurſus ædificari ac reſtitui Deus voluit: in quo frequens hominum conuentus communi ſtudio ad pietatis cultum atque ſupplicationum feruorem melius atque commodius incendi poſſet. namque hæc publicè ſacrandarum ædium ratio eſt, ſicut ſcriptum
Iſai. eſt: Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus. Quid verò in cauſa fue-
" rit, quamobrem Iudæi in templo ædificando ſeſe negligentius geſſerint, paucis exponemus. Duriſſimam atque integram apud Babylonios captiuitatem, quinquaginta tribus ferè annis & non amplius duraſſe, Hebręi auctores hac ratione colligunt. Ieruſalem capta fuit anno decimo nono Nabuchodonoſoris, qui quadraginta quatuor annis rerũ potitus fuiſſe à Ioſepho traditur; ab alijs verò, quadraginta & quinque. Huic ſucceſſit Amilinus Euilmerodacus, qui ſecundum Hebręos annis tribus & viginti regnauit: quem Cyrus primus, vt antiqui Hebræi volunt, ſecutus, neque vltra tertium annum regnum obtinuit. Huius verò ſpiritum à Deo exitatum, vt Iudæis in patriam remigrandi copiam faceret, in ſacris Hiſtorijs legimus. hactenus quinquaginta duo anni ferè ſunt: quibus ſi decem & nouem ab initio regni Nabuchodonoſoris adiungas, fient ſeptuaginta integri & vno amplius, quo redeundi copia per Cyrum facta eſt. atque hic numerus Ieremiæ vaticinio conuenit. Cùm impleri cœperint ſeptuaginta anni Babyloni: namque in datiuo ca-
Ierem. 29. " ſu Hebraicè eſt. Numerabat autem Vates ab initio regni Nabuchodonoſoris. at verò poſt Cyrum Aſſuerus regnauit; cuius regni initio ſacrum opus, ob finitimarum gentium calumniam, interturbatum intermiſſumque eſt, vſque ad ſecundum Darij filij eius annum:
Midras Le- quem Eſther filium fuiſſe Hebræi tradunt. Cùm autem Iudæi intermiſſum diu ſacri tem-
uitici magni pli ædificandi opus, ob regium edictum, & vicinorum interturbationes, iam ferme deſperantes deſeruiſſent, Haggæum ſancto Spiritu ductum de ea re Vatem à Deo legatum adhortatoremque acceperunt: quem, cuiuſnam tribus & familiæ fuerit, non planè nobis ſacra ſcripta indicant. Fuiſſe autem ex Iudæis, vel qui ex Babylone redierant, vel qui Ieroſolymis manſerant, ex eo ipſo quòd inter Iudæos verſatus vaticinatusque fuerit, coniecturam facimus; cùm præſertim cæteris tribubus toto orbe diſperſis rariſſimi in illis regionibus extarent, qui Iſraëlis religionem & nomen integrum tuerẽtur. atque ad hanc rem, hoc eſt templi ędificationẽ perſuadendam, mitti hunc Vatem oportuit. huius verò quinque vaticinia, quorum argumentum ad vnam eandemque rem, hoc eſt ad templi ædificandi procurationẽ pertinet, vno tãtùm anno acta tractataq. fuere, à quarto videlicet ad nonum menſem: vltra quod tempus nunquam amplius prophetico munere functus publicè fuiſſe dicitur,

dicitur. huius autē legationis ratio ad duos populi principes Zorobabelē & Ieſum filium Ioſedec præcipuè ſpectat, penes quos omnis, & ciuilis, & ſacra populi gubernādi, reipublicæque gerendæ poteſtas illa tēpeſtate fuit, cùm alter ducis & principis, alter verò ſummi & maximi pontificis munere fungeretur: ad quos tamen referenda res hęc Haggęo Vati data eſt, vt diuinæ voluntatis conſilium, quod apud eos exequēdum erat, legationis auctoritate conſtaret. Illud verò animaduerſione dignum videtur, in referendo virorum genere non ſemper cōſequentiæ rationem conſolidari, ſed quoſdam filios ijs nōnunquam aſſcribi, qui illuſtriores in ſua familia fuerint, vel ijs à quibus domi educti atque educati ſunt, tametſi aui, vel patrui, vel auunculi fuerint, vel adoptionis iure patres dicantur. Sic Zacharias filius Ghido dicitur, cùm verè nepos Ghido ex Barachia filio fuerit. Zach. 1.
Et Michol filiæ Saulis, cùm per totam vitam ſterilis permanſerit, quinque tamen filij, adoptionis nimirum atque apud ſe educati aſſcribūtur. Itaq. Zorobabel Salathieli, vel ob 2. Reg. 21.
nominis ſplendorē, vel, quod certius arbitramur, domeſticæ ac familiaris educationis cauſa, filius aſſignatur, quòd is potiſſimū ſibi & nominis & muneris hæres fuerit delectus. Appellatur autem Zorobabel dux; nam quanquam ex regia Dauidis familia eſſet, tamē neque regium diadema, neque munus obtinuit, ſed à Perſarum rege cui Iudæa regio parebat, ob generis nobilitatem & ſuam ipſius virtutem, reducendo populo dux præfectuſque creatus eſt. Quanquam verò Latinè dux dicatur, nomenque ipſum bellici magiſtratus proprium ſit, ramen tam pacis, quàm belli rebus gerendis idoneo munere atque officio functum fuiſſe virum hunc conſtat: rempublicam enim pro Perſarum rege adminiſtrauit. Quamobrem Hebraicis literis PAHHATH ſcribitur, quod non Hebraicū, ſed Perſicum, vel Chaldæum nomen eſſe, atque certam quandam præfecturam ſignificare, aliàs, Deo inſpirante, docebimus. Ieſum autem ſacerdotem ſummum patri ſuo Ioſedec in ſacerdotio ſucceſſiſſe res ipſa arguit. namque diruti à Chaldęis & incenſi templi temporibus Ioſedec pontificali munere auctoritateque fungebatur, qui & Babylonē cum cæteris ſuę gentis hominibus abductus eſt, vt in annalibus Regū legimus. Igitur Ioſedec dignitas & mu- 1. Paral. 6.
nus Ieſu filio hæreditario iure delatum eſt, à quo etiam in Ghido nepotem permanauit, quem ſacerdotio ſua tempeſtate præfuiſſe Eſdras tradit. Atque hoc primum vaticinium, priuſquam à Dario ædificandi templi copia Iudæis facta eſſet, editum fuiſſe, res ipſa planè arguit, cùm populi de ea re deſperantis oratio redarguenda à Vate referatur.

Hæc ait Dominus exercituum dicens, Populus iſte dicit, nondum venit tempus domus Domini ædificandæ.

VLTORIS & vindicis cognomen nomini diuino additum eſt, vt vel negligenti populo timor inijceretur, vel hoſtium opus impedientium metus omnis tanto appellato vindice demeretur. [*Dicens.*] improbationem referendæ orationis hoc verbum habet, cuius illa ſententia eſt. Huius populi orationem illam Dominus exercituum non probat, ſed re ipſa redarguendam tantum refert. [*Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ.*] Tempus hoc in loco Hebraicè eſt GHETH: quo nomine oportunum & maturum rei cuiuſque tempus dici iam aliàs docuimus: vt illud, Quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Igitur ex Ba- Pſal. 1.
bylone reſtitutus Ieroſolymitanus populus, cùm primis reſtitutionis annis à templi ædificatione impeditus eſſet, certam perficiendi operis oportunitatem exſpectans, ſeſe negligentius gerebat; cumque de ea re aliquando ageretur, huiuſmodi oratione cunctationem ſuam defendebat. [*Nondum venit tempus, &c.*] Atque hoc modo templi procuratio vltra conſtitutum tempus etiam proferebatur; namque eadem populi oratio anno etiam ſecundo Darij regis fuit: id quod per Vatem noſtrum Deus reprehendit, cunctationique atque inertię populi, magis quàm temporis rationi attribuit. Quanquam enim primo remigrationis tempore, cùm per Cyrum redire permiſſi ſunt, quinquaginta duo anni completi ſunt, quibus integra apud Babylonios captiuitas futura fuit, quam vſque ad ſeptuageſimum regni Babylonici annum duraturam Ieremias declarauerat: tamen reficiendis Ieroſolymorum muris, & reædificandis ruinis tempus ad ſeptuageſimum ab exciſione annum fuerat prorogatum. id verò ſpatium ſecundo Darij anno terminatum eſt. namq. vrbs anno decimonono Nabuchodonoſoris deſtructa eſt. Penes illum autē illiusq. poſteros non vltra ſeptuageſimum annum Babylonicum regnum futurum eſſe Vates dixerāt. Igitur dimiſſio prima ſub Cyro anno quinquageſimo ſecundo à Nabuchodonoſoris regno contigit. à quo tempore ad ruinarum refectionem decem & octo anni exſpectandi fuēre, quos hoc modo Hebræi numerant. Cyrus regnauit tres annos, Aſſuerus quatuordecim: his adde duos Darij, fiunt decem & nouem. Atque hac ratione vnus iam annus à vaticiniorum termino ſupererat, qui tunc agebatur cùm Vates noſter de ea re ad præfectū & ſacerdotem referens, populum ceſſationis & negligentiæ nomine meritò accuſaret, quod nulla iam

temporis ſpectatio, ſed prima ipſorum deſidia in cauſa eſſet, quamobrem templum non ædificaretur. Huc ergo omnis illa annorum, menſium & dierum ratio pertinet. [*Anno ſecundo Darij regis in menſe ſexto, die vna menſis.*] cùm iam ſecundus annus Darij, atque vltra præſcriptū deſtructionis Ieroſolymitanę tempus ſextus etiam menſis ageretur. Ipſa ergo annorum ſubducta ratio populi orationem redarguebat. Hactenus primum vaticinium, quo populus apud vtrumque magiſtratum negligentiæ & ceſſationis arguitur: atque cauſa ipſa vel annis tantum numeratis obtinetur. nunc verò deinceps ſecundum vaticinium eſt.

Et factum eſt verbum Domini in manu Haggæi prophetæ, dicens, Nunquid tempus vobis eſt, vt habitetis in domibus laqueatis, & domus iſta deſerta?

SECVNDO vaticinio populus ipſe compellatus, mendacij & negligentiæ erga res ſacras & religionis cultum redarguitur, quòd temporum rationem perperam fuerit interpretatus. namque iam diu erat, quòd nullo à vicinis impedimento retardati, priuatas ædes ſumptuosè & magnificè ſibi ædificabant, quas tranquillè & placidè inhabitabant. atque adeo huius rei comparatione diuinam cauſam Vates probat, & confirmat argumento à contentione ducto: dicendi autem figura admiratione vſus; quæ ad vehementiorem probationem maximè idonea eſt. Qui conuenit, inquit, vt plurimas & maximas, magnoque artificio conſtructas ædes vobis parare & habitare per tempus liceat, & tamen vnam hanc Dei exercituum ædem deſertam exciſamque reſtituere non liceat: num cæteris priuatis ruinis reſarciendis oportunitas conſtituta hanc vnam publicam Dei domum excepit? Num vitæ neceſſitas vobis ipſis prius conſulendum ſuaſit? cùm tamen diuina primum, deinde humana curare oportuerit. num facilius eſt plures vel ſingulas domos ſingulis, eaſque materia & opere ſumptuoſas, quàm vnam omnibus ædificandam curari? atqui neque vitæ neceſſitatem, neque paupertatem & inopiam excuſare integrum eſt ijs, qui ad luxum laqueatas cedro ædes ſibi ædificant, quas & inhabitant: neque vlla ſibi ædificandi neceſſitate vrgentur, ſed habitandi iam commoditate ſummo cum otio fruuntur. Oportuit autem priuatarum rerum cura liberatos in publicam atque diuinam rem ſtudioſè incumbere, ſibique principem ſuum Deum propitium & placidū, religionis & pietatis procuratione reddere. Quòd ſi minus vos ipſam rerum & temporum ſapienter cogitatam rationem ſequutos orationis & conſilij veſtri pœnituerit; tamen periculis ipſis & damnis diuini de iſta negligentia iudicij admonitos eſſe oportuit.

Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras. Seminaſtis multum, & intuliſtis parum: comediſtis, & non eſtis ſatiati: bibiſtis, & non eſtis inebriati: operuiſtis vos, & non eſtis calefacti; & qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum.

HACTENVS ab antecedentibus & coniunctis, atque ſimilibus; nunc verò deinceps à conſequenti euentu, cui cum antecedentibus maximè conueniat, arguit: ex quibus certiſſimam de diuino iudicio & voluntate coniecturam illis factam fuiſſe oportere confirmat. namque violatæ & neglectæ diuinæ voluntatis culpam, communi quadam familiaris rei infelicitate & damnis, laborumque fruſtrationibus mulctandam eſſe, præter aliarum pœnarum genera, diuina Lex denuntiauerat. Quòd ſi nō audietis vocem Domini, vt

Deut. 28. "custodias omnia mandata eius, & ceremonias, quas ego præcipio tibi, venient ſuper te om-
" nes maledictiones iſtæ: maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, &c. Ad huiuſmodi igitur cogitationem iſtorum animos reuocat Vates, vt ex euentorum cum antecedentibus comparatione conſilij ſtudijque ſui peruerſitatem facilè exiſtiment. [*Ponite corda.*] idem, quod apud Latinos, attende animum, ſignificat. [*vias veſtras.*] rerum agendarum rationes, antecedentia conſequentiaque omnia, atque euentus. [*Seminaſtis multum, & intuliſtis parum.*] cùm tamen rerum natura ita comparatum ſit, vt agri plus multo quàm acceperint, cultoribus reddant. Quid ergo cauſæ eſt quominus agrorum ingratitudinem ex culpæ veſtrę & diuinæ offenſionis rationibus interpretemini? [*Intuliſtis.*] linguæ vſus obtinuit, vt ex vno verbo integra accipiatur ſententia. maximè autem hoc in artium ſermonibus obſeruatur, vt in agricultura, architectura, medicina & pictura: eaque omnibus ferè linguis communis ratio eſt, vt facere, cùm de arboribus ſermo ſit, fructum proferre ſignificat; cùm de religione, ſacrificare, &c. ſic inferre, fructus domum afferre, vel in horrea congregare. neque verò ſolùm in fructuum perceptione, ſed in vſu etiam infelicitatem illis deprehendi & ſentiri Vates ait. [*Comediſtis & non eſtis ſatiati.*] quòd omnia quæ ad vſum ſibi parata eſſent, ſua vi & naturali facultate, ex diuini conſilij ſententia, deſtituerentur: id quod ex vini etiam ratione arguitur, cuius magis, quàm ciborum præſens vis & efficientia eſt. namque vinum largius hauſtum ebrietatem continuo efficit: quæ res ipſum parcius ebibitum valere etiam arguit.

arguit. quòd verò inutile omnino atque inefficax ſit, ſignum eſt, etiam plena amphora ingurgitatos, nunquam tamen inebriari atque obrui. Omnis autem alendæ vitæ facultas cibo & potu, atque veſtitu conſtat; illis vires reficiuntur; hoc membra fouentur, calorque natiuus temperatè conſeruatur: ſed tamen hac etiam veſtimentorum vtilitate priuari illos ait. [*Operuiſtis vos, & non eſtis calefacti*] Quanquam non cultiori ſolùm, ſed multiplici veſtium genere fueritis induti, tamen perinde iuuamini, ac ſi nudi ageretis. atque hæc nimij & oneroſi veſtitus cura verbo infinito Hebraicè indicatur. [*veſtire*, inquit, *& non ad calefaciendum*:] cùm laneæ veſtis natura ad fouendum calorem idonea maximè ſit, nec feliciore hoc in genere condicione pauperiores vtuntur: quibus victus ratio ſolo labore conſtat. ij enim acceptæ ex labore mercedis infelicitate æquè premiuntur, atque ij quibus fundi & agri annonam ſuppeditant, vt non caſum, ſed offenſi & irati numinis conſiliū interpretari oporteat. [*Et qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum.*] Magno labore inutiles quęſtus à pauperiorib. fieri, prouerbiali oratione ſignificat: perinde enim proficere mercedes ait, ac ſi in ſacculum pertuſum miſſæ fuerint, ex quo, mox vt concluduntur, imprudentibus decidunt, & non ſine magno domini ipſius dolore pereunt; cui tantus labor fruſtra fuerit conſumptus. Ita vt communem omni populo, atque in omni rerum genere infelicitatem, non caſum, ſed offenſi atque irati numinis iudicium & animaduerſioné interpretari oporteat, quòd ob communis omnibus rei violationem vel negligentiam acciderit. nulla autem res æquè pauperibus & diuitibus communis, atque religio eſt. Igitur vel hoc vno argumento templi ad pietatis cultum ędificandi, & pietatis neglectę culpa ſeſe premi intelligere potuerant & debuerant: atque oportuit corda atque animū ad hanc rem cognoſcendam attendere. Verùm enimuero ſtudiorum & laborum infelices euentus, in magnam felicitatem conuerti poſſe hoc vno pacto docet, vt religionis res & templi ædificatio diligenter & ſanctè curentur. namque diuinarum rerum certa & legitima obſeruatio humanas omnes res commodiſſimè producit & perficit; id quod contra euenit ſi ſecus agatur. has enim ſequi, illas præire ſemper oportet. Igitur ad ſuam ipſorum rem rectè & ritè putandam illorum animos Vates reuocat & exhortatur.

Hæc dicit Dominus exercituum, Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras.

HOC eſt, conſulite ſapientius, & prouidete rebus veſtris, quas hactenus ob religionis negligentiam vltore Deo detritiſſimas experti eſtis. his autem cōmodiſſimè conſuletis, diuini prius honoris & dignitatis, quàm humani commodi rationes procurando: id quod euentu ipſo probabitur.

Aſcendite in montem, portate ligna, & ædificate domum: & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dominus.

NON tam rerum magnitudine & ſumptu, quàm colentiū obſequio & ſtudio delectari ſe Deus declarat, qui facili materia & commodo magis atque breui, quàm diuturno opere domum ſibi parari ædificarique iubet, quam ſibi illisq. fauſtam fore in ſeſe recipit. Neque verò de lapidibus excindendis artificioſeque expoliendis vlla mentio fit; ſed quod factu ac paratu facillimū eſt, ligna in montem ipſum Moriā comportari, quibus muri & tectum præcipuè contignentur: eamque domum vbi ſarta tectaque fuerit, ſibi gratiſſimā fore, maximoque felicitatis publicè edito exemplo, magis quàm opere ipſo amplificādam pollicetur. namque in eam venturum Meſſiam ſuum ſubindicat, cuius aduentus ſalutē publicam omni orbi allaturus, ad diuini nominis gloriam & ſanctificationem pertineret. [*Acceptabilis mihi erit.*] quāquam materia & opere longè quàm prior illa, minor ſit. [*Et glorificabor, dicit Dominus.*] Promiſſionem gloriæ templo ipſi ex ſua ipſius gloria redundantis futuræ hęc oratio habet. Eſt autem magnum in Hebraicis literis hoc loco myſterium: nam verbum *& glorificabor* ea ratione ſcriptum eſt, vt Latinè, *Et glorificabor & glorificabo eam*:] ſic tamen ſcriptum eſt, vt glorificabor integrum ſit; glorificabo eam, non item integrum. atque illud huiuſmodi myſterio ſignificatur, diuinam gloriam ex Ieſu Chriſti aduentu, rebus gerendis, obeunda morte, reſurrectione ex mortuis, paracleti Spiritus miſſione, ex omni denique promiſſi beneficij genere plenè atque integrè conſtantem fore. Huius autem templi in quo hæc omnia edenda fuerint, magnam quidem eſſe, non tamen integram, planeque abſolutam. quandoquidem tanta Dei beneficia ab ijs, qui templum illud frequentarent, minus diligenter, quā oportuerat, perpēſa, & minus gratè accepta, unò, quod nefarium omnino fuit, à pleriſque illorum repudiata ſunt, ſicut ſcriptum eſt; In propria venit, & ſui eū non receperūt. Quę quidē res in cauſa fuit, vt & templi & gētis ipſius dignitas atq. amplitudo omnis euerteretur. Id quod quāuis Deus cognouerit, prę uiderit atq. oratione ipſa ſignificauerit, nihil tamē obſtitit quo minus rectè riteque agendā curandamque Iohan. 1.

 pieta-

pietatis rem, templumque ædificandum commendarit, vt ſi nō ipſi quod ipſorum fuerat,
hoc eſt, fidem & pietatem integrè & legitimè; at ipſe tamen quod ſuum erat, hoc eſt pro-
Ioan. 1. miſſa ſua diuina pleniſſimè præſtaret: quæ ad eos ſaltem pertinerent, à quibus libenter &
" gratè ſuſciperentur, ſicut ſcriptum eſt: Quorquot autem receperunt eum, dedit eis pote-
ſtatem filios Dei fieri, &c. Igitur magnam non ſolùm animorum (quæ præſtantiſſima eſt)
ſed familiaris rei felicitatem Ieroſolymitanis religionis cultum & templi ædificationē ſe-
dulò procurantibus Deus pollicetur: magnam rurſus infelicitatem negligentibus, atq. pri-
uata & prophana commoda publicis & ſacris rebus anteponenti populo minatur.

Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus: intuliſtis in domum, & exufflaui illud: quam ob cauſam, dicit Dominus exercituum? quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinatis vnuſquiſque in domum ſuam.

EARVM quæ antehac fuerant illis rerum imaginem ante oculos propoſuit: nunc ve-
rò earum quæ ſequentur, niſi diuinæ religioni purè & legitimè conſulatur, multo dete-
riorem futuram eſſe denuntiat. namque omnem peruincendæ miſeriæ ſpem, qua in mi-
ſerrimis rebus homines ali ſolent, irritam fore confirmat. [*Reſpexiſtis ad amplius, & ecce minus.*
Hebraicè & Chaldaicè infinitè profertur verbū, ſic: *Reſpicere ad amplius, & ecce ad minus.*] Ipſa ſer-
monis ratio illorū res magis indies deterendas fore ſignificat. namq. articulus ille, ſiue præ-
poſitio, *Ad*, vlteriorem motum indicat: Hiſpanè *Mirar à de lante y caminar paratras.* [*Et intuliſtis in
domum, & exufflaui illud.*] Præteritum coniunctione *Vau* appoſita diuus Hieronymus, cæteri-
que omnes qui Hebraicè norūt, pro futuro accipiunt. Verbum Aſpicere, ſiue, vt in Hebrai-
co propriè eſt, faciem intendere, futurarum rerum proſpicientiam atque vlterius tenden-
Gen. 37. di conſilium conatumque ſignificat. namque iter agentibus familiare eſt: vt, Intenderunt
Deut. 1. faciem inde, & abierunt Sodomam. &, Vos autem intendite, & abite in ſolitudinem, &c.
[*Et exufflabo.*] Cùm Deus iratus ignem conſumentem ſe eſſe dixerit, quicquid in agro ſtu-
dio & labore vix conquiſitum comportatumque domum fuerit, halitu ſuo exurendum &
debilitandum ita eſſe ait, vt inane prorſus atque inutile reddatur. eſt autē verbum hoc in
loco ex illa ratione: Ecce ego creaui fabrum ſufflantem in igne prunas. Porrò Chaldeus
paraphraſtes orationem hanc à tranſlatione ad ſimplicitatem more ſuo apertè reduxit. Et
Esai. 54. ego, inquit, mittam in illud maledictionem. Atque tantæ calamitatis cauſam, ædificandi
" templi ceſſationem, & priuatarum rerum curam eſſe Deus ipſe definit: quandoquidem
naturæ curſum certo modo & loco conſtanter impeditum nō niſi ex diuino conſilio & iu-
dicio interpretari ſapiens & prudens vir poſſit, maximè ſi cum prædicta & explicata cauſa
euentus ipſi, vt denuntiati fuerint, conueniant. [*Quam ob cauſam? niſi quia domus mea deſerta eſt,
& vos feſtinatis vnuſquiſque in domum ſuam.*] [*Feſtinatis.*] Magnam priuatarum rerum curam, ſo-
licitudinem atque aſſiduitatem hoc verbo ſignificauit, cùm diuina & publica imprimis,
poſtremò autem priuata curari oportuerit. Hanc verò ſtudiorum peruerſitatem quanta
rerum calamitas conſequutura ſit, ſtatim Vates denuntiat.

Propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cæli, ne darent rorem, & terra prohibita eſt ne daret germen ſuum: & vocaui ſiccitatem ſuper terram, & ſuper montes, & ſuper triticum, & ſuper vinum, & ſuper oleum, & quæcunque profert humus, & ſuper homines, & ſuper iumenta, & ſuper omnem laborem manuum.

OMNE hoc, cui mundi cælique nomen inditum eſt, in hominum commoditates atque
Psalm. 113. vſus conditum eſſe diuina philoſophia docet. Cælum cæli Domino; terram autem dedit
" filijs hominum. namque fingendo ad imaginem & ſimilitudinem ſuam ex terræ limo ho-
mini cōmodiſſimam domū, atq. omnibus rebus quæ ad vitā victumq. neceſſariæ ſunt af-
fluentē parare & cōſtruere Deus voluit. de qua nobis eodē propitio aliàs diſſerendū erit.
Meritò autē cōmunis hominū cura & prouidētia à Deo remittitur: vbi exigua quædā di-
uino cultui ſacranda ædes, propter priuatæ rei curā negligitur. Hoc autē malum nō omni-
bus nationibus aut locis, ſed ijs tantùm qui neglectæ religionis culpa teneantur, euenturū
eſſe ait. Quod priuatè allatum certam diuini iudicij ſententiā arguere teſtarique poſſit.
[*Prohibiti ſunt cæli,* ex diuinæ ſententiæ decreto, *ne darent rorem;*] ne rorē quidē, qui neq. in gra-
uiſſimis & ſteriliſſimis annis, ipſa etiam æſtate, deficere ſolēt, cælum regionibus dabit,
nedum oportunas pluuias & imbres fuerit ſuppeditaturum; & terræ etiam natiua vis ad
plurimas generandas ex ſeſeq. producēdas res, maximè verò plantarū herbarumque ge-
Gen. 1. nera omnia; ſicut ſcriptum eſt: Germinet terra, &c. Vobis nequidquam commodū aut vti-
" le proferat, prohibebitur: id aūt quomodo effici poſſit, ſtatim declaratur. [*Et vocaui ſiccitatē.*]

Præte-

Præteritum pro futuro coniunctione addita. [*Super terram,*] Super Iſraëliticam regionem:
quæ quanquam cæli ſoliq́ue natura, & diuino præcipuè beneficio beatiſſima olim fuerit;
nunc tamen ob cultorum culpam effœta & ſui diſſimilis euadet. Idem enim Deus qui pri-
uatis beneficijs regioni illi conſuluerat, ſterilitatem ſeſe deinceps vocaturum dicit. quæ
cùm præter naturam & conſuetudinem accidat, diuinam vltionem & Vatum prædictio-
nibus conſentaneam teſtatura ſit. [*Siccitatem,*] Hebraicum verbum HHOREB ariditatem,
conſumptionem, ſterilitatemq́ue ſignificat. atque adeò natiuæ rerum virtutis defectionem
& abſciſionem dicere poſſumus, ſi rem ipſam deſcribamus, cuius illud apud diuinum Va-
tem exemplum eſt: Poſuit flumina in deſertum, exitus aquarum in ſitim: terram fructi- Pſal. 106.
feram in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea. Illud verò annotare libuit, magnam
in ipſis Hebraicis verbis vim eſſe, quam Latinè reddere minimè plenè poſſimus: namque
culpæ annominatione pœnæ ratio pronuntiata eſt. Vbi nos legimus, quia domus mea de-
ſerta eſt, Hebraicè dicitur, quia domus mea Hhareb. non ergo immeritò Hhoreb ſibi vo-
candã eſſe dixit. Eam verò communem omnibus & ſummis & infimis locis fore confir-
mat, vt neque ſponte ſua, neque ex humana induſtria & labore vtile quicquam proferant.
[*terram.*] campos iacentes, qui ob ſitus humilitatem influentium de cælo imbrium & ni-
uium roriſque vim commodius percipere atque retinere ſolent. [*Super montes.*] quorũ na-
tura frigidior & humidior cùm ſit, ariditatem & ſterilitatem minus metuit. Ipſa quoque
plantarum genera natiua illa germinandi proferendiq́. fructus vi, qua pollent, deſtituen-
da fore ait. neque verò magis eam agriculturæ partem, quæ humana induſtria, iumen-
torumq́ue labore conſtat, valituram oſtendit. [*Et ſuper homines & ſuper iumenta.*] Boues, came-
los, aſelloſq́ue exponimus, quibus ruſticę rei ratio adminiſtratur. ſed & non minus inu-
tilem fore laborem dicit, quicunque in mercatura & quæſtuarijs artibus conſumatur. [*Et
ſuper omnem laborem manuum.*] Ita fiet vt omni ex parte cumulata infelicitas diuinæ religionis
neglectionem vlciſcatur. Hac autem Vatis oratione Iudęorum animis de ædificãdo tem-
plo cogitatio iniecta fuiſſe narratur. magna enim diuini verbi, maximè ſi pios nacta fue-
rit magiſtratuum animos, in permouendo populo vis atque efficientia ſpectatur.

Et audiuit Zorobabel filius Salathiel, & Ieſus filius Ioſedec ſacerdos magnus & omnes reliquiæ populi vocem Domini Dei ſui, & verba Haggæi Prophetæ, ſicut miſit eum Dominus Deus eorum ad eos: & timuit populus à facie Domini.

IPSARVM primum contemplatione rerum admonitos diuinæ legis & præceptorum
rationem agnouiſſe narrat, quòd ea quam hactenus experti eſſent, infelicitas cum propo-
ſitis ob religionis neglectionem pœnis vehementer conueniret, atque ipſos violatæ pieta-
tis reos teneret. hæc illius orationis ſententia eſt: *Vocem Domini Dei ſui.*] Porrò autem præ-
teritis periculis atque orationis grauitate & dicentis etiam auctoritate adductos eſſe ait, vt
fidem diuinæ legationi haberent, atque propoſitis futurę infelicitatis minis ac periculis
territi, & diuinę voluntati obedire, & ſibi ipſis conſulerę cogitarẽt. Hoc eſt quod dicitur:
Et verba Haggæi Prophetæ, ſicut miſit eũ Dominus Deus, &c.] Hęc oratio certam illis lęgati lega-
tioniſq́ue fidem fuiſſe ſignificat. [*Et timuit omnis populus à facię Domini.*] Religionẽ inprimis,
deinde verò agendæ rei cogitationem futuræ infelicitatis metu iniectam illis fuiſſe narrat.
cæterùm quia tum regia auctoritate, tum vicinorum metu ab opere reuocari poterant,
opportuna oratione & exhortatione, atque ſecuritatis promiſſione à Vate incitantur.

Et dixit Haggæus nuntius Domini, de nuntijs Domini, populo dicens: Ego vobiſcum ſum, dicit Dominus.

QVOS tempus ipſum & diuina iuſſio ad ædificandum templum hortaretur, nulla regię
facultatis exſpectatione retardari, nullo hoſtium aduerſariorumq́., metu deterreri opor-
tere docet; quippe quos Dei, cuius voluntas obſeruatur, reſq́ue agitur, inuiolabili tutela
& pręſidio protectum iri certiſſimè eſſet credendum: id quod Vates ipſe de Deo maxima
fide promittit. Hæc autem oratio ad populum pręcipuè pertinet; quippe qui metu &
negligentia maximè teneretur, vt ſuperius initio dixerat Vates, Populus iſte dicit, &c.
[*Nuntius Domini de nuntijs Domini.*] Non priuatam, hoc eſt, ſuam; ſed diuinam fidem legatio-
nis auctoritate promiſſioni adiunctam eſſe ait, quando Haggęus non ſuo nomine, ſed vt
nuntius Domini hanc etiam inter cæteras ſibi mandatas res nuntiauerit: [*Ego vobiſcum ſum.*]
nihil vobis iuſſa diuina curantitibus à Perſidis rege, neque ab vllo alio homine, aut mali,
aut damni metuere aut pręcauere, ſed ſecuro animo eſſe Dominus iubet; qui ſuam vobis
ſanctè ac putè iuſſa & imperata agentibus, certam pręſentemq́. tuitionem & gratiã pol-
licetur. [*De nuntijs Domini.*] quos diuino nomine & ſumma auctoritate certiſſimos aſſerebat.

Nuntios

Nuntios enim hoc loco mandata interpretamur. Ex hoc autem loco diuina iuſſa atque præcepta impauidè teneri, curari atque agi oportere docemur; quippe quorum diligens atque flagrans ſtudium certum Dei protectoris auxilium cultoribus promittat, ſicut ſcri-
Pſal. 118. ptum eſt: Tunc non confundar, cùm proſpexero in omnibus mandatis tuis. His autem rebus omnibus reuelatos ducis & ſacerdotis ac populi animos atq. ad ſacræ legationis ſuſceptionem iam permotos, diuina gratia & numine magis incitatos, atque ad agendam rem firmatos fuiſſe Vates narrat.

Et ſuſcitauit Dominus ſpiritum Zorobabel filij Salathiel ducis Iuda, & ſpiritum Ieſu filij Ioſedec ſacerdotis magni, & ſpiritum reliquorū de omni populo: & ingreßi ſunt, & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei ſui.

DIVINAM gratiam quam conſequentem Theologi appellant, ijs præſto eſſe quibus ea quæ antecedens dicitur, non fruſtra fuerit oblata, locus hic planè admonet: atque illud præterea docet ſummos rerum publicarum gubernatores, qui rectè munus ſuū geſſerint, ad ea, quæ publicam rem attingunt, cognoſcenda & curanda primos omnium diuina virtute auctos incitari informarique ſolere, maximamque ad permouendum populum efficientiæ, partem in horum exemplo eſſe poſitam. Deinde illud porrò admonemur in religionis & pietatis rebus curandis, communem vtriuſque magiſtratus & partis, & ſacrorum videlicet & laicorum ſententiam & conſpirationem, commune conſilium & ſtudium, communem denique operam eſſe oportere. ex eo enim fit, vt res melius procedat, & populus imperata libentius atque ſtudioſius exequatur, ſi in ijs, quæ pietatis & publicę rei ſunt, nulla honeſtate ſibi diſſentire vtroſque magiſtratus intellexerit. [*Et ingreßi ſunt.*] Ingredi hoc loco venire ſignificat, quo verbo commune ſtudium & cura atque ſedulitas indicatur. [*In domo Domini exercituum Dei ſui:*] Id enim opus iuſtè ac legitimè ſuſceptum, nomen Dei cui magna cultura & pietas debetur, declarat: tutò autē & magna cum fiducia inini Dei exercituum tutoris & propugnatoris appellatum nomen confirmat. Quo autem tempore primum opus ipſum publicè cœptum initumque fuerit, primo conſequentis capitis verſu indicatur. namque Hebraicè hoc vaticinium, vt alia multa, perpetua oratione ſcriptum eſt: Latinè autem ob legendi commoditatē interſectis capitibus diſtinguitur. quam rem ad ſententiarum conſequentiam tenendam obſeruare plurimum perſæpe retulerit. Maturatum autem opus fuiſſe conſtat, quod viceſima tertia die à prima Vatis actione in-
Ierem. 48. cœptum eſt. Certum enim Dei conſilium & voluntatem omni diligentia conſequi ſemper oportuerit. ſicut ſcriptum eſt: Maledictus qui facit opus Domini negligenter.

CAPVT SECVNDVM.

IN *die viceſima & quarta menſis, in ſexto menſe, in anno ſecundo Darij regis.*

NONDVM peracto à prima Vatis legatione menſe, materiem operi faciendo idoneam comportari cœptam fuiſſe narrat. namque ædificatio ipſa non ante viceſimam quartam noni mēſis, vt inferius explicatur, incepta eſt: quo tempore ædificandi templi copia, ex Perſarum regis conſilio & decreto facta illis fuit; Deo incenſis pietatis ſtudijs conſulente. Paucis autem diebus poſt, hoc eſt, poſt menſem fere, Haggæo vaticinium aliud creditum eſt, quod ad ædificandi templi commendationem ſpectabat. Quamobrem temporum rationes coniunctæ ſimul eodem capite fuēre. Tertium autem vaticinium, cuius initiū eſt; In ſeptimo viceſima prima die menſis, his etiam adiunctū eſt. Deinde etiam quartum eodem capite eſt poſitum. Atque ita ad vnam lectionem omnis dierum ſimul relata ratio eſt.

In ſeptimo menſe viceſima & prima die menſis factum eſt verbum Domini in manu Haggai Prophetæ, dicens: Loquere ad Zorobabel filium Salathiel ducem Iuda, & ad Ieſum filium Ioſedec ſacerdotem magnum, & ad reliquos populi, dicens:

TERTIVM vaticinium hoc ad illum vſque verſum pertinet: [*In viceſima & quarta noni menſis.*]

nenſis.] Cuius argumentum ad ædificandi templi dignitatem; non ex materia & operis magnitudine, ſed ex diuini beneficij ratione commendandam ſpectat. namque cùm hoc poſterius templum tum ædificij modo à Perſarum regibus præſcripto, tum ſtructuræ, & materiæ ratione, quod ab iis, qui ex captiuitate remigraſſent, conſtrueretur; antiquo illi à Salomone poſito comparari non poſſet, magnam ea res triſtitiā quorundam ex populo, maximè verò ſeniorum animis afferebat; atque cæterorum etiam ſtudia nōnihil reſtinguebat. Igitur diuino conſilio & vaticinio his hominū cogitationibus, & conſequenti ex illis moræ atq. impedimento prouiſum eſt. namq. & principes & populū allocutus Vates templi decus & dignitatem non tam rerum & operum quibus conſtet, quàm diuinæ auctoritatis nomine atque auſpicio definiendam eſſe docet. huiuſmodi de ea re Vatis oratio fuit.

Quis in vobis eſt derelictus qui vidit domum iſtam in gloria ſua prima? & quid vos videtis hanc nunc? nunquid non ita eſt, quaſi non ſit in oculis veſtris?

QVANQVAM altera ædes hæc ab illa fuerit; tamen quòd eodem ſita loco eſſet, vnius eiuſdemque domus nomine appellatur. ſermo autem ad eos præcipuè fit, qui prioris templi recordarentur, quòd ij præteriti ſplendoris recordatione ac dolore, triſtitiæ & moræ auctores cæteris eſſent. Arguit autem Vates ex duplici comparatione, altera diuinarum rerum, humanarum altera; quibus templorum ſacrarumque ædium ratio omnis conſtat. namque in huiuſmodi rectè curatis atque inſtitutis generibus humanum ſtudium & opera primo & infimo, ſecundo verò & ſupremo loco Dei iudicium ſpectatur. Dignitatem operi non tam ex humana, quàm ex diuina auctoritate accedere neceſſe eſt. Seniorum ergo orationem alterarum, hoc eſt, inferiorum rerum comparatione permiſſa; alterarum verò, diuini, inquam, iudicij & auctoritatis excellentia propoſita redarguit, quòd ex inferioris generis ratione & modo tantæ rei dignitas falſò æſtimanda eſſe putaretur. [*In gloria ſua.*] in ſummo illo antiquo ſplendore. ſic Salomonis gloriam Dominus noſter dixit. [*Et quid videtis hanc nunc?*] neque ſpatio, neque altitudine, neque materia ei, quæ antea fuerat, comparandam? cùm illa in florentiſſimis Iſraëlitarum rebus à Salomone opulentiſſimo & ſapientiſſimo rege, maxima mole, incredibili artificio exædificata, auro obductis muris, vario & multiplici gemmarum genere diſtincta; cuius memoriæ hæc ſi comparetur, nulla profectò eſſe videatur. [*Nunquid non ita eſt quaſi non ſit in oculis veſtris?*] idem quod Latinus dicit, nihil eſſe videri. Hac autem priore comparatione illis conceſſa, alteram, quæ diuini iudicij rationibus conſtat, defendit Vates, magis acceptam gratamque Deo fore hanc confirmans; quippe quam ille totius orbis ſeruator præſentia ſua illuſtraturus, atque doctrinæ muneribus ornaturus fuerit. Quamobrem maximo ſtudio & diligentia, maxima etiam ſpe huius ædificationem ſuſcipiendam ſuadet.

Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus, & conſortare Ieſu fili Ioſedec ſacerdos magne, & confortare omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum.

ET *nunc.*] Exhortationis verbis omnis hęc oratio conſtat, in qua principes viri imprimis appellantur; maximè autem Ieſus pontifex Ioſedec filius, qui non tantùm honoris, ſed cognoſcendi myſterij cauſa, & generis & muneris mentione facta, nominatur: quòd quæ de diuino Meſſia traderentur myſteria, ad ſacerdotes primum cognoſcenda, & populo aperienda ſpectarent. [*Et nunc.*] Huius verbi vſus in exhortationibus frequens eſt: vt, Nunc ergo timete Dominum Deum veſtrum. Ita etiam verbū confortare ad difficiliores res maxima cum ſpe felicis euentus gerendas: vt, Cōfortare ergo & eſto robuſtus, tu enim diuides populo huic terram. Non ſolùm autem euentus propoſita ſpe, ſed præſentis Dei auxilio & præſidio promiſſo, ad opus agendum animantur atque firmantur. namque hactenus nondū hęc res ad Darium relata, neq. ab illo ædificandi templi copia fuerat facta, vt ex tertio Eſdræ libro obſeruauimus. Ioſu. 24. Ioſu. 1.

Et facite quoniam ego vobiſcum ſum, dicit Dominus exercituum: verbum quod pepigi vobiſcum, cùm egrederemini de terra Aegypti, & ſpiritus meus erit in medio veſtri, nolite timere.

ET *facite* Pium opus magno ſtudio ſuſcipere iubet, nulla vel difficultatis vel importunitatis tergiuerſatione vel mora interpoſita, cùm præſentis & protegentis Dei numen & virtutem experiri facilè poſſint. *Quoniam ego vobiſcum ſum, dicit Dominus exercituum.*] cuius pręſentia & faciendo operi felicitatem, & perfecto ornamentum maximè afferat. Eius verò orationis: *Verbum quod pepigi vobiſcum.*] huiuſmodi ſententię eſt. Maximum ædis illius operæpretium, non operis magnitudine & ſumptu atque magnifica ſpecie, ſed diuini numinis

gratia & præſentia, prouidentia atque cura eſſe definiendum. Vbi enim hæc commoda maximè adfuerint, is locus maximus auguſtiſſimusque exiſtimandus erat. Atque hanc vnam rem ſibi imprimis promiſſam, deſiderandam, omni ſtudio procurandam; eodem ipſo Deo admonente edocti iam olim fuerant. [*Verbum quod pepigi vobiſcum, & Spiritus meus erit in medio veſtri.*] Iungitur verbum cum verbo illo, *Facite.* Facite, inquit, & præſtate vos id quod vobiſcum olim conſtituerā. [*Et Spiritus meus erit in medio veſtri.*] Atque hoc pacto domum hanc poſteriorem priori illa multo illuſtriorem reddendam Deus ipſe ſeparatim promittit, in ſeque recipit, eoſque ad officium pro ſua parte faciendum exhortatur. [*Nolite timere.*] Vobis, inquit, in condicione atque pacto ſanctè manentibus timendū non eſt, vt ob minorem ædis huius magnificentiam & molem Spiritus mei cura & prouidentia, minuſque illuſtri præſentia vti cōtingat, quibus maximum & præſtantiſſimum beneficium, hoc eſt, Chriſtum filium meum tantis deſideratum ſeculis donaturum me polliceor, in quo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat. Ex eo autem fiet, vt huius templi gloria & ſplendor, multo quàm prioris illius maior præſtantiorque ſit.

Quia hæc dicit Dominus exercituum, Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum & terram, & mare & aridam, & mouebo omnes gentes.

CHRISTI totius orbis redemptoris tempus & rationes hoc loco potentiſſimus exercituum Deus indicauit. Quo tempore magnam rerum mutationem futuram eſſe, apud omnes ferè Vates teſtatus eſt, atque apud hunc manifeſtè expoſuit. Etenim antiquæ legis vmbras, in quibus Iſraëlitarum natio deliteſcebat, magna & communi gentibus omnibus luce mutandus eſſe confirmat, & nouam quandam diem omni orbi affulſuram: Illuminare ijs qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent. Hanc autem in humanis rebus mutationem mundi omnis hominum cauſa conditi commotione ſignificauit. [*Adhuc vnum modicum eſt.*] Oſtendit exiguam & anguſtis terminis cōtentam fuiſſe veræ religionis gloriā, quamdiu prioris templi rationes conſtarent. Eam verò longè dignitate præſtantiſſimam, & propagatione maximam fore, poſtquam Meſſiæ in hoc poſteriori templo ſibi in publicam ſalutem dandi, initio apud Ieroſolymam facto, toto orbe propagari cœperit. [*Adhuc vnum modicum eſt,* Hebraicè, *adhuc vnum idq; paruum.*] hoc eſt, ſupereſt adhuc aliquis harum præſentium rerum ſtatus, iſque & re ipſa, & duratione etiam non nimis magnus, ſed paruus. namque à ſecundi templi ędificatione ad Chriſtiani nominis illuſtrati initia, quadringenti & viginti anni ferè fluxêre, quod tempus cum Chriſtianæ pietatis ætate comparatum, modicum profectò eſt. [*Commouebo cælum & terram, mare & aridam.* Hebraicè eſt: *mare & deſertam.*] ita vt omnem habitabilem & inhabitabilem, continentem & marinam regionem, ad Chriſti nomen audiendum & ſuſcipiendum commoturum ſe eſſe dicat, & priorem illam rerum faciem in aliam multo illuſtriorem commutaturum. Hanc huius loci expoſitionem Spiritus ſancti interpretatione apud Paulum docemur. Cuius illa oratio eſt: Quod adhuc ſemel dicit, declarat mobilium tranſlationem tanquam factorū, vt maneant ea quæ ſunt immobilia, &c. [*Et mouebo omnes gentes.*] Ad earum quæ ſub. jciuntur, rerum notitiam & exſpectationē. Atque hoc modo huius carminis ſententia componitur. huius templi noua ratio non modo cum primis & florentiſſimis tēporibus cōparata, exigua eſſe deprehenditur; ſed adhuc ſi cum futura ætate conferatur, parua admodum iudicabitur. namque adhuc vna magnitudinis & dignitatis comparatio ſupereſt, ad ea feliciſſima tempora quæ tunc conſequentur; quando mouebo cælum & terram, &c. Qualis autem ille futurus rerum ſtatus, quantuſque exſpectari poſſet, deinceps exponit.

Lucæ 1.

Heb. 12.

Et mouebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus: & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum.

HVNC locum de ſancto ac diuino Spiritu omnibus gentibus ad felicitatem neceſſario interpretamur, quem Spiritum ſanctificationis Apoſtoli nominant, donatum à Deo per Chriſtum redemptorem, & procuratorem omnibus obedientibus ſibi. Huius verò Spiritus ſancti deſiderio maximo gentes omnes etiam quæ Chriſtum non expectaſſent, iam inde à principio teneri, dummodo infirmitatem ſentiant ſuam, nos alio in loco, eiuſdē Spiritus auxilio, docebimus. Atque huius Spiritus efficientia, & virtute præſenti, ac perpetua inhabitatione domū aliam tertiā ſibi ædificatum iri ſignificat Deus, quæ maximis gratiæ & diuinarum virtutum muneribus ornata, tantum primæ & ſecundę ſplendore & dignitate excellat, quantū humana diuinis, ruitura & mutabilia perpetuis & conſtantiſſimis exuperantur. Hanc autem domum viuis lapidibus conſtantem, incomparabili argenti & auri vi obductā, multo & vario gemmarum, & pretioſiſſimo lapidum genere diſtinctam &

ornatam, varijs in locis apoſtoli deſcribunt, & templum ſanctum Domini appellāt; atque exemplar illud eſſe dicunt, quod Moyſi in monte diuinitus monſtratum fuerat: cuius inſtar & tabernaculum in ſolitudine, & templum deinde Ieroſolymis habuit. Illud autem quod oſtenſum fuerat, longè fuiſſe præſtantiſſimum, vel ex vno exemplaris nomine ab apoſtolis arguitur. Igitur triplicem domus ædificationem agnoſcimus; primam illam Salomonis ſtudio & cura cōfectam; ſecundam, quam Vates hic procurari perſuadet; tertiam quam Ieroſolymis inchoandam, ſed toto orbe producendam eſſe Haggæus vaticinatur: cuius comparatione non modò ſecunda hæc, ſed & prima illa à Salomone perfecta, exigua admodum erit. Itaque poſt veterum & mobilium mutationem, ad huius poſtremi templi ædificationem omnes gētes monendas fore ſibi Deus pollicetur, atque miſſo diuino Spiritu domum tertiam æternam, piorum omnium ſocietate conſtantem, eccleſiam parandam. [*Et implebo domum iſtam gloria.*] Iſtam quam poſtremo loco ſignificauerit exponimus. Eſt autem apud Hebraicos artifices vna ex ſententiarum figuris, quam ipſi Agab gezara, hoc eſt, poſt definitionem dicūt: ea à noſtris rhetoribus Significatio appellatur, cum ex alio dicto aliud intelligitur, vt cùm ex rubri maris hiſtoria Chriſti mortem & reſurrectionem, magis etiam ex literæ ſententia, quàm ex allegoria docemur. Hujus autem figuræ multa genera atque exempla ſunt, ex quibus vnum hoc quod interpretamur, eſt, ſiquidem à primo & ſecundo ad tertium templum Vates orationem deduxit. cuius ſanctam arcanamque fabricationem ornatumque omnem ſibi acceptum tribuendum Deus ipſe confirmat. Hebr. 8. Ad Herēniū lib. Itaac Hiſpanus in Haggæum cap. 2.

Meum eſt argentum, meum eſt aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ plusquam primæ, dicit Dominus exercituum: & in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.

ILLVD iam ſæpius admonuimus, nomen *Dei exercituum*, facultatis ad rem gerendam probandæ cauſa, in ſacris orationibus appellari. Horum autem verſuum huiuſmodi ſententia eſt. Vera & illuſtria ſacrarum rerum ornamenta non tam ex auro & argento quod terra gignat, ſpectanda eſſe, quàm ex alio auro atque argento, quod diuinis theſauris conſeruatur, quod ex fluminibus de paradiſo voluptatis promanantibus, colligitur. De quo illud per ſignificationem ſcriptum eſt: Vbi naſcitur aurum optimum, & Bdelius lapis. Neque verò ſi auro atque argento terreno agendum eſſet, id poſſet in hoc ſecundo templo deſiderari, quādo nihil Salomoni comparatum fuerit, quod Deo ipſi comparatu facillimum non ſit, ſed auro ſuo & argento ſuo opus eſſe; cuius maximam vim ad ornamentum tertij huius templi, de quo ſermo fit, expendendam ſibi fore pollicetur: ita porrò fier, vt ſit gloria domus iſtius nouiſſimæ magna pluſquam primæ. Verba ipſa *nouiſſimum & primum*, quæ de pluribus, quàm duabus, dicuntur rebus, tertiæ domus à nobis definitæ ſignificationem manifeſtè indicant. namque nec Hebraicus ſermo vocem *Abharon*, neque Latinus *nouiſſimum* ad duo vnquam refert. Piam demum quandam ac perpetuam pacem huiuſmodi temporibus conſequuturam fore confirmat; non quomodo mundus dat, ſed qualem ipſa hominum natura deſiderare à Deoque efflagitare debeat. [*Et in loco iſto dabo pacem.*] quam terris à Chriſto ſeruatore allatam angeli teſtes genethliaco carmine cecinerunt: Gloria in excelſis Deo & in terra pax, &c. [*loco iſto*] templum hoc ſanctum quod deſcribebat, domum, inquam, tertiam Deus indicauit: quod ſi ad ipſam Ieroſolymam terreſtrem vrbem referre velis, perinde eſt. namq. ſalutis publicæ procuratio illo in loco facta fuit, & prima etiam huius tertij templi fundamenta per Spiritum ſanctum Chriſti eodem loco iacta ſunt. Gen. 2.

In viceſima & quarta noni menſis in anno ſecundo Darij regis, factum eſt verbum Domini ad Haggaeum prophetam dicens: Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Interroga ſacerdotes legem, dicens, Si tulerit homo carnem ſanctificatam in ora veſtimenti ſui, & tetigerit de ſummitate eius panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum: nunquid ſanctificabitur? &c.

VARIA & multiplex apud Hebræos, Græcos & Latinos interpretes, loci huius expoſitio eſt; neq nobis breuitati conſulentibus, vel religiosè, vel cōtentiosè referēda, vna tātum explicatione contentis, eaque quàm cōmodè contingere poteſt, ad lectionis ipſius ſimplicitatem relata. Igitur totius ſententiæ argumentū illud eſt. Iudæi cùm primū ex Babylone in patriam remigrarunt, aram Deo ex ſacerdotū conſilio dedicandā conſecrandāque curauerant; quam quòd aſſiduis, & quotidianis hoſtijs ex more, atque etiam priuatis multorum ſacrificijs frequentarent, ſatis ſuperque ſibi eſſe putabant ad religionis & ceremoniarum procurationem, atque ad ſupplicationes & preces, cæteraque diuini cultus officia: quamobrē neglecta & depoſita tēpli ædificādi cura, priuatis domibus cōſtruendis, rebusq. agēdis ſtudiū operamq. omnē nauabāt. Quę ex animi ſentētia proceſſura populus credidit;

quaſi ſola aræ conſecratione, & ſacrificiorũ aſſiduitate, religionis ac pietatis officijs abundè eſſet ſatisfactum. Hanc populi opinionem apud ſacerdotes ex diuino mandato Vates redarguit; atque eadem opera ſacerdotum negligentiã improbat. qui, quòd aſſiduo aræ & ſacrificiorum vſu vnde ſibi victum quærerent, habebant, nihil de templi ædificatione cum populo hactenus egerant. Quamobrem paratis iam, quæ ad ædificãdum opus eſſent, cùm nondum opus inchoaretur, nono menſe viceſima & quarta die menſis quartum à Deo mandatum Vates ſacerdotibus exponendum accepit. quos per ſimilitudinem allocutus manifeſtum populi errorem arguẽs docet. namque populus putabat omnem familiarem rem tum ruſticam, tum vrbanam ex eo auctum iri, quòd in conſtructa ara hoſtiæ quotidie immolarentur. Hanc adeò opinionem apud ſacerdotes populi magiſtros Deus argumento à ſimilibus ducto, ſic tollit: *Interroga ſacerdotes legem dicens:*] Legis interpretandæ ſtudium, munus, & auctoritatem penes ſacerdotes eſſe Deus voluit, ſicut ſcriptum eſt: Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legẽ requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum eſt. Igitur illorum ſententiam non ex priuata ſingulorum opinione, ſed ex communi recepta, ac ſimplici legis interpretatione rogari iubet. Duplicem autẽ quæſtionem illis proponendam mandat: alteram, quæ ad puritatis & ſanctitatis; alteram verò quæ ad impuritatis & contaminationis rationem ſpectat. Ad faciliorem autem vtriuſque explicationem, quædam breuiter ex lege ipſa repetere operæpretium fuerit. Igitur quædam propriè, quædam verò ex contactu & cohærentia; quædam ex interiectu adhibitoq. medio ſancta dicuntur. Altare per ſe ſanctum eſt, & hoſtia ſuper altare immolata, ſancta eſt per ſe. ſi quod verò vas immolatæ hoſtiæ admoueatur, id ſanctum efficitur ex contactu. In illo ſancto vaſe ſi quid ſeruetur, quæſtio eſt an illud ſanctum etiam ſit? an in prophanis vſibus id permittere ſit fas? Hæc dubitatio diſtinctione tollitur. namque & vaſorum & rerum quæ vaſis adhærent, habẽda ratio eſt. Vaſa enim quæ capere & continere rẽ poſſunt, vt lebetes, phialæ, crateres, eas quas exceperint res, magis ſanctificant quàm alia vaſa, vel inſtrumenta; vt baculus, virga, funis, clauus, &c. quæ omnia Hebraico ſermone vaſa di-
Leuitic. Miſnaioth in tractat. d: Peſahim
cuntur. Rurſus ex rebus contactis quædam vt ſanctificentur magis idonea alijs ſunt, vt liquida aridis, tenuia & minuta craſſis & denſis. Sed quæ hoc modo ex medio ſanctificantur, leuiora ſancta dicuntur, aut leuiſſima. Ex huiuſmodi autem diſerta obſeruatione multa ad hanc rem indicandam colliguntur, quæ recenſere nimis longum eſſet. Vnũ verò illud eſt, vas ad ſanctificationem minus idoneum, quanquam ſanctorum cõtactu ſacrari poſſit, tamen alias res, quas leuiter, atque extrema, vt aiunt, linea contigerit, non ſacrare. cuius ſententiæ idipſum exemplum à Vate poſitum, nobis ſatis fuerit. [*Si tulerit homo carnem ſanctificatam in ora veſtimenti ſui, & tetigerit de ſummitate eius panem, &c.*] *Caro*, quòd denſioris & craſſioris naturæ ſit, minus ſanctificat, quàm libamina, & aliæ, vel liquidæ, vel minutiores res. Veſtis etiam quòd aridior & ſiccior, leuiorque ſit, minus ſanctificatur, quàm alia vaſa. Adde quòd non tota ſancta caro contacta fuerit. Igitur hæc veſtis tertiã aliam rem; vt *panem, pulmentum, vinum, aut oleum, aut omnem cibum non ſanctificabit*; maximè ſi leuiſſimus intercedat contactus: qualis eſſe poteſt, ſi non omni ora veſtimenti, ſed de ſummitate eius cibus tangatur. Quamobrem rectè & legitimè à ſacerdotibus reſponſum fuit.

Et reſponderunt ſacerdotes, & dixerunt, Non.

DOCTA & perſpicua ſacerdotum reſponſio fuiſſe ex Vatis conſenſione probatur, qui ab hac quæſtione tanquam explicata, ad alteram ſubitò progreſſus eſt: in qua de impuritate & labe diſputatur.

Et dixit Haggæus, Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, nunquid contaminabitur? Et reſponderunt ſacerdotes, & dixerunt, Contaminabitur.

PRIOR quæſtio fuit, an ſanctarum carnium ſanctificatio & vis ad rem aliã non ſanctam intercedente medio pertineat? negatum autem eſt pertinere. Poſterior quæſtio eſt, an homo maxima contaminatione pollutus, rebus à ſe contactis, maculam labemque afferre poſſit. Maximam autem ex ceremoniali lege impuritatem eam eſſe definimus, quæ ex mortui contactu adhæſerit. & qui hoc modo affectus fuerit, pollutus in anima dicitur. iſque propriè pollutus habetur magis, quàm aut veſtis aut aliud quicquã. quippe homo ipſe contaminationi & pollutioni præcipuè obnoxius eſt. Vocatur autẽ apud Hebræos filius: à quibus hoc modo ratio hæc diſſeritur, vt cadauer ipſum contaminationis pater appelletur; homo cadauer contingens filius; res verò ab homine contrectata nepos: pertinere autem patris impuritatem ad nepotem, ex ceremonialibus obſeruationibus affirmatur. ex quibus hæc nobis ad hunc locum tantum modò indicata; aliàs arcanæ ſignificationis

ficationis rationibus Deo docente explicanda ſunt. ſanctificationis verò & contaminationis verba ſimplicibus omnino ſignificationibus interpretamur; vt ſanctificari, conſecrari, & ſanctum, atque à prophano alienum effici ſit, quod Hiſpanicè & Gallicè, & Italicè benedictionis verbo pronuntiatur. Contaminari autem impurum, execrabile & legitimis vſibus ineptũ reddi ſit. Quæſtio igitur eſt, num homo impuritate ex cadaueris contactu contracta pollutus, rem quampiam ex his omnibus, quas antea commemorauerit, panem, pulmentum, vinum & oleum, omnem denique cibum, contrectata contaminet? [*Et dixerunt Contaminabitur.*] cùm quòd humanis rebus labes & macula facilius, quàm puritas afferatur; tũ verò quòd homo pollutus vehementius & certius contaminare alias res poſſit; vt filius nepotem patri gignat. Iam verò ex ſacerdotum reſponſione conſilij ſui rationem aperiens Vates populi errrorem culpamque redarguit, argumentatione ipſa à ſimilitudine ad manifeſtam orationem tranſlata.

Et reſpondit Haggæus & dixit: Sic populus iſte, & ſic gens iſta ante faciem meam, dicit Dominus; & ſic omne opus manuum eorum, & omnia quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt.

Ex duplici quæſtione & ſacerdotum reſponſione duplex à Vate concluſio colligitur; altera eſt, *Sic populus iſte ante faciem meam*; altera verò, *Sic gens iſta ante faciem meam.*] Significat autem & populi opinionem ſtultam & ſtudium actionemque omnem corruptam diuino iudicio cenſeri. namque illi exiſtimabant rem omnem ſanctam, fauſtamque ex eo fore, quòd aram quotidianis atque priuatis victimis frequentem haberent; atque ob eam rem panem, vinum, oleum, omnemque cibum ſanctificatum iri: quod perinde eſt, ac ſi vinum, oleum, &c. extrema ora veſtis, quæ carnes ſanctas contigerit, ſanctificari quis afferat. Id enim cùm minimè contingat, neque illud profectò continget, iſtorum res vnius aræ ratione ſanctificari, quando ara ad totum templum collata extremæ in veſtimento fimbriæ rationem vix habeat. Oportuit enim eos qui propitium atque beneficétiſſimum Deum, domibus agriſque priuatè conſulentem, ſibi parare voluerunt, commoda atque auguſta æde ſuſcipiendum curare. quæ quanquam principis ipſius maieſtatem aliqua ex parte æquare non poſſet; ciuium tamen ipſorum animos, ſtudia & pietatem teſtari poſſet. Igitur hæc illius concluſionis ſententia eſt: *ſic populus iſte ante faciem meam.*] Sic, inquit, populi iſtius opinio manifeſti erroris arguitur, qui res omnes ſuas vnius aræ victimis mactandis inſtructę ratione ſacratum auctumque iri putant, cùm magis deteri minuique indies neceſſe ſit, tanquam infauſtas & pollutas, atque dominorum ipſorum impuritate infectas & cõtaminatas. neque enim melioris condicionis, *Gens iſta ante faciem meam* eſt, quàm iudicio meo pollutam in anima duxi, *& ſic omne opus manuum eorum.*] Hæc ad ſecundam quæſtionem reſponſionemque referuntur. neque enim eo ſolùm malo laborat, quòd minus proſperis cædendarum hoſtiarum ſucceſſibus vtatur, ſed etiam quòd pollutis & impuris victimis mactandis operam ſtudiumque adhibeat: quas abominandas fore neceſſe eſt. nam cùm ipſi culpæ, & neglectæ religionis rei teneantur, ſupplicio digniſſimi habentur, atque diuino iudicio pro mortuis cenſentur. Quidquid igitur contigerint, vel tractauerint, impurum infauſtumque, neque victimis præbendis idoneum eſt. [*Et omnia quæ obtulerint ibi, contaminata erunt.* Hebraicè *Quicquid obtulerit ibi, contaminatum ipſum.*] ita vt ara etiam iſtorum contactu polluta, pollutas & impuras hoſtias excipiat, quę obeſſe magis, quàm prodeſſe præbentibus valeant, ſicut ſcriptum eſt: Victimæ impiorum abominabiles Domino. Quicunque enim flagitij atque alterius generis vitio graui conflictatur, diuini iudicij ſententia mortuus eſſe iudicatur, ſicut ſcriptum eſt: In quacunque die comederis, morte morieris. Quibus ex rebus vtriſque illud manifeſtè conſequitur, omnia quæ ab huiuſmodi ingrato populo appeterentur, minus ſucceſſura fuiſſe. ſecus autem deinceps fore, cùm ædificato templo religionis ratio ex diuino præſcripto procuraretur. ex eo enim efficiendum eſſe ait, vt omnium rerum etiam externarum commoditate fruantur: id quod de cætero obſeruandum & intelligendum, & cum anteactis temporibus comparandum Vates proponit. Prou. 15. Gen. 2.

Et nunc ponite corda veſtra, à die hac & ſuprà, antequam poneretur lapis ſuper lapidem in templo Domini: cùm accederetis ad aceruum viginti modiorum, & fierent decem, & intraretis ad torcular, vt exprimeretis quinquaginta lagenas, & fiebant viginti.

HÆC priorum temporum publica & communis, certa aſſiduaque calamitas, ab ea die primùm accepta, cùm ædificandi templi oportunitas neglecta fuit, ad hanc vſque, qua opus produci cœptum eſt, quam viceſimam quartam noni menſis fuiſſe Vates ipſe docuit, perdurauit. [*Antequam poneretur lapis ſuper lapidem in templo Domini.*] Antequam ædificium Darij regis tempore incœptum, & intermiſſum, ſtudio oportunè integrato proſequeremini;

quàm miſeris rebus vſi fueritis, animo & cogitatione recolite. [*Cùm accederetis ad aceruum viginti modiorum, & fierent decem.*] Non ſolùm ſpẽ mentita ſeges fuit, ſed aceruus ipſe iam compoſitus præſentem opinionem fallebat, ita vt oculis & ſenſibus deceptis, grauius multo calamitatis damnum acciperetur. [*Et intraretis ad torcular,* vuis plenũ, ex quibus communi æſtimatione, *quinquaginta* muſti *lagenas* exprimi poſſe putaretis; tamen ob immiſſam diuinitus fructibus etiam ipſis infelicitatem, *fiebant viginti.*] atque horum duorum generum ratione cætera exiſtimare licet, quæcunque ad hominum victum vitamq́ue pertinent. eodẽ enim modo corrupta omnia, attenuataq́ue ſunt: idq́ue adeò non vna aut ſimplici calamitate allata: Quandoquidem

Percuſſi vos vento vrente, & aurugine & grandine omnia opera manuum veſtrarum: & non fuit in vobis qui reuerteretur ad me, dicit Dominus.

Allatam externis commoditatibus calamitatem, miſerentis potius & ad reſipiſcentiam atque officium reuocãtis Dei conſilium, quàm vel caſum, vel extremum exitium interpretari oportere locus hic admonet. Quę res ſi minus ſapiẽter hominibus intellecta, negligatur, grauius multo damnum afferat, ſicut de ſimili exemplo ſcriptum eſt: In omnibus his peccauerunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus eius: Et defecerũt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum feſtinatione, &c. Porrò ventus vrens, aurugo & grando grauiſſimarum frugibus calamitatum genera ſunt. nam ventus vrens ſegetum culmis & ſpicis nocet: vt, Aliæ quoque ſeptem ſpicæ tenues, & percuſſæ vredine oriebantur. Aurigo verò ſiue rubigo ſemina ipſa inania effœtaq́ue reddit. Grando verò ſatis, herbis, oleribus, arboribus, pecoribus, omni denique ruſticæ rei vehementèr infeſtus eſt: vt, Et occidit in grandine vineas eorum, & tradidit grandini iumenta eorum, &c. [*Et tamen nõ fuit in vobis qui reuerteretur ad me.*] Cùm tot tamq́ue aſſiduis certis ærumnis preſſos reſipiſcere, ſibiq́ue religionis procurandis rebus conſulere omnes oportuiſſet; atque adeò ante templi ædificationem res illorum hoc modo ſeſe habentes diuinam indignationem indicare atque arguere potuerunt: Nunc verò quæ deinceps ab ipſa prima ædificationis die conſequertur, diuinam rurſus voluntatem gratiamq́ue teſtari facilè poſſe ait, ſi diligenter obſeruentur.

Pſalm. 77.
Gen. 41.
Pſalm. 77.

Ponite corda veſtra ex die iſta, & in futurum à die viceſima & quarta noni menſis, à die qua fundamenta iacta ſunt templi Domini, ponite ſuper cor veſtrum. Numquid iam ſemen in germine eſt, & adhuc vinea, & ficus & malogranatum & lignum oliuæ non floruit? Ex die iſta benedicam.

Inchoatæ ædificationis templi diem viceſimam quartam noni mẽſis notari iubet. Ex qua, ob religionis procurandæ ſtudium, res omnes feliciter reſtiturum atque auctum iri pollicetur; ita vt quanquam præſentis anni frugum omnium copia deſtitutis, tamen nulla deinceps penuria laborandum ſit. [*Numquid iam ſemen in germine eſt.*] Triticũ & hordeum nullum ferè illis ſupereſſe ait, quoniam cùm parum admodum ſuperiori anno congregatum eſſet, in ſequentis anni ſpem ſeminatum fuerat; quamobrem nihil ferè illis reliquum fuerat, quo toto ad meſſem vſq. tempore vitam alere poſſent. Hanc expoſitionem & nomen ſeminis, poſtulat; quod de tritico & hordeo, non niſi ſementis faciendę, vel factæ conſiderata ratione dicitur: & illud etiam nomen *in germine*, confirmat, quod ſemẽtem iam germinaſſe & pullulaſſe ſignificare videtur. Erat enim menſis hic nonus, quem Nouembris noſtri nouilunium inchoat. Hebraicè autem locus hic facilior eſt. [*Numquid iam ſemen in horreo eſt?*] vt nullum illis ferè ſemen iam reliquum eſſe affirmaret, quod Nouembri ferme peracto ſeminatum non eſſet. Sed neque ex cæteris plantis, ex quibus fructus in poſterum ſeruandi percipi ſolent, vllam illis ad ſumptus aut ad victum facultatem relictã fuiſſe ait. [*Et adhuc.* & præterea, *vinea & ficus & malogranatum, & lignum oliuæ non floruit*: Hebraicè, *non tulit.*] Eſt autem verbum agricolarum proprium, quod abſolutè dictum fructus ferre ſiue reddere ſignificat. ſic Hiſpanè *Nollevaria la viña*. Meminit autem horum præcipuè generum, quorum prætercæteras arbores maximè ad victum idonei fructus, & cum recentes tum ſiccati vel cõditi vtiles in vſum ſint. Quibus generibus Chananæa illa regio maximè commendata olim fuit, ſicut ſcriptum eſt: Terram frumenti & vinearũ, in qua ficus & malogranata & olíueta naſcuntur. & tamen in maxima hac annonæ inopia nulla victus difficultate, nullo deſiderio afficiendos eſſe confirmat; ſed præſentis anni tempore leuiſſimè traducto, futurorum felicitatem & vbertatem maximam experturos. hoc eſt quod dicit: *Ex die iſta benedicam.*] Benedictionis nomine vbertatem & abundantiam magnam hoc in loco ſignificari iam docuimus: vt, Viduã eius benedicens benedicam, & pauperes eius ſaturabo panibus. Tanti adeò eſt pietatis culturæ purè & caſtè operam dare, vt nulla egeſtas,

Deut. 7.
Pſalm. 131.

nulla

nulla omnino rerum difficultas, aut inopia metuẽda ſit ijs, qui diuinis præceptis ſtudioſè pareant. Nõ enim in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod egreditur de ore Dei. Deut.7.
Huius verò vaticinij & diuinæ promiſſionis certum & præſentem manifeſtumq́ue euentum fuiſſe, ſacra Eſdræ ſcribæ teſtatur hiſtoria, ſicut ſcriptum eſt: Seniores autem Iudæorum ædificabant, & proſperabantur iuxta prophetiam Haggæi prophetæ. Atque hactenus Eſd.6.
quartum vaticinium eſt. nunc deinceps quintum aggrediamur.

Et factum eſt verbum Domini ſecundò ad Haggæum in viceſima & quarta menſis, dicens: Loquere ad Zorobabel ducem Iuda, dicens:

FVTVRORVM temporum euentus mutationesq́ue maximas atque gentiũ omnium cõflictus & calamitates Zorobabeli hoc quinto vaticinio ſignificatas voluit Deus, cui etiã ob procuratam purè religionem, atque ob templi ædificationem inſtitutam perpetuam nominis & gloriæ ſuæ memoriam nulla rerum aut temporum viciſſitudine delendã promittit, vtpote cuius genus & nomen in ſacra atque æterna Ieſu Chriſti Euangelij hiſtoria, diuini Spiritus auctoritate conſecrandum erat. Eodem autem die duplex vaticinium ab Haggæo diuinitus fuiſſe acceptum, hic locus manifeſtè docet; alterum, ad populum apud ſacerdotes arguendum; alterum verò ad Zorobabelis gratiam & dignitatem confirmandam. [*Ad Zorobabel ducem Iuda.*] Quoniam omnis hæc oratio ad Chriſtum, ex Iudæorum tribu, Dauidisq́ue familia naſciturum pertinet, Zorobabelis dignitas, & Iudæ nomen appellatum eſt. ipſa autem vtriuſque rei mentio loci huius ſententiam eodem ſpectare indicat: cùm nullum verbum in diuinis ſermonibus extra cauſam pronuntiari vſurpariq́, conſtet. Summa verò habiti apud Zorobabelem ſermonis huiuſmodi fuit.

Ego mouebo cælum pariter & terram: & ſubuertam ſolium regnorum, & conteram fortitudinem regni gentium: & ſubuertam quadrigam, & aſcenſorem eius: & deſcendent equi, & aſcenſores eorum, vir in gladio fratris ſui.

PRIOR orationis pars regum, regnorum, imperiorumq́ue omnium caſus & conuerſiones continet, quas ab eo tempore, quo templum ædificatum eſt, ad Romani vſque imperij defectionem orbis terrarum vidit. Eas autem non temporibus, non cæli curſibus, non terrarum ingenio, non denique caſibus & fortunæ, ſed diuino conſilio aſcribi oportere ait: quando nihil omnino vel eſſe in orbe, vel accidere poſſit, quod diuinæ prouidentiæ rationes aut fallat aut fugiat. Huius ſententiæ illud eſt: *Ego mouebo cælum pariter & terram.*] Futurum verbum abſolutè accipimus. namque Hebraicè ſic legimus: *Ego monere faciens cælum & terram.*] Ex quo illud conſequitur: nihil omnino neque in cælo, neque in terra præter conſilium meum, vel factum fuiſſe, vel fore vnquam faciendum. Igitur quicquid poſthac mutationis in humanis rebus futurum eſt, id omne mihi aſſcribi oportuerit; cuius conſilio & decreto, vel permiſſu omnia conſtant. [*Et ſubuertam ſolium regnorum.*] Alexandri & Græcorum imperium ſignificat, quod cùm repentè extitiſſet, citiſſimè euerſum eſt. Duodecim namque annis rerum potitus Alexander ſcribitur: quo mortuo ſolium regnorum, hoc eſt, monarchiæ ſtatus conuerſus, in quatuorq́ue regna diuiſum eſt. Deinde verò Romanum Imperium eſt conſecutum, quod Vates noſter fortitudinem regni gentium nominat; non ſolo Romæ nomine expoſito, ſed perſonis etiam ipſis indicatis. quippe Roma robur ſiue fortitudinem ſignificat, atque inter omnes orbis terræ nationes, Græci & Itali gentes in ſacra Geographia præcipuè dicuntur, ſicut ſcriptum eſt: Filij autem Iauan, Eliſa & Tharſis, Chetim & Donanim: ab his diuiſæ ſunt inſulæ gentium in regionibus ſuis, &c. Huius autem Imperij robur quemadmodum ciuilibus diſcordijs & bellis infringendum imminuendumq́ue eſſet, grauiſſima oratione Vates prænuntiauit. [*Et ſubuertam quadrigam & aſcenſorem eius: & deſcendent equi, et aſcenſores eorum.*] Bellicus caſus his verbis deſcribitur: *Vir in gladio fratris ſui.* Mutua ciuium odia, diſſidia, & bella, *Aduerſisq́, obuia ſignis,*

Signa pares aquilas et pila minantia pilis; quibus Romana dominatio & gloria mole ſua fatiſcẽs corruit & perijt; deſcribit. hoc autem Chriſti Ieſu publici hominũ ſeruatoris ætate accidit. quo tempore primùm euangelica lux omni orbi afferri cœpit perpetuis omnium ſeculorum ætatibus duratura, nulliſque rerum viciſſitudinibus euertenda, ſicut ſcriptum eſt: Semen eius in æternum manebit, & thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum, & teſtis in cælo fidelis. Ex hoc autẽ tempore Zorobabelis nomen tum euangelicæ hiſtoriæ conſcriptum, tum ob nepotis Ieſu Chriſti dignitatem & magnitudinem illuſtratum, perpetuæ poſteritatis memoriæ conſecrandum eſſe, ait:

Machab. Plutarchus in vita Alexandri & Aemiliani hiſtor. Gen.10. Lucan lib.1. Pſalm.77.

temporis ſpectatio, ſed prima ipſorum deſidia in cauſa eſſet, quamobrem templum non ædificaretur. Huc ergo omnis illa annorum, menſium & dierum ratio pertinet. [*Anno ſecundo Darij regis in menſe ſexto, die vna menſis.*] cùm iam ſecundus annus Darij, atque vltra præſcriptū deſtructionis Ieroſolymitanę tempus ſextus etiam menſis ageretur. Ipſa ergo annorum ſubducta ratio populi orationem redarguebat. Hactenus primum vaticinium, quo populus apud vtrumque magiſtratum negligentiæ & ceſſationis arguitur: atque cauſa ipſa vel annis tantum numeratis obtinetur. nunc verò deinceps ſecundum vaticinium eſt.

Et factum eſt verbum Domini in manu Haggæi prophetæ, dicens, Nunquid tempus vobis eſt, vt habitetis in domibus laqueatis, & domus iſta deſerta?

SECVNDO vaticinio populus ipſe compellatus, mendacij & negligentiæ erga res ſacras & religionis cultum redarguitur, quòd temporum rationem perperam fuerit interpretatus. namque iam diu erat, quòd nullo à vicinis impedimento retardati, priuatas ædes ſumptuosè & magnificè ſibi ædificabant, quas tranquillè & placidè inhabitabant. atque adeò huius rei comparatione diuinam cauſam Vates probat, & confirmat argumento à contentione ducto: dicendi autem figura admiratione vſus; quæ ad vehementiorem probationem maximè idonea eſt. Qui conuenit, inquit, vt plurimas & maximas, magnoque artificio conſtructas ædes vobis parare & habitare per tempus liceat, & tamen vnam hanc Dei exercituum ædem deſertam exciſamque reſtituere non liceat: num cæteris priuatis ruinis reſarciendis oportunitas conſtituta hanc vnam publicam Dei domum excepit? Num vitæ neceſſitas vobis ipſis prius conſulendum ſuaſit? cùm tamen diuina primum, deinde humana curare oportuerit. num facilius eſt plures vel ſingulas domos ſingulis, eaſque materia & opere ſumptuoſas, quàm vnam omnibus ædificandam curari? atqui neque vitæ neceſſitatem, neque paupertatem & inopiam excuſare integrum eſt ijs, qui ad luxum laqueatas cedro ædes ſibi ædificant, quas & inhabitant: neque vlla ſibi ædificandi neceſſitate vrgentur, ſed habitandi iam commoditate ſummo cum otio fruuntur. Oportuit autem priuatarum rerum cura liberatos in publicam atque diuinam rem ſtudiosè incumbere, ſibique principem ſuum Deum propitium & placidū, religionis & pietatis procuratione reddere. Quòd ſi minus vos ipſam rerum & temporum ſapienter cogitatam rationem ſequutos orationis & conſilij veſtri pœnituerit; tamen periculis ipſis & damnis diuini de iſta negligentia iudicij admonitos eſſe oportuit.

Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras. Seminaſtis multum, & intuliſtis parum: comediſtis, & non eſtis ſatiati: bibiſtis, & non eſtis inebriati: operuiſtis vos, & non eſtis calefacti; & qui mercedes congregant, miſit eas in ſacculum pertuſum.

HACTENVS ab antecedentibus & coniunctis, atque ſimilibus; nunc verò deinceps à conſequenti euentu, cui cum antecedentibus maximè conueniat, arguit: ex quibus certiſſimam de diuino iudicio & voluntate coniecturam illis factam fuiſſe oportere confirmat. namque violatæ & neglectæ diuinæ voluntatis culpam, communi quadam familiaris rei infelicitate & damnis, laborumque fruſtrationibus mulctandam eſſe, præter alia-
Deut. 28. rum pœnarum genera, diuina Lex denuntiauerat. Quòd ſi nō audieris vocem Domini, vt
" cuſtodias omnia mandata eius, & ceremonias, quas ego præcipio tibi, venient ſuper te om-
" nes maledictiones iſtæ: maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, &c. Ad huiuſmodi igitur cogitationem iſtorum animos reuocat Vates, vt ex euentorum cum antecedentibus comparatione conſilij ſtudijque ſui peruerſitatem facilè exiſtiment. [*Ponite corda.*] idem, quod apud Latinos, attende animum, ſignificat. [*vias veſtras.*] rerum agendarum rationes, antecedentia conſequentiaque omnia, atque euentus. [*Seminaſtis multum, & intuliſtis parum.*] cùm tamen rerum natura ita comparatum ſit, vt agri plus multo quàm acceperint, cultoribus reddant. Quid ergo cauſæ eſt quominus agrorum ingratitudinem ex culpæ veſtrę & diuinæ offenſionis rationibus interpretemini? [*Intuliſtis.*] linguæ vſus obtinuit, vt ex vno verbo integra accipiatur ſententia. maximè autem hoc in artium ſermonibus obſeruatur, vt in agricultura, architectura, medicina & pictura: eaque omnibus ferè linguis communis ratio eſt, vt facere, cùm de arboribus ſermo ſit, fructum proferre ſignificat; cùm de religione, ſacrificare, &c. ſic inferre, fructus domum afferre, vel in horrea congregare. neque verò ſolùm in fructuum perceptione, ſed in vſu etiam infelicitatem illis deprehendi & ſentiri Vates ait. [*Comediſtis & non eſtis ſatiati.*] quòd omnia quæ ad vſum ſibi parata eſſent, ſua vi & naturali facultate, ex diuini conſilij ſententia, deſtituerentur: id quod ex vini etiam ratione arguitur, cuius magis, quàm ciborum præſens vis & efficientia eſt. namque vinum largius hauſtum ebrietatem continuo efficit: quæ res ipſum parcius ebibitum valere etiam arguit.

arguit. quòd verò inutile omnino atque inefficax ſit, ſignum eſt, etiam plena amphora ingurgitatos, nunquam tamen inebriari atque obrui. Omnis autem alendæ vitæ facultas cibo & potu, atque veſtitu conſtat; illis vires reficiuntur, hoc membra fouentur, calorque natiuus temperatè conſeruatur: ſed tamen hac etiam veſtimentorum vtilitate priuari illos ait. [*Operuiſtis vos, & non eſtis calefacti*] Quamquam non cultiori ſolùm, ſed multiplici veſtium genere fueritis induti, tamen perinde iuuamini, ac ſi nudi ageretis. atque hæc nimij & oneroſi veſtitus cura verbo infinito Hebraicè indicatur. [*veſtire,* inquit, *& non ad calefaciendum:*] cùm laneæ veſtis natura ad fouendum calorem idonea maximè ſit, nec feliciore hoc in genere condicione pauperiores vtuntur: quibus victus ratio ſolo labore conſtat. ij enim acceptæ ex labore mercedis infelicitate æquè premuntur, atque ij quibus fundi & agri annonam ſuppeditant, vt non caſum, ſed offenſi & irati numinis conſiliũ interpretari oporteat. [*Et qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum.*] Magno labore inutiles quęſtus à pauperiorib. fieri, prouerbiali oratione ſignificat: perinde enim proficere mercedes ait, ac ſi in ſacculum pertuſum miſſæ fuerint, ex quo, mox vt concluduntur, imprudentibus decidunt, & non ſine magno domini ipſius dolore pereunt; cui tantus labor fruſtra fuerit conſumptus. Ita vt communem omni populo, atque in omni rerum genere infelicitatem, non caſum, ſed offenſi atque irati numinis iudicium & animaduerſioné interpretari oporteat, quòd ob communis omnibus rei violationem vel negligentiam acciderit. nulla autem res æquè pauperibus & diuitibus communis, atque religio eſt. Igitur vel hoc vno argumento templi ad pietatis cultum ędificandi, & pietatis neglectę culpa ſeſe premi intelligere potuerant & debuerant: atque oportuit corda atque animũ ad hanc rem cognoſcendam attendere. Verùm enimuero ſtudiorum & laborum infelices euentus, in magnam felicitatem conuerti poſſe hoc vno pacto docet, vt religionis res & templi ædificatio diligenter & ſanctè curentur. namque diuinarum rerum certa & legitima obſeruatio humanas omnes res commodiſſimè producit & perficit; id quod contra euenit ſi ſecus agatur. has enim ſequi, illas præire ſemper oportet. Igitur ad ſuam ipſorum rem rectè & ritè putandam illorum animos Vates reuocat & exhortatur.

Hæc dicit Dominus exercituum, Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras.

Hoc eſt, conſulite ſapientius, & prouidete rebus veſtris, quas hactenus ob religionis negligentiam vltore Deo deterrimas experti eſtis. his autem cõmodiſſimè conſuletis, diuini prius honoris & dignitatis, quàm humani commodi rationes procurando: id quod euentu ipſo probabitur.

Aſcendite in montem, portate ligna, & ædificate domum: & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dominus.

Non tam rerum magnitudine & ſumptu, quàm colentiũ obſequio & ſtudio delectari ſe Deus declarat, qui facili materia & commodo magis atque breui, quàm diuturno opere domum ſibi parari ædificarique iubet, quam ſibi illisq. fauſtam fore in ſeſe recipit. Neque verò de lapidibus excindendis artificioſeque expoliendis vlla mentio fit; ſed quod factu ac paratu facillimũ eſt, ligna in montem ipſum Moriã comportari, quibus muri & tectum præcipuè contignentur: eamque domum vbi ſarta tectaque fuerit, ſibi gratiſſimã fore, maximoque felicitatis publicè edito exemplo, magis quàm opere ipſo amplificãdam pollicetur. namque in eam venturum Meſſiam ſuum ſubindicat, cuius aduentus ſaluté publicam omni orbi allaturus, ad diuini nominis gloriam & ſanctificationem pertineret. [*Acceptabilis mihi erit.*] quãquam materia & opere longè quàm prior illa, minor ſit. [*Et glorificabor, dicit Dominus.*] Promiſſionem gloriæ templo ipſi ex ſua ipſius gloria redundantis futuræ hęc oratio habet. Eſt autem magnum in Hebraicis literis hoc loco myſterium: nam verbum *& glorificabor* ea ratione ſcriptum eſt, vt Latinè, *Et glorificabor & glorificabo eam:*] ſic tamen ſcriptum eſt, vt glorificabor integrum ſit; glorificabo eam, non item integrum. atque illud huiuſmodi myſterio ſignificatur, diuinam gloriam ex Ieſu Chriſti aduentu, rebus gerendis, obeunda morte, reſurrectione ex mortuis, paracleti Spiritus miſſione, ex omni denique promiſſi beneficij genere plenè atque integrè conſtantem fore. Huius autem templi in quo hæc omnia edenda fuerint, magnam quidem eſſe, non tamen integram, planeque abſolutam. quandoquidem tanta Dei beneficia ab ijs, qui templum illud frequentarent, minus diligenter, quã oportuerat, perpẽſa, & minus gratè accepta, imò, quod nefarium omnino fuit, à plerisque illorum repudiata ſunt, ſicut ſcriptum eſt; In propria venit, & ſui eũ non receperũt. Quę quidẽ res in cauſa fuit, vt & templi & gẽtis ipſius dignitas atq. amplitudo omnis euerteretur. Id quod quãuis Deus cognouerit, pręuiderit atq. oratione ipſa ſignificauerit, nihil tamé obſtitit quo minus rectè riteque agendã curandamque Iohan. 1. 11

 pieta-

pietatis rem, templumq́ue ædificandum commendarit, vt ſi nõ ipſi quod ipſorum fuerat, hoc eſt, fidem & pietatem integrè & legitimè; at ipſe tamen quod ſuum erat, hoc eſt pro-
Ioan. 1. miſſa ſua diuina pleniſſimè præſtaret: quæ ad eos ſaltem pertinerent, à quibus libenter & grate ſuſciperentur, ſicut ſcriptum eſt: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, &c. Igitur magnam non ſolùm animorum (quæ præſtantiſſima eſt) ſed familiaris rei felicitatem Ieroſolymitanis religionis cultum & templi ædificationẽ ſedulò procurantibus Deus pollicetur: magnam rurſus infelicitatem negligentibus, atq. priuata & prophana commoda publicis & ſacris rebus anteponenti populo minatur.

Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus: intuliſtis in domum, & exufflaui illud: quam ob cauſam, dicit Dominus exercituum? quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinatis vnuſquiſque in domum ſuam.

EARVM quæ antehac fuerant illis rerum imaginem ante oculos propoſuit: nunc verò earum quæ ſequentur, niſi diuinæ religioni purè & legitimè conſulatur, multo deteriorem futuram eſſe denuntiat. namque omnem peruincendæ miſeriæ ſpem, qua in miſerrimis rebus homines ali ſolent, irritam fore confirmat. [*Reſpexiſtis ad amplius, & ecce minus.* Hebraicè & Chaldaicè infinitè profertur verbũ, ſic: *Reſpicere ad amplius, & ecce ad minus.*] Ipſa ſermonis ratio illorũ res magis indies deterendas fore ſignificat. namq. articulus ille, ſiue præpoſitio, *Ad*, vlteriorem motum indicat: Hiſpanè *Mirar à delante y caminar paratras.* [*Et intuliſtis in domum, & exufflaui illud.*] Præteritum coniunctione *Vau* appoſita diuus Hieronymus, cæteriq́ue omnes qui Hebraicè norũt, pro futuro accipiunt. Verbum Aſpicere, ſiue, vt in Hebraico propriè eſt, faciem intendere, futurarum rerum proſpicientiam atque vlterius tendendi conſilium conatumq́ue ſignificat. namque iter agentibus familiare eſt: vt, Intenderunt
Gen. 37. Deut. 1. faciem inde, & abierunt Sodomam. &, Vos autem intendite, & abite in ſolitudinem, &c. [*Et exufflabo.*] Cùm Deus iratus ignem conſumentem ſe eſſe dixerit, quicquid in agro ſtudio & labore vix conquiſitum comportatumq́ue domum fuerit, halitu ſuo exurendum & debilitandum ita eſſe ait, vt inane prorſus atque inutile reddatur. eſt autẽ verbum hoc in loco ex illa ratione: Ecce ego creaui fabrum ſufflantem in igne prunas. Porrò Chaldæus paraphraſtes orationem hanc à tranſlatione ad ſimplicitatem more ſuo apertè reduxit. Et
Iai. 54. ego, inquit, mittam in illud maledictionem. Atque tantæ calamitatis cauſam, ædificandi templi ceſſationem, & priuatarum rerum curam eſſe Deus ipſe definit: quandoquidem naturæ curſum certo modo & loco conſtanter impeditum nõ niſi ex diuino conſilio & iudicio interpretari ſapiens & prudens vir poſſit, maximè ſi cum prædicta & explicata cauſa euentus ipſi, vt denuntiati fuerint, conueniant. [*Quam ob cauſam? niſi quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinatis vnuſquiſque in domum ſuam.*] [*Feſtinatis.*] Magnam priuatarum rerum curam, ſolicitudinem atque aſſiduitatem hoc verbo ſignificauit, cùm diuina & publica imprimis, poſtremò autem priuata curari oportuerit. Hanc verò ſtudiorum peruerſitatem quanta rerum calamitas conſequutura ſit, ſtatim Vates denuntiat.

Propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cœli, ne darent rorem, & terra prohibita eſt ne daret germen ſuum: & vocaui ſiccitatem ſuper terram, & ſuper montes, & ſuper triticum, & ſuper vinum, & ſuper oleum, & quæcunque profert humus, & ſuper homines, & ſuper iumenta, & ſuper omnem laborem manuum.

OMNE hoc, cui mundi cœliq́ue nomen inditum eſt, in hominum commoditates atque
Pſalm. 113. vſus conditum eſſe diuina philoſophia docet. Cælum cæli Domino; terram autem dedit filijs hominum. namque fingendo ad imaginem & ſimilitudinem ſuam ex terræ limo homini cõmodiſſimam domũ, atq. omnibus rebus quæ ad vitã victumq́. neceſſariæ ſunt affluentẽ parare & cõſtituere Deus voluit. de qua nobis eodẽ propitio aliàs differendũ erit. Meritò autẽ cõmunis hominũ cura & prouidẽtia à Deo remittitur: vbi exigua quædã diuino cultui ſacranda ædes, propter priuatæ rei curã negligitur. Hoc autẽ malum nõ omnibus nationibus aut locis, ſed ijs tantùm qui neglectæ religionis culpa teneantur, euenturũ eſſe ait. Quod priuatè allatum certam diuini iudicij ſententiã arguere teſtariq́ue poſſit. [*Prohibiti ſunt cœli,* ex diuinæ ſententiæ decreto, *ne darent rorem*;] ne rorẽ quidẽ, qui neq. in grauiſſimis & ſteriliſſimis annis, ipſa etiam æſtate, deficere ſolet, cælum regionibus dabit, nedum opportunas pluuias & imbres fuerit ſuppeditaturum; & terræ etiam natiua vis ad plurimas generandas ex ſeſe q. producẽdas res, maximè verò plantarũ herbarumq́ue genera omnia; ſicut ſcriptum eſt: Germinet terra, &c. Vobis nequidquam commodũ aut vti-
Gen. 1. le proferat, prohibebitur. id aũt quomodo effici poſſit, ſtatim declaratur. [*Et vocaui ſiccitatẽ.*]

Præte-

Præteritum pro futuro coniunctione addita. [*Super terram,*] Super Iſraëliticam regionem: quæ quanquam cæli ſoliq́ue natura, & diuino præcipuè beneficio beatiſſima olim fuerit; nunc tamen ob cultorum culpam effœta & ſui diſſimilis euadet. Idem enim Deus qui priuatis beneficijs regioni illi conſuluerat, ſterilitatem ſeſe deinceps vocaturum dicit. quæ cùm præter naturam & conſuetudinem accidat, diuinam vltionem & Vatum prædictionibus conſentaneam teſtatura ſit. [*Siccitatem,*] Hebraicum verbum HHOREB ariditatem, conſumptionem, ſterilitatemq́ue ſignificat. atque adeò natiuæ rerum virtutis defectionem & abſciſionem dicere poſſumus, ſi rem ipſam deſcribamus, cuius illud apud diuinum Vatem exemplum eſt: Poſuit flumina in deſertum, exitus aquarum in ſitim: terram fructiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea. Illud verò annotare libuit, magnam in ipſis Hebraicis verbis vim eſſe, quam Latinè reddere minimè plenè poſſimus: namque culpæ annominatione pœnæ ratio pronuntiata eſt. Vbi nos legimus, quia domus mea deſerta eſt, Hebraicè dicitur, quia domus mea Hhareb. non ergo immeritò Hhoreb ſibi vocandā eſſe dixit. Eam verò communem omnibus & ſummis & infimis locis fore confirmat, vt neque ſponte ſua, neque ex humana induſtria & labore vtile quicquam proferant. [*terram.*] campos iacentes, qui ob ſitus humilitatem influentium de cælo imbrium & niuium roriſque vim commodius percipere atque retinere ſolent. [*Super montes.*] quorũ natura frigidior & humidior cùm ſit, ariditatem & ſterilitatem minus metuit. Ipſa quoque plantarum genera natiua illa germinandi proferendiq́. fructus vi, qua pollent, deſtituenda fore ait. neque verò magis eam agriculturæ partem, quæ humana induſtria, iumentorumq́ue labore conſtat, valituram oſtendit. [*Et ſuper homines & ſuper iumenta.*] Boues, camelos, aſelloſq́ue exponimus, quibus ruſticę rei ratio adminiſtratur. ſed & non minus inutilem fore laborem dicit, quicunque in mercatura & quæſtuarijs artibus conſumatur. [*Et ſuper omnem laborem manuum.*] Ita fiet vt omni ex parte cumulata infelicitas diuinæ religionis neglectionem vlciſcatur. Hac autem Vatis oratione Iudęorum animis de ædificādo templo cogitatio iniecta fuiſſe narratur. magna enim diuini verbi, maximè ſi pios nacta fuerit magiſtratuum animos, in permouendo populo vis atque efficientia ſpectatur.

Et audiuit Zorobabel filius Salathiel, & Ieſus filius Ioſedec ſacerdos magnus & omnes reliquiæ populi vocem Domini Dei ſui, & verba Haggai Prophetæ, ſicut miſit eum Dominus Deus eorum ad eos: & timuit populus à facie Domini.

IPSARVM primum contemplatione rerum admonitos diuinæ legis & præceptorum rationem agnouiſſe narrat, quòd ea quam hactenus experti eſſent, infelicitas cum propoſitis ob religionis neglectionem pœnis vehementer conueniret, atque ipſos violatæ pietatis reos teneret. hæc illius orationis ſententia eſt: *Vocem Domini Dei ſui.*] Porrò autem præteritis periculis atque orationis grauitate & dicentis etiam auctoritate adductos eſſe ait, vt fidem diuinæ legationi haberent, atque propoſitis futurę infelicitatis minis ac periculis territi, & diuinę voluntati obedire, & ſibi ipſis conſulerę cogitarēt. Hoc eſt quod dicitur: *Et verba Haggai Prophetæ, ſicut miſit eũ Dominus Deus, &c.*] Hęc oratio certam illis legati legationiſque fidem fuiſſe ſignificat. [*Et timuit omnis populus à facię Domini.*] Religionē imprimis, deinde verò agendæ rei cogitationem futuræ infelicitatis metu iniectam illis fuiſſe narrat. cæterùm quia tum regia auctoritate, tum vicinorum metu ab opere reuocari poterant, opportuna oratione & exhortatione, atque ſecuritatis promiſſione à Vate incitantur.

Et dixit Haggæus nuntius Domini, de nuntijs Domini, populo dicens: Ego vobiſcum ſum, dicit Dominus.

QVOS tempus ipſum & diuina iuſſio ad ædificandum templum hortaretur, nulla regię facultatis exſpectatione retardari, nullo hoſtium aduerſariorumq́., metu deterreri oportere docet; quippe quos Dei, cuius voluntas obſeruatur, resq́ue agitur, inuiolabili tutela & pręſidio protectum iri certiſſimè eſſet credendum: id quod Vates ipſe de Deo maxima fide promittit. Hæc autem oratio ad populum pręcipuè pertinet; quippe qui metu & negligentia maximè teneretur, vt ſuperius initio dixerat Vates, Populus iſte dicit, &c., [*Nuntius Domini de nuntijs Domini.*] Non priuatam, hoc eſt, ſuam; ſed diuinam fidem legationis auctoritate promiſſioni adiunctam eſſe ait, quando Haggęus non ſuo homine, ſed vt nuntius Domini hanc etiam inter cæteras ſibi mandatas res nuntiauerit: [*Ego vobiſcum ſum.*] nihil vobis iuſſa diuina curantibus à Perſidis rege, neque ab vllo alio homine, aut mali, aut damni metuere aut pręcauere, ſed ſecuro animo eſſe Dominus iubet; qui ſuam vobis ſanctè ac purè iuſſa & imperata agentibus, certam pręſentemq́. tuitionem & gratiã pollicetur. [*De nuntijs Domini.*] quos diuino nomine & ſumma auctoritate certiſſimos aſſerebat.

Psal. 106.

Nuntios

Nuntios enim hoc loco mandata interpretamur. Ex hoc autem loco diuina iuſſa atque præcepta impauidè teneri, curari atque agi oportere docemur; quippe quorum diligens atque flagrans ſtudium certum Dei protectoris auxilium cultoribus promittat, ſicut ſcri-
Pſal. 118. ptum eſt: Tunc non confundar, cùm proſpexero in omnibus mandatis tuis. His autem rebus omnibus reuelatos ducis & ſacerdotis ac populi animos atq. ad ſacræ legationis ſuſceptionem iam permotos, diuina gratia & numine magis incitatos, atque ad agendam rem firmatos fuiſſe Vates narrat.

Et ſuſcitauit Dominus ſpiritum Zorobabel filij Salathiel ducis Iuda, & ſpiritum Ieſu filij Ioſedec ſacerdotis magni, & ſpiritum reliquorũ de omni populo: & ingreſſi ſunt, & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei ſui.

DIVINAM gratiam quam conſequentem Theologi appellant, ijs præſto eſſe quibus ea quæ antecedens dicitur, non fruſtra fuerit oblata, locus hic planè admonet: atque illud præterea docet ſummos rerum publicarum gubernatores, qui rectè munus ſuũ geſſerint, ad ea, quæ publicam rem attingunt, cognoſcenda & curanda primos omnium diuina virtute auctos incitari informarique ſolere, maximamque ad permouendum populum efficientiæ, partem in horum exemplo eſſe poſitam. Deinde illud porrò admonemur in religionis & pietatis rebus curandis, communem vtriuſque magiſtratus & partis, & ſacrorum videlicet & laicorum ſententiam & conſpirationem, commune conſilium & ſtudium, communem denique operam eſſe oportere. ex eo enim fit, vt res melius procedat, & populus imperata libentius atque ſtudioſius exequatur, ſi in ijs, quæ pietatis & publicę rei ſunt, nulla honeſta re ſibi diſſentire vtroſque magiſtratus intellexerit. [*Et ingreſſi ſunt.*] Ingredi hoc loco venire ſignificat, quo verbo commune ſtudium & cura atque ſedulitas indicatur. [*In domo Domini exercituum Dei ſui:*] Id enim opus iuſtè ac legitimè ſuſceptum, nomen Dei cui magna cultura & pietas debetur, declarat: tutò autẽ & magna cum fiducia iniri Dei exercituum tutoris & propugnatoris appellatum nomen confirmat. Quo autem tempore primum opus ipſum publicè cœptum initumque fuerit, primo conſequentis capitis verſu indicatur. namque Hebraicè hoc vaticinium, vt alia multa, perpetua oratione ſcriptum eſt: Latinè autem ob legendi commoditatẽ interſectis capitibus diſtinguitur. quam rem ad ſententiarum conſequentiam tenendam obſeruare plurimum perſæpe retulerit. Maturatum autem opus fuiſſe conſtat, quod viceſima tertia die à prima Vatis actione in-
Ierem. 48. cœptum eſt. Certum enim Dei conſilium & voluntatem omni diligentia conſequi ſemper oportuerit. ſicut ſcriptum eſt: Maledictus qui facit opus Domini negligenter.

CAPVT SECVNDVM.

IN *die viceſima & quarta menſis, in ſexto menſe, in anno ſecundo Darij regis.*

NONDVM peracto à prima Vatis legatione menſe, materiem operi faciendo idoneam comportari cœptam fuiſſe narrat. namque ædificatio ipſa non ante viceſimam quartam noni mẽſis, vt inferius explicatur, incepta eſt: quo tempore ædificandi templi copia, ex Perſarum regis conſilio & decreto facta illis fuit; Deo incenſis pietatis ſtudijs conſulente. Paucis autem diebus poſt, hoc eſt, poſt menſem fere, Haggæo vaticinium aliud creditum eſt; quod ad ædificandi templi commendationem ſpectabat. Quamobrem temporum rationes coniunctæ ſimul eodem capite fuẽre. Tertium autem vaticinium, cuius initiũ eſt; In ſeptimo viceſima prima die menſis, his etiam adiunctũ eſt. Deinde etiam quartum eodem capite eſt poſitum. Atque ita ad vnam lectionem omnis dierum ſimul relata ratio eſt:

In ſeptimo menſe viceſima & prima die menſis factum eſt verbum Domini in manu Haggai Prophetæ, dicens: Loquere ad Zorobabel filium Salathiel ducem Iuda, & ad Ieſum filium Ioſedec. ſacerdotem magnum, & ad reliquos populi, dicens:

TERTIVM vaticinium hoc ad illum vſque verſum pertinet: *In viceſima & quarta noni menſis.*]

manſi.] Cuius argumentum ad ædificandi templi dignitatem; non ex materiæ & operis magnitudine, ſed ex diuini beneficij ratione commendandam ſpectat. namque cùm hoc poſterius templum tum ædificij modo à Perſarum regibus præſcripto, tum ſtructuræ, & materiæ ratione, quod ab ijs, qui ex captiuitate remigraſſent, conſtrueretur; antiquo illi à Salomone poſito comparari non poſſet, magnam ea res triſtitiã quorundam ex populo, maximè verò ſeniorum animis afferebat; atque cæterorum etiam ſtudia nõnihil reſtinguebat. Igitur diuino conſilio & vaticinio his hominũ cogitationibus, & conſequenti ex illis moræ atq. impedimento prouiſum eſt. namq. & principes & populũ allocutus Vates templi decus & dignitatem non tam rerum & operum quibus conſtet, quàm diuinæ auctoritatis nomine atque auſpicio definiendam eſſe docet. huiuſmodi de ea re Vatis oratio fuit.

Quis in vobis eſt derelictus qui vidit domum iſtam in gloria ſua prima? & quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita eſt, quaſi non ſit in oculis veſtris?

QVANQVAM altera ædes hæc ab illa fuerit; tamen quòd eodem ſita loco eſſet, vnius eiuſdemque domus nomine appellatur. ſermo autem ad eos præcipuè fit, qui prioris templi recordarentur, quòd ij præteriti ſplendoris recordatione ac dolore, triſtitiæ & moræ auctores cæteris eſſent. Arguit autem Vates ex duplici comparatione, altera diuinarum rerum, humanarum altera; quibus templorum ſacrarumque ædium ratio omnis conſtat. namque in huiuſmodi rectè curatis atque inſtitutis generibus humanum ſtudium & opera primo & infimo, ſecundo verò & ſupremo loco Dei iudicium ſpectatur. Dignitatem operi non tam ex humana, quàm ex diuina auctoritate accedere neceſſe eſt. Seniorum ergo orationem alterarum, hoc eſt, inferiorum rerum comparatione permiſſa; alterarum verò, diuini, inquam, iudicij & auctoritatis excellentia propoſita redarguit, quòd ex inferioris generis ratione & modo tantæ rei dignitas falsò æſtimanda eſſe putaretur. [*In gloria ſua.*] in ſummo illo antiquo ſplendore. ſic Salomonis gloriam Dominus noſter dixit. [*Et quid videtis hanc nunc?*] neque ſpatio, neque altitudine, neque materia ei, quæ antea fuerat, comparandam? cùm illa in florentiſſimis Iſraëlitarum rebus à Salomone opulentiſſimo & ſapientiſſimo rege, maxima mole, incredibili artificio exædificata, auro obductis muris, vario & multiplici gemmarum genere diſtincta; cuius memoriæ hæc ſi comparetur, nulla profectò eſſe videatur. [*Numquid non ita eſt quaſi non ſit in oculis veſtris?*] idem quod Latinus dicit, nihil eſſe videri. Hac autem priore comparatione illis conceſſa, alteram, quæ diuini iudicij rationibus conſtat, defendit Vates, magis acceptam gratamque Deo fore hanc confirmans; quippe quam ille totius orbis ſeruator præſentia ſua illuſtraturus, atque doctrinæ muneribus ornaturus fuerit. Quamobrem maximo ſtudio & diligentia, maxima etiam ſpe huius ædificationem ſuſcipiendam ſuadet.

Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus, & confortare Ieſu fili Ieſedec ſacerdos magne, & confortare omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum.

ET *nunc.*] Exhortationis verbis omnis hęc oratio conſtat, in qua principes viri imprimis appellantur; maximè autem Ieſus pontifex Ioſedec filius, qui non tantùm honoris, ſed cognoſcendi myſterij cauſa, & generis & muneris mentione facta, nominatur: quòd quæ de diuino Meſſia traderentur myſteria, ad ſacerdotes primum cognoſcenda, & populo aperienda ſpectarent. [*Et nunc.*] Huius verbi vſus in exhortationibus frequens eſt: vt, Nunc ergo timete Dominum Deum veſtrum. Ita etiam verbũ confortare ad difficiliores res maxima cum ſpe felicis euentus gerendas: vt, Cõfortare ergo & eſto robuſtus, tu enim diuides populo huic terram. Non ſolùm autem euentus propoſita ſpe, ſed præſentis Dei auxilio & præſidio promiſſo, ad opus agendum animantur atque firmantur. namque hactenus nondũ hęc res ad Darium relata, neq. ab illo ædificandi templi copia fuerat facta, vt ex tertio Eſdræ libro obſeruauimus.

Ioſu. 24.
Ioſu. 1.

Et facite quoniam ego vobiſcum ſum, dicit Dominus exercituum: verbum quod pepigi vobiſcum, cùm egrederemini de terra Aegypti, & ſpiritus meus erit in medio veſtri, nolite timere.

ET *facite* Pium opus magno ſtudio ſuſcipere iubet, nulla vel difficultatis vel importunitatis tergiuerſatione vel mora interpoſita, cùm præſentis & protegentis Dei numen & virtutem experiri facilè poſſint. [*Quoniam ego vobiſcum ſum, dicit Dominus exercituum.*] cuius pręſentia & faciendo operi felicitatem, & perfecto ornamentum maximè afferat. Eius verò orationis: [*Verbum quod pepigi vobiſcum.*] huiuſmodi ſententię eſt. Maximum ædis illius operæpretium, non operis magnitudine & ſumptu atque magnifica ſpecie, ſed diuini numinis gratia

gratia & præſentia, prouidentia atque cura eſſe definiendum. Vbi enim hæc commoda maximè adfuerint, is locus maximus auguſtiſſimusque exiſtimandus erat. Atque hanc vnam rem ſibi imprimis promiſſam, deſiderandam, omni ſtudio procurandam; eodem ipſo Deo admonente edocti iam olim fuerant. [*Verbum quod pepigi vobiſcum, & Spiritus meus erit in medio veſtri.*] Iungitur verbum cum verbo illo, *Facite*. Facite, inquit, & præſtate vos id quod vobiſcum olim conſtituerã. [*Et Spiritus meus erit in medio veſtri.*] Atque hoc pacto domum hanc poſteriorem priori illa multo illuſtriorem reddendam Deus ipſe ſeparatim promittit, in ſeque recipit, eosque ad officium pro ſua parte faciendum exhortatur. [*Nolite timere.*] Vobis, inquit, in condicione atque pacto ſanctè manentibus timendũ non eſt, vt ob minorem ædis huius magnificentiam & molem Spiritus mei cura & prouidentia, minuſque illuſtri præſentia vti cõtingat, quibus maximum & præſtantiſſimum beneficium, hoc eſt, Chriſtum filium meum tantis deſideratum ſeculis donaturum me polliceor, in quo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat. Ex eo autem fiet, vt huius templi gloria & ſplendor, multo quàm prioris illius maior præſtantiorque ſit.

Quia hæc dicit Dominus exercituum, Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum & terram, & mare & aridam, & mouebo omnes gentes.

CHRISTI totius orbis redemptoris tempus & rationes hoc loco potentiſſimus exercituum Deus indicauit. Quo tempore magnam rerum mutationem futuram eſſe, apud omnes ferè Vates teſtatus eſt, atque apud hunc manifeſtè expoſuit. Etenim antiquæ legis vmbras, in quibus Iſraëlitarum natio deliteſcebat, magna & communi gentibus omnibus luce mutandas eſſe confirmat, & nouam quandam diem omni orbi affulſuram: Illuminare iis qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent. Hanc autem in humanis rebus mutationem mundi omnis hominum cauſa conditi commotione ſignificauit. [*Adhuc vnum modicum eſt.*] Oſtendit exiguam & anguſtis terminis cõtentam fuiſſe veræ religionis gloriã, quamdiu prioris templi rationes conſtarent. Eam verò longè dignitate præſtantiſſimam, & propagatione maximam fore, poſtquam Meſſiæ in hoc poſteriori templo ſibi in publicam ſalutem dandi, initio apud Ieroſolymam facto, toto orbe propagari cœperit. [*Adhuc vnum modicum eſt*, Hebraicè, *adhuc vnum idq; parum.*] hoc eſt,upereſt adhuc aliquis harum præſentium rerum ſtatus, isque & re ipſa, & duratione etiam non nimis magnus, ſed paruus. namque à ſecundi templi ędificatione ad Chriſtiani nominis illuſtrati initia, quadringenti & viginti anni ferè fluxêre, quod tempus cum Chriſtianæ pietatis ætate comparatum, modicum profecto eſt. [*Commouebo cælum & terram, mare & aridam.* Hebraicè eſt: *mare & deſertam.*] ita vt omnem habitabilem & inhabitabilem, continentem & marinam regionem, ad Chriſti nomen audiendum & ſuſcipiendum commoturum ſe eſſe dicat, & priorem illam rerum faciem in aliam multo illuſtriorem commutaturum. Hanc huius loci expoſitionem Spiritus ſancti interpretatione apud Paulum docemur. Cuius illa oratio eſt: Quod adhuc ſemel dicit, declarat mobilium tranſlationem tanquam factorũ, vt maneant ea quæ ſunt immobilia, &c. [*Et mouebo omnes gentes.*] Ad earum quæ ſubijciuntur, rerum notitiam & exſpectationẽ. Atque hoc modo huius carminis ſententia componitur. huius templi noua ratio non modo cum primis & florentiſſimis tẽporibus cõparata, exigua eſſe deprehenditur; ſed adhuc ſi cum futura ætate conferatur, parua admodum iudicabitur. namque adhuc vna magnitudinis & dignitatis comparatio ſupereſt, ad ea feliciſſima tempora quæ tunc conſequentur, quando mouebo cælum & terram, &c. Qualis autem ille futurus rerum ſtatus, quantuſque exſpectari poſſet, deinceps exponit.

Luce 1.

Heb. 12.

Et mouebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus: & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum.

HVNC locum de ſancto ac diuino Spiritu omnibus gentibus ad felicitatem neceſſario interpretamur, quem Spiritum ſanctificationis Apoſtoli nominant, donarum à Deo per Chriſtum redemptorem, & procuratorem omnibus obedientibus ſibi. Huius verò Spiritus ſancti deſiderio maximo gentes omnes etiam quæ Chriſtum non expectaſſent, iam inde à principiò teneri, dummodo infirmitatem ſentiant ſuam, nos alio in loco, eiuſdẽ Spiritus auxilio, docebimus. Atque huius Spiritus efficientia, & virtute præſcuti, ac perpetua inhabitatione domũ aliam tertiã ſibi ædificatum iri ſignificat Deus, quæ maximis gratiæ & diuinarum virtutum muneribus ornata, tantum primæ & ſecundę ſplendore & dignitate excellat, quantũ humana diuinis, ruitura & mutabilia perpetuis & conſtantiſſimis exuperantur. Hanc autem domum viuis lapidibus conſtantem, incomparabili argenti & auri vi obductã, multo & vario gemmarum, & pretioſiſſimo lapidum genere diſtinctam &

ornatam, varijs in locis apoſtoli deſcribunt, & templum ſanctum Domini appellāt; atque exemplar illud eſſe dicunt, quod Moyſi in monte diuinitus monſtratum fuerat: cuius inſtar & tabernaculum in ſolitudine, & templum deinde Ieroſolymis habuit. Illud autem quod oſtenſum fuerat, longè fuiſſe præſtantiſſimum, vel ex vno exemplaris nomine ab apoſtolis arguitur. Igitur triplicem domus ædificationem agnoſcimus; primam illam Salomonis ſtudio & cura cōfectam; ſecundam, quam Vates hic procurari perſuadet; tertiam quam Ieroſolymis inchoandam, ſed toto orbe producendam eſſe Haggæus vaticinatur: cuius comparatione non modò ſecunda hæc, ſed & prima illa à Salomone perfecta, exigua admodum erit. Itaque poſt veterum & mobilium mutationem, ad huius poſtremi templi ædificationem omnes gētes monendas fore ſibi Deus pollicetur, atque miſſo diuino Spiritu domum tertiam æternam, piorum omnium ſocietate conſtantem, eccleſiam parandam. [*Et implebo domum iſtam gloria.*] Iſtam quam poſtremo loco ſignificauerit exponimus. Eſt autem apud Hebraicos artifices vna ex ſententiarum figuris, quam ipſi Agab gezara, hoc eſt, poſt definitionem dicūt: ea à noſtris rhetoribus Significatio appellatur, cum ex alio dicto aliud intelligitur, vt cùm ex rubri maris hiſtoria Chriſti mortem & reſurrectionem, magis etiam ex literæ ſententia, quàm ex allegoria docemur. Huius autem figuræ multa genera atque exempla ſunt, ex quibus vnum hoc quod interpretamur, eſt, ſiquidem à primo & ſecundo ad tertium templum Vates orationem deduxit. cuius ſanctam arcanamque fabricationem ornatumque omnem ſibi acceptum tribuendum Deus ipſe confirmat.

Hebr. 8.

Ad Hebræos lib. Isaac Hiſpanus in Haggæum cap. 2.

Meum eſt argentum, meum eſt aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ pluſquam primæ, dicit Dominus exercituum: & in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.

ILLVD iam ſæpius admonuimus, nomen *Dei exercituum*, facultatis ad rem gerendam probandæ cauſa, in ſacris orationibus appellari. Horum autem verſuum huiuſmodi ſententia eſt. Vera & illuſtria ſacrarum rerum ornamenta non tam ex auro & argento quod terra gignat, ſpectanda eſſe, quàm ex alio auro atque argento, quod diuinis theſauris conſeruatur, quod ex fluminibus de paradiſo voluptatis promanantibus, colligitur. De quo illud per ſignificationem ſcriptum eſt: Vbi naſcitur aurum optimum, & Bdelius lapis. Neque verò ſi auro atque argento terreno agendum eſſet, id poſſet in hoc ſecundo templo deſiderari, quādo nihil Salomoni comparatum fuerit, quod Deo ipſi comparatu facillimum non ſit, ſed auro ſuo & argento ſuo opus eſſe; cuius maximam vim ad ornamentum tertij huius templi, de quo ſermo fit, expendendam ſibi fore pollicetur: ita porrò fier, vt ſit gloria domus iſtius nouiſſimæ magna pluſquam primæ. Verba ipſa *nouiſſimum & primum*, quæ de pluribus, quàm duabus, dicuntur rebus, tertiæ domus à nobis definitæ ſignificationem manifeſtè indicant. namque nec Hebraicus ſermo vocem *Abharon*, neque Latinus *nouiſſimum* ad duo vnquam refert. Piam demum quandam ac perpetuam pacem huiuſmodi temporibus conſequuturam fore confirmat; non quomodo mundus dat, ſed qualem ipſa hominum natura deſiderare à Deoque efflagitare debeat. [*Et in loco iſto dabo pacem.*] quam terris à Chriſto ſeruatore allatam angeli teſtes genethliaco carmine cecinerunt: Gloria in excelſis Deo & in terra pax, &c. [*loco iſto*] templum hoc ſanctum quod deſcribebat, domum, inquam, tertiam Deus indicauit: quod ſi ad ipſam Ieroſolymam terreſtrem vrbem referre velis, perinde eſt. namq. ſalutis publicæ procuratio illo in loco facta fuit, & prima etiam huius tertij templi fundamenta per Spiritum ſanctum Chriſti eodem loco iacta ſunt.

Gen. 2.

In vigeſima & quarta noni menſis in anno ſecundo Darij regis, factum eſt verbum Domini ad Haggæum prophetam dicens: Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Interroga ſacerdotes legem, dicens, Si tulerit homo carnem ſanctificatam in ora veſtimenti ſui, & tetigerit de ſummitate eius panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum: nunquid ſanctificabitur? &c.

VARIA & multiplex apud Hebræos, Græcos & Latinos interpretes, loci huius expoſitio eſt; neq. nobis breuitati conſulentibus, vel religioſè, vel cōtentioſè referēda, vna tātum explicationē contentis, eaque quàm cōmodè contingere poteſt, ad lectionis ipſius ſimplicitatem relata. Igitur totius ſententiæ argumentū illud eſt. Iudæi cùm primū ex Babylone in patriam remigrarunt, aram Deo ex ſacerdotū conſilio dedicandā conſecrandāque curauerant: quam quod aſſiduis, & quotidianis hoſtijs ex more, atque etiam priuatis multorum ſacrificijs frequentarent, ſatis ſuperque ſibi eſſe putabant ad religionis & ceremoniarum procurationem, atque ad ſupplicationes & preces, cæteraque diuini cultus officia: quamobrē neglecta & depoſita tēpli ædificādi cura, priuatis domibus cōſtruendis, rebusq. agēdis ſtudiū operamq. omnē nauabāt. Quæ ex animi ſentētia proceſſura populus credidit;

quaſi

quaſi ſola aræ conſecratione, & ſacrificiorũ aſſiduitate, religionis ac pietatis officijs abundè eſſet ſatisfactum. Hanc populi opinionem apud ſacerdotes ex diuino mandato Vates redarguit; atque eadem opera ſacerdotum negligentiã improbat. qui, quòd aſſiduo aræ & ſacrificiorum vſu vnde ſibi victum quærerent, habebant, nihil de templi ædificatione cum populo hactenus egerant. Quamobrem paratis iam, quæ ad ædificãdum opus eſſent, cùm nondum opus inchoaretur, nono menſe viceſima & quarta die menſis quartum à Deo mandatum Vates ſacerdotibus exponendum accepit. quos per ſimilitudinem allocutus manifeſtum populi errorem arguẽs docet. namque populus putabat omnem familiarem rem tum ruſticam, tum vrbanam ex eo auctum iri, quòd in conſtructa ara hoſtiæ quotidie immolarentur. Hanc adeò opinionem apud ſacerdotes populi magiſtros Deus argumento à ſimilibus ducto, ſic tollit; *Interroga ſacerdotes legem dicens*:] Legis interpretandæ ſtudium, munus, & auctoritatem penes ſacerdotes eſſe Deus voluit, ſicut ſcriptum eſt: Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legẽ requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum eſt. Igitur illorum ſententiam non ex priuata ſingulorum opinione, ſed ex communi recepta, ac ſimplici legis interpretatione rogari iubet. Duplicem autẽ quæſtionem illis proponendam mandat: alteram, quæ ad puritatis & ſanctitatis; alteram verò quę ad impuritatis & contaminationis rationem ſpectat. Ad faciliorem autem vtriuſque explicationem, quædam breuiter ex lege ipſa repetere operæpretium fuerit. Igitur quædam propriè, quædam verò ex contactu & cohærentia; quædam ex interiectu adhibitoq. medio ſancta dicuntur. Altare per ſe ſanctum eſt, & hoſtia ſuper altare immolata, ſancta eſt per ſe. ſi quod verò vas immolatæ hoſtiæ admoueatur, id ſanctum efficitur ex contactu. In illo ſancto vaſe ſi quid ſeruetur, quæſtio eſt an illud ſanctum etiam ſit? an in prophanis vſibus id permittere ſit fas? Hæc dubitatio diſtinctione tollitur. namque & vaſorum & rerum quæ vaſis adhærent, habẽda ratio eſt. Vaſa enim quæ capere & continere rẽ poſſunt, vt lebetes, phialæ, crateres, eas quas exceperint res, magis ſanctificant quàm alia vaſa, vel inſtrumenta; vt baculus, virga, funis, clauus, &c. quæ omnia Hebraico ſermone vaſa dicuntur. Rurſus ex rebus contactis quædam vt ſanctificentur magis idonea alijs ſunt, vt liquida aridis, tenuia & minuta craſſis & denſis. Sed quæ hoc modo ex medio ſanctificantur, leuiora ſancta dicuntur, aut leuiſſima. Ex huiuſmodi autem diſerta obſeruatione multa ad hanc rem indicandam colliguntur, quæ recenſere nimis longum eſſet. Vnũ verò illud eſt, vas ad ſanctificationem minus idoneum, quanquam ſanctorum cõtactu ſacrari poſſit, tamen alias res, quas leuiter, atque extrema, vt aiunt, linea contigerit, non ſacrare. cuius ſententiæ idipſum exemplum à Vate poſitum, nobis ſatis fuerit. [*Si tulerit homo carnem ſanctificatam in ora veſtimenti ſui, & tetigerit de ſummitate eius panem, &c.*]. *Caro*, quòd denſioris & craſſioris naturæ ſit, minus ſanctificat, quàm libamina, & aliæ, vel liquidæ, vel minutiores res. Veſtis etiam quòd aridior & ſiccior, leuiorque ſit, minus ſanctificatur, quàm alia vaſa. Adde quòd non tota ſancta caro contacta fuerit. Igitur hæc veſtis tertiã aliam rem; vt *panem, pulmentum, vinum, aut oleum, aut omnem cibum non ſanctificabit*; maximè ſi leuiſſimus intercedat contactus: qualis eſſe poteſt, ſi non omni ora veſtimenti, ſed de ſummitate eius cibus tangatur. Quamobrem rectè & legitimè à ſacerdotibus reſponſum fuit.

Leuitic. Miſnaioth in tractat. de Peſſahim

Et reſponderunt ſacerdotes, & dixerunt, Non.

DOCTA & perſpicua ſacerdotum reſponſio fuiſſe ex Vatis conſenſione probatur, qui ab hac quæſtione tanquam explicata, ad alteram ſubitò progreſſus eſt: in qua de impuritate & labe diſputatur.

Et dixit Haggæus, Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, nunquid contaminabitur? Et reſponderunt ſacerdotes, & dixerunt, Contaminabitur.

PRIOR quęſtio fuit, an ſanctarum carnium ſanctificatio & vis ad rem aliã non ſanctam intercedente medio pertineat? negatum autem eſt pertinere. Poſterior quæſtio eſt, an homo maxima contaminatione pollutus, rebus à ſe contactis, maculam labemque afferre poſſit. Maximam autem ex ceremoniali lege impuritatem eam eſſe definimus, quæ ex mortui contactu adhæſerit. & qui hoc modo affectus fuerit, pollutus in anima dicitur. iſque propriè pollutus habetur magis, quàm aut veſtis aut aliud quicquã. quippe homo ipſe contaminationi & pollutioni præcipuè obnoxius eſt. Vocatur autẽ apud Hebræos filius: à quibus hoc modo ratio hæc diſſeritur, vt cadauer ipſum contaminationis pater appelletur; homo cadauer contingens filius; res verò ab homine contrectata nepos: pertinere autem patris impuritatem ad nepotem, ex ceremonialibus obſeruationibus affirmatur. ex quibus hęc nobis ad hunc locum tantum modò indicata; aliàs arcanæ ſignificationis

ficationis rationibus Deo docente explicanda ſunt. ſanctificationis verò & contaminationis verba ſimplicibus omnino ſignificationibus interpretamur; vt ſanctificari, conſecrari, & ſanctum, atque à prophano alienum effici ſit, quod Hiſpanicè & Gallicè, & Italicè benedictionis verbo pronuntiatur. Contaminari autem impurum, execrabile & legitimis vſibus ineptũ reddi ſit. Quæſtio igitur eſt, num homo impuritate ex cadaueris contactu contracta pollutus, rem quampiam ex his omnibus, quas antea commemorauerit, panem, pulmentum, vinum & oleum, omnem denique cibum, contrectata contaminet? [*Et dixerunt Contaminabitur.*] cùm quòd humanis rebus labes & macula facilius, quàm puritas afferatur; tũ verò quòd homo pollutus vehementius & certius contaminare alias res poſſit; vt filius nepotem patri gignat. Iam verò ex ſacerdotum reſponſione conſilij ſui rationem aperiens Vates populi errrorem culpamque redarguit, argumentatione ipſa à ſimilitudine ad manifeſtam orationem tranſlata.

Et reſpondit Haggæus & dixit: Sic populus iſte, & ſic gens iſta ante faciem meam, dicit Dominus; & ſic omne opus manuum eorum, & omnia quæ obtulerint ibi, contaminata erunt.

Ex duplici quæſtione & ſacerdotum reſponſione duplex à Vate concluſio colligitur; altera eſt, *Sic populus iſte ante faciem meam*; altera verò, *Sic gens iſta ante faciem meam.*] Significat autem & populi opinionem ſtultam & ſtudium actionemque omnem corruptam diuino iudicio cenſeri. namque illi exiſtimabant rem omnem ſanctam, fauſtamque ex eo fore, quòd aram quotidianis atque priuatis victimis frequentem haberent; atque ob eam rem panem, vinum, oleum, omnemque cibum ſanctificatum iri: quod perinde eſt, ac ſi vinum, oleum, &c. extrema ora veſtis, quæ carnes ſanctas contigerit, ſanctificari quis afferat. Id enim cùm minimè contingat, neque illud profecto continget, iſtorum res vnius aræ ratione ſanctificari, quando ara ad totum templum collata extremæ in veſtimento fimbriæ rationem vix habeat. Oportuit enim eos qui propitium atque beneficétiſſimum Deum, domibus agriſque priuatè conſulentem, ſibi parare voluerunt, commoda atque auguſta æde ſuſcipiendum curare. quæ quanquam principis ipſius maieſtatem aliqua ex parte æquare non poſſet; ciuium tamen ipſorum animos, ſtudia & pietatem teſtari poſſet. Igitur hæc illius concluſionis ſententia eſt: *ſic populus iſte ante faciem meam.*] Sic, inquit, populi iſtius opinio manifeſti erroris arguitur, qui res omnes ſuas vnius aræ victimis mactandis inſtructę ratione ſacratum auctumque iri putant, cùm magis deteri minuique indies neceſſe ſit, tanquam infauſtas & pollutas, atque dominorum ipſorum impuritate infectas & cõtaminatas. neque enim melioris condicionis, *Gens iſta ante faciem meam* eſt, quàm iudicio meo pollutam in anima duxi, *& ſic omne opus manuum eorum.*] Hæc ad ſecundam quæſtionem reſponſionemque referuntur. neque enim eo ſolùm malo laborat, quòd minus proſperis cædendarum hoſtiarum ſucceſſibus vtatur, ſed etiam quòd pollutis & impuris victimis mactandis operam ſtudiumque adhibeat: quas abominandas fore neceſſe eſt. nam cùm ipſi culpæ, & neglectæ religionis rei teneantur, ſupplicio digniſſimi habentur, atque diuino iudicio pro mortuis cenſentur. Quidquid igitur contigerint, vel tractauerint, impurum infauſtumque, neque victimis præbendis idoneum eſt. [*Et omnia quæ obtulerint ibi, contaminata erunt.* Hebraicè *Quicquid obtulerit ibi, contaminatum ipſum.*] ita vt ara etiam iſtorum contactu polluta, pollutas & impuras hoſtias excipiat, quę obeſſe magis, quàm prodeſſe præbentibus valeant, ſicut ſcriptum eſt: Victimæ impiorum abominabiles Domino. Quicunque enim Prou. 15.
flagitij atque alterius generis vitio graui conflictatur, diuini iudicij ſententia mortuus eſſe «
iudicatur, ſicut ſcriptum eſt: In quacunque die comederis, morte morieris. Quibus ex Gen. 2.
rebus vtriſque illud manifeſtè conſequitur, omnia quæ ab huiuſmodi ingrato populo ap- «
peterentur, minus ſucceſſura fuiſſe. ſecus autem deinceps fore, cùm ædificato templo religionis ratio ex diuino præſcripto procuraretur. ex eo enim efficiendum eſſe ait, vt omnium rerum etiam externarum commoditate fruantur: id quod de cætero obſeruandum & intelligendum, & cum anteactis temporibus comparandum Vates proponit.

Et nunc ponite corda veſtra, à die hac & ſuprà, antequam poneretur lapis ſuper lapidem in templo Domini: cùm accederetis ad aceruum viginti modiorum, & fierent decem, & intraretis ad torcular, vt exprimeretis quinquaginta lagenas, & fiebant viginti.

HÆC priorum temporum publica & communis, certa aſſiduaque calamitas, ab ea die primùm accepta, cùm ædificandi templi oportunitas neglecta fuit; ad hanc vſque, qua opus produci cœptum eſt, quam viceſimam quartam noni menſis fuiſſe Vates ipſe docuit, perdurauit. [*Antequam poneretur lapis ſuper lapidem in templo Domini.*] Antequam ædificium Darij regis tempore inceptum, & intermiſſum, ſtudio opportunè integrato proſequeremini;

namque & virtutibus officijsque exercendis, precibus & votis faciendis, religionis legi-
timæ ſtudijs liberius vacare licebat populo à prophano aliarum gentium commercio &
ſocietate ſubducto, cui & templi ad ſacrificia & ſupplicationes commoditas eſſet & copia.
Atque hoc ſuum de Iudæis ex Babylone liberãdis & reducendis conſilium Deus apud Ie-
Ierem. 29. remiam Vatem apertè expoſuit: Hæc dicit Dominus, Cùm cœperint impleri in Baby-
“ lone ſeptuaginta anni, viſitabo vos, & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, vt redu-
“ cam vos ad locum iſtum. Ego enim ſcio cogitationes, quas cogito ſuper vos, ait Dominus;
cogitationes pacis & non afflictionis, vt dem vobis finem & patientiam: & inuocabitis
me, & cætera, quæ his ſubiunguntur omnia. quibus quamobrem Iudæi in patriam reſti-
tuendi eſſent ante oculos exponitur, vt videlicet pietatis & pœnitentiæ ſtudiis, votis ac
precibus, humilique ſupplicationi, & communis perfectæque ſalutis petitionibus com-
modius vacare poſſent. Atque huiuſmodi conſilium ſuum cogitationes pacis, & nõ affli-
ctionis appellat Deus, quas eò præcipuè pertinere dicit, vt det illis finẽ & patientiam, ſiue
vt ex Hebraico exponimus, poſteritatem & expectationem. Poſteritatem verò & exſpe-
ctationem redemptionem atque ſalutem perfectam interpretamur, qua iræ illi, cuius nos
omnes filij eramus, finis atque modus imponendus fuerat. Quamobrem ſubiunxit: Et in-
uocabitis me, & venietis; & orabitis me, & ego exaudiã vos. Huius namque rei gratia in
patriam reſtituendi, & libertatis, doctrinæ, templi, ac ſacrificiorum commoditatibus au-
gendi erant. Neque enim illa verba, inuocabitis me, & venietis, & orabitis, admonitio-
nis & exhortationis, ſed magis imperij, atque præcepti ſunt; quæ ſi ſanctè illis procura-
rentur, quid Deus ipſe præſtiturus eſſet deinceps exponit. Cùm quæſieritis me in toto
“ corde veſtro, inueniar à vobis, dicit Dominus; & reducam captiuitatem veſtram, & con-
“ gregabo vos de cunctis locis, ad quæ expuli vos, &c. Namque de libertate ex Babylone
hęc interpretari non debere res ipſa docet, quòd eius libertatis compotibus ſupplicationes
precesque, ad ſui cęterorumque fratrum certam diuinamque ſalutem impetrandam de-
nuntientur. Atque hæc de illa ex Babylone libertate diuini conſilij ratiò nobis ex ſacro-
rum librorum lectione reddita eſt. Vt autem in eam, quam diximus, orandi, ſupplicandi
petendique curam & ſtudium commodius publicè & communiter incumberetur, tem-
plum illis rurſus ædificari ac reſtitui Deus voluit: in quo frequens hominum conuentus
communi ſtudio ad pietatis cultum atque ſupplicationum feruorem melius atque com-
modius incendi poſſet. namque hæc publicè ſacrandarum ædium ratio eſt, ſicut ſcriptum
Iſai. eſt: Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus. Quid verò in cauſa fue-
“ rit, quamobrem Iudæi in templo ædificando ſeſe negligentius geſſerint, paucis expone-
mus. Duriſſimam atque integram apud Babylonios captiuitatem, quinquaginta tribus
ferè annis & non amplius duraſſe, Hebręi auctores hac ratione colligunt. Ieruſalem ca-
pta fuit anno decimo nono Nabuchodonoſoris, qui quadraginta quatuor annis rerũ po-
titus fuiſſe à Ioſepho traditur; ab alijs verò, quadraginta & quinque. Huic ſucceſſit Ami-
linus Euilmerodacus, qui ſecundum Hebręos annis tribus & viginti regnauit: quem Cy-
rus primus, vt antiqui Hebræi volunt, ſecutus, neque vltra tertium annum regnum ob-
tinuit. Huius verò ſpiritum à Deo excitatum, vt Iudæis in patriam remigrandi copiam
faceret, in ſacris Hiſtorijs legimus. hactenus quinquaginta duo anni ferè ſunt: quibus ſi
decem & nouem ab initio regni Nabuchodonoſoris adiungas, fient ſeptuaginta integri &
vno amplius, quo redeundi copia per Cyrum facta eſt. atque hic numerus Ieremiæ vati-
cinio conuenit. Cùm impleri cœperint ſeptuaginta anni Babyloni: namque in datiuo ca-
Ierem. 29. “ ſu Hebraicè eſt. Numerabat autem Vates ab initio regni Nabuchodonoſoris. at verò poſt
Cyrum Aſſuerus regnauit; cuius regni initio ſacrum opus, ob finitimarum gentium ca-
lumniam, interturbatum intermiſſumque eſt, vſque ad ſecundum Darij filij eius annum:
Midras Le- quem Eſther filium fuiſſe Hebræi tradunt. Cùm autem Iudæi intermiſſum diu ſacri tem-
uitici magni pli ædificandi opus, ob regium edictum, & vicinorum interturbationes, iam ferme deſpe-
rantes deſeruiſſent, Haggæum ſancto Spiritu ductum de ea re Vatem à Deo legatum ad-
hortatoremque acceperunt: quem, cuiuſnam tribus & familiæ fuerit, non planè nobis ſa-
cra ſcripta indicant. Fuiſſe autem ex Iudæis, vel qui ex Babylone redierant, vel qui Iero-
ſolymis manſerant, ex eo ipſo quòd inter Iudæos verſatus vaticinatusque fuerit, coniectu-
ram facimus; cùm præſertim cæteris tribubus toto orbe diſperſis rariſſimi in illis regioni-
bus extarent, qui Iſraëlis religionem & nomen integrum tuerẽtur. atque ad hanc rem, hoc
eſt templi ędificationẽ perſuadendam, mitti hunc Vatem oportuit. huius verò quinque
vaticinia, quorum argumentum ad vnam eandemque rem, hoc eſt ad templi ædificandi
procurationẽ pertinet, vno tãtùm anno acta tractataq́. fuere, à quarto videlicet ad nonum
menſem: vltra quod tempus nunquam amplius prophetico munere functus publicè fuiſſe
dicitur.

dicitur. huius autē legationis ratio ad duos populi principes Zorobabelē & Ieſum filium Ioſedec præcipuè ſpectat, penes quos omnis, & ciuilis, & ſacra populi gubernādi, reipublicæque gerendæ poteſtas illa tēpeſtate fuit, cùm alter ducis & principis, alter verò ſummi & maximi pontificis munere fungeretur: ad quos tamen referenda res hęc Haggęo Vati data eſt, vt diuinæ voluntatis conſilium, quod apud eos exequēdum erat, legationis auctoritate conſtaret. Illud verò animaduerſione dignum videtur, in referendo virorum genere non ſemper cōſequentiæ rationem conſolidari, ſed quoſdam filios ijs nōnunquam aſſcribi, qui illuſtriores in ſua familia fuerint, vel ijs à quibus domi educti atque educati ſunt, tametſi aui, vel patrui, vel auunculi fuerint, vel adoptionis iure patres dicantur. Sic Zacharias filius Ghido dicitur, cùm verè nepos Ghido ex Barachia filio fuerit. Zach. 1.
Et Michol filiæ Saulis, cùm per totam vitam ſterilis permanſerit, quinque tamen filij, adoptionis nimirum atque apud ſe educati aſſcribūtur. Itaq. Zorobabel Salathieli, vel ob 2. Reg. 21.
nominis ſplēdorē, vel, quod certius arbitramur, domeſticæ ac familiaris educationis cauſa, filius aſſignatur, quòd is potiſſimū ſibi & nominis & muneris hæres fuerit delectus. Appellatur autem Zorobabel dux; nam quanquam ex regia Dauidis familia eſſet, tamē neque regium diadema, neque munus obtinuit, ſed à Perſarum rege cui Iudæa regio parebat, ob generis nobilitatem & ſuam ipſius virtutem, reducendo populo dux præfectuſque creatus eſt. Quanquam verò Latinè dux dicatur, nomenque ipſum bellici magiſtratus proprium ſit, tamen tam pacis, quàm belli rebus gerendis idoneo munere atque officio functum fuiſſe virum hunc conſtat: rempublicam enim pro Perſarum rege adminiſtrauit. Quamobrem Hebraicis literis PAHHATH ſcribitur, quod non Hebraicū, ſed Perſicum, vel Chaldæum nomen eſſe, atque certam quandam præfecturam ſignificare, aliàs, Deo inſpirante, docebimus. Ieſum autem ſacerdotem ſummum patri ſuo Ioſedec in ſacerdotio ſucceſſiſſe res ipſa arguit. namque diruti à Chaldęis & incenſi templi temporibus Ioſedec pontificali munere auctoritateque fungebatur, qui & Babylonē cum cæteris ſuę gentis hominibus abductus eſt, vt in annalibus Regū legimus. Igitur Ioſedec dignitas & mu- 1. Paral. 6.
nus Ieſu filio hæreditario iure delatum eſt, à quo etiam in Ghido nepotem permanauit, quem ſacerdotio ſua tempeſtate præfuiſſe Eſdras tradit. Atque hoc primum vaticinium, priuſquam à Dario ædificandi templi copia Iudæis facta eſſet, editum fuiſſe, res ipſa planè arguit, cùm populi de ea re deſperantis oratio redarguenda à Vate referatur.

Hæc ait Dominus exercituum dicens, Populus iſte dicit, nondum venit tempus domus Domini ædificandæ.

VLTORIS & vindicis cognomen nomini diuino additum eſt, vt vel negligenti populo timor inijceretur, vel hoſtium opus impedientium metus omnis tanto appellato vindice demeretur. [*Dicens.*] improbationem referendæ orationis hoc verbum habet, cuius illa ſententia eſt. Huius populi orationem illam Dominus exercituum non probat, ſed re ipſà redarguendam tantùm refert. [*Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ.*] Tempus hoc in loco Hebraicè eſt GHETH: quo nomine oportunum & maturum rei cuiuſque tempus dici iam aliàs docuimus: vt illud, Quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Igitur ex Ba- Pſal. 1.
bylone reſtitutus Ieroſolymitanus populus, cùm primis reſtitutionis annis à templi ædificatione impeditus eſſet, certam perficiendi operis oportunitatem exſpectans, ſeſe negligentius gerebat; cumque de ea re aliquando ageretur, huiuſmodi oratione cunctationem ſuam defendebat. [*Nondum venit tempus, &c.*] Atque hoc modo templi procuratio vltra conſtitutum tempus etiam proferebatur; namque eadem populi oratio anno etiam ſecundo Darij regis fuit: id quod per Vatem noſtrum Deus reprehendit, cunctationique atque inertię populi, magis quàm temporis rationi attribuit. Quanquam enim primo remigrationis tempore, cùm per Cyrum redire permiſſi ſunt, quinquaginta duo anni completi ſunt, quibus integra apud Babylonios captiuitas futura fuit, quam vſque ad ſeptuageſimum regni Babylonici annum duraturam Ieremias declarauerat: tamen reficiendis Ieroſolymorum muris, & reædificandis ruinis tempus ad ſeptuageſimum ab exciſione annum fuerat prorogatum. id verò ſpatium ſecundo Darij anno terminatum eſt. namq. vrbs anno decimonono Nabuchodonoſoris deſtructa eſt. Penes illum autē illiuſq. poſteros non vltra ſeptuageſimum annum Babylonicum regnum futurum eſſe Vates dixerāt. Igitur dimiſſio prima ſub Cyro anno quinquageſimo ſecundo à Nabuchodonoſoris regno contigit. à quo tempore ad ruinarum refectionem decem & octo anni exſpectandi fuēre, quos hoc modo Hebræi numerant. Cyrus regnauit tres annos, Aſſuerus quatuordecim: his adde duos Darij, fiunt decem & nouem. Atque hac ratione vnus iam annus à vaticiniorum termino ſupererat, qui tunc agebatur cùm Vates noſter de ea re ad præfectū & ſacerdotem referens, populum ceſſationis & negligentiæ nomine meritò accuſaret, quod nulla iam

temporis ſpectatio, ſed prima ipſorum deſidia in cauſa eſſet, quamobrem templum non ædificaretur. Huc ergo omnis illa annorum, menſium & dierum ratio pertinet. [*Anno ſecundo Darij regis in menſe ſexto, die vna menſis.*] cùm iam ſecundus annus Darij, atque vltra præſcriptū deſtructionis Ieroſolymitanę tempus ſextus etiam menſis ageretur. Ipſa ergo annorum ſubducta ratio populi orationem redarguebat. Hactenus primum vaticinium, quo populus apud vtrumque magiſtratum negligentiæ & ceſſationis arguitur: atque cauſa ipſa vel annis tantum numeratis obtinetur. nunc verò deinceps ſecundum vaticinium eſt.

Et factum eſt verbum Domini in manu Haggai prophetæ, dicens, Nunquid tempus vobis eſt, vt habitetis in domibus laqueatis, & domus iſta deſerta?

SECVNDO vaticinio populus ipſe compellatus, mendacij & negligentiæ erga res ſacras & religionis cultum redarguitur, quòd temporum rationem perperam fuerit interpretatus. namque iam diu erat, quòd nullo à vicinis impedimento retardati, priuatas ædes ſumptuosè & magnificè ſibi ædificabant, quas tranquillè & placidè inhabitabant. atque adeò huius rei comparatione diuinam cauſam Vates probat, & confirmat argumento à contentione ducto: dicendi autem figura admiratione vſus; quæ ad vehementiorem probationem maximè idonea eſt. Qui conuenit, inquit, vt plurimas & maximas, magnoque artificio conſtructas ædes vobis parare & habitare per tempus liceat, & tamen vnam hanc Dei exercituum ædem deſertam exciſamque reſtituere non liceat: num cæteris priuatis ruinis reſarciendis oportunitas conſtituta hanc vnam publicam Dei domum excepit? Num vitæ neceſſitas vobis ipſis prius conſulendum ſuaſit? cùm tamen diuina primum, deinde humana curare oportuerit. num facilius eſt plures vel ſingulas domos ſingulis, easque materia & opere ſumptuoſas, quàm vnam omnibus ædificandam curari? atqui neque vitæ neceſſitatem, neque paupertatem & inopiam excuſare integrum eſt ijs, qui ad luxum laqueatas cedro ædes ſibi ædificant, quas & inhabitant: neque vlla ſibi ædificandi neceſſitate vrgentur, ſed habitandi iam commoditate ſummo cum otio fruuntur. Oportuit autem priuatarum rerum cura liberatos in publicam atque diuinam rem ſtudiosè incumbere, ſibique principem ſuum Deum propitium & placidū, religionis & pietatis procuratione reddere. Quòd ſi minus vos ipſam rerum & temporum ſapienter cogitatam rationem ſequutos orationis & conſilij veſtri pœnituerit; tamen periculis ipſis & damnis diuini de iſta negligentia iudicij admonitos eſſe oportuit.

Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras. Seminaſtis multum, & intuliſtis parum: comediſtis, & non eſtis ſatiati: bibiſtis, & non eſtis inebriati: operuiſtis vos, & non eſtis calefacti; & qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum.

HACTENVS ab antecedentibus & coniunctis, atque ſimilibus; nunc verò deinceps à conſequenti euentu, cui cum antecedentibus maximè conueniat, arguit: ex quibus certiſſimam de diuino iudicio & voluntate coniecturam illis factam fuiſſe oportere confirmat. namque violatæ & neglectæ diuinæ voluntatis culpam, communi quadam familiaris rei infelicitate & damnis, laborumque fruſtrationibus mulctandam eſſe, præter alia-
Deut. 28. rum pœnarum genera, diuina Lex denuntiauerat. Quòd ſi nō audieris vocem Domini, vt
" cuſtodias omnia mandata eius, & ceremonias, quas ego præcipio tibi, venient ſuper te om-
" nes maledictiones iſtæ: maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, &c. Ad huiuſmodi igitur cogitationem iſtorum animos reuocat Vates, vt ex euentorum cum antecedentibus comparatione conſilij ſtudijque ſui peruerſitatem facilè exiſtiment. [*Ponite corda.*] idem, quod apud Latinos, attende animum, ſignificat. [*vias veſtras.*] rerum agendarum rationes, antecedentia conſequentiaque omnia, atque euentus. [*Seminaſtis multum, & intuliſtis parum.*] cùm tamen rerum natura ita comparatum ſit, vt agri plus multo quàm acceperint, cultoribus reddant. Quid ergo cauſæ eſt quominus agrorum ingratitudinem ex culpæ veſtrę & diuinæ offenſionis rationibus interpretemini? [*Intuliſtis.*] linguæ vſus obtinuit, vt ex vno verbo integra accipiatur ſententia. maximè autem hoc in artium ſermonibus obſeruatur, vt in agricultura, architectura, medicina & pictura: eaque omnibus ferè linguis communis ratio eſt, vt facere, cùm de arboribus ſermo fit, fructum proferre ſignificat; cùm de religione, ſacrificare, &c. ſic inferre, fructus domum afferre, vel in horrea congregare. neque verò ſolùm in fructuum perceptione, ſed in vſu etiam infelicitatem illis deprehendi & ſentiri Vates ait. [*Comediſtis & non eſtis ſatiati.*] quòd omnia quæ ad vſum ſibi parata eſſent, ſuaui & naturali facultate, ex diuini conſilij ſententia, deſtituerentur: id quod ex vini etiam ratione arguitur, cuius magis, quàm ciborum præſens vis & efficientia eſt. namque vinum largius hauſtum ebrietatem continuo efficit: quæ res ipſum parcius ebibitum valere etiam arguit.

arguit. quòd verò inutile omnino atque inefficax ſit, ſignum eſt, etiam plena amphora ingurgitatos, nunquam tamen inebriari atque obrui. Omnis autem alendæ vitæ facultas cibo & potu, atque veſtitu conſtat; illis vires reficiuntur, hoc membra fouentur, calorq́ue natiuus temperatè conſeruatur: ſed tamen hac etiam veſtimentorum vtilitate priuari illos ait. [*Operuiſtis vos, & non eſtis calefacti*] Quanquam non cultiori ſolùm, ſed multiplici veſtium genere fueritis induti, tamen perinde iuuamini, ac ſi nudi ageretis. atque hæc nimij & oneroſi veſtitus cura verbo infinito Hebraicè indicatur. [*veſtire, inquit, & non ad calefaciendum:*] cùm laneæ veſtis natura ad fouendum calorem idonea maximò ſit, nec feliciore hoc in genere condicione pauperiores vtuntur: quibus victus ratio ſolo labore conſtat. ij enim acceptæ ex labore mercedis infelicitate æque premiuntur, atque ij quibus fundi & agri annonam ſuppeditant, vt non caſum, ſed offenſi & irati numinis conſiliũ interpretari oporteat. [*Et qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum.*] Magno labore inutiles quęſtus à pauperiorib. fieri, prouerbiali oratione ſignificat: perinde enim proficere mercedes ait, ac ſi in ſacculum pertuſum miſſæ fuerint, ex quo, mox vt concluduntur, imprudentibus decidunt, & non ſine magno domini ipſius dolore pereunt; cui tantus labor fruſtra fuerit conſumptus. Ita vt communem omni populo, atque in omni rerum genere infelicitatem, non caſum, ſed offenſi atque irati numinis iudicium & animaduerſionẽ interpretari oporteat, quòd ob communis omnibus rei violationem vel negligentiam acciderit. nulla autem res æquè pauperibus & diuitibus communis, atque religio eſt. Igitur vel hoc vno argumento templi ad pietatis cultum ędificandi, & pietatis neglectę culpa ſeſe premi intelligere potuerant & debuerant: atque oportuit corda atque animũ ad hanc rem cognoſcendam attendere. Verùm enimuero ſtudiorum & laborum infelices euentus, in magnam felicitatem conuerti poſſe hoc vno pacto docet, vt religionis res & templi ædificatio diligenter & ſanctè curentur. namque diuinarum rerum certa & legitima obſeruatio humanas omnes res commodiſſimè producit & perficit; id quod contra euenit ſi ſecus agatur. has enim ſequi, illas præire ſemper oportet. Igitur ad ſuam ipſorum rem rectè & ritè putandam illorum animos Vates reuocat & exhortatur.

Hæc dicit Dominus exercituum, Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras.

HOC eſt, conſulite ſapientius, & prouidete rebus veſtris, quas hactenus ob religionis negligentiam vltore Deo detritiſſimas experti eſtis. his autem cõmodiſſimè conſuletis, diuini prius honoris & dignitatis, quàm humani commodi rationes procurando: id quod euentu ipſo probabitur.

Aſcendite in montem, portate ligna, & ædificate domum: & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dominus.

NON tam rerum magnitudine & ſumptu, quàm colentiũ obſequio & ſtudio delectari ſe Deus declarat, qui facili materia & commodo magis atque breui, quàm diuturno opere domum ſibi parari ædificariq́ue iubet, quam ſibi illiſq́. fauſtam fore in ſeſe recipit. Neque verò de lapidibus excindendis artificioſeq́ue expoliendis vlla mentio fit; ſed quod factu ac paratu facillimũ eſt, ligna in montem ipſum Moriã comportari, quibus muri & tectum præcipuè contignentur: eamq́ue domum vbi ſarta tectaque fuerit, ſibi gratiſſimã fore, maximoq́ue felicitatis publicè edito exemplo, magis quàm opere ipſo amplificãdam pollicetur. namque in eam venturum Meſſiam ſuum ſubindicat, cuius aduentus ſalutẽ publicam omni orbi allaturus, ad diuini nominis gloriam & ſanctificationem pertineret. [*Acceptabilis mihi erit.*] quãquam materia & opere longè quàm prior illa, minor ſit. [*Et glorificabor, dicit Dominus.*] Promiſſionem gloriæ templo ipſi ex ſua ipſius gloria redundantis futuræ hęc oratio habet. Eſt autem magnum in Hebraicis literis hoc loco myſterium: nam verbum *& glorificabor* ea ratione ſcriptum eſt, vt Latinè, *Et glorificabor & glorificabo eam:*] ſic tamen ſcriptum eſt, vt glorificabor integrum ſit; glorificabo eam, non item integrum. atque illud huiuſmodi myſterio ſignificatur, diuinam gloriam ex Ieſu Chriſti aduentu, rebus gerendis, obeunda morte, reſurrectione ex mortuis, paracleti Spiritus miſſione, ex omni denique promiſſi beneficij genere plenè atque integrè conſtantem fore. Huius autem templi in quo hæc omnia edenda fuerint, magnam quidem eſſe, non tamen integram, planeq́ue abſolutam. quandoquidem tanta Dei beneficia ab ijs, qui templum illud frequentarent, minus diligenter, quã oportuerat, perpẽſa, & minus gratè accepta, imò, quod nefarium omnino fuit, à pleriſque illorum repudiata ſunt, ſicut ſcriptum eſt; In propria venit, & ſui eũ non receperũt. Quę quidẽ res in cauſa fuit, vt & templi & gẽtis ipſius dignitas atq. amplitudo omnis euerteretur. Id quod quãuis Deus cognouerit, prędixerit atq. oratione ipſa ſignificauerit, nihil tamẽ obſtitit quo minus rectè riteq́ue agendã curandamq́ue Iohan. 1.

 pieta-

pietatis rem, templumq́ue ædificandum commendarit, vt ſi nō ipſi quod ipſorum fuerat,
hoc eſt, fidem & pietatem integrè & legitimè; at ipſe tamen quod ſuum erat, hoc eſt pro-
Ioan. 1. miſſa ſua diuina pleniſſimè præſtaret: quæ ad eos ſaltem pertinerent, à quibus libenter &
" gratè ſuſciperentur, ſicut ſcriptum eſt: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis pote-
ſtatem filios Dei fieri, &c. Igitur magnam non ſolùm animorum (quæ præſtantiſſima eſt)
ſed familiaris rei felicitatem Ieroſolymitanis religionis cultum & templi ædificationē ſe-
dulò procurantibus Deus pollicetur: magnam rurſus infelicitatem negligentibus, atq. pri-
uata & prophana commoda publicis & ſacris rebus anteponenti populo minatur.

Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus: intuliſtis in domum, & exufflaui illud: quam ob cauſam, dicit Dominus exercituum? quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinatis vnuſquiſque in domum ſuam.

EARVM quæ antehac fuerant illis rerum imaginem ante oculos propoſuit: nunc ve-
rò earum quæ ſequentur, niſi diuinæ religioni purè & legitimè conſulatur, multo dete-
riorem futuram eſſe denuntiat. namque omnem peruincendæ miſeriæ ſpem, qua in mi-
ſerrimis rebus homines ali ſolent, irritam fore confirmat. [*Reſpexiſtis ad amplius, & ecce minus.*
Hebraicè & Chaldaicè infinitè profertur verbũ, ſic: *Reſpicere ad amplius; & ecce ad minus.*] Ipſa ſer-
monis ratio illorũ res magis indies deterendas fore ſignificat. namq. articulus ille, ſiue præ-
poſitio, *Ad*, vlteriorem motum indicat: Hiſpanè *Mirar à de lante y caminar para ras.* [*Et intuliſtis in*
domum, & exufflaui illud.] Præteritum coniunctione *Vau* appoſita diuus Hieronymus, cæteri-
q́ue omnes qui Hebraicè norũt, pro futuro accipiunt. Verbum Aſpicere, ſiue, vt in Hebrai-
co propriè eſt, faciem intendere, futurarum rerum proſpicientiam atque vlterius tenden-
Gen. 37. di conſilium conatumq́ue ſignificat. namque iter agentibus familiare eſt: vt, Intenderunt
Deut. 1. faciem inde, & abierunt Sodomam. &, Vos autem intendite, & abite in ſolitudinem, &c.
[*Et exufflaui.*] Cùm Deus iratus ignem conſumentem ſe eſſe dixerit, quicquid in agro ſtu-
dio & labore vix conquiſitum comportatumq́ue domum fuerit, halitu ſuo exurendum &
debilitandum ita eſſe ait, vt inane prorſus atque inutile reddatur. eſt autē verbum hoc in
loco ex illa ratione: Ecce ego creaui fabrum ſufflantem in igne prunas. Porrò Chaldęus
paraphraſtes orationem hanc à tranſlatione ad ſimplicitatem more ſuo apertè reduxit. Et
Esai. 54. ego, inquit, mittam in illud maledictionem. Atque tantæ calamitatis cauſam, ædificandi
" templi ceſſationem, & priuatarum rerum curam eſſe Deus ipſe definit: quandoquidem
naturæ curſum certo modo & loco conſtanter impeditum nō niſi ex diuino conſilio & iu-
dicio interpretari ſapiens & prudens vir poſſit, maximè ſi cum prædicta & explicata cauſa
euentus ipſi, vt denuntiati fuerint, conueniant. [*Quam ob cauſam? niſi quia domus mea deſerta eſt,*
& vos feſtinatis vnuſquiſque in domum ſuam.] [*Feſtinatis.*] Magnam priuatarum rerum curam, ſo-
licitudinem atque aſſiduitatem hoc verbo ſignificauit, cùm diuina & publica imprimis,
poſtremò autem priuata curari oportuerit. Hanc verò ſtudiorum peruerſitatem quanta
rerum calamitas conſequutura ſit, ſtatim Vates denuntiat.

Propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cæli, ne darent rorem, & terra prohibita eſt ne daret germen ſuum: & vocaui ſiccitatem ſuper terram, & ſuper montes, & ſuper triticum, & ſuper vinum, & ſuper oleum, & quæcunque profert humus, & ſuper homines, & ſuper iumenta, & ſuper omnem laborem manuum.

OMNE hoc, cui mundi cæliq́ue nomen inditum eſt, in hominum commoditates atque
Pſalm. 113. vſus conditum eſſe diuina philoſophia docet. Cælum cæli Domino; terram autem dedit
" filijs hominum. namque fingendo ad imaginem & ſimilitudinem ſuam ex terræ limo ho-
mini cōmodiſſimam domũ, atq. omnibus rebus quæ ad vitã victumq́. neceſſariæ ſunt af-
fluentē parare & cōſtituere Deus voluit. de qua nobis eodē propitio aliàs diſſerendũ erit.
Meritò autē cōmunis hominũ cura & prouidētia à Deo remittitur: vbi exigua quædã di-
uino cultui ſacranda ædes, propter priuatæ rei curã negligitur. Hoc autē malum nō omni-
bus nationibus aut locis, ſed iis tantùm qui neglectæ religionis culpa teneantur, euenturũ
eſſe ait. Quod priuatè allatum certam diuini iudicij ſententiã arguere teſtariq́ue poſſit.
[*Prohibiti ſunt cæli,* ex diuinæ ſententiæ decreto, *ne darent rorem;*] ne rorē quidē, qui neq. in gra-
uiſſimis & ſteriliſſimis annis, ipſa etiam æſtate, deficere ſolet, cælum regionibus dabit,
nedum oportunas pluuias & imbres fuerit ſuppeditaturum; & terræ etiam natiua vis ad
plurimas generandas ex ſeſeq. producēdas res, maximè verò plantarũ herbarumq́ue ge-
Gen. 1. nera omnia; ſicut ſcriptum eſt: Germinet terra, &c. Vobis nequidquam commodũ aut vti-
" le proferat, prohibebitur: id aũt quomodo effici poſſit, ſtatim declaratur. [*Et vocaui ſiccitatē.*]
Præte-

Præteritum pro futuro coniunctione addita. [*Super terram,*] Super Iſraëliticam regionem: quæ quanquam cæli ſoliſque natura, & diuino præcipuè beneficio beatiſſima olim fuerit; nunc tamen ob cultorum culpam effœta & ſui diſſimilis euadet. Idem enim Deus qui priuatis beneficijs regioni illi conſuluerat, ſterilitatem ſeſe deinceps vocarurum dicit. quæ cùm præter naturam & conſuetudinem accidat, diuinam vltionem & Vatum prædictionibus conſentaneam teſtatura ſit. [*Siccitatem,*] Hebraicum verbum HHOREB ariditatem, conſumptionem, ſterilitatemque ſignificat. atque adeò natiuæ rerum virtutis defectionem & abſciſionem dicere poſſumus, ſi rem ipſam deſcribamus, cuius illud apud diuinum Vatem exemplum eſt: Poſuit flumina in deſertum, exitus aquarum in ſitim: terram fructiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea. Illud verò annotare libuit, magnam in ipſis Hebraicis verbis vim eſſe, quam Latinè reddere minimè plenè poſſimus: namque culpæ annominatione pœnæ ratio pronuntiata eſt. Vbi nos legimus, quia domus mea deſerta eſt, Hebraicè dicitur, quia domus mea Hhareb. non ergo immeritò Hhoreb ſibi vocandã eſſe dixit. Eam verò communem omnibus & ſummis & infimis locis fore confirmat, vt neque ſponte ſua, neque ex humana induſtria & labore vtile quicquam proferant. [*terram.*] campos iacentes, qui ob ſitus humilitatem influentium de cælo imbrium & niuium roriſque vim commodius percipere atque retinere ſolent. [*Super montes.*] quorũ natura frigidior & humidior cùm ſit, ariditatem & ſterilitatem minus metuit. Ipſa quoque plantarum genera natiua illa germinandi proferendiq́. fructus vi, qua pollent, deſtituenda fore ait. neque verò magis eam agriculturæ partem, quæ humana induſtria, iumentorumq́ue labore conſtat, valituram oſtendit. [*Et ſuper homines & ſuper iumenta.*] Boues, camelos, aſelloſq́ue exponimus, quibus ruſticę rei ratio adminiſtratur. ſed & non minus inutilem fore laborem dicit, quicunque in mercatura & quæſtuarijs artibus conſumatur. [*Et ſuper omnem laborem manuum.*] Ita fiet vt omni ex parte cumulata infelicitas diuinæ religionis neglectionem vlciſcatur. Hac autem Vatis oratione Iudęorum animis de ædificãdo templo cogitatio iniecta fuiſſe narratur. magna enim diuini verbi, maximè ſi pios nacta fuerit magiſtratuum animos, in permouendo populo vis atque efficientia ſpectatur. Pſal. 106.

Et audiuit Zorobabel filius Salathiel, & Ieſus filius Ioſedec ſacerdos magnus & omnes reliquiæ populi vocem Domini Dei ſui, & verba Haggai Propheta, ſicut miſit eum Dominus Deus eorum ad eos: & timuit populus à facie Domini.

IPSARVM primum contemplatione rerum admonitos diuinæ legis & præceptorum rationem agnouiſſe narrat, quòd ea quam hactenus experti eſſent, infelicitas cum propoſitis ob religionis neglectionem pœnis vehementer conueniret, atque ipſos violatæ pietatis reos teneret. hæc illius orationis ſententia eſt: *Vocem Domini Dei ſui.*] Porrò autem præteritis periculis atque orationis grauitate & dicentis etiam auctoritate adductos eſſe ait, vt fidem diuinæ legationi haberent, atque propoſitis futurę infelicitatis minis ac periculis territi, & diuinę voluntati obedire, & ſibi ipſis conſulerę cogitarẽt. Hoc eſt quod dicitur: *Et verba Haggai Propheta, ſicut miſit eũ Dominus Deus, &c.*] Hęc oratio certam illis lęgati legationiſque fidem fuiſſe ſignificat. [*Et timuit omnis populus à facię Domini.*] Religionẽ inprimis, deinde verò agendæ rei cogitationem futuræ infelicitatis metu iniectam illis fuiſſe narrat. cæterùm quia tum regia auctoritate, tum vicinorum metu ab opere reuocari poterant, opportuna oratione & exhortatione, atque ſecuritatis promiſſione à Vate incitantur.

Et dixit Haggæus nuntius Domini, de nuntijs Domini, populo dicens: Ego vobiſcum ſum, dicit, Dominus.

QVOS tempus ipſum & diuina iuſſio ad ædificandum templum hortaretur, nulla regię facultatis exſpectatione retardari, nullo hoſtium aduerſariorumq́., metu deterreri oportere docet; quippe quos Dei, cuius voluntas obſeruatur, reſque agitur, inuiolabili tutela & pręſidio protectum iri certiſſimè eſſet credendum: id quod Vates ipſe de Deo maxima fide promittit. Hæc autem oratio ad populum pręcipuè pertinet; quippe qui metu & negligentia maximè teneretur, vt ſuperius initio dixerat Vates, Populus iſte dicit, &c. [*Nuntius Domini de nuntijs Domini.*] Non priuatam, hoc eſt, ſuam; ſed diuinam fidem legationis auctoritate promiſſioni adiunctam eſſe ait, quando Haggęus non ſuo nomine, ſed vt nuntius Domini hanc etiam inter cæteras ſibi mandatas res nuntiauerit: [*Ego vobiſcum ſum.*] nihil vobis iuſſa diuina curantitibus à Perſidis rege, neque ab vllo alio homine, aut mali, aut damni metuere aut pręcauere, ſed ſecuro animo eſſe Dominus iubet; qui ſuam vobis ſanctè ac purè iuſſa & imperata agentibus, certam pręſentemq́. tuitionem & gratiã pollicetur. [*De nuntijs Domini.*] quos diuino nomine & ſumma auctoritate certiſſimos aſſerebat.

Nuntius

Nuntios enim hocloco mandata interpretamur. Ex hoc autem loco diuina iuſſa atque præcepta impauidè teneri, curari atque agi oportere docemur; quippe quorum diligens atque flagrans ſtudium certum Dei protectoris auxilium cultoribus promittat, ſicut ſcri-
Pſal.118. ptum eſt: Tunc non confundar, cùm proſpexero in omnibus mandatis tuis. His autem rebus omnibus reuelatos ducis & ſacerdoris ac populi animos atq. ad ſacræ legationis ſuſceptionem iam permotos, diuina gratia & numine magis incitatos, atque ad agendam rem firmatos fuiſſe Vates narrat.

Et ſuſcitauit Dominus ſpiritum Zorobabel filij Salathiel ducis Iuda, & ſpiritum Ieſu filij Ioſedec ſacerdotis magni, & ſpiritum reliquorū de omni populo: & ingreſſi ſunt, & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei ſui.

DIVINAM gratiam quam conſequentem Theologi appellant, ijs præſto eſſe quibus ea quæ antecedens dicitur, non fruſtra fuerit oblata, locus hic planè admonet: atque illud præterea docet ſummos rerum publicarum gubernatores, qui rectè munus ſuū geſſerint, ad ea, quæ publicam rem attingunt, cognoſcenda & curanda primos omnium diuina virtute auctos incitari informarique ſolere, maximamque ad permouendum populum efficientiæ, partem in horum exemplo eſſe poſitam. Deinde illud porrò admonemur in religionis & pietatis rebus curandis, communem vtriuſque magiſtratus & partis, & ſacrorum videlicet & laicorum ſententiam & conſpirationem, commune conſilium & ſtudium, communem denique operam eſſe oportere. ex eo enim fit, vt res melius procedat, & populus imperata libentius atque ſtudioſius exequatur, ſi in ijs, quæ pietatis & publicę rei ſunt, nulla honeſta re ſibi diſſentire vtroſque magiſtratus intellexerit. [*Et egreſſi ſunt.*] Ingredi hoc loco venire ſignificat, quo verbo commune ſtudium & cura atque ſedulitas indicatur. [*In domo Domini exercituum Dei ſui:*] Id enim opus iuſtè ac legitimè ſuſceptum, nomen Dei cui magna cultura & pietas debetur, declarat: tutò autē & magna cum fiducia iniri Dei exercituum tutoris & propugnatoris appellatum nomen confirmat. Quo autem tempore primum opus ipſum publicè cœptum initumque fuerit, primo conſequentis capitis verſu indicatur. namque Hebraicè hoc vaticinium, vt alia multa, perpetua oratione ſcriptum eſt: Latinè autem ob legendi commoditatē interſectis capitibus diſtinguitur. quam rem ad ſententiarum conſequentiam tenendam obſeruare plurimum perſæpe retulerit. Maturatum autem opus fuiſſe conſtat, quod viceſima tertia die à prima Vatis actione in-
Ierem.48. cœptum eſt. Certum enim Dei conſilium & voluntatem omni diligentia conſequi ſemper oportuerit. ſicut ſcriptum eſt: Maledictus qui facit opus Domini negligenter.

CAPVT SECVNDVM.

IN *die viceſima & quarta menſis, in ſexto menſe, in anno ſecundo Darij regis.*

NONDVM peracto à prima Vatis legatione menſe, materiem operi faciendo idoneam comportari cœptam fuiſſe narrat. namque ædificatio ipſa non ante viceſimam quartam noni mēſis, vt inferius explicatur, incepta eſt: quo tempore ædificandi templi copia, ex Perſarum regis conſilio & decreto facta illis fuit; Deo incenſis pietatis ſtudijs conſulente. Paucis autem diebus poſt, hoc eſt, poſt menſem fere, Haggæo vaticinium aliud creditum eſt; quod ad ædificandi templi commendationem ſpectabat. Quamobrem temporum rationes coniunctæ ſimul eodem capite fuēre. Tertium autem vaticinium, cuius initiū eſt; In ſeptimo viceſima prima die menſis, his etiam adiunctū eſt. Deinde etiam quartum eodem capite eſt poſitum. Atque ita ad vnam lectionem omnis dierum ſimul relata ratio eſt.

In ſeptimo menſe viceſima & prima die menſis factum eſt verbum Domini in manu Haggæi Prophetæ, dicens: Loquere ad Zorobabel filium Salathiel ducem Iuda, & ad Ieſum filium Ioſedec ſacerdotem magnum, & ad reliquos populi, dicens:

TERTIVM vaticinium hoc ad illum vſque verſum pertinet: [*In viceſima & quarta noni menſis.*]

menſis.] Cuius argumentum ad ædificandi templi dignitatem; non ex materiæ & operis magnitudine, ſed ex diuini beneficij ratione commendandam ſpectat. namque cùm hoc poſterius templum tum ædificij modo à Perſarum regibus præſcripto, tum ſtructuræ, & materiæ ratione, quod ab iis, qui ex captiuitate remigraſſent, conſtrueretur; antiquo illi à Salomone poſito comparari non poſſet, magnam ea res triſtitiã quorundam ex populo, maximè verò ſeniorum animis afferebat; atque cæterorum etiam ſtudia nõnihil reſtinguebat. Igitur diuino conſilio & vaticinio his hominũ cogitationibus, & conſequenti ex illis moræ atq. impedimento prouiſum eſt. namq. & principes & populũ allocutus Vates templi decus & dignitatem non tam rerum & operum quibus conſtet, quàm diuinæ auctoritatis nomine atque auſpicio definiendam eſſe docet. huiuſmodi de ea re Vatis oratio fuit.

Quis in vobis eſt derelictus qui vidit domum iſtam in gloria ſua prima? & quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita eſt, quaſi non ſit in oculis veſtris?

QVANQVAM altera ædes hæc ab illa fuerit; tamen quòd eodem ſita loco eſſet, vnius eiuſdemque domus nomine appellatur. ſermo autem ad eos præcipuè fit, qui prioris templi recordarentur, quòd ij præteriti ſplendoris recordatione ac dolore, triſtitiæ & moræ auctores cæteris eſſent. Arguit autem Vates ex duplici comparatione, altera diuinarum rerum, humanarum altera; quibus templorum ſacrarumque ædium ratio omnis conſtat. namque in huiuſmodi rectè curatis atque inſtitutis generibus humanum ſtudium & opera primo & infimo, ſecundo verò & ſupremo loco Dei iudicium ſpectatur. Dignitatem operi non tam ex humana, quàm ex diuina auctoritate accedere neceſſe eſt. Seniorum ergo orationem alterarum, hoc eſt, inferiorum rerum comparatione permiſſa; alterarum verò, diuini, inquam, iudicij & auctoritatis excellentia propoſita redarguit, quòd ex inferioris generis ratione & modo tantæ rei dignitas falsò æſtimanda eſſe putaretur. [*In gloria ſua.*] in ſummo illo antiquo ſplendore. ſic Salomonis gloriam Dominus noſter dixit. [*Et quid videtis hanc nunc?*] neque ſpatio, neque altitudine, neque materia ei, quæ antea fuerat, comparandam? cùm illa in florentiſſimis Iſraëlitarum rebus à Salomone opulentiſſimo & ſapientiſſimo rege, maxima mole, incredibili artificio exædificata, auro obductis muris, vario & multiplici gemmarum genere diſtincta; cuius memoriæ hæc ſi comparetur, nulla profectò eſſe videatur. [*Numquid non ita eſt quaſi non ſit in oculis veſtris?*] idem quod Latinus dicit, nihil eſſe videri. Hac autem priore comparatione illis conceſſa, alteram, quæ diuini iudicij rationibus conſtat, defendit Vates, magis acceptam gratamque Deo fore hanc confirmans; quippe quam ille totius orbis ſeruator præſentia ſua illuſtraturus, atque doctrinæ muneribus ornaturus fuerit. Quamobrem maximo ſtudio & diligentia, maxima etiam ſpe huius ædificationem ſuſcipiendam ſuadet.

Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus, & conſortare Ieſu fili Ioſedec ſacerdos magne, & conſortare omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum.

ET *nunc.*] Exhortationis verbis omnis hęc oratio conſtat, in qua principes viri imprimis appellantur; maximè autem Ieſus pontifex Ioſedec filius, qui non tantùm honoris, ſed cognoſcendi myſterij cauſa, & generis & muneris mentione facta, nominatur: quòd quæ de diuino Meſſia traderentur myſteria, ad ſacerdotes primum cognoſcenda, & populo aperienda ſpectarent. [*Et nunc.*] Huius verbi vſus in exhortationibus frequens eſt: vt, Nunc ergo timete Dominum Deum veſtrum. Ita etiam verbũ confortare ad difficiliores res maxima cum ſpe felicis euentus gerendas: vt, Cõfortare ergo & eſto robuſtus, tu enim diuides populo huic terram. Non ſolùm autem euentus propoſita ſpe, ſed præſentis Dei auxilio & præſidio promiſſo, ad opus agendum animantur atque firmantur. namque hactenus nondũ hęc res ad Darium relata, neq. ab illo ædificandi templi copia fuerat facta, vt ex tertio Eſdræ libro obſeruauimus. Ioſu. 24. Ioſu. 1.

Et facite quoniam ego vobiſcum ſum, dicit Dominus exercituum: verbum quod pepigi vobiſcum, cùm egrederemini de terra Aegypti, & ſpiritus meus erit in medio veſtri, nolite timere.

ET *facite* Pium opus magno ſtudio ſuſcipere iubet, nulla vel difficultatis vel importunitatis tergiuerſatione vel mora interpoſita, cùm præſentis & protegentis Dei numen & virtutem experiri facilè poſſint. *Quoniam ego vobiſcum ſum, dicit Dominus exercituum.*] cuius præſentia & faciendo operi felicitatem, & perfecto ornamentum maximè afferat. Eius verò orationis: *Verbum quod pepigi vobiſcum.*] huiuſmodi ſententię eſt. Maximum ædis illius operæpretium, non operis magnitudine & ſumptu atque magnifica ſpecie, ſed diuini numinis

 gratia

gratia & præſentia, prouidentia atque cura eſſe definiendum. Vbi enim hæc commoda maximè adfuerint, is locus maximus auguſtiſſimusque exiſtimandus erat. Atque hanc vnam rem ſibi imprimis promiſſam, deſiderandam, omni ſtudio procurandam; eodem ipſo Deo admonente edocti iam olim fuerant. [*Verbum quod pepigi vobiſcum, & Spiritus meus erit in medio veſtri.*] Iungitur verbum cum verbo illo, *Facite.* Facite, inquit, & præſtate vos id quod vobiſcum olim conſtituerã. [*Et Spiritus meus erit in medio veſtri.*] Atque hoc pacto domum hanc poſteriorem priori illa multo illuſtriorem reddendam Deus ipſe ſeparatim promittit, in ſeque recipit, eosque ad officium pro ſua parte faciendum exhortatur. [*Nolite timere.*] Vobis, inquit, in condicione atque pacto ſanctè manentibus timendũ non eſt, vt ob minorem ædis huius magnificentiam & molem Spiritus mei cura & prouidentia, minuſque illuſtri præſentia vti cõtingat, quibus maximum & præſtantiſſimum beneficium, hoc eſt, Chriſtum filium meum tantis deſideratum ſeculis donaturum me polliceor, in quo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat. Ex eo autem fiet, vt huius templi gloria & ſplendor, multo quàm prioris illius maior præſtantiorque ſit.

Quia hæc dicit Dominus exercituum, Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum & terram, & mare & aridam, & mouebo omnes gentes.

CHRISTI totius orbis redemptoris tempus & rationes hoc loco potentiſſimus exercituum Deus indicauit. Quo tempore magnam rerum mutationem futuram eſſe, apud omnes ferè Vates teſtatus eſt, atque apud hunc manifeſtè expoſuit. Etenim antiquæ legis vmbras, in quibus Iſraelitarum natio deliteſcebat, magna & communi gentibus omnibus luce mutandas eſſe confirmat, & nouam quandam diem omni orbi affulſuram: Illumi-
Lucæ 1. nare iis qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent. Hanc autem in humanis rebus mutationem mundi omnis hominum cauſa conditi commotione ſignificauit. [*Adhuc vnum modicum eſt.*] Oſtendit exiguam & anguſtis terminis cõtentam fuiſſe veræ religionis gloriã, quamdiu prioris templi rationes conſtarent. Eam verò longè dignitate præſtantiſſimam, & propagatione maximam fore, poſtquam Meſſiæ in hoc poſteriori templo ſibi in publicam ſalutem dandi, initio apud Ieroſolymam facto, toto orbe propagari cœperit. [*Adhuc vnum modicum eſt*, Hebraicè, *adhuc vnum idq; parum.*] hoc eſt, ſupereſt adhuc aliquis harum præſentium rerum ſtatus, isque & re ipſa, & duratione etiam non nimis magnus, ſed paruus. namque à ſecundi templi ędificatione ad Chriſtiani nominis illuſtrati initia, quadringenti & viginti anni ferè fluxère, quod tempus cum Chriſtianæ pietatis ætate comparatum, modicum profectò eſt. [*Commouebo cælum & terram, mare & aridam.* Hebraicè eſt: *mare & deſertam.*] ita vt omnem habitabilem & inhabitabilem, continentem & marinam regionem, ad Chriſti nomen audiendum & ſuſcipiendum commoturum ſe eſſe dicat, & priorem illam rerum faciem in aliam multo illuſtriorem commutaturum. Hanc huius loci expoſi-
Heb. 12. tionem Spiritus ſancti interpretatione apud Paulum docemur. Cuius illa oratio eſt: Quod adhuc ſemel dicit, declarat mobilium tranſlationem tanquam factorũ, vt maneant ea quæ ſunt immobilia, &c. [*Et mouebo omnes gentes.*] Ad earum quæ ſubiiciuntur, rerum notitiam & exſpectationẽ. Atque hoc modò huius carminis ſententia componitur. huius templi noua ratio non modo cum primis & florentiſſimis tẽporibus cõparata, exigua eſſe deprehenditur; ſed adhuc ſi cum futura ætate conferatur, parua admodum iudicabitur. namque adhuc vna magnitudinis & dignitatis comparatio ſupereſt, ad ea feliciſſima tempora quæ tunc conſequentur, quando mouebo cælum & terram, &c. Qualis autem ille futurus rerum ſtatus, quantuſque exſpectari poſſet, deinceps exponit.

Et mouebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus: & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum.

HVNC locum de ſancto ac diuino Spiritu omnibus gentibus ad felicitatem neceſſario interpretamur, quem Spiritum ſanctificationis Apoſtoli nominant, donatum à Deo per Chriſtum redemptorem, & procuratorem omnibus obedientibus ſibi. Huius verò Spiritus ſancti deſiderio maximo gentes omnes etiam quæ Chriſtum non expectaſſent, iam inde à principio teneri, dummodo infirmitatem ſentiant ſuam, nos alio in loco, eiuſdẽ Spiritus auxilio, docebimus. Atque huius Spiritus efficientia, & virtute præſenti, ac perpetua inhabitatione domũ aliam tertiã ſibi ædificatum iri ſignificat Deus, quæ maximis gratiæ & diuinarum virtutum muneribus ornata, tantum primæ & ſecundę ſplendore & dignitate excellat, quantũ humana diuinis, caduca & mutabilia perpetuis & conſtantiſſimis exuperantur. Hanc autem domum viuis lapidibus conſtantem, incomparabili argenti & auri vi obductã, multo & vario gemmarum, & pretioſiſſimo lapidum genere diſtinctam &

ornatam, varijs in locis apoſtoli deſcribunt, & templum ſanctum Domini appellāt; atque exemplar illud eſſe dicunt, quod Moyſi in monte diuinitus monſtratum fuerat: cuius inſtar & tabernaculum in ſolitudine, & templum deinde Ieroſolymis habuit. Illud autem quod oſtenſum fuerat, longè fuiſſe præſtantiſſimum, vel ex vno exemplaris nomine ab apoſtolis arguitur. Igitur triplicem domus ædificationem agnoſcimus; primam illam Salomonis ſtudio & cura cōfectam; ſecundam, quam Vates hic procurari perſuadet; tertiam quam Ieroſolymis inchoandam, ſed toto orbe producendam eſſe Haggæus vaticinatur: cuius comparatione non modò ſecunda hæc, ſed & prima illa à Salomone perfecta, exigua admodum erit. Itaque poſt veterum & mobilium mutationem, ad huius poſtremi templi ædificationem omnes gētes monendas fore ſibi Deus pollicetur, atque miſſo diuino Spiritu domum tertiam æternam, piorum omnium ſocietate conſtantem, eccleſiam parandam. [*Et implebo domum iſtam gloria.*] Iſtam quam poſtremo loco ſignificauerit exponimus. Eſt autem apud Hebraicos artifices vna ex ſententiarum figuris, quam ipſi Agab gerara, hoc eſt, poſt definitionem dicūt: ea à noſtris rhetoribus Significatio appellatur, cum ex alio dicto aliud intelligitur, vt cùm ex rubri maris hiſtoria Chriſti mortem & reſurrectionem, magis etiam ex literæ ſententia, quàm ex allegoria docemur. Huius autem figuræ multa genera atque exempla ſunt, ex quibus vnum hoc quod interpretamur, eſt, ſiquidem à primo & ſecundo ad tertium templum Vates orationem deduxit. cuius ſanctam arcanamque fabricationem ornatumque omnem ſibi acceptum tribuendum Deus ipſe confirmat.

Hebr. 9.

Ad Hereniū lib. Iſaac Hiſpanus in Haggæum cap. 2.

Meum eſt argentum, meum eſt aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ pluſquam primæ, dicit Dominus exercituum: & in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.

ILLVD iam ſæpius admonuimus, nomen *Dei exercituum*, facultatis ad rem gerendam probandæ cauſa, in ſacris orationibus appellari. Horum autem verſuum huiuſmodi ſententia eſt. Vera & illuſtria ſacrarum rerum ornamenta non tam ex auro & argento quod terra gignat, ſpectanda eſſe, quàm ex alio auro atque argento, quod diuinis theſauris conſeruatur, quod ex fluminibus de paradiſo voluptatis promanantibus, colligitur. De quo illud per ſignificationem ſcriptum eſt: Vbi naſcitur aurum optimum, & Bdelius lapis. Neque verò ſi auro atque argento terreno agendum eſſet, id poſſet in hoc ſecundo templo deſiderari, quādo nihil Salomoni comparatum fuerit, quod Deo ipſi comparatu facillimum non ſit, ſed auro ſuo & argento ſuo opus eſſe; cuius maximam vim ad ornamentum tertij huius templi, de quo ſermo fit, expendendam ſibi fore pollicetur: ita porrò fier, vt ſit gloria domus iſtius nouiſſimæ magna pluſquam primæ. Verba ipſa *nouiſſimum & primum*, quæ de pluribus, quàm duabus, dicuntur rebus, tertiæ domus à nobis definitæ ſignificationem manifeſtè indicant. namque nec Hebraicus ſermo vocem *Abharon*, neque Latinus *nouiſſimum* ad duo vnquam refert. Piam demum quandam ac perpetuam pacem huiuſmodi temporibus conſequuturam fore confirmat; non quomodo mundus dat, ſed qualem ipſa hominum natura deſiderare à Deoque efflagitare debeat. [*Et in loco iſto dabo pacem.*] quam terris à Chriſto ſeruatore allatam angeli teſtes genethliaco carmine cecinerunt: Gloria in excelſis Deo & in terra pax, &c. [*loco iſto*] templum hoc ſanctum quod deſcribebat, domum, inquam, tertiam Deus indicauit: quod ſi ad ipſam Ieroſolymam terreſtrem vrbem referre velis, perinde eſt. namq. ſalutis publicæ procuratio illo in loco facta fuit, & prima etiam huius tertij templi fundamenta per Spiritum ſanctum Chriſti eodem loco iacta ſunt.

Gen. 2.

In vicesima & quarta noni menſis in anno ſecundo Darij regis, factum eſt verbum Domini ad Haggæum prophetam dicens: Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Interroga ſacerdotes legem, dicens, Si tulerit homo carnem ſanctificatam in ora veſtimenti ſui, & tetigerit de ſummitate eius panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum: nunquid ſanctificabitur? &c.

VARIA & multiplex apud Hebræos, Gręcos & Latinos interpretes, loci huius expoſitio eſt; neq. nobis breuitati conſulentibus, vel religioſè, vel cōtentioſè referēda, vna tātum explicatione contentis, eaque quàm cōmodè contingere poteſt, ad lectionis ipſius ſimplicitatem relata. Igitur totius ſententiæ argumentū illud eſt. Iudæi cùm primū ex Babylone in patriam remigrarunt, aram Deo ex ſacerdotū conſilio dedicandā conſecrandāque curauerant: quam quòd aſſiduis, & quotidianis hoſtijs ex more, atque etiam priuatis multorum ſacrificijs frequentarent, ſatis ſuperque ſibi eſſe putabant ad religionis & ceremoniarum procurationem, atque ad ſupplicationes & preces, cæteraque diuini cultus officia: quamobrē neglecta & depoſita tēpli ædificādi cura, priuatis domibus cōſtruendis, rebuſq. agēdis ſtudiū operamq. omnē nauabāt. Quę ex animi ſentētia proceſſura populus crediderit;

ficationis rationibus Deo docente explicanda ſunt. ſanctificationis verò & contaminationis verba ſimplicibus omnino ſignificationibus interpretamur; vt ſanctificari, conſecrari, & ſanctum, atque à prophano alienum effici ſit, quod Hiſpanicè & Gallicè, & Italicè benedictionis verbo pronuntiatur. Contaminari autem impurum, execrabile & legitimis vſibus ineptũ reddi ſit. Quæſtio igitur eſt, num homo impuritate ex cadaueris contactu contracta pollutus, rem quampiam ex his omnibus, quas antea commemorauerit, panem, pulmentum, vinum & oleum, omnem denique cibum, contrectata contaminet? [*Et dixerunt Contaminabitur.*] cùm quòd humanis rebus labes & macula facilius, quàm puritas afferatur; tũ verò quòd homo pollutus vehementius & certius contaminare alias res poſſit; vt filius nepotem patri gignat. Iam verò ex ſacerdotum reſponſione conſilij ſui rationem aperiens Vates populi errrorem culpamque redarguit, argumentatione ipſa à ſimilitudine ad manifeſtam orationem tranſlata.

Et reſpondit Haggæus & dixit: Sic populus iſte, & ſic gens iſta ante faciem meam, dicit Dominus; & ſic omne opus manuum eorum, & omnia quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt.

Ex duplici quæſtione & ſacerdotum reſponſione duplex à Vate concluſio colligitur; altera eſt, *Sic populus iſte ante faciem meam*; altera verò, *Sic gens iſta ante faciem meam.*] Significat autem & populi opinionem ſtultam & ſtudium actionemque omnem corruptam diuino iudicio cenſeri. namque illi exiſtimabant rem omnem ſanctam, fauſtamque ex eo fore, quòd aram quotidianis atque priuatis victimis frequentem haberent; atque ob eam rem panem, vinum, oleum, omnemque cibum ſanctificatum iri: quod perinde eſt, ac ſi vinum, oleum, &c. extrema ora veſtis, quæ carnes ſanctas contigerit, ſanctificari quis afferat. Id enim cùm minimè contingat, neque illud profectò continget, iſtorum res vnius aræ ratione ſanctificari, quando ara ad totum templum collata extremæ in veſtimento fimbriæ rationem vix habeat. Oportuit enim eos qui propitium atque beneficētiſſimum Deum, domibus agriſque priuatè conſulentem, ſibi parare voluerunt, commoda atque auguſta æde ſuſcipiendum curare. quæ quanquam principis ipſius maieſtatem aliqua ex parte æquare non poſſet; ciuium tamen ipſorum animos, ſtudia & pietatem teſtari poſſet. Igitur hæc illius concluſionis ſententia eſt: *ſic populus iſte ante faciem meam.*] Sic, inquit, populi iſtius opinio manifeſti erroris arguitur, qui res omnes ſuas vnius aræ victimis mactandis inſtructę ratione ſacratum auctumque iri putant, cùm magis deteri minuique indies neceſſe ſit, tanquam infauſtas & pollutas, atque dominorum ipſorum impuritate infectas & cõtaminatas. neque enim melioris condicionis, *Gens iſta ante faciem meam* eſt, quàm iudicio meo pollutam in anima duxi, *& ſic omne opus manuum eorum.*] Hæc ad ſecundam quæſtionem reſponſionemque referuntur. neque enim eo ſolùm malo laborat, quòd minus proſperis cædendarum hoſtiarum ſucceſſibus vtatur, ſed etiam quòd pollutis & impuris victimis mactandis operam ſtudiumque adhibeat: quas abominandas fore neceſſe eſt. nam cùm ipſi culpæ, & neglectæ religionis rei teneantur, ſupplicio digniſſimi habentur, atque diuino iudicio pro mortuis cenſentur. Quidquid igitur contigerint, vel tractauerint, impurum infauſtumque, neque victimis præbendis idoneum eſt. [*Et omnia quæ obtulerint ibi, contaminata erunt.* Hebraicè *Quicquid obtulerit ibi, contaminatum ipſum.*] ita vt ara etiam iſtorum contactu polluta, pollutas & impuras hoſtias excipiat, quę obeſſe magis, quàm prodeſſe præbentibus valeant, ſicut ſcriptum eſt: Victimæ impiorum abominabiles Domino. Quicunque enim flagitij atque alterius generis vitio graui conflictatur, diuini iudicij ſententia mortuus eſſe iudicatur, ſicut ſcriptum eſt: In quacunque die comederis, morte morieris. Quibus ex rebus vtriſque illud manifeſtè conſequitur, omnia quæ ab huiuſmodi ingrato populo appeterentur, minus ſucceſſura fuiſſe. ſecus autem deinceps fore, cùm ædificato templo religionis ratio ex diuino præſcripto procuraretur. ex eo enim efficiendum eſſe ait, vt omnium rerum etiam externarum commoditate fruantur: id quod de cætero obſeruandum & intelligendum, & cum anteactis temporibus comparandum Vates proponit.

Prou. 15. «
Gen. 2. «

Et nunc ponite corda veſtra, à die hac & ſuprà, antequam poneretur lapis ſuper lapidem in templo Domini: cùm accederetis ad aceruum viginti modiorum, & fierent decem, & intraretis ad torcular, vt exprimeretis quinquaginta lagenas, & fiebant viginti.

Hæc priorum temporum publica & communis, certa aſſiduaque calamitas, ab ea die primùm accepta, cùm ædificandi templi oportunitas neglecta fuit, ad hanc vſque, qua opus produci cœptum eſt, quam viceſimam quartam noni menſis fuiſſe Vates ipſe docuit, perdurauit. [*Antequam poneretur lapis ſuper lapidem in templo Domini.*] Antequam ædificium Darij regis tempore incœptum, & intermiſſum, ſtudio oportunè integrato proſequeremini;

quàm miſeris rebus vſi fueritis, animo & cogitatione recolite. [*Cùm accederetis ad aceruum viginti modiorum, & fierent decem.*] Non ſolùm ſpe mentita ſeges fuit, ſed aceruus ipſe iam compoſitus præſentem opinionem fallebat, ita vt oculis & ſenſibus deceptis, grauius multo calamitatis damnum acciperetur. [*Et intraretis ad torcular,* vuis plenũ, ex quibus communi æſtimatione, *quinquaginta* muſti *lagenas* exprimi poſſe putaretis; tamen ob immiſſam diuinitus fructibus etiam ipſis infelicitatem, *fiebant viginti.*] atque horum duorum generum ratione cætera exiſtimare licet, quæcunque ad hominum victum vitamque pertinent. eodẽ enim modo corrupta omnia, attenuataque ſunt: idque adeò non vna aut ſimplici calamitate allata: Quandoquidem

Percuſsi vos vento vrente, & aurugine & grandine omnia opera manuum veſtrarum: & non fuit in vobis qui reuerteretur ad me, dicit Dominus.

ALLATAM externis commoditatibus calamitatem, miſerentis potius & ad reſipiſcentiam atque officium reuocãtis Dei conſilium, quàm vel caſum, vel extremum exitium interpretari oportere locus hic admonet. Quę res ſi minus ſapiẽter hominibus intellecta, negligatur, grauius multo damnum afferat, ſicut de ſimili exemplo ſcriptum eſt: In omnibus his peccauerunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus eius: Et defecerũt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum feſtinatione, &c. Porrò ventus vrens, aurugo & grando grauiſſimarum frugibus calamitatum genera ſunt. nam ventus vrens ſegetum culmis & ſpicis nocet: vt, Aliæ quoque ſeptem ſpicæ tenues, & percuſſæ vredine oriebantur. Aurigo verò ſiue rubigo ſemina ipſa inania effœtaque reddit. Grando verò ſatis, herbis, oleribus, arboribus, pecoribus, omni denique ruſticæ rei vehementer infeſtus eſt: vt, Et occidit in grandine vineas eorum, & tradidit grandini iumenta eorum, &c. [*Et tamen nõ fuit in vobis qui reuerteretur ad me.*] Cùm tot tamque aſſiduis certis ærumnis preſſos reſipiſcere, ſibique religionis procurandis rebus conſulere omnes oportuiſſet; atque adeò ante templi ædificationem res illorum hoc modo ſeſe habentes diuinam indignationem indicare atque arguere potuerunt: Nunc verò quæ deinceps ab ipſa prima ædificationis die conſequentur, diuinam rurſus voluntatem gratiamque teſtari facilè poſſe ait, ſi diligenter obſeruentur.

(Pſalm. 77.) (Gen. 41.) (Pſalm. 77.)

Ponite corda veſtra ex die iſta, & in futurum à die viceſima & quarta noni menſis, à die qua fundamenta iacta ſunt templi Domini, ponite ſuper cor veſtrum. Nunquid iam ſemen in germine eſt, & adhuc vinea, & ficus & malogranatum & lignum oliuæ non floruit? Ex die iſta benedicam.

INCHOATÆ ædificationis templi diem viceſimam quartam noni mẽſis notari iubet. Ex qua, ob religionis procurandæ ſtudium, res omnes feliciter reſtiturum atque auctum iri pollicetur; ita vt quanquam præſentis anni frugum omnium copia deſtitutis, tamen nulla deinceps penuria laborandum ſit. [*Nunquid iam ſemen in germine eſt.*] Triticũ & hordeum nullum ferè illis ſupereſſe ait, quoniam cùm parum admodum ſuperiori anno congregatum eſſet, in ſequentis anni ſpem ſeminatum fuerat; quamobrem nihil ferè illis reliquum fuerat, quo toto ad meſſem vſq. tempore vitam alere poſſent. Hanc expoſitionem & nomen ſeminis, poſtulat; quod de tritico & hordeo, non niſi ſementis faciendę, vel factæ conſiderata ratione dicitur: & illud etiam nomen *in germine*, confirmat, quod ſemẽtem iam germinaſſe & pullulaſſe ſignificare videtur. Erat enim menſis hic nonus, quem Nouembris noſtri nouilunium inchoat. Hebraicè autem locus hic facilior eſt. [*Nunquid iam ſemen in horreo eſt?*] vt nullum illis ferè ſemen iam reliquum eſſe affirmaret, quod Nouembri ferme peracto ſeminatum non eſſet. Sed neque ex cæteris plantis, ex quibus fructus in poſterum ſeruandi percipi ſolent, vllam illis ad ſumptus aut ad victum facultatem relictã fuiſſe ait. [*Et adhuc.* & præterea, *vinea & ficus & malogranatum, & lignum oliuæ non floruit*: Hebraicè, *non tulit.*] Eſt autem verbum agricolarum proprium, quod abſolutè dictum fructus ferre ſiue reddere ſignificat. ſic Hiſpanè *Nollevaria la viña*. Meminit autem horum præcipuè generum, quorum præter cæteras arbores maximè ad victum idonei fructus, & cum recentes tum ſiccati vel cõditi vtiles in vſum ſint. Quibus generibus Chananæa illa regio maximè commendata olim fuit, ſicut ſcriptum eſt: Terram frumenti & vinearũ, in qua ficus & malogranata & oliueta naſcuntur. & tamen in maxima hac annonæ inopia nulla victus difficultate, nullo deſiderio afficiendos eſſe confirmat; ſed præſentis anni tempore leuiſſimè traducto, futurorum felicitatem & vbertatem maximam experturos. hoc eſt quod dicit: *Ex die iſta benedicam.*] Benedictionis nomine vbertatem & abundantiam magnam hoc in loco ſignificari iam docuimus: vt, Viduã eius benedicens benedicam, & pauperes eius ſaturabo panibus. Tanti adeò eſt pietatis cultui purè & caſtè operam dare, vt nulla egeſtas,

(Deut. 7.) (Pſalm. 131.)

nulla

nulla omnino rerum difficultas, aut inopia metuẽda ſit ijs, qui diuinis præceptis ſtudioſè pareant. Nõ enim in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod egreditur de ore Dei. Deut. 7. Huius verò vaticinij & diuinæ promiſſionis certum & præſentem manifeſtumq́ue euentum fuiſſe, ſacra Eſdræ ſcribæ teſtatur hiſtoria, ſicut ſcriptum eſt: Seniores autem Iudæorum ædificabant, & proſperabantur iuxta prophetiam Haggæi prophetæ. Atque hactenus Eſd. 6. quartum vaticinium eſt. nunc deinceps quintum aggrediamur.

Et factum eſt verbum Domini ſecundò ad Haggæum in viceſima & quarta menſis, dicens: Loquere ad Zorobabel ducem Iuda, dicens:

FVTVRORVM temporum euentus mutationesq́ue maximas atque gentiũ omnium cõflictus & calamitates Zorobabeli hoc quinto vaticinio ſignificatas voluit Deus, cui etiã ob procuratam purè religionem, atque ob templi ædificationem inſtitutam perpetuam nominis & gloriæ ſuæ memoriam nulla rerum aut temporum viciſſitudine delendã promittit, vtpote cuius genus & nomen in ſacra atque æterna Ieſu Chriſti Euangelij hiſtoria, diuini Spiritus auctoritate conſecrandum erat. Eodẽm autem die duplex vaticinium ab Haggæo diuinitus fuiſſe acceptum, hic locus manifeſtè docet; alterum, ad populum apud ſacerdotes arguendum; alterum verò ad Zorobabelis gratiam & dignitatem confirmandam. [*Ad Zorobabel ducem Iuda.*] Quoniam omnis hæc oratio ad Chriſtum, ex Iudæorum tribu, Dauidisq́ue familia naſciturum pertinet, Zorobabelis dignitas, & Iudæ nomen appellatum eſt. ipſa autem vtriuſque rei mentio loci huius ſententiam eodẽm ſpectare indicat: cùm nullum verbum in diuinis ſermonibus extra cauſam pronunciari vſurpariq́, conſtet. Summa verò habiti apud Zorobabelẽm ſermonis huiuſmodi fuit.

Ego mouebo cælum pariter & terram: & ſubuertam ſolium regnorum, & conteram fortitudinem regni gentium: & ſubuertam quadrigam, & aſcenſorem eius: & deſcendent equi, & aſcenſores eorum, vir in gladio fratris ſui.

PRIOR orationis pars regum, regnorum, imperiorumq́ue omnium caſus & conuerſiones continet, quas ab eo tempore, quo templum ædificatum eſt, ad Romani vſque imperij defectionem orbis terrarum vidit. Eas autem non temporibus, non cæli curſibus, non terrarum ingenio, non denique caſibus & fortunæ, ſed diuino conſilio aſcribi oportere ait: quando nihil omnino vel eſſe in orbe, vel accidere poſſit, quod diuinæ prouidentiæ rationes aut fallat aut fugiat. Huius ſententiæ illud eſt: [*Ego mouebo cælum pariter & terram.*] Futurum verbum abſolutè accipimus. namque Hebraicè ſic legimus: *Ego mouere faciens cælum & terram.*] Ex quo illud conſequitur: nihil omnino neque in cælo, neque in terra præter conſilium meum, vel factum fuiſſe, vel fore vnquam faciendum. Igitur quicquid poſthac mutationis in humanis rebus futurum eſt, id omne mihi aſſcribi oportuerit; cuius conſilio & decreto, vel permiſſu omnia conſtant. [*Et ſubuertam ſolium regnorum.*] Alexandri & Græcorum imperium ſignificat, quod cùm repentè extitiſſet, citiſſimè euerſum eſt. Duodecim namque annis rerum potitus Alexander ſcribitur: quo mortuo ſolium regnorum, hoc eſt, monarchiæ ſtatus conuerſus, in quatuorq́ue regna diuiſus eſt. Deinde verò Romanum Imperium eſt conſecutum, quod Vates noſter fortitudinem regni gentium nominat; non ſolo Romæ nomine expoſito, ſed perſonis etiam ipſis indicatis. quippe Roma robur ſiue fortitudinem ſignificat, atque inter omnes orbis terræ nationes, Græci & Itali gentes in ſacra Geographia præcipuè dicuntur, ſicut ſcriptum eſt: Filij autem Iauan, Eliſa & Tharſis, Chetim & Donanim: ab his diuiſæ ſunt inſulæ gentium in regionibus ſuis, &c. Huius autem Imperij robur quemadmodum ciuilibus diſcordijs & bellis infringendum imminuendumq́ue eſſet, grauiſſima oratione Vates prænuntiauit. [*Et ſubuertam quadrigam & aſcenſorem eius: & deſcendent equi, et aſcenſores eorum.*] Bellicus caſus his verbis deſcribitur: *Vir in gladio fratris ſui.* Mutua ciuium odia, diſſidia, & bella,: *Aduerſisq́ obuia ſignis,*
Signa pares aquilas et pila minantia pilis; quibus Romana dominatio & gloria mole ſua fatiſcẽs corruit & perijt; deſcribit. hoc autem Chriſti Ieſu publici hominũ ſeruatoris ætate accidit. quo tempore primùm euangelica lux omni orbi afferri cœpit perpetuis omnium ſeculorum ætatibus duratura, nulliſque rerum viciſſitudinibus euertenda, ſicut ſcriptum eſt: Semen eius in æternum manebit, & thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum, & teſtis in cælo fidelis. Ex hoc autẽ tempore Zorobabelis nomen tum euangelicæ hiſtoriæ conſcriptum, tum ob nepotis Ieſu Chriſti dignitatem & magnitudinem illuſtratum, perpetuæ poſteritatis memoriæ conſecrandum eſſe, ait:

Machab. Plutarchus in vita Alexandri & Appiani hiſtor.

Gen. 10.

Lucan lib. 1.

Pſalm. 77.

In die

In die illa, dicit Dominus exercituum, aſſumam te Zorobabel fili Salathiel ſerue meus, dicit Dominus: & ponam te quaſi ſignaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum.

ANNVLORVM ſigilla, vt apud gentes, vel hominum imagines, vel animantium aliarúmue rerum effigies quaſdam arcanas; ſic apud Hebræos (quibus huiuſmodi incidere figuras religio fuit) certa perſonarum nomina, aut explicanda etiam verba continebant. Nomen igitur Zorobabelis nobili Ieſu Chriſti generis catalogo inſertum, ab obliuione hominum atque ſilentio vindicandum ſibi eſſe Deus pollicetur: idque adeò certo & illuſtri loco eſſe collocandum, vt ſigillum quoddam non niſi certa annuli parte conſtitui ſolet. [*Aſſumam te.*] Priuatam ſibi Zorobabelis rationem in ſua ſacroſancta hiſtoria habendam eſſe ait: qua oratione venturi Ieſu Chriſti promiſſio ſignificanter confirmatur. [*Et ponam te quaſi ſignaculum.*] Hæc non de illo Zorobabelis munere exponenda eſſe, quo tantiſper functus eſt, quoad templum perficeretur, & lectio ipſa, & rei ratio veritaſque declarat: namque huius promiſſionis euentum ad futura tempora referre oratio illa docet. [*In die illa.*]
Deinde etiam illud cõſtat, neque Zorobabelem, neque alium quempiam ex illius poſteris,
ab eo tempore quo ipſe ædificato iam templo Babylonem rediјt, vbi etiam extremũ diem
Ioſeph. Ioſepho auctore obijt, aut regnum, aut principatum apud Iudęos obtinuiſſe. Quamobrem
Hebr. lib. 2. ratio ipſa ad Zorobabelis nepotem Ieſum Chriſtum, in cuius gloriæ communionem Zorobabelis filij Salathielis nomen collocatum eſt, idque adeò illuſtri loco poſitum & repetitum, eſt referenda. quod in ſacra Ieſu Chriſti genealogia apud Lucam diligenter; apud Matthæum autẽ diligentiſſimè obſeruatur, vbi & Zorobabelis paternũ additũ nomẽ non ſemel repetitum, certo atque inſigni loco pronuntiatur. ex quo quatuordecim vltimis hominum ætatibus initium factum eſt. Poſt tranſmigrationem Babylonis Iechonias genuit
Matth. 1. Salathiel; Salathiel autẽ genuit Zorobabel, &c. Et paulò pòſt ſubiungitur: Et à tranſmi-
" gratione Babylonis vſque ad Chriſtum, generationes quatuordecim. Illius verò genus & familiam ſibi ad proferendum dandumque orbi Chriſtum ſuum fuiſſe præter cæte-
Pſalm. 131. ras adoptatam Deus confirmat. [*Quia te elegi, dicit Dominus exercituum.*] Sic apud Dauidem: Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum: de fructu ventris tui ponam
Ezech. 34. ſuper ſedem tuam. Electum autem ſibi eſſe Zorobabelem metonymicôs dixit, cùm Chriſtum ipſum ſignificaret, vt illud: Et ſuſcitabo ſuper eas paſtorem meum Dauid. eorum enim nomen non immeritò ſuum Chriſtus efficit, quorum genus certa ſtirpe retulerit, officiumque ac munus optimè ac diuinè geſſerit. Huius verò vaticinij admonitione edoctum Zorobabelem poſt perfectã templi ædificationem Babylonem rediјſſe, ibidemque, quod reliquum erat ætatis, peregiſſe conijcere licet; quippe qui nullam ſibi poſteriſque ſuis, quoad templum illud conſtaret, apud Iudæos principatus tenendi rationem conſtare, ſed quandam aliam nomini ſuo promiſſam gloriam integram reſeruari intellexiſſet.

FINIS.

Madriti in Hiſpania menſe Octobri, 1567.

CARMEN EX VOTO.

NON *quantum aut Ophyre parit*
Auri perpetuis montibus, aut Phyſon
Fuluo concoquit alueo,
Non gemmas Erythræ quas Arabum rubris
Fluctus marginibus terunt,
Non quidquid ſinubus promitur Indicis,
Diuinas hominum decet
Mentes atque animos tangere ſordida
Cura nec ſtudio graui:
Nec cæca ambitio, vanaq́ mobilis
Vulgi gratia, maximas
Quæ turbat miſeris temporibus vices.
Aeterni potius Dei
Nouiſſe expediat conſilia, & nimis
Noſtris commoda mentibus
Arcana, ac leuium pondere turbido
Rerum depoſito, bonis
Curis aſsiduos protrahere & dies,
Terris dum face lucida
Fundit perſpicuum Sol iubar aureus;
Et dum ſidera lucido
Cælo ſigna ſuæ militiæ mouent.
Nam fruſtra nimius labor
Rebus in minimis tunditur, & frequens
Curarum cumulus citam
Aut mortem, aut miſeram canitiem trahit:
Ne quicquam tamen, vt neque
Speratam requiem, aut gaudia credita
Expertus, doleas bonos
Defluxiſſe dies munere inutili.
Contrà, quos pietas agit,
Felices animi, qui nimium breuis
Vitæ tempora grandibus
Exercent ſtudijs, certaq́ præmia
Celſo conſtituunt loco;
Quò nec mors penetrat, nec mala proſperis
Rerum, aut triſtia dulcibus
Miſcentur: liquido ſed fluit agmine
Expletura genus pium
Expers inuidiæ diua beatitas.
Non hos pauperies metu,
Non deſiderijs ſollicitat malis.
Securos pietas facit,
Et ſpes ire viam commonet arduam.

Scimus quis Iebuſum genus,
Quis Gergaſenuos exitius impios
Diri progenitem Chami
Excepit, facilis queis patrio ſinu
Tellus fertilibus iugis
Et mellis, fluidi lactis & vberem
Riuum ſufficeret: ſed hos
Abra poſteritas præcipiti fuga
Magnis vrbibus expulit,
Quamuis multiplici mœnia circulo
Tutos vectibus areis
Clauſiſſent; alios arma minantia
Tentantes ageret furor
In bellum: hos celeri Ioſua dextera
Et vita expulit, & domo,
Remq́; omnem dominos detulit ad nouos.
Non qui vel Tyrias opes,
Vel qui ſceptra tenet ſorte beatior
Rectè dicitur: omnibus
Felix ille ſed eſt nominibus, ſacram
Sortis qui ſequitur viam,
Præponensq́; Dei magna negotia
Vrget perpetuis modis.
Ergo & nos auidis mentibus optima
Rerum quin petimus pij?
Cur non diuitias ſpernimus, omnium
Et fomenta cupidinum
Calcamus? deceat me Pater optime
Contentum exiguo foco,
Et rupis placidis muneribus meæ
Diuinis operam libris,
Et totos ſuperûm conſilijs dies
Impendiſſe ſub arbuto,
Siue antro viridi, ſeu poſitum ſacræ
Matris virginis in domo,
Et monſtraſſe meis diuite ſpiritu
Laudis materiam tuæ,
Fingentem facili carmina numine.

FINIS.

BENEDICTI ARIÆ MONTANI HISPALENSIS IN ZACHARIÆ VATICINIVM COMMENTARIA.

PRÆFATIO DE DIVINI CONSILII CONSTANTIA.

*D*IVINVM *de publica hominum ſalute conſilium, conſtans, fixum perpetuumq́, ſemper fuiſſe, & ſacra omnium librorum lectione, & ipſo rerum euentu atque exitu docemur. nam cùm Deus hominem initio mundi ad ſuam imaginem atque ſimilitudinem factum, & multis maximiſq́, tum virtutis, tum honoris muneribus auctũ ornatúmque, callidiſſimi tamen ſerpentis fraude & inſidiis de ſummo dignitatis gradu deiectum, ſapientia benignitateq́, ſua illa diuina in altiorem atque digniorem locum reſtituere decreuiſſet, omnibus ad id efficiendum idoneis opportuniſq́, rebus ſapientiſſimè atque attentiſſimè prouidere apud ſeſe conſtituit. Igitur cùm duplex huic agendæ atq. conficiendæ rei caput eſſe conſtaret, alterúmque ſumma promittentis Dei miſericordia, veritate atque efficientia, alterum verò ipſius beneficium accepturi hominis diligenti & idonea ad eam rem præparatione definiretur, diligentiſſimè atque attentiſſimè vtrumque à Deo procuratũ eſt. nam quatenus quidem ad ſe voluntatem diligentiámque ſuam ſpectaret, nunquam Deus aut beneficentiæ rationes publicè priuatéue hominibus probare & confirmare deſtitit, aut initam ſemel humanæ ſalutis afferendæ viam munire, concinnare & inſiſtere ceſſauit, ſicut ſcriptum eſt: Quoniam dixiſti, miſericordia in æternum ædificabitur in cælis: præparabitur veritas tua in eis. Quatenus verò ad hominem ipſum ſalutis accipiendæ ratio pertinere indicata eſt, quoniam liberum & conſilij ſui compotem, atque ad integram vel vitæ, vel mortis optionem confirmatum antea effinxerat, vt ad optandum bonum declinandúmque malum hortaretur & perſuaderet, nihil Deus vnquam, quod opportunum eſſet, prætermiſit, ſicut ſcriptum eſt: Conſidera quòd propoſuerim hodie in conſpectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum. Teſtes inuoco hodie cælum & terram, quòd propoſuerim vobis hodie vitam & bonum, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas, &c. Etenim inuitum hominem ad oblatam ſalutem accipiendam cogere, præterquam quòd cum humanæ naturæ rationibus pugnabat, cum diuini etiam iudicij & iuſtitiæ inſtitutis non conueniret. Verùm enimuero vna vi atque neceſſitate excepta, nihilominus, quod ad demonſtrandam & perſuadendam ſalutis accipiendæ rationem facere & conducere poſſet, à Deo eſt prætermiſſum. Atque adeò in ea apparanda inſtruendáq́, re quàm multiplex ac perpetua cura, quàm certum maximeq́, prudentiæ plenum conſilium, quàm aſſidua & inſtãs ſemper opera extiterit, omnibus modis & partibus exponere longè fuerit difficillimum, ipſa autem dumtaxat ſumma genera indicare ad diuinam miſericordiam benignitatémq́, commendandam commodiſſimum profectò erit.

Gen. 1. Pſalm. 88. Pſalm. Deut. 30. Rom. 2.

Principio non ſolùm grauibus & rectis cogitationibus intimè iniectis & honeſti atque turpis cognitione omnibus communiter data & confirmata primis hominum ætatibus prouiſum eſt, ſed etiam multis & illuſtribus beneficiis in eos, qui virtutem & pietatem præſtarent, collatis diuinum de humana ſalute conſilium & voluntas declarata ſunt: Ad hæc etiam & illud acceſſit, quòd in eos, qui honeſtatis viam deſerentes turpiter & iniuſtè præter fas ac præter humanitatis rationem vixiſſent, ſeueriſſimè identidem fuit animaduerſum. Atque huiuſmodi grauiſsima exempla primis & antiquiſsimis illis ad diluuium vſque ſeculis edita fuère, neque tamen ſuccedentibus poſt hæc patriarcharũ ætatibus eiuſmodi multa defuerunt, quod & Sodomorum tectis atque agris diuinitus illata euerſio, & Loti incolumitas, atque Abrahamo, Iſaac & Iacob tunc cum ſummo dignitatis ornamento collata beneficia declararunt. Deinde verò medijs iam mundi temporibus diuina illa tantum rerum molitione adornata, tanta ſapientia condita & lata, tanta prodigiorum & miraculorum & portentorũ auctoritate illuſtrata & confirmata lex, quid aliud, quàm

Gen. 15.

diuini de humana ſalute conſilij & voluntatis expoſitionem clariſsimam, atque earum rerum, quæ impedimento huic negotio eſſe poſſent, notationem animaduerſionemq́ certiſſimam continet: rationum præterea ad eiuſmodi impedimenta tollenda deſcriptionem commodiſſimam ac certiſſimam oſtendit: atque etiam gratiæ auxilijq́ diuini ad omnes homini difficultates vincendas præſentem opportunamq́ promiſſionem adiūctam habet. Verùm enimuero quoniam illa in lapidibus atque tabulis conſcripta lex, quanquam diuina, ſancta ſpiritualisq́ eſſet, tamen lectione ſolùm ſui carnales homines & venundatos ſub pec-
Rom. 3. *cato minus efficienter monere, atque ad virtutem officiumq́ præſtandum impellere poterat. Ob eam rem Deus Vates legatosq́ ſuos ſanctiſſimos, grauiſſimos, ac ſumma auctoritate viros opportunè ſemper mittēdos curauit, qui tum viua vocis oraculo (quod magnam in hominum vita & conſuetudine vim efficientiámq. habet) tum illuſtri proprio ipſorum vita & morum exemplo Dei voluntatis aſſertores, conſilij interpretes, legis doctores, virtutis veræ commendatores cæteris hominibus eſſent. Atque horum ſanctiſsimorum virorum ſtudio & opera multa & præclara hominum generi cōmoda allata ſunt. nam præterquam quòd hi omni vitæ parte & omni etiam officij & muneris fide, atque grauiſſimorum interdum periculorum tolerantia certiſſimos & integerrimos diuinæ voluntatis teſtes aſſertoréſque ſeſe præbuerint, illud etiam præſtitêre, vt omnia humanæ ſapientiæ argumenta, orationéſque omnes, quæcunque aduerſus diuinas res & rationes afferri admoneriq. poſſent, grauiſſimè redarguerent & refellerent, dubitationes remouerent, ſuſpiciones diluerent, duriores difficultates mollirent, ac demum diuinam cauſam cōtra omnem vel hominum ſtultitiam & errorem, vel dæmonum aſtutiam & calliditatem grauiſſimis & ſapientiſſimis ſermonibus obtinerent. Quam quidem ad rem cognoſcendam magno ſemper momento & adiumento prophetica lectio ijs fuit, qui ex diuinorum librorum auctoritate & doctrina conſideratas veræ ſapientiæ rationes tam diu perſequebantur, quoad exſpectati Chriſti virtute & efficientia diuinum lumen in ſeipſis experti, perfecta quadam & exacta maximo-*
2. Pet. 1. » *rum Dei myſteriorum cognitione & doctrina abundarent, ſicut ſcriptum eſt: Et habemus*
» *propheticum firmiorem ſermonem, cui benefacitis attendentes quaſi lucernæ ardenti in ca-*
» *liginoſo loco: donec dies eluceſcat & lucifer oriatur in cordibus veſtris, hoc primùm intel-*
» *ligentes, quòd omnis prophetia propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed ſpiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines, &c. In ijs autem, qui ſacro ſpiritu edocti atque acti multa & maxima de reconditis diuinarum rerum myſterijs grauiſſima oratione differentes perſequuti ſunt, vnus ætate quidem inter poſtremos, ſed virtute & auctoritate inter primos Zacharias numeratur, qui de omni vatibus ad explicandum commiſſo genere grauiſsimè & ſapientiſsimè egit: atque ita impoſitas ſibi partes pro dignitate tranſegit, ita fortiter & ſtrenuè diuinam cauſam ad Dei gloriam atque hominum vtilitatem aduerſus malitiam, temeritatem, inſolentiam etiam cum crudeliſsima necis tolerantia confirmauit, vt dignus Chriſto indicatus fuerit, cuius & virtutem ipſe laudaret, & iniuſtam necem cum aliorum vatū, & cum ea etiam, quæ ſibi per ſummum nefas afferenda erat, morte & iniuria diuina vindicatio vlciſceretur. Huius autem Vatis quoniam plura vaticinia ſunt, plura etiam ſuis locis argumenta opportunè componere operæpretium fuerit. Id autem quò commodiùs atque auſpicatius aggrediamur, Deum ipſum ſupplici prece nobis ad vota vocare expediet.*

VOTVM

VOTVM.

Conſilij pater æterni, qui cuncta benignus
Perficis, arcano conſtituisq́; modo,
Incœptus curſusq́; tuos non vlla retardat
Extera vis, nulla aut corripit inuidia.
Virtutem imperij'mque Dei non irrita mundi
Curſibus oſtendunt ſidera perpetuis.
Ergo pijs populis vatem tua ſacra ferentem
Duc pater atque tuis annue principijs.

VATICINII PRIMI ARGVMENTVM.

ISRAELITARVM *ac præcipuè Iudæorum dignitati benignè & diligenter à ſe conſultum eſſe docet Deus, idq́; adeò ex eo confirmat, quòd cùm illorum patres ob multorum ſcelerum & flagitiorum noxã bello & captiuitate mulctauerit, tamen ipſos liberaliter à ſeruitute Babylonica abſtractos in antiquum locum poſſeßionemq́; ea cauſa reſtituerit, vt per libertatis, loci, rerumq́; omnium commoditatem, diligentius atq. attentius in pœnitẽtia atque pietatis colendæ ſtudia incumbentes, in priſtinam gratiam multoq́; etiam ampliorem de cætero receptos, ſuam ipſius inter ipſos familiarius agentis diuinam tutelam & virtutem priuatè experiri faceret. Atque hoc conſilio illos à ſe ex Babylone reductos eſſe declarat, quemadmodum à nobis in Haggæi Vatis initio eſt explicatum. Quam ob rem illos peruerſa atque corrupta parentum ſuorum exempla deteſtabundos ad virtutis atque honeſtatis decus excitat & adhortatur, diſſuadetq́; ne peruerſum maiorum ſuorum iudicium moréſue imitentur, qui nefaria quadam malitia & dementia deprauati miſſos ad ſe grauißimis cum legationibus vates indignißimis exceptos modis contempſère. Quam ob rem, vt parentum periculo ſibi cauère diſcant, monet, illud ſapienter perpetuò cogitantes, in parentes ſuos ob nefaria & ſacrilega ſcelera exilio & captiuitate fuiſſe animaduerſum, id quod ipſiſmet compertißimum exploratißimumq́; eſt, qui tot malis & ærumnis propterea ſeſe affici intelligant & fateantur, quòd præſenti Dei ſecum olim habitare ſoliti gratia eſſent deſtituti. Illud etiam conſilij cauſa prædicit Vates, non ſemper illis Vatum commoditate vtendum eſſe: fore enim propediem confirmat, vt vaticinium deſideretur. Illud igitur, dum contingit, diligenter ſuſcipi, obſeruari atque coli, conſultißimum fore ait.*

CAPVT PRIMVM.

IN MENSE *octauo in anno ſecundo Darij factum eſt verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filij Addo Prophetam.*

ANTEQVAM ipſam vaticinij commentationem aggrediamur, trium vatum Haggæi, Zachariæ & Malachiæ, qui eadem tempeſtate vaticinati ſunt, rationes cognoſcere, atque breuibus explicare, operæpretium fuerit; atque an eadem communis illorum legatio, an aliis atque aliis de rebus ſinguli legati fuerint, diſſerere. Igitur Iudæos ex Babylonica captiuitate liberatos eo conſilio in patriam à Deo reſtitutos fuiſſe apud Haggæum docuimus, vt promiſſum ex gẽte ſua totius orbis ſeruatorem Chriſtum in patria & certius exſpectarent, & commodius excipere poſſent. Cuius vt virtutem diuinamq́ue in ſe efficientiam experiri contingeret, religionis & pietatis veræ ſtudia ſanctè ac purè profiteri adhiberique expediebat; atque ad eam rem & commodius adornandam & diligentius agendam, templi commoditate opus fuerat: cuius ædificationem multis annis ob externa impedimenta intermiſſam, atque opportuno etiam tempore ob ciuium negligentiam penè deſperaram, vt tandem ſuſcipi & curari perſuaderet Haggæus vates, in primis grauiſſimam obiit legationem: cuius vniuerſum ferè argumentũ in hac cer-

oranda oratione conſumitur. At verò Zachariam iis de rebus legatum à Deo fuiſſe cogno-
uimus, quibus venturæ, quamdiu templum illud duraret, à regnis & imperiis calamitates,
aliaque publica pericula & incommoda, nonnulla etiam commoda continerentur, præter
exhortationem ad opus templi perficiendum, quæ & huic cum Haggæo communis fuit;
his etiam quædam vaticinia adiuncta ſunt aduerſus eos, qui libertatem illam ex Babylone
negligentes Ieroſolymam redire noluerant. Porrò autem Malachias vates diuinam cau-
ſam in primis contra eos, qui ex Babylone remigrauerant, ſuſcepit, in qua de nefaria exte-
rorum connubiorum conſuetudine agitur, ac præterea futuri temporis rationes notantur,
& publici hominum redemptoris Chriſti myſteria quædam grauiſſima prædicuntur. Ita-
que tres hi vates, Haggæus, Malachias & Zacharias eadem tempeſtate legati fuêre, qui re-
ductum ex captiuitate populum Dei volunratem conſiliumq́ue docerent, atque ad tem-
pli ædificationem cohortati, ad virtutis ac pietatis perpetuum ſtudium excitarent. Etenim
niſi horum vatum auctoritas, conſilium atque opera accederet, Iudæos templi ædificatio-
nem deſidioſè neglecturos fuiſſe arbitramur, eamq́ue adeò maximè ſuperuacaneam exi-
ſtimaturos, quòd antiqua illa, diuina & maxima ornamenta, Prophetia, arca ſacra, Vrim &
Thumim, cæteraq́; ſancta atque veneratione digna monimenta in eo templo deſideranda
eſſe intelligerentur. Quamobrem horum trium vatũ officia tam diu extitere, quoad tem-
pli opus perfectum abſolutumq́ue fuit: poſtea verò vaticinium defeciſſe omnes Hebræi
auctores memoriæ prodiderunt. Atque adeò hanc fuiſſe cauſam, quam ob rem vates hi le-
gati fuerint, præterquam quòd ipſa eorum ſcripta docent, Eſdras etiam ſcriba confirmat.
2.Eſd.5. » Prophetauerunt autem Haggæus propheta & Zacharias filius Addo prophetantes ad Iu-
» dæos, qui erant in Iuda & Ieruſalem. Tunc ſurrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Ioſue
2.Eſd.6. filius Ioſedec, & cœperunt ædificare templum in Ieruſalem, & cum eis prophetæ Domini
» adiuuantes eos. & alio in loco: Seniores, inquit, Iudæorum ædificabant, & proſperabantur
» iuxta prophetiam Haggæi prophetæ & Zachariæ filij Addo, &c. In quarto etiam Eſdrę li-
4.Eſd 1. bro Malachias, Haggæo & Zachariæ annumeratus eſt. Atque ab aliis etiam Hebræis au-
Auctor lib. Hacozer. Salomo Iarchi ſuper Muſacaioma. ctoribus traditum accepimus, prophetiam quadraginta annis à libertate Babylonica apud
Iudæos duraſſe, quoad reſtituendi templi opus abſolutum fuerit. Id quod maximè cum
illo Iudæorum teſtimonio conuenit: Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum
Ioan.2. hoc, &c. Quidquid autem Haggæus, Zacharias & Malachias vaticinatr ſunt, id omne
ea cauſa actum eſt, vt abſoluti templi commoditate vſi Iudæi religionem purè ſancteque
colerent, & diuinam gratiam & tutelam aſſiduo pietatis ſtudio ſibi promeriti cæteris Iſraë-
litis reſtitutionem impetrarent: quæ tamen illis ratio omnino immutata eſt. nam per ſum-
ma & nefaria ſcelera occiſo primùm Zacharia inter templum & altare; deinde multis &
inſignibus flagitiis vſque ad Chriſti mortem nobilitati, non ſolùm vaticiniorum commo-
ditate, diuini ſpiritus virtute, atque aliis cæleſtibus beneficiis carere, ſed magnis perlaris
bellorum ac famis & peſtis miſeriis, patria etiam regione tandem pelli commeruerunt.
Atque hactenus horum trium vatum negotij & muneris ratio explicata eſt. nunc verò
deinceps Zachariæ explicationem inchoabimus. [*In menſe octauo, &c.*] Non ab re profectò
fuerit hoc in loco rationem inquirere, quam ob rem in quibuſdam Vatum libris frequenti-
bus vaticiniis conſcriptis rara admodum, eaq́ue obſcura plerumque temporum notatio
obſeruetur; vt in Iſaiæ, Hoſſeæ, Ioëlis, Amoſi, Abdiæ, Ionæ, Michææ, Nahhum, Sophonię
& Malachiæ etiam vaticiniis, quibus nulla certa anni, menſis ac diei, quo mandata ſingula
accepta fuerint, adnotantur tempora: rurſus verò in quorundam aliorum ſcriptis, non ſo-
lùm totius in vniuerſum muneris obiti ratio, ſed ſingulorum vaticiniorũ initia certa qua-
dam ac diligenti admodũ temporis, anni, menſis ac diei obſeruatione notantur, vt in Hag-
gæi & Zachariæ libris, & in pluribus apud Ieremiam & Ezechielem locis videre eſt. nam-
que ea ratio, quam plerique ex vatibus tenere conſueuerunt, vt in librorum principiis, re-
gum, quorum tempeſtate vaticinati fuerint, nomina exponant; longè diuerſa à præſenti
diſputatione eſt: quandoquidem illis in locis ętas ipſa, ad quam Vates pertineat, communi
quadam notatione ſignificatur. in aliis verò horum, quos indicauimus, Vatum vaticiniis
magis exacta quędam temporum, anni, menſis, dicei habetur definitio. quæ verò huius tan-
tæ varietatis cauſa reddi poſſit, ea nobis quęrenda eſt. Igitur vt in prœmialibus horum
commentariorum diſputationibus longius latiuſque diſſeruimus, non omnium vatici-
niorum neceſſaria & propria ratio certam & exactam temporum ex anni, menſis & diei
notatione deſcriptionem exigit. namque vaticiniorum legationes aut tribus de cauſis aut
aliqua ex illis aguntur. prima eſt, vt diuinæ ſapientiæ & ſcientiæ veritas ac certitudo homi-
nibus probetur; cui vni futurarum rerum cognitio ex prædictionis certa & conſtanti fide
verè aſſcribitur. ſecunda verò cauſa eſt, vt diuinum conſilium & voluntatem edocti homi-
nes

nes,ſibi,actionibus moribusq́ue ſuis,atque omni cùm priuatæ, tum communis vitæ conſuetudini ſapienter conſulant.tertia autem eſt,vt duæ maximæ atque commodiſſimæ virtutes hominum animis diuinitus inſitæ opportuna ac neceſſaria conſtantia & ſtabilitate firmentur. Hæ ſunt, fides, in qua maximorum myſteriorum & ſacrarum promiſſionum ratio continetur, & huic coniunctiſſima promiſſarum diuinitus rerum & præmiorum ſpes: quæ fortitudinis atque tolerantiæ genitrix altrixq́ue eſt. At verò multa in huiuſmodi cauſis argumenta extare poſſe,quorum ratio nullam neque ad cognoſcendum,neque ad agendum temporis exactam notationem exigat, res ipſa planè ac manifeſtè docet. Ex qua re effectum eſt,vt primi illi vates,Iſaias, Hoſſeas, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahhum, Habbakuq, Sophonias,atque vltimus omniũ Malachias nullam certam atque exactam nimis temporum mentionem in vaticiniis ſuis fecerint, quibus futurarum rerũ prædictiones, & viſorum ſibi myſteriorum expoſitiones continerentur. Ieremias etiã & Ezechiel, præter pauca quædam loca, reliqua omnia reſponſa abſque certa temporum obſeruatione edidêre. In quibus verò temporis ratio adnotata eſt, neceſſariam commodiſſimamq́ue eſſe, ex ipſius argumenti ſententia indicatur: quemadmodum in ſingulis locis eò vſque propitio numine deducti opportunè docebimus. Interim verò quæ de huiuſmodi temporum notationibus apud hos duos Haggæum & Zachariam ratio nobis reddi poteſt,eam breuibus reddamus. Dicimus autem Haggæum primam muneris ſui legationem anno ſecundo Darij ſibi diuinitus ad Iudæos datam expoſuiſſe, vt oſtenderet eo tempore, cùm ædificandi templi opportunitas acceſſiſſet, & Darium regem mente & voluntate in templi ædificationem coniectum , & ſibi eandem rem ad populum referendam fuiſſe ſuſceptam. Vtrumque autem à Deo eſſe, à quo & regis animus, vt vellet & cuperet, incitatus, & ſua ipſius mens, vt voluntatem etiam diuinam conſiliumq́ue populo aperiret, diuino ſpiritu, vt idem vaticinaretur, inflammata eſt. namque vtrumque eodem anno accidiſſe ex Eſdræ libris cognouimus. Dies verò ſexti menſis prima, quæ prima Elul dicitur, propterea à Vate obſeruata eſt, quòd eadem nouandis in hominum vtilitatem religionis rebus ſancta atque inſignis iam inde à principio haberetur. namque eadem die Moſes poſt priores diuinæ legis tabulas ruptas inſtaurata rurſus lege & impetrata populo diuina gratia ex monte ad caſtra te compoſita rediit. cuiuſmodi imaginem quandam ſibi diuinitùs referri Vates docebat, cùm de diruto iam templo inſtaurando, atque de populo ad gratiam felicitatemq́ue reuocando legaretur. De die verò Pentecoſtes, quæ nobis Chriſtianis celeberrima ſanctiſſimaq́ue habetur, qua ſpiritu ſancto per Chriſtum in diſcipulos miſſo, & noua ſpiritus vitæ lex mentibus hominum inſcripta eſt, & nouum Deo templum in illorum animis eſt dedicatũ, multa & maxima myſteria nobis aliàs eodem ſpiritu annuente aperienda ſunt. Cùm verò ſecundi vaticinij apud Haggæum argumentum ad primi rationem omnino referatur, vt menſis & diei ratio explicaretur, nihil opus fuit. in tertij autem vaticinij explicatione, anni mentione prætermiſſa, menſis & diei obſeruatio opportunè ad argumenti rationem addita propterea fuit, quòd ea dies ſolenni & maxima lætitia publicè olim celebatur: quæ vltima feſti tabernaculorum erat, expiationiſq́ue maximæ dicta fuit. Ea verò viceſima dies menſis Tiſri erat quæ ab Iſraëlitis ex legis ritu Hoſſiagna magnum dicebatur. cùm autem eadem die antiquo & ſolenni inſtituto magna hominum frequentia templum celebrari conſueuiſſet, atque ea occaſione multi ex ſenibus in eum locum conueniſſent, quos prioris templi ſplendoris, nitoris & ſimilis olim celebritatis ac lætitiæ recordatio dolore ac mœſtitudine afficeret, atque in noui operis concinnandi humilitate & tenuitate ſegniores redderet, cõmodè eadem die vaticinij munus Vati de ea re ad populum, maximè verò ad ſenes delatum fuit, quibus inchoatum nuperrimè ædificium perinde, quaſi nullum omnino futurum eſſet, indicabatur. Atque quartum Haggæi vaticinium temporis etiam certam notationem poſtulabat, quòd præteritorum ad eam vſque diem annorum & menſium ſterilitatem commemoraret, & futuram deinde vbertatem ac rerum omnium copiam ab eadem die, quæ prima vrgendo operi fuit, gignendam ſibi polliceretur. Erat autem ea dies viceſima quarta menſis noni anno ſecundo Darij regis, tempore videlicet, quo ſementis fieri ſolet. Is menſis Chaldæis eſt Chiſleu, quem Nouembris noſtri luna efficit. atque eo tempore non modò ex diuina auctoritate & populi ſtudio, ſed regia etiam facultate templi ædificationi incumbebatur. Vltimum porrò vaticinium eadem die omnino cum quarto editum fuiſſe ea cauſa adnotatur, vt Zorobabelis rationes ab eius promiſſi, quod populo factum fuerat, definitione exceptæ ſeparatim explicarentur. Namque populo ob inſtitutam templi ædificationem earum rerum, quæ ad victum vitamq́ue pertinent, copia & facultas in eadem regione ex eo tempore futura promiſſa eſt. Verùm Zorobabeli ob procuratas religionis res, ampliſſimum aliud præmium fuit expoſitum, quod non præ-

ſenti,ſed futuro tempore tribuendum eſſet,nominis videlicet celebritas & gloria in Chriſti Ieſu hiſtoria æternitati conſecranda,cùm ſibi interim Iudæa regione cedendum, atque in Babylone quod reliquum vitæ fuit,peragendum foret. Oportuit autem eodem die & populo communem ſortem, & Zorobabeli à cæterorum ratione excepto ſuam propriam priuatè denuntiari. Quamobrem eadem die duplex ſibi & ad populum & ad Zorobabelem à Deo mandatum acceptum fuiſſe Vates expoſuit: atque hoc pacto certam temporis diligenter adnotandi cauſam Haggæo fuiſſe demonſtrauimus. Idem autem & apud Zachariam commonſtrare operæpretium fuerit. Huius igitur primo vaticinio anni ſecundi Darij regis & octaui menſis,prætermiſſa tamen die mentio facta eſt, vt diuini conſilij ratio ex anni etiam & menſis obſeruatione Iudæis conſtaret. namque eo anno & menſe Darij regis ſpiritus ad decernendam templi ædificationem, Iudæoſque ad eam rem opportunis rebus auctoritateque iuuandos fuit excitatus: id verò vt non caſu,ſed ſuo ipſius conſilio, voluntate & impulſu factum Deus oſtenderet,tempus à Vate annotari,omnemque rei rationem diligenter exponi voluit. Quòd quanquam hactenus multis & nefariis ſceleribus publicè priuateque offenſus & irritatus in illorum patres bello, calamitate atque captiuitate animaduerterit, tamen nunc ſua ipſius miſericordia placatus mitiùs & benigniùs illis conſulere ſtatuiſſet,atque ex ſeruitute liberatis in patriamque reſtitutis ad benè, piè, beateque viuendum commoditates omnes creare cœpiſſe. Cuius quidem à ſe obtinendi boni cùm pura & ſancta religionis obſeruatio primum illis caput ſit,effeciſſe in primis ipſum,vt neque per regem,neq. per aliam temporum aut rerum importunitatem ſtaret, quo minus commodus ad religionis res procurandas & agendas locus reſtitueretur. Quam ob rē Darij ſpiritum vt ad ædificandum templum facultatem & ſumptus etiam illis ſuppeditaret, ſibi eſſe excitatum,vt ſi rectè,innocenter ac ſanctè viuere de integro ſtuduerint,ſuā ipſius præſentem gratiam,prouidentiam & virtutem diuinam experiri liceat. namque hoc ſuum de illorum reſtitutione,deque regis dirigenda & confirmanda volūtate conſilium fuiſſe confirmat. At verò quod menſe octauo ſecundo regni ſui anno Darius ædificandi templi copiam ex decreto feciſſet,eum annum atque menſem Zacharias annotauit,diem verò menſis prætermiſit, cùm nihil vel ad ædificationem, vel ad Iudæorum res nouum aut commemorandum ex diei notatione obſeruari contingeret. Per idem autem tempus quo materie parata templum ædificari inciperet,rem fuiſſe ad Darium relatam, & facultatē operis perficiendi ab eodem liberè datam, atque ad eandem populo perſuadendam rem Haggæum & Zachariam diuinitus fuiſſe legatos,facilè ex hiſtoriis Eſdræ cognoſci poteſt. Illud igitur huius vaticinij argumentum eſt, Diuinæ prouidentiæ conſilio Iudæis contigiſſe,vt opportuno loco & tempore piè atque ſanctè viuendi,ſibique diuinam tutelam & gratiam conciliandi commoditates maximæ crearentur. Atque cum Zachariæ Vatis nomine Barachias pater & Addo auus,tum honoris,tum auctoritatis cauſa nominati ſunt,ſiue quòd vterque illuſtris apud gentem ſuam fuerit, ſiue quòd Addo etiā prophetico munere fuerit aliquando functus,vnde Zachariæ ipſi fides etiam cōciliaretur,quòd domeſtico exemplo officium integrè ſuſceptum ſanctè ac purè præſtandum eſſet. namque prophetæ agnomen ita Hebraicè ſcriptum eſt,vt vtriuis,vel vtrique etiam,& auo,& nepoti attribui commodè poſſit. (4.Reg.14. 25.17.) Præterea & Barachiam patrem diſtinctionis etiam gratia nominatū putamus, quòd multi eiuſdem nominis in ſacris hiſtoriis inueniuntur: qui tamen certis aut generis, aut familiarum vel locorum notis inter ſe diſtinguantur. Atque ob eam rem hic idem vnà cum patris nomine à Chriſto eſt allegatus. qua de re nos in prooemialibus diſputationibus plura diximus. Hactenus ergo operis inſcriptio eſt,qua prophetæ nomen atque genus,vaticinij auctoritas & modus exponuntur, dicendiſque rebus vltra fidem docilitas etiam conciliatur, quòd diuinum verbum ſit prophetica inſpiratione factum, quòd certo tempore cùm res ipſæ cum dicentis oratione omnino conſentirent, id mandatum ad populum referendum, non tantùm ſcribendum fuiſſet datum. namque in ipſo inſcriptionis fine illud additum eſt: *dicens*,ſiue vt Hebraicè eſt, *ad dicendum*. hoc eſt,factum eſt illi verbum Domini,quod populo exponeret. Id autem verbum huiuſmodi fuit:

Iratus eſt Dominus ſuper patres veſtros iracundia.

EARVM,quibus affecti hactenus Iſraëlitæ fuerint,ærumnarum cauſam publicæ priuatæque ipſorum culpæ & pertinaciæ; reſtitutionis verò & paratum ipſis meliorum rerum vſum & commoditatem ſibi Deus per Vatem aſcribendam curat;quippe qui grauiores iniurias & contumelias eorum patribus ab Aſſyriis & Perſis inſolenter perlatas vltus fuerit, tantùm abeſt,vt ipſis vltrò nocere voluerit;idque adeò ex eo confirmat,quòd, niſi ipſi ſibi impedimento in ea re fuerint,meliora omnia illis de cætero conſulat & paret. Ipſa ſermonis & Hebraicæ dictionis ratio Deum non tam aduerſus Iudæorum patres, quàm pro illis

aduerſus alias gentes iratum fuiſſe,indicare videtur.namque verba illa, *Super patres veſtros,*] interdum cauſam iræ magis,quàm eos,in quos concepta fuerit, ſignificat: vt, Irritauerunt Pſal. 106.
eum ſuper aquas contradictionis. quo in loco eadem orationis figura & tropus idem eſt. »
Docet igitur Deum nõ ſolùm illis vltrò infenſum eſſe nolle, ſed magnam etiam ob eorum patres, à quibus tamen grauiſſimè offenſus fuerit, aduerſus Aſſyrios & Perſas iram effudiſſe:quod & Babylonis excidium, & Nabuchodonoſoris familiæ allata clades, & Perſarum etiam, qui templi ædificationem impedierint, calamitates oſtendere facilè poſſent, Deum iratum iracundia ob eorum patres,cum quibus inſolentius & durius, quàm æquitas ratioq́ue poſtulabat,actum fuerit:id quod & ſecundo vaticinio declaratur, Zelo zelatus ſum ſuper Sion & Ieruſalem: & ira magna ego iraſcor ſuper gentes opulentas. Huius igitur verſus hæc non inconcinna ſententia eſſe videtur: quanquam illa etiam aliena non eſt, quam Chaldæus paraphraſtes ad patrum culpam referens indicauit hoc modo: *Fuit indignatio à facie Domini ſuper patres veſtros, quoniam ad indignationem prouocauerunt coram illo.* Id verò quod his ſubiungitur,

Et dices ad eos, hæc dicit Dominus exercituum:

ad præcedentis orationis aſſeuerationem eſt referendum. namque Iudæis fidem Vatis legationi habentibus id,quod propoſitum fuerat, verbi ſui auctoritate confirmatum voluit Deus.Itaque oratio ipſa hoc modo concinnatur, vt iubeat Deus Vatem: *Et dices ad eos, hæc dicit Dominus exercituum,*] videlicet,ſe iratum iracundia ſuper patres veſtros fuiſſe.præteritarum autem rerum expoſitioni,quemadmodum in poſterum proſpici oporteat, cõſilium diuina auctoritate confirmatum inſtituitur.

Conuertimini ad me, dicit Dominus exercituum, & conuertar ad vos, dicit Dominus exercituum.

VOLVNTATEM conſiliumq́ue diuinum,humanam voluntatem & conatus anteire, cùm multis aliis,tum ex hoc loco planè docemur,atque hæc ad præcedentem gratiam, vt Theologi vocant, commodè referuntur: exigi tamen ab hominibus ea,quæ in ipſis eſſe poſſunt, voluntatem, conatus & ſtudium, manifeſtè etiam hac lectione diſcimus. [*Conuertimini ad me.*] hoc enim gratiam illam, quam ſubſequentem dicunt, præcedat, neceſſe eſt, quæ diuinæ benignitatis & tutelæ conciliationem confirmationemq́ue habet; quam illa oratione ſignificauit Deus, *Et conuertar ad vos.*] Promittit autem ſe auxilio,gratia,tutela, benignitate atque illuſtri quadam prouidentia eos ad pietatis officium animo & cogitatione ſtudioq́.conuerſos proſecuturum eſſe, vt quem hactenus auerſum abſentemq́ue ſibi minuſq́ue benignè proſpicientem intellexerint,nunc deinceps præſentiſſimum & placidum propitiumq́ue vehementer experiantur.Id verò,quod ſemel atque iterum & ſæpius in eadem oratione nomen appellatum eſt,eò pertinet, vt ſuam diuinam atque præſtantiſſimam virtutem ad gerendas agendaſq́ue ex animi ſententia res conſtare ſibi ſemper Deus oſtendat & confirmet; quanquam enim exercitibus ſuis ad illorum patres puniendos & bello captiuitateq́ue mulctandos vſus fuerit, eandem tamen exercituum vim & copiam ſibi ad eoſdem vindicandos,reducendos,tenendos, atque omni præſidio tegendos ſupereſſe:adhuc enim nomen illud *Domini exercituum*,ad omnem agendam rem integrum ſibi permanere ait.Sunt autem illi cæleſtes & terreſtres exercitus plurimi, quorum virtute, copiis & opera pro oblatæ rei ratione & commoditate,nunc hoc, nunc illo modo vtatur. Itaque vt ille aliarum gentium exercitibus miſſis Iſraëliticos exercitus, qui iam pridem à ſe defecerant, fudit & diſſipauit, ita etiam nunc demum eoſdem Iſraëliticos exercitus, ſi modò defectionis benè pœniteat, meliorq́ue ſui ipſorum cura tangat, in gratiam receptos facilè reſtituet: qui eadem ſemper ad agendum ſapientia, prouidentia & virtute præditus, iiſdem exercituum copiis inſtructus eſt. Atque adeò ſi diuino ſuo conſilio regi iuuariq́ue velint, optimè ſecum actum iri ſperare poterunt; quando per ipſum Deum non ſtet, quo minus omni ad felicitatem commoditate & facultate fruantur, qui illius erga ſe voluntatem ex hoc ipſo, quòd in patriam reſtituti fuerint, intelligere poſſint, & conſilium etiam vltrò oblatum, niſi peruerſo maiorum ſuorum exemplo repudiare velint,commodiſſimè capere atque exequi valeant: ita cùm neque agendi commoditate, neque conſilij copia deſtituantur, maxima profectò ſua ipſorum culpa, ſi poſthac pereant, peribunt, maximè cùm domeſtico ac recenti maiorum ſuorum exemplo commoneantur: quibus oblatæ commoditatis & conſiliorum diuinorum neglectio eas,quas perpeſſi hactenus fuêre, incommoditates miſeriaſq́ue attulit.

Ne ſitis ſicut patres veſtri, ad quos clamabant prophetæ priores, dicentes, Hæc dicit Dominus exercituum, Conuertimini de viis veſtris malis, & de cogitationibus veſtris peſſimis: & non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus.

IVDÆOS in patriam reſtitutos à pernicioſo maiorum ſuorum exemplo deterret,qui

cùm loco & diuinis beneficiis abuſi reuocantium ad officiũ vatum conſilia repúdiaſſent, in maximas calamitates culpa meritoque ſuo inciderunt, atque vel bello occiſi, vel captiui abducti iis rebus, quibus ad inhoneſtam voluptatem & turpis ac ſceleratæ vitæ conſuetudinem abuſi fuerant, hoc eſt, patria, fortunis & poſſeſſionibus deturbati ſunt. id quod ex ipſorum coacta confeſſione conuincit atque vrget.

Patres veſtri vbi ſunt? & prophetæ, nunquid in ſempiternum viuent? veruntamen verba mea & legitima mea, quæ mandaui ſeruis meis prophetis, nunquid non comprehenderunt patres veſtros?

EXITIALI & grauiſſimo patrum exitu relatæ vatibus repulſæ culpam ſcelusque indicat. namque & Iudæorum & cæterarum tribuum captiuitatem & diſperſionem obiicit; & vtiliſſimam vaticinij opportunitatem, ſemel oblatam, non negligendam eſſe docet. [*Patres veſtri vbi ſunt?*] non tam eos, qui fame, peſte, belloque perierunt, quàm qui partim ab hoſtibus captiui abducti redire in patriam prohibiti ſunt, partim verò bellorum metu & anguſtiis preſſi relicta patria toto orbe diſperſi ſunt, ſignificat; eos enim in ſua antiqua regione deſiderari dicit. *vbi ſunt?* Anne, vbinam ſint, noſtis? profectò illi apud Iudæam regionem non ſunt. quòd ſi, vbi ſint, indicare velitis, veſtra confeſſione diuinam cauſam confirmabitis. Igitur diuino beneficio reſtitutis vobis patriæ huius, in qua patrum veſtrorum, neque veſtigia quidem extant, fructu, atque diuini conſilij & vatum commoditate, quoad contingat, ſapienter vti ſuadeo. Neque enim perpetua patribus veſtris vatum copia fuit, neque vobis etiam ſemper ſuppeditanda eſt. namque eos, qui olim fuerunt prophetæ, & qui nunc ſunt, perpetuæ vitæ longitudine in veſtram gratiam donatos non eſſe, res ipſa planè indicat; an verò alij in poſterum ſufficiendi ſint, incertum id vobis obſcurumque eſt, præteritis exemplis & præſenti opportunitate vti, conſultiſſimum omnino vobis fuerit. [*Nunquid prophetæ in æternum viuent?*] futurum propediem vaticiniorum deſiderium hac oratione Zacharias populo ſignificat: diuina autem iudicia & decreta firma, perpetua conſtantiaque ſemper fore confirmat; docetque pœnas ſemel conſtitutas in eos, qui diuinæ legis præcepta inſtitutaque violauerint, certiſſimas omnino eſſe, ſiue prophetæ, à quibus prædictæ illæ fuerint, viuant, ſiue non viuant. Itaque vatum mors & deſiderium conſilij opportunitatem & vtilitatem adimit; prædictarum verò pœnarum & ſuppliciorum, atque calamitatum euentum non adimit. Magna ergo vatum iactura eſt, qua maximæ commoditates auferuntur; incommoditates verò vel ab illis prædictæ, vel ob illorum repulſam cõparatæ, nihilominus euentu ipſo firmantur: quam rem ipſorum, qui in captiuitate fuerint, maiorum ſenſu, periculo, & confeſſione confirmat. Nunquid verba mea quæ ego præcepi vobis non viuunt & conſtant ſemper? eaque comprehenderunt re ipſa patres veſtros, qui ob violata legitima mea, quæ ego ſeruis meis prophetis procuranda & commendanda credideram, maximis ærumnis, & dignis ſuppliciis affecti ſuo periculo ea, quæ à me vates in impios ac ſceleratos decreta eſſe prædixeranr, quanquam primum contempſerint, tamen ſentientes tandem poſtremum etiam poſt prophetarum obitum confeſſi ſunt.

Et conuerſi ſunt, & dixerunt, Sicut cogitauit Dominus exercituum facere nobis ſecundum vias noſtras, & ſecundum adinuentiones noſtras fecit nobis.

HORVM patres ab ea inſania & errore reuocatos eſſe ait, qua olim acti vatibus duriſſimas pœnas denunciantibus fidem non habebanr. atque hæc res illo verbo ſignificatur: *Et conuerſi ſunt*: & ad ſeſe tandem, inquit, ſera nimium pœnitentia redeuntes diuinarum comminationum & vaticiniorum fidem atque conſtantiam experti ac teſtati fuêre: *Et dixerunt ſicut cogitauit Dominus exercituum.*] Apud Hebræos verbum ZAMAM, ſententiam de aliqua agenda re, conſiliumque priuatè cuipiam agitatum ſignificat: quod vni ſoli ſine aliorum arbitrio aut interceſſione initum fuerit. Id verbum Latinus interpres non ineptè cogitare vertit, quòd cogitatio agitationem mentis, corde animoq. verſatam rem ſignificet, Hiſpana lingua interpretamur *comedir.* Igitur patres illi Iudæa regione pulſi, re ipſa tandem edocti illud teſtati ſunt, Deum ipſorum ſceleribus offenſum & vehementer irritatum planè ex animi ſententia in eos animaduertiſſe, idque meritiſſimè. [*ſecundum vias noſtras.*] Iuſtæ punitionis teſtimonium hoc eſt: *adinuentiones* autem Latinè excogitata ſtudia reddere vtcumque poſſumus. Plures autem in diuinis libris orationes in hanc ſententiam ſunt; vt,
Hier. 5. Cogitauit Dominus & fecit, quæcunque locutus eſt cõtra habitatores Babyloniæ. & illud:
Thren 2. Fecit Dominus quæ cogitauit, compleuit ſermonem ſuum, quem feceratà diebus antiquis. Huiuſmodi namque ſeueritate vatum ſuorum legationes confirmauit apud eos, qui re ipſa & ratione atque orationis fide ac miniſterij dignitate commoueri & duci noluerũt,
Hebr. 2. ſicut ſcriptum eſt: Si enim qui per angelos dictus eſt, ſermo factus eſt firmus, & omnis præ-

uaricatio

uaricatio atque inobedientia iuſtam accepit mercedis retributionem, &c. Hactenus primum vaticinium eſt, quo Iudæi maiorum ſuorum exemplo commoueri, ſibiq́ue cauere iubentur, ne exercendæ pietatis commoditate neglecta, atque opportuno vatum conſilio repudiato, ſimili cum patribus excifionis atque exilij pœna tandem plectantur. quo in ſermone & diuinum de Babylonica libertate conſilium, & vaticiniorum propediem futura ceſſatio, & extrema illa clades Ieroſolymis ob repudiatum Chriſtum allata exponuntur. Secundum autem vaticinium, & oratione magnum, & explicandæ ſententiæ ratione grauiſſimum eſt. conſtat enim ferè ex viſionum ſpectris: quæ vaticinandi ratio difficillimos explicatus habet. Sunt autem huiuſmodi ſpectra numero decem ita ſibi cohærentia, vt ad vnius vaticinij rationem omnia referantur, in quibus plurimas & perdifficiles ad rerum cognitionem inueſtigandam quæſtiones tractari neceſſe eſt. Hæc autem vt commodius præſtari à nobis poſſint, implorato ad vota diuino ſpiritu, argumento in primis propoſito, ſummatim cognoſcenda exponemus.

SECVNDI VATICINII ARGVMENTVM.

EARVM rerum atque euentuum, quæ in Ieroſolymitanos ciues & Iudæos omnes in poſterum manerent, imagines & ſpecies certis rationibus ſpectandas Vati Deus obijcit, & quemadmodum cum populo illo futurorum orbis imperiorum Græci ac Romani tempeſtatibus agendum ſit, oſtendit. Ea autem ratio ſic explicatur, videlicet, diuina miſericordia & benignitate efficiendum eſſe, vt ſacrum illud templum & vrbis etiam muri reſtituantur. Veruntamen Iudæis & Iſraëlitis omnibus reſtitutionem integram atque reconciliationem illam omnibus numeris abſolutam, quam Vates cæteri prædixerint, ſecundi illius templi tempore non contingere, imò aliam & vrbis excifionem, & calamitoſam totius gentis captiuitatem & diſperſionem expectandam fore, eamq́; miſeriam tam diu ferendam, quoad exantlatis laboribus, Dei iudicium in primis ac deinde clementiam experiantur, & illa Ieruſalem ſancta atque cæleſtis his etiam ciuibus cooptatis frequentetur. Huius verò rei occaſione quatuor orbis imperiorum ratio Vati ad cognoſcendũ propoſita eſt; quorum dominationem Iſraëlitæ etiam & Iudæi tulerunt, hoc eſt, Babylonici, quod iam defecerat; Perſici, quod tum vigebat, & futurorum poſtea Græci atque Romani. his autem ipſis imperijs quatuor extremæ clades, ob publicã iniuriæ noxiam, diuino iudicio afferendæ ſubiunguntur. Poſt horum autem imperiorum finem, Iſraëlitarum, qui verè Iſraëlitæ ſint, aſſcriptionem in cæleſte regnum futuram eſſe, atque cæleſtem illam Ieruſalem (quæ in terris fundata in cælis perficitur) longè lateq́; dilatandam & propagandam, adeò, vt murorum ambitu non contenta, vicatim diuiſa atque extenſa colatur & habitetur frequentiſſimè. Tum demum autem Iſraëlis filios, qui Aſſyriorum vi quondam abducti atque diſperſi perierant, & eos etiam, qui ex Ieroſolymitano excidio ſuperfuerint, in eam, quam ſignificauimus, ciuitatem recipiendos fore, Deo vicem illorum vlciſcente: ita vt ea res magnam cæteris gentibus omnibus admirationem moueat. Interea verò ſingulare quoddam ac priuatum beneficium Vates proſpicit, quo Ieſu pontificis maximi poſteritas ob patris virtutem & pietatem afficienda fuit interim, dum templum ſecundum maneret vſque ad Machabæorum ætatem. Præterea & Græcorum aduerſus Ieroſolymitanos inſidias, odia & ſimultates maximè Antiocho regnante futuras præuidet: atque horum etiam hoſtium cladem ab Aegyptijs afferendam prædicit. Sacerdotem verò ipſum diuino iuſſu ſacris veſtibus ad pontificij dignitatem declarandam ornatum fuiſſe, atque huius poſteritati retinendæ in poſterum dignitatis legem propoſitam eſſe oſtendit; nimirum ſi officium ſuum purè ſancteq́; ſemper (vt legitimos ac pientiſſimos miniſtros decet) ab illis præſtetur: idq́; adeò propterea prædicatur, quod certiſſimo Dei conſilio conſtitutum iam decretumq́; illud fuerit, vt non multo poſt illa tempora maximus ille diuinæ voluntatis & conſilij miniſter, nuntius & procurator SZEMAHH *nomine, hoc eſt, Chriſtus, adueniret. Tunc verò fore ait, vt lapidis illius, qui coram Ieſu ſacerdote erat, hoc eſt, templi, quod tum lapidibus ædificabatur, maieſtas & dignitas mirum in modum augeretur; vtpote cui ſeptem Dei oculi aſſidua tutela proſpecturi eſſent: idq́; templum à Deo ipſo ædificandum maximiſq́; & cæleſtibus ornamentis illuſtrandum fore, per quem & terra antiquorum ſcelerum veſtigijs expiata, æternæ cuiuſdam ac diuinæ pacis domicilium erit. Ob eam verò rem candelabrum aureum Vati oſtenditur, quod humanum genus in diuinam gratiam receptum ſignificat: cui maximum & perpetuum decus & ornamentum Dei proſpicientis conſilio & beneficio acceſſerit. duas prætereà oliuas; hoc eſt, regni & ſacerdotij perpetuam dignitatem, quæ vnctionibus huiuſmodi ſignificantur, Vates contemplatur. quo in loco Chriſtum ex Zorobabelis præfecti familia & ſtirpe oriturum Deus declarat. Fore autem ait, vt quemadmodum Zorobabelis manu ſecundi templi fundamenta iacta ſunt, ſic etiam ſacroſancti illius tertij templi fabricatio Chriſti Ieſu virtute atque opera efficiatur.*

In die viceſima & quarta vndecimi menſis Sabbat: in anno ſecundo Darij regis factum eſt verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ filij Addo prophetam, dicens.

TRIA in huius vaticinij initio obſeruanda cum primis occurrunt, quæ indicata attentionem & diligentem interpretum ad explicandum ſedulitatem requirunt: explicata autem pretium operæ legentium abſoluent. atque primum ipſa exacta temporis notatio eſt, qua viceſima quarta vndecimi menſis indicatur dies. ſecundum verò nomen menſis expreſſum. cuiuſmodi rationem Vates hic ſolus inter cæteros nouam ſuſcitat; neque tamen alibi, quàm in ſecundo hoc & proximo tertio vaticinio perſequitur. Tertium porrò paterni & auiti nominum repetita de integro appellatio eſt; qua, præterquam in primo & ſecundo vaticiniis, nuſquam aliàs in toto opere Vates vtitur, ſui tantum nominis commemoratione & perſona propria contentus. namque in omnibus aliis locis legimus, *Fuit verbum Domini ad Zachariam,* &c.] Hæc autem omnia quam ob rem diligenter notarentur, perſpecta Vati ipſi vaticinij magnitudo & grauitas in cauſa (vt videtur) fuit, cui tantarum rerum tam frequens viſio, tamque perpetuum & ſublime argumentum, nimirum tota ſuæ gentis rerum futura ſpecies & ratio digna iudicata fuerit, quam auctoritatis & dignitatis oſtendendæ gratia, & ſuo, & patris, & aui etiam prophetæ nominibus appellatis confirmaret, oſtenderetque eam rem ſibi Vati in vatis aui familia & domo atque paterna diſciplina diu verſato; tamen, præter alia omnia vaticiniorum & viſionum exempla, maximam admirationem excitauiſſe, adeò vt niſi ab interprete diuino doceretur, quamuis ſapiens & pius, quamuis in vaticiniorum cognitione atque vſu & ſuo munere & aui memoria verſatus: tamen quid tot tamque arcanarum rerum apparatum ſpectaculum portenderet, ſignificationis incertus miraretur. Quamobrem & viſionis, & interrogationis verba in ſingulis exemplis vſurpat, vt ſibi oſtenſas quidem, non tamen ſine indice intellectas res fuiſſe fateatur. Atque illud, quod in poſtremo ferè verſus loco agnomen prophetæ poſitum eſt, ad auum potius, quàm ad Zachariam referendum eſſe & ſententiæ Hebrææ & linguæ ratio docet. nam quæ nomina in libri initio ad certam Vatis & familiæ notationem & veritatis profeſſionem ex aliorum vatum conſuetudine inducta ſunt, ad certam quandam earum, quæ dicendæ ſunt, rerum magnitudinem & admirabilitatem oſtendendam ſecundo vaticinio denuò repetita pertinent. Atque hactenus de nominum repetitione. Nunc verò de dierum & menſis notatione illud ex hiſtoria coniicimus, Perſicum imperium ad quatum nam tempus duraturum eſſet, certa quadam ſignificatione definiri, nimirum quinquaginta & nouem annos, quibus Perſæ & Medi poſt Aſſyrios deuictos rerum potiti ſunt. in antiquis enim Hebræorum monumentis legimus, Perſis Iſraëlitas decem & nouem annis ante ſecundum templum ædificatum paruiſſe, atque ab anno quadrageſimo poſt conditam denuò ædem Græci imperij annorum in publicis actis rationem apud Iudæos haberi cœptam: de qua ratione aliàs ſuo loco opportunè dicemus. Atque vterque numerus vndeſexagenarium ſimul iunctus efficit. quo tempore Alexandro Macedoni victori ſuccumbentes Perſæ orbis imperium amiſerunt. Igitur Perſici imperij rationes, quas viſu & arcano ſpectro doctus Vates relaturus in hac prima imagine erat, vt certo temporis etiam ſpatio definiret, dierum numerum obſeruandum expoſuit, qui ad annos traductus totidem indicat, quot imperium illud duraſſe cognouimus. namq. ex Haggæi lectione templi fundamenta viceſimo quarto noni menſis die iacta fuiſſe accepimus: duobus autem præciſis dierum menſibus, hoc eſt, quinquageſimo nono die Vati noſtro hæc, quam modò narrat, oſtenſa eſt res. Quòd vero id ſibi indicatum eſſe hac dierum obſeruatione voluerit, argumento eſt Aſſyrium menſis nomen ad ſignificationis notandam rationem conſultò præter conſuetudinem vſurpatum, & demonſtratiuo pronomine ſic Hebraicè indicatum. *Vndecimi menſis, ipſe eſt menſis Sebat,* muta litera, T, non aſpirata in fine ſcribendum nomen. At verò *Sebat*, Chaldaicè; Hebraicè *Sebet* pronuntiatur: ſignificatque ſceptrum & imperatorem ſiue dominantem principem: quo verbo Alexandri imperium, cui Perſæ quinquaginta nouem annis rerum potiti conceſſuri erant, arcanè indicatum eſt. Deinde illud etiam ad eandem rem obſeruandum eſt, ex duobus nominibus quibus menſis apud Hebræos vocatur, alterum certa ad hanc ſententiam ratione conſultò à Vate hoc in loco fuiſſe vſurpatum, idque eſſe *Hhadaß*, quod innouationem, ſiue nouitatem ſignificat. Atque huius loco Hebraicam orationem ad verbum Latinè redditam habita etiam myſterij aperiendi ratione ſic ſonare, *In die viceſima quarta vndecimi menſis.*] quod nomen nouitatem ſonat. ipſa eſt nouitas ſceptri. nullo neque commodiori, neque certiori modo ea, quam Vates intendebat, temporis ratio aut celari, aut explicari potuit. namque apertè rem illa tempeſtate dici noluit Deus, cùm Perſarum res florebant, ne quod Iſraëlitæ ob eam cauſam detrimentum acciperent. Quam ob rem & vniuerſa ipſa, quæ de hiſce rebus Vati decantata eſt, ratio

In cap. de Idololatria.

שבט

חדש

non apertis, vt futura erat, imaginibus, ſed arcanis quibuſdam ſpectris ac notis oſtenſa eſt. Poſſemus etiam & eandem rem numeri quoque vndecimi contemplatione ex Hebraico ſuſcepta amplificare, niſi breuitatis cupiditate ad vlteriora explicanda raperemur. Ex quo fit, vt multa quæ nobis inter commentandum ſuggeruntur, vel inuiti prætermittamus, non ingrata profectò non properantibus futura, qualia quæ de menſium priſco Iſraëlitarum populo ignotis & à remigrante è Babylone Iudæorum gente adiectis nominibus narrari percommodè poſſent. Porrò omnem tum oſtenſorum, tum interpretationum rationem non priuatæ cuiuſdam cogitationis, ſed planè diuinam eſſe his verbis Vates confirmat: [*Fuit verbum Domini ad, &c dicens, Vidi, &c.*] vt viſa & explicationes viſorum diuini verbi auctoritatem & fidem auditoribus probent, quæ neque ſua ipſius, neque aliqua humana aut incerta, ſed diuina prorſus explicatione à Vate commendentur. Is enim quamuis Vatem patre ſapiente, & auo propheta prognatum, doctum ac ductum ſeſe profiteatur, tamen difficiliora quædam vidiſſe ait, quæ niſi à Deo doctus eſſet, certa ratione exponere & literis mandare minus auſus fortaſſe fuiſſet. Quod verò in tertia perſona ſui primùm mentionem facit, ad rei exponendæ grauitatem & difficultatem oſtendendam, vt ſuperius annotauimus, pertinet. Grauius enim & ſignificantius de ſe quiſpiam interdum in tertia, quàm in prima perſona loquitur, cuiuſmodi illud eſt: Dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt Iſai. 1.
Sanctum Iſraël, &c. quo in loco de ſe ipſo Deus agebat.

Vidi per noctem.

HVIVS arcani vaticinij conſultò obſcuratam & abditam rationem ab aliis compluribus rebus & cogitationibus, quas expoſitores variè explicant, ad vnam argumenti ipſius, de quo agitur, grauitatem & magnitudinem reuocamus. Voluit enim Deus ea, quæ à vatibus ſuis populo Iſraëlitico priuatè prænuntiabantur, vel apertiora & planiora, vel certè minoribus & rarioribus nebulis inuoluta oſtendere: maximè quæ ad futurarum ipſis rerum certam notitiam prædicenda eſſent (qualia calamitates, bella, peſtes, abductiones, diſperſiones & diſſipationes fuêre) vel quæ ad humanæ ſalutis promiſſionem ſpectarent: cuius myſterium etſi commune omnibus gentibus eſſet, vni tamen Iſraëlitarum genti illis temporibus tractandum, atque (prout illa ætas ferebat) cognoſcendum traditum fuerat. Neque enim illius tantæ rei certa & aperta communicatio Deo cum gentibus erat, ſi quæ tamen per Sibyllarum carmina (vt aliqui auctores tradunt) fuerit, certè eam minima cura, minimaque animaduerſione tractatā perangustè apud illos patuiſſe, vel nulla, vel rariſſima atq. obſcuriſſima, vehementerque incerta apud illorum auctores mentio arguit. namque certi & aperti ſalutis huius nuntij ab Iſraëlitico populo ad omnes gentes primum ex diuini conſilij decreto perferendi erant, ſicut ſcriptum eſt: Parum eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas Iſai 49.
tribus Iacob & fæces Iſraël conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſit ſalus mea
vſque ad extremum terræ. Igitur in eas, quæ cognitione explicationeque ſui, aut denique officio aliquo Iſraëlitici populi nomen attingerent, quæque à cæteris gentibus vel ignorarentur, vel negligenter curarentur, apertiùs & planiùs per Vates præcini Deus voluit. Eas verò quæ cum Iſraëlitarum cauſa gentium etiam aliarum rationes in ſe maximas & publicas continebant, multis obſcurorum ſimulachrorum inuolucris tectas, & quaſi velis quibuſdam obtentas Iſraëlitici tantùm populi ſapientiſſimis magna cura perſpiciendas tradi; neque ab aliis nationibus antè capi poſſe & intelligi, quàm vel ab Iſraëlitis oſtenſa, vel exitu ipſo declarata eſſent. Atque hanc cauſam eſſe arbitramur, quam ob rem quæcunque in ſacris libris, de quatuor orbis imperiorum ſucceſſione conſtantiſſimè & certiſſimè ſcripta ſunt, obſcuriſſimè tamen & per quædam inuolucra & integumenta oſtenſa prænuntiataq. fuerint; cuiuſmodi ſunt, quæ ab Ezechiele in Vaticiniorum ſuorum initio ſcribuntur, & Nabuchodonoſori per quietem viſus multiplici materia cōflatus coloſſus: Danielis etiam ſpectra illa decantatiſſima. quæ omnia cæteris nationibus aliquando celata, Iſraëlitarum verò ſapientibus ad cognoſcendum obſeruandumq. expoſita ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Notas fecit Dominus vias ſuas, filiis Iſraël voluntates ſuas. Igitur hanc de quatuor orbis imperiis certam atque cum re ipſa cōuenientem rationem, ne quid vnquam ſapientiam & prouidentiam ſuā fugere putari poſſet, conſolidatā omnino habēs Deus vatibus atq. aliis oſtēdit: ita tamen vmbris & nubibus obuelatam, vt non cuiuis, niſi ſapienti & diuina interpretatione edocto ſubductā habere contingeret. neq. verò hæc Vatis huius in hac re obſcuritas illis poſt dirutum & incenſum primum fanum tēporibus tribuenda eſt, in quibus propheticus ſpiritus rarius & obſcurius hominibus communicatus fuiſſe à nōnullis dicitur: namque vt de frequentia nihil modò agamus, aliàs cōmodius etiam fortaſſis acturi, certè obſcuritatem vel perſpicuitatem, nō tam certis temporibus, quàm rerum & argumentorū generibus aſſcribimus. quippe non modò Ezechiel & Haggæus atque Malachias, qui iiſdem

tempo-

temporibus vaticinati ſunt, multa aperta, & omni etiam populo expoſita dixerunt, ſed & hic idem Zacharias de magnis quoq. rebus ita apertè ſæpe aliàs eſt locutus, vt nemo (modò eadem qua ipſe, lingua vteretur) apertiùs de iiſdem agere potuiſſet: vt ex iis, qui ad populum habiti ſunt, ſermonibus & ex templi reſtituendi, & religionis inſtaurandæ atque diuinorum de Chriſto promiſſorum plenis orationibus dilucidè probatur. Quam ob rem horum ſpectrorum obſcuritas ad res ipſas, quæ ſignificantur, hoc eſt, imperiorum orbis grauiſſimam rationem à nobis refertur.

Vidi per noctem, & ecce vir aſcendens ſuper equum rufum, & ipſe ſtabat inter myrteta, quæ erant in profundo: & poſt eum equi rufi varij & albi: & dixi, Quid ſunt iſti, Domine mi? & dixit ad me angelus qui loquebatur in me, Ego oſtendam tibi quid ſint hæc.

CVM deſcripta anni, menſis & diei certa notatio ſatis eſſe videri poſſet, tamen temporis etiam horas atque partes animaduerſione dignas Vates non ſine cauſa indicauit. *vidi per noctem*, ſiue vt Hebraicè eſt, *vidi noctem*, addito articulo demonſtratiuo *Ha*. Solent aliquando homines magnis in quiete ſomniis adeò ſtimulari, vt in ipſo etiam ſomniandi articulo, veræne an ſecus illæ ſibi offerantur ſpecies, incerti ambigant, quas poſtea excitati, quamuis mirabiles, ſomniorum tamen nomine narrant: quibus non ſecus ſtimulatos atque affectos

Gen. 41. ſeſe fuiſſe affirment ac ſi veræ eſſent. cuius exempli illud eſt: Vidit Pharao ſomnium, putabat ſe ſtare ſuper fluuium, &c. & cùm ipſe etiã narraret, aiebat, Vidi ſomnia, &c. In iis autem, quibus humana mens ad futuras abſentéſve & occultas res cognoſcendas (quæ diuinatio dicitur) agitatur modis, poſtremũ & infimum gradum ſomnia tenẽt; quòd in eo ordine ſunt, in quo multa ſæpè viſa incerta, multa vana & nihili habenda dormiẽtibus oſtẽdantur; vtpote ab aliis, quàm diuinis cauſis obiecta: quanquam ea, quæ Deus prouidendi cauſa nonnunquam dat, certis quibuſdam notationibus, vt agnoſcantur, confirmare ſolet. de quibus nos aliàs, modò ille votis adſit, dicemus, ne quis verò ex temporis ratione, quodnam ſpecierum genus hoc fuiſſet, quærere poſſet, dubitationem expoſitione præueniens Vates tollit, ſe nocte quidem, tamen non ſomniantem, ſed vigilantem ſpecies eas, quas narrare paret, fuiſſe intuitum: atque ob eam rem hoc verbo vtitur, *vidi nocte illa*. namque aliis fortaſſe noctibus aliquid ſomniauerit; illa tamen nocte non ſomnians, ſed vigilans viderit, quæ nobis narraturus eſt. [*Ecce vir aſcendens ſuper equum rufum.*] Orbis imperium Alexandri Macedonis virtute à Perſis adimendum, ad Græcoſque transferendum hoc ſpectrum ſignificabat: in quo viri ſpecies vati obiecta eſt. quæ vox hominem præſtantem & rebus gerendis idoneum indicare in ſacro ſermone ſolet, vt illud: Nunquid non vir tu es? & quis

1. Sam. 26. alius ſimilis tui in Iſraël? &c. Qualis etiam Alexander Macedo fuit, vir omniũ, quos priſca ætas inter gentes tulerit, verè maximus, qui duodecim annorum exiguo ſpatio tot tantaſque res bello geſſit, vt nemini alij ex mortalibus fuerit comparandus. Huic præter alia plurima adiumenta, quæ terrarum orbis imperium portendere iudicata ſunt, mirabilis ille equus vni domino ad vſus parens contigit: quem ob formæ & coloris ſpeciem Bucephalon ſui nominarunt. de cuius monſtroſa erga cæteros ferocitate, & incredibili atque ſtudioſa etiam erga dominum manſuetudine & facilitate plura etiam apud Ioſephum Gorionis filium Hebraicè leguntur, quàm ab vllo vel Latinorum, vel Græcorum ſcriptorum tradita ſunt. Huius autem equi rufo, hoc eſt, bouinam pellem referentis colore (nam rufi plerunque boues ſunt, maximè autem in calidioribus regionibus) imaginem Vati Deus ſpectandam propoſuit cum equite ipſo, qui inter profundi myrteta conſtitutus erat: quæ omnium antiquiorum communi ſententia, Babylonis regionis & vrbis ipſius ſitum ſignificant. quippe Babylon in Senaaris regione ſita Euphratis tum alueo, tum deductis per foſ-

Eſd. 2. ſas aquis omnis ambitur: in qua maximam myrtetorum copiam gigni, & loci calidi atque fertilis commoditas, & eorum, qui eò venerint, obſeruatio docet, vt Abrahami Eſdræ filij etiam teſtimonio confirmatur. Illa autem tota regio ad Iſraëlitidem collata humilis omnino & depreſſa iacere videtur, ſicut ſcriptum eſt: Hi ſunt autem prouinciæ filij, qui aſcenderunt de captiuitate, quam tranſtulerat Nabuchodonoſor rex Babyloniæ, &c. Quòd verò in eo loco viſus fuiſſe vir dicatur, id nimirum ſignificat, eius regionis Alexandrum potitum extremam Dario eiuſque imperio cladem attuliſſe: in qua etiam regione ipſe quoque vltimum obierit diem, vt præter alios auctores Ioſephus etiam Hebræus memoriæ prodidit. Eius verò vita iam functi imperium in quatuor præcipuè partes diuiſum, quatuor regibus gerendum ceſſit, atque in complures præterea principatus diſtributum eſt, in duodecim videlicet, vt quidam ex auctoribus enumerant, ſed qui præcipui & maximi, poſt eius mortem, rerum potiti ſunt, quatuor dicuntur, vxor videlicet

Alexan-

Alexandri ipſius cum poſthumo, vt aiunt, filio, cui Macedonia & reliqua ferè Græcia ceſſit; & Ptolemæus, cui Ægyptus atque Alexandria; Seleucus, cui Aſſyria ac Babylon; atque Antigonus, cui Perſis regio & reliquæ Aſiæ partes obtigêre. Hos & cæteros, qui priuatis prouinciis & regionibus poſt Alexandri obitum præfuerint, non tanta auctoritate atq. potentia illuſtres, rebus tamen gerendis & bello idoneos, variorum equorum imagine Zacharias vidit, nempe coloris rufi, varij & albi, quòd neque ex iiſdem generibus & familiis omnes, neque iiſdem vitæ & agendi moribus & conſuetudine vterentur; ſiue quòd certis variis ornamentorum atque inſignium delectarentur generibus, quæ alios ab aliis ſingulariter diſtinguerent: quorum exacta deſcriptio, quòd res ipſa nimis minuta eſſet, à ſcriptoribus prætermiſſa, nobis etiam ignota eſt. Vbi Latinè legimus *varij*, Hebraicè eſt, *Serukim* cuius nominis nullam certam notatióně Hebræi grammatici deſcribunt; vox tamen ipſa, ſericum aut ſericeum ſignificat, & in ſacris libris veſtes aliquando elegantiſſimæ, quales ſericeæ ſunt, hoc nomine dicuntur: idemque verbum Arabicè ſericum, ex quo veſtes conficiuntur, indicat, vt fuluus ille inter flauum color, quo ſericum, antequam alio fuco infectum ſit, conſpicitur, nobis ſignificari videatur. Quis verò propriè rufus color, hoc eſt, bouinus ſit, Chaldæus paraphraſtes docet, reddens *Szumak.* eſt autem *Szumak* planta ex arbuſtorum generibus, qua exſiccata coriarij ad pelles condiendas parandaſque vtuntur, cuius etiam fructum commolitum antiqui Græci pro ſale menſis adhibebant. Appellant autem medici plantam *Rhus*, Hiſpani pariter cum Chaldæis & Arabibus *Szumak*, quæ huiuſmodi colore non modò pelles, ſed manus etiam vnguesque cerdonum tractata inficit. Siue igitur Alexandri regnum quatuor hæredibus diſtributū, filio primùm, qui eiuſdem generis cùm ſit, eodem patre rufo cum patre ſignificatus eſt, & aliis tribus, quos diximus, qui equorum rufo, ſericeo & albo coloribus diſtinctorum ſpectris oſtenſi fuêre, ſiue in duodecim in vniuerſum partes, vt iam indicauimus, diuiſum, & varij ingenij hominibus delatum intelligere placeat, integra vtrinque & ſibi conſtans viſionis interpretatio & ſententia eſt: quam Danielis expoſitio vehementer confirmat. Porrò, inquit, hircus caprarum rex Græcorum Daniel.7.
eſt, & cornu grande, quod erat inter oculos eius, ipſe eſt rex primus. Quòd autě fracto illo "
ſurrexerunt quatuor pro eo, quatuor reges poſt eum conſurgent, ſed non in fortitudine "
eius. hæc Daniel, qui & alibi etiam de Alexandro prædicens ait: Surget verò rex fortis, & Daniel.11.
dominabitur poteſtate multa: & faciet quod placuerit ei, & cùm ſteterit, conteretur regnū "
eius, & diuidetur in quatuor ventos cæli: ſed non in poſteros eius, neque ſecundum poten "
tiam illius, qua dominatus eſt. lacerabitur enim regnum eius etiam in externos exceptis "
his, &c. Igitur maximè Alexander cæteris præſtare eo ſigno iudicatus eſt, quòd ipſe equeſtris viri, alij verò equorum tantum ſimulachris Vati oſtenſi fuerint; neque viri appellari, vt ille, quòd viri nomen magna cum excellentia præſtantiaque reliquorum appellari ſoleat. At verò viſi magnitudinem admiratus Vates, interpretationem doceri ab eo angelo, qui ſibi dux & vaticinij à Deo miniſter contigerat, cupit & rogat. [*Et dixi, quid ſunt iſti Domine mi?*] Angelum Dei ſibi ad propheticum munus deſtinatum, interrogatum eſſe, & tertiæ perſonæ pronomen, & reſpondentis indicatio arguunt. neque enim virum equeſtrem rogans, *quid ſunt iſti?* ſed, quinam eſtis, dixiſſet. Ipſe autem qui reſponderit, interrogatum ſe eſſe oſtendit. [*Et reſpondit angelus qui loquebatur in me.*] Angelorum opera & miniſterio à ſpiritu diuino ad prophetas vaticinandi munus delatum olim fuiſſe, præterquam quod diuus Paulus apertè confirmat, ipſorum etiam vatum teſtimoniis docemur. Multifariam mul- Hebr.1.
tiſque modis olim Deus per angelos locutus eſt in prophetis, &c. Zacharias angelum in "
ſe locutum ait. eſt autem illa huius orationis ſententia, Angelus, qui diuinas res & rationes "
orationeſque inſtillans mihi ſuggerebat, is ita reſpondit, *Ego oſtendam tibi, quid ſint hæc.* Hebraicè & Chaldaicè ſic: *Ego videre te faciam quid ipſa hæc.*] non reſpondit ſeſe Vati ſpectri illius rationem explicaturum, neque docturum, quid illis imaginibus portenderetur (neque id etiam ab angelo factum narratur, nempe vt viſio oratione explicaretur) ſed magis videre facturum, quid ipſa res eſſet, promittit. Neque verò videre per excellentiam eius ſenſus pro audire vel intelligere, vt aliquando contingit, interpretamur, ſed ſimplicem potius verbi ſignificationem obſeruantes, promiſſam Vati rerum ipſarum veram ſpeciem non longo adeò tempore pòſt viuenti atque ſentienti ſpectandam promitti arbitramur; vt Perſici imperij ætas non diuturna fore hoc etiam argumento probaretur; nimirum intra quadraginta annos omnino exigenda: cuius rei videndæ & noui Græcorum imperij faciem ſpectandi vſque ad Alexandri obitum, & eorum, qui ſuccederent, diuiſionem, quod quinquennio ferè pòſt tranſigendum eſſet copia Vati adhuc ſuperſtiti daretur: cui per ætatem, quo minus id contingeret, nihil obſtabat; vtpote tunc iuueni adhuc cùm hæc oſtenderentur, id quod inferius indicatur, Dic puero huic, &c. Itaque non quid hæc ſpectra ſigni-

ſignificarent, auditurum modò, ſed quid verè & re ipſa eſſent, viſurum tādem Zachariam, angelus illa oratione promiſit. [*Ego oſtendam tibi quid ipſa met hæc.*] hoc Hebraicè ſcientibus verba *Hema elle*, ſignificant.

Et reſpondit vir qui ſtabat inter myrtheta, & dixit, Iſti ſunt, quos miſit Dominus, vt perambulent terram.

RESPONDERE hoc in loco non tam Latina, quam Hebraica ſignificatione accipimus, vt verba facienti vel ſermonem habenti etiam non rogato, ſed vltrò inchoanti cui-
Iob 3. piam verbum aptè conueniat: vt, Et reſpondit Iob, & dixit: & reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi pater, &c. neque enim hic rogatus aut à Vate, aut ab angelo fuerat, vt reſponderet: ſed quod Alexander ipſe iam fermè moriens de imperio in quatuor illos præcipuos hęredes diuidendo reſponſum decretumque fecerit, id non caſu, ſed diuino conſilio factum eſſe oſtendere volens Vates à ſe auditum prædicit. atque ita omnium rerum, vt geſtæ tandem ſunt, ordinem ante oculos poſitum, ad diuinā magis prouidentiā, quàm ad humanam virtutem aut ſapiētiam referendū docemur. [*Vir qui ſtabat inter myrtheta.*] Alexander vir ille, qui apud Babyloniam & regno & vita perfunctus hæredes regni quatuor præcipuè non
Daniel.11. inuitus, ſed ſciens prudenſque ac volens reliquit. id quod & Daniel indicat dicens: Exceptis his, quibus ex diuini conſilij decreto terræ quatuor partes ad ſubigendum tribui confirmaret. deinde verò quemadmodum ea res agenda conficiendaque tandem eſſet, ipſorummet regum & principum reddita ratione confirmatur, qui grandiori voce ſublata ſuas vnumquemque partes diligenter ac ſtrenuè egiſſe ſignificarunt.

Et reſponderunt angelo Domini, qui ſtabat inter myrtheta, & dixerunt, Perambulauimus terram, & ecce omnis terra habitatur & quieſcit.

MVNVS, quod ſibi ex diuino conſilio delatum eſſet, diligenter & ſedulò expletum ex euentus indicatione ſinguli ex iis, qui ſtabant inter myrtheta, coram angelo profeſſi ſunt. namque orationem illam, *Qui ſtabat inter myrtheta*, verbis, *reſponderunt & dixerunt*, potius, quàm *angelo Domini* coniungendam arbitramur. quippe hæc Hebraici ſermonis non infrequens figura eſt, vt cùm de pluribus aliquid dicatur, quod ſingulos attingat, verbum pluraliter, nomina verò ſingulariter proferantur: vt, Audite populi vnuſquiſque. quæ figura ſyllepſis Græcis dicta eſt. neque enim angelum aliquem inter myrtheta fuiſſe antea audieramus, quem relatiuum illud, *qui ſtabat*, nunc indicaret; imò angelum apud Zachariam docendi & alloquendi cauſa proximè fuiſſe cognouimus: qui autem reſponderint & dixerint, niſi illi, qui ſtabant inter myrtheta, quos & vir muneri obeundo à Deo præpoſitos dixerat, nulli planè alij hactenus oſtenſi ſunt. eoſdem verò illos fuiſſe ſubiuncta ſingulorum oratio declarat, *Perambulauimus terram.* Omnes regiones ſibi iam ſubiectas imperioque parentes atque omnino pacatas narrant: ita vt libera ſibi & integra vndique perambulatio fuerit, nulla iam aut bellorum aut nouarum rerum vel ſuſpicione minima retardata, quòd omnis terra inhabitetur, & omnibus omnino bellorum motibus compreſſis quieſcat. hoc enim in hoc atque aliis locis verba hæc ſignificant, [*habitatur & quieſcit*, ſiue, vt Hebraicè eſt, *Sedet & quieſcit.*]
Ioſu.11. ita apud Ioſue verbum *Sakat*, id eſt, quieſcere, bellorum finem & regionem planè ſubactam
„ oſtendit. Cepit ergo Ioſue omnem terram, ſicut locutus eſt Dominus, & tradidit eam in
„ poſſeſſionem filiis Iſraël. quieuitque terra à prœliis, &c. eiuſdem ſententiæ & illud apud Latinos eſt: *Te cade gaudentes Sicambri, Compoſitis venerantur armis.*
Hor.lib.4. Od.14. adde quòd perambulare Hebraicè, eſt liberè & ſine vllo impedimento, vt domini ſolent, loca peragrare, cùm quintæ coniugationis verbum ſit. atque hactenus hæc prima viſio eſt.

Et reſpondit angelus Domini, & dixit, Domine Deus exercituum, vſque quo tu non miſereberis Ieruſalem & vrbium Iuda, quibus iratus es, iſte iam ſeptuageſimus annus eſt?

IN regnorum & terrarum omnium tranquillitate, quam futuram prædixerant illi, qui inter myrtheta erant; Ieroſolymorum tamen & Iudææ gentis miſeriam & ærumnas nō alleuari angelus Dei, cui Iſraëliticarum rerum cura erat, vidit, atq; de ea re ſtudioſè cum Deo agit, tantarum calamitatum modum ac finem, quiſnā foret, cognoſcere deſiderans: ac tandem felicis exitus reſponſum à Deo oblatum Vati ad publicam populi ſpem edendū reddit. *Reſpondit* orationis habitæ index verbum eſt. Conſtat autem oratio exordio, propoſitione & confirmatione, atque omnis opportunis argumentis vſa commodiſſimis affectibus omnino abundat, & in ſumma breuitate maxima rerū & verborum ad impetrandum momenta habet, vt planè angelicum opus probet. [*Domine Deus exercituum.*] Prius nomē abſolutum diuinæ clementiæ ac miſericordiæ immenſas rationes continet, cuius & pia appellatio multum ad impetrandum ponderis habeat, ſicut ſcriptum eſt: Prope eſt Dominus omnibu

omnibus inuocantibus eum. porrò ſyntacticum nomen exercituûm, Dei virtutem & ad quaſcunque vel maximas res agendas facultatem ſummam ſignificat; vtpote cui nō vnus, ſed plurimi exercitus maximi & inſtructiſſimi ac dicto parentes proprij ſint. neque enim alius præter ipſum. variorum, hoc eſt, ſuperiorum & inferiorum exercituū Dominus dici iure poteſt: ita ex oſtenſa facultate propoſitionem ſuam angelus confirmat, vna tantum diuina, nulla alia præterea humana vi effici, vt Iudaicæ res tam diu in ſumma miſeria, in metu & calamitate verſentur. [*Vſqueque tu non miſereberis Ieruſalem?*] *vſqueque* modi atque finis incerta ratio in miſeris rebus animum ſuſpenſum grauius etiam premit. [*tu non miſereberis.*] Argumentum ex comparatione eſt. quanquam, inquir, terra omnis, quæ iſtis tributa eſt, aliquando bellis perturbata ſit, quiete tamen & tranquillitate breui fruetur; atque vnaquæq. regio principi ſuo ſubiecta, ſtudioſè nihilominus fouebitur & coletur: cui tamen neq. propria eſt, neque hæreditatis, ſed permiſſi à te belli iure obuenerit; neque propterea deterius & grauius affecta, quòd nouo principi & domino ſuſcipiendo ſumptis etiam armis repugnauerit, tamen in victos & captos non hoſtili ſæuitia, ſed regia clementia actum eſt, neque iræ tempus bellum ipſum ſuperauit. *Tu* verò, cuius proprium miſereri ſemper & parcere eſt, *vſquequo non miſereberis Ieruſalem*, ciuitatis tibi vni conſecratæ, atque in regiam propriam delectæ, & *vrbium Iuda*, cuius te principem ac regem egregiis atque illuſtribus rationibus præbueras. Notus enim in Iudæa Deus: in Iſraēl magnum nomen eius. & factus eſt in Salē locus eius, & habitatio eius in Sion. ibi confregit potentias arcuū, ſcurū & gladiū & bellum. illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, &c. [*quibus iratus es, iam iſte ſeptuageſimus annus eſt.*] Atqui ſi cæterarū regionum & regnorū, quæ te non nouerūt, quæ nomen tuū non inuocauerunt, ærumnæ & calamitates, vt abs te iuſtiſſimè decretæ, cum Iudæorū diuturna miſeria conferantur, tua in illos ira breuior multo arguetur, quam copioſius effundi in eos qui nomen illud ſanctiſſimum tuū negligunt, Pſaltes orauerat; ſi verò adhibita in ſubiectis miſericordia cōſideretur, celerior ac maior hominum inimicorum, atq. ad potētiam & opes ambitione magis, quàm publicæ rei ſtudio contendentiū, erga eos, quos repugnātes coēgerint, quam tua erga hos, quos peccantes corrigis, videbitur; quippe cùm hic pace terra marique parta, omnem regionem ad quietē ſibi reuocatam prædicet, idq. adeò breuiſſimo tempore: tu verò tuis vrbibus & populis ſeptuageſimo iam anno iratus & infenſus, nullū hactenus miſeriarum modum ſtatuiſſe promiſiſſeque videris, cùm nomen iſtud miſericordiæ, & benigniſſima natura humanæ clementiæ rationes & vſum omnem infinito ſuperet interuallo. Huiuſmodi angelicæ orationis breuiter explicatæ ſententia eſt: cuius exemplum atque exitus ſuſcepta à beatis ſpiritibus humanarum rerum patrocinia non ſolùm probat, ſed optanda etiam expetendaque nobis commendat. Vt verò Iudaicarum rerum cura & ſolicitudine angelus adhuc etiam reſtitutis iam in patriam Iudæis ageretur, illud in cauſa fuit, quòd regnorum & regum aliorum etiam in occupato regno quiete præuiſa, Iudęorum tamen res in ancipiti & incerto eſſe viderentur loco; vtpote quę ex Babylonica ſeruitute vix nuper ereptę, Perſis eo tempore ſuberant: quorum fidei & voluntati nihil credendum eſſet, nimirum inconſtanti, & cui inceptum templi opus rurſum impedire, ſi libēret, facilè eſſet. id quod prohibita mœnium reſtitutio arguebat. Porrò ſubeunda illis Græcorum quoque potentia diuinam iram quodammodo perpetuam minari videbatur. cuius finem admirabili oratione procurans angelus tandem impetrata re intellexit, atque pro ſummo ſuo in gentem illam ſtudio ad perpetuam hominum memoriam & communem ſpem ſubminiſtrandam Vati decantandam tradidit. Quod verò ad temporum rationem, quam angelus indicauit, pertinet, ſecundus Darij annus, cùm Vates hæc vidit, ſeptuageſimus à Solymorum exciſione erat.

Pſalm. 75.

Et reſpondit Dominus angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba conſolatoria.

TANTVM piæ ſanctorum & Deo dilectorum ſpirituum, quales angeli, quales beati etiam, qui in cęleſti curia verſantur, ſunt, in miſerorum atque afflictorum hominum cauſa orationes valent, vt reſponſa nō modò argumento ipſo & ſententia bona, ſed verbis etiam lenibus & placidis, ac pronuntiationis modo ſuauiſſimis cōſolatoria à Deo quem ſummo iure iratum deprecantur, auferant: Quia ſuauis Dominus vniuerſis, & miſericordia eius ſuper omnia opera eius. Neque verò leuiter animaduertenda nobis hæc adiuncta Vates propoſuit, [*verba bona, verba conſolatoria:*] quæ ſi diligenter perpendantur, plus de diuina natura, de iuſtitia, de miſericordia, de lenitate atque paterna cura, de ſanctorum patrocinio, de miſerorum ſpe atque afflictarum rerum remedio ponderis habere probentur, quàm in tanta breuitate exiſtimari à quoquam poſſit. Eorum verò verborum, quæ angelus audierit, ſi non modos & ſuauitatem, ſententiam tamen conſolationis & ſpei plenam, maximo-

Pſalm. 33.

maximorumque myſteriorum abundantem Zachariæ in hominũ ſalutem peruulgandam reddidit: atque prius verba bona, quæ ad iuſtitiam æquitatemque pertinent, referuntur.

Et dixit ad me angelus, qui loquebatur in me, Clama, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum, Zelatus ſum Ieruſalem, & Sion zelo magno, & ira magna iraſcor ego ſuper gentes opulentas: quia ego iratus ſum parum, ipſi verò adiuuerunt in malum.

DIVINAS rationes quamuis hominibus ob imperitiam aliquando obſcuras, certas tamen atque ſibi ipſis conſentaneas eſſe, hoc ab angelo ad ſapientum & piorum vtilitatem edi iuſſum præconium declarat, *Clama dicens*; & angeli ſedulitatem ac ſtudium, & rei ipſius magnitudinem atque vtilitatem publica notitia digniſſimam, hæc peruulgandi cura probat, quòd miſericordiæ & clementiæ diuinæ ratio integra ſemper eſſe, ac perpetuo vſu ſibi conſtans docetur; ſed hominum malitia perſæpe fieri, vt hæc res minus fortaſſis appareat, quam tamen Deus ipſe opportunè in lucem editam ab omni falſa & mendaci impiorum aut imperitorum opinione vel ſententia vindicet: vt quod de ſuæ & hominum iræ, de vtrorumque miſericordiæ comparatione ſuperius dictum fuerat, ita explicet, vt nunquam vel ſuam iram tantam, vel miſericordiam adeò anguſtam fuiſſe aſſerat; atque hominum ipſorum peruerſitate, vt viderentur, commiſſum fuerit. nam quæ ille in aliis hominibus ad aliorum correctionem & paternam animaduerſionem permittit, nonnunquam eorum, qui ſuperiores ſunt, culpa & crudelitate, contra ius, contraq. fas, modũ omnem excedũt; atq. iis, qui de diuinis rebus malè aut indoctè ſentiunt, ad prauas interpretationes anſam dant: quas tamen magno eorum, qui cõmeriti fuerint, malo redarguere & diluere Deus ipſe ſoleat, vt in Ieroſolymorũ & Iudæorum cauſa oſtenditur, in qua dicit Dominus exercituum, cui & in conſiliis miſericordia, & in agendis iis, quæ decreuerit, facultas ſumma eſt. Ipſe igitur & miſericors & potens, hæc de ſuis & de hominum rationibus profitetur. [*Zelatus ſum Ieruſalem & Sion zelo magno.*] Religionis res magna cura ſe ſuſcipere, neque inultum pati, vt cum nominis & laudum ſuarum offenſione populus aliquis, quem ille corrigendum curarit, vehementius etiam, quàm æquitatis ratio fert, lædatur, magnis editis iudiciis, & grauiſſimo de impiis & nocentibus ſumpto ſupplicio, ſeſe iam oſtendiſſe, & porrò oſtenſurum confirmat. [*Zelatus ſum Ieruſalem & Sion zelo magno.*] Grauiſſimas de Babyloniis pœnas, ob vexatam cum nominis honorumque ſuorum detractione plus æquo Ieroſolymã ciuitatem, ſibi vltori ſumptas ſignificat. illi namque non focis modò, ſed in numinis contemptum ſui, neque aris etiam Ieroſolymitanis pepercerant, omnia loca ac maximè fanum ipſum celeberrimum vni Deo vero in ea vrbe conſecratum ſtudioſè ac nefariè illato igni vaſtarunt. Hic eſt Zelus ille magnus, quòd grauiſſima ſe vltione in Aſſyrios ob immanitatem & impietatem vſum oſtendat; tantum abeſt, vt miſericors erga Ieroſolymitanas res non fuerit, vt etiam ſuum de ea cauſa iudicium, iſtorum populorum maxima calamitate & regũ extin-
קנא ctione pronuntiauerit. Zelus & zelari, idem hoc in loco, quod Latinis vlciſci eſt, KANAH Hebraicè. Hęc ad Aſſyrios nuper ſupplicio affectos ſentẽtia ſpectat, ad Perſas verò & Gręcorum regna in magna tranquillitate conſtitutas gentes, perpetuæ felicitatis opinione atque ſpe concepta, erga ſacram Dei religionem nefariè, inhumanè ac impiè ſeſe gerẽtes, illa etiam dicuntur. [*Et ira magna ego iraſcor ſuper gentes opulentas*] Vt verba temporibus, ſic res ipſę ſententiis diuiſæ explicãtur: illa prima præteritum, hæc præſentia futurum reſpiciunt, tam Perſarum quàm Græcorum imperij cum maxima clade mutationes, quæ ira magna diuina iam tunc parabantur, cùm Vates hæc audierit. *ſuper gentes opulentas*, Hebraicè SAANANIM, quiete & tranquillitate plenas ſignificat, nihilq. ſibi aduerſi metuentes: cuiuſmodi ſpes occupatum ac fundatum imperium hominibus facere ſolent, qualem tamen rerum ſtatum nihil in toto orbe, præter veræ ſapientiæ cum ſumma pietate & innocentia ſtudium,
» confirmare poteſt, ſicut ſcriptum eſt: Qui autem me audierit, abſque terrore requieſcet, &
» abundantia rerum perfruetur, terrore malorum ſublato. vbi idem verbum SAANAN eſt. Itaque primum idem diuinum iudicium aliis editum, aliis intẽtum vidimus, deinde commune omnibus crimen aſſcribitur, quòd Ieroſolymorũ imminutas res, non diuini conſilij, ſed ſuæ ipſorũ virtutis & felicitatis rationibus interpretati, immaniter & nefariè etiã cum numinis & religionis contemptione prorruerint. [*Quia ego iratus ſum parum, ipſi verò adiuuerunt in malum.*] Deus parentis modo ad correctionem, ad religionis & pietatis vindicationem exiguam, ſed vtilem iram geſſerat: illi verò diuinæ iræ miniſtros non eodem ſtudio, ſed in malum, in contrariam omnino & peruerſam rationem ſeſe præbuerunt. Namq. Aſſyrij primum omnem pietatis & humanitatis finem prætergreſſi, in omnem ætatem & ſexum ſæ-
Iſai 47. uientes, funeſtos ignes etiam templo per ſummum nefas intulerunt, ſicut ſcriptũ eſt: Iratus
» ſum ſuper populum meum, contaminaui hęreditatem meam, & dedi eos in manu tua: non

poſuiſti

poſuiſti eis miſericordias,ſuper ſummum aggrauaſti iugum tuum valde.& dixiſti,In ſem-
piternum ero domina, &c.Idem iudicium à Deo iuſtiſſimo & incorruptiſſimo iudice Per-
ſas & Græcos eandem culpam ſuſtinentes exſpectare conſequens fuit. etenim apud Per-
ſas Aſſuerus falſis criminibus & calumniis attendens,animum, vt omnes Iudæos occide-
ret,induxerat,præter alia etiam quæ perferre gens illa,quoad rerum potiretur,indigne coë-
git. At verò à Græcis poſt Alexandrum ad impium Antiochum vſque & vltrà etiam,quot,
quam impij & vehementes in Iudæam & Ieruſalem impetus facti fuerint, qui cognoſcere
cupit, præter Danielis vaticinia, Machabæorum etiam hiſtoriam legat. Ex his verò quæ
deſcriptæ hoc in loco ſunt,ſentẽtiis illud docemur, regnorum & imperiorum omnium ra-
tiones non humana felicitate, virtute, facultate & opera, ſed diuino conſilio & voluntate
conſtare, mutationes verò hominum ipſorum culpa & diuina ſententia prouidentiaque
fieri, ſicut ſcriptum eſt: Hunc humiliat & hunc exaltat: quia calix in manu Domini,&c. Pſalm.74.
Hactenus verba bona, nunc deinceps conſolatoria verba ſunt.

Propterea hæc dicit Dominus, Reuertar ad Ieruſalem in miſericordijs: domus mea ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum: & perpendiculum extendetur ſuper Ieruſalem.

CONSILIVM illud antiquum ſuum, quod de communi hominum ſalute Ieroſoly-
mis tandem per Chriſtum Ieſum Nazarenum expleturus erat Deus,adhuc ſe exequi apud
hunc Vatem etiam,vt apud cæteros profitetur,atque ad eam expediendam rem quæ com-
moda & idonea ſunt,regnis etiam & imperiis,omnibusque,qui contrà conentur, cum ter-
renis tum infernis hoſtibus contemptis,apparare fouereque ſe dicit,vt Ieroſolymorũ mu-
rorum refectionem, ciuium reſtitutionem, & templi illius materialis (quod tertium longè
præſtantiſſimum ſignificabat)reædificatio nem,ſacrorum & religionis inſtauratiõẽ, hæc
omnia ſuo illo benigniſſimo vultu,quo cælum tempeſtateſque ſerenat, promouenda iam
ſuſcipiebat. [*reuertar,*] qui per iram auerſus videbat,vnde res omnes interire conſequeba-
tur,ſicut ſcriptum eſt: Auertente te faciem tuam turbabuntur, &c. Idem reuerſus omnia
promouens recreabo & fouebo. [*In miſericordijs.*] Hebraicũ nomen viſcera miſericordiæ,
qualia matris aduerſum filios ſunt,ſignificat;atque vt ex frequenti lectione obſeruauimus,
Deo in iis rationibus, quæ ad peccatorum condonationem ſpectant, ſæpiſſime aſſcribitur.
eſtque ea maxima diuinæ miſericordiæ in Hebræa, Chaldæa, Arabicaque lingua appella-
tio,quæ ad magnitudinem & immenſitatem indicandam plurali numero vſurpatur. Hæc Lucæ 1.
ſunt viſcera illa miſericordiæ Dei noſtri,in quibus viſitauit nos oriens ex alto, &c.Hæc ve-
rò ſeſe facturum potentiſſimus Deus, vtpote Dominus exercituum recipit. [*Et domus mea
ædificabitur in ea.*] ſecuro animo ædificationis opus vrgere iubentur Ieroſolymitani,illud ſibi
ex diuino verbo perſuaſi,nullis iam hominum inimicorum conatibus impeditum iri:neq.
verò hoc ſolùm,ſed ſublatos etiam demolitione muros, additis ac diſpoſitis turribus, refi-
ciendos eſſe ait. [*Et perpendiculum extendetur ſupra Ieruſalem.*] Hebraicè CHAV lineã potius quã
perpendiculum ſignificat,id quod adiunctum verbum *extendetur*, arguit.namque ædificato-
res perpendiculum demittunt,'lineam extendunt, altero murorum rectitudinem exami-
nantes,altera verò longitudinem metaturi. atque de mœnibus ipſis, quibus vrbes cingun-
tur,agit nunc Deus,quam ob rem vrbis nomen abſolutè appellat. Vt vero diuinum etiam
promiſſum,hoc Nehemia procurante,præſtitum fuerit,ex illius narratione apertè cogno-
ſcitur.cauſam porrò quam ob rem hæc decernat paretque Deus,publicè proclamatione &
decantatione indicare Vates iubetur,videlicet id,quod ſuperius diximus, de humana ſalu-
te ſuſceptum conſilium, quod adhuc exequebatur.

Adhuc clama dicens, Hæc dicit Dominus exercituum, Adhuc affluent ciuitates meæ bonis: & conſolabitur adhuc Dominus Sion, & eliget adhuc Ieruſalem.

ADHVC *clama.*Chaldæus bene explicuit, *adhuc vaticinare.*] Maximã rem & alterius etiam
generis à ſuperiori arguit hæc vaticinij ab angelo repetita procuratio,nimirum ex earũ re- Hebr. 1.
rum genere eſſe oportere,propter quas angeli erga homines libẽtiſſimè ſeſe miniſtros præ-
ſtant,in miniſterium miſſi propter eos,qui hæreditatẽ capiunt ſalutis.atqui de alia re,quam
de Ieroſolymorum illa reſtitutione, quæ Zachariæ ætate contigit, hoc in loco agi, præter-
quam quod repetita de integro vaticinatio,& verba illa,*adhuc, adhuc*, & *conſolabitur*,& *eliget*, ar-
guunt,ipſa verbi *affluent* Hebraica vis manifeſtè probat. eſt enim Hebraicè verbum NA-
PASZ,quod propriè diſperſionem ſiue effuſionem ſignificat:qualis fuit illa filiorum Noë
per vniuerſum orbem,propriis ſedibus,vbi nati & educati fuerant,relictis.Itaque affluent,
idem eſſe dicimus,quod effluent.quo verbo ſecundam illam Iudæorum calamitatẽ, in qua
ob repudiatum Chriſtum hactenus etiam ſunt, & futurum in Dei gratiã reditum præcini

exiſtimamus. vnum, inquit angelus, quod adhuc Ieroſolymis & cæteris Iudææ regionis vrbibus, ob incolarum ſcelera, periculum procreatur, adhuc denuntia, vnumque poſtremum ſalutis optandum exitum, qui diuinæ gratiæ dono continget, vaticinare. [*Adhuc affluent ciuitates meæ bonis*, Hebraicè, *adhuc diſpergentur ſiue effluent ciuitates meæ à bono*,] ita vt ſibi ipſis cauſæ ſint, quam ob rem à bono rerum ſtatu, in quo erant deiectæ, diſſipentur: atque hanc expoſitionem cum Hebraici ſermonis ratio, tum ſententiæ vis exigere nobis videtur. ſuum ſanè cuique eſto iudicium. hactenus dimidium carminis eſt: ſequitur alterum cum particula rerum conuerſionem & exitum in loco indicante. [*Et conſolabitur adhuc Dominus Sion.*] Non illa conſolatione magis terrena, quam ſpirituali, in qua iam tunc erant, ex Babylone videlicet reuerſi & templum ædificantes, domos atq; agros colentes, ſed alia adhuc planè diuina conſolatione eius generis, de qua dictum eſt: Conſolamini, conſolamini populum meum, &c.

Iſai.40. huius verò conſolationis Deus ipſe auctor erit, *Dominus*. Igitur diuinam eſſe oportet per ſpi-
» ritum ſanctum illis datum ex veri Meſſiæ Ieſu Nazareni cognitione: quam quidem felicitatem ex his in quibus nunc iacent tenebris, non ſuo conſilio & opera, ſed Dei miſerentis voluntate & benignitate erepti viſuri ſunt. Quòd verò Dei donum hoc verè ſit, explicat, addens illud: *Et eliget adhuc Ieruſalem.* Electio non volentis nec currentis, ſed miſerentis Dei opus eſt, qui vt gentes ex iſtorum caſu ad vitam vocauit, ſic iſtos rurſus ex gentium pleni-

Rom.9. tudine Sion & Ieruſalem cæleſtis ciues verè facturus vocabit. Atque hoc ipſum myſterium
» vox illa *adhuc*, indicat, quæ Hebræis eſt *Ghod*, non tantùm temporis, ſed rerum magis argumentum ſignificans, vix omnibus illis Latinis explicabilis, adhuc, præterea, vlterius, amplius etiam: quæ vox quater in hoc verſu repetita non pleonaſmum, ſed cuiuſmodi myſterium indicauimus, arguit.

Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce quatuor cornua. & dixi ad angelum, qui loquebatur in me, Quid ſunt hæc? & dixit ad me, Hæc ſunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam, & Iſraël, & Ieruſalem.

QVARTAM Ieroſolymorum calamitatem doctus, à quo tamen hoſte afferendam eſſe putaret incertus vates, hoc ſecundo ſpectro docetur, non à Perſis neque à Græcis, ſed ab vltimo Romano imperio importandam fore. quippe ita diuino conſilio decretum erat, vt Iſraëlitæ & Iudæi ſcelerum ſuorum aduerſus Deum ſuum impiç offenſionis quatuor orbis imperiorum temporibus pœnas darent, in gratiam tandē ex diuina benignitate reuocandi; poſtquam illis, per quos puniti eſſent, ſua etiam ob publicam iniuriam conſtituta ſupplicia afferrentur. ita enim Deus ſeſe erga ſceleratos & nocentes ſeuerum iudicem, erga miſerrimos tandem clementiſſimum præbet. [*Et leuaui oculos meos & vidi.*] Vigilanti & ſui ſenſus mentiſque compoti oſtenſum viſumque ſpectrum eſſe ſignificat; vtpote cui vltro leuanti oculos & conſpicienti obiectum fuerit. [*Et ecce quatuor cornua.*] Non tam regnum, quàm

Ierem.47. regni potentiam & ad impugnandam propugnandamq. facultatem ſignificat, iuxta illud: Abſciſſum eſt cornu Moab, & brachium eius contritum eſt, ait Dominus, &c. Quam ſignificationem & apud alias etiam nationes obſeruantes, Græcorum & Romanorum regum atque Cæſarum numiſmata quædam viſimus, quorum coronæ cornibus rectis non indecorè muniebantur. ex qua ratione illa apud poëtas leguntur:

Horat.lib.3. carm.Od.21 *Caue, caue, namque in malos aſperrimus parata tollo cornua.* &: *Vireſq;, & addis cornua pauperi.* Vt igitur omnis Iſraëliticarum & Iudaicarum calamitatum integra Vati conſtaret ratio, atq. diuinæ iuſtitiæ ac prouidentiæ ſimul in vniuerſum orbem exempla grauiſſima probarentur, quatuor imperiorum; Babylonici, quod iam nuper exciſum erat; Perſici, quod nunc florebat, & Græci atque vltimi Romani potentiæ ſimulachrum obiectum ab interprete angelo explicatur. [*Hæc ſunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam & Iſraël & Ieruſalem.*] Cornu nomen ſatis clarè Vati Hebraicè ſcienti potentiam depinxit. quam ob rem alio verbo cæleſtis interpres non explicuit. Iuda & Iſraël cùm regna eſſent, & regio nomine ac dignitate florerent, Aſſyriorũ cornibus ventilata ſunt. Ieruſalem verò non ad regiam maieſtatem, ſed ad quandam reipub. faciem, poſtquam ex Aſſyria remigrauit, redactam Perſæ & Græci primùm vexarunt, ac Romani tandem maximis cladibus affectam & protritam omnino diſſiparunt: à quibus tamen omnibus, quoniam ſæuitia magis & odio, quàm diuini conſilij aut mandati exequendi animo actum eſt, debitas pœnas ſumendas eſſe Vates ipſe etiam videt.

Et oſtendit mihi Dominus quatuor fabros. & dixi; Quid iſti veniunt facere? Qui ait, dicens, Hæc ſunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam per ſingulos viros. & nemo eorum leuauit caput ſuum: & venerunt iſti deterrere ea, vt deijciant cornua gentium, quæ leuauerunt cornu ſuper terram Iuda, vt diſpergerent eam.

ET *oſtendit mihi Dominus*. Hebraicè, *Et fecit me videre Dominus*.] Ipſe Deus iuſtitiam ſuam Vati probaturus, quatuor orbis imperiorum exitus oſtendit, non fortuitos, ſed planè ex diuini iudicij

iudicij certa ſententia futuros. etenim quæ per fabros fiunt opera, certam rationem, quam referant, habent. namque ars non caſu conſtat, ſed rebus in vnum exitum exſpectantibus & nunquam fallentibus continetur. faber autem Hebraicè *Hharaſ* dicitur. quod verbum cogitationem & conſiliũ, vt putatur, apud Latinos ſignificat. fabros igitur lignarios, aut ex iis potius, qui cornuum materiam torquere, dirigere & ad commodos vſus formare norunt, Vates viderat, per quos Imperia illa quatuor flectenda atque tandem abſcindenda fore intellexit, ob illatas publicè tum Iſraëlitis, tũ aliis à ſe victis gẽtibus grauiſſimas iniurias. iidem autẽ fabri qui & cornua fuẽre, maximè in tribus primis Imperiis euertendis, Perſæ Aſſyriis, Perſis Græci, his Romani. quibus demum ſeptentrionales gentes cladẽ attulerunt. Quamobrem in explicatione vtriuſque rei ratio ab angelo ſimul coniuncta commonſtratur, tametſi altera tantùm res fuerat quæſita. [*Hæc ſunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam per ſingulos viros*: Hebraicè, *Quæ ventilauerunt Iudam, vt vir non leuaret caput ſuum.*] Tranſlatione à monocerotibus perpetuò obſeruata Iudaicas res ita ab iſtis regnis protritas eſſe ait, vt nullo niſi tantùm diuino auxilio reſtitui poſſe putandum ſit. eſt enim eius animantis magna ad impellendum, ventilandum atque illidendum in cornu vis; ita, vt qui eius illidentis impetum experiatur, grauiſſimo caſu iactatus reſurgere amplius nequeat. Cuius rei exempla olim in Romanis ludis ſpectata legimus: *Namque binos gemino cornu ſic extulit vrſos, Iactat vt impoſitas taurus in aſtra pilas.* & vt ſcriptum eſt: Cornua rhinocerotis cornua illius, in ipſis ventilabit gentes vſque ad terminos terræ, &c. *Et venerunt iſti deterrere,* turbare, ſiue, vt Chaldæus exponit, concutere, coagitare ea, donec conuulſa aut exciſa deiiciantur. At verò regna orbis hæc eſſe, angelus ipſe explicuit, cornua gentium appellans. Martial. Deut. 33.

CAPVT SECVNDVM.

E*T leuaui oculos meos, & vidi: & ecce vir, & in manu eius funiculus menſorum, & dixi: Quò tu vadis? & dixit ad me, Vt metiar Ieruſalem, & videam, quanta ſit latitudo eius, & quanta longitudo eius.*

FVTVRAM cæleſtis atque propriè vereque dictæ Ieruſalem celebritatem & frequentiam ex eius terrenæ, quæ Vatis temporibus reficiebatur, comparatione indicari Deus voluit, quando huic loci atque ſitus, in quo reficienda erat, certus modus præſcriberetur: illi verò nullo aut locorum aut regionum aut ſituum fine, nullo magnitudinis certo indicato termino, integra habitationem & ſedes vbique dilatandi relinqueretur facultas & copia. Quæ res, ne à quopiam dubitari poſſit, palam à diuinis interpretibus aperitur. Hactenus enim antiquæ Ieruſalem & Iudæorum res, quo in ſtatu primùm fuiſſent, & quemadmodum per hoſtes labefactatæ & perfractæ reponendæ aliqua ex parte eſſent, viſæ fuerant, atque eædem tandem ad quem dignitatis & diuinitatis potius locum per Chriſtum reſtitutæ deducendæ eſſent, indicatæ ſunt. nunc verò quàm late huiuſmodi ciuitatis ius atque omnis felicitatis ratio patẽre poſſit, magno rerum & verborum apparatu Vates docetur; nimirum cæleſtem illam Ieruſalem non anguſtis illis ſpatiis Solymi ſiue Iebus definiri oportere, quæ muris lapideis & ductilibus commodè cingi poſſent, ſed liberè per omnem partem & ad omnes etiam terræ cælique regiones extendi dilatarique neceſſe eſſe, vtpote quæ non Iudæis modò ſecundum carnem, ſed Iſraëlitis cæteris in gratiam quoque diuinam recipiendis, atque adeò gentibus omnibus & nationibus communis patria & ciuitas futura eſſet. hæc ratio omnis huiuſmodi myſteriis adornata eſt. [*Ecce vir, & in manibus eius funiculus menſorum.*] Ex architectorum vſu & diſciplina (quam nemo olim ſapiens ignorauit, pauci nunc tenent) quid facere vir ille inſtituiſſet, ſatis Vates noſter intellexit: nimirum certum alicui propoſitæ ædificationi ſitum & locum metiri & definire non immenſis ſpatiis terminatum. id quod funiculus ipſe arguebat, qui cùm menſuræ genus fuerit, ſiue longioris ſiue breuioris, præſcribendos locorum fines arguebat, alioqui, niſi ad eam rem pararetur, ſuperuacaneus. Quam ob rem Vates virum illum funiculum ferentem non quid ageret rogabat, ſed *quò iret*?] dimenſurum aliquid intellexerat: locum verò dimetiendum ignorans rogabat. doctus eſt igitur locum ipſum, atque ex dimenſionum ratione rem ipſam, quæ oſtendebatur, cognouit. nempe Ieroſolymam vrbem ita reſtituendam fore, vt populum, qui tunc primum tranſmigrauerat, cum omnibus ex eadem gente familiis capere poſſet. [*Vt metiar Ieruſalem, & videam, quanta ſit latitudo eius, & quanta longitudo eius.*] Continentis loci menſura & modus maximè ſi à ſapiente metatore cenſeatur, contentatum rerum

rationi reſpondeat,neceſſe eſt, ne quid latius anguſtiúſve, quàm rei ipſius commoditas ratioque poſtulet,definiatur.atque hoc cùm in omni re, tum maximè in vrbibus locandis ædificandisque obſeruari plurimum intereſt.nam minor & anguſtior ſitus multa ad habitationis publicos & priuatos vſus incommoda fert: Is verò qui plus æquo laxus eſt, præter indecoros locorum hiatus non mediocres ad defenſionem & propugnationem difficultates habens,pluribus & craſſioribus cingi mœniis poſtulat: ac neque ſic etiam ſatis eſt tutus, vt & antiquorum & noſtrorum temporum periculis compertum eſt. Igitur terrenæ eius, quæ tunc reficiebatur, Ieruſalem ſpatia ſatis commoda eſſent & ad habitandum & ad ciues locumque tuendum nécne,cenſere velle vir ille Zachariæ declarauit,qui cùm nuper de duplici Ieroſolymorum reſtitutione audiſſet,eodem fortaſſe modo vtriuſque ſpatium animo & cogitatione apud ſe definiuit, vtpote iunior adhuc, quòd id ætatis homines non tam in rerum diſtinctione & compoſitione, in conſentaneorum & diſſimilium comparatione exiſtimanda, quàm maturiores commorari ſoleant, neque extremos fines cognoſcere vſque adeò curent, ſed ex obiecta primùm ſpecie plerumque rerum exitus & euenta iudicent. Id quod in illis duobus, qui Ieſu Chriſti ſepulchrum viſebant,obſeruatum eſt, quorum iunior viſis tantum linteaminibus redibat aliter, quàm oporteret, de præceptoris reſurrectione arbitratus. Senior verò ingreſſus ac ſingula contemplatus, rem ipſam, vt erat, cognouit,alterique cognoſcendam indicauit. Huiuſmodi itaque feſtinantem Zachariæ iuuenis cogitationem angelus quidam diuinus interpres, atque hominis naturæ conſcius
Ioan. 21. auertendam ſedulò curauit, res ipſas ſuis temporibus & rationibus diſtinctas quemadmodum futuræ eſſent exponens.

Et ecce angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, & angelus alius egrediebatur in occurſum eius: & dixit ad eum, Curre, loquere ad puerum iſtum.

Vt munerum & officiorum, ſic & intelligendi agendique certum apud angelos ordinem obſeruari: ita vt ex aliis alij ſuarum actionum atque gerendarum rerum rationes apta quadam & connexa vſque ad Deum ipſum primum agendi caput & fontem accipiant, atque ſua quiſque munera rectè explicent, præter alia multa ſacrorum librorum loca, ex hoc vaticinio apertè docemur. Quid Zacharias audita à menſore viro Ieroſolymorum cenſura cogitare potuiſſet, ac de vtriuſque ſimul ciuitatis ratione arbitrari, interpres angelus probè cognouit. quid verò de ea re doceri oportuiſſet, diligenter curans alium quendam angelum, à quo acciperet, petebat. is demum angelus rem ipſam vt cognoſci expediuerat, diligenter aperiri procurauit. Vidit igitur in ea re Vates magnum cæleſtis hierarchiæ in miniſteriis ſuis obeundis conſenſum, magnam ſingulorum ordinum in officio præſtando ſedulitatem & fidem, magnam & planè diuinam omnium inuicem ſine vlla ambitione mutuam charitatem, cùm poſterior priorem diligenter petat, prior poſteriori vltro occurrat, rem ipſam, ob quam petitur, communicet, atque ad homines tandem ſine vlla inuidia perferendam commendet, quòd nulla illis cura maior, nulla antiquior ſit, quam Dei conſiliis omnino parêre atq. obſequi. Porrò egreſſionem hanc, quam angelis Vates aſcribit, non locali motu, ſed attentionis & diligentiæ atq. ſedulitatis rationibus definiri conuenit. Quòd verò currere interpres iubeatur, rem magni momenti eſſe, quam explicari expediriq. Deus velit, indicat. nam quas res tales cognouimus omni diligentia curandas, currendi aut feſtinandi verbo commendare ſolemus: quanquam non corporis tantùm motum, ſed animi magis attentionem ſtudiumque poſtulent. Quid verò ab his angelis procuratum fuerit, ſubiuncto carmine exponitur; nimirum cogitationem illam, quam de futura Ieruſalem Zacharias vtpote iuuenis feſtinè ſuſceperat, maturè, antequàm omnino infigatur, auertere, ne quid videlicet altera Ieruſalem alteri frequentiæ & celebritatis rationibus comparetur, vt neque dignitate comparanda eſt. Quantum autem referat alienas & minus dignas de rebus magnis opiniones irrepſiſſe, niſi cito in meliores adducamur, ſatis ex hoc loco arguitur, vbi angelus eiuſmodi periculum, quàm maturrimè propulſandum cenſet.

Dionyſ. de cæleſti hierarchia.

Abſque muro habitabitur Ieruſalem præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius.

Vt apud Latinos vrbs, oppidum, pagus, vicus & alia nomina coniunctiones & conuentus ſignificant; ſed ædificiorum & frequentiæ rationibus inter ſe diſtinguuntur: ſic apud Hebræos multa huiuſmodi ſignificationis verba cùm ſint, certam tamen ſingula frequentiæ aut infrequentiæ, ſplendoris ciuilis aut obſcuritatis notationem habent. ex quibus vnum eſt PARAZ, quod oppidum nullis mœnibus cinctũ, ſed latè & libero ad ædificandum ſitu patens ſignificat. quod verbum tametſi Hebraicè ſimplex ſit, nullo tamen ſimpli-

ſimplici Latinè planè redditur, ſed circuitione quadam deſcribitur: vt illud, Abſque oppi- Deut. 3.
dis innumeris, quæ non habebant muros. Hebraicè tantum eſt PARAZIM. Hoc itaque «
nomen pluraliter hoc in loco ab angelo vſurpatum magnam & multiplicem futuræ illius, «
quam Vates præcognouerat, Ieruſalem frequentiam & celebritatem ex omnibus gentibus
& linguis ad ciuitatis ſocietatem vocatis fore declarauit. Itaq. pluralis numerus non vnum
tantùm vrbis, ſed plura loca, nomen verò ipſum incincta mœnibus fore oſtendat, quòd
eius ciuitatis ius & communio longè lateque pertineret: ne verò murorum defectum ob
infrequentiam populi interpretari quis poſſit, quòd rara & exigua vicinia mœnia ſibi ædi-
ficare præ pecuniarum tenuitate non valeret, id aliter omnino ſe habere explicatur.. non
ob raritatem id accidet, inquam, imò potius *præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius.* In
medio populi alicuius eſſe, eſt notum celebremque agere ciuem, atque legum, iuris totiusq. «
publici communione cum cæteris coniungi: vt illud, Peribit anima illius de medio populi Exod. 14.
ſui. & illud, In medio populi mei ego ſedeo. Quòd verò homines & iumenta habitationis, «
& vrbium communione ac ſocietate in illa altera Ieruſalem, quam diximus, coniungan- 2 Reg. 14.
tur, myſterio non caret ſuo, nempe Eccleſiam hanc militantem, quoad in illam cæleſtem
patriam cõmigrauerit, non tantùm perfectis hominibus, qui ſecundum Deum creati ſint
in ſanctitate & veritate, ſed imperfectioribus etiam quibuſdam, atque animalibus, vt Pau-
lus vocat, conſtare. quorum alteri Adam non illius antiqui, ſed noui, cuius ſpiritum & vir-
tutem referunt; alteri verò BEHEMA, hoc eſt, iumentorum non ferarum nominibus oc-
cultè ſignificantur. alteri omnino ſpirituales & perfecti diuina benignitate redditi; alteri
animales, ſed qui ad illum tamen virtutis & dignitatis gradum aſpirare, ac certis rationi-
bus à Deo præſcriptis contendere ex ipſius auxilio poſſunt. neque enim tanta Deo de
bobus aut iumentis cura eſt, vt eorum cauſa ſpiritualem Ieruſalem dilatandam etiam
ſuſcipiat, quin neque ea natura commodè in vrbibus contenta hæret, quæ magis agris
& ſiluis gaudet. Hoc hominum & animalium diſcrimen diligenter obſeruatum, pluri-
mum profecto lucis & vtilitatis; neglectum verò, tenebrarum & difficultatis ad noui teſta-
menti libros intelligendos afferre poteſt. Qua de re plura ſuo in loco, ſi Deus eò deducat,
ſumus dicturi. nunc verò ad propoſitum redeamus. Habitationem illam, quæ oppida-
tim (vt ſic loquamur) diuiſa longe lateque patet, quanquam ad liberiores vitæ vſus aliàs
opportunam, vnum tamen incommodum conſequitur, loci & ciuium ab hoſtium im-
petu defendendorum difficultas, cùm latiùs patens ſitus neque muris cinctus copiam in-
uadendi, ad nocendum facere exiſtimetur. Quam ob rem quæcunque hoc modo colun-
tur loca in pace multis commodis, belli verò tempore prima omnium incommodis mul-
tis afficiuntur, ac periculis (niſi in munitiora oppida receptus habeantur) funguntur ma-
ximis, ſicut ſcriptum eſt: Ceſſauerunt *Parazim* in Iſraël, & quieuerunt donec ſurgeret De- Iudic 5.
bora, ſurgeret mater in Iſraël. & illud: Aſcendam ad terram abſque muro: veniam ad «
quieſcentes habitanteſque ſecurè. Hi omnes habitant ſine muro, vectes & portę non ſunt Ezech. 38.
eis: vt diripias ſpolia, & diuidas prædam; vt inferas manum tuam ſuper eos, &c. Huiuſ- «
modi enim cùm muros, quibus ſeſe aliquandiu tueantur, non habeant, fortiſſimo aliquo «
principe & ſtrenuiſſimo duce opus eſt, in cuius virtutis, auctoritatis atque curæ præſidio
lateant, ſicut ſcriptum eſt: Ibi narrentur iuſtitiæ Domini, & clementia in *Parazonith* Iſraël. Iudic. 5.
miram igitur ciuitati ſuæ longè lateque patenti ſecuritatem & diligentiam præſtiturum ſe-
ſe promittit, qui non lapideo aut aliàs humanis operibus ædificato, ſed planè igneo & ho-
ſtibus inacceſſibili muro futurum profitetur.

Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu: & in gloria ero in medio eius.

NVLLA maior humanis rebus, nulla certior, nulla optabilior ſecuritas, quàm diuina Pſal. 26.
eſſe poteſt, ſicut ſcriptum eſt: Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? Do- «
minus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Nullius autem eorum, quæ videntur, rerum «
naturæ vis & efficiendi celeritas, aut maior, aut acrior, aut vehementior eſt, aut magis for-
midata, quàm ignis, qui vel duriſſima ſaxa findere ac diſſoluere poteſt, ſicut ſcriptum eſt: In- Nahum 1.
dignatio eius effuſa eſt ſicut ignis, & petræ diſſolutæ ſunt ab eo: ſed cùm ignis natura, quas
res temperato calore fouet, reficere & recreare ſoleat, atque humanæ cum primis vitæ vti-
liſſima multas & maximas cõmoditates afferat, vt ſcriptum eſt: Prunæ, quibus calefiant, &
focus, vt ſedeant ad eum. Huiuſmodi vſum ſui præbiturum ſeſe populo ſuo Deus pollice- Iſa. 47.
tur, vt dum aduerſum hoſtiles impetus pro muro igneo ad ciuium ſecuritatem ſit, rurſus «
aduerſus ciues ignem quendam temperatiſſimum, fouentem ac recreantem, atque ipſorum
vitæ multis modis vtilem ſe præſtet. Etenim hoc modo geminam ac diuerſam diuinæ vir-
tutis in ſuos atque in alienos efficientiam eſſe, ſacra oracula canunt: Ante faciem eius quis

 ſtabit?

ſtabit?& quis reſiſtet in ira furoris eius? Bonus Dominus & confortans in die tribulationis,
& ſciens ſperantes in ſe, &c. [*Et in gloria ero in medio eius.*] Quod verbum Latinè vertimus
» *gloriam*, Hebraicè eſt *Chabod*, adeo magnæ atque diffuſæ in vna eademque ſententia ſignifi- כבוד
cationis, vt non dicam vnum, ſed neque plura hactenus inuenire potuerimus Latina aut
Græca verba, quibus plenè reddi huius vnius verbi pondus poſſit. Interim tamen vnum
reperimus, quod vmbram quandam in loco imitetur: id eſt, *Amplitudo*; de quo aliàs dice-
mus. Vt verò res ipſa aliqua ex parte cognoſcatur, illud modò indicemus; partem illam ex
animalis corpore, ex qua concoctum commodò alimentum in reliquas partes omnes tranſ-
כבד funditur, Latinis Iecur vocatam, hoc verbo Hebraicè dici: cuius calor in ſanis corporibus
ita temperatus eſt, ita opportunus, vt commodiſſimum cæteriſque membris & partibus
alendis idoneum ſanguinem paret & tranſmittat. ea verò princeps ad vitam fouendã pars
» in corporis ipſius medio atque adeò in dextro latere ſita eſt: cuius, ſi valeat & bene habeat
Thren. 2. virtus & vtilitas quanta ſit, ex contrario habitus vſu arguitur, ſicut ſcriptum eſt, Effuſum
» eſt in terra iecur meum, ſuper contritionẽ filiæ populi mei. qua oratione omnibus ſe pror-
» ſus viribus deſtitutum Vates lamentabatur. Hanc adeò ſimilitudinem à natura ad ſe tranſ-
ferens Deus hoc verbo vſus eſt, quo ſuam diuinam vitam & virtutem cum populo, hoc eſt,
eccleſia ſua (cuius caput Chriſtus, Chriſti verò ipſe eſt) cõmunicaturum ſe pollicetur. Iam
verò quis expreſſam feliciſſimæ noui teſtamenti ac planè aureæ ætatis imaginem in hoc
vaticinio non videt, qui modò diuinam Chriſti Ieſu in eos, qui ſpiritu ſancto aguntur, effi-
cientiam vel ex ſacrorum lectione, quanta futura eſſet, cognouerit? illis enim maximum
aduerſus inuiſibiles & viſibiles etiam hoſtes præſidium in ſpiritus ſancti tutela maxima in
eiuſdem virtute & gratia ad bene beateque viuendum commoditas & facultas eſt. Vtinam
ipſe nobis præſtet, vt hæc omnia myſteria re ipſa & proprio experimento intelligere, aliiſ-
que optanda & repetenda monſtrare poſſimus. Sanè omnia hæc diuina ſunt & diuino ſpi-
ritu auctum interpretem, vt pro dignitate explicentur, requirunt. Huiuſmodi autem de ea-
dem re vaticinium apud Ezechielẽ etiam eſt. Hanc verò rem omnẽ, atq. adeò hanc ſanctę
ciuitatis latiſſimè patentem ſocietatem Deo auctore, Chriſti opera, ſpiritus ſancti virtute
Iſai. 49. futuram Iſaias etiam olim canebat: Adhuc dicent in auribus tuis filij ſterilitatis tuæ: An-
guſtus eſt mihi locus, fac ſpatium mihi, vt habitẽ: & dices in corde tuo: Quis genuit mihi
iſtos? ego ſterilis & non pariens, &c.

O, ô, fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus: quoniam in quatuor ventos cæli diſperſi vos, dicit Dominus.

CARMEN hoc non tam ad Iudæorum reliquias, quæ in Babylone manſerunt, Ieroſo-
lymam illam, quæ tunc reficiebatur, aduocandas, quam ad cæteras Iſraëlitarum tribus per
orbem diſperſas & diſſipatas, vt alteram Ieruſalem petant, exhortandas pertinet. ſiquidem
non tanta illius reſtitutæ Ieruſalem in trãſmigratione Babylonica dignitas & felicitas fuit,
vt ea cauſa omnes Iudæi ad colendum habitandumque tanta cura & ſedulitate à Deo per
Vatem vocarentur: quinimo illius, quæ tunc reficiebatur, vrbis tanta calamitas futura ali-
quando eſſe à vatibus prædicta, atque à ſapientibus ex oraculo cognita erat, vt multi; ne ipſi
aut eorum poſteri eius miſeriæ ſpectatores participeſque aliquando eſſent, ædificato iam
ſecundo templo & aliis publicis & priuatis operibus refectis, Babylonem denuo ſpontè
exules redierint: in quibus Zorobabel etiam fuit. Quin & oratio illa: *Quoniam in quatuor ven-
tos cæli diſperſi vos:*] non Iudæos Babylone exulantes, ſed Iſraëlitas cæteros indicat, qui ab Aſ-
ſyriorum exercitu abducti per totum ferè orbem perinde ac ſi quatuor principibus ventis
impellerentur, diſperſi ſunt. Incepit autem diſperſio ab Aquilonis terra, quæ Iſraëlitis
Aſſyria eſt: vnde per enthuſiaſmon ad futuræ felicitatis & eccleſiæ (in qua vna ſalutis pu-
blicæ vſus eſt) communionẽ excitantur. [O, ô,] vocandi verba ad ſtudij ſignificationem
repetita ſunt. [Fugite.] plura apud Hebræos verba fugam ſignificant, ſed NVZS eam fu-
gam, quæ ſalutis petendæ cauſa, aut ad aſylum aut ad perfugium aliquod tutumque & fir-
Num. 35. mum præſidium fit. atque in hac ſignificatione ferè ſemper vſurpatur: vt illud, Sex oppida
erunt ad fugitiuorum perfugium ſeparata, vt fugiat ad ea, qui effuderit ſanguinem. Quod
verò bis repetitur, *dicit Dominus,*] id nimirum ſignificat, eiuſdem Dei miſericordia reuo-
candos & in ſanctam ciuitatem recipiendos eſſe, cuius puro atque inſigni iudicio, non caſu
aliquo in exilium pulſi & toto orbe diſperſi fuerant. Commiſerationem autem erga hos
illud auget, quòd in Septentrionali terræ parte, ad quam primùm abducti fuerant, quæſiti
& vocati non inueniantur, ſed longè lateque diffuſi ac diſperſi eſſe deprehendantur, longo-
que à Iudæis, qui Babylone ſint, interuallo diſtent. Sed poſteaquam iis, qui priores exulaue-
rant, in gratiam atque in eccleſiam redeundi ſpes, reuocatioque per enthuſiaſmon facta eſt,

Iudæis

Iudæis etiam eodem modo cum diuinæ clementiæ & prouidentiæ maxima commenda-
tione etiam eadem ſpes certo ſigno confirmata proponitur.

O Sion fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis.

HACTENVS verſus integer eſt, cuius ſententia & oratio ad Iudæos pertinet: qui quã-
uis ex patria pulſi, non tamẽ ita vt Iſraëlitæ, diſperſi fuerant, ſed omnes ſimul in Chaldæo-
rum regione Babylonis agro conſederant. Itaque diuinam hac in re clementiam magis
etiam, quàm Iſraëlitæ fuerant experti, quibus nunc cum futuræ ſalutis certa ſpe diuinæ in
ſe curæ ratio exponitur. [*Fuge,* inquit, *& tu ô Sion,*] & recipe te in ſanctam iſtam ciuitatem
commune omnium piorum perfugium ac portum, atque vnicum ſalutis præſidium. [*quæ
habitas apud filiam Babylonis.*] non quòd tunc habitaret, quæ iam remigrauerat, ſed quòd capti-
uitatis atque exilij conditione minus, quàm Iſraëlitæ cæteri, miſera hactenus vſa fuiſſet; vt-
pote non in quatuor ventos diſperſa, ſed *habitans apud filiam Babylonis.*] Sic Hebraicè in par-
ticipio vox eſt, atque ad diſtinctionem potius Iſraëlitarum, quàm ad præſentem ſtatum
refertur. Porrò filia Babylonis, Babylonici agri vrbes & oppida, ac velut coloniæ & mu-
nicipia vocantur, in quibus Iudæi agebant. ex quibus vna præcipua Nearda ſiue Nehar-
dagha fuiſſe dicitur, ſic appellata, quòd in illa maximè diuinæ legis & ſacrorum librorum
ſtudia florerent. his verò Iudæis futuræ ſalutis propoſitam ſpem dandi propediem ſigni
exſpectatione confirmat.

*Quia hæc dicit Dominus exercituum, Poſt gloriam miſit me ad gentes, quæ ſpoliauerunt vos: qui enim tetigerit
vos, tanget pupillam oculi mei. Quia ecce ego leuo manum meam ſuper eos, & erunt præda iis, qui ſer-
uiebant ſibi: & cognoſcetis, quia Dominus exercituum miſit me.*

IN IIS, quæ ad examinandam vatum auctoritatem & fidem notata ſunt, ponderibus
vnum genus eſt, cùm futura propediem res aliqua prædicitur, quæ conſentaneo prædictio-
nibus exitu munus probat; ſecus verò omnino improbat, ſicut ſcriptum eſt: Hoc habebis
ſignum, quod in nomine meo propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non
eſt locutus, &c. qua de re nos aliàs plura (modò Deus adſit) diſſerere cupimus. Igitur Za-
charias muneris ſui auctoritatem Perſici imperij fine propediem futuro examinandam
probandamq́ue præbet, quòd eo ſigno eius amplitudinis, ad quam per Chriſtum deducen-
di erant, certam ſpem illis eſſe Deus voluit, cui, quicquid decreuerit, facere integrum om-
nino eſt; vtpote exercituum Dominum. [*Poſt gloriam*] Vbi, inquit, gloriam illam, quæ vo-
bis promiſſa eſt, ego ipſo eodem docente cognoſcens prædicere iuſſus fui, atque illius no-
mine enunciaui: Et in gloria ero in medio eius. miſſus etiam ſum ad gentes, quæ ſpoliaue-
runt vos, vt futuram in illos ex diuino conſilio vltionem prædicerem; à quibus quamuis re-
ficiendi templi & incolendæ de integro vrbis facultatem adepti, tamen graui imperio &
intolerabilibus tributis expoliamini. [*Expoliauerunt vos.*] Hebraicè præſentis temporis ver-
bum eſt: namque hæc expoliatio nominis mei offenſionem in ſe continet, adq́ue hanc rem,
quam ego in iſta ciuitate efficiendam paro, importunior eſt; vtpote quæ vos oppreſſos &
expoliatos vrbem iſtam reſtituere, & templum non ita ex animi veſtri ſententia re-
fectum ſacro atque legitimo ritu frequentare ſinat. denique ſatis eſt minus commodè vo-
biſcum agi, vt ego illis iraſcar. [*Nam qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei.*] Hebraicè vtrobi-
que eſt in præſenti *tangit*. Oculus Dei prouidentia diuina dicitur: vt, Oculi Domini ſuper Pſal. 33.
iuſtos. Hæc prouidentia quamuis res humanas omnes, nec ſolùm vniuerſas, ſed etiam ſin-
gulas curet, tamen eius populi, apud quem vera religio eſt, rationibus præcipuo quodã ar-
que familiari magis modo conſulit, ſicut in illo pſalmo elegantiſſimè traditur: Fundamen- Pſal. 86.
ta eius in montibus ſanctis, &c. Huius verò priuati & dilecti populi ratio & ius, vt nunc
penes Chriſtianos, penes Iudæos quondam fuit, quoad ille totius orbis redemptor, & diui-
norum conſiliorum procurator ac particeps Chriſtus ex illa gente natus, munus officium-
q́ue impleret ſuum. Hanc adeò peculiarem ac pręcipuam erga eam gentem, ob eas, quas di-
ximus cauſas, curam Deus oculi ſui pupillã nominat, quæ medium in rebus & conſiliis ſuis
locum ac præcipuam ſedem obtineret, quæq. magnum illud de publica ſalute conſilium
exſpectaret: cui qui obſtare conaretur, pupillam, qua nihil charius in tota facie eſt, tangere
atque lædere exiſtimaretur. Quoniã verò diuina in Perſas animaduerſio per Græcos Græ-
corumq́ue ſocios iugi etiam & imperij intolerabiliumq́ue tributorum pertæſos iam tum
imminebat, ob eam rem dicit: *Quia ecce ego leuo manum, &c.*] Hanc noſtram prioris carminis
expoſitionem Chàldæus paraphraſtes confirmat hoc modo: *Quia hæc dicit Dominus exerci-
tuum, poſt gloriam, quæ dicta & ventura ſuper vos, &c. Et cognoſcetis quia Dominus miſit me.*] Vatis ipſius ora-
tio eſt, nomen ſuum inter eos, qui veriſſima & certiſſima prædixerint, profeſſi, atque fidem

ſuam de propoſita futuræ olim Iudæis gratiæ ſpe illa, quæ ventura propediem Perſis fuerat, calamitate exſpectanda liberantis.

Lauda & lætare filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus.

FELICIS illius & admirandi ſtatus, in quo piorum hominũ res noui teſtamenti tempore collocandæ erant, amplitudinem & dignitatem maximam commendaturus, omni plauſu & ſummis laudibus excipiendam Deus ipſe docet; vtpote quæ tum auctoris nomine & præſtantia, tum ipſa ſua natura & virtute omnem præteritorum ſeculorum vſum tam ſuperet & vincat, quàm diuina humanis, æterna caducis & mobilibus præſtare poſſunt. namque illa omnis, quæ olim patribus veteris teſtamenti felicitas data eſt, quanquam quidem ex Dei conſilio & beneficio, angelorum tamen & hominum miniſterio contigit, eademque terrenis ferè rebus eſt declarata. quæ præterquam quòd admirandæ huius alterius felicitatis imagine quadam & vmbra ſpem proponebant, nihil præterea quod mortalem gradum excederet; nihil, quod planè diuinum diceretur, in ſe continuêre. Hæc verò etſi Deum ipſum auctorem & parentem ſui propriè habet, diuinã, immortalem, æternam, omnibusque numeris abſolutam virtutem ſpeciemque præbet. quamobrem digna exiſtimata ſemper eſt, quæ magno deſiderio exſpectaretur, ingenti applauſu & ſtudio adueniens exciperetur, maximoque præconio & ſummis laudibus ab iis, quibus ea contigiſſet, celebraretur. Igitur vox Dei ad eccleſiam optimum & iucundiſſimum nuntium mox auditurам illa eſt. [*Lauda & lætare.*] Prius verbum canticum & præconium ſignificat. Cuiuſmodi habitu & geſtu vſi olim Iſraëlitæ dicuntur, dum conſecrato tabernaculo Deum per ignem cæ-

Leuit. 9. „ leſtem adeſſe cognouiſſent, ſicut ſcriptum eſt: Quod cùm vidiſſent turbæ, laudauerunt ruentes in facies ſuas. [*Filia Sion,*] Ieruſalem dicitur, ſed clarius & planius Chriſtiana eccleſia ſynagogæ antiquæ filia eſt. Atqui huius publicæ lætitiæ illam præcipuam & ampliſſimam cauſam Deus ipſe explicat, quòd futuræ illis libertatis & ſalutis auctorem, parentem & effectorem, non Cyrum quempiam, nè etiam Moſen, ſed ipſummet ſeſe præbiturus eſt. [*Quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui.*] Verbum illud quod erat in principio apud Deum, idemque Deus ipſe Dei filius, patri natura, virtute & dignitate æqualis, rerum omniũ, quæ extra diuinam naturam ſunt, efficientia par, idemque paterni conſilij ſapientiſſimus explicator ac miniſter. in quo vita erat, & vita erat lux hominum, idem ipſe huius maximæ hominum ſalutis effectorem ſeſe certiſſimè pollicetur. Quoniam ad tantam explicandam

Ioan. 1.

efficiendamque rem nullus alius, præter Deum, ſapientia, conſilio & virtute idoneus eſſe potuit, qui & vaferrimi aſtutiſſimique hoſtis antiqui machinationibus artibusque turbatis & ruptis, calliditatem prudentia, conatus virtute ſuperaret. Eius verò rei, quemadmodum explicanda eſſet, rationem in incerto occultoque latere omnibus & ſeculis & generationibus, antequam conficeretur, Deus volens, illud tantùm interim, quo fieri poſſe crederetur, atque exſpectatione deſiderioque ſui animos piorum incenderet, indicauit. [*Et habitabo in medio tui.*] Vt non modò certum & felicem, ſed perpetuò conſtantem exitum res habitura eſſe crederetur: quam Deus ipſe promiſerat in ſeque receperat. Porrò autem eo- [illegible] em modo præſtitam fuiſſe, atque cum ſumma dignitate & amplitudine abſolutam, ſumma etiam cum admiratione ab hominibus exceptam & cognitam grauiſſimis teſtium

Ioan. 1. ipſorum, qui participes fuêre, teſtimoniis docemur. Et verbum caro factum eſt, & habitā-

„ uit in nobis. de qua tota ratione idoneo tempore, opportunoque loco dicere vt contingat, idem Deus nobis exorandus eſt. [*Ait Dominus.*] Hebraicum nomen tetragrammaton & miſericordiæ & conſtantiæ rationes cõtinens rei ipſius dignitatem, cauſas & certitudinem durationemque ſignificat: maximè autem cùm verbum *ait*, certum pondus auctoritatemq̃.

נאם atque decretam conſilioque firmatam ſententiam oſtendat, quod Hebraicè N A V M, eſt,

1. Sam. 21. nunquam niſi in huiuſmodi rationibus indicandis vſurpatum: vt, Hæc autem ſunt verba

„ nouiſſima, quæ dixit Dauid filius Iſai, dixit vir, cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Iacob. vtrobique idem verbum repetitur. Hic autem rerum ſtatus, quem Deus ipſe veniens ſua præſentia conuerſurus erat, quam longè multumq̃. antiqua illa tempora ſupèret, quis non videat? maximè cùm ſecundi templi ætate vſque ad Chriſti aduentum, & illa etiam peculiaris prouidentiæ & familiaritatis antiqua indicia (quantula illa his collata fuerint) deſiderarentur, vt ignis iugis cælitus immiſſus, Vrim & Thumim, & vaticinij oraculorumq̃. vſus rariſſimus & obſcuriſſimus eſſet. At verò eam, quæ denuntiata eſt, felicitatem, non intra priuatos Iudæorum ſecundum carnem parietes continendam, ſed ad omnium gentium nationes per omnes orbis partes dilatandam eſſe, vt apud alios etiam, ſic & apud hunc Vatem Deus prædictum eſſe voluit.

Et appli-

Et applicabuntur gentes multa ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum.

EVANGELII Chriſti,(quæ virtus Dei eſt ad ſalutem omni credenti Iudæo primùm Rom.1.
& Græco)prædicatione & annunciatione omnium gentiũ homines inuitandos in cæleſtis "
regni ſocietatem & ciuitatem receptum iri,diuino cõſilio decretum eſt. qua de re multa &
ampliſſima oracula olim ſuſa ab antiquis vatibus fuêre. Cuius generis illud eſt: Quia tunc Sophon.3.
reddam populis labium electum,vt inuocent omnes nomen Domini,& ſeruiant ei hume- "
ro vno. Hanc adeò omnem orationem Dei verbi eſſe,hoc eſt filij Dei, qui maximum hoc "
conſilium explicaturus,atque grauiſſimam huiuſmodi expeditionem, vt Lucas inquit, Ie- Lucæ 16.
roſolymis completurus erat,ipſa ſententiæ ratio, manifeſtaque conſequentia arguit. cuius
orationis illa etiam pars eſt:

Et habitabo in medio tui, & ſcies, quia Dominus exercituum miſit me ad te.

SVPERIORI ſermone Vates legationis ſuæ auctoritatẽ certo quodam ac propediem exſpectando argumento probaturus illa oratione vſus eſt, & cognoſceris quia Dominus miſit me. nunc verò Dei verbum ſui cauſa ac muneris proprij cõfirmandi obſeruationem certis notis docturus eadem oratione, verbo tamen, *ad te*, addito, vtitur. etenim non Vatis hæc,vt ſuperior,ſed Dei filij oratio eſt, eiuſdem qui dixerat; [*Et erunt mihi in populum.*] quique addidit: [*Et habitabo in medio tui.*] namque hoc ſignum certiſſimum ille haberi vult,quòd à Domino exercituum ſit miſſus. Id verò ad quinque illa illuſtriſſima & præclariſſima ſigna,quibus verus Dei Chriſtus hominibus in terra probandus fuerat,cum primis pertinet: de quibus aliàs plura & exactiùs,eodem inſpirante,dicturi,nunc ea tantùm,quæ ad loci huius indicationem facient,breuiter perſtringemus. Iſraëlitico populo certam ac perpetuam felicitatem eſſe cupiens olim Moſes ſupplex, non angeli cuiuſpiam, ſed ipſius potius Dei præſentiam adeſſe efflagitabat. Intellexerat enim bene beateque viuendi, atque pericula omnia declinandi perrumpendique rationes omnes nulla alia re æquè,atque Dei ipſius potenti, placido benignoque ſpiritu contineri poſſe;cuius ſi quis præſentem virtutem expe-
riatur,huic ad cæteras ſummas vtilitates,ad humana vitia effugiẽda, ad ſtudioſam & piam Pſal.117.
vitæ rationem ineundam opportunitas adiungatur neceſſe eſt, ſicut ſcriptum eſt: Faciem "
tuam illumina ſuper ſeruum tuum: & doce me iuſtificationes tuas. Huiuſmodi autem de Exod.33.
hac re Moſis actio orationque habita refertur: Feſtinusq́. Moſes curuatus eſt pronus in ter- "
ram,& adorans ait: Si inueni gratiam in conſpectu tuo Domine, obſecro, vt gradiaris no- "
biſcum: populus enim duræ ceruicis eſt:& auferas iniquitates noſtras atque peccata, nosq́.
poſſideas. qua oratione illud tantum impetrare potuit, vt Dei præcedentis tutelam experi-
ri, faciem verò videre populus ille non poſſet, quam aliquando hominibus aliis, hoc eſt
noui teſtamenti & eccleſiæ ciuibus cum ſumma vtilitate,cum maxima dignitate oſtende- Exod.33.
re conſtituerat. Dixitque Dominus, Facies mea præcedet te: & requiem dabo tibi, &c. & "
paulo inferius ad Moſen ipſum: Videbis,inquit,poſteriora mea, faciem verò meam videre "
non poteris. Illo prætereà antiquus Iſraëlitarum populus diuino beneficio affectus eſt, vt
ad promiſſam optatamque regionem deducendus angelo præcurſore vteretur: cuius opera
pulſis indigenis locum liberum & vacuum ad occupandum inueniret. Et mittam, inquit Exod.33.
Deus, præcurſorem tui angelum,vt eiiciam Chananæum,&c.& intres in terram fluentem "
lacte & melle. non enim aſcẽdam tecum,quia populus duræ ceruicis es,ne fortè diſperdam
te in via. Igitur diuinam faciem antiquus populus videre non potuit. horum autem poſteri
videndam aliquando fore ſperantes, atque eam vnam abſolutam ſalutis & felicitatis pu-
blicæ rationem definientes,temporibus ſuis experiri cupierunt: Excita potentiam tuam & Pſal.79.
veni,vt ſaluos facias nos. Deus conuerte nos: oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. neque "
enim illius,quæ per omnia antiqua ſecula exſpectata eſt,ſalutis ratio alio euidentiore argu-
mento,quàm verbi ipſius præſentia & familiari quadam conſuetudine piis hominibus co-
gnoſci probarique potuit,ſi ſacrorum librorum arcanis notationibus vtendum eſſet, ſicut
ſcriptum eſt: Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipſe ſum, Iſai.52.
qui loquebar: Ecce adſum. Atqui expreſſam Dei faciem & certam præſentiam iis apertè "
declarari,quibus filius Dei conſpectus fuerit, idem ipſe docet. Philippe, inquit, qui videt "
me,videt & patrem meum. Porrò declaratam re ipſa fuiſſe Ioannes, & ſuo,& aliorum no- Ioan.1.
mine teſtatur: Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis; & vidimus gloriam eius, "
gloriam quaſi vnigeniti à patre,plenum gratiæ & veritatis. Plenum veritatis propterea inquit,quòd quæ apud hunc & alios vates de ea re promiſſa exſpectabantur, reipſa præſtita, hominibusque piis obſeruata fuerint. [*Et ſcies, quia Dominus exercituum miſit me ad te,*] vt in medio tui habitarem, quaſi vnigenitus à patre miſſus plenus gratiæ: At verò cuiuſmodi hæc viſio & habitatio fuerit,aliàs ab eodem Deo nobis,vt ſpero,explicandi dabitur locus. Ha-

ctenus huius, quam audiuimus, felicitatis amplitudo ex auctoris nomine & dignitate commendata eſt; nunc verò ex admiranda rerum ipſarum mutatione & nouo ſplendore celebratur.

Et poſſidebit Dominus Iudam partem ſuam in terra ſanctificata: & eliget adhuc Ieruſalem.

VNAM in primis eccleſiam vnam communem omnium piorum ciuitatem conſtituendam eſſe, quæ vno nomine, iiſdem legibus, eodemque iure omnibus totius orbis nationibus, quæ legitimè admitti ſtuderent, daretur, vt à cæteris vatibus prædictum, ſic ab hoc expreſſum expoſitumq. eſt. namq. olim dum Iſraëlitarũ terreſtres res florerent, vna omnibus regia ac princeps ciuitas conſtabat, Ieruſalem, in qua & de religione & de communi iure conuentus publici & celeberrimi vndique fierent: in eaque fanum illud ampliſſimum erat, vbi verus & vnicus Deus ſanctè & purè cultus peculiarem tutelæ & prouidentiæ ſuæ præſentiam cultoribus declarabat; tam diuque illa omnis reſpublica viguit, quamdiu Ieroſolymorum ratio integra illæſaque manſit, ita vt gens illa omnis vnus Dei populus diceretur,
Pſalm.75. „ cuius ſedes in regia vrbe eſſet. Notus in Iudæa Deus, in Iſraël magnum nomen eius. & fa-
„ ctus eſt in Salem locus eius, & habitatio eius in Sion, &c. At verò Ieruſalem quanquam communis omnium aliarum tribuum patria dici potuit; tamen Iudææ nomini præcipuè aſſcribebatur, quòd & Beniaminitarũ tribui locus ille ſorte obueniſſet. Ex quibus rebus illud etiam effectum eſt, vt Iſraëlitæ omnes vno nomine Iudæi non rarò appellarentur. Huiuſmodi namque præcipuis dotibus & beneficiis auctum Iudam filium Iacob volens teſta-
„ mento iam fermè moriens prædixerat: Iuda te laudabunt fratres tui, &c. Adorabunt te filij fratris tui, &c. Hæc verò omnia cùm non tantum terrenarum rationes rerum, ſed multo etiam magis cæleſtium myſteriorum obſeruationes haberent, omnino ad veritatem Chriſtianam, vt ad certum exemplar reuocare oportuerit. nam quæ in figura illis contigerunt, eruditionis atque vtilitatis noſtræ cauſa, vt D. Paulus affirmat, ſcripta ſunt. Igitur vnum ex omnibus gentibus Iudæis primùm & Græcis populum in cæleſtis regni ſocietatem conuocatum ſibi deligere Deus conſtituerat; cui ob perpetuas ex accepto beneficio laudes, Iudæ, hoc eſt laudatoris nomen eſſet. Is verò populus Ieruſalem cæleſtis muneris iura, atque cætera ciuilia commoda adeptus regem ac principem Deum in ſacroſancto templo ſuo, hoc eſt, in illorum animis inhabitantem perpetua ac puriſſima ſanctitate colerent. quæ res certum atque ſtabilem virtutis, pietatis, & optimarum omnium rerum vſum populo ipſi viuenti adhuc, atque in hoc ſeculo agenti allatura fuerat: ita vt neque carne & ſanguine, neq. ab illis antiquis hoſtibus iam vlterius perturbato in ſumma tranquillitate & pace, quod reliquum vitæ eſſet, peragere contingeret: nimirum quibus Deus ipſe gratia ſpirituque ſuo perpetuo adeſſet, atque ab hoſtibus & metu vindicatis vires & animum ad præclaras gerendas agendasque res adderet. hæc breuis quædam illius verſus ſententia eſt. nunc verba ipſa breuius etiam explicemus. [*Et poſſidebit Dominus.*] Miſericors Deus Iudam illum ſpiritualem hæreditatis nomine & iure tenebit. ſic in Hebræo, *Et hæreditabit.*] vt ita reddamus verbi vim. [*Iudam partem ſuam.*] quam Chriſti filij ſui morte & reſurrectione ab hoſtium poteſtate vindicatam iuris omnino ſui fecerit, neque minus ſuam appellare poſſit, quàm illam
Exod.15. terrenam olim, de qua ſcriptum eſt: Pars autem Domini populus eius, Iſraël funiculus hæ-
„ reditatis eius, &c. [*In terra ſanctificata.*] namque illa prior terreſtris Iudæa cùm in terra ſte-
Gen.3. rili ſpinarumque atque carduorum feraci, hoc eſt in veteris Adami carne ſita eſſet, neque officio ſatisfaciens ſuo, neque Deo probata variis & multis calamitatibus atq. miſeriis premi ſæpe commerita eſt. Ea verò, quam nunc hæreditatem Deus initurus dicitur, in terra
Pſalm.84. ſanctificata erit, quam ipſe ſpiritu benignitateque ſua augens maximarum virtutum feracem reddet, ſicut ſcriptum eſt: Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Huius verò tantæ felicitatis laus Deo auctori tribuenda eſt, cui ex propria miſericordia ſua adducto Ieruſalem ſanctam ſibi in ſedem ac regnum ſuiſque cultoribus in communem ciuitatem admirandis & nouis modis optare placuerit. [*Et eliget adhuc Ieruſalem.*] Vox illa *adhuc*, nouum & auguſtiſſimũ electionis genus indicat, quæ multis olim
Pſalm.40. huiuſmodi præconiis celebrata eſt. Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi. hæc requies mea in ſeculum ſeculi; hic habitabo, quoniam elegi eam. Qualis verò eorum hominum, qui hac ſancta ciuitate donati, & maximis arcaniſque muneribus aucti eſſent, ſtatus, qualis rerum & vitæ vſus futurus eſſet, non ſine magna audientium admiratione Vates ſignificauit; nimirum diuinam quandam ſubindicans mutationem & regenerationem, cuius qui participes eſſent animi, nihil paruum aut ſaperent, aut curarent, ſed ſublimibus cogitationibus rectiſſima ſtudia conſentaneaſque actiones coniungerent, ita vt, quemadmodum Iſaias cecinit, omnes qui viderint eos, cognoſcant
Iſai 61. illos, & dicant, Iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus. vtpote qui à diuino ſpiritu acti &

ducti nulla inimica carnis vi abſtrahi ac retardari poſſint, quominus cōtento curſu patriam ſuam cæleſtem petant. Tantam illis virtutem, tantas vires diuina illa verbi conſuetudo ac familiaritas datura, & tantum carnis & veteris hominis impetus repreſſura erat.

Sileat omnis caro à facie Domini: quia conſurrexit de habitaculo ſancto ſuo.

FVRENTIS carnis impetus conatusque perditos omnino cohibere ſemper & ab omni labe continere cupiditatē tantum opus eſt, vt Dei gratiam, virtutē & efficacitatem deſideret, aliàs non bene ex contendentis animi ſententia ſucceſſurum. Quam maximam difficultatem & infinitum penè laborem carnalis ille homo, qui à Paulo inducitur, expertus at-
que confeſſus hac vna ratione peruincendum ſperare docetur. Infelix ego homo, inquit, Rom.7.
quis me liberabit de corpore mortis huius? Reſpondit Paulus, Gratia Dei per Ieſum Chri- "
ſtum. Huiuſmodi autem victoriæ ſpem & exſpectationem piis hominibus ex diuina Chriſti virtute Vates non tam denuntiat, quàm offert: nam carnem ipſam tacere & quieſcere per Enthuſiaſmon iubet, quæ Deum quaſi negligentem & dormientem hactenus experta, experrectum, diligentem, atque vehementer efficacem porrò deinceps ſit expertura. Hanc verò curam vehementer Deo ſuſceptam oſtēdere volens Vates ſermonem repente ad carnem transfert, cuius inſolentiam & contumaciam Deo perſpectam & ad reprimendum contundendumque notatam propoſitamq́. eſſe, huiuſmodi minis docet. [*Taceat.*] Hebraicum verbum tacere & quieſcere ſimul ſignificat, atque in tumultu, temeritate, turba ſedi-
tioneque ſedanda, imò compeſcenda vſurpatur: eſt autem verbum HASZA, quod Latinus Num 13.
interpres aliâs compeſci, vertit. Inter hęc Caleb compeſcens murmur populi, quod orieba- "
tur contra Moſen, &c. Non modò igitur hominibus piis ſalus & felicitas enuntiatur, ſed carni ipſi minæ intenduntur, & ſilentij atque quietis lex indicitur, inquit Vates, cognituræ tandem, quænam diuina in ſe vis & efficientia ſit. [*Omnis caro.*] Malarum omnium non actionum modò, ſed cupiditatum etiam ſummam his verbis complexus eſt, quarum facultatem ſi maximè humana virtus, diuina gratia adiuuante, minuere ante Chriſti mortem & reſurrectionem potuit, non tamen exhaurire omnino potuit. namque hoc abſolutum
opus planè diuinum & à Deo petendum exſpectandumq́. eſt. Qua de re huiuſmodi ora- Pſal. 18.
tiones antiqui patres habebant. Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce "
ſeruo tuo. Si mei non fuerint dominati, tūnc immaculatus ero, & emundabor à delicto ma- "
ximo, &c. Hoc genus dati optimi & doni perfecti de ſurſum eſſe atque à patre luminum Iaco. 1.
deſcendere, diuus Iacobus docet. Communis etiam Theologorum ſententia, peccata ſin- "
gula arbitrio & gratia vinci & poſſe & ſolere; vniuerſum verò vitiorum fontem exhauriri, venasque ſiccari, auctioris cuiuſdam gratiæ & præſentioris Dei efficacitatis eſſe, ſtatuitur. [*Quia conſurrexit.*] Hebraicus ſermo humanam cogitandi & dicendi figuram, vt ſæpe aliàs,
imitatus hoc modo habet: *Quia excitatus* ſiue *experrectus eſt.*] quale etiam & illud eſt: Et ex-
citatus tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino, &c. Quod verò Deut. 30.
additur, *De habitaculo ſancto ſuo,*] vno eodemque dicendi modo, & virtutem & conſilium "
ad gerendam rem, ſiue (vt ex vulgatis artium verbis loquamur) efficientem & finalem cauſam ſignificat, hoc eſt, qua virtute, qua facultate inſtructus prodeat, & cuius rei cauſa ad
agendum excitetur. In Ioëlis & Amoſi vatum commentariis docuimus, *de*, præpoſitionem Ioel. 3.
in ſacro ſermone, & locum à quo, & finem etiam ſiue cauſam indicare. Dominus de Sion Amos 1.
rugiet, & Ieruſalem dabit vocem ſuam, hoc eſt, Sionis & Ieroſolymorum cauſa, ex ipſa "
etiam Ieruſalem & Sione terribilem vocem editurus eſt. Igitur hoc in loco Dei virtus ſignificatur, atque propoſitæ etiam rei gerendæ cura maxima, qui ex loco ſancto ſuo cælo, vbi potentiſſimus & quietiſſimus habitat, habitaculi ſancti ſui, hoc eſt, eccleſiæ (quæ templum ſanctum Domini eſt) vicem vlturus, resque omnes curaturus excitetur. neque diſſi-
milem vim apud Latinos, de, præpoſitio obtinet, vt apud Ciceronem: Is, de quo angor, & Cicer. ad At-
crucior. &: *Miſſi magnis de rebus vterque Legati.* Atque hic vnus locus ad dominicam Chriſti tic.
precationem, Pater noſter, explicandam plurimum adiumenti, ſi cui noſtra interpretatio Horat. ſerm.
ſatis percipiatur, attulerit: Sed multa nos interim, quæ in ſingulis verbis explicandis aperiri 1. Sat. 5.
poterant, myſteria, quamuis inuiti, tamen ob breuitatis ſtudium prætermittimus.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

ET oſtendit mihi Dominus Ieſum ſacerdotem magnum ſtantem coram angelo Domini, & Satan ſtabat à dextris eius, vt aduerſaretur ei.

OMNEM ferè eam, quæ in Machabæorum libris narratur, hiſtoriam hac
viſione Vates à Deo edoctus præcinit, adeò obſcurè, vt variæ & multi-
plici Expoſitorum commentationi campum aperuiſſe videatur. namque
cætera, quæ antea viderat, ſpectra vel ipſe cognoſcens aliquando indica-
bat, vel ab interprete edoctus referebat. Huius verò rationẽ, quemadmo-
dum contemplatus ſpectauerit, narrãs, explicationem prorſus prætermi-
ſit, lectoribuſque vel cogitatione comprehendendam, vel (quod com-
modiſſimũ fuerit) à Deo impetrandam, vel ex ſacris libris petendam reliquit. Qua quidem
in re quid alij agant, nos non multum laboramus, neque ſingulorum explicationes refelle-
re, noſtraſque contentione & æmulatione defendere ſtudemus; quippe ea neque nobis, ne-
que eccleſiæ ſanctæ Dei, (cuius diſciplinam profitemur) conſuetudo eſt: ſed quam viam ſe-
mel muniuimus perpetuò ſecuti, quæ de inexhauſto ſacrorum librorum theſauro à Deo
(quem ſupplices aſſiduè exorare ſtudemus) ſuppeditata fuerint, ad noſtram vtilitatem &
ſanctiſſimæ eccleſiæ vſum promemus, minimè fucatis & ſplendidis, ſed iis tantùm colori-
bus vſi, quibus deſcriptarum imaginum ſimplicitas, ſine vllo linearum detrimento, vmbra
etiam opportunis locis addita ſignificatas & obſcuras partium eminẽtias indicemus. Atqui
ne in huius loci commentatione breuitatis inſtitutæ obſeruatio obſcuritatem parere poſ-
ſit, lectori conſultum volumus, vt eam quæ Machabæorum nomine in ſacris libris & in Io-
ſephi commentariis ſcribitur, hiſtoriam diligenter accurateque legat. Igitur futurarum ca-
lamitatum, turbarum & bellorum, victoriarumque inſignium, omnium denique rerum
viciſſitudines, quibus Iudæorum reſpublica Antiochi impij & Machabæorum Ieſu ſacer-
dote propugnantium temporibus agenda fuerat, in vna ipſius Ieſu perſona Vati oſtenſæ
ſunt. namque ad illius iam vita defuncti nomen omnis eius ſeculi, quod ad ſecundum tem-
plum ſpectabat, ratio relata eſt; vtpote cuius ætate & auſpicio reficiẽdi templi & religionis
cultuſque ſacri reſtituendi fundamenta iacta eſſent: idque ex diuinis reſponſis ab Haggæo
Abben Eſdra. Vate ſacerdotis huius nomen appellante non ſemel redditis. At verò Ieſum ſacerdotẽ, quo
Iſaac Hiſpa. tempore Zacharias oſtenſum ſibi narrat, vita iam functum fuiſſe, vt nonnulli Hebræi ſcri-
Salom. Iarc. ptores tradunt, non leuia argumenta nobis confirmant: atque in primis conſultatio quæ-
ſtioque illa, quam Haggæus apud ſacerdotum collegium de victimarum ratione & ſancti-
tate habuit. Qua de re non ſacerdotum ſenatus, ſed ipſe potius maximus pontifex (ſi viue-
Malach. 2. ret) ſentẽtiam ex more rogandus fuerat, ſicut ſcriptũ eſt: Labia ſacerdotis cuſtodient ſcien-
tiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini eſt. præcipuè autem cùm cæte-
Hagg. 2. ris in actionibus omnibus Ieſu ſacerdotis maxima ab Haggæo Vate ratio habita fuerit, ex
quo vaticinij munus obiri cœptum eſt, à prima ſexti menſis die ſecundo Darij regis anno
vſque ad viceſimam primam ſeptimi menſis, cùm ſecundæ domus amplitudo Meſſiæ ven-
turi indicatione enũtiata fuit. Itaque à primo remigrationis tempore quamdiu incœptum
templi opus intermiſſum eſt, videlicet temporibus Cyri & filij eius, atque Aſſueri, vſque ad
ſeptimum ſecundi anni Darij menſem, Ieſum religionis rebus omnibus non modò inter-
fuiſſe, ſed præfuiſſe etiam cõperimus. ab eius verò menſis die viceſimo primo & deinceps
nullibi aliàs appellatum audimus, præterquam apud hunc Vatem, qui ſibi in ſpectro viſum
narrat. atque viſione opus non erat, ſi viuentem conſpicere quotidie contingeret: ſed illius
tunc nuper mortui & ſuperſtitum deſiderantium deſiderio crebriſque ſermonibus (vt fieri
ſolet) celebrati rationes & res vt habituræ eſſent, Vates edoctus eſt. namque viceſima quar-
ta noni menſis eiuſdemque anni Haggæus legationem ſuam de ſacrorum ritu & ſignifica-
tione obiit, eademque die Zorobabelem ſolum alloqui iuſſus eſt, cùm antea vtrumque ſi-
mul alloqueretur. hic verò Vates viceſima quarta die vndecimi menſis oſtenſam narrat, vt
non ſolùm futuræ longũ poſt tempus Iudæorũ viciſſitudines, ſed quæ paulò poſt ſua tem-
pora exſpectandæ erant, cognoſcerentur. Igitur Ieſum iam vita functũ, atq. alteriùs ſeculi
gentibus annumeratum ſibi viſum fuiſſe narrat. ait verò coram angelo Domini ſtantẽ. quo
argumento piorũ & ſanctorum ſocietati ciuẽ aſſcriptũ docet; vtpote quẽ angelo Domini
aſtantẽ viderit, cui angelo ſacerdotis ipſius poſteritatẽ, res & nomen curę eſſe cognoſceret.
namq. is vir omni ſtudio, ſedulitate, exemplo atq. doctrina egerat, vt ſacra religio diuinuſ-
que cultus, & omnes, quæ ad hæc pertinent res, magna diligentia & ſanctitate, & ſuis, & fu-
turis tẽporibus procurarentur. ſed huic conſilio atque ſtudio grauiſſimus & acerrimus, qui

ſeſe intendens obtrectaret, aduerſarius non defuit, videlicet Antiochus ille cognomento Epiphanes, quem ob violandæ religionis & diuini nominis obſcurandi ſtudium radicem peccati ſacri ſcriptores nominant. Eundem Satanam, hoc eſt, aduerſarium & detractorem Vates dicit. quo nomine omnes, qui vel diuinis, vel aliis magnis rebus obſiſtunt, vocari in ſacris audimus. quo etiam Petrus humani generis grauiſſimum & duriſſimum redimendi modum Christo diſſuadens audiuit: Vade poſt me Satana, ſcandalū es mihi: quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt. Hic autem Satan à dextris Ieſu ſtare viſus eſt, nimirum eo conſilio, vt publicam religionis rem, quam ſacerdos auctam florentemq. eſſe curabat, oppugnaret. namque dexteræ alicuius opponere ſeſe, hoc in arcano ſermone ſignificat: in quo magna ad res agendas vis & conſtantia dexteræ nomine deſcribitur: vt, Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me. At verò cum à dextera eſſe ambiguæ ſententiæ oratio ſit, namque vel auxilij ferendi cauſa id fieri etiam poteſt: vt illud, Quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear; vel obtrectandi: vt, A reſiſtētibus dexteræ tuæ cuſtodi me, &c. Satanæ hoc in loco conſilium, tametſi nomen ipſum arguere poterat: Vates tamen declarauit, *vt aduerſaretur ei.*] Fuit autem Ieſus ſacerdotis dextera illuſtris illa & fortiſſima Mathathiæ & filiorum familia, qui Iudaicis rebus oppreſſis ac penè obrutis auxilium magnum tulerunt, ad præclarum etiam ſplendorem & dignitatis locum peruenturis, niſi potentiſſimus atq. acerrimus hoſtis & prædo ſacrilegus ille Antiochus obfuiſſet: qui ob eam rem dexteræ, hoc eſt, potentiæ, & dexteritati ſacerdotalis familiæ illius oppoſitus rectè pingitur. [*vt aduerſaretur ei.*] Hebraicum eiuſdem cum nomine ipſo ſignificationis verbum eſt, *Le Satano*, vt à propoſito inſtitutoque deterritum abduceret: vt illud, Ego veni, vt aduerſarer tibi, quia peruerſa eſt via tua mihique contraria. Vt igitur de honeſtatis & veræ pietatis via deflectere coactum populum in contaminatæ ſuperſtitionis errorem fraudemque impelleret, vrbemque ipſam Ieroſolymam Deo ſacram ſibi prophanatam ad regni & potentiæ præſidium muniret, maximo conatu ſtudioque contendit Antiochus; cui, vt diximus, populi animos corrumpere, & vrbem ipſam occupare in animo fuit, ſicut ſcriptum eſt: Et facti ſunt in inſidias ſanctificationis, & in diabolum malum in Iſraël. Quod Vates dixerat Hebraicè *Satan*, Græcus Machabæorum interpres ad ſignificationem alludens, vertit diabolum; nimirum ex eodem verbo *Satan*, quod apud Hebræos, ſi libri illi Hebraicè extarent, vtique legeremus. Atque illud etiam ſibi viſum narrat Vates, quemadmodum tyranni illius atque etiam eius exercitus conſilium ſtudiumque vehementer inuiſum improbatumque, & impetus tandem cum magna ipſorum calamitate cohibitus fuerit.

Machab. 1
Matth. 16.
Pſalm.
Iſai. 63.
Pſal. 15.
Num. 22.
Machab. 1.

Et dixit Dominus ad Satan, Increpet Dominus in te Satan, & increpet Dominus in te: qui elegit Ieruſalem: nunquid non iſte torris eſt erutus de igne?

ANGELVS ille, qui ſacerdotis rebus curandis præfectus aderat, Domini eius, à quo legatus erat, nomen hoc in loco ſuſtinet. [*Dixit Dominus.*] vt idem cælitus ad Gedeonē miſſus nuntius, Angelus Domini interdum etiam Dominus vocatur. Atque hic angelus auctoritatis & confirmationis cauſa Dominus dictus diuini aduerſus Antiochum & Macedones iudicij ſententiā execrantis modo pronuntiat, *Increpet, increpet*, Hebraicè *increpabit* in futuro: quod ad confirmationem magis, quàm imperatiuus, facit. Huius verò verbi ea vis eſt, vt nō ſolùm redarguere atque accuſare, vt Latinè ſolet; ſed etiam perrumpere & comminuere ſignificet, præcipuè, cùm in diuina indignatione vſurpatur: vt, Incenſa igni & ſuffoſſa ab increpatione vultus tui peribunt. Quòd verò verbum repetit, non ad vehementiam aut ad heteroſim figuram (namque heteroſis diuerſis magis, quàm iiſdem verbis fit) ſed ad geminum Satanæ conſilium conatumque frangendum pertinet, alterum quòd ſanctam & Deo dicatam vrbem occupare & nefaria ſuperſtitione contaminare conſtituerat. ob eamq. rem additum eſt: *Qui elegit Ieruſalem.*] in habitationem ſibi, vt Pſaltes ait, Mons in quo beneplacitum eſt Domino habitare in eo. Alter verò conatus conſiliumque inimicū fuit, Iudæam & Ieroſolymitanam gentē, quæ ex omnibus tribubus antiquis tantùm in ea regione ſuperfuerat, cū Mathathiæ eius ætatis ac reipublicæ principis familia funditus delere, ſicut ſcriptum de vtroque conſilio eſt: Et ædificauerunt ciuitatem Dauid muro magno & turribus firmis: & facta eſt illis in arcem, & poſuerunt illic gentem peccatricem viros iniquos: & effuderunt ſanguinem innocentem per circuitum ſanctificationis, & contaminauerunt ſanctificationem, &c. Huius alterius conſilij cauſa repetitum eſt, *Increpet*, & ratio etiam addita, quòd tanquam igne agens omnia vaſtauerit, parumque abfuerit, quin vniuerſam illā piorum gentem perderet, niſi Mathathias eiuſque filij ex eo incendio erepti & ſeruati Dei nomine auxilioque inuocato arma ſumentes afflictæ & proſtratæ religioni dextram porrigerent. Hunc itaque torrim de igne erutū angelus appellat, qui cum filiis & familia in mon-

Iudic. 6.
Pſal. 79.
Pſal. 131.
Pſal. 67.
Machab. 2.

tem Mogdhith confugerat, vnde coactos piorum hominum copiis exiguis maximas memorabileſque pro aris & focis geſſit res. Appellantur autem *Torris ereptus ab igne,*] quòd & cladem illam, piorumque virorum cædem, & regis de violanda religione imperium ad reſtituendam rem effugerint, ſicut ſcriptum eſt: Et venerunt illuc, qui miſſi fuerãt à rege An-
Machab. 1. tiocho, vt cogerent eos, qui miſſi fuerant in ciuitatẽ Modin, immolare & accendere thura, & à lege Dei diſcedere. & multi de populo Iſraël conſentientes acceſſerunt ad eos. Sed Mathathias & filij eius conſtanter ſteterunt. &c. Grauiſſimam verò & vehementer opportunam ſignificationem Hebraicè habet nomen A V D, pro quo Latinè ex ſimplicium verborum inopia, torrim vertimus. Significat enim Ieſu familiam, eoſque, qui illarum partium fuerint, quanquam afflictos & vexatos, magno tamen vſui ad ignem ipſum diſſipandum & minuendum, atque ad alios eripiendum ſeruandumq́. fuiſſe. namque A V D per diphthongon fuſtis illa eſt, qua in focis carbones mouentur, diſperguntur aut congregantur, & ligna, ſi quæ non vri placeat, ſeparantur, ac totus interdum diſperſus ignis debilitatur & minuitur. Hiſpanicè *Tizonero* dicitur. Hæc autem fuſtis ne fortè cum aliis lignis per negligentiam confuſè coniecta ardeat, caueri & curari ſolet: quod ad vſum magis opportuna, quàm cætera ligna, habeatur. Hanc explicationem nos docuit Amos: Subuerti vos ſicut ſubuerti
Amos 4. Sodomam & Gomorrham: & facti eſtis quaſi torris raptus ab incendio, &c.

Et Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis, & ſtabat ante faciem angeli: qui reſpondit & ait ad eos, qui ſtabant coram ſe, dicens:

NON de ipſius Ieſu nuper vita functi, & iam coram angelis ſtantis atque in concilium cœtumq́ue piorum adducti perſona hæc dicuntur, ſed de ſacerdotum progenie, quæ poſteriori ætate munus, nomen famamq́ue illius conſeruatura fuit: quam ſordidis veſtibus indutam fuiſſe dicens, illud ſignificat, regium munus & bellicæ rei adminiſtrationem pro temporis ratione illis ſuſceptam perpetuo occupari non decere; vtpote quos legitimum potius ſacerdotium atque hæreditario iure proprium purè ſanctéque tueri & curare oporteret, quàm vſurpatum à regia Dauidis familia apicem ſibiq́ue impoſitum cruento, & à ſacerdotis puritate longè alieno bellorum vſu conſeruare velle: hic enim habitus regum proprius eſt, non ſacerdotum: quos magis diuinarum rerum, ſacrificiorum, ſupplicationum, expiationum cura exercitatioq́ue decet; maximè cùm ſua vtrique officio & muneri ſuſtinendo familia fuerit à Deo præpoſita, quæ vt purè, legitimè atque ex præſcripti iuris rationibus conſeruata, plurimum decori honeſtatisq́. habent, ſic contrà confuſa & permixta, præter illatam ei, qui de profeſſione pulſus fuerit, iniuriam, omnem publicæ rei illuſtrem diſtinctionem ordinemq́ue perturbat. Namque bellorum, ac ſacrarum rerum exercitationem & curam, quamdiu hæc popularis hominum ratio conſtiterit, diſtinctam eſſe Deus voluerat, ſancitiſq́ue legibus decreuerat. ſecus in hominum regeneratione erit. Hæc itaque ſunt ſordidæ veſtes, quibus indutum ſacerdotem Vates conſpexit: quæ quamuis iis, qui ex ambitione non ex ratione res definiunt, elegantes videri fortaſſe poſſent, vt idem rex pontifexq́ue ſit, tamen ad publicæ rei vtilitatem atque ad diuinum iudicium relatæ ſordidæ habentur. Ea igitur ex parte, qua vſurpatum ad tempus opportunum munus regium ſuſtinebat Ieſus, indecoro habitu vſus videbatur; qua verò ampliſſimo illi, quo præditus erat, ſacerdotio diligenter præerat, placebat maximè. [*Et ſtabat ante faciem angeli.*] Stare ante faciem alicuius, vt iam ſæpè aliâs docuimus, idem eſt, quod negotium ſibi ab illo datum ſedulò atque fideliter adminiſtrare. Igitur vt ſeruato rerum ordine munus proprium ſanctè à ſacerdotum familia adminiſtraretur, regij veſtitus purpurei & cruenti, hoc eſt, crudelitatem referentis depoſitione angelus curauit, nempe Iudæos, *qui ſtabant coram ſe,*] coram ipſo Ieſu miniſtrantes vt rege & ſacerdote, allocutus, ac ſic *dicens:*

Auferte veſtimenta ſordida ab eo.

VESTIMENTA regia tantùm exuere eum iubentur, non autem mundiora aliqua veſtire, quòd ſacerdotij ius integrũ illi maneret, in quo nihil per eos noui agi aut parari oporteret, ſed tantùm in regni adminiſtratione regiæ potius, quàm ſacerdotali familiæ reſtituenda. Sed ne fortè ſuam voluntatem aliter, quàm haberet, ex hac re Ieſus ſacerdotis familia interpretaretur, Deus ipſe præſenti oratione declarauit,

Et dixit ad eum, Ecce abſtuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatorijs.

HÆC ex Hebraico ad verbum reddita hoc modo ad explicationis commoditatem, & ſi minus Latinè, vertuntur: *Vide, tranſtuli deſuper te diſtortionem tuam: & veſtire te mutatorijs.*] Conſilium ſententiamq́ue ſuam ſacerdoti ipſi examinandam probandamq́. Deus proponit; cùm dicat, *Vide*. atque rem ipſam, vt rectè iudicata curataque ſit, deinde docet: nimirum; quòd

quæ

quæ aliena illiq́ue minimè concinna eſſent, remouenda, ſuoq́ue in loco ponenda curauerit, illiq́ue ſuum ius integrum purumq́us conſeruatum voluerit; nempe ſacerdotalibus ornamentis ſacroq́ue veſtitu opportunè riteq́ue vti. hoc enim verbum infinitum *veſtire te*, atq. in tertia Hebræorũ cõiugatione pronuntiatum ſignificat, quod illi antiquum propriumq́. fuerat, id vehementer probatũ confirmatumq́. fore ſtatuere. neque enim alios iuſſerat, vt veſtirent, neque ipſe nunc primum veſtiebat, ſed ipſum admonebat officij ſui, quod eſſet, non purpureo pallio (vt reges conſueuere) perpetuo vti, ſed mutatorias veſtes induere, quæ propriè ſacerdotum ſunt: quos alio ad rem diuinam, alio ad cõmunes vſus veſtimentorum genere ornari, ex lege & more oporteat, ſicut ſcriptũ eſt: Depoſitisq́. veſtibus, quibus prius Leuit. 16.
indutus erat, cùm intraret in ſanctuarium, relictisq́ue ibi, lauabit carnem ſuam in loco ſan- "
cto, induetur q́ue veſtibus ſuis, &c. [*Iniquitatem.*] diſtortionem vertimus, vt à vulgari & re- "
cepta illius nominis, iniquitas, ſignificatione, quę peccatũ ex tranſlatione definitur, ad eam, quæ propria eſt, cogitationem conuertamus, videlicet deflexionem à recto, quam & prauitatẽ dicimus, non ſolùm in moribus, ſed in cuiuſcunq. rei ratione & vſu deprauato: vt quòd ſacerdos belli muneribus perpetuo fungatur, quòd teſtis iudex, quòd pluribus vnus, qui ſingulis vix ſufficiat. Hoc enim in bene inſtituta republica rectum non eſt, niſi fortè tempeſtatis vis & neceſſitas ad tempus cogat. ſed hæc vbi ſedata fuerit, ſingula ſuis locis reſtitui collocariq́ue poſtulant. Itaque pondus potius & indecoram cõfuſionem, quàm peccatum, nomen iniquitatis hoc in loco explicabimus, id videlicet, quod recto decentiq́ue aduerſatur, ex præſentis argumenti ratione definiendum; vt hoc in loco vſurpatum ſacerdotibus regni diadema & munus, atque ob eam cauſam retentum, quòd aliquando arma capere neceſſitas coëgerit, erroris & legis inſcientiæ vitio magis, quàm ſceleri vertendum eſſe videatur: quod tamen recta rerum cognitione & officiorum diſtincta obſeruatione facilè corrigi in illis poterat. id quod Vates ipſe intelligens curariq́ue cupiens ait:

Et dixit, Ponite cidarim mundam ſuper caput eius.

ET *dixit.*] Vates ipſe Zacharias dixit. namq. hæc oratio Vatis eſt, vt Hebraicum verbum apertè indicat: quòd vero dixerit, illud eſt, nempe cognitionem & certam ſcientiam ſibi in ſacerdotum familia illa deſiderari & requiri, multũ ad alienum officium magiſtratumq́ue deponendum ſuumq́ue rectè adminiſtrandum valituram: atque ob eam cauſam curatum fuiſſe, vt ea, qua indigere videbatur, ſapientia & ſcientia familia illa augeretur ornareturq́ue. Hoc enim munda cidaris pontificis capiti impoſita ſignificabat: nimirum puram & ab omni erroris & ignorationis vitio carentem ſciẽtiam, ex qua perfectum virtutis opus ſanctitatis diuinæ ſtudium cæteris imitabile oſtenderetur, ſicut ſcriptũ eſt: Et coronauit eum in vaſis virtutis. & paulo inferius: Coronam aureã ſuper mitram eius expreſſam ſigno ſan- Eccli. 45.
ctitatis & gloria honoris & opus virtutis, deſideria oculorũ ornata, &c. Neq. enim de orna- "
mento ipſo tantũ, ſed de ornamenti ſignificatione agitur hoc in loco. Quam rẽ Vates in ſa- "
cerdotali illa familia ſibi deſideratã ait, quòd ex illius defectu regni & ſacerdotij rationes permixtæ eſſent. cõmodiſſimũ autẽ fore intellexit, vt ſuũ munus officiũq́. ab aliis inductus tueretur, quando ipſe ex ſeſe non cognouiſſet. Fuit autẽ hæc nõ angeli, ſed Vatis ipſius ſapiens cogitatio & ſentẽtia, quæ euẽtu ipſo & angeli auctoritate & præſentia cõprobata eſt.

Et poſuerunt cidarim mundam ſuper caput eius; & induerunt eum veſtibus: & Angelus Domini ſtabat.

HIC locus planè docet orationem illam ſuperiorem, *veſtire te mutatorijs,*] ad officij ad- Pſalm. 77.
monitionem pertinuiſſe: vt illud, Paſcere Iacob ſeruum ſuum, Iſraël hæreditatem ſuam. "
quo in loco res ipſa præſtita exhibitaq́ue mox fuiſſe declaratur. Et pauit, inquit, eos in in- "
nocentia cordis ſui, &c. Sic etiam hic & diuinæ admonitioni, & Vatis deſiderio ſatisfactum tandem fuiſſe narratur, vt ſacerdotalis familia regni & principatus magiſtratu omnino abdicata muneris atque ſacerdotij ſui fidem tueretur. Id quod Herodis tyranni tempeſtate effectum eſt: qui quanquam nefariè & crudeliter, tamen non ſine Dei permiſſu ac ſanctione fortaſſis, hanc familiam principatu ſpoliatam ſacerdotij tantùm muneribus fungi curauit, iis, qui regni adminiſtrationem aũt tenebant aut ſperabant, occiſis vt in Ioſephi hiſtoria & in templi ſecundi Hebraicis annalibus legimus. Omnibus verò rebus his Angelum Domini aſtitiſſe docet Vates, vt qui ex diuino conſilio illam familiam hoc modo purgatam, & ad priſtinum nitorem reſtitutam, officij conſeruandi admonens, fauſtatum & felicium futuris ſeculis rerum promiſſionibus confirmaret.

Et conteſtabatur Angelus Domini Ieſum, dicens.

CONTESTARI hoc in loco idem quod Latinis prædicendo præcipere, officijq́ue ad-
monere, commendareq́ue ſignificat: tanta vnius verbi, IAGHED, vis eſt. יעד

Hec

Hæc dicit Dominus exercituum, Si in viis meis ambulaueris, & cuſtodiam meam cuſtodieris: tu quoque indicabis domum meam, & cuſtodies atria mea, & dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hic aſſiſtunt.

SACERDOTALIS muneris legem & fidem maximis præmiis propoſitis prædicit atque commendat, promittentis Dei virtute & potentia ad pactorum cõfirmationem cumprimis propoſita. Duabus autem præcipuè partibus omne id, quod vocatur ſacerdotis officium, conſtatur, propria ipſius, qui officio præfuerit, innocentia & pietate, & ſumma erga ſacrum cultum & populi eruditionem animi attentione & diligentia. Atqui pro huiuſmodi officio præſtando duplex præmium perſoluendum ſacerdoti Ieſu proponitur, alterum quòd illa dignitas ad plurimos ex illius poſteritate futuris ætatibus ad Chriſtum vſque diuinitus conceſſa pertingeret: cuius dignitatis illa munera ſunt, ſuprema religionis & morum cenſura, ac de obſcuro ambiguoque iure reſponſio, & ſacrorum legitima procuratio. [*Indicabis domum meam, & cuſtodies atria mea.*] Alterum verò, quod omnium bonorum finis extremumque eſt, æternæ & cæleſtis felicitatis communicatio & ſocietas vnà cum angelis miniſtriſque dei illius etiam poſteritati futura, ita vt, tametſi non omnes eius poſteri in ampliſſimum ſacerdotium venire poſſint, tamen in aliud multo felicius multoque anguſtius miniſterium cooptari omnes poſſint: nempe in angelorum collegium atque conſortium: idque virtute cuiuſdam à ſe mittendi maximi pontificis futurum eſſe ait, qui arcanis diuiniſque modis non modò eos, qui ex priuata ſacerdotum antiqua familia fuerint, ſed omnes quotquot ſibi credentes dicto obtemperauerint, reges & ſacerdotes, gentem ſanctam populumque acquiſitionis Deo & patri ſuo efficiat. quam rem vt omnibus optandam expetendamque à ſe enuntiatam ſapientibus viris obſeruari Deus iubet & ſuadet. [*Dabo tibi ambulantes de his, qui hic aſſiſtunt.* Hebraicè apertiſſima ſententia eſt, *Inter ſtantes hos.*] Atque ſtantes angelos Dei & cæleſtes illos ſpiritus eſſe, & locus ipſe apud Deum, & ſitis ſtandique habitus arguit, & ipſe Vates ſæpe etiam docuit. Appellantur autem regio more aſtantes, ob miniſterij aſſiduitatem: quomodo apud reges continuos quoſdam nuncupari videmus. Quòd verò dicit, *Ambulantes*, familiaritatem conſuetudinemque ſignificat, maximè Hebraicæ coniugationis perſpecta vi, quòd in aulis regiiſque domibus nulli inter aſtantes verſari & ambulare vltro citroque ſoleant, niſi qui ex eadem familia opportuniſque officiis functi fuerint. Quòd verò omnes hæ, quæ ad poſteritatem Ieſu ſpectabant, tum aduerſæ tum ſecundæ res ipſi familiæ parenti iam vita functo prædicentur & indicentur, id ex prophetarum more fit, qui futuras toti alicui generi rationes ad caput vnum, vnde nomen genus habeat, referre conſueuere. Etenim hæc prædicta non ſoli Ieſu fuiſſe illud arguit, quòd viro ſatis ſpectata officij fide, & probato integritatis exemplo iam vita defuncto, neque illa iam geſta prædici, neque hæc ipſi præſtita denuntiari commendarique opus erat, ſed ad illas orationis & actionis figuras, quæ in vatum libris frequentiſſimæ ſunt, hæc referri omnia conſentaneum fuerit, vt quod de tota Iacob gente dicitur: Hæc dicit Dominus formans & faciens te ab vtero, noli timere ſerue meus Iacob, & rectiſſime quem elegi, &c. & illud: Et reuertetur Iacob, & quieſcet &c. & quæ de Chriſto Dauidici regni hærede Dauid ipſe audit & ſuſtinet. Et Dauid ſeruus meus princeps in medio eorum. Quod nos de angelorum ſocietate expoſuimus, Chaldæus paraphraſtes eadem ferme ſententia ad piorum poſt reſurrectionem, præmia refert. Cùm verò præſens de futuræ vitæ præmiis ſermo in opportunam Chriſti, qui omnis vaticinij ſcopus eſt, mentionem incideret, per quem huiuſmodi maxima præmia deferenda erant, admirandum illius myſterium Ieſu aliiſque, quos id cognoſcere oportebat, commodè angelus enunciauit.

Iſai. 44. Ierem. 30. Ezech. 34.

Audi Ieſu ſacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes ſunt,

MAGNAM & planè diuinam rem, de qua dicturus eſt, attentiſq. animis obſeruandam eſſe indicat, cùm tantos tamque grauibus nominibus & titulis illuſtres auditores poſtulet; nempe ſacerdotem magnum & viros eos etiam, qui in felici illa piorum ſocietate coram ſacerdote ipſo ſedebant, magnis myſteriis cognoſcendis idoneos; vtpote *viros portendentes*, ſiue, vt Hebraicè eſt, *viros portenti*, hoc eſt, præcipuæ & diuinæ cuiuſdam auctoritatis viros, quorum ob ſanctiſſimam & præter vulgarem vſum admirandam ac planè portentoſam vitæ rationem, cùm dignitas, tum teſtimonij grauitas ſumma eſt. Itaque hoc arcanum ipſi Ieſu atque iis, qui ſecum in illis piorum ſedibus collocati erant, vt maximum & beatis animis magis dignum aperitur.

Ecce enim ego adducam ſeruum meum orientem.

CHRISTI Ieſu hominum ſeruatoris rationes oratio hæc diuinaque enuntiatio indicat, quem ob perpetuam obedientiam diligentiſſimumque erga paterna mãdata ſtudium, ſeruum ſuum Deus appellat, eundemque cùm ob admirandum naſcendi modum, tum ob diuinam planè inſtituendarum gerendarumque rerum rationem, notæ apud Vates & arcanæ ſignificationis nomine *Orientem* vocat, ea ſignificatione, qua plantæ oriri dicuntur. namque verbum eſt SZAMAHII, quod propriè ad ſponte atque feliciter naſcentia creſcentiaque virgulta pertinet. eſt autem ab illo Iſaiæ vaticinio tranſlatum verbum, Et egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. namq. ſtirps illa ex Ieſſe, Iſai.11. radice non humana opera conſita, ſed ſponte ſua, hoc eſt, diuina virtute virgine matre pro- Luc.1. ueniens, exiguis & humilibus pro humanæ ſuperbiæ gloriæque ratione, initijs pulcherrimis ramis latiſſimè ſeſe per orbem diffudit. de quo illud etiam Ieremias eodem verbo Ierem.33. vſus cecinit: In tempore illo germinare faciam Dauid germen iuſtitiæ. Eſt autem vnum ex arcanis Chriſti nominibus oriens ſiue germen vel ſtirps: de quibus loco ſuo ex eiuſdem benignitate diſſeremus. huius autem ſtirpis virtus quanta futura ſit, Ieſu Sacerdoti magno cæteriſque viris portenti indicatur; videlicet quòd illius dudum refecti templi dignitatem ad diuinæ ſanctitatis gloriam & inenarrabilem quandam amplitudinem auctura eſſet, quæ tantum huius templi magnitudini præſtaret, quantum ea, quæ diuinitus parantur res, humana opera & induſtria factis antecellunt. idque ex vtriuſque templi, hoc eſt, præſentis atque eius, quod per ſtirpem illam amplificandum erat, comparatione oſtendit.

Quia ecce lapis, quem dedi coram Ieſu: ſuper lapidem vnum ſeptem oculi ſunt. Ecce ego calabo ſculpturam eius, ait Dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ illius in die vna.

FANVM illud, quod Ieſu Sacerdote procurante ædificatum fuerat, quanquam diuino conſilio & beneficio, humana tamen opera conſtans lapidem coram Ieſu datum vocat. namque in antiquis arcaniſque ſermonibus lapidem Deo ſacram ædem ſignificare vel ex illa Iacob oratione cognouimus: Et lapis iſte quem erexi in titulum, erit domus Dei. Gen.27. Igitur huius lapidis dignitatem, maieſtatem durationemque cum illo tertio, quem Deus erecturus erat, comparandam non eſſe docet, quod hic homines artifices, & Ieſum illum, ad quem ſermo fit, procuratorem ſortitus fuerit, ille verò alius Deum ipſum architectum, artificem curatoremque ſit habiturus. [*Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt.*]. Diſtinctio ipſa punctorum & magis etiam ſententiæ, ac ſermonis ratio de duobus lapidibus orationem inſtitutam eſſe docet: namque alia oſtenſa re ad aliam ſermo comparando conuerti ſolet: vt, Vides hanc mulierem: intraui in domum tuam, &c. Maximam verò & aſſiduam Luc.7. vigilantemque curam, ſtudium, ſapientiam & diligentiam Dei ipſius in illo lapide tum cælando & aptando, tum etiam aptiſſimè collocando, atque ne quid detrimenti accipiatur, conſeruando, ſeptẽ oculi ſignificant, numero certo pro indefinito ex ſacri ſermonis vſu accepto, vt: Septies in die cadit iuſtus. Atq. huius arcanæ orationis ſententiã Deus ipſe Prouer.24. explicat. [*Ecce ego calabo ſculpturam eius.*] Diuinum planè opus omnibuſque numeris abſolutum, & ijs quæ ad pulchritudinem, vtilitatem firmitudinemque faciant, partibus cunctis conſtans eſſe oportet, quod à ſapientiſſimo architecto ſeptem oculos adiecturo ſuſcipiatur, tabernaculum profectò non manu factum, id eſt, non huius creationis, imò templum ſanctum Domini omnibus gemmarum vnionumque virtutibus exornatum: cuius Hebr.9. Apoc.21. templi feliciſſima & aurea ætate terra ipſa omnino expiata, pura, ſancta, Deoque ipſi gratiſſima erit, quæ expiationis atque puritatis ſuæ ſummam Deo optimo maximoque opifici & architecto acceptam referat: Qui dilexit eccleſiã & ſeipſum tradidit pro ea, vt eam Ephe.5. ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata, &c. [*Auferam iniquitatem terræ illius.*] Demonſtratiuum pronomen non terram quamlibet communi ſignificatione, ſed certam quandam propria nota inſignem indicat, humanam videlicet ſocietatem & orbis vniuerſi, qua habitabilis eſt; coniunctionem, quam tertij huius templi ætate, vna die terram noſtram expiatam ſibi conſecrauit; vna victima Hebr.9. occiſa, vno cruento ſacrificio eius, qui ſemel in conſummatione ſeculorum ad deſtructionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit, ſemelque oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata: qui tamen ex propria culpa & fidei atque pœnitentiæ defectu tanto ſeſe beneficio indignos non reddiderint. Iam verò quantum huius templi aurea ætas primi illius & ſecundi temporibus præſtet, ex hoc etiam demonſtratur, quòd primi & ſecundi ætatibus frequentiſſima ſcelerum & vitiorum labes, & religionis atque virtutis ruina fuerit: at ve-

rò ijs, quos in vnum templum ſibi ſacrauerit; nulla huiuſmodi probra ſint inferenda, ſed
Iſai 61. omnes qui viderint illos, agnoſcent eos: Quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus. Quantus verò ſummæ felicitatis, tranquillitatis ac pacis vſus, quanta communicatio futura ſit ijs, qui ad hunc locum ex diuino beneficio deuenerint, nō vna tantùm, ſed multiplici imagine Vates docuit.

In illa die, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum ſuum ſubter vineam & ſubter ficum.

MAXIMAM fertilitatem rerumque copiam (quas tamen ſpirituales & cæleſtes magis, quàm terrenas definire oporteat) illud ſignificat, quòd vitis & vmbra & fructus non ſolùm dominis ipſis, ſed amicis etiam alijs abunde ſufficere poſſit. namque huiuſmodi argumento Chananææ terræ fertilitatem Iſraëlitico populo exploratores probauerūt: ſummam verò quietem & pacem illud arguit, quòd ſubter ficum & vitem tutò conſidere & otiari liceat; non modò domino, ſed ſocijs etiam ad conuiuium vocatis. qualem ſtatum
3. Reg. 4. Salomonis tempore Iſraëliticas res tenuiſſe legimus: Habitabatque Iuda & Iſraël abſque timore vllo, vnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua, à Dan vſque ad Berſaba cunctis diebus Salomonis. Egregiæ demum cuiuſdam charitatis & familiaritatis virtutem illa amicorum ad prædia inuitatio, illaque rerum largitio, ſocietas & communicatio vtilitatum arguit: quam eo benignius futuram oſtendit, quòd communem fructuum vſum ſine certa alicuius poſſeſſionis adſcriptione indicat. Non enim ait *ſubter vitem ſuam & ficum ſuam*, ſed *ſubter vitem & ficum*.] Id autem verè & re ipſa ab ijs, quos in illā felicitatis amplitudinem
Acto. 4. Deus deduxerit, præſtitum eſſe præſtarique ſolēre, ſacra ſcripta manifeſtè confirmant: Nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, dicebat aliquid eſſe ſuum, ſed erant illis omnia communia. [*ſubter vineam*.] Subter vitem exponimus ex Hebraico nomine & ex ſententia ipſa. namque ſubter vineam nunquam agitur aut ſedetur. Itaque ſententia ipſa, quid verba Latina ſignificare velint, ſæpe indicat. Huiuſmodi pacis & tranquillitatis deſcriptiones in externis etiam libris legimus: vt,

Hor. lib. 4. Od. 5.

Condit quiſque diem collibus in ſuis,
Et vitem viduas ducit ad arbores, &c.

CAPVT QVARTVM.

ET *reuerſus eſt Angelus, qui loquebatur in me, & ſuſcitauit me quaſi virum, qui ſuſcitatur de ſomno ſuo.*

IN acertima & attentiſſima de Ieſu ſacerdotis rebus, quas edoctus fuerat, cogitatione ſeſe defixum fuiſſe Vates indicat, à qua ad aliam rem grauiſſimam etiam cognoſcēdam angoli interpretis opera & cura traduci opus fuerit, aliàs non animaduerſurum; vtpote illorum ſpectrorum magnitudine vt arctiſſimo quodam ſomno occupatum. Hæc carminis huius ſententia eſt, qua narratæ iam rei ſumma grauitas, narrandarum denuo mole ſuperari arguitur. [*Quaſi virum qui ſuſcitatur de ſomno ſuo.*] Non quòd dormiret, ſed quòd ſe eo modo affectum ſenſiſſe fateatur, vt cùm quis ex ſomno ſuo, hoc eſt, ex vero ſomno & quiete expergefactus fuerit. hoc ſignificant illa verba, *Quaſi*, &c. *ſomno ſuo*. Atq. ſeipſū, quemadmodū affectus fuerit, indicare hac oratione Vates voluit; nimirum quòd ab angelo excitatus viſus fuerit ſibi ex ſomno quodam, in quo altè ſomnians demerſus eſſet, euocari. Particula, *quaſi*, Hebraicè CHA, tempus etiam cum ſimilitudine adſignificat, quod Latinus dicit, vt cùm, vt illa; quaſi poſt tres menſes, quaſi media nocte, & alia innumera in ſacro ſermone exempla. eadem oratione tempus indicare videtur, quo hæc ſibi res acciderit; nempe matutinum tempus, cùm homines è ſomno ſponte excitari ſolent, animæ vi & efficientia ad ſuperiores corporis partes ſeſe reuocante, cùm mens valet, & ſomnia purgatiſſima eſſe putantur, quorum expergefacti homines imaginem recordati retinent; ita etiam ſibi accidiſſe ait, cui cogitatio, quam grauiſſimam primùm habuerat; tamen nouæ contemplationis acceſſu conuulſa non fuerit; verùm dignitate & magnitudine longè victa, quantum ea, quæ purgatiſſimè etiam ſomniamus, ab ijs quæ
Moſes Aegyptius de prophetia. vigilantes cernimus vincuntur. Quòd verò Zacharias, qui aliorum ante ſpectrorum ſignificationem rogare ſolebat, nunc ab angelo rogatus fuerit, illud in cauſa eſſe arbitramur, quòd ex antecedentibus rebus, quas diuinitus edocta fuerit humana mens, & ex communi-

cata

cata ſibi à ſpiritu virtute, conſequentes; quæ ad idem argumentum referuntur, etiam rationes connectens atque componens cognoſcere ſoleat, & ſecum cogitans interpretari; atque aliquando ſimilitudinibus, allegorijs & tranſlationibus à ſe excogitatis pronuntiare. Igitur cùm multa, quæ Iudæorum publicam & priuatam rem attingebant, in ſacerdotali illo ſpectaculo Vates conſpexiſſet, quæ in præſenti ſpectro ſexto & in ſeptimo plenius etiam intuetur, ab angelo, quatenus nam in earum rerum cognitione progreſſus fuerit, periculum faciente rogatur: id quod antea factum non videmus, dum rudis adhuc Vatis mens primarũ imaginũ ſpectris conſpiciendis imbuta ſignificationem doceri poſtularet.

Et dixit ad me, Quid tu vides?

Qᴠɪᴅ eſt, inquit, quod ex aliarum rerum, quas antè edoctus es, rationibus in præſenti ſpectaculo oblatũ cognoſcis? cuiuſmodi nã imagine & figura deſcribendũ dicẽdumq́ue id eſſe cẽſes? Huic interrogationi Vates præſenti tẽpore rogatus, præterito verbo reſpõdet.

Et dixi, Vidi.

Rᴇsᴘᴏɴsɪᴏɴɪs verbum interrogationis explicat ſententiam: neque enim angelus de ſpectro ipſo, & non de ſignificatione quærens dixiſſet: *Quid tu vidiſti?*] Viderat enim iam Vates imaginem ipſam cùm primùm ab angelo excitatus, hoc eſt, ad eam intuendam ab altera cogitatione traductus eſt. atq. ob eam rem dicit: *Vidi.*] & non ait, video; vt aliàs ipſe & Ieremias in loco reſpondent. Itaque videre in angeli interrogatione, pro conſiderare & cogitare vſurpatum eſt, vt ſæpe in Hebraico, Græco Latinoque ſermone vſurpatur. *Vidi.* Quantum, inquit, ego cognoui, atque ex virtute ſpiritus interpretationeq́ue tua intellexi: id quod ego viderim huiuſmodi imagine deſcribendum arbitror.

Ecce candelabrum aureum totum.

Nᴏɴ omnia, quæ à Vatibus per tranſlationem, ſimilitudines, allegorias, atque exempla dicuntur, iiſdem omnino rationibus & imaginibus viſa illis fuêre: ſed quædam etiam apertè demonſtrata, figurato dicendi genere, atque ad eum modum, quo etiam aliàs ipſi edocti ſunt, relato proferuntur. ita fit, vt aliquando quæ viſa obſcurius fuerint, eodem prorſus modo, nonnunquam verò explicatius, interdum autem quæ apertius oſtenſa fuerint, obſcurius referantur. quorum generum exempla in ſingulis vatibus frequentiſſima ſunt. Hactenus Vates noſter quæ imagine & ſimilitudine difficiliori ſpectauerat, edoceri cupiens, interpretem ſuum rogabat; nunc quæ ipſe ſimplicius & clarius fortè viderat, obſcuriori & interpretis egente oratione refert: quæ, quòd ipſe probè cognoſceret, explicari ſibi non rogat, ſed alijs magis explicanda relinquit. Huiuſmodi autem imaginis ſiue ſymboli explicatio nobis illa commodiſſima eſt, vt Iudæorum, qui euangelio crederent, futuram per Spiritum Chriſti virtutem & dignitatem, felicitatem & gloriam gratiamq́ue cùm apud homines, tum apud Deum in eadem aurei candelabri clariſſima luce ſplendentis imagine deſcriberet. cuiuſmodi felicitatis, virtutis, gratiæ, auro & lumine ſignificatæ exemplum apoſtoli & diſcipuli illi antiqui præbuêre: de quibus illud præcantatum fuerat: Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, Iſai.60.
« & gloria eius in te videbitur, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore «
« ortus tui, &c. Id quod ſibi viſum atque explicatum Zacharias ipſe aliàs etiam concinebat: «
« Lauda & lætare filia Siõ, quia ecce ego venio & habitabo in medio tui, &c. [*Aureum totum,*] «
Hebraicè, adiunctum Totum, perfectionem & conſummationem ſignificat; vt eccleſiæ Superius.
integritatem & pulchritudinem auream omnino, omniſq́ue vitij expertem hac imagine deſcribat. Huius autem candelabri mirum artificium Moſi in monte demonſtratum, & per Bezalaëlem ſummum architectum fuſum olim fuerat: nunquam tamen ita plenè, vt à Vate noſtro nunc deſcribitur; abſolutum eſt.

Et lampas eius ſuper caput ipſius: & ſeptem lucernæ eius ſuper illud: & ſeptem infuſoria lucernis, quæ erant ſuper caput eius.

Eᴛ *lampas.*] Quid hoc nomen ſignificet, quidúe res ipſa ſit, Hebraica lingua & Chaldaica paraphraſis declarant; coronamq́ue quandam auream circularem Vati viſam explicant, quæ totum candelabrum ornando ſuperius ambiret, regium diadema ſignificans, Chriſtum videlicet, à quo ex antiqua ſeruitute ad ingenuam libertatem traducta eccleſia, tanquam ſponſa dulciſſima multis diuinis muneribus aucta, regij honoris cauſa coronato in thalamo ſedet, ſicut ſcriptũ de eccleſia verè eſt: Qui propitiatur omnibus iniquitatibus Apocal.
« tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas: qui redemit de interitu viam tuã: qui coronat te in «
« miſericordia & miſerationibus: qui replet in bonis deſideriũ tuũ, renouabitur vt aquilæ iu- «
« uentus tua. Id quod antiquis temporibus ſynagogę diu deſideratũ & exſpectatũ eccleſiæ

 tandem

tandem ex diuino per Chriſtũ beneficio cõrigit, qui ſemetipſũ tradidit, vt exhiberet im-
maculatam Deo, &c. quam coronatam diadematiſq. gloriam Chriſto acceptam, refe-
1.Pet. 1. rentem Ioannes vidit: Feciſti, inquit, nos regnum Deo patri tuo. & D. Petrus: vos, inquit,
« genus electum, regale ſacerdotium, &c. quo in loco, quid candelabra, quid lucernæ, quid
corona ſignificet, apertè docemur. nam candelabrum, eccleſiam vnicam multis lucernis
ſplendentem; ſtellas, angelos eccleſiæ ad cuſtodiam, tutelam miniſteriumque præfectos;
coronam verò, ſeipſum α & ω, ſummum eccleſiæ ſuæ ornamentum indicat Chriſtus. [*Et
ſeptem infuſoria lucernis, quæ erant ſuper caput eius*, Hebraicè, *ſeptem & ſeptem:*] ita vt ſingulis lucernis
ſeptẽ infuſoria ad olei miniſteriũ deſtinata eſſẽt. quæ res nihil aliud nobis ſignificat, quàm
ſtellæ illæ in dextera Chriſti conſtitutæ Ioanni ſignificarunt; cæleſtes videlicet ſpiritus cer-
tis ordinibus diſtinctos, atque ad diuina beneficia eccleſiæ miniſtranda deputatos: nonne
Hebr. 1. omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem ca-
« piunt ſalutis? Animaduertendum tamen eſt nomẽ Latinum *infuſoria*, ex Hebraico *Muſzak*,
verſum eſſe, quod non vaſa in quibus oleũ aut liquor aliquis continetur, ſed propriè cana-
2.Paral. 4. liculos vaſis additos, per quos liquor commodè ad vſus effunditur, ſignificat. atque ita
« Salomon mari illi æneo infuſorium ſiue effuſorium potius aptaſſe dicitur. Quæ res gratiæ
& aliorum diuinorum beneficiorum vſum per angelos tanquam miniſtros; copiam verò
& facultatem à Deo per Chriſtum eius (de cuius plenitudine omnes accepimus) eccleſiæ
gigni ſuppeditarique ſignificat. Quamobrem & ſtellæ in dextera Chriſti à Ioanne con-
ſpectæ ſunt, & ab hoc Vate *effuſoria*, non candelabri coronæ, *lucernis, quæ erant ſuper caput eius*, ad-
mota notantur.

Et duæ oliuæ ſuper illud, vna à dextris lampadis, & vna à ſiniſtris eius.

AD omne candelabri ornamentum duæ oliuæ vario dignitatis loco conſtitutæ acceſſe-
runt: quarum ratio & ſignificatio Vatem latuiſſe, ex interrogatione & cognoſcendi deſi-
derio intelligimus; cui nihil antea de candelabro eiuſq. partibus, vtpote perſpectis atque
exploratis, quæſitum eſſe videmus. [*à dextris & à ſiniſtris.*] Imparem dignitatis locum, quan-
quam vtrumque honeſtiſſimum dextra & ſiniſtra maximorum principũ aut digniſſima-
Prou. 3. rũ rerum ſignificat: vt, Longitudo dierum in dextera eius; in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria.
Matth. 20. &: Dic vt hi duo filij mei ſedeant, vnus ad dexteram, & alter ad ſiniſtram tuam.

*Et reſpondi & aio ad angelum, qui loquebatur in me, dicens, Quid ſunt hæc Domine mi? & reſpondit ange-
lus qui loquebatur in me, dicens, Nunquid neſcis quid ſunt hæc? & dixi, Non Domine mi.*

DVARVM vtrimque candelabro aſtantium oliuarum pulchritudinem & ſitum mira-
tus Vates, rationem ignorans, doceri cupit, admirationemque angelo interpreti ex eo,
quòd non cognouerit, mouere videtur: à quo nunquam aliàs huiuſmodi ſermone exce-
ptus fuerat. [*Nunquid neſcis quid ſint hæc?*] Qua oratione Vates ſi diligentius attenderet, oliua-
rum rationem, ex ijs, quæ antea edoctus erat, quæque ipſe intellexerat, percipere etiam
potuiſſe arguitur. quam cùm ipſe ſibi cõſideratam neget, non quidem plena tractatione,
ſed breui quadam, verùm notata obſcurioris partis ſignificatione abundè docetur: nimi-
rum duas oliuas duo eſſe maxima ac præcipua munera, alterum regium, ſacerdotale alte-
rum; quibus publica res omnis amplificatur, ſtabiliturque. quarum rationem Vati ex an-
tecedentibus rebus non adeò obſcuram eſſe oportuerat; maximè ſacerdotij ſeriem omnem
& exitum, futuroſque euentus in Ieſu ſacerdotis tractata paulo antè, & ſibi attentiſſimè
cogitata cauſa edocto; quam prætermittens alteram regni videlicet, indicat magis, quàm
aperiat Zorobabele tantùm appellato: ex cuius poſteritate maximus ille princeps expe-
ctandus erat, qui vt ſacerdotij res ad ſe tranſlatas ad publicam vtilitatem omnium optimè
& digniſſimè adminiſtraturus; ſic etiam regni munus & officium maxima & planè diuina
virtute præſtiturus erat.

*Et reſpondit, & ait ad me, dicens, Hoc eſt verbum Domini ad Zorobabel, dicens, Non in exercitu, neque in
robore; ſed in Spiritu meo, dicit Dominus exercituum.*

NON reſpõdet angelus rẽ omnẽ vt habitura erat, videlicet, hoc eſt ſacerdotiũ & hoc eſt
regnũ. &c. ſed alterius tantũ partis euentuũ certã cauſã indicat: ex qua omnis vtriuſq. ratio
vati ſtatim ſubducitur. namq. vt ſacerdotiũ firmandũ perpetuoq. ſtabiliendũ per Chriſtum
altera oliua cãdelabro muniẽdo appoſita, atq. perpetuo virore & certiſſimo fructu vmbrã
oleumq. ſuppeditãs ſignificabãt: ſic regnũ maxima virtute & felicitate ad æternitatẽ pro-
pagandũ, Zorobabelis progeniei altera portendebat. quod myſteriũ vt vates ſibi cognitum
Zorobabeli ipſi (qui futuri Chriſti perſonã, princi[illegible]tũ inter Ieroſolymitanos gerens, tunc
ſuſtinebat) indicaret, illam ex oraculo editam re[illegible]it atq. cõmendat breuẽ definitionem,
qua dictum ſibi fuerat, *Non in exercitu,*] neque humanæ bellicæ virtutis apparatu atque
poten-

potentia, ſed tantùm diuini Spiritus efficientia & vi, illam æterni regni felicitatẽ certam, ſtabilem conſtantemque fore. Quo in reſponſo, quamuis breuiſſimo, maxima diuinorum Patris Dei & Chriſti eius, atque Spiritus ſancti myſteriorum argumenta, quæ non breues explicatus habeant, continentur. Itaque publicam hominum ſalutem, & æternam illam felicitatem, qua eccleſia per Chriſtum vſura fuit, oliuæ, hoc eſt, diuini Spiritus virtuti acceptam referri omnino oportere, ſacris oraculis eſt definitum. [*Dicit Dominus exercituum.*] cui ad omnem maximam conficiendam perficiendamque rem vis & facultas infinita eſt. Idem enim ipſe de eodem regno eiuſdem ſpiritus virtute per orituram illam oliuam, iamque nobis ortam ſtabiliendo huiuſmodi olim oracula fundebat: Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, &c. & iterum, Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum; electus meus; complacuit ſibi in illo anima mea, dedi Spiritum meum ſuper eum, &c. addit & illud, Calamum quaſſatum non confringet. Verùm enimuero Chriſti potentiam, auctoritatem & maieſtatem, ne minor fortaſſe exiſtimari ob eam rem poſſet, quòd ea non armis aut bellica virtute (quibus rerum ſummam conſtare humana ſapientia cenſet) ſed diuini Spiritus efficientia conſtituenda conſeruandaque eſſe diceretur, maximam, grauiſſimam & efficientiſſimam fore confirmat: idque ex præſentis rei comparatione admirabundus Vates arguit, docetque non minores, ſed maiores longeque præſtantiores diuini Spiritus virtute & efficientia, quàm armis, bello, omnibusq. alijs humanis facultatibus geri res. atque hoc præſenti Zorobabelis ipſius periculo facto demonſtrat: qui non humana potentia aut armorum, ſed diuini Spiritus virtute eductum ex Babylonica ſeruitute Iudaicum populum rectè, prudenter feliciterque moderatus ad abſolutum vſque templi opus nullo omnino deinceps accepto incommodo gubernaturus adhuc ſit.

Iſai. 11. "

Iſai. 42. Matth. 12 "

Quis tu mons magne coram Zorobabel in planum: & educet lapidem primarium, & æquabit gratiam gratiæ eius.

ARGVMENTVM ex contentione nactus, maximam futuri Chriſti virtutem & efficientiam in ſimili, ſed longè diſpari re exſpectãdam docet Vates, tum perſonarum, tum rerum & actionum, tum euentuum comparatione facta. quòd Chriſtus Zorobabeli naturæ, virtutis ac dignitatis magnitudine, quantum editiſſimus mons depreſſo, atque humili loco adiacenti excellat. quòd etiã templi illius ſanctiſſimi fundamenta cũ ſumma Dei & hominum approbatione iaciens opus ipſum perfecturus omnino ſit. Montem autem magnum appellat Chriſtum Vates, eodem tropo, quo principes montium nomine dici in ſacris non rarò ſolent: vt, Triturabis montes & comminues, &c. ſic ſeipſum ſuamque virtutem Chriſtus etiam ſignificabat: Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. Atque ex pluribus, quibus terræ tumores Hebraicè dici ſolent, nominibus vnum potiſſimum hoc in loco vſurpatum *Har*, prægnantem atque multarum rerum vim in ſe continentem locum ſignificat: quod ijs tantùm tribuitur montibus, qui præter mineralia aquarumque ſcaturientium origines, magnam atque multiplicem herbis, arboribus gignendis & conſeruandis idoneam vim in ſe habent. qua de re latius ſuo loco philoſophari, ſi Deus annuerit, meditamur. Quis verò Chriſti diuinam naturam & maximam illam multiplicemque virtutem arcanis his verbis indicatam non videat! cuius comparatione Zorobabel, quamuis princeps & dux à Deo electus, quamuis ad munus ſuum obeundum diuino Spiritu auctus, quamuis gerendis in rebus felix & ſtrenuus; tamen in planum monti adiacens iudicandus habendusque ſit, cui perexigua virtus ex ſe eſſet: ex vicino autem monte multa & eximia communicaretur. namque planum hoc in loco *Miſſor*, monti adiacens notatur. Huius igitur montis virtute atque opera primum ſacroſancti templi & probatiſſimum, firmiſſimumque lapidem optimis auſpicijs locandum eſſe Vates aſſeuerat; cuius ratio, ſitus & locatio, & Deo ipſi imprimis & hominibus gratiſſima ſit. [*Et æquabit gratiam gratiæ eius.*] hoc eſt, vtramque ſimul gratiam lapis ille inibit. ſed huius loci ſententia apertior Hebraicè, quàm in noſtra Latina verſione eſt: *Et clamores gratia, gratia illi.*] Sic nomen plurale THESSVAOTH apud Iob, Sophoniam, aliosque auctores, vel tumultum, vel rugitum, vel clamorem etiam noſter vertit Interpres, & ſententiæ ratio verti poſtulat. Significat autem hoc in loco plauſum & clamorem illum, quo vel gratiſſimæ, vel vtiliſſimæ res publicè excipiuntur; qualis in theatris, in triumphis, in templis, & ſacris inſtituendis à populo edi audirique ſolet. Communem autem & publicam omnium vocem illam fore ait, *gratia, gratia illi*, hoc eſt, feliciter, feliciter, &c. At verò lapis hic, quem Vates primarium; ſiue, vt Hebraicè eſt, principem fundamentalemque articulum etiam antonomaticum addens appellat, quidnam ſit, ab alijs magis dicere cupimus; quibus tanti arcani ſignificatio explorata fuerit

Iſai. 41. Matth. 5. הר מישור Iob 39. Iſai. 22. Sophon. 1.

ta fuerit, vel à nobis ex diuino beneficio exſpectari, quoad mirabile templi huius artificium cognoſcere & referre concedatur, & huius lapidis virtutem indagare, cuius cauſa diuus Petrus à Chriſto audierit: Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non re-
Mat. 16. uelauit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt. & ego tibi dico, quòd tu es Petrus, &c. Quid de hoc loco qui nos præceſſerunt magni nominis commentatores ſcripſerint nouimus, noſtram verò ſententiam Chriſto probatiſſimo lapidi conſecrãdam duximus. Huic autẽ tantę, tam admirandæ rei à Deo promiſſæ atque à Vate propoſitæ, vt fides haberetur ſumma, præſentis argumenti, ſigniſque pondus additum eſt, videlicet templi, quo à Zorobabele iactis fundamentis eſt incœptum, perficienda propediem abſolutio.

Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens, Manus Zorobabel fundauerunt domum iſtam, & manus eius perficient eam: & ſcietis quia Dominus exercituum miſit me ad vos.

VATEM ipſum primùm, deinde cæteros omnes venturi Chriſti fide & ſpe præſentis argumenti periculo confirmari Deus voluit: atque ob eam rem Vati magnitudinẽ myſterij huius cogitanti oraculum fuſum, *Et factum eſt verbum Domini ad me:*] cæteris deinde ſuæ gentis hominibus ad quos res etiam pertinebat, editurum. [*Tunc ſcietis, quòd Dominus miſit me ad vos.*] Signum igitur & argumentum eſt, quod in illis miſeris & turbulentis temporibus inter vicinos finitimoſque hoſtes eoſdemque acerrimos templi efficiendi obtrectatores; tamen non incipiendi modò, ſed abſoluendi omnino poteſtas & facultas ſumma Zorobabeli concedenda eſſet, duci optimo & ſanctiſſimo; verùm Spiritu & virtute cum Meſſiæ dignitate non comparãdo. [*Et ſcietis quòd Dominus.*] Sic Hebraicè Vati ipſi arcani magnitudine & difficultate implicito cum primis; deinde & cæteris omnibus teſtimonium illud & diuinæ virtutis argumentum obſeruandum proponitur. [*Quòd Dominus miſit me ad vos.*] Angeli oratio hæc eſt. Minimè verò mirum videri debet, Vatem tam alti myſterij cogitatione & verborum illorum, mons magnus, lapis primarius, &c. notatione implicatum & conſtrictum ita fuiſſe, vt nouæ & proximæ rei exſpectatione confirmari oporteret, quando rationem integram nulli antiquorum patrum; ſed neque angelorum, quoad
1. Pet. 2. euentu ipſo aperire Deus voluit, ſubductam habuere, ſicut ſcriptum eſt: De qua ſalute ex-
Col. 1. quiſierunt atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerũt, &c. Idem etiam apertiſſimè D. Paulus confirmat: Myſterium ſeculis & generationibus ante ſe celatum, ſuo verò tempore reuelatum prædicando. Neque verò eam ſecũdi templi ædificationem propterea negligendam contemnendamque eſſe angelus ait, quòd prioris templi magnitudini atque operi comparata exigua prorſus & humilis, vt apud Haggæũ legimus, cenſeatur; imò ſumma lætitia, magniſque populi plauſibus excipiendam, quòd illa humilitate & breuitate, maxima dignitatis momenta habere conſtaret. nam præter certam & breuem Chriſti venturi exſpectationem, quam illud templum afferebat, illuſtrem etiam eiuſdem illa humilitate illaque latente virtute ſignificationem habebat, quam eleganti, ſed obſcuriore ſermone angelus per Zachariam innuit.

Quis enim deſpexit dies paruos? & lætabuntur, & videbunt lapidem ſtanneum in manu Zorobabel: Septem iſti oculi ſunt Domini; qui diſcurrunt in vniuerſam terram.

QVIS *enim deſpexit dies paruos?* Hebraicè ſic: *Nam quis deſpexit diem paruitatis?*] Paruitatis diem vocat primam & viceſimam ſeptimi menſis anni 11. Darij regis, quæ cùm Iudaicæ genti ob reſtitutum populum celebris eſſe debuiſſet; tamen ex prioris ædis magnificentiæ deſi-
Hagg. 2. derio deſpecta ac penè lugubris fuit, ſicut ſcriptum eſt: Quis in vobis eſt derelictus, qui vidit domum iſtam in gloria ſua prima, & quid vos videtis hanc nunc? Nunquid nõ eſt ita, quaſi non ſit in oculis veſtris? Hanc verò non deſpiciendam eſſe Vates noſter ait, ſed magna lætitia celebrãdam; tunc maximè cùm finito abſolutoque opere poſtremus lapis, hoc eſt, ille qui ex opere ipſo reliquus fuerit atque reiectus in manu Zorobabelis & populi & operis principio conſpicietur. Solent enim qui operibus & ædificijs magnificis præſunt, & primo in fundamentis iaciendis lapidi locãdo bene precaturi intereſſe, & abſoluẽdo etiam operi gratulabundi adeſſe. neque alienum ducunt lapides ipſos primum & poſtremũ manu ſua tractare. Poſtremum autem voco eum, qui abſoluto iam operi ſuppeditatus ſatis ſuperque eſſe dicitur: quo reiecto abſoluti operis gratulatio iucunda fit. Atque ad hanc
Ioſu. 6. rationem illud pertinet, quod olim Ioſue dux Iericho vrbis reſtitutionem execratus dixerat: In primogenito ſuo fundamenta illius iaciat; & in nouiſſimo liberorum ponat portas eius quo in loco Hebraicum nomẽ vſurpatum eſt, *Ben*, quod lapidem & filium ſignificat. [*Et videbunt lapidem ſtanneum in manu Zorobabel.*] Maximam populi & communem lætitiam eſſe oportere ait, cùm extremus lapis in manu Zorobabelis conſpectus fuerit, vt primus etiam

fuerat

fuerat conſpectus, vt ſuperius dixerat: Manus Zorobabel fundauerunt domum iſtam,& manus eius perficient eam. Sed quod Latini interpretes vertũt, *ſtanneum lapidem*, nos non ex materiæ,ſed ex verbi & ſententiæ ratione exponimus lapidem ſeparatum, ſiue ſepoſitum. quanquam enim *Bedil* metallum illud, quod ab argẽti puritate ſecerni ſolet, ſignificet;propriè tamen ſeparationem, ſiue ſecretionem, ſeparatamque rem ſignificat: neque ad ædificatorium perpendiculum rectè hæc referuntur, cuius vſus magis ad fabros ipſos, quàm ad operis principem ſpectat, & in abſoluto opere ſuperuacaneus eſt; ſed vltimum lapidem qui extremo operi non tam collocandus, quàm reijciendus addi ſolet, definimus:cui nullus in ædificio locus relictus eſſe cum ædificantiũ plauſu indicari ſolet. Atque hunc etiam nos morem non ſemel apud ædificatores noſtros obſeruauimus. Quandam autẽ eximiam huius publicæ lætitiæ cauſam nobis Hebraica lectio, & ipſa tam diligens apud Vatem notatio quærendam inueniendamque indicat. namque vtrumque nomen lapidis & ſeparationis notationis articulum adiunctum habet, vt certum quendam lapidem inſigniter ſeparandum oſtendat; idque in manu Zorobabelis futurum eſſe dicat: nempe hic eſt lapis ille qui ab ædificantibus reprobatus à Deo in caput anguli, cum magna omnium ſpectantium admiratione, conſtitutus eſt. Idemque Meſſias Ieſus Nazarenus Zorobabelis filius, qui à Iudæis reiectus principem tamen in eccleſiæ fundamentis locum obtinet. [*Quis igitur deſpexit diem paruitatis?*] quo hæc maxima myſteria ſignificata ſunt: Imò confortare Zorobabel, dicit Dominus, & confortare Ieſu ſacerdos magne, & confortare omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum; & facite, quoniam ego vobiſcum ſum, dicit Dominus exercituum. verbum quod pepigi vobiſcum cùm egrederemini de terra Ægypti: & Spiritus meus erit in medio veſtri: & cætera, quæ de hac eadem re à Ioële decantata ſunt. Interim verò Vates quoniam candelabri partium quarũdam ſignificationẽ cogitabundus animaduertebat, ab angelo interprete docetur magno ſpei exemplo eorum, qui ſeſe diuinis myſterijs cognoſcendis totos tradiderint. Eos namque abſtruſas & difficillimas rerum rationes diuino beneficio & cæleſti præceptore vſos oportunè conſecuturos credendum eſt; dummodo id ſtudium purè, ſanctè, ſedulò acriterque ſuſceptum ſit. Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei, adeo affluenter, vt multa rogatus reſpõdeat; multa item, antequã rogetur, vltrò doceat. [*Septem iſti oculi Domini ſunt.*] naturam omnem Dei immortalis ratione, poteſtate, mente, numine; ſiue, vt planius ſignificemus, prouidentia diuinitus regi, aliàs copioſius docuimus, & communi ſapientiſſimorum ſententia comprobatum eſt. Hanc multis nominibus diuina appellant oracula, ex quibus vnus eſt oculus, quòd is ſenſus & plures rerũ differentias, & melius, plenius, longius etiam percipiat. Dei autem oculos conſiderationem definimus; qui qualis quiſque ſit, quid agat, quid admittat, qua mente, qua pietate, religionem colat, piorum & impiorum rationem habet, ſicut ſcriptũ eſt: Qui finxit oculum, non conſiderat? qui docet hominem ſcientiam. Huius prouidẽtiæ multiplicem vim, & maximam infinitamque virtutem ſeptem oculis ſignificatam Vates ab angelo eſt edoctus: oculos verò ardẽtes & illuminantes, non qui luce exterius petita ad videndũ egeant, ſed qui lumen potius omni alij naturæ & vniuerſo mundo porrigant & tendant; vtpote lucernæ ipſæ vndique lucentes, & perfectiſſimum numerum ſeptenariũ continentes: quo præter quatuor mundi cardines cælum etiam ſupremum & infima terra, & quod medium eſt, firmamentum proſpiciuntur atque gubernantur. Sed quanquam diuini oculi tãquam ſpeculatores omnia longè lateque orbis loca circumſpicientes illuſtrent & moderẽtur, tamen ſingulari quodam benignitatis beneficio pium & verè religioſum populum vt altiſſimum & magis proprium locum obtinere dicuntur, eoſque propius aſpicere, fouere & moderari, quorum virtute & pietate, ſanctitate pura ac ſimplici, charitateque mutua & ſincera aurei huius candelabri admirandum opus conflatur, ſicut ſcriptum eſt: Intellectum tibi dabo, & inſtruã te in via hac, qua gradieris: Firmabo ſuper te oculos meos. &, Ecce oculi Domini ſuper iuſtos. atque hanc rationem Vates ab angelo apertè edoctus eſt. [*Septem iſti.*] non dixit, ſeptem lucernæ, aut infuſoria ſeptena, ſed in vniuerſum omnẽ ſeptenarium numerum, videlicet, vaſa, quibus infuſoria coniuncta erant, & lucernas indicabat: id quod Hebraica punctorum diſiunctio docet. [*Oculi Domini ſunt, qui diſcurrunt in vniuerſam terram.*] Copioſas vehementerque exquiſitas prouidẽtiæ rationes verbum *diſcurrunt*, Hebraicè ſignificat: quas oportuno aliàs loco eiuſdem prouidẽtiæ beneficio commodius explicabimus. Quæ verò de candelabri integra ratione dici poſſent; cùm plenè exponi commentarij noſtri breuitas non ſinat; non minus tamen latenter indicata pio atque ſapienti lectori ſunt. Cæterùm Vatem ipſum rurſum etiam interrogantem audiamus.

Ioel. 2. " " " Iaco. 1. " " Ariſt. Met. 1. cap. 1. Pſalm. 93. Pſalm. 32. Pſal. 31. "

Et reſpondi, & dixi ad eum: Quid ſunt duæ oliuæ iſtæ ad dexteram candelabri, & ad ſiniſtram eius?

DOCENTIS vltro angeli benignitate vehementer animatus rem omnem, quam ignorabat, doceri rogat. igitur oliuarum numeri & ſitus rationem ſcire cupit. [*Quid ſunt duæ oliuæ iſtæ.*] nam quæ de Zorobabele ex angelo interprete audierat, alterius tantũ oliuæ rationibus accommodari poſſe videbantur; ſed an altera etiam oliua eundem ipſum referret, incertus erat; pręterea quæ ſitus ratio eſſet, cognoſcere cupiebat; cur candelabrum vtrimque ambæ oliuæ, à dextera altera, altera verò à ſiniſtra munirent. deinde etiam & illud inquirit, quod antea in ſpectro intuitus, neque narrauerat, neque quid eſſet, cognouerat. namque illa ea præcipuè narrauit, quæ probè ſeſe cognoſcere putabat. ſed quæ hactenus narrando prætermiſſa fuerant, illa ſunt:

Et reſpondi ſecundò, & dixi ad eum: Quid ſunt duæ ſpicæ oliuarum, quæ ſunt iuxta duo roſtra aurea, in quibus ſunt ſuffuſoria ex auro?

HIC verſus, quòd obſcurior ſit, ex Hebraico ad verbum vertendus nobis eſt.

Quid duæ ſpicæ oliuarum, quæ in manu duorum cantharorum auri euacuantes, deſuper ſe aurum.

SINGVLOS ex vtraque oliua ramos oleis multis in triticeæ ſpicæ modum confertos, intraque duo vaſa, quæ paulùm diuerſo à Latina pronuntiatione nomine *Cantharos* vocat, conſtitutos vidit: quæ res oleum ex oliuis expreſſum, in cantharis excipiendum eſſe docere videbatur. namque oliuas non aridas viderat, ſed virentes potius atque fructu edito, vt nunc exponit, commendabiles: tamen ex ſingulis oliuis, ſinguli tãtùm rami, iidemque oleis refertiſſimi erant. Eas autem ſpicas vidit aurum ex ſeſe effundentes, atque euacuantes; ita vt pro oleo puro aurum purum putumque remitterent: id quod articulus notationis auro additus indicat. ſed has adeò abſtruſas, difficileſque Vati quæſtiones difficiliori ſanè definitione diuinus Interpres tarditatem hominis imprimis notãs abſoluere videtur: vnoque ſermone vtramque interrogationem concludens, rogantem ſic excipit.

Et ait ad me, dicens: Nunquid neſcis quid ſunt hæc?

DICENTIS vehementiam & admirationem notationemque verbum *dicere*, bis repetitum, arguit: quòd vtramque rem ex ſuperioribus cognoſci à Vate oporteret; quam tamen ipſe obſcuram ſibi ignotamque eſſe ingenuè fatetur.

Et dixi, Non Domine mi.

MODESTIAM ſummam & ingenuitatem Vatis oratio indicat, qui ſe neſcire fateatur, & doceri cupidus officioſusque poſtulet magna ſermonis & ſtudij atque obſeruatię oſtenſione, quam vox illa, *Domine mi*, Hebraicè notat. Atque ex auditis cognitiſque antea Ieſu ſacerdotis & Zorobabelis rationibus oliuarum numerum & ſitum cognoſcere Vatem potuiſſe Angelus innuit, & cum ſpicarum ſimul expoſitione nunc indicat, tantum eandem eſſe duarum oliuarum & ſpicarum interpretationem docens.

Et dixit, Iſti ſunt duo filij olei ſplendoris, qui aſſiſtunt dominatori vniuerſæ terræ.

EX duobus verbis *Filij olei* & *aſſiſtere dominatori*, &c. deſideratam obſeruatarum rerum ſignificationem ſatis intellexit Vates. namque filius olei idem, quod filius oleatus, vt ſic Latinè loquamur, virum oleo ritè inunctum, & propriè, qui eius vnctionis ius optimũ ſummumque habeat, ſignificat. Aſtare autem apud aliquem, miniſterij certum officium, vt iam ſæpe aliàs obſeruauimus, arguit. Igitur duos iure optimo ritè legitimeque inunctos, penes quos omnium quæ ad diuinum cultum atque miniſterium ſpectant, rerum ſumma eſſet, Vates ex angeli reſponſo cognouit. Hi autem duo nulli alij præter regem ſacerdotemque ſunt, quorum dignitate atque auctoritate, publica hominum res adminiſtratur. Hos autem non plures, ſed ſingulos tantùm eiuſdemque omnino ſententiæ, conſilij & ſtudij in publicis & priuatis gerendis rebus Deus eſſe voluit, atque in populo ſtatuit ſuos alterum verò à dextris, à ſiniſtris alterum: quòd regia dignitas, quàm ſacerdotalis, antiquior ſit; & diuinã illã, quæ cuncta moderatur, maieſtatem auctoritatemque propriùs referat. namque Deus propriè, frequentiſſimè atque rectiſſimè rex dicitur; ſacerdos autem vel nunquam, vel minus propriè appellatur: homo etiam prius conſtitutus fuit rex, vt præeſſet animantibus terræ, & volatilibus cæli, & piſcibus maris, quàm aut ſacerdotio fungeretur, aut egeret: ſiquidem eius muneris vſus ad placandum conciliandumque hominibus

minibus Deum eſt conſtitutus. Ad hæc pontifex omnis ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Heb.5. Quibus ex rebus omnibus regia dignitas prior & antiquior eſſe arguitur, prioremque in locorum ſermonumque ordine locum obtinet, ſicut ſcriptum eſt: Regnum & ſacerdotium & ſanctificationem &c. Iam verò quis non magni regis & pontificis noſtri Chriſti Ieſu imaginem, officium & virtutem ex oliuarum deſcriptione expreſſam intuetur? Qui duabus naturis conſtans, altera diuina, qua ante omnia ſecula Rex regũ, dominantiumque Dominus, atque paternæ maieſtatis, dignitatis, imperijque legitimus æqualiſq. particeps dicitur; altera verò humana, qua in Regem etiam ſacerdotemque vnctus vniuerſæ terræ dominatori ad publicam hominum vtilitatem commodiſſimè, ſanctiſſimè, gratiſſimeque miniſtrans regni & ſacerdotij dignitatem ſibi cumprimis propriam & certam ſuis etiã omnibus cõciliauit, ſicut ſcriptũ eſt: A Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorũ, & princeps Regũ terræ: qui dilexit nos & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo: & fecit nos regnum & ſacerdotes Deo & patri ſuo, &c. Apoc.1. Huius Chriſti duplici natura & vtriuſque dignitatis regiæ & pontificiæ munere & virtute omnis humani candelabri fabricatio non modò vndique munitur, ſed communicato aureo vnctionis oleo perficitur & illuſtratur. Huius vnius virtute tantùm in vtroque munere fungendo præſtitum eſſe, & diuinorum ſcriptorũ, & ſacroſanctæ eccleſiæ teſtimonio cognouimus, quantum ab omnibus antea regibus & põtificibus deſideratum, à nullis verò fuerat præſtitum. Omnis enim ſacerdos (antiquus) præſto erat quotidie miniſtrans, & eaſdẽ quotidie offerens hoſtias, quæ nunquam potuerunt auferre peccata: hic autem vnam pro peccatis offerens hoſtiam in ſempiternum, ſedet in dextera Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius: vna enim oblatione conſũmauit in ſempiternum ſanctificatos, &c. Hebr.10. Duas verò Chriſti naturas, quibus tamen vnum tantum conſtat ſuppoſitum, ob inſignem etiam vtriuſque dignitatis diſtinctionem, ad dexteram & ſiniſtram collocatas Vates vidit; quòd altera prior & excellentior diuinitatem propria ex natura habeat; altera verò & loco & tempore impar ex alterius communicatione diuinitatem quoque obtineat. cæterùm vtraque ſuo in genere omnino illuſtris, aurea efficaciſſimaque ſit; quippe qua Deus eſt puriſſimus atque ſimpliciſſimus; qua verò homo eſt, patre Deo, matre Virgine ſanctiſſima natus, omnis experte labis, & ad omne hominum expiandum genus idoneo corpore, & gratiſſima atque præſtantiſſima conſtat anima: cuius arcana & infinita, neminique vnquam mortalium ſatis explorata vtriuſque naturæ cõiunctionis virtute euenit, vt quæ de altera dicuntur, alteri etiam rectè quadrent. quæ ratio omnem humanæ philoſophiæ artem modumque ſuperat. Huius verò maximi regis & pontificis vtramque legitimam & propriam dignitatem cogitatam eſſe volumus, quoties in diuinis libris, aut in noſtris commentarijs Chriſti ſiue Meſſiæ cognomen appellatũ fuerit: vtrumque enim vnctum ſignificat, & duplicem olei ſplendoris filium, hoc eſt, duplici vnctione præſtantem, qui vtriuſque muneris dignitate officioque functus aſſiſtit dominatori vniuerſæ terræ. Cuius ratio ob id obſcura Vati viſa eſt, quòd ad vnam eandemque perſonam accommodanda eſſet; vt verò ab Angelo eſt indicata, cognita ſtatim fuiſſe ipſo Vatis ſilentio declaratur.

CAPVT QVINTVM.

Et *conuerſus ſum, & leuaui oculos meos, & vidi: & ecce volumen volans.*

HACTENVS feliciſſimã illam humanæ ſalutis rationem in ſuperioribus ſpectris vates edoctus fuerat, ad quã futura Iudaici populi reſtitutio referenda fuit: nunc verò publicas & ærumnoſas ſtatim, poſt euangelij denuntiationem, ſubeundas Iudæis calamitates oportunè docetur, vt omnem temporum & rerum conſequentiam ſeriemque agnoſcat, ſimul, & diuinæ clementiæ atque miſericordiæ admirãdas diuitias, patientiæque rationes cõſideret, quòd genti illi iam tum grauiſſimis ſceleribus obligatæ tam diu pœnæ propter pœnitentiæ exſpectationem dilatæ fuerint, quoad auctis flagitijs & euangelij repudiatione cumulatis criminibus grauiores multo fuerint inferendæ. namque ex huiuſmodi miſericordiæ collecta ratione effectum eſt, vt Vates illam temporum varietatem & diſtinctionem minus miraretur. rerum enim ipſarum conſequentia poſtulare videbatur, vt omnes genti clades ærumnæque ſimul afferrentur, ſimulque Vati oſtenderentur; quas futura pòſt communis felicitas conſecutura eſſet: ſed tamen diui-

ra mi-

na miſericordia effectum eſt, vt calamitas alia longa reſpiratione & diuturna exſpectatione aliam antecederet, atque eo etiā modo Vati proponeretur. [*Et conuerſus ſum, & leuaui oculos meos & vidi.*] Geſtus ipſe habituſque Vatis rem, de qua dicturus eſt, non eo ordine quo gerenda eſſet, antecedentibus adnecti arguit; ſed priorem futuram, tamen poſterius viſam, narratamque ſibi eſſe oſtendit. nam ſi poſt ea tempora, quæ antehac notata deſcriptaque ſunt, venturam docendus eſſet, ante ſe etiam vlterius oſtenſam proſpiceret; non autem relictam conuerſus atque reſpiciens contemplaretur. neque verò ſe ſolum conuerſum, ſed ſublatis oculis conſpexiſſe dicit, vt rem cælitus & diuino conſilio auctoritateque allatam oſtenderet. [*Et ecce volumen volans.*] Codicem in quem accepti & expenſi, aliarúmue rationum ſummæ nominaque referuntur, volumen Vates nominat, quod antiquo more non libris & folijs, vt nunc, ſed pluribus commiſſis ſimul membranis huiuſmodi res conſcriberentur: quæ, quòd ob commoditatem in breue cogi poſſent, à voluendo volumina; ſiue, vt Hebraicè eſt, eiuſdem ſignificationis nomen, *Megiloth* dicta ſunt. Latinus interpres apud Ezechielem inuolutum librum nominat. Quod verò volans viſum fuerit volumen, oportunam nominum exactionem maturamque diligenter curatam ſignificat: ne quis exiſtimet Deum, qui conſectari ſemper debita non ſoleat; quod debeatur, niſi aliàs legitimè debitoribus proſpectum fuerit, per negligentiam remiſſurum. Et quoniam huius Iudaicæ calamitatis euentum certum ex ſuperioribus viſionibus arguere potuit, ab angelo an cognouerit, rogatur.

Et dixit ad me, Quid tu vides?

NAMQVE ex futuræ ſalutis reſtitutioniſque præcognitis rationibus antecedentis ſalutem illam miſeriæ tempora Vatem cogitare conſentaneum fuerat.

Et dixi, Ecce, ego video volumen volans: longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum.

ANGELVS non viſam imaginem, ſed rem ipſam, quæ futura eſſet, hoc eſt, diuinam de repetendis pœnis ſententiam an Vates cognoſceret, rogabat. Ille autem ait, volumen ipſum ſiue codicem nominum conſpectum ſibi, magnitudinemque fuiſſe oculis exactè cognitam; quid verò illis nominibus aſcribendum foret, non ſatis eſſe exploratum latitudinem verò & longitudinem tantùm obſeruauit, quòd voluminis ſuperficiei vicem tantùm referentis altitudo nulla cenſeatur. Erat autem viginti cubitis longum: decem verò, hoc eſt, dupla menſura latum volumen. quæ ratio eius porticus ichnographiam omnino æquabat, quam ante ſacram ædem Salomon quondā fecerat, adhærentis Deo populi ſignificationem habētem. Ex illius igitur porticus ſæpiſſimè notata obſeruataque menſura
Ezech. 2. volantis voluminis æqualis omnino ratio facilè Vati atqui cognoſcique potuit. Sed quòd latitudinem & longitudinem tantùm viderit, templum illud iterum etiam euertendum complanandumque fore portendebat: idque ex eiuſdem ſententiæ decreto, quo ſemel antea dirutum fuerat. namque eam ſententiam volumen illud ſignificabat, quod in facie & in tergo conſcriptum, Ezechieli templi exciſionem ſignificans, viſum etiam fuit. Id quod angelus ipſe Vati ſubijciens explicat, eiuſque ſententiæ ferendæ cauſam grauiſſimis gentis illius ſceleribus aſſcribit.

Et dixit ad me, Hæc eſt maledictio, quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ: quia omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, indicabitur: & omnis iurans ex hoc ſimiliter indicabitur.

CONSTITVTÆ ob ſcelera pœnę repetitiones, maledictionem egredientem, angelus nominat, eandemque quòd publica & communis eſſet, ſuper faciem omnis terræ extendendam dilatandamque eſſe ait: atque ob eam rem volans volumen Vati eſſe viſum. [*Hæc eſt maledictio.*] Hebraicum nomen, *Alah*, quod Latini *maledictionem* vertunt, dictam & propoſitam ad ſcelus cauendum pœnarum Deo auctore & vindice repetendarum legem ſignificat, quam Latino ſermone legem ſimul & omen dicimus, vt ille apud Comicum inquit:
Terēt. And. act. 1. ſcen 3. *Ea lege atque omine, vt ſi te inde exemerim, ego pro te molam.* Huiuſmodi legibus ominibuſque multis omnis illa oratio conſtat, quam in rogandis, conſtituendis, ſanciendiſque diuinis legibus Moſes olim habuit: cuius illa in nefarios & ſceleratos peroratio eſt: Dominus non ignoſ-
Deut. 26. cat ei, ſed tunc quam maximè furor eius fumet, & zelus cōtra hominem illum, & ſedeant
" ſuper eum omnia maledicta, quæ ſcripta ſunt in hoc volumine, & deleat Dominus no-
" men eius ſub cælo, & conſumat eum in perditionem ex omnibus Iſraël, iuxta maledictio-
" nes, quæ in libro legis huius ac fœderis continentur, &c. Igitur huiuſmodi maledictionem ſingulis ſceleratis & nefarijs hominibus propoſitam vniuerſæ Iſraëlitarum terræ ob publicam im-

cam impietatẽ & ſcelera imminere Vates vidit. Id quod templi ichnographia nuda atque à ſciographiæ deſcriptione ſeparata ſignificabat: cùm enim communi omnium & publico loco excidium prædicitur, eos qui ad illum locum pertineant, eadem calamitate premendos eſſe conſequitur: maximè autem cùm ſacro etiam loco nõ parcatur. ob eamque rem ait: *Quæ egreditur ſuper faciem vniuerſæ terræ.*] conſeſſura videlicet ſuper omnes terræ habitatores, iuxta omen illud: Et ſedeant ſuper eum omnia maledicta, &c. Itaq. lata ad publicam pœnam ſententia hac oratione ab angelo indicata eſt. Criminum vero ſumma duobus furandi & iurandi verbis fit. [*Quia omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, indicabitur: & omnis iurans ex hoc, ſimiliter indicabitur.*] Pietatem officiumque omne ab illis, in quos pœnæ decretæ ſunt, violatum eſſe oſtendit angelus. Vtrumque genus duobus verbis comprehendit, *furari & iurare.* namque furari omnem in vniuerſum fraudem & debiti hominibus officij violationem ſignificat, ex verbo *Ganab* Hebraico non ſolùm rerum direptionem, ſed fallaciam dolumque omnem, & quicquid iuri æquitatique opponitur, ſignificante; vt cùm Iacob à Labano fraudis dolique incuſabatur, hoc modo compellatus eſt: Cur ignorante me fugere voluiſti? vbi Hebraicè eſt: Cur furatus es cor meum? & Iſraëlitarum tribus quædam accuſatæ ab alijs ſunt, quòd regem ſibi tantùm optatum vſurpaſſent, quem omnibus communem eſſe oporteret: Quare, inquiunt, te furati ſunt fratres noſtri, & traduxerunt regem & domum eius Iordanem? At verò *iurare*, verbum religionis rationes ſummas continet; maximè autem paſſiuè, vt in hoc loco pronuntiatum: [*omnis iuratus,*] ſic Hebraicè eſt. Iuratus autem iuriſiurãdi religione aſtrictum, neque ſeruata & præſtita fide ſolutum ſignificat: quæ extrema violatæ & contemptæ religionis linea eſt. namque vt rite, legitimè ſanctèque iuratum conſeruatumque iuſiurãdum, pietatem, Deique immortalis metum religionemque arguit; ita neglectum atque violatum, impietatem contemptionemq., vel quod grauiſſimum & flagitioſiſſimum eſt, negationem prodit. nam qui Deum immortalem tũ iudicem, tum teſtem firmando dicto ſuo interpoſitum negligi, vel contempſiſſe, vel nullum eſſe putaſſe deprehenditur, cùm ſcriptum ſit: Neque enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra. Qui autẽ hoc modo erga diuinam naturam affectus eſt, eum omnem pietatis & religionis rationem peruertiſſe conſequitur. Atque officij cauſam pietatis & religionis violatæ culpam in his criminibus indicãdis priorem Vates ob eam rem vidit, quòd iuriſiurandi officij violatio in religionis neglectionem homines plerumque deducat. Etenim ſtudioſè conceptum admiſſũque ſcelus impietate etiam adhibita facilè conflatur atque perficitur. Incitata enim ſemel ab antiquo humanique ingenij nõ ignaro hoſte exiguis initijs mala in procliue ad profundiſſimum vſque nefas ſæpiſſimè labuntur, ſicut ſcriptum eſt: Linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labijs eorum: quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt. veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem, contritio & infelicitas in vijs eorum; viam pacis non cognouerunt: denique non eſt timor Dei ante oculos eorum. Vt igitur officij violatio religionis negligendæ cauſa eſſe ſolet; ita contrà officij conſeruatio magnum ad pietatẽ conſeruandam atque probandam momentum argumentumque habet. Quamobrem officium ſacrificio anteponendum eſſe præceptor docebat: Nam qui fratrem ſuum, quem videt, non diligit, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere? Porrò porticus illa templi communis omni populo ſingulorum veſtigia continens, perſonas etiam, vt publica loca ſolent, referebat: ſic enim theatrum, ſenatus, forum pro ijs, à quibus frequentantur, accipimus. Atque eadem omnino ratio in voluminis vtraque facie porticus aream referente obſeruabatur; hinc furum, illinc verò iuratorum nominibus conſcriptis. atque hæc illius orationis ſententia eſt: *Omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, indicabitur: & omnis iurans ex hoc, ſimiliter indicabitur.*] Sermonis Hebraici ratio omnes officij & iuriſiurandi communi ſcelere, & priuatis etiam ſingulorum nominibus reos conſtituit, deſtinataque ſententia pœnis repetendis addicit. Hebraicè hic locus ſic habet: *Quia omnis fur ex hoc, ſicut ipſum ſuccidetur: & omnis iurans ex hoc, ſicut ipſum ſuccidetur.*] *ex hoc & ex hoc*, vtramque membranæ faciem ſignificat. nam in facie & in tergo volumen ſcriptum erat, ſua vtrimque lege & maledictione in ſcriptionis modo addita; ex altera enim parte fraudis, ex altera impietatis pœna maledictioque ſubiectis reorum nominibus præfixa erat, vt in nominum codicibus hinc dati, hinc accepti inſcriptiones leguntur. [*Sicut ipſum.*] Vt in ipſo volumine vnumquodque nomen eſt; ſic etiam *ſuccidetur & damnabitur*, tam in altero, quàm in altero contentus voluminis latere. Magnum verò & ſatis exſpectatum miſericordiæ ſuæ exemplum iudicij & pœnarũ ſerius repetendarum obſeruatione probat Deus, quòd Iudaicum populum multiplici & nefario ſcelere obligatum tam diu ad pœnitentiam expectauerit, quoad Christi vltro ſalutem afferentis repulſæ etiam reum factũ impietatis damnare & perdere neceſſum fuerit. Id quod

Gen. 31. — 2.Reg.19. — Exod.20. — Pſalm.13. — Matth.5. — 1.Ioan.4.

vt caueretur & oportunè oblata venia euitaretur, per illum prophetarum omnium maximum procuratum diligenter fuit; illud etiam identidem inculcantem: Genimina viperarum quis docuit vos fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ: iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt, &c. Igitur tanta Dei miſericordia & ſalute neglecta ſceleribus auctis cumulatiores pœnas luere commeruerunt. qui diuinam exſpectationem negligentiam interpretati nullas metuebant. Quamobrem

Matth. 3.

Educam illud, dicit Dominus exercituum: & veniet ad domum furis; & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter: & commorabitur in medio domus eius, & conſumet eum, & ligna eius & lapides eius.

EDVCAM *illud, dicit Dominus*] Aſſeuerantis & futuram præter opinionem exſpectationemque calamitatem obnuntiantis Dei oratio hæc eſt, qui tardiores pœnas ob cumulatam culpæ noxiam auctione & grauitate compenſabit; ita vt volumen illud contētæ maledictionis vi ſingulorum domos à fundamento euertat.

Et egreſſus eſt angelus, qui loquebatur in me: & dixit ad me, Leua oculos tuos, & vide quid hoc eſt, quod egreditur. & dixi, quidnam eſt? & ait: Hæc eſt amphora egrediens. & dixit, Hic eſt oculus eorum in vniuerſa terra!

MALEDICTIONIS & iudicij ſententia criminumque ſummis generibus cognitis, ſpecies etiam cognoſcere ab angelo Vates iubetur: ne quis aſtuta tranſlatione verborum nimis breui atque ſubtili definitione crimen effugere, iudiciumque declinare poſſet, quòd ſe neque furem neque periurum eſſe defenderet; vtpote qui neque res alienas rapuiſſet, neque iuratus aliquid præter ius atque fas eſſet mentitus, cùm tamen nemo eſſet, qui ſi non furto & raptu, tamen fraude alienas appeteret, inuadereque conaretur res; & ſi non iureiurando, tamen contemnendo numen violaret. Abundabat procul dubio ſcelus, iniuria atque impietas apud Iudæos, multiſque nominibus & partibus exuberabat; quo tempore ſecundo fano diruto natio illa meritas pœnas luit. Eam igitur rem docendus Vates leuare oculos iubetur, & videre, quidnam illud eſſet, quod de integro prodiret; quod tamen ipſe non planè agnoſcens rogat & audit. [*Hæc eſt amphora egrediens.*] Iubebat angelus rem ipſam, quidnam ſignificaret cognoſcere & definire; ſed ille oculos animumque intendens nōdum viderat menſuram, quam ſtatim angelo indice videt. [*Hæc eſt amphora egrediens.*] Non docet quid ſit, ſed indicat, vt videat. Quidnam videre me iubes? Vates ait. reſpondet angelus: Hanc amphoram prodeuntem. *Amphora*, Menſuræ genus interpretamur; cuius apud Iſraëlitas vſus erat, quæ eos impia fraude obligatos arguebat; vtpote quæ ſumma iniquitate deprauata erat. Hebraicè & Chaldaicè ſatis aperta verbi huius ſignificatio eſt. EPHA enim menſuræ genus certū eſt; cuius nomen pro omni menſura vſurpatur: vt, Statera iuſta, & Ephi iuſtum, & batus iuſtus erit vobis. Quod verò Ephi iniquum & fraudulentū egrediens Vates viderit, illud ſignificabat, fraudes non priuatè à quibuſdam conceptas, ſed publicè vagantes aperteque ac liberè graſſantes à Deo deprehenſas ad iudicium produci eodem exemplo, quo iudices ſolent adulterinas & fraudulentas menſuras publicè productas in medio foro præconio etiam addito ſuſpendere. Quam rem ipſe ab angelo interprete ſtatim docetur; videlicet commune omnium ſtudium & cogitationem in fraude facienda eſſe poſitam: idque quàm diligentiſſimè curari. [*Hic eſt oculus eorum in vniuerſa terra.*] Præconij vox eſt. Omnium, inquit, huius terræ hominum mens & oculi ad admittendam fraudem attentiſſimi ſunt: tumque ſibi quiſque maximè placet, maximèque perſpicere putat, cùm callidiſſimè ſocium fraudauerit & deceperit. neque verò id flagitium occultum aut latens eſt, ſed ante omnium oculos palam ac publicè admiſſum verſatur. Hæc huius viſionis interpretatio vehementer & temporum illorum rationi & verbis ipſis conuenit; quam ex Chaldaico etiam vertere placuit, ſic: *Et dixi, hi ſunt populus, qui accipiunt & dant in menſura falſa. & dixit, Ecce id manifeſtum coram omnibus habitatoribus terræ.* Sic Paraphraſtes Ionathan. Porrò iudicium hoc vniuerſum plenè abſoluteque edendum Vates præuidit, vt ex diuinæ ſententiæ decreto Iudæa gens meritas pœnas luitura ad ſupplicium producenda eſſet.

Ezech. 45.

Et ecce talentum plumbi portabatur: & ecce mulier vna ſedens in medio amphoræ. Et dixit: Hæc eſt impietas: & proiecit eam in medio amphoræ, & miſit maſſam plumbeam in os eius.

DAMNATA perſona, pœna & damnationis cauſa hac oratione referūtur. Vidit enim Vates plumbi talentum præferri, quod ad ſupplicium ſumendum parabatur: deinde vidit feminam quandam, hoc eſt, Iudæorum ſynagogam ſcelerum impietatiſque conuictam & dam-

& damnatam in ipſa menſura, qua ad fraudes faciendas vſa fuerat, concluſam produci. Cauſam præterea præconis voce prędicatam audiuit. [*Hæc eſt impietas.*] Antiquo more cauſa breui oratione, & quæ facilè percipi ab omnibus poſſit, pronuntiatur; vt illud: Poſuerunt ſuper eum cauſam eius inſcriptam, HIC EST REX IVDÆOR. Sic præco ille Amphoram ſiue Ephi oſtendens, cuius fraudatæ mulier illa damnata erat, prædicabat. [*Hæc eſt impietas.*] Tandem ſupplicium dantem feminam ſpectauit: ſupplicij autem genus illud fuit, vt in Ephi ipſum coactę tota illa plumbi maſſa in os obtruderetur. quo ſpectaculo illud Vates edoctus eſt, eadem menſura ſupplicium illi perſoluendum eſſe; qua in admittenda fraude fuiſſet vſa. quod verò plumbum omne deuorare coacta mulier illa fuerit, illud ſignificabat, ſynagogam graui & diuturna miſeria opprimendam fore, quam exſpuere minimè ipſa poſſet; neque ante lenire, quàm Dei miſericordia tandem liberaretur. nulla enim mulier tam valido capite eſt, vt in capſam quandam arctiſſimam ſumma vi coacta, & coniecto in os plũbi magno pondere exſtare & reſurgere iam amplius queat. Genus ſupplicij quoddam grauiſſimum apud Iſraëlitas olim fuit, liquidum & feruens plumbum damnato in os ingerere, quod ad ventriculum & inteſtina penetrans animam agere efflareque citiſſimè cogeret. huiuſmodique ſupplicio ij præcipuè afficiebantur, qui impietatis & violatæ religionis eſſent conuicti. Atque hoc ſupplicij genus combuſtio vocabatur excogitata ratione ex eo exemplo inuentum, quod Nadab & Abiu Aaronis filijs & ſacrorum miniſtris igni de cælo tactis eſt editum: quos quanquam igni deuoratos diuina hiſtoria narret, exterius tamen integros illæſoſq; manſiſſe ex illo arguitur: Confeſtimque pergentes tulerunt eos, ſicut iacebant, veſtitos lineis tunicis, & eiecerunt foras. Atque ſupplicij huius integram rationem ex Deuteroſeωn libro Hebraico petere licet in eo loco qui de *Sanhedrin*, ſiue de magiſtratibus inſcribitur. Siue igitur hoc modo aliquantũ plumbum in mulieris illius os fuſum fuerit, vt ratio ipſa & antiqua conſuetudo indicat; ſiue totum frigidum & concretum intruſum, grauiſſimum ſupplicium vtrouis modo cognoſcimus, quod tanta copia & vi tantoque pondere paratum fuerit.

Leuit. 10.

" Miſnaiothde Sanhedrin.

Et leuaui oculos meos & vidi: & ecce duæ mulieres egredientes, & Spiritus in alis earum, & habebant alas quaſi alas milui: & leuauerunt amphoram inter terram & cælum.

IVDÆORVM ex patrio ſolo migrationem, & miſeram illam, qua inter alias nationes vtuntur, vitæ condicionem diuturnam fore Vates hac viſione edoctus eſt: cuius miſeriæ modum & finem anxiè cognoſcere cupiens, certis notis ab Interprete ſuo didicit. Menſuram ſiue Amphoram ſiue Ephi Latinè vertamus, in quã femina illa pœnas datura coniecta coactaque fuerat, Dei iudicium puriſſimum & ſinceriſſimum eſſe diximus, qui reddit vnicuique iuxta opera ſua, æqualique fraudulentis menſura refert. Qua, inquit, menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Igitur ſuas pœnas iuſtiſſimè Iudæorum Synagogæ ferendas menſura illa ſignificauit, quæ quamdiu ſuſtinendæ eſſent, nondum ex viſionibus fuerat ſatis Vati noſtro compertum. ſed ne ex earum; quas hactenus Iudæi in Babylonico exilio exoluerant, rationibus harum etiam duratione definita breues fortaſſe, atque illis quas Iſraëlitarum cæteræ tribus decem pendebant, inæquales fore putarentur, nona hac viſione Vatem monere Deus curauit, oſtenditque parem de cætero vtrique populo in exilij diſperſioniſque ſuſtinendis pœnis condicionem futuram eſſe, quamuis hactenus imparem ex diuina clementia Iudæi fuiſſent experti, quod non tantum fortaſſe, quantum Iſraëlitæ ſceleribus obligati fuiſſent, ſed eadem omnem maiorum ſuorum menſuram implentes, pœnarum quoque conſimilem æqualemque exitum exſpectare oporteret. Igitur duæ feminæ viſæ ſunt, hoc eſt, Iſraëlitarum & Iudæorum factiones duæ, quas ex eadem matre ortas *Ahalam & Ahalibam* Ezechiel Vates appellauit, iiſdemque aptatæ pennæ celerrimam aliquam profectionem migrationemque portendebant. alæ enim non ad curſum, aut aliàs terreſtrem & commodam deambulationem, ſed ad volatum comparantur, ſicut ſcriptum eſt: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo? Veruntamen illas non ſua ſponte, ſed impulſas euolatum ire ventus in alas incumbens ſignificat, quòd earum volatum non tàm aër ſuſtineat, quàm vehemens ventus agat, atq. ad peregrinas longeque diſtantes regiones impellat: neque ad altius, ſed magis ad longius volandum idoneis aliſ viſæ ſunt. [*Et habebant alas quaſi alas milui.*] Latinus interpres in auium cæterarumque animantium nominibus reddẽdis parum perſpicuus eſt; namque id negotium expoſitoribus fortaſſe dare cogitauerit: quod qui fugerit magna cum ſententiæ iactura ſæpè inuertat. Igitur Hebraicum auis nomen eſt HHASZIDA, quod ex etymologia atque ex deſcriptione pariter ciconiam ſignificat. hæc namq. auis vltra cæterarum ingenium in prolem parenteſque ſuos gratiſſima benigniſſimaque eſſe dicitur, vnde miſericordis nomen Hebraicè ſortita

Ezech. 23.

Pſalm.

tita eſt: deinde etiam ab antiquis Hebræis candido colore deſcribitur. ea verò peregrina eſt, aduentanteque vere in noſtras regiones propagãdæ ſobolis cauſa migrat. quamobrem hoſpitis, cui nullibi certa ſit ſedes, imaginem refert. Sic apud Iob fere deſcribitur: atque à poëta etiam Latino peregrina depingitur. *Cùm vere rubenti Candida venit auis.* Huius auis pennas in mulieribus illis agnouit Vates; ſatiſque ex ea re intellexit Iſraëlitas & Iudæos ex diuini iudicij ſententia inſtabiles vagoſque fore, atque pœnas illas, quibus luendis addictos viderat, vario & longis interuallis diffuſo errore ſuſtentaturos, incertoque animo dubia ſemper euentuum expectatione pẽdere cogendos; vtpote quibus neque diuini illius auxilij, quo olim vſi fuerant, neque hominum etiam atque nationum inter quas agent, gratiæ & præſidij, neque conſilij copia, neque certus, quò ſe recipiant ac tueantur, locus erit: ſed pœnæ illæ ſuſpenſis atque ſolicitis rependendæ ſuſtinendæque ſint. id quod amphora inter cælũ & terrã leuata ſignificatũ eſt; pari ciconijs modo, quibus nullus in terra nidus, nullus in cauernis aut domibus, aut murorum vel rupiũ feneſtris, quò ſe recipiant locus eſt, ſed inter cælum & terram vita ſub dio & trepidis in rebus, aëri, ventis, ſolibus & imbribus expoſita agitur, tantumque quantum ab alendos pullos vix ſufficiat, lignorum, plumarum, tormenti cæterarumq. mobilium rerũ comparatur. Videmus enim hanc auem vel in ſummis turrium culminibus, vel quod frequentiſſimum eſt, in altiſſimis arboribus nidum ponere; quod facilè migraturæ relinquitur, ſicut ſcriptum eſt: Ciconiæ domus in abietes. ſic Hebraicè; vbi noſtra verſio habet Herodij domus, &c. Eam verò inſtabilitatem & perpetuam peregrinationem atque animi ſolicitudinem, qua Iſraëlitas atque Iudæos agendos indicabat viſio, Vates finem & modum rogans ex interprete clarè agnoſcit.

Iob. 39. Georgicon lib. 2. Pſalm. 104.

Et dixi ad angelum, qui loquebatur in me; Quò iſta ferunt amphoram?

IN PROXIMA viſione cùm proferri videret Ephi, nihil interpretem Vates rogauit, quòd ad ſupplicium de muliere ſumendum prolatum agnoſceret: id quod euentus ipſe ſtatim docuit. nunc verò quò proferatur, interrogat, quòd eam prolationem ad exilium quoddam longinquum & celerimum mari terraque petitũ ſpectare intelligeret; ſed quorſum tandem euaſura eſſet, non ſatis conſtitutum haberet. docetur autem nullo certo loco exilium peregrinationemque eſſe definiendam: nam quòd inter cælum & terram Ephi illud ſublatum eſſet, ſpem aliquam reditus & reſtitutionis facere videbatur: ſed quo tamen interim in loco eſſet collocandum, incertum erat.

Et dixit ad me, vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & ſtabiliatur, & ponatur ibi ſuper baſim ſuam.

ROGABAT Vates quonam in loco tandem conſiſtentes fœminæ pœnas illas luituræ eſſent ex certo locorum conſuetudiniſque vſu, & quadam, quanquam non vera, minus tamen ſolicita requie leuiores fortaſſe futuras. illud quoque quærebat, an locorum etiam mutatio miſerias mutatura, minuitura leniturãue eſſet. Vtrumque verò in reſponſione negatur, ſcilicet, neque certam vllam ac perpetuam ſedem illis, qua pœnas ſuſtineãt, definiri, neque in maxima locorum mutatione & ſtabilitate labores, pericula, miſeriaſque aut tolli, aut mutatum leuatumúe iri ſaltem, ſed quocunque migrandum diuertendumque ſit, condicionem illam miſeram circumferendam eſſe, huiuſque magnam conſtantiam in maxima vitę inconſtantia futuram. id verò certis verbis vatique optimè cognitis indicatum eſt. [*Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar.*] Feminis nullam; amphoræ verò certam domum, delubrum baſimque preſcribit. *Sennaar* autem incertam magis, quàm certam ſedem hoc in loco propriè ſignificat. namque compoſitum nomen eſt ex *Se*, particula idem ſignificante cum Latino *quod*, & ex NAGHAR verbo, quod excutere excludereque ſignificat: vnde nomen illi olim regioni factum eſt: ex qua Noë poſteritas cùm turrim nominis cauſa ædificare moliretur, vel inuita excuſſa fuit. ſecundum huius interpretationis verbum eſt, *domus*, qua locus certus atque conſtitutus definitusque ſignificatur. tertium, *ſtabilire*, ſiue, vt Hebraicè eſt, *quieſcere, facere, ſiue conſtituere*. quartum verò eſt BASIS à verbo Hebraico deductum, quod firmare ſignificat. Atque figuratæ huius orationis huiuſmodi ſententia eſt, Iudæos & Iſraëlitas incertos atque ſuſpenſos nimium, toto ferè orbe exules diu vagaturos, eandem à gentibus & nationibus, inter quas verſabuntur, vitæ & libertatis oppreſſionem experturos, qua ipſi alios ac præcipuè Chriſtiani euangelij ac nominis cultores oppreſſerint: eamque in tanto vagationis errore tantaque incertitudine certiſſimam & perpetuò perferendã ante finitum ex diuina miſericordia exilium minimè depoſituros, ita vt cælum non animum animique miſerias & ærumnas mutari ſibi ſentiant, cùm trans mare

שנער Gen. 9.

excuſſi

excuſſi fuerint. qua vitæ condicione nulla inferior aut incommoda magis inueniri poteſt. Huius autem orationis verba ex antiquo templorum more tranſlata ſunt; quorum dedicatio huiuſmodi eſt, vt conſtructa primùm æde, deinde baſis cōmodè collocetur: in qua vel ſtatua aliqua, vel aliud religioſum monumentū ad communē cultū ponatur. Vt igitur Iſraëlitæ olim, dum in deſerto agerent, ſacram illam diuinæq́ue gratiæ indicem arcam quocunque migrarent circumferentes, vbi caſtra ponerent, primùm omnium tabernaculo fixo & menſa poſita, collocabant: ſic nunc errabundi multorum ſcelerum & innocentis ab Abel ad Chriſtum vſque ſanguinis vltricem lagenam ſiue menſuram, & diuino iudicio, & Vatū oraculo circumferunt. interea autem *in terra Sennaar*, exules errabundiq́ue vagantur. Harum verò, quas angelus apud Vatem denuntiabat, quasq́ue noſtro etiā tempore Iſraëlitæ ſuſtinent, pœnarum ſententia, omē & lex, quam maledictionem dicimus, iam indè à principio prædicta pronuntiataq́ue fuerat. Diſperget te Dominus in omnes Deut. 37.
populos à ſummitate terræ vſque ad terminos eius, &c. In gentibus quoque illis non quieſces, neque erit requies veſtigio pedis tui: dabit enim tibi Dominus ibi cor pauidum, & deficientes oculos, & animam conſumptam mœrore: & erit vita tua quaſi pendens ante te. Quis ſapiens, & obſeruet hæc? & ponat ſuper cor ſuum, intelligatq́ue prouidentiam Domini, atque diuinorum librorum certitudinem, fidem, veritatemq́ue fateatur?

CAPVT SEXTVM.

ET *conuerſus ſum, & leuaui oculos meos, & vidi: Et ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium: & montes, montes ærei.*

QVANTA quamq́ue perpetua Iſraëliticarum rerum calamitatis exſpectatio, quàm multiplex futurus eſſet labor, hactenus Vates edoctus narrauerat: quis verò finis, quiſùe exſpectandus fuerat modus, nunc iam certior factus referre parat. tam diu enim ſuſtinendas Iſraëlitis & Iudæis pœnas eſſe denuntiat, quoad earum, quæ ad quatuor orbis imperia ſpectarent, nationum ſumma quadrans confecta fuerit. namque horum ſatellitum miniſterio ad repetendas ab illa gente pœnas Deus vti decreuerat. Quanquam verò in ſuperioribus viſionibus quatuor cornuum ſpectaculo imperiorum orbis imago Vati conſpecta fuerat, integra tamen atque plena ratio rerum ad imperia ipſa pertinentium cognoſcere cupienti deſiderata, ac nunc demum in decima hac viſione edita eſt. Atque huius quidem cognoſcendæ rei ſtudium ſuum Vates ipſe indicat. [*Et conuerſus ſum, & leuaui oculos meos.*] quòd viſam ſibi iam ſemel atque iterum rem nondum tamen ſatis exploratam diligentius iam intueri perſpicereq́ue curaret. quanquam enim quatuor imperia cognouiſſet, an multis, an paucis principibus, an populi tantùm & reipublicæ nomine ſingula gerenda eſſent, nondum intellexerat: eorum etiam imperiorum loca & ſitus, quibus dominatio ſtabilienda eſſet; ſingulorum præterea notas, quibus cognoſci poſſent, minus clarè obſeruarat. Quas omnes res hac in viſione apertè diſcreteq́ue intuetur. namque quatuor quadrigas non eiuſdē omnino cum equis illis, quos antè conſpexerat, ſignificationis videt. Illi namque Alexandri & hæredum Regum priuatam hiſtoriam retulere. hæ verò quadrigæ integras imperiorum imagines proprijs ſingulorum notis diſtinctas referunt. [*Et ecce quatuor quadrigæ.*] Imperia non populari & publica dominatione, ſed multorum principum auctoritate conſtituta videt. quadrigæ namque ad bellum paratæ quatuor equis trahuntur, bellatoremq́ue principem aut etiam victorē triumphantemq́ue vehunt. Ex antiqua autem hiſtoriarum ratione ſingulis imperijs quanquam ſinguli maximi imperatores fuerint, plures tamen vel belli iure, vel ſocietatis fœdere & fide deuinctos principes ac reges fuiſſe cognouimus. Quatuor verò ſibi viſa ait, videlicet Aſſyrium, Perſicum, Græcum & Romanum imperia. Quòd ex duobus tantùm montibus ijſq́ue æneis prodeuntes quadrigas viderit, illam ſignificationem habet, maxima imperia ſine duobus maximis & firmiſſimis fundamentis, conſilio & vi conſtitui non poſſe: quæ tamen fundamenta ex diuinæ prouidentiæ auctoritate & auſpicijs firmitatem nanciſcantur, aliàs leui impetu & fundamenta euertantur, & opera corruant vniuerſa. Niſi enim Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. Eam rem vt ita interpretemur, verborum conſulto à Vate obſeruatorum atque certis notis pronuntiatorum notatione adducimur. namque vnamquamque quadrigarū ex duobus certis & notationis particula indicatis montibus prodeuntem deſcribit: deinde montes illos

ita.

ita notatos non quouis Hebraico montium nomine appellat, ſed HARIM, quod concipientes, prægnantes parientesque ſignificat: de quo nomine iam aliàs diximus. Igitur alter mons ad conceptum & grauiditatem; alter ad parturitionem ſiue procreationem referendus eſt, atque concipiẽdi verbo conſilium cogitationemque ſuſceptam ſignificari ijs, qui in ſacro ſermone verſati ſunt, eſt compertiſſimum: vt, Concepit dolorem, & peperit
Iob. 15. iniquitatem, &c. & apud Iſaiam: Concepimus & locuti ſumus de corde verba mendacij.
Iſai. 59. in quibus alijsque locis idem verbum, à quo montis nomen deducitur, eſt HARA. Earum autem, quæ ab hominibus publicè priuateque geruntur, rerum duplex origo eſt, cogitatio & facultas, quam alterius montis, hoc eſt, generationis, nomine definimus. nam neque conſilium ſine facultate, neque vis conſilij expers, valet. vtraque verò res vt in maximis & grauiſſimis negotijs ſecundos euentus habeat, diuina auctoritate atque efficientia indiget. id quod à Vate ſtudioſè notatum indicatumque eſt. [*Et montes, montes ærei*, Hebraicè, *& montes illi montes Nehhoſſeth.*] Atque *Nehhoſſeth* propriè id metallũ eſt, quod à noſtris chalybs vocatur, cuius acceſſione gladiorum acies cæterorumq. armorũ mucrones parũ aliàs, ſine huius vi atque robore, valitura firmantur. At verò nomen ipſum *Nehhoſſeth*, à verbo
נחש *Nahhas* deducitur, quod alij verbo *Hhus* affine eſt; quorum alterum augurari atque auſpicari; alterum verò feſtinare ſignificat. Exponimus autem verba ijs vocibus, quæ Latinis in
Cicer. de diuinat. vſu ſunt, quibus magis res ipſa indicatur, quàm declaratur. namque augurij ſuperſtitioſo nonnihil nomine honeſta tamen ratio, hoc eſt, rerum bene gerendarum diuina auctoritas continetur. Igitur maxima illa imperia duabus potiſſimùm rebus conſilio & virtute, ijſdemque diuinæ prouidentiæ auctoritate & ad celeriter cõficiendum facultate firmatis, profecta docere volens Vates verborum huiuſmodi cogitandas expendendasque rationes certis notulis indicatas conſulto protulit. Ex qua re in eam nos ſententiam facilè adducimur, vt præter quatuor orbis imperia ſuis temporibus ætatibusque diſcreta nullam fore de cætero monarchiam arbitremur, fruſtraque cuiquam homini vel populo tentandam, quam nulla vnquam Vatum oracula prædixerint, nulla diuinæ auctoritatis auſpicia fundent. Iam verò ſingulorum imperiorum notas obſeruemus.

Et in quadriga prima equi ruſi, & in quadriga ſecunda equi nigri: & in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varij & fortes.

NON eodẽ, ſed alio atq. alio tẽpore quatuor imperiorũ rationes, certa tamẽ ſucceſſionis ſerie, explicandas eſſe ille ordinalis numerus, *prima, ſecunda, tertia, quartaq;* ſignificat. Color autem equorum & nationum mores, rerumque gerendarum modos & moribus conuenientem habitum indicat. namque primi equi Aſſyriorum reges & principes fuerunt,
Geneſ. à quibus imperium belló ſanguine atque vi fundatum propagatumque fuit, Nimrothi primi ipſorum parentis mores imitatis, qui cœpit eſſe potens in terra, & erat robuſtus venator coram Domino. Hos purpura & coccino auroque in veſtibus vti ſolitos multa antiquorum ſcriptorum teſtimonia docent: atque is color rufus eſt ex purpura auroq. refulgens, quem à *Rhus* plantæ natura expreſſum iam aliàs explicuimus. qua de re ſic ſcriptũ eſt:
Dan. 5. Quicunq. legerit Scripturã hãc & interpretationẽ eius manifeſtã mihi fecerit, purpura veſtietur, & torquẽ aureã habebit in collo, & tertius in regno meo erit. item illud: Aſpectus eorum quaſi lampades, quaſi fulgura diſcurrentia de Babyloniorum veſtibus in bello de-
Nahhum. 2. cantatum. Secundæ quadrigæ equi nigri, ſiue, vt Hebraicè eſt, crepuſculini pinguntur: cuiuſmodi color caliditate magis quæſitam, quàm virtute comparatã Perſis & Medis dominationẽ arguebat. cuius rei hiſtoriã nos & apud hunc Vatẽ, & apud alios etiam latius expoſuimus. Hos etiam coloris genere ſuffuſco in veſtibus vſos Perſicum nomen ad Latinos vſque deductum declarat. Græcos præterea conſilio, prudentia ſapientiaque præcipuè magis, quàm armis imperij ſummam tenuiſſe, ipſorum hiſtoriæ Alexandri felicitatem virtuti ſimul & conſilio prudentiæque aſcribentes narrant, qui doctiſſimis hominibus tum præceptoribus, tum familiaribus vſus maximas & inſtructiſſimas hoſtium copias, ordine, diſciplina, arte & conſequenti virtute ſuperauit, fudit & cecîdit. Atque Græcos ſapientiæ rationibus (cuius in coloribus albus imaginem refert) res inire tractareque
1. Cor. 1. ſolitos eſſe, D. Paulus teſtis eſt: eoſdem etiam candidis veſtibus declarari conſeruatus ad noſtram vſque ætatem vſus docet. demum quarta quadriga variatis, ſiue, vt in Hebraico eſt, grandinatis equis trahebatur; hoc eſt, certis punctis & notis grandinis modo reſperſis: in qua imagine præter propriam illam Romanorum prætextam auro interdũ diſtinctam, præter chlamydem, togam aliaque variarum veſtium genera, gerendarum rerum ratio, quàm varia multiplexque ad imperium obtinendum fuerit, indicatur. namque illi partim armis, conſilio partim, nunc vi, interdum facilitate & clementia vſi rerum potiti ſuperio-

reſque facti ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Et audiuit Iudas nomen Romanorum, quia ſunt po- Mach. 1.
tentes viribus, & acquieſcunt ad omnia quæ poſtulantur ab eis: & quicunque acceſſerunt "
ad eos, ſtatuerunt cum eis amicitias. & quia ſunt potentes viribus, hoc eſt, *equi varij & for-* "
tes.] Neque verò hæc varietas Romanorum tantùm imperatores variis originibus diſcre-
tos, hos Italos, Græcos illos, Hiſpanos alios ſignificare videtur; ſed futuram etiam Ro-
manæ ditionis diuiſionem apertè indicare videtur, quam cùm vna olim fuerit, Machome-
tus Arabs noua ſuperſtitione excogitata & inducta partiri cœpit, atque bellum imprimis
inferendum percipiens ſectæ ſuæ ſtudioſis principibus deterendam diuidendamque reli-
quit: à quibus noſtra iam ætate maxima Romanæ olim dominationis pars Aſia atq. Afri-
ca, & Europæ non ignobilis portio occupata eſt. Eam autem rem, vt hactenus euentu
ipſo explicata eſt, non Zacharias modò, ſed Nabuchodonoſor etiam futurã illa per quie- Daniel. 2.
tem viſa ſtatua proſpexit, cuius pedum pars quædam ferrea, quædã verò fictilis erat. Spe-
ctata igitur ad hanc rationem imago duplices equos oſtendit: *varios*, hoc eſt, eos, qui Ro-
mano imperio iis, quos indicauimus, modis propriè præfuerint; *& fortes*, hoc eſt, Iſmaë-
litas, quorum omne ius & agendi ratio in vi armiſque eſt, pſeudoprophetæ ſui præceptis
frequentiſſimis per totum Alcoranum tradita. Mirũ enim dictu eſt, quàm ſæpiſſimè Bar-
barus ille ſanguinarius bellorum & prælij perpetuum vſum religioſa vel ſuperſtitioſa po-
tius commendatione inculcet: idque vnum maximum & grauiſſimum probandæ pieta-
tis argumentum & periculum ſuis ſectatoribus conſtituat. qua de re nos aliàs fortaſſe ho-
neſtum otium nacti pluribus agemus. Quod Latinus Interpres vertit, fortes, & benè; Chal-
daicus paraphraſtes non malè reddit *Cinereos*. eſt enim verbum Hebraicum AMVTZ, quod
robuſtum imprimis, & duplicis aſpirationis additione HHAMVTZ, cinereum, qualis il-
la natio eſt, ſignificat.

Et dixi ad angelum qui loquebatur in me, Quid ſunt hæc, Domine mi? Et reſpondit angelus, & ait ad me, Iſti ſunt quatuor venti cæli, qui egrediuntur, vt ſtent coram dominatore vniuerſæ terræ.

NON quænam quadrigarum ſignificatio, ſed quidnam illa ipſa ſignificata eſſent, quo-
nam modo ſeſe vnaquæque haberent, Vates rogat. nam quatuor Imperia orbis eſſe iam
probè cognoſcens, quanta vi, quanta auctoritate ſingula valerent, quoadque pertinerẽt,
nondum ſatis perſpexerat. Eas igitur, quas cognoſcere cupiebat, res ab interprete diſcit;
nempe quatuor potentiſſimas dominationes illas eſſe, quæ terrarum imperium diuerſis
temporibus, ex diuinæ prouidentiæ decreto auctoritateque obtinerent. ob eamque rem
cæli venti ſiue ſpiritus appellarentur, quòd ex prouidentiæ diuinę conſilio excitati, tanquã
venti aliqui in terras incumbentes, omnem populorum & regnorum ſtatum pro arbitrio
turbatum ſibi ſubigerent. ita hoc in loco interpretamur ventos cæli, ſpiritus cælitus exci-
tatos, vt illud: Excitauit Dominus ſpiritum Cyri, &c. Et ſuſcitauit Dominus ſpiritum re- Ierem. 51.
gum Medorum, & contra Babylonẽ mens eius eſt, vt perdat eam. Neq. hic nunc de qua- "
tuor cæli partibus, quas aliàs ventos dicimus, ſed quatuor Imperiorum vi atque potentia "
& auguratione, vt ita loquamur, agi videtur. nam quatuor quadrigæ celeres & fortes, "
quatuor ſpiritus, duo mõtes chalybei, vt antea explicuimus, cælorum vim auctoritatem-
que ſignificant. Duali autem numero cælorum nomen pronuntiatur, ita numerus numero,
res rei, locus loco aptè congruit. Horum igitur ſpirituum, hoc eſt, potentiarum facultas
non caſu, non propria virtute, ſed Dei potius cuncta moderantis arbitrio & auctoritate
conſtare oſtenditur. [*Qui egrediuntur, vt ſtent coram dominatore vniuerſæ terræ.* Hebraicè ad verbum
vtcunque Latinè explicandi cauſa vertere poſſumus: *Quæ egrediuntur à ſtatuendo ſeſe per domi-
natorem vniuerſæ terræ.*] Adeò omnem gentium atque orbis dominatum vni tãtùm Deo con-
ditori & moderatori ſacra ſapientia tribuit, vt illius auctoritate tantùm omnem aliam po-
tentiam niti confirmet, repentè aliàs hoc fundamento ſubmoto ruituram. itaque, *vt ſtent*,
ſiue *de ſtando*, paſſiuè vel reciprocè interpretamur. Porrò imperiorũ ipſorum rationes pla-
nius adhuc vati angelus exponens, vno tantùm Aſſyrio, quod iam tum eſſe deſierat, præ-
termiſſo, à Perſico, quod ætate illa florebat, explicationis ſummam repetit.

In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram Aquilonis: & albi egreſſi ſunt poſt eos: & varij egreſſi ſunt ad terram Auſtri.

IMPETVM à Perſis & Medis in Aſſyrios Babyloniosque dominandi cauſa factum,
locorũ ſitus apertè indicat. namque Mediæ ac Perſidi Aſſyria regio Aquilonaris eſt. quo-
niam Aſſyriorum imperiũ à Nimroth Babylone primum fundatum legimus: Fuit au- Gen. 10.
tem principium regni eius Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanne in terra Sennaar. &c. "

De terra illa egreſſus eſt Aſſur, & ædificauit Niniuen, &c Perſæ verò meridionalem huic regioni plagam incoluiſſe, Æthiopibuſque & Libyis conterminos ſiue mari, ſiue terra fines habuiſſe, ab Ezechiele dicuntur. Perſæ, Æthiopes & Libyj cum eis &c. Hos autem ad meridiem poſitos, ſeptentrionalium regionum adiuncta ab eodem notatione demonſtratur. Ghomer, & vniuerſa agmina eius, domus Togarma latera Aquilonis, &c. Itaque Perſæ apud Babylonem ſuperatis Aſſyriis rerum potiti ſunt, quos etiam Græci eodem loco victos imperio expoliarunt: quamobrem tertij equi albi ſecundos inſequuti fuiſſe referuntur. [*Et albi egreſſi ſunt poſt eos.*] Alexander, vt aliàs diximus, Perſas in Babylonica regione vicit. Itaque *egredi*, bellum mouere, exercitumque in expeditionem educere interpretamur. Verùm ex ijs, qui in quartis quadrigis conſpecti fuerant, equis, varij, hoc eſt, ad auſtralem plagam excurrere viſi illud ſignificabant, Romani imperij affectatores primos, quales Iulius, Auguſtuſque fuerunt, ciuilia bella, quibus tyrannidem tandem occuparũt, in Italia incœpta atque per Philippos geſta in Ægypto, quæ Italiæ Auſtralis eſt, Pompeijs, Antoniis Cleopatriſque occiſis, confecturos. At verò equis illis vltimis robuſtis, quibus vltimarum quadrigarum pars altera trahebatur, nulla certa orbis plaga, quam peterent, definita; ſed omnis ferè terra, quam bello, armis, atque effrenata occupandi libidine turbarent, permiſſa Dei iudicio eſt, publica hominum ſcelera & peccata ſatellitum horum licentia animaduertentis.

Ezech. 37.

Qui autem erant robuſtiſſimi, exierunt, & quærebant ire & diſcurrere per omnem terram.

Dan. 7. LVTEOS quoſdam & terreſtres fictileſque planè homines vltimi imperij partem alterã tãdem habituros ex ſacris libris cognouimus interprete Daniele, ſicut ſcriptum eſt: Porro quia vidiſti pedum & digitorum partem teſteam figuli & partem ferream, regnum diuiſum erit &c. Hos autem nullis certis limitibus contentos, in omnes regiones inuſitata quadam temeritate & occupãdi libidine inuaſuros Zacharias vidit, atque omnia ſua conſilia conatuſque omnes in ea re poſituros, repetitis ambulandi excurrendiq́. verbis, oſtendit. [*Exierunt & quærebant, vt verſarentur in terra.*] ſic Hebraicè eſt. qua oratione totius à Machometo conſcripti Alcorani ſummam rationem expreſſam videre nobis videmur: cuius

Alcoran. illud fere frequentiſſimum argumentum eſt: Nonne terra Dei ſpatioſa ſatis & immenſa,

Azoar x. qua profectum verſatumque eatis, exiſtit &c. & paulò inferius: Terrarũ, inquit, propter Deum expugnatores, & è domibus propriis propter Deum atq. prophetam ad quærẽdum euntes, in terris abundantiam adipiſcentur: ibique morientes Dei miſericordiam plenè conſequentur. Hæc barbarus pſeudopropheta ac ſanguinolentus legiſlator, qui & aliàs terram ſuæ libidini explendæ nimium anguſtam atque cæteris eiectis genti tantùm ſuæ

Azoar vii. occupandam tradit. Cauendum vehementer, inquit, eſt, ne vobis in terra, cùm illa ſit an-

Azoar xviii. guſtiſſima, participes vel veſtrorum negotiorum executores efficiantur. Idem etiam alio in loco bellorum finem aut modum nullum eſſe præcipit, quoad nulla de religione diſſenſio ſit: ſuoſque vno maximo bellorum ſuſcipiendorum periculo probari vult. Hæc ad verbum non incommodè referre viſum eſt, quibus illorum verborum ſententiã exponeremus. [*Exierunt & quærebant ire, vt verſarentur in terra.*] namque his illa reſpondent, qua profectum, verſatumque eatis, & terrarũ expugnatores & è domibus proprijs ad quærendum euntes. Ad quærendum, hoc eſt, ad expugnandũ occupandumque. Atque iſtorum hominum furorem & petulantiam in omnes ferè terræ partes incurſare & inuadere grauiſſimo Dei iudicio permiſſum iri Vates audiuit.

Et dixit, Ite, perambulate terram.

CHRISTIANORVM aliorumque principum diſcordia & inteſtina bella, cæteraque Deo inuiſa flagiria huic importuniſſimæ peſti ad liberius vagandum viam ſubſtruxerunt, quæ ab anno ſalutis DC.XX. & Heraclij principis XII. quo primùm orta dicitur, per totum ferè orbem allata eſt, atque vt hic vates noſter ait, *perambulauerunt terram* vſque adeò, vt totam ferè Aſiam, Africam, Europæ bonam partem ſua ſecta infectam occuparint, Hiſpaniam diu obtinuerint, neque Galliam Italiámue intactam reliquerint. namque & Siciliam inſulã, & Neapolitanam regionem captas poſſederunt. Sed quis huius gentis exitus exſpectandus ſit, in Danielis oraculis exponendis, Deo nobis propitio, indicabimus. Sed quanquam regnorum, imperiorumque omnium auctoritatem veram Deo vni regum omnium principi maximo & terrarum Domino acceptam referre debeant, nullam tamen tyrannidem, nullum crudelem aut ſuperbum dominatum probari, imò vehementer diſplicere, præter ſacrorum oraculorum teſtimonia, exitus etiam ipſi apertè indicant, quales illa tria imperia, vbi iam dominandi fines & terminos, ambitione, & cupiditate tranſierant, habuerũt. Cuius rei recens ac penè tũc præſens exemplũ Zachariç omnib. aliis etiam

homi-

hominibus & ætatibus referendum per angelum proponi atque indicari Deus curauit.

Et vocauit me, & locutus eſt ad me dicens, Ecce qui ingrediuntur in terram Aquilonis, requieſcere fecerunt ſpiritum meum in terra Aquilonis.

IRAM indignationemque in Babylonios & Aſſyrios ob publicam iniuriam, ob religionis veræ contemptum, Deo conceptam Perſas vltos fuiſſe, ad aliorum poſtea imperiorum regnorumque exemplum magno etiam clamore Vates docetur. [*Et vocauit me*, Hebraicè, *Et vehementer clamauit*, eſt. *Et dixit ad me, vide.*] rē magno ſtudio oſtenſam, magna etiam attentione cognoſcendam duo verba ſignificant, *Dixit & vide.* [*requieſcere fecerunt ſpiritum meum.*] Commodiſſimè ab iratis tranſlatio ſumitur, quorū ſpiritus, non niſi vlta expletaque ira, cōquieſcit: ad eamque rem excitati fuiſſe Perſæ dicuntur, vt diuinas de Aſſyriis regibus, deque illorum populis iras, extincta etiam principum poſteritate, vlciſcerentur, ſicut iiſdem fere ver-
bis apud alios vates etiam ſcriptum eſt, vt apud Iſaiam de Cyro: Congregamini omnes Isai. 48.
vos, & audite, quis de iis annuntiauit hæc: Dominus dilexit eum, faciet voluntatē ſuam "
in Babylone, & brachium ſuum in Chaldæis, &c. Hanc de prouidentia ſua certiſſimam "
ſententiam omnibus hominum mentibus infixam Deus voluit, qua perpetuum in futuris ætatibus de eadem re iudicium vel metuendum, vel ſine dubio ſubeundum probaretur. Poſtquam verò quatuor imperiorum ſeries omnis expoſita Vati eſt, Iudaicarum etiam rerum ratio opportunè ſubiungitur: idque Ioſue ſacerdotis, qui futurorum ad Chriſtum vſq. temporum partes ſuſtinere iam viſus fuerat, recordatione repetita fit. Atque hic locus ex ijs, qui apud hunc Vatem obſcuriſſimi cenſentur, vnus eſt; in quo explicando interpretes multū inſudarunt: neq. nimium tamen difficilis noſtra legentibus cōmentaria cenſēdus.

Et factum eſt verbū Domini ad me, dicens, Sume à tranſmigratione ab Holdai, & à Tobia, & ab Idaia: & venies tu in die illa, & intrabis domum Ioſiæ filij Sophoniæ, qui venerunt de Babylone. & ſumes aurum & argentum, & facies coronas: & pones in capite Ieſu filij Ioſedec ſacerdotis magni.

EAM, de qua oratio inſtituitur, rem, arcano & ad futura tempora ſpectanti argumento conſtare illud cumprimis indicat, quod negotium ipſum, & ad gerendum, & ad dicendum, Vati omnino mandatum ſit; vtpote muneri officioque ſuo omnino conueniens. namque ex offerendo propediem & præuiſo iam ſibi munere coronas conficere, & in prædicēdi exſpectandique diuini beneficij ſignum monumentumque ſtatuere Vates iubetur. Atque ex hoc aliiſque ſacrarum hiſtoriarum locis facilè argui poteſt, eos qui ad reficiendum templum præfecti fuerant, à ſociis comitibuſque ſuis, atque adeò à remigrationis conſortibus dona libenter accepiſſe; ab ijs verò, qui ſecum venire neglexerint, recuſaſſe, cùm ex regia auctoritate Iudæis omnibus libera in patriam remeandi facta copia; aliis ve-
rò Aſſyriæ regionis hominibus munere opus adiuuandi conceſſa fuiſſet facultas: ſic enim 1. Eſd. 2.
ex decreto pronuntiatum eſt: Quis eſt in vobis de vniuerſo populo eius, ſit Deus cum ip- "
ſo: aſcendat in Ieruſalem, quæ eſt in Iudæa, & ædificet domum Domini Dei Iſraël, &c. "
Et, Omnes reliqui in cunctis locis, vbicunque habitent, adiuuent eum viri de loco ſuo ar- Ierem. 1.
gento & auro &c. Atque Iudæorū dona illa cenſentur, quæ à tranſmigrantibus data ſunt, "
qui ſecundum vires ſuas dederunt impenſas operis auri ſolidos quadraginta millia & mil- "
le, argenti minas quinque millia, & veſtes ſacerdotales centum. Itaque inter eos pro "
cuiuſq. cenſu impendenda in opus pecunia exacta eſt. Iam verò bonorum quorundam virorum Ieroſolymam Babylone cum muneribus religionis ergô aduentantium animum imprimis & pietatem oſtenſam Vates commendare atque donum etiam gratè ſuſcipi, & in illuſtriſſimi cuiuſdā monumenti opus impendi à Deo iubetur, quorum nomina quoque tum honoris, tum vaticinij certitudinis cauſa appellantur: hoſpitis etiam, à quo recipiendi erant viri honeſtiſſimi & cumprimis noti, cuius officium etiam probatur, mentio fit. hoc itaque horum verſuum argumentum eſt: orationem tamen ipſam paraphraſticè explicabimus. Quanquam, inquit, ab ijs qui vobiſcum remigrauerunt & vrbes ſuas nunc incolunt, pecunia in opus collata cogatur: tamen quorundam piorum virorum ex ijs, qui Babylone manſerant, aduentum propediem exſpectato, muneraque gratè accipito. Hi autem ſunt Holdai, Tobias & Idaia, quorum mores cum nominibus, Tempeſtiuus, Bonus & Cognitor, planè conueniunt; eorumq. virtutū & pietatem ex hoſpitis, apud quem verſabuntur, nomine & probitate exſpectare licet Ioſiæ filij Sophoniæ (ſiue vatis illius nobiliſſimi, ſiue alterius ſpectatiſſimæ virtutis viri, qui celebris illa ætate eſſet) cuius tu eadem die qua illi aduenerint, domum petes, aurumque & argentum, quod afferunt, accipies, &c. [*Et venies tu in die illa, & intrabis domum Ioſiæ filij Sophoniæ, qui venerunt de Babylone*, Hebraicè *in die illa, & intrabis, &c. qua venerint.*] Sic relatiuum ad diem ſimul & perſonas commodè

[*Vir oriens nomen eius*, Zorobabel: *Et ſubter eum orietur* Chriſtus: deinde ſua vtrique gerendarum rerum laus eodem ordine tribuitur; Zorobabeli illa, *Et ædificabit templum Domino.*] id templum, quod iam refici ædificarique cœptum erat, abſoluet. Qua re expedienda certã templi illius deſideratiſſimi & præſtantiſſimi per eum, qui ſub ſe, hoc eſt, ex radicibus ſuis oriturus eſt, ædificandi exſpectationem dabit, vt ille illud ſibi ſuſceptum ædificabit, ſic etiam ille alter qui ſubter eum orietur.

Et ipſe extruet templum Domino: & ipſe portabit gloriam, & ſedebit & dominabitur ſuper ſolio ſuo:
& erit ſacerdos ſuper ſolio ſuo, & conſilium pacis erit inter illos duos.

Et ipſe & ipſe.] Obſeruationem magnam indicatio hæc repetita habet: eumque verè demonſtrat, cuius illa ædificandi templi & regiæ dignitatis obeundæ confirmandæque laus propria fuerit, nempe oriturum ſubter orientem. Hic, inquit, templum illud ſanctiſſimum, ſpirituale, ex viuis lapidibus conſtructum arcana & diuina virtutis & cognitionis ſui patriſque communicatione vt firmiſſimo ſaxo fundatum ædificabit, idem hoſtibus victis & ſpoliatis palam triumphans, ſuosque in ſemetipſo traducens, gloriam portabit, atque rex à Deo appellatus, *ſedebit & dominabitur in ſolio ſuo,*] ſuper ſedem Dauid patris ſui: quam maxima virtute tuebitur, omniumque & diuinorum ſpirituum, & ſanctiſſimorum virorum plauſu obtinebit. Dignus eſt enim agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionẽ, &c. [Apoc. 5.] Congeſtam horum verborum omnium, videlicet virtutis, diuinitatis, ſapientiæ & fortitudinis, honoris & gloriæ ſignificationem vnum nomen KABOD, [כבוד] quod ab Interprete noſtra redditum eſt, *gloriam*, continet; de quo nomine aliàs. Neque verò regni tantùm, ſed ſacerdotij partes officiaque omnia vnius Chriſti virtute & opera præſtanda eſſe ait; vt nihil omnino in vno vtriuſque muneris miniſtro, quod ad omnem virtutis & integritatis laudem pertineat, deſiderari amplius poſſit: id quod antea non in vno tantùm, ſed in pluribus etiam, imò in omnibus deſideratum ſemper fuit. nemo enim vel vtriſque ſimul, vel alteri tantùm regio aut ſacerdotali muneri ante Chriſtum ita dignè præfuit, vt diuino iudicio deſiderioque ſatis fecerit. Hic verò vtrumq. ſibi ſuſceptum munus adeò dignè ſuſtinuit, adeò plenè præſtitit & expleuit, vt perpetuò obtinere meritus, ad dexteram virtutis Dei ſedeat rex & ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech, vnus perſona, duplex natura Deus & homo; qua Deus eſt, rex æternus, mundũ ſibi & patri ſuo reconcilians; qua homo eſt, ſacerdos in æternum reconciliator & pacificator. Idem etiam, qua homo eſt, ob partum ſibi aliiſque propria obedientia & virtute regnum, rex omnium ſuffragio patriſque iudicio appellatus: vt qui non ſolùm regem ſacerdotemque ſtrenuè egerit, ſed eos, qui ſuæ partis fuerint, vtriuſque muneris dignitate communicata auxerit & ornauerit, ſicut ſcriptũ eſt: Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius: [Apoc. 5.] quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo: ex omni tribu, & lingua & populo, & natione, feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram. Hanc adeò arcanam ſententiam noſtra aurea ætate iam certam atque exploratam Hebraici ſermonis obſeruatio apud hunc Vatem indicat, qui ſacerdotis nomen ità pronuntiauit, vt officiũ magis, quàm perſonam ab altera diſtinctam interpretari conueniat, maximè cùm indicatæ per articulos & pronomina demonſtratiua regis Chriſti perſonæ officij nomen, nullo alterius perſonæ indice verbo addito, appoſitum ſit. nam ſi de altera perſona à rege iam appellato diſcreta ſermo eſſet, ex linguæ vſu addito articulo demonſtratiuo dicendum fuit: *Et erit ha ſacerdos.*] Ha certam rem Hebraicè vt ὁ Græcè indicat: cuiuſmodi vſu Latini carent. Placuit autem hemiſtichium hoc barbarè quidem, tamen ad verbum quo res ipſa planior fiat, reddere: *Et erit ſacerdotans ſuper ſolium ſuum, & conſilium pacis erit inter vtrumque.*] ille idem, inquit, qui regiæ coronæ gloriam adeptus, *ſedebit & dominabitur ſuper ſolio ſuo:* in eodem etiã ſolio regio *erit ſacerdotans.*] Sacerdotis officio in æternum fungetur. talis autem decebat, vt nobis eſſet pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à [Heb. 7.] peccatoribus, & excelſior cælis factus. Talem verò habemus pontificem qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cælis ſanctorum miniſter & tabernaculi veriquod fixit Dominus & non homo. qua oratione apertius explicari verſus hic potuit? quod verò additur, *Et conſilium pacis erit inter duos illos,*] communi publicæ ſalutis paciſque conſilio, ſtudio atque vſu vtrumque munus in vno Chriſto conſtare ſignificat, qui vt duas naturas, diuinam & humanam, tantis rationum & definitionum interuallis diſtinctas, tamen vna in perſona plenè planeque coniunctas, atque in vnius ſuppoſiti fœdus amicitiamque conflatas habet: ſic vtriusque muneris partes & officia perfectiſſimè ſine vlla nota in perpetuum ſuſti-

nens præſtat: ita vt ad publicam hominum pacem cum Deo conciliandam ad publicam etiam gerendam rem nihil in hoc rege, nihil in hoc eodem ſacerdote requiri deſiderariſue poſſit. Id quod nemini vnquam mortalium vel regum vel ſacerdotum contigit, vt vel altero vel vtroque munere præſtando ſufficere, diuinamq́ue pacem & perfectioné gentibus, quibus præeſſet, integram reconciliaret, propterea quòd nemo ante hunc, maximum illud & ſalutare pacis conſilium, cuius hic angelus interpres & miniſter fuit, inſtituere aut ſuſcipere potuerit. Conſilium autem pacis in rege & ſacerdote, ſiue vt eodem Hebraico verbo ſignificatur, pacis & perfectionis procurandæ & afferendæ hominibus apud Deum reconciliationis, gratiæ, ſalutis atq. felicitatis certã rationem, ſtudiũ atque facultatem definimus, ex illo Sapientiæ à repugnantibus explicato argumento: Dolus in corde cogitantium mala; qui autem pacis ineunt conſilia, ſequitur eos gaudium. Huiuſmodi conſilium nemini hominum, qui caro & ſanguis eſſent, conſtitit, quòd id planè diuinum, diuinum etiam miniſtrum exſpectaret. De cuius gratiæ plenitudine cæteri omnes acciperent. de quo Paulus: Quoniam quidem, ait, Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Summum verò & perfectiſſimum pacis conſilium inter eos miniſtros eſſe oportet, qui ipſi vnum etiam omnino ſint. id quod alij miniſtri, qui modò legitimè vtrique muneri præfuerint, nunquam antea fuerunt. Atque maximam & diuini conſilij plenam rem maximis & arcanis verbis Vati noſtro Deus ſuggeſſit: cuius tametſi cognitio nõ omnibus illo tempore conſtare poſſet, admiratio tamen, deſiderium & exſpectatio excitata dataque eſt, atque præſenti ſigno argumentoq́ue confirmata.

Prou. 12.

Ioan. 1.
2. Cor. 5.

Et coronæ erunt Helem & Tobiæ, & Idaiæ, & Hen filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini.

EORVM, à quibus aurum argentumq́ue accipiendum erat, & hoſpitis etiam illorum ad probandam liberandamq́ue vaticinij ſui fidem teſtimonio vti iubetur Vates: quòd in ore duorum vel trium ſtet omne verbum. tribus itaq. hoſpitibus & vno ciue nobiliſſimo appellatis, & adductis teſtibus nominibuſq́ue inſcriptis, coronas ex auro argentoq́ue factas in templo ſuſpenſurus Zacharias eſſet: quæ cùm ſe ita, vt prædictum de ipſis fuerat, exſpectatas, allatas, factas ſuſpenſaſq́ue ſpectantibus exhiberent, enuntiatæ quoque & exſpectandæ in poſterum, maximæ rei memoriam ſui ſpectatione, & nominum eorum, à quibus datæ fuerant, inſcriptione renouare conſeruareq́ue poſſent. *Helem* verò & *Hen* idem qui Holdai & Ioſias ſunt, qui duplici nomine (vt de ijs alijſq́ue dicere Deus dabit) appellarentur: ex quorum nominibus illa potiſſimùm deſcribenda ſumuntur, quæ paucioribus literis conſtarent, quæq́ue in coronis incidi commodius, legiq. poſſent. breuior namque illa inſcriptio fuerat,

לחלם : לטביה : לידעיה : לחן

quàm illa.

לחולדי : לטוביהו : לידעיה : ליאשיה

Poſterior enim priore ſex literis, ijſq́ue ferè procul attendentium ſenſum magis fallentibus longior eſt, videlicet יווו quæ tenuiori aut obſcuriori figura conſtant. Quòd verò vtramque coronã in templo à Vate ſuſpendendam legimus, ſententiã confirmat noſtram, qui inſtitutam de Ieſu ſacerdotis rebus orationem, vaticinij munere, hoc eſt, prædictionibus & ſermone habendã ad poſteritatem Ieſu potius, quàm ad ipſum iam vita functum propriè pertinere interpretamur. nam ſi alicui perſonæ imponendã eſſet aurea corona, cur ante obitum detraheretur, non videmus. vtramque autẽ ſuſpendendam ſimul ad ſignificatæ rei recordationem audimus; poſitam verò atq. ſuſpenſam diuq. in ſecundo templo ſpectatam in antiquo Deuteroſeωn libro vbi de templi illius menſuris atq. ſtructuris agitur, legimus. Quam lectionem huic loco oportunam interpretari placuit. & catenæ aureæ fixæ fuerunt in contignatione porticus, per quas ſacerdotij floſculi aſcendere, coronaſq́ue in feneſtris locatas videre conſueuerant, de quibus ſcriptum eſt: *Et coronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hen filio Sophoniæ, in memoriam in templo Domini.*] hæc in illo libro. Sacerdotij autem floſculi ſacerdotum filij ſacris rebus addiſcendis operam in templo dantes dicuntur. Atque memoria illa, quam dicatæ in templo coronæ renouaturę erant, illam in ſpectantiũ animos rem reuocare potuit, regni dignitatem plenã atq. verã, & ſacerdotij abſolutum munus ad quẽdam, cui coronæ illæ ſimul repoſitæ, nemini antea impoſitæ eſſent, ſpectare. Habent etiam nomina hæc propriam, & rei ipſi, de qua ſermo eſt, accõmodatam ſignificationem. quamobrem ea incidi in deſcriptione à Deo iuſſa interpretari etiam poſſumus: HHALAM impinguationem & viuificationẽ, TOBIAS bonum & perfectionem diuinam, IEDAGHIA diuinã cognitionem, HEN gratiã ſignificat: quas virtutes illi proprias fore inſcriptio portendebat: ad quem legitimum coronarum illarum ius ſpectaret.

Miſnaioth de menſuris.

neque verò eam felicitatem per oriturum illum vni ſolùm Iudæorum genti priuatè afferendam eſſe Vates ait, ſed aliis etiam nationibus, quæ procul ab illa luce & notitia abeſſe viderentur, communicandam confirmat: quæ cõmunis Vatum prædicendi & ſignificãdi cura eſt, cùm de humana ſalute, de Chriſto, de euangelij virtute ſermo inſtituitur.

Et qui procul ſunt, venient, & ædificabunt in templo Domini.

OPORTVNE de gentium vocatione dixit, quæ cùm lege diuinaque promiſſione & apertis vaticinijs carerent, longiſſimè à ſalute abeſſe, atque ad Dei templum, ad religionem minimè pertinere putabantur: quos tamen in illius tertij diuini templi aurea ætate ad vitam, ſalutem, diuinamque felicitatem atque ad cæleſtis ciuitatis communicationem vocandos admittendoſque eſſe dicit, cuius rei argumentum atque exemplum in illis ipſis ſtatuit, quorum, quanquam extra numerum & cenſum ſeriùs Ieroſolymã aduenientium, tamen dona accepta, & coronarum operi ad templi ornamentum, tantæque ſalutis recordationem dedicata ſunt. Itaque gentes, quanquam à ſalutis cognitione & vſu remotas, euangelij nuncio è tenebris in lucem vocandas libenter venturas, ſuaſque diuitias, aurum, gemmas, margaritas, hoc eſt, fidem, charitatem cæteraſque animorum à Deo donatas, auctas, illuſtratas virtutes ad ſanctiſſimi illius templi opus collaturas eſſe docet. Quam rem vt ab hoc aliiſque Vatibus enuntiatam ac coronarũ monumento perpetuo repetitam, ſic demum per Chriſtum regem & ſacerdotem optimum & præſtantiſſimum præſtitam, ab ipſis euangelij & nuntiis, & præconibus accepimus. Et veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuiſtis, & pacem ijs, qui prope: quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu ad patrem. Ergo iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Ieſu Chriſto: in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu ſancto. Quoniam verò Hebraica verba, vt ſunt, myſterium interpretatione dignum habent, vertere ad verbum placuit. [*Et remoti venient, & ædificabunt in templo Domini.*] Remoti à lege, à promiſſionum notitia, à peculiari gratia olim longo interuallo ſeparati, qui erant illo tempore ſine Chriſto alienati à conuerſatione Iſraël, & hoſpites teſtamentorum promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo. Quod verò articulum demonſtratiuum non remoti, additum ſit, illud ſignificat, non omnes etiam omnium nationum homines in templi ædificatione communicaturos. neque enim omnes euangelio credunt, ſed tamen neminem tam remotum eſſe, quin ſi credere velit, communicare poſſit. itaque remotio ipſa definita eſt omnis, remoti verò omnes non item. [*venient*] Fidem & obedientiam euangelio præſtandam verbum *venire* in ſacris ſignificat. duplici enim lege euangelica ſalus promiſſa, duplici officio hominibus, qui cupiunt, conſtat, fide & pœnitentia vera, in qua malorum & vitiorum fuga virtutumque exercitatio eſt, aliàs fruſtra ab ijs qui præſtare valeant, petenda. Sine fide enim Deo placere impoſſibile eſt: &, Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. hoc verbo in hac ſignificatione non ſemel Chriſtus ipſe eſt vſus: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos, &c. Huius igitur tanti promiſſi conſtantiam & fidem futuræ mox rei exſpectatione, hoc eſt, eorum de quibus dixit, aduentu, dono, coronarum dedicatione confirmare Vates curat, quam ſuo tempore liberandam aſſeuerat, dummodo per eos quibus data eſt, quo minus liberetur, non ſtet.

Ephe. 2. " " " " " Ephe. 2. " " Hebr. 11. " Luc. 13. " Matth. 11. "

Et ſcietis, quia Dominus exercituum miſit me ad vos.

CVM eius, quam proximè futuram prædico, rei ſpectatores fueritis, maximi illius alterius promiſſi rationem conſtantiſſimam, vtpote Deo potentiſſimo auctore prædictam, cognoſcetis, certiſſimamque fore ſtatuetis, atque omni fide, omni pietatis officio præſtando exſpectabitis, aliàs minimè conſecuturi aut adepturi.

Erit autem hoc, ſi auditu audieritis vocem Domini Dei veſtri.

NON de ſigno & argumento hic loquitur, ſed de ea re, quæ ad omnẽ populi vtilitatem pertinebat, hoc eſt, de Chriſti regis & ſacerdotis virtute & dignitate, de tẽplo illo ædificãdo, &c. cuius illud, quod breui futurũ enuntiauerat, ſignũ argumentumq́; ſtatuit. Sic Deus per virũ illum ſuũ Heli ſacerdotis poſteritatẽ de dignitatis illius gradu in perpetuũ dimouendã fore proxima duorũ filiorũ eodẽ die edẽda cæde cõfirmat. Ecce dies veniẽt, &c. Cui orationi deinde illud ſubiungitur: Hoc autem erit tibi ſignũ, quod venturũ eſt duobus filiis tuis Ophni & Phinees, in die vno morientur ambo: Et ſuſcitabo mihi virum fidelem, &c.

EX ijs, qui Babylone detenti fuerant, Iudæorum principibus viris plurimi expectatam diu in patriam redeundi facultatem, quamuis à Perſarum regibus conceſſam atque vltro oblatam, tamen ob eam rem prætermiſêre, quòd neque certam neque perpetuam, neque ex animi ſententia fore arbitrati ſunt: quos, vt ſic cogitarent, multa cùm primis mouere potuerunt; nempe quòd illam antiquam diuini numinis priuatam in illos prouidentiam, quæ ſeſe præſentem ac tantùm non corporis oculis conſpiciendum olim exhibebat, deſiderandam porrò ſibi eſſe intelligerent, minuſq́; quàm antea, proſpicientem fore metuerent. deinde quo minus perpetuam ſibi in terra manſionem putarent, Perſarum inconſtantia ſuſpicioni locum dare potuit, quorum edicto vix inceptum reficiendi templi opus intermiſſum, imò interturbatum repentè fuerit, callidiſſima & maleuolentiſſima Sanbalet, atque aliorum delatione: quorum inuidiam inueteratumq́; odium falſorum criminum plenis epiſtolis aſſiduè mittendis conflari adhuc, imò magis ali augeriq́; indies videbatur. Præterea quòd illa gentis & rerum ſuarum reſtitutio exigua admodum obſcuraq́;, atque ideò minus expetenda cenſeretur: in qua non modò decem illæ tribus iam olim abductæ deſiderantur, ſed magna etiam Iudæorum pars, quæ Ieroſolymorum temporibus per Aegyptum, Moab & Ammon, per Græciam, Italiam, Gallias, atque ad Hiſpaniam vſque diſperſa fuerat. His accedit, quòd illam antiquam & tam diu ſpectatam regionis agrorumq́; ſuorum fertilitatem & fœcunditatem in ſterilitatem atque inopiam quandam perpetuam & naturalem mutatam viderent. quæ res diuinam illis erga locum illum neglectionem & improbationem coarguebat. Illud etiam iſtorum opinionem de intempeſtiua atque immatura reſtitutione confirmabat, quòd ſua natio omnibus, apud quas verſarentur, gentibus ludibrio deſpectuiq́; omnino eſſet. Quid quòd maximam atque optimam regionum ſuarum partem à Cuthæis, alijsq́; hoſtilibus & inimicis nationibus occupatam ſciebant? quorum neque inuidiam declinare, neque multitudinem ſuperare, neque aduerſa molientium impetum ſuſtinere tam exigua atque impar in patriam remigrantium, ac penè hoſpitum, videlicet X L I I . C I Ↄ . C C C L X . copia poſſe crederetur: maximè verò cùm nullus rex, nullus ex regia familia ſummus ac potentiſſimus princeps, cuius conſilio & virtute niterentur, ſupereſſet; præter vnum Zorobabelem, remigrantium ducem, templiq́; ædificandi procuratorem, qui fortaſſe etiam abſoluto opere Babylonem rediturus, vt certè erat, credebatur & dicebatur. Cur verò omnia hæc illis Iudæorum principibus in hac reſtitutione & remigratione, quam ſecuti ipſi non eſſent, requirerentur, in cauſa fuit illa ab antiquis vatibus de Iſraelis libertate ac ſalute omnibus numeris abſoluta & ſæpiſſimè repetita atque decantata deſcriptio: in qua diuina tutela præſentia illuſtriſſimuſq́; prouidentiæ vſus quidam auditur; ſecuritas etiam atque perpetua quies, plena quoque tribuum cunctarum in patriam reuocatio, admiranda terræ fertilitas & felicitas, obſeruatio, & honor à cæteris nationibus adferendus, maxima præterea & frequentiſſima populi celebritas, atque demum rex quidam præſtantiſſimus & potentiſſimus, idemq́; æternus ex Dauidis genere oriundus promittitur. quæ quidem in præſenti illorum temporum reſtitutione illis requiſita, neque tamen reperta, ne illam quamuis inuiſam, tamen conſuetam captiuitatis & exilij miſeriam incerta, vt videbatur, & ſolicita ſuſpectaq́; libertate & patriæ repetitione commutarent, perſuadere cogitantibus potuerunt; maximè verò principibus & ditiſſimis quibuſq́;, qui ex terrenis commoditatibus, quibus aſſuevêre, magis quàm diuinis & arcanis rationibus, de quacunque graui gerenda re conſulti, conſulenteſq́; deliberare, ac tandem ſtatuere ſolent. Communi igitur huiuſmodi principum hominum mandato legatus Ieroſolymam miſſus eſt; qui prophetas atque ſacerdotes de huius libertatis definitione conſuleret. Mandati autem exponendi illa ſumma quæſtio ac deliberatio fuit: Num ieiunium, quod quinto menſe Ab, dicto, ob Ieroſolymam captam, templumq́; incenſum publicè indictum inſtitutumq́; fuerat; obſeruandum deinceps etiam an prorſus remittendum eſſet. Huius enim conſultationis dubitatio non niſi reſtitutione, certáne eſſet, an ſecus, definienda tolli poſſe videretur. Fuit autem captioſum admodum interrogationis genus; quo eorum, qui reficiendo templo & opera & pecunia ſua incumbebant, animos contentionemq́; remittere atque minuere potuerunt, niſi vt per Vatem ſapientiſſimè reſpondentem rem ipſam omnibus ſuis definitionibus declaratam exponi curaret Deus. cuius oraculi illud argumentum eſt: Ieiunium illud recens inſtitutum, in quo nihil aliud præter publicum luctum & planctum ob acceptam calamitatem contineretur, non eſſe illis neceſſarium, neque adeò opportunum, vt ſummo & contento eius ſtudio ex miſerijs illis eripi omnino poſſent. quin aliam eſſe certiſſimam depellendi mali rationem & modum, quem ſibi ſtatuere, ſeruare diligenterq́; exequi vtiliſſimum conſultiſſimumq́; foret; nempe pietatis veræ ſolidæq́; virtutis curam ſtudiumq́; aſſiduum, quod ſi ab ijs, qui ex captiuitate remigrauerãt, purè, ſanctè atq. legitimè ſuſciperetur, deſideratũ illum felicitatis omnib. numeris abſoluta vſum, certũ atq. perpetuũ ex diuinis olim & nũc confirmatis promiſſis ſine vlla dubitatione eſſet reddituũ, eoq́; non niſi ob ſuã ipſorũ culpã carendum illis fore, aliàs magna & perpetua quadã felicitate vſuris, omni mœrore, triſtitia, omni luctu, ipſo ieiunio in hilaritatem lætitiamq́; publicam conuerſo. Atque ita conſultiſſimum ijs, qui templum reficerent, eſſe, vt opus non intermitterẽt, ſed magis etiam aucto pietatis ſtudio ac maxima concepta ſpe promouere atq. abſoluere. Poſtquã verò ſuã Deus Vati de populi illius perfecta virtute & cõſequenti felicitate voluntatẽ, aut cõtra de certis ob culpã & noxiã miſerijs & ærumnis iudiciũ declarauit, deprauatã hominũ illorum ſecundi templi temporibus morũ & vitæ conſuetudinẽ, eamq́; genere & malignitate triplicẽ deinceps oſtendit: eamq́; cauſam futurã eſſe ſignificat, quamobrẽ Iudæi à gratia atque ab eorum bonorũ quæ vltro ſibi à Deo oblata fuerant, vſu, denique ab hominũ omniũ beneuolentia abalienati illo etiam templo diruto ab hoſtibus debellandi, capiendi abducendiq́; eſſent. Hactenus argumentum eſt, quod deinceps Vatis lectione explicanda exponere diuini ac veridici ſpiritus præſidio muniti aggredienur.

Qui mentem bonus vſque pijs, ô Spiritus, addis
Vatibus, ipſe tuas me ſinito ire vias.

CAPVT SEPTIMVM.

Et factum eſt in anno quarto Darij regis, factum eſt verbum Domini ad Zachariam, in quarta menſis noni, qui eſt Caſleu.

IVDÆORVM, qui Ieroſolymitanæ reſtitutionis tempore Babylone manere voluerunt, conſilium non tam contemptionis aut negligentiæ nomine reprehendi, quàm humanæ cuiuſdam prouidentiæ & proſpicientiæ ratione probari fortaſſe quibuſdam potuit: quòd eam libertatem neque abſolutam, neque certam fore putantibus conſueta miſeriarum & exilij condicione vti, quàm noua & grauiori onerari conſultius viſum fuerit. multa autem illos, vt ita ſtatuendum eſſe in animum inducerent, commouebant: primum, quòd ſacra illa antiqua templi ac religionis ornamenta, quibus magnum ad diuinam tutelam & beneuolentiam erga ſe retinendam, momentum ineſſe crederetur, deficere iam deſiderarique omnino cognoſcerent, ea fuerant, arca, propitiatorium, Cherubin, &c. deinde quòd vaticinij apud eos vſum rarum atque breuiſſimum fore multis argumentis intelligerent. his itaque atque alijs, quas in argumento expoſuimus, rationibus adducti remigrare illi in patriam noluerunt: id quod neque ſoli, neque ſine magnis etiam exemplis ſtatuerunt. quippe neque Daniel ſanctiſſimus vir diuinusque Vates etiam remigrauerat; neque ij etiam, qui remigrationis auctores ducesque fuerant, Ieroſolymis permanſerunt. Namque Mardochæum pientiſſimum & ſapiétiſſimum, aliosque complures principes viros, ſtatim vbi populum deduxiſſent Suſam, Habira, atque in alias Perſidis & Aſſyriæ vrbes, domum ſeſe recepiſſe audierant, & Zorobabelem etiam ipſum, templo, cuius operi præfectus erat, refecto recipiendum etiam exſpectabant. Neque verò hæc ceſſatio Babylonienſibus tantùm exulibus obijci debuerat, cùm communis omnibus alijs Iudæis eſſet, quicunque vel Ægyptum, vel Græciam, vel occidentales regiones, aut orientales etiam (quacunque diſperſi fuerant) incolerent; quibus non minus, quàm his integra redeundi condicio conſtabat: ratio autem & cupiditas maior ineſſe debere videbatur; nimirum ſua regione & patria longiori interuallo abſentibus, communis tamen omnibus his ob certas & publicè circumlatas Danielis de futura captiuitate &c. prædictiones, hæc in re ceſſatio erat. Quod verò huius legationis & vaticinij ſui tempus certum anno menſeque indicato notauerit Vates, illud ſignificare voluit, legationis huius orationem ſi maturiùs habita eſſet, multorū animos & operas à reficiédi templi ſpe & conatu vehementer remittere potuiſſe, quādo nūc etiā cùm bona iam operis pars abſoluta eſſet; tamē nonnullorum incenſa ſtudia remitterentur, vt ex illa Vatis exhortatione arguitur: Et nunc roborentur manus veſtræ, &c. At verò ædificationem ſatis multum proceſſiſſe oportuit, cùm huiuſmodi mandatum Babylone allatum eſſet. namque ea ſecundo Darij anno incœpta quatuor annis abſoluta fuiſſe narratur. Igitur à ſexto ſecundi anni menſe vſque ad nonum quarti viginti ſeptem menſes, hoc eſt, tres vltra biennium ſunt, quibus parietes ductos & contignationes additas fuiſſe, rationi conſentaneum eſt. Conſulto autem Vates menſem nomine ſuo appellauit *Caſleu*, ſiue *Ciſleu*, vt menſis perpetua appellatione dignam legationi notam inureret. Eſt enim *Caſleu* ſiue *Ciſleu*, à verbo *Caſſal* deductum, quod ſtultè agere ſignificat. atque nomen ipſum *Caſleu* ita vt ſcriptum eſt, alijs punctis pronūtiatum, ſtultitiam eius Latinè ſonat, ſiue temeritatē & importunitatē eius (quod ad eandem ſententiā ſpectat) interpretari placeat; importunitatem, inquam, eius mandati, quod eo menſe Babylone Ieroſolyma delatum fuit. Atque in hac temporis notatione, & vaticinij oportunitatem, & occaſionem Vates indicauit: prior enim anni obſeruatio ad vaticinium pertinet; videlicet ſe à Deo reſpōſum accepiſſe, quod populo referret anno quarto Darij; poſterior verò menſis atque diei ad vaticinij oportunitatē & argumentum, quod ea die de ieiunio, &c. Babylonienſium nomine ad Ieroſolymitanum collegium relatum fuerit. At verò vt reſtitutio hæc Babylonienſibus Iudæis neque propria neque certa, ſic nec templi etiam refectio, quam tantis ornamentorum ſplendoribus carere compertum erat, vera aut legitima eſſe videbatur; ſed tātùm ſynagogæ cuiuſdā & orationis domus nomine cēſenda: qualis ipſis etiam Babylone erat ſatis illuſtris & orationeac ſacrarum literarum ſtudijs longè omnium aliarum, quæ in ſingulis ciuitatibus, vbi Iudæi eſſent, colebantur, celeberrima;

Infra 7.

כסלו

vtpote quæ præter alia multa librorum volumina Thargum Babylonicum & Thalmud Aſſyrium pepererat. erat præterea illa ex inſigni diſciplinarum exercitatione fluuij ſcientiæ nomen ſortita *Nahardagha*, quam noſtri *Neardam* dicunt. Huius autẽ Babylonienſis communitatis ſocietatiſque collegium, quod ſupplicationis & lectionis cauſa fiebat, Domus Dei dicebatur, Hebraicè *Bethel*, ex illius loci imitatione, quem Iacob olim ſacrũ pronunciauerat; ita, vt quæcunque huiuſmodi ſacris exercitationibus dedicata ædes, Domus Dei dicitur. namque hoc in loco Vates Ieroſolymitanum templũ non videtur indicare, quod ipſe vnà cum aliis vatibus nunquam *Bethel*, ſed *Beth-Adonai* perpetuò nominat. Atque Babylonienſem conuentum illum ſuos patronos ex ijs, qui apud regem gratia, & Babylonicum Perſicumque populum auctoritate, plurimum valerent, adoptaſſe res ipſa, & perpetuum inter illos exemplum docet, vt Mardochæũ, Danielem, Sidrac, Miſac, & alios. horum autem patronorum auctoritate, diligentia & officio publica priuataque omnia curabantur. Igitur de communi illius Babylonienſis conuentus conſilio, principibus autem viris & patronis certis auctoribus legationem hanc ad Ieroſolymitanos datam fuiſſe Vates docet, atque hoc modo explicandam narrationem exponit.

Et miſerunt ad domum Dei Saraſſar & Rogom-melech, & viri qui erant cum eo ad deprecandam faciem Domini: vt dicerent ſacerdotibus domus Domini exercituum & prophetis, loquentes.

ET *miſerunt*, inquit, omnes, qui ad domum Dei pertinebant, videlicet *Saraſſar, &c. & Rogom-melech, & viri eius ad deprecandam faciem Domini, &c.*] Itaque omnis ille cõuentus principibus appellatis nominibus & cæteris in vniuerſum coniunctis, *viri eius*, Domus Dei dicitur, quòd omniũ cõmuni ſententia & principum illorum decreto legatio illa geſta ſit. Quòd ſi domum Dei Ieroſolymitanum templum interpretari magis placeat; nomen ex Babyloniensium definitione & ſententia magis, quàm ex Vatis mente exponendum eſt: cui Ieroſolymitana ædes, *domus Domini*, hoc eodem verſu & aliàs perpetuò appellatur. Atque nomina hæc ipſa *Saraſſar & Rogom-melech*, dignitatem atque auctoritatem, qua viri illi præditi eſſent magis, quàm perſonas ipſas ſignificant, *Saraſſar* repoſitionis ſiue conſeruationis princeps, *Rogom-melech*, regium ducem vertimus: quos, quanquam alijs nominibus propriè dicerentur, his tamen, quibus dignitas notabatur, cooptatos, atque in legationibus alijſque publicis actionibus appellatos intelligimus, vt Ananias, Azarias, & Miſael, qui ex munerum, quibus præfecti fuerant, ratione Sidrach, Miſach & Abdenago dicuntur. [*& viri qui erant cum eo*, ſiue, *viri eius.*] Ad principum nomina pronomen, *cum eo*, vel *eius*, referri poteſt; ſed rectius ad domum Dei refertur. namque nomen *domus*, Hebraicè maſculinũ eſt. Communi autem populi voluntate, ſed tamen ſenatus, cuius conſilium & auctoritatem reliquus populus iure ſequitur, conſulto & decreto legationem relatam eſſe nomen *viri*, indicat. Hi igitur duo viri cum aliis vel ipſi Ieroſolymam venerunt, vel alios honeſtos nobileſque viros miſerunt. namque vtraque ſignificatio ſine vllo ſententiæ detrimento ex Hebraica oratione haberi poteſt. Legationis autem dandæ ratio imprimis à Vate ſignificatur: cauſa verò & argumentum apertè exponitur. atque ratio quidem illa fuit, quòd præter ſacerdotum collegium etiam Vates, qui reſponſa referrent, Ieroſolymis celebres illa ætate eſſent, Haggæus, Zacharias, & Malachias, apud quos, ſi quis in quæſtionibus conſultationibuſque ſacerdotum aut nouum, aut difficillimum incidiſſet, quod neque ex ſacris libris, neque conſuetudine decidi, planeque ſtatui poſſe videretur, reſponſis à Deo petendis agi commodè poſſet. hæc legationis ratio eſt. cauſa verò illa: *Ad deprecandam faciem Domini.*] Non precum & ſupplicationum ſignificationem verbum, *ad deprecandam*, habet (ita vt idem quod orare ſiue adorare in ſacris, dicat: vt, Aſcenderunt in templum ad
Exo. 32. orandum, &c. Moyſes autem orabat Dominum, dicens, Cur Domine iraſcitur furor
tuus, &c. Et dixi, nunc deſcendent Philiſthiim ad me in Galgala, & faciem Domini
1. Sam. 13. non placaui: deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me vt reſtituatur manus
3. Reg. 13. mea mihi) ſed magis exorandi atque impetrandi aliquam certam rem. namque ea huius
tropi, *faciem deprecari* obſeruatio eſt, quod Latino ſermone gratiam alicuius ad beneficium
petendum aucupari dicimus. Id quod exemplis planius fiet, vt ex illa oratione Saulis: Et
dixi, nunc deſcendent Philiſthiim ad me in Galgala, & Dominum non placaui, &c. &
1. Sam. 13. Ieroboam ad Prophetam ait: Et nunc deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me,
3. Reg. 13. vt reſtituatur manus mea mihi. orauitque vir Dei faciem Domini. & Iob etiam amicus
Iob. 11. ille conſulens denuntiabat: Requieſces & non erit qui te exterreat, & deprecabuntur faciem tuam plurimi. in his atque aliis eiuſdem argumenti locis verbum *Hhala*, Hebraicum, non tam orationem, quàm orationis euentum, hoc eſt, gratiæ conciliationẽ certæ cuiuſdã impetrandæ rei cauſa ſignificat. Eandem ſententiam Tullius apud Latinos propitios deos

ſibi

ſibi velle dicendo expreſſit. hanc etiam orationis huius ſententiam apud hunc Vatem ſubiuncta cauſæ expoſitio explicat. Inquit enim faciei Domini deprecandæ illam Babylonienſibus fuiſſe cauſam, auferre videlicet à Deo reſponſum ſacerdotibus & prophetis, à quibus redditum ipſi etiã cognoſceret. hoc eſt quod dicitur: *Vt dicerent ſacerdotibus domus Domini exercituum & prophetis loquentes.* Hebraicum exemplar apertã huius loci interpretationem docet, *ad deprecãdam faciem Domini ad dicendũ ſacerdotibus domus Domini exercituũ & prophetis ad dicendum.*] Repetitio illa verbi *ad dicendum*, eodem verſu hoc obſeruata aliàs rariſſima illud indicat, illos Deum ſibi propitium voluiſſe, qui ſpiritu ſuo & virtute auctis ſacerdotibus & vatibus reſponderet, quod ipſis à vatibus, deinde à ſacerdotibus etiam reſponderetur. hactenus ratio & cauſa: nunc deinceps legationis argumentum.

Nunquid flendum eſt mihi in quinto menſe, vel ſanctificare me debeo, ſicut feci multis annis?

IEIVNII publicè indicendi plures cauſæ eſſe ſolent. vnum tamen legitimũ conſilium diuinæ iræ placatio, vel miſericordiæ conciliatio eſt. Atque ex cauſis illa prima & pręcipua cenſetur, peccatorum videlicet & ſcelerum deteſtatio & pœnitentis animi argumentum. qua de re in lege ſancitum, atque inter cæteros ritus ſolenne quoddam ieiunium certo anni tẽpore ac die eſt indictũ; atq. ille etiã nõ vulgaris ieiuniorum vſus eſt, qui ad temperãtiæ ſiue cõtinentiæ virtutis exercitationẽ ſpectat: cuius magna & freqũes in vtriuſq. teſtamenti libris laus cõmendatioq. eſt. His proximũ illud eſt genus, quod vel priuatæ aut publicæ calamitatis, vel futuræ, vel præſentis, vel præteritæ etiam deplorandæ cauſa vel occaſione indicitur, vel ſolenni ritu repetendũ inſtituitur, cui præter ciborum & voluptatũ interdictionẽ communis fletus publicaque deprecatio additur, qua vel futuræ inſtantes formidatæque miſeriæ excipiantur, vel præſentes communi dolore doſteãtur, vel præteritæ commemorentur. cuius generis illa ſunt: Et ieiunauit Dauid ieiunio, & ingreſſus ſeorſum, iacuit ſuper terram, &c. & illud: Ioſaphat autem timore perterritus, totum ſe contulit ad rogandum Dominum: & prædicauit ieiunium vniuerſo Iuda. illud etiam: Apprehendẽs autem Dauid veſtimenta ſua, ſcidit; omneſque viri, qui erant cũ eo, & planxerunt & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperã ſuper Saul, & ſuper Ionathan filium eius, & ſuper populũ Domini, & ſuper domũ Iſraël, eo quòd corruiſſent gladio. Huius ieiuniorum generis ratio aut modus nullis certis diuinis præceptis traditur, ſed hominũ ipſorũ quorum intereſt, conſilio permittitur, vt pro periculorũ occaſione aut miſeriarũ ſenſu, pro accepto ex calamitate dolore, vel priuatè, vel publicè, vel ad tempus, vel anniuerſaria commemoratione luctus publico concurſu habeatur. Atque de ieiuniorum ratione, ſtudio & vſu nos aliàs Deo dante diſſeremus. Igitur ex eo genere & cauſa, quam ad communem mœrorem publicumque deſiderium ſpectare diximus, multa Iudæis à primi templi diruti temporibus anniuerſaria ieiunia ſqualore & luctu peragenda inſtituta, ſuſceptaque ſunt, vt ferè nullus fuerit in anno menſis, cuius certi dies ieiuniis & luctibus non ſint aſcripti, inter quos illi præcipuè commemorantur: Ieiunium quarti menſis, quo vrbs expugnata atque exciſa fuit; Ieiunium quinti, quo templum Dñi incenſum eſt; Ieiuniũ ſeptimi, quo Gadalia Ahikami filio occiſo Ieroſolymitanus populus abductus fuit; Ieiuniũ menſis noni, quo Aſſyriorũ imperator manũ Ieroſolymæ vrbi ſubiugationis cauſa impoſuiſſe dicitur. Atq. omnia hæc, vt diximus, ieiunia præter voluptatũ, imò & oportunorum ac neceſſariorũ ciborum interdictionẽ, lamenta, ſordes luctuſq. habent: Atq. de reliquis tribus ieiuniis nihil omnino conſultum à Babylonienſibus propterea fuit, quòd reſtituta ciuibus ſuis vrbe lamentationes ob eius expugnationem & occupationẽ fieri ſolitas luctuſq. ex deſiderio perceptos deponi debere certũ fuerat. Verùm enimuero templi refectionem illam minus integram, abſolutamque minus, imò nullam prorſus exiſtimantibus ille non minimus adhuc ſcrupulus reſidebat, qui non niſi religionis atque oraculi auctoritate auelli poſſe putaretur. An videlicet in quinto menſe, quo templi illa maieſtas omnis adhuc etiam deſideranda ſoluta, ille tam frequens & multiplex cultus prohibitus fuerat, in ſordibus, lamentis luctuque iacendum illis eſſet. namque de cæteris voluptatum & deliciarum interdictionibus non dubium eſſe, quin eo modo, quo hactenus fuerat ſtatutum, deinceps etiam cenſeretur atque ageretur; quoad Iudaicæ res omnes eum, quem antea tenuiſſent, vel etiam (vt ex vatum reſponſis exſpectandum fuerit) meliorem locum ſtatumque recuperarent. Itaque de luctu tollẽdo, vel retinendo dubitatio hæc & cõſultatio fuit: de deuotione autem voluptatũ & deliciarũ certè omnino eadẽ, quæ antea, ſententia ſtabat. Atque hæc huius loci expoſitio eſt, quam Hebraici ſermonis ratio apertè docet. [*Nunquid lugebo in menſe quinto? ſanctificari ſicut feci his quamplurimis annis?*] Duplici parte oratio conſtat, quarum altera in conſultationem venit; altera verò omnino ſtatuitur & cõfirmatur. ſed quod verbũ hîc *ſanctificari* Latinè reddimus, Hebraicè eſt *Hinazer*. quod explicationis cauſa *Nazareari*

1.Reg.12.
2.Par.20.
1.Reg.1.

inter-

interpretari nobis permiſſum cupimus, quando *Nazarei* nomen in eccleſiaſtici etiam ſermonis vſu & Latinis & Græcis etiam eſt. Erit autem Nazareari idem quod Latinis vouere ſimul & interdici; vt ſi quis ſibijpſi, quoad amiſſa & deſiderata res aliqua recuperetur, vino & mundo atque eleganti habitu interdicendum ſponte voueat: vt Leuitæ & ſacerdotes illi, dum Babylone detinerentur, deſideratæ Ieroſolymę gratia & citharæ & cantus atque omni lætitiæ & iucunditatis vſu ſe ſpontanea deuotione priuarunt: Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni tradatur dextera mea. Adhæreat lingua faucibus meis, ſi non meminero tui, ſi non propoſuero Ieruſalem in principio lætitiæ meæ. Iam igitur ratio à nobis explicata eſt, quamobrem cùm de luctu ab iſtis quæreretur, de ieiunio ciborumque interdictione, quæ altera in eo genere pars eſt, non ſolùm non quæſitum, ſed conſtanter etiam aſſeueranterque pronuntiatum fuit; ita vt illa totius orationis explicatio ſit: Nunquid quinti menſis dies illos, quos lugubri incenſi templi memoriæ deſiderioque deſtinaui, luctu, publicisque lamentis couſumam? quando neque illa templi dignitas, neque cultus & ſacrorum celebritas, neque diuini numinis præſentia illa antiqua, neque vrbis & ciuium ab hoſtibus & regibus ſecuritas atque permanendi certa ſpes; neque denique gentis omnis plena reſtitutio; ſed maximum etiam deſiderium, maximaque miſeriarum atque calamitatum & ludibriorum apud omnes alias nationes non ſolùm perſuaſio, ſed noua indies expectatio ſit. nec tamen iſtis pauciſſimis, qui Ieroſolymam rediêre, vllus ex Dauidis familia rex aut potentiſſimus princeps in cuius præſidio lateant, ſit. nam quod ad interdictionis votum pertinet, perinde atque tot his anteactis annis agere certum eſt, quos omnes (non quoſdam tantum dies) à voluptate, lætitia atque iucundis alijs rebus me vltro abſtinui. ſingulari verò numero de ſe tantum interrogauit Babylonienſis ſynagoga. neque dixit, nunquid flebimus omnes: namque intellexerat illis, qui Ieroſolymis agerent, non conſtitutum eſſe lugere, quod templi tametſi non illa maieſtas, tamen maxima dignitas refectione reſtitui, & Haggæi cæterorumq. vatū exhortationibus promitti & confirmari exiſtimaretur. Igitur nihil illos de Ieroſolymitanis ciuibus rogare, quibus reſtitutionem certam ac propriam fore cupiebant, tantùm abeſt, vt inuiderent, ſed de ſe ipſis, qui adhuc Babylone agerent, quid in hac re certi ſtatuendum eſſet, doceri diuinitus cupere, neque euellendi ex animo ſcrupuli vllam aliam rationem probare. huic verò legationi, quæ reſtitutionis illius exiſtimationem imminuere & templi dignitatem plurimū frangere atque eleuare, infirmiorum hominum voluntates abalienare, perficiendique operis ſtudia reſtinguere, vt dicebamus, vehementer poſſet, vt conſolationis, veritatis atque ſapientiæ plena, aperta diſtinctaque oratione per Vatem ſatisfieret, diuinitus conſultum curatumque fuit.

Pſalm. 136.

Et factum eſt verbum Domini exercituum ad me, dicens, Loquere ad populum terræ, & ad ſacerdotes, dicens.

IAM ex ſuperioribus aperta eſſe ratio videtur, quamobrem Zacharias mandatum hoc ad populum terræ & ſacerdotes acceperit, Babyloniosque legatos reſponſo referendo ex Dei ſententia indignos cenſuerit; nempe quòd iſtorum legatio nihil aliud egerat, quàm vt imbecillam de reſtitutione illa opinionem, & in ſacro opere perficiendo negligentiam, ac denique eandem qua legationis auctores eſſent, populo terræ mentem inijceret; præterquam quòd ipſa etiam legatio cauſæ, quam tractabat, rationibus perperam putatis & collatis vitioſa & ſtulta indicaretur; neque ſatis digna, cui reſpondendo ſatisfieret, maximè cùm eo conſilio data à Babylonienſibus eſſe videretur, vt ex incerta Ieroſolymitanæ reſtitutionis definitione, ſuam ipſorum redeundi neglectionem atque ceſſationem probaret. Igitur non ad iſtos, ſed ad populum terræ iſtorum oratione exanimatū, & ad ſacerdotes non parum etiam ijſdem vocibus commotos reſponſum Dei exercitiuum, hoc eſt, potentiſſimi atque efficaciſſimi nomine cælitus redditum eſt. [*Loquere ad populum terræ.*] Eos, inquit, qui Babylone legationem aut dederunt aut tulerunt, omnino negligito; vtpote qui malè de reſtitutione hac exiſtimantes, perperam etiam de reditu ſuo ſtatuerunt: ſic quonam pacto de ieiunio atque luctu in ſua illa, qua vltro manere optauêre, captiuitatis condicione ſtatuere agereque velint, nihil tibi laborandum eſt. Iis itaque neglectis populum tu hunc, qui beneficium conſiliumque meum ſecutus huc redijt, de reditu, de reſtitutione, de ieiunijs & luctibus menſiū omniū, deq. cæteris quos Babylonienſes malè intelligentes, perperam omnino ſeparauêre, quemadmodū exiſtimare iudicareque conueniat, quatenusq ſperare oporteat, meo nomine doceto: neque enim in huiuſmodi ieiuniorum genere luctus ab interdictione, vt iſti putauêre, ſeparari debet. neque quinti menſis ratio à cæterorum menſium, qui huiuſmodi votis aſſcripti fuerint, ratione ſeiungitur; imò quamdiu illa captiuitatis atque ſeruitutis, vel communis miſeriæ cuius cauſā hi luctus haberi cœperunt.

perunt, manere credatur; tam diu hanc durioris vitæ atque luctus ſordidationiſque deuotionem coniunctam & commiſſam eſſe putari oportuerit. Quòd ſi pars altera tollenda eſſe cenſeatur; conſentaneum eſt, alteram ſublatum etiam iri, cùm alterum alteri conſequens eſſe, inſtitutionis ratio ipſa doceat. Igitur hunc primum errorem vtriusque ſimul partis enuntiatione depellere Vates iubetur. Cùm ieiunaretis & plangeretis, &c. Deinde ille etiam in iudicando Babylonienſis iudicij error atque legationis referendæ vitium fuit, ieiunium quinti menſis à ſeptimi menſis ieiunij cauſa diuidere, cùm & eadem vtriuſque ratio & idem argumentum fuerit, Solymorum exciſionē ciuiumq́ue cladem & abductionem ſpectans: cuius tametſi nonnulla in occiſorum diſpari numero differētia fuerit; nulla tamen in rebus ipſis vt ſuperius annotauimus, diſſimilitudo eſt. Conſtat igitur Babylonienſes in vtroque hoc ieiunij & luctus quinti & ſeptimi menſis genere iudicando & referendo valde erraſſe: quamquam in duobus aliis ieiuniis quarti & noni menſis interpretandis non ita longè falſos eſſe dicamus. namque illorum menſium commemoratio nullam ciuium cladem, ſed vrbis expugnationem, dirutionem atque occupationem repręſentabat, quam reſtituta iam legitimis poſſeſſoribus regio & refecta vrbs rectè tollere & antiquare videbatur: ſed de quinto & ſeptimo menſe eadem omnino, vel inſtituendi, vel antiquandi, vel inſtaurādi ieiunij ratio erat. quamobrē Vates Dei nomine reſpondens dixit:

Cùm ieiunaretis & plangeretis in quinto & ſeptimo, & per hos ſeptuaginta annos: nunquid ieiunium ieiunaſtis mihi, &c.

VT planior nobis redargutionis huius diuinæ ſententia reddatur, præter ea, quæ ſuperius de ieiuniorum generibus & cauſis indicata ſunt; quædam etiam ſunt adnotanda. ex quibus illud primum eſt, huiuſmodi ex calamitatis euentu ſuſcepta ieiunia ſuis auctoribus, hoc eſt, hominib. ipſis qui indixerint, aſcribi ſolere; quādiu nullum Dei de ea re priuatè ſtatuentis præceptum traditum conſtet: quemadmodum nullum Iudæis conſtabat, quo illorum ſeptuaginta annorum ieiunia certis menſium diebus præſcripta definirentur. deinde illud etiam eſt cogitandum iſtius generis ieiuniorum rationes, quæ tantùm acceptæ calamitatis dolorem deſideratarumq́. rerum memoriam renouare videntur, poſtremum in religionis & pietatis exercitationibus habere locum, magiſque calamitatis acceptæ cauſam, hoc eſt ſcelera propria hominibus repręſentare, quàm miſeriā repetitione & natura ſua leuare poſſe: deinde hæc ieiunia & lamenta quamuis diuinam indignationem atque iram ſedare, clementiamq́ue conciliare quodammodo valeant, non tamen ad plenam atque integram miſericordiam capiendam, ad reconciliandam omnino vel tenendam gratiam, ad publicam rerum ſalutem, vel reſtituendam, vel conſeruandam momentū habere omne putanda ſtatuendaq́ue ſunt. namque hæc diuina beneficia, hæ diuinæ in homines virtutes ijs præcipuè rebus & artibus conciliantur, quibus Deus ipſe vt ſibi propriis atque perpetuis maximè delectatur; ſeq́ue ab ijs, qui ſuam familiaritatem exoptant, imitatione, quoad id fieri rectè poſſit, exprimi gaudet, innocentia, gratia, miſericordia, officio denique præſtando. neque verò ſaluis & integris rebus, dum hæc adſunt, vllum iſtius generis ieiuniorum vſum eſſe; neque afflictis & profligatis, vt ſalus & nitor reſtituatur, tāquam ſingulariter oportunum aut neceſſarium requiri & poſtulari. Babylonienſes autem Iudæi calamitatem illam, ieiunio, tantùm cum cæteris Iudæis ad deplorandum inſtituto, detrahendam ſibi eſſe putantes de nulla alia religionis atque pietatis parte conſulere voluerunt: cùm tamen neque ex aliarum rerum comparatione; neque ex inſtitutionis auctoritate illa ieiunij & fletus ratio ad diuina oracula pertinere exiſtimāda eſſet. His adnotatis, locum ipſum vt Latinè verſus eſt, legemus; deinde ex Hebræo ad verbum redditum ſubijciemus: *Quod ieiunaſtis, &c.* [*Nunquid ieiunium ieiunaſtis mihi? & cùm comediſtis & bibiſtis, nunquid non vobis comediſtis, & vobiſmetipſis bibiſtis?* Hebraicè ad verbum ſic: *Nunquid ieiunare ieiunaſtis mihi ego? & quòd comedetis & bibetis, nonne vos comedentes & bibentes?*] Huius orationis illud breuiter argumentum eſt: neque ob ieiunia & luctus, neque ob illas duriores interdictiones rem publicam Iudæis à Deo reſtitutam eſſe, neque rurſus ob liberaliorem ciborum vſum illis eſſe conſeruandam; ſed ob illorum ſcelera atque impietatem his ſeptuaginta annis oppreſſam atque vaſtatam, nunc miſericordis Dei beneficio tantùm excitatam exurgere, tam diu conſeruandam, quoad ille diuinorum promiſſorum procurator maximus hominum generi ſalutem allaturus aduenerit. Inquit itaque Deus: Nunquid me his ſeptuaginta annis, vel totis, vel aliquot ſaltem grauioris luctus diebus ieiunium luctumq́ue veſtrum ſecutum obſeruaſtis, vt ſimul vobiſcum aut ieiunando aut plangendo, vel conſilij vel facti pœnitentem ſententiam mutaſſe affirmare poſſitis? Atqui vt neque comedere, neque ieiunare & abſtinere naturæ meæ harū rerum experti; ſic

neque

neque lugere etiam à culpa omni abhorrenti conuenit. ita adeò quamquam vos ex dolore amiſſæque rei deſiderio ieiunaſtis, planxiſtis abſtinuiſtisque, ego tamen nec ſimili vel dolore vel deſiderio vobiſcum affectus, vt ſententiã, quo minus totos ſeptuaginta hós annos terra vaſta atque inculta eſſet, mutarẽ, adductus ſum: vos veſtro dolore magno ieiunaſtis & planxiſtis; ego nullo meo, vel ieiunare, vel plangere potui: vobiſipſis moleſtiam attuliſtis atque deſiderium auxiſtis; mihi verò nullum huiuſmodi affectum commouiſtis: id quod tempora ipſa teſtantur; cùm neque tot annis, neque certis grauioris luctus diebus veſtram miſeriam aut mutari aut minui ſenſeritis: ita neque abſtinentia, neque interdictione, neque luctu veſtro affectus ſum, vt pariter dolens ipſe etiam iiſdem diebus ieiunarem, quemadmodum neque veſtris epulis aut conuiuiis afficior, vt ſimul accumbens delecter aut fruar. nam quòd vos deinceps terræ huius ciborum & potuum ſuauitate ſoli ſine me fruemini, neque enim ego vobiſcum aut comedo, aut bibo; id etiam vos tantum non me item his annis ieiunaſſe, caruiſſe atque deſideraſſe arguit; earum rerum quibus nũc fruemini, inopia & deſiderio vos tantum laboraſſe vſus ipſe confirmat: quod vos tãtum comeditis & bibitis, ego nõ comedo neque bibo. igitur neque ob ieiuniorum iſtorũ & lamentationum in vobis defectionem (quia rebus integris non requirebãtur huiuſmodi) vos hinc pulſos, vſus iſte rerum, quem vos habetis habiturique eſtis, manifeſtè docet. neque enim vobis allatus nunc de integro eſſet, ſi mihi fuiſſet ingratus. neque verò ob eorundem ieiuniorum frequentiam reſtitutos exiſtimare conuenit, vt conſtat ex vſu, quem percipitis, non percepturi, niſi ipſe afferrem; neque etiam iſtis ieiuniis me ad veſtri reſtitutionem commouiſſe putare debetis, quaſi aut ego vobiſcum dolerem & ieiunarem, deſiderioque earum rerum, quibus non ego, ſed vos nunc deinceps fruemini, tenerer. Id quod priſcorum vatum eo tempore cùm reſpublica iſta maximè floreret, decantatis prædictionibus teſtatiſſimũ vobis eſſe potuit & debuit: in quibus nulla ieiuniorum & luctus exactio, quę tum ſuperuacanea eſſet, nullũ fructuum aut ciborũ & potuum ſuauitatis, quę tum maximè abundabat, deſideriũ, nulla iſtarum rerum, tanquam mihi gratiſſimarum, aut exſpectatio aut poſtulatio vel audita olim eſt, vel nunc legitur; ſed certa ob verã pietatis officiique culturam ſalutis ſecuritatisque promiſſio, vel rurſus ob neglectionẽ & proditionem ſeptuaginta annorum terræ vaſtitatis & exilij ſeruitutiſque veſtræ prædictio euentu tandem ipſo confirmata obſeruatur.

Nunquid nõ ſunt verba quæ locutus eſt Dominus in manu prophetarũ priorũ, cùm adhuc Ieruſalem habitaretur, & eſſet opulẽta, ipſa & vrbes in circuitu eius & ad Auſtrũ & in campeſtribus habitaretur?

VOLVNTATEM, conſilium iudiciumque de omni huiuſmodi cauſa ſuum ex ſcripto & ſententia cum euentu ipſo comparata confirmat Deus. Orationem verò interrogatione informat, quæ plurimum in controuerſis cauſis ad ſua confirmanda aduerſariaque euertenda ponderis ac momenti habet. Extant, inquit, diuini ſermones prophetarum illius ætatis diligenti & ſummo officio palam habiti, cùm hæc regio omnis feliciter ac tranquillè non in montanis modò locis, ſed in planis etiam vndique habitata & culta ageret: quibus in ſermonibus diuina verba in manu prophetarum dicta, ſiue, vt in Hebraico eſt, prædicta & proclamata continentur, quæ omnem diuinæ voluntatis & ſententiæ rationẽ manifeſtè exponunt, tum eam quæ ad conſeruandam vobis, vel rurſus labefactandam, tum etiam quæ ad reſtituendam denuò rẽ ſpectat, quibus cum omnis etiam euentus conueniat & conſtet, aliam rationem nouè ſuſcitatam vel denuo petitam & rogatam aut opponere aut addere minimè conſentaneum fuerit. itaque hæc res neque cauſa neque euentu, neque etiam alia ex parte ad veſtrum, ſed ad meum iudicium pronuntiatione iam patefactum, vel ad cognoſcendum referenda, vel ad procurandum deinceps eſt reuocanda, quando Dei ſimpliciſſimi, veraciſſimi conſtantiſſimique ſententia & oraculis aperta iam explorataque eſſe omnibus potuerit: quæ ſi repetatur, non alia profectò nunc demum futura eſt ab illa eadem, quæ quondam fuerat. Etenim commendatarũ per Vates artium, quibus eos, qui ſuam tutelam & prouidentiam certã ſibi cupientes precari impetrariq. vellent, inſtructos eſſe oportuit, illa a Ieremia ſubducta ſumma eſt, cui poſtquam ea ratio quæ ad planctus atque lamentationem ſpectat, repudiata fuit, illud tandem ad pronuntiandum diuinum mandatum eſt delatum. Hæc dicit Dominus: Non oret ſapiens in ſapientia ſua,
Ierem. 9. & non oret fortis in fortitudine ſua, & non oret diues in diuitiis ſuis; ſed in hoc oret qui
" orat, ſcire & noſſe me, quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiã & iudiciũ & iuſtitiã
" in terra: Hæc enim placent mihi, ait Dominus. Igitur harum rerum ſtudio, exercitatione
" & communicatione Dei erga terrę culturã, quietem & tranquillitatẽ volũtas atq. cura impetranda fuerit; non ieiuniorum iſtorum lugubrium vel conuiuiorum communione, quę

nulla

nulla Deo cum hominibus eſt. Huius diuini oraculi ſententia longius fortaſſe, quàm exſpectaretur, explicata propterea eſt, quòd grauitate breuitateque ſua negotium non paruum nobis dederit; & quod non niſi attenta cogitatione, diligenti ſtudio, atque magno imprimis deſiderio & integra diei vnius precibus & ſuſpiriis apud Deum actione & contentione expedire potuerimus: cuius nos benignitati quidquid boni & recti præſtabimus acceptum referimus. Porrò ſuam Deus ſententiam atq. omnem cum illis hominibus tractatā olim cauſam vt iuſtiſſimam & conſtantiſſimam vati ſuo cognoſcendam imprimis, deinde etiam populo referendā denuo recitat, quo ſe planè ſemper & apertè egiſſe confirmet, illorum verò culpam fuiſſe quòd perierint. idque nouo reſponſo dato tractatur.

Et factū eſt verbū Domini ad Zachariā dicens, Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Iudicium verū iudicate, & miſericordiam & miſerationes facite vnuſquiſq. cum fratre ſuo: & viduā, & pupillum, & aduenam, & pauperem nolite calumniari: & malum vir fratri ſuo non cogitet in corde ſuo.

PROMISSÆ à ſe per antiquos vates populo ſecuritatis & felicitatis cōditiones legesque vt apertiſſimas, ita etiā æquiſſimas recitat Deus, quibus vltra ſui ipſius imitationem gratiſſimam omnis honeſtatis & officij ratio abſoluitur. [*Et factum*, inquit, *eſt verbum Domini ad Zachariam.*] non, inquit, ad me, ſed ad Zachariam: quòd hæc actio cōmodè illi ex nomine conueniret. namque Zacharias cōmemoratorem, ſiue recordatorem Dei ſignificat, ita vt meritò hæc Zachariæ, quæ genti ſuæ commemoret atque ex diuina auctoritate referat, narrentur. Hanc verò appellati nominis cauſam Vates ipſe indicat: *Et factum*, inquit, *eſt verbum Domini ad Zachariam, dicens.* Hebraicè eſt, *ad dicendum.*] vt recitatam ſibi orationē ipſe etiam apud populū qui ſibi prædictam ſæpiſſimè inficias ire non poterit, narraret. Orationum autem & prædictionum à vatibus omnibus repetitarum ſumma illa eſt, vt de publicis & priuatis rebus quàm rectiſſimè æquiſſimeque, ſine cuiuſquam mortalium iniuria, iudicaretur, vt beneficentia, bonitas & humanitas, quibus nihil ad communem ſocietatē conſeruandam melius aut præſtantius eſt; non re ſolùm, ſed animo magis atque ſtudio mutuo tribueretur. hoc eſt, *miſericordias & miſerationes facite vnuſquiſque cum fratre ſuo:*] vt ne quis quemquam per tutelam, vel fiduciæ, vel calliditatis, vel potentiæ rationem fraudaret; denique ne quis cuipiam malè omnino cuperet. hæc ſunt ieiunia, hæc conuiuia, quibus Deum delectari, affici, quorum communione imitationeque ſeſe exprimi facilem, benignū, præſentemque ſemper haberi poſſe Vates olim docuerant: Scire & noſſe me, quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam & iudicium & iuſtitiam in terra: hæc enim placent mihi, dicit Dominus. Sed quāquam hæc apud iſtos grauiſſimo Domini exercituum potentiſſimi vindicis atque vltoris nomine acta ſæpius proclamataque fuerint; tamen Ierem. 9.

Et noluerunt attendere, & auerterunt ſcapulam recedentes, & aures ſuas aggrauauerunt, ne audirent: & cor ſuum poſuerunt vt adamantem, ne audirent legem & verba quæ miſit Deus exercituum in ſpiritu ſuo per manum prophetarum priorum.

MISERIAM calamitatemque omnem, quam hactenus Iudæi accepiſſent, ſuo tantum ipſorum ſtudio, opera & culpa accidiſſe Deus ipſe confirmat, qua in re grauiſſimum diuinæ lenitatis imprimis & æquitatis deinde, atque humanæ demum vitioſitatis & perfidię exemplum proponitur. quòd quæ ſumma & maxima bona diuinitus parata promiſſa oblataque vltrò atque etiam frequentiſſimè commendata nobis fuerint; tamen noſtrorum morum culpa tantùm auertantur atque arceantur, vt ſcriptum eſt: Peccata veſtra prohibuerunt à vobis bonum. & aliàs etiam: Perditio tua ex te Iſrael, ſalus autem ex me. Atque humanæ culpæ grauitatem iudicijq. diuini æquitatem maximā traditę diuinitus diſciplinæ contemnendæ atque penitus repellendæ ſtudiū, conatus contentioque coarguit, quòd id maximè homines curare deprehendantur, vt pietatis veræ honeſtatiſque curā quàm longiſſimè abiiciant. Id quod ſenſus mentis, animi, voluntatis, affectus, conatuſque omnis indicatione à Deo explicatur: quæ omnia in eo ſolùm poni arguuntur, vt legi, cōſilijs, admonitionibus prædictionibuſque ſuis reiiciendis diligentiſſimè ſtudeatur: atque ſingula verba, *attendere, ſcapulam auertere, aures aggrauare, cor vt adamantem ponere ne audirent*, magnos & graues admodum explicatus habent, quos nos indicantes in alium commodiorem locum, ſi Deus deduxerit, reſeruamus in librum De habitu. Illud verò animaduerſione dignum eſt; quod poſt legem dicitur: *& verba quæ miſit Dominus exercituum in ſpiritu ſuo &c.* Quippe oratio hæc ad vaticiniorum auctoritatem confirmandam diuinamque eſſe definiendam ſpectat. neque enim habitos aliquando apud Iſraëlitas à vatibus ſermones atque actiones ſententiarum, ſed diuinorum reſponſorum nomine definiri oportet. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt

Ierem. 5. Oſeæ 13.

2 Pet. 1.

ſancti

Quàm moleſtum, quàm miſerum & turbulentum illis exilium, quàm ignobile & inuidio-ſum apud cæteras gentes hoſpitium fuerit, ſatis verba declarant. namque non vt hoſpitum aut amicorum vel ſociorum cæteris gentibus aduentum fuiſſe gratum, non vt exulum & miſerorum dolendum, ſed vt turbinis offenſione plenum & inuidioſum fore ait, maximè gentibus, quibus nulla aut amicitiæ aut ſocietatis neceſſitudine, aut rerum geſtarum gloria, aut vtilitatis ſpe fuerant commendabiles: [*ſed ſuper gentes, quæ non nouerant eos.*] quarum in ſe, neque magis propéſæ voluntates, neque ſuauiora officia conſtabunt, quàm earum quondam in maiores ſuos conſtitère, de quibus ſcriptum eſt: Et ſurrexit interea rex nouus ſuper Exod. 1. Ægyptum, qui ignorabat Ioſeph, & ait ad populum ſuum: Ecce populus Iſraël multus & « fortior nobis eſt, venite, ſapienter opprimamus eum, &c. « [*Et terra deſolata eſt ab eis.* Hebraicè, *Poſt eos à tranſeunte & reuertente.*] Quæ olim in montanis & campeſtribus locis frequenti populo colebatur, eò vaſtitatis redacta eſt, vt neque itineris aliò faciendi cauſa à quoquam vel eundo vel redeundo peteretur, nedum habitationis gratia frequentata eſſet. Cauſam porrò, quamobrem adeo neglecta atq. inuiſa regio illa omnibus etiã alienis hominibus fuerit, Deus ipſe ad ſterilitatem & horriditaté loci antiquæ & natiuæ quondam amœnitatis, culturæ & fertilitatis vſu, longè alienam refert. Hæc verò maxima mutatio hominum ipſorum, quorum diſceſſionem conſecuta eſt, nefaria ſcelera Deoque inuiſam cauſam arguebat, eam ſterilitatem ad præcludendam reditus commoditatem, & ſpem inducentem. [*Et poſuerunt terram deſiderabilem in deſertum.* Hebraicè eſt, *Et ponere fecerunt terram appetitionis in ibi quid?*] Hæc verborum vis eſt: ſententia verò illa breuiter explicanda mutationem tantam tamq. repentinam, cultorum ipſorum culpa accidiſſe facie atque habitu, in quem locus illis abſcedentibus mutatus eſt, facilè declarari. ob eam rem ait: *Et terra deſolata eſt poſt eos.*] Vixdum, inquit, abſceſſerant, cùm terra adeo mutata fuit, vt neque iter agentibus eſſet cõmoda. nam quæ nulli anteà mortalium non exoptanda patriæque loco deſideranda viſebatur, redacta fuit in deſertum. Ex multis nominibus Hebraicis, pro quibus Latinus deſertum aut ſolitudinem reddit, vnum eſt SAMMA, quod ex admirantium & ſtupentium habitu, geſtu & voce confictum & compoſitum videtur. ſignificat autem *ibi quid?* quæ vox magnæ mutationis admirationem indicat. Vnde & verbum Hebraicum *Samam* deductum aliquando de- שמם ſolare & vaſtare; aliquando verò ob eiuſmodi ſpectaculum obſtupeſcere eſt. Ita adeò Iudæorum vitia & culpas tantam regioni illi vaſtitatem effeciſſe ait Deus, vt ex ſumma omni appetitione, qua digna olim terra fuerat, ſummo omnium ſtupore & deteſtatione indigna, quam vel viator pertranſiens obiter peteret, reddita eſt.

CAPVT OCTAVVM.

ET *factum eſt verbum Domini exercituum, dicens, Sic dicit Dominus exercituum: Zelatus ſum Sion zelo magno, & indignatione magna zelatus ſum eam.*

CAVSAM, quamobrem Ieroſolymæ omniſque Iudææ regionis res eò vaſtitatis & ſolitudinis redacta eſſet, ciuium & cultorum ſuorum vitio & culpæ aſſcripſerat Deus. quòd verò nunc reſtituta deinceps etiam conſeruanda eſſet, non lugubribus ieiuniis illis, non illorum interdictionibus, quorum culpa perierat; ſed voluntati, benignitati, conſilioque ſuo aſſcribendam eſſe manifeſtè docet. namque vaſtationis cauſam cognoſcentibus reſtitutionis etiam tum cauſam, tum modum & formam, quatenus exſpectari conueniret, cognoſcendi cupiditas accedebat, maximam enim eſſe & digniſſimam rem oportebat, cuius cauſa hæc etiam tanta tamque repentina renouatio fieret, vt terra ex vaſtitate in culturam & fertilitatem, homines verò ex odio & offenſione in gratiam diuinam redirent. Sed cùm ab hac ratione & meriti definitione illorum ieiunia lugubria interdictioneſq. exceptæ iam eſſent, aut alia quædã illorum maxima merita & officia conſtare, aut arcanũ aliud Dei conſilium exquiri neceſſe erat, quòd tanta res tamq. repentina, tamq. maturè vt videbatur ferè iam abſoluta, non caſu, nõ rerũ humanarũ volubilitate definiẽda eſſet; maximè quibus religionis & diuinæ prouidentiæ notitia fuerit. Igitur cùm nullo iſtorum magno merito rem excitatam atque redintegratam dicere poſſemus; quippe quorum neque voces, neque clamores triſtes exaudiri digni per omnes hos anteactos annos fuiſſent, ſua tantum ſententia conſtantique de hominum ſalute cõſilio hanc renouationem effectam, atque omni commoditate augendam perficiendamq. eſſe Deus ait: eamque perpetuam illis fore confirmat, qui vitiorum deteſtatione & fuga, ac virtutum pietatiſque cultura, certam ſibi reddi curauerint. [*Et fuit verbum Domini exercituum, dicens.*] Reſponſum à

ſum à potentiſſimi efficaciſſimique Dei conſilio & ſententia non ſolùm ſibi cognoſcen-
dum,ſed aliis etiam exponendum redditum fuiſſe Vates ait. [*dicens:* Hebraicè eſt, *ad dicen-
dum.*] vt illud verbum cuicunque cognoſcere liberet, enuntiaretur, cuius fides ex miſeri-
cordia diuina atque virtute firmata eſſet. [*Sic dicit Dominus exercituum.*] Prius nomen ex mi-
ſericordiæ rationibus; poſterius verò adiunctum ex virtutis atque potentiæ immenſitate
diuinæ conuenit naturæ. Oraculi verò ſumma propoſitio illa eſt: *Zelatus ſum Sion zelo magno.*]
KANA verbum, pro quo Latinus interpres Græca voce, *zelare & zelus*, vel Latina, *æmulari &
æmulatio*, plerumque reddit, cum datiuo conſtructum ardentiſſimum ſtudium erga eius, ad
quem refertur, dignitatem atque auctoritatem vindicandam tuendamque ſignificare Mo-
Num. 11. ſes Ioſue miniſtrum ſuum eiuſmodi oratione excipiēs docet: Quid, inquit, æmularis mihi?
» quis tribuat, vt omnis populus prophetet, &c. & apud Moſen Phineæ Aaronis filij pietas
vehementer illo nomine commendata à Deo eſt: Quia zelatus eſt zelo ſuo, & expiauit ſce-
Num. 25. lus filiorum Iſraël. Igitur conſilij illius magni, quod à Deo de publica hominum ſalute ini-
tum fuerat, ratio & pars aliqua, eaque non exigua, ad Ieroſolymam vrbem ſpectabat, quam
illius arcani ſpectaculi tandem edendi theatrum fore præſcriptum, certumque fuerat. id
quod non niſi conſeruata ibidem religione diuinarumque rerum & promiſſionum notitia
& ſpe, tum lectionibus & prædicationibus, tum ſignificationibus & arcanis hoſtiis aſſiduè
ſacrificatis redintegrata expediti commodè poterat, ita effectum eſt, vt non ex Iudæorum
merito, ſed ex conſilio voluntateque Dei & dictorum promiſſorumque conſtantia & ve-
ritate Ieroſolymitana reſtituta res atque illa religionis arcana & noſtrorum temporum in-
dex ratio atque forma inſtaurata fuerit. Atque ex duobus vrbis illius nominibus; alterum,
nempe Sion in iis orationibus plerumque vſurpabatur, quæ ad regni Dauidici & religio-
nis pariter atque pietatis indicationem pertinerent, futuræque eccleſiæ Chriſtianæ omni-
bus nominibus illuſtriſſimæ imaginem exprimerent, vt in toto illo elegantiſſimo hymno
Pſalm. 86. obſeruatur: Fundamenta eius in montibus ſanctis, diligit Dominus portas Sion ſuper om-
» nia tabernacula Iacob: Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei, &c. Ait autē Deus magno ſeſe
» erga locum ad publicam ſalutem delectum reſtituendum ſtudio teneri; itaque ob habita-
torum culpam ab hoſtibus vaſtatum nunc demum non ſine vaſtatorum magna clade de-
nuo reſtitutū confirmat. [*Zelo magno & indignatione magna zelatus ſum eam.*] *Zelus magnus, indignatio
magna*, & quidquid de Deo adiunctis magnitudinis cognomentis dicitur, ad illā illuſtriſſi-
mam & præſtantiſſimam laudem referimus, quam ex renouandi mundi cōſideratione, fide
Pſalm. 51. atque ſpe, aut ex renouati tandē notitia, Deo ſacra ſcripta tribuunt. Ex hoc genere illa ſunt:
» Magnus Dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius, &c. &
innumera ferè alia, quorum admiranda & adoranda explicatio in noui teſtamenti libris
continetur, à nobis vel ab aliis, quibus Deus id præſtiterit, aliquando exponenda. Atque in
hoc Vatis huius carmine duplicem Siona nos deſcriptam intueri videmur, & duplicem in-
dignationis zelique diuini rationem cōprehenſam agnoſcimus; ſed quoniam nondum ſo-
lidum cibum ſuppeditare opportunum fuerit, lacteſcentem tantum adhibere conſiliū eſt;
vt eorum, qui diuina lectione ali cupiunt, reficiantur vires, non opprimantur. Igitur hanc
Ieroſolymorum veram quidem reſtitutionem, non tamen abſolutam & plenam Iudæo-
rum omnium ſalutem & libertatem definiri Deus vult. verùm enimuero initium illius eſſe
confirmat, propriamque atque perpetuam iis futuram, qui fide, pietate vitæque ſanctitate
conſeruare ſtuduerint. id quod frequentibus reſponſis declaratur.

*Hæc dicit Dominus exercituum, Reuerſus ſum ad Sion; & habitabo in medio Ieruſalem: & vocabitur Ieru-
ſalem ciuitas veritatis, & mons Domini exercituum, mons ſanctificationis.*

DVO tempora nobis ad vaticinij huius explicationem cogitanda ſunt, & illud quo Ba-
bylonienſium Iudæorum pars Zorobabele duce in patriam reducta vrbem templumq. re-
fecit, & hoc noui teſtamenti, in quo diuinis promiſſis omnibus ac receptis abundè ſatis eſt
factum: cuius & ſignificandæ imago illo altero ferebatur & euenturæ etiam ponebatur ini-
tium. Diximus autem reſtitutionem illam templique refectionem Babylonienſium ſyna-
gogæ atque aliis etiam nec veram prorſus, nec certam fuiſſe exiſtimatam, ob ſeptem illu-
ſtrium rerum, quæ in ea requirebantur, deſiderium; quarum prima erat diuina illa aſſidui-
tas & præſentia multis & grauiſſimis argumentis olim probata & cognita. Eam igitur cer-
tam deinceps fore, multoque, quàm antea, illuſtriorem Deus in ſe recipit; atque eius maxi-
mi beneficij ferendi gratia ſe denuo Siona rediiſſe reficiendamque curaſſe ait; vt videlicet
Ieruſalem illam, quam denuo ædificare pararit, præſentiæ, prouidentiæ atque ſanctitatis
maieſtatiſque ſuæ communicatione priore illa altera multo commendabiliorem, cogno-
minibuſque magnis & gratioſis illuſtriorem reddat. Itaque temporibus verborum ad res
ipſis

ipſas accommodatis locus hic rectè explicatur; non vt incertam aut obſcuram reſtitutionem hanc, Deus inquit, cenſere conuenit, ſed certiſſimam atque manifeſtam. namque verè reuerſus ſum ad Sion, & propediem habitabo in medio Ieruſalem: diuitias meas maximaque munera & virtutes, cum illius ſacroſanctæ vrbis ciuibus communicaturus; ita vt ciuitas ipſa & verè & iure Ieruſalem appelletur; cuius nomen, pacem perfectionemque euidentem ſignificat. id quod huic priori ciuitati nondum contigerat: quæ tametſi aliquando ciuitas Iſai. 1.
fidelis, nunquã verò veritatis ciuitas dicta; poſtea tamẽ meretrix cognominata eſt. Rationem verò, quamobrẽ ciuitas ipſa veritatis ciuitas appellanda ſit, Deus ipſe continuò affert, quòd mons, qui antea Domini exercituum diceretur, ſanctificationis mons deinceps futurus dicendusque ſit, Chriſti diuini montis atque ſacroſancti templi fundamenti veriſſimi dignitatem, virtutem & efficientiam hæc oratio nobis, ſi qua alia, maximè ſignificauit: de quo illud editum etiam oraculum præter cætera plurima extat: Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, &c. Magnam autem arcanamque explicationem illud etiam habet, quòd mons hactenus Domini exercituum vocatus, ſanctificationis cognomentum deinceps porrò habiturus dicatur. quòd diuinæ naturæ virtus, præſtantia & efficientia antiquis temporibus potentiæ & ſapientiæ argumentis multis & maximis (quæ ratio ad exercituum cognomen ſpectat) ſeſe hominibus probauerit. Cæterùm feliciſſima noui teſtamenti ætate, præter miracula & prodigia, quibus Chriſti dignitas propoſita primùm fuit, illa maxima ad hominum ſanctificationem virtus, illa ſingularis atque inenarrabilis efficientia addita eſt, quam olim auditam deſideratamque, non antea tamen præſtitam fuiſſe euangeliſtæ docent, quàm per Chriſtum ſignificaretur: Qui declaratus eſt filius Dei in virtute ſecundum Ioan. 7.
ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum, &c. Quanquam noui teſtamenti Rom. 1.
& Chriſtianæ cauſæ auctoritas & grauitas miraculorum & ſignorum pondus maximum habeat; plurimum tamen hoc ſanctificationis ſpiritu nititur, ſicut ſcriptum de hac ſalute eſt: Quæ cùm initium accepiſſet enarrari per Dominum ab iis, qui audierunt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis, portentis & variis virtutibus, & ſpiritus ſancti diſtributionibus ſecundum ſuam voluntatem. Hebr. 2.
Quamobrem montem Domini exercituum antea dictum ſanctificationis montem ſingulari quadam laude etiam appellandum eſſe Deus confirmat. Aduertendum autem non incommodè eſt adiunctum illud *exercituum*, Hebraicè in huius verſus initio propterea non legi, quòd omnis ratio hæc, quanquam ad virtutes omnes diuinas referatur, miſericordiam præcipuo quodam iure ſpectaret. Eſt autem illa Hebraica lectio, *Hæc dicit Dominus, Reuerſus ſum ad Sion, &c.*] Atque hæc ad huius oraculi explicationem ſatis pro breuitatis ratione fuerint.

Hæc dicit Dominus exercituum, Adhuc habitabunt ſenes, & anus in medio Ieruſalem: & viri baculus in manu eius præ multitudine dierum.

EA QVÆ ad humani generis ſalutem publicam in illa terreſtri Ieruſalem expediendam opportuna viſa fuerint, paratum ſtatutumque iri Deus in ſe recipit. ex quo genere erat Ieroſolymitanorum ciuium reſtitutorum quies, certaque diu manendi in loco ſpes; quam, quòd Babylonienſes Iudæi ſua illa dubitatione & conſultatione debilitauerant, hoc reſponſo confirmandam Deus curauit; id videlicet fore pollicitus, vt vrbis illius ciues ad ſummam ſenectam viuant, adeò vt præ ingraueſcente ætate bacillis vtantur, idque & viris & feminis commune ſit. Quod verò dicit, *in medio Ieruſalem,*] otium belliſſimum ſenectuti ſubſidium ſignificat, cum dignitate coniunctum; quale ſenibus contingere, gratiſſimum eſt. Eius verò otij fructum non contentionem animi, ſed relaxationem potius fore baculorum, qui deambulandi cauſa parantur, geſtatio, indicat. [*viri baculus in manu eius.*] Viris & feminis hoc proprium fore ſperandum erat. namque *vir*, diſtributiuum nomen, vt aliàs docuimus, eſt. diu igitur in vrbe regioneque ſua futuros affirmat, quos Babylonienſium ſynagoga à Perſis, vt nuper ſolicitatos citò pellendos fortaſſe eſſe ſuſpicabantur. Quod verò de paucitate illi arguebant, adiuncta promiſſione refellit Deus; maximam copiam & frequentiam vrbi fore, multa ex illis paucis propaganda ſobole, fore prædicens.

Et plateæ ciuitatis complebuntur puellis & infantibus ludentibus in plateis eius.

PRÆTERQVAM quòd ætatis cuiuſque mores & naturam aptiſſimè deſcribens Vates ſenibus bacilla & otium, paruulis ludos & pueriles delectationes tribuit: vt illud,

Reddere qui voces iam ſcit puer, & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, &c. Hor. poëtic.

Loci etiam ſalubritatis, & corporum ſanitatis, necnon & annonæ copiæ plateis omnibus

ludentes pueri ſignum manifeſtum ſunt; vt contrà, & plateæ, & fora pueris vacua loci vaſtationem, vel ob peſtem, vel ob bellum arguunt, ſicut ſcriptum eſt. Attendit mors per feneſtras, ingreſſa eſt domos noſtras, diſperdere paruulos de foris, iuuenes de plateis, &c. Igitur hæc quæ de ſenum otio, deque puerorum frequentia & ludis prædicta ſunt, certam diuturnamque vrbis habitationem fore confirmant. Illud præterea mirum in modum Babylonienſium de hac reſtitutione iudicium diſturbabat; quòd tam exiguis & tenuibus Iudaicæ tribus reliquiis tantum Ieroſolymis collectis innumerabilium penè Iſraëlitarum copiarum toto orbe diſperſarum deſiderium refricaretur, nunquam, niſi integra omnium reductione, deponendum, quod citra miraculum fieri poſſe non videbatur, cùm ob longæ toto ferè orbe patentis diſperſionis rationem, tum ob loci, quò reducendæ eſſent, anguſtias tantæ hominum multitudini capiendæ atque alendæ longè diſpares. Huiuſmodi autem argumentum ita colligit Vates, vt confirmando Babylonienſium etiam ſeutẽtiam frangat. nam & hoc nomine verè etiam reſtitutionem illam exiſtimandam eſſe confirmat, ex qua variè diſperſis Iſraëlitis commoditas magna ad reditum atque ad ſalutem creanda ſit. id tamen miraculis diuinis, atque ideò maiori & illuſtriori beneficio aſſcribendum cenſet.

Ieremi. 9.

Hæc dicit Dominus exercituum, Si videbitur difficile in oculis reliquiarum populi huius in diebus illis, nunquid in oculis meis difficile erit, dicit Dominus exercituum?

HÆC verſio nihil, quod hominibus difficile videatur, Deo difficile eſſe indicat, iuxta illud: Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. ſed cùm reliquiarum populi illud opus futurum non eſſet, ſed magis Dei ipſius, qui in ſe præſtandum receperat, nõ erat, cur ſibi difficile factu iudicaret, cui non pertinebat. vt autem Deo difficile putaret, abſurdum omnino erat: ſed & lectio ipſa, & lectionis aperta ſententia ex Hebraica verſione ad verbum conſtat: *Sic dicit Dominus exercituum, quod mirificetur in oculis reliquiarum populi huius in diebus illis, etiam in oculis meis mirificabitur, dicit Dominus exercituum.*] Non modò hominum, ſed ſuo etiam iudicio rem illam non naturæ, ſed miraculorum terminis definiendam eſſe, ſibique ſoli vt maximam admirandamque, atque ſingularis cuiuſdam erga homines beneficij & gratiæ argumentum ad efficiendum ſuſceptam demum præſtandam fore, magnaq; omnium admiratione probandam, quicunque præſcriptis legibus & conditionibus habiti fuerint digni, quibus tanta gratia concilietur. Itaque mirificari hoc in loco illius eſt ſententiæ: A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Quod verò hæc res magna mirabiliſque, neque ex vulgato iam & conſueto, ſed ex ſingulari quodam & nouo miraculorum genere futura eſſet, ideò nomen Dei exercituum bis in eodem verſu appellatur, & in principio, dum prædicitur, & in fine, dum confirmatur, atque in adiuncto etiam carmine tertio repetitur. Eius autem propoſitæ rei ratio illa eſt:

Ecce ego ſaluabo populum meum de terra Orientis, & de terra Occaſus ſolis. & adducam eos, & habitabunt in medio Ieruſalem: & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum in veritate & in iuſtitia.

HVIVS etiam carminis initium ex nomine *Dei exercituum*, vt indicauimus, Hebraicè ducitur. [*Sic dicit Dominus exercituum, ecce ego, &c.*] rem maximam quidem & vehementer admirandam, tamen ſibi ipſi, qui ſuſceperit, præſtandam; idque nomine Dei exercituum potentiſſimi, qui ad difficillima quæque expedienda celerrimis & promptiſſimis exercitibus, cælo, terra, marique vti poſſit: quibus nihil tam arduum ſit, quin minimo negotio conficiatur, maximè cùm ſeſe ipſe ducem auctoremque exhibuerit. qualem hac in re fore profitetur, in qua de publica hominum ſalute agitur: ad quam omnes ij, qui in populo ſuo conſcriberentur, vocandi ſunt, non ſolùm ex Iſraëlitis, ſed ex gentibus etiam ab illa vitiorum & diaboli ſeruitute miſerrima ſeruandi, & in communem ſanctam ciuitatẽ Ieruſalem recipiendi, vbi perpetuis veritatis & iuſtitiæ muneribus donati atque aucti proſperè fungantur; vtpote qui verus & ſanctus iuſtuſque populus Dei audiant: cuius ſingulari proſpicientia, tutela, gratia, atque ſancto denique ſpiritu gubernetur, hoc eſt, in veritate & iuſtitia. vtrumq. enim verbum ad Deum & populum referendum eſt. veritas Dei eſt promiſſorum fides & conſtantia. Iuſtitia Dei admiranda illa iuſtificatio: de qua multa quidem ſæpe, nunquam verò ſatis diximus. Veritas populi eſt illa promiſſorum diuinorum in ſe agnitio, quorum virtute maxima etiam promiſſis diuinis fides habetur. Iuſtitia autem populi, eſt acceptæ in ſe iuſtitiæ diuinæ omnibus in periculis faciendis argumentum exemplumque certum, de qua ſic ſcriptum extat: Filioli, nemo vos ſeducat: qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt, ſicut & ille iuſtus eſt, &c. Atque hæc res triplici miraculo efficienda fuerat, populo primùm omni, vbicunque diſperſus eſſet, qua omnis orbis patet, vna expeditionis opera Ieroſolymis ſumpta ſeruando. Cuius expeditionis arcana ratio in ſacroſancta illa Chriſti cœna & corporis ac ſangui-

1. Ioan. 3.

ſanguinis communione cœpta in morte & reſurrectione conſolidata fuit;deinde etiam populo adducendo,quod euangelij prædicatione præſtitum fuit, tandemq́ue in medio Ieruſalem collocando. quæ res & ciuitatis dilatationem, & omnibus aliis tribubus & gentibus communicationem,& maximam ciuium frequentiam futuram indicat; multiplicia videlicet myſteria,& quæ longam ad cognoſcendum explicationem poſtulent. Horum itaque triplicium miraculorum cauſa nomen Dei exercituum ter in hac oratione appellatum eſt. omniſque terrarum orbis ex hac longitudinis ratione illis verbis definitur: *Terra Orientis & Occaſus ſolis.*] Atque earum argumentationum,quæ Babylonienſium conſultatione continebantur, dilutioni infirmationiq́ue peroratio opportuna commodiſſimè à Vate adiungitur;eademq́ue vltra rationes atque expoſitiones rerum,quibus confirmata fuerat, vaticiniorum etiam auctoritate corroboratur:atque ita vna opera & Babylonienſium ratio orationq́ue redarguta eſt,& Ieroſolymitanorum animi,quos illa oratio demiſerat, redintegrati firmatiq́ue fuêre.

Hæc dicit Dominus exercituum, confortentur manus veſtræ, qui auditis in his diebus ſermones iſtos per os prophetarum in die qua fundata eſt domus Domini exercituum, vt templum Domini ædificaretur.

NON modò nunc,vbi tam expreſſè atque apertè dubitationum ratio expoſita fuerit, atque hoc tempore,quo maxima operis pars in templi refectione abſoluta eſt; ſed à primis etiam iaciendi fundamenti diebus omni ſtudio atque opera in opus incumbere oportuiſſe ait eos,qui ſimiles ex aliis vatibus ſermones audierint & legerint. quales multi in Ieremiæ, Ezechielis atque Danielis vaticiniis de futura ſecundi templi ætatibus felicitate habiti fuerunt.nam præter Haggæi etiam vaticinia, quæ plus apud illos ad ædificandum, quàm Babylonienſium legatio ad remittendum,ponderis ac momenti habere debuerunt, vel vnica tantorum promiſſorũ ſpes animos illis,quò ſeſe ad tanta diuina beneficia opportunè pararent, erigere & renouare debuiſſet. grauiorem namque etiam non inccepto opere vatum auctoritatem,quàm omnem aliam orationem vel ſententiam eſſe oportuit. Hanc autem argumentationem ex contentionis loco repetitam nomine Dei exercituum tractat: cuius appellatio in maximis operibus ſuſcipiendis auſpicatiſſima eſt. [*Confortentur manus veſtræ.* Hebraicè in futuro eſt, *confortabuntur.*] quod tamen non temporis,ſed dignitatis & decori ſignificationem habet,vt iam aliàs de futuri verbi ratione diſſeruimus,quando nõ ad venturas,ſed ad præſentes vel præteritas res efferendas conferri videtur, vt hoc in loco, quem totum ex Hebraico ad verbum explicationis cauſa vertere placuit. [*Confortabuntur manus veſtræ audientes in diebus iſtis verba ea ex ore prophetarum,qua in die (qua) fundata eſt domus domini exercituum,templum ad ædificandum.*] Non modò nunc cùm iam ferè abſolutum opus eſt,ſed in die, qua primùm fundamenta iacta ſunt,templum totum ædificandum ſuſcipi ab iis oportuit, quibus verba illa à veraciſſimis vatibus facta conſtabant. Cæterùm quod ad ſterilitatem terræ & illius antiquæ fertilitatis deſiderium attinebat, quod Babylonienſibus aliiſq́ue ad eleuandam reſtitutionis auctoritatem & fidem quartum fuerat argumentum,id etiam perperam cum primis ductum docet Vates:deinde verò recto modo expoſitum ſapienter colligit. Etenim illud in hac argumentatione vitium inerat, quòd colendæ atque habitandæ regionis opportunitas vel importunum tempus ex fertilitatis vel ſterilitatis notatione ſtatueretur,quando agrorum felicitas,vel inopia & ſterilitas non tam ex cultorum defectu & deſiderio,quàm ex vitio vel officio penderet.id quod ex legis prædictionibus,& hominibus cũ primis,atque ex ipſo etiam temporum & ſeculorum exemplo obſeruare conueniret. namque lex magnam ipſis etiam dum terra incoleretur,ob ſcelera & vitia minatur ſterilitatem: quam etiam allatam Amos aliiq́ue vates ſuis temporibus indicant. Vt autem regionis ſterilitas incolentium vitia, ſic virtutem & pietatem magna vbertas & copia ex diuinis denuntiationibus vel promiſſis conſequitur,ſicut ſcriptum eſt:Sit cælũ,quod ſuper te eſt,æneum, & terra,quam calcas,ferrea: det Dominus imbrem terræ tuæ puluerem, &c. Maledictus Deut.17.
eris in ciuitate, & maledictus in agro : maledictum horreum tuum , maledictæ reliquiæ «
tuæ;maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ,armenta boum tuorum, & greges «
ouium tuarum: maledictus eris ingrediens,& maledictus egrediens. mittet Dominus ſu- «
per te famem & eſuriem,& increpationẽ in omnia opera tua,quæ facies,&c. Atqui Amos «
aliiq́ue vates huiuſmodi calamitates terræ atque populo nequiſſimorum principum temporibus allatas apertè indicant,vt meritò nunc Babylonienſium & Ieroſolymitanorũ Iudæorum inſcitia redarguatur,qui temporum cauſarumq́; diſtinctionis ignari, varias euentuum rationes permiſcentes confundebant. Ex quo vitio in ſacrorum & diuinorum oraculorum interpretatione multa & grauiſſima ad eos,quorum intereſt,incommoda perueniunt. Hæc itaque eorum, qui ſubiunguntur, verſuum ſententia eſt.

Siquidem ante dies illos merces hominum non erat, nec merces iumentorum erat, neque introeunti neque exeunti erat pax præ tribulatione: & dimiſi omnes homines vnumquemque contra proximum ſuum.

NON nouam neque deſolationis templi tempora conſecutam terræ ſterilitatem, & finitimorum atque vicinorum hominum importunitatem, ſed hæc omnia incolentium vitiis magis, quàm terræ vaſtitati adiunctam eſſe, periculo ipſo atque exemplo præteritorũ temporum Vates declarat: [*ſiquidem ante dies illos,*] cùm deſolata vrbs, regioque vaſtata atque cultoribus viduata eſſet ſuis, etiam extante templo, neque agricolæ neque pecuarij pro laboris & aſſiduitatis ratione mercedem diurnam ex artibus ſuis accipiebant, nedum vberiores fructus perciperent. neque in aliis negotiis & artibus, quæ vitæ alendæ cauſa exercentur, qualis mercatura, nauigatio, aliæque multæ ſunt, aut fidem, aut vtilitatem, aut felicitatis virtutem aliquam experiri licebat. hoc eſt, *neque introeunti neque exeunti pax erat præ tribulatione* & miſeria, adeò anguſtè res eorum vrgebantur. deinde ad ſummam etiam miſeriam ſumma malitia & ſumma iniuria accedente effrenata quædam fraudis inuicem faciendæ & diripiendi libido ſingulos fermè inuaſerat; adeò, vt non ſolùm à finitimis hoſtibus, ſed à viciniscuibusque ſuis confractas & debilitatas nimium res defendere & conſeruare nemo poſſet. [*Et dimiſi omnes homines vnumquemque contra proximum ſuum.*] Grauiſſimorum ſcelerum
Deut.27. pœnæ pars nonnunquam effrenatæ iam libidinis laxamentum, & optata ad nocendum di-
» uinitus permiſſa licentia eſt, ſicut ſcriptum eſt: Percutiat te Dominus amentia & cæcitate
» ac furore mentis: & palpes in meridie ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris, & non dirigas
» vias tuas: omnique tempore calumniam ſuſtineas, & opprimaris violentia, neque habeas
» qui liberet te. Ea res, quòd non Dei ſtudio, ſed permiſſu fiat, dimittendi verbo in Vatis noſtri oratione ſignificatur: qua etiam prona ac præceps hominum ad malum propenſio, & Dei, ne in deterius procedatur, retinentis & coërcentis cura apertiſſimè ſignificatur. Eam igitur & miſerarum & anguſtarum experientiam rerum, quam ex agrorum ſterilitate & hominum fraudatione iſti arguebant, non his temporibus propriam, ſed diſſolutis hominum & perditis moribus ex diuino iudicio conſequentem eſſe Vates hoc loco confirmat: cuius in melius mutationem idem etiam cum aliis promiſſis coniungit, vt ne hac etiam parte vel felicitatis minui ſpes, vel ſacrum impediri poſſit opus.

Nunc autem non iuxta dies priores ego faciam reliquiis populi huius, dicit Dominus exercituum, ſed ſemen pacis erit: vinea dabit fructum ſuum, & terra dabit germen ſuum: & cæli dabunt rorem ſuum: & poſsidere faciam reliquias populi huius vniuerſa hæc.

FVTVRÆ noui teſtamenti ætate, cuius iam ſecula illa initia quædam & præludia erunt hominum felicitatis imago, terrenæ fertilitatis & vbertatis coloribus (vt res ipſa ferre poteſt) expreſſa, ex priorum miſerrimorum temporum cōparatione proponitur & promittitur: cuius præclaræ dignitatis obtinendæ propoſita ſpe Ieroſolymitani illi ciues cæterique ex illa gente ad virtutis ſtudium, laborem, veramque laudem excitantur. Deus namque, qui neminem quidem à ſe abſterret, ſingulos homines in hæreditatis huius partem ita vocauit, vt nullum tamen, niſi dignis artibus legitimè inſtructum & probatum admittat. Quas verò artes ipſe exigat, apertè exponit. Ait igitur ſeſe eo potentiæ nomine, quo Dominus exercituum appellatur, magnam cultoribus ſuis veris felicitatem, omnibus partibus abſolutam, eamque perpetuam, daturum: id tamen omnibus promiſcuè non parari; ſed iis, qui in electione vocationeque ſua permanere voluerint, quas reliquias populi vocat, hoc eſt, iis, qui ex omni illa turba, quæ euangelij præconio ad conuiuium vocata, ritè & legiti-
» mè accedere voluerit, de quibus ſcriptum eſt: Si fuerit numerus filiorum Iſraël quaſi arena
» maris, reliquiæ tantùm ſaluabuntur. Has autem ita ſitas reliquias tanta virtute diuinitus augendas fore, ſacri vates cecinêre, quantam vix quiſquam mortalium, niſi particeps iam factus, cognoſcere expreſſam valeat; imaginibus tamen quibuſdam adumbratam intueri
1. Cor. 2. omnes poſſunt. Neque enim oculus vidit, neque auris audiuit, neq. in cor hominis aſcen-
» dit, quanta præparauit Dominus diligentibus ſe. quod vt aliquo modo, quantum ad cupiendum ſatis fuerit cognoſcatur, earum rerum, quæ beatas regiones habitationesque hominum in terris efficere ſolent, ſpecie deſcribitur, agrorum vinearumque vbertate, in qua non ſolùm frugum omnium copia, ſed cæli ſolique temperata ſalubritas eſt. Diximus autem iam ſæpe aliàs terram humanæ naturæ; cælum verò diuinæ prouidentiæ atque tutelæ;
Pſalm. 84. fructus verò humanarum actionum, artium, ſtudiorum operumque vicem in ſacris & arcanis verbis reddere: iuxta illud; Benedixiſti Domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob, &c. Iam verò vineæ nomine piorum ſocietatem, quam eccleſiā vocamus, dici, apertius eſt, quàm vt noſtra expoſitione egeat. Igitur in illa maxima & rerum humanarũ planè diuina renouatione ſummam eiuſmodi felicitatem ſpectandam fore Deus enuntiabat, vt

ſparſo in primis atque concepto comprehenſoque diuinæ virtutis in hominum animis ſemine, & eccleſia ipſa, vt ſanctificata, & humana natura, vt renouata, ſuos, quos oporteat ac deceat, reddat fructus: ad quorum perfectionem & maturitatem cæli diuinæ prouidentiæ aſſidua virtute foueatur augeaturque, vt illud meritò prædicare & fateri ipſa hominũ pie- 2 Cor. 3.
tas poſſit: Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, ſed ſufficientia omnis noſtra "
ex Deo eſt. & illud: Deus eſt, qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate, "
videlicet Dei. Hoc autem proprium certumque ex diuino beneficio iis, quibus contigerit, fore, oraculis etiam confirmatum eſt. [*Et poßidere faciam, &c.*] Vt verò myſterij huius ratio ex Hebraicæ orationis contextu apertior aliquanto fiat, locus hic ad verbum nobis reddatur. [*Et nunc non ſicut diebus primis ego (ero) reliquiis populi huius dictum Domini exercituũ. nam ſemen pacis (erit) vinea dabit fructum ſuum, & terra dabit deductionem ſuã, & cæli dabunt rorem ſuum: & poßidere faciã reliquias populi huius vniuerſa hæc.*] Illa tamen, quòd magnam vim notationemque etiam habet, Latinè reddi non poteſt, Græcè commodius redditur, articulorum videlicet ſignificatio nominibus, *pacis, vineæ, terræ, calorumq́;* Hebraicè adiuncta; quæ certam quandam obſeruandamque pacem, certam vineam & terram, certaque ratione definiendum cælum indicant. *Pacis* autem verbo quietem, tranquillitatem, & perfectionem etiam ſignificari aliàs docuimus, quod illo Latino exemplo apertè cognoſcitur. Eſt'ne pax puero Abſalom? Atque vltimam 2. Reg. 17.
poſterioris verſus partem optimè Chaldæus paraphraſtes expoſuit: *Et poßidere faciam reliquias* "
populi huius vniuerſas benedictiones has.] Huius autem ſtatus dignitas & præſtantia ex antiquorum temporum comparatione & diuerſis hominum de vtroque genere iudicantium ſententiis apertè oſtenditur.

Et erit: ſicut eratis maledictio in gentibus, domus Iuda & domus Iſraël: ſic ſaluabo vos, & eritis benedictio: nolite timere, conſortentur manus veſtræ.

AD futura euangelij ſecula hanc omnem felicitatis promiſſæ rationem ſpectare Iudæ & Iſraëlis domus, quibus certa ſalus enuntiatur, appellatæ ſimul indicant. namque in ſecundi templi temporibus Iſraëlitas non reſtitutos fuiſſe conſtat, ſed inter varias gentium nationes diſperſos, ludibrioque, & opprobrio ſummo habitos: atque execrationibus tanquam auſpicium malum ad deteſtandum expoſitos: quorum reliquias tandem in diuinam gratiam reconciliatas, omnium rurſus gentium ſummo ſtudio & amore proſequendos, & ſanctitatis veræ nomine atque exemplo probandos laudandosque eſſe ait. [*Sicut eratis maledictio in gentibus.*] Inuidioſos, deteſtabiles atque execrandos Iudæos Iſraëlitasque aliis gentibus fuiſſe, ſuis ipſorum aſſiduis lamentationibus, & aliorum auctorum teſtimoniis compertum eſt: *Hodie triceſima ſabbata, vin' tu Curtis Iudæis, &c.* Hor. ſer. lib.
adeo, vt nullus hominum fuerit, qui minus aliquid, quàm Iudæum ſe natum eſſe opta- 1. Sat. 9.
ret, ſed diuino beneficio efficiendum effectumque eſſe intelleximus, vt paucorum Iudæorum & Iſraëlitarum opera & ſedulitate magnum in omnibus gentibus operæprecium ad veram pietatem atque ad euangelij propagationẽ factum ſit. Quæ res apoſtolorũ & diſcipulorum rebus geſtis apertè ſatis oſtenditur, qui ob nuntiatam gentibus à Deoque confirmatam ſalutem publicam æternis honoribus decorati ſunt. Id autem hoc in loco benedictio ex agricolarum ſermone verbum tranſlatum ſignificat, quod ſemen aut virgultum, ex quo multa & felix plantarum propagatio exſpectetur, vt in hanc eandem cum Zacharia Iſai. 65.
noſtro ſententiam Iſaias olim præcinuit: Hæc dicit Dominus, Quomodo ſi inueniatur granum in botro & dicatur, ne diſſipes illud, quoniam benedictio eſt: ſic faciam propter ſeruos meos, & non diſperdam totum, & educam de Iacob ſemen, & de Iuda poſſidentem montes meos, &c. Ad hanc igitur gloriæ atque magnitudinis ſpem excitatos ſui temporis homines, pietatis, templi religioniſque res curare diligenterque parare adhortatus eſt Vates, [*nolite timere, conſortentur manus veſtræ.*] Id quod præſentis beneficij vltro collati exemplo confirmando atque in futuræ ſalutis ſpem atque ſignum ſtatuendo comprobat.

Quia hæc dicit Dominus exercituum, Sicut cogitaui vt affligerem vos, cùm ad iracundiam prouocaſſent patres veſtri me, & non ſum miſertus: ſic conuerſus cogitaui in diebus iſtis, vt benefaciam domui Iuda & Ieruſalem: nolite timere.

PRÆSENTIS reſtitutionis veritatem ex temporum comparatione demonſtratã confirmat Deus; cauſam verò, conſilium, clementiam benignitatemque ſuam indicando explicat: atque ad opus perficiendum beneque de cætero ſperandum hortatur. dixerat enim ſuperioribus annis parentum ipſorũ, quos alloquitur, ſceleribus ad pœnas repetendas prouocatum, ieiuniis & clamoribus, quo minus repeteret, non fuiſſe aut retardatum aut reuocatum, quoniam certa de ea re ſententia fuerat, quam luendo ipſi experti fuerint. Nunc

verò benignum & miſericordiæ plenum ex certa voluntate profectum conſilium ſuum, vel ex hac ipſa temporum in melius mutatione iam patere poſſe ait. Iſraëlitarum autẽ non meminit, quòd hæc reſtitutio, quæ illius publicæ præludium, vt diximus, fuerat, ad Iudæos tantùm Ieroſolymitanosque pertinebat: quam ipſis certam perpetuamque reddi, & cum illa alia ad ſperandum propoſita coniungi poſſe ait, modò certis iiſdemque æquiſſimis conditionibus ac legibus ſtabilienda confirmandaque curetur. Incuſſum igitur illis ex Babyloniensium legatione metum, definienda præſentis reſtitutionis ratione, & certitudinis atque perpetuitatis conditionibus proponendis adimit.

Hæc ſunt ergo verba quæ facietis, Loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo: veritatem & iudicium pacis iudicate in portis veſtris: Et vnuſquiſque malum contra amicum ſuum ne cogitetis in cordibus veſtris, & iuramentum mendax ne diligatis. omnia enim hæc ſunt, quæ odi, dicit Dominus.

AD virtutis pietatisque ſtudium (quæ ad diuina accipienda & figenda in hominibus beneficia certiſſima via eſt) populum illa modo oratione excitatum, confortentur manus veſtræ: nunc quid ſequi, quid fugere debeat, definiendo apertè docet; adeò manifeſtam iudiciorum ſuorum, conſilij atque voluntatis rationem hominibus eſſe Deus vult, adeò inexcuſabilem eorum, qui perierint, culpam fore teſtatur. vtinam nobis nunc aduerſus omnem humanam ſapientiam, ne dicam inſolentiam & philoſophicam ſtultitiam, de hac re copioſius & accuratius diſſerendi locus daretur. Omne autem honeſtæ vitæ ſtudium in duplex genus partitur Deus, alterum fugiendarum, alterum expetendarum rerum formas continet. alterius autẽ ratio omnis in innocẽtia, alterius verò in officio ſita eſt. Etenim duabus his partibus rectè cultis hominum inter ſe coniunctionẽ atq. ſocietatẽ ſeruari, rempublicamq. florere, ſtabiliri atq. amplificari; cõtra verò neglectis labefactari conuelliq. Deus voluit. atq. officium vel priuatũ vel publicum eſt: priuati illæ ſummæ rationes ſunt, Quod tibi fieri non vis, alteri ne facito: quæcunq. vis tibi ab hominibus præſtari, eadẽ præſtato. In his generibus omnis doli mali, fraudisq. deteſtatio, omneq. bene aliorum rebus conſulendi ſtudium eſt. Publici verò officij finis & cauſa, publica pax & tranquillitas, exercitatio verò æquitatis ſeruandæ, perpetuum ſtudium eſt. Vtrumque verò, niſi ab æquo omnique dolo, fraude, odio maleuolentiaque carente animo proficiſcatur, quamuis aliis vtile fortaſſe videretur; tamen neque Deo, qui conſilia in primis probat, gratum; neque ei ipſi, qui ſuſcipit, ad veram felicitatem vtile eſt. Quamobrem ne qua parte ſibi homines deſint, quibus ipſe ſeſe non defuturum pollicetur, conſiliis, monitis, exhortationibus, paternisque præceptis curat. [*Loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo.*] Non modò rebus ipſis & opera præſtanda, ſed verbis & oratione omnem integritatem ſimplicitatemque pietas à cultoribus exigit ſuis. hæc priuati officij ſumma eſt: publici verò illa, [*Et iudicium pacis iudicate in portis veſtris.*] Publicus iudicum conſeſſus in portis erat, atque ex loco res indicatur per metonymiam, ſicut ſcriptum eſt: Iudices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis.

Deut. 16. quid autem iudicium ſit, in Habbakuq commentariis abundè docuimus. Appellatur autem iudicium pacis, quòd nulla ad publicam pacem ciuilemque charitatem & tranquillitatem conſeruandam, vel certior, vel præſtantior ars, quàm ſi directum veri & iuſti, & vt dicitur, æqui & boni ſtudium patrociniumque ſit. Hæc ratio non regibus modò, ſed regnis

Pſalm. 71. certam perpetuamque felicitatem reddit: Deus iudicium tuum regi da, iuſtitiam tuam filio regis: iudicare populum tuum in iuſtitia, & pauperes tuos in iudicio: ſuſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam. Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem, & permanebit cum ſole & ante lunam in generatione & generationem, &c. Hæc autem non modò re, ſed ſtudio atque ſedulitate omni præſtari oportêre docemur, vt ab omni ſimulatione, odio, inuidia, contentione alieni vitam innocentem, imò officioſam omnino traducamus. At quoniam in iudiciis exercendis non ſatis eſt iudicis æquitas, niſi & actorum atque teſtium etiam certa fides & integritas accedat. His enim perſonis cauſarum & iudiciorum ratio abſoluitur; actionum etiam & teſtimoniorum ſanctitatem commendat Deus, horumque falſitatem aut leuitatem vehementer ſibi inuiſam deteſtandam eſſe ait. [*Et vnuſquiſque malum contra proximum ſuum non cogitetis in cordibus veſtris.*] Litium calumniam & calliditatem in petendo atque in defendendo improbat: quam non modò re atque actione, ſed neque priuata quidem cogitatione tractandam eſſe ait. Teſtimoniorum verò fidem ſanctiſſimam eſſe vult: iuriſiurandi autem quo fides illa arctiſſimè vincitur, contemptionem, violationem, vt ſibi inuiſam, ſic ſuis prorſus deteſtabilem. [*Et iuramentum mendax ne diligatis.*] Grauiſſima ſcelera nemini inuito coactóue, ſed volenti atque optanti admitti ſolere locus hic docet: neque enim quiſquam vel inferioris animi imbecillitate, vel alterius etiam potentiſſimi hominis impulſione ad violandam teſti-

monio-

moniorum fidem actum ſe dicere verè poſſit. Sunt enim quædam flagitiorum genera, quæ magis ex deliberatione atq. electione, quàm ex naturæ imbecillitate vel inſcitia (quod errorem vel ignorationē ſacro ſermone dicimus) ſuſcipiūtur, vt dolus malus, proditio, fraus, antiqua, odia, teſtimonia falſa. omnia hæc non improuiſum animi impetum nō temerarium appetitū, ſed deliberatā malitiā, certumq́. conſilium indicant. atq. ideò & grauioris pœnæ, & difficilioris expiationis legibus cauentur. Quamobrē alia omnia etiā cogitando admitti, hoc poſtremum amari vetat Deus, rationem ſubiungens, quòd hæc omnia ſibi vehementer inuiſa deteſtandaque ſint. Impium autem eſt ea aut agere, aut diligere, quæ ſummo odio Deus proſequatur. [*Omnia enim hæc ſunt, quæ odi, dicit Dominus.*] Magnam ſententiæ grauitatem vehementemq́ue pronuntiationis actionem oratio hæc Hebraicè indicat, videturque ex comparatione argumentari. His rebus cum ſuperiori luctus & interdictionum ratione collatis, ex quibus nihil ad ſe, aut odij, aut ſtudij nomine pertinere oſtenderat. nunc verò quid ſibi ſummè placeat, quid vehementer diſpliceat, apertè oſtendit; nimirum officiorum ſtudium probari, ſcelerum autem admittendorum, vel voluntatem ipſam maximè improbari. Non poteſt nobis Latinè huius loci grauitas ſuis, vt Hebraicè eſt, ponderibus & momentis reddi, ob verborum Latinorum ſimplicitatem & indeclinabilium vocum inopiam: quibus partibus feliciſſima omnium illa lingua eſt. Igitur reſtitutionem illam, quam in dubium Babylonienſium oratio vocauerat, non modo certā eſſe, ſed his, quæ expoſitæ iam ſunt, artibus & modis procuratam, perpetuam, plenam abſolutamq́ue, omnis præteritorum malorum, doloris omniſque luctus expertem, imò omnis lætitiæ & iucunditatis plenam fore Deus confirmat, potentiæ & facultatis ſuæ ad omnem rem præſtandam, inſigni titulo auctoritatis cauſa orationi præfixo.

Et factum eſt verbum Domini exercituum ad me, dicens. Hebraicè *ad dicendum.*

HOC reſponſo plura ſe de omni illa ieiuniorū tertij generis ratione diuinitus edoctum Vates, eaque ad Babylonienſium orationem redarguendā, atque Ieroſolymitanorum animos confirmandos referre iuſſum fuiſſe indicat: quorum illud argumentum eſt:

Hæc dicit Dominus exercituum, Ieiunium quarti & ieiunium quinti, & ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium & lætitiam & in ſolennitates præclaras: veritatem tantùm & pacem diligite.

OMMEM ieiuniorum olim, ob rempublicam vrbemq́ue exciſam, ſuſceptorum indictionem & interdictionum perpetuam illam curam rebus iam reſtitutis in publicam lætitiam & iucundæ vitæ vſum communisq́. charitatis fructum conuerſam illis de cætero certa ac propria Deoque probante ac proſpiciente fauſta feliciaque fore vaticinio confirmantur, modò diligente propoſitarum conditionum obſeruatione procurata ſint: atq. hoc modo & quid legatis reſpondeatur, & plura etiam ad ſuam vtilitatem ſpectāda Iudæi docentur. Duplex autem in legatorum oratione argumentum fuerat; alterum de publico luctu, antiquandus nec ne ille eſſet, quærebat; alterum de interdictione, quæ non illo die tantùm, ſed omnibus aliis ſtabilienda ſibi eſſe affirmabatur. de vtroque autem argumento contrarium Babylonienſium ſententiæ iudicium interponit Deus. nempe quod ad luctum pertinet, non modò quinti mēſis, ſed quarti, quinti, ſeptimi, & decimi dies lugubres in gaudium & lætitiam conuertendos: quod verò de interdictionibus aſſeueratum eſt, non modò non admittitur, ſed hilaritatis & ſuauitatis acceſſione excluditur. [*Et in ſolennitates præclaras,* Hebraicè eſt, *Et in conuentus bonos.*] quod Latini epularia ſacrificia, vel epulares dies dicunt, hoc Hebræi dies bonos appellant. ſed *conuentus* præter diei lætitiam, iucunditatem & ſuauitatem inter multos communicatam, & idcirco auctiorem ſignificat: cuiuſmodi aliqui in ſacra lege ad publicam exhilarationem cum diuinorum beneficiorum recordatione præſcripti dies obſeruantur. Iam igitur illum ieiuniorum & interdictionum vſum non modò aliis diebus, ſed iiſdem ipſis, quibus ob acceptam calamitatem aliquam indicta fuerant, deinceps exoletum, imò ſuauiori ratione mutatum iri priuatè publiceq́ue Iudæis ait. illud verò, quod magis ad tenendam, ſtabiliendam, conſeruandamq́ue rem facit, perpetuo ſtudio colendum. [*Veritatem tantùm & pacem diligite.*] veritas ad priuatorum; pax ad publicorum officiorum rationem pertinet. [*Erit domui Iuda in gaudium.*] Quatuor illa ieiunia, quæ ob exciſam & ab hoſtibus occupatam Ieroſolymam indicta fuerant, Iudæis tantùm curabantur: cæteris tribubus non item. Iiſdem itaque in publicam lætitiam mutanda iam deinceps eſſe dicuntur. nam de ieiuniorum, quæ à tribubus aliis ob proprias calamitates inſtituta ſunt, mutatione nihil interim hîc agitur, quando hæc reſtitutio & ſalus Ieroſolymitanorum tantum ſit.

Sic dicit Dominus exercituum, Vſquequo veniant populi, & habitent in ciuitatibus multis, & vadant habitatores vnus ad alterum, dicentes, Eamus, & deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum exercituum, vadam etiam ego.

QVINTO Babylonienſium argumento quo reſtitutionis fides eleuabatur, quemadmodum reſpondeatur, ex oraculo Vates retulit, atque hoc in loco exponit. Fuerat autem argumentum inuidia illa, quam Iudæorum tum religio, tum natio ipſa apud omnes gentes alias maximam ſuſtinebat: ea enim, quoad extincta eſſet, ſatis expreſſum nondum perſolutarum illis pœnarum ſignum eſſe putabatur. Iudæorum namque in primis inſtitutum, quod vnius Dei cultu definiretur, ſuperſtitioſum eſſe olim & ſtultis gentibus atque etiam humanæ ſapientiæ profeſſoribus putabatur.

Iuuenal. Sat. 14.

Quidam ſortiti metuentem ſabbatha patrem,
Nil præter nubes & cæli numen adorant,
Nec diſtare putant humana carne ſuillam,
Qua pater abſtinuit: mox & præputia ponunt.
Romanas autem ſoliti contemnere leges
Iudaicum ediſcunt, & ſeruant, ac metuunt ius,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes.

Huiuſmodi de Iudæorum religione iudicia apud gentium ſcriptores alia extant. in ipſos autem Iudæos quanta fuerit inuidia, iam indicauimus. Huius autem vtriuſque rei exitum feliciſſimum ſecundi etiam templi ætate, hoc eſt, euangelij enuntiandi initio fore Vates præcinit; vt gentes, quæ Dei vnius Iudæis noti cultum improbauerant, mutata ſententia vehementer probent, ſtudioſeque ſuſcipiant, atque veræ pietatis religioniſque puriſſimam rationem docti ineant, eiuſque rei conſequendæ cauſa Iudæis ipſis adiungantur; atque hoc ita, vt prædictum fuerit, euenturum eſſe, nomine Dei exercituum in ſe recipientis confirmatur. [*Vſque veniant populi* Hebraicè, *vſque eò venient etiam populi & habitatores vrbium multarum.*] Eatenus, inquit Deus, hæc felicitas atq. reſtitutio pertinebit, vt non ſolùm Ieroſolymitanorum religionis inuidia extinguatur, ſed communi multorum conſilio & ſtudio probata & inita ratio vniuſque veri Dei notitia, cultus atque obſeruatio & ſapientiæ & ſalutis veræ petendæ cauſa publicè ſuſcipiatur. Communis autem multorum ſententia, propenſa voluntas ſtudiumque incenſum mutuæ exhortationis atque incitationis inductione oſtenditur. [*vnus ad alterum.*] Bonum manifeſtum exploratumque eſſe oportet, quod tanto ſtudio & conſiliorum communicatione expetatur. [*dicentes, Eamus, & deprecemur faciem Domini.*] Idem hac oratione quod Latinis gratiam quærere atque inire ſignificari iam docuimus: idque ad aliam impetrandam rem vt viam quandam muniri oſtendimus. Ea autem alia cauſa hîc ſtatim ſubiungitur. [*Et quæramus Dominum exercituum.*] Religionis veræ tum ratio plena, tum finis ipſe hac oratione continetur. Finis eſt veri Dei miſericordiſſimi & potentiſſimi propriæ ſalutis cauſa inuentio; cuius petendi initium fides (Accedentem enim ad Deum credere oportet, quòd ſit, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit) via autem eſt pœnitentia, in qua turpitudinis vitatio & honeſti expetitio ſtudiumque eſt. hanc viam quiſquis munierit, faciem Domini deprecari ſibi, idemque Dominum exercituum quærere dicetur, quem tandem inueniet. Atqui Apoſtolorum hiſtoriæ huiuſmodi exemplis plenæ ſunt. [*Vadam etiam ego.*] Inductio eſt colloquij eorum, qui communicatione conſiliorum ad veram pietatem atq. ad Chriſtianam religionẽ ſuſcipiendã ſeſe mutuo hortantur. namq. is qui verba aliis de ea re facit, ſuum etiam conſilium ſtudiumq. profitetur. oportet namque primum ad virtutem excitantis viri exemplum eſſe. Igitur ſacra religio & pietas cuiuſmodi tandem gentium iudicia habitura eſſet, hoc verſu pronuntiatur.

Actor.

Et venient populi multi & gentes robuſtæ ad quærendum Dominum exercituum in Ieruſalem, & deprecandam faciem Domini.

CHRISTIANÆ pietatis propagandæ ſeries & continuatio vtroque verſu indicata eſt. namque quorundam ſe mutuo excitantium iudicium & ſtudium ciuitates ipſæ, ciuitates populi frequentes; populos verò gentes fortes & regna ipſa ſecuta ſunt. Atque illud ad hũc aliaque ex diuinis libris loca explicanda mente cõprehenſum cogitatione percurrere operæpretium eſt, Iudaicæ religionis rationem à Chriſtiana non diſſentire, ſed tantùm diſtare modo, quantum à perfecta abſolutaque natura eadem res nondum perfecta diſtat. namque gentilium ſuperſtitionum genera omnia, & quæ pòſt excitatæ ſunt hæreticorum vel ſectariorum ſententiæ, cuiuſmodi Iſmaëlitarum inſtitutum eſt, ea vel quòd obſcuriſſimas & vanas atque ſtultas de Deo opiniones habeant, vel quòd de hominum ſalute, illiuſque pontifice & procuratore auctoreque Chriſto vel falſa vel minus digna pronuntient, omnino

cum

cum veritate ipſa pugnando, non minus, quàm à luce tenebræ abſunt, ſicut ſcriptum eſt:
Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt. At verò Iudæorum vera & ſincera antiquaque Rom. 14.
doctrina ſacris veteris inſtrumenti contenta libris noſtræ veritati tam proxima, quàm vmbra corpori, eſt, tamque conſentiens, quàm figura & imago rei illius, ad cuius exemplar ab
optimo artifice eſt depicta. Omnia enim in figura contingebant illis. ſcripta ſunt autē pro- 1. Cor. 10.
pter nos, in quos fines ſeculorum peruenerunt. “
Chriſtianus verus & ſimplex, Iudæus verus perfectuſque, hoc eſt, Dei laudator & cultor integer eſt, & qui diuinorum pro-
miſſorum virtutis compos eſt, is verè Iſraëlita, in quo dolus non ſit, appellatur. “
Huius tamen rei copioſam diſputationem aliàs, Deo annuente, ſuſcepturi, argumentum breue nunc pro commentarij ratione propoſuimus. Religio igitur & pietas, cuiuſmodi tandem gentium iudicium & ſtudium habitura eſſet, his verſibus pronuntiatum & confirmatum eſt: quales verò gentium animos & voluntates in ſe Iudæi ipſi, qui verè Deum cognoſcentes, purè ſanctéque colerent, experturi eſſenr, illo etiam declaratur.

Hæc dicit Dominus exercituum, In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi, dicentes, Ibimus vobiſcum: audiuimus enim quoniam Deus vobiſcum eſt.

Restitvtionem illam futuræ ſalutis præludium atque apparatum Vates ſemper interpretatus eſt: quam ſalutem tum demum abſoluendam exſpectari docet, cùm paucorum hominum Iudæorum generis ſecundum carnem, Chriſtianorum verò diſciplinæ ſecundum operam & doctrinam magna gentium ex omnibus linguis copia veram religionem ſtudioſè ſuſcipiet. Singulis autem Iudæis deni viri, qui veſtem apprehendant, aſcripti, magnam ſtipatorum manum arguunt; ſiquidem non plures quàm decem vnius hominis ductoris veſtem apprehendere poſſunt: poſſunt tamen apprehenſores illi ab aliis etiam ſibi adiunctis apprehendi. itaque hic certus numerus magni & incerti index eſt. [*Ibimus vobiſcum: audiuimus enim Deum vobiſcum eſſe.*] Antiquam & conſuetam viam, patrumque inſtituta, quanquam erroribus omnia plena; nunquam tamen homines deſerunt, niſi magnâ illi, ad quam vocantur, diſciplinæ excellentiam præſtantiamque rationum reliquarum ineſſe intellexerint: qualem in Chriſtiana diſciplina olim gentes cognouerunt; nō modò Dei notitiam, ſed virtutem etiam & efficientiam iis, qui ſuſciperent, communicantem. Quid verò illud ſit, *Deus vobiſcum,*] vel ex aliis noſtrorum commentariorum locis indicatum petere,
vel longiore tractatione exponendum exſpectare licet. Huius autem ſententiæ illa D. Pau- Rom. 1.
li prædicatio eſt: Non erubeſco euangelium: virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti “
Iudæo primum & Græco. Huius porrò vaticinij cùm multa exēpla producere poſſemus, “
illud ſatis eſſe explicandi cauſa duximus, quod D. Petrus, quamobrē à Cornelio vocatus Act. 10.
eſſet, editū agnouit. A nudiuſquarta die vſq. ad hanc horam, Cornelius inquit, orans eram “
hora nona in domo mea, & ecce vir ſtetit ante me in veſte cādida, & ait, Corneli, exaudita “
eſt oratio tua, & eleemoſynæ tuæ commemoratæ ſunt in cōſpectu Dei. mitte ergo in Iop- “
pen & accerſe Simonem, qui cognominatur Petrus. hic hoſpitatur in domo Simonis co- “
riarij iuxta mare. Confeſtim ergo miſi ad te, & tu bene feciſti veniendo. nunc ergo omnes “
nos in conſpectu tuo adſumus, audire omnia quæcunq. tibi præcepta ſunt à Domino, &c. “

CAPVT NONVM.

Onvs *verbi Domini in terra Hadrach, & Damaſci requiei eius: quia Domini eſt oculus hominis, & omnium tribuum Iſraël.*

Onvs *verbi Domini in terra Hadrach, & Damaſci, requiei, &c.*] Ex iis etiam rebus, quibus Babylonienſes in reſtitutionis huius dubitationem adducti fuerant, illa non parum momenti habebat, hominum videlicet reſtitutorum exiguus admodum numerus cum regionis magnitudine, vel cum antiqua Iſraëlitarum frequentia, vel cum vatum de reſtitutione prædictionibus comparatus, quando anguſtiſſima fore vrbs illa, tot ciuibus capiendis, dicta fuerit. atque ideò ruptis muris longiſſimè dilatanda eſſe à vatibus prædicetur. nunc verò cùm tantùm vel antiquæ multitudinis reliquiæ quædam, vel ſperatæ frequentiæ vix initia reſtituti illi videri poſſent, niſi per vatem etiam eximeretur, hîc non exiguus ſcrupulus reſidebat: quem tamen Zacharias diuino reſponſo prorſus euellit, eam Ieroſolymitanorum ciuium, eam Iſraëlitarum hominum frequentiam fore confirmans, vt antiquis regionis finibus non contentam ad vicinas & finitimas vrbes dila-

vitio & culpa peruenerant. quam rem Latini hominum plurali nomine explicant: tamen
cùm certorum Dei promiſſorum & pietatis veræ, atque purioris cuiuſdam diuinarum re-
rum notitiæ ratio habetur, Iſraëlis nomen propriè appellatur, ad quem huiuſmodi myſte-
ria tenendi atque enuntiandi ſingulari beneficio primæ delatæ ſunt, ſicut ſcriptum eſt: No- “
ras fecit vias ſuas Moyſi, filiis Iſraël voluntates ſuas, &c. Ceteri verò mortales Adam dicun- “
tur, ad quos tamen ſalutis rationem, quãquam ſcelerum vitio obſcuratam & perturbatam,
pertinere nomen ipſum Adam, cui reſtitutionis promiſſum factum fuerat, docet. Igitur
non Iſraëlitarum modò tribus, quibus retentiora promiſſa apertioraque ſunt, ſed aliorum
hominum nationes, euangelij nuntio audito, ſuaue illud ac leue veræ pietatis iugum ſubi-
turas eſſe Vates præcinit: his enim quamuis minus aperta explorataque ſalutis tunc eſſet;
non tamen minus propria ſpes eſſe debuit: quæ olim Adæ horum parenti primo non
minus certa, quàm poſtea Iſraëli Iſraëliſque tribubus & familiis facta eſt. nam ſi Ia-
cob dictum fuit, Non vocaberis vltrà Iacob, ſed Iſraël erit nomen tuum: & appellauit eum Gen. 35.
Dominus Iſraël, dixitque ei: Ego Dominus omnipotens, creſce & multiplicare: gentes & “
populi nationum ex te erunt: reges de lumbis tuis egredientur, &c. Adam quoque ſimili- “
ter illud in ſua poſteritatiſque ſuæ cauſa audiuit aduerſus antiquum ſerpentem pronun- “
ciari: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſum conte- Gen. 3.
ret caput tuum, &c. Ex quo factum eſt, vt Adam propriam filiorum ſalutem à Deo pro- “
miſſam exſpectari ſibi non vno loco profiteretur: Poſuit, inquit, mihi Deus ſemẽ aliud pro “
Abel, quem occidit Cain. Hanc itaque ſpem atque adeò attentam Adæ & Iſraëlitarum Gen. 4.
communis à Deoque promiſſæ ſalutis exſpectationem illa oratione ſignificauit Vates: “
Quia Dominus eſt oculus hominis, &c.] Sunt enim *oculi* præter aliorum ſenſuum inſtrumenta, de-
ſiderij, ſpei, exſpectationiſque indices non obſcuri, vt illud apud noſtros: Oculi mei ſem- Pſalm. 24.
per ad Dominum: quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos. & apud exteros:

Curuo nec faciem litore dimouet. Horat. lib. 4, Od. 5.

Atque huius deſiderij exſpectationiſque euentum certum fore, propoſitione diuiſioneque
iam conſtituta, prædixerat. deinde & generis in varias formas partitione confirmat.

Emath quoque in terminis eius, & Tyrus, & Sidon: aſſumpſerunt quippe ſibi ſapientiam valde. Hebraicè,
Etiam Emath terminabitur in illa: Tyrus & Sidon, quòd ſapientiam valde.

ILLVD ſignificat oratio, nullam humanam potentiam, ſapientiam, calliditatem, nul-
lam denique opum vim tantam fore, quæ euangelij virtuti & auctoritati obſiſtere valeat.
Meminit autem *Emath*, quod in Syria regione potentiſſima celeberrimaque fuerat. quam-
obrem Emath magna ab Amos eſt cognominata. deinde Tyri & Sidonis antiquiſſimarum Amos 6.
& munitiſſimarum Phœniciæ vrbium, communiſq́. totius orbis terræ emporij, ad ſe con- “
ſeruandum proſpicientiæ atque opum comparatarũ magnitudine nulla alia in orbe vrbs
cõparari potuit, cùm & ſitus natura & operum ſtructura ad defenſionẽ & propugnatio-
nem, tum congeſti auri & argenti maxima vis fuiſſe dicitur. atque hæc humanæ ad ſtabi-
liendas res prouidentiæ ratio ſummæ ſapientiæ vulgo prædicari; Deo autem ſtultitiæ no-
mine notari ſolet: etiam, inquit, Ieroſolymitanæ illius futuræ ciuitatis terminus Emath
cognomento magnam, attinget, imò continebit: neque proprerea Tyrus & Sidon impe-
rium effugient, quòd ſibi in ſitu orbis deligendo & opere ædificando opibus ac diuitiis ad
quamcunque grauem rem agendam ferendamque comparatis ſingularem ſibi præ aliis ci-
uitatibus ſapientiam arrogent. [*Quòd ſapientiam valde.*] In agendarum & ſtabiliendarum
rerum proſpicientia, ſapientia & ſapere verbum eleganter vſurpatur. cuius illud commo-
diſſimum exemplum eſt: Ecce populus Iſraël multus & fortior nobis eſt, venite ſapienter Exod. 1.
opprimamus eum, &c. Hebraicè eſt, venite & ſapientes fiamus aduerſus eum. Huiuſmodi “
autem ſapientiæ laudem pro ſua vendicare cogitabat Tyri Sidoniſque ciuitas locorum
natura opereque munitiſſimorum, maximarum etiam pecuniarum publicè priuateque
comparata facultate.

*Et ædificauit Tyrus munitionem ſuam, & coacernauit argentum quaſi humum, & aurum vt lutum
platearum.*

QVANTÆ olim Tyri & Sidonis diuitiæ, quantæque opes fuerint, Ieremias, Ezechiel
aliique Vates apertè indicant. à quibus loci ſitus, munitio, molesq́. deſcribitur, quibus gens
illa religionis vel ſuperſtitionis reipublicæque ſuæ ſtatũ retinere tuerique cogitabat: quem
tamen antequam euangelium orbi denuntiaretur, amiſit, ſemel à Nabuchodonoſore ante
Zachariæ Vatis tempora, iterumque ab Alexandro certis pòſt annis capta & diruta, ita vt
non modò euangelio annuntiando, verbique Dei atque Chriſtiani nominis gloriæ ampli-
ficandæ obſiſtere non potuit, ſed ſuo caſu cæteris etiam vicinis vrbibus, quamuis magnis,
ad diuinorum dictorum exſpectandos exitus exemplo fuit grauiſſimo. [*Et coacernauit argen-
tum*

tum vt puluerem.] Variis & multiplicibus atque frequentibus mercatorum omnium negotiationibus aurum argentumque ſibi comparauerat Tyrus, quò omnes vndiq. cum mercibus atque oneribus commeare ſolere auctor eſt Ieremias. Aſportabatur autẽ ex Hiſpania maxima argenti copia Carthaginem in Africam, inde verò ad Tyrũ Carthaginenſium matrem mercium cauſa vehebatur; aurum verò ab vſque orientali India & terra omni Hauila, atque ab aliis pluribus, vbicunque effoderetur locis, eò conferri ſolitum apud vates legimus. At verò tantam conſiliorum, rerum atque opum molem Tyrum ab euangelici imperij virtute defendere non poſſe ait, quam ante euangelij tempus expugnatam & dirutam diuinæ potentiæ & ſapientiæ magnitudinem agnoſcere & confiteri neceſſe ſit.

Ecce Dominus poßidebit eam, & percutiet in mari fortitudinem eius, & hæc igni deuorabitur.

DVOS diuerſo tempore exſpectandos Tyri exitus vaticinium hoc continet; prior ad euangelij ætatem; poſterior ad futura paulo pòſt ſub Alexandro tempora ſpectat: atq. prioris poſterius ſignum futurum eſſe dicitur. namque gentem ipſam Tyriam ſub Christiani nominis ditionem ſubiugandam tandem eſſe prædicit Vates: ante tamen, quàm hoc eueniat, vrbem incendio dirutioneque vaſtandam eſſe ait. Quæ res ab Ezechiele etiam prædicta, per Alexandrum Macedonem geſta, à Ioſepho Hebræo, Q. Curtio, Plutarcho, aliisq. ſcriptoribus narratur. [*Et Dominus poßidebit eam.*] Ciuitatem ipſam tandem ſibi vendicaturus
Iſai. 23. eſt Dominus; de vrbe verò, quæ muros & ædificia continet, ſubiungit, *Percutiet in mari fortitu-*
Plin. lib. 9. *dinem eius.*] Ad ſitus indicationem alludit oratio. namque Tyrus maritimum oppidũ nunc,
cap. 9. inſula quondam fuit ſeptingentis paſſibus à continenti diuiſa, mari præalto, vt ex Ioſue, Ie-
Ioſu. 19. remiæ & Ezechielis obſeruauimus lectione: ſed Alexandri oppugnantis operibus conti-
Gell. lib. nenti coniuncta eſt, olim portu clariſſi. vrbibus genitis Lepti, Vtica & Carthagine, Gadibuſque in Oceano conditis olim Sarrani nuncupatam Gellius teſtatur: quod nomen Hebræo planè conuenit, SZOR: eius autem vrbis exciſæ populum, Carthaginem, Vticam & Leptin, atque adeò Gades in colonias migraſſe vero ſimillimũ eſt. Sunt qui Venetos originem hinc habere tradant: quos omnes tandẽ Christianæ pietatis cultores extitiſſe, manifeſtum eſt. Atq. vrbem ipſam expugnatam exciſamq. iuxta Vatum oracula fuiſſe; illius verò populum Chriſti miraculis cognitis doctrinam non difficulter ſuſcepturum eſſe Chriſtus
Matth. 11. apud Matthæum docebat. huius autem vrbis prædicti excidij euentũ, magno vicinis vrbibus diuinarum de ipſis prædictionum veritatis & exſpectationis exemplo fore Vates ait.

Et videbit Aſcalon & timebit: & Gaza, & dolebit nimis: & Accaron, quoniam confuſa eſt ſpes eius: & peribit rex de Gaza, & Aſcalon non habitabitur,

OMNES hæ ciuitates, quæ quondam Iſraëlitis religionis æmulatione & inuidia infenſiſſimæ fuerant, victæ tandem & exciſæ diuino conſilio perituræ eſſe dicuntur; eædem verò atque Tyri Sidoniſque caſu ſibi vt prædictæ etiam calamitates accidant, magno metu ex-
Ioſu. 13. ſpectare cogentur, tandemque ſuarum rerum occaſum expertæ lugebunt. Aſcalon autem
Ierem. 25. vt antiquiſſima, ita prima in Palæſtinæ vrbibus cenſetur à Ieroſolymis ſeptingentis & vi-
Amos 4. ginti ſtadiis diſtans, quæ Iſraëlitis olim à Samſonis ætate non leue negotiũ faciebat. Hanc
Iudic. 14. ſuperiori Idumææ Hebræi ſcriptores cum Ioſepho aſſcribunt. regiam etiam vrbem fuiſſe
Hebræi au- Aſcalonitarum regum cognomentum indicat. Gaza etiam regia & opulentiſſima Palæſti-
ctores in tra- næ vrbs atque regionis à meridie terminus auctore Moſe: de qua plura in Amoſi cõmen-
ctatu de vo- tariis diximus. Tertia verò Accaron inſignis regionis illius ciuitas fuit: quam ingenti tum
lumine. dolore, tum metu & Tyri caſu afficiendam quoque Vates ait, quòd harum omniũ vrbium
Ioſeph. lib. 5. res in Tyri præſidio latere putarentur, quæ prima in illis prouinciis & celeberrima fuerat,
cap. 3. cæteriſque vrbibus, & ob magnitudinis opumque præſtantiam, & ob generis affinitatem, vt
Gen. 10. princeps obſeruata, ſicut ſcriptum eſt: Chanaan autẽ genuit Sidônem primogenitũ ſuum,
Gen. 10. „ & Hethæum, &c. Factique ſunt termini Chanaan venientibus à Sidône Geraram vſque ad Gazam, &c. Hanc vrbem tunc regiam fuiſſe Vates indicat, cuius regem periturum eſſe ait; Aſcalonem prorſus deſertam incultamque fore; reliquas verò vrbes aduenis & peregrinis tenendas eſſe, ita vt illa antiquitatis & conſeruati generis gloria, quam Palæſtini ſibi alere tenereque viſi ſunt, abiicere tandem cogantur.

Et ſedebit ſeparator in Azoto: & diſperdam ſuperbiam Palæſtinorum.

Separator, Hebraicum nomen MAMZER, idem, quod Latinum, *ſpurius*, ſignificat: cuius quamuis certa mater, nullus certus ex lege pater indicari queat. Ex verborum autem, vnde deducitur, vi ſeparatum confuſum alienatumque ſignificat. cuiuſmodi confuſo ac promiſcuo populo *Azotum* habitandam fore Vates ait, ita vt illa tandem Palæſtinorum generis & ſplendoris arrogantia (quo morbo plurimi homines laborant) fundamento, quo innitebatur,

tur,euerſo corruat.deinde verò vanum illum & ſuperſtitioſum Deorum cultum, omnem ſacrificiorum & epularum ritum,qui in falſorum numinum gratiam ſeruabatur, euangelij virtute abolendum prorſus eſſe Vates canit.

Et auferam ſanguinem eius de ore eius, & abominationes eius de medio dentium eius: & relinquetur etiam ipſe Deo noſtro.

INTER fœdos ritus & mores,ſanguinis eſus numeratur,gentibus olim ex præceptis filiorum Noë prohibitus;qui tamen ad ſuæ ſuperſtitionis cultũ cũ aliis turpibus rebus additus fuit:quē ſuperſtitionis magis tollendæ,quàm rei ipſius damnandæ cauſa in Ieroſolymitano concilio vetuerunt Apoſtoli. Bibebant autem ſanguinem cum lacte aut vino aliiſue rebus in ſacrificiis;qui ritus libatio dicebatur : carnes verò ipſas hoſtiarum comedentes Deorum epulas appellabant. Atque huius loci explicationem ſatis illuſtrem Chaldaica paraphraſi vertenda afferre nobis videmur: *Et conſummabo comedentes ſanguinem, & abominationem ex (iis,qui ſunt) inter illos, & addetur exercitus illorum & aduena eorum, qui reliqui erunt in eis: addentur etiam ipſi ad populum Dei noſtri.*] Hæc Chaldaicè. [*Relinquetur etiam ipſe Deo noſtro.*] Palæſtinorum reliquiæ, vt aliarum etiam gentium, ad Dei noſtri cultum ſeſe conuertent; neque ſuam factionem de cætero fouere & retinere defendereque ſtudentes regem ſibi,rempublicam , religioniſque ſeparatæ formam habebunt,ſed ad vnam eandemque eccleſiam, vt membrum aliquod ad corpus referentur. Hoc eſt quod ſubiungitur:

Et erit quaſi dux in Iuda, & Accaron quaſi Iebuſæus. Chaldaicè ſic:

Et erunt vt principes domus Iuda, & Accaron impletitur domus recta in Ieruſalem. Non regis cuiuſpiam aut regni partes aget Palęſtinus populus,maximè Gazenſis, qui hactenus regis dignitatem obtinuerat,ſed ducis cuiuſdam,hoc eſt, vniuerſalis eccleſiæ partis,communi cum aliis conſilio, ſtudio, ſimili more; atque in Iudaica republica princeps quidam & dux millenarius, qui rex non ſit,cenſeri ſolet: Accaronis autem populus in ciuitatis ſocietate communioneque manens, magno ſeſe beneficio affectum agnoſcet; perinde vt Iebuſæus olim Ieroſolymis cum Iuda & Beniamin cōſeruatus:quæ res olim furororũ ſeculorum imaginem quandam expreſſerat. Summa verò atque perpetua pax pio populo diuinitus gignenda confirmandaq́. nuntiatur,ab omni non modò belli metu,ſed exactionis tributorũ cōditione aliena, quæ diuinæ tutelæ præſidio confirmanda ſit.

Et circundabo domum meam ex his, qui militant mihi euntes & reuertentes, & non tranſibit ſuper eos vltrà exactor: quia nunc vidi in oculis meis.

OPTIMI principis prouidentiſſimique patriæ patris nomen ac munus præſtiturum ſeſe profitetur Deus: cuius illa perpetua atque conſtans cura ſit , nequid detrimenti foris damniue reſpublica accipiat. Eam verò felicitatem non modò bellorum depulſione, ſed vectigalium & tributorum conferendorum fine allato conſtat. ſatis bene reipublicæ princeps conſulit,qui neceſſarij belli moleſtias & miſerias tributi conditionibus non nimium iniquis lenit,ſed optimè atque ſaluberrimè proſpicit: qui populum non à bellis modò, ſed à tributis omnibus vindicat. Talem ſeſe principem patremque præbiturum Deus pollicitus eſt,qui deuictis & pacatis hoſtibus omnibus,pace vbique parta,tranquillitatem & ſecuritatem omnis metus omniſque damni expertem populo ſuo præſtaret: quem maioris familiaritatis cauſa domum ſuam vocat,patrem ſeſe ex relatiuorum ratione profeſſus. Illud autem arcanæ huius loci ſententiæ argumentum eſt. Hominum vita perpetuis bellis tum à diabolo acerrimo hoſte, tum à propriis vitiis infeſtatur; deinde & acerbiſſimis tributorum exactionibus à propria concupiſcentia,quæ peccati regnum ac potius tyrannis eſt,vexatur ac perturbatur adeò, vt, niſi diuinam imploret expoſcatque miſericordiam , infelix profectò lamentari debeat,ſicut ſcriptum eſt: Infelix ego homo,quis me liberabit à corpore mortis huius? Huiuſmodi peſtiferum calamitoſumque bellum ſtudio,diligentia,cura ac labore multo attenuatum fortaſſe atque imminutum antiqua hominum ætas experiri potuit;at verò (ſicut in promiſſis erat) efficaciſſima Dei virtute ſuperatum deſiderauit quidem atque popoſcit,nunquam tamen experta eſt, donec Chriſti efficacitate, gratia atque opera, victis hoſtibus , propulſatum tandē, ſumma illa pace & tranquillitate mutatum eſt, & ab Angelis decantata in terra pax hominibus , ſpiritu ſancto in apoſtolos & diſcipulos miſſo : qui ex antiqua illa ſeruitute per filium liberati verè liberi euadentes in domo non vt ſerui , ſed vt filij in æternum manſerunt , hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Atque huiuſmodi in eccleſia , eccleſiæque ſanctiſſimis membris (quales apoſtoli diſcipulique illi fuerunt) veræ & abſolutæ libertatis exemplum , antiquorum tempo-

Rom. 8.

1. Ioan. 7.

temporum ſancti vates,reges & patriarchæ,longo interuallo præſcientes, & ſibi optabant, & ætati noſtræ aureæ noui teſtamenti edendum ſumma cum gratulatione prædicebant.
Iſai.9. „ Lætabuntur & exultabunt coram te,ſicut qui lætantur in meſſe multa:ſicut exultant victo-
„ res capta præda,quando diuidunt ſpolia. Iugum enim oneris eius,& virgam humeri eius,& ſceptrum exactoris eius ſuperaſti, ſicut in die Madian. Huius exempli exſpectationē verè
Matth.11. piis atque probatis diſcipulis cultoribusque ſuis Chriſtus ipſe dabat. Venite,inquit, ad me omnes,qui laboratis & onerati eſtis,& ego reficiam vos:tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me,quia mitis ſum & humilis corde:& inuenietis requiē animabus veſtris. Hanc verò ſalutis,pacis,& tranquillitatis rationem non imputatione aut cogitatione aſcriptioneque,ſed re ipſa, atque certa diuinaque virtute definiendam eſſe, innumerabilibus diuinorum librorum teſtimoniis accepimus:cuius quòd tempeſtate noſtra rarius exemplum conſtet,obſcura & difficilis explicatio habetur, atque ab aliis, qui meliores in religione partes tuentur, nondum pro dignitate rei expoſita, ab aliis ad imputationis antiquæ ſimilitudinem reuocata tractatur. ſed hi tamen poſteriores tā longè à veritate & virtute Chriſti abſunt, quantum à noui teſtamenti & legis perfectione veteris legis, quæ nihil ad perfectum
Rom.7. adduxit,infirmitas aberat. Chriſtus enim non reputat homines iuſtos, ſed verè iuſtificat in
Rom.8. „ ſanctitate,iuſtitia & veritate:ita vt nihil damnationis ſit iis, qui verè in Chriſto ſunt, qui
„ non ſecundum carnem ambulant. Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto liberauit me,ait Pau-
„ lus,à lege peccati & mortis.nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per car-
„ nem. Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit
„ peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus,&c. Verùm enimuero longior & plenior de hoc ſummo & conſtanti Dei erga eccleſiam ſuam beneficio exſpectāda nobis diſputatio eſt,in qua veritas hæc ſubtilius etiam limata magnum piis hominibus ad ſalutem propriam ſtudioſius etiam petendā momentum afferat,nullumque vel dubitationi, vel errori relinquat locum. Quod vt fiat, contento ſtudio aſſiduisq. precationibus,ex Deo omnis ſapientiæ & copioſiſſimo,& puriſſimo fonte peti impetrarique oportuerit: qui ſe ſuæ domus propugnatorem atq. defenſorem fore apud hunc Vatem pollicetur. Sed quoniam promiſſionis Latinè lectæ ſententia obſcurior paulo,ob linguæ inopiam,eſt,ad verbum ex Hebræo reddita & explicatis verbis dilucidior fiet. [*Et caſtrametabor domui meæ à militia,à tranſeunte,& à redeunte: & non tranſibit ſuper eos vltrà exactor.*] Seſe populo ſuo propugnaculum & præſidium tutiſſimum fore ait, ita vt militiæ & belli moleſtiis liberato in ſumma pace & tranquillitate agere liceat,nullis denique nouarum rerum nuntiis,nullis belli denuntiatoribus perturbādo,nulla exactoris importunitate vexando. omnis autem huius efficiendæ rei ratio diuina planè fore primo verbo indicatur. [*Caſtrametabor.*] Hebraica vox HHANITHI, ad *ſuos* fontes reuocata ſtationem, caſtrametationem,manſionem, miſericordiam, donum gratiamque ſignificat. Quibus obſeruationibus illud efficitur, vt hanc propugnationem ac defenſionem Dei in eccleſia manentis miſericordiæ dono & gratia definire oporteat. nam neque tanta res præſtari humanis viribus potuit, neque vt à Deo præſtita fuerit, vlla hominum virtute, ſed diuina miſericordia & gratia effectum eſt: Deum enim familiarem tutorem, defenſorem, atque adeò patrem ſibi
„ promereri quis mortalium potuit,niſi ſeſe vltro ipſe pollicitus præbuiſſet, ſicut ſcriptū eſt:
„ Apparuit benignitas & humanitas ſaluatoris noſtri Dei;non ex operibus iuſtitiæ, quæ fe-
„ cimus nos,ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit per lauacrum regeneratio-
„ nis & renouationis ſpiritus ſancti:quem effudit ſuper nos per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum,vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundū ſpem vitæ æternæ. Huius verò tanti tamque admirandi beneficij hominibus conferendi auctorem & miniſtrum futurum Ieroſolymæ ciuitati certis cognoſcendum notis indicaturus Vates,ſibi ipſi ſpectandum in viſione illa oſtenſum affirmat. id quod exclamatione pronuntiat primùm, deinde præconio gratulationeque magna exſpectationis mouendæ cauſa proſequitur. [*Quia nunc vidi in oculis meis.*] Hemiſtichium hoc admirantis Vatis orationem continet,in qua eius,quæ ſubiungitur, adhortationis atque indicationis certum teſtimonium eſt: ait enim ſeſe oculis propriis mentis eam exſpectandi ſeruatoris pompam maximis notis illuſtrem, quam deſcribendo indicare parat, vidiſſe atque obſeruaſſe: ſeque eius rei præconem præbet ſtudioſiſſimum.

Exulta ſatis filia Sion,iubila filia Ieruſalem: ecce rex tuus veniet tibi iuſtus, & ſaluator: ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinum, & ſuper pullum filium aſinæ.

OPTATISSIMUM atque iucundiſſimum nuntium afferre ſe docet Vates iis,quos vel audiendo ſolùm lætari & exultare iubet, ob maximæ & feliciſſimæ rei exſpectationem:

quæ ſperandæ ſalutis vltimum atque certiſſimum argumentum fuerat. hactenus enim cæteris Babyloniensium aliorumque exulum Iudæorum argumentis abundè ſatisfaciens Vates, illam Ieroſolymitanam reſtitutionem certam eſſe confirmauerat, quæque conſecutura eſſet felicitas, oſtenderat. Huius verò tanti diuini beneficij miniſtrum & auctorem ab aliis vatibus prædictum, atque genti ipſi deſiderandum nondum indicauerat, quem regem ex Dauidis familia optimum & fortiſſimum fore, publicè decantatum fuerat. Huius igitur magni regis certam exſpectationem illi, templi ſecundi ſeculis propriam eſſe, aduentum etiam certis inſignibus & notis obſeruandum commonſtrat: virtutem autem atq. efficientiam illuſtribus adiunctis indicat, *Iuſtus, & Saluator.*] Conſtat autem oratio omnis deſcriptionibus & notis: namque ad definitiuum ſtatum pertinet, atque iudicandi partem eam ſpectat, quæ rerum naturam, quæ qualis quæque ſit, tractandam ſibi vendicat. cuius multa in ſacris libris, maximè autem in Prouerbiis exempla ſunt: ſed ad rei magnitudinem tum indicandam, tum confirmandam atque commendandam ſermo exhortationibus, expolitionibus, amplificationibus, exclamationibus, aliiſq. opportunis figurarum generibus exornatur, in quibus illa vox, *Ecce*, certam in primis admirandamq. rem, & præter communem modum conſuetudinemq. exſpectandam indicat: vt, Ecce virgo cócipiet & pariet filium. Ecce pono in Sion lapidem, &c. Appellantur autem Sionis & Ieruſalem nomina, quòd ſermo fiat de rege exſpectando ex familia Dauid, cuius propria domus regio cognomento illuſtris Sion, regni autem ciuitas Ieruſalem fuerat. Vtriuſque verò rei inſtar rex hic, quem indicare parat, habiturus erat, vt genus à Sionis Dauidisque familia duceret, & regni ſedem in Ieruſalem non tam terreſtri illa & anguſta, quàm illius filia atque omnis felicitatis & dignitatis hærede collocaret. neque enim myſterio caret, quòd non Sion & Ieruſalem, ſed Sionis Ieruſalemque filia appellata ſit; neque aliam Sion & Ieruſalem filiam, quàm catholicam Chriſti eccleſiam cognoſcimus, quæ Synagogæ matris iam olim ſepultæ pietatis & diuinorum beneficiorum accipiendi facultatis hæres vnica eſt. Huic autem rex ſuus venturus nuntiatur, non alienigena, nôn hoſtis, cui vi vel dolo, ſed proprius & legitimus atque vnicus, cui diuino iure regnum deferendum ſit: is denique rex, quem ſuum agnoſcere illa ſolùm debeat. neque verò ſua ipſius filiæ Ieruſalem opera & ſuffragio conſtitutus, neq. euocatus aut reſtitutus, neque ſuarum opum & facultatum impenſis inſtructus, neque magnis ſumptibus inductis excipiendus, ſed à Deo vnctus & conſtitutus vltrò ipſe, omnibus, quæ diuinum regem deceant, virtutibus inſtructiſſimus, populoque ſuo in primis feliciſſimus & vtiliſſimus venturus eſſe dicitur. [*veniet tibi.*] Tantum namque regem, niſi vltrò venientem experireris, optare quidem tibi deſiderareque poteras, conſtituere verò atque adducere nullis humanis artibus aut opibus valebas. atque adeò hac orationis figura diuinitus mittendum eſſe regem illum ſignificauit. quibus verò ad rem gerendam, quantiſq. virtutibus inſtructum experiri liceat, ex efficientiæ notationibus docemur. [*Iuſtus & ſaluator.*] Duas cum primis optimi principis artes proprias duplexque ſtudium conſtare oportet; alterum in iis, quibus præeſt, regendis, gubernandis; alterum verò iiſdem ab omni externa iniuria atque incommoditate defendendis declaratur. nam publicarum rerum ſalus vtraque hac parte petitur: pernicies verò & interitus vtriuſuis defectu affertur. Prior autem & antiquior gubernandi & regendi populi ratio principi bono eſt. namque & huius proprius perpetuusque eſſe debet vſus; illius verò alterius, hoc eſt defendendi & ſeruandi tantùm in afflictis rebus opportunus eſt; cùm videlicet populus malum ex hoſte vel ſuſtinet, vel metuit. maxima autem ad vtramque rem virtute præditum regem hunc deſcribit Vates; Iuſtum, qui diuina illa ſua iuſtitia cultores ſuos iuſtificare atque ſanctiſſimis moribus & legibus in cordibus inſcriptis gubernare & regere poſſit; Saluatorem verò, qui de infernæ ſeruitutis iugo & poteſtate tenebrarum liberatos defendat & tueatur. ſed iuſtitiæ cognomentum ſeruatori præpoſitum eſt ob eam, quam annotauimus, rem, & quòd ipſe rex iuſtitiȩ ſuæ exemplum perpetuum prius quàm fortitudinis etiam editurus erat. namque ſe iuſtum omni vitæ actione, omni gerenda re præbuit; victorem verò fortiſſimum & potentiſſimum in illo cum morte atque diabolo conflictu, & in illo clariſſimo reſurrectionis triumpho exhibuit. Hoc autem fuerat eius colloquij argumentum, quod cum illo à Moſe & Helia factum grauiſſimi teſtes obſeruarunt. De exceſſu, inquit, quem completurus erat in Ieruſalem: quem exceſſum D. Lucas ἔξοδον, hoc eſt, expeditionem vocat. Antea enim quis ſcire poſſet aut regis huius fortitudinem noſcere; cùm primùm ſpectandus excipiendusque hominibus oblatus eſt: tanta humilitatis & lenitatis, manſuetudinis paupertatiſque ſpecie, vt quanquam talem à vatibus deſcriptum & indicatũ, non tamen diſcipuli ſui vaticinio planè conferre agnoſcereque valuerint? Quis enim humanæ potentiæ & facultatis atque amplitudinis rationibus aſſuetus, quibus maximæ res obiri, geri atque conſeruari creduntur,

Iſa. 6. 18. « Luc. 6.

tanta de homine paupere, humillimo & leniſſimo cogitare potuiſſet, niſi diuino oraculo
fuiſſet admonitus? [*Et ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinum, & ſuper pullum filium aſinæ. Et ipſe.*] no-
tationem & aſſeuerationem habet hæc indicatio, quòd cum promiſſis & deſcriptis virtuti-
bus hæc etiam conſentiant, quæ diſſentire humana ſapientia putat. Illud enim vehementer
pugnare videtur, Iuſtum & ſaluatorem eſſe, & pauperem & humillimum, ab omni faſtu &
ambitione alienum. At verò ipſe idem, qui iuſtus & ſeruator à Vate dictus eſt, pauper, He-
braicè GHANI, pauperem humilemque ſignificat. Propoſitam verò rem ex hoc loco, qui
à deſtinatis dicitur, confirmat Vates, hoc eſt, ex apparatu & pompa, qua ſeſe ſuis excipien-
dum exhibiturus erat. [*Super aſinum.*] quod animal vt ſemper bello & pugnis ineptum, ſic
etiam illis temporibus principibus & ſummis viris ad vehendum etiam ignobile & hu-
millimum haberetur, tantoque magis, quanto viribus & robore minus valeret: nam inſide-
re aſino, ignobile & humile putatur, pullo autem aſinæ infirmiori etiam, multo humilius
& ignauius ducitur. [*Pullum filium aſinæ,*] qui propter ætatis infirmitatem nondum matrem
ſequi deſierit: ſic vitulus filius vaccæ Hebraicè eadem ſignificatione dicitur. atque hoc fa-
ſtu, hac pompa Chriſtum regem Ieroſolymam ingreſſum euangeliſtæ teſtantur, non qui
equo vectus ferocem metuendumque, ſed qui aſello ſiue pullo inſidens cæteræ turbæ emi-
nentior conſpicuum agnoſcendumque ſeſe exhiberet: ſuamque agendæ gerendæque rei
rationem non humanis modis, ſed diuinis arcaniſque virtutibus definiendam eſſe, vel ipſo
ſpectaculo doceret, magnam paupertiem, magnam humanarum opum contemptionem &
deſpicientiam profeſſus, ſuiſque vtilem, nulla verò re grauem difficilemque oſtendens ne-
que verò mirandum Iudæis illo ſeculo corruptis moribus & regni regiſque rationem hu-
manæ amplitudinis modo definientibus hoc ſpectaculo atque certo vaticinij ſigno Chri-
ſtum regem ſuum prorſus agnitum, acceptum non fuiſſe, quando neque à diſcipulis pro-
Ioan. 12. priis ante illius glorificationem huius ſigni certa ratio perſpecta fuerit, ſicut ſcriptum eſt:
„ Hæc non cognouerunt diſcipuli eius primùm; ſed quando glorificatus eſt Ieſus, tunc re-
„ cordati ſunt, quia hæc erant ſcripta de eo: & hæc fecerunt ei, tunc, inquit, cùm pugnæ, victo-
riæ, prædæ, triumphi, regni denique adminiſtrandi ratio omnis, cum illa humilitate & pau-
pertate maximè conueniens, aperta illis fuit: quæ tamen propter ſeculi & morum vitium,
& diuinæ virtutis ignorationem Chriſtianis etiam principibus non minus fortaſſe ad imi-
tandum obſcuro exemplo eſt, quàm Iudæis olim ad credendum fuerat. In cauſa eſt, quòd
nullam magnam & præclaram, aut cum hoſtibus, aut cum ciuibus ſine magnis pecuniis,
opibus, & ſine maximo hominum, equorum curruumque ſtrepitu geri poſſe communis
hominum ſententia ſit: cùm tamen contra maximas, maximeque admirandas res non his
humanis impedimentis, ſed diuino conſilio, virtute atque efficientia conſtare, & maximo-
rum olim virorum exempla docuerint, & rex hic, de quo ſermo eſt, inuiſibilibus & viſibi-
libus hoſtibus deuictis, & pace vbique parta confirmaturus eſſe prædictus fuerit, tandem-
que re præclariſſimè geſta confirmauerit.

Et diſperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ieruſalem, & diſſipabitur arcus belli.

VTRIVSQVE populi Iſraëlitarum & Iudæorum olim diſſidentium animi ad pacem
per Chriſtum conuertendi eſſe prædicuntur: cuius rei argumentum à deſtinatis colligitur.
namque apparatus bellici omnis armorumque ſublatio bellorum finem paciſque vſum in-
„ dicat: vt illud, Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lances ſuas in falces, &c. Res au-
tem ipſa, ex qua tranſlatio ſumitur, aptiſſimè deſcripta eſt. namque Ephraim, quòd ſpatio-
ſa & campeſtria magis loca teneret, curribus vti cômodius poterat. Ieroſolyma verò, quòd
4. Reg. 9. montoſo & aſperiori ſolo ſita eſſet, equis tantùm vtebatur. atque ita in Iſraëlitarum regum
„ hiſtoriis frequens curruum mentio eſt: vt, Tolle currum, & mitte in occurſum eorum, &c.
„ Sunt autem vtræque res, & currus & equi, ad gerenda bella iudicio hominum com-
„ mendatiſſimæ. Hi in curribus & in equis, nos autem in nomine Domini ſperabimus.
Arcus etiam, qui illis temporibus in miſſili armorũ genere præſtabat, pro omnibus telis ar-
miſque ponitur. arcus belli à venationis arcu non re fortaſſe, ſed vſu diſtinguitur. venari
feras non belli, ſed pacis exercitatio eſt: qua & corporis valetudini, ſi quis opportunè fuerit
vſus, conſulitur. Cauſam autem, quamobrem arma huius regis virtute atque præcepto abii-
cienda ſint, Vates exponit, quòd publicæ pacis auctor & conciliator non ſolùm illis duo-
bus olim diſſidentibus regnis, ſed omnibus etiam aliis, quamuis inimicis, gentibus & natio-
nibus futurus ille ſit.

Et loquetur pacem gentibus, & poteſtas eius erit à mari vſque ad mare, & à fluminibus vſque ad fines terræ.

NON bello indicendo, ſed vera, pia, æternaque animorum pace nuntianda, hoc eſt,
euangelio

euangelio(quod diuinæ ſalutis nuntium eſt)prædicando omnes orbis nationes ſub Chriſtiani nominis imperium ditionemque ſubiugandas Vates hic cum ſacro Pſalmorum auctore concinuit:Et dominabitur à mari vſque ad mare,& à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.Cuiuſmodi verò Chriſti futura dominatio eſſet,nimirum iuſtiſſima, innocentiſſima atque æquiſſima,lenis & ad ferendum ſuauiſſima, ad publicam vtilitatem omnino conformata,ipſo etiam verbo manifeſtè declaratur. Eſt enim verbum *Maſſal*, quod præeſſe,comparare, exemplis & parabolis docere, gubernare fouereque ſignificat. cuius ratio planè duobus exemplis ſolis & lunæ perſpicitur,quæ à Deo in firmamento conſtituta eſſe,hoc verbo dicuntur,alter vt diei,alter vt nocti præeſſet. Terrarum verò omnium quatuor partibus diſtinctus orbis duorum marium & fluminis atque termini nominibus eſt deſcriptus,atque deſcriptionis initium à proximo & notiſſimo termino ſumptum eſt, videlicet à meridionali Oceano,quod in orbis ſitu dextrum latus obtinet, indicantique primum ſeſe offert.nam ſi ortum ſpectes,quæ prima lucis & motus diurni regio eſt, indicemque vtriuſque manus extendas,meridianum mare dextra;læua verò ſeptentrionale indicabis.deinde verò ſi extentis brachiis à dextra in læuam, quæ naturalis motus ratio eſt, moucaris,dexteræ orientalis plaga;ſiniſtræ verò occidua occurrit.atq. adeò hæc ratio perpetua in ſacra geographia eſt,vt dextræ & ſiniſtræ nominibus meridiem & ſeptentrionem definire conueniat, vt Hoba, quæ eſt ad dexteram Damaſci, quam ſeptentrionalē Chaldæus paraphraſtes interpretatur.Conſtat autem ex hoc aliiſque ſacrorum librorum locis terram,vt à meridie,ſic à ſeptentrione mari cingi,& orbem vtrinque ſecundum longitudinem nauigatione luſtrari poſſe,quod & noſtro ſeculo noſtriſque hominibus ab altera parte iam eſt exploratum;altera verò tentatum,incerto tamen (vt ex Anglis accepimus) euentu,propter nimiam frigoris importunitatem. Atque ab oriente terminus certus à Vate in flumine conſtitutus eſt;ab occaſu verò nullus certus eſt finis præſcriptus, quòd multa magnaque terrarum pars occidui Oceani nauigatione petenda atque exploranda ſupereſſe ſignificaretur.Quod verò flumen hoc loco indicet Vates,facile cognitu eſt, eſſe ex quatuor illis illuſtriſſimi fluuij capitibus, quæ ſacra geographia indicat:vnū, quod ad orientalē plagam præter vnum penitiſſimè pertineat. id autem Phiſon ex aquarum copia curſuſque longitudine dictum,idemq.omnium primum & celeberrimum,quod circuit omnem terram Hauilath, vbi naſcitur aurum, &c. Chriſtianæ itaque religionis ditio orbis terrarum terminis à vatibus eſt definita. Atque gentes quidem quibus nulla antea lex, nulla ſalutis promiſſa aperta erant, pace enuntiata ab illo caliginoſo ignorationis errore deductas ad ſacræ ciuitatis communicationem admittendas diuini conſilij oraculis decretum eſt. Iudæos verò Iſraëlitaſque ex pacti & conuentus antiqui renouatione mirabili,ab illa veteris legis duriſſima ſeruitute, vel ab illo potius carcere in veram piamque libertatem eſſe vindicandos.

Pſalm 71. Gen. 1. Gen. 14. Gen. 2. " "

Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu in quo non eſt aqua.

HEBRAICA lectio verbum in prima perſona *emiſi* habet, & Chaldaica etiam paraphraſis *liberaui* interpretatur,ita vt redemptor ſiue liberator Deus ipſe,diuinumque verbum ſit;Iſraëlitarum verò ſynagoga ea ſit,quæ ſecunda perſona feminina appellatur. [*Tu quoque.*] cui quòd promiſſa,aperta atque teſtamenti ſanguine confirmata olim fuerant,nunc etiam præſtanda nouique teſtamenti ſanguine renouanda prædicuntur: myſterium magnum in hoc carmine ſignificatum,breui commentatione indicabimus. Antiqui teſtamenti miniſter Moſes, vbi diuinam legem iure rogatam atq. per populum ſancitā,ſacroſanctam promulgans huiuſmodi ritu verbiſque ſacrauit,Tulit Moſes dimidiam partem,& miſit in crateras;partem autem reſiduam fudit ſuper altare; aſſumenſque volumen fœderis legit audiente populo,qui dixerunt, Omnia, quæ locutus eſt Dominus,faciemus, & erimus obedientes.Hactenus rogatio ſanctioque: nunc deinceps ſacratio eſt: Ille verò ſumptum ſanguinem reſperſit in populum,& ait,Hic eſt ſanguis fœderis,quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his.Hæc olim acta fuerant,quæ,quoniam propter ſuā infirmitatem perfectos cultores præſtare non potuerant,nouo exemplo diuinaque virtute atq. efficientia pleno inſtaurari ac renouari oportuit,non vituli ad hominū virtutem ſtabiliendam inutilis,ſed Chriſti agni immaculati efficaciſſimo ad eā rem præſtandā ſanguine,cuius ille antiquus ſanguis non vim habens,ſed imaginē exprimens exſpectationem fecerat,ſicut ſcriptum eſt: Vnde nec primum quidem teſtamentum ſine ſanguine dedicatum eſt,&c. & paulo inferius: Et omnia penè in ſanguine ſecundum legem mundantur,& ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. neceſſe eſt ergo exemplaria quidem cæleſtium his mundari, ipſa autem cæleſtia melioribus hoſtiis, quàm iſtis, &c. hic verò ſanguis teſtamenti

Exod. 14. " " " " " Hebr. 9. " " "

eſt,quem hoc loco Vates indicat,Iſraëlitisq́. magis propriè propterea aſcribit, quòd illius ratio ad Iſraëliticum populum primum ex pacti antiqui promiſſorumque conuentu pertineret;vtpote quem ſanguis ille vituli aſperſus & legis cognitio atque ſanctitas, iam inde à priſcis temporibus in huius noui teſtamenti exſpectationem adduxiſſet , ſicut ſcri-
Rom. 9. ptum eſt: Qui ſunt Iſraëlitæ,quorum adoptio eſt filiorum,& gloria,& teſtamentum,& legiſlatio,&obſequiũ,&c. Quam etiã rem ipſe immaculatus agnus in ſacroſancta illa ſui ſanguinis communicatione apertis verbis exponens obſeruauit.namque apoſtolos allocutus, qui Iſraëlitæ omnes erant, Iſraëlitarumq́. perſonam ſuſtinebant, ait: Qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. pro vobis Iſraëlitis,& pro multis gentibus qui non ex Iſraëlis genere ſecundum carnem ſunt. Hoc modo etiam Ioannes Iſraëlitas &
1. Ioan. 2. gentes alias diſtinxit:Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, & non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi. In huius itaque teſtamenti ſanguine Iſraëlitas à ſeruitutis duriſſimæ & inutilis vinculis relaxandos liberandosque eſſe Deus pollicetur,ergaſtulis illis,in quibus olim omnes fuerant:nunc verò maximè illorum reliquiæ ſunt.namque ad plenam Iſraëlitarum liberationem hoc vaticinium ſpectat. Appellatur autem illa Iſraëlitarũ conditio lacus,in quo non eſt aqua. quæ deſcriptio cum omnibus illis temporibus aptè, ſed cum his aptiſſimè collata conuenit, quando illa olim Iſraëlitarum ſeruitus parũ vtilis exiſtimata ſit;quippe quæ nihil ad perfectum adduxerit : nunc verò non inutilis modò, ſed pernicioſa etiam ſit:accedente namque atque extante Chriſti luce,omnis illa rituum,ceremoniarum atque traditionum Iudaica vmbra parum olim ſalubris obſoleſcens tandem
Galat. 5. peſtilens eſſe cœpit,ſicut ſcriptum eſt: Neque circunciſio, neque præputium aliquid valet. & alio loco:Si circuncidimini,à gratia excidiſtis.atque hæc res aptiſſima tranſlatione à Vate explicata eſt.namque ſubterraneus lacus,in quo aqua vel nõ fuerit, vel eſſe deſierit, tum humido, caliginoſo craſſoque aëre propter corruptas terræ exhalationes offunditur; tum maleficis & nocentibus ſerpentum beſtiarumque generibus abundat. omnis autem hæc deſcriptio ad antiquam Ægyptiacæ ſeruitutis imaginem refertur. neque enim hæc, in qua nunc Iſraëlitæ ſunt,aut leuior,aut clementior,quàm illa eſt,de qua olim fuit ſcriptum:Ego Dominus Deus tuus,qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſeruorum,&c. adeò ſibi ſacra omnis ſcriptura vbique conſtans conſonaque eſt. Atque hoc in loco Iſraëlitæ ſecundum carnem olim fuêre,in quo,ſed deteriore multo,vt diximus,ijetiam,qui illud nomen adhuc tuentur,ſunt: quibus diuinæ libertatis & ſalutis deſiderium & exſpectationem Vates ipſe ex diuino reſponſo commouere ſtudet.

Conuertimini ad munitionem vincti ſpei, hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi.

ISRAELITÆ in tantis miſeriis hactenus nulla propria, ſed promiſſorum diuinorum virtute & efficientia conſeruati , *vincti ſpei*, à Vate nominantur , quòd vna ea, qua iuſſi ſunt,ſpe nixi, quamuis innumeris incommodis affecti ſuſtententur. nam quanquam illis promiſſæ ſalutis obſcura admodum cognitio maneat, certa tamen ſpes ex diuinorum oraculorum lectione & tractatione ſupereſt:quibus multo plura atque præſtantiora,quàm dici poſſint,beneficia accipienda eſſe illa oratione Vates declarauit: *Hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi*. Hebraicè, *Etiam hodie annuntians duplex,&c*] Quanquã enim plura hodie in hoc reſponſo iis,quæ ſuperius dicta ſunt,promiſſa beneficia acceſſerint,re ipſa tamen,cùm pręſtanda fuerint,exſpectationem tuam longè multum ſuperatura ſunt. Neque enim oculus vidit,neque auris audiuit,neque in cor hominis aſcendit,quanta præparauit Deus diligentibus ſe. ea verò,quæ hodie annuntiata ſunt, quanquam magna hactenus fuerint, expoſitione tamen adhuc amplificantur. neque verò ita etiam dicendo amplificata, rem ipſam, cùm exhibebitur, æquare poſſunt.

Quoniam extendi mihi Iudam,quaſi arcum, impleui Ephraim: & ſuſcitabo filios tuos Sion ſuper filios tuos Græcia, & ponam te, quaſi gladium fortium.

MAXIMARUM rerum, quæ à Deo per apoſtolos atque diſcipulos ad euangeliũ propagandum gerendæ erant, definitio quædam hæc eſt à iaculatorum ritu & more commodiſſimè tranſlata.conſtat enim oratio omnis Hebraicè allegoria,quam perpetuam tranſlationem Latini dicunt. Eſt autem huiuſmodi verborum vſus, Arcus in primis,deinde extenſio, ſiue, vt Latini dicunt,intenſio,tum ſagittarum prompta copia,atque tandem exercitatio ac iaculatio.igitur magnæ ſibi curæ Iſraëlitarum ſalutem eſſe oſtendit Deus, quòd eorum opera ad gentes in Chriſtianã ditionem redigendas vti cogitauerit. Rem autẽ illis modis gerendam eſſe docet, vt ex filiis Iuda & Iſraëlis quidam deligantur, quibus prouinciæ ex diuina auctoritate ſuſceptæ magno ſtudio obitæ optimo euentu adminiſtrentur.alij

autem in ipſa Iſraëlit arum regione, hoc eſt, Ieroſolymis maneant, qui verę pietatis Chriſtianæque veritatis cauſam conſtantiſſimè defendant. Quiſnam apoſtolorũ geſta hic maniſeſtè legendo non agnoſcit? atque ex apoſtolis & diſcipulis quoſdam ad Græcos, gentesque alias euangelij cauſa miſſos, quoſdam verò cum Iacobo aliisque fratribus Ieroſolymis & rem Chriſtianam ſtrenuè agentes, & conſiliis atque conſultationibus de iis rationibus, quæ ad alias gentes, atque ad veritatem Chriſtianam aduerſus improbos & oppugnantes defendendam ſpectant, decernentes, quis, inquam, hæc non planè in hoc verſu deſcripta cernit? hoc eſt, *Extendi Iudam quaſi arcum, impleui Ephraim.*] Impleri enim in ſacris ſermonibus cùm ad iaculationem refertur, idem eſt, quod manum vel pharetram ſagittis opportunè promendis inſtruere, vt in Pſalmo: Beatus vir, qui impleuit pharetram ſuã ex ipſis. & apud Ieremiam: Acuite ſagittas, implete pharetras. ſuſcitare autem, commouere & iaculari eſt: vt, Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum. [*Filios tuos Sion ſuper filios tuos Græcia.*] Apoſtrophe figura res abſentes ſub aſpectum ſubiiciuntur. Siona autem & Græciam vtrarumque partium Iſraëlitarum & gentium perſonas ſuſtinere iam aliàs docuimus. [*Et ponam te quaſi gladium.*] Gladio cominus pugnatur; arcu eminus: vtriuſque magna in conficiendo celeritas; maius tamen in gladio robur, atque ad ſuſtinendum impetum plus virium eſt: ita maius negotium cum Iudæis euangelij iugo iungendis, quàm cum gentibus fore ſignificatur. Sunt & aliæ elegantiſſimæ rationes, quamobrem his tranſlationibus vſus Vates fuerit, hîc conſulto nobis prætermiſſæ, atque aliàs, Deo annuente, explicandæ. Hæc igitur omnia nõ ad Iudæorum hiſtorias, ſed ad Chriſti res geſtas retulimus, cui illud propriè conuenit, Et dominabitur à mari vſque ad mare, &c. Id quod nulli alij ex Iudæorum regibus aut ducibus cõuenit, ſed vni Chriſto Ieſu, cuius admiranda virtus diuinaque natura euangelij enuntiandi efficientia perſpicietur, cùm paucorum hominum inermium atque humillimorum opera tantùm Chriſtiana religio in gentibus propagabitur, omni humana ſapiẽtia, fortitudine, contentioneque deuicta. huius autem rei cauſam illam eſſe facilè intelligetur, quòd

Pſal. 126.
"
Hab. 3.

Et Dominus Deus ſuper eos videbitur, & exibit, vt fulgur, iaculum eius: & Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine auſtri.

MANIFESTAM Dei virtutem in diſcipulis apoſtoliſque Chriſti non ſolùm miraculorum, ſed vitæ & morum ſanctitatis exemplo omni perſpectam exploratamque gentibus fore, inter quas lucerẽt, vt luminaria in cælo, in medio nationis prauæ & peruerſæ, hoc verſu Vates docuit. neque enim tanta tamque ſolida virtus ſine præcipua quadam Dei ipſius præſentia conſtare poſſet. Itaque Deus ipſe illis hominibus adeſſe, planè ei, qui rem rectè exiſtimauerit, perſpectum erit: quorum præter ſummã in ſe virtutem, maximam etiam in agendo vim & efficacitatem, atque in conficiendo celeritatem experiri licebit, non ſecus atque iaculi vim & velocitatem experimur; imò vehementius multo. namque exibunt iacula vt fulgur, quæ attendentium oculos ſplendore, cogitationem claritate, fugam vi ſua reprimant: quale iaculum, vt alios breuitatis cauſa omittam, Paulus fuit, vas à Deo electum dictus, vt portaret nomen ſuum coram gentibus & regibus & filiis Iſraël. Hæc autem de gentibus gentiumque potentia reportanda victoria diuinæ virtuti atque euangelij efficacitati aſcribetur, quòd euangelium non priuata alicuius miniſtrorum ope, ſed Dei, cuius omnes apoſtoli miniſtri ſunt, cõſilio, præſidio atq. voluntate nitatur. [*Dominus Deus tuba canet.*] Eſt autem tuba bellicum inſtrumentum ad pugnam ciendam comparatũ: cuiuſmodi & euangelij vſus eſt, quod non ad pacem hominum componendam, ſed magis ad ſeparationẽ, diſiunctionem atque ad bellum concitandum miſſum eſt, vt videlicet piis & bonis cum impiis & improbis nunquam conueniat. Putatis, inquit Chriſtus, quòd veni pacem mittere in terram? non, ſed ſeparationem. quantum verò ſonitum, quamque efficacem eſſe oportear, quem tuba non ex humano, ſed diuino ſpiritu reddat? atqui Deus ipſe in tuba canet. Celeritatem verò atque vim in conficiendo maximam, eamque planè diuinam illa oratio ſignificat, vt Latinè legitur, *Et vadet in turbine auſtri.*] Turbo namque ſiue tempeſtas, quæ Hebræis ZZAGHARAH dicitur, vehementem & inſuperabilem impetum demonſtrat: vt, Ignis in cõſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tempeſtas magna. Eſt autem auſtro vento in tempeſtatibus præcipua vis, vtpote Orioni, & Hyadis humidis aſtris affinis, vt ſcriptum eſt: Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora auſtri. quòd ſi verbum ex verbo reddere placeat, ſic Hebraica vertentur: *Et ibit in tempeſtatibus Theman.*] Eſt autem Theman & meridionalis venti & ciuitatis in terra Edom principis nomen. Edom verò gentium omnium ab Iſraële alienarum perſonam ſuſtinere etiam, vt Græciam, ſæpe iam docuimus. atque hoc pacto locus hic præter ſuperiorem expoſitionem iſtam etiam habet, vt gentium illam potentiam, amplitudinem, florentiam & celebritatem diuini euangelij vi

Act. 9.
Luc. 12.
Pſalm. 49.
"
"
Iob 9.
"

vt turbinibus & tempeſtatibus quibuſdam celerrimè iactandam, conuellendam ac diſſipandam fore accipiamus. atque ita Theman duplex ſignificatio conſtabit venti & vrbis etiam, oratioque ipſa omnis duplici modo, actiuo ad Deum, & paſſiuo ad Edom referendo explicabitur, idque ſine vlla ſententiæ aut iactura aut perturbatione: cuiuſmodi multas orationes apud Vates eſſe, nonnullas indicando aliâs animaduertimus. Quis verò in hac euangelica pugna vtriuſque partis, hoc eſt, proborum & diuinam virtutem agnoſcentium diſciplinamque accipientium, & improborum repugnantiumque futurus exitus eſſet, apertè ſatis ſubiunctis carminibus oſtenditur.

Dominus exercituum proteget eos: & deuorabunt, & ſubijcient lapidibus fundæ: & bibentes inebriabuntur quaſi à vino, & replebuntur vt phialæ, & quaſi cornua altaris.

MAXIMAM illam ſalutem & illuſtrem victoriam, quæ paucis & inermibus atque humillimis, de multiplici fortiſſimoque hominum exercitu afferenda erat, non humanis viribus aut conſiliis, ſed Dei præſidio atque virtuti acceptam referri docet. neque enim tam exiguus & humilis populus tantum impugnantium impetum ſuſtinere vlla humana vel vi, vel arte poſſet: Aſt [*Dominus exercituum,* potentiſſimus & fortiſſimus, *proteget eos.* Hebraicè eſt verbum *Scutabitur ſuper eos.*] erit, inquit, illis clypeus ad defendendum, atque etiam virtus fortitudoque magna ad vincendum, tanto robore augendis, vt hoſtes ſuos non ſecus atque lapides in calcem coctos redigere detur. [*Et deuorabunt, & ſubijcient lapidibus fundæ.*] Ignea & efficaciſſima euangelij vis hac tranſlatione indicatur, quæ tâta futura erat, vt piis & obedientibus præſidium; repugnantibus verò & contendentibus exitium foret, ſicut ſcriptum

[Rom. 9.] de vtraque euangelij efficientia eſt: Verbum enim conſummans & abbreuians in æquitate: quia verbum abbreuiatum faciet Dominus ſuper terram. Hæc autem ſententia opportuna atque integra tranſlatione à Vate pronuntiatur. Hebraicè enim ſunt verba, *Deuorabunt, & ſubijcient lapides fundæ.*] Itaque lapidibus in noſtra viſione non ſeptimo, ſed tertio caſu legimus. Eſt enim huiuſmodi orationis ſenſus, Duros & euangelio Chriſtianæque diſciplinæ obſiſtentes perinde eſſe comminuendos, atque lapides duriſſimi; viliſſimi tamen & ad fundam tantùm idonei in ardente fornace in calcem rediguntur. in lapidum genere quidam pretioſiſſimi, viles quidam ſunt. ex his rurſus, qui ad ædificia muroſque fabricandos, vel figura, vel colore facere poſſunt, ad eam rem ſeliguntur; qui verò rotundiores krioresq; ſunt, omnium viliſſimi habiti vel iaculatoribus ad fundas reponuntur, vel ad coquendam calcem in fornaces conferuntur. Ex his namque optimum & candidiſſimum calcis genus fit; nempe ex lapidibus duris & rotundioribus atque læuioribus: quales in fluuiis torrentibusque eſſe ſolent. Atque hi propriè lapides fundę, in ſacro ſermone dicuntur: vt apud Iob, In ſtipulam ei verſi ſunt lapides fundæ. reliqua ſunt duo verba,

[Iob 41.] *Deuorabunt, & ſubijcient;*] quorum alterum ignis nomini adiungi ſolet: vt, Deuorabit eos

[Iob 20.] ignis; alterum verò coctaium in fornace rerum, maximè autem lapidum; fragilitatē oſten-

[Pſalm. 20.] dit. namque Hebraicè CHABASS eſt, ex quo verbo nomen CHIBSAN fornaci eſt factum. Igitur euangelij hoſtes diuina virtute vt viliſſimos duriſſimoſque lapides fornacis igne comburendos atque comminuendos ab apoſtolis fore Vates prædixit, eorumque deuictorum ſanguinem bibendum, hoſtili more, non vt crudelitatem, ſed victoriæ magnitudinem hoc in loco interpretemur, neque enim armis, equis, curribuſque, ſed diuini verbi vi bellum faciendum eſſe ſuperius audieramus, ſed incœpta ſemel in ſacris ſermonibus

[Pſalm. 149.] tranſlatio perpetua verborum œconomia perduci ſolet: vt, Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictam in nationibus & increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, &c. Ad hunc modum hic victoria deſcribitur, vt qui potiti fuerint, victorum à ſe ſanguine epoto vt vino inebrientur, atque præ effuſionis largitate omnes rubeant veſtibus manibuſque intinctis, non ſecus atque mactatarum hoſtiarum cruore phialæ impletæ altariſque anguli intincti ſacrificiorum ritu conſpiciuntur. Magnum itaque ex horum victoria ſacrificium Deo victori factitandum ſtatuendumque fore Vates præcinit: illuſtrem rurſus, plurimam, dulciſſimamque ſalutem piis allatam feliciter retentum iri docet.

Et ſaluabit eos Dominus Deus eorum in die illa, vt gregem populi ſui: quia lapides ſancti eleuabuntur ſuper terram eius.

SALVTEM piorum populo ſpiritualem videlicet; qualem euangelium promittit, Deo auctore reſtituendam: eamque ſumma cura diuina retinendam præcinit, certis miniſtris ad eam curandam rem in terra conſtitutis. Diuina verò cura, prouidentia atque voluntas in

ſumma

ſumma hominum ſuorum infirmitate maximè proſpicitur, vt paſtoris optimi cura & diligentia non in taurorum equorúmue armentis, ſed in ouium gregibus cuſtodiendis defendendiſque cognoſcitur. Bonus enim paſtor animam ſuam pro ouibus ponit ſuis. ſic igitur diuina, vt ita dicamus, humanitas (quam D. Paulus φιλανθρωπίαν appellat, Latinus interpres humanitatem reddit) cultores ſuos etſi pauciores & infirmiores, ex omni periculo, maximè verò ſpirituali eripiendos cuſtodiendoſque ſuſcipit, vt gregem, quem vt olim Iſraëlitas in manu Moſis & Aaronis per ſolitudinem deduxerat; ſic nunc in terra ſua cuſtodiet, certis ad eam præſtandam rem miniſtris vſus, hoc eſt, apoſtolis, & qui horum vice funguntur, eccleſiaſticis patribus & doctoribus, qui doctrinæ verbo populum paſcant, atque ſub diuina tutela cuſtodiaque teneant. Hos autem Vates ex antitheto *lapides ſanctos*, ſiue, vt Hebraicè eſt, *lapides ſeparationis* cognominat, hoc eſt, lapides delectos, & ad vſum vtilitatemque certam ſepoſitos, omnino contraria voce & ſententia ab illis, quos fundæ lapides ſuperius dixerat. In quem verò vſum ſecernendi ſunt, ipſe idem declarat; nimirum in ſignum & documentum certum, ne pecus errare aut vagari temerè poſſit. [*Eleuabuntur.*] Hebraicum verbum à ſigno longè conſpicuo tranſlatum eſt, quod nos ſententiæ cauſa, *aſſignabuntur*, dicamus, hoc eſt, in ſigna ſtatuentur: vt ſolent in agris certi lapides, vel ad vias vel ad certas ſtationes indicandum locari. Atque publici in eccleſia miniſtri huiuſmodi etiam inſtar habent, qui quo ſunt excelſiores, eo clariora pietatis indicia dare, & periculorum ſigna patefacere cæteris hominibus, vt ouibus infirmis debent. Magnum verò huius rei ita procuratæ atque conſtitutæ fructum fore Vates pollicetur tranſlatione terræ & lapidum ad ſententiæ finem perducta.

Quid enim bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?

HEBRAICE vox *niſi* non eſt, neque Chaldaicè, ſed interrogationi reſponſio affirmando ſubiicitur: eadem tamen, vtrôuis modo vertamus, loci ſententia conſtat. vt ex agro optimo & optimè culto magni atque vberes fructus percipiuntur: ſic ex rectè inſtituta republica ſua magnum pietatis vſum habendum eſſe Vates confirmat. ager enim, quamuis fertilis, ſine cultura fructuoſus eſſe non poteſt. eſt autem optimo & probatiſſimo ſolo illa cultura præcipuè adhibenda, vt inutilibus ſaxis purgato commodiſſimi quiq. lapides ad vſum ſeligantur opportunum, ſicut ſcriptum eſt: Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei, & ſepiuit eam, & lapides elegit ex ea, &c. Ex huiuſmodi autem culto atque diſtincto agro frumenta & vina ſaluberrima, & magnam ad alendum vim habentia exſpectari oportet; atque adeò, vt à tranſlatione ad rem ipſam reducamur, ſuauiſſimos pietatis fructus, quibus iuuentus alatur & firmetur. namque vt ager natura per ſe bonus & diligenti cultura melior factus fructuum copia & præſtantia pueros iuueneſque validos ac puellas elegantes alit: ſic terra hæc ſancta, quam humanam naturam ſæpius interpretati ſumus, diuinæ Chriſti virtutis ſancti ſpiritus efficientia compos facta, atque aſſidua etiam optimorum miniſtrorum opera indies culta vberrimos ad propagandam piorum ſobolem fructus; & præſtantiſſimum gignit, ſicut ſcriptum eſt: Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. quod verò terræ nomine humana natura ſignificetur, eodem Pſalmo apertè declaratum eſt: Veritas de terra orta eſt. namque Chriſtus veritas illa ſumma ſecundum carnem ex humana natura ortus fuit. hæc huius verſus ſententia eſt, *Et quid bonum eius eſt, & quid pulchrum eius.*] Quis, inquit, fructus, quæue ſuauitas atque iucunditas exſpectanda Deo fuerit ex terra hoc modo culta; nempe frumentum iuuenum ſiue adoleſcentium, & vinum, quod puellas florentes reddat. Hebraicè, *Et vinum lætificans puellas.*] Hunc verſum ſic Chaldæus paraphraſtes exponit eleganter: *Nam quod bonum & qua pulchritudo: doctrina legis & iudicium rectitudinis ſtabilitum in eccleſiis.*] Quinam fructus, quiue pueri, quæque puellæ ſint hæ, apertè atque egregiè hac paraphraſi exponitur.

Iſai. 5. Pſalm.

CCC 4 CAPVT

CAPVT DECIMVM.

PETITE *à Domino pluuiam in tempore ſerotino, & Dominus faciet niues, & pluuiam imbris dabit eis, ſingulis herbam in agro.*

HORVM verſuum explicatio & ſententia cum ſuperioribus connexa eſt, vt multa etiam huiuſmodi in ſacris libris obſeruantur: quæ, niſi ad antecedentis capitis finem relata fuerint, turbare lectorem poſſint, eum maximè, qui Hebraica, Chaldaica, Græca antiqua non cõſuluerit, in quibus huiuſmodi capitum partitio facta non eſt, vt aliàs animaduertimus. Horum autem carminum ſententia illa eſt, Deum noui teſtamenti verè piis egregieque ſui cultoribus purè ſanctéque exoratum iuſtificationem gratiamque ſuam maxima illa beneficia, quæ promiſſa olim fuerant, opportunè aperteque collaturum. Hæc verò res à Vate noſtro ea, quam ſemel inſtituerat, tranſlatione perducta dicitur. Vt enim ſuperius terræ, agri, ouium, erigendorum lapidum nomina verbaque vſurpata fuerant: ſic nunc pluuiæ, fulgurum, herbarum commoda appellatio adiuncta eſt. Atq. adeò allegoriarum ratio ſic in ſacris obſeruanda eſt: in quibus cùm nõ omnia per tranſlationem dicantur, quidnam allegoricως, quid ſimpliciter exponendum fuerit, facilè iis indicatur, qui non omnia vno eodemque tenore ac modo explicanda eſſe cenſent. Igitur vt olim veteris teſtamenti hominibus, quibus terrena promiſſa facta ſeruataque fuêre, illud etiam inter cetera Dei beneficia deferri ſolebat, vt ſiue aliis in regionibus opportunè plueret, ſiue non, in illorum tamen agris ſingulis annis bini certè imbres, iique ad terræ ſolique naturam commodiſſimi gignendisque fructibus maximè idonei effluerent; quorum alter temporaneus in noſtra verſione; alter ſerotinus dicitur: ſic ad hunc, de quo nunc agimus, humanæ terræ agrum beandum, atque omni maximorum & probatiſſimorum fructuum fœcunditate augendum, binas item gratiæ ſuę opportunas pluuias immiſſurum ſeſe Deus in ſacris libris pollicetur: ex quibus altera alterius efficientiam præcedat & adornet. Eſt enim duplex hominum ad diuinam felicitatem rectè ac legitimè contendentium ſtatus; alter fidei atque honeſtarum actionum ſtudio definitur, quem diuina gratia præueniri, iuuari, conſeruariq. oportet; alter verò ſancti ſpiritus à Deo dati effuſione certo quodã atque efficaciſſimo gratiæ modo iis tantùm, qui acceperint, cognito, cæteris verò optabili quidem, nunquam tamen ſatis explicato conſtat. quo modo qui affecti ſunt, ſancti, irreprehenſibiles immaculatique dicuntur: qualis ſanctiſſima illa virginumque prima; quales apoſtoli diſcipuliq. plurimi fuerunt; quales quo minus multi etiam nunc ſint, niſi propria culpa defectuque prohibeantur, per diuinam virtutem atque voluntatem non ſtat, maximè in nouo teſtamento: cuius ætati hoc à Deo beneficium & promiſſum fuerat, & tributum tandem eſt. Ego, inquit, ſto ad oſtium, & pulſo; ſi quis aperuerit mihi, intrabo ad eum, & cœnabo cum
Apocal. eo, & oſtendam ei meipſum, &c. Priori illi conditioni diuinitus allatæ gratiæ ratio ad temporaneam, quam vocamus; quæ verò huic poſteriori conuenit, ad ſerotinã in imagine ipſa ſine figura refertur, ſicut ſcriptum de re ipſa magis, quàm de imagine eſt: Pluuiam voluntariam ſegregabis Domine hæreditati tuæ, &c. Sed quanquam vtraque gratia Dei ſimpliciſſimi & efficaciſſimi donum ſit, poſterioris tamẽ in hominum animis effectus multo, quàm prioris præſtantiores illuſtrioresque ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Vos genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, offerẽtes ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. Atque hoc eſt, quod admirabili ſua tranſlatione perpetuò vſus Vates pronuntiat, mutatis prophetico more perſonis: *Petite à Domino pluuiam in tempore ſerotino.*] Felicitatem hanc neminem de ſe ipſo præſtare, ſed à Deo petitam accipere poſſe docet Vates. [*Et Dominus faciet niues*] Hebraicum verbum HHAZIZIM, quod à themate HHAZA deductum ſpectationem ſiue viſionem ſignificat; eſtque propriè id, quod Latini cæli fulgura dicunt ante tonitruum ſonitum proſpecta. Vetus Interpres noſter apud Iob viam ſo-
Iob 37. nantis tonitrui reddidit: Plinius fulgetram ſiue fulgetrum nominauit. hæc autem res & tonitrum & pluuiam præcedens ſignificat, atque ad noſtrum argumentum relatam manifeſtam gratiæ illius, quæ ſpiritu ſancto miſſo hominibus affertur, demonſtrationem indicat, ita vt non ſolùm ab iis qui accipiunt, ſed ab iis qui ſpectant, diuina virtus cognoſcatur &
Act. 2. & 10. probetur. vt in illo Ieroſolymitano ſpectaculo in Pentecoſte feſto, atque in Cæſarea apud Cornelium Centurionem oſtenſum eſt: Cùm Petro adhuc loquente cecidit Spiritus ſanctus ſuper eos, qui audiebant verbum, & obſtupuerunt ex circunciſione fideles, qui venerant cum Petro: quòd & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt. Hanc autem gratiam quòd largiſſima efficaciſſimaque eſſet, & opportunas vnicuique ad honeſtè, ſanctè feliciterǭue

terq́ue agendum commoditates afferret, *pluuiam imbris,*] hoc eſt, largam abundantemq́ue Vates vocat: idq́ue efficientem, quod cuique commodiſſimum fuerit. [*Singulis herbam in agro.*] Id quod priuatam quandam atque peculiarem Dei erga ſuos prouidentiam probabit. neque enim omnia omnibus ſanctis communiter ac promiſcuè donata ſunt, ſed præter iuſtitiam & ſanctitatem, qua omnes ex diuino dono præditi fuerint, diuiſiones etiam 1. Cor. 12.
gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus. Maximum enim diuinæ prouidentiæ ſignum argumentumq́ue eſſet, ſi in ſingulorum agris non omnia promiſcuè, ſed opportuniſſima cuique herbarum genera naſcerẽtur: ſic etiam in humanæ animorum felicitatis ratione certam Dei prouidentiam, voluntatem atque gratiam cognoſcere oportuerit; non autem vel ad communem & conſuetum naturæ curſum, vel ad aſtrorũ vim, vel ad propriam cuiuſque vel perſonæ, vel nationis fortunam, vel ad aliud cæli excogitatum, fictumq́ue nomen referre.

Quia ſimulachra locuta ſunt inutile, & diuini viderunt mendacium, & ſomniatores locuti ſunt fruſtra, & vanè conſolabantur: idcirco abducti ſunt quaſi grex; affligentur, quia non eſt eis paſtor.

PVRÆ religionis veritatem Deiq́ue virtutis conſtantiam atque prouidentiæ erga homines, maximè verò erga pios, præcipuam rationem hoc argumento probatũ demonſtratumq́ue iri aduerſus vanas & ſtultas gentium de deorum multitudine, numinibus & vi, deq́ue cælorum aſtrorumq́ue efficientia opiniones Vates confirmat. cæteræ namque rationes vel rerum vtilium atque ſecundatum, quæ hominibus vel prædictæ, vel exſpectatæ, vel inuentæ ſunt, vanas omnino eſſe; hic certus felix atque conſtans erga pios homines euentus vaticiniis & reſponſis omnino conſentiens arguit. Alij namque ex ſortibus & auguriis, alij ex ſomniis & diuinationibus aliiſq́ue auſpiciorum modis, atque ex falſo dictis numinibus oracula petentes vel falſa omnino, vel incerta atque ambigua reſponſa retulerunt: quod in huiuſmodi rebus vel hominum ipſorum qui præeſſent fallacia, vel temeritas & caſus, non ratio & conſilium valeret. [*Quia ſimulachra locuta ſunt inutile.*] Quæ hîc ſimulachra ob verborum Latinorum penuriam vertimus, non erant deorum effigies propriè, ſed quædam alia excogitata, atque ad certas horarum obſeruationes conformata inſtrumenta, quæ ad futurarum atque abſentium rerum conſultationem deluſi homines, adhibebant ex illarum inter ſe comparatione ſitu, atque aliis rationibus coniectorum opera ac potius fallacia reſpõſa illa ambigua, quæ noſter interpres inutilia appellat, Hebraicè verò obliqua dicuntur,
referentes. Hæc Hebraicè *Theraphim* nominantur. de quibus aliàs plura, Deo annuente, ex- תרפים
plicabimus. [*Et diuini viderunt mendacium.*] Ex Hebraici nominis ratione & locorum collatione *diuini* hîc notantur, qui per mortuorum manes atque huiuſmodi mali dæmonis præſtigias futura præuidere putabantur. [*Et ſomniatores locuti ſunt fruſtra.* Hebraicè, *locuti ſunt vanũ.*] Erat & hoc diuinationis genus gentibus obſeruatum: de quo & præcepta tradita libriq́ue conſcripti ſunt. ex eo tamen nihil magis, quàm ex aliis certi atque opportuni relatum gentibus fuiſſe Vates confirmar. ſomniorum namque narratores & cõiectores obiectis formis deluſi cæteros etiam eludebant, atque ita vana de futura ſuarum rerum felicitate, de ſecundis actionum euentibus, cæteriſq́ue huiuſmodi publicis cõſultationibus reſponſa referentes, cæcam omnino exſpectationem commouebant. neque enim vlla aut bona exſpectatio, aut timoris conſolatio grata eſſe potuit iis, qui deos ex aruſpicum reſponſis propitios ſibi eſſe audiſſent; nullos tamen haberent. Ita igitur cùm ſibi ſuiſq́ue rebus placata numina felicitatem tranquillitatemq́ue afferendam promitterent arioli, vanè, inquit Vates, conſolabantur. Ex qua re factum eſt, vt conſilio certo deſtituerentur, & de omni totius vitæ ſtatu ſeſe ipſos fruſtrarentur. hoc eſt quod Vates ait, *Idcirco abducti ſunt quaſi grex,*] vt muta, inquit, pecora, quæ cùm ratione careant, ſi vel nullum vel malum paſtorem nacta fuerint, in periculum, quod declinare non valeant, ſeſe immittunt. [*Abducti ſunt à ſuis diuinatoribus. affligentur, quia non eſt eis paſtor.*] Deum, quem ſequantur, nullum certum habent, verum Deum non ſecuti, neceſſe eſt, vt affligantur. Atqui verè pio populo longè aliter eueniet, cui & futuratũ rerum prædictiones conſolationesq́ue veræ apertæq́ue conſtãt, & ſecundo euentu confirmandæ ſunt; vtpote cui veri vates miniſtriq́ue conſtituti ſint, optimusq́ue paſtor ſapien- „
tiſſimus & potentiſſimus Deus præſit. atque oratio hæc illi alteri ex antitheto eſt oppoſita: Supra 9.
Et ſaluabit eos Dominus Deus eorum in die illa, vt gregem populi ſui, &c.

Super paſtores iratus eſt furor meus, & ſuper hircos viſitabo: quia viſitabit Dominus exercituum gregẽ ſuum domum Iuda, & poſuit eos quaſi equum gloriæ ſuæ in bello.

INSTAVRATIONEM vel potius conuerſionem ſtatus rerumq́ue renouationem futuram ſynagoga ad eccleſiam tranſlata & regno à principibus magiſtratibusq́ue aufe-

rendo, deinde genti facienti fructus eius committendo hoc in loco prædicens Vates de-
ſcribit: neque enim in tanta perturbatione, in tanta ambitione atque auaritia inclinata
res teneri iam vlterius, quo minus corrueret, poterat. Id quod principum ſummorumque
magiſtratuum atque populi patrum vitio & culpa acciderat; à quibus, niſi publicæ rei
clauus & gubernacula eriperentur, omnis profectò reliquus populus euanuiſſet pe-
nitus exturbatus. Hanc autem rem eadem gregis paſtorumque tranſlatione, qua hactenus
vſus eſt, eloquitur per Vatem Deus; aitque ſe, cùm populo ſuo piè clementerque conſulue-
rit, in principes ipſos populique primarios, qui errandi cæteris auctores fuerint; ſeuerè eſſe
animaduerſurum; quod videlicet clauem regni tulerint, ipſi autem non introierint, neque
cæteros intrare permiſerint. Hos verò paſtores atque hircos nominat, videlicet, principes
ipſos ſacerdotum & magiſtratuum, quibus populi cura commiſſa eſt, paſtores; reliquos ve-
rò ſeniores populi, doctores, ſcribas, qui doctrina atque exemplo cæteris anteire deberent,
hircos. eſt enim Hebraicum nomen *Ghathudim*, quod non quemlibet caprum, ſed eos tantùm,
quos velut ductores præcedentes grex omnis ſequitur, ſignificat. Atque ex horum temeri-
Ierem. 50. tate paſtorumque negligentia omne gregibus periculum eſſe ſolet, ſicut ſcriptum eſt: Eſto-
Iſai. 14. te quaſi hœdi ante gregem. & quos Interpres noſter apud Iſaiam, principes terræ vertit, ipſe
Vates Hebraicè terræ hircos nominauerat. Hos igitur vtroſque, qui negligentia ſua Deum
in ſe offenſum reddiderint, iratum experturos eſſe ait, quo tempore Iudaicæ res corrigan-
tur ac renouentur ſtabilianturque. Id quod noui teſtamenti tẽpore fore, vates omnes præ-
dixêre, cùm ex illa ſynagoga antiqua populus ſimplex atque fidelis deligendus erat, quem
ſibi gratum Deus emundaret ſectatorem bonorum operum, vt Paulus ait. Hoc eſt, quod
Vates noſter dicit, *Quia viſitauit Dominus exercituum domum Iuda.*] *Quia* non modò rationis, ſed
affirmationis atque indicationis particula eſt. affirmat namque rem, & agendi tempus in-
Luc. 1. dicat: vt, Quia fecit mihi magna qui potens, &c. Viſitare verbum variè conſtructum va-
riam ſignificationem ſortitur. Viſitare ſuper paſtores, in illos animaduertere eſt. Viſitare
verò domum Iuda, eiuſdem domus res animaduertere, conſiderare atque gubernare eſt.
Iſa. 13. Vtriuſque ſignificationis exempla ſunt: Et viſitabo ſuper orbis mala, & contra impios ini-
Pſalm. 7. quitatem eorum, &c. Quid eſt homo quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam vi-
» ſitas eum? Igitur iis magiſtris principibusque reiectis, alios ſibi miniſtros, per quos euange-
lica res rectè ac ſtrenuè geratur, ex eodem populo delecturum Deus pollicetur. [*Et poſuit*
eos quaſi equum gloriæ ſuæ in bello. Hebraicè, *quaſi equum gloriæ eius in bello.* idem eſt quod Latinè,
cuius gloria in bello eſt.] Vſurum ſe eſſe Iudæorum familia, hoc eſt, apoſtolis, diſcipulis, Leuitis,
aliiſque miniſtris ad pugnas euangelicas aduerſus veritatis hoſtes, vt equo, cuius virtus &
contentio in prœliorum periculis explorata laudataque eſt. huiuſmodi namque equi ex-
peti & quæri à maximis imperatoribus ſolent. quod autem in genere dictum eſt, partitio-
ne in ſpecies expolitur.

Ex ipſo angulus, & ex ipſo paxillus, ex ipſo arcus prælij, ex ipſo egredietur omnis exactor ſimul.

FIGVRATA ſacrorum librorum oratio expoſitorẽ etiam properantem perſæpe mo-
ratur, aliàs neque rebus ipſis, neque legentibus, neque officio ſuo ſatisfacturum. In ſuperiori
verſu populum ſuum, hoc eſt, eccleſiam ſibi conſtituendam ſtabiliendamque fore Deus
prædixerat. Eam rem ex Iudæ familia reiecto à gubernaculis magiſtratu illo indigno in-
choandã eſſe, domus & bellici equi tranſlatione elocutus eſt. *Viſitauit Dominus domum Iuda, &c.*
Viſitare autem domum, vt in tranſlatione maneamus, eſt ſartam tectam integramque eſſe
curare. Ædium autẽ ædificia duabus rebus rectè comparatis maximè nituntur, & ab omni
detrimento conſeruantur, angulorum videlicet & lignorum firmitudine: anguli lapide fir-
miſſimo conſtare debent: ligna paxillis contineri cõmodiſſimis oportet. namq. his deficien-
tibus omnem domum corruere neceſſe eſt; in quibus vt firmiſſimis, ita poſtremis detrimẽ-
Iob 1. tum accipit, ſicut ſcriptũ eſt: Repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit
» quatuor angulos domus. de paxillis autẽ ſic: Quãto magis hi, qui habitant domus luteas, qui
Iob 4. » terrenum habent fundamentũ, conſumentur velut à tinea, nónne euellẽtur paxilli eorum
» cum eis? Omnem igitur cùm ad ædificandam domũ, tum ad hoſtes feriendos & debellan-
dos vim, auctoritatem, omneque ad gerendam rem pondus & momentum ex grege ſuo, ex
domo Iuda, ex ipſa, inquam; familia afferendum eſſe dicit. namq. Chriſtus, qui angulus pa-
xillusque totius ædificij eſt, ex tribu Iuda fuit ſecundum carnem. Idem autem arcus belli,
cuius virtute & efficiẽtia ſagittæ, quas apoſtolos diximus, iaciuntur. Eſt autẽ paxilli nomen
Hebraicum *Iether* excellentiæ atq. præſtantiæ, qualis Chriſto fuit, ſignificationẽ habens atq.
cætera eccleſiæ membra ad domus tranſlationẽ relata, lapides, ligna aliamq. materiam vo-
care poſſumus. Chriſtum autẽ angulum parietes continentem, paxillumque firmum voce-

mus oportet:arcum etiam in bello,ex quo ſagittæ mittantur. ſagittæ autem miſſiliũ armorum ſunt genus,quo nomine & Hebraicè dicuntur. eodem verò nomine & Græcè & Hebraicè apoſtoli appellantur: Apoſtolus enim miſſus Græcè,Hebraicè & Syriacè SSELVAHH, vel, SSELVHHA dicitur. [*Ab ipſo egredietur omnis exactor ſimul.*] Hebraicum nomen appropinquatorem,arctatorem,exactorem que ſignificat. Eſt autẽ ſagittarum periphraſis, quæ directè iactæ,eum,in quem intenduntur,velociſſimè attingentes,neque effugere ſinentes petunt & feriunt. Huiuſmodi euangelij vis apoſtolorum adminiſtrationi credita commiſſaque fuit. Quanquam autem plures deinde diſcipuli Chriſtianique nominis propagatores ex omnibus gentibus futuri eſſent,qui alio atque alio tempore conſtituti rem ſtrenuè gererent,qui tamen primi omnium conſtituti ſimul legatique ſunt,ex Iſraëlitarum ſiue Iudæorum familia fuêre,ſicut ſcriptũ eſt: Vocauit diſcipulos ſuos,& elegit duodecim ex ipſis: Luc.6.
quos & apoſtolos nominauit, &c. & miſit illos,&c. atque ita exactores omnes,qui ſimul "
miſſi ſunt,ex eo fuerunt. Animaduertendum hoc in loco eſt, in nonnullis Latinis vulgatæ editionis libris, vbi nos legimus *angulus*, eſſe angelus,non ex interpretis conſilio,ſed ex librariorum inſcitia & affini veritati errore, ſed qui nullam planè etiãis qui Hebraicè neſciunt, ſententiam reddat. Huiuſmodi multa in Latinis libris perperam ſcripta loca ſunt, quæ vel librariorum negligentiæ,vel audaciæ aſcribi oportuerit,qui quæ minus intelligerent, leui coniectura mutabant nonnunquam,vt mutatio ſenſum aliquẽ exprimeret, vt in illo Pſalmi verſu ſecundo: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Nonnunquam verò nulla Pſalm.41.
mutationi ſentẽtia ſubeſt, vt hîc angelus pro angulus.& apud Iob etiam in quibuſdam exemplaribus: Et concuſſit quatuor angelos domus,pro quatuor angulos. Hæc obiter admonere placuit,ne huiuſmodi vitia veteris Interpretis auctoritati obeſſe,aut lectori poſſint imponere. Iam verò quàm ſtrenuè,quamque feliciter ab apoſtolis aliiſque diſcipulis,qui primi ex Iudæa in expeditionem proficiſcerentur,quamuis paucis numero gerenda foret res, expoſitione Vates docet.

Et erunt quaſi fortes conculcantes lutum viarum in prælio; & bellabunt: quia Dominus cum eis: & confundentur aſcenſores equorum.

OMNEM potentiam, ſapientiam, auctoritatemque humanam paucorum inermium atque mundi iudicio imperitorum & humillimorum hominum virtute fractum,imminutum victumque iri & Vates præcinêre,& apoſtoli etiam factum atteſtantur: Videte vocationem veſtram fratres,quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus,vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus,& ea,quæ non ſunt,vt ea quæ ſunt,deſtrueret. Huiuſmodi belli & prœliorum ſimilitudinibus hæc res à vatibus aliiſque ſacris auctoribus pronuntiatur,quod & agendi ratione & exitu ipſo,hoc eſt,victoria reportanda non minus, quàm bellum ardentiſſimum paucorum aduerſus plurimos oppugnantes fuerit: atque his nominibus, & verbis bellum certamen,prœlium,pugna & cæteris aptiſſimè enuncietur: vt, Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates & rectores tenebrarum harum,&c. Hos itaque maximos & fortiſſimos non ſpecie ipſa, ſed virtute & rebus gerendis ſeſe præbituros ait Vates,non qui fortitudinẽ ſibi arrogantes iactent,ſed qui verè & re ipſa præſtent. [*Quaſi fortes.*] Nomen *fortes* non adiectiuum, ſed ſubſtãtiuum hoc loco eſt propter Latinorum verborum penuriam. namq. Hebraicè GIBOR fortiſſimum aliquem & celeberrimum rebus à ſe geſtis virum ſignificat: quem Græci ἥρωα dicunt: quales Hercules, Theſeos, Caſtores Pollucesq. ſuos antiquitas prædicabat. Hiſpani *Barragan* vocant. quo nomine Gedeon ab angelo ſalutatus,& Iephte Gilghadites,& Boos,& Dauid celebrãtur. Atq. vox *quaſi*,non quantitatis,ſed ſimilitudinis eſt,quæ aut collationem habet aut imaginem. Itaque fortiter adeò acturos ait miniſtros illos, vt vel nominatiſſimis & celeberrimis heroibus (ſi ita loqui licet) comparari oporteat, tanto etiam excellentiores, quanto grauius honeſtiuſque bellum ſpirituale videlicet, nulla humana potentia aut facultate freti aduerſus potentiorem hoſtem ſuſceptum maiori virtute, dexteritate contentioneque confectum victores triumphanteſque ſpectare continget. Eſt autem in hoc verſu tranſpoſitus orationis ordo,vt ſæpe in carminibus fit, Et erunt in prœlio vt fortes conculcantes in luto platearum. tam facile & expeditum erit illis,inquit, hoſtes proterere,quàm fortiſſimis viris eſt facile,lutum platearum conculcare. eſtque locus à comparatione duplici cum amplificatione coniuncta. tantæ autem fortitudinis cauſam, quæ ſola eſſe poteſt, certiſſimam indicat. [*Quia Dominus cum eis.*] Id quod ipſi fortiſſimi etiam atque inſtructiſſimi ex hoſtibus pudefacti agnoſcent, cùm ſe à pauciſſimis atque in ſpeciem humillimis ſuperari ſentiant. [*Et confundentur aſcenſores equorum.*] Infirma enim mundi elegit Deus, vt confundat fortia: vt non

Margin notes: 1. Cor. 1. — Epheſ. 6. — Iudic.6. — Iudic.11. — Ruth.2. — 2.Sam.17. — 1.Cor.1.

non glorificetur omnis cato in conſpectu eius, quemadmodum ſcriptum eſt: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Atque hæc anteacta iam ſecula aliud tempus tandem ſecuturum eſſe indicatur, cùm omni Iſraëlitarum familiæ integra reſtitutio atque ſalus ex diuina miſericordia afferatur.

Et confortabo domum Iuda, & domum Ioſeph ſaluabo: & conuertam eos, quia miſerebor eorum: & erunt ſicut fuerunt, quando non proieceram eos: ego enim Dominus Deus eorum, & exaudiam eos.

IVDÆORVM primùm, quòd hi Latinæ eccleſiæ propinquiores fuerint, ex iis in quibus verſantur miſeriis, animos tandem ereptos diuini ſpiritus gratia renouatum formatumque, deinde reliquas decem tribus, quæ longius latiuſque diſſipatæ patent, ſeruatum iri confirmat Deus. [*Et confortabo domum Iuda* (Hebraicè eſt, *& virificabo*, vel *fortificabo*) *& domum Ioſeph.*] Iſraëlem ſignificat, qui Ioſephi nomine ex antiquo patris teſtamento appellari ſolet. Pſalm. Qui regis Iſraël, intende; qui deducis velut ouem, Ioſeph. [*Et conuertam eos.*] Sunt enim „ nunc à Deo omnino auerſi, & in reprobum ſenſum iuſto ac ſeuero iudicio traditi, vnde vt liberentur optare quidem & deſiderare atque orare ipſi poſſunt; ſuis verò aut conatibus aut ſtudiis efficere non poſſunt, neque alia, quàm Dei miſerentis virtute atque benignitate obtinere, ſicut ſcriptum eſt: Conuerte nos Domine, & conuertemur; innoua dies Thren.5. „ noſtros ſicut à principio. Etenim, vt de hac re aliàs commodiùs, Deo præſtante, demon„ ſtrabitur, Iſraëlitis dum præſens repudiationis condicio manet, non ita facilis atq. opportuna ad ſuam ſalutem reditio eſt, vt olim ante Chriſtianam repulſam fuerat, vel aliis gentibus à Deo abalienatis nunc etiam eſt. Atque hæc cauſa eſt, quamobrē ab eccleſia perfidorum & obſtinatorum cognomine impoſito gentis iſtius res alia orandi & commendandi formula commendentur, vt in ſacris precibus, quibus cùm aliis, tum in ſacræ hebdomadis ſexta die de hac re cum Deo agitur, obſeruare eſt. Itaque omnis huius promiſſæ ſalutis cauſa & ratio ad diuinam voluntatem miſericordiamque reuocanda eſt. [*Quia miſerebor eorum.*] Id quod ex plena atque integra ſalute, qua vſuri ſunt, manifeſtè arguetur: neque enim repudiatis & abalienatis ob ſuam culpam tanta ſalus vllo merito vel actione propria conſtare potuit, nec niſi ſola diuina miſericordia afferri. [*Et erunt ſicut fuerunt, quando non proieceram eos.* Hebraicè, *Et erunt, vt ſi non proieciſſem eos.*] Maiorem gloriam, dignitatem ac rerum felicitatem, quam antiquam hæc illis oratio promittit; eamque ex ſola Dei miſerentis & præterita crimina benignè condonantis voluntate pendêre docet. *Ego Dominus Deus eorum, & exaudiam eos.*] Rationem oſtendit, quamobrem ſeruaturus ſit: quòd ſe miſericordem his primum omnium mortalium nomine illo ſuo tetragrammato indicando exhibuerit, eoque nomine Deum gubernatoremque futurum fuerit pollicitus: quo nomine erga illos, quanquam ipſi ſeſe indignos reddiderint; tamen ipſe tandem, cui perpetuum conſtanſque conſilium eſt, vtetur. [*Dominus Deus eorum.*] hoc nomine patribus eorum olim oblatus atque exhibitus, quod ſemper ipſe tueatur, tametſi illi populi ſui nomen abiecerint. neque enim hîc ſubiunctum eſt, Et ipſi populus meus: nam antequam reſtituantur, abalienatus repudiatuſque populus dicuntur: quibus vt ſalus adferatur, nulla alia via certa muniri poteſt, quàm aſſiduę preces, clamores & lamētationes, quę illius cōditionis hominibus integra Thren.5. ratio manet. cuiuſmodi illa ſunt: Tu autē Domine in æternum permanebis, ſolium tuū in „ generatione & generationē. Quare in perpetuū obliuiſceris noſtri, derelinques nos in lon„ gitudinem dierum. &c. Hic vatis Ieremiæ locus eiuſdem planè argumenti cum præſenti eſt. *Et exaudiam eos.*] Significationem certam habet verbum *exaudire*. eſt enim oranti, implo Pſal.4. ranti expoſcentique benignè reſpondere. Hebraicè, CHANAH, vt: Cùm inuocarem „ exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ.

Et erunt quaſi fortes Ephraim, & lætabitur cor eorum quaſi à vino: & filij eorum videbunt, & lætabuntur, & exultabit cor eorum in Domino.

IVDÆORVM ſalutem & reſtitutionem Iſraëlitarum felicitas cōſecutura prædicitur. quibus diuini euangelij virtutem expertis magna & publica lætitia, verumque animorum gaudium cumulandum eſt, non ex leui & momentanea aliqua externaque cauſa, ſed ex animi quodam intimo ſenſu erupturum: perinde atque iis accidere ſolet, qui optimi vini liberalius exhauſti efficientia hilares lætique ſunt, quibus ipſum vinum lætitiæ argumenta orationiſq. atque exultationis opportunitatem facultatemq. præbet etiam ſolis nulla exPſal. 103. terna ad gaudendum ſpecie viſa exhilaratis: Vinum enim lætificat cor hominis, adeò vt filiis etiā paruulis, quos conſueta patrum triſtitia & mœſtitia ad rogandā cauſam, condolendumq. mouebat, tanta nouitas ſpectata & cognita lætitiā, gratulationē, diuinarumque laudū ſtudium incitet. paruuli enim ob ætatis feruorem & exiguam incommodorum

expe-

experientiam,lætitiæ magis,quàm mœſtitiæ alienæ ſenſu commouentur atque excitantur Ita patrum lætitiam filij planè cogrituri gaudiumque proprio ſenſu gratulationeque Deo facta cumulaturi eſſe dicuntur. Quanta verò,quamque certa in his reſtituendis atque ſeruandis Dei cura atque prouidentia perſpicienda ſit, aperta expoſitione declaratur.

Sibilabo eis, & congregabo illos, quia redemi eos: & multiplicabo eos ſicut antè fuerant multiplicati.

LÆTISSIMVM euangelij nuntium per omnes orbis regiones, quacunque Iſraëlitæ diſperſi fuerint, perferendum diuinus ſibilus hoc loco appellatur. cuius vocis illa ſententiæ ſumma eſt: *Quia redemi eos.*] Hoc nuntio audito congregandos atque vnius eccleſiæ cõmunione ſocietateq. coniungendos,omniq. tum felicitatis,tũ multitudinis ac frequentiæ copia augendos fore ait:ita vt neq. dignitate,neq.numero illi antiquo populo, qui olim celeberrimus fuerat,impares;ſed longè etiã ſuperiores reddantur. [*Et multiplicabo eos ſicut antea fuerant multiplicati.* Hebraicè, *Et multiplicabuntur,ſicut multiplicati ſunt.*] *Multiplicari* verbum, non ad numerum modò,ſed ad omnem dignitatis & felicitatis amplitudinem refertur, ob eamque rem ex multis quæ Hebræis ſunt, ſimilitudinis vocibus hoc in loco vna eſt KEMO, quæ quantitatem,qualitatem admirationemque ſignificat. eam pluribus Latinis vix aptè interpretari poſſumus. [*Multiplicabuntur quàm maximè, ſi quando vnquam maximè.*] idque admirando pronuntiandum eſt, vt nulla vel maxima antè multiplicatio huic æquanda eſſe dicatur: quantaque illa ſit quàm ex paruo numero aucta, cùm illorum rebus Deus benignè prouideret,Moſes miratus indicauerat: Dominus Deus veſter multiplicauit vos, & eſtis hodie ſicut ſtellæ cæli, plurimi: Dominus Deus patrũ veſtrorum addat ad hunc numerum multa millia,& benedicat vobis,ſicut locutus eſt.Illud ad ſermonis arcani rationem obſeruandum eſt,ſibilationẽ in ſacris vocationis excitationiſq. ſignum aliquando eſſe: vt,Quare habitas inter terminos vt audias ſibilum gregum? & illud: Leuabit ſignum in nationibus,& ſibilabit ad eum de finibus terræ:& ecce feſtinus velociter veniet,&c. quãquam alia huius verbi ſignificatio etiam ſit,de qua ſuo loco dicemus, quæ huic planè non conuenit. Prædictis autem promiſſis illud etiam additur,quod à vatibus omnibus non raro enuntiatum eſt:Iſraëlitarum reſtitutionem neque terrenæ felicitatis nominibus interpretari,neque terminis definiri oportere,quamuis illius antiquæ,qua olim in Chananæa regione vſi Iſraëlitæ fuerint,verbis aliquando deſcribatur. Hoc enim propterea fieri, quòd rem ipſam ad imaginem ſuam referri,figurataque oratione enuntiari conueniat: vt tamen iiſdem omnino modis hæc futura felicitas atque illa antiqua, exſpectandã ſit, neque ex diuinorum beneficiorum magnitudine,neque ex gentis ipſius celeberrima frequentia eſſe,quam tam anguſtis finibus contineri non fuerit par.

Deut. 1.

Iudic. 5.

Iſai. 5.

Et ſeminabo eos in populis, & de longè recordabuntur mei. Hebraicè, *Et ſeminabo eos in populis: & in longinquis recordabuntur mei.*

ISRAELITAS per omnes ferè orbis regiones cum ſumma ignominia diſperſos & diſſipatos, vbi ſalutis diuinarumque virtutum ex Dei dono compotes facti fuerint,magno cæteris nationibus ad diuinarum laudum ſtudium exemplo fore ait. namque & vitæ ſanctitate, & tantorum à Deo beneficiorum vſu admirandum hominibus aliis ſpectaculum edent,quod narratione etiam celebrando explicabunt:atque ita fiet, vt ipſi etiam aliis, qui Deum vel non nouerant,vel non rectè nouerant,ad eiuſdem ſalutis communionem vocandis adminiſtri ſint.

Et viuent cum filijs ſuis, & reuertentur.

SIVE filios ſimpliciter ſecundum carnem, ſiue diſcipulos & à ſe euangelio enuntiando genitos cum Paulo interpretemur, ſiue vtroſque, ſententia planè conſtans apertaque eſt. Ait verò illos victuros,quòd humana ante iuſtificationem & ſanctitatem obtentã non vita,ſed mors planè appellanda ſit; imò ipſum mortis corpus,à quo ſe liberari ille apud D. Paulum expetebat;vita verò ea verè dicatur, quæ diuini ſpiritus efficientia datur: quã ſpiritus vitam Apoſtolus nominat,de qua ſic vnus ex conſortibus ſcripſit: Nos ſcimus, quod tranſlati ſumus de morte ad vitam:quoniam diligimus fratres, &c. Hos autem, qui ſic vixerint,reuertendos eſſe Vates ait, eo quòd in maximam gratiam reductos nouis & planè eximiis atque liberaliſſimis ſtudiis deditos fore præuideat,ſicut ſcriptũ eſt:Qui ſunt Chriſti,carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis:Si viuimus ſpiritu, & ſpiritu ambulemus,&c. Hæc itaque cõuerſio,de qua hîc agitur, eſt ab illa miſera ſeruitute & morte ad ſanctitatem filiorum,atque veram ſanctorum ciuitatem & Dei familiaritatem traductio. Id quod ſubiunctis verſibus exponitur.

Rom. 7.

1.Ioan.3.

Galat.5.

Ephеſ.2.

Et reducam eos de terra Aegypti, & de Aſſyriis congregabo eos: & ad terram Galaad, & Libani adducam eos: & non inuenietur eis locus.

STVDIORVM & vitæ in melius mutationem, felicitatis vſum, frequentiam celebritatemque magnam Iſraëlitarum in gratiam reſtitutorum, atque in Dei ciuitatem receptorum oſtendit. reductio namque ex terra Ægypti & Aſſur libertatem totis ferè ſacris libris decantatam indicat: quam illa antiqua apud Ægyptios miſera anguſtaque detentio ſignificabat. Aſſyriaca autem abductio & diſperſio, quæ Iſraëlitis contigit, grauiſſimam Dei offenſionem arguebat. quamobrem à gratia excidentes abducti diſſipatique illi fuêre. Hæc omnia optimum tandem exitum ex ſuo beneficio habitura eſſe Deus docet: quæ cùm figuratè dicantur, verbis tantùm indicatis facilè intelliguntur. [*Ad terram Galaad, & Libani adducam eos.*] Nota eſt omnibus hiſtoria duarum tribuum cum dimidia, quibus vltra antiquorum promiſſorum præſcriptum, Galaaditis etiam regio occupanda colendaque conceſſa eſt. ſed quod ad noſtram interpretationem facit, myſterium in verbis ipſis latet. Ex duobus namque regionis illius nominibus Moab & Galaad, poſterius vſurpatum ea cauſa fuit, quòd Galaad cumulum teſtimonij ſignificans eius amicitiæ & gratiæ monumentum præbebat, quam Iacob apud Laban renouatam perpetuò firmandam iniit. Ad huiuſmodi igitur perpetuæ gratiæ & familiaritatis ſuæ regionem Iſraëlitas reducendos, cumulatiusq́; etiam ornandos amplificandosq́. Deus in ſe recipit, atq. ad Libanum, quòd præter montem
Deut.3. illum, quo Damaſcena Syria à Paleſtina diſiungitur, terram etiam ipſam ſanctã appellatam
» ſignificat. Ita enim à Moſe vocatur: Tranſibo & videbo terram hanc optimam trans Ior-
» danem, & montẽ iſtum egregium & Libanũ. ſignificat autem nomen ipſum candorem &
» pulchritudinẽ. quo nomine vitæ illius vſus & fructus, quo filij Dei ſanctorumq́. ciues fruũtur, indicatur. quod verò ad celebritatẽ frequentiamq́ attinet, illos non ſolùm illis anguſtis terminis Chananææ regionis, videlicet Gilghad & Libano continendos (namque ille locus non ſufficeret) ſed propagandos etiã per omnes regiones ita, vt terra, quæ nunc habitabilis dicitur, tanto numero capiendo anguſtior viſa, mari etiam arctato augenda dilatandaq́. ſit.

Et tranſibit in maris freto, & percutiet in mari fluctus, & confundentur omnia profunda fluminis: & humiliabitur ſuperbia Aſſur, & ſceptrum Aegypti recedet.

NVLLAM orbis terrarum partẽ, quamuis incognitam vel remotam eſſe, neque viarum & fluminum difficultate, vel interiecti maris vaſtitate ſepoſitam, quò ſacroſancti euangelij lux, virtus & ſalutifera gentibus victoria peruentura nõ ſit, hoc vaticinio docemur. Quanquam enim antiquis Græcis atque Latinis terræ habitabilis imperium Oceano tantùm finiri & claudi putatum ſit, neque vltra freta anguſtiasque maris aut facilè aut vtiliter nauigari poſſe fuerit traditum; Chriſtiano tamen nomini propagando ampliorem campũ longiusque iter omni maris fluminumque difficultate contempta & ſuperata apertum iri vates prædixerunt. namque illis terrarum & gentium, quàm latè pateret, habitatio cognita fuit, vt aliàs, Deo conatibus noſtris præſente, docebimus. Iam verò noſtro ſeculo, quanquam huius prædictionis plena ratio nondum conſtet, vt tamen plenè tandem conſtare poſſit, via apertiſſimè munitur, peragrato nuper non ſemel ſecundum longitudinem orbe cum magna Chriſtiani nominis notitia & fama, cum maxima porrò Chriſti virtutis & efficacitatis experientia, ad publicam hominum ſalutem poſthac ex vatum reſponſis, qua longè lateq́. is patet, peragrando. [*Et tranſibit in maris freto.* Hebraicè ſic: *Et tranſibit in mare anguſtiæ.*] Anguſtia maris idem, quod apud interpretem noſtrum ſignificat; videlicet fretum, quo maria aliàs interiectis terris diuiſa coniunguntur & ſeparantur: vt Lymerium, Thracium, & Gaditanum; & quod à noſtris iam ter aut quater ſecundo exitu tentatum eſt, Mægallanicum. Huiuſmodi ob continuos maris æſtus difficillimas nauigationes habent, quas tamen Chriſtiani nominis virtus, ſi antea bonas, optimas tandem veris atque piis euangelij nuntiis datura eſt. [*Et percutiet in mari fluctus.*] Oceani feruorem conſtantiſſimum & tempeſtatis fluctus à Deo ad euangelij propagationem frangendos eſſe ait; neque vllo præterea lacu, palude, aut flumine eorum, qui euangelium propagaturi ſunt, iter, quo minus feliciſſimè conficiatur, impediendum eſſe. [*Et confundentur omnia profunda flumina.* Hebraicè, *Et ſiccabuntur omnia profunda* IAOR.] Significat autem IAOR fluuium, non omnem tamen; ſed
יאר
Exod.2. eum, cuius decurſu vel inundatione paludes, lacus ſtagnaque creſcunt. qualis in Africa Ni-
Dan.12. lus, & in Aſia Tigris eſt, qui hoc nomine in ſacris libris dicuntur. ſolent autem eæ regiones
Amos 7. quæ huiuſmodi lacubus & fluminibus defenduntur, ab hoſtium aduenarumque incurſione tutiſſimæ, atque ad eam prædam, quæ aliunde allata eò fuerit, conſeruandam munitiſſimæ exiſtimari. Hac opinione quondam Ægyptij & Aſſyrij decepti perpetuam ſibi felicitatem, vt apud Amoſum aliosque vates cognouimus, promittebant: quam tamen ſuo

periculo

periculo finiri labefactarique poſſe intellexêre. Cùm verò de huiuſmodi fluminibus men-
tionem Vates fecerit, commodè duas illas regiones, quæ hoc nomine celebres fuerant, ſub-
iungit: quarum exemplo ad cæterarum eiuſdem generis arrogantiam deprimendam vſus
eſt. [*Et humiliabitur ſuperbia Aſſur, & ſceptrum Aegypti recedet.*] Huius loci ſententia ex ſimilitudi-
ne & ſignificatione magis, quàm ex verborum pronuntiatione explicanda eſt. namque de
Aſſyriorum imperio, deque Ægypti in Iſraëlitas dominatiotie, ſui etiam ipſius ætate pla-
num fuit, cùm iam Aſſyriorum tyrannis nulla, Ægyptiorumque potentia exigua admo-
dum eſſet. Sed ad ſimilitudinem relata ratio illud ſignificat, omnem humanam vim, ſuper-
biam, & potentiam, quæ huiuſmodi vel naturæ, vel operis præſidiis niteretur, vanam ina-
nemque aduerſus Dei virtutem fore. Ad ſignificationem verò illud. Peccati iugum atque
diuinæ offenſionis magnitudinem, quibus hominum animi vt Ægyptiaca ſeruitute atque
Aſſyria diſperſione, ab inferorum tyranno Lucifero oppreſſi diiectique eſſent, Dei miſeri-
cordia, & Chriſti eius efficientia obliterandam eſſe: quæ tes ſubiuncto carmine exponitur.

Confortabo eos in Domino: & in nomine eius ambulabunt, dicit Dominus.

EORVM qui à diabolica tyrannide & Ægyptiaca ſeruitute liberati per diuinum ſpiri-
tum fuerint, ſanctá, pia, illuſtris atque honeſtiſſima vita eſt; mores præterea priſtinis diſſi-
miles omni integritate & virtute præditi, omniq. malo metu, terrore atque conſternatio-
ne immunes animi; quippe qui Dei in ſeſe manentis virtute roborentur & confirmentur, 1. Pet. 4.
ſicut ſcriptum eſt: Vt iam non deſideriis hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt, „
in carne viuant temporis, &c. quę D. Petrus cæterique apoſtoli de hac re dixêre. quam rem „
Iſraëlitis in gratiam receptis, cæteriſq. ad eandem ciuitatem ex diuino beneficio pertinen-
tibus hominibus præſtiturum ſeſe Deus pollicitus eſt. [*Et confortabo eos.*] *Confortare*, corro-
borare, ſiue, vt illo verbo vtamur, heroificare eſt. de quo ſuperius diximus. [*in Domino.*] no-
men illud arcanum hoc in loco appellatur, quod ad miſericordiæ rationē præcipuè ſignifi-
candam plerumque interponi oſtendimus. [*Et in nomine eius ambulabunt.*] *Nomen* in ſacris ſer-
monibus idem, quod vim, virtutem efficientiamque ſignificat: vt, Qui numerat multitudi- „
nem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. &: In nomine tuo laxabo rete. *Ambulare*
verò, reciprocum verbum Hebraicè eſt, certaque coniugatione pronuntiatum: in qua
omnem vitæ vſum conſuetudinemque ſignificat. cuius multa exempla ſunt: vt illud, Am- Gen. 17.
bula coram me, & eſto perfectus. Ambulauitque cum Deo Noë. Hæc verò omnia rata &
certa fore Deus in ſe recipit. [*Dicit Dominus.* Hebraicè, NEVM *Domini.*] Eſt autem NEVM נאם
dictum firmiſſimum, ſiue affirmationem interpretari placeat.

CAPVT VNDECIMVM.

APERI *Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas. Vlula abies, quia excidit cedrus, quoniam magnifici vaſtati ſunt: Vlulate quercus Baſan, quoniam ſucciſus eſt ſaltus munitus.*

VARIA ac multiplex huius capitis vaticiniorum expoſitio apud interpre-
tes tum Hebræos & Chaldæos, tum Græcos & Latinos eſt: neque tamen
alicubi ſatis perſpicua & dilucida difficultatem quidem loci magnam ar-
guit & indicat; explicationis verò laborem magis auget, quàm leuet: tâta
in inueniendo argumento diſſenſio atque in explicando obſcuritas & re-
rum temporumque pugnantia eſt. nobis verò cùm inſtitutum non fue-
rit, aliorum ſententias recitando vel ſuperſtitiosè ſequi, vel ambitiosè, aut
inuidiosè magis, quàm vtiliter frangere, operæpretium viſum eſt ex anteactarum rerum,
hiſtoriarum temporumque ratione & obſeruatione vaticinium exponere; neque ab alio-
rum legendis ſcriptis quemquam auocare, in quibus plurima doctè pieque cogitata atque
dicta ſunt. Igitur huius vaticinij argumentum illud nobis eſt, Deum, poſtquam Va-
ti futuram ſecundi templi ætatibus felicitatem, atque Iudæis fidem pietatemque præ-
ſtantibus afferendam oſtendiſſet, ſuamque omnino de publica tam Iudæorum, quàm
aliarum gentium ſalute voluntatem manifeſtè declaraſſet, nunc rurſus quantum ma-
lorum & calamitatum gens illa ſua culpa, vitio atque nefariis vitiis commeritura ſi-
bique ipſi machinatura eſſet, non tam verbis, quàm rerum ipſarum actione repræſenta-
tioneque veluti ſpectandum ante oculos proponere, vt vel ipſo repræſentationis ſpectacu-
lo magis, quàm oratione populus ille permotus ſibi ſuiſque rebus vtilius atque ſapientius
proſpiciendo cōſuleret. Ante verò quàm res ipſa Vati agenda repræſentandaq. ſuſcipiatur,
opportu-

opportuna præparatione adornatur ; loco videlicet, in quo edendum tandem erat huiuſ-
modi ſpectaculum, indicando atque repræſentationis actionisque ſuæ narrando argumen-
to. Atq. hæc oratio omnis, quòd ad futuras res ſpectaret, tranſlationibus & allegoriis com-
ponitur: cuius illa ſumma eſt, Iſraëliticam regionem, maximè verò Iudæam, quæ templo
& regia vrbe cùm primis celebris illuſtrisque eſſet, principibus viris, pontificibusque
occiſis, reliquoque populo partim cæſo, partim capto ob ſua ipſorum ſcelera & cul-
pas vaſtatum exinanitumque iri. Ea verò res, quòd Vati paſtorum, gregis, pecorumque
imagini repræſentanda eſſet, ruſticis etiam locorum, plantarum arborumque nominibus
& verbis aptè inchoatur. [*Aperi Libane portas tuas.*] Ieroſolymitana ciuitas totius regionis
caput & præſidium Libani portæ appellantur, quòd iis ſaluis & integris cætera tuta fore;
contrà verò illis ipſis ruptis atque apertis omnia vaſtatũ perditumque iri putandum eſſet.
Eſt autem ea, quam Vates acturus deinceps eſt, quædam veluti tragœdia grauiſſima: cuius
argumenta & prologos cantari magis, quàm recitari mos fuerat. namque id actionis genus
rei magnitudo molesque exigit, quo ſpectatorum auditorumque animi vehementiùs mo-
ueantur. Maximam verò & grauiſſimam rem eandemque certiſſimam exſpectari oportet,
quam tanto verborum apparatu, ſublimi carminis genere, atque pronuntiandi modis im-
perariuo & permiſſiuo præcini iubet Deus: vt, Attollite portas principes veſtras, & eleua-
» mini portæ æternales: & introibit rex gloriæ. Atque omnis hæc ratio per paraſceuen, vt di-
» ximus, agitur. [*Et comedat ignis cedros tuas.* Hebraicè, *Et comedet.*] Non imperantis, ſed permit-
tentis modus eſt. Certa, inquit, iam res eſt, fore videlicet, vt ignis comedat atque abſumat
cedros tuas: quamobrem aperi tandem portas tuas, qua ſubeat incendium. appellatur au-
tem Libanus ex gloriæ atque amœnitatis comparatione Iudæa regio, vt iam ſuperius do-
cuimus. Eſt verò Libanus ipſe mons omnium, qui in terris cogniti ſunt, amœniſſimus, &
arborum plantarumque vario elegantiſſimoque genere longè celeberrimus. Quod verò ad
arcanam ſignificationem ſpectat, vt Libanus Iudæam regionem, portæ Ieroſolymam, ſic
cedri (quæ probatiſſimæ in illo monte arbores ſunt) proceres primoresque regionis viros ſi-
gnificant: ꝯ verò (cùm natura robuſtiores atque minus corruptibiles eſſe ferantur) abſum-
ptis atque vaſtatis nullam ſibi cæteræ arbores ſecuritatem promittere, ſed eundem exitum
exſpectare poſſunt. [*Vlula abies, quia excidit cedrus.*] Non modò cedri vicem dolere, ſed ſuam
ipſius timere atque magno gemitu vlulatuque exſpectare iubetur. *Abies:* Hebraicum no-
men BEROS: buxum Latinè interpretamur. conſtat ea planta firmiori quidem materia,
ſed minus etiam quàm cedri ad contendendum igni atque ferro valida. In populo autem
qui ſint abietes à cedris ſecundi, facilè cognoſci poſſunt. ne verò tranſlationis interpre-
tatio auditoris cogitationi omnino permitteretur, eaque ratione certa minus eſſe poſſet, à
Vate ipſo obiter indicata eſt. [*Quoniam magnifici vaſtati ſunt.*] Hac oratione noſtræ expoſi-
tionis ſententia ſatis aperitur. [*Magnifici.*] Hebraicum nomen ADIRIM, potentiſſimos
robuſtiſſimosque ſignificat; nimirum populi ordinumque ductores & primarios viros. ni-
hilo verò mitius cum cæteris regionis partibus ac locis eáue loca incolentibus viris, princi-
pibus & patribus agendum eſſe putandum fuit, vbi tam durè atque acriter cum capite ipſo
principeque omnium ciuitate ageretur. [*Vlulate quercus Baſan, quoniam ſuccisus eſt ſaltus munitus.*]
Proxima in Syria Libano mõti honore *Baſſan* regio olim fuit nemoribus & ſiluis frequen-
tiſſima paſtionumque magnitudine nobiliſſima: quòd non herbis modò, ſed arborũ fron-
dibus greges armentaque alere abundè ſatis poſſet. Quamobrem cum Libano in eiuſmodi
Iſai. 2. rationibus coniungitur: vt apud Iſaiam, Et ſuper omnes cedros Libani ſublimes & erectas,
» & ſuper omnes quercus Baſan. Atque adeò hac arcana oratione populo etiam periculum
» denuntiatum eſt, qui in paſcuorum paſtionumque ſimilitudinibus gregis locum obtinet;
populi verò magiſtratus reliqui minores familiarumque patres quercuum nomen imagi-
nemque referunt: quarum vmbra greges protegi frondibusque deciduis paſci interdũ con-
ſueuere. [*Quoniam ſuccisus eſt ſaltus munitus*] Libanum atque in arcana ſignificatione Ieroſo-
lymam ciuitatem Iudææ caput intelligimus, quòd tota regio Libanus dicatur; ſed muni-
tionis adiunctio regiam ipſam indicet. Atqui deſtructum vaſtatumque locum non modò
paſtorum & gregum deſiderium, ſed ferarum etiam defectus, ac denique deſertiſſima quæ-
dam ſolitudo conſequitur.

Vox vlulatus paſtorum, quia vaſtata eſt magnificentia eorum: vox rugitus leonum, quoniam vaſtata eſt ſuperbia Iordanis.

BASSAN regio vltra Iordanem ſita deſcribitur; præruptis autem atque nemoroſis Ior-
danis locis leonum copia erat, qui in proximos greges vi illata viuebant: quales Sanir &
Pſalm. 41. Hermon mõtes prope Iordanẽ eſſe ex Pſalmo didicimus: Memor ero tui de terra Iordanis
& Her-

& Hermonij, à monte modico. Atque hæc leonum cubilia in Canticis dicuntur: De vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, & de montibus pardorum. Neceſſe verò eſt vbi gregum & manſuetiorum animantium penuria ſit, feras, quæ raptu viuunt, deficere; maximè verò cùm non modò cibi ſubtracti, ſed ſaltus ipſi & cubilia, & omnis latendi commoditas adempta fuerit. nam catuli leonum rugiunt, vt rapiant & quærant à Deo eſcam ſibi. Atque ad ſignificationem imagine relata, non modò paſtores ipſos, hoc eſt, ſacerdotes, qui ambitioſè, magis quàm officioſè munus adminiſtrarent, honore priuãdos; ſed & magiſtratus & principes, quibus prædæ commoditas potior, quàm publica cauſa fuerat, non modò omni diripiendi ſpe, ſed ipſorum etiam dignitate atque ſuperbo dominatu deturbandos eſſe. Alterius ordinis vitium admiſſum magnificentia paſtorũ; alterius verò ſuperbia Iordanis appellatur. ſed hæc Hebraicè ſignificantius etiam dicuntur. Hactenus igitur ſpectandarum rerum theatrum indicatum, & quædam veluti cauea præparata, atque argumentum ipſum propoſitum à Vate eſt: nunc verò deinceps futurarum populo illi perturbationum, calamitatum atque miſeriarũ à Vate ipſo acta deſcribitur tragœdia. Cant. 4. Pſal. 113.

Hæc dicit Dominus Deus meus, Paſce pecora occiſionis.

QVANTA Iudæorum genti felicitas, quanta dignitas Deo auctore obtinenda eſſet, modo ille pietate, honeſtate, atque legitimis officiis quæreretur, multis antea vaticiniis à Zacharia fuerat expoſitum: hic verò quanta contrà clades, miſeria atque infelicitas ob productum omnium ordinum hominibus officium Deo iudice atque vindice immineret, ab eodem exponitur; ſed vt diximus actione magis, quàm oratione res explicatur. Ad huiuſmodi verò actionum rationes exponẽdas illa nobis breuiter repetere operæpretium fuerit; quæ in primum Hoſſeæ caput commentatis longius tractata ſunt: Plures eſſe Deo cũ vatibus agendi modos ac formas, quæ ad tria genera à nobis referri poſſint. Vnũ genus eſt, cùm res vel præterita, vel præſens, vel futura etiam oratione tantùm tranſigitur. quam orationem vates, vt ipſi exceperint, ſic etiam narrare conſueuêre. cuiuſmodi illud exemplum eſt: Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini malorum, filiis corrumpentibus. dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſraël, abalienati ſunt retrorſum, &c. Alterum genus eſt; cùm rerum futurarum ratio non tam oratione, quàm ſpecie aliqua Vatum mentibus obiecta, ſiue oculis etiam ſubiecta exponitur, quæ vel ab ipſis planè cognoſcatur, vel præſentis interpretis opera declaretur, vt illud: Vidi per noctem, & ecce vir aſcendens ſuper equum, &c. Et dixi, Qui ſunt iſti Domine mi? &c. Tertiũ verò genus eſt, cùm neque oratione, neque viſione quid fiat, factum futurumque ſit, Vates docetur & refert. Sed ipſe potius aut ſolus, aut adhibitis etiam ſociis agere & repræſentare, ſpectantiumque oculis ſubiicere iubetur. quo vaticinandi genere ad hominum permouendos animos, atque adeò ad memoriam vel diutius conſeruandam, vel recordationem vehementius excitandam, nullum neque præſentius, neque efficacius eſſe demonſtrauimus. quamobrem genus hoc ſignum propriè appellatum in ſacro ſermone eſt: vt, Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in ſignum & portentum in Iſraël à Domino exercituum, &c. Atque adeò tertium & poſtremum genus hoc altero ex duobus modis à vatibus excipitur. nam perſæpe accidit, vt actio ipſa ratione etiam atque oratione ſubiuncta explicetur, quę aliàs obſcurior difficiliorque futura eſſet. nónunquam verò, vt Vati clara apertaque vſque adeò ſit, contingit; vt neque iudice, neque oratione ad cognoſcendum egeat. Prioris formæ exemplum illud apud Iſaiam eſt: Vade & ſolue ſaccum de lumbis tuis, & calceamenta de pedibus tuis: & fecit ſic, vadens nudus & diſcalceatus: & dixit Dominus, Sic ambulauit ſeruus meus Iſaias nudus & diſcalceatus tribus annis: ſignum & portentum erit ſuper Ægyptũ & ſuper Æthiopiam, &c. & quod apud Ieremiam de lineo lumbare abſcondito & putreſcente longius narratur expoſitioneque etiam adiuncta declaratur: Hæc dicit Dominus, Sic putreſcere faciam ſuperbiam Iuda & ſuperbiam Ieruſalem multam, &c. Multa etiam huiuſmodi apud Ezechielem exempla ſunt. Poſterioris verò formæ illud cùmprimis Iſaias nobis præbet: Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis: Velociter ſpolia detrahe, cito prædare. Cuius iuſſionis ſententiam, quòd Vates intellexerit, non rogauit, ſed vt certam fore oſtenderet, adhibuit ſibi teſtes fideles, Vriam ſacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ, &c. Et Ezechiel etiam laterem ſumere, vrbiſque ichnographiam deſcribere nulla alia rei ſibi cognitæ interpretatione addita iubetur. In hoc autem rerum genere nonnullæ aliquando vatibus imperari ſolent, quæ vel ad agendum duriores, vel ad ſpectandum mirabiles magis eſſe videantur: quarum quòd perſpecta ſit ratio aut cauſa, quamobrem imperentur, non quæritur. Sic Ezechiel quòd nouacula ſibi barbam capillumque radere iubeatur, neque

Marginal notes: Zach. 1. — Iſa. 7. — Iſa. 20. — Ierem. 13. — Iſa. 7.

cauſam ipſe rogat, neque etiam non interrogans docetur, ſed ſimul cum mandato cognitam, ipſe idem vbi egerit, exponit. Hanc prorſus rationem noſter Vates hoc in loco perſecutus, mandata atque iuſſa diligenter egit; neque, quamobrem ita agere iuberetur, cauſam ſibi, vtpote planè perſpectam, exponi poſtulauit, qui aliàs monſtratorum ſpectrorum, viſionumque ſignificationes doceri cupiens curare rogareque maxima cura ſolebat. actionis autem genere cognito actio ipſa ſpectanda, quamque breuiter dilucideque maximè præſtari à nobis poſſit, diuini ſpiritus auxilio explicanda reſtat. Igitur Dei erga Iudæam gentem & gentis ipſius erga Deum rationes, cuiuſmodi deinceps futuræ ſint, non tam præmonſtratæ aut verbis expoſitæ, quàm ſua ipſius actione repræſentatæ atq. oſtenſæ Vati noſtro hoc in loco deſcribuntur. Neque enim Deus paſtorem ſeſe populi eſſe nunc apud Vatem profeſſus eſt, ſed ipſum paſtorem eſſe,ſuisque ipſius actionibus, quid populo futurum eſſet, intelligere iuſſit. [*Hac dicit Dominus Deus meus.* Hebraicè, *Hac dixit Dominus Deus meus.*] Eam, quam narraturus eſt, rem ſibi à Deo iudice, gubernatore, imperatoreque ſuo iniunctam fuiſſe profitetur: atque hac oratione certam, attentioneque & cognitione digniſſimam docet. [*paſce pecora occiſionis.*] Ipſa primùm obiectarum rerum natura, deinde verò ſignificatio cognoſcenda explicandaque nobis ex more eſt. Atque, vt quænam occiſionis pecora ſint, & quamobrem ſic dicta, ſciamus, illud obſeruare oportuerit, duplex in paſtionum cura atque arte pecorum genus eſſe; alterum ad ſobolem ſufficiendam propagandamque idoneum, atque idem ob eam rem vtiliſſimum, quod fœtu ac lacte vellereque interdum dominos alit, & indies locupletat. Id autem magna cura & diligentia tum paſci, tum foueri, atque ne qua ex parte aut morbo, aut ferarum impetu lædatur, cuſtodiri ſolet. quod qui quàm copioſiſſimum habuerit, ditiſſimus eſſe credatur. neque is vendere ad macellum, neque ad familiæ paſtum occidi ex iis vel vnum patiatur,
Gen.31. quod maiori ſobolis vſui & lactis fructui eſſe credat. Cuiuſmodi greges apud Labanum
« ſocerum Iacob magna cura ſibi ſuſceptos, paſtos altosque commemorat: Viginti annis fui
« tecum, oues tuæ & capræ ſteriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, neque ca-
« ptum à beſtia oſtendi tibi: ego damnum omne reddebam quod furtim perierat, à me exigebas, &c. Alterum verò pecoris genus eſſe, quòd cùm ad ſobolem inutile fore cognoſcatur, macello deſtinatum, interim paſcitur & curatur; quoad emptor aliquis opportunus accedat, cui diuenditũ tum mactandum tradatur. Cuius generis caprorum arietumque maxima pars eſt: & ex femellis eæ, quæ vel naturali ſterilitate, vel ætate inutiles ad ſobolem cenſentur: huiuſmodi quæcunque ſunt, & paſtores quam citiſſimè à ſe diuenditas abduci, & emptores quam maturrimè mactatas cupiunt: vt quas ſibi occiſas emolumenti nonnihil, diu autem conſeruatas detrimẽti plurimum facturas putant. Quamobrem ſingulis
Pſal.43. diebus partem aliquam ſaltem ex his mactari curant, ſicut ſcriptum eſt: Quia propter te
« mortificamur tota die, exiſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Huiuſmodi gregẽ, quẽ paſceret, ſibi parare Vates iubetur, omnibus, quas iam expoſuimus, notis deſcriptũ hoc modo:

Quæ qui poſſederant, occidebant, & non dolebant: & vendebant ea dicentes, Benedictus Dominus, diuites facti ſumus: & paſtores eorum non parcebant eis. Hebraicè ad verbum ſic: *Quæ ementes ea occident; & nõ culpabuntur: & vendentes ea dicent, Benedictus Dominus, & ditabor: paſtores eorum non indulgent ſuper ea.*

EIVS rei, quæ pecus occiſionis dicta fuerat, expoſitio per definitionem ſiue deſcriptionem explicata hæc eſt. Educitur autem definitio ex ſententiæ & conſilij locis. etenim quoddam pecus curari, quod rurſus occiſioni addici dignum ſit, ex eorum qui poſſident, iudicio & ſententia cognoſcitur. nam quæ Dominus à ſe abducta cupiat, neque paſtor ipſe abduci doleat, neque emptor retinere velit, ea mactationi tantum idonea eſſe conſequitur. quæ verò fructu aliquo prodeſſe poſſunt, tum Dominus ſi vendat, damno magis, quàm lucro apponit, tum paſtor ex paſcendi conſuetudine & vtilitatis vſu pecus amans vendita dolet ac deſiderat; tum etiam emptor non occidit, ſed ad augendam rem conſeruat: quòd ſi occiderit, à vicinis culpatur, vt qui vtilem fœcundamque ſibi futuram rem temerè perdat. Itaque occiſionis pecus ex horum trium animo & conſilio cognoſcitur; quod qui emerit, occidet, & non culpabitur; & qui vendit, putat ſe diuitem factum, quòd inutilis pecoris paſcendi & cuſtodiendi moleſtia liberatus fuerit: atque etiam ea pecunia auctus, quæ indies minor fieret, ſi diutius exſpectandus eſſet emptor. Quamobrem Deo gratulatur, cuius beneficio ſibi in pecore vendendo conſultum eſſe credit. [*Benedictus Dominus, & ditabor.*] Iam videor, inquit, mihi fore diues, qui inutilem rem à me non ſine emolumento abiecerim, quod felix fauſtumque ſit. [*Et paſtores eorum non indulgebant.*] Hebraicum verbum *indulgere*, parcere, clementerque agere ſignificat. Eſt autem

clementia eius rei, quæ alioqui vtilis fore credatur, conſeruatio. vt illud: Et apprehenderunt manus eius, & manum vxoris eius, ac duarum filiarũ eius, eo quod parceret Dominus illi, &c. [*Ementes ea occident, & non culpabuntur.*] Non enim alia cauſa emunt, niſi vt occidant. Igitur huiuſmodi gregem macello deſtinatum dum Vates parat & paſcit, expectatque quoad emptores qui occiſuri ſunt, acceſſerint, illud portendebat, Deum Iudæam gentem tot annis magna cura gubernatam & omni beneficio auctam; neque tamen vel vllo fructu commendabilem, vel vtilitatis veræ ſpe iam vlterius ferendam; interim ita paſturum & ducturum, quoad cumulatis ſceleribus indignitateq́. aucta emptoribus ad mactandum tradat. Atque Romanorum exercitus emptores futuri erant; quibus quanquam non nimium magno pretio, non gratis tamen addictam fuiſſe conſtat, vt ex Ioſephi, aliorumque auctorum hiſtoria accepimus. atque in ipſis tranſlationis verbis magna rei ſignificatio ſubeſt. Appellatur enim emptores, qui res antea non ſuas perſoluto pretio ſui iuris reddunt: pretium verò Hebraicè ſanguines dicuntur. atque ita populus ille Romanis non incruento bello vendicatus eſt, à quibus ob eam rem præter omne antiquum exemplum vexatus, direptus atque omni crudelitate laceratus eſt. Fuerunt enim dies illi tribulationis tales, quales non fuerant ab initio creaturæ, quam condidit Deus vſque nunc, neque fient: &, Niſi breuiaſſet Dominus dies, non fuiſſet ſalua omnis caro, &c. hoc eſt quod ait, Quòd *ementes ea occident, & non culpabuntur.*] neque enim à quoquam mortalium culpæ datum Romanis fuiſſe, imò contrà laudi aſcriptum legimus, quòd Iudæos, quos tanto ſanguine & belli obſidioniſque tædio tandem victos ſibi addixiſſent, nullis neque religionis, neque publicæ, neque priuatæ rei vſibus idoneos iudicatos ſine clementia occiderent. hæc omnia ex ijs quæ apud nos extant, hiſtoriis nota ſunt. namque Iudæi ex quo Deum ſibi infenſum reddidere, nullius erga ſe mortalium æqua aut clementia habuêre iudicia, neque ſocietatem vel amicitiam ſatis aut ipſis tutam, aut aliis vtilem gerere potuerunt. Etenim Pharao, qui quoſdam ex illis profugos ſuſceperat, in Aſſyriorum offenſionem acerbiſſimo incommodo ſuo cecidit, ita vt cùm illos à ſe depulſos tradidiſſet, illud non ineptè dicere poſſet: *Benedictus Deus, & ditabor.*] Sed neque paſtor ipſorum Deus indulſit eis, quos ob nefaria antiqua & diuturna ſcelera iam diu ad pœnitentiam exſpectatos emptoribus tradere tandé decreuit, ſicut ſcriptum eſt: Ecce anni tres ſunt, quærẽs fructum in ficulnea hac, & non inuenio. ſuccide ergo illam, vt quid enim terram occupat? hunc itaque Iudææ gentis futurum exitum pecoribus ad macellum ſibi paſcendis Zacharias indicabat. interim autem dum emptores accederent, gregem paſci, hoc eſt, populum illum à Deo regi, deduci, tolerari curarique oportebat: ſed quibuſnam modis id agendum foret, varia tempeſtatum futurarum repræſentatione Vates docet, eius, quam ipſe ſuſceperit atque adhibuerit, actionis imagine ex diuino oraculo prius declarata.

Gen. 19. / Marc. 13. / Luc. 13.

Et ego non parcam vltrà ſuper habitantes terram, dicit Dominus.

GREGEM populi, ſeque paſtorem Dei paſtoris Iſraëlis & Iudæ perſonam ſuſtinere ſatis intellexerat Vates, tum quod ſcriptum eſſet, Qui regis Iſraël, intende, qui deducis velut ouem Ioſeph. rei verò exitum tum ex iis, quæ à ſe antea in ſacerdotum, voluminis volantis, duarumque feminarum ſpectris viderat, probè cognoſcebat. ex qua re effectum eſt, vt non rogaret ipſe, ſed diuinam de hac re ſententiã, quam aliis referret, vltro prolatam audiret. Ita, inquit Deus, eueniet, vt ſicut tu non parces vendendis pecudibus, ego etiam nó parcam ſuper habitantes terrã. itaque hæc oratio aſſeuerationẽ magis quàm interpretationem habet, vt illa etiam, quæ ad hoc vaticinandi genus adfertur: Sume tibi vxorem fornicarionum, & fac filios: Quia fornicans fornicabitur terra à Domino. fuerit autem magnum operæpretiũ, ſingulis vaticiniorum generibus ſuas etiã ſermonum orationumq́. formas ac modos obſeruando conferre, quibus & ſententiæ ratio, & actionum ipſarum proprietas illuſtrari maximè poteſt. conſilij itaque diuini ſententia atque aſſeueratio hæc eſt, quæ opportuna expoſitione continuò amplificatur.

Pſal. 79. / Hoſeæ 1.

Ecce ego tradam homines, vnumquemque in manu proximi ſui, & in manu regis ſui: & concident terram, & non eruam de manu eorum.

MAXIMAM illam crudelitatem tum eorum regum & principum, qui poſt Chriſti in cælos aſcenſioné, Neronis & Veſpaſiani tẽpeſtatibus Iudæis præfuerũt, tum etiã quorundã Iudæorũ, qui ſeditione intra vrbem Ieroſolymã facta, cæteris conciuib. direptis aut trucidatis grauiſſimè nocuerunt, Deus hoc in loco ſignificat. namq. Ieroſolymitana illa acerbiſſima clades & pernicies ab vtriſq. his illata eſt, Deo id in ſceleratorum hominum pœnam permittente. [*Ecce ego tradam*: Hebraicè, *Ecce ego inuenire faciam.*] humanã nocendi cupiditatem & diuinam permiſſionem hoc verbum ſignificat. namque inuentio inquiſitionem

præcedentem arguit. Quòd ſi quid Deus inuenire faciat, profectò cõſequitur quoſdã eſſe, qui inquiſierint. atque plurima quotidie mortalibus procreari pericula, plurimos vndique proponi laqueos, manifeſtis exemplis aſſiduè deprehendimus, vt ſcriprum eſt: A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incut ſu & dæmonio meridiano. Ea verò vt declinentur, Dei protegenris cura prouidentiaque efficitur. Domini namque ſalus eſt, in cuius præſidio quæcunque latent, tutiſſima ſunt. Cadent à latere tuo mille, & decem millia, à dextris tuis: ad te autem non appropinquabunt. hac itaque tutela ſi quis ob propriam culpam vacuus relinquitur, dum inimicorum inſidiis, nequiſſimorum & auariſſimorum hominum prædæ, aliiſque quamplurimis periculis, à quibus non longè abeſt, peruiũ eſſe conſequitur. [*Vnumquemq. in manu proximi ſui.*] Ea, quæ à Ioſepho atque Ægeſippo de ſceleratiſſimis illis *Peruſzim*, id eſt, irtuptoribus vocatis narrata ſunt, hoc loco apertè ſignificantur. [*Et in manu regis ſui.*] Herodes Agrippas, atque alios Solymorum cladis primos, Veſpaſianos item & Titos poſtremos Ieroſolymitanæ cladis auctores indicat. [*Et concident terram.*] Iudaicam vaſtationem vrbiſque excisionem prædicit, quæ Deo ſpectarore tantum, non item vindice edenda fuerat, ſicut ſcriptum eſt: Nonne tu Deus, qui repuliſti nos? & non exibis, Deus, in virrutibus noſtris? ob eam rem ait, *Et non eruam de manu eorum.*] namque in illius tantùm volũtate & defenſione certam ſalutem eſſe cognouimus. Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana ſalus hominum. in Deo faciemus virrurem, & ipſe ad nihilum deducet inſurgentes in nos.

Psal. 91. — Psalm. 107.

Et paſcam pecus occiſionis, propter hoc ô pauperes gregis; & aſſumpſi mihi duas virgas, unã vocaui Decorem, & alteram vocaui Funiculum: & paui gregem.

IMPERATAM ac datam actionem ſumma fide & diligentia ſuſceptam ſibi, atque ex futurarum rerum ratione adminiſtratam fuiſſe Vates docet. ipſius namque oratio hæc eſt, aſſerentis ſe pecus occiſionis pauiſſe, non quòd eo ſtudio teneretur, ſed quòd eam rem agere iuſſus a Deo eſſet: qua quid populo futurum eſſet, aptiſſimè ſignificaretur. mirum enim & abſurdum videri poterat, virum ſapientem, prophetico ſpiritu auctum, & qui ad publicam conſtituendam rem plurimum & conſilio & opera conferre poſſet, ad humile paſtoralis curæ genus ſtudio tranſlato pecus paſcẽdum, neque verò id vtilitatis, ſed mactationis cauſa ſuſcepiſſe, ſed eam hominum cogitationem & reprehenſionem ipſe anteuertit, infirmiſſimas & manſuetiſſimas quaſque ex grege allocutus: quarum miſericordia commotus pecoris mactationi deſtinati paſcendi curam ſuſceperit [*Propter hoc ô pauperes gregis.*] Paui, inquit, ego pecus occiſionis, propterea quòd iuſſus, & quòd veſtri, ô pauperes gregis, fuerim miſertus. verbum Hebraicum, *Propter hoc*, ex ſentẽtiæ & Maſſoreth ratione ſimul, & propter vos, & propter hoc, ſignificat. [*Et paſcam.*] Futurũ pro præterito vel pro diuturno tempore, vt diximus, ponitur; cuius nota eſt coniunctio præpoſita. illa verò huius loci arcana interpretatio eſt, Iudaicum populum ob multa & nefaria ſcelera ſupplicio addictum, paucorum tamen bonorum & piorum, qui inter eos eſſent, cauſa fuiſſe à Deo interea gubernatum, quoad mactationis tempus cumulatis iam criminibus & culpis maturum prorſus accideret: quo tempore & noxiis atq. ſceleratis ſupplicium, & piis atque probis liberatio ac ſalus afferenda eſſet, ſicut ſcriptum eſt: Sed propter electos, quos elegit, breuiauit dies hos. Electos, quos elegit, hoc in loco pauperum gregis nomine ſignificat Vates: quos puſillum gregem eadem dicendi figura Chriſtus nominauit. Nolite, inquit, timere, puſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum. at verò in hoc diuino conſilio deferendo gubernandoque Iudaico populo, quemadmodum res habitura eſſet, muneris perſonæque ſuæ partibus adornandis peragendiſque docuit. nam virgas ad eam rem ſibi comparatas fuiſſe ait, quòd id genus paſtoricij inſtrumenti ad ducendum gubernandumque pecus idoneum ſit: pedum Latini vocant, ſicut ſcriptum eſt: Bouis & ouis, & capræ: quæ ſub paſtoris virga tranſeunt. huiuſmodi autem binas pro varia temporum & rerum ratione, vt vſibus, ita & nominibus diſtinctas aptaſſe ſibi Vates ait, alteri nomen *Decor*, alteri *Funiculus*, ſiue, vt Hebraicè eſt, *Funiculi tennantes*, factum. Atque hanc rem ad arcanum ſenſum referendam eſſe, impoſitorum nominum ratio indicat. vtque actionem ipſam exponamus, Vatem ex eodem ligno duo peda confeciſſe intelligimus: quorum alterum forma & firmitudine alteri præſtiterit, cuiuſmodi à paſtoribus parari ſolent, elegantia operarus etiam ipſis ſpectabilia, vt illud:

Marc. 13. — Luc. 12. — Leuit. 27. — Virg. eclog. 5.

At tu ſume pedum, quod me cùm ſæpe rogaret,
Non tulit Antigenes.

Huic ex operis & roboris præſtantia nomen Decor inditum eſt; alterum verò & forma & firmitate longè impar, quod funiculorũ magis quàm baculi imaginẽ referret, *Funiculi tennantes* appellatũ eſt. Huius verò rei quæ ſit interpretatio, breuiter videamus. Baculi ſiue peda

hæc

hæc ſacerdotes apud me ſignificant, quorum auctoritate, conſilio & opera præcipuè Iudæorum res ſecundi templi temporibus procuratæ ac geſtę fuerunt. Ex quibus tres celeberrimi habiti ſunt, per quos reſpublica illa à Græcis propè conuulſa & obruta excitari, erigi, atque aliquamdiu contineri viſa eſt. Hi fuêre ex Haſmonæorum familia, Iudas cognomento Machabæus, Simeon & Ionathas fratres, virtute, pietate & fortitudine pręſtantes viri, quibus *decori* cognomen meritò conueniret. ex his autem nemo rex dictus vel ſalutatus fuit, ſed vel ductores populi vel vncti belli vocati ſunt. huiuſmodi namq. agnominibus in literis à Romanis ad eam gentem datis appellatos fuiſſe, Ioſephus Hebræus auctor ſcribit. quarum etiam literarum argumentum in noſtris Machabæorum libris eſt. hos autem tres ſummos viros alij ex eadem familia felicitate quidem & rerum geſtarum gloria longè impares, temeritate verò & audacia atque arrogantia præcipuè notabiles, qui regium nomen præter ius atque fas, præter vllum in rempublicam magnum meritum ſibi vſurpauerunt, quos debilitantes funiculos vocari par eſt: vtpote qui ad trahendam magis, quàm ducendam & gubernandam rem effecti eſſe viderentur. non ab re autem ſacerdotes virgarum imagine à Vate noſtro ſignificantur. namque ab ipſis inſtituti ſacerdotij initijs pontificia auctoritas virga Aaronis frondente ac florente fructumque gignente indicata confirmataque fuit. Vt autem varia Regum, iudicum ſacerdotumque huiuſmodi inſtrumenta ſunt, ita & varijs nominibus Hebraicè dicuntur, atque paſtorum & ſacerdotum proprium eſt pedum, quod Hebraica lingua MAKAL vocatur, quo & Iacob pecorum paſtor, & Aaron populi ſacerdos vſi ſunt. Igitur Iudæorum res à tribus illis magnis ſacerdotibus adminiſtratas rectè atque decenter habituras; contrà verò ſub cæteris pontificibus contractiores deterioreſque indies fore Vates hac baculorum diſtinctione portendebat: atque hoc modo ſibi gregem paſtum eſſe ait, vt ſignificaret populum pium & Deo gratum charumque fore, quamdiu optimis & pientiſſimis ſacerdotibus regi contingeret; contrà verò negligentioribus & inſolentioribus pontificibus vſum deteriorem Deoque ingratiorem euaſurum.

Et ſuccidi mihi tres paſtores in menſe vno, & contracta eſt anima mea in eis: ſiquidem & anima eorum variauit in me.

OPTIME profectò Latinus interpres noſter vertit, *Siquidem & anima eorum variauit in me.*] neque enim diuina erga homines tutela & cura antè remittitur, quàm ab ipſis, quamobrem remittantur, commiſſum fuerit; ſicut ſcriptum eſt: Et dimiſit eos ſecundum deſideria cordis eorum, &c. Atque explicationis gratia quædã huius carminis verba ex Hebręo, vtcumque poterimus, vertemus: *Et abſcondi feci* [*certos*] *tres* [*illos*] *paſtores in lunatione vna, & contracta eſt anima mea in eis: ſiquidem & anima eorum velox fuit in me.*] Quid ſignificet velocẽ eſſe animam eorum, interpres noſter apertè expoſuit. [*Variauit in me.*] hoc eſt, temere & incõſtanter erga me ſeſe geſſit. Ait verò Zacharias ſe ipſum gregis à ſe gubernati tœdere cœpiſſe, quòd poſt deſideratos tres paſtores à ſe inſolenter abalienatum cognoſceret. Atque illud verè à Vate actum accipimus, videlicet tres à ſe pecori præfectos paſtores intra menſis tempus dimiſſos, atque diſcedere iuſſos fuiſſe: ſtatim verò temeritate quadam pecudum erga ſe cognita tædio fuiſſe affectum. [*Et abſcondi feci*, Latinè dicitur, *deſiderari feci*,] neque vllum verbum aptius ad eam ſignificationem Latinè ſuccurrit: illud verò Hiſpanè ad Hebraicam elegantiam proximè accedit, *hize deſparecer.* [*certos*] *tres* [*illos.*] Hebraicè articuli notationis ſunt, qui cùm in Latina lingua deſiderantur, huiuſmodi pronominibus & relatiuis indicari ſolent. ſententia porrò ipſa nobiles & illuſtres paſtores fuiſſe docet, quos Vates intra menſem dimiſerit ex arcana futurarum rerum ſignificatione: quæ iuxta expoſitionis noſtræ rationem ad eandem rem, quæ virga decora ſuperius nominata eſt, referri commodiſſimum fuerit, hoc eſt, ad tres Matthathiæ ſacerdotis maximi filios cognomento Haſmonæos, qui quòd munere ſuo optimè perfuncti fuerint, paſtores verè appellantur. hos autem intra lunationem vnam deſideratos fuiſſe dicit. namque vt Vates tres illos intra menſem ſuſtulit; ita hi triginta annorum ſpatio, alius alij ſuccedens, mortem obiêre. Iudas enim Machabæus ſexennium, & exercitui, & ſacris præfuit; Simeon decem & octo annis: Ionathas verò ſex: qui omnes anni ſimul triginta ſunt. Atque menſis lunaris triginta ferè dierũ cùm ſit, dieſq; pro annis in ſacro ſermone ſæpe vſurpẽtur (vt maneat puella nobiſcum dies aut decem menſes) lunationis nomine trigenarium numerum notamus. Quamobrẽ nomen medium à Vate pronuntiatum videtur IERAHH, quod conſonantibus literis lunam ſiue menſem; vocalibus verò lunationem ſiue lunarem numerum ſignificat, namque luna ſiue menſis IAREAHH dicitur: Matthathiæ verò tempus non annumeratum eſt, quòd is præ ſenecta exercitum ducere non potuerit, neque in bellicis rebus

Pſal. 80.

fuerit vltra annum verſatus. fieri etiam potuit, vt tres illi ſacerdotes eodem menſe, alio tamen alius anno, deſiderati fuerint: quod tamen nobis neque ex noſtra, neque ex aliena hiſtoria compertum eſt. his igitur paſtoribus deſideratis Deum populo illi à pietatis cultu ad vitia malæque conſuetudinis corruptelam tranſlato abalienandum Vates ſuſcepti videlicet pecoris tædium apertè declarans retulit. [*Et contracta eſt anima mea in eis: ſiquidem & anima eorum variauit in me.*] Animæ contractio tædium Latinè dicitur: Eſt autem hoc loco *anima* non qua ſapimus, ſed qua appetimus, aut aſpernamur; in qua tædia faſtidiaque ſunt: hoc enim *Nephes* Hebraicum nomen hominibus & brutis commune ſignificat. Adeò autem offenſum ſeſe exhibet, adeoque Deum offendendum docet, vt priori iam illa cura laxata pecus ipſum temeritati propriæ permiſſum periculis cõſequẽter cinctum fungi permittat.

Et dixi, non paſcam vos: quod moritur, moriatur: & quod ſucciditur ſuccidatur, & reliqui deuorent vnuſquiſque carnem proximi ſui.

NEGLECTIONEM atque tædium hæc oratio manifeſtè indicat, vt paſtor, quid pecori fiat, quid mali accidat, ſecurus iam vel pertæſus potius minimè ſibi laborandum ducat: neq. quid, quóue modo pereat, morbóne, an furto, an rapina, curet. Hæc verò ad arcanã ſignificationẽ tranſlata, quid ſignificent, apertũ eſſe arbitramur; videlicet multiplex miſeriarum calamitatumque genus, quo Iudææ res tum ciuili tumultu ac diſſentione, tum hoſtili impetu premendæ erant.

Et tuli virgam meam, quæ vocabatur Decus, & abſcidi eam: vt irritum facerem fœdus meum, quod percuſſi cum omnibus populis.

QVOAD pecus ſuum à Vate pedo illo illuſtri gubernatum fuit, nihil periculi neque à feris, neque à furibus atque inimicis hominibus allatum eſt: vbi verò paſtoribus illis ſublatis grex ille temere agere cœpit, illa gubernandi forma, quæ prius expreſſa fuerat, extincta tandem eſt, atque illa etiam cura laxata, locus & rapinis & furtis aliiſque incommodis eſt relictus. Quæ res illud nimirum portendebat, Iudæorum publicæ rei, poſt trium illorum ſacerdotum mortem, dignitatem, decus & ſplendorem omnem turpiſſimis moribus obſoleſcentem, in deteriorem & contemptibilem gentibus omnibus obſcuritatem fore mutandum, ita vt alio, quàm antè, modo gubernatis illis exterarum finitimarumque nationum, neque parem gratiam, neque iudicium, neque fidem in ſeſe experiri contingat. [*Vt irritum facerem fœdus meum, quod percuſſi cum omnibus populis.*]. Illorum trium fratrum conſilio & virtute magnam tandem Iudæis Deo auctore ſecuritatem pręſtitam fuiſſe, inita cum
Mach 7. Romanis ſocietatis atque communis iuris fœdera confirmant, præter Gręcorum Ægyp-
10. 11. tiorumque vel inducias, vel amicitias conciliatas, ſicut ſcriptum eſt: Bene ſit Romanis &
" Genti Iudæorum in mari & in terra in æternum, gladiuſque & hoſtis procul ſit ab eis, &c.
Hæc verò omnia viris illis vita functis irrita infectaque fore atque in ſummam apud Gen-
Machab. 11. tes omnes inuidiam conuertenda, Vates illa oratione docuerat; [*Vt irritũ facerem fœdus meum,
quod percuſſi cum omnibus populis*] Fœdus à Iuda cum Romanis iunctum atque à Ionatha re-
Machab. 12. nouatum, & cum Sparthiatis initum, amicitiaſque ab eodem cum Alexandro Antiochi
Machab. 13. filio, alteroque Antiocho Alexandri hærede initas, literas etiam fœderis & immunitatis
à Demetrio rege per Simeonem impetratas, confirmatumque per eundem cum Romanis
& Sparthiatis fœdus, præterea Antiochi Demetrij filij cum Simeone amicitiam, & commendatam ac defenſam per Romanos apud cæteras nationes Iudæorum tranquillitatem & dignitatem, cæteraque omnia quæcunque ad hanc referuntur rationẽ, vſque ad Simeonis mortem, hac oratione Vates complexus, deterrima & calamitoſa, quæ poſt ætatem illam deinde extiterint, tempora apertiſſimè ſignificauit, adeò vt res hæc omnis pientiſſimo & ſapientiſſimo cuique ætatis illius conſtitiſſe dicatur.

Et in irritum deductum eſt in die illa: & cognouerunt ſic pauperes gregis, qui cuſtodiunt mihi, quia verbum Domini eſt.

POST Simeonis mortem Iudæorum moribus vehementius indies perditis Iudaicam rem tum à finitimis & vicinis, atque etiam à longinquis nationibus fœdere omni rupto, tum ab ipſiſmet, domi pace turbata, debilitari ac labefactari inſipiendam eſſe, & Vates oſtendit, & qui pij bonique illo tempore erant, ex ſpectata Vatis actione intellexerunt. neque verò ſeſe aut odio, aut maleuolentia à pecoris cuſtodia abalienatum fuiſſe Vates ait, quin potius renouato conſilio curam ſuſcipere & repetere voluiſſe, modò ſibi gratia aliqua ab ijs, qui maximam deberent, referenda eſſet.

Et dixi

Et dixi ad eos, Si bonum eſt in oculis veſtris, afferte mihi mercedem meam: & ſi non, quieſcite. & appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me, proyce illud ad ſtatuarium decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis. & tuli triginta argenteos, & proieci illos in domum Domini ad ſtatuarium.

QVÆ verè tandem re ipſa inter Deum & populum tranſigenda erāt, eadem ad ſignificandum verè etiam & re ipſa à Vate noſtro acta commemorantur, qui ſeſe reſtituendi & conſeruandi gregis illius ſtudio adhuc detentum, eos, quorum intererat, adiiſſe, deque certa mercede referentem allocutum fuiſſe dicit, atque mercedis loco triginta argenteos accepiſſe: quos demum Dei iuſſu in templum ad figulum quendam ipſe proiecerit. [*Et dixit ad eos.*] Ex multorum paſtorum ac dominorum gregibus inutiliſſima queque & occiſioni deſtinata diligendo pecus illud ſibi Vates comparauerat, cuius importunitatis ſtudio affectum ſe fuiſſe ait, ſed miſericordia rurſus commotum curamque renouare eandem paratum, atque officij erga gregum paſtores faciendi cupidum ſermonem de pretio laboriſque ſui mercede inſtituiſſe. Si vobis, inquit, cura, diligentia atque opera mea placet, laboris & induſtriæ mercedem æquam mihi tribuite; ſin minus vel placuerim, vel placere vobis iudicor, vt mercedem exoluatis, non poſtulabo: veſtrum de meo labore atq. officio iudiciū, de mercede tribuenda conſilium eſto. [*Si non, quieſcite.*] Si non placeo, inquit, vobis, definite mihi vel mercedem proponere, vel dare: igitur appenſi ſunt triginta argētei Vati. tanti enim illis viri & ſapientiſſimi & officioſiſſimi cura, ſolitudo & induſtria æſtimata eſt, tanti redempta in ſuos vſus ſeruitus & opera eam mercedem, quæ iniurioſa & contumelioſa magis quàm honoraria videretur. Proiicere in templo Vates, atque figulo cuidā, qui templi miniſteriis idonea fictilia parabat, tradere iubetur, vt ex actione ipſa actioniſque perſonis & nominibus geſtæ rei memoria populo relicta futuræ arcanæque rei cuiuſdam ſignum atque expectationem daret. [*Decorum pretium*, Hebraicè eſt, *Fortitudo pretij.*] Eſtque figura ironia, ac ſi dicat: Importunum ſpectate iudicium hominum, quanti me eſſe putauerunt, quem tam paruo pretio redemptum ſuo iuri, auctoritati atque ſeruituti addicerent. Quamobrem iuſſus ſum id pretium in domum Domini allatum figulo ad ea, quæ ex terra in aliquos ſacros vſus finguntur, exponere. [*Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in domo Domini ad ſtatuarium.*] Ita actum à Zacharia eſſe intelligimus, vt ſcriptum eſt. quidnam vero ſtatuarij nomine ſignificetur, & Hebraicum verbum IOSSER, apertè declarat, & D. Matthæus clarè interpretatur figulum. neque enim ſtatuas, hoc eſt, ſimulachra aliquā in templo eſſe, neque eorum artificem aliquem templo addictum lex permittebat: figulos autem ad multarum rerum vſum nihil prohibuit eſſe. atque ita nomen ipſum cum notationis particula pronuntiatum, Hebraicè ſcientibus certum quēdam & notum figulum, & inter cæteros templi opifices connumeratum ſignificare videtur. hęc actionis hiſtoria fuit. Rei verò huius agendæ ratio & certa narratio quę fuerit, breuiter nobis eſt aperienda. Poſt deſideratos tres illos illuſtriſſimos ex Haſmonæorum familia ſacerdotes, cœca nimiū & turbulenta tempora conſecuta ſunt ſacerdotibus nonnunquam imperitiſſimis & improbiſſimis, nunquam minus legitimis ſuccedentibus, principibus præterea nunc nequiſſimis, interdum etiam tyrannis manifeſtis rem gerentibus: neque vllis præterea vatibus aut certis oraculis extantibus, quorum auctoritate & conſilio gubernari aut procurari poſſet res, ita vt neglecta Deo & dimiſſa iam illa reſpublica videretur: atque illud manifeſto omnium periculo conſtaret, quod per hunc Vatem ſcriptum fuerat, Non paſcam vos, &c. quos tantis antea tamque illuſtribus miniſtris, vatibus, ſacerdotibus paueram. Tandem verò Deus populi illius miſertus ſeſe vltro paſtorem præbuit, ſuſceptamq. antea curam ſingulariter, etiamnum renouans ſe ipſum, hoc eſt, verbum ſuum ſibi æquale, idemque omnino natura, virtute atque efficientia ſecum ſumma miraculorum efficacitate, ſapientiæ & orationis veritate ac vitæ integritate, atque omnibus his rebus inſtructum, quibus diuina auctoritas conſtituta agnoſci poſſet. ad eam tē miſit, vt populi illius imprimis aliarumque etiam gentium ſaluti conſuleret, atque rebus omnibus, quæcunque ad veram felicitatem pertinerent, præeſſet, qui cum plurimis & maximis tum naturæ dignitatiſque ſuæ, tum diuinæ legationis ac muneris ad publicam ſalutem ſuſcepti atque obiti tandemque explendi ſibi argumentis & exemplis præbitis illorum erga ſe officium poſtularet. eiuſmodi tamen ſuorum de ſe iudicia & ſtudia habuit, vt ab omni non ſolùm dignitate, ſed ciuitatis etiam ſuæ communione alienus exiſtimatus cùm offenſiones plurimas acciperet, tum demum repudiatis repulſam tulerit grauiſſimam, neque pluris, quàm triginta argēteis nummis æſtimatus, ad mactandum emptus fuerit: neque vel ipſe, vel ipſius pretium ad alium pietatis vſum valere poſſe iudicatū eſt, niſi tantū vt figuli agro in peregrinorum ſepulturā emendo impēderetur, vt ex eo homine, qui omniū primorū ſententiis

damnatus ſacerq. iudicatus eſſet, aliquis tamen pietatis fructus non ſublimis ille quidem & templi aliis ritibus, aut rebus comparandus, veruntamen aliquis minoris notæ Deo gratus haberetur, ſicut ſcriptum eſt: Non mittamus eos in corbona, quia pretium ſanguinis eſt: conſilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum. Conſilium initum fuiſſe ait euangeliſta, cuiuſmodi in rerum Deo grato genere exigua illa pecunia inſumi poſſet, quæ hominis à Synagoga ſua repudiati, ſacri atque infamis ſupplicioque digni iudicati pretium fuiſſet: neque enim dignioris notæ in ijs, quæ ad pietatem pertinent, rebus vſui idonea iudicata illis fuit. huius autem loci ſimplicem ac dilucidam expoſitionem ab euangeliſta edocti ſumus, ita referente: Propter hoc vocatus eſt ager ille Haceldama, hoc eſt, ager ſanguinis, vſque in hodiernum diem. Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Ieremiam prophetam: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt a filiis Iſraël, & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus. Zachariæ conſtitutum eſt, vt triginta æſtimationis ſuæ argenteos figulo pro terreis vaſculis daret, pontifices, ſacerdotes, & cæteri triginta etiam illos nummos, quos ſanguinis pretium dixerant, figulo pro terræ portione in ſepulturam hoſpitum exoluere.

Math. 27. / Ibidem.

Et præſcidi virgam meam ſecundam, quæ appellabatur Funiculus, vt diſſoluerem germanitatem inter Iudam & Iſraël.

IVDAICARVM rerum deſerendarum cauſa prædicta oportunitas à Vate indicatur. ea autem fuit acerrima quædam inter Hircanum & Ariſtobulum fratres de regno contentio: quæ & ciuilem diſcordiam induxit, & Romanorum potentiæ dirimendæ litis occaſione aditum ad dominatum occupandum patefecit. fuêre autem hi duo, quorum vehementi æmulatione & diſſidio reſpublica illa iam à trium illorũ paſtorum tempore paulatim indies inclinata demũ præcipitata eſt, Alexandri cognomento Lannei, ſiue Ioannis filij, quorum vterque appetiti ſibi regni cauſa obtentum & continuatum diu in ſua familia principatum magis alienis proditum detulit, quàm ſibi confirmauit. Hæc res præter ciuilia bella externas etiam calamitates, prædas, direptiones, vexationeſque plures à Pompeio atque ab aliis inferendas machinata eſt. Quam rem Vates ſecũdam illam virgam debilem admodum ac lentam; vtcunque tamen pecori trahendo, ſi non ducendo, idoneam conſcindens portendebat: cuius conciſione non minorem populo diſſenſionem commouendam ſignificauit, quàm ea fuerat, quæ quondam Iudæis & Iſraëlitis de regno contendentibus, hiſque Roboam, illis verò Ieroboam partes ſecutis facta eſt, cùm Iſraëliticæ gentis ſtatus conuelli ac labefactari inciperet, fraterna neceſſitudine atque concordia dirempta. [*Vt diſſoluerem germanitatem inter Iudam & Iſraël.*] Iudęorũ inter ſe diſcordiam, variaque erga Ariſtobulum & Hircanum fratres ſtudia & diſſidia, ad exempli ſimilitudinẽ, Iudaicæ & Iſraëliticæ defenſionis antiquæ nominibus notat. eſt autem hoc auctoribus non inuſitatum Synecdoches genus, cùm res altera ex alterius nominatur exemplo. quod omnino eadem vtriuſque ratio ſpectanda fuerit: vt, In domibus habitabit Kedar. & apud exteros: *Capiatorq; dabit riſus Naſica Corano.*

Iſai. 42. / Hor. lib. 2. ſerm. ſat 5.

Verè etiam inter Iudam & Iſraëlem diſſenſio futura erat, ſi multos etiam ex Iſraëlitis, in Iudæa reliquos fuiſſe intelligamus, vt Leuitas & Sacerdotes, atq. ex cæteris tribubus nonnullos quoque. cuiuſmodi verò poſt Haſmonæorum ſacerdotia & principatum tempora Iudæis inſtarent, cuiuſmodique pericula ſtruerentur, apertè ſatis nobis Vates ſignificare ſubiunctis verſibus videtur.

Et dixit Dominus ad me, Adhuc ſume tibi vaſa paſtoris ſtulti: quia ecce ego ſuſcitabo paſtorem in terra, qui derelicta non viſitabit, & diſperſum non quæret, & contritum non ſanabit, & id quod ſtat non enutriet: & carnes pinguium comedet: & vngulas eorum diſſoluet.

ALIVM omnino habitum induere aliaque inſtrumẽta geſtare Zacharias iuſſus, atque paſtoris temerarij perſonam agens, impendens Iudæis domeſticum malum externæque allatæ cladis initia indicauit. neque enim bàculis iam, vt antea, ſed armis, gladio & haſta aliiſque feriendi inſtrumentis vſus eſt: quę ad ouium magis cædem, quàm cuſtodiam parantur. Sunt autem hæc ſtulti paſtoris & ſuis magis, quàm pecorum commodis conſulentis arma & ſupellex, vt illa rurſus boni & ſtudioſi paſtoris inſtrumenta atq. apparatio ſunt virga, funes, vites, oleum, & quæcunque ad ducendas, reuocandas, defendendas curandaſque pecudes idonea ſunt. atque ex vtrouis inſtrumentorum genere & vſu paſtoris animus & ingenium arguitur. bonus autem miſericordia, ſolicitudine ac ſedulitate; improbus verò negligentia, contemptione atque crudelitate erga pecus vtitur. Vtriuſq. notæ ſatis expreſſæ apud Vates ſunt: Nonne greges à paſtoribus paſcuntur? lac comedebatis, &

Ezec. 34.

lanis operiebamini: gregem autem meum non paſcebatis; quod infirmum erat, non conſolidaſtis; & quod ægrotum, non ſanaſtis; & quod abiectum eſt, non reduxiſtis; & quod perierat, non quæſiſtis: ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia: & diſperſæ ſunt oues meæ, eo quòd non eſſet paſtor: & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum, &c. huiuſmodi paſtoris inſtrumenta geſtare Vates eſt iuſſus, vt Herodianæ dominationis vel potius tyrannidis tempora aperte ſignificaret: cuius quiſquis hiſtoriam apud Ioſephum alioſque Hebræos auctores legit, temerarij & ſtultiſſimi, imò & crudeliſſimi paſtoris intuetur imaginem. illi enim occupatam tyrannidem ad ſua tantùm cõmoda conuertentes magna in populum & primores viros, atque in proprios etiam liberos & familiares crudelitate adhibita exercitaque ſtabilire ſtuduêre, nulla publicæ rei cura, nullo ſtudio affecti, niſi quantum vtilitatis propriæ aut ambitionis cauſa popularia quædã ornamenta magno ciuium ſumptu procurauêre. Variam autem pro conditionum varietate pecoris cuſtodiendi curam eſſe oportet: nam quæ furto aut rapina ablata fuerint, recenſenda, veſtiganda redimendaque ſunt: quæ verò vel terrore, vel metu, vel inſcitia errauerint, vel ob ætatis imbecillitatem relicta fuerint, quærenda ac reducenda: quæ autem caſu, vel impetu, vel alia offenſione læduntur, curanda, fouenda & alliganda; quæ præ valetudine & macilentia mouere ſeſe nequeunt, ſuppeditatis herbis & cibis alenda; ea demum, quæ valida robuſtaque conſtiterint, conſeruanda amplificandaque ſunt. Intueantur reges, principes cæterique tum eccleſiaſtici, tum laici magiſtratus, qui nomen ſuum inter paſtores profitentur, cuiuſmodi nam ſuſceptum munus qua ratione, qua cura, qua diligentia & fide obeant. Pinguium & vngularum earum, quæ à Paſtore comedendæ diſſoluendæque erant, nominibus Dauidicæ domus & omnium principum virorum ſtrages & debilitatio ab illis tyrannis facta ſignificatur. Quem autem horum paſtorum, hoc eſt, Herodum regum & regni res exitum habituræ, quiſque tandem illorum, quæ à ſe deſcripta erant, temporum finis futurus eſſet, cantilena actionem ſuam concludens ex tragœdiarum more Vates declarauit.

O Paſtor & Idolum, derelinquens gregem: gladius ſuper brachium eius & ſuper oculum dexterum eius: brachium eius ariditate ſiccabitur, & oculus dexter eius tenebreſcens obſcurabitur.

HERODVM familiam ob negligentiam, impietatem & crudelitatem regno & dignitate omni amiſſa, prorſus extinctum iri Vates præcinit: id quod euentus ipſe declarauit. vltimus namque ex Herodum poſteritate Agrippa rex magis adeò nomine quàm re ipſa à Romanis dictus & conſtitutus, Ieroſolyma per Titum capta Romam captiuus ductus, cum vnico filio occiſus tandem eſt. cuius vicem non lamentabundus, ſed minitabundus Vates noſter canebat. [O *Paſtor*] ô minantis & acerbum fatum dicentis vox eſt: vt, O mucro Domini, vſquequo non quieſces? & apud exteros: O *virgo infelix, &c.* [*Paſtor & Idolum.* Hebraicè, *Paſtor Idolum.*] Paſtorem ſignificat, qui præter nomen nihil præterea paſtoricium obtineret, neque pecoris cura teneretur, neque vllo commodo ad eam rem fungeretur officio, ſed velut ſimulachrum quoddam paſtoris inter pecus eſſet. qualem Agrippam regem erga Iudaicum populum fuiſſe legimus, qui à Romanis rex dictus, non maiorem tamen, quàm præfectus quiſpiã auctoritatem tenebat: quippe qui neque Paulum poſt datam ad Cæſarem prouocationem, quanquam innocentem iudicatum, liberũ tamen pronuntiare ac dimittere potuit. quidnam illud regiæ dignitatis, maieſtatis & auctoritatis fuit! & tamen illud nihil, quodcunque fuit, bello gladioque eſt ademptum. Et vrbs ipſa Ieroſolyma, quæ principium regni & lumen erat, extincta omnino abſciſſaque eſt. Appellatur autem regia poteſtas & auctoritas brachium: vt, Tuum brachium cum potẽtia. &: Saluauit ſibi dextera eius, & brachium ſanctum eius. Vrbs verò Ieroſolyma, quæ excindenda vaſtandaque erat, oculus dexter dicitur, ſiue quòd omnis conſilij capiendi atque ineundi ratio Ieroſolymis vt regia atque metropoli ciuitate ſita fuerit, quæ ob eam rem ſancta ciuitas, hoc eſt, præcipua & ſeparata dicebatur; ſiue ad nomen ipſum alluſio fiat. quòd Ieruſalem viſio perfecta, ſiue, vt alij volunt, viſio pacis ex etymo exponatur.

Ierem. 47. Virgil. Ec-log.

VATICINII QVARTI ARGVMENTVM.

QVÆ tempora, quæ ſtatuum & condicionum mutationes ac varietates Iudæorum gentem publicamq; rem manerent, in proximo vaticinio apertè ſatis explicata ſunt. Illa verò omnia eius vel felicitatis, vel miſeriæ rationibus, quæ in humanis & ad huius vitæ vſum pertinentibus rebus ſpectatur, definienda fuère. at cùm vera & ſumma vel beatitudo, vel miſeria ex animorum tranquillitate, aut perturbatione agnoſcitur, eorum maximam ac præcipuam rationem haberi oportet. huic etiam parti poſtremo loco, vt grauiſsimo & opportuniſsimo argumento, cuius cauſa cætera ſuſcipiuntur, à Deo per Vatem eſt ſatisfactum, oſtenſumq; quiſnam Iudæorum & aliarum gentium in ea quæ ad animorum ſalutem vel perniciem pertineat, cauſa futurus eſſet exitus: Docet antè fore, vt gentium omnium atque adeò Iudæorum ipſorum maxima acerrimaq; aduerſus Ieruſalem, hoc eſt, ciuitatem ſanctam, quam Deus conſtituere moliretur, contentio quidem inimicitia atque æmulatio infeſtiſsima ſit; quæ tamen non ſine ſumma in eos qui infenſi eſſe perrexerint, animaduerſione & vltione tandem remittatur. quæ in re diuina virtus atque erga veræ pietatis cultores prouidentia apertis argumentis declaranda fuerit. quanquam enim plurimorum & potentiſsimorum aduerſus paucos & infirmiores bello concitato & magnis conatibus & viribus geſto, ipſe minoris & humilioris partis dux captus occiſusq; ſit, victoria tamen laus, vſus & poſſeſsio paucioribus atque imbecillioribus exiſtimatis propria perpetuaq; fiet. Fore autem porrò, vt poſt deſideratum atque publico luctu & lamentatione deploratum ducem illum, limpidiſsimus & dulciſsimus vberrimeq; fluens aquæ fons in Ieruſalem Deo auctore atque demonſtrante aperiatur, cuius virtute omnes hominum ſordes expientur & eluantur. omnis deinde vani cultus ſuperſtitioniſq; error ex terrarum orbe hominumq; mentibus ademptus tollatur, plurimis tamen in ea contentione tum ex alijs nationibus, tum ex Iudæorum gente perditis & occiſis; ijs verò, qui ſuperfuerint, magno præmio, honore & dignitate affectis & auctis. atque eo tempore diuina virtus maximorum miraculorum ſpectaculo illuſtris orbi probanda fuerit, plurima & dulciſsima ſalute, pia atque perpetua pace, pijs allata & confirmata. Ex qua re illud effectũ iri dicitur, vt Ieroſolymitana ciuitas maxima non ſolùm Iudæorum, ſed omnium vndique confluentium nationum frequentia communiq; ſtudio celebretur, atque vera tandem & ſimpliciſsima religionis cultus communiter ſuſcipiatur: quòd ſi qui negligentia vel contemptione, vel alio quouis animi vitio corrupti imitari ac ſequi recuſauerint, ſuo tandẽ magno malo ac publica priuataq; pernicie, quantam ſalutem neglexerint ac repudiauerint, omnino ſentient.

CAPVT DVODECIMVM.

ONVS *verbi Domini ſuper Iſraël.*

CVM indicato per vatem exitiali & calamitoſo Iudæorum gentis, regionis & regni, totiusque publicæ rei, propter ipſorum ſcelera, exitu atque vrbis excidio, multa tamen tum in lege, tum in cæteris diuinis oraculis à Deo facta promiſſa ſupereſſent: quæ quonam tempore præſtanda forent, in dubium vocari poſſent ijs, qui diuinorum dictorum & pactorum conſtantiam cum tanta illius gentis clade atque abalienatione conferrent. dubitationem hanc poſtremo tandem reſpõſo apud Zachariam tollere Deus voluit, oſtenditque fore vt promiſſa à ſe in hominum ſalutem maxima & pretioſiſſima dona, atque miſericordiæ præſtandæ rationes cum iudiciorum ſeueritate pœniſque de improbiſſimo quoque ſumendis conſtarent. eamque rem ad ſapientiæ prouidentiæque ſuę ſumma & præſtantiſſima quæque conſilia eſſe referendam: quæ quónam modo tranſigenda ſit, dilucida expoſitione declaratur. Quòd autem diuinum conſilium, quod hoc vaticinio repetitum exponitur, conſideratum, certum conſtanſque definiri oporteret, ipſo ſtatim initio & oraculi inſcriptione indicatur. [*Onus verbi Domini ſuper Iſraël.*] In iis, quæ in Habbakuq alioſque Vates conſcripſimus, commentariis, verbi huius, *onus*, vim & ſignificationem apertè ſatis expoſuiſſe nobis videmur: cuius præcipuam rationem ad dictorum ſententiarumque conſtantiam & veritatem pertinere docuimus. atque ita huius inſcriptionis illa ſententia eſt, Vaticinationem hanc, in qua promiſſa multa diuina Iſraëli facta referuntur; certam conſtantemque eſſe, & rato tempore ac re ipſa exponendam. Et quanquam ex humani ingenij tenuitate difficile hoc atque repugnans videatur, ex Dei tamen auctoris virtute & efficacitate, & ex eius, in quo agenda præſtandaque ſunt, natura & diſtinctione factu explicatuque facile, & exſpectatu non incredibile nec abſonum eſſe; quippe cuius Deus auctor ſit, qui cùm cælum & terram tam diſſimiles diſpareſque natura res, eodem tamen mundi opificio à ſe coniunctas contineat, facillimè ac nullo negotio, ea quæ pugnare vehementer ſecum ac temporibus rationibusque diſtinctiſſima eſſe exiſtimantur, componere atque aptare ita poteſt, vt alterum ſine alterius detrimento conſtet; maximè aũt cùm hæc quæ ad diuina erga Iſraëlem promiſſa

miſſa præſtantiſſima referuntur, humanum ſpiritum ſpectent: cui multa, quæ præter na-
turam eſſe videntur, contingere tamen ex diuina virtute poſſunt, ſicut ex eadem virtute
accidit, vt ipſe cùm ſimplex, leuis, agilis atque incorruptibilis, & vt ita dicam, cæleſtis,
imò, cæleſti natura purior planè & ſimplicior ſit, in humano corpore craſſo, graui, variis
elementis corruptibilibusque conſtante & terreno, atque magis etiam, quàm terra ipſa,
concreto & impuro, membris tamen omnibus & partibus accommodatus conformatuſ-
que inſit & contineatur. erit itaque hæc illius hemiſtichij ſententia. [*Onus verbi Domini ſuper
Iſraël.*] Quæcunque Dominus ſuper Iſraël olim promiſſa atque nunc referenda demanda-
uit, *onus*, hoc eſt, certi conſilij decretum eſt, quod ſemel dictum, decretum ac fixum, nul-
lis difficultatum aut pugnantiæ argumentis in dubium vocandum eſt.

Dicit Dominus extendens cælum, & fundans terram & fingens ſpiritum hominis in eo.

DICENDARVM promittendarumq́. rerũ conſtantiam & fidem earumq́ue exſpecta-
tionem ex facultate & efficientia Dei atque ex eiuſdem conſilio cõfirmat. facultas in con-
ditarum rerum admiranda naturæ conſonantia & ſtabilitate ſpectatur: Conſilium verò
in earundem rerum cauſis & vſibus perſpicitur. ad facultatem rurſus duo pertinent, ſa-
pientia & virtus. vtrumque in rerum creatione & cõſeruatione probatur. maximæ nam-
que ſapientiæ, virtutis item maximæ opus fuit, cæli ambitum ita æquabiliter partes om-
nes mundi cæteras amplecti, vt animantis cuiuſpiam corpus pelle ſua contectum muni-
tumq́ue eſt, ſicut ſcriptum eſt: Extendens cælum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora Pſalm.103.
eius. neque minoris etiam vel efficientiæ vel artis fuerat, terræ globum à mari eminentem "
in medio mundi vniuerſi loco, fixum ſuis ponderibus librandum, ſuis nutibus tenendum
figere, vt neque illud ambitus ſui forma variet, neque hic locum ſitumq́ue ſuum in tanta
leuiorum & tenuiorum elementorum vicinia mutet, ſicut ſcriptum eſt: Poſuiſti terram "
ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſeculũ ſeculi. illud etiam admirandæ ſapien-
tiæ & virtutis maximum argumẽtum eſt, ſpiritum hominis natura ſua ſimpliciſſimũ, nul-
lis partibus aut membris diſtinctum, leuiſſimum & tenuiſſimum, in humano tamen cor-
pore incluſum contineri, & membris omnibus ſic adaptari, ſic particulis cunctis inſinua-
ri, vt vbique præſentem atque efficientem cognoſcere notareq́ue poſſimus. nulla enim hu-
mani corporis viuens integraq́ue pars ſpiritus pręſentia deſtituta eſt, alioqui, vbicunque
ille deſit, intermoritura inutiliſq́ue omnino futura, ſicut ſcriptum eſt: Lucerna Domini, Prou.20.
ſpiraculum hominis, quę inueſtigat omnia ſecreta ventris. Quamobrem miraculi notatio- "
ne alienum à ſpiritus natura verbum vſurpatum à Vate eſt. [*Fingens ſpiritum hominis in interiori
eius.*] namque fingere figulorum proprium eſt; iiſq́ue rebus conuenit, quæ proprios ter-
minos, quibus contineantur, ſequi nata ſunt, vt argilla, cera, & cętera, quæ ad plaſticẽ di-
ctam artem referri poſſunt. mirum igitur & maximæ virtutis atq. eximię artis argumen- Plin.lib. 37.
tum eſt, ſpiritum in interioribus hominis membris fingi. Verùmenimuero horum etiam c.7.
omnium certum, quemobrem facta ſunt, quoq́ue tendant, conſilium & finem intelligere,
idq́ue neque pœnitẽtia abiiciendum, neque fruſtratione impediendum eſſe credere opor-
tuerat: cuius illa ſumma ratio eſt, cęlum & terram, quibus Deus non indiget, hominum
cauſa facta conditaq́ue fuiſſe, duplicemq́ue in homine partem eſſe; alterã corpus cui ter-
rę locus conueniat; alteram verò animam, cuius propria & commodiſſima ſedes cælum
ſit. ex diuino autem conſilio & virtute effici, vt ſpiritus hominis natura ſua cælo idoneus,
propter eam tamen quam cum corpore coniunctionem & cõſuetudinem fortitus eſt, ter-
ris aliquando coarctatus commoretur. Ex eodem autem cõſilio ac virtute atque ex rerum
ipſarum dignitate etiam eſſe, vt corpus rurſum propter eandem conſenſionem & ſocieta-
tem habilius etiam agiliusq́. redditum, in propria & oportuniſſima ſpiritus ipſius patria,
hoc eſt, in cęlo degat & conuerſetur. ex ipſa autem appellatarum rerum cęli, terræ, ſpiri-
tus corporiſq́ue natura, & Dei ad efficiendum virtutem & facultatem, & ad perficien-
dum etiam conſilium conſiderari atque cognoſci, dicendis rebus fidem haberi Vates vo-
luit. Cùm verò de iis qui ad terrenę habitationis, atq. ad corporis vſum ſpectarent, euen-
tibus abundè ſatis Vates dixiſſet, de iis etiam qui ad alteram rerum partem, hoc eſt, ad cę-
lum & ſpiritum referendi eſſent, dicere hoc in loco inſtituit.

*Ecce ego ponam Ieruſalem ſuper liminare crapulæ omnibus populis in circuitu: ſed & Iuda erit in obſidione
contra Ieruſalem.*

QVID verba propriè ſignificent, cognoſcere primum, deinde ſententiam interpreta-
ri commodiſſimum fuerit. [*Super liminare crapulæ.*] Hebraicum nomen SZAPH. vas propriè
ſignificat, ſed ad portarũ poſte in architecturę vocabulis trãsfertur. Qua de re nos aliàs, Deo
annuen-

annuente, agemus. nunc locus ipſe planè docet, *ſuperliminare*, ſiue SZAPH, vas potorium
ſignificare, idemque eſſe, quod Græci ac Latini pariter ſcyphum nominant: conſtat nam-
que eiſdem conſonantibus primis. quod verò crapulam Latinè legimus, venenatam po-
tionem exponendum eſt: cuius ad perceleremque interitum afferendum mira vis ſit. dedu-
Nahhum 1. ctum namque verbum eſt à verbo RAGHAL, quod vehementer tremere, concuti, abſor-
Pſal 59. berique ſignificat, vt apud Nahhum: Et cogitatores conſopiti ſunt, ſiue quod idem eſt,
quamuis per metaphoram dictum, & buxi contremuerunt. atque ex hac natura & vinum
Iſai. 51. compunctionis, & calix ſoporis, quæ apud Pſaltem & Vates legimus, Latinè explicanda
ſunt. huiuſmodi poculum à ſe Ieroſolymis aduerſus gentes multas, atque adeò aduerſus
Iudæos ipſos paratum iri Deus ait, cuius potione illius ciuitatis hoſtes celerrimè tollan-
tur: idq. ex tranſlatione ductũ illud ſignificat, fore vt multi cum ex gentibus tum ex Iu-
dæis, dum Chriſti veritatem oppugnant, euangelij virtute & efficientia excitati & obruti
pereant. duplicem enim euangelij vim eſſe, & ſacris literis apertè demonſtratum, & pe-
riculis multis comprobatum cognouimus; alteram, vt piis, modeſtis, diuinoque dicto au-
dientibus & credentibus admiſſum & acceptum vitam & ſalutem; alteram verò, vt im-
piis & repugnantibus ac renuentibus; perfidis & inofficioſis repulſum cæcitatem interi-
Rom. 1. tumque afferret, ſicut ſcriptum eſt: Non erubeſco euangelium: virtus enim Dei eſt in ſa-
lutem omni credenti, Iudæo primùm & Græco. Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide
in fidem, ſicut ſcriptum eſt: Iuſtus autem ex fide viuit. Reuelatur autem ira Dei de cælo
ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia
detinent, &c. plurima quæ nos aliquando, ſi Deo gratum fuerit, de vtraque euangelij effi-
cacitate plenius apertiuſque diſſeremus. Igitur Chriſtum atque Chriſti euangelium & ve-
ritatem multis tum gentibus, tum Iudæis expugnantibus exitio fore, & hic Vates docet,
& Dauid futurum prædixerat, & Petrus aliique Apoſtoli teſtantur. qui cùm acerrimam
illam aduerſus Chriſtianum nomen à ſacerdotibus & ſenioribus cõtentionem ſuſceptam
Act. 4. cognouiſſent, vnanimiter leuauerunt vocem, & dixerunt: Domine tu, qui feciſti cælum,
& terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt: qui ſpiritu ſancto per os patris noſtri Dauid
pueri tui dixiſti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? aſtiterunt re-
ges terræ & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum
eius. conuenerunt enim verè in ciuitate iſta Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus &
populis Iſraël facere quę manus tua & conſilium tuum decreuerunt fieri. & nunc Domine
reſpice in minas eorum, & da ſeruis tuis cum omni fiducia loqui verbum, &c. Huiuſmo-
di itaque ſcyphum crapulæ ſibi ad euangelij ſanctæque ciuitatis oppugnatores interimen-
Pſalm. 2. dos parandum eſſe Deus dicebat, de quo ſcriptum eſt: Qui habitat in cælis, irridebit eos,
& Dominus ſubſannabit illos: Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo contuba-
bit eos. [*Sed & Iuda erit in obſidione contra Ieruſalem.*] Ita, vt hic locus Latinè redditus eſt, illud
ſignificat, non modo exteras nationes, quibus euangelij promiſſio ignota antè fuerat, ſed
Iudæos etiam ipſos regni promiſſionis non ignaros, imò, niſi ſeſe ſua culpa abdicaſſent, fi-
lios vnà cum aliis euangelij dignitatem Chriſtianumque nomen & ſanctam illam Ieruſa-
lem ciuitatem expugnaturos, ſicut ſcriptum eſt: In propria venit, & ſui eum non recepe-
runt, &c. Porrò autem quantum deinceps ciuitati huic ſoliditatis, firmitudinis, roboris
ad hoſtiles impetus frangendos futurum Deo auctore ſit, elegantiſſima ſimilitudine
ſignificatur.

*Et erit in die illa: ponam Ieruſalem lapidem oneris cunctis populis: omnes qui leuabunt eum, conciſione la-
cerabuntur: & colligentur aduerſus eam omnia regna terræ.*

Ex temporum comparatione eccleſiæ magnitudo, amplitudo & firmitas futura Vati
oſtendebatur. ſiquidem Ieruſalem noſtra cum illa antiqua, atque vtriuſque hoſtibus inter
ſe collatis, quantum hæc illam dignitate, felicitate, gratia & diuini præſidij munerib. vin-
cat, facilè perſpicitur. Illa enim antiqua Ieruſalem, in qua ſumma religionis & diuini
cultus fuerat, à vicinis & finitimis gentibus ſæpius exagitata, perturbata atque non ſemel
oppreſſa fuerat, cum magna ſacrorum faciendorum, & totius ad diuinum cultum perti-
nentis rationis detrimento, cum bonorum & piorum virorum iactura, calamitate, cum
regionis & veræ pietatis contemptione, ſicut ſcriptum eſt: Deus venerunt gentes in hæ-
Pſalm 78. reditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum: poſuerunt Ieruſalem in pomorum
cuſtodiam. poſuerunt morticina ſeruorum tuorũ eſcas volatilibus cæli, carnes ſanctorum
tuorum beſtiis terræ. Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris, ſubſannatio & illuſio iis, qui
in circuitu noſtro ſunt, &c. ita vt Ieruſalem illa omnibus finitimis & vicinis nationibus
exercendi belli, & prædarum, gloriæ & triumphi deportandi velut materia quædam ſub-
iecta

iecta fuiſſe cenſeretur. Verùm enimuero in renouata hac & inſtaurata ciuitate longè ſecus euenturum fore Deus prædicit, quam tanto tamque firmo præſidio muniendam ipſe ſuſcipiat, vt non vicinarum modò gentium, ſed regnorum omnium potentia, arte, induſtria, impetu, conatu, contentione ſuperiorem ſemper tueatur, cum ſumma ciuium & vtilitate & gloria, ſicut ſcriptum eſt: Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari vltra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum. atque ex hoc loco quantæ quamque multæ aduerſus Chriſti eccleſiam à Dei humaniq́ue generis acerrimo ac ſempiterno hoſte, cum per gentium errores & Iudæorum perfidiam, tum etiam per hæreticorum inſaniam, atque adeò per nequiſſimorum hominum inſolentiam excitandæ eſſent tempeſtates ac procellæ, manifeſtè agnoſcitur. Qua in re illud tandem ab iſtorum conatibus paradum efficiendumque fuerat, vt cum maxima ſui ipſorum pernicie, & diuini præſidij virtus, & eccleſiæ ipſius dignitas & ſanctitas illuſtrior indies euaderet, ſicut ſcriptum eſt: Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. hæc autem res commodiſſima ſimilitudine enunciata eſt. conſueuere nonnunquam ij, qui corporis firmitudine ac robore valere ac præſtare ſe putant, variis in periculis vires exercere ſuas. ex quibus vnum eſt, grauiſſimi ponderis lapidem ad certamen expoſitum arte atque virtute ſublatum humeriſque impoſitum ad certum ſpatium perferre: qua exercitatione nulla magis membrorum robur firmitudinemque arguit, vt ex naturæ & philoſophiæ rationibus docere poſſemus. Huiuſmodi lapidem eccleſiam fore Deus ait. quem ſingula orbis terræ regna nationesque ſingulæ nocendi ac vincendi cupiditate aggreſſæ ac tentantes, ſolidiſſimum grauiſſimumque ſuo magno periculo atque damno offenſioneque ſui experiantur. atque hæc virtus euangelij ſemper fuit, quòd iis, quibus auditum, cognitum, plauſuque atque approbatione exceptum fuerit, ſalutē; iis verò quibus contentione eſt exploſum, perniciem maximam & publicè & priuatè cum ſumma etiam ignominia attulerit. nullum enim regnum euangelio olim infenſum hodie extat, nullum etiam eorum, quibus hodie impugnatur, permanſurum eſt. ipſa tamen eccleſiæ Chriſtianæ ſolidiſſima atque grauiſſima virtus, dignitas & gloria omnibus periculis examinata & ſuperior victrix ſemper eſt duratura, ſicut ſcriptum eſt: Sicut audiuimus, ſic vidimus in ciuitate Dei noſtri: Deus fundauit eam in æternum. [*lapidem oneris.*] Hebraicum verbum onerare & portare pariter ſignificat. huiuſmodi autem lapides illi dicuntur, qui ad periclitandas vires corporis comparati atque expoſiti publicè ſunt, eodē dicendi modo, quo lapides fundæ ſuperius definiuimus. [*Et omnes, qui leuabunt eum, conciſione lacerabuntur.*] Soliditate, aſperitate & pondere preſſi, manibus primum, deinde toto corpore fracti ruptique tandem oneri ſuccumbent. *Conciſionem* vocat Vates verbo carnis rupturis & lacerationibus propriè accommodato Hebraicè: cuius illud exemplum eſt, Et ſuper mortuo non incideris carnes veſtras. Hæc autem quæ Deus erga eccleſiæ ſuæ defenſionem, propugnationem atque incolumitatem in ſe recipit, ad omne quidem ſacroſancti euāgelij tempus in vniuerſum pertinent ſed ſingulas tamen partes ſuis interuallis atq. articulis exponendo diſtinguere operæpretium eſt. namque dies illa, quæ à Vate appellatur, non certam, vnam ſingularemque diem, ſed totum tempus, quo res aliqua geritur, ſignificat, vt apud Habbakuq annotauimus. atque eandem tranſlationem ſiue allegoriam perſecutus Vates, omnem artem, potentiam, ſapientiam, induſtriam, quibus gentes aduerſum Dei veritatem & euangelij virtutem inſtructæ valere poſſe exiſtimentur, inanem caſſamque fore confirmat.

Pſal. 47. "

Leuit. 19. "

In die illa, dicit Dominus, percutiam omnem equum in ſtuporem, & aſcenſorem eius in amentiam: & ſuper domum Iuda aperiam oculos meos, & omnem equum populorum percutiam cæcitate.

MAXIMIS & admirādis argumētis & notis veræ pietatis & euangelij rationes ab impietate omni, potētia, ſapiētia, calliditate, aſtu, copiis, aliisq́. rebus quibus homines aduerſum euangelicam ſimplicitatem niti poſſe ſibi videbuntur, diſtinctū iri docet: idque exitu ipſo & euentu demonſtrandū fore prædicit. ſolent enim belli duces & principes equorum tum multitudine, tum robore; hominum præterea exercitatorū frequenti copia plurimum ad res gerendas fidere & exultare, ſicut ſcriptum eſt: In equis ſperantes & habentes fiduciam, & ſuper quadrigis, quia multæ ſunt: & ſuper equitibus, quia præualidi nimis. Hæc autem vana inutiliaque omnino atque adeò pernicioſa ijs qui aduerſus diuinum conſiliū vtātur, ijs verò, qui diuinas partes ſequūtur, ſuperuacanea, oneroſaq́. magis quàm vtilia eſſe, iam ſæpius legimus, & multorum etiam noſtro tempore periculis cognouimus. Non in fortitudine equi voluntatem habebit, neque in tibijs viri beneplacitum eſt ei. beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in ijs qui ſperant ſuper miſericordia eius. hac tranſlatione omnes res, quibus homines inſtructi aduerſus diuinam veritatem valere

Iſai. 31. " "

Pſalm. 146. " "

1 Cor. 1. ſeſe arbitrantur, ſignificatæ ſunt. Eſt enim eadem huius cum illius vaticinij ſentẽtia, Per-
Iſai. 9. dam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. [*Equum in ſtuporem.*] Per-
turbationem mentis atque animi eneruationem & deſponſionem Hebraicũ verbum ſig-
Deut. 27. nificat, quod furorem mentis aliàs Interpres noſter vertit. [*Et aſcenſorem eius in amentiam.*] Hu-
ius in mente vitij ratio ex conſequenti effectu arguitur. effectus verò in diris deteſtationi-
bus apertè deſcribitur. Percutiat te Dominus amentia & cæcitate, ac furore mentis, &
palpes in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas. & paulo
inferius: Et ſtupens ad terrorem eorum, quę videbunt oculi tui. Idem verbum nunc ſtu-
pere, nunc amentia agi, reddit Interpres. eſt autem verbum SAGAGH. [*Et ſuper domum Iu-
da aperiam oculos meos.*] Prouidentiam, propugnationem, defenſionemq́ue ſuam domui Iuda,
hoc eſt, Chriſtianorum familiæ (cuius caput eſt Chriſtus legitimus Iudæ & Dauid hæres)
promittit Deus: namque aperire oculos, tum ex eorum, quæ dicta ſunt, antitheſi, tum ex
ſacri ſermonis vſu hæc omnia ſignificat. Eſt autem contentio illa præclariſſima populos,
equos ſtupentibus & viris amentibus aduerſus Iudæ domum; hanc verò Dei apertis ocu-
lis proſpicientis conſilio, virtute, atque ope vſuram, illiq́ue perpetuò ſacram atque gratam
fore, non minus, imò multo etiam magis, quàm antiquum illud templum à Salomone
dicatum: cuius piam & ſacram frequentiam commendatam ſibi fore Deus ipſe in ſe rece-
2. Paral. 7. perat. Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco
iſto orauerit. elegi enim & ſanctificaui locum iſtum, vt ſit nomen meum ibi in ſempiter-
num, & permaneant oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus. Hanc autem ſuam tute-
lam à templo illo terreno & lapideo ad Iudæ domum tranſlatum iri, hoc in loco Deus eſt
pollicitus; & aliàs etiam ſæpe: Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hîc habitabo: quoniam
elegi eam, &c. [*Et omnem equum populorum percutiam cæcitate.*] Oculorum ſenſus priuatio propriè
cæcitas eſt, quæ ſtupori addita eum, cui acciderit, inutilem prorſus reddit. Atque ita ni-
hil omnino à populis aduerſus euangelium neque conſuli, neque proſpici, neque in rem
præſentem inueniri poſſe, quod vllius momenti futurum ſit, Vates præcinebat. contrà ve-
rò magnam apoſtolorum atque cæterorũ ad expugnandos, vincendos & capiendos euan-
gelij hoſtes virtutem & fortitudinem, magnamq́ue in re gerenda dexteritatem & felici-
tatem aiebat futuram.

Et dicent duces Iuda in corde ſuo, Confortentur mihi habitatores Ieruſalem in Domino exercituum Deo eorum.

NEGOTIUM per paucos apoſtolos aduerſus plurimos euangelij hoſtes ſuſceptum,
quanquam difficillimum exiſtimetur; multorum tamen piorum precibus & ſupplicatio-
nibus, Deo tutori & imperatori maximo commendatum obeundum ſtrenueq́ue admini-
ſtrandum, atq. feliciſſimo euentu ex Dei auxilio conficiendum, & hoc, & ſequenti verſu
declaratur. [*Et dicent duces Iuda in corde ſuo.*] Dum rei à ſe ſuſceptæ magnitudinem cogitabunt,
diuino nihilominus auxilio multorum piorum precibus ſupplicationibusq́ue impetrato,
vincendam expediendamq́ue ſibi promittent: itaq. omni ſtudio & toto corde hoc agent,
vt pios ad aſſiduas preces excitent. [*Confortentur mihi habitatores Ieruſalem.*] Omnes, inquient, qui
huius ciuitatis ſanctæ communicatione & iure vtuntur, vt ſuſceptã à nobis rem ſua etiam
opera adiuuent, hortari atque admonere oportuerit. idq́. non armis, aut humanis viribus
definiendũ eſt, ſed in potentiſſimo Domino exercituum eorum ipſorum gubernatore: cui
ad ciuitatis huius defenſionem & tutelam, & voluntas conſiliumq́ue certum, & ſumma
virtus ac potentia eſt: vtpote cui tria illuſtriſſima nomina atque cognomina, & natura, &
proprio iure, & admirandis rerum bello paceq́ue geſtarum exemplis propria perpetuaq́ue
ſint. [*Dominus exercituum gubernator. confortentur mihi.* Hebraicè eſt, *Confortabo mihi.*] vt ſingulorum
apoſtolorum cogitatio oratioq́ue ſit, quam de fratribus ad preces & ſupplicationes exhor-
tandis ſecum habet. Atque illius populorum & equorum amentiæ & cęcitatis, diuinæq́ue
erga domum Iuda prouidentiæ & defenſionis exempla multa in ſacris apoſtolorum geſtis
Act. leguntur, vt illud: Non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui loquebatur. Huius verò
exhortationis plurima etiã ſunt exempla: Orationi inſtate vigilantes in ea in gratiarum
Col. 4. actione, orantes ſimul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis oſtiũ ſermonis ad loquendum
myſterium Chriſti (propter quod etiã vinctus ſum) vt manifeſtẽ illud ita vt oportet me lo-
qui, &c. Quàm verò certum illis omnib. Dei hoc ipſum volẽtis auxilium & ſubſidium fu-
turum eſſet, continuò Vates expoſuit.

In die illa ponã duces Iuda ſicut caminũ ignis in lignis, & ſicut faciẽ ignis in fœno: & deuorabunt ad dexterã & ad ſiniſtram omnes populos in circuitu: & habitabitur Ieruſalem rurſus in loco ſuo in Ieruſalem.

CELERRIMAM & vehementiſſimam euangelij Chriſti ab apoſtolis enũtiatis effi-
cacitatem

cacitatem ignis naturæ rerũ omnium, quæ conſpici poſſunt, efficaciſſimè & præſentiſſimè Vates aſſimilauit. cuius vim apud Nahhum diffuſius deſcriptam Chriſtus ipſe ad euangelium referens expoſuit: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur? Putatis quia pacem veni dare in terram? non, dico vobis, ſed ſeparationem. Erunt enim ex hoc quinque in domo vna diuiſi, tres in duos, & duo in tres, &c. ita vt alijs idem ignis probationi, aliis conſumptioni exitioque ſit. Verùm ignis celeritas in leuioribus fragilioribusque rebus, quales paleæ ſtipulæque ſunt; vehementia verò & vis in durioribus, qualia ſunt ligna, ſpectatur. Nihil igitur adeò durum adeoque firmum fore, quod non euangelij virtute, idque quam celerrimè, vincatur, duplici ignis in diſſimili materia efficacitatis comparatione declaratum eſt. [*Sicut caminum ignis,* Hebraicè, *concham ignis in lignis.*] vehementem, denſum coactumque ignem, cuius vis duriſſima quæque ligna penetrare poſſit, interpretamur: cuiuſmodi in fornacibus & caminis eſſe ſolet. atque hoc ad vehementiam; illud verò ad celeritatem ſpectat. [*Et ſicut facem ignis in fœno.* Hebraicè, *in manipulo.*] Aridos culmos & ſpicas ſimul coniunctas intelligit, quales à meſſoribus componi ſolent: hæ quòd ſimul aliæ aliis coniunctæ ſunt, admotum ignem facilius concipientes incendio vehementius & celerius conflagrant. [*Ad dexteram & ad ſiniſtram* (Chaldaicè optimè hæc exponuntur, *A meridie & ſeptentrione.*) *omnes populi in circuitu vndique.*] Totius terræ orbis deſcriptio eſt. à meridie namque ad ſeptentrionem in circuitu tendentibus oriens & occaſus etiam peragratur. Qui ab Interprete noſtro dicti ſunt *duces Iuda*, in Hebræo *milliati Iuda* dicũtur. quo verbo perpaucos illos fore intelligimus, quales apoſtoli fuêre, Iudæi pauci & humiles, vt è millibus multis vix vnus delectus eſſet, eoſdem tamẽ in re gerenda prȩſtantiſſimos. [*Et habitabitur Ieruſalem rurſus in loco ſuo in Ieruſalem.*] Arcanam expoſitionem locus hic habet quam ex nominis explicatione petere oporteat. *Ieruſalem* conſpicuam Salem ſignificat, cui nomen ex eo factum videtur, quòd altera Salem in Sichimis Samariæ agro fuerit; Gen. 33.
huic, quæ in Iebuſenſi regione erat, ſitu & magnitudine longè impar; ſiquidem hæc & regia vrbs habita ſemper eſt, & in editiori loco illuſtribus montibus ſita fuit, ſicut ſcriptum eſt: Fundamenta eius in montibus ſanctis, &c. Euenit autẽ, vt præter vrbis notationẽ arcana etiam nomini ratio ſignificatioque eſſet, quòd ad veram etymologiæ rationem relatum, conſpicuam pacem & conſpicuam perfectionem ſignificat. Conſpicua autem & illuſtris ciuitatis Ieruſalem pax & perfectio deſiderata quidem olim diu fuit; ſpectata verò non fuit vſque ad Chriſti tempus, qui tradidit ſeipſum pro ea, vt eam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ viuæ in verbo: vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam eccleſiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata, cui & Chriſti pax, quæ exuperat omnem ſenſum, conciliata etiam fuit. Hæc itaque ſancta atque beata ciuitas proprium & commodiſſimum locum nacta, quem perpetuo Dei beneficio teneat, propriè ac verè Ieruſalem appellanda eſt. Fuerat quidem olim altera hoc nomine dicta Ieruſalem illa antiquis celebrata hiſtoriis, & multorum & maximorum virorum genitrix, quæ tamen nunquam proprium locum ita obtinuit, vt in Ieruſalem, hoc eſt, in conſpicua perfectione & pace diuina, vt hæc altera ſita eſſet, ſicut ſcriptum eſt: Sina mons eſt in Arabia, qui cõiunctus eſt ei, quæ nunc eſt Ieruſalẽ, & ſeruit cum filiis ſuis. illa autem, quæ ſurſum eſt Ieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra, &c. Conſpicuam verò eſſe oportet Ieruſalem illam, quæ ab Apoſtolo ſurſum eſſe dicta eſt. Illud etiam à Vate declaratum eſt, ſalutem hanc & felicitatẽ non ſolùm iis Iudæis, qui Ieroſolymis habitarent, ſed aliis etiam cùm humilioribus, tum exulibus & vagis communem futuram, atque in exteras etiam & hoſpites nationes fore propagandam.

Luc. 12. Pſalm. Ephe. 5. Gal. 4.

Et ſaluabit Dominus tabernacula Iuda, ſicut in principio: vt non magnificè glorietur domus Dauid, & gloria habitantium Ieruſalem contra Iudam.

GERENDARVM atque conficiendarum rerum ſeries ſapienter artificioſeque à Vate vt præuiſa erat, canendo obſeruatur. certum olim atque exploratum fuerat, illã publicam ſalutem Iudæis & gentibus auctore quodam principe ex Dauidis familia eſſe afferendam, quòd de ea re multa diuina huiuſmodi relata fuiſſent reſpõſa: Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum: de fructu ventris tui ponam ſuper ſedẽ tuã, &c. Atque adeò ex ea ſpe (vt hominũ arrogantia eſt) Dauidis ſecundũ carnẽ illuſtris poſteritas & Ieroſolymitani ciues, qui Dauidis nomẽ iactabant, agendȩ rei laudẽ, auctoritatemq. ſibi promittere & tribuere potuerunt, ſeque primos fore affirmare, quibus illa ſalus allata cũ cæteris Iudææ vrbibus & populis communicanda eſſet, atq. hoc nomine etiã aliis omnibus præſtituros, vt & familiæ ſplendore, & ciuitatis nobilitate & claritate præſtabant: ſed contrà euenturum fore Vates hoc loco prædicit: fore enim ait, vt Iudæis omnium gentium

Pſal. 132.

primis ſalus hęc afferatur, ea tamen ſerie, vt ab humilioribus & ignobilioribus ad illuſtriores tandem deueniatur. Primum namque publicæ ſalutis exemplum in Apoſtolis & diſcipulis editum eſt, Iudæis quidem genere, humilibus tamen & ignobilibus ferè, ſi cum Dauidis domo & regiæ vrbis ciuibus humana gloria conferantur; vtpote Galilæis & Ieroſolymæ non ciuibus, ſed hoſpitibus, atque adeò non propria domo, ſed alieno hoſpitio, eoque ſatis anguſto vſis: nimirum centum viginti in eadem domo, vt in tentotio quodam congregatis, & ſalutem illam ibidem exſpectantibus, vt ſcriptum eſt: Et pręcepit eis ab Ieroſolymis ne diſcederent, ſed exſpectarent promiſſionem Patris, &c. Ab his igitur primum accepta ſalus Ieroſolymitanis ciuib. primùm oblata ex diuino decreto eſt, à quibus cùm principio repulſa eſſet, ad vicinas Iudęorum hoſpitũ vrbes, Antiochiam, Damaſcum, Samariam, &c. perlata; deinde Ieroſolymam reuecta & renuntiata à quibuſdam ciuibus eſt admiſſa. Ab humillimis enim hęc ratio primùm accepta eſt, Deo ſuum morem ſeruante, qui excelſus cùm ſit, humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit: vt non glorietur omnis caro, vt D. Paulus de eadem hac re differens docuit. [*Tabernacula Iuda.*] Apoſtolos cęteroſque diſcipulos, qui primi omnium ſpiritu ſancto aucti ſalutis illius diuinæ compotes extitere. ij autẽ omnes hoſpites erant: quod tabernaculi nomine ſignificatur. eſt enim tabernaculum non ciuium, ſed hoſpitum, vel vagantium, quo ſeſe à cæli iniuriis tueatur, receptaculum, domus verò ciuium ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Et domos non ędificabitis, &c. ſed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus veſtris, vt viuatis diebus multis ſuper faciẽ terræ, in qua vos peregrinamini, &c. [*Sicut in principio.* Hebraicè & Chaldaicè, *in principio,*] vt *ſicut* ex literarum Hebraicarum affinitate à Latino Interprete additum nõ ſimilitudinis, verùm cõfirmationis & aſſeuerationis vox ſit. [*Domus Dauid.*] Ieroſolymitanos ciues etiam Hebræi hoc in loco interpretantur [*Habitantium Ieruſalem.*] cæterarum ex aliis tribubus familiarum, quæ in Ieruſalem Chriſti ætate fuerunt, vt illud: In die illa erit fons apertus domui Dauid, & habitatoribus Ieruſalẽm. diuina itaque ſalus Iudæis hoſpitibus primùm afferenda promittitur; deinde etiã eodem tempore & Ieroſolymitanis exſpectanda enuntiatur: cuius quanta magnitudo & amplitudo ac dignitas futura ſit, comparationis gradibus certis indicandis declaratur.

Act. 1. Act. 2. Pſalm. 137. Ierem. 35. Iſaac Hiſpanus in eundem Vatem

In die illa proteget Dominus habitatores Ieruſalem, & erit qui offenderit ex eis in die illa, quaſi Dauid: & domus Dauid quaſi Dei, ſicut angelus Domini in conſpectu eorum.

VIRTVTIS, pietatis, fortitudinis, iuſtitiæ, atque aliorum animi ornamentorum, quibus Chriſti cultores ex diuino beneficio redundaturi eſſent, magnitudinẽ & præſtantiam in eadem bellorum & gerendarum rerum tranſlatione commoratus Vates indicauit, ſimul & quàm multum longeque noui teſtamenti ſanctorum virtus & amplitudo cum veteribus collata præſtet, oſtendit. ſiquidem Dauid inter antiquos vt fortitudinis, ita virtutis exemplum ſummum fuit; vtpote qui ſecundum Dei cor optatus electuſque fuiſſe prædicetur: ille tamen neque animi fortitudine tantum valuit, vt non aliquando carnis oneribus humano more ſuccubuerit. namque de antiquis iuſtis illud ſcriptum eſt: Septies in die cadit iuſtus. At verò in nouo teſtamento ſpiritus ſanctificationis in hominum piorum animos illabente virtute maxima, longè digniores atque altiores gratiæ, ſanctitatis & perfectionis gradus, vt à piis complerentur, ædificati ſunt: quorum exemplar iam tantùm Zacharias proſpiciebat. nam qui ſummi quondam habebantur, eos infimos ferè iudicandos fore prædixit. Quis enim Dauidem non modò diuæ Virgini Ieſu matri, ſed apoſtolis aliis poſt Spiritus ſancti illapſus comparatum, non longè inferiorem inuenlat? quis ſanctos viros alios quoſdam, quanquam apoſtolis impares, cum Dauidis virtute & probitate conferre non audeat? namque & Ioannes Baptiſta antiquorum ſanctorum ferè vltimus, idemque Vatum omnium, qui ante ſe fuerant, auctoritate & virtute maximus appellatus; ab eo tamen, qui in regno cælorum minimus cẽſeretur, ſuperari dictus eſt. Igitur vtriuſque teſtamenti ſanctorum comparatione ex diuinorum librorum iudicio facta illud obſeruatur, eos, qui inter huius teſtamenti ſanctos infimi videtentur, ſummis illius viris pares eſſe. [*Qui offenderit ex eis in die illa quaſi Dauid.*] ſummos verò & perfectos, qui propter pręſtantiam in Dauidis familia connumerentur, omnem humani exempli exſpectationem antiquam longè vincere, moribus, vita, integritate, fortitudine, magnanimitate, omnibus denique maximis virtutibus, diis, hoc eſt, angelis perſimiles. Ad huiuſmodi gradum præter diuam Mariam ex Dauidis familia, Iacobus ac cæteri diſcipuli, qui ad eandem familiam ſecundum carnem pertinebant; imò & omnes, qui in eam familiam ſecundũ ſpiritum adoptati ſunt, ex Dei gratia peruenerunt. [*Et domus Dauid quaſi Dei.*] Hanc comparationem Vates ipſe expoſuit. [*Sicut angelus Domini in conſpectu eorum.*] Præſtantiſſimos & ſele-

Pſal. 88. Prouer. 24.

ctiſſimos

ctiſſimos hos cum aliis, quos Dauidi ſimiles futuros dixerat, comparatos angelo Domini ſimillimos cenſendos. [*In conſpectu eorum.*] Si contentio quædam & comparatio fiat, vtri vtris præſtent. Quòd verò appellatum in vaticinij huius inſcriptione Iſraëlis nomen non fuerit iterum præterea vſurpatum, ſed omnis de Iuda & Dauidis familia ſit habitus ſermo, eò pertinere videtur, vt Iſraëlis nomen non ad vnam illius gentis, quæ ex Iacob orta fuerat, partem, ſed omnem eccleſiam ad omnes in vniuerſum tribus pertinens tandem Chriſto rege conſtituto ab omni factione & diſſenſione ad communionem & concordiam traductum in priſtinam dignitatem antiquumq. ſtatum multo autem ampliorem reſtituendum eſſe. Vt enim olim dum Dauid reipublicæ clauum teneret, atque rei gerendę ſumma penes Iudæ familiam eſſet, Iſraëlis tamen regnum ipſum appellabatur; neque ante diſceſſionem regnũ Iuda ſeorſum ab Iſraëlis regno nominatum eſt: ſic per Chriſtum legitimum ex Iudæ tribu & Dauidis poſteritate regẽ inſtauratis rebus nomen etiam Iſraëlis integrum atq. ſanctum ab omni animorum & ſtudiorum diſſentione alienum, eodem, vt antea, modò appellatum iri Vates ſignificauit. vt autem ex ipſis rerum euentibus eius temporis, ad quod hæc ſpectarent, ratio obſeruaretur, notas omnes & ſigna ſibi præuiſa Vates oſtendit, ſubinde illud repetens, *In die illa & c.*

Et erit in die illa, quæram conterere omnes gentes, quæ veniunt contra Ieruſalem.

VBI, quænam ea ſit, quam hoc in loco appellat Ieruſalem, cognouerimus, cætera faciles habent explicatus. eodem namq. tempore, quo Chriſtus captus, traditus, occiſuſque eſt, cùm maximè euangelij cælorumque regni res labefactari quibuſdam videbantur, eodem tempore eademque opera, maxima euangelio victoria, maxima gloria, maxima item euangelij & eccleſiæ hoſtibus demolitio & vaſtatio parabatur: id quod tandem Dei atque hominum antiquus & vafer hoſtis agnoſcens, impedire atque auertere ſerò nimium conatus fruſtra eſt, Pilati vxoris à ſe exterritæ interceſſione ad eam rem vſus. Magnam itaque gentium & ſectarum aliorumque errorum, quę gentium nomine continentur, depopulationem illo tempore Deus moliebatur. cùm maximè illæ firmatum ſtabilitumq. iri putarentur. huiuſmodi namque diuinæ ſapientiæ mos eſt, vt aduerſarios in ſuis ipſorum negotiis & probatiſſimis ipſorum iudicio conſilijs capiat, ſicut ſcriptum eſt: Cùm peruerſo Pſal 17.
peruerteris, quoniam tu populum humilem ſaluum facies, & oculos ſuperborum humiliabis, &c. [*Quæram conterere.* Hebraicè, *curabo delendas.*] Quænam hoſtilium rerum & omnis infernæ potentiæ inclinatio & conuerſio ſtatus per Chriſti mortẽ & reſurrectionis victoriam futura eſſet, audiuimus: quæ rurſus pij atque diuino timore ac religione imbuti populi in melius mutatio efficienda foret, audiamus.

Et effundam ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Ieruſalem ſpiritum gratiæ & precum: & aſpicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu quaſi ſuper vnigenitum, & dolebunt ſuper eum, vt doleri ſolet in morte primogeniti.

HVIVS loci expoſitio antiquis non parum difficilis & obſcura, aperta nobis ex ſacri euangelij interpretatione eſt. Antiqui Hebræi Meſſiam quendam Ioſephi filium futurum exſpectabant fortiſſimum Deoque gratiſſimum virum, qui Ieroſolymis in prælio pro patriæ ſalute inito, validiſſimè pugnans occumberet. id autem vnde illi acceperint, quærere longum eſt. illud certè non fuerit prætermittendum, apud antiquos Hebræos conſtitiſſe, tum Meſſiam mortem pro populi ſalute oppetiturum, tum etiam in æternum manſurum, ſicut ſcriptum eſt: Nos audiuimus ex lege, quòd Chriſtus manet in æternum. Ex Ioan. 12.
quo factum eſt, vt cùm Chriſtum moriturum, & rurſus Chriſtum in æternum manſurum accepiſſent, illud intelligerent & traderent, Meſſiam duplicem fore; alterum filium Ioſeph, qui pro ſuis mortem obiret; alterum filium Dauid, qui in æternum maneret. Hanc Hebræi in volumine.
rem, quod obſcurius in Hebræis & Chaldæis auctoribus ſignificatam negotium facere nonnullis ex noſtris intellexerimus, indicare breuiter placuit, eandemque ad verum ſenſum relatam explicare. Igitur Meſſiam noſtrum, qui vnus tantùm eſt; vtriſque tamen rebus abundè ſatisfeciſſe confirmamus, ita vt idem filius Ioſeph legitima exiſtimationẽ fuerit, ſicut ſcriptum eſt: Vt putabatur filius Ioſeph, &c. atque etiam ex Dauidis familia certiſſima regia ſtirpe ortus, idemque mortem vltro ob publicam ſalutem ex diuini conſilij decreto obierit, atque etiam ex mortuis extans, in æternum viuat; ita cùm illis cæteris in rebus conuenimus, præterquam quòd illi duos Meſſias conſtituunt, nos verò vnum tantùm recipimus: in quo tamen duas naturas, diuinam atque humanam confitemur. quem à Iudæorum pontificibus & populi principibus viris traditum, falſiſque criminibus & varia neque ſibi conſtãte delatione accuſatum Pōtius Pilatus magis adeò illorum

Ionathan Chaldæus in hoc loco, & Ionathan Cæcus in Canticis. Luc. 3.

importunitate & populi temeritate impulſus, quã vlla, vel cauſa, vel lege inductus in crucem ſuſtulerit. Cuius mortem tanta miraculorum prodigiorumq́. magnitudo & frequẽtia comitata & conſecuta fuit, vt eos qui ſpectarent, tũ pauore & timore, tum religione vehementer tactos lugere ac lamentari neceſſe fuerit, vt adimpleretur id, quod ſcriptũ eſt per Prophetam dicentem: [*Et effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Ieruſalem, ſpiritum gratiæ & precum.*] Duo nomina Hebraica ſunt ex eodẽ verbo deducta HHEN, & THAHHANVNIM, alterum miſericordiam, quam aliqui compaſſionẽ dicunt, alterũ deprecationem ſignificat: quæ ex miſericordiæ cogitatione & ſenſu plerumque proficiſcitur, vt cùm quis cuiuſpiam iniuria affecti, innocentia perſpecta, & factum doleat, & vltionẽ deprecetur. Eſtq́ue deprecatio miſerantis animi voce, fletu atque lamentatione indicatio; ita vt miſeratio ſiue miſericordia in mente, deprecatio in geſtu, ore, habitu & pronuntiatione ſit. cuius illa
Pſal. 17. exempla: Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extẽdo manus meas ad templum ſanctum tuũ. Ne ſimul tradas me cũ peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem ne perdas me, &c. &: Benedictus Deus, quoniam exaudiuit vocẽ deprecationis meę. &c. Huiuſmodi ergo & miſerationis & doloris atque lamẽtationis repletum animum, ſpiritum gratiæ & precum Interpres vertit, vt gratiam hoc loco animi motum definiamus, quo optimũ quemque virum indignaq́. paſſum proſequimur. Id quod hoc in loco effundere ſpiritum Hebræus ſermo dicit, Latinè immittere vel iniicere mentem dicimus. [*Et aſpicient in me quem compunxerunt, & plangent, &c.*] Apertiſſimè diuinum verbum ſeipſum ab illis, hoc eſt, à ſuis Ieroſolymitanis ciuibus confixum iri declarauit: qui cùm Dei filium tantis indiciis, argumẽtis atque miraculis indicatum agnoſcere noluiſſent, traditum tamen & occiſum conſequẽtibus ſignis admirandiſq́. notis obſeruatũ multi filiũ Dei con-
Mat. 27. feſſi ſunt, ſicut ſcriptũ eſt: Centurio autem, & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, viſo
Luc. 23. terremotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes, Verè filius Dei erat iſte. & omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant, quæ fiebant, percu-
Iohan 19. tientes pectora ſua reuertebantur. [*Quem compunxerunt*. Hebraicè, *transfixerunt.*] Ita ſibi ab illis cruci affixo non manus & pedes modò, ſed latus etiam lancea aperiendum fore ſignificauit. ſic hunc locum & D. Ioannes interpretatus expoſuit. & iterum alia ſcriptura dicit, Videbunt in quem tranſfixerunt.

In die illa magnus erit planctus Ieruſalẽ, ſicut planctus Adadremmon in campo Magedõ: & planget terra, familiæ & familiæ ſeorſum: familiæ domus David ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum: familiæ domus Nathan ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum: familiæ domus Leui ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum: familiæ Semei ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum, omnes familiæ reliquæ, familiæ & familiæ ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum.

IESV Chriſti ſecundum carnem genus ex Dauidis nobilitate & ſemine fore, apertè vates hoc in loco exponens indicauit, eorum hominum familiis appellatis, quibus propter occiſi deſiderium acerbi luctus atque lamẽta futura erant. dixerat enim eius mortem perinde atque primogeniti & vnici alicuius honeſtiſſimæ familiæ filij lugendam fore Ieroſolymis; ad quos verò potiſſimum is luctus pertineret, deinceps oſtendit. interim autem indicauit eius luctum & deſiderium nõ obſcurum fore, ſed grauiſſimum & apertiſſimum, omnibuſq́ue terræ habitatoribus non minus notum, quàm fuerit olim luctus Adadremmon & lamentatio in campo Magedon ob charos, ſalutares beneficoſq́ue viros quoſdam facta; quorum hiſtoria illa ætate vulgatiſſima; noſtra verò obſcura incertaq́. eſt, niſi quan-
4. Reg. 23. tum Ioſiam Iudæ regem pium & patriæ optimè conſulentem à Pharaone Necho ſecundum Magedo occiſum, indeq́ue cum maximo gentis ſuæ deſiderio Ieroſolymam delatum
Ioſue. 17. eſſe legimus. fuit autem Magedo vrbs in tribu Iuda à Ioſue aſſcripta, atque à Salomone
3. Reg. 9. ædificiis operibuſq́. inſtaurata & aucta: quam eandẽ eſſe cũ Magedon affirmare ex ſacris
1. Paral 7. libris non poſſimus, cùm hoc & Adadremmõ nomẽ ſemel tantùm, idq́ue in hoc Zacharię loco ſcriptum inuenerimus, certè Chaldæus paraphraſtes, qui non longè poſt Vatis huius ætatem floruit, duas in huius loci explicatione hiſtorias indicat, hoc modo: *In tempore illo multiplicabitur luctus in Ieruſalem, vt luctus Abhab filij Ghamri, quem occidit Hadarrimon filius Tabrimon, & ſicut luctus Ioſiæ filij Ammon, quem occidit Pharao Claudus in valle Megjdon.* Cætera verò quæ ad huius luctus rationem explicandam appellata ſunt nomina, eò pertinere videntur, vt Chriſti Ieroſolymis occiſi genus ad Dauidis domum referendum eſſe cognoſcatur: cuius mortem eæ quæ tempeſtate illa ex regio genere exſtarent familiæ, vt ſibi notiſſimi, & propter perſpectam virtutem atque maximam tum vitæ ſanctitatem, tum doctrinæ miraculis probatæ auctoritatem chariſſimi & acceptiſſimi magno deſiderio, luctu atque lachrymis proſecuturæ erant: id quod factum eſſe euangeliſtæ ſatis clarè ſignificauêre, cùm plures tum

viros, tum feminas, easque aliàs Galilæas, aliàs Mariæ ſorores dictas triſti ſpectaculo af- Mat.17.
fuiſſe eodem loco ſcribant, vbi de ſpectatorum luctu & planctu mentionẽ faciunt. Erãt Marc.15.
autem ibi mulieres multæ de longè, quæ ſecutæ erant Ieſum à Galilæa, miniſtrantes ei, &c. "
& cum eſſent in Galilæa, ſequebantur eum, & miniſtrabant ei; & aliæ multæ, inquit Mar- "
cus, quæ ſimul cum eo aſcenderant Ieroſolymam. Has autẽ & à viris etiam, qui ſpectaue- "
rint & luxerint, ſeparatas fuiſſe, euangeliſtæ ipſi declarant, & grauius etiam atq. lugubrius
fuiſſe lamentatas, ipſa feminei animi longè viris tenerioris ratio arguit. Quòd verò tres
illas Dauidis familias nominatim Vates appellat *Nathan, Leui, Semei*, eò pertinet, quòd ho-
rum nomina illuſtria magis & nota illa ætata futura Vates præuidiſſet, eorundemque co-
gnationem Chriſti genus attingere foret omnibus manifeſtum. Sunt autem nomina Na-
than, Leui, Semei, quæ in Chriſti genealogia à D. Luca recenſentur, Vt putabatur filius Luc.3.
Ioſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathath, qui fuit Leui, &c. qui fuit Mathathiæ, qui fuit "
Semei, &c. qui fuit Mahath, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid, &c. Hæc namque nomina "
omnia ad Dauidis familiam referenda eſſe, nomen Leui oſtendit. quòd ſi ad ſacerdotalem
proſapiam referantur, vel nihil, vel minimum ad Chriſtum pertinent: quem non ex Le-
ui, ſed ex Iudę per Dauid genere oriturum antiqua oracula prodidêre, & noui etiam teſta-
menti ſcriptores ortum teſtantur. Porrò huius mortem magna & communi omnium or-
dinum, & tribuum partim notatione, partim lamentatione & mœſtitia fuiſſe notam &
publicè permulgatam, illa duorum diſcipulorum oratio arguit, qui vel vni tantùm illis
diebus Ieroſolymis hoſpiti ignotam eſſe admirati ſunt: Tu ſolus peregrinus in Ieruſalem, Luc.24.
& non cognouiſti quæ facta ſunt in illa his diebus, de Ieſu Nazareno, qui fuit vir prophe- "
ta, potens in opere, & ſermone coram Deo & omni populo, & quomodo eum tradide- "
runt ſummi ſacerdotes & principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum, "
&c. [*Et omnes familiæ reliquæ,*] ex Dauidis proſapia, quas Matthæus & Lucas recenſent, minus "
fortaſſe, quàm tres illæ nominatim prolatæ Chriſti temporibus illuſtres.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

IN *die illa erit Fons patens Domui Dauid & habitantibus Ieruſalem, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ.*

MAXIMAM & illuſtriſſimam humanarum rerum ſtatus cõuerſionem
& commutationem Chriſti crucifixi virtute faciendam, & antiquis
oraculis proditum, & factam fuiſſe noſtrorum auctorum teſtimoniis
atque grauiſſimis exemplis eſt comprobatũ: ſiquidem eorum vitio-
rum, quibus hominum natura à primis ætatis ſuæ temporibus cor-
rupta inquinataque fuerat, non ſordes modò eluendas, ſed fontem ip-
ſum, vndè turpes actiones oriuntur, clauſum iri pronuntiatum fuit:
Circuncidet Dominus cor tuum & cor ſeminis tui, vt diligas Domi- Deut.30.
num Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, vt poſſis viuere, &c. namque im- "
perfecta illa externæ carnis circumciſio perfectam hanc expetendam exſpectandamque "
ſignificabat cordis circumciſionem in ſpiritu, non in litera, cuius laus non ex hominibus, "
ſed ex Deo eſt. Cùm hæc Chriſtianæ virtutis & ſanctitatis puritatiſque ratio ac ſignifica- Rom.2.
tio omnis illo antiquæ legis rituum & ceremoniarum craſſiori cortice obducta fuerit, illud
communi omnium ferè vatum conſuetudine eſt obſeruatum, vt cùm quippiã de iiſdem
rebus iudicandum eſſet, per illa velut inuolucra & integumenta quædam perſpiciendum
exponeretur, quoad tempus accederet, cùm explicatè, diſtinctè atq. apertè res ipſa nõ rei
imago ſpectanda atque probanda hominibus concederetur. Igitur vt corporis turpitudi-
nũ & ſordium nominib. interioris hominis vitia animorumq. labes & morbi indicabãtur,
ſic rurſus eluendi, abſtergendi & purgãdi verbis, & iis, quæ ad hæc faciunt rebus appellan-
dis, vt aqua, ſanguine, hyſſopo & cæteris, vitiorum animi, ſanitas & puritas, & interioris
hominis ſignificatur integritas. In iſtorũ verò vitiorum genere duæ partes ſiue ſpecies no-
tiſſimę in antiquo expiationũ ritu ſunt, quæ aquis viuis elui abſtergique oportebat: altera
HHATAH, altera NIDA dicta; pro quibus Latinus interpres, *Peccatũ & menſtruatã* reddit, ip-
ſa verò verbi vis ſeparationẽ ſignificat. Peccatum autem ex rituali ſermone adhęrẽtem ex
mortuorum cõtagione vmbráue labem appellamus, de cuius expiatione ſcriptum ſic fuit:
Tollentq. de cineribus combuſtionis atq. peccati, & mittent aquas viuas ſuper eos in vas, Num.19.
in quibus cùm homo mundus tinxerit hyſſopũ, abſterget ex eo omne tentoriũ & cunctã "

ſupellectilē, & homines huiuſcemodi contagione pollutos. atque hoc modo mundum
" luſtrabit immundum tertio & ſeptimo die, expiatuſque die ſeptimo lauabit & ſe & veſti-
" menta ſua: & immundus erit vſque ad veſperam. ſi quis hoc modo non fuerit expiatus,
" peribit anima illius de medio eccleſiæ, quia ſanctuarium Domini polluit, & non eſt aqua luſtrationis aſperſus. At verò NIDA ſiue menſtruatam nō externa contagione, ſed interiori vitio impurum & inquinatū corpus eſt, quod à ſanctorū cōmunione interim, quoad expietur, eſt ſeparandum: atq. ad vtriuſq. vitij eluendas ſordes aquam viuam olim certis ritibus & ceremoniis conſecrandam inſtituit Deus, quæ iuuencæ ruſæ mactatæ atque exuſtæ cedrini quoque ligni hyſſopi, & purpuræ dibaphæ cineribus cōmixta eſſet, ſicut ſcriptum eſt: Vt ſint multitudini filiorum Iſraël in cuſtodiam & in aquam aſperſionis, & cæt.

Ibidem.

" Huiuſmodi aſperſionis Latinè dictā aquā, NIDA frequentiſſimè lex vocat: quam eandem luſtrationis interdum Latinus interpres dicit, quæ duabus potiſſimùm partibus, aqua viuenti, & exuſtæ vitulæ cineribus conſtabat. Accidit autem, vt in illa antiqua Ieruſalem nullæ eſſent vinentes aquæ. neque enim fontem aliquem aut fluuium perpetuò manantem in tota vrbe fuiſſe legimus. namque & ille Chedron appellatus torrens magis, quàm fluuius fuit: neque tamen ipſe interius, ſed exterius vrbem præterfluebat. ex qua re effectum eſt, vt aſportatis aliunde aquis in ſacrorum ritibus vti neceſſe fuerit, quemadmodum in antiquis Deuteroſeôn libris legimus. In tanta autem aquarum viuentium penuria Ieruſalem illam antiquam adeò impuram & ſordidam effectam fuiſſe vates lamentati ſunt, vt ob eam rem repulſam atque à diuina humanaque gratia ſeparatā fateantur, ſicut ſcriptum eſt: Peccatū peccauit Ieruſalem: propter hoc inſtabilis facta eſt. Hebraicè, Propter hoc

Miſnaioth tractatu de menſuris.

Thren. 1.

" NIDAH facta eſt. omnes qui glorificabant eam, ſpreuerunt illam: quia viderunt ignominiam eius, &c. & ibidem: Facta eſt Ieruſalem quaſi polluta menſtruis inter eos. At verò huic nouæ Ieruſalem & inſtaurandæ per Chriſtum familiæ Dauid longè meliorem commodioremque condicionem fore Vates noſter affirmauit; nempe fontem in medio & opportuniſſimo loco diuino beneficio aperiendū: cuius aquis occiſæ, & ſacrificatæ Chriſti carnis virtute commixtis vniuerſæ peccatorum & ſeparationum labes atque ſordes eluantur. Id verò beneficium Dauidis domui, hoc eſt, diſcipulis ipſis & familiaribus Chriſti & vniuerſæ ciuitati Ieruſalem, veris, inquam, Dei cultoribus aquam ex eodem fonte petentibus, adeò commune fore, vt vnicuique aquæ ſuæ commodiſſimè ſcaturiant, atque ita omnibus communis, vt ſingulis proprius fons ille fore prædictus fuerat. domum autem Dauid & Ieruſalem ciues illos definire oportet, qui & fide, & pietatis exercitatione, honeſtiſque actionibus diuina promiſſa certa ſibi reddere ſtudeant, ſicut idem ipſe, dequo nunc nobis eſt ſermo, hunc eundem locum exponens prædicabat: Qui credit in me,

Ioan. 7.

" ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. hoc autem dixit de ſpiritu
" quem erant accepturi credentes in eum. id quod olim promiſſum, re ipſa tandem præſtitū conſtitiſſe D. Petrus publicè teſtatus eſt. Deus patrum noſtrorum ſuſcitauit Ieſum,

Act. 5.

" quem vos interemiſtis, ſuſpendentes in ligno: Hunc principem & ſaluatorem Deus exaltauit dextera ſua, ad dandam pœnitentiam Iſraëli, & remiſſionem peccatorum. Et nos ſumus teſtes horum verborum, & Spiritus ſanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus ſibi. [*Et erit fons patens*: Hebraicè, *ſcaturigo aperta*.] quam præceptor noſter flumina fluentia propriè dixit: eſt namque verbum Hebraicum *Makor*. Magnam verò ex hoc fonte in vniuerſum terrarum orbem atque in omnem hominum vitam, vtilitatem & virtutem permanaturam fore Vates ait, qua illud videlicet efficiatur, vt omnibus de Deo diuinaque natura falſis atque obſcuris opinionibus conuulſis, religionis veræ ratio ac virtus conſtare publicè poſſit, atque humanæ ſapientiæ inſana ac temeraria aſſertio Chriſtianæ ſimplicitatis & euangelicæ efficientiæ vi cōhibeatur.

Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, diſperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltra: & pſeudoprophetas & ſpiritum immundum auferam de terra.

NULLI doctrinæ, nulli diſputationi atque orationi illa de diis Deorumque natura opinionum vanitas vel certius, vel celerius, quàm Chriſti efficientię & veritati ceſſit: ſiquidem omnis alia de diuina natura pro veritate aduerſus falſitatem excitata cōtentio oppugnatores offendere potuit, ſi non ratione & cauſa; fictione tamē, excogitatione & mendacio, popularique oratione valentes, qui imperitæ multitudini imponere, ac tuendum errorem perſuadere poſſent. Ex qua re effectum eſt, vt illa ſuperſtitioſi cultus cōſuetudo toto fere terrarum orbe dilatata & propagata tot ſecula manſerit, dum non deeſſent, qui vel ex veriſimili & ementita oratione, vel ex commentis fabulis, vel fictis auguriis & oraculis, aliiſq. miraculorū & prodigiorum interpretationibus orationē inuenire potuerunt,

qua propter propriam vel commoditatem, vel gloriam, deorum multitudinē & reliquam
omnem falſam rationem gentibus ad errorem, quàm ad veritatem amplectendam pro-
cliuioribus perſuaderent. At verò vbi homines ad euangelij audiendum nuntiū tanquam
ad aſpiciendam lucem reuocati ſunt, illamque ſpiritus Chriſti in eos, qui credentes obedi-
rent, efficientiam ſpectauêre, illam, inquam, ſalutem, quam & apoſtoli prædicabant, &
verè ex diuina virtute afferebant, continuò, illa errorum caligine diſcuſſa, omnes de diis
ſtultæ opiniones & ſententiæ euanuerunt, quacunque Chriſtianæ doctrinæ veræ & ſim-
pliciſſimæ notitia aperta, & illuſtriſſimo illo ſancti ſpiritus in credentium animos illaben-
tis teſtimonio confirmata fuit, ſicut ſcriptum eſt: De ſpiritualibus autem nolo vos igno- 1. Cor. 12.
rare fratres. Scitis quòd cùm gentes eſſetis, ad ſimulachra muta prout ducebamini eun- "
tes. ideò notum vobis facio, quòd nemo in ſpiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu; & "
nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in ſpiritu ſancto, &c. Hæc indicaſſe hoc loco ad "
Vatis ſententiam aperiendam ſatis fuerit, quæ aliàs nobis, ipſius diuini Spiritus fauente "
gratia, latius explicanda erunt. Atqui Chaldæus paraphraſtes hunc locum omnem non
multum aliena à nobis ſententia expoſuit. [*In tempore illo erit doctrina legis reuelata, vt ſcaturigo
aquarum domui Dauid & habitantibus Ieruſalem, & parcam debitis eorum, vt expiare ſolent aquis aſperſio-
nis & cineribus legis de peccato. Et erit in tempore illo, dicit Dominus exercituum, præcidam nomen abomina-
tionis populorum de terra, & non erit mentio nominis eorum vlterius, & cæt.* Hæc ex Chaldæo ad ver-
bum. Verùm enimuero cùm non in deorum modò multitudine colenda ſummus ac
maximus error, ſed etiam in vnius veri Dei cultu prophanando & variis perditionum
ſectis contaminando ſumma peruerſitas & hominum generi vehementer pernicioſa ſit;
id etiam malum euangelij Chriſti veritate & virtute depellendum eſſe Vates noſter, at-
que alij etiam prædixerunt. [*Et pſeudoprophetas & ſpiritum immundum auferam de terra.*] Lati-
nus Interpres & ſententiam & Chaldæum paraphraſtem, (quem ſepe conſuluit) ſecu-
tus, *Pſeudoprophetas* optimè vertit: ne quis in Hebraico verbo NEBIIM ex linguæ igno-
ratione fallatur. namque nomen NEBIIM non vates modò, ſed ſtultè loquaces gar- נבא
ruloſque ſignificat; eos nimirum, qui vanæ orationis, cui nullla virtutis ratio re ipſa
ſubeſt, artifices ſunt, atque ſermonis & verborum præſtigiis populum capiunt, à ver-
bo NIB, quod fructum ſiue productionem vel germinationem ſignificat. vnde NIB-
SEPHATAIM, id eſt, fructum labiorum, Iſaias dixit. Ab huiuſmodi multis pro- Iſai. 57.
phetis veram & puram religionem olim violatam fuiſſe, & poſt ſe etiam violandam fore,
Chriſtus & apoſtoli apertè indicauêre, & frequentibus ac pernicioſis nimium exemplis
à Chriſtianæ eccleſiæ florentis ætate ad noſtra vſque tempora compertum eſt. Fuerunt, 2. Pet. 2.
inquit Petrus, pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, qui "
introducent ſectas perditionis: & eū qui emit eos, Dominum negant: ſuperinducentes "
ſibi celerem perditionem, &c. Quòd verò iſtorum hominum res ex fraude, fallaciis &
mendaciis, aut ad quæſtum, aut ad errorem conſtet, ac vltra accuratam orationem excogi-
tataque luxuriantium verborum commenta, quas fabulas Paulus vocat, nihil præterea
virtutis aut vtilitatis habeat, manifeſtè ab Apoſtolo notata eſt, hoc verbū Zachariæ *Nebijm* "
ad verum & germanum huius loci ſenſum exponente. Et multi, inquit, ſequentur eorum "
luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur: & in auaritia fictis verbis de vobis nego- "
tiabuntur. atque hi, vt aperiiſſimis ſacræ doctrinæ teſtimoniis & ſententiis à doctis & piis
viris palàm redarguti, vbi omni reliquo præſidio, quo mendaciū tuentur, defecti ſunt, il-
lud poſtremum, vt imperitæ multitudini imponant, inſolentiſſimè iactare conſueuerunt,
ſibi Spiritu ſancto auctis magis, quàm aut rationi, aut apertæ & nudæ veritati, aut pro-
ductis ex diuino libro teſtimoniis, vel argumentis vllis credi oportêre. pleni ſunt iſtorum
libri, diſputationes, quotidiani ſermones, atque eæ, quæ ad populū fiunt, orationes, iſtiuſ-
modi ſpiritus iactatione aſſidua: nemoq́. illorum eſt, quin ſceleſtum illum hæreticorum
principem Machometum hac in re imitetur. ille enim cùm rerum, quas perperam docet,
veritati niti non poſſit, ſubinde ad dati ſibi ſpiritus auctoritatem appellandam ſe recipit.
Piget profectò atque etiam pudet ætatem noſtram in eiuſmodi tempora incidiſſe, quibus
nulla vnquam hac in parte corruptiora & miſera magis extitiſſe credimus: optandumque
eſt, aut illa mutari, aut nos ex tam turpi & indigno ſpectaculo maturius diſcedere. fatemur
quidem, & coràm etiā faſſi aliquando ſumus, iſtiuſmodi homines ſpiritum habere; neque
enim tales, ad nouandas perturbandaſque eccleſiæ & religionis res, animi ijs, qui ſpiritu
præter cæteros mortales magno aucti non fuerint, concipi poſſunt. quamobrem & ſpi-
ritum illis tribuamus neceſſe eſt: ſed ſpiritum tamen erroris definiri conſentaneum fuerit,
quo vehementer aucti ſunt, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non credide-
runt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati, de cuius ſpiritus natura, moribus & efficientia

multa exempla prodita ſunt, ex quibus illud eſt vnum: Proceſſit ſpiritus, & ſtetit coram
2.Par.17. Domino,& ait, Ego decipiam Achab: cui Dominus, In quo,inquit, decipies?& dixit ſpi-
" ritus, Egrediar & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius:dixitque Domi-
" nus, Decipies & præualebis,egredere, & fac ita,&c. Huiuſmodi quicunque ſpiritus fue-
" rint,qui à mendacio contra veritatẽ, à diſcordia aduerſus concordiam, licentia aduerſus
Chriſtianam religionem & honeſtatem pugnaturos miniſtros obſident & occupant,in ſa-
cro ſermone ſpiritus immundi vocantur: contrario omnino cognomine Spiritus ſancti,
vel ſpiritus recti. Latina verò lingua contaminatum ſpiritum vocat eum, qui ei cui inſit,
aliiſque perniciem affert. Huiuſmodi ſpiritum non minus,quàm vanorum deorum cul-
tus, nocentem & peſtiferum Chriſti virtute redarguendum, reprimendum & tandem
auferendum eſſe Vates noſter prædixit:atque eius efficiẽdæ rei auctoritas & poteſtas apo-
Matth.10. ſtolis & legitimis diuini verbi legatis atque miniſtris à Chriſto communicata eſt: Et con-
" uocatis duodecim diſcipulis, dedit eis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eiicerent
" eos, &c. Tres autem ex eo ſpirituum genere iiſdem agendi & nocendi notis deſcriptos à
Apoc.16. ſe viſos Ioãnes teſtatus eſt: Et vidi de ore draconis,& de ore beſtiæ, & de ore pſeudopro-
" phetæ, ſpiritus tres immundos in modum ranarum: ſunt enim ſpiritus dæmoniorum fa-
cientes ſigna, &c. At omnes huiuſmodi ad quæſtum,aut ad popularem gratiam & glorio-
lam ficta & commentitia fabula in tenebriſque ſummo otio compoſita, euangelij ſa-
pientiſſimis rationibus & validiſſima virtute redarguta tandem detegitur, & vanitatis le-
Ephe.5. uitatiſq́. ſummæ plena eſſe demõſtratur, ſicut ſcriptũ eſt: Omnia autem quæ arguuntur à
" lumine, manifeſtantur: omne enim quod manifeſtatur, lumen eſt. Neque verò aliam vel
" certiorem, vel commodiorẽ ad huiuſmodi ſectariorum orationes redarguẽdas atq. con-
uincendas muniri viam, neque ad iſtas Babylonicas verberandas turres & deiiciẽdas tor-
mentum aliquod efficacius ab iis, qui veritatem & ſimplicitatem colunt, viris, quàm ſa-
crorum librorũ auctoritatẽ inueniri poſſe arbitramur, maximè verò ſi ad aſſiduũ ſtudium
diligentemque exercitationem illius, quæ in euangelio reuelatur, virtutis notitia accedat.
Hæc namque & Chriſtianæ pietatis veritatem illuſtrat, & ſectarum omnium,quæcunque
ex humana cogitatione profectæ ſunt, vanitatem ex fraude & mendacio conſtantem ar-
guit, eademque ſtudioſos ſui animos iſtiuſmodi pernicioſas, atque diſſenſionum altrices
nugas deteſtatos ad veritatem, ſimplicitatẽ, modeſtiam, pacem, charitatemque colendam,
atque omnem deniqueverè eccleſiaſticam & Chriſtianam perfectionem ſequendam in-
2.Tim.3. format, ſicut ſcriptum eſt: Tu verò permane in iis,quæ didiciſti & credita ſunt tibi, ſciens
" à quo didiceris: & quia ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poſſint inſtruere ad ſalutẽ per
" fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendũ,
" ad arguendũ, ad corrigẽdum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad om-
ne opus bonum inſtructus, &c. quæ de hac re multa ab apoſtolis docentur. Hanc igitur
diuini euangelij ſancti Chriſti ſpiritus virtute inſtructi, ad hominum excogitata menda-
cia redarguenda & refellenda efficacitatem hoc in loco Vates indicabat.

Et erit cùm prophetauerit vltrà quiſpiam, dicent ei pater eius & mater eius qui genuerunt eum, Non viues: quia mendacium locutus es in nomine Domini. & configent eum pater eius & mater eius genitores eius cùm prophetauerit.

QVANTA ſit iis, qui verè pij dicuntur, integritas ac fides, ex eo declaratur, quòd ſtu-
diũ omne ad veritatis defenſionẽ conferatur, omnib. etiam vel propriis, vel ſuorũ ſibique
neceſſitudine coniunctiſſimorum rebus poſthabitis. neque enim vlla in hominum vita,
vel coniunctior neceſſitudo, vel charitas maior, quàm parentũ erga proprios liberos eſt:
quæ vſque adeò animos occupare ſolet, vt quæ in iis vitia eſſe conſtẽt, nonnunquam virtu-
tis nominibus defendantur, vel occultentur, vel leuius etiam corrigantur. quæ verò mani-
feſta ſcelera ſunt, ea reprehendi & diſſuaderi aliquando cõtingit; publicè verò à parenti-
bus in filios animaduerti, rari admodum admirandiq. exempli fuerit. Vbi verò verus Dei
cultus puraque religio ſuſcepta eſt, diuinarum rerum veritatiſque tuendę cauſa omnibus
aliis priuatis maximis commodis antefertur; ita vt neque pater, neque mater, quæ vehe-
mentius amare ſolet, filio, quem à recta pietatis via ab errare deprehenderit, parcendum
eſſe exiſtimet. In maximorum autem atque Deo vehementer deteſtabilium ſcelerum ge-
nere vanę vaticinationis ſtudium notatur, quod capitis pœna ex diuina lege vindicandum
Deut.13. fuit, ſicut ſcriptum eſt: Propheta autem ille aut fictor ſomniorum interficietur: quia locu-
" tus eſt, vt vos auerteret à Deo veſtro. ſi tibi voluerit perſuadere frater tuus filius matris
" tuæ, aut filius tuus, vel filia, ſiue vxor, quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus, quẽ diligis, vt ani-
" mã tuã, clàm dicens, Eamus, & ſeruiamus diis alienis, nõ acquieſcas ei, nec audias, neque

pareat ei oculus tuus, vt miſerearis & occultes eum: ſit primùm manus tua ſuper eum, &
poſt te omnis populus mittat manum, lapidibus obrutus necabitur: quia voluit te abſtra-
here à Deo tuo,&c. Ex his omnibus neceſſitudinis & charitatis gradibus, ſupremus à Vate
noſtro indicatus eſt, quem cùm veritati poſtponendum prædixerit, cæterorum exemplum
manifeſtum ſtatuit. neque verò ob hoc ſolùm patres in filios animaduerſuros eſſe dicit,
quòd vani cultus vanorumq́ue deorum prædicatores eſſe deprehenderint, ſed etiam, quòd
nouorum dogmatum & alienorum à Chriſtiana ſimplicitate præceptorum auctores men-
dacium ſuum diuini nominis auctoritate tuentes cognouerint. [*Quia mẽdacium locutus es in no-
mine Domini.*] Satis apertè expoſitum eſt, quid in hoc loco verbum *prophetare* ſignificet, *loqui
mendacium in nomine Domini*. Neque verò eorum, qui veram euangelij rationem tenent, inte-
gritas tantùm, ſed iudicium etiam & verum à falſo diſcernendi facultas commendatur.
facilè enim à patre & matre in filij dogmatibus & orationibus vanitatem & mendacium
deprehendendum eſſe indicat, dum pronuntiandam ſententiam atque animaduerſionem
narrat. [*Et configent eum cùm prophetauerit.*] Tantùm abeſt vt ſibi filium prophetantem populo
admirabilem gratulentur, vt ipſi agentem & verba facientem ſibi redargutum magno pie-
tatis & integritatis exemplo vltro petentes feriant, iuxta illud: Si oculus tuus ſcandalizat
te, erue illum & proiice abs te. Quàm verò manifeſtè omnis huiuſmodi excogitatæ do-
ctrinæ falſitas admoto euangelij lumine prodita argui refelliq́ue poſſit, ex euentu ipſo Va-
tes docuit, quòd veritate perſpecta vanitatem ipſam cum eorum, qui profeſſi fuerint, per-
turbatione, & pudenda confeſſione, patefactum iri confirmet.

*Et erit in die illa, confundentur prophetæ vnuſquiſque ex viſione ſua cùm prophetauerint, neque operientur
pallio ſaccino, vt mentiantur.*

MVLTA fuiſſe olim ab ijs, qui ſanctioris vitæ nomine popularẽ plauſum admiratio-
nemq́ue ſui captarent, ad eã rem parata intelleximus, quæ vel auſteritate & duritie, vel
nouitate imperitiorib. & virtutem non tam moribus & officiis, quàm externo habitu &
cultu definientibus imponerent. Plurimi ex philoſophis qui humanam felicitatem in do-
ctrinæ inſtitutiq́ue ſui ſtudio ſitam aſſerentes diſcipulis promittebant ſuis ſpectatæ virtu-
tis opinionem & auctoritatem atque orationi fidem prolixa barba, rugoſa fronte remiſſo-
q́ue ſupercilio, horrido etiam veſtitu cultuq́ue facere, atque obtinere arbitrati, in eam
rem ſtudioſè incumbebant, quæ in veræ virtutis rationibus aut nullum aut poſtremum
locum habet, in vulgi verò opinione fortaſſe primum. neque hæc gentilium modò phi-
loſophorum exempla fuêre, ſed eorum etiam, quibus diuini verbi notitia erat, qui nõ mi-
nus huiuſmodi rebus vſi imperitæ multitudinis ſtudia & gratiam inire, atq. hoc mòdo do-
gmata placitaq. ſua pro diuinis præceptis venditare ſolebant. Huius notæ Phariſæos fuiſſe
Chriſtus triſtes appellans indicauit: Cùm ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. ex- Mat. 6.
terminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunãtes, & omnia opera ſua faciũt, “
vt videantur ab hominibus. dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias, &c. “
Ex hoc genere ſunt veſtimentorum aſperitas, & à vulgari conſuetudine remoti colores, Mat. 25.
qualibus eos, qui Hebraicè *Commarim*, à Latino interprete aruſpices, aliàs verò æditui dicun- “
tur vti ſolitos legimus: de quo genere omni, & quatenus hæc laudari, quatenus rurſus im-
probari poſſint, aliàs, Deo annuente, ex diuinorũ dogmatum ratione diſſeremus. namque
ſtultitię & ignorationis turpiſſimæ eſt, de huiuſmodi rebus citra diſtinctionẽ ad ſummam
laudem aut ad ſummam inuidiam definire & ſtatuere. Illud certè hoc in loco ſatis erit di-
xiſſe, nonnunquam hęc rerum genera non virtutis verę, ſed ambitioſæ cuiuſdam opinio-
nis cauſa ad falſum populo perſuadendum peti, vt à Vate noſtro diſtinctè eſt adnotatum.
[*Nec operientur*, inquit, *pallio ſaccino, vt mentiantur*.] Neq. enim ſaccũ indui, aut malũ, aut euan-
gelica ſententia improbatum eſt, ſed ea cauſa indui, vt mentiantur; id euangelij luce de-
prehendendum arguendumq́ue eſſe Vates denuntiauerat. namque vbi quid iſtorum pſeu-
doprophetarum mendacium, quid rurſus euangelica veritas promittat, diligenter per-
ſpectum fuerit, & quemadmodum id, quod ab vtraque parte promiſſum eſt, præſtari
poſſit & ſoleat, fuerit obſeruatum: tunc verò omnes illæ philoſophicæ præſtigiæ, quæ
ſub honeſtatis oſtentatione mendacium turpitudinemq́ue celabant, manifeſtè euane-
ſcunt, & euangelicæ virtutis illuſtriſſima ratio veritaſq. in illa ſumma ſimplicitate conſtat,
ſicut de vtroq. hoc genere ſcriptum eſt: Qui deſperantes ſemetipſos tràdiderunt impudici- Ephe. 4
tiæ in operationem immunditiæ omnis in auaritiã, vos autem non ita didiciſtis Chriſtum; “
ſi tamen illũm audiſtis, & in ipſo edocti eſtis (ſicut eſt veritas Ieſu) deponere vos ſecun- “
dum priſtinam conuerſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſide- “
ria erroris, &c. Verbum Hebraicum *Chehheſs*, macreſcere, attenuari, denegare, mentiri- “

que ſignificat: ita vno verbo omnem triſtem hypocriſim interius exteriusque depictam expreſſit Vates. namque & ad macerationem, quam dicunt carnis, ſaccus parabatur, & maceratio fallendi cauſa à ſimulatoribus iſtis procurabatur. Atque in huiuſmodi commentorum generibus, quæ ad ſanctitatis opinionem & plauſum captandum ſimulatione & inani oſtentatione magis, quàm veritate, gloriæ illa ambitioſa cupiditas excogitauit: ſunt etiam quædam in corporis membris inſignitæ notæ, ſiue plagis & vulneribus vltro factis, ſiue igne, ferro, aliòue inſtrumento inuſtæ atque impreſſæ, quæ pro diuini colloquij & conſuetudinis veſtigiis iactantur. quem morem antiquum fuiſſe diuina lex vetando oſtendit: Neque figuras aliquas aut ſtigmata facietis vobis, &c. Hodieque etiam apud Iſmaëlitas nonnulli barbaris notis compuncta membra aut impreſſa ſigilla, aut facti vltro vulneris cicatrices certa figura in familiaris cum Deo colloquij, vel ſingularis amicitiæ argumentum vulgo harum rerum admiratori oſtendunt. Hæc tamen omnia vt adumbrata, ficta atque ſimulata ſunt, euangelij lumine appoſito tandem detecta euaneſcunt. ita futurum eſſe Vates dixerat, vt quicunque ſeſe his rebus venditatum ſacri ſermonis interpretem, nuntium, aliòue nomine profeſſus appellaret, vbi Chriſtianæ virtutis trutina examinatus, quidnam eſſet, rogaretur, ſe quod antea iactauerat, eſſe, negaret, idque quod verè eſſet, confiteretur.

Leuit. 11.

Sed dicet, Non ſum propheta, homo agricola ego ſum: quoniam Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea.

PRIVS illud auaritiæ atque ambitionis plenum conſilium modeſtiori & tutiori vitæ condicione mutandum eſſe ijs, qui euangelici luminis veritate conuicti fuerint, Vates oſtendit, iiſque rem omnem, quemadmodum ſeſe habuerit, manifeſta cõfeſſione eſſe aperiendam. rogatus enim quiſpiam ex iis, quamobrem non, vt anteà prophetæ munere fungatur, ſeſe prophetam fuiſſe aut eſſe, apertè negabit; ſed illud tantùm profiteri nomen, quod proprium ſibi ſit, hominem agricolam priuatum, inquam, quendam hominẽ, quem communi induſtria & labore ſibi victum parare magis, quàm illa otioſa vaticinij profeſſione deceat, cùm ipſe non à Deo creatus & legatus propheta repente extiterit, inſtar eorum, qui verè vates ſunt, ſed ex hominum diſciplina, inſtitutione & exemplo vel æmulatione, ad illam propheticam perſonam, quam antea ſuſtinuerat, agendam fuerit ab adoleſcentia ſua præceptis, exercitatione atq. meditatione fictus & informatus. [*Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea.*] Non fuit Deus, inquit, cuius conſilium & voluntatem in eo munere ſecutus ego repentè propheta prodirem, ſed homo fuit exemplum mihi ad eam rem, quam non ſine ſtudio, labore & diuturna meditatione aſſecutus fui. Quod nos legimus, [*Exemplum meum.*] Hebraico verbo reſpondet HIKNANI, cuius primum thema ſignificat emere, poſſidere, negotiari; in ea verò coniugatione, quàm hîc obtinet, quæ tertia Hebræis, ſignificat alium ad emendum poſſidendumque inducere. Eſt igitur huius loci ſententia, ſe non diuino conſilio & iuſſu, ſed humano præcepto & exemplo adductum eiuſmodi quæſtũ occepiſſe. Hiſpanè ad verbũ ſic vertitur hic locus, *Hombre me puſo en grangeria:* Non ineleganter igitur interpres noſter, quod aliud ſimplex verbũ ad eas omnes res ſignificandas Latinum non haberet, exemplum reddidit. atque illud in hac re cõſultiſſimum ſtatuimus, Latinis hominibus vulgatam editionem eſſe commodam: eius tamen interpretationem ex Hebraica veritate ac proprietate eſſe petendam, quòd ſi minus eius linguæ facultas contingat, varias tranſlationes, quæ tamen probatæ ſint, vt Auguſtinus cenſet, conſulendas conferendaſque eſſe. Sed vt ad propoſitum reuertamur, non modò futurũ eſſe Vates ait, vt euãgelij virtute & ſapientia vera à falſa doctrina dignoſcatur, ſed vt earum rerum, quæ refelli atque conuinci difficilius poſſe videntur, vanitas, ars & commentum apertè prodatur, vt ſignorum & miraculorum etiam, quæ vel humano ingenio, vel malorum dæmoniorum præſtigiis oſtendi magis, quàm edi poſſunt. de quo genere ſic eſt ſcriptum: Cuius eſt aduentus ſecundum operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis, &c. Huiuſmodi Antichriſti miniſtros nobis ſubindicaſſe Zacharias videtur, quem ſpiritu oris Domini Ieſu, hoc eſt, euangelij virtute interficiendum tandem fore Paulus confirmat.

קנה

2. Theſ. 2.

Et dicent ei, Quæ ſunt illæ plagæ in medio manuũ tuarum? & dicet, His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me.

QVONIAM cicatrices, notæ ac ſigna illa, quibus iſtiuſmodi & ſanctitatis ſimulatores imponere populo ſolerent, adhuc in iis, qui fraudem antiquam confeſſi damnent, hærentia, magnum neſcio quid & diuinum indicare videbantur, eo vſque Vates rem hanc perſecutus eſt, vt huiuſmodi ſigna non diuina auctoritate, ſed humano ingenio, ſtudio,

& arte parari poſſe doceat; idque ex indicatione eiuſdem, quem præteritæ oſtentationis vanitatem confeſſum induxerat, oſtendit. namque interrogatum illum, qui fieri poſſit, cùm propheta non ſit, vt plagas & ſigna illa impreſſa gerat, quæ non niſi diuinitus imprimi credita fuerint, reſponſurum ait, ſe non à Deo, aut ab angelo quopiam tactum plagas illas retuliſſe, ſed humana arte accepiſſe, non ab hoſtibus aut inimicis, verùm in ea familia, cuius diſciplinæ ſe addixerat: atque adeò inter eos verſatus, à quibus diligebatur, vt inter collegas magiſtroſque ſuos, hanc ſibi munitã fuiſſe viam, qua populo admirabilis repente extaret. [*In domo eorum, qui diligebant me.*] ſiue ipſe ſibi plagas impoſuerit, ſiue ab aliis eiuſdem conſilij & fraudis conſciis acceperit: vtrumque enim modum Vates hac oratione indicauit, illud omnino certum eſſe, eas neque cælitus à Deo in familiaritatis ſignũ, neque ab hominib. foris ob religionis defenſionem ſibi eſſe inflictas, ſed in domo eorum, qui ipſum diligebant. conſequens ergo eſt, conſultò illas veniſſe. [*In medio manuum tuarum.* Hebraicè ad verbum *inter manus tuas.*] quo dicendi modo nõ ſolùm manus, ſed totum corpus ab anteriori parte ſignificatur; quacunque manuum miniſterium liberè pertingere poteſt. ſolent autem huiuſmodi conſultò impreſſa ſigna in pectore vel femoribus, vel brachiis, atque adeò in manibus ipſis, plerumque vero in poſteriore corporis parte ab iſtis oſtentari, quod & iis etiam, qui ſine euangelii lumine ſapienter de rebus exiſtimant, fraudis ſuſpicionem augere poteſt, qui eiuſmodi ſigna & plagas ſcientibus & videntibus certoque loco & modo ſine vllo periculo acceptas fuiſſe facilè intelligunt. atqui dũ hæc commentaremur in media Africa, vel in ſancto Sabba ſecundum Iordanem eſſe, & plures ex iſtis KADOSSIN, id eſt ſanctis & ſeparatis Iſmaëlis videre nobis videbamur; cuiuſmodi hominum dolos Ieſus ſpiritus oris ſui, & euangelio veritatis aperturus eſſe à vatibus & apoſtolis dictus eſt: Verùm enimuero hanc diuini euangelij victoriam ſpiritualem fore, eandemque non armis, non humanis viribus, aut potentia, ſed diuina virtute & ſapientia parandam interpretari oportere, Deus ipſe proximis carminibus declarat: in quibus tota euangelij ratio rerumque gerendarum ſeries, vt futura fuerat, manifeſtè exponitur. Hoc nimirum pacto, vt ſi externæ humanæ vires & opes, atque adeò præſentes & primi euentus ſpectentur, euangelij pars inferior videri poſſit; ſi verò æterna veraque virtus & efficientia atque ipſe tandem rerum exitus obſeruetur, ſuperior atque præſtantior omnino & diuinis planè muneribus auctiſſima & illuſtriſſima euangelica pars euadere intelligatur: namque id non caſus aut infirmitatis, verùm diuini conſilij, prouidentiæ ac virtutis fuit, vt maior, potentior ac ſublimior, ſuperior & victrix ſecundum carnem pars à minori, humillima & exagitata atque lacerata iuxta carnem etiam ſpiritu tandem & virtute vinceretur, & per triumphum captiua duceretur. Hoc enim pacto, & gloriæ cauſæque & ſuorum probationi, vtilitati & amplitudini conſultum eſſe Deus voluit, cùm is debilia & infirma ad eam rem, vt fortia confunderet, elegerit. igitur vaticiniis de hac re editis & prouidentiæ ſuæ rationibus & piorum hominum animis, ſpe & promiſſione atque exemplo confirmandis conſultum voluit Deus: qui non caſu hanc rem, aut melioris partis imbecillitate, ſed conſilio & prouidentia promiſſioneque conſtare ait: quam tandem exitus ipſe feliciſſimus admirabilem planeque diuinam eſſe declaraturus fuerat, imprimis illam, quæ humano iudicio calamitas & ærumna putanda exiſtimandaque erat, ipſi maximo piorum omnium duci Chriſto eſſe propoſitam, quam is ſumma virtute & conſtantia perpeſſus, ſumma cum nominis ſui gloria, ac ſuorum vtilitate & exemplo ſuperaret: atque eandem etiam, leniorem tamen & magis tolerabilem condicionem ducis huius diſcipulis veris & fidis ſtatuendum eſſe; vt multarum tribulationum tolerantia periculorumque ac mortis contemptione regni Dei & ſacroſanctæ ciuitatis vſus & dignitas quærerentur. maximum autem iis, qui fortitudine, patientia, atque animi virtute & ſpe ad finem vſque perſtitiſſent, & auxilium à Deo promiſſum & præmium tandem eſſe propoſitum: huius verò rei ordinem ſeriemque omnem breui oratione Deus per Vatem perſequitur, & tanquam præſentem iam indicat: quam vt conſilio ſuo conſtituram confirmet, ipſe vltro appellat, & vt ſeſe explicet, hortatur. Act. 14.

Phramea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute paſtorem, & diſpergentur oues.

OMNIVM noſtrum iniquitates, hoc eſt, culpas & ſcelerum crimina Chriſto Ieſu ad expiandum ſuaque morte luendum diuino decreto imponendas eſſe ſacra oracula prodiderunt, atque diuinam aduerſus homines iram illam antiquam ſupplicio illo pro nobis vltro perferendo expeditum iri, quantum videlicet ex ſacrificij illius ratione diuina poſtulaſſet iuſtitia. nã ſi qui reipſa & effectu tantæ reconciliationis expertes exiſtant, ſibi ſuoq; vitio & culpæ aſcribant, qui tantæ ſalutis ſufficienter cunctis allatæ & propoſitæ condicionibus

æquiſſimis fide & pœnitentia vti noluerunt. igitur tempus illud turbulentum, quo Deus in Chriſtum ſuum peccata hominum animaduertendo tenebrarum poteſtati locum daturus erat, iam nunc Vates noſter diuina oratione velut præſens conſtituit, permiſſaque tenebrarum rectoribus ſæuiendi in Chriſtum poteſtate rerum conſequentiam omnem indicat. iubet gladium, hoc eſt, mortem, vt ſuper paſtorem verum ſuũ ſuſcitatus & diſtrictus ſæuiat, ſuum autem paſtorem virum ſibi coniunctũ appellans, non ſolùm diuinæ auctoritatis, ſed naturæ participem confirmat. [*Virum coherentem mihi*.] Manifeſtè hominẽ fortiſſimum & præſtantiſſimum eundemque ſecum natura communicantem indicat, maximè verbo Hebraico GHAMITHI, quod ſocium meum vnà mecum ſignificat: ſocius autem Dei vnà ſecum nullus dici poſſit, qui idem Deus eiuſdem naturæ non ſit, alioqui quęnam vnà cũ Deo ſocietas eſſe poſſit, nõ planè intelligere quis queat. adeò autem apertè hoc ſignificatur, vt neque Iudæi negare aut refellere queant, modò orationem à Vate Dei perſonã ſuſtinente haberi fateantur, quod plerique omnes Interpretes ex illis cum Chaldæo paraphraſte confitentur. hoc autem idem ipſe Vates apertè docet, *Dicit Dominus exercituum*.] Qui hominũ peccata in Chriſtum animaduerſurus angelorum legiones, quas ad tenebrarum poteſtatem & petulantiam frangendam mittere poſſet, interim retinet, quoad expiatio illa abſoluatur, omnem poſtea conſulto in innocentem allatam iniuriam tandem vlturus. neque verò ipſum ſolum Chriſtum & piorum ducem, ſummum ignominia, probris, plagis, verberib. ac morte affectũ, ſed illius etiã diſcipulos tanto præceptore tantoque duce priuatos, tamq. triſti & inopinato ſpectaculo attonitos, & ſibi ipſis metuentes perturbatum iri, ſicut ſcriptum eſt: Omnes vos ſcandalum patiemini in me in nocte iſta: quos quanquã perturbãdos prædixerit, ſibi tamen non deſerendos eſſe promittit, ſicut ſcriptum eſt: Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum ſicut & nos. cùm eſſem cum eis, ego ſeruabam eos in nomine tuo, quos dediſti mihi cuſtodiui eos, & nemo ex iis periit, niſi filius perditionis, vt ſcriptura impleretur. nunc autem ad te venio & hæc loquor, vt in mundo habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis, &c. Hanc autem à Chriſto diſcipulorum ſuorũ commendatã curam ſuſcipiendam Deus in ſe recipit.

Mat. 26. / Ioan. 17.

Et conuertam manum meam ad paruulos.

NON modò diſcipulos illos, qui tunc Chriſtum paſtorem ſequebantur, verùm omnes etiam alios ex Iudæorum aliarumque gentium nationib. ſuſcepturum ſeſe Deus pollicetur, quos quòd iuxta exiſtimationem & iudicium humanum humillimæ & abiectiſſimæ condicionis præ cæteris mundi ſapientibus potentibusque viderentur, paruulos appellat, iuxta illud: Confiteor tibi pater, quoniã abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. ita pater, quoniam ſic placitum fuit ante te, &c. Atque hactenus breuiter quidem, ſed apertè tamen illud ſignificatum eſt, quemadmodum eccleſiæ res Chriſti capitis illius proditi, capti & occiſi atque reſurgentis temporibus habituræ eſſent: vtque dies illi quanquam breues, varia tamen rerum mutatione, atque animorum motu, dolore, dubitatione, ſuſpicione, timore ac rurſus conſolatione, lætitia, confirmatione & deſiderio tranſigendi eſſent. iam verò quid poſt miſſum ſpiritum ſanctum (quæ agendarum per Chriſtum publicè rerum vltima in hac vita exſpectatio futura erat) conſecuturum in Iudæorum populo eſſet, oſtenditur.

Mat. 11.

Et erunt in omni terra, dicit Dominus: partes duæ in ea diſperdentur, & deficient, & tertia pars relinquetur in ea.

DELECTUM illum piorũ & ſimpliciſſimorũ hominũ, qui Chriſto illiusque euangelio credentes in gregẽ annumerandi erant, hoc in loco Vates ſignificauit: quos multis periculorum & difficultatum modis exercitãdos, atque in omni militiæ Chriſtianæ diſciplina ad victoriam probandos maximæ & præſtantiſſimæ dignitatis compotes factos, pulcherrimo & honeſtiſſimo nomine, cæleſtis ciuitatis ciues à Deo appellandos here confirmat. hic autem poſt ſpiritum ſanctum miſſum factus delectus fuit, cùm, apoſtolis euangelium annuntiantibus noua quotidie diſcipulorum ad eccleſiam fieret acceſſio: ita & tertia illius gentis parte delecta, cæteri ob euangelium repulſum reiiciendi, atque euangelij virtute & efficientia ab illius ſpiritualis vitæ communicatione depellendi, ſicut ſcriptum eſt: Cuius ventilabrum in manu eius, & emundabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum; paleas autem comburet igni inextinguibili. [*In omni terra*]. Quanquam rectè ad omnem terrarum orbem hæc ratio referri poſſit, in quo ſatis magna hominum pars euangelium recepit, minor tamen, quàm ea fuerit, quæ repulit, terram nihilominus Iudææ & Iſraëlitidem regionem hic propriè interpretabimur, in qua primus ille delectus

Math. 3.

factus eſt eorum, qui aliis orbis partibus ſalutis nuntij fuerant, ſicut ſcriptum erat: Dedi te in lucem gentium, vt ſit ſalus mea vſque ad extremum terræ. Atque *in omni terra*, ex adiuncta notationis particula & ex ſententia ipſa atque orationis à Vate inſtitutæ ratione Iſraeliticam terram exponimus, vt illud apud euangeliſtas: Et tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, &c. [*Dicit Dominus.*] Certam prædictarum rerum exſpectationem oratio hæc parat. etenim ea, quæ à Deo dicta ſunt, ſancta effataque haberi oportet; vtpote qui, quid ab aliis faciendum ſit, optimè nouerit, quidque à ſe ſit etiam præſtandum, ſapientiſſimè & certiſſimè decreuerit & conſtituerit. Decreuit igitur in hac re duabus partibus, iis videlicet, qui neque ſibi credere, neque obedire vellent, euangelij efficientia reiectis & repudiatis, reliquam tertiam partem, quæ per anguſtam portã intrare non recuſauerit, ſibi deligere, in populumq; chariſſimũ adoptare. [*Diſperdentur & deficient.*] Duo in legis ſermonibus familiaria verba hoc loco vſurpata ſunt, alterũ CHARATH, quod in huiuſmodi ſententiis frequentiſſimũ eſt: Et excindetur anima illa de populo ſuo; alterũ GAVAGH, quod deficere, ſolui atque paulatim ac ſenſim perire ſignificat: cuius in ſeniorũ morte deſcribenda frequens eſt vſus. vt: Et deficiens mortuus eſt in ſenectute bona. & illud: Cõſumptuſque ætate mortuus eſt, &c. Vtrumque autem verbum in diluuij antiqui rationibus vſurpatum, indeque ad hoc vaticinium tranſlatum obſeruatur. alterius exemplum illud eſt: Et non interficietur vltrà omnis caro aquis diluuij, &c. alterius verò illud: Et vniuerſa, quæ ſunt in terra, conſumentur. atque verbum prius ad naturæ proprietatem verſum ſcindere abſcinderéue ſignificat, ita duplicem ex euangelio, vel recepto, vel repulſo euentum nobis hæc oratio indicat; alterũ impiorum & incredulorum excæcationem & reiectionem, alterum piorum delectum & conſeruationem, ſicut de vtroque etiã ex eadem diluuij ratione ſcriptum fuerat. Aquæ inundabunt, & delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno nõ ſtabit, &c. atque ad prius verbum alludens Ioannes dicebat: Ecce ſecuris ad radicem arborum poſita eſt: omnis abor, quæ non fecerit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur, &c. poſterioris verò plurima in teſtamenti noui libris orationum & ſententiarum indicatio eſt: vt, Deus autem huius ſeculi excæcauit mentes incredulorum: ſi quis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Dominus: & Chriſti bonus odor ſumus in iis, qui pereunt, & in iis, qui ſalui fiunt, &c. Quod verò tertiam partem, quæ in cælorum regni ciuitatem recipiatur, relictum iri ait, cum illo planè D. Pauli teſtimonio cõuenit: Reliqui mihi ſeptem millia virorũ, qui non curuauerunt genua ſua ante Baal: ſic ergo & in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionẽ gratiæ ſaluæ factæ ſunt, &c. Quantis verò periculis, quantis rerum difficultatibus & laboribus illi, qui reliqui futuri erãt, diuini nominis atque communis orbis totius vtilitatis cauſa perfuncturi eſſent, deinceps exponitur.

Iſa. 49. · Matth. 27. · Gen. 17. כרת · גוע · Gen. 15. · Ibidem. · Gen. 9. · Gen. 6. · Iſa. 28. · Mat. 4. · 2. Cor. 2. · Rom. 11.

Et deducam tertiam partem per ignem, & vram eos ſicut vritur argentum: & probabo eos ſicut probatur aurum.

EXCITANDAS aduerſum diſcipulos Chriſti, atque eos, qui iuſtiſſimè & pientiſſimè viuentes Chriſtianã cauſam ſuſciperent inuidiæ hominum & maximorum periculorum tempeſtates, contumelias, neceſſitates, perſecutiones, anguſtias, cæteraque omnia, quæcunque ab Apoſtolo infirmitatis nomine dicta ſunt, hoc vaticinio ſignificat Vates. duplex namque baptiſma eos, qui Chriſtum ſeruatorem ſibi recepiſſent, exſpectare Ioannes docuerat, alterum Spiritus ſancti, ignis alterum: atque Spiritus ſancti baptiſma illorum regenerationem; ignis verò probationem & gloriam fuerant effecturũ: ignis enim præter illam, quam ſæpe commemorauimus, agendi celeritatem, duplex eſt efficientia: altera vt impura à puris ſecernat; altera, vt pura omnino perficiat. Quamobrem argentum ab omni inferioris notæ corporis admiſtione liberatum, purum atq; integrũ redit, ſicut ſcriptum eſt: Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum. & illud: Argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum. aurum verò, quod natura purum, atque omnis alterius generis expers plerumque inuenitur, ignis tantùm probat & perficit, ſicut ſcriptũ eſt: Quomodo probatur in fornace aurum, &c. Vtramque autem naturam atque efficientiam duobus propriis verbis Hebraicus ſermo indicat. namque argento SZARAPH, quod fundere ac purificare ſignificat, iungitur: auro verò BAHHAN, quod Latinis probare eſt. igitur in primitiua, quam appellamus, Eccleſia, hoc eſt, primis Chriſtianæ pietatis temporibus duplex piorum hominum condicio fuit; altera eorum qui ſpiritu ſancto diuinitus accepto regenerationis illius admirandæ beneficio & vſu puri, iuſti, immaculati & irreprehenſibiles corã Deo effecti erant, cuiuſmodi apoſtoli atque alij multi, quos perfectos, ſpirituales ſanctos atque Dei viuentis filios diuina ſcripta appellãt; altera verò eorum, qui ad eũ perfectionis gradum nondũ peruenerant, ad quẽ tamẽ omni

2. Cor. 12. · Prouer. 25. · Pſalm. 11. · Prou. 27.

cura, ſtudio atque pietatis exercitatione contendebant. hos infirmos, infantes, puſillos & aliis in hanc ſententiam nominibus apoſtoli vocant. Vtriſque autem ignis illud periculum paratum fore Vates ait felici omnino euentu, vt alteris videlicet puritas & ſanctitas; alteris autem ſummæ perfectionis & conſtantiæ dignitas & gloria comparetur, præter ſummam illam cæteris hominibus illo exemplo afferendam vtilitatem, & Dei nominis celebrationem, qui ſeſe etiam in illis ſuorum periculis & exercitationibus tutorem defenſoremque præſentiſſimum fore profitetur.

Ipſe vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum, & dicam, populus meus eſt: & ipſe dicet, Dominus Deus meus.

HONESTISSIMVM profectò atque omni ex parte celeberrimum certamen piorum eſt, quibus tanti principis, hoc eſt, Dei certiſſimum auxilium & numen oſtendendum promittitur: atque præmium deinde, quo nullum maius eſſe poſſit, cum præclara nominis celebritate deferendum proponitur. in mediis namque illis afflictationibus & rerum tempeſtatibus inuocatum ſeſe præſentem tutoremque fore Deus pollicetur. quæ res eorum
2.Cor.12. ipſorum, qui experti fuêre, teſtimonio confirmatur. Propter quod, inquit Paulus, ter Dominum rogaui, vt diſcederet, & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea. nam virtus in infirmitate perficitur. libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus
Rom.7. Chriſti: propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. cùm enim infirmor, tunc potens ſum. & quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? ſicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificamur tota die, exiſtimati ſumus tanquam oues occiſionis: ſed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

ECCE *dies Domini venient, dicit Dominus: & diuidentur ſpolia tua in medio tui.*

RERVM omnium, quæcunque à ſeculo ſuo ad Chriſti vſque & apoſtolorum tempora exſpectandæ eſſent, ordinem, conſequentiam exitumque omnem hactenus Vates eſt perſecutus: nunc verò deinceps eam rerũ partem deſcribit, quæ ad nouiſſima tempora, hoc eſt, ad integram & plenam totius terrarum orbis mutationem pertinent. de quibus ab aliis etiam vatibus multa, à Chriſto verò & apoſtolis plurima prædicta ſcriptaque fuerunt, fore videlicet, vt Chriſtiana eccleſia, quæ vera Ieruſalem eſt, hoſtibus omnibus deuictis & diſſipatis, pace vbique parta, expetitam diu ſibi tranquillitatem, diuina gratia donisque aucta maximis, perpetuo ſequatur: quibus verò rationibus, qua ſecie id efficiendum ſit, quibusque ſignis obſeruandum, certo atque conſequenti ordine docet. in primis autem rei ipſius euentum proponit, deinde acta, ex quibus euentus proceſſus fuerit, exponit. [*Ecce dies Domini veniet*, Hebraicè, *Ecce dies Domino veniet.*] cuiuſmodi oratione non ſolùm certum tempus indicatur, ſed illuſtriſſimum & præclariſſimum, atq. adeò ad virtutis, dignitatis, ſapientiæ & miſericordiæ ſuæ exempla edenda ſingulariter conſtitutum: cuius tamen prima ratio miſericordiam ſpectatura ſit. ob eam namque rem arcanum nomen *Domini*, eſt appellatum. [*Et diuidentur ſpolia tua in medio tui.*] Quidquid ab hoſtibus cùm apertis, tum maximè occultis Ieruſalem ciuitati ſanctę per vim, dolum atque iniuriam detractum fuerit, reſtituendum tandem fore Vates confirmat; nempe virtutes, ſapientiã, gratiam, ſpiritum, animorumque diuitias & facultates omnes, cæteraque ornamenta maxima, omnia hæc ex diuina virtute & vindicatione ad legitimos poſſeſſores poſtliminio reditura eſſe prædicuntur. Omnis verò hæc ratio, tranſlata à bello & bellicis euentibus oratione deſcribitur. quam, ſi ad ſimplicem verborum ſignificationem interpretari placeret, facilis & aperta ſatis expoſitio ſequeretur, ex antiquis temporum & rerum hiſtoriis nobis petita, quam aliàs fortaſſe indicabimus: nunc verò præcipuum Vatis & vaticinij argumentum perſequi, explicataque prius tranſlatione exponere ſtatuimus. Omnis igitur ratio arcana nobis hic erit, arcanique ſermonis explicationibus tractanda, in quo Ieruſalem eccleſiam Chriſti, hoſtes, infernam præcipuè poteſtatem & vim, atque huius ſatellites & adminiſtros improbos homines, propugnantem verò & defendentem diuinam naturam, virtutem & efficientiam interpretamur. Vt igitur vrbis alicuius expugnatoribus, per ſummum aliquem & ſtrenuiſſimum ducem deuictis, præda omnis, quæ ab illis acta fuerat, rurſus re-

cepta antiquis dominis diuidenda reſtituitur, ſicut ab Abrahamo cum Sodomorum & Gomorrhæorum populis liberaliſſimè actum eſt: ita etiam ſpolia omnia à Deo victore & vindice Chriſtianæ eccleſiæ hominibus reſtituenda ac ſingulis ſua diuidenda eſſe dicuntur. atque hæc totius agendæ rei propoſitio eſt, cuius expediendæ ratio deinceps ſubiungitur.

Et congregabo omnes gentes ad Ieruſalem in prælium, & capietur ciuitas, & vaſtabuntur domus, & mulieres violabuntur: & egredietur media pars ciuitatis in captiuitatem, & reliquum populi non auferetur ex vrbe.

QVIDQVID detrimenti, damni ac mali Chriſtiano populo, tum à gentibus & Iudæis, tum verò ab Iſmaelitis Machometo ſeductore illatum hactenus eſt, diuino permiſſu ad bonorum probationem, improborum verò patefactionem & animaduerſionem accidiſſe, ex hoc vaticinio intelligimus: Primùm namque idololatræ gentes vario in eccleſiam impetu facto vehementer ſæuierunt, à qua iniuria neque Iudæorum natio abſtinuit, deinde hæretici plurimi ad noſtram vſque tempeſtatem extitêre, qui grauiſſimum detrimentum Chriſtianæ reipublicæ importarent: inter quos nefaria illa Iſmaëlitarum ſecta fuit, quæ tum vi & armis, tum legibus & inſtitutis nocentiſſimis, magnam etiam Chriſtianorum partem abduxit, non modò imbecillis & timidis animis fraude & dolo callidaque doctrinæ ratione deluſis, ſed prophana cõnubiorum ratione excogitata, quæ libera ducendarum vxorum licentia & prolem multiplicem augeret, & libidini, ad quam hominum ingenium procliue eſt, laxas habenas remitteret. Quibus ex rebus omnibus effectum eſt, vt dimidia Chriſtiani populi parte relicta, hoc eſt, probata atque in fide officioque manente, dimidia altera, vel vi, vel metu, vel dolo & fraude in errorem captiua raperetur. Quo in ſtatu Chriſtianæ res hactenus etiam ſunt, quarum tamen reſtitutio, quemadmodum expectanda ſit, deinceps indicatur.

Et egredietur Dominus, & præliabitur contra gentes illas: ſicut præliatus eſt in die certaminis.

NEQVE enim tantam infernorum hoſtium & peſſimorum hominum potentiam & vim vlla alia, quàm diuina virtute ſuperari & repelli poſſe putandũ erat. quamobrẽ in perturbatiſſimis & difficillimis rebus ſuum vnicum præſidium ſpectãdum præbere ſolet Deus, qui huius tantæ ruinæ reſtituendæ curam in ſeſe recipit, eodem exemplo, quo deſperata propemodum olim ſalute perturbatis Iſraëlitis ſolus ipſe ſua virtute, nullis hominum, vel conſiliis, vel opibus vſus, ingentem & validiſſimum Ægyptiorum exercitum prorſus deleuit & perdidit: quo die ſeſe cultorum ſuorum propugnatorem maximũ & fortiſſimum, & ante prælij conflictum profeſſus eſt, & poſt victoriam partam declarauit, ſicut ſcriptum eſt: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. & Dominus quaſi vir pugnator omni- Exod. 14. &
potens nomen eius, &c. Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutẽ. 15.
hic eſt certaminis dies, quem Vates noſter indicat, Hebraicè ſic deſcriptus: *Sicut die præliari ipſummet in die commiſſi prælij.* Chaldaicè verò ſic expoſitus: *Sicut die pugnare ipſum ſuper mare rubrũ.*] Hanc autem diuinæ virtutis efficientiam maximam atque ſpectabilem omnibusque manifeſtam fore figurato admirabilique ſermone Vates renuntiat.

Et ſtabunt pedes eius in die illa ſuper montem Oliuarum, qui eſt contra Ieruſalem ad Orientem: & ſcindetur Mons oliuarum ex media parte ſui ad Orientem & ad Occidentem præruptu grandi valde, & ſeparabitur medium montis ad Aquilonem, & medium eius ad Meridiem. Et fugietis ad vallem montium eorum, quoniam coniungetur vallis montium vſque ad proximum: & fugietis ſicut fugiſtis à facie terræ motus in diebus Oſiæ regis Iuda; & veniet Dominus Deus meus, omnesq; ſancti eius cum eo.

VT SACRI ſermonis ratio, pedes cætera deſcripta Deoq; attributa membra efficientia magis, quàm re ipſa interpretari: ſic & hunc locum non ex verborum ſono, ſed ex ſignificatione exponere docet. diuinæ virtutis robur pedes, quibus corpus firmari ſolet, ſignificant. Mons verò oliuarum, qui eſt contra Ieruſalem ad Orientem, eum ſtatum, in quo res hominum futuræ ſunt ante hanc, de qua loquimur, eccleſiæ inſtaurationem, namque Oliuarum mons Ieroſolymis terrenis ab Oriente adiacet, ſed verborũ ipſorum arcana interpretatio hoc modo ſonat, *Super prægnantem oliuarum, qui ſuper faciem Ieruſalem ab ante.*] Cauſam aliàs docuimus, quamobrem montibus nomen prægnantium impoſitum fuerit. ad faciem eſſe, idem eſt, quod præſentem atque conſpicuam eſſe. *ante* &, tempus ſignificat, & eam mundi partem, vnde ſol nobis oriri conſpicitur: ita quæ verborum cortice velatur, ſententia illa eſt, illum humanarum rerum ſtatũ, qui aduerſus eccleſiã illo tempore futurus erat

virtutis diuinę firmitudine & robore ita diſcutiendum eſſe, vt veri hoſtes à veris & ſtudio-
ſis pietatis cultoribus longo interuallo ſeiuncti dignoſcantur; atque hi etiam omnibus ve-
ræ felicitatis rationibus, omnis dignitatis veræ nominibus affecti & donis illuſtrati; illi
verò longè inferiores relinquantur; vtpote cùm hi ad Orientem & florentem ſemper ſta-
tum, illi verò ad Occaſum pertinere dicantur. quo prærupto longè alij ab aliis diſtermi-
nandi ſunt, atque deinde alij ad Aquilonem, qui Hebraicè abſconſionem & protectionem
ſignificat; alij verò ad meridiem, qui æſtus & ariditatis inſtar habet, ſpectabunt namque
MIZRAHH ortui & viriditati, IAMMA morti, SZAPHON abſconſioni & protectioni,
NEGEB ariditati proxima nomina ſunt: quibus quatuor orbis partes appellantur. atque
in hac rerum & ſtatus diuiſione maximam vtriuſque partis ſtudioſorum trepidationem
fore Vates enuntiat. ij namque, qui infirmiores erunt, & minus apertè vel probi vel im-
probi, ad mediam vallem, quæ vtrumque montem ita diuidit, vt tangat etiam, confugiēt,
vtriuſuis partis exitum exſpectantes. huius autem fugæ exemplum ex notiſſima illis ſecu-
Amos. 1. lis hiſtoria petitur, terremotus in diebus Oſiæ regis Iuda facti biennio poſt Amoſi vatici-
nium, eodemque anno, quo Iſaias propheticum munus obiuit. alloquitur autem hoc lo-
co Vates ſuæ tempeſtatis homines, vt præteritorum, ſic futurorum etiam temporum &
ſeculorum perſonam ſuſtinentes. idem namque humanum genus vnumque & ſpecie, &
Deut. 6. ratione, & definitione omni cenſetur, vt illud: Serui eramus Pharaonis in Ægypto, &
" eduxit nos Dominus, &c. Ex illo autem oliuarum monte, qui Ieroſolymis proximus fue-
rat, Deum in ciuitatem illam ſanctam peruenturum eſſe dicit, quem omnes ſancti & per-
fecti viri ab illaque vulgari & prophana conſuetudine ſeparati ſequantur: ita vt tanta Dei
maieſtate, tam illuſtri & celebri ſanctorum frequentia ciuitas ipſa dignitatem amplitudi-
nemque ſuam obtineat. atque hanc ſententiam Hebraica oratio indicat. [*Et omnes ſancti te-
cum*;] eſtque pronomen *tecum* femininum. Verùmenimuero, vt diuinorum beneficiorum
ratio apertior & illuſtrior conſtet, piorum hominum res in ſummas anguſtias primum
adductas in latiſſimum felicitatis campum reuocandas fore allegoricos Vates docet.

Et erit in die illa: non erit lux, ſed frigus & gelu.

IN IPSA naturæ rerum contemplatione dies abſolutè, non tempore, ſed claritate &
Gen. 1. luce; nox verò contrà, tenebris & obſcuritate definitur, ſicut ſcriptum eſt: Et lucem ap-
" pellauit diem, & tenebras noctem. ita vt quæ dies nubiloſa & obſcura ſoliſque calore pri-
uata ſit, non propriè dies, neque nox propriè dici poſſit: quales dies brumæ ſunt, in qui-
bus pruinæ ac niues proferuntur. dies autem & lux arcano ſermone pacem & lætitiam
tranquillitatemque; nox verò contrà metum, triſtitiam & perturbationem ſignificat: vt,
2. Theſ. 5. Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. illo igitur tempore, quo Deus eccleſiā ſuam
inſtauraturus eſt, ob magnum vtriuſque partis conflictum, duriores & anguſtiores etiam
bonis & piis videri potuerint res: quæ tamen illis optimum & illuſtriſſimum exitum ha-
bituræ ſint. Id quod ſubiuncto etiam carmine explicatur.

Et erit dies vna (quæ nota eſt Domino,) non dies neque nox, & in tempore veſperi erit lux.

PRIMVM, inquit, tribulatio & preſſura præcedet, quæ tamen impios tantùm, non item
pios perdat; quos veſpertina tandem lux exſpectans lætiſſimos excipiet. Hanc verò diem
Domino notam & certam eſſe ait, qua ſuperatis & reiectis atque diſſipatis omnium erro-
rum, ſectarum & peccatorum tenebris, perpetua quædam lux tandem, nulla amplius ob-
ſcuritate occupanda, ſuccedat, ita vt quo tempore aliàs veſper eſſe ſolebat, tamen lux iam
de cætero futura perpetuò ſit. de qua luce ſpirituali multa à vatibus omnibus & ab apo-
Rom. 13. ſtolis plurima prædicantur: vt, Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, &
quaſi in die honeſtè ambulemus. Beatum verò atque omnibus veris bonis & copiis afflu-
entem perpetua diuini Spiritus gratia auctū eccleſiæ ſtatum fore deinceps Vates prædicit.

Et erit in die illa: exibunt aquæ viuæ de Ieruſalem: medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare nouiſſimum: in æſtate & in hyeme erunt.

PERPETVAM & copioſam ſancti Spiritus affluentiam & gratiam, quam diuino bene-
ficio ex Chriſti ſeruatoris morte & reſurrectione ſacroſancta atque catholica eccleſia con-
ſecutura erat, multi ex vatibus præuidentes, aquarum, fontium fluuiorumque nominibus
Ioël 3. ſignificarunt. ſic Ioël: Et fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpi-
Ezech. 47. narum. ſic Ezechiel: Et ecce aquæ redundantes à latere dextro, &c. Et hic idem Vates ſu-
Suprà. 13. perius: In die illa erit fons patens domui Dauid, &c. huius verò diuinæ aquæ beneficium
omni eccleſiæ commune, ad extremas uſque orbis partes deferēdum eſſe, tū ipſa affluentia

rum locorum apud Vates deſcriptio ſignificat. [*Medium earum ad mare Orientale.*] Oceanum Orientalem, quo terra ab ortu ambitur, vt nouiſſimum mare, extremum Oceanum, quod tandem ab occaſu ſoluentibus nauigari poteſt, exponimus. perennes verò & inexhauſtas ſemperq́ue abundantes aquas fore ex eo, quod ſubiunctum eſt, oſtenditur. [*In aſtate & in hyeme erunt.*] namque verbum *erunt*, affirmatiuè additum, omnem mutationem atque defectum excludit. duobus namque anni temporibus aquarum defluxus vel minui, vel ſiſti ſolet, æſtate propter nimium ſolis abſumentis feruorum; hyeme propter immodicum frigus, quo aquæ in glaciem coguntur. ita igitur nullis vel immodicis afflictionum æſtibus, vel rerum preſſuris & anguſtiis aquam illam atque diuini Spiritus gratiam & manifeſtam
prouidentiam eccleſiæ vniuerſæ defuturam Vates ait. Hæc verò omnia ad perpetuam & Iſa.2.
veram ſapientiæ diuinæ diſciplinam Chaldæus paraphraſtes non aliena à noſtris defini- "
tionibus ſententia retulit, ſicut ſcriptum eſt: De Sion exibit lex, & verbum Domini de "
Ieruſalem. magnum verò omnium gentium de religione conſenſum & commune pietatis & veri cultus ſtudium porrò fore confirmat Vates: quòd ij, qui infirmiores fuerint, & minus antea veræ pietatis rationes tenuerint, ſanctiſſimæ partis exemplo & admiratione ad eandem omnino de Deo diuiniſq́ue rebus ſententiam traducantur.

Et erit Deus rex ſuper omnem terram: in die illa erit Deus vnus, & erit nomen eius vnum.

CERTAM carminis huius ſententiam Chaldæus paraphraſtes breuiter exponit. [*Et reuelabitur regnum Dei ſuper omnes habitatores terræ: in tempore illo ſeruient coram Domino humero vno, quoniam nomen eius firmabitur in ſeculo, & non præter ipſum.*] Itaque vnum verum Deum, vnamq́ue diuinam naturam publicè ab omnibus cognoſcendam, diligendam, atque communi animorum & ſententiarum conſenſu ac pietatis ſtudio colendam tunc fore, cùm gentes omnes in vnum ouile redactæ vnicum paſtorem Chriſtum ſecutæ ſupremum Dei nomen in iuſtitia ſanctitate & veritate ſanctificent, regniq́ue cæleſtis participes omnes fiant. Quanta verò quamq́ue experenda res hæc ſit, Chriſtus apertè docuit, qui noſtrarum ad Deum ſupplicationum argumentum primum atque maximum hoc eſſe voluit. Sic, inquit, orabitis, Pater
noſter qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum: adueniat regnum tuum, &c. atque hoc Matth.6.
maximum & præſtantiſſimum myſterium iam inde à prima naſcentis eccleſiæ ætate cœ- "
ptum, quanquam temporibus noſtris inter tot, tantaſq́ue errorum & ſectarum nebulas minus perſpicuum ſit, futurum tamen eſt, vt plenè abſoluatur, aperteq́ue omnibus pateat,
vt adimpleatur quod per hunc alioſq́ue prophetas ſcriptum eſt: Quia tunc reddam po- Sopho.3.
pulis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero "
vno, &c. quod verò de vnico Dei nomine hic indicatur, ad veritatem Chriſti cognoſcendam pertinet, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quem qui videt, videt & patrem, atque virtutem nominis illius arcani experitur, quod nemini mortalium ſine diuina reuelatione ſatis vnquam, aut notum, aut explicatum fuit. At verò Ieroſolymam vrbem illam, de qua ſermo inſtitutus nobis eſt, tum locorum dilatatione, tum etiam populi celebritate & frequentia longè lateq́ue propugnandam atque ſitus elegantia conſpicuam omnino fore hic Vates cum aliis præcinit.

Et reuertetur omnis terra vſque ad deſertum de colle Remmon ad Auſtrum Ieruſalem: & exaltabitur, & habitabit in loco ſuo, à porta Beniamin vſque ad locum portæ prioris, vſque ad portam angulorum: & à turre Hananeel vſque ad torcularia regis.

IEROSOLYMAM antiquam vrbem in edito loco ſitam fuiſſe ex ſacra topographia di- Pſalm.86.
dicimus. Fundamenta eius in montibus ſanctis, &c. eius verò quanquam altioris pro- "
ſpectum circumiacentes montes non parum impediebant, ſicut ſcriptum eſt: Montes in Pſal 124.
circuitu eius. ex qua re illud eueniebat, vt neque ita latè extenſa, neque conſpicua eſſe poſ- "
ſet. at verò rebus eccleſiæ ad ſummum gradum adductis, illud etiam ex diuinæ virtutis "
efficientia acceſſurum vates cecinerunt, vt omni obice remoto, omni difficultate emollita, huius ſacræ ciuitatis proſpectus longè lateq́ue pateat, & ſitus etiam ab illis antiquis veteris Ieroſolymæ anguſtiis productus & dilatatus, nullis aliis, quàm orbis terminis definiatur. [*Et reuertetur omnis terra vſque ad deſertum.* Hebraicè eſt, *Reuertetur omnis terra in Gharaba.*] Eſt
autem GHARABA multiplex nomen: ſignificat enim mixtionem, dulcedinem, plani- ערבה
tiem & deſertum. atque ita nullum alium montem, nullum doctrinæ alienæ, aut vanæ ſapientiæ, vel inutilis religionis cultum fore Vates ait, cuius obiectu Chriſtianæ & Catholicæ eccleſiæ proſpectui atque amplitudini quicquam detrahatur, ſicut aliàs
etiam eadem tranſlationis ratione ſcriptum extat: Et erit in nouiſſimis diebus Iſa.2.
præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, "

„ & fluent ad eum omnes gentes. id quod Iſaias montis eleuandi imagine deſcripſerat,
„ Zacharias totius terræ deprimendæ & complanandæ ſimilitudine ſignificauit. vtrumque
Mat. 3. verò Ioannes Baptiſta complexus dicit: Omnis mons & collis humiliabitur, & omnis
„ vallis implebitur, & videbit omnis caro pariter ſalutare Dei. hoc itaque eſt miteſcere,
„ dulceſcere, complanati, deſertumque fieri, atque campeſtre, vt ſic dicamus, reddi. [*De colle Remmon ad auſtrum Ieruſalem.*] Septentrionalem & meridionalem plagam hoc loco Vates indicat, ſi Hebræorum verborum vis & notatio aptè obſeruetur. ad verbum namque ſic oratio redditur: *Ab altitudine Remmon ad Auſtrum Ieruſalem.*] namque in terræ vniuerſali ſitu borealis pars altior deſcribitur, quòd montes frequentiores atque editiores habeat. eam autem partem collem ſiue altitudinem Vates dixit: quam vt apertiùs indicaret, loci ad ſeptentrionem ſiti nomine adiuncto annotauit. eſt enim *Remmon* ſcopuloſus & ſaxoſus in Beniamin tribu mons antiquo Beniaminitarum præſidio celebris, vt ſcriptum eſt:
Iudic. 20. Quod cùm vidiſſent, qui remanſerant de Beniamin, fugerunt in ſolitudinem, & pergebant ad Petram, cuius vocabulum eſt Remmon, & cæt. Beniamini verò tribum ad ſeptentrionem Ieroſolymis adiacere, ex ſacra geographia cognouimus. ipſum præterea nomen Remmon, & malum granatum, & altitudinem etiam ſignificat. atque ita factum eſt, vt dum Vates de libera illa Ieruſalem ſermonem inſtituit, verba, nomina, resque inueniret, quæ cùm terrenæ Ieroſolymæ conuenirent, arcana etiam ſignificatione ad illam alteram referri aptè poſſent. [*Et exaltabitur.*] iis quibus antea ambiebatur, collibus depreſſis, eam ſolam exaltatam & conſpicuam relictum iri conſequitur. [*Et habitabit in loco ſuo.*] Hebraica hæc phraſis quietam, liberam atque omnibus commoditatibus auctam habitationem, eandemque perpetuam, ſignificat. Hebraicè ad verbum dicitur; *Et habitabit ſubtus ſe.*] hoc eſt locum omnem ſuum commodiſſimè tenebit. huius dicendi modi frequens in
1. Sam. 14. ſacris ſermonibus vſus eſt: vt, Stemus in loco noſtro. & illud: Maneat quiſque apud ſe-
Exod. 16. metipſum, & nullus egrediatur de loco ſuo die ſabbathi. [*A porta Beniamin.*] Beniamin,
„ filius dextræ arcanè ſignificat, atque dexteram orbis terræ partem nobis indicat, vt porta
„ prior ſiue prima orientem. namque portæ nomen Hebraicum, cogitationem & menſuram Latinè ſignificat. duobus autem modis orbem terræ geometræ metiuntur, longitudine & latitudine. [*vſque ad portam angulorum.*] Menſuram angulorum arcticum, antarcticum polos, in quibus circuli omnes, quibus orbem ſecundum longitudinem metimur, concurrentes angulos conſtituunt innumerabiles; deinde verò *A turre Hananeel vſque ad torcularia regis:*] terram omnem quacunque patet, ad ambientem oceanum vſque interpretamur. Hebraicè ſic locus habet, *Et turris Hannanal vſque, & cæt.*] ita vt turrim Hananeël omnem habitandam eſſe indicet vſque ad torcularia regis. quæ tametſi certa apud Ieroſolymam olim loca fuerint, ſignificatione tamen arcana ad noſtram rationem transferuntur. Eſt autem nomen turri Hebraicum MIGDAL, quod magnitudinem ſiue magnificationem ſignificat. *Hananeël* verò Dei condonationem atque miſericordiam ad verbum ſonat. Eſt igitur huiuſmodi loci interpretatio Dei miſericordiæ & condonationis magnitudinem omni terræ, quacunque orbis patet, ad torcularia regia vſque fore impertiendam. atque hoc pacto Ieroſolymæ huius, de qua loquimur, ſitum longè lateque dilatandum, & hic Vates & alij prædixerunt. eandemque Ieremias iiſdem ferè verbis eſt
Hebræi expoſitores in Midras Agera. perſecutus, quam non tam ex vulgata, quàm ex arcana vocum ſignificatione interpretari oportere antiqui etiam Hebræi docuerunt: quibus noua quædam Ieruſalem, quæ totum orbem occuparet, futura credita exſpectaque fuit. Cæterùm perpetuam deinceps eccleſiæ & ſecuritatem & tranquillitatem extremis iam periculis & difficultatibus ſuperatis, piam etiam & æternam pacem ſacra omnia oracula promittunt.

Et habitabunt in ea, & anathema non erit amplius: ſed ſedebit Ieruſalem ſecura.

OMNI non ſolùm externo & alienæ factionis & ſuperſtitioſæ ac vanæ religionis metu, ſed domeſticæ etiam ſeditionis, ſectarum & improbi ac nefarij dogmatis ſuſpicione alienam & liberam eccleſiam fore apertè ſignificat his verbis: *Et habitabunt in ea, & anathema non erit amplius.*] Quoniam verò ſalus, ſecuritas atque libertas ſumma hactenus eccleſiæ promiſſa apertè erat, ſed quiſnam tantorum, tamque immanium hoſtium exitus futurus eſſet, nondum fuerat ſatis explicatum; ei quoque parti prædicendo ſatisfacit Vates, oſtenditque magnam illis paratam eſſe vltionem, quam qui euaſerint, planè diuinam agnoſcentes ſacræ & puræ religioni, & veræ Chriſtianæ pietati ſeſe totos dedant, magnam & ſalutarem in ſe Dei virtutem, ſi id fecerint, ſin minus, magnam iram & vim experturi.

Et hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnauerunt aduerſus Ieruſalem: Tabeſcet caro vniuſcuiuſque ſtantis ſuper pedes ſuos, & oculi eius contabeſcent in foraminibus ſuis, & lingua eorum contabeſcet in ore ſuo.

OMNIA hæc per tranſlationem dicta, primùm ad verbum, deinde ad ſententiam explicanda ſunt. Igitur Ieruſalem infeſtos anteà hoſtes, qui ingenti robore, potentia viq́ue valere viſi fuerant, ſumma infirmitate debilitateq́ue fore ſubitò afficiendos ait, ita vt videntes ſentientesq́ue ante ſe perire cognoſcant, quàm proſpicere & cauere exitium poſſint. planè enim hæc omnia ſigna, quæ à Vate indicata ſunt, certam mortis prænotionem ac prædictionem medicis faciunt, maximè cùm ſubitò in aliquo homine, & non ex manifeſta vel nimiæ purgationis vel vigiliarum cauſa accidiſſe viſa fuerint. eſt enim hoc primum ab Hippocrate indicatum mortis iudicium. [*Tabeſcet caro vniuſcuiuſque ſtantis ſupra pedes ſuos.*] Subitò, inquit, nullius antea morbi debilitatione aut vi, neque longa valetudine in lecto decumbentis, ſed valentis & ſtantis caro contabeſcet, oculiq́ue caui & ad vidēdum imbecilli reddentur, neque linguæ ſuus vſus erit, neruis & muſculis omnibus debilitatis, atque hac figura debilitationisq́. imagine expreſſa humanam potentiam, ſapientiā, dolum, calliditatē & eloquentiam, quibus eccleſiæ hoſtes aduerſus Chriſtianam ſimplicitatē valere ſe plurimum putauerant, fractum, comminutum, debilitatum, ac tandem perditū iri Vates oſtendit. Magnam verò in ipſis confuſionem perturbationemq́; edendam fore docet, vt dum quis alterius auxilium petere ſtuduerit, abalienatam voluntatem & apertas experiatur inimicitias. Hippocrat. de præſagiis, lib. 1. c. 1.

In die illa erit tumultus Domini magnus in eis: & apprehendet vir manum proximi ſui, & conſeretur manus eius ſuper manum proximi ſui.

PRO mutuo auxilio mutuum periculum eccleſiæ hoſtibus denuntiatur, tantaq́ue animorum perturbatio futura dicitur, vt cùm quis propriæ debilitatis & infirmitatis fulciendæ cauſa alterius manum apprehenderit, infeſtam ſibi ex nimia ſuſpicionis perturbatione ſentiat. id autem ſolenne ſemper Chriſtianæ veritatis aduerſariis & detractoribus fuit, vt cùm ſeparati minus ad repugnandum ſe poſſe intelligerent, quanquam aliàs opinione & ſtudio diſſidentes, tamen aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius mutuo auxilio copias coniungerent. ſic Phariſæi & Sadducæi apud Iudæos: ſic apud gentes Epicurei & Stoici agebant. ſic omnes denique gentes, ſectæ & factiones, quæcunque Chriſtianam veritatem & ſimplicitatem oppugnare contenderint: quorum tamen non ſolùm potentiam, ſed conſilia arteſq́ue omnes irritas & inutiles, imò ſibi ipſis mutuò infeſtas tunc fore, Vates ait, cùm abſolutam plenamq́ue gratiam & ſalutem eccleſiæ ſuæ Deus eſt allaturus. neque verò illa tempeſtate gentes & ſectas vanorumq́ue cultuum ſtudioſos modò, ſed Iudæorum etiam non modicam partem hoſtilem aduerſus eccleſiam animum & conatum paraturos eſſe dicit: quos tamen omnes Deus ſpiritu oris ſui, & euangelica virtute ſuperatos partim delebit, partim reprimet, & ad deditionem coget.

Sed & Iuda pugnabit aduerſus Ieruſalem, & congregabuntur diuitiæ omnium gentium in circuitu, aurum & argentum, & veſtes multæ ſatis.

CÆTERÆ gentes errore, ſuperſtitione obſcuris & falſis de diuina natura opinionibus armatæ aduerſus eccleſiam contendere ſolent: Iudæi verò domeſtici magis hoſtes & periculoſi habentur, qui paribus, vt videtur, & ſimillimis armis, hoc eſt, ſacrarum ſcripturarum auctoritate, Chriſtianam veritatem oppugnare conantur: quorum tamen vanos & irritos conatus fuiſſe exitus ipſe arguet. nam quidquid in illorum libris boni veriq́ue atq́ue certi fuerit, id non illis, ſed Chriſtianæ eccleſiæ in vſum cedet: propter quam, quæcunque ſcripta à ſpiritu ſancto ſunt, ſcripta fuiſſe manifeſtè probabitur; ſiquid præterea apud alias gentes erit, quod ad veram ſapientiam atque probatam virtutem referri poſſit, id liberali cauſa manu aſſertum ad eccleſiam Chriſtianam poſtliminio rediturum eſſe confirmat. ſunt autem aurum, argentum & veſtes verorum bonorum, vt ſapientiæ & ſcientiæ atq. virtutum cæterorumq́ue diuinorum donorum, quæ à patre luminum deſcendunt ſymbola: vt, Suadebo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias, & veſtimentis albis induaris, &c. Id verò, quod ſuperius dictum fuerat de reſtituendis Ieruſalem ſpoliis, *Et diuidentur ſpolia tua in medio tui, &c.* nunc expoſitione explicatur, *Aurum, argentum, & veſtes multa ſatis,* ſiue vt Hebraicè eſt, *ad multum valde:*] vt copia hæc ad aurum, argentum veſtemq́ue referatur. Quidquid igitur veri & perfecti boni apud hoſtes fuerit, vt propriū eccleſiæ reſtituendum eſſe ait: cætera verò, quæ hoſtium ipſorum eſſe deprehendentur, quibuſq́ue illi maximè niterentur & fiderent, vt eccleſiæ ſuperuacanea, imò inutilia prorſus damnatum exciſumq́ue iri dicuntur: cuiuſmodi potentia, vis, fraus, dolus, temeritas & ſtultitia, cæteraq́ue hominum aduerſus veritatem & ſimplicitatem præſidia ſunt. Apoc. 3.

Et ſic erit ruina equi, & muli, & cameli, & aſini, & omnium iumentorum, quæ fuerint in caſtris illis, ſicut ruina hæc.

EQVORVM, mulorum, cæterorumque iumentorum, quæ ad belli vſum valere putantur, mentio in hoc loco propterea facta eſt, quòd ad ſpoliorum & prædarum rationem hæc genera etiam referri ſoleant: quæ tamen vt inutilia cum ſuis dominis exciſum perditumque iri Vates ait. [*Sicut ruina hæc.*] Illam dominorum ruinam ſubitam, quam paulo antè deſcripſerat, indicat à Deo ipſo mirabiliter edendam, qua omnis hominum aduerſariorum potentia & ars, omniſque inferni hoſtis excogitatio irrita fiat. neque verò horum iumentorum interitus cum dominorum plaga commemoratus eſt, quòd is locus opportunus non eſſet; quippe cùm hæc genera non ad victoriæ, ſed ad ſpoliorum & prædæ rationem pertinent. porrò equum, mulum, camelum & aſinum, ac cætera, quæ in hominum caſtris expetuntur, iumenta vitij magis, quàm virtutis rationem arcano ſermone obtinere, in noſtris de ea re præceptis abundè, ſi Deus conceſſerit, docebimus, vbi equo ſuperbia & vis, mulo dolus & fraus, camelo temeritas, aſino ſtultitia & conatus tribuitur. Hanc verò diuinam de vniuerſis eccleſiæ, euangeliique hoſtibus, aduerſariis & obtrectatoribus, deque eorum potentia & ſapientia, artibuſque cæteris partam victoriã, certa & perpetua eorum, qui reliqui fuerint, deditio & fides conſecutura à vatibus hoc modo enuntiatur.

Et omnes, qui reliqui fuerint de vniuerſis gentibus, quæ venerunt contra Ieruſalem, aſcendent ab anno in annum, vt adorent regem Dominum exercituum, & celebrent feſtiuitatem tabernaculorum.

Exod. 12. FESTORVM dierum celebratio legitima publicam accepti diuinitus beneficij profeſ-
„ ſionem & commemorationem continet, ſicut ſcriptum eſt: Habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis, &c. Omnium igitur gentium quę illa tempeſtate reliquæ fuerint, animos tantarum Dei virtutum magnitudine & euangelicæ veritatis certa & manifeſtą obſeruatione permotus veræ vnicæque Chriſtianæ religioni ſponte iam & ſummo ſtudio addictum atque in ſuam ipſorum ſalutem aſcriptum iri Vates cõfirmat, ita vt tanti beneficij memoria inſtituti annui feſti celebratione publicè ab omnibus cõmuni conſilio replicanda ſit. Cauſam verò, quamobrẽ tabernaculorum potius, quàm aliud feſtũ ex antiquis ab huiuſmodi deditis & Deo addictis gentibus colendum indicatum fuerit, illam eſſe arbitramur, quòd tabernaculorum feſtum variæ olim & incertæ ac peregrinæ prorſus vitæ
Leuit. 23. quàm Iſraëlitæ, antequam in promiſſas patriæ ſedes deducti eſſent, degerunt, ſolennem
„ recordationem repetebat, ſicut ſcriptum eſt: Vt diſcant poſteri veſtri quòd in tabernaculis
„ habitare feci filios Iſraël, cùm educerem eos de terra Ægypti. Similiter verò omnino anteactę variis opinionum, ſuperſtitionum, ſectarum aliorumque errorum generibus vitæ monumento gentibus ad veritatem reuocatis diuinum erga ſe beneficium celebrandum communi & ſolenni in eccleſiam conuentu facto. [*Aſcendent de anno in annum, vt adorent regem Dominum exercituum.*] Nulla oratione ex iis, quibus Vates arcanè aliàs loquentes vtuntur, regnum Dei apertius indicari potuit. cuius rex Chriſtus eſt ſedens ad dexteram patris caput eccleſiæ conſtitutus, caputque ipſe ſuum Deum patrem habens, à quo omnium rerum, hominum, tum amicorum, tum inimicorum dominatum accepturus eſſe omnium vatum oraculis, aut apertè, aut arcanè dictus eſt. nomen verò *Domini* miſericordiam, vt aliàs diximus, indicat; *Exercituum* autem cognomen virturem, qua ſubiicere ſibi omnia poſſit, interpretati ſæpe ſumus: illa enim virtute maxima ſeſe ac cæteros ſimilium errorum quondam tutores, ſuperatas, victas atque in deditionem euangelij redactas gentes, illæ omnes vltro fatendo, quòd ad tantam ſalutem atque dignitatem peruenerint, diuinæ miſericordiæ acceptum ferentes profitebuntur. [*Regem Dominum exercituum*] ſi ita, vt Latinè eſt, legamus, patrem ipſum Deum regni cæleſtis regem ſummum interpretabimur; ſi verò, vt Hebraici ſermonis diligens obſeruatio indicat, *Regem Domini*,] dicamus,
Pſalm 2. aperta etiam ſententia eſt: quæ Chriſtum Domini ſignificat, regem regum & dominan-
„ tium Dominum à Deo patre conſtitutum, ſicut ſcriptum eſt: Ego autem conſtitutus ſum
„ rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te, &c. Hebraicè ſic locus habet: Ego autem conſtitui regem meum ſuper Sion, &c. Verùm enimuero adeò certam, ſimplicem atque omni ex parte ſolidam hanc religionis veræ communionem omnibus gentibus fore Vates declarat, vt præter eam nulla alia ad Dei gratiam conſequendam atque retinendam ratio conſtet. quicunque enim huius eccleſiæ communicationis expertes permanſerint, præter omnium commodiſſimarum rerum defectum, magnam etiam Dei in ſe vltionem, & vim experiri cogentur.

Et erit

Et erit qui non aſcenderit de familiis terræ ad Ieruſalem, vt adorent regem Dominum exercituum, non erit ſuper eos imber.

INTER præcipua & frequentiſſima diuinæ prouidentiæ argumenta pluuiarum im-
briumque natura & commoditas in ſacris libris enumeratur, vtpote quæ tum opportuni-
tate, tum vtilitate ſua vel ruſticiſſimum quemque diuinorum beneficiorum admoneat, ſic-
ut ſcriptum eſt: Præcinite Domino in confeſſione, pſallite Deo noſtro in cithara: Qui Pſal. 146.
operit cælum nubibus, & parat terræ pluuiam. namque & cæteris, quæ ex cælo in terram
deferuntur, commoditatibus, vt lumine, calore & aliis, quæcunq. huiuſmodi aſſiduæ per-
petuæque ſunt, quanquam omni ex parte admirandis, tardiora tamen ingenia & obſcurio-
res hominum quorundam ſenſus minus ad contemplationem excitantur; vtpote quæ iam
inde à principio, ex quo ſemel incepêre, cùm nunquam defecerint, naturæ ſuæ vim perpe-
tuam tueri & conſeruare magis, quàm rectoris & principis cuiuſpiam conſilio atque im-
perio parere nonnullis videntur, neque, vt deficiant, fieri poſſe, quæ nunquam defeciſſe vi-
ſa fuerint, creduntur. quæ res quoſdam ſtultè magis, quàm verè aut acutè philoſophantes,
in eam ſententiam adduxit, vt mundi æternitatem aſſerentes omnia naturæ & neceſſitati,
non autem diuino conſilio & voluntati arbitrioque tribuerent: cùm tamen illud veriſſi-
mum ſit, perpetuam hanc motuum, actionum, officiorum atque vtilitatum conſtantiam
& concordiam non rerum ipſarum neceſſaria ratione, ſed conditoris iuſſu atque inſtitu-
tione ſeruari, ſicut ſcriptum eſt: Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt: ſta- Pſal. 148.
tuit ea in æternum & in ſeculum ſeculi: præceptum poſuit, & non præteribit. at verò ex
eorum, quæ in ſublimi fiunt, maximè autem in pluuiarum & imbrium ratione conſideran-
da, nouum quotidie prouidentiæ & diuini conſilij ac præſentis voluntatis naſcitur argu-
mentum, cùm earum rerum vſus neque perpetuitate, neque temeritate, ſed opportuni-
tate atque vtilitate euidenti omnibusque aperta hominibus definiatur. quamobrem ſcri-
ptum de hoc genere eſt: Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbũ Pſal. 148.
eius. vt hæc non tam præceptum aliquod antiquum ſeruare, quàm nouum ſemper & op-
portunum mandatum exequi videantur. atque pluuiæ (quas in hoc genere omni vtiliſſimas
eſſe conſtat) diuinæ prouidentiæ numen ſingularibus apertiſque argumentis magis etiam
declarant. in his enim diſcrimen quoddam eſſe obſeruarique Deus voluit, videlicet, vt ſin-
gulis terræ partibus ad loci & ſitus naturam & vſum quam commodiſſimè pluat; maximè
autem Iſraëlitidi regioni certas & opportuniſſimos temporaneus & ſerotinus dictos im-
bres effluere olim curabat, ſicut ſcriptum eſt: Qui dat pluuiam ſuper faciem terræ: & irri- Iob 5.
gat aquis vniuerſa. quo in loco commodam & opportunam pluuiarum copiam à Deo ter-
ræ fieri, verbum dare ſignificat, & ſingularem atque priuatam pro cuiuſque regionis natu-
ra prouidentiam altera orationis pars docet, irrigat, inquit, aquis, vniuerſa, ſiue ex Hebrai-
co ad verbum, mittens aquas ſuper facies externorum ſiue exceptorum [locorum] vbi
verbum mittens & externorum nomen ea, quæ à nobis annotata ſunt, indicant. Eis igitur,
qui Ieroſolymam ciuitatem ſanctam, ſupplicandi cauſa, petere neglexerint, vt diuina pro-
ſpicientia & tutela indignis, præter imminentem & communem impiis omnibus vltio-
nem, aquarum penuriam Vates, vt pœnarum etiam partem, denuntiat, hoc eſt, neglectio-
nem erga ſe Dei, qua ad certam & celerem perditionem exſpectandam, nihil hominibus
accidere poteſt infelicius. atque vt ad eam, quam habet, germanam ſententiam oratio ex-
plicetur, iis omnibus, qui ab eccleſiæ huius, de qua ſermo eſt, catholicæ ratione & commu-
nione ſeſe abalienauerint, diuinæ gratiæ vſum auferendum eſſe ſignificat; ſine quo huma-
na natura nullos veræ ac ſinceræ pietatis Deo gratos fructus gignere poteſt, ſicut ſcriptum Pſalm. 84.
eſt: Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructũ ſuum. atq. hæc ratio
eos concernit, qui poſt agnitam veritatem acceptumque ſanctum mandatum, poſt guſta-
tum bonum Dei verbum virtutemque ſeculi venturi prolapſi rurſus ſunt, quos per pœni-
tentiam renouari impoſſibile eſſe, & Pauli, & Petri apoſtolorum ſententia definitum eſt.
de quo horrendo Dei iudicio nobis aliàs commodior diſſerendi dabitur, vt ſpero, locus. Vt
verò Vates eam, quam denuntiauerat, aquarum penuriam & pluuiarum defectum non
ſimplici, ſed arcana ratione explicandam atque definiendam eſſe doceret, Ægyptios etiam,
ſi idem peccauerint, eidem pœnæ obnoxios fore confirmat: cùm tamen illorum regioni
pluuiarum vſus non modò ſuperuacaneus, ſed inutilis etiam ſit; vtpote quæ Nili inunda-
tionibus opportunè irrigata, nullas vnquam è cælo pluuias deſideret.

Quod ſi familia Aegypti non aſcenderit, & non venerit: nec ſuper eos erit, ſed erit ruina, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ non aſcenderint ad celebrandam feſtiuitatem tabernaculorum.

ÆGYPTI terræ fœcunditatem & fertilitatem Nilus efficit, amnium in noſtrum mare

permeantium maximus & celeberrimus:cuius commodas inundationes ſumma annonæ
Gen.41. vilitas, incommodas verò ac deficientes ſumma rei frumentariæ inopia & caritas conſe-
» quitur,ſicut ſcriptum eſt: Putabat ſe ſtare ſuper fluuium,de quo aſcendebant ſeptem boues
» pulchræ & craſſæ nimis, & paſcebantur in locis paluſtribus, aliæ quoque ſeptem emerge-
» bant de flumine fœdæ confectæque macie,& paſcebantur in ipſa amnis ripa in locis viren-
» tibus, &c. Quo in loco fertiles & ſteriles annos è flumine extare Ioſepho iuſto interprete cognouimus.verùm enimuero Ægyptios, quanquam ſoli cæliqúe ratione & vſu præ cæteris orbis nationibus ſingulari pluuiis non indigentes, ſimul tamen cum aliis negligentiæ & contemptionis reos factos à pœnæ etiam communione excipiẽdos non eſſe Vates confirmat,quòd plaga hæc pluuiarum ſubtractio,non terram,ſed homines afflictura atque oppreſſura ſit. Vt autem eadem omnium hominum generi natura eſt,neq; ſolo loco,ſed moribus magis & vitio atque virtute alij ab aliis diſtinguuntur: ſic euenturum eſſe dicitur; vt communis pœna ad eiuſdem criminis participes,vbicunque terrarum fuerint,perueniant. hæc itaque huius loci ſententia eſt.quanquam enim,inquit, Ægypti familia pluuiis ad annonæ ſpem non indigeat,attamen,ſi non aſcenderit, & non venerit ad ſolennem & legitimum Dei ſeruatoris cultum,ſuper eos neutiquam erit pluuia illa cæleſtis, quam ſpiritu nõ litera definire oportuerit;vtpote cùm plaga hæc non terris & agris,verum hominibus ipſis iniicienda eſt. [*Sed erit, inquit, ruina omnium gentium.*]

Hoc erit peccatum Aegypti; & hoc peccatum omnium gentium, quæ non aſcenderint ad celebrandam feſtiuitatem tabernaculorum.

COMMVNE omnium gentium negligentiæ & ingrati animi crimen communi ſupplició vindicandum fore ait, ita vt peccatum hoc loco & vitium ipſum, & pœnam vitio propoſitam interpretemur.atque ita Chaldæus paraphraſtes reddit: [*Hæc erit retributio Aegypti.*] Eſt autem propriè HHATA, quod interpres noſter peccatum vertit, Latinè culpam & culpæ obligationem dicimus.atque hoc nominis obſeruata ſignificatio eorum hominum,qui ab eccleſia deſciuerint, grauiſſimam culpam & pœnam fore docet, ita vt culpa ipſa pœnæ pars etiam ſit. qua de re in excæcationis argumento explicando opportuna diſputatio eſt.

In die illa erit, quod ſuper frenum equi eſt ſanctum Domino: & erunt lebetes in domo Domini quaſi phialæ coram altari. & erit omnis lebes in Ieruſalem & in Iuda ſanctificatus Domino exercituum: & venient omnes immolantes, & ſument ex eis, & coquent in eis, & non erit mercator vltrà in domo Domini exercituum in die illo.

PLENVM atque integrum ſacri & legitimi cultus ac diuinarum laudum ſtudium omnibus illius ætatis hominibus,qui in eccleſiæ cælorumque regnum & ſocietatem aſſcripti fuerint, arcana hæc oratio prædicendo ſignificat; quippe non verbis & actionibus modò, ſed omni etiam externo cultu & habitu ſeſe Deo dicatos & conſecratos homines illi pij profeſſuri eſſe dicuntur, ita vt res ſuas omnes & iumenta etiam, quibus vtentur, ab omni alio conſilio ad pietatis vſum exercitationemque tranſlaturi ſint. huius ſententiæ ratio vt ex verborum expoſitione conſtet, explicanda nobis primum tranſlatio eſt, verbis ipſis ad Hebraici ſermonis normam expoſitis. [*In die illa erit quod ſuper frenum equi eſt ſanctum Domino.* Hebraicè, *Erit ſuper* MESILOTH *ſanctum Domino.*] Equorum frenis phaleras aliaque ornamenta,tum ad ſplendorem,tum ad voluptatem,interdum etiam ad belli aut itineris vſum addi, antiquum & vetus omnibusque ferè gentibus,quæ equis vtuntur,ſolenne eſt.in hoc autem genere tintinabula quædam ſunt ab aliis atque aliis aliter confecta, quæ equorum fronti aut collo appenſa crepitum & ſonum non ingratum fundunt:quo tum equis ipſis,tum ſeſſoribus viæ labor leuatur,& animi ad agendum alacriores redduntur. ſed quoniam equi ad bellum atq. ad itinera parari ſolent,huiuſmodi ornamenta ad eas etiam res aptantur. Omnem igitur equorum apparatum non ad alium,quàm ad pietatis vſum petendum eſſe Vates ait.namque vt gentes illas quotannis Ieroſolymam ad tabernaculorum feſtum celebrandum venturas dixerat, ſic ad illud iter omnia paranda fore ſubiungit, vt pij ſtudij & conſilij argumento eſſe poſſint:atque in ipſis frenorum ornamentis & tintinabulis eius rei profeſſio inſcripta ſit;nempe huiuſmodi inſcriptione olim rituali & ſolenni, [*Sanctum Domino:*] adeò vt non hominum ſolùm voces & cantus diuinas laudes intereundum celebrent,ſed & equorum tintinabula & phaleræ his etiam aſſonent. atque hoc modo omne harum gentium conſilium, ſtudium, otium & negotium in pietate exercenda & colenda ponendum eſſe dicitur. præterea eum cultum non vnius Ieroſolymitani templi anguſtiis definiri oportere docemur,ſed omnibus in locis & partibus,quacunq. Ieroſolyma & Iuda,

hoc eſt, fidei & pietatis veræ confeſſio & profeſſio pertinuerit, propagandum eſſe, maximamque omnibus ſpiritualium beneficiorum & lætitiæ, gratiſſimamque rerum ſuarum inter ſe communionem fore. [*Et erunt lebetis in domo Domini quaſi phiala coram altari.*] Multa & frequentia ſacrificia ab illis gentibus aſſiduè celebranda, maximè quæ ad gratias, laudes ac ſupplicationes pro accepto beneficio pertineant: hæc lebetum copia, quam deſcribit Vates, ſignificat: namq. in tabernaculorum feſto hoc genere epularum ſacrarum publica omnium lætitia & carminibus ſacris cantitandis celebrabatur. ad quam imaginem hæc omnia relata ſpiritualiter intelligenda explicandaque ſunt: id quod locus ipſe docet, dum non priuatam aliquam tribum, non familiam quandam, aut certam vrbis partem huiuſmodi ſacris faciendis addictam fore, ſed omnibus hominibus atque in omni ciuitatis & totius regionis parte eandem iuris, facultatis, dignitatis communicationem fore oſtendit. [*Et erit omnis lebes in Ieruſalem & Iuda ſanctificatus Domino exercituum*, victori, ſeruatori & triumphatori: [*Et venient omnes immolantes, & ſument ex eis, & coquent in eis.*] ſicut ſcriptum eſt: Veniet hora, quando neq. in monte hoc, neque in Ieroſolymis adorabitis patrem, &c. ſed veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate. & illud: Vos genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, offerentes ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum, &c. Itaq. omnē locū, omne caput ſacrum Deo in illa ſancta ciuitate fore dicit, in qua maximam commoditatum & vtilitatum publicè priuateque communicationem ciuibus ipſis futuram oſtendit, vt citra omnem quæſtus aut lucri cupiditatem alij aliorum rebus pro cuiusque opportuno vſu fruantur, ſicut ſcriptum eſt: Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, dicebat aliquid ſuum eſſe, ſed diſtribuebatur ſingulis, prout cuique opus erat. neque verò externorum bonorum modò, ſed multo magis internorū & ſpiritualiū ſocietas ab omni negotiatione & auaritia aliena illis gentibus in eccleſiam receptis atque vniuerſis ciuibus promittitur, ita vt nihil in templo, vt olim in Ieroſolymis proſpiciebatur, mercatura boum, columbarum vel nummorum permutatione opus ſit, quando ingens cuique ſacrarum & ſpiritualium rerum ad diuinas laudes celebrandas copia affluet. hoc eſt quod ſubiungit: [*Et non erit mercator vltra in domo Domini exercituum in die illo.*] Summam gratiam, iucundiſſimum rerum omnium ſocietatem, publici & communis boni ſtudium, magnam & feliciſſimam maximorum bonorum abundantiam hoc vaticinium ſignificat: denique rem ipſam, quemadmodum interpretari oporteat, aperit; nempe talem fore, quæ mercari aut vendi non poſſit, cùm ſpiritualis omnino & diuina, gratis atque liberaliter iis, quibus expetetur, donanda ſit, de qua ſcriptum eſt: Pecunia tua tecum ſit in perditionem: quoniam exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri. His itaque decem rationibus maximam illam eccleſiæ felicitatem omnibus vatibus decantatam, omnibus hominum votis expetendam, à Deoque eandem auctum cumulatumq. iri Zacharias annotauit, qui quanquam antiquorum vatum poſtremus ferè fuerit, futurorum tamen poſt ſe temporum conſequentiam & ſeriem pleniſſimè cernens perſecutus eſt.

Ioan. 4. " 1. Pet. " " Act. 4.

Antuerpiæ menſe Septembri, anno Chriſti 1568. commentabatur Arias Montanus.

COMMENTARIA HYMNVS
EX VOTO.

IAM denſa ac tenebris horrida triſtibus,
Quæ rerum nitidum polluerat decus,
Nox vmbras picei carceris infimas
Auroram fugiens ſubit.
Iam clarus roſeo progrediens loco
Sol orbi faciem protulit auream,
Qui curſu celeri conficit ætheris
Immenſam repetens viam;
Quo vultu ſuperûm ſidereas domos
Illuſtrat placidus, quo liquidum aëra;
Præſcripta atque auibus regna vagantibus,
Tellurisq́ fouet ſinus.
Vndarum rapidos continet impetus,
Et ſiſtens tumido flumina margine.
Conſtratum pelagus ferre iubet virûm
Greſſus inſolitis modis.
Effundit celebrem lætitiam polus,
Et montes niuium frigore turgidi
Depulſo, variam ſuauibus implicant
Veſtem floribus & comam.
Nunc & ſpem varius copia fluctibus
Confirmans veterem, munera parturit
Nunquam viſa aliâs temporibus noui
Mundi, nec patribus piis.
Mirandus fluidis mittitur imbribus
Aeterni patris è perpetuo ſinu
Panis, qui ſuperûm ciuibus efficit
Experteis epulas mali.
Pacem cuncta ſonant, pacis & integra
Signum purpureo candida fert auis
Roſtro raptam oleæ particulam ſacræ,
Placatumq́ canit Deum.
Quin & lethiferis anguibus ardua
Criſta felle graui depoſito iacent,
Vel quos vis Libyci feruida littoris,
Vel tellus Arabum parit.
Et qui Baſſarëis ſæuior in iugis,
Et ſiluis Ephrates in pecudes grauis
Duro dente leo ſæua cubilia,
Quique vrſus poſuit ferus.

Atque audax lupus, & peſtis agreſtium
Vulpes, immemores ſanguinis ac doli,
Nunc prato in viridi gramina mollia
Carpunt cum ſocio boue.
Antiquusq́; draco, qui ſuperûm prius
Partem perculerat peſtifer inuido
Fundens ore malum, & terrigenûm improba
Lingua perdiderat genus:
Iam vix preſſa trahens pectora languidus
Duram reptat humum; collaq́; ſibilans
Torquet læſa, caputq́; edomitum cupit
Vmbris abdere triſtibus:
Extinctasq́; faces iurgia deſerunt,
Occultusq́; Dolus, Frausq́; nocentior,
Has & quod Furias progenuit, Scelus
Languet multifidum caput:
Nec iam ſic nimiis imperiis premit
Humanos animos, multaq́; condolet
Effugiſſe iugum colla, miſerrimis
Quæ quondam tenuit modis.
Sed quæ tanta nouis temporibus diem
Lux quæ vis celebrem lætitiam parit?
Quid morbos hominum debilitat graueis,
Et fert dulcia commoda?
Nam qui nec veteres peruoluit libros,
Nec doctos coluit diſcipulus patres;
Sed lino inſidias piſcibus abdere
Aſſuerat, ſapit, ac docet.
Diuina & pueri virginibus pares
Reſponſa inualidis cum ſenibus canunt;
Atque hi certa ferunt ſomnia prouidis
Edocti monitis Dei:
Queis non vſque nimis docta ſuperbius,
Quæ nomen ſapiens arrogat & decus,
Contendiſſe queat Græcia, ſed magis
Doctrinam ſtupeat nouam.
Iam mens eximij dicere gaudij
Cauſas geſtit auens, raptaq́; curribus
Flammatis placido proſpicit, & cupit
Admitti ſuperûm choro.
Nam me (vera canam) rupibus arduis
Semotum populo, cùm fugerem leueis
Curas, aſſiduis ac ſtudiis vigil
Arcanos peterem libros:
Aurem nocte premens admonuit Deus,
Quo lucem è tenebris numine ſeparat,

Ex vmbrisq́; bonus promit & in diem
Formas conſpicuas refert.
Tum miranda ſacri munera conſili
Antiquis foliis condita cernere,
Et laudare iubet; quæ nimis & iuuent,
Et mortale beent genus.
Vt cùm Dothainis collibus excito
Oſtendit iuueni multiplices virûm,
Ac turmas equitum, præſidium celer
Miſſum fatidico ſeni:
Vel celſo Thaboris culmine lucidum
Nati cùm pauidis diſcipulis decus,
Et regni ſpecies auſpicio breui
Mirandas tamen obtulit.
Et tunc ille quidem creditus aut prior,
Aut vatum veterum præcipuis minor;
Nec quiſquam comitum præter Ionada
Maius quicquam homine indicat.
Namque ille & ſobolem numinis vnicam,
Et noſtro generi præſidium datum
Teſtatus, Solidum nomen, & audiit
Summi diſcipulus patris.
Sed, quæ tunc modicis credita teſtibus,
Virtus magna fuit, numen & integrum
Nati magnificis laudibus, atque honor
Et patri ſimilis decor.
Hæc orbi, ac populis nota ſtupentibus
Sunt, poſtquam ſtygiæ mortis & inferi
Perruptis micuit poſtibus, & polum
Scandit cum grege libero.
Non illa aut Libyæ ſole calentibus
Virtus aut populis Aethiopum fuit
Celata aut fluuiis quos Hauila bibit
Cultor diuite margine.
Audiuêre Arabes, audiit & celer
Ac Medo propior Perſa volantibus
Pugnator calamis, & Babylonicus
Euphrates pater Aſſuris.
Et Nilus tumidus, Cretaq́; nobilis,
Cum Parthis Galatæ, Pontus & algidus,
Et rerum dominus qui tenet arbiter
Romanæ imperium togæ.
Aſt heu culpa hominum, & fraudibus inuidi
Hoſtis tanta boni munera maximi
Obſcurata diu, & pæne miſerrimis
Subducta è populis latent.

Sed

Sed ſpes, atque animum certa fides leuat,
Et firmare iubet numine dextero
Inſtauranda citò veridicos Deus,
Vates ſcribere quæ dabat.
Namque inter nebulas temporis, & graues
Errorum cumulos, turbine ſtridulo,
Cùm ſimplex pietas, nudaq; veritas
Audaci premitur dolo:
Antiquum retinet conſilium tamen,
Et præſtare Deus tendit, & inſtruit
Cæleſteis acies agmina flammea
Dictum certa ſequi Ducis.
Humanis oculis ſint licet hæc minus
Nunc perſpecta, tamen protinus & piis
Grata & fauſta ferent indicium ſui,
Et ſentire malis dabunt.
Extructam Solymûm montibus in ſacris
Vrbem, quam ſuperûm quamq; hominum genus
Riſere altiſonis creſcere plauſibus,
Inſtaurare parat pater.
Qui cæli imbriferis nubibus inſidet,
Et rector celeri quadriiugos regens
Ventos arte, bonus viſitat vltimos
Terrarum ac pelagi ſinus.
Hanc ille eximio conſilio fouens
Et donis colere, & conſtituit ſibi
Sedem perpetuo tempore principem
Et cura celebrem ſua:
Nunc cœptam grauibus principiis potens
Perduxiſſe bonos tendit ad exitus,
Et complere piis ciuibus vndique
Exemptam vitio ac metu.
Sed ne tanta operis proſperitas noui
Iam iam contiguo ſidera vertice
Tangat, compoſitis impediit dolis
Hoſtili & Zabulus manu:
Interrupta aliis mœnia partibus
Et vexata graui cætera turbine
(Prô mores hominum, prô pudor & dolor!)
Sæuo tempore vidimus.
Hinc atrox Babylon, hinc Suſanes ferus,
Et cum Terphalæo Reumus & acrior
Erenæus, Teneus, Sampſaq; perfidis
Oppugnant ſtudiis opus.
Quin & diſsidiis ſæua domeſticis
Tradebat facilem perdere ad hoſtium

Audebo, & cupido pectore nuntiis
Addam me comitem, ſcilicet vt ſtatum
Perdoctus, faciemq́ alterius meis
Narrando rediens canam.
O me, me ſtupidum, qui penetralia
Hæc luſtranda meis ſenſibus arbitrer:
Spendore inſoliti fulguris, heu, propè
Primo limine decidi.

BENEDICTI ARIÆ MONTANI HISPALENSIS IN MALACHIAM PROPHETAM COMMENTARIVS, DE RELIGIONIS CVLTV AC STVDIO PRÆFATIO.

CVM *nihil in humanis ſtudiis ſanctius antiquiusq́ pietate eſſe debeat, vtque & Dei reſponſis & ſapientiſſimorum hominum iudicio, virtutum omnium fundamẽtum, & totius vitæ præſidium certiſſimum ſit, primam & præcipuam hominis curam in pietatis veræ rationibus apertè cognoſcendis, deinde verò purè ſancteq́ colendis verſari & conſumi oportere conſequitur. Homo namque non vt cætera animalia, quæ naturæ motu & impulſu aguntur, quocunque impetus tulerit, rapi, ſed certo conſilio atque indicio guber-* Pſalm.
nari duciq́ iubetur, ſicut ſcriptum eſt: Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt "
intellectus. Etenim cæteræ animantes omnes ad generis vnaquæq́ ſui nomen tuendum, tum ad hominum vſum natæ & comparatæ cùm ſint, certas & perpetuas, quatenus ad ſeſe ſpectat, agendi rationes & formulas, quas ſequantur, à natura præſcriptas conſtitutasq́ ſortitæ ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta & Gen. 1.
reptilia & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas, &c. quatenus verò ad hominum vſum vti- "
litatemq́ pertinent, vt doceantur aganturq́, neceſſe eſt, vt ſcriptum eſt: Et dominamini " Prou. 13.
piſcibus maris & volatilibus cæli & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram, "
&c. & illud, Flagellum equo & camus aſino, &c. Homo autem quanquam animantium "
omnium natura, dignitate & præſtantia longè princeps ſit; officij tamen exercitationum actionumq́ conditione ac lege pluribus partibus & nominibus eſt aſtrictiſsimus. neq. enim is ea ſolùm, quæ ad ſe, vitam corpusq́ ſuum tuendum & fouendum faciunt, ſed multo etiam magis ea, quorum cauſa natus effictusq́ eſt, proſpicere atque curare debet. id verò, quod humano generi ad curandum agendumq́ ſemper propoſitum eſt, diuina in primis naturæ cognitio & contemplatio eſt: cuius exemplar in omni vitæ actione imitando intueri, ad idq́ ſe exercere homo debet, ſi modò is eſſe velit, quem Deus fingendo & efficiendo; illum eſſe voluerit. ad imaginem namque & ſimilitudinem Dei, huiuſmodi præ cæteris animantibus præſtantiſsimam naturam effictam conformatamq́ fuiſſe, cùm ipſa facultatis & ingenij illius obſeruatio docet, tum verò ſacræ ſapientiæ doctrina apertè confirmat. Et ait Deus, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, &c. Igitur hominem, illius exemplaris, quænam ratio ſit, cognoſcere in primis oportuerit; deinde ita ſeſe omni ſtudio & conatu comparare & gerere, ne qua parte ad propoſitum exemplar imaginis ſimilitudo deficiat. Huiuſmodi rectam diuinæ naturæ ſuiq́ ipſius in homine notitiam cæterarum rerum naturæ cognitio & vera optimi vſus ratio conſequitur: qua qui prædi-

tus eſt, is vitam (ſi modò ſibi conſtare velit) & ſapienter inſtituere & fœliciter agere poteſt, Deo ad eam rem auxilij ſui fundamentum nunquam ſubtrahente, ſicut ſcriptum eſt: Appellauitq́; Adam nominibus ſuis cuncta animantia & vniuerſa volatilia cœli, & omnes beſtias terræ: Adæ verò non inueniebatur adiutor ſimilis eius. & paulò poſt: Et ædificauit Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem & adduxit eam ad Adam: dixitq́; Adam, Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, &c. ac tandem: Erat autem, inquit, vterque nudus, Adam ſcilicet, & vxor eius, & non erubeſcebant. Eſt & aliud præterea hominis huic ſuperiori proximum officium, videlicet conſiliorum, ſtudiorum, atque rerum vtilitatumq́; aliarum, quæ ad ſe pertinere putentur, cum aliis eiuſdem generis hominibus communicatio. neque enim ex hominibus (qui tantùm hominis nomen tueantur) quiſquam aut tanta dignitate præditus eſt, vt ſolus omnia habere, aut tanta virtute, vt ſolus gerere & tractare omnia poſſit. Quamobrem & ad cõmunem rerũ adminiſtrationem, communémque pro ſingulorum ratione & munere vſum ſocietas quædam hominibus inter ſe perpetuo iure colenda à Deo inſtituta & præſcripta eſt: quorum animis ad eam rem & propria imbecillitatis cognitio, & ardens quædam charitatis eſt indita vis, ſicut ſcriptum eſt: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. atque ita homini muliere adiuncta humanum omne genus iiſdem omnino & viuendi & agendi conditionibus ac legibus eſt propagatum, ne videlicet ſibi vnuſquiſque aut viueret, aut deſereretur: ſed perinde atque eorum parentes, cùm vnus antea eſſet, duo ob eam rem facti ſunt, vt ſeſe mutuis iuuarent officiis: ſic & poſteri etiam ex illa vna natura & carnis eiuſdem coniunctione & neceſſitudine procreati, quo plures, hoc minus ſoli, hocq́; magis inter ſe ſibi mutuo forent adiumento nam ſi vt ſolus homo ſit, bonum non eſſe diuina pronuntiauit ſententia, eaq́; cauſa adiutorium vt ſolitudinis incommoda propulſaturum laudatum eſt, quo maior & frequentior ſocietas adiutoriiq́; copia ſit, hoc meliorem humanæ vitæ agendæ conditionem & ſocietatis colendæ ſtudium diligentius eſſe oportuerit. Pluribus itaque, quàm vllum aliud animal, officiorũ legibus homo rationis particeps aſtrictus tenetur erga Deũ, erga homines alios, necnon & erga cæteras animantes, quibus, vt præſit, non vt abutatur, præfectus fuiſſe dicitur. eſt enim & his proſpiciendũ etiam, & quemadmodum ad ſuam aliorúmque vtilitatem, atque etiam ad Dei conditoris cultum & laudem vt legitimè deceat, fuerit diligenter conſiderandum. Nouit enim iuſtus iumentorum ſuorum animas: viſcera autem impiorum crudelia. Verùm enimuero quoniam homo, vti non à ſeipſo factus conditusq́; eſt, ſic neque dignitatem facultatémque ſuam à ſeipſo, ſed planè à conditore Deo habet. ex eo fit, vt rerum omnium & vitæ totius rationem, quemadmodum gerenda hæc tractandáque ſunt, non ex arbitrio ſuo aut libidine, ſed ex auctorum conſilio, præceptis inſtitutiſque petere oporteat; modò ſibi ipſi naturæq́; ſuæ conſtare officióque ſatisfacere velit: nam aliàs vbi de hac via deflexerit, atque à Dei timore, obſeruatione & inſtitutione deſciuerit, protinus in varias turbulenti erroris opiniones diſcedens, neque cogitare ſapienter, neque rectè conſulere, neque commodè quicquam aut agere, aut efficere poteſt, ſicut ſcriptum eſt: Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat, ſi eſt intelligens aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum, &c. Quamobrem illud in omni actione, denique in tota vita diligenter curandum obſeruandúmque eſt, ne quid præter diuinæ voluntatis præſcriptum normámque fiat, ſi modò propoſitum exemplar naturæ ſuæ dignitatem obtinere & conſeruare homines velint, ſicut ſcriptum eſt: Pax multa diligentibus legem tuam: & non eſt illis ſcandalum. Igitur hæc illius virtutis ratio & vis eſt, quam pietatem religionémque dicimus, vt vitæ inſtitutum ac modum ex Dei præſcripto homines teneant, quo erga Deum atque generis ſui participes ac ſocios homines alios officio, tum cognoſcendo, tum faciendo, ſtudentes, & diuinam in ſe gratiam concilient ac retineant, & felicitati propriæ conſulant, verámque cùm cæterorum hominum, tum beatorum ſpirituum laudem promereantur. quanquam verò homines cùm naturæ ipſius impulſo

Gen. 2. Gen. 2. Prou. 12. Gen. 1. Pſal. 13. Pſalm. 118.

pulſu ac ductu, boni etiam ac mali cognitionis acceſſione, diuinæ voluntatis rationem non
ignorare, atque officij erga Deum & homines modum tenere poſſe credantur: vt qui etiam Rom. 2.
legem non habentes, legis opus in cordibus ſuis ſcriptum oſtendant: ob mala tamen com-
munis hoſtis dolo & ſtudio ſparſa ſemina accidit, vt in hac ipſa diuinæ naturæ cognoſcen-
dæ colendæq; ratione, & in eius, quod ex hac oritur, officij conſtitutione magna & multa
perturbatio & confuſio inceſſerit: quæ veritatis egregiam formam in multorum animis
vel omnino extingueret, vel turpiter obfuſcaret. Ex quo malorum atque errorum fonte
variæ de diuina natura opiniones, varia etiam ac penè innumera peruerſarum religionum
commenta fluxerunt, ſicut ſcriptum eſt: Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum Rom. 1.
glorificauerunt, aut gratias egerunt: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis; & obſcura-
tum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & mutaue-
runt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & vo-
lucrum, & quadrupedum, & ſerpentium, &c. Ex qua re effectum eſt, vt homines
Deum à ſeipſis, quem rectè cognoſcendo & colendo retinere ſibi & promereri poterant, ſu-
perſtitionis errore capti, vehementer abalienauerint, quémque ſibi propitium ducem &
magiſtrum optatum habere licuiſſet, infenſum vltorémque reddiderint, ſicut ſcriptum Ierem. 2.
eſt: Nunquid non iſtud factum eſt tibi, quia dereliquiſti Dominum Deum tuum eo tem-
pore, quo ducebat te per viam? &c. Iſtiuſmodi verò erroris hominibus non natiuum,
ſed delectum, infinitum, ac in omni iam orbe ſerpens malum nulla ratione commodius
curari, nulla medicina ſanari certius potuit, quàm ſi Deus ipſe, qui veritatis, lucis atque
ſalutis princeps & pater eſt, veritatis, voluntatiſque ſuæ ac ſancti officij doctorem &
præceptorem ſeſe hominibus præberet. Id quod cùm nullo mortalium egregio merito
exſpectari poſſet, ſola benignitate, miſericordia & gratia erat præſtandum, ſicut ſcri-
ptum eſt: Quid eſt homo, quòd memor es eius; aut filius hominis, quoniam viſitas
eum? &c. & tandem ſubiungitur: Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt Pſalm. 8.
nomen tuum in vniuerſa terra! Igitur cùm hoc diuinum & maximum beneficium ad
vtilitatem hominum in terrarum orbe ferendum, nulli nationi præcipuo aliquo merito-
rum iure deberetur, in quanam potiſſimum gente primò ponendum, indéque ad cæ-
teras orbis nationes conferendum eſſet, cogitare, optare & efficere, diuini conſilij ar-
bitriique fuit. Placuit autem præ cæteris hominibus Abrahami & Iſaaci genus ad
eam rem atque ad ſalutis tandem publicæ arcanam rationem expediendam deligere.
in eo autem genere Eſau Iſaaci filio, qui prior natus fuerat, reiecto, Iacob poſterioris
natu familia delecta eſt; cui Deus & conſilij ſui myſteria enuntiaret, & voluntatis ſuæ
ſanctiſſimiq. iuris, & officij rationes ac modos apertè oſtenderet. Quanto autem, quámq.
ſingulari amore eos, in quos primos beneficium hoc collocauit, proſequutus fuerit Deus,
exiſtimari, quàm aut ſcribi, aut dici facilius eſt. etenim nationibus aliis, quanquam
ex naturæ impulſu communiq; omnibus mentis ac rationis vſu, atque earum, quæ facta
ſunt, rerum, quæq; videntur, contemplatione multa contingere potuerunt, quæ ad Dei
cognitionem atque officij definitionem conducerent: non tamen illa aut in tantis tenebris
ita clarè illuſtrare, aut in tanta iam peruerſitate morum ita efficienter hominum animos
commouere atque afficere potuerunt, vt diuina ipſa oratio diſtinctis rerum & ſententia-
rum luminibus ad illuſtrandum aptiſſima, atque admiranda verborum auctoritate &
virtute ad monendum ſuadendumq; efficaciſſima, ſicut in illo elegantiſſimo carmine de
vtriſque his generibus fuit à ſacro Vate prædicatum: Cæli enarrant gloriam Dei, & ope- Pſalm. 17.
ra manuum eius annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum, & nox nocti in-
dicat ſcientiam. non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum.
In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, &c. tan-
dem de altero doctrinæ genere ſubiungitur: Lex Domini immaculata conuertens ani-
mas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis; iuſtitiæ Domini rectæ læ-
tificantes corda: præceptum Domini lucidum illuminans oculos, &c. Quibus omnibus
rebus illud etiam accedit, quod ad permouendum omne hominum genus, tum eorum,

à quibus

à quibus officium virtutis honeſtatisq́ amore & ſtudio ſuſcipitur, tum eorũ verò, qui pœ-
næ metu à vitio & iniuria abſtinent, certa atque aperta & præmiorum & pœnarum ra-
tio conſtare optimè hoc modo potuit, quæ altero naturæ & humanæ cogitationis modo obſ-
cura nimium atque certa minus fuiſſet, ſicut ſcriptum eſt: Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea,
in cuſtodiendis illis retributio multa, &c. Quamobrẽ cùm illam aliam & veri Dei cog-
noſcendi & officij perſpiciendi atque ad certam pietatis formulam præſtandi rationem
pauciſſimis aliarum nationum hominibus, idq́ raris in locis, conſtare ſacri vates concede-
rent, hanc tamen alteram illuſtriſſimam atque diuinam planè omni Iſraëlitico populo (ſi
tamen is eſſe vellet, quem Deus illum familiariter & ſingularibus beneficiis proſequutus
Pſalm. 89. eſſe voluerat) communem conſtantemq́ eſſe confirmarunt, ſicut ſcriptum eſt: Memor ero
" Raab & Babylonis ſcientium me. ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi
" fuerunt illic. nunquid Sion dicet, Homo & homo natus eſt in ea: & ipſe fundauit eam al-
" tiſſimus: ſicut lætantium omnium habitatio eſt in te, &c. Vt autem religionis veræ ac di-
uinæ fides, auctoritas atque vtilitas cultoribus certiſſima, & melius cognoſceretur, & vſu,
exemplo, ac celebritate longius etiam propagata dilataretur, non ſolùm miraculis (quæ
primùm apud infideles ſuſcipiendæ religioni fundamentum iaciunt) illuſtrata fuit, ſed be-
neficiis maximis in eos, qui ſuſcepiſſent, collocatis, eſt comprobata. Qua quidem in re præ-
ter ipſam legis æquitatem præceptorumq́ honeſtatem nullis aliarum gentium doctrinis
comparandam, conſilium ſententiamq́ ſuam firmari, amorem præterea erga eos, qui ſuſce-
perant, declarari Deus voluit. atque hæc cauſa eſt, quamobrem Iſraëliticũ populum mi-
raculorum, prodigiorum, maximè autem beneficiorum præteritorum recordari ſæpe iu-
beat, vt non ſolùm accepti beneficij memoria deuinctos contineat, ſed futurorum ſpe atque
Deut. 6. exſpectatione ad officium conſeruandum excitaret, ſicut ſcriptum eſt: Cùm interrogaue-
" rit te filius tuus cras, dicens, Quid ſibi volunt teſtimonia hæc & ceremoniæ atque iudicia,
" quæ præcepit Dominus Deus noſter nobis, dices ei; Serui eramus Pharaonis in Ægypto,
" & eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti, fecitq́ ſigna atque prodigia magna &
" peſſima in Ægypto, contra Pharaonem & omnem domum illius in conſpectu noſtro, &
" eduxit nos inde, vt introductis daret terram, ſuper qua iurauit patribus noſtris. Præce-
" pitq́ nobis Dominus, vt faciamus omnia legitima hæc, & timeamus Dominum Deum
" noſtrum, vt bene ſit nobis cunctis diebus vitæ noſtræ, ſicut eſt hodie, eritq́ noſtri miſericors,
" ſi cuſtodierimus, &c. Verùm enimuerò cum hominum vitio & perfidia accidit, vt non ſo-
lùm illa omnibus communis Dei cognoſcendi, & honeſtatis expetendæ officijq́ præſtandi
ratio perturbata ſit, ſed hæc etiam diuinæ diſciplinæ ſanctiſſima & illuſtriſſima inſtitutio
contempta deſeratur, omnem profectò naturæ morumq́ ſplendorem extinctum, humanæq́
vitæ ſtatum omnem labefactatum atque conuulſum in ſummam infelicitatem, Deo iudice
Ierem. 7. atque vltore, mutatum iri conſequitur. nam quo maiore impudentia & contemptione pec-
" catum fuerit, eò grauiorem vltionem exſpectari neceſſe eſt. Nunquid me ad iracundiam
" prouocant, dicit Dominus, nónne ſemetipſos in confuſionem vultus ſui? Ideò hæc, dicit Do-
" minus Deus, Ecce furor meus & indignatio mea conflatur ſuper locum iſtum, ſuper viros,
" & ſuper iumenta, & ſuper lignum regionis, & ſuper fruges terræ, & ſuccendetur,
" & non extinguetur, &c. Etenim quicunque huiuſmodi nefaria improbitate fuerint
homines, vt perceptam diuino munere diſciplinam, certam, apertã, ſatisq́ per ſe illuſtrem,
negligendo tamen deſerant, eos non perfidiæ ſolùm, ſed contentionis etiam erga Deum di-
Iſai. 1. uina ſententia notat: Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filiis
" ſceleratis, dereliquerunt Dominum, blaſphemauerũt ſanctum Iſraël, &c. Eos autem, qui
" à ſeſe Deum abalienauerint, miſeriarum omnium malis opprimi neceſſe eſt. maximè verò
ab iis abalienatur Deus, à quibus ſemel agnitus ſuſceptusq́ contemnitur, ſicut ſcriptum
Ierem. 7. eſt: Quia ecce ego mittam vobis ſerpentes igneos, quibus non eſt incantatio: mordebunt
" vos, ait Dominus. Ecce vox clamantis filiæ populi mei de terra longinqua, nunquid Do-
" minus non eſt in Sion, aut rex eius non eſt in ea? Quare ergo me ad iracundiam concita-
" uerunt in ſculptilibus ſuis, & in vanitatibus alienis? &c. Sed illa tamen ſumma Dei be-
nignis-

*nignitas, illa inexhauſta eſt miſericordia, vt ea, quæ ſemel ad hominum vtilitatem inſti-
tuta ſibi cœptaq́; ſint, quanquam nequiſſimorũ improbitate & perfidia intermitti aut in-
ter turbari videat; vlterius tamen foueat & perſequatur, ac tandẽ perficiat: interim verò,
quæ peruersè ab hominibus deprauata ſunt, aut admonendo, hortando & obiurgando cor-
rigi, aut puniendo vlciſci atque aſſeri & reſtitui curet. neque verò ille iudicij, vltionis ac
pœnæ auctoritate antè vti ſolet, quàm omnibus alijs modis & rationibus, quæ ad clemen-
tiam veniamq́; pertinent, experiatur; ita vt officio repetendo amantiſſimum & clementiſ-
mum patrem prius; quam ſcelere animaduertendo ſeuerum iudicem ſeſe præbeat; vtpote
qui nollet aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam conuerti. At neque adeò grauiter,* 1.Pet.
*adeoq́; ſeuerè de violata religione, deq́; officij rationibus turbatis agere cum iis ſolet, qui
communi cogitatione ac iudicio, naturaliumq́; rerum cognitione verum & falſum, turpe
& obliquum, honeſtum rectumq́; diiudicant, vt cum illis, quibus præter hæc diuinorũ my-
ſteriorum & conſiliorum ratio expoſita eſt, quòd illi vt maioribus beneficiis deuincti, illu-
ſtrioribusq́; modis edocti & inſtructi, arctioris etiam pietatis atque virtutis præſtandæ le-
gibus priores teneantur. ex qua re fit, vt hoc genus hominum, & prius in crimen vocetur,
& grauius etiam accuſatum ſeuerioris iudicij puniatur ſententia: atque vt in præmiis ob
officium factum ferendis priori & meliori, ſic in pœnis etiam ob culpam ſuſtinendis du-* Luc.1.
riori ſit conditioni obnoxium, ſicut ſcriptum eſt: Ille autem ſeruus, qui cognouerit volun- "
tatẽ Domini ſui, & ſe non præparauit, nec fecit ſecundum voluntatẽ eius, vapulabit mul- "
tis; qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Huiuſmodi autem "
*deſerti ac proditi officij, & violatæ pietatis crimen aduerſus Iudæos veræ quondam reli-
gionis compotes perorandum Malachiæ Vati Deus commiſerat, idemq́; literarum mo-
numentis & memoriæ mandatum eſſe in poſterum voluit, vt perpetuum futuris tempori-
bus atque Chriſtianis præſertim hominibus eſſet exemplum: quos vt maioribus colligatos
beneficijs illuſtrioribusq́; auctos donis, creditarum ſibi diuinitus rerum rationem aut pro-
babiliorem & conſtantiorem tenere, aut grauiorem exquiſitioremq́; reddere neceſſe eſt.
Nobis autem huius Vatis oracula exponere cupientibus diuinum in primis numen ex
more inuocandum eſt.*

VOTVM.

*Da purè ſanctéque, Deus, tua ſacra referri,
Téque animis caſta religione coli:
Nec patere arcanis myſteria condita chartis
Culpa hominum in cæca nocte latere diu:
Ut tibi grata piis feliciter ardeat aris
Victima, quà terras alluit Oceanus.
Te regem dominúmque omnes agnoſcere gentes
Poſſunt: da Pater, & noſſe ſalutiferum.*

ARGVMENTVM VATICINII.

DIVINA legatione functus Vates Iudæorum, gentem neglectæ religionis ac pietatis officiiq; omnis proditi accuſat, quo in crimine ſacerdotes cùm primis inuoluit, à quibus ſupina quadã negligentia ob auaritiã laborantibus non modò exẽplo, ſed malo etiam ſermone diuini cultus ratio, maieſtas & dignitas in populi animis eleuata locũ diſſolutis moribus & impudenti licentiæ dederat. Qua quidem ex re populum hunc, qui Deo maximis & ſingularibus beneficiis obligatiſſimus fuerat, gentium omnium aliarum ingratiſſimum eſſe conſtabat, cùm aliæ omnes terrarum orbis nationes communis mundi rectoris & gubernatoris nomine & numine cultum debitum tribuentes, victimarum & ſacrificiorum rationem diligentius ac melius procurarent. Sacerdotes autem grauius in hoc crimine vrgentur, quòd eos & muneris proprij dignitate, & officij debito atque maiorum ſuorum exemplo, præmij etiam illuſtrioris ſpe, religionis res diligentiſſimè curare, & reliquum populum docere oportuerat. Id quod ſecus omnino facientes populo, & proprio ſcelere, & indignis exemplis vehementer nocebant: quibus ad cætera illud nefarium ſcelus acceſſerat, vt legitimis matrimoniis inceſtas ex alienigenis adductas vxores contra ius contraq; fas addidiſſent. Quoniam verò improbiſſimorum quorundam illius tempeſtatis hominum ſermo percrebuerat, quo diuina erga populum illum prouidentia in dubium vocabatur, quæ res aditum ad religionis contemptionem facilè muniuerat, huius etiam erroris auctores confutat & frangit Vates, diuinamq; in eos prouidentiam, quam ex beneficijs non agnouerint, pœnis ſcelerum repetendis probatum iri confirmat, idq; ſi vnquam aliàs, illis maximè poſterioris templi temporibus apud Iudæos conſtans certiſſimumq; fore docet. nam Meſsiam illum, cuius cauſa maximè Iſraëliticus populus delectus fuerat, paulo pòſt ex diuini conſilij decreto aduenturum eſſe ait: cuius virtute & efficientia pijs hominibus Deiq; cultoribus deligendis, ornandis ac ſanctificandis; impijs verò & perfidis reijciendis, puniendis, & grauiſſima diuinæ prouidentiæ & apertiſſima argumenta publicè priuatèque dabit.

CAPVT PRIMVM.

ONVS *verbi Domini ad Iſraël in manu Malachiæ prophetæ.*

TOTIVS libri argumentum actionis genus, dignitatem & auctoritatem, modum etiam & fidem hæc primà operis inſcriptio indicat. namque legationem quandam à Deo datam apud Iſraëlitas habendã, eandemq; à Malachia Vate obitam & geſtam ex verbis ipſis cognoſcimus. Legati verò ipſius nomen appellatum, *Malachias*, oſtendit rem non obſcurè aut negligenter, ſed palàm diligentiſſimeque geſtam fuiſſe, Vatemq; officio ſuo ſumma fide & ſedulitate functum, nomen ſuũ liberè & conſtanter fuiſſe profeſſum; vtpote qui neque quicquam ſibi prætermiſſum ex munere cognoſceret, neque prædictionibus ſuis dubitationem vllam accidere poſſe intelligeret: quas vt diuina auctoritate grauiſſimas, ſic euentu ipſo exſpectando certiſſimas confirmaret. Atque res quidẽ ipſa, legationis fides, ſententiarum & verborum dignitas, ſatis iam omnibus, qui ſacra ſcripta legerint, conſtare poteſt: cùm ex hoc vaticinio non modò teſtimonia grauiſſima in noui teſtamenti rationibus à Chriſto atque apoſtolis dantur, ſed integræ etiam ſententiæ, & verſus verbaque commodè referuntur, vt ſuis locis oſtẽdemus. De nomine verò auctoris magna dubitatio & ſententiarum varietas apud interpretes eſt. quidam enim nomen hoc non proprium, ſed cognomen eſſe volunt, verborum ſignificationem magis, quàm rem ipſam ſpectantes. quam quidem rationem ſapienter D. Hieronymus euertit. docet enim perſonæ appellatæ naturã non eſſe perpetuò ex nominis interpretatione definiẽdam. Quamobrem huius libri auctorem non ob eam rem angelum & ſpiritum quẽdam fuiſſe arbitrari oportêre, quòd nomen ipſum angelus ſuus, vt Græcam verſionem habere dicit, ſiue, vt ille interpretatur, angelus meus ſonet. Ita cùm angelum, hoc eſt, vnum ex adminiſtris ſpiritibus fuiſſe hunc neget, hominem fuiſſe aſſerit: id quod re vera auctor fuit. Quiſnam verò homo ille fuerit, & num hoc nomen ab infantia ſortitus, an ex muneris & officij ratione fuerit adeptus, nihil planè certi atque explorati apud antiquos inuenimus ſcriptum. quidam enim hunc Mardochæum fuiſſe aiunt; alij verò & frequentiores Eſdram eundem eſſe propterea affirmant, quòd de iiſdem rebus in hoc & in Eſdræ libro agatur, hoc eſt, de prophanis Iſraëlitarum coniugiis grauiſſimè reprehendendis. Nos autem, quibus illud in ſacrorum librorum expoſitione ſuſcipienda perpetuum conſilium eſt, vt ne quid de re vlla vel temerè, vel minus firmiter ſtatuamus, néue obſcuris argumentis adducti parum certa pro certis habeamus, officio noſtro eo modo ſatisfactum iri arbitramur, ſi nihil affirmauerimus, quod ex ſanctorum voluminũ teſtimoniis confirmari non poſſit. Igitur Malachiam

non

non eundem ideò cum Eſdra eſſe conſequitur, quòd idem vtriuſque libri argumentum ſit, nemini namque aut obſcurum aut dubium eſſe poteſt, idem argumentum eandem etiam cauſam, imò idem in eadem cauſa orationis genus, iiſdemque penè verbis à duobus pluribuſque interdum vatibus tractari ſolêre: id quod à nobis in iis, quę antea ſcriſimus, cæterorum vatum commentariis non ſemel indicatum eſt. Quin & illud eſt etiã obſeruatum, grauiſſimas quaſque cauſas pluribus vatibus agendas propter eam rem committi, vt diuinum de ea re conſilium certiſſimum teſtatiſſimumque, & iudicium tandem omnibus probatiſſimum ſit, ſicut ſcriptum eſt: In ore duorum vel trium ſtabit omne verbum. "
niſi quis quatuor euangelia vnius tantùm ſcriptoris opus propterea eſſe contendat, quòd eadem planè omnium ſententia, imò totidem ferè verbis pronuntiata obſeruetur. Itaque nihil hæc ſententiæ aut argumenti ſimilitudo impedit, quo minus res, cauſa & actio variis auctoribus aſſcribatur. Præterea tametſi Malachiæ & Eſdræ vnum tantum argumentum de prophanatis nuptiis commune ſit; plura tamen alia ſunt, quæ alter ſolùm tractaſſe videtur: quorum partem nullam in altero indicare reperireue poſſis. nam Malachias ſacerdotes & prophanatæ religionis, & diuini nominis neglecti, & polluti ſacrificij reos facit: populum ipſum etiam de decimis & primitiis non legitimè ſolutis poſtulat. Quarum rerũ nulla in Eſdræ libris mentio eſt, neque tunc, cùm ille ſcriberet, hoc vitio vel ſacerdotes vel populum publicè vſos fuiſſe apud vllum alium ſcriptorem extat. Præterea hic auctor nihil de templo inſtaurando perficiendoque agit: quod argumentum Eſdræ perpetuum ferè eſt, in quo etiã cũ Haggæo & Zacharia plurimũ illi conuenit, qui de tẽpli ædificatione nõ ſolum admonendo & exhortando, ſed poſtulãdo, & etiam grauius accuſando dixerunt. his accedit, quòd in nullo ſuorum, vel alterius ſcriptoris ſacri librorum loco Eſdræ aut aliud proprium nomen, quam Eſdræ Scribæ cognomine adiuncto auditur, neque inter prophetas vſquam recenſitus extat. quin & nouum nimis illud eſſet, vt cum cæteri vates auctoritatis & aſſeuerationis cauſa nomina ſua apertè profiteri ſemper cõſueuerint, hic tãtum nomen celaſſe, & excogitato agnomine conſultò obſcuraſſe diceretur: quod vt ad fidem faciendam nihil, ſic ad periculum declinandum minimum valere poterat. neq. enim auctor hic obſcurè in vmbra aliquid ex diuino mandato ſcripſit, quod celato aut diſſimulato nomine in vulgus ederet, ſed ipſe idẽ cauſam palàm ſumma cum grauitate egit, vt manifeſtè illa verba arguunt. [*Ad Iſrael in manu Malachiæ.*] Neque nomen Malachiæ, ſi nuntium meum interpretari placet, ita Eſdræ proprium eſſe potuit, vt non aliis etiam vatibus conueniret, ſicut & Ioanni Baptiſtæ iure ex officio tribui idem hic Vates prædicat, Ecce ego mitto angelum "
meum. quo in loco idem verbum *Malachi* vſurpatur. Quibus ex rebus omnibus illud fit, Malachiæ nomen, tametſi ex interpretatione officium ſignificet, tamen certi cuiuſdam boni & ſapientis viri proprium fuiſſe, cui idoneum nomini munus fuerit à Deo mandatum. quamobrem in duodecim vatum catalogo, cum vndecim cæterorum nominibus propriis duodecimum Malachiæ appellatur: cui ſi aliud proprium fuiſſet, cur obſcurandum eſſet, nihil cauſæ ſubeſſe arbitramur, ſiue Eſdræ ille, ſiue alterius auctoris fuerit, non laboro: certè ſanctum & magnæ apud me auctoritatis volumen eſt. Et nunc, inquit, frater aſpice, quæ gloria, & vide populum venientem ab oriente, quibus dabo ducatum Abra- " 4. Eſd. 1.
ham, Iſaac, & Iacob, & Hoſeæ, & Amos, & Michææ, & Ioël, & Abdiæ, & Ionæ, & Nah- "
hum, & Habbakuq, Sophoniæ, Haggæi, Zachariæ & Malachiæ, qui & angelus Domini vocatus eſt. Quo in loco illud, quod anteà adnotauimus, adnotatur, proprium huius Vatis nomen ita cum officio quadraſſe, vt exigua mutatione, hoc eſt, vna litera addita, qui Malachi anteà diceretur, cœperit Malachia appellari, Malachi nuntium meum; Malachia verò Dei nuntium ſignificante. Ex rerum verò notatione & obſeruatione conicere licet, Malachiam horum omnium poſtremum fuiſſe vaticinatum. namque à templi reſtituti initio ſacerdotio atque operi præfuit, reſque à ſe ſociiſque ſuis geſtas conſcripſit. Eadem ferè tempeſtate Haggæus & Zacharias prophetico munere perfuncti de templi reſtitutione alter longiores, alter breuiores actiones ſuſcepit, vt idem ſcripſit Eſdras: Et prophetaue- Eſdr. 5.
runt Haggæus vates & Zacharias filius Addo prophetæ. & alio loco: Seniores autem Iu- Eſdr. 6.
dæorum ædificabant & proſperabantur iuxta prophetiam Haggæi prophetæ & Zacha- "
riæ filij Addo, &c. Malachias verò nihil de templi ædificatione egit: neque de ea re in "
hac cauſa Eſdras meminit. quamobrem Vates hic poſt alios duos, atque poſt ædificatum "
iam templum vaticinatus fuiſſe videtur. Haggæus enim ante ædificationem primus de ea "
re egit, cuius conſilio opus incœptum; deinde verò eiuſdem & Zachariæ exhortationibus abſolutum eſt. nam Zacharias ſub operis finem munus ſuum obire cœpit, vt in vtriuſque commentariis docuimus. Malachias autem poſt hos atque operis fini proximus omnium illius ſeculi & veteris teſtamenti prophetarum vſque ad Ioannem poſtremus fuit.

Qui,

Qui, quaſi illam prophetici muneris commoditatem poſt ſua tempora deſiderandam fore intelligeret, religionis ac pietatis veræ rationem duobus capitibus maximis comprehenſam perſecutus (hoc eſt, de cultu erga Deum & de officio erga homines locutus) hanc ſummam habuit orationis: Memento te legis Moſis ſerui mei, quòd in prophetarum deſiderio illa ſolùm certa eis ac perpetua ad bene beateque viuendum oracula, conſtantemque normam eſſe ſignificaret, vt diuinæ legis ſtudium nunquam intermitteretur. Iam verò cætera inſcriptionis verba explicemus. [*Onus verbi Domini ad Iſraël in manu Malachiæ.*] Et res ipſa, & Vatis nomen ad tranſlationem accommodata ſunt elegantiſſimè. eiuſmodi namq. munus Vati demandatum eſt, quod cum ipſius nomine conueniret: cuius breuiter nobis expendenda ratio eſt. Ex vatibus alij eo conſilio creati ſunt, vt in populo perpetuò officio functi certa, pro temporum rerumque ratione, rogati reſponſa redderent; ſic Samuel, ſic Oſea, ſic Heliſeus, aliique multi fuiſſe dicuntur: rurſus alij etiam ad certa tempora conſtituti fuerunt; non tam vt rogati ſententiam dicerent, quàm vt iuſſi de certis cauſis ex Dei perſona agerent: quibus peroratis vaticinari amplius deſierunt, vt Amos, qui per duos ante terræmotum annos, vt vidimus, eſt vaticinatus. alij etiam fuêre, quibus ſemel tantùm vaticinij & munus demandatum & officium factum ſit, vt Ionas apud Niniuitas, & Abdias apud Edom. Huius tertiæ claſſis Malachias eſt, qui vno tantùm vaticinio, hoc eſt, vna actione munus confecit ſuum, idque nuntij ſiue legati nomine magis, quàm perpetui miniſtri aut prophetæ, cui ſemper officij ratio conſtare putaretur. Hæc rerum ratio breuiter ſuppoſita cum verbis ipſis commodè quadrat. non enim perpetuum aliquod vaticinandi munus, ſed mandatum quoddam ad tempus Vati datum oratio ſignificat, quod Dei nomine ad Iſraëlitas perferretur. etenim Deum illo tempore propter grauem & neglecti cultus ac deſerti officij offenſionem à populo illo abalienatum fuiſſe vaticinio indicatur ipſo. Non, inquit, eſt mihi voluntas in vobis, & munus non accipiam de manibus veſtris, &c. & illud. Dilexi vos, &c. Quamobrem eo nomine Vates mittitur quo Deum ab illis diſceſſiſſe maximè argui poſſit: quale nomen nuntij eſt, quod inter abſentes interpretem ſignificat. Igitur quod Latinus interpres vertit *onus*, de quo nomine plura aliàs diximus, cùm à verbo ferre ſiue portare deductum ſit, hîc non tam prophetiam grauem & ſententiam latam in populum ipſum, quàm legationis munus & onus Vati ipſi impoſitum interpretamur. Id quod & orationis verborumque obſeruatio indicat. aliud namque eſt onus ad Iſraël, aliud onus ſuper Iſraël. & Hebraicè, aliud eſt EL, aliud GHAL. poſterior modus ſuſceptionem, prior acceptionem ſignificat, vt, ſuſcepi mandatum tuum, aliud eſt, quàm, accepi mandatum tuum; alterum ſibi iniunctum & ferendum, alterum verò ab alio ſuſceptum ad ſe perlatum docet. [*Itaque onus verbi Domini ad Iſraël*, ad verbum illud ſignificat, *Portatio verbi Domini ad Iſraël.*] cuius Latina expoſitio, mandatum, quo Malachias oneratus à Deo fuit, vt ad Iſraëlitas perlatum totidem verbis exponeret. Gallicè ſic propriè vertas: *Portee de la parolle de Dieu à Iſraël en la main de Malachie.* Hiſpanè, *Recado de la palabra de Dios, &c.* Quod verò explicatur, [*verbi Domini,*] præter actionis & muneris auctoritatem & fidem, quam facit, illud etiam ſignificat, hoc vaticinium tantùm mandatum ſimplex eſſe, iiſdem verbis exponendum, quibus acceptum à Deo fuerit. neque enim Vates liberam legationem, ſed certis tantùm mandatis & verbis præſcriptam profitetur, vt cauſæ fides & grauitas etiam augeatur: atq. vaticinandi munus non ita, vt anteà, frequẽs iam eſſe, cum plures vates variis etiam vaticinandi modis inſtructi, vel perpetuò in populo eſſent, vel crebrius etiã extarent, quibus cum multifariam multiſque modis vaticinandi officio fungi contingeret, nunc obiectis per quietem viſis, nunc orationibus & monitis dormienti factis, nunc vigilanti oculis & ſenſu, nunc verò animo ſolùm ſpectris ferit, interdum verbis auditis: quæ alio etiam dicendi genere exponi liceret, nonnunquam autem eodem omnino modo & formula referendis, ſe tantùm vno genere eoque ſimpliciſſimo vſum Malachias ait, vt nuntij more mandatum ſibi creditum & præſcriptum, totidem verbis omnino exponeret, nullaque in orationis parte ſuam ipſius, ſed Dei ſemper ageret perſonam. omnis enim ſermo Dei nomine & perſona habetur: vt, Dilexi vos, & illud: Et nunc ad vos mandatum hoc ô ſacerdotes. &: Ecce ego mitto angelum meum. illud denique: Et orietur vobis timentibus nomen meum. ita vt eum nuntium & legatum egiſſe Vates hic videatur, qui epiſtolam ab abſente principe ſibi ad populum commiſſum & diligenter attulerit, & ſumma fide recitauerit. ob eamque rem ait: [*In manu Malachiæ.*] Idem namque eſt in manu dare, vel afferre, quod apud Latinos credere, & committere & perferre. hæc etenim verba in nuntiorum & epiſtolarum rationibus vſurpantur: vt, Miſitq. in omnes terminos Iſraël per manus nuntiorũ, dicens, &c. & illud: Faciet enim tibi Dominus ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet regnum tuum de domo tua. hoc eſt, id faciet, quod ex ipſius mandato prædixeram tibi.

Cap. 1. 2. 3. 4

1. Sam. 11.

Expo-

Expoſuerat autem Samuel Sauli diuinum mādatum iiſdem,quibus acceperat, verbis, ſicut "
ipſe idem præfatus ait:Sine me,& indicabo tibi,quæ locutus ſit Dominus ad me nocte,&c. "
Itaque verba in manu perferre,idem quod ſimpliciter & ſine vlla variatione exponere ſignificat,cùm manus verba ſibi commiſſa mutare non poſſit, lingua & mens poſſit, eadem ſententia obſeruata etiam aut omnia, aut quædam verbo aliter, atque acceperit, reddere. Vltimum verò inſcriptionibus verbum, *ad Iſrael,* argumentum ipſum & actionis genus, ad quod ſermo omnis referatur, apertè indicat. eſſe enim quandam de officio poſtulationem,quam à Deo dictatam Vates referat aduerſus Iſraëlem: quod nomen obtentam dignitatem & amplitudinem Deo auctori acceptam referendam arguit. cuius gratia populus ille ex propria antiqua humilitate & obſcuritate nominis Iacob,in eum nominis,familiæ,vitæque ſplendorem fuerit traductus, quem Iſraëlis appellatione obtinebat. omne autem officium,ſtudium,pietatem,denique ſumma omnia deberi ei, per quem ad illū,quem complebat gradum, perueniſſet. Hactenus inſcriptionis ratio:nunc verò deinceps cauſam ipſam, quemadmodum Vates egerit, audiamus.

Dilexi vos, dicit Dominus: & dixiſtis, In quo dilexiſti nos?

ISRAELITAS Deus ingrati animi & violati officij inſimulat,ſtudia & beneficia in illos ſua commemorando,quæ omni in genere ſumma omnino conſtarent. magnum enim eſt à Deo,optimo maximo hominum omnium auctore, principe & gubernatore,egregiis præter cæteros beneficiis fuiſſe affectum.longè verò maximum eſt,ſingulari eiuſdē amore fuiſſe familiariter ſemper exceptum & tractatum, ſed generoſiſſimus quiſque animus non tam dolere ſolet, quòd beneficia in ingratis & inofficioſis hominibus collocata perierint, quàm quòd amoris ſtudiique ſui fuerit neglecta ratio. ideoque Deus de amore dilectioneque ſua(quod ſummum bonum ducere oportuerat)principio poſtulat,beneficia verò,non vt optimam partem,ſed vt amoris ſui erga illos argumentum commemorat,qui neq.amoris magnitudine cognita adduci,neque beneficiorum pondere ac vi cogi voluerunt, vt debitum tanto atque de ſe optimè merito principi Deo officium vel pietatem potius præſtarent. Eſt itaque totius actionis & poſtulationis propoſitio illa, *Dilexi vos,*] cum affectu & animi quodam præcipuo ſenſu pronuntianda oratio,quæ amorem ſuum maximi æſtimet, & negligi ab iis, quibus impenderit,indignè ferat. ex rei verò ipſius dignitate & perſonarum comparatione illorum improbitatem arguit. Eſt enim Dominus Deus miſericors,beneficentiſſimus (quod illo nomine Dominus Hebraicè indicatur) actor:rei verò homines, quos nulla ex parte poſſe cum Deo conferri manifeſtum eſt; maximè verò ſi ingratos im- "
memoresque beneficij eſſe conſtet. Poſtulatum autem de amore dilectioneque eſt, re om- "
nium,quæ cuiuis optimo animo ab alio animo expeti poſſet,optima & præſtantiſſima,nedum ſi à Deo expetatur,aut vltro etiam oblata præſtetur. Igitur *dilexi vos,*] eiuſmodi ſententiam habet. in quibus hominibus tantum amoris & ſtudij ego Dominus miſericors & beneficentiſſimus impenderim?nempe Iſraëlitis nullo ſup merito antè amari dignis,& deinde,ob ingrati animi vitium , tanto amore indigniſſimis. Quòd verò, *dilexi,* in præterito tempore dicit, antiquum & perpetuum hactenus amorem omnibus argumentis conſtantem & probatum fuiſſe ſignificat;quem neque tot offenſionibus irritatus, hactenus tamen depoſuerit. nam ſi quando in eos animaduerterit,id paterno amore, nō autem hoſtili odio effectum eſt:quia ſicut homo erudit filium ſuum,ſic Dominus Deus tuus erudiuit te.caſtigatio autem amorem non minus, quàm indulgentia probat. Suum autem in eam gentem amorem ſingularem fuiſſe, comparatione docet, eademque opera illorum improbitatem maximam arguit. [*Et dixiſtis, In quo dilexiſti nos?*] Certi ac ſingularis amoris demonſtratione, illos,præter cæteros mortales ingratiſſimos cōfirmat.neq.enim cōmuni quadā beneuolentia ſe illos proſecutum,neque debito fortaſſe patribus eorum amore dilexiſſe ait,quemadmodum ipſi aut putare aut obiicere poterant,quo intentum in ſe crimen aut eleuarent,aut certè cum aliis communicarent. [*& dixiſtis.*] Præteritum cum adiuncta coniunctione futuri vim obtinet. [*dicetis autem,*] reſpondit anthypophoræ,quam ex humani ingenij cognitione in promptu reis fore intellexerat. [*in quo dilexiſti nos.*] Anthypophoræ huius ſententia non ea eſt,in qua amor negatur,qui ſummus eſſe omnibus rationibus conſtabat, ſed quòd ſe præ cæteris hominibus maximè dilectos fuiſſe Abrahami patris merito accidiſſet, quem ſibi vnicè charum Deus ipſe propter fidem & pietatem erga ſe præſtitam fuiſſet profeſſus, ſicut ſcriptum eſt:Semen Abraham amici mei. Quoniam verò Abraham à Deo ob amo- Iſai.41.
rem redamatus videretur ſibi,qui ex Abrahamo orti eſſent,deberi etiam illum amorē anti- "
quum,non haberi ſingularem aut nouum defendere poterant, vel illo teſtimonio producto,Quia dilexit patres tuos,& elegit ſemen eorum poſt eos: ita homines ingrati atq. im- Deut.4.
probi,

„ probi, quæ in ſe miſericordia & benignitate ſingulari diuini amoris conſtabant beneficia,
„ ea non vt in ipſis ſingulariter facta, ſed vt pietatis fructum, quem patres meruerint, retributa interpretari auderent. hæc illius obiectionis ſententia eſt, *in quo dilexiſti nos?*] Præpoſitio, *in*,
Pſalm.7. cauſam hoc loco ſignificat: vt, Exurge Domine in præcepto, quod mandaſti, &c. Quamobrem, inquiunt, dilexiſti nos? ſcimus iam quamobrem, nimirum propter patrem noſtrum Abraham; vnde non nouum, neque ſingularem in nos Iſraëlitas amorem, neque in nobis collocatum priuatè, ſed antiquum illum vt cœptum ita conſetuatum fuiſſe intelligimus, magiſque communem patribus nobiſcum, quàm nobis proprium putamus. Hactenus humana improbitas ingenioſa eſſe potuit, & ſingularis in ſe Dei amoris magnitudinē, vt pri-
Cicero de Inuentione. uati debiti obligationem faciliorem oſtenderet, interpretari. Eſt autem hæc in dicendi facultate cauſæ infirmatio dicta: quam tamen Deus ſapientiſſimè re ipſa & manifeſtis argumentis exemplíſque refellens demolitur; atque propoſitam à ſe ſingularis amoris magnitudinem miris modis illuſtrat & confirmat.

Nónne frater erat Eſau Iacob? dicit Dominus, & Iacob dilexi?

AMOREM erga Iſraëlitas ſuum ſingularem & præcipuum ex ſola voluntate ac miſericordia profectum, non ex patrum merito debitum fuiſſe, illuſtribus exemplis commemorandis confirmat Deus. producit enim varia multúmque diuerſa voluntatis ſuæ erga geminos fratres Iacob & Eſau argumenta, quæ diſparibus omnino vtriuſque familiæ euentibus illuſtria publicè conſtarent. Quod, inquit, vos non parentum veſtrorum merito, ſed præcipuo quodam meo ſtudio dilexerim; ex ea re perſpici poteſt, quòd cum Eſau Iacobi frater natúque prior ex eodem patre Iſaac Abrahami filio, ex eadémque matre Rebecca fuerit; Iacob tamen maximis atque illuſtriſſimis beneficiis affectum à me præcipuè diligi, perpetuò fuerim teſtatus: id quod ſi propter parentū merita faciendum eſſet, fieri hoc modo non oportuit. aut enim priori filio maior, aut certè par vtriſq. amor parentum merito eſſet impendendus. [*Sed Iacob dilexi.*] Iacob generis & nominis veſtri parentem & principem perpetuis in tota vita & aſſiduis affectum & ornatum beneficiis complexum me fuiſſe conſtat, ita vt illius comparatione dicere illud verè poſſim:

Eſau autem odio habui.

LIBET aliquantulum hoc in loco indicando commorari, qui & propter ipſius rei, de qua agitur, grauitatem, & propter totius veteris & noui teſtamenti rationes explicatu difficillimas, plus etiam diligentiæ & operæ, quàm quæ in breuibus commentariis poni poſſit, deſiderat. Nos tamen rem ipſam ex Dei, quem ſemper inuocamus, auxilio breuiter expediemus, longiori oratione & præſenti ſermone aliàs opportunius perſecuturi. Igitur cùm Deo arcanum illud de publica humani generis ſalute conſilium executuro familia aliqua inter homines optanda eſſet, ex qua ille ſummus rei gerendæ pontifex & miniſter naſceretur, quem ex mulieris ſemine oriturum diuinis oraculis fuerat decretum, Abrahami ſobo-
Gen.22. Gen.21. lem non omnem, ſed Iſaacum filium optare placuit, ſicut ſcriptum eſt: In ſemine tuo bene-
„ dicentur omnes gentes terræ. & alio in loco: In Iſaac, inquit, vocabitur tibi ſemen. Ex Iſaaco autem cùm gemini futuri eſſent filij, à quibus duo populi propagarentur, alterum poſteriorem natu ad eam, quam parabat, rem deligere Deus voluit, cuius vitam, res, familiam, nomen, dignitatem atque amplitudinem præcipua ac ſingulari quadam omniq. orbi conſpicienda cura foueret, & ad propoſiti negotij finem perduceret. Hunc autem virum eiuſq. familiam & genus multis commodis & ornamentis, ex iis, quæ ad huius vitæ vſum, ſuauitatem & ſplendorem pertinent, afficiendum, promiſſis ad patres factis in ſe receperat. Se-
Gen.12. Gen.15. mini tuo dabo terram hanc, &c. & alio loco: Peregrinum erit ſemen tuū, &c. & paulo pòſt:
„ Veruntamen gentem, cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo; & poſt hæc egredientur cum magna ſubſtantia, & c. quæ ad hanc rem pertinent, promiſſa quamplurima. Huius autem Iacobi eiuſque familiæ felicitatis & amplitudinis, atque tanti beneficij aduerſarium & obtrectatorem Eſau fratrem fore præuiderat Deus, qui quantum humana felicitas inuidiæ ſubiecta
Gen.13. ſit, optimè nouit: quo vitio fraternæ etiam neceſſitudinis iura contaminari, violari & per-
„ uerti manifeſtum eſt, maximè cùm maior frater à minori ſe gloria aut dignitate ſuperari ægerrimè ferat. id quod vel vno & altero Caini & fratrum Ioſephi exemplo manifeſtum eſt: à quibus propter fraternæ felicitatis non iam ſpectationem, ſed opinionem & cogitationem tantùm, grauiſſima ſcelera per ſummum nefas admiſſa ſunt. Deum igitur, qui Iacobi ſibi ab eam rem delecti & temporalibus commodis atque ornamentis beneficio ſuo redundaturi partes facturus defenſurúſque fuerat, Eſau inuidi atque inimici obtrectationem ſtudiáque, conatus atque impetus omnes, quibus ille fratris felicitatem oppugnare contenderet, fracturum eſſe, conſequens erat: atque ita ſibi hac in cauſa, & ſuſtinenda, &

defen-

defendenda,& confirmanda,Iacobum ſibi ſingulariter diligi charumque haberi, Eſau ini-
mici atque obtrectatoris rebus, quæ contrà moliendæ eſſent, euertendis aduerſarium eſſe
oſtenſurus erat.neque verò hic de animorum felicitate, ſed de terrenis illis promiſſionibus
atque huius vitæ ſplendore & gloria, quam Eſau Iacobo fratri vehementer inuidit, ageba-
tur.namque illam cæleſtis beatitudinis conſequendæ facultatem,nulli eorum, qui in hunc
mundum venerint,hominum Deus adimit aut eripit,niſi iis tantùm,qui ſua culpa & vitio, Ioan. 1.
quo minus aſſequerentur,commiſerint,ſicut ſcriptum eſt:Erat lux vera,quę illuminat om- «
nem hominem venientem in hunc mundum. & qui peccauerit mihi, delebo eum de libro «
vitæ.& patienter agit Deus nolens aliquem perire.nemo enim neque angelus neque homo «
cauſam primam,quamobrem damnatus fuerit, diuinæ voluntati, aut præſcientiæ, quam
vocant, verè aſſcribet;ſed ſuæ potius impietati & peccatis atque ſceleribus,quibus ſeſe ipſe
volens ac ſciens alligando,pœnitentia vera ſuſcipienda,diuinaq́ miſericordia imploranda,
ſolui tandem recuſauerit, ſicut ſcriptum eſt: Nunquid iniquus eſt Deus, qui inferat iram? «
abſit:alioqui quomodo iudicabit Deus hunc mundum?Quòd ſi quis Eſau ipſum damna- «
tum pœniſque æternis addictum eſſe confirmet, eius iudicij cauſam fuiſſe contendemus; «
non hunc Iacobi fratris delectum illiuſque repudiationem,antequam nati eſſent,aut quic-
quam boni vel mali,vt diuus Paulus inquit,egiſſent:ſed propriam hominis impietatem &
nefariam culpam,cæleſtium virtutum atque diuinorum conſiliorum maximarumq́. ſpi-
ritualium rerum contemptionem,quibus ipſe ſceleribus ſeſe non ſolùm vltro alligauit,ſed
additis etiã nouis nodis,arctiſſimè aſtrinxit.Etenim primogenituræ ius, in quo cæleſtium
donorum diuina atque arcana ratio latebat,non modò negligere, ſed viliſſimo pretio ven-
dere,deinde irridere,deniq.nihili facere eſt auſus,imò & nomen ob eam rem, notamq́.per-
petuã ſubire libenter paſſus fuit.Quam ob cauſam vocatus eſt Edõ, cui dixit Iacob,Vende Gen. 25.
mihi primogenita tua.ille reſpondit:En morior, quid mihi proderunt primogenita.ait Ia «
cob,Iura ergo mihi.Iurauitque Eſau & vendidit primogenita. & ſic accepto pane & lentis «
edulio,comedit,& abiit,paruipendens,quòd primogenita vendidiſſet. Hanc itaque veram «
cauſam fuiſſe,quamobrem Eſau à cæleſti hæreditate ſuo merito,imò ſua nefaria culpa ex-
cluſus fuerit,nos cum Apoſtolo defendemus. Ne quis,inquit,fornicator aut prophanus,vt Hebr. 12.
Eſau,qui propter vnam eſcam,eamq́. viliſſimam,panis & lentis vendidit primogenita ſua, «
&c. Aliam igitur longeque diuerſam eſſe vtriuſque de Eſau facti iudicij rationem conſtat,
hancque,de qua proximè diſſeruimus, quæ ad æternæ felicitatis amiſſionem pertinet, im-
probationem ſiue reprobationem, ob proprium hominis crimen dici debere; illam verò
alteram priorem,quæ delectum ad rem aliquam parandam factum conſecuta ſit, reiectio-
nem propriè appellari.namque vbi res aliqua per omnes gerenda non eſt, quiſnam potiſſi-
mùm ad eam expediendam ſit deligendus, auctoris ipſius conſilium arbitriumque fuerit,
qui quem maluerit,deligere,ornare, atque ad expediendam rem inſtituere & conformare,
ſine alterius cuiuſpiam iniuria poteſt. Atque de huiuſmodi priuatorum ad munia publica
ad aliaque negotia delectuum genere,& de illa communi omnium hominum ad vitã æter-
nam electione,à qua nemo,niſi ob culpam,reiicitur, nos plura dicere & cupimus & ſpera-
mus,quæ ad noſtrorum temporum controuerſias, atque ad multorum piorum hominum
tollendas dubitationes, ſacrorumq́. librorum de his rebus aperiendam ſententiam pluri-
mum profutura eſſe cognouimus. Interim autem commentariis noſtris legendis multum
ad huiuſmodi argumenta lucis accedet iis,qui non contentione aut vlla alia animi pertur-
batione, ſed ſimplici & Chriſtiana veri cognoſcendi cupiditate adducti curam ſtudiumq́.
adhibentes, quemadmodum res ipſæ à nobis expoſitæ cum diuinarum lectionum ſenten-
tia quadrent,perſpexerint.Igitur hoc modo Iacob ad eam, quam diximus,rem delectũ ſibi
fuiſſe Deus profitetur, vt illius ornandi amplificandique cauſa ſuſcepta, fratrem inuidum
& maleuolentiſſimum ita oderit & oppreſſerit, vt ne quid contra Iſraëlis dignitatem &
gloriam moliri poſſet;ſi verò contenderet, aut nullos omnino, aut conſiliis contrarios ha-
beret exitus.neque verò de ipſo tantùm Eſau Iſaaci filio ſermo eſt, ſed de illo illiuſque ge-
nere omni Idumæorum,quorum res Deus ſæpe diminuit & diſſipauit,vt Iſraëlis, hoc eſt,
Iacobi,cum familiis ſuis res augeret,amplificaret & conſeruaret.id quod apertè cùm ex to-
ta confirmatione ad hanc ſententiam allata, tum etiam ex propoſitione ipſa explicatur.
inquit enim,dilexi vos.quæ commemoratio ad omne Iſraëliticum genus ſpectat,vt & ipſa
etiam inſcriptio apertè docet.Onus verbi Domini ad Iſraël. Ait autem ſe dilexiſſe gentem
ipſam iam inde ab initio, idque confirmat earum rerum commemoratione, quæ ſibi ipſo-
rum cauſa etiam aduerſus inimicorum & detractorum inuidiam & conatus ſuſceptæ at-
que præſtitæ fuerint:id quod neque patrum merito factum dici iure poſſit, cùm vtriuſque
generis auctores fratres fuerint, & is cui ſe aduerſarium Deus declarauerit, prior natu ex-

titerit. neque etiam id aliqua culpa aut ſcelere Eſau, neque contrà aliquo merito Iacobi cœptum ſibi fuiſſe oſtendit. nam antequam nati eſſent, antequam quicquam vel boni vel
Rom. 9. " mali egiſſent, non ex currente neque volente, ſed ex vocante dictum eſt ei, Maior ſeruiet minori. Quibus ex rebus omnibus illud fit, vt hæc Iſraëlitarum felicitas, & illuſtris electio atque gloria nulli parentum bono, nulli Eſau olim malo merito aſſcribenda, ſed vni Dei benignitati, gratiæ, ſingularique in illos amori accepta referenda ſit. Iam diximus id, quod perpetuò meminiſſe oportuerit, de temporali, non de æterna vtriuſq. populi felicitate hoc in loco agi. Qua in re liberum ſemper & conſilium & iudicium Dei fuit, cui res eas, quæ ad omnes non pertineant, ad eos, quos velit, deferre, integrum omni ex parte eſt. plura verò de hac re in nouo teſtamento dicenda ſunt. hac autem ratione cognita, quemadmodum res ipſa ſeſe habuerit, obſeruandum eſt, hoc eſt, quemadmodũ Deus electum ad eam rem, quam diximus, Iſraël ab initio generis ad extremum vſque negotij expediendi finẽ, comparauerit, fouerit, ornauerit, amplificauerit, denique charum vniceque dilectum ſibi declarauerit. Eſau contrà vt hac in parte reiectũ, ſic pro Iſraëlis dignitate defendenda impugnatum & oppreſſum ſibi inuiſum & repulſum eſſe multis argumentis oſtenderit. Ait enim Deus ſe ita Eſau inuiſum habuiſſe, vt montes eius in ſolitudinem, & hæreditatem eius in dracones deſerti poſuerit. Ex ſacrarum autem hiſtoriarũ lectione Iſraëlis & Edom non diuerſas modò, ſed aduerſas omnino rationes fuiſſe deprehendimus, ita vt Iſraël à Deo optatus & dilectus, Eſau verò reiectus, atque ob æmulationis & obtrectationis aduerſus fratrem ſtudium & cõtentionem impugnatus fuiſſe intelligatur. etenim ſtatim ab ipſo initio infantibus in matris vtero conceptis, vbi alter delectus eſſet, grauiſſima & cõtentioſa lucta-
Gen. 25. tio fuit, ita vt iã alter alterius dignitati inuidere & æmulari; alter verò alteri cedere nolle in-
" telligeretur. quod ita eſſe, ex diuinis reſponſis eſt declaratũ: Duæ gentes ſunt in vtero tuo, &
" duo populi ex ventre tuo diuidentur, populuſq. populũ ſuperabit, & maior ſeruiet minori. Ita autem euenit, vt non modò ſtudiis, ſed exitu rerum diuiſi diffidenteſque forent. alterius enim populi florentibus rebus alterius res debilitatæ ſunt. id etiam in ipſo vtriuſque ortu ſignificatum eſt, Eſau pede in Iacobi manu tenaciſſimè comprehenſo: quæ res magno ad illius conatus impedimento hunc fore portendebat, qui ex eo nomẽ Iacobi accepit. Iam verò ipſorum, quanquam non nimis diuerſis temporibus genitorum, certè eodem ferè horæ momento naſcentium, diuerſa tamen ingenia eſſe, diuerſaque omnino ſtudia volun-
" tateſque fore, & ipſa corporum ſpecie, & morum etiam atque exercitationum ratione facilè cognoſci potuit. Erat enim Eſau rufus totus in moremque pellis hiſpidus: quod ſanguinarij & robuſti bellicoſique hominis indicium eſt. vehementer namque calidæ fumoſæque naturæ huiuſmodi ſunt; contrà verò Iacob lenis, molli cute & corpore bene conſti-
" tuto, ſicut ſcriptum eſt: Noſti quòd Eſau frater meus homo piloſus ſit, & ego lenis, &c.
" quod moderatos, temperatos, religioſoſque mores indicabat. Id quod vtriuſque à puero
" diuerſa ſtudia & meditationes exercitationeſque demonſtrarunt: Factus, inquit, eſt Eſau
" vir gnarus venandi & homo agricola, Iacob autem vir ſimplex habitans in tabernaculis.
" quæ res iis illum ſtudiis delectatum & deditum ſignificat: quæ cùm ſimplicitate perfectioneque vitæ atq. pace & tranquillitate animorum cõuenirent, ita cùm geminorum natura, forma, mores & ſtudia ſimilima ferè eſſe ſoleant, horum diſtinctiſſima & diſſimilia omnia eſſe voluit Deus, quo ſuum in Iſraëlem amorem ſingularem, atque delectum à ſe factum, idque voluntate ſua præter communem naturæ voluntatem eueniſſe teſtaretur. Qua de re nos aliàs plura ex diuinæ & humanæ philoſophiæ rationibus, Deo duce, diſſeremus. Ita etiam eos, vt ingenio & moribus, conſuetudine quoque & loco ſeparatos Deus voluit, Eſau in montes Seir prius relegato, vt Iſraëlis poſteritati felicem illam atque celebrem ſibi
" ſingulariter curatam regionem vacuam & integram reſeruaret, ſicut ſcriptum eſt: Elegit nobis hæreditatem ſuam, ſpeciem Iacob, quem dilexit, SELAH. In promptu autem erat, vt Eſau huiuſmodi ingenio & moribus elato & ſublimi animo, robuſto corpore, & ad magnas res appetendas idoneus natus, fratris, quo ſe maiorem & præſtantiorem, aut certè non inferiorem putabat, creſcenti florentique dignitati, atque ſecundis rebus inuideret: quando
1. Reg. 18. hoc inuidiæ obtrectationiſque morbo non niſi ij ferè iactantur, qui vel ſuperiores, vel cer-
" tè pares iis, quibus inuident, ſeſe eſſe putant, ſicut ſcriptum eſt: Et diſplicuit in oculis regis ſermo iſte, dixitque, Dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt. Quamobrem Eſau ſeſe fraternæ dignitatis æmulatorem atque apertum inimicum declarauit, ſicut ſcri-
" ptum eſt: Oderat ergo ſemper Eſau Iacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater: di-
" xitque in corde ſuo, Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum, &c. Ex hoc autem tempore & deinceps Deus amorem, quem erga Iacobum ſuſceperat, perpetuis argumentis eſt proſecutus, tum rebus illius augendis & amplificandis, tũ fratris Edom
fran-

frangendis conatibus; tum etiam publicæ priuatæque rei ſtatu labefactando & conuellendo: ita qui alteri auxilio & præſidio eſſe decreuerat, alteri, qui ex inuidia atque æmulatione contrà contenderet, aduerſarium ſe præbere opus fuit, radiceſque omnes conuellere, quibus ille nixus fratrem ſuperare & premere conaretur, opes, facultates, potentiam & gloriam. Quod quidem Dei in Iſraëlem beneficium multis & aſſiduis olim cõſtitit argumentis: quamdiu enim Iacob pietate officioque colendo teſtis cum Deo & cum ſanctis fidelis fuit, ampliſſimis & florentiſſimis, contrà verò Edom tenuiſſimis rebus eſt vſus. quam rem ſacra hiſtoria apertè indicauit, ſicut ſcriptum eſt: Reges autem, qui regnauerunt in terra "
Edom, antequam haberent regem filij Iſraël, fuerunt hi, &c. Quo in loco illud nimirum ſignificatur, Idumæos tam diu regibus atque regni ſplendore vſos eſſe, quoad Iſraëlitis regnum rexque contigit: ſtatim enim ab ipſis Iſraëlitici regni initiis Idumæis regno à Dauide adempto, præfecti, qui ius dicerent, miſſi ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Et poſuit in Idumæa 2.Sam.8. "
cuſtodes, ſtatuitque præſidium: & facta eſt vniuerſa Idumæa ſeruiens Dauid, &c. Atq. hic vtriuſque populi rerum ſtatus vſque ad Ioram regis tempora fuit, qui paternorum ſcelerum imitatione, cùm alia multa, tum illam etiam apud Idumęos auctoritatem dignitatemque amiſit, ſicut ſcriptum eſt: In diebus eius receſſit Edom ne eſſet ſub Iuda, & conſtituit 2.Reg.7. "
ſibi regem, &c. Secundi autem templi temporibus Iudæorum rebus per Machabæos reſtitutis, Idumæos etiam debellatos fuiſſe, atque in circuncifionis etiam fœdus, ab Hircano 1:Mach 4. "
coactos, tranſiiſſe, Ioſepho Hebreo auctore legimus: Et debellabat Iudas filios Eſau in Idumæa, &c. quæ in ſecundo Machabæorum libro longius de hac re ſcripta ſunt. quo in loco 2 Mach 10. Ioſeph.Heb.
huius vaticinij & noſtræ interpretationis argumentum in Iudæorum precibus & votis indicatur, vt ſibi propitius, inimicis autem eorum eſſet inimicus, & aduerſariis aduerſator, ſicut Lex dicit, &c. denique obſeruatis diligenter hiſtoriis, illud conſtabit, Idumæos Iſraëlitarum rebus, vel florentibus languiſſe, vel emergentibus depreſſos fuiſſe. Atque hæc omnia ſingularem Dei erga Iſraëlem amorem non patrum meritis debitum, ſed vltro ac ſponte ex mera voluntate profectum confirmant. id quod diuus Paulus apertè docet. Igitur, inquit, non volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis eſt. Quòd ſi quis ſublata iam de Rom.9. "
æternæ felicitatis (ad quas locus hic non pertinet) obſcuritate & dubitatione, illud tamen "
curioſè, ſeu potius moroſè inquirere pergat, quænam ratio fuit, quamobrem Deus, Eſau "
priore natu reiecto, Iacobum dilexerit, quemadmodum huiuſmodi curioſitatibus ſatiſ- "
faciam, me planè non habere fateor: quemadmodum verò mihi hac in re, ne quid vltra quæram, abundè ſatiſfactum ſit, à Ieremia & diuo Paulo accepiſſe. O homo tu quis es, vt reſpondeas Deo: nunquid non habet poteſtatem figulus ex eadem maſſa? &c. quem locum nos, ſi Deus eò deduxerit, magno, vt ſperamus, cum piorum hominum fructu, exponemus. Quicunque de hac re ambitioſè, ſiue, vt diximus, moroſè diſputare porrò contendat, eò demum euadet, vt abundantem Dei erga Iſraëlitas ſingularemque amorem mera & libera voluntate ſuſceptum admiratus, Iſraëlitis tanto beneficio deuinctiſſimis, Deum perpetuò redamatum, cultum, diligentiſſimeque obſeruatum fuiſſe oportere credat. Atque hoc ipſum eſt, quod Deus agit, quod videlicet vel à moroſiſſimo quoque diſputatore negari non poſſit, ſe videlicet Iacobum dilexiſſe, Eſau autem illius cauſa odio habuiſſe: ita vt interim dum alterius res proſperæ eſſent, alterius ſe auctore & oppugnatore debilitarentur, regnique & florentis populi nomen, facultatem & perſonam, quicquid moliti contrà eſſent, deponere cogerentur. hoc enim argumento ſingularem ſuum in Iſraëlitas amorem Eſau rerum comparatione probat Deus.

Et poſui montes eius in ſolitudinem, & hæreditatem eius in dracones deſerti.

AMPLISSIMVM Idumæorum ſtatum ſecundaſque res fuiſſe, antequam Iſraëlitis vel Chananæa regio obtenta, vel rex conſtitutus eſſet, Moſe etiam auctore, cognouimus, qui Seir montes ab Eſau, fortiſſima etiam & frequentiſſima inde pulſa gente, occupatos, ſedecim tum filiis, tum nepotibus abundè fuiſſe, vt ſinguli ducatum obtinerent. deinde verò regionem ipſam omnem in regni formam redactã, perpetuis ſecundis rebus ad octauum vſque regem fuiſſe vſam. eodem autem tẽpore, quo ſub regibus eſſet, vndecim principes, quos *Aluphim* Hebræi vocant, habuiſſe dicit, qui vt ſtatum illum ſummum, firmum, ac florentem illis temporibus fuiſſe doceret, tandem ſubiunxit: Hi duces Edom habitantes in terra imperij ſui, ipſe eſt Eſau pater Idumæorum. Huius itaque montes ex tanta frequentia & celebritate ad eam ſolitudinem & vaſtitatem redacti, vt pro ducibus filiorum Iſraël in cognationibus, locis & vocabulis ſuis, vt Moſes ait, ſerpentes & dracones deſerti alerent, Dei vltoris iudicium & conſilium auctoritatemque apertè indicabant. Maximè verò

cùm non ſemel vaſtati fuiſſent, ſed quoties ab incolis omni conſilio, ſtudio & conatu maximo teſtitui iam viderentur, toties etiam vaſti ac deſerti redditi eſſent: quæ res non caſui aut rerum viciſſitudini, ſed manifeſto Dei conſilio aſſcribenda fuerat. neq. enim ſicut conſilium, ita caſus perpetuas & conſimiles rerum rationes atque exitus habet, præſertim cùm humano conſilio, prudentia & contentione omni, declinandis aduerſis rebus ſecundiſque procurandis proſpicitur. hoc eſt quod à Vate confirmationis cauſa ſubiunctum eſt.

Quòd ſi dixerit Idumæa, Destructi ſumus, ſed reuertentes ædificabimus quæ deſtructa ſunt: Hæc dicit Dominus Deus exercituum, Iſti ædificabunt, & ego deſtruam.

QVOD ſi Idumæi, inquit, infimam ſuam conditionem temporum varietatibus, fortunæq. viciſſitudinibus aſſcribentes, rebus, quæ fortunam vincere poſſe putantur, conſilio, induſtria, diligentia, arte atq. aſſiduitate corrigere conati fuerint, infeſtus quidam, cõſtans & quaſi fatalis euentus cùm eoſdem ipſos redarguet, tum nationes & gentes cæteras nõ caſu, ſed infenſo numine id fieri docebit. [*Quòd ſi dixerit Idumæa, deſtructi ſumus.* Hebraicè, *depauperati ſumus.*] Quæ oratio varium humanarum rerum euentum indicat, cùm aſſiduo in vita exemplo eoſdem homines ex ſumma copia ad ſummam inopiam redactos, rurſus conſilio, ingenio & induſtria reſtitui videamus. Verbum autem, *ſed reuertentes*, viciſſitudinem rerum;
Pſalm. 126. illud verò, *ædificabimus*, conſilium, ingenium, ſtudiumque publicum ſignificat: vt, Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam, &c. [*Dominum exercituum,*] vltorem, oppugnatorem atq. fortiſſimum appellat. Horum igitur diligens ſtudium certa & conſtans calamitas conſecuta, diuinum numen illis infenſum apud omnes gentes probatura fuit.

Et vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus eſt Dominus vſque in æternum.

ET *vocabuntur.* Hebraicè, *Et vocabunt eos.*] Nationes aliæ, inquit, tantam calamitatis conſtantiam non ex caſibus aut humanis viciſſitudinibus, ſed ex gentis culpa & ſceleribus atq. ex Dei infenſi conſiliis interpretatæ terram ipſam agrumq. omnem Idumæum nefaſtum, vitioſum, dirumque populum vero numini perpetuò inuiſum eſſe dicent. Hunc locum Chaldaicus paraphraſtes ita exponit: [*Et vocabunt illos viciniam, cuius populus impij, & populum ſuper quos venit maledictio vſque in ſeculum.*] Manifeſtum igitur argumentum diuini in illos odij hoc fuerit: Iſraëlitis verò præter hæc manifeſtiſſimum diuini in ſe amoris ſignum inimicorum perpetua calamitas, & ſuarum rerum felix reſtitutio eſſe debuit.

Et oculi veſtri videbunt: & vos dicetis, Magnificetur Dominus ſuper terminum Iſraël.

NECESSARIAM diuini in ſe amoris confeſſionem ab Iſraëlitis tanto vtriuſque populi rerum diſcrimine extorquendam eſſe Vates ait. namque illi deſtructæ & vaſtatæ toties Idumææ, ſuis rebus reſtitutis, ſpectatores facti. id quod oculis proſpicient, diffiteri minimè poterant, ſed cum ſumma diuini atque ſingularis in ſe amoris laude prædicare cogentur. Eſt autem zeugmatis genus in hac oratione, qua illud: *Super terminum Iſraël.* vtrique verbo reſpondet, hoc modo: [*Et oculi veſtri videbunt ſuper terminum Iſraël, & vos dicetis ſuper terminum Iſraël, magnificetur Dominus*] Idumæorum vaſtationis reſtitutioniſque ſuæ teſtes & compotes factos Domino miſericordiſſimo ſuique amantiſſimo laudem & gratulationem omnemque ſummum cultum deberi à vobis cognoſceretis & prædicabitis. quibus terminus Iſraël conſeruatus & redditus, colendus atque frequentandus cõceſſus fuerit. id quod non ab aliis aut factum aut futurum acceperitis, ſed vos ipſi præſentes experiamini. Hoc autem dictum eſt, quòd non ſolùm antiqui, ſed ſecundi etiam templi temporibus, Iudæorum reſtitutis rebus, Idumæorum res vehementer depreſſæ afflictæq. (vt iam oſtendimus) eſſent. Quibus ex rebus omnibus illud conſequitur, maximum Deo, vt patri amantiſſimo, cultum, maximam, vt Domino beneficentiſſimo, obſeruantiam reuerentiamque ab illis deberi. id quod ipſorum confeſſione eſt manifeſtum. [*Magnificetur Dominus.*] Magnum, inquit, & ſublime atque omnibus modis admirandum vniuerſo orbi Domini miſericordis nomen reddatur, qui Iſraëlitico termino præcipuè ornando & amplificando magnum ſeſe ſemper exhibuerit. Hactenus autem totius orationis exordium eſt, quo Vates Dei partes agens Iſraëlitas omni obſeruationis officioque debito, ex diuini amoris beneficiorumque ſingularium magnitudine manifeſtò teneri oſtendit. Conſtat autem ratio omnis integra argumentatione, qua ex propoſitione aiente eaque generali, & ſingulari aſſumptione negante, negans etiam concluſio colligitur hoc modo: Omnis, qui amatus non redamar, iure repudiatur: Iſraël amatus non redamat: igitur iure Iſraël repudiatur. In exordio autem propoſitio dicta atque confirmata eſt. namque in ſingulari, *dilexi vos,*] generalis contine-

tur. omnis qui à Deo diligitur, redamare debet, quæ vt manifeſta, eſt prætermiſſa, ſingularis expreſſa eſt. Iſraëlitæ à Deo dilecti ſunt, eaque eſt ſatis apertè oſtenſa. ex quo etiã illud rationis vi colligitur; ſummum amorem ſummamque reuerentiam Deo ab Iſraëlitis deberi. qua concluſione in ſecunda actionis parte repetenda criminis propoſitio ſubiungitur, Iſraëlitas videlicet deſerti officij & amoris neglecti culpa grauiſſimè teneri.

Filius honorat patrem, & ſeruus Dominum ſuum: ſi ergo pater ego ſum; vbi eſt honor meus; & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus?

DVPLEX officij faciendi ratio eſt; alteri, quòd liberali & ingenua virtute atque gratia referenda conſtet, pietas nomen eſt, quæ & Deo in primis, & patriæ, ac parentibus, & amiciſſimis benemerentibusque præſtatur; altera verò quòd debito ſoluendo minus liberam propenſionem, ac fracti magis animi obedientiam adhibet, ſeruitus nominatur. Vtraque verò in diuinis libris timor, non tamen ſine diſtinctione & notatione appellatur: de quo aliàs longius, annuente Deo, diſſeremus. Habet verò vtrumque genus ſuas, quibus diſtribuitur, partes, vt pietatis pars eſt honor, qui Hebræis KABOD vocatur, Latinè vix pluribus verbis explicari poſſit. Seruitutis illa fracti animi obedientia, quæ communi nomine Latinis, *timor*, Hebræis MORAH, dicitur, de altera parte ſcriptum eſt: Honora patrem Exod.20.
tuum & matrem tuam: de altera verò; Serui obedite dominis carnalibus cum timore & "
tremore & ſimplicitate cordis veſtri, &c. Sunt & aliæ horum generum partes, quas nunc Coloſ.3.
perſequi longius fuerit. hæ verò, quas indicauimus affectus impulſionesque animi filij erga patrem, ſeruique erga dominum, ex quibus cætera officia proficiſcuntur, continent. ex ipſo autem orationis exordio illud conſequebatur; non modò timorem & obedientiam, ſeruitutemque, ſed amorem, honorem atque pietatem omnem Deo ab Iſraëlitis deberi: quem illi non modò, vt cæteræ gentes, dominum & gubernatorem, ſed amantiſſimum patrem experti ſemper fuiſſent. nunc verò contrà in populo hoc eueniſſe Deus criminatur, à quo ſe non amari modò & coli vt patrem, ſed timeri etiam vt dominum negat. atque id rebus cum rebus ipſis definiendis ponderat, tum comparationibus aliarum gentium, quibus ipſe ſeſe gubernatorem magis, quàm patrem hactenus exhibitum, religioſè magis timeri & obſeruari affirmat. Eſt autem vtriuſque officij definitionis ſumma illa, [*Filius honorat patrem, & ſeruus dominum timet.*] Quanquam verò in definitione verbum, *timet*, deſideratur, ex nominum tamen ipſorum mutua relatione conſequitur, vt filij erga patrem officium, honor, ſiue cultus, ſerui verò erga dominum, timor & reuerentia ſit. id quod in aſſumptione explicatum eſt. [*Et ſi Dominus ego, vbi eſt timor mei?*] Diximus autem filij officium Hebraico verbo KABAD, ſignificari, cui nullum Latinum pari ſententiæ pondere quod reſpondeat, inueniatur, præter colere, quod propè accedere videtur. complectitur enim verbũ KABAD כבד
omnes dignitatis, amplitudinis, magnitudinis, ornamenti & ſuſpicientiæ, amoris denique rationes, & ſumma omnia, quæ ex homine quopiam in alterum chariſſimum, benemerentiſſimum & digniſſimum exſpectari poſſunt officia. quæ ſi exemplis nobis ex ſacra lectione eſſent declaranda, vix commentarij noſtri modò capi poſſent. huiuſmodi officium parentibus à filiis debetur. [*Filius honorat patrem.*] dominis verò à ſeruis reuerentia & timor. [*Et ſeruus dominum timet.*] Negat autem Deus cùm primis ſibi aut patri aut domino debitum officium ab Iſraëlitis tribui. qua ex re illud conſequitur, ſe nullo ab illis dignitatis nomine cultum negligi & contemni. [*Nam ſi pater ego, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego, vbi eſt timor meus?*] Interrogatione negat id, quod aduerſarius, vt exponat, petitur. eſtque firmiſſima & vehementiſſima ad confirmandum exornatio. Iam verò illud crimen eſt, tantùm patrem digniſſimum & beneuolentiſſimũ negligi, illud verò longè maximum ſcelus, eundem ab iis, quibus omni officio ac potius pietate coli ſemper oportuit, per ſummum tamen nefas contemni ac deſpici: cuius ſceleris tametſi omni populo communis, culpa tamen maxima in ſacerdotes, vt in auctores, confertur. illi namque nõ ſolùm neglectione, ſed improba etiam & impia oratione atq. doctrina diuinas res in contemptionẽ adduxerant. Quamobrẽ cùm omnes tum ſacerdotes, tum populũ vt Iſraëlis nominis participis, ſic eodem negligentiæ & deſerti officij crimine Deus inuoluiſſet, grauiorẽ tamen ſceleris notam ſacerdotibus inurit, diuinæ nimirũ dignitatis prudenter & cõſultò violatæ ac deformatæ. quę accuſatio ſanctiſſimo Dei nomine aduerſus ſacerdotes facta multis & grauiſſimis argumẽtis amplificatur.

Dicit Dominus exercituum ad vos ô ſacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, & dixiſtis, In quo deſpicimus nomen tuum? offertis ſuper altare meum panem pollutum: & dicitis, In quo polluimus te? In eo quòd dicitis, Menſa Domini deſpecta eſt.

VRIM & Thummim ex omni illo priſco & veteri ſacrarum rerum apparatu quibus di-

norum beneficiorum monumenta conſeruabantur, totiuſque religionis arcana ratio vel ſignificari, vel exerceri & procurari ſolebat, ſola ſacrificiorum & hoſtiarum, earumque, quæ ad hæc referri deberent, ceremoniarum ritus & vſus Iudæis poſt Babylonica tempora reliquus fuerat. namque teſtamenti arca cum cæteris, quæ inerant, ſanctis rebus aliaque iam à nobis enumerata, reductis ex illa captiuitate omnino deſiderata ſunt. oportuerat autem eam partem, quæ reliqua fuiſſet, in qua diuinarum & humanarum apud Deum rationum, & familiaritatis momenta arcana eſſent, ſanctiſſimè & religioſiſſimè puriſſimeq́ue curari & coli. neque, cùm aliud nihil in eo genere extaret, illud, quod vnum ſuperaret, cultorum negligentia & culpa infirmari, pati fas fuerat. Id verò cùm totius populi, tum ſacerdotum maximè curare intererat, quorum ſumma cura & diligentia ad hanc rem collata vix officio plenè ſatisfacere, nedum negligentia, prætermiſſio & contemptus admitti ſine ſcelere potuiſſet. Quanquam verò ſacerdotes illati ſibi criminis culpam negando effugere aut deriuare ſtuderent, admiſiſſe tamen maximam atque habere ſuis ipſorum tum actionibus, tum orationibus, redarguuntur. [*Qui deſpicitis nomen meum.*] Diuinum atque omni ſtudio colendum, aut alioqui vehementer metuendum nomen ſuum, [*Domini exercituum,*] à ſacerdotibus deſpectum eſſe criminatur. quibus ob eam rem grauius etiam ſcelus, quàm populo admiſſum oſtendit. etenim populus omnis & grati & debiti officij neglecti accuſatus eſt. ſacerdotes verò manifeſtè iniuriæ ſceleriſque obiti, imò & proditionis inſimulantur, quòd debitam ab hominibus aduerſus diuinam maieſtatem, reuerentiam & obſeruantiam, exemplo, actionibus, ſermonibuſque ſuis excluſerint. Ita populus vel ignoratione, inſcitia & errore prætexendo, crimen ſibi illatum eleuare; ſacerdotum verò exemplo, aut etiam iudicio propoſito deriuare quoquo modo poteſt: ſacerdotibus verò, qui vel quid agendum ſibi ac populo ſit, non ignorant, vel ignorare ſine magno ſcelere & officij proditione non poſſunt, nulla parari poteſt excuſatio. Quamobrē grauiſſimis exemplis in hunc
Leuit. 10. ordinem olim cælitus animaduerſum fuiſſe accepimus, ſicut ſcriptum eſt: Hoc eſt, quod
" locutus eſt Dominus, Sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi: & in conſpectu omnis populi glorificabor, &c. Quoniam tamen hominum improbitas culpæ crimen negatione deriuare magis, quàm confeſſione deprecari aliquando ſolet, ne quid à Deo non veriſſimè & grauiſſimè dici vnquam putetur, non coniecturis, ſed manifeſtis ipſorum verbis & factis conuincitur. [*In quo deſpeximus nomen tuum?*] quaſi verò religionis & pietatis violatio verbis ſolùm, & non multo etiam magis factis conſtet. Iurarent fortaſſe ſacerdotes Dei illud nomen arcanum ſanctum ſibi ſemper religioſeq́ue pronuntiatum fuiſſe, ſemper ſe de Deo cum ſumma obſeruantia fuiſſe locutos. Itaque ſi vera virtus verbis tantùm; non itē actionibus & ſtudiis definiretur, maximam à ſe præſtitam contendere iſti poſſent, qui diuinum nomen ſibi ſumma cum reuerentia pronuntiatum ſemperq́ue prædicatum affirmantes dicunt, *In quo deſpeximus nomen tuum?*] Obſeruata hoc in loco humanæ ſapientiæ calliditas eſt, quæ in manifeſta & ſimpliciſſima re, verborum tamen ſonum impugnare audet, ſyllabas etiam interdum, quibus ſeſe defendere conetur, arripit. Verùm enimuero diuina ſapientia, quæ virtutem actionum potius & rerum pōderibus, quàm verborum copia examinat, debitum ſibi à populo cultum, iſtorum ſtudio & iudicio neglectum & violatum arguit. atque ex conſequenti nomen ſuum, quod ore pronuntiatum rectè illi defendendum ani-
" mo & iudicio prophanatum & violatum confirmat, ſicut ſcriptum eſt: Populus hic labiis
" me honorat, cor autem eorum longè eſt à me, &c. [*Offertis ſuper altare meum panem pollutum: & dicitis, In quo polluimus te?*] Sanctarum atque à Deo inſtitutarum rerum deſpicientia & contemptio populum paulatim ad omnem pietatis rationem peruertendam & violandā perducit. quamobrem magnam ſacrificiis faciendis diligentiam & curam adhiberi Deus interim voluit, quoad illius immaculatæ & integerrimæ victimæ feriendæ tempus accederet. cuius arcanam rationem & diuinam efficientiam omnis ille antiqui cultus ac ceremoniarum apparatus & ritus ſignificabat, nullumq́ue in omni ſacrorum illorum ratione verbum fuit, quod non ad ſacrificij Chriſtiani dignitatem virtutemq́ue ſpectaret: cuius auctoritate & exſpectatione efficiebatur, quicquid illorum aſſiduitate & procuratione prȩſtari potuit. Oportuit ergo diligenti opera, ſtudio atq. obſeruatione illa à ſuis miniſtris curari, quibus præter religionis obſeruantiam & populi diſciplinā magna etiam futurarū rerum & diuinorum conſiliorum arcana ratio continebatur. id quod multis antiquorum librorum, vbi de hac re agitur, locis indicatur, cauetur ac præcipitur. Quibus ex rebus illud conſequitur, hanc religionis partem, quæ ſola ex antiquo ſacrarum rerum apparatu ſupererat, non potuiſſe à ſacerdotibus, ſine magno ſcelere atque pernicioſo populi exemplo veræque diſciplinæ detrimento, negligi aut prætermitti. Id quod ſui temporis ſacerdotibus Vates noſter obiicit, affirmans illos non ſolùm re ipſa & actione ſacrificiorum ſanctitatem violaſſe,

ſed,quod grauiſſimum etiam fuerit,iudicio & ſententia apertoq́ue ſermone populo con-
temnendam prodidiſſe.in quotidianis namq; ſacrificiis factitandis illas pecudes mactaſſe
dicuntur,quæ in omni ad eam rem cōparato grege deterrimæ eſſent,quæque ipſis ad vſum
ſuum ineptæ putarentur;cæteras verò,quæ meliores forent, ſibi delectas ſeruaſſe, cùm ta-
men non modò præcepti & inſtituti ſignificationisq́ue, ſed dignitatis etiam iure optimo,
integerrima & præſtantiſſima quæque ex omni genere, Deo digniſſimo & præſtantiſſimo
rerum omnium auctori & Domino debeantur:quæ qui vel temerè, vel imprudenter ſub-
traxerit,ſine culpa eſſe non poteſt;nedum ſi conſultò prudenterque id admittat,atque ſce-
lus etiam ratione & diſputatione defendere confirmareq́ue ſtudeat. [*Offertis ſuper menſam
meam.*] Aræ ritè & ſanctè conſecratæ menſarū rationem nomenq́. ſubeunt,quibus Deus,
familiaritatis,benignitatis & placationis cauſa,ſeſe hominibus conuiuā præbet,interdum-
q́ue ille ſolus cum ſacerdotibus & miniſtris;nonnunquam & cum populo ipſo epulatur.
qua de re nos aliàs ex illius benignitate agemus. Sic Ezechiel altare menſam appellauit,
Altaris ligni trium cubitorum altitudo,&c. Et locutus eſt ad me, Hæc eſt menſa coram Ezech. 41.
Domino,&c. Maxima ergo reuerentia obſeruari,magna diligentia, puritate integritateq́.
curari & inſtrui menſam eam oportuit,in qua tanti principis ac Domini maieſtas ad ipſo-
rum qui inuitarent, vtilitatem atque ornamentum excipienda erat. Id verò ſacerdotum
ipſorum non modo negligentia contemptum,ſed ſcelerata etiam iudicij ſententia pollu-
tum fuiſſe oſtendit. [*In eo quod dicitis, Menſa Domini deſpecta eſt.*] Antiquus & vetus auarorum
hominum mos eſt, vt quas res à melioribus vſibus ad ſuam vtilitatem transferri cupiant,
excogitata aliqua oratione ſibi vendicare ſtudeant; cuius ſententia ſimilitudinem quan-
dam,ſpeciemq́ue ſapientiæ gerat,re ipſa verò illorum cupiditatem arguat. ſic diſcipuli illi
vel potius diſcipulus ille furum omnium auariſſimus & improbiſſimus vnguenti in ſan-
ctiſſimos præceptoris ſui pedes laudatiſſimo mulieris officio impenſi profuſionem (vt is
vocauit) liberalitatis in pauperes comparatione accuſabat, Vt quid perditio hæc? &c. Sic
etiam ſacerdotes hi,apud quos Malachias agebat,pecudū deterrimas & abiectiſſimas quaſ-
que ad ſacrificia deſtinantes,probatiores omnes ſibi ipſis in vſus reſeruabant, illam ſcilicet
prætexentes orationem, Dei nullarum ex nobis rerum indigentis menſam, quacunque re
etiam deſpectiſſima,commodè apparari & inſtrui,modò integer ſacrificantium fuerit ani-
mus:id verò illa ratione probare populo ſtudebant; quòd infimas, viliſſimas,atque deſpe-
ctiſſimas ex victimis partes Deus ſibi ad aras depoſceret; nimirum, omenta, adipes & ſan-
guinem, quæ nulli ferè vſui hominibus ad eſum eſſe poſſunt, vt vel minimis & viliſſimis
rebus ſibi ſacrificandis contentus cætera Sacerdotibus & Leuitis ad fruendum relinquere
videretur. atque hoc modo de rebus ex naturæ æſtimatione,non ſignificatione diſputan-
tes,auaritiæ cupiditatibusq́ue ſuis cum religionis detrimento & pietatis contemptu con-
ſulebant: [*Quia dicitis,menſa Domini deſpecta eſt, & cibus eius deſpectus,&c.*] vt inferius ſubiunge-
tur. Primùm igitur illorum oratione prophana & impia redarguta, ſceleris cauſa, hoc eſt,
auaritia illorum patefacta,ſtudio & voluntate accuſata, & in iudicio manifeſtè declarata,
opus etiam ipſum malum atque improbandum arguitur, ne quid ab iſtis malum non eſſe
defendi aut excuſari ratione, vt putabatur, aliqua poſſet.

Si offeratis cæcum ad immolandum, nónne malum eſt?

TAMETSI Deus ad religionis ſuæ cultum non omnes hominum facultates expetie-
rit, ſed quaſdam tantùm res,easq́ue modicò ſumptu parabiles, attamen, quæcunque illæ
fuerint,ſuo in genere,ſelectas purasq́ue eſſe oportêre docet.dedecet namque in quodcun-
que munus ac donum cuiuis homini vltro etiam mittendum infima quæq. & abiectiſſima
ſeponere;nedum ſi principibus & digniſſimis viris ex debito etiā officio aut honoris cauſa
inhoneſtum mittatur munus,maximè dedecebit. Eſt autem hic cauſæ ſtatus legitimus,
quòd iſtorū factum ex diuinæ legis præſcripto & interdicto accuſatur.in lege enim ſic ſcri- Leuit. 22.
ptum eſt:Si cæcum fuerit,ſi fractū, ſi cicatricē habens,ſi papulas,aut ſcabiem, aut impeti-
ginem,non offeretis ea Domino. Id quod cùm illi præceptum negligerent,& ex rerum ra-
tione & natura diſputantes,non malefactum eſſe defenderent, eodem etiā diſputandi ge-
nere & modo redarguūtur. Aut enim,inquit,res ad præcepti normam (quod tutiſſimum &
certiſſimum ſemper fuerit) dirigendæ, aut ad ſapientiæ rationem reuocandæ ſunt. ſi lege
agendum ſit, violatam eſſe à vobis legem conſtat; ſin verò (vt eſt hominum improbitas) à
certo & manifeſto præcepto,ad ingenioſam diſputationē transfugitur, nullus in eo etiam
genere locus erit,quo ſeſe homines tueri atque defendere poſſe putēt, vnde vera & ſapien-
ti atque manifeſta ratione non ſtatim deiiciantur: vt in hoc genere ſacerdotes ex honeſto
& decoro, atque ex contentione redarguti manifeſti ſceleris conuincantur

Offer illud duci tuo, ſi placuerit ei, aut ſi ſuſceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.

ARGVMENTATIO hoc modo concluditur: Munus quod à minore ad maiorem mittatur, ex eius, ad quem mittitur, dignitate æſtimari oportet: idque in quocunque rerum genere ſit, elegantiſſimum magis qualitate, quàm magnitudine & copia eſſe decuerit: vos Deo opt. & max. peſſima quæque deſtinatis & offertis: conſequens ergo eſt, non modò præceptum à vobis violari, ſed rationem omnem honeſti & decori peruerti. propoſitio ex ſeſe nota & certa eſt; aſſumptio à vobis negata, hoc eſt, peſſima & deterrima eſſe, quæ offeratis, ex comparatione probatur. Nemo principum hominum dignitate, puritate & magnitudine cum Deo vlla ex parte comparandus eſt. vos autem ea Deo offertis, quæ non modò regi, ſed neque duci aut præfecto veſtro, ſine manifeſta gratiæ iactura, mittere auderetis: multo igitur magis Deo huiuſmodi abiectiſſima vel non offerri oportuerat, vel non minorem tantæ dignitatis offenſionem vereri, quàm ſi homini cuipiam ſummo hæc darentur. Huius enthymematis propoſitio prætermiſſa eſt vt notiſſima: aſſumptio verò permiſſione huiuſmodi fit: [*Offer illud duci tuo.*] Fac, inquit, periculum iudicij & voluntatis erga te ducis tui, qui tibi familiaris magis & æqualis ferè eſſe videatur, cùm tu ſacerdos ſis, ille dux, homo vt tu, rege inferior. Experire hoc modo illius erga te voluntatem & gratiam inire parato, profecto offenſionem certiſſimam atque abalienationem animi concitaueris. quòd ſi hoc tibi tanta iſta audacia & cõtemptione apud ducem tuũ mali & odij merito conciliaueris, quid timeri oporteat ex me Domino exercituum, qui dignitatis & auctoritatis meæ magnitudinem contemni ægrè & grauiter feram, deſpici non patiar, tueri & vindicare poſſum? vtpote qui plurimos & inſtructiſſimos ad eam rem exercitus habeam. profectò ſummæ non modò temeritatis, ſed impudentiæ fuerit, vos me tanta à vobis contemptione affectum, aut gratum vobis, aut populo, pro quo ſacrum facitis, placatum promittere. hæc totius argumentationis concluſio eſt, quæ ſtatim ſubiungitur. Ducem verò propterea appellat, quòd illa reſtituti templi ætate, Iudæorum reſpublica, non, vt anteà, per re-
Hagg. 2. ges, ſed per duces ex Iudæ tribu gubernaretur. Sic Zorobabel Iudæ dux ab Haggæo eſt appellatus. Quòd ſi huiuſmodi munera duci ingratiſſima, iis, qui adferrentur, inutiliſſima eſſent, quid ſi eadem regi cuipiam præexcellenti eodem ſtudio & iudicio eodemque modo concinnata mitterentur, quonam modo, quo ſenſu & ore ſpectanda eſſent, quo animo accipienda?

Et nunc deprecamini vultum Dei, vt miſereatur noſtri (de manu enim veſtra factum eſt hoc) ſi quomodo ſuſcipiat facies veſtras, dicit Dominus exercituum.

TOTIVS inſtitutæ argumentationis concluſio atque intentio hæc eſt, qua colligitur, improborum ſacerdotum culpa & offenſione committi, vt Deus populo iratus non placetur. ſacerdos etenim populi & Dei legatus internuntiuſque eſt: cuius illud officium & munus eſt, vt oratione precibuſque & oblatis muneribus Deum populo placatum reddat, & doctrina vitæque inſtituto exemploque ſuo populum Deo gratum exhibeat & retineat. Oportet eum, qui conciliandæ gratiæ internuntium ſe præbeat, non ingratum neque inuiſum Deo eſſe. nam ſi quis culpæ, cuius auctor ipſe maximus aliis & antea fuerat, & tunc etiam cùm deprecatur, ſit, veniam impetrare ſtudeat, ſua ipſe improbitate & impudentia
Pſal. 49. Deum magis offendat quàm placet, ſicut ſcriptum eſt: Peccatori autem dixit Deus, Quare
" tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtimonium meum per os tuum? Tu verò odiſti diſci-
" plinam, & abieciſti ſermones meos retrorſum. Magnam ergo curam pietatis, magnumque diuini cultus ſtudium illis eſſe oportet, quibus populo etiam negligenti & perdito Deum placandi munus eſt legitimè mandatum: quales miniſtros ſacerdotes eſſe in ſacris libris do-
Ioel. 2. cemur, ſicut ſcriptum eſt: Inter veſtibulum & altare plorabunt ſacerdotes miniſtri Domi-
" ni, & dicent, Parce Domine populo tuo, &c. tandem ſubiungitur: Zelatus eſt Dominus terram ſuam, & pepercit populo ſuo. Atque hoc loco non de ſacrificiorum virtute, ſed de ſacrificantium probitate & gratia agitur. nam ſacrificium antiquum nullius virtutis natura ſua compos erat, ſed futuri Chriſti ſacrificij arcana vi & ſignificatione id, quod prodeſſe poterant, valebant. noſtrum verò ſacrificium natura ſua maximum atque efficaciſſimum eſt, à quocunque miniſtro, modò legitimo, id fiat, permagni non refert. neque enim miniſtri improbitas ſacrificij dignitati detrahere poteſt. Agitur autem hîc de ipſa ſacerdotum cauſa, quatenus internuntij atque interpretes inter Deum & populum ſunt. quo in genere eum qui optimus fuerit, gratiſſimum & ad impetrandum etiam magis idoneum; eum verò ingratiſſimum & minus ad placandum numen efficacem, qui improbiſſimus, aliiſque ſuo exemplo peccandi auctor atque dux extiterit. atque de hac re omni ſatis doctè à theologis diſſeritur, facili & expedita diſtinctione operis operantis & operis operati. Vt verò eò re-

deamus,vnde digreſſi ſumus,Negat Deus improbos & religionis contemptores ſacerdotes veniam eius culpæ populo impetraturos,cuius iidem ipſi auctores,principes,atque præcipuè rei facti ſunt: neque tamen tam vitium corrigere,quàm defendere & fouere ſtudeant; quippe qui deterrima quæque cum diuinæ dignitatis contemptione pro populo pietatis contemptore ſacrificare non modò non erubeſcant, ſed etiam rectè id fieri defendãt. Hæc verò totius argumentationis concluſio ironia dicta à rhetoribus figura pronuntiatur. [*Et nunc* (inquit) *deprecamini vultum Dei,vt miſereatur veſtri*] *Nunc*, illatiua particula eſt,vt igitur,apud Latinos, & ſic apud Pſaltem: Et nunc reges intelligite, &c. & apud exterum Poëtam: Pſalm.2.

Nunc agite ô ſocij, &c.

Quòd verò addit, *deprecamini,&c.* non iubendo aut permittendo, ſed irridendo magis atque deteſtando dicit. eſt enim imperatiuus modus, & apud noſtros & alienos auctores ad ironiam explicandam aptiſſimus, vt ille: Et vos domus Iſraël; Hæc dicit Dominus, Singuli Ezech.2. poſt idola veſtra ambulate, & ſeruite eis. & illud,

I nunc & ventis animam committe, &c. Iuuenalis Saty.2.

Pergite, inquit, ſi placet, pergite hoc modo deprecari faciem Dei, *vt miſereatur veſtri*, Hebraicè eſt, *& miſerebitur veſtri.*] Perſtat in ironia, ſacerdotumque orationem per mimeſim refert Vates,alluditque ad ſolennem illam precationem, qua pro populo ſacerdotes in ſacrificio vtebantur:Benedicat tibi Dominus & cuſtodiat te. oſtendat Dominus faciẽ ſuam Num.6. tibi,& miſereatur tui:conuertat vultum ſuum ad te,& det tibi pacẽ, &c. Hæc omnia vt recte,legitimè ſanctèque honeſtis ſacerdotibus curata vtiliſſima populo erant,ſicut ſcriptum eſt: Inuocabuntque nomen meum ſuper filios Iſraël, & ego benedicam eis, ita rurſus ab improbis miniſtris non purè neque ritè acta diuinam offenſionẽ concitabant magis,quàm lenirent,ſicut ſcriptum eſt:Et cùm extenderitis manus veſtras,auertam oculos meos a vo- Iſai. bis,& cùm multiplicaueritis orationem,non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt,&c. Puras namque & culpa vacantes manus eorum eſſe oportet, qui pro aliis deprecaturi eas tendunt.culpam autem quomodo redimere aliis poſſit,quam idem auctor & princeps in primis ſuſtineat? [*De manu veſtra factum eſt hoc.*] Iam,inquit, non tam populi vitium,quàm veſtrum ſcelus & crimen agitur: Vos auctores impietatis populo eſtis, manuſque, quas pro populo tenditis, vos primi pollutas ſcelere & contaminatas habetis. Igitur videmini vobis ſatis digni,quibus Deus annuat,& quæ popoſceritis, facilè concedat? [*Si quomodo ſuſcipiat facies veſtras,dicit Dominus exercituum.* Hebraicè eſt, *Num ſuſcipiet à vobis facies, dicit Dominus exercituum.*] Ex conreutione argumentatus ingratos & inuiſos Deo illos eſſe concludit. negauerat enim prius huiuſmodi munera eodem ſtudio & animo duci offerentem gratum fore,Si placuerit,inquit,ei,aut ſi ſuſceperit faciem tuam.nunc verò eundem exitum orationum,precationum & munerum à Deo exſpectari oportere ait, qui non homo, ſed Deus natura puriſſimus & omnibus rebus præſtantiſſimus;imperio verò, dignitate atque auctoritate ſuprema, imperatorum regumque omnium citra omnem comparationem longè maximus ſit;vt pote *Dominus exercituum.*] *Suſcipere facies*,eſt gratum benignumque alicui & propitium ſe exhibere,quod Hebraicè *tollere facies*, Latinè *frontem exhilarare*, dicitur. contrarium eſt huic ſententiæ, concidere, demittere, vel confundere facies: vt, Quare concidit Gen.4. facies tua: nónne ſi bene egeris, recipies? hoc eſt, reſtitutam habebis faciei hilaritatem? " Hebraicè eſt, *Tollere faciem.* quæ verò ironicωs dicta ſuperius erant, permiſſionemque ſiue iuſſionem præferre videbantur, ea aperta oratione, ſemotis figuris, continuò exponuntur, atque ſacrificia illa cum ſacrificantibus ipſis ab offenſo iratoque Deo repudiata indicantur.

Quis eſt in vobis, qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuito? non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra.

SACRIFICIA illa ab iſtiuſmodi ſacerdotibus facta,atque ab errante & vitioſo populo hoſtias præbente oblata, adeò ſibi ingrata eſſe Deus ait, adeò à vero & legitimo cultu aliena, vt conſultius eſſe dicat, omnino prætermitti & deſeri, quàm hoc modo inutiliter frequentari.neque enim hæ ſacræ res eius generis ſunt,vt conſuetudinis tantùm retinendę, ſed magis veræ animorum pietatis oſtendendæ & exercendæ cauſa & factitari, atque ideò puriſſimè & ſanctiſſimè,quatenus id præſtari ab hominibus poteſt,curari debeant.Quod ſi hac ratione neglecta,tamen in ſpecie tantùm & pietatis ſimulatione, non virtute frequententur,relinqui omnino minus inutile fuerit:quandoquidem operam ſolùm, quàm oleum ſimul perdere,ſit ſatius. Quamobrem id ſibi ingratum minus ac potius admittendum fore Deus ait,ſi quis extaret,qui templi foribus clauſis hoc ſacrificandi modo & conſuetudine ſacerdotibus interdiceret.ea verò cum ſtomachi faſtidio quodam ex rei indignitate com-

moti pronuntiata ſunt. Hebraicè ſic ad verbum legimus: *Quis etiam in vobis, & claudet fores, & non incendetis altare meum fruſtra?* &c. Chaldaicè verò ſic: *Quis etiam in vobis, & claudet fores domus ſanctuarij mei, & non offeretis ſuper altare meum munus abominationis.*] Ita vt quemadmodũ omnes eiuſdem ſententiæ, ad res diuinas prophanandas & contẽnendas, fuère, velit Deus quempiam illo conſilio extare, vt clauſis templi foribus illum ſacrificandi vſum ſuperuacaneum diceret & prohiberet: cuius ſententiam potiorem, & factum minus improbandum ſibi iudicari Deus ait, vt omnino nulla ſacrificia fierent potius, quàm & polluta & perperam factitarentur. [*Et non incendatis altare meum gratuitò.*] fruſtra & ſine vlla probabili ratione, aut vtilitate
Pſal. 36. aliqua. ſic apud Pſaltem: Odio habuerunt me gratis: &; Cùm loquebar illis, impugnabant
Pſal. 119. me gratis. Iam verò quæ reſtant, apertè loquitur Deus, ingratumque ſibi & hunc cultum & cultores ipſos eſſe declarat. [*Non eſt voluntas mihi in vobis, dicit Dominus, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra.*] huiuſmodi etenim munera non ex natura rerum ipſarum, ſed magis ex colentis animo æſtimari ſolent. pietas itaque & ſanctitas placatum hominibus propitiumque Deum efficit. quarum virtutum qui expertem ſeſe præbuerit, eundem incenſis etiam ho-
Gen. 4. „ ſtiis ingratum eſſe, ſacræ rationes arguunt. Reſpexit Deus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain autem, & ad munera eius non reſpexit. Sic hoc loco, *Quoniam, inquit, non eſt mihi voluntas in vobis:* ob eam rem, *neque munus accipiam de manu veſtra.*] *Munus* autem Hebraicè hoc in loco *minhha* vocatur. quod quanquam natura ſua neque cæcum neque claudum eſſe poſſit, vt in ſacrificiorum generibus indicatur, non tamen illud ſibi gratum fore ab illis oblatũ ait. Ob eam rem, inquit, *de manu veſtra.*] nam aliàs *minhha* gratiſſimum ſibi eſſe Deus declarauit, ſi
Horat. purè ſanctèque curetur, & vt ille canebat: *Immunis aram ſi tetigit manus Non ſumptuoſa blandior hoſtia, Mollibit auerſos penates Farre pio & ſaliente mica.* ex hoc enim genere *minhha* fuit. Duplex autem violati officij crimen Iudæorum populo & ſacerdotibus, vt auctoribus, illatum fuiſſe ſuperius vidimus: alterum quod ab iis neque Deus vt pater coleretur, neque vt Dominus obſeruaretur. Id quod facto ipſo probatum & confirmatum eſt. namque huiuſmodi cultum ſumma cum contemptione filiorum erga patrem non eſſe, atque ex conſequenti ſingularibus & conſtantiſſimis Dei in Iſraëlem beneficiis minimè reſpondere manifeſtum eſt. illud verò alterum comparatione etiam arguitur, videlicet neque ſeruorum erga dominum cultum officiúmue iſtiuſmodi dici poſſe, quando nulla orbis terrarum natio ſit, quæ Deum, tametſi non ſingularibus beneficiorum exemplis & manifeſtis rebus atque verbis, familiaritateque magna, communi tamen mundi gubernatoris & rectoris nomine à ſe cognitum non ſanctius & purius, quàm Iſraëlitæ, colat, hoſtiisque ſelectioribus & elegantioribus placandum aſſiduè curet.

Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.

HVIVS loci quanquam aperta ex verbis ipſis ſententia eſt, arcana tamen ſignificationis ratio ex verborum conſtructione obſeruanda ſubeſt, quam antiqui interpretes diligenter à ſe conſideratam, certè non ſatis explicatam reliquerunt. Reprehenderat acriter Deus ſacerdotes, quòd nomen ſuum ita cõtempſiſſent & imminuiſſent, vt quocunq. modo, quacunque hoſtia coleretur, nihil referre arbitrarentur & docerent. qua in re neque ſeruorum, neque filiorum officiũ ab illis præſtitum arguebat & repudiabat. Quàm longè autem à filiorum cultu illi abeſſent, facile oſtenſu fuit. illud verò nunc oſtẽditur, eoſdem à ſeruorum reuerentia nimium etiã diſtare, qua aduerſus ſe exhibenda omnes alias orbis nationes, quibus ſeſe Dominum, non autẽ ita manifeſtis argumentis, vt Iſraëli patrem hactenus oſtendiſſet, longè Iſraëlitis antecellere confirmat: at verò cæteras gentes non legis & diuinorum ſermonum aperta notitia, ſed tantùm rerũ naturæ contemplatione adduci, vt Deũ, quem Dominum & rectorẽ crederent, diligenter atq. attentè colerent, ſelectisq. victimis placatũ propitiumq. ſibi & vellent & curarent. Quo nomine autẽ id ab illis ſuſciperetur, Deus ipſe exponit: *Magnũ eſt nomen meum in gentibus.*] Magnitudinis ratione & definitione ſe ab illis coli teſtatur, eoq. iure etiam vehementer Iudæos vinci, quibus nomen ſuũ contemptui eſſet. itaque quanquam proprium Dei nomen gentibus eſſet ignotũ (vt Ægyptiis religionum ſiue ſuperſtitionum omnium magiſtris & auctoribus ignotum fuiſſe Pharao teſtatus eſt) quis
Exod. 5. eſt ille, inquit, vt audiam vocem eius, & dimittam Iſraël: neſcio ille, & Iſraël nõ dimittam.
„ dixeruntque, Deus Hebræorum, &c: tamen certè magni cognomen, quod natura ſua Deus habuerat, ſibi apud omnes etiam gentes, ipſis tantùm diurnis nocturnisq. viciſſitudinibus & commutationibus temporum quadripartitis & conſtantibus, pepererat, ſicut ſcriptum
Pſalm. 8. eſt: Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuũ in vniuerſa terra, &c. Quo-
„ niam videbo cælos tuos, & opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti. Satis autem momenti & ponderis hæc tanta rerum concordia, atque variorum motuum cæli

conſtantia & efficientia habuit, ad ſupremum aliquem gubernatorem & Dominum gentibus probandum, ſicut ſcriptum eſt: Cæli enarrant gloriam Dei, &c. id quod illorum ipſorum de ea re differentium ſententiis frequenter confirmatum legimus.

Et adhuc, inquit ille, *ſublimia cures?* Horat. lib. 1. Epiſt. 12.

Quæ mare compeſcant cauſæ: quid temperet annum:

Stellæ ſponte ſua, iuſſæne vagentur & errent:

Quid velit & poſſit rerum concordia diſcors, &c.

Sublimia curare dixit eum, qui rerum harum rectorem & gubernatorem, ſublimem & maximum ex actionum & motuum diſcordi concordia confiteri cogeretur. huius enim argumenti efficacia quanta eſſet, rectè exiſtimans addebat, *Quid velit & poſſit*, &c. Igitur quiſnam ille Deus eſſet, qui cætera omnia ſub ſe haberet, temperaret atque regeret, quanquam id gentes olim fugerit, quendam tamen ſummum, optimum maximumq. eſſe non latuit. *At o deorum quiſquis in cælo regis, terras & humanum genus.*] Ignotum quidē hūc deum Athenienſes appellarunt, cui aram cōſecratam Paulus vidit & probauit. quoniam verò horum omnium motuum, temporum & viciſſitudinum index, atque præcipuus adminiſter ſol eſt, cuius præſentia atque abſentia, cætera metiri & obſeruare homines poſſunt, ob eam rem Deus ſibi magnum cognomen apud omnes gentes ex ſolis ortu & occaſu partum eſſe docet. namque primus, ſupremus, acertimus & velociſſimus cælorum motus is eſt, quem ſol ſingulis diebus ab ortu ad occaſum conficiens indicat, ita vt propoſitio illa, *à ſolis ortu, &c.* duplici officio functa, & orbis terminum atq. extremum locum, vt ſolet, ſimpliciter ſignificet, & cauſam etiam rationemq́ue explicet, quamobrē Deus mundi rector magnus apud omnes gentes cognominetur. ſolet enim hic eius præpoſitionis vſus eleganter in ſacris obſeruari: vt, Dominus de Sion rugiet, & de Ieruſalem dabit vocem ſuam. quo in loco huius Hebraicæ vocis MIN, pro quo Latinè reddimus, *a, de, è, ex*, à nobis eſt indicata vis. Propterea autem arcanam orationem hanc eſſe initio docuimus; vtpote quæ eadem verborū ſimplici pronuntiatione duplicem ſimul complectitur ſententiam, magnum eſſe nomen Dei ab ortu ſolis ad occaſum; atque ortu ipſo occaſuq́ue ſolis eam diuini nominis magnitudinem probari, conſentaneum autem fuerat eodem magnitudinis nomine Deum gentibus, vt cognitum, ſic etiam cultum eſſe: neque enim quem maximum crederent & faterentur, abiectiſſimis victimis placari & coli par fuerat. ob eam itaque rem addidit, *Et in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Hebraicè ad verbūm, *Et in omni loco incenſum offerunt nomini meo, & oblatio munda.*] Sacrificia, quæ mactatis hoſtiis fiunt, incenſum; cætera verò, quæ ſale, vino, farre, oleo aliiſque ſimplicibus rebus offeruntur, oblationem vocat. atque ita inuiſa ſibi eſſe Iudæorum impura ſacrificia oſtenderat, quæ à gentium etiam ſacrificiis delectu & dignitate vincerentur: neque etiam placere illorum oblationem affirmauerat, quæ quanquam ex mundi rebus pararetur, ab impuris tamen & nominis ſui contemptoribus oblata forent, cùm etiam hac in parte gentium iudicium & officium probatius multo ſit, à quibus non minus munda oblatio offeratur, ſi rerum ſpectetur; ſi verò animi ſententia & ſtudium, multo dignior & ſanctior horum ratio, quàm Iudæorum eſſe cognoſcetur: in illis enim magnitudinis appellatio & reuerentia; in his verò contemptio & deſpicientia arguitur. hunc locum multi ex Græcis & Latinis ſcriptoribus magna pietate atque doctrina ad ſacrificium Chriſtianum corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti referunt, cuius puritas & virtus omnia Iudæorum ſacrificia, vt vmbram lux antecellit: quam rem quòd illi abundè oſtendunt, nos breuiter & ſtrictè indicamus.

Hora. epod. (beside "latuit") · Amos 1. (beside "ſeruari")

Quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. & vos polluiſtis illud, in eo quod dicitis, Menſa Domini contaminata eſt: & quod ſuperponitur, contemptibile eſt cum igne, qui illud deuorat.

TAMETSI Dei optimi maximi ſanctiſſimum arcanumq́ue nomen gentibus ignotum fuerit. agnomen tamen ſumma cum reuerentia & obſeruatione ac magnitudinis præconio ab iis pronuntiari ait, qui aliquem eſſe maximum omnium rerum & cauſarum principem Deū, cuius nutu cætera gubernarentur, ex primo illo & maximo motu cognouerant, cuius prima in motuum ratione efficientia obſeruabatur: cùm deniq. in motoribus atque in motibus ordinem eſſe oportere intellexerant, quamobrē tametſi deos alienos eſſe putarent, vnum tamen ſupremum agnoſcere neceſſe fuit, vel qui ſolus omnia, vel qui cæteros primus ipſe gubernaret: quo verò nomine is diceretur, aut quiſnam eorum, qui à gentibus pro diis colerentur, potiſſimum eſſet, ignotum iis fuit, qui eius, quem Iſraëlitæ adorarent, virtutem, efficientiam resq́. geſtas nondum cognouerant: nam quibus hæc planè cognita & perſpecta fuerunt, iis idem ſummus & magnus Deus, qui & Iſraëlitarū Deus eſt appellatus. quod ex Iethro Madianitæ principis viri confeſſione animaduertimus. Nunc, inquit,

cognoui,quòd magnus יהוה ſuper omnes deos,hoc eſt,nunc cognoui יהוה quem vos colitis,
eſſe magnũ illum,quem ſuper omnes deos neceſſarò eſſe intelligebã:quiſnam verò ille eſſet,
ignorabam.neque verò tam gentium ſacrificia ſibi grata eſſe,qua eorum mentẽ & ſtudium
multo magis,quàm Iudæorum probari Deus ait. gentes namque poſt promulgatã legem,
cùm non ex diuino pręſcripto & inſtituto,ſed ſuo ipſorum arbitrio facerent,neque rerum
naturam modum & ſignificationẽ certam,quæ in ſacrificiis obſeruari oportebat, obſer-
uare,atque ideò neque ſua ſacrificia,quatenus talia eſſent,probare Deo poterant:Iſraëlitæ
verò,quibus & rerum natura,& cultus formula, & ſacrificiorum ſignificatio certa & om-
nium denique rituum ratio pręſcripta fuerat,non gratè modò,ſed vtiliter valde facere po-
terant,ſi modò legitimè & ſanctè procurarent.permagni enim refert, an quod fit,ex diuini
conſilij ſentẽtia eſſe cognoſcatur, an ex proprio arbitrio & opinione, aut alio antiquo vſu,
ſine certa rerum & diuinæ voluntatis notitia fiat, ſicut ſcriptum eſt: Vos adoratis quod
Ioan.4. „ neſcitis;nos adoramus,quod ſcimus:quia ſalus ex Iudæis.Sed quod in gentibus ad Iudæo-
rum opprobrium & grauiſſimam reprehenſionem commendatur,illud eſt,Gentes,quibus
diuina de ſacrificiis & cultu ſui voluntas & ſententia ex certo legis præſcripto aut ex vati-
ciniorum oraculis manifeſtis nota non eſſet, eo tamen nomine quo Deum cognouiſſent,
reuererentur & obſeruarent, & quantum opinione & cogitatione aſſequi poterant, reli-
gioſè colerent.hoc eſt,ſupremi motoris & primæ cauſarum cauſæ nomine à ſolis ortu vſ-
que ad occaſum magni Dei cognomento auguſtè ſanctèq. venerarentur, ſicut in eandem
ſententiam Vates teſtatus eſt:A ſolis ortu vſque ad occaſum, laudabile nomen Domini,
Pſal 112. &c.nam quem omnium rerum maxima virtute pollere intelligerent,ſumma laude digniſ-
ſimum fateri & proſequi debuerunt. [*Et omni loco.*] in terris ſuis, in gentibus ſuis incenſum
offertur nomini meo.nõ ſibi,ſed nomini ſuo offerri dixit,hoc eſt,ei nomini, quo cognitus
à gentibus appellatusq. fuerit,colendo & adorando victimas ſtudioſè mactari.nam quæ à
Leuit.1. populo docto ex diuinæ ſententiæ decreto & præſcripto legitimè & purè fiebant, ea Deo
„ ipſi grata & accepta lex attribuit,ſicut ſcriptũ eſt:Homo,qui obtulerit ex vobis hoſtiã Do-
mino,&c.& alio loco:Si autẽ de auibus holocauſti oblatio fuerit Domino,&c: Itaq.gen-
tiũ ſacrificia ea parte probat Deus, quatenus nominis ſui magni celebrandi & colendi ſtu-
dium declarant:idq. ex eo confirmat,quòd illi nomini ita cognito ſelectũ,& quatenus re-
rum natura & ipſorum opinio ferebat,purum munus offerretur. [*Et offertur nomini meo oblatio munda.*] ex quo maximum Iudæorum ſacerdotum ſcelus arguitur, qui non ſolùm illud
nomen,quod in gentibus magnum & cultiſſimum erat,ſed illud aliud præſtantiſſimum &
arcanum nomen illis creditum, nunquam temerè vſurpandum, ſicut ſcriptum eſt: Non
aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.illud,inquam, *Dominus exercituum,*] quod maxi-
mis miſericordiæ, & ſeueris vltionis atque iudicij rationibus cognitum illis fuerat, non
modò tamen contempſiſſent,ſed pronuntiata ſententia & prophanis ſermonibus polluiſ-
ſent,affirmantes populo menſam Domini contaminatam eſſe;atque ita eſſe oportere, ne-
que quicquam referre,qualiſnam hoſtia ad eam menſam offerretur, quam Deus ipſe ſan-
guine & adipe viliſſimis & ſordidiſſimis animalis corporis partibus imbui & inſtrui vo-
luerit,& demum eas res igni abſumendas tradi iuſſerit.Sic humani ingenij ſtulta ſapientia
diſerta eſſe ſolet,vt à certo præcepto & inſtituto, atque à vera rerum ſignificatione deſciſ-
cens;diuinarum rationes rerum non ad propoſitum certumque conſilium, ſed ad propria
Iſai.30. commoda excogitata philoſophandi ſpecie interpretetur & definiat,ſicut ſcriptum eſt: Væ
„ filij deſertores,dicit Dominus,vt faceretis conſilia,& non ex me: & ordiremini telam, &
non per ſpiritum meum. [*Et quod ſuperponitur,contemptibile eſt.*] Hebraicè eſt, *Nibo*.quæ vox duo
ſignificat,videlicet primò dictum eius, deinde eius cibus: ita vt noſtræ verſionis periphra-
ſis, *quod ſuperponitur,* illam ſententiam referat, & quod Deus ipſe præcepit imponendum,
contemptibile eſt. atque hoc modo diuini verbi falsò excogitata ſententia & auctoritate
ſuum illi iudicium firmare nitebantur.ignis tamen nomen neque in Hebraico exemplari,
neq.in Chaldaica paraphraſi expreſſum eſt,ſed quòd obſcurior locus eſſet,ab interprete ex
argumentatione eſt expoſitus.namque Hebraicè eſt OCHLO,pro quo ad verbum come-
dere illud,vel comedens illud,redditur.Ignis autem ea,quæ in ara incendebantur,abſume-
bat. Atq. hoc loco non obſcurè ſignificabat Deus,quanto ſtudio & conſilio,quantaq. pie-
tate nomen ſuum Domini exercituum gentibus celebrandum,quamq. puris & gratis ho-
ſtiis colendum eſſet,vbi illis Chriſti euangelio annũtiato fuiſſet cognitum, quantoque in-
teruallo noui teſtamenti hominum pietas & religio erga Deum Iudæorum illius temporis
maximè rationibus eſſet anteponenda.ſed de his aliàs.Hactenus autem aduerſus ſacerdo-
tes:nunc deinceps aduerſus populum ipſum cauſa oratur,qui non minus malitioſè & ſce-
leſtè,quàm ſacerdotes religionis rem agebãt.illi namq. abiectiſſima & indigniſſima quæq.
ad ſa-

ad ſacrificia afferentes,tamen & verbis ornare,& fraudibus etiam diſſimulare ſtudebant:id quod illorum artem & malitiam potius, quàm imprudentiam arguebat.

Et dixiſtis, Ecce de labore: & exuſſlaſtis illud, dicit Dominus exercituum.

CALLIDITATE & diſſimulatione concepta ſcelera, generoſiſſimum & fortiſſimum quemque virum vehementius etiam, quàm ea, quæ apertè admiſſa ſunt, offendere ſolent. in his enim eius,qui concipit,audacia aut animi impotentia, in illis verò ſumma aduerſus eum,qui laceſſitus fuerit, contemptio & irriſio arguitur, ſicut ſcriptum eſt: Abominatio iuſtorum vir tortuoſus,&c.Qua ex re illud conſequitur, maximam Deo ſimpliciſſimo & rectiſſimo offenſionem ab eo concitari,qui pietatis officium malitioſa diſſimulatione prodit. Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus. Iudæi cùm optima & integerrima quæque ex pecoribus & pietatis & ſignificationis lege ad ſacrificiũ afferenda ſibi eſſe ſatis cognoſcerent, viliſſima tamen afferenda diſſimulata & arroganti oratione iactabant, aſſerentes ſe ponderoſi pecoris humeris allati moleſtia & labore vehementer fatigatos eſſe:idq́ue vt geſtu etiam confingerent,vehementer ex imis pulmonibus anhelantes,ſimulata ſpiritus anguſtia,oſtentabant. Hebraicè eſt, *Et dixiſtis, Ecce labor,*] id eſt,en quantum defeſſus ſum. [*& exuſſlaſtis illum.*] Laborem anhelitu frequenter commoto teſtati eſtis. [*Dicit Dominus exercituum,*] qui & ſimpliciſſimus atque optimus, idemq́ue ſcelerum fortiſſimus vindex eſt. Atque orationem quidem & geſtum eiuſmodi illorum eſſe, quæ allatam rem,quanquam integram & idoneam,ex faſtu tamen & iactatione faſtidio dignam ingratamq́ue redderet,nedum ſi rem ipſam,quę afferretur,deterrimã & abiectiſſimam ineptamq́ue omnino deprehendi contingeret, vt profectò deprehendebatur. Prouer.29. Pſalm.

Et intuliſtis de rapinis claudum & languidum, & intuliſtis munus. nunquid ſuſcipiam illud de manu veſtra, dicit Dominus. Hebraicè, *& intuliſtis raptum.*

ADEO, inquit,falsò afferendi pecoris labor à vobis iactatus eſt, vt non modò in afferendo,ſed neque nutriendo illo laborem vllum conſumpſeritis; quippe quòd non veſtro vobis,ſed alieno magis pauperiorum & oppreſſorum labore conſtiterit,à quibus furto,rapina,vel vi,aut calumnia vos abſtuleritis, quæ vnica ratio inuiſum atque ingratum nimis munus efficeret:ſed illud longè ingratiſſimum eſt,quòd ex rapina non optimum,ſed inutile vobis prorſus claudum & languidum inferatis, atque iniuriæ à vobis admiſſæ pœnam rebus ex iniuria partis,iiſdemq. omnino inutilibus,deprecari & redimere ſtudeatis. Quòd ſi huic ſacrificio munus etiam etiam *minha* dictum addideritis,quanquam id & naturæ ſimplicitate & vilitate facilitateq́ue ſua idoneum ad offerendum ſit, [*tamen de manu veſtra ſuſcipiam illud? dicit Dominus.*] nihil equidem minus:quandoquidem non ſolùm debitum munus, ſed id etiam, quod vltrò promiſſum eſt, ſi minus honeſtum legitimumq́ue ſit, ingratiſſimum, & ei, qui concinnauerit, infauſtiſſimum eſſe oportet.

Maledictus doloſus,qui habet in grege ſuo maſculum,& votum faciens,immolat debile Domino:quia rex magnus ego, dicit Dominus, & nomen meum horribile in gentibus.

EODEM comparationis argumento populus impietatis & cõtemptionis arguitur, quo ſacerdotes paulò antè redarguti fuerant, nullam,inquam, inter mortales omnes nationem ita barbaram,ita à communi ſenſu alienam eſſe,quæ Deum eo nomine, quo ſibi notus eſt, non maiori ſanctitate & reuerentia,quàm populus iſte,colat,à quo illum ex maiori & clariori Dei diuinarumq́ rerum notitia maximè,ſanctiſſimè,& religioſiſſimè cultũ eſſe oportuit,namque his & Dei nomen illud præſtantiſſimum creditum, & vitæ lex lata,& ſacrificiorum cultuſq́ue omnis ratio præſcripta conſtat: illis verò cùm illud tantùm ex naturæ contemplatione, atque ex ſapientum placitis & doctrina conſtet, Deum optimum maximum regem eſſe,qui cæteros omnes,quos illi deos putant, gubernet, neque ex ipſius præſcripto & decreto habeatur,quibus ritibus & ſacris coli ab ipſis velit;vtpote,qui diuina lege ad eam rem careant,ad ea tamen ſacrificia, quæ non iuſſi, ſed ſponte ſua & conceptis votis factitant,non ſelectiſſimas quaſque & ſtudioſiſſimè conquiſitas hoſtias præbere,magnum nefas ducunt,ita vt ſiniſtra, dira & vitioſa omnia illi euentura putentur. cui cùm vt ſuſceptum ſponte votum ſoluat, integra & decora victima in grege contigerit, tamen vitioſa mactetur.quippe cùm Domino regiq́ue magno non optima quæque afferre,impium nefariumq́ue eſſe credatur.etenim in illa etiam, quam falsò putabant, deorum multitudine & turba, quibus hoſtiis immolandum cuique Deo, cui maioribus, cui lactantibus. cui maribus, cui feminis, ſtudioſè & diligenter ab illis curarum & prouiſum fuiſſe conſtat, eiuſmodiq́ue horum vouentium orationes paſſim referuntur. Cicero cõtra Rullum. De Diuinat.

Horat. lib. 4. Od. 2.

Te decem tauri, totidemq; vaccæ,
Me tener ſoluet vitulus relicta
Matre, qui largis iuueneſcit herbis
In mea vota,
Fronte curuatos imitatus ignes
Tertium lunæ referentis ortum,
Quà notam duxit, niueus videri,
Cætera fuluus.

Igitur iudiciorum, conſiliorum, & factorum etiam contentione propoſita nefariè atq. impiè agere populus ille Iudæorum arguitur, qui cùm Dei maximi & arcani illius nominis notitiam, cùm legem, vitæ inſtituta, cùm ſacrorum & rituum certam diſciplinam habeat, nulla tamen magnitudinis, diuinitatis, beneficiorum atque miraculorum, nulla denique vltionum ratione deterritus numen illud ſcelerata contemptione, vel, quod grauius eſt, irriſione proſecutus, in dira & vitioſa incurrere ſit commeritus: quòd ſi nulla alia lex, qua hi damnarentur, eſſet, abundè ſatis eſſet gentium de ea re iudicium, qui Deum, quem Domini ſupremi & regis magni nomine tantùm cognouerint, non tamen optimis & ex ſingulorum generum maribus hoſtiis, etiam ex voto ſponte ſuſcepto, colere, impium nefariumq. eſſe ſtatuunt. [*Maledictus doloſus.*] deteſtandus & ſacer atque vitandus omnibus iudicatur, qui diuinas res doloſè & malitioſè agat. eiuſmodi enim illorum de hac re ſententia fuit:

Sæpe Dieſpiter
Horat. lib. 3. carm. Od. 2. *Neglectus, inceſto addidit integrum.*
Rarò antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

Iſai. 66. [*Qui habet in grege ſuo maſculum.*] *Maſculum* pro integro, abſoluto atque perfecto in ſacris ſermonibus, & in exteris etiam, vnde hæc oratio affertur, vſurpari ſolet, vt apud Iſaiã: „Antequam veniret partus eius, peperit maſculum: cùm tamen de voce Domini illo in loco agatur. & Perſius ſat. 5 Satyricus maſculã bilem dixit. Erat autem maſculum genus religioni præcipuè tributum: ex quo factum eſt, vt ad ſacros ſuffitus thura etiam ſeligerentur, quæ ob præſtantem virtutem maſcula dicebantur. Plin. lib. 12. cap. 14. Religione, inquit Plinius, tributum ne ſexus alter vſurparetur. [*Et votum faciens.*] quanquam nullis legibus teneatur, ſed tantùm voti ſponte ſuſcepti cauſa impius fraudulentusque iudicatur, [*ſi immolet debile Domino.*] Hoc loco nomen, *Domino*, non eſt redditum pro illo arcano Dei Iſraëlitis noto cæteriſque gentibus ignoto nomine, ſed ſimpliciter pro cognomine ADONAI, quod propriè dominia ſiue dominos ſignificat: ea enim ratione Deus ille ſupremus gentibus notus colebatur. [*debile.*] Hebraicè eſt, *Mashhath*, quod corruptum vitiatumque ſignificat. eſt autem verbum religioſum & in pontificũ ſermonibus vſurpatum etiam apud gentes: Latinè vitioſum dicebant: vt illud, Cicero de leg. 2. Vitioſa quæ defixerit Augur, irrita infectaque ſunto. verbum eſt integro oppoſitum. [*Quia rex magnus ego, dicit Dominus exercituum.*] Magni regis nomen ſibi apud gentes conſtare, atque id nomen auguſtè ſancteque colendum, omnique reuerentia digniſſimum haberi & prædicari, *ait Dominus exercituum.*] à Iudæis tanti nominis notitiam habentibus tamen contemptus. [*Et nomen meum horribile in gentibus.*] Verbum *horribile*, non ad odium & deteſtationem, vt Latinè ſignificare videtur, ſed ad reuerentiam, religionem & ſanctitatem, atque auguſtam & diuinam rationem eſt referendum. namque Hebraicè eſt NORAH: quod verbum ad Dei timorem & cultum religionemq. pertinet: propriè enim interpretari poſſumus, cognoſcendum & timendum. His autem rationibus timor Dei definitur, hoc eſt, cognitionis & religionis erga Deum, ſicut ſcriptum eſt: „Timor Domini eſt ſcientiæ religioſitas. atque ita propoſita ratio perorata eſt, ſeruorum etiam in Deum officium ſanctius, ſtudioſius & auguſtius apud omnes gentes, quàm apud Iudæos conſtare, quos non tam ſeruos, quàm filios pientiſſimos præbere ſeſe oportuerat.

CAPVT SECVNDVM.

E T *nunc ad vos mandatum hoc ô ſacerdotes.*

ARGVMENTO à contentione producto, ſacerdotes qui violatæ & contemptæ religionis rei præcipuè facti fuerant, conuicti correctione & officio requirendo ad bonam frugem munerisque ſui probandam curam ſeſe vt conferant, iubentur: alioqui conſtitutas negligentiæ & vitij pœnas certiſſimas daturi. Conuertitur autẽ ſermo à populo ad ſacerdotes, qui vel negligẽdæ vel ſuſcipiendæ & colendę religionis reliquo vulgo, cùm officij ſui auctoritate, tum ſermone & exẽplo auctores eſſe poſſent. atq. eos maximè huius, quo populus hactenus premebatur, argumenti ſtimulis pungi conſequitur. gentium etenim erga diuini nominis auctoritatem, dignitatem, amplitudinem & cultum nõ ſolùm officium, ſed iudicium etiam & ſanctum quoddam quaſi legis decretum præceptumque relatum fuerat, quod non modò ſermonibns, ſed actionibus ipſis publicè per totum orbem obſeruaretur: cuius illa ſententia fuit, *Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolat debile Domino, &c.* Quo quidem præcepto recitato atque officio demonſtrato, cùm populum ipſum Iudæorum, tum ſacerdotum ordinem maximè reprehenſum conuictũ & fractum iri conſequebatur. Quamobrẽ relicto populo ſacerdotes iudicij cauſa appellantur, vt ſeſe, qui tantùm gentibus omnibus ſanctitate & dignitate præcellere iactarent, vel gentium ipſarum decreto & ſententia damnatos intelligerent. [*Et nunc ad vos mandatum hoc ô ſacerdotes.*] *Et nunc*, emphaſim habet, & victoriæ atque conſtantis rationis & concluſionis vim obtinet, vt aliàs docuimus. [*vos ô ſacerdotes.*] *Vos*; inquam, appellatos atque gentiũ pręcepto & inſtituto conuictos volo: quod cùm ex naturali tantùm vi & cogitatione traditum ſit, vos, quibus tanta ſapientiæ & diuinarum rerum & rationum copia diuinitus facta, tanta muneris auctoritas adiuncta, tanta officij cura credita & iniecta fuerit, vos, inquam, maximè omnium premit. Hiſpanè in hanc ſententiam elegantiſſimè dici ſolet, *Eſſa carta os eſcrino.* Itaque non tam legibus illis iam olim præſcriptis, quàm gentium præcepto & more cum ſacerdotibus nunc agitur, vt illos iam vel gentium legibus appellatos & conuictos pigeat & pudeat.

Si nolueritis audire, & ſi nolueritis ponere ſuper cor, vt detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris: & maledicam illis: quoniam non poſuiſtis ſuper cor.

GRAVISSIMA tum pœna, tum ignominia populum omnem Iudæorum ac maximè ſacerdotes vt auctores afficiendos eſſe Deus ait, niſi vel propoſito gentiũ exẽplo reſipiſcere tandem, & renouanda inſtaurandaque religionis ratione ſapientius ſibi de cætero conſulant: niſi, inquit, vel hoc gentium præcepto, compuncti, eam nominis mei *Domini exercituum*, colendi & celebrandi rationem habueritis. quam vel gentes regij nominis mihi tributi & habent, & omni ſtudio ac diligentia curant. [*mittam in vos egeſtatem.* Hebraicè, *maledictionem.*] illam videlicet, qua à gentibus dignus eſſe iudicatur is, qui non purè, ſanctè, auguſteque nomen meum colit. Itaque vel nomini meo, quod vobis, vt clarius & illuſtrius, ſic ſanctius etiam eſſe debnit, quanquã nulla alia beneficia ſingulariter in vos conſtarent; cùm tamen plurima & illuſtriſſima conſtent, nomini, inquam, meo omnis magnus honor decernendus habendusq. eſt ſin minus id præſtiteritis, *mittam in vos maledictionem.*] omniũ rerum veſtrarum infelicem exitum eſſe ſinã, ait Deus, & quæ ea nuper vobis reſtituta & renouata rurſus per me fuerant, ciuitatis & terræ poſſeſſæ, & fructus, tẽpli maieſtas & ornamentũ, ſacrificiorum & rituũ vſus, & multa, quibus priſtina dignitas vobis iã per me reddebatur, & facta in Babylonica trãſmigratione dãna reſarciebantur, ea omnia à me deſerta abiectaque fore denuntio. [*Quoniã non poſuiſtis ſuper cor.*] *Quoniã*, inquit, non modò præceptis meis, ſed neq. ratione & ſapiẽte cogitatione, quidnã oporteret, quid maximè deceret, percipere voluiſtis. Quod Latinus ſermo rationẽ habere, cogitare, atq. in animũ inducere, idẽ Hebræus, ponere ſuper cor, dicit, vt apud Iſaiã: Et dixiſti, In ſempiternũ ero domina: non poſuiſti hæc ſuper Iſai.47.
cor tuũ, neq. recordata es nouiſſimi tui. Animaduertẽda verò hoc loco diuini iudicij ratio eſt, quòd maledictionis pœna in eos conſtituatur, qui non poſuerint ſuper cor, hoc eſt, qui Deũ, vel recta animi cogitatione cognoſcere & colere negligũt. in eos verò, à quibus pietatis officiũ ex præſcripto & pacto ſolui oportuerit, aliud etiã pœnæ genus eſt cõparatum, nimirũ ignominia & contumelia; atq. earum detractio rerũ, quæ ex rectè adminiſtrati muneris lege, præmij loco promiſſæ erant. atque ita duplicis animaduerſionis metu ſacerdotes

ad ſanitatem reuocantur;& quòd iuxta gentium iuſtiſſimum decretum infeliciſſimi futuri
ſint,niſi Dei nomen ſtudioſè colere cogitent & curent,& quòd iis, quibus ex ſingulari pro-
miſſo augendi ornandique erant,beneficiis cum ſumma ignominia ſint cawituri, niſi pro-
prio ac ſummo officio reſponderint.

Ecce ego proijciam vobis brachium, & diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolennitatum veſtrarum: & aſſumet vos ſecum.

REPVDIATIONEM & aſpernationem cùm malè oblatorum munerũ,tum ſui ipſo-
rum qui ea concinnarent, ſacerdotum cum maxima ignominia futuram minatur Deus,
niſi diligentior & accuratior officij ratio ab illis de cætero ineatur. Ea verò res commodiſ-
ſima ſimilitudine denuntiata eſt,fore videlicet,vt cùm ad Deum,vt Dominum colendum,
eiuſmodi munera attulerint,eam erga ſe illius indignationem & iracundiam experiantur,
quam improbus ſeruus importunum & ſordidum miniſterium faſtidientis Domini expe-
rire ſolet,cibo,potúue,qui indignè allatus fuerit, in ipſius faciẽ reiecto.quæ res & miniſte-
rij & miniſtri ipſius prauitate Dominũ infenſum atq. faſtidio abalienatum apertè indicat.
[*Ecce ego proijciam vobis brachium.*] Hebraicè nomen eſt ZERACH,quod ſemen & brachiũ ſi-
gnificat:atque vtramque ſignificationem hic locus habet, duplex namque earum quæ à ſa-
cerdotibus ad aram fierent,rerum genus eſſe diximus,alterum ſimplicius & natura ſua pu-
rius, *minhha* Hebræis,Latinè *munus* dictum. alterum quod communi vocabulo *korban*, à no-
bis ſacrificium appellaretur.id verò victimis mactandis conſtabat.priori quidem immola-
batur, poſteriori ſacrificabatur. Vtrumque genus ſi ab huiuſmodi improbis ſacerdotibus
aræ admoueatur,ſibi,vt iſtorum prauitate offenſo faſtiditum atque reiectum iri Deus ait,
ita vt eorum extentam manum cum patera,in qua munus eſſet,brachio & cubitu ſuo re-
pellens reiiceret:atque hoc modo munus ipſum in eos ipſos reſpergeret.Munus autem ex
ſemine frumenti puro adipe,oleo,ſale, aliquando etiam & thure concinnari ſolebat, vt in
Leuitico legimus.Itaque brachio ſuo muneris ab illis allati ſemen ſibi offenſo & increpan-
ti reiiciendum,in eoſdemque reſpergendum eſſe Deus ait, vſus etiam ad eam rem ſignifi-
candam verbo duplici, *Gagher*, quod increpare & proiicere pariter ſignificat. Increpando
reiiciam vobis brachium meum,& ſemen iſtud muneris veſtri; deinde verò cætera ſacrifi-
cia vitioſa,impura & abiectiſſima ad facies veſtras à me illiſa adhæreſcent. [*ſtercus.*] vitio-
ſas illas & contaminaras victimas contemptionis & faſtidij cauſa ſtercus nominat, ipſum-
que nomen ſubiuncta expoſitione declarat. [*Stercus ſolemnitatum veſtrarum.*] Eſt autem ge-
nus antitheti ſatis ad rem ſignificandam idoneum;vt non ſolùm in quotidianis, ſed ſolen-
nibus etiam ſacris deterrimas victimas ab illis mactari declararet, quibus ſolenniter etiam
& publicè repudiati grauiorum multo adferrent ignominiam. Locus autem hic Hebraicè
ſic legitur: *Ecce ego proijciens vobis brachium, & diſpergam ſtercus ſuper facies veſtras, ſtercus ſolemnitatum ve-
ſtrarum aſſumet vos ad ſe.*] Adhærebit,inquit,vobis magna vi iniectum:adeò macilentas & te-
nues atque impuras victimarum carnes fuiſſe ſignificat, vt alliſæ illorum faciebus adhære-
ſcerent. Hiſpano ſermone cùm huiuſmodi carnes ſignificantur, dici ſolet : *Dio me vn eſtiercol
de carne,que era para arrojarlo alas paredes.* atque ſtercus nomen ad abiectiſſimam & impuriſſi-
Cicer. de Orat. mam rem ſignificandam figurato ſermone vſurpatur. Sic Cicero ſtercus Curiæ Glauciam
dixit. Magnam verò ignominiam & contumeliam ſacerdotes his rationibus,tum compel-
latos,tum exceptos paſſuros fore intelligi ex ea re poteſt,quòd nõ iam cum illis,vt cum ſa-
cerdotibus officij negligentibus, ſed veluti cum remotiſſimis & alieniſſimis gentium alia-
rum hominibus agatur. nam ſi cum illis priſtino iure ageretur, non gentium decretis &
ſententiis,ſed ſuo ipſorũ iure & pacto eſſet agendum,hoc eſt,pacto Leui & ſacerdotij legi-
bus: quo nomine & titulo ſeſe indignos iam illi reddiderunt. itaque vel ea ratione pudere
illos oportuerat,quòd præter ſacerdotalis ordinis ſui morẽ ob ſuam ipſorum culpam com-
muniſſima lege compellarentur.

Et ſcietis, quia miſi ad vos mandatum iſtud.

HIS modis,inquit,excepti vos ô ſacerdotes tandem ſcietis præceptum iſtud ex gẽtium
placitis & ſententia datum ad vos contumeliæ cauſa iure fuiſſe demandatũ: quæ res quan-
tum vos à priſtina illa muneris veſtri conſuetudine, diſciplina & grauitate degeneraueri-
tis, oſtendit, quibus cùm digniſſimum illud & ampliſſimum Leuitarum fœdus ſumma re-
ligione fuiſſet ſancitum. hoc eſt quod ſubiungit.

Vt eſſet pactum meum cum Leui, dicit Dominus exercituum.

ARGVMENTVM ex comparatione eſt, quo ſacerdotum degeneratio ex conſequen-
tiiudicio arguitur, quod turpiſſimum ipſis fuerit commiſiſſe, vt illo gentium præcepto,

tamquam alieniſſimi quique hominum, compellarentur, quibus pactum cum ipſorum maioribus ampliſſima & celeberrima dignitatis condicione factum conſtare oportuerit. itaque illos maioribus dedecori eſſe, nefas vitiumque putandum eſt primùm: deinde illud grauius eſt, eoſdem ſibi ipſis dignitatẽ ſuam magno probro & ignominia deformaſſe. denique illud grauiſſimum non cogitaſſe, quanto cum principe ſancitum fœdus neglectum ab ipſis violatumque eſſet. [*Pactum meum cum Leui, dicit Dominus exercituum.*] Quod ad linguæ rationem attinet, prior orationis huius pars, vt eſſet, comparationem potius, quàm cauſam indicat. Hebraicè ad verbum ſic eſt: *Adeſſe pactum meum, &c.*] Latinè rectè ad vocem verti non poteſt in eadem ſignificatione, ſed hoc modo vtcunque ſententia reddi poſſit: *Cùm tamen eſſet pactum meum, &c.*] Hiſpanè commodiſſimè vertitur eodem modo, quo Hebraicè eſt: *Para ſer mi pleyteſia cum Leui, &c.* Sed apud Iſaiam aliquando, ſi Deus eò nos deduxerit, de hac orationis formula agemus. igitur quæ ſacerdotum amplitudo cùm ex maiorum ſuorum ſplendore, tum ex diuina dignitate fuiſſet, ſignificatum in propoſitione eſt; quanta verò etiam rerum & vtilitatis magnitudo, pacti ipſius expoſitione declaratur.

Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis: & dedi ei timorem; & timuit me, & à facie nominis mei pauebat.

PACTI condiciones fuiſſe dicit, vt Deus, qui primus bonorum omnium auctor eſt, Leui, hoc eſt, Aaroni & Phinees illius nepoti totius poſteritatis nomine vltro ex cæteris tribubus delectis pax & vita promiſſa & tandem præſtita fuerit. pacem autem, omnẽ veræ proſperitatis & tranquillitatis ex diuina gratia & liberalitate perceptũ fructum definimus. vitam verò æternam illam felicitatẽ & immortalitatẽ quæ iis, quibus cum miſericordiæ ſuæ diuitias maximas communicat, contingit, interpretamur. quas res & Leuiticæ tribui promiſſas & præſtitas fuiſſe in Aarone & Phinea apertè ſatis demonſtratum eſt. namque Aaron ſumma cum inuidorum & obtrectatorum ignominia ac pernicie ampliſſimis & honorificentiſſimis rebus gloriæque inſignibus adornatus, magna hominum celebritate & frequentia, illuſtri florentis virgæ miraculo eſt decoratus. quo quidem ille vitæ vſu & ſplendore ad ſummã vſq. ſenectutem fuit, ſicut ſcriptũ eſt: Excelſum fecit Aaron fratrem eius de tribu Leui: ſtatuit ei teſtamentum æternum, & dedit illi ſacerdotium gentis: Eccle. 45.
& beatificauit illum gloria, &c. quæ de illo prædicantur plurima: tandemque ſubiungitur, "
Cæterorum in terra gentes non hæreditabit, & pars non eſt illi in gente. ipſe eſt enim pars eius, & hæreditas eius, &c. Phinees verò Aaronis nepoti, quia auitæ virtutis & dignitatis hæres fuit, idem Dei iudicium, & poſteritatis omnis præconium tributum, & præclarum à ſacris ſcriptoribus teſtimonium impertitum eſt. Phinees filius Eleazari filij Aaron ſacer- Num. 25.
dotis auertit iram meam à filiis Iſraël: quia zelo meo commotus eſt contra eos, vt non ip- "
ſe perderem filios Iſraël in zelo meo. idcirco loquere ad eum: Ecce ego do ei pacem fœde- "
ris mei, &c. & erit tam ipſi, quàm ſemini eius, pactũ ſacerdotij ſempiternũ, &c. Huic autem ſacerdoti, ob vehemens & inſenſum religionis & diuini nominis ſtudium, huius etiam vitæ ætas vltra trecenteſimum annum producta fuit. eum namque concilio ab Iſraëlitis Iudic. 20.
de Beniaminitarum cauſa conuocato interfuiſſe, vel potius præfuiſſe legimus. Eo, inquit, "
tempore ibi erat arca fœderis Domini, & Phinees filius Eleazari filij Aaron præpoſitus "
domus, &c. quamobrem ſcriptum etiam de illo fuit: Phinees filius Eleazari tertius in glo- Eccle. 44.
ria eſt, imitando eum in timore Domini, & ſtare in reuerentia gentis: in bonitate & alacri- "
tate animæ ſuæ placuit Deo Iſraël. ideò ſtatuit illi teſtamentum pacis, &c. Fœderis igitur "
ſui quænam aduerſus illos ratio fuerit, ſatis clarè Deus indicauit; quæ rurſus pacti condiciones, quanquam honeſtæ illis & propoſitæ ac latæ fuerint, continuo ſubiunxit: *Et dedi ei timorem, & timuit me, & à facie nominis mei pauebat.*] Religionis colendæ condicionem à Deo datam Aaroni & Phinees diligenter acceptam fuiſſe ait. timor enim (vt aliàs docuimus) religionem in ſacris plerumque ſignificat, quem ſcientiæ religioſitatẽ Sapiẽs definiuit. quamobrẽ hic locus pulchrè à Chaldæo paraphraſte eſt explicatus: *Et dedi ei diſciplinã legis meæ: cõpleuit, & timuit à facie mea, & à facie nominis mei timuit ipſe.*] Condicionẽ ſibi propoſitã honeſtiſſimam & æquiſſimam eſſe ſacerdotes illos perſpexiſſe, ex eorum perpetuo vſu oſtenditur. [*Timuit me, & à facie nominis mei pauebat.*] Ex qua re facilè arguitur, quantum ſacerdotes hi, aduerſum quos agitur, à paterna illa virtute degenerauerint; vt pote quibus fœdus violatum condicioneſque per ſummum nefas repudiatæ fuerint. tantum enim abfuit, vt ab illis diuinum nomen timeretur, vt etiam contemptum ſit. Iam verò horum negligentia & improbitas, cum illorum ſacerdotum virtute & integritate comparata, hos illorum loco indigniſſimos arguit. etenim hi non ſolùm ſumma rerum diuinarum ignoratione, & negligentia diuinum nomen contempſiſſe, ſed aliis eiuſdem flagitij auctores fuiſſe dicuntur:

cùm tamen olim Aaron non ſibi ſoli ſapere contentus fuerit, ſed diuinarum rerum ſtudio flagrans populum etiam in religione officioque continuerit.

Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labijs eius: in pace & in æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate.

NON ſolùm ipſe ſeſe pium atque bonum virum præbuit, ſed populo doctorem ſapientem & integrum, tum diuina lege præceptiſque docendis, tum æquiſſimis & ſanctiſſimis conſiliis dandis exhibuit. [*Lex veritatis.*] Diuini iuris ſtudioſiſſimum conſultum fuiſſe hæc oratio oſtendit, vt alios pietatis rationes doceret. idque quod ipſe ex lege docebat, actionibus etiam ſuis præſtitiſſe dicitur. [*Et iniquitas non eſt inuenta in ore eius.*] Verbum *iniquitas* propriè hoc loco vſurpatur. eſt enim iniquitas cogniti iuris peruerſio & deprauatio, Hebrai-
Leuit. 19. cè GHAVLA dicta, vt illud: Nolite facere iniquitatem in iudicio, in regula, in pondere
& menſura, &c. Certat autem iniquitas hæc cũ æquitate & veritate, vt ex illo loco obſer-
Deut. 32. uatur: Deus fidelis & abſque vlla iniquitate, iuſtus & rectus. huius verò diuinæ æquitatis
imaginem moribus & actionibus conſiliisque ſuis expreſſam Deo probaſſe Aaron prædicatur. [*In pace & in æquitate ambulauit mecum.*] Hebraica verba ſignificantiſſima ſunt: quorum ſententia eſt, Summum illum ſacerdotem Aaron, vita, actionibus, munereque ſuo, ſine vlla, vel negligentia, vel perfidia, Deo hominibuſque approbantibus fuiſſe perfunctum. Verbum pax, perfectionem, ſimplicitatem, gratiam & beneuolentiam ſignificat. [*In æquitate,* Hebraicè, *in planitie & rectitudine.*] nam cùm tranſlatio ſumpta fuerit à verbo, *ambulauit*, cætera verba ad eãdem ſententiam accommodata ſunt, vt planum, ſimplicem & rectum vitæ curſum regia, aperta & certiſſima via Aaron confeciſſe, in eoque conficiendo à Dei, quem ſibi ad imitandum propoſuit, veſtigiis nunquam flexiſſe dica-
Gen. 6. tur. [*Ambulauit mecum.*] Vitæ ſuæ rationem Deo probaſſe, hoc tropo ſignificatur. vt de Noë
etiam legimus: Noë vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cũ Deo ambulauit. quantum verò ſimplicitas & æquitas Deo ſimpliciſſimo atque æquiſſimo placeat, quantum fraus, dolus, calliditas & aſtus, atque cætera, quæ humano ingenio edi ſolent, monſtra diſpliceant, ex eo perſpicitur, quòd cum illis ambulare, ab iis abhorrere dicatur. neque verò tantùm huius vitæ ſuæ fructum Aaron ſolum percepiſſe, ſed magnum etiam & vberem aliis tuliſſe narratur. [*Et multos auertit ab iniquitate.*] Cùm doctrina, ſapientia, ſtudio, opera, labore & cura, tum etiam vi & exemplo multos in officio retinuiſſet, plurimos etiam ab erroris inſania ad ſanitatem reuocatos in Dei gratiam reduxit, vt in vituli apud ſolitudinem colendi deteſtatione & diſſuaſione, atque in re à Phinees fortiſſimè & grauiſſimè ad cæterorum exemplum contra Zambri & Cozbi geſta manifeſtè oſtenditur. [*ab iniquitate.*] hoc loco verbum GHAVON eſt, quod prauitatem Latinè ſignificat, pertinet ad ea, quæ tam in priuatis moribus, quàm in publica conſuetudine atque in muneribus obeundis concipi poſſunt, vitia. itaque vocabulum latius etiam patet, quàm GAVLA: atque adeò his rebus omnibus non ſibi ſolùm, ſed omni poſteritati, ſtatuto à ſe officij exemplo, conſultum iri voluiſſe Aaron perhibetur; quippe qui nõ modò quæ priuati hominis, ſed quæ ſacerdotis partes eſſent, probè intellexerat. itaq. non minus quid poſteris agendum, quàm quid ipſe egiſſet, teſtatum reliquit. cognouerat enim non modò quanta muneris illius dignitas eſſet, ſed quanta etiam cura, quanta grauitas, quanta ſtudij, officijque ſolicitudo eſſe deberet.

Labia enim ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum eſt.

DVPLEX eius, quæ ad pietatem ſpectat, ſapientiæ pars eſt, altera in diuinarum humanarumque rerum cognitione, altera in morum actionumque componenda ratione verſatur. illam ſcientiam, hanc legem Vates nominat. Vtraque verò ex diuinis petitur libris, quæ iis, qui rectè, legitimè & ſummo cum ſtudio curauerint, diuina benignitate pro-
Iacob. 1. fectò maximè continget, ſicut ſcriptum eſt: Si quis ex vobis indiget ſapientia, poſtulet
à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. & illud: Sed in lege
Pſalm. 1. Domini volũtas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte. & erit, &c. maximè autẽ hoc
eueniet ſacerdotib. quorũ illę cumprimis partes ſunt, vt diuinæ ſapientiæ, cuius reliquo populo doctores ſeſe præbere debẽt, ſtudiis aſſiduè vacẽt, ſicut de Leuitica tribu, quã à ſacerdotib. noſtris, & imitatione referri, & perfectione ſuperari oportet, ſcriptum eſt: Per-
Deut. 33. fectio tua & doctrina tua viro ſancto tuo, quem probaſti in tentatione. hi cuſtodierunt
eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt: docebunt iudicia tua Iacob, & legẽ tuam
Iſraël, &c. Huiuſmodi etenim voluntatis ſuæ interpretes & miniſtros eſſe voluit Deus,

quorum officio præcipuè cæteri homines ad pietatem & virtutẽ inſtituti, precibus etiam & ſupplicationibus adiuuarentur. [*Quia angelus Domini exercituum eſt.*] qui vel Domini miſericordiæ commemoratione populi animos ad pietatem incendat, vel potentiæ & ſeueritatis oſtenſione ab errore & vitio deterreat. Iam verò quantã ſacerdotum ſapientia, quanta grauitas, quanta actionum & ſermonum dignitas eſſe debeat, ex eo perſpicitur, quod ſummo cum iudicio dictum eſt, *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam:*] ita vt nullum verbum illis labiis pronuntietur, quod à ſcientiæ aut legis rationibus alienum ſit: id quod cùm eorum, quibus vtiles eſſe debent, cauſa curandum eſt, populi videlicet, qui *legem requirent ex ore eius,*] tum ex eius, cuius miniſtri nuntiique ſunt, auctoritate & dignitate eſt præſtandum. [*Quia angelus Domini exercituum eſt.*] nuntius eius, qui ſumma ſapientia, ſumma miſericordia, ſumma etiam efficientia, ſeueritate, auctoritateque ſumma præditus eſt. Verbum *cuſtodire* idem hoc in loco ſignificat quod apud Latinos officio ſatisfacere, ſicut illud: Vt cuſtodiant iuſtificationes eius. & illud: Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gra- Pſalm.
dum ſuper ſtationem meam. eſtque verbum correlatiuum verbo PAKAD, quod com- Habba. 2.
mittere, præficere, mandare deponereque ſignificat, vt qui munus alicui defert, PA- "
KAD Hebraicè, Latinè commendare vel præcipere; qui verò ſuſcipit & præſtat, cuſtodire dicatur. quantum verò ab hac perenni conteſtataque maiorum ſuorum virtute & grauitate ſacerdotes ij, ad quos ſermo eſt, degenerauerint, & antea indicatum fuerat & nunc deinceps exponitur.

Vos autem receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege: irritum feciſtis pactum Leui, dicit Dominus exercituum.

ANTITHETO & comparatione ſacerdotum iſtorum mores & ſtudia, atque officij neglectio & violatio arguuntur. Leuitæ illi antiqui in pace & æquitate ambulauerant coram me, dicit Dominus: vos autem receſſiſtis de via mea. illi diligentia, cura & integritate maxima populum diuinam lęgem docentes multos ab iniquitate auerterunt: vos verò contrà, *Scandalizaſtis plurimos in lege.*] etiam iis, qui vitæ ſuæ curſum legitimè conficere ſtudebant, exemplo iudicioque iſto offenſioni grauiſſimæ fuiſtis. tantum abeſt, vt officio veſtro ſatisfeceritis, adeò vt ſancitũ olim cum Leuitis fœdus, quod in condicione manentibus perpetuum futurum erat, veſtra culpa veſtroque ſcelere violatum, à me ſit etiam rumpendum, dicit Dominus exercituum, ſcelerum ſeueriſſimus & potentiſſimus vindex. [*Irritum feciſtis pactum Leui:* Hebraicè, *violaſtis & corrupiſtis.*] Quamobrem à me etiam ita frangetur, vt quod legitimè obſeruatum vitæ & paci atque ſplendori futurum erat, nunc violatum dedecori, ignominiæ & contemptioni vobis ſit.

Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, ſicut non ſeruaſtis vias meas, & accepiſtis faciem in lege.

PRIVATORVM morum corruptio & officij etiam violatio atque negligentia ſacerdotes in populi odium, inuidiam & contemptionem præſentem etiam in hac vita pœnam ex diuini iudicij ſententia adducit. vtque hunc ordinem vitæ ac muneris integritas & ſanctitas ex Dei pacto gratum auctoritateque grauem conſeruat. ſic contrà, popularis & minus honeſtus conſuetudinis & officij vſus cõtemnendos leuesque ſacerdotes populo reddit. quæ res & antiquis & noſtri etiam ſeculi præſentibus exemplis apertior eſt, quàm vt expoſitione indigeat. atque vtinam per ſacerdotum quorundam improbitatem, & per vulgi etiam atque eorum, qui vulgus decipiunt, peruerſum iudicium nunquam committeretur, vt priuatorum vitiorum nota ordinibus ipſis iniquè, iniuſta eſſet. quæ quanquam & vulgi, & fraudulentorum vulgi ducum & magiſtrorum ſumma peruerſitas dicenda ſit, eius tamen culpæ magna pars ab iis ſuſtinetur, qui manifeſtis vitiis ac peccatis officiique proditionibus anſam ad ſe ordinemque ſuum reprehendendum dederint, ſicut ſcriptum eſt: Væ mundo à ſcandalis; neceſſe eſt enim vt veniant ſcandala: veruntamen væ homini Mat. 17.
illi, per quem ſcandalum venit. namque vt ij tantùm, qui in vitio & culpa fuerint (citra "
muneris tamen & ordinis contumeliam) contemnantur, diuino iudicio atque iure optimo euenit. Æquiſſimum enim eſt eos, qui primi dignitatem auctoritatemque ſuam abiecerint, vehementer apud cæteros imminutam ſentire. hoc eſt quod à Deo hoc loco decretum indicatur. [*Et ego dedi vos contemptibiles:* Hebraicè, *Et etiam ego dedi vos contemptos.*] Qua oratione illi priores fœdus violaſſe indicãtur, quod conſequẽti iudicio à Deo ruptum etiam ſit. id quod ex illo quoque confirmatur: *Sicut non ſeruaſtis vias meas:* Hebraicè ad verbum, *Sicut quod non cuſtodiſtis vias meas.*] Quid viæ, quid cuſtodire, ſignificet, iam expoſuimus. pertinent autem viæ ad omne cùm priuatum tum publicum officium. illud verò propriè ad muneris publici integritatem ſpectat. [*Et accepiſtis faciem in lege.*] Deus bone, quàm minimo "

labore, quanta cum dignitate, quamque aperto, expoſito & prompto modo ſacerdotes cæterique publici miniſtri grauitatem auctoritatemque ſuam apud populum obtinere, atque Deo & hominibus approbantibus tueri amplificareque poſſunt: nimirū, ſi in obeundo munere legis, iuris atque æquitatis maximam, perſonarum verò nullam rationem habeant. etenim qui ſeſe Dei miniſtrum profitetur, cæterarum omnium perſonarum ſupremam & grauiſſimam perſonam in ea re agenda ſuſtinere, cogitare debet, Dei videlicet officio faciendo, integritate & grauitate ſumma non ſe, ſed munus ipſum ornando incitari
Deut. 1. " oportuerit, ſicut ſcriptum eſt: Non accipietis vniuſcuiuſque perſonam: quia Dei iudicium
" eſt. cuius præcepti ſumma eſt, vt nullo priuato commodo ductis æquitatis tantùm & iuris ratio habeatur. quanquam enim ſumma miniſtri ipſius lenitas in communi vitæ conſuetudine maximè & requiratur & commendetur, in muneris tamen rationibus conſolidandis integritas & grauitas exigitur ſumma, ita vt nihil ſibi, ſed plurimum cauſæ ipſi conſulere oporteat. contrà verò euenit, vt dum miniſtris in rebus gerendis priuata magis commoda, quàm rerum ipſarum æquitas proponuntur, & res ipſæ prodantur, & illa nefariè expetita & comparata commoda labefactentur; dumque vel populi, vel ſummorum quorundam hominum gratia quæritur, maxima populi totius contemptio & inuidia paretur. [*Et humiles omnibus populis.*] Populis ipſis, apud quos officio prodendo ſplendidos & gratioſos vos fore cogitaueritis, veſtræ, inquam, genti, nedum alienæ contemptui & ludibrio eritis. Hebraicè, *omni populo*. Iam verò illud æquitatis atque iuris ſacerdotum vitio & culpa violati, & rerū ex perſonarū magis, quàm ex veritatis & legis ratione æſtimatarū crimen populo illatū, certiſſimo exemplo & argumento, ex grauiſſima cauſa producto, peroratur.

Nunquid non pater vnus omnium noſtrum; nunquid non Deus vnus creauit nos? quare ergo deſpicit vnuſquiſque noſtrum fratrem ſuum, violans pactum patrum veſtrorum?

DETESTABILE cumprimis ſcelus à Iudæis per ſacerdotum negligentiā & diſſimulationem admiſſum hoc loco Vates accuſat, quòd non ſolum ea parte, quæ diuinum cultum & reuerentiam ſpectat, ſed ea etiam, quæ ad communem hominum inter ſe ſocietatem pertinet, pietas omnino violata ſit. cuius demonſtrādæ rei argumentum ex caſti & legitimi matrimonij, (cuius cōiunctionis ſocietate nullum aliud inter mortales aut ſanctius aut antiquius fœdus eſt) ſublatione & contemptione colligitur. etenim quibus matrimoniorum & coniugij fides leuiſſima eſt, iiſdem nullam aliam fidei rationem grauem & conſtantem fore conſequitur. Vt autem huius flagitij magnitudo & grauitas agnoſcatur, totius rei ratio paulo altius à Vate repetita eſt. [*Nunquid non pater vnus omnium noſtrum. &c.*] Diligendi ſenſum & beneuolentiæ charitatem in hominibus à natura genitum eſſe, diuina
Gen. 2. ſententia cumprimis docet: cui humana etiam experientia ſubſcribit, ſicut ſcriptum eſt:
" Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. &, Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, &c. Primum verò & antiquiſſimum hominum inter ſe fœdus coniugij eſt, in paradiſo integris humanis rebus Dei auſpiciis atque auctoritate ſancitum, ſicut ſcriptum eſt: Quos Deus coniunxit, &c. Huius autem fœderis fidem, aliàs per ſe grauiſſimam & maximam, eo firmiorem & præſtantiorem eſſe oportet, quo maiores & grauiores neceſſitudinis cauſæ inter eos, qui paciſcuntur, intereeſſerint. duæ verò præcipuæ & maximæ coniunctæ hominū inter ſe dilectionis & charitatis cauſæ ſunt; altera eſt generis communio, quā (vt hoc verbo nobis vti liceat, quod ad pietatis rationes ſignificandas conducit) fraternitatem vocamus: altera verò religionis eiuſdē ſocietas eſt: natura enim ipſa hominē impellit primùm, vt eos, quos eadem ſecum familia, iiſdē parentibus natos nouerit, vehementer diligat: quæ charitas aut dirimi aut violari, niſi deteſtabili ſcelere, non poteſt. deinde verò vbi rationis iam & conſilij compos homo eſt, eos, quos eiuſdem religionis & cultus ſocios habet, præcipuè ſibi diligendos putat. quanquam verò hæc poſterior ratio natura ſua digniſſima ſit, illa tamen prior, quod ab ipſa natura
Ariſt. Phyſic. l. 1. genita, atque à primis infantiæ ſenſibus exercita ſit, hominibus ipſis prior eſſe videtur, vt multa alia etiam in rerum vniuerſitate ſunt, quæ cùm ſecundum in natura locum obtineant, nobis tamen prima ſeſe offerunt. Duos igitur neceſſitudinis & beneuolentiæ ſupremos gradus eſſe, alterum eiuſdem generis, alterum eiuſdē numinis atq; religionis eiuſdem communione niti oſtendimus. atque vtramque dilectionis cauſam filij Iſraël habita apud Ioſeph oratione ſignificarunt, quò beneuolentiam & charitatem neceſſitudinis ipſorum morte patris adimi non decere confirmantes, iniuriæ atque offenſionis antiquæ veniam
Gen. 50. impetrarent. namque priorē cauſam illa orationis pars continet: Obſecro vt obliuiſcaris
" ſceleris fratrum tuorum, & peccati ac malitiæ, quam exercuerunt in te. poſteriorē verò illa, Nos quoq; oramus, vt ſeruis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Ita fraternitatis

& erga eundem Deum ſeruitutis ſiue cultus commemoratione omnem ſummæ charitatis
rationem in illa oratione complexi ſunt. vtraque hæc res ad Chriſtianæ religionis fraternam neceſſitudinem, explicandam plurimum & myſterij & dignitatis habet. qua de re nos aliàs, Deo annuente, dicemus. nunc enim huius loci tantùm explicationi breuiter conſulere cogitamus. Igitur Deus eum populum, cui religionis myſteria tenẽda, & cæteris gentibus enuntianda credere decreuerat, arctiſſima gratia & charitatis neceſſitudine coniunctum voluit, quòd veræ pietatis rationes inter eos maximè conſeruentur, qui concordia & dilectione coniunctiſſimi ſint. quamobrem eos non tantùm vnius Dei notitia & cultu, ſed vnius generis & ſanguinis (quæ multum valet) communione iunxit. omnes itaque ex vno primum parente Abrahamo propagauit, ex cuius familia omni Iſaac vnus, in quo ſemen vocaretur, delectus eſt. ex huius autem geminis natis alter tantum Iacob ſingulariter ad eam rem eſt appellatus: cui quanquam plures fuerint filij, omnes tamen vnius domus eiuſdemque familiæ fuerunt, eodemq́. Iſraëlis nomine ſunt appellati. nam tametſi Iſaac duobus, Abrahã verò pluribus filiis aucti fuerint, tamen quòd magni myſterij res hæc eſſet, vnius tantum in ſingulis his patribus habita ratio eſt. de Abraham etenim ſcriptum eſt: Vnum vocaui eum, &c. de Iſaac verò: In Iſaac vocabitur tibi ſemen, &c. de Iacob autem, cui plures filij, vnius verò familiæ & nomen & ius futurum eſſet, Non vocaberis, inquit, vltra Iacob, ſed Iſraël erit nomen tuum. Appellauitque eum Iſraël, dixitque ei: Ego Deus omnipotens, creſce & multiplicare. Gentes & populi nationum ex te erunt, & reges de lumbis tuis egredientur: terramque, quam dedi Abraham & Iſaac, dabo tibi & ſemini tuo poſt te, &c. Hæc verò omnia myſteria illo Balaami vaticinio ſignificata ſunt, à quo Iſraëliticus populus, & ex antiquis patribus ortus, & in vnius Iſraëlis familia & gente omnis cẽſeri decantatus eſt. De ſummis ſilicibus videbo eum, hoc de patribus dictum eſt: & de collibus conſiderabo illum, hoc de matribus quatuor Iacobi vxoribus dicitur. deinde verò illud additum eſt, quo populus vnus fore cognoſceretur: Populus ſolus habitabit, & inter gentes non computabitur. Diuini itaque conſilij efficiendi, & maximi illius ad futura euangelij tempora pertinentis arcani cauſa, vt Iſraël vnus populus vnaque familia eſſet, ex diuino decreto fuerat conſtitutum cautumque, ne exterarum nuptiarum confuſione, & ſacra perturbarentur, & gens ipſa contaminaretur. hunc enim & vnionis & charitatis, & eiuſdem religionis conſeruatum ſtatum ſumma quædã familiæ & gentis illius propagatio & felicitas (quam benedictionem ſcriptura nominat) conſecutura fore eodem vaticinio indicatur. Quis numerare poſſit puluerem Iacob, & numerum ſtirpis Iſraël? Neque verò genti ipſi in vniuerſum hanc ſtirpis & familiæ ſuæ neceſſitudinem ſimplicem incorruptamque coli, ſed miniſtris etiam ipſis ſacrorum ſanctè obſeruari voluit, vt illa generis coniunctio amorem magis conciliaret, & ſtudiorum atque voluntatum concordia virtutum etiam conſenſum, & conſpirationem magnas vtilitates allaturam conflaret, ſicut ſcriptum eſt; Ecce quàm bonum & quàm iucundũ habitare fratres in vnum, &c. Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem & vitam, &c. Quamobrem ad ſacrarum rerũ adminiſtrationẽ vna tantùm Leuitica tribus optata eſt, quæ pro cęterarũ tribuum primogenitis officio fungeretur: ex eadem verò tribu vna Aaronis poſteritas, quæ ſacerdotiis præeſſet, eſt electa. adeò namque vnus idemque ſimpliciſſimus Deus ſimplicitate & vnitate delectatur, vt iis ſeſe libentiſſimè inſinuet, qui charitatis & dilectionis neceſſitudine honeſta fuerant coniunctiſſimi. Illud itaque ſemper omni ſtudio iis curandum fuerit, qui diuinæ felicitatis participes eſſe expetiuerint, vt ſicut vnus Deus, vnus etiam populus ac potius vnum omnes corpus, vna anima ſint. Hanc legem perpetuam populo eſſe, hanc à ſacerdotibus & diuinarum rerum doctoribus aſſiduè promulgari atq. recitari oportuerit, quę ferè in omnium tum prophetarum, tum apoſtolorum orationibus & ſermonibus perpetua eſt. Ex his autem, quæ à nobis de amicitiæ, charitatis & neceſſitudinis ratione diſerta ſunt, criminis à Vate noſtro perorati argumentũ ſatis apertè explicatur: cuius illa ſententia eſt, Sacerdotes illos ius & fas omne deleuiſſe, qui legitimi matrimonij ſanctitatem inceſtis & prophanis connubiis & ipſi violarent, & à cæteris violari paterentur. namq. id iam publicè admiſſum fuerat, vt pręter legitimas vxores atq. ex ſua gente ductas, honeſtaſque feminas, aliæ etiam eæque exteræ ex gentibus appeterentur. qua in re non modò diuina lex, qua, vt ne id fieret, cautum erat, ſed maximarum etiam neceſſitudinũ charitatiſque iura, & omnis iuriſiurandi & religionis fides violabatur. [*Nunquid non pater vnus omnium noſtrum?*] Iacobum ſignificat, cuius poſteritas omnis Iſraëlis filij eſt appellata. hæc altera neceſſitudinis & charitatis ratio ex fraternitate, illa verò ex religionis communione petitur. [*Nunquid non Deus vnus creauit nos?*] vt non modò vnius Dei, ſed creatoris & gubernatoris communis notitiã ab illis acceptam requireret, qui cùm ſe & ex vno patre ortos & ab vno Deo

Iſai 51.
Gen. 21.
Gen. 35.
Num. 23.
Num. 23.

delectos conſtitutoſq. agnoſcerent, charitatem erga vxores maximè colere debebãt, quas
eiuſdem, tum familiæ, tum religionis; ideoque ſibi coniunctiſſimas eſſe ſcirent. atq. verbũ
creauit, hoc loco propria magis & Latinæ ſimili ſignificatione vſurpatur, quàm cõmuni illa,
qua Deus rerum omnium à principio creator dicitur. eſt enim elegantiſſimus etiam hu-
ius vocis vſus in ſacris, cùm de noua aliqua & arcana rerum inſtitutione agitur, vt illud:
Ierem. 31. Quia creauit Dominus nouum ſuper terram: Femina circundabit virum, &c. Hac ſignifi-
catione is, qui antea Iacob dicebatur, vbi ad arcanam ſacrorum myſteriorum fidem, atque
ad religionis dignitatem & ſingularem illam amplitudinem ex diuini conſilij gratia dedu-
ctus Iſraëliſque nomine appellatus fuit, creatus à Deo eſſe dicitur; ſicut ſcriptum eſt: Et
Iſai. 45. nunc hæc dicit Dominus creans te Iacob & formans te Iſraël, &c. Non aliena ab hoc ge-
nere ſententia Latini, creare imperium, prætorem & magiſtratum dicunt: & Romulum
Cicer. ad Atticum. vrbis creatorem appellãt. vt etiam apud noſtros de Ieroſolymis ſcriptum extat: Quia ecce
Cæſaris comment. ego creo Ieruſalem, &c. nam ſi de communi illa rerum & hominum creatione omniũ ex-
ponatur verbum, nulla culpæ reprælienſio, nulla violati iuris & charitatis vituperatio eſſe
Cicer. pro Cor. videretur: neque crimini Iudæo homini dandum, quòd vxorem ex aliena gente duceret,
Iſai. 65. quam ex eo etiam amandam putaret, quòd ad communem creatorem Deum referendam
eſſe certò ſciret. Itaque de ſingulari creatione & adoptione hîc agitur: cuius neceſſitudo
& charitatis ratio atque officium illis præcipuè deberetur, qui in eadem & familia & reli-
gione cenſerentur, iiſdemque creatoris & inſtitutoris legibus & præceptis imbuti eſſent.
quæ ratio, quoniam neglecta fuerat, grauiſſimo crimini huiuſmodi argumentatione à Va-
te datur. [*Quare ergo deſpicit vnuſquiſque fratrem ſuum violans pactum patrum veſtrorum*, Hebraicè, *no-
ſtrorum.*] Oratio hæc officij omnis à Iudæis cum religionis violatione proditi expoſtulatio-
nem habet: quę rerum deinde & perſonarum locorumque circunſtantiis amplificatur. pri-
mùm enim prius illud neceſſitudinis & charitatis ius violatum oſtenditur, quòd vnuſquiſ-
que fratrem ſuum deſpiciat, hoc eſt, quòd vir vxorem ſuam ſibi generis neceſſitudine con-
iunctiſſimam indignis modis tractatam vexet. In ſacrorum ſermonum vſu & conſuetudi-
ne poſitum eſt, vt omnes tam viri, quàm feminæ, perinde atque homines dicuntur, ita
etiam fratres appellentur. Hebraicum idem vtrique ſexui ac tantùm generis nota diſtin-
ctum nomen eſt. Græci ac Latini varia in vtroque genere nomina vſurpant, quæ tamen
Iacob. 1. apud noſtros vna fratris appellatione ſignificantur; vt apud Iacobum: Omne gaudiũ exi-
ſtimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis, &c. Deinde verò altera illa reli-
gionis coniunctio, quam ſanctiſſimam & maximè obſeruatam, omnique charitatis offi-
cio cultam eſſe oportuit, labefactata & perfracta ſignificatur. [*Violãs pactum patrum noſtrorum.*]
fuerat autem pactum patrum, vt omnibus illis illorumque poſteritati vnus tantùm Deus
& cognoſceretur & coleretur, vniuſque populus vni Deo conſecratus addictuſque eſſet.
Matth. 4. Dominum, inquit, Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Eſt autẽ poſtulatio fidei vio-
latæ: quod crimen Latinus interpres illis verbis indicauit, *deſpicere & violare.* Deſpicere He-
braicè eſt BAGHAD, Latinè præuaricari & deficere ſignificat, vt apud Ieremiam: Omnes
Thren. 2. amici ſpreuerunt eam, & facti ſunt inimici. Atq. ita interpretatur Chaldæus paraphraſtes,
Mentitus eſt vir in fratre ſuo, &c. illatum verò crimen ſubiuncta expoſitione à Vate agitur.

2. *Tranſgreſſus eſt Iuda; & abominatio facta eſt in Iſraël, & in Ieruſalem: quia contaminauit Iudas ſancti-
ficationem Domini, quam dilexit, & habuit filiam Dei alieni.*

FACTI indignitas & turpitudo verborum & perſonarum collationibus augetur: quòd
Iudas, qui confitentis & fidelis nomen habet, tranſgreſſus & præuaricatus, & à Deo & ab
officio & charitate deſecerit. nam verbum *Tranſgreſſus*, idem eſt, quod in proximo verſu, *de-
ſpicit*, eodémque modo Chaldaicè redditur, *mentitus eſt*. Fuit autem Iudæ defectio, quòd alie-
ni ſanguinis, connubiorum & affinitatum participes illi eſſe voluerint. [*Abominatio facta eſt
in Iſraël.*] qui cùm potentem cum Deo ſeſe cognominet, generis ſui ſanctitatem alienorum
deorum filiabus ductis polluerunt. Eſt enim abominatio idẽ, quod nefas atque probrum,
cùm videlicet ea admittuntur, quæ per ius atque fas, per antiquum inſtitutum, per legum
Gen. 46. atque morum conſuetudinem minimè decent, vt illud: Quia abominatio Ægyptiis om-
nis paſtor, &c. atque in hac ratione commiſcendi ſe minis frequentiſſimè verba hæc, ab-
ominatio & abominari, vſurpantur, vbi, ne quid præter ius aut fas fiat, cauetur; vt in Le-
Leuit. 18. uitico aliiſque in locis: Omnis anima, quæ fecerit de abominationibus his quippiã, peribit
de medio populi ſui: quia abominatio eſt. loci autem dignitas & ſanctitudo, pernicioſo cę-
teris exemplo, violatæ culpam auget. [*Et in Ieruſalem,*] vrbe regia, & principe, vnde vel ho-
neſtatis imitatio, vel vitij & malorum contagiones profectæ latiùs manare poſſunt. [*Quia
contaminauit Iudas ſanctificationem Domini.*] Verùmque charitatis rationem & integritatem a

Iuda corruptã eſſe dicit, vbi coniugij lex, quæ cum generis ſui feminis inſtituta, atque à Deo ſancita firmataque, & ab ipſo libenter & ſtudioſè olim accepta, tamen nunc iam adiunctis alienis vxoribus & alieni Dei filiabus conculcata fuerit. atque hoc modo non ſolùm coniugij fœdus, ſed Dei vnius colendi pactum violatum eſt, adductis domum vxoribus iis, quæ alienos Deos patres ſibi creditos, & a ſe, & à viris ſuis, maximè autem à filiis colendos putent & curent. Habent omnia verba pondus & ſignificationem grauiſſimam. [*Sanctitate Domini, quam amauit filia Dei alieni.*] quæ omnia à nobis indicantur magis, quàm explicantur. quàm demum grauis huiuſmodi culpam conſequens pœna expectãda eſſet, ſubiuncta ſententia exponitur.

Diſperdet Dominus virum, qui fecerit hoc, magiſtrum & diſcipulum de tabernaculo Iacob, & offerentem munus Domino exercituum.

MERITO is à ſocietate repulſus ſeiungitur, qui ſocietatem labefactat. Deus domum Iſraël ita ſimplicem integramque eſſe voluerat, ita vnum illius populum fore curauerat, vt tabernaculi nomine ſæpe appellauerit. eſt enim tabernaculum omnium, quæ ad cohabitandũ conſtrui ſolent, domiciliorum ſimpliciſſimum, & quod non perinde atque ædes pluribus partibus, cubiculis, conclauibus, veſtibulis, atriis areiſque diuiſum, ſed vno tantùm velo contentum, vno etiam plerumque malo fultum. cuiuſmodi tabernacula qui habitent, eos mutua charitate, iiſdem ſtudiis, iiſdem religionis legibus coniunctiſſimè teneri oportuerit; vtpote qui ab eadem conſuetudine atque omni vitæ communione ob loci ſimplicis vſum ſeparari non poſſunt. hæc verò omnis populi vnius domus, atque adeò vnius tabernaculi ratio, cum vnius Domini exercituum notitia, religione & cultu ſimplici mirificè conueniebat. quicunque verò vtriuſuis rei integritatem violauerit, indignũ profectò ſeſe illius fructu & vſu reddet, nedum ſi vtriuſque fœderis iura corruperit; ſiue is ſacerdos, ſiue alius quiſpiam ex cæteris populi ordinibus fuerit. [*Diſperdet Dominus*, Hebraicè *excindet*] vt illud ſæpe in Lege repetitum: Et excindetur anima illa de populo ſuo, & peribit anima illa de cœtu, &c. [*Virum qui fecerit hoc.*] Abſoluta & ſine vlla exceptione ſententia eſt. [*Magiſtrum & diſcipulum.*] Hæc interpretatio ab interprete noſtro ex Hebræis expoſitionibus aſſumpta videtur, magis ad ſignificationem, quàm ad vocem ipſam redditis verbis. Hebraicum enim exemplar ad verbum ſic habet: *Excitantem & reſpondentem:*] quod nobis illud ſignificat, nullum videlicet hominem ex iis, qui ſeſe prophanis huiuſmodi coniugiis contaminauerit, pœnam effugiturum: neque vllum etiam ex illorum familia ſuperſtitem futurum. excitare enim & reſpondere, viuentium eſt. nam qui dormiunt, excitati reſpondere poſſunt; qui verò mortui ſunt, neque excitari, neque excitantibus valent reſpondere. Vacuas igitur & inanes hominum iſtorum domos relictum iri ſignificat, quarum fores nemo foris veniens pulſet, neque intus prodiens pulſanti aperiat. Hiſpanè ſic; *Ni quede quien llame ni quien reſponda.* Vulgatæ autem verſionis ſententia aperta eſt, vt eadem pœna & populo & ſacerdotibus ac legis interpretibus, quos populus auctores habuerit, decernatur. ſed quæ ſacerdotes propriè ſpectat, illa ſententiæ pars eſt. [*Offerentem munus Domino exercituum.*] Nam neque ſacerdotes etiam ipſos hac culpâ abſtinuiſſe, teſtis eſt Eſdras, cuius grauiſſimæ hac de re actiones ſupplicationeſque extant. Hunc locũ ſic Chaldæus paraphraſtes exponit: *Exterminabit Dominus virum, qui facit eam filium & filium filij de vrbibus Iacob, & ſi ſacerdos ipſe, non erit illi offerens oblationes in domo ſanctuarij Dei Sebaoth.*] Quoniam autem admiſſo prophanorum coniugiorum ſceleri illud etiam flagitium acceſſerat, vt exteræ & à proprio genere & cultu alienæ mulieres vehementiſſimè & ſtudioſiſſimè etiam cum ſumma religionis & legitimarum vxorum contumelia amarentur, huiuſmodi etiam improbitatem & iniuriam maximam acerbè Vates inſectatur.

Gen. 17.
Exod. 12.

Et hoc rurſum feciſtis, Operiebatis lachrymis altare Domini fletu & mugitu, ita vt non reſpiciam vltrà ſacrificium, neque accipiam placabile quid de manu veſtra.

NEFARIO violatæ tum charitatis, tum religionis & fidei flagitio iniuriam publicè priuatèque additam accuſat. iam enim illud primum ſcelus maximum fuerat, generis integritatem & neceſſitudinem, deinde religionis propriæ ſanctitatem prophanis connubiis violando, ſuperſtitionem aliarum gentium vnàcum vxoribus admiſiſſe: at verò & præter hoc etiam, honeſtas & pias legitimaſque vxores Iſraëlitas ſumma iniuria afficere. id profectò indigniſſimũ facinus & ſeueriſſimè vindicandũ fuerit, quodque Deum ab hominibus adeò abalienet, vt neque cultui, neque ſacrificiis adeſſe placatum ſinat. [*Et hoc rurſum feciſtis;* Hebraicè, *Et hoc ſecundo feciſtis.*] Contentum ſceleris ſuſcipiẽdi ſtudium, conſilium & voluntatẽ illud maximè arguit & confirmat, quòd non ſimpliciter, ſed multipliciter peccarũ ſit.

Dei à nobis abalienandi duplex cauſa eſſe poteſt;altera fœderis de religione ſanciti violatio; altera officij erga homines neglectio. Vtrauis autem ſeorſum id efficere poteſt, nedum vtraque ſimul efficiat.quòd ſi ad earum rerum cumulum iniuriarum etiam in fratres ſtudium acceſſerit, ea res profectò fraudis, improbitatis, malitiæque pondus maximum ad Dei voluntatem alienandam habet, ſicut ſcriptum eſt: Et cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam. manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt, &c. [*operiebatis lachrymis altare Domini.*] Muliebris luctus miſerabiliter ſatis deſcribitur, qui virorum ipſorum culpa & iniuria grauiſſimus & aſſiduus accidiſſe ſignificatur. vehementem enim eum dolorem eſſe oportuit, qui tantum lachrymarum effundere cogeret, vt illis altare, ad quod miſeris ſubſidij cauſa confugeretur, eſſet omnino opertum; deinde etiam lamenta, ſingultus atque eiulatus, imò & mugitus conſequerentur, quibus grauiſſimus animi mœror, atque maxima ex accepta iniuria anxietas declararetur. Cùm verò mundam omni macula omniq. iniuria vacantem, denique omnino puram ſibi aram & ſacrari & conſeruari Deus voluerit, ita vt neque lapides ipſos ferro incidi paſſus ſit, ingratiſſimam illam ſibi fore conſequitur, quæ lachrymis, ſingultibus, lamentiſque miſerorum oppleta ſit. his accedūt voces illæ miſerabiles vlulantium & gementium, quibus ſacrificantium cantus & preces interturbatæ, quo minus à Deo exaudiantur, impediri ſolent. atqui oppreſſorum & calamitoſorum lachrymis & lamentis commoueri ſe & dolere teſtatur Deus, offendi autem non ipſis, ſed eorum, qui in cauſa fuerint, culpa. ob eamque rem ait, *Operiebatis lachrymis.*] non ij qui flent, ſed ij, qui flere coëgerint, arguuntur. [*Altare Domini.*] Omnem humani officij & pietatis atque præſidij ſpem illis negatam ſignificat, quibus vnica diuinæ fidei implorandæ ratio relicta eſſet. eſt enim ſummæ oppreſſionis ſignum, cùm miſeri & iniuria affecti ad aras plorabundi & lamentabundi confugiunt, vt quæ nullū iā in hominum conſiliis, auxiliis, nullum in magiſtratibus atque iudicibus principibusque ſuis contra iniuriam præſidium, nullum propugnaculum habeant, ſicut ſcriptum eſt: Exſpectauit vt faceret iudicium, & ecce iniquitas; &
Iſa. 5 " iuſtitiā, & ecce clamor. [*Neque accipiam placabile quid de manu veſtra. Hebraicè, non etiam reſpicere ad manum, & accipere voluntarium de manu veſtra.*] Hæc verborum figurata negatio illorum ſacrificia & munera Deo ingrata eſſe ſignificat: namque accipere voluntarium, idem eſt, quod gratum ratumque habere. At verò cùm eam illi culpā improbitate & impudentia magis, quàm cauſa aliqua à ſe deriuare niterentur, manifeſta & grauiſſima redargutione ſuſtinere conuincuntur.

Et dixiſtis, Quam ob cauſam?

MVLIERVM fletum, lachrymas & lamēta natūræ ipſarum importunitati & infirmitati potius, quàm illatis à ſe iniuriis aſſcribere hominū improbitas contendebat, quòd feminæ ad fletus & lamenta, vel nulla, vel exigua, vel ficta & falſa cauſa promptiſſimæ ſint.

Iuuen. ſat. 6.

Vberibus ſemper lachrymis, ſemperq; paratis
In ſtatione ſua, atque exſpectantibus illam,
Quo iubeat manare modo, &c.

Sic humana calliditas priuatas cauſas communibus argumentis inuerſas in alios transferre ſolet. Verùm enimuero has feminarum lachrymas non inanes, ſed grauiſſimis iniuriis expreſſas eſſe, Deus ipſe teſtatur, cuius ſola iudicij fides incorrupta & ſancta ſemper eſt. namque vt iam nullum, neque in cauſæ honeſtate, neque in hominum officiis, neque in iudicibus, neq. in ſacerdotibus, neq. in aliis magiſtratibus præſidium reliquū fuerit, illa tamē diuinæ auctoritatis integritas & ſanctitas perpetua ſupereſt, cuius vnius vel iudicium, vel teſtimonium in omni in formanda atque tractanda cauſa omnino valet.

Quia Dominus teſtificatus eſt inter te & vxorem pubertatis tuæ, quam tu deſpexiſti: & hæc particeps tua & vxor fœderis tui.

MVLIERES cæteris auxiliis omnibus expoliatas ad vnicam Dei fidem, quam ſanctiſſimam & integerrimam ſemperque conſtantem eſſe manifeſtum eſt, confugiſſe, eamque certam vt omnes alij, miſeri & afflicti expertas eſſe, locus hic indicat. quanquā enim mulierum cauſa cæteris omnibus leuis aut falſa exiſtimetur, à Domino tamen ſapientiſſimo & miſericordiſſimo integerrimoque teſte iuſtiſſima & grauiſſima eſſe cōfirmatur. ille enim multorum inter virum & vxorem fœderum ſe auſpice ſancitorum grauiſſimorumque à viris erga vxores debitorum teſtis citatis iniuriarum teſtimonium contra viros dicit. atque primùm quidem coniugij fœdus inter te & vxorem ſe præſente atque inuocato actum, ictum & ſancitum, nominiſque ſui inſcriptione conſcriptum, & obſignatū teſtatur; deinde illam tibi delectam, gratam, iucundam atque ſuauem cùm forma, tum cęteris iuuentæ

& coniugij fructibus fuiſſe ait, quando tu iuuenis illam puellam duxeris. neque enim nouum aut recens debiti veſtri nomen eſt, neque ita obſcurum, vt negari aut leue videri poſſit; quinimo antiquum vetuſque eſt, ab adoleſcentia veſtra factum. [*Vxorem pubertatis tuæ.*] Hoc tu nomen nulla cauſa, nullo iure corruptũ expunxiſti. nihil etenim ab vxore, *quam tu deſpexiſti,*] commiſſum eſt; quamobrem fidei & fœderis mutui ius violari aliqua, vel iniqua cauſa poſſet. ſiquidem illa ſemper in officio & tuis obſequiis, & fœderis me præſente ſanciti legibus aſtricta permanſit. hoc eſt, quod dicitur: *Et hæc particeps tua, & vxor fœderis tui,* quam tamen, *tu vir deſpexiſti.* Hebraicè eſt, *fraudaſti.* Chaldaicè *mẽtitus fuiſti.* [*particeps tua,* generis neceſſitudine vitæque ſocietate coniuncta, *& vxor fœderis tui,*] quæ fœderis legitimè, me teſte, initi religionem obſeruat: ita vt domi tuæ etiam aſperrimè tractata, fidelis tamen perſeueret. Hoc autem ſcelus cùm ab vno ſuſceptum, omnibus nominibus improbandũ deteſtandumque fuerit, tum verò maximè exagitandum & vindicandum eſſe Deus ait, quòd publicè & nulla vel iniqua rationis ſpecie, ſed ſola impietate & libidine ſit à pluribus admiſſum.

Nonne vnus fecit, & reſiduum ſpiritus eius eſt? & quid vnus quærit niſi ſemen Dei?

AD huius loci explicationem à quibuſdam Adam primus, ab aliis verò Abraham eſt appellatus; quorum cùm neutrum nomen, neque veſtigium quidem in ipſa lectione extet, nos mentionem etiam hoc loco venerati, ad ſententiæ tamen argumentum, vt non neceſſariam intermittemus, locumque ipſum facilius obtinebimus, Hebraicorum tantum verborum ſimplicitatem ſecuti. Sic igitur ad verbum Hebraicè, *Et non vnus fecit, & reſiduum ſpiritus illi: & quid vnus ille quærens ſemen Dei.*] Commune vitium, imò commune omniũ flagitium illud eſſe ait, quodque nullo alio, quàm libidinis nomine interpretandum ſit. neque enim, inquit, dici poteſt vnum quempiam priuato vitio & errore, vel ſingulari audacia hoc feciſſe, non inquam vnum tantum hoc conſciuiſſe facinus, reliquos verò à libidine & iniuria continentes meliori & ſapientiori mente fuiſſe. hoc eſt, *Et reſiduum ſpiritus illi.*] Spiritum pro mente, conſilio, iudicioque hoc loco, vt ſæpe aliàs, vſurpatur. vt: Neque remanſit in Joſu 2.
eis ſpiritus. & illud: Et conuertit ſpiritum regis, hoc eſt conſilium & propoſitum. neque Eſther 15.
verò ſi vni tantum admiſſum facinus fuiſſet, ab aliis vlla ratione ferendum, nedum exprimendum imitatione foret, quòd nulla neque ſimulata rationis ſpecie excuſationem habere poſſet. nam quo conſilio, qua ratione, qua oratione vel vnus quiſpiam è populo alienas feminas à ſe expetitas probare poſſet? profectò nihil excogitare valeat, quo peccatum excuſet ſuum, niſi illud fortaſſe non modò ineptè, ſed impudenter & nefariè prætendat conſilium, ſe ex vxoribus illis ductis ſobolem propagare ſanctã & religioſam cupiiſſe, quæ aliàs prophana & impia futura eſſet, ſi gentilibus etiam patribus propagaretur. Huiuſmodi autem ſummæ ſtultitiæ excuſatione quicunque vti ſtuderet, ſummæ improbitatis odium ſibi potius, quàm veniam conciliaret. nam præterquam quòd ſpem maleficij præſentis in honeſto euentu collocare nefas fuerit, cùm id & diuina omnia iura, & humanæ neceſſitudinis ratio vetarent, euentus etiam ipſe huiuſmodi conſilij rationem redarguere & refellere ſatis poteſt: quippe cùm ab eiuſcemodi variæ religionis parentibus improbiſſimi euadant impiæ aut ſuperſtitioſæ matris diſciplina educati. cuius rei non vnum, ſed innumera cùm ex communi vitæ exemplo, tum in ſacris libris & hiſtoriis teſtimonia dari poſſunt. fere enim regum omnium improborum & impiorum vitia maternæ educationi aſſcribi ſolent, vt de Ochoſia Achabi filio ſcriptum eſt: Et fecit malum in conſpectu 3.Reg.22.
" Domini, & ambulauit in via patris ſui & matris ſuæ, &c. cuius etiam argumenti illa apud
" Ieremiam ſententia eſt: Et mittam te & matrem tuam, quæ genuit te, in terram alienam Ierem 22.
" &c. Itaque huiuſmodi ineptæ nuptiæ non matrimonij dignitatis, nõ prolis, ſed libidinis cauſa coniunctæ arguuntur. eæque in vno etiam, nedum in pluribus damnandæ ſunt. hęc illius oratione ſimplex ſententia eſt. [*Et quid vnus ille quærens? ſemen Dei.*] hoc eſt, quærit num ille fortaſſe religionem hoc modo dilatare, prolemque Deo gratam propagare & pro filiis hominum ſufficere filios Dei poſſit? nihil minus profectò aut efficitur, aut quæritur hoc modo, niſi fortè ad religioſos & pios liberos ſuſcipiendos alienæ mulieres propriis & neceſſariis, atque genere & diſciplinæ ſocietate coniunctiſſimis, item prophanæ nuptiæ legitimis & ſacris anteponantur: quod quanquam ſine vllius iniuria fieret, iniquum tamen & indignum vehementer, atque ab omni ſpiritu & recta cogitatione alieniſſimum eſſe, ipſa rerum inter ſe comparatione declaratur.

Cuſtodite ergo ſpiritum veſtrum, & vxorem adoleſcentiæ tuæ noli deſpicere.

HEBRAICE, *Et cuſtodietis in ſpiritu veſtro.*] Significat hæc oratio eã quæ tractatur cauſam

grauiſſimam eſſe: quamque non negligentia, ſed certo conſilio recteque putata ratione in ſuam propriam dignitatem vindicare oporteat. *Cuſtodite ſpiritũ veſtrum*, vel, *cuſtodietis in ſpiritu veſtro*, idem eſt, atque rem ipſam animo & cogitatione ſuis ponderibus examinatam obſeruabitis; neque committetis, vt vel ab vno ex vobis huiuſmodi grauiſſimum facinus cum ſumma in vxorem optimè de ſe merentem iniuria admittatur. ſummo autẽ artificio vterque numerus, pluralis & ſingularis, in hac oratione vſurpatus eſt: quod ad conſilium ineundum capiendumque pertinet: [*Cuſtodite ſpiritum veſtrum*; quod verò ad ſcelus admittendũ, *vxorem adoleſcentiæ tuæ noli deſpicere.*] namque ſi maximè quiſpiam in facinore faciendo aliquo ſtultitiam conſilij excuſet, eam tamen plures excuſate minimè poſſunt: plus enim collatis conſiliis & cogitationibus communicatis & examinatis à multis, quàm ob vno tantum in rerum ratione expendenda perſpicitur: neque in conſilio capiendo tantùm vnius, quantum multorum grauis & turpis eſt error. Igitur communi conſilio prouidendum ſtatuendumque eſt, quid fieri, quidùe caueri deceat: neque præter eius communis conſilij rationem & ſententiam quicquam priuato homini, aut agere, aut admittere licet. vtraque verò facinoris indignitas breuiter ſignificata eſt, & rei ipſius, inquam, turpitudo, quamuis etiam ſine alterius iniuria admittatur, & eiuſdem etiam cum iniuria coniunctæ grauitas, alterum illa pars indicat, *Cuſtodite ſpiritum veſtrum*; alterum verò illa, *Vxorem adoleſcentiæ tuæ noli deſpicere, ſiue fraudare.*] Hæc enim res apertum odium & manifeſtam iniuriam arguit. quæ quidem peccata Iſraelitico nomine indigniſſima à Deo vltore vindicanda ſunt.

Cùm odio habueris dimitte, dicit Dominus Deus Iſraël: operiet autem iniquitas veſtimentum eius, dicit Dominus Deus exercituum.

VTILITATIS publicæ cauſa (quam nobis moderatricem conſiliorum noſtrorũ conſtituimus) cogimur hoc loco præter inſtitutum noſtrum, aliorum, qui rectius videntur ſcripſiſſe, recitare ſententias, maximè autem antiquorum Hebræorum, quorum veſtigia cæteri expoſitores ſunt perſecuti. atque hunc locum difficilem iudicatum fuiſſe, varia illorum & elaborata interpretatio declarat. primus enim omnium & eorum, qui nunc extant, antiquiſſimus Paraphraſtes, magnoque ingenio vir Ionathas Onkeli F. de repudio & dimiſſione vxoris hic agi opinatus, Hebraicam orationem ſic expoluit: *Nam ſi odiſti eam, dimitte eam, dicit Dominus Deus Iſraël, & non operias peccatum in veſtimento tuo, dicit Dominus exercituum, & cuſtodemini in animabus veſtris, & non mentiemini.*] Hãc explicationem vulgatæ verſionis interpres ſecutus videtur, quam ad Latini ſermonis phraſim accedere magis, quàm Hebraicã orationem putaret. In eandem etiam ſententiam Hebræi commentatores frequentes ierunt, vt de repudio agi arbitrarentur: cuius tamen argumenti rationem alius aliam, tenuêre. nã cùm hęc de repudio diſputatio grauiſsima ſemper & difficillima cum in Synagoga, tũ etiam in Eccleſia Chriſtiana ad hæc vſque tempora fuerit, vt quiſque de ea re ſentiret, ita loca, quæ huc pertinere viderentur, expoſuit vt verò omni ex parte officio noſtro ſatisfacientes viam ad huius loci interpretationem muniamus, orationem ipſam ex Hebraico ad verbum imprimis vertendam eſſe duximus: *Nam odiſſe mittere, dicit Dominus Deus Iſraël, & operuit iniquitas ſuper veſtimentum eius, dicit Dominus exercituum.*] Recentiorum igitur expoſitorum

Miſnaioth. ſententiis prætermiſſis, quod omnes hi antiquorum veſtigia perſequuti ſunt, eos qui ante mille annos ſcripſerunt, referemus. In Ieroſolymitano Diſputationum libro, eo capite, quod De ſponſalibus & ſanctis inſcribitur, ſic de hac re legimus: nam odiſſe mittere dicit Dominus Deus Iſraël: in Iſraël dedi repudiationes, & non in nationibus ſeculi, dixit Hhananus ex ſententia Pinhhas: In omni Paraſſa ſcriptum eſt, Dominus exercituum. & hîc ſcriptum eſt, Dominus Deus Iſraël, quòd non profiteatur ſanctus ille & benedictus

" nomen ſuum, niſi apud Iſraëlem tantummodo. eodem loco alij ſic exponunt, *nam odiſſe*

" *mittere.* id eſt, ſanctus ille & benedictus odit eum, qui dimittit vxorem ſuam. Haggæus etiam in capite de dimiſſione ait: In omni libro Malachiæ ſcriptum eſt, Dominus exercituum, & hic ſcribitur, Deus Iſraël, quaſi auertens dicat, ne prophanetur nomen meum ſuper repudia, ſed Deus Iſraël. Præterea & Iudas & Ioannes doctores inquiunt, nam odiſſe miſit, odiſſe dimittentem. & non explicatum eſt, an in priori coniugio, an in poſteriori. Eleazarus autem ſcripſit: Quicunque eiecerit vxorem ſuam, lachrymas ſuper altare defluere facit. has ita varias expoſitionum formas cæteri interpretes pro ſua quiſque ſententia referentes, nihil præterea ad loci veritatem patefaciendam & illuſtrandam contulerunt. Verùm in iis, quæ recitata iam ſunt, nihil ita planè illuſtre eſt, vt eius rei, quam quærimus, aditum patefacere poſſit, niſi quantum ex his varias de repudio antiquorum Hebræorum ſententias fuiſſe obſeruamus: id quod nos Tridenti ſententiam rogati publicè in Concilio diximus, anno 1561, ad D.XIIII. Kalend. Martias, qui dies

honeſtiſſimus nobis in illo ſacro Senatu fuit, cùm de grauiſſima illa repudij cauſa agere-
tur. Verùm enimuero cùm nullum nos in hoc Malachiæ loco verbum de dimittẽda vxo-
re, neque Hebraicè in exemplari ipſo, neque Latinè in verſione noſtra adnotauerimus, in
eam ſententiã adducti ſumus, vt nihil hîc de repudio agi exiſtimaremus, præſertim cùm
omnis hæc repudij ratio non tam à Deo inſtituta, quàm à Moſe propter hominum du-
ritiem permiſſa fuiſſe, & à Chriſto indicatur, & ab ipſis etiam Phariſæis recipitur: qui, vt
D. Marcus ſcripſit, dixerunt: Moſes permiſit ſcribere libellum repudij, & dimittere &c.
neque enim toto illo capite de repudio Deus, vt eius rei auctor appellatur, ſed Moſes tan-
tum, qui latã à Deo legem nunc exponendo, nunc verò permittendo in omni illo Deute-
rono. libro interpretatus eſt; qua de re nos aliàs, Deo volente, plenius diſſeremus. Atqui Deut. 24.
hoc loco Vates noſter non Moſen, ſed Deum eius, quam ipſe pronuntiat, ſententiæ ap- "
pellat auctorẽ. [*dicit Dominus Deus Iſraël.*] quem tamen repudij inſtituendi auctorem neque "
Moſes quondam prædicauerat, neque Chriſtus, neque Phariſæi & Scribæ protulerunt.
neque verò hoc Vatis reſponſum prætermittendum illis putaretur, quin ad eam rem ſi fa-
ceret, quocunque nomine, ſiue præcepti, ſiue conſilij, aut permiſſionis, cùm primis eſſet
relatum; vtpote quod diuina auctoritate apertioribus etiam verbis, quàm illud Moſai-
cum niteretur. Quibus argumentis efficitur, huius loci expoſitionem antiquiſſimos do-
ctores ſimplicius multo, magiſque ex verborum ratione & vſu, atque ex ipſius, de quo
agitur, argumenti cauſa, quàm ex repudij annotatione habuiſſe: quam nos eidem inſi-
ſtentes viæ perſpicuam & dilucidã, vt ſpero, afferemus. Meminiſſe igitur oportet in pri-
mis duorum illorum locorum, ex quibus ad omnem hanc cauſam perorandam producta
ſunt à Vate noſtro argumenta, charitatis videlicet vtriuſque arctiſſimi vinculi, quod na-
turali neceſſitudine, & religionis communione conſtare docuimus: quorum vel vtrum-
que vel alterum negligentia laxari flagitioſum valde, iniuria verò & odio rumpi, longè
eſſet ſceleratiſſimum. Vtrumque autem crimen & negligentiæ & iniuriæ in his, qui accu-
ſantur, Iudæis hærere, ipſa cauſæ narratione Deus oſtenderat. Sed ne illi alterius leuioris
conceſſione alteram grauiſſimam elabi poſſe viderentur, id agit Deus, vt confirmet, non
ſolùm officij neglectionem illis vitio dari, iniuriæ verò illationem obſcuram eſſe. ſed hanc
apertiſſimè, publicè atque manifeſtè ſeſe ipſam prodidiſſe, nullumque vel deriuandi, vel
negandi, vel aliqua ex parte occultandi reliquiſſe locum; quippe quæ ita lõgè lateque creſ-
cens emineat & appareat, vt nullis veſtibus opprimi abſcondiue poſſit. hæc loci huius ſen-
tentia nobis eſt, quæ iam facilè ex orationis & verborũ ratione oſtendetur. [*Nã odiſſe mittere
dicit Dominus Deus Iſraël.*] Primũ illud ad confirmationem pertinet, quòd Dominus Deus Iſ-
raël id teſtatur & dicit, qui ſeſe teſtem inter virũ & vxorem antea fuerat profeſſus. deinde
eam rem ſibi diligenter notatam eſſe confirmat; vtpote, cui Iſraëlis gubernandi, regendi,
fouendi, atq. ab iniuria defendendi iam olim fuerit ſuſcepta cura: cuius vt dignitas & fe-
licitas cõſeruaretur, magnum in ipſius familia animorum & conſiliorũ in omni re cõſen-
ſum, præſertim in religionis cõmunione & ſocietate, poſtulabat, ſicut ſcriptũ eſt: Interea
locutus eſt Deus ad Iacob, Surge & aſcẽde Bethel, & habita ibi, facq. altare Deo, qui appa- Gen. 35.
ruit tibi quando fugiebas Eſau fratrem tuum. Iacob verò conuocata omni domo ſua ait, "
Abiicite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, & mundamini ac mutate veſtimẽta veſtra. "
ſurgite & aſcẽdamus in Bethel, & faciamus ibi altare Deo, qui exaudiuit me in tribulatio- "
ne mea, & ſocius fuit itineris mei, &c. & eodem loco paulo inferius ſcribitur: Apparuit "
autẽ Dominus Iacob poſtquam reuerſus eſt ex Meſopotamia Syriæ, benedixitque ei di- "
cens: Non vocaberis vltrà Iacob, ſed Iſraël erit nomen tuum. & appellauit eũ Iſraël, & "
dixit, Ego Deus omnipotens, creſce & multiplicare, &c. huc pertinet nomen *Dominus Deus
Iſraël,*] hoc tantùm loco à Vate appellatum, cuius appellationis prima pars Dominus, mi-
ſericordiæ & conſtantiæ ſignificationem, Deus gubernatorẽ, iudicẽ & præfectũ præcipuè
ſignificat. qualẽ cùm ſeſe ſingulariter in omni cauſa Iſraëli Deus præbuerit, ſicut ſcriptum
eſt: Qui regis Iſraël, &c. tum etiã in hac ratione dilectionis vel conſeruatæ benigniſſimum
& prouidentiſſimum gubernatorem, vel violatæ vltorem & vindicẽ eſſe confirmat. atque
ob eam rem vbi iniuriam manifeſtã in huiuſmodi cauſa eſſe demonſtrauit, alterum illud,
quod vltionem ſpectat, nomen appellat. [*dicit Dominus exercituum.*] Iam verò illa nobis expo-
nenda verba reliqua ſunt: [*Nam odiſſe mittere, & operuit iniquitas ſuper veſtimentum eius.*] quam non mo-
dò cauſæ, ſed affirmationis etiam vim obtinet, *Chi*, Hebraicum, cui Latina, nam, & quip-
pe, reſpondent. de qua voce iam ſæpè aliàs docuimus. *Odiſſe*: Infinitiuus Græcè & Latinè
ſæpe, Hebraicè autem ſæpiſſimè, pro nomine vſurpatur, vt Mori morieris, viſitare viſita-
bit, & innumera alia: ſic hoc loco odiſſe idem quod odium, ſed elegantius etiam & ve-
hementius dicit mittere. verbum *Selahh*, quod nullum apud Latinos cõmodius repræſentat

quam mittere, variæ & elegantis eſt apud Hebræos ſignificationis, quæ tamen in ſenten-
tia conueniat ſecum magis, quàm pugnet; vtpote quæ elegantibus analogiis ad alias atque
alias res transferatur. ex quibus vnum genus eſt, quod ad extenſionem, dilatationem, pro-
pagationemq́ue pertinet, atque in agriculturæ rationibus commodiſſimè vſurpatur. Ex
Pſal.79. hoc genere orationes illæ ſunt: Extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen
“ propagines eius. &, Emiſſiones tuæ paradiſus granatorũ. & illud etiam quod Iſaias de
Cant.4. Iſai.16. vinea canit: Et flagella eius vſque ad Iazer peruenerunt, propagines eius relictæ ſunt. qui-
“ bus in orationibus vbi Latinè legimus, extendit emiſſiones, propagines, idem verbũ *Sa-
labh*, aut ex eo deducta vox aliqua eſt. In aquarum autem effluxione & redundantia idem
Ezec.31. verbum vſurpatur eleganter, vt apud Ezechielem: Et eleuati ſunt rami eius præ aquis
“ multis. Ex quo verbo nomen Natatoriȩ illi in Ieroſolymis factum eſſe *Siloahh*, apud Ne-
hemiam annotauimus. Eiuſmodi itaque nobis orationis huius eſt ſenſus, vt Iudæorum in
vxores odium non leue, neque occultum, ſed grauiſſimum & maximum eſſe arguatur,
quod ita omni ex parte erumpat, vt occultari nullo modo poſſit; quippe quod penitus in
animis inſitum ramos & propagines ſuas adeò emiſerit, vt veſtis etiam hominum, quibus
occultari multa ſolent, omnino eminens manifeſtis factis iniuriis, operuerit, & ſupra ve-
ſtimenta ipſa iam longè appareat. hoc eſt quod dicit, *operiet autem iniquitas ſuper veſtimentum
eius*. Hebraicè, *& operuit iniquitas*.] Quo in ſermone illud eſt propriè ad hanc rem obſeruan-
dum, aliud eſſe operire veſtimentum, aliud operire ſuper veſtimentum. operire veſtimen-
tum, eſt veſtimentum ſtudio occultandi tegere; operire verò ſuper veſtimentum, eſt ita
Deut.15. redundare atque eminere, vt nullo veſtimento occultari aut diſſimulari poſſit res. Huiuſ-
“ modi verborum conſtructiones in illis locis annotantur: Neque parcat ei oculus tuus, vt
Ioſu.24. miſerearis & occultes eum: Hebraicè, & occultes ſuper eum. & illud multo clarius: Et ad-
“ duxit ſuper eos mare, & operuit ſuper eos. &, Operiebant Cherubin ſuper arcam. & apud
1.Par.5 “ Nehemiam: Ne operias ſuper iniquitatem eorũ. his omnibus atque aliis in locis verbum
Nehe.4. *Chizzah* cum prępoſitione *Ghal* conſtructum, redundare, eminere atque diſſimulare, & ob-
“ tegere ſignificat. iniquitas Hebraicè *Hhamazz*, Latinè iniuria, Hiſpanè ſignificantius, *agra-
uio*. [*Super veſtimentum eius*.] Pronomen *eius* maſculinũ eſt Hebraicè, atque ita cùm oratio, tum
ratio omnis, ſententiæ huius expoſitionem adiuuat; tum illud etiam confirmat, quod his
ſubiungitur, *Cuſtodite ſpiritum veſtrum, & nolite deſpicere*. Hebraicè, *& cuſtodiemini in ſpiritu veſtro, &
non deſpicietis*. Chaldaicè, *& cuſtodiemini in ſpiritu veſtro, & non præuaricabimini*.] Quanquã oratio ipſa
diuini iuſſi formulam exprimere videatur, ex Hebraici tamen ſermonis ratione, atque ex
ſententiæ etiam & actionis ipſius modo & impetu ad contentionẽ mihi magis & antithe-
ton referenda putatur. eſt enim ironicὼs pronuntiatum, vt rei indignitas vehemẽtius au-
geatur. Id autem grauius & certius efficitur, cùm indicato ſceleri officium debitum con-
trà opponitur & requiritur, atq. id quod conſtare oportuerat, ſublatum omnino eſſe ora-
Ierem.6. tione vehementi ſubiuncta oſtenditur, vt apud Ieremiam: Confuſi ſunt, quia abomina-
tionem fecerunt: quin potius, inquit, non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt. Sic hoc
loco nimirum, inquit Deus, qui huiuſmodi iniuriæ faciendæ manifeſta inſania flagrant,
ſapienter ſibi cõſulere, & officiũ ſanctè colere dicendi ſunt; nihil minus omnino, imò hęc
tanta flagitia aliis nefariis cumulata atque aucta ab illis fuiſſe, nouo illato crimine oſten-
duntur, laborare feciſtis, &c. Quod ad ſermonis notationem facit, futurum verbum hoc
loco non ad tempus ipſum, ſed ad conſuetudinem & officium eſt referẽdum, vt ſępe aliàs
docuimus. ſic cuſtodiemini & non deſpicietis, cuſtodiri ſoletis, non ſoletis deſpicere. quę
omnia ironicὼs dici, & ratio ipſa & illud etiam crimen declarat.

*Laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris, & dixiſtis, In quo eum fecimus laborare? in eo quòd di-
citis, Omnis, qui facit malum, bonus eſt in conſpectu Domini, & tales ei placent: aut certè vbi eſt
Deus iudicij?*

HACTENVS grauiſſimum violatæ pietatis crimen peroratum eſt in illos, qui omnia
officiorum iura peruertiſſe conuincerentur: nunc verò maieſtatis etiam non modò offen-
ſæ, ſed grauiſſimè etiam læſæ cauſa agitur, aduerſus eos, qui non modò factis erga homi-
nes iniurioſi, ſed impietate, ſententiis & ſermonibus ipſis erga Deum contumelioſi eſſent.
quod ſcelus, & natura ſua grauiſſimum, & nocendi conſequentia atque contagione ma-
ximum eſt. vbi enim Dei in homines prouidentia negatur, ibi facinoribus, flagitijs, iniu-
riiſq́ue omnibus admittendis locus datur ampliſſimus. In eum autem locum homines de-
ducuntur, admiſſis vitiis, & neglectis paulatim religionis rebus: vt hi, qui à ſacrorum ne-
glectione ad officiorum violationem, inde demum ad religionem penitus ex ſuis atque
cæterorum animis delendam deuenerant. namque improbiſſimi & ſceleratiſſimi ho-

mines reprehenſionem & criminationem tum pietatis violatæ, tum officij proditi ſibi à
Vate, vt vidimus, oblatam illa improbiſſima & peſtifera nefariorũ & perditiſſimorũ ſen-
tentia depellebant, quæ pietatis colendæ fructum aliquem eſſe negat. id verò non apud Va-
tem ipſum, qui redarguere poſſet, ſed apud imperitum populum frequentibus ſermoni-
bus argumentationibusque inuentis, cum maxima audientium pernicie diuulgabatur.
namque illi abrogatam Vatis actioni & reprehenſioni fidem cùm licentiæ, tum ſuæ apud
populũ exiſtimationi conducere arbitrabantur. Quòd verò inquit, *Laborare feciſtis Dominum
in ſermonibus veſtris,*] non ea ratione exponendum nobis videtur, vt Deo ab iſtis labor impoſi-
tus fuerit, ſi tamen illius natura capere laborem poſſet. neque enim quiſquam alteri ſermo-
ne & oratione laborem aut fatigationem efficere poſſit, quanquã huiuſmodi verba ſæpius
inculcet: ille nihil agit, nihil prouidet, nihil curat. &c. namque huiuſmodi ſermones of-
fenſionem fortaſſe ei, de quo habentur, afferre poſſint, fatigationem & laſſitudinẽ, quem-
admodum propriè afferant, non video. Atqui verbũ *laborare feciſtis,* Hebraicè *Hoghthem.*] ad
laſſitudinem & fatigationem, quæ ex nimia laborandi contentione accidit, ſignificandam
propriè vſurpatur. ex qua fatigatione contentionem remitti omnino, aut curã atque ope-
ram ad aliud ſtudiũ relaxationis cauſa transferri, neceſſe ſit. cuius verbi exempla plurima
paſſim in ſacris libris obſeruantur: vt, Afflictionem meã & laborem manuũ mearũ reſpe- Gen. 31.
xit Deus. & illud: Quippe qui laſſus eſt, & ſolutis manibus, &c. & illud etiam in eandem «
ſententiam elegantiſſimum: Ipſe ſtetit & percuſſit Philiſthæos donec deficeret manus eius 2.Sam.17.
& obrigeſceret cum gladio, &c. Atqui huiuſmodi labor & defatigatio Deo iſtorum homi- «
num ſermonibus non afferebatur quidem, ſed aſcribebatur tamẽ, cui iam illa antiqua pios 2.Sam.23.
& probos viros fouendi defendendique cura, vt feſſo atque defatigato, depoſita & alte- «
rum improbitatis & audaciæ adiuuandæ ſtudium paratum & ſuſceptum eſſe diceretur: ita
vt hæc illius orationis expoſitio ſit: Vos Dominum natura ſua miſericordem, & in miſe-
ricordia atque virtute conſtantiſſimum, ſermonibus veſtris laborantem iamq. laſſum, ſta-
tuiſtis, ita vt iam illo nomine arcano, quod ad bonitatem, benignitatem & conſtantiam
oſtendendam pertinet, tuendo atque obtinendo laſſum ac defatigatum aliam rem cogita-
re atque agere prædicetis: idque non cogitatione & ſententia modò, ſed improbiſſimis
ſermonibus & argumentationibus imperitæ multitudini inculcetis. Atque hoc modo nõ
laborem ab illis Deo impoſitum, ſed attributum fuiſſe interpretamur. Itaque ſentẽtia &
ſermone hominum non re ipſa hoc ſtatuebatur, vt & apud gentes etiam cùm de hoc eo-
dem argumento ageretur, Dei prouidentia neque firmari, neque infirmari, neque adiuua-
ri, neque impediri reipſa, ſed ſententia tantùm & oratione aut tolli aut ſtabiliri & affir-
mari ſolere dicenda fuit, vt apud Poëtam:

Sed cùm res hominum tanta caligine volui *Aſpicerem, lætosq; diu florere nocentes,* Claudian in
Vexariq; pios, rurſus labefacta cadebat *Relligio.* Rufinum.

Cadere religionẽ non re, ſed ſententia ſua aiebat ille, vt ipſe idem ſuperius expoſuerat,

Tunc omnia rebar

Conſilio firmata Dei. &c. Hæc itaque ex cogitatione & ſententia hominum, non ex re
definienda ſunt, vt illud etiam, quod tandem eſt ab eodem ſubiunctum:

Abſtulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,

Abſoluitq; Deos. Huiuſmodi autem impias de Deo opiniones atque ſententias cũ ma-
gna nominis illius violatione Vates noſter illis exprobrat, quòd Domino illi miſericordiſ-
ſimo, æquiſſimo atque conſtantiſſimo, labor & defatigatio in ea re, quæ maximè nomen
illius deceret, ſermonibus illorum eſſet attributa: id verò cùm ab illis apertè vnquam fa-
ctum negaretur, Vates argumentatione & conſequentia apertiſſima factũ inſtat. [*In eo quod
dicitis, Omnis qui facit malum, bonus eſt in conſpectu Domini.* Hebraicè, *Omnis faciens malum, bonus eſt in ocu-
lis Domini.*] non modò iudicium, ſed conſilium, cura atque ſtudium Domini relaxatum &
immutatum omnino eſſe, illorum ſermonibus affirmabatur. fieri namque poteſt, vt quis
non tam ex ſua ſententia, quàm ex temporum aut rerum ratione deteriorem partem ope-
ra & ſtudio atque cura iuuet, cùm aliud ſibi conſilium aut capere aut ſequi integrum fore
minus ſperaret. non ſolùm autem conſilium Deo, ſed voluntatem etiam immutatam ſen-
tentiamque de bonorũ & piorum hominum dignitate & præſtantia planè eſſe depoſitam
iſti aſſeueraſſe dicuntur: prioris partis illud eſt: *Omnis qui facit malum, bonus in oculis Domini.*] Bo-
num in oculis alicuius eſſe, idem, quod illius iudicio probari, eſt. vt: Fac quod placitũ eſt, Deut 6.
& bonum in conſpectu Domini. &: Quod bonum eſt in oculis tuis, feci. Itaque probari «
primum à Deo ſcelera atque ſceleratos, deinde etiam & foueri atque adiuuari dicebant. Iſai. 38.
[*Et tales ei placent,* Hebraicè, *& in eis ille volens.*] Eſt autem verbum *Haphez,* pro quo Latinè nunc «
velle, nunc placere & propitium eſſe, vertimus: quod ſtudioſam voluntatem & efficacem

Num.14. ſignificat, vt in Pſalmo: Omnia quæcunque voluit, fecit. &c, Si propitius fuerit Dominus
" inducet nos in terram, & tradet, &c. & illud apertiſſimè, Et non audierunt vocem patris
1.Sam.2. " ſui, quia voluit Dominus occidere eos. nulla verò ad pietatem tollendam & ad homi-
" num perturbandas res, pernicioſa magis peſtiferaque eſſe poteſt opinio, quàm quæ ho-
" minum res à Deo vel curari, vel acta atque facta iudicari neget, ſed ab iſtis grauius etiam & ſceleratius pronuntiabatur, priſtinum de virtute & pietate ſenſum à Deo vt iam laſſo & vnius contentionis pertæſo, depoſitum, & omnem cogitationem, voluntatem & ſtudium ad nocentes maleficoſque fouendos atque adiuuandos fuiſſe conuerſa, contrà quàm
Pſal.5. ſcriptum ſit: Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es: neque permanebunt iniuſti
" ante oculos tuos. Odiſti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquun-
" tur mendacium. Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus &c. magno
" verò ſtudio & excogitato conſilio huiuſmodi impios nefarioſq. ſermones ab iſtis diſpergi & diſſeminari ſolere, ex ipſorum ſubtili argumentatione à Vate relata arguitur, quæ nō modò vulgo & imperitis, ſed multis etiã, qui ſeſe philoſophos iactabãt, imponere potuerit. [*Aut certè vbi eſt Deus iudicij?*] Omnium rerum dominũ ac moderatorem Deum eſſe, eaque quæ gerantur, eius geri ditione ac numine, eundemque optimè de hominum genere mereri, & qualis quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate religionem colat, piorum & impiorum habere rationem, non modò ſacris libris & literis proditum, ſed ſapientiſſimorum etiam hominum ſententia & oratione fuit omnibus gentibus perſuaſum. Extitêre autem interdum nonnulli, rari quidem illi, ſed improbiſſimi & perditiſſimi, atque adeò peſtiferi, qui hanc Dei ad iudicandum voluntatem & vim, ex improborum proſperitatibus à ſe ſpectatis, redarguerent. Qua de re nos apud Habbakuq rationibus conquiſitis accuratè diſſerebamus, & aliàs, etiam, ſi noſtra Deo probêtur conſilia, longius diſſerere cogitamus: nunc fortaſſe breuius, quàm cauſa deſiderat; ſed pro commentationis breuitate, quantum ſatis eſſe poſſit. Igitur argumentum, ſiue, vt Dialectici loquuntur, dilemna ſic ab iſtis inſtituebatur: Ex humanarum rerum ſpectatione alterum manifeſtè arguitur, aut nocentes & maleficos Deo gratos charoſque eſſe, aut hominum facta ab eo non iudicari. nam ſi ille humana cognoſcit & curat, ea maximè curare dicendus eſt, quæ maximè proſperantur & fouentur. at verò maleficia & malefici maximè proſperantur, maleficia igitur à Deo curantur maximè. hæc hactenus altera dilemmatis ſiue complexionis pars eſt: illa deinceps altera. Si verò, inquiunt, Deus maleficiorum partes tueri negetur, igitur vel iudicat homines, vel non; ſi non iudicat, rectè igitur cum maleficis & ſceleratis agitur, quos tametſi Deus non adiuuet, neque impedit aut deterret tamẽ: ſin verò iudicat, ſceleratorũ res malè ſe habeat oportet. ſed illis nihilominus proſperè omnia cedunt. ergo vel Deus ſuperbos, maleficos, crudeles & ingratos non aſpernatur, vel ſaltem non iudicat; vtrumuis ſtatuatur, pro impiis facit. ſed prius tamen diuinam dignitatem & hominum erga Deum ſtudia conſeruare & retinere magis iſtis videbatur: ob eamque rem prior complexionis pars aſſeuerãtius etiam pronuntiata & confirmata ab illis videbatur. [*Omnis qui facit malum, bonus eſt in conſpectu Domini, & ta-*
Iob 14. *les ei placent.*] Poſterior verò per interrogationem ex conſequentia. Atqui interrogatio illa
" negationis obtinet vim: vt, Homo verò cùm mortuus fuerit, & nudatus atque conſum-
" ptus, vbi quæſo eſt? quomodo ſi recedant aquæ de mari, & fluuius vacuefactus areſcat. &c. Verum enimuerò Deus ab iſtis, non quòd ſit, ſed quòd hominum ſit iudex, negabatur. [*Vbi eſt Deus iudicij?*] neque enim nullam vim numénue Dei eſſe arbitrari is poſſet, quem ſol ille, quem cæli & ſignorum motus, quem viciſſitudines rerum atque ordines admonerent, quem (id quod maximum eſt) maiorum ſapientia excitaret, qui Deum confeſſi, ſacra ceremoniaſque ſanctiſſimè coluerunt, & plurimorum ac maximorum Dei erga ſe gentemque ſuam beneficiorum memoriam ſcriptis libris, & grauiſſimis monumentis poſteritati ſuæ teſtati ſunt. Neque etiam diuina ab iſtis prouidentia in dubium omnino vocata eſt, ſed quadam excogitata ratione, quæ cùm præſentium rerum exſpectatione conſtare poſſe videretur, eſt aſſerta, nimirum Deum eſſe, & eius prouidentia mundum imprimis ipſum adminiſtrari, eundemque conſulere rebus humanis, non tamen ſingulis, ſed vniuerſis hoc pacto, vt nunc virtutis & innocentiæ ſtudioſos cultoreſque defenderet, vt olim partes maioreſque ſuos, nunc verò hac contentione remiſſa aliarũ partiũ homines, hoc eſt, audaces, inſolentes, facinoroſos & potentes, atque magnarũ appetentes rerum foueret iuuaretque: id quod præſenti improborum proſperitate ab iſtis confirmabatur, atque hoc modo nunc hos, nũc illos Dei voluntati, pro rerum ſtatu ſuarum, vel obſecundare vel cedere oportêre. Itaque vno excepto de hominum factis iudicio cæterarum omnium rerum vis & numen, magnitudo, ſapientia, potentia, prouidentia & gubernatio

ex iſto-

ex iſtorum hominum opinione & ſententia Deo tribuebatur, qui non vbi Deus, ſed vbi-
nam Deus iudicij eſſet, requirebant. [*Deus iudicij*: Hebraicè, *Elohe hamiſpat*.] atque nomen משפט
Elohim, omnium publicorum munerum & adminiſtrationum rationes continere, cùm
ſæpè alias, tum in noſtris De arcano ſermone libris docuimus. ex quibus omnibus
rationibus vna tantùm a[...]ſtis requirebatur. *hamiſpat*, hoc eſt, iudicij certi & ſpectati, cæ-
tera omnia ſatis ſpectata ſibi concedentibus & confeſſis. articulus *ha*, nomini additus, cer-
tam, & quæ iudicari facilè poſſit, rem ſignificat, ita adeò hæc de diuina prouidentia opi-
nio acutior quidem & ſubtilior, quàm vulgaris illa Epicuræorum, atque etiam quàm
illa ingenioſa Stoicorum diſputatio, & ad religionem etiam retinendam & colendam
commodior ſpecie ipſa videtur: re ipſa verò omnium pernicioſiſſima & maximè peſtifera
eſt, vt quæ malorum auctorem Deum ſtatuat, atque hominum animos ad maxima faci-
nora admittenda diuini auxilij ſpe propoſita incendat. Verum enimuerò cùm cætera di- Non ex præ-
uinæ erga vniuerſos & ſingulos homines prouidentiæ & miſericordiæ argumenta perpe- ſenti neque
tua omnibus temporibus obſeruanda atque ſpectanda, & Deus ipſe propoſuerit, & ma- prætento, ſed
iorum noſtrorum ſapientia docuerit, iudicij tamen exempla non ſemper ſpectari, ſed ex futuro
opportunè exſpectari oportere, certum iis ſemper fuit, qui vel ex diuinis libris, vel ex etiam.
diuinarum contemplatione rerum, humanarumque vſu aliquam ſapientiæ partem aſſe-
cuti ſunt. nam ſi quis non vniuerſorum modò, ſed ſingulorum hominum res contem-
platus ad diuinæ prouidentiæ rationes referat, nullam ſanè partem vel virtute, vel ſapien-
tia, vel miſericordia Dei vacuam deprehendet, qui bonorum & piorum non vitia, ſed res
omnes alias fouet: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos Mat. 5.
& iniuſtos. Itaq. cætera omnia diuinę prouidentiæ & miſericordiæ argumẽta quocunque
tẽpore, quocunq. loco, quacunque humanarũ rerũ parte quærantur & obſeruẽtur, pluri-
ma profectò atq. certiſſima conſtabũt, iudicij verò cùm in ſingulos homines, tũ in populos
genteſque exercendi non ex præterito neque ex præſenti illorum ſtatu, ſed futuro euentu
exſpectandum tandem manifeſtum, integerrimum atque ſeueriſſimum apparet. Etenim Pſalm
Deus iuſtus iudex, fortis & patiens, diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam: Exod. 31.
qui aufert iniquitates & ſcelera atque peccata; apud quem tamen nullus per ſe innocens
eſt &c. Dei igitur in vniuerſos atq. in ſingulos homines prouidentia ſemper opportuna eſt;
iudicia verò certiſſima quidem in omnes, maturo tamẽ tempore in vnumquemque ſunt.
Qua quidem in re à multis, propter ſtultitiam & ſapientiæ defectum, grauiſſimè eſt of-
fenſum, qui harum in Deo virtutum exempla requirentes, non ſatis bene temporibus,
quibus edi ſoleant, diſtribuerunt, atq. ex prę ſenti aut etiam præterito arguentes futurarum
exſpectationem rerum, magno ſuo errore & magno multorum incommodo, prætermi-
ſêre, ſicut ſcriptum eſt: Mei autem penè moti ſunt pedes: penè effuſi ſunt greſſus mei:
quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns &c. At verò qui ſapientius harũ re- Pſal. 72.
rum rationes putauêre, diuini iudicij exemplum & argumentum non ex ipſis rerum atque
factorum initiis, non ex incremento aut ſtatu, ſed ex euentu atque exitu petendum eſſe Pſal. 36.
arbitrati ſunt, ſicut ſcriptũ eſt: Noli æmulari in eo, qui proſperatur in via ſua, in homine
faciente iniuſtitias. &: Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut cedros Libani, &
tranſiuit, & ecce non erat: & quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. Ex qua ſen-
tentia illud quoque conſilium cum maximo ſapientiæ fructu cœptum inſtitutumque ſi-
bi fuiſſe Rex ille Vateſque canebat: Donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligam
in nouiſſimis eorum. Veruntamen propter dolos poſuiſti eis: deieciſti eos, dum
alleuiarentur, &c. Igitur problematis, quod hactenus & populo & ſibi propoſitum ab
impiis & perditis hominibus fuerat, explicandi ratio certiſſima ex eodem, quem nos iam
indicauimus, loco petita, atque cum magno diuinorum myſteriorum & promiſſorum
molimine & apparatu à Vate noſtro eadem actione grauiſſimè oſtenſa eſt: eaque ratio
omnis ſequenti capite exponitur.

CAPVT

Ecce *ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. &c.*

QVANQVAM huius Vatis tempeſtate, & libertas Iudæis ex Babylone reſtitutis, & reædificati templi commoditas, & ſacrorum vſus contigiſſet, nonnullis tamen ipſorum ob Perſarum regum imperium, cui parerent, & ob multarum ſacrarum rerum deſiderium, vt ignis cæleſtis, vrim & thumim, & cæterarum diuina tutela à ſe abalienata, atque ad imperiorum partes fouendas tranſlata eſſe & putabatur & frequentibus etiam ſermonibus dictitabatur, à quibus cùm populo & Vati ipſi illud problema obiectum eſſet, omnis faciens malum, bonus in oculis Domini, & tales ei placent, aut certè vbi eſt Deus iudicij: idq́ue problema improborum hominum proſperitatibus confirmaretur, explicandum Vati ex diuini conſilij ſententia ſuſceptum eſt. qua in explicatione præterquam quòd omnes aduerſus diuinum iudicium tractatæ argumentationes tentantur & labefactantur, maxima etiam & planè abſtruſa noui teſtamenti atque ſacroſancti euangelij ratio & ſeries tota breuiſſimè quidem, ſed commodiſſimè continetur: quam nos cùm propter commentationis anguſtias, maximè autem propter ingenij tenuitatem reiq́ue ipſius magnitudinem exponere non valeamus, quoad id præſtare liceat, breuiter & dilucidè indicabimus. Principio igitur communis illa ſapientium omnium ſententia à Vate noſtro cogitanda præponitur, diuinum in ſingulos homines atque vniuerſam etiam gentem aliquam iudicium non ſemper præſentiſſimum ſpectandum, ſed ſuo tempore maturo atque opportuno exſpectandum eſſe. Quæ res cùm præteritorum temporum & hominum commemorãdis hiſtoriis certa iam exploratáque eſſe omnibus debeat, ad eundem etiam modum fuerit in poſterum exſpectanda. hactenus enim ita ſeſe Deus æquiſſimum & integerrimum iudicem præbuit, vt miſericordem ante patrem exhibuerit, nullumq́ue populum, nullam gentem prius exitio, exilio aut alio ſupplicio damnauit, quin per prophetas prius, aut aliis modis ad pœnitentiam atque ad officium ab inſania & vitio reuocandam curauerit: ex eaq́ue re illud euenit, vt aut verè reſipiſcentes & miſericordiam implorantes, venia, aut contra contumaces & obſtinati, iuſtiſſima afficerentur pœna. Huiuſmodi itaque iudicij publicè ac priuatè exercendi antiquam rationem rerũ tamen & euentuum magnitudine longè illuſtriſſimã à ſe propediem exſpectari iubet hoc loco Deus. iam enim ſeſe maximum quoddam opus moliri ait, quo piis & ſanæ mentis hominibus miſericordiæ ſuæ magnitudinem probaret, impiis verò & contumacibus atque vitij tenacibus iudicij ſui ſeueritatem experiri oſtenderet. Eius verò explicãdæ rei rationem eiuſmodi fore ait, vt per nuntium à ſe miſſum prius de pœnitentia cum hominibus agendum ſit, diuinumq́ue de vtraque & proborum & improborum parte conſilium publicè omnibus exponatur: idq́ue ſtatim rebus atque euentibus certiſſimis præſtetur, adueniente illo omnium hominum ſeruatore, eodemq́. viuorum & mortuorum conſtituto iudice, cuius admirabilis in vtramque partem vis oſtendẽda fuit: maxima videlicet in piis & fidelibus hominibus ſeruandis efficacitas, maxima etiam in impiis & repugnantibus iudicandis vlciſcendiſq́ue ſeueritas & potentia. Atque hoc in loco duæ perſonæ recognoſcendæ indicantur, & vtriuſque etiam muneris ratio obſeruanda exponitur, altera angeli, quam Ioannes Baptiſta Zachariæ filius magnæ à puero exſpectationis, egregiæq́ue & probatiſſimæ ſanctitatis vir expreſſit, qui muneris ſui auctoritatem diuinam, tum ſignis ipſius ortum præcedentibus & ſequentibus, tum fungendi integritate & grauitate populo principibuſq́ue probauit: altera verò dominatoris & angeli teſtamenti, cui datas vtraſque partes maxima cum dignitate actas fuiſſe, maximis illuſtriſſimiſq́ue miraculorum, actionum, ſermonum, rerum atque euentuum teſtimoniis eſt confirmatum. Atque ſanctiſſimum Chriſti euangelium duabus præcipuè rebus definiendum eſſe, antiquis oraculis fuerat proditum, hominum ad pœnitentiam & fidem exhortatione, eorundemq́ue pro cuiuſque obedientia & fide, vel repudiatione & neglectione, ſalute aut pernicie. Prioris autem muneris duos miniſtros fore diuino conſilio fuerat conſtitutũ: alterum, qui ſalutem aduenientem indicaret, & quemadmodum peti oportuiſſet, doceret: alterum verò, qui & idipſum ageret, & præterea etiam ipſe id, quod annuntiatum eſſet, re ipſa præſtaret. prioris miniſterij partes Ioanni Baptiſtæ datæ ſunt, qui idem propter animi, morum atque ſtudiorum totiuſq́ue vitæ ſimilitudinem, alter Helias eſt dictus. Hoc igitur eſt, quod hoc loco Deus ipſe ſignificat, *Ecce ego mitto.*] Non humano conſilio aut ambitione, ſed diuina auctoritate Ioannis illius munus parteſq́ue niti his verbis docemur. atque vox *Ecce*, certam cumprimis & exſpectandam.

ſpectandam; eamque illuſtrem & publicam rem indicat: quod verò verbum præſenti tempore pronuntiatum ſit, illud videlicet ſignificat, decretum atque propediem exſpectandum opus eſſe, quod non minus certum, non magis euitabile ſit, atque ſi iam omnino præſens coram ſpectaretur. quæ præſentis temporis elegans vis in loco eſt, vt: Ecce eijcio dæmonia, & perficio ſanitates hodie & cras, & tertia die cōſumor. & apud exteros: *Tuum tibi reddo.* [*Et præparabit viam ante faciem meam.*] Elegantiſſimum verbum Hebraicum *Pine*, hoc in Luc. 13. loco, & apud Eſaiam in eodem argumento vſurpatum, omnē eam curam & operam, quæ Terēt. Heautontimor. act. 4. ſcen 4 in locis ad certas actiones res, vel perſonas pro dignitate aptandis conſumitur, ſignificat: ita vt per loci commoditatem nihil obſtet, quo minus id; quod agendum fuerit, perficiatur: Sic ille olim dum Abrahæ procuratori occurrens hoſpitij officium, quò inuitabat, Gen. 24. probauerat: Ingredere benedicte Domini; cur foris ſtas? præparaui domum & locum camelis, &c. huius verbi in viis muniendis vſus propriè etiam obſeruatur: cuius in Latina Iſai. 57. verſione noſtra eiuſmodi expoſitio eſt, Viam facite, præbete iter, declinate de ſemita: auferte offendicula de via populi mei. Hoc igitur nomine Ioannes legatus fuerat, vt poſita fidei & pœnitentiæ lege, aduentanti ſaluti viam muniret, atque boni & exoptati nūtij, hoc eſt, euangelij primus apud homines auctor eſſet: id quod etiam effectum facer hiſtoriographus teſtatur. Initium euangelij Ieſu Chriſti filij Dei, ſicut ſcriptum eſt in Iſaia pro- Marc. 1. pheta: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deſerto, Parate vias Dñi, rectas facite ſemitas eius. fuit Ioannes in Iſai. 40. deſerto, baptizans & prædicans baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum, & cætera: quæ de Ioannis perſona, munere ac functione ſcripta apud Euāgeliſtas leguntur. Illud autem maximæ dignitatis hoc in loco obſeruandum pronomen fuerit, quo Deus ipſe qui loquitur, ſeſe euangelij ſalutiſque auctorem profitetur & declarat: quod profecto certiſſimum & grauiſſimum diuinæ in Chriſto naturæ teſtimonium eſt. [*Ante faciem meam.*] Deum enim ipſum venturum & ſeruaturum eſſe nos, Iſaias etiam prædixerat. Huic verò nuntio munere iam ſuo perfuncto, ſtatim illum totius orbis ſeruatorem, atque euangelij etiam apud Iſraëlitas legatum ſucceſſurum fore, ex iiſdem vatū reſponſis fuerat acceptum.

x. *Et ſtatim veniet ad templum ſuum dominator, quem vos quæritis, & angelus teſtamenti, quem vos vultis,*

CHRISTVS filius Dei ex diuini arcaniq. conſilij decreto & orbis omnis ſeruator ac Dominus, & circuncisionis miniſter fuerat conſtitutus. vtrumque autem illius munus eſt à Vate hoc loco indicatum. [*dominator quem vos quæritis.*] namque ab illis ille totius orbis Dominus iudexque (vt in ſuperiori capite intelleximus) requirebatur, atq. adeò à piis etiam deſiderabatur. alij enim illius in homines iudicium negantes requirebant. alij verò qui ſaniori mente eſſent, deſiderantes exſpectabant. Vtrique parti aptum verbum, *quæritis* vſurpatum eſt, Hebraicè *Bakaſs*, quod & requirere & deſiderare ſignificat. [*angelus verò teſtamenti,*] בקש idem propterea appellatur, quòd, quanquam toti orbi ſalutis auctor & iudex conſtitutus fuerit, eius tamen legationis miniſter Iſraëlitis tantùm promiſſus, & in antiquis pactionibus & fœderibus declaratus fuit, ſicut ſcriptum eſt: Prophetam ſuſcitabo eis de medio Deut. 17. fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore eius: loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi: Qui autem verba eius, quæ loquitur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam. Qua de re D. Paulus ait: Dico enim Chriſtū miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei ad cōfirmandas promiſſiones patrū. Promiſſiones patrum dicit Apoſtolus idem quod teſtamentum ſiue fœdus Vates hic nominat, angelumque te- Rom. 15. ſtamenti circumciſionis miniſtrum eiuſdem ſignificationis titulo inſcribit. [*quem vos vultis*] quem ſingulari beneficio vobis promiſſum exſpectatis quidem, alij verò iam requiritis, qui videlicet Deum huius templi & populi curam abieciſſe arbitramini. [*Veniet ad templum ſuum.*] Ieroſolymitanum illud templum indicatur, in quo extare, docere, agere, munuſque & legationem ſuam publicè obire Chriſtum ex diuino decreto oportuit, atq. ibidem templum illud aliud propriè ſuum ædificandum parare & curare, quod viuis ex lapidibus in ſedem Deo gratiſſimam conſtructum eſt. habet autem interdum præpoſitio *El*, Hebraica, cauſæ vim elegantem. [*Veniet ad templum ſuum*] *Ad* igitur non ſolùm loci, ſed cauſæ & finis ſignificatione eſt exponendum ad templum ſuū, & propter templum ſuum. Eccleſiam Chriſtianam oratio hæc ſubindicauit. [*& ſtatim veniet*, Hebraicè, *ſubito.*] Vbi namque Ioannes ſuo legationis munere defunctus eſſet, Chriſtum eidem pœnitētiæ prædicationi, deinde Euangelij negotio præfuturum ſacra oracula indicauerant. idque Ieſum Nazarenum præſtitiſſe ſacri auctores teſtantur. Poſtquam autem traditus eſt Ioannes, venit Ieſus in Marc. 1. Galilæam prædicans euangelium regni Dei, & dicens: Quoniam impletum eſt tempus,

& appropinquauit regnum Dei, pœnitemini & credite euangelio. huius autem aduentus non ſolùm certa, ſed admiranda exſpectatio ſubiuncta oratione mouetur, ipſiusque euangelij dignitas; atque maxima in vtramque hominum partem efficacitas indicatur.

Ecce venit, dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis ſtabit ad videndum eum?

FVTVRVS aduentus certiſſimæ exſpectationis cauſa præterito tempore prædicitur: vt ſæpe aliàs apud ſacros Vates obſeruauimus. neque verò hoc tantùm conſilio præteritum tempus vſurpatum hic eſt: ſed vt illius aduentus tum grauitas, tum auctoritas atque efficientia, quanta præſens futura eſſet, exiſtimaretur, quæ antequam appropinquaret, tam grauem tamque tremendam exſpectationem ſui moueret. maxima namque efficacitate & vi non ſolùm ad miſericordiam & beneficentiam in eos qui ſuſciperent, ſed ad vltionem etiam atque animaduerſionem in eos, qui oppugnarent, euangelium futurum eſſe, vel ex illo titulo *Domini exercituum*, intelligi facilè poterat, qui grauiſſimis rebus, & quæ ad diuinam potentiam, & animaduerſioné, ſiue vltionem oſtendendam pertinent, aſcribi ſolet. ſed eadem res apertiùs etiam omni fere reliqua actione exponitur. [*Quis poterit cogitare diem aduentus eius?*] Quis, inquit, vel cogitatione ſolùm, nedum reipſa, diei illius vim perferre queat? qui non minus improbis formidabilis, quàm piis atque bonis deſiderabilis eſſe debet. itaque Latinum *cogitare*, cogitatione ſaltem ſuſtinere interpretamur, ex Hebraico verbo, *Mechalchel*, quod ſuſtinere perferreque ſignificat. Duplicem autem euangelij effectum in hominibus, & videndum eſſe antiqua oracula prodiderunt, & vtrumque etiam fuiſſe viſum, poſterioris teſtamenti ſcriptores teſtati ſunt; alterum iudicij & reprobationis eorũ, qui vel promiſſis credere, vel condicionibus parere noluiſſent; alterum verò ſalutis & ſanctificationis atque iuſtificationis eorum qui credere & obedire vellent. Vtrumque autem genus planè magnum & admirandum futurum, quoque diuina euangelij virtus eſſe probaretur, variis nominibus ex euentu fuit appellatum; alterum namq. reprobatio, excæcatio, iudiciũ, mors, anathema, &c. alterũ verò ſanctificatio, iuſtificatio, deificatio, adoptio, ſalus, vitaque dicitur. atque hoc poſterius ipſius euangelij effectio propriè eſt: illud verò prius non ita propriè effectio, ſed euentus tamen ex repulſo euangelio dici poteſt. vt enim eos, quibus ſol admiſſus accipitur, calore atque luce propriè ipſius aſtri vi & efficientia affici; eos verò, quibus idem fugitur & vitatur, frigore obrigere, tenebriſque obſcurari videmus, idque non ex ſolis ipſius efficientia, ſed abſentia potius accidere: ſic & eos qui euangelio credentes obedirent, vitam lucemque illam admittere; qui verò renuntiantes reſiſterent, mortem & tenebras vltrò ſubire interpretamur. tantam ex illius admiſſione virtutem experiri, tantum rurſus ex eiuſdem repudiatione & excluſione defectum atque detrimentum ſentire contigit. Vtrumque autem euangelij effectum Simeon iuſtus virgini matri de puero ipſo euangelij auctore vaticinatus indicauit: Ecce poſitus eſt hic in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſraël, & in

Luc. 2. ſignum cui contradicetur. &c. Vtriuſque igitur effectus cauſa à Vate noſtro dictum eſt, "*Et quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis ſtabit ad videndum eum?* Quiſnam, inquit, tanta vi tantoque robore eſſe poſſit, vt diem illum reſiſtentibus grauiſſimum perferre queat? quis rurſus tam idoneus, vt lucem illam videre poſſit clariſſimam? profectò vtrumque humanam omnem facultatem vincit: neque quiſquam eſt, qui vel ſuſtinere alterum, vel ſibi alterum vendicare poſſit, niſi Dei gratia acceſſerit, qua pij & fideles euangelioque parentes, ad tantam lucem videndam idonei reddantur. ita adeò vtramque rem maximam, atque omni præſtantia excellentem fore ſignificauit: cuius etiam efficiendæ rationem eleganti ſimilitudine expoſuit.

Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum. & ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum: & erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia.

EVANGELIO deſcribendo varia & illuſtria ex effectu nomina in ſacris libris impoſita ſunt. quorum numerum atque interpretationem nos aliàs iuſto ſermone, ſi Deus annuerit, perſequemur. ex iis autem vnum eſt ignis; alterum, herba fullonum. vtraque autem res natura ſua impuritati aduerſatur, atque elegantiæ, & rerum nitori puritatiq. conducit. vtriuſque eadem efficiendi ratio eſt: ignis namq. aliena & diſſimilia imprimis ſecernit, ſimiliaque coniungit, quęque ex eis meliorem & puriorem naturam ſortita ſunt, comprobat & perficit; cætera verò impura & humida conſumit & diſſipat; eadem etiam ad maculas atque ſordes eluendas fullonum herbæ (quam ſaponariam Latini dicunt)

ſecernendi & illuſtrandi vis eſt: atque vtriuſque rei ſumma in genere ſuo efficientia ſecundum naturam tribuitur, ſicut de igne ſcriptum eſt: Probaſti me Domine, & viſitaſti cor meum, igne me examinaſti, &c. de fullonum herba & arte. Et veſtimenta eius facta ſunt ſplendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere. Chriſtiani igitur euangelij vim atque efficiētiam huiuſmodi cognoſcendam ſacri Vates prodiderunt, & cognitam tandem atque perſpectam noui teſtamenti ſcriptores ſuo & aliorum experimento teſtati ſunt. Incredulos namque & repugnatores à diuina gratia ſeparatos, atque grauiſſima mentis cæcitate, ob repulſum Euangelium, affectos D. Paulus, de Iudæis verba faciens, ait: Deus huius ſeculi excæcauit mentes incredulorum, vt non fulgeat illis illuminatio euangelij Chriſti: vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati; & cæt. Eos verò rurſus, qui euangelio credentes tam ex gentibus quàm ex Iudæis obedierunt, ſordibus elutis omnibus, & Spiritu ſancto & igni baptizatos, adeò auctos, perfectos & illuſtratos accepimus, vt ex filiis Adam Dei filios effectos eſſe cōſtet. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri (nam quis ſtabit ad videndum eū?) ſed ex Deo nati ſunt. Eandem omnino rem, eandem ferè rationem nō multum abſimili imagine Ioannes Baptiſta, qui Dei nuncius ab hoc Vate eſt appellatus, indicabat. Cuius ventilabrum in manu eius, & permundabit aream ſuam: & triticum cōgregabit in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. & quod ad credentium & obedientium delectum faciendum pertinet, nihil exponi potuit apertius, quàm, Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt: Omnis arbor. &c. Hoc verò Chriſti munus & efficientiam, eamque euangelij virtutem certam, conſtantem, perpetuam atque magno iudicio & ſummo conſilio firmatam fore, ex ipſa habitus & ſitus deſcriptione ſignificauit. ſedentem namq. illum operique intentum depingit: vt, Et ſedens docebat eos. Quòd verò argētum inter metalla ad hanc rationem fuerit præcipuè vſurpatum, eò pertinet, vt magna hominum mutatio per euangelium efficienda ſignificetur. argenti etenim natura hoc præ cæteris habet, quòd multorum mineralium, non modò metallorum, ſed aliorum ſuccorum mixtionem, quam maximè omnium ſub terris contraxerit artis induſtria, atque ignis virtute penitus exurens, pura nitensq; redditur. Quam rem ſacroſancta Chriſti mortis & reſurrectionis virtus in iis, qui euāgelio crediderint, ſancteque obedierint, maximè refert, ſicut ſcriptum eſt: Et vos cùm mortui eſſetis in delictis & præputio carnis veſtræ, conuiuificauit cū illo donans vobis omnia delicta, delens, quod aduerſus nos erat, chirographum decreti, &c. Hanc eandem purgationem veterum delictorum D. Petrus appellauit, atque hoc modo nouum templum argenteis baſibus & columnis fultum, nouos ſacerdotes, nouum & egregium gratiſſimumque ſacrificiorum genus paratum conſtitutumque iri prædictū eſt: ita vt non iam amplius negligentibus illis ſacerdotibus, neque illo natura ſua infirmo & procurantium vitio & culpa prophanato cultu de cætero vtendum ſit. [*Sed purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum: & erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia.*] Non de iis, qui ſecundum carnē, ſed de iis, qui ſecundum ſpiritum filij Leui, hoc eſt, ſacerdotes veri & legitimi, atque in perpetuum & ſanctum gratumque Deo cultum dicati ſunt, tanto illis antiquis præſtantiores, quanto melioris teſtamenti miniſtri diuinioribusque rationibus conſecrati ſunt. de quibus ſcriptum eſt: Vos genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, offerentes ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtū: vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vocauit vos in admirabile lumen ſuum. quam profectò incomparabilem dignitatem iidem ipſi ſpirituales leuitæ Chriſto Domino acceptam referentes prædicant: Qui lauit nos à peccatis in ſanguine ſuo, & fecit nos regnum & ſacerdotes Deo & patri ſuo, &c. atque huiuſmodi ſacerdotib. inſtitutis, tam grato ac dilecto populo, tanta pietate, ſanctitate atque iuſtitia facta ſacrificia grata & probata Deo, vt ſi quando vnquam maximè, fore oportuerit.

Ioan. 1.

Matth. & Luc. 3.

Coloſ. 2.

2. Pet. 1.

1. Pet. 2.

Apoc. 1.

Et placebit Domino ſacrificium Iuda & Ieruſalem, ſicut dies ſeculi, & ſicut anni antiqui.

IVDA & Ieruſalem ad noui Teſtamenti myſterium relata nomina, quam gentem, quamue ciuitatem ſignificent, iam ſæpe aliàs indicauimus. huius ſacrificia ſancta & pura, gratiſſima Deo fore Vates pollicetur: ſi quando vlla antiqua ſacrificia & oblationes placuerint, hæc profectò, quorū illa priſca figura & vmbra fuerant, ſint præcipuè placitura. *ſicut*, non comparationis, ſed notationis & indicationis vim hoc in loco obtinet, rectè enim ad ſuperiorem partē ex inferiori annotandā vſurpatur: vt, Dimitte nobis debita noſtra; ſicut & nos dimittimus debitorib. noſtris. Ita igitur noua hæc ſacrificia certa quidem

fore, vt quæ certiſſima fuiſſe ſcriptum fuerit, longè tamen, quàm vlla antiqua fuerint, gra-
tiora. *ſicut*, itaque non ſimilitudinis, ſed certitudinis, vt ita dicamus, nota eſt. Indicantur
autem hoc in loco ſacrificia, quæ ſancta, pura Deoque grata fuiſſe commemorantur, im-
" primiſque illud Abel, de quo ſcriptum eſt: Et reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera
" eius. illud etiam de Noë, de quo ſcriptum eſt: Et odoratus eſt Dominus odorem ſuaui-
tatis, &c. hæc fuêre ſacrificia dierum ſeculi, ſeculi inquam primum conditi & reſtituti, cùm
nondum per annos, ſed per ætates & generationes temporum ratio ſubduceretur. Fuerunt
& alia illuſtria Deoque apprimè grata ſacrificia poſt tertiam temporum conſtitutionem,
vbi annorum rationes magis, quàm ſeculorum haberi cœptæ ſunt, ſicut ſcriptũ eſt: Hic
Exod. menſis erit vobis primus in menſibus anni, & anno primo egreſſionis filiorum Iſraël ex
" Ægypto, & anno ſecundo, &c. Vnum autem grati ſacrificij exemplum in annis antiquis
Leuit 9. illud fuit, quo conſtitutum in ſolitudine tabernaculum, alterum verò, quo conſecratum
" à Salomone templum dedicatum eſt, de quo ſcriptum eſt: Apparuitque gloria Domini
2. Par. 7. omni multitudini. Et ecce egreſſus ignis à Domino deuorauit holocauſtum, &c. de altero
" verò: Sed & omnes filij Iſraël videbant deſcendentem ignem & gloriam Domini ſuper
domum, & cæt. Expoſito autem altero euangelij effectu, Deique munere & conſilio,
quod miſericordiam ſpectaret; alterum, quod ad iudicium pertinet, ſubiungitur; oſten-
diturque in delectu illo piorum & fidelium faciendo, impios & ſceleratos omnes, qui
neque euangelio credere, neque pœnitere voluerint, iuſtiſſimè iudicatos reiectum iri,
eiuſque iudicij nullum non modò effugium, ſed neque declinationem vllam reis fore; vt-
pote quibus Deus ipſe teſtis futurus, cuius integritate, conſtantia & cognitione nulla ex-
ceptione poſſunt excludi.

*Et accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis, adulteris, & periuris, & qui calumniantur mer-
cedem mercenarij, & humiliant viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, di-
cit Dominus exercituum.*

DIVINUM illud à quibuſdam requiſitum iudicium, quod in malos & ſceleratos ho-
mines exercendum eſſe vates omnes dicerent, non modò publicis & manifeſtis ſceleri-
bus, ſed occultis etiam flagitiis iudicandis euangelij tempore à ſe editum iri Deus confir-
mat. in quo flagitioſi homines notati & conuicti, à Dei regno & ciuitate in tenebras exterio-
res reiecti, contemptas aliquando pœnas tandem ſubeuntes luant. [*Et accedam ad vos in iudi-
cio:* Hebraicè, *ad iudicium.*] Præſens, apertum manifeſtumque iudiciũ fore ait, ita vt qui Deũ
iudicij vel nuſquam eſſe, vel longè abeſſe dicebant, præſentem tamen & proximum
ſentiant. [*Et ero teſtis velox.*] Certiſſimum & præſentiſſimum teſtem ſeſe hominibus eſſe de-
clarat Deus, non modò earum iniuriarum, quæ per vim & audaciam apertè fiant, ſed eo-
rum etiam ſcelerum, quæ occulta fraude & dolo admittuntur, & fallendi ſpem propo-
nere auctoribus ſolent ſuis: cuius generis incantatores, venefici, adulteri & periuri ſunt,
& qui calumniantur mercedem mercenarij, & viduas & pupillos opprimunt, cæteroſque
miſeros & humana ope auctoritateque deſtitutos, vt peregrinos fraudant; me verò horum
tutorem & præſidium non timuerunt, putantes me non adeſſe aut non proſpicere in mi-
ſeros fraudulenter factis iniuriis cognoſcendis aut propulſandis, cùm tamen vlciſcendis
affuturum me profeſſus fuerim. quod & illo grauiſſimo nomine, [*Domini exercituum,*] toties
appellato, atque nunc repetito conſtare oportuerit. atque hi profectò, qui me ſuis frau-
dibus longè abeſſe putantes fallere cogitabant, mirabuntur ſingularum rerum teſtãdi præ-
ſentem & certam rationem, & cognoſcendi atque perſpiciendi celeritatẽ agnoſcent. Illud
hoc loco obſeruari operæpretium fuerit, pauperum & viduarum cæterorumque, qui hu-
mana ope deſtituti ſunt, hominum res in tutela & præſidio diuini timoris latere: cuius au-
ctoritatem ſolam maximam, grauiſſimam & ſanctiſſimam, vel potentiſſimo cuique eſſe
Deut. 25. oporteat, alioqui diuinæ vltionis vim experturo, ſicut ſcriptum eſt: Non negabis merce-
" dem indigentis & pauperis fratris tui, ſiue aduenæ, qui tecum moratur in terra, & intra
" portas tuas eſt, &c. ne clamet contra te ad Dñm, & reputetur tibi in peccatum. & alio
Exod. 22. loco: Si læſeris eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum: & indigna-
" bitur furor meus, percutiamque vos gladio; & erunt vxores veſtræ viduæ, & filij veſtri
" pupilli, &c. & tandem ſubiungitur; Si clamauerint ad me, exaudiam eos: quia miſericors
ſum. Igitur non modò publica ſcelera iudicaturum, ſed occulta etiam flagitia atque illa-
tas miſeris per fraudẽ iniurias, quorũ cauſam & fidem ipſe receperat, vlturam ſe eſſe decla-
1. Cor. 6. rat, omnibuſque huiuſmodi flagitioſis, neque tamen legitimè pœnitentibus, ab euange-
" lij conuiuio reiiciendis teſtem celerrimum futurum, ſicut factum eſſe ipſi euangelij regni
" miniſtri teſtantur: Nolite errare, neque fornicarij, neq. idolis ſeruientes, neque adulteri,

neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt, &c. atque ita magnam dictorum, promiſſorum, conſiliorumque ſuorum conſtantiam omni ex parte probat Deus. Quòd ſi cui minus id propterea certum exploratumque ſit, quòd publicæ animaduerſiones rarius ſpectentur, interimque dum eduntur, multi ex flagitioſis & ſceleratis inulti, rebus integris & vita fruantur & defungantur: non ideò tamen negandum fuerit; quandoquidem vel ex vno diuini iudicij exemplo cætera omnia probari exſpectarique oporteat. neque verò ſi quiſpiam hinc inultus diſceſſerit, is impunitus ac liber euaſiſſe dicendus fuerit, quando & idem Deus ſcelerum iudex atque vltor ſemper conſtet, & is qui è vita diſceſſerit, non omnis conſumptus fuerit. Supereſt enim illi altera etiam vita, cui etiam Deus pietatis remunerator ſanctiſſimus & benigniſſimus, & impietatis atque ſcelerum iudex æquiſſimus vltorque potentiſſimus præeſt.

Ego enim Dominus, & non mutor: & vos filij Iacob non eſtis conſumpti.

HIC locus multa & maxima de diuina natura & efficientia, de humanæ animæ immortalitate, de bonorum & malorum finibus myſteria continet. docemur imprimis Dei conſilia, actiones, vel ex paucis exemplis perpetuas & conſtantes probari. neque enim diuina natura mutationis capax eſt. id quod ex nomine illo ſanctiſſimo & maximè arcano cognoſci poteſt, quod præter miſericordiæ rationes conſtantiam æternitatemque ſignificat. vt autem nomen illud, ita & non mutari proprium Deo perpetuumque eſt. [*& non mutor.*] & relatiui atque affirmantis pronominis vim obtinet, qui non mutor. [*& vos filij Iacob*] Iam ſæpius aliàs annotauimus, filios Iacob antiquæ humilitatis commemorandæ cauſa appellari: idque nomen tum propriè vſurpari cùm ſignificetur, aut illos ex magna humilitate ad magnam dignitatem fuiſſe traductos, aut diuinorum beneficiorum immemores officiique deſertores, atque adeò Iſraëlis nomine indignos ſeſe præbuiſſe. Atque hæc profectò ratio ad hunc explicandum locum aptè accommodatur, cùm illa fides illaque de Deo notitia in iſtis requiritur; quæ in Iſraële magna ac illuſtris fuerat; quibus cum tantùm, vt cum humilimis & vulgaribus hominibus nihil planè dignum Iſraële ſapientibus agitur. [*non eſtis conſumpti.*] Hebraicum verbum *Cala*, omnimodam penitus conſumptionem ſignificat, ita, vt nihil ex ea ſuperſit: vt, Defecerunt, ſicut fumus, dies mei. & illud: Et conteret ſceleſtos & peccatores ſimul; & qui dereliquerint Dominum, conſumentur. Igitur materiam ſibi iudicij in illos exercendi ſupereſſe Deus ait. quanquam enim multi ex eis ante illud publicum iudicium, quod Euangelij tempore edendum fuerat, diſceſſiſſent, eos tamen non protinus liberos atque impunitos euaſiſſe affirmandum erat, cùm non omnia letho finirentur, ſupereſſentque animæ in quas ſeueriſſimum iudicium exercendum eſſet, quæ pœnas etiam cum corpore poſt reſurrectionem daturæ eſſent: quandoquidem corporis mors ex ſacræ ſapientiæ rationibus non conſumptio, ſed ſeparatio dicenda eſt. Quibus ex rebus illud conſequitur, diuinum iudicium à nemine vel publicè vel priuatè effugi poſſe, poſſe tamen (idq. conſultiſſimum eſſe) ab iis, quos legitimè, ſanctè pureque ſcelerum ac vitiorum pœniteret, præuerti & declinari. Quam ob rem aut hoc illi conſilium ſtudioſè capere, aut ſeuerum in ſe iudicium tum publicè, tum priuatè exſpectare monentur. vtrumque enim, & miſericordiæ, & iudicij rationem ſatis teſtatam eſſe oportere plurimis atque frequentibus obſeruatis exemplis arguitur: quæ tamen ab ipſis officio ſuo peruertendo neglecta ſunt.

A diebus enim patrum veſtrorum receſſiſtis à legitimis meis, & non cuſtodiſtis: Reuertimini ad me & reuertar ad vos, dicit Dominus exercituum.

ANTIQVVM & vetus illis eſſe officium ſuum violare, proprium autem & ſolenne ſibi Deus ait officium ab illis requirere, ſuamque miſericordiam & gratiam pœnitentiæ lege propoſita polliceri: qua tamen vt minus aliquando vtantur, eorum ipſorum culpa accidere, qui non modò peccatum & vitium corrigere, ſed agnoſcere etiã faterique negligant. [*A legitimis meis.*] Quæ *legitima* hîc Latinè, Hebraicè HHVKIM dicuntur: ſuntque propriè ea, quæ cuiq. muneris alicuius, quo fungitur, nomine reddenda ex lege vel pacto ſunt, vt quæ regibus, ſacerdotibus, magiſtratibus ſtipendia, tributa vel munera debentur: quæ omnia HHVKIM, Latinè *legitima*, Hiſpanè *fueros* ſiue *derechos* dicuntur. huius nominis ratio multis in ſacrorum librorũ locis aperta, in illo verò apertiſſima eſt, vbi de Ægyptiorũ ſacerdotũ iure & libertate fundorumq. immunitate agitur. quib. ſtatuta cibaria ex horreis publicis pręebebãtur. Hebraicè, QVIBOS, HHOK, &c. Filij autẽ Iacob admiſſę in hoc Gen. 47.

genere aduerſus Deum fraudis accuſantur. atque ad officium faciendum veniæ & miſericordiæ pollicitationibus, vel rurſus vltionis minis reuocantur. Sed quoniam illis ex diuturna conſuetudine fraus & peccatum non agnoſcebatur, atque impudenti ſermone negabatur, & iure & crimine exponendo à Vate indicatur.

Et dixiſtis, In quo reuertemur?

IVRA atque legitima ſua ab illis repetens requirebat Deus; atque ita verbum *reuertimini*, & *reuertar*, actiuè & paſſiuè exponendum eſt. Vtrumque enim vox ipſa indicat, vt Latinè ad verbum dicendum ſit, *reddite & reddimini mihi, & reddam reddar que vobis.* atque hoc modo non ſolùm illorum voluntatem, ſed officium debitum deſiderari ab ipſis eſt cognitum: qui cùm debitum ſuum ex diuturna exſoluendi negligentia non agnoſcerent, reſpondebant, [*In quo reddemus reddemurq;?*] Quidnam eſt, quod à nobis debeatur, quodque reddendum Deo ſit, quod tamen non fuerit redditum; tãtum eſt fraudi faciẽdæ aſſueuiſſe, vt quæ verè debeantur, ex diuturnitate & vſu fraudandi non deberi putentur.

Si affiget homo Deum? quia vos configitis me? & dixiſtis, In quo configimus te? In decimis & primitijs.

IVRA & legitima ſua ſibi per ſummam & nefariam fraudem direpta ab his criminabatur Deus: à quo crimine cùm illi ſeſe alienos ignorationis nomine defendere vellent, arctiſſimè tamen teneri arguuntur; quòd Deo ipſorum principi & gubernatori debita, iuſta & legitima tributa eſſent negata. ex qua etiam re eueniret, vt minus illis annonæ copia ſuppeteret. Argumentatur autem primùm à iure & debito, deinde à facto: tandem ab euentu. Ius eſt, ne quis quem fraudet, ex quo conſequitur iniuriæ genus grauiſſimũ fraudem eſſe; deinde maiorem & grauiorem eſſe fraudem, vbi quis quemquam maiori audacia & contemptione fraudauerit, vt ſi eum, cui plurimum debeat, cuius auctoritatem reuereri atque ſuſcipere, quem plurimum colere oporteat, defraudet, vt regem, principem, aut iudicem ſacerdotemque ſuum. Huius argumentationis vim omnem illa interrogatio complectitur, [*Si affiget homo Deum?*] eſtque locus à comparatione perſonarum, vt maior audacia & contemptio arguatur. [*Homo Deum.*] Alterum nomen Hebraicè eſt *Adam*, alterum verò *Elohim*. Adam hominem ſignificat, qui nihil illuſtre egregiumque præter cæteros habeat, tantùm nomen hominis tueatur. is ſi principibus & illuſtribus in republica magiſtratibus fraudẽ aut iniuriã prudens volensq́; faciat, ſceleris audaciſſimi reus ſit, maximè ſi ea ſubducat, quæ iure optimo debeantur. longè autem grauius & impudentius id facinus fuerit, ſi aduerſum non quemlibet principem & magiſtratu fungentem hominem, ſed aduerſus principem & gubernatorem Deũ ab homine Adam commiſſum ſit. Quamobrem *Elohim* nomen quod Deum principem, iudicem gubernatoremque ſignificat, appellatum eſt. indignum enim eſt, hominem homini, etiam humillimo fraudem facere; principi verò indigniſſimum, Deo autem Opt. & max. principi & gubernatori, omnino nefarium flagitium eſt. Hactenus propoſitio in legitimo ſtatu; nunc deinceps crimen ipſum in aſſumptione oſtenditur. [*Quia vos configitis me.*] *Vos me*, quos vt maioribus & illuſtrioribus, quàm cæteros mortales, beneficiis affectos obſeruantiores & colentiores mei eſſe oportuerat. Confirmatur autem aſſumptio, in qua omnis criminis vis ineſt, indicatione rerum, in quibus fraus Deo facta eſt. [*& dixiſtis, In quo configimus te?*] Nulla dubitatio de propoſitione fuit, in qua de æquitate & iure in vniuerſum quærebatur. quæ ratio cùm per ſe ipſa luceat, neque ab improbiſſimis negari potuit, maximè cùm pertinere ad ſeſe non putaretur. Atque verbum illud affligere & configere, idem enim vtrique voci reſpondet Hebraicum verbum, ad alienarum rerum direptionem, maximè quæ per fraudem fiat, ſignificandam propriè vſurpatur. cuius illud ſatis apertum exemplum etiam

Prou 22. in noſtra verſione eſt: Non facies violentiam pauperi, quia pauper eſt; neque conteras
" egenum in porta, quia iudicabit Dominus cauſam eius: & configet eos, qui confixerunt
" animam eius. Igitur decimas & primitias, quas ad ſacerdotes alendos, ſanctaque omnia curanda, ſibi ex annuis fructibus perſoluendas conſtituerat Deus, per fraudem à populo ſubductas criminatur: atque ita non ſolùm ſacerdotes, ſed omnem hominum ordinem accuſat, quòd vnuſquiſque propter auaritiam & cupiditatem officium ſuum prodiderit & violarit, dum ſacerdotes debitum Deo cultum negligunt, populus ea tributa ſubripit, quæ non modò propter muneris dignitatem & miniſterium, ſed ipſius etiam annonæ augendæ cauſa perſoluenda fuerant, neque tamen conſequentem inopiam & frugum defectum ſuæ culpæ, ſed temporum & diuinæ voluntatis mutationi aſſcribebant.

Et in

Et penuria vos maledicti eſtis, & me vos configitis gens tota.

OMNIS humanæ mentis error in diuinis rationibus nõ rectè & ſapiẽter interpretandis
verſatur: idque fit ex diuini verbi ignoratione. Imperauerat populo Deus annuorũ fru-
ctuum decimas & primitias, præmiumque eius rei ſanctè obſeruatæ ſummam fertilitatẽ
& copiam poſuerat. Omnes, inquit, decimæ terræ ſiue de frugibus, ſiue de pomis arborum, Leuit.27.
Domini ſunt, & illi ſanctificantur. & in Deuteronomio: Decimas & primitias manuũ ve- «
ſtrarum, & vota atq. donaria, primogenita boum & ouium. Et comedetis ibi in conſpectu Deut.12.
Domini Dei veſtri, & lætabimini in cunctis, ad quæ miſeritis manum vos & domus veſtrę, «
in quibus benedixerit vobis Dominus Deus veſter. Atque hoc modo vel rerum augenda- «
rũ cauſa decimas & primitias ſoluere, fuerat conſultiſſimũ, qui tamen id, quod per frau-
dem ſurriperetur, ſuis rebus acceſſurum putantes, magnæ ſibi ipſis fraudi fuerant, dum ob
eam cauſam inopia & caritate ſumma laborarent. cùm verò in dies maiori premerentur
penuria, cogitare oportuerat & prouidere, num illa miſeriæ cõſtantia & incrementa ipſo-
rum culpa aut defectu aliquo magis, quàm caſu accideret: idque quemadmodum corri-
gi poſſet, prouidere. ſecus verò ab ipſis & putabatur & curabatur. publica namque & pri-
uata omniũ voluntas & mens ad fraudem intenta erat: interim verò annorum ſterilitas
quotidie maior & miſerior vel caſui, vel Deo ab ipſis alienato; non ſua culpa, ſed illius
voluntate & mutationis ſtudio aſſcribebatur. hoc eſt quod Deus ait, *Et penuria maledicti eſtis,
& me vos configitis gens tota.*] Omnium enim communis error atque commune nefariæ frau-
dis ſtudium erat: quod tamẽ vt deponerent, adhortatus magnã rerum in melius conuer-
ſionem pollicetur; adeò vt apertè cognoſcere poſſint, ipſum ſibi ſemper conſilio & ſenten-
tia, atque beneficentiæ ſtudio conſtare, illos autem ſua culpa ſeſe ab ipſo atque ab omni
felicitate abalienare.

*Inferte omnem decimam in horreum, & ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc, dicit Dominus: ſi
nõ aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem vſque ad abundantiam.*

ADEO conſtantem atque præſentem ſeſe ad beneficentiã præbet Deus, vt polliceatur
nunquam per ſe ſtandum, quo minus homines maximis atq. à ſe promiſſis bonis & com-
moditatibus afficiantur, ſi modò ipſi pactis condicionibus etiam intermiſſis ſtare velint.
atque in ea re fidem & conſtantiam ſuam probari non patiatur modò, ſed etiam cupiat, vl-
troque iubeat. Iubet igitur hoc loco populum decimarum & primitiarum exoluendarum
rationem diligenter & religiosè procurare, atque in ea re vel ipſius conſtantiæ & benigni-
tatis periculum fieri illis permittit: idque vno anno, eoque proximo obſeruari. quod ſi
ex animi eorum ſententia euenerit, imò abundantius & felicius etiam, quàm vel optari ab
ipſis poſſit, ſucceſſerit, diuinum conſilium cum vaticinio conſentiens interpretati, id por-
rò deinceps ſequantur: ſin minus, liberam relinqui illis de cætero ſententiam. adeò certam,
adeò teſtatam ſuam benignitatem Deus hominibus eſſe vult, vt vel eos, qui propter de-
prauatas & veteres opiniones ſecus exiſtiment, experiri patiatur, vltroq. roget. neque verò
hoc illi præcepto aduerſatur, Non tentabis Dominum Deum tuum. vbi, ne quid præter Deut.6.
præſcriptum cum Deo agatur, cautũ eſt. hic verò infirmioribus iam & ſua culpa errantibus, «
vt ex præſcripto agatur, ſuaſum eſt. [*Si non aperuero vobis cataractas cæli.*] Iurandi & confirman-
di forma ſacrę linguæ familiariſſima eſt: altera enim orationis parte expreſſa, altera de qua
quæritur, ad conſequentiã vel tollendã vel ſtatuendam reſeruatur: vt, Si nõ humiliter ſen- Pſal.130.
tiebã. magnã verò & certam non modò abundantiam & fertilitatem, ſed fertilitatis exſpe- «
ctationem atque exſpectationi reſpondentẽ euentũ, & vota etiã ſuperãtem ſucceſſum fo-
re, ita vt res non caſu, ſed certo conſilio, atq. ex condicto adducta & effecta apertè cogno-
ſcatur, illa rerũ conſequentia indicatũ eſt: vt cùm primum decimæ & primitiæ, quę eo an-
no per fraudẽ ſubductæ erant, in horreum ſacrũ ad ſacerdotũ & leuitarum cibos reſtitutæ
eſſent, proximo ſtatim anno cataractæ cęli opportunis pluuiis aperiẽdæ eſſent, quib. terra
adeò fecunda redderetur, vt benedictio, hoc eſt, copia vſque ad abundantiam efflueret. He-
braicè, *vſque ad non ſufficiens*: hoc eſt, nõ modò ſufficiens, ſed vlterius etiã quàm ſufficiens: ra-
rò enim ſatis ſuperque agricolis eſſe ſolet. Deus verò hoc loco promittit nõ modò ſatis, ſed
etiam ſuperfuturum. Hanc ſententiam Interpres noſter abundantiæ nomine ſignificauit.
nam quod abundat, ſatis ſuperque eſt. atque fertilitatem vt certiſſimam atque conſtan-
ti conſilio prodeat, pluribus partibus amplificandam ornandamque eſſe confirmat.

*Et increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ veſtræ: neque erit ſterilis vinea in
agro, dicit Dominus exercituum. & beatos vos dicent omnes gentes. eritis enim vos terra deſiderabi-
lis, dicit Dominus exercituum.*

LOCVSTARVM & beſtiolarũ noxiarũ genus omne, quod irati in eos Dei, quaſi ſatellites

quidam & miniſtri, agros vineaſque hactenus vltra illã cæli intemperiẽ deuaſtaret, auertẽdũ ita ab illis eſſe dicit, vt cæteris omnibus gentib. probaretur, eius regionis præteritã ſterilitatem, & præſentem vbertatem non caſu & rerum viciſſitudine, non ſoli natura, ſed Dei conſilio & voluntate conſtare. neque enim tanta, tam conſtans & certa mutatio ea ſu, neque vlla alia ratione, niſi Dei tantùm voluntate definiri poterat. certam enim & præſentem tutelam eſſe oportuit, quæ vno anno & deinceps maximam terræ fœcunditatem omni cæli ſolique opportuna conſtitutione efficeret: neque quicquam tamen noxium ſupereſſe fineret, ſed locuſtam cæteraque infeſta animalia fugaret, cum tamen cæteris regionibus neque tanta, neque cunctis partibus conſtans ac temporibus perpetua felicitas accideret. Solet namque qui frumentariȩ rei commodus annus eſt, plerumque arboribus & vitibus eſſe incommodus. neque idem ſemper & pecoribus & cætera ruſticæ rei augendæ idoneum atque æquum tempus eſt. vbi verò omnia ex ſententia eueniunt, ſingularis & præſentiſſima quædam diuinæ prouidentiæ atque voluntatis ratio probatur. id autem illis cum ſumma gloria vtilitateque ipſorum, cum magno & illuſtri admirandoq. cæteris gentibus exemplo euenturum Deus pollicetur. [*Eritis enim vos terra deſiderabilis*: Hebraicè, *terra voluntatis*.] Terra, quã Dominus exercituum vult, omnibusque modis tuetur & fouet, ſicut
Pſal. 113. ſcriptum eſt: Deus autem noſter in cælo, omnia quæcunque voluit fecit. hoc autem non ipſius terræ ſtudio, ſed hominum ipſorum, quos Deus amarit, cauſa & futurum & à gentibus agnoſcendum eſſe ait.

Inualuerunt ſuper me verba veſtra, dicit Dominus, &c.

ARGVMENTVM de prouidentia ac religionis vſu vt grauiſſimum & maximi ad humanæ vitæ inſtitutionem ponderis atque momenti Vates hoc loco perſequitur: idque diuini conſilij publicè exſpectandi expoſitione abſoluit. ea etenim, quæ hactenus reprehenderat, in populo ſcelera, vt prophanarum nuptiarum appetentiam, religionis etiam & diuini cultus violationem, in qua decimarum & primitiarum negatio & ſubductio publica fuit, ex hoc errorum fonte irrigata creſcere indies videbantur: quòd diuina erga homines pios prouidentia & cura, non modò in dubium vocata, ſed etiam improbiſſimorum hominum ſermonibus oppugnata, atque ex imperitorum animis penè ſublata eſſet. cumque de rebus ipſis antea actum ſit, hoc eſt, de fide, officioque cùm erga homines, tum erga Deum violato, de voluntate nunc etiam agitur, ex qua præcipuè humana facta probari improbarique ſolent; oſtenditurque grauiſſimis iam notatis ſceleribus grauiorem nequioremque multo animi impulſum volũtatemque fuiſſe. Atque adeò ob eam rem Deum illis magis infenſum cogitare, quemadmodũ vel illi ad mentem officiumque redeant, vel quàm pertinaciter negauerint, prouidentiam magno ſuo incommodo fateri & agnoſcere cogantur. Quoniam verò Deus, qui ſpiritus ſimpliciſſimus atque optimus eſt, animorum impulſum prius, quàm res ipſas & facta examinat, & quæ ad offenſionem cultúmue ſuum pertineant, ex ſententiæ & conſilij rationibus magis, quàm ex rebus ipſis æſtimat, quãquam facta ipſa, quæ vel malitia, vel fraude notantur, vehementer improbaret; vehementiſſimè tamen conſilia ſententiaſque impiorum & turpiſſimorum reprehendit; eaque ob eam rem ſibi grauiora & moleſtiora eſſe dicit, quòd cùm ſpiritualia magis natura ſua ſint, diuinã dignitatẽ (ſi capere id res poſſit) propriùs & certius lædere & offendere videantur. Hæc illius propoſitionis ſententia eſt. [*Inualuerunt ſuper me verba veſtra*: Hebraicè, *fortificauerunt*.] Duriſſimis & contentiſſimis aduerſum me ſermonibus egiſtis. quod cùm illi ex more negantes, prius quàm tentare, an Deo notum eſſet, viderentur, obiectum tamen ſibi & expoſitum audiunt. atque hoc modo non ſolùm humana facta, ſed neque effata, neque cogitata Deum latêre intelligunt.

Et dixiſtis, Quid locuti ſumus contra te?

NEGARI profectò non poterat, id quod ab ipſis dictũ fuiſſet: ſed tamen fugere atque latere Deum putabant, vtpote quem res hominũ negligere crebris inter ſe ſermonib. aſſerebant. Itaque huiuſmodi interrogatio non ad negationem, ſed ad tentationem ſpectat: qua ſententiam ſuã, ſi minus clarè à Deo reſponſum eſſet, confirmarent, hoc eſt, hominum dicta aut facta Deo vel ignorari, vel negligi. [*Quid locuti ſumus contra te?*] Hebraicũ verbum paſſiuũ eſt, quo Latina lingua caret; cùm, loquor, ex Deponentiũ genere ſit. quanquã verò expoſitores actiuè interpretentur, magnã tamẽ ſignificationẽ paſſiua vox hoc loco habet, quæ cũ eorũ, qui reprehẽduntur, ſentẽtia conueniat. nã cùm iſti hominũ res à Deo non curari affirmarent, ſermones etiã, qui minus, quàm facta, aperti & expoſiti ſunt, nõ intelligi aſſerebant. ſi quid autẽ à vatibus Dei nomine diceretur, vel id eſſe ab ipſis confictum,

vel aliàs ex aliis auditum, non autem vt planè vaticinij virtute cognitum, aut à Deo illis expoſitum & creditum: quod an ex aliis acceptum fuerit, facilè deprehendi poſſet, ſi recitare & referre iuberentur. nam quæ narrata ex aliorum ſermonibus referuntur, ferè nunquam totidẽ verbis iiſdemq. modis repeti ſolent: ſed tametſi eadem ſententia, aliis tamen atque aliis verbis narrantur, vt non eadem omnibus ſermonis ratio & elocutionis forma eſt. Hæc igitur illius interrogationis expoſitio eſt. [*Quid locuti ſumus contra te? quidnam dicti ſumus ſuper te?*] Quid, inquiunt, delatum aduerſum te de nobis eſt? neque enim te diuinaſſe, ſed audiſſe arbitramur. Eam verò improbam & aſtutam interrogationem Vates redarguit iiſdem qui ab iſtis proferrentur, ſermonibus ad verbum recitandis.

Dixiſtis, Vanus eſt qui ſeruit Deo: & quod emolumentum, quia cuſtodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus triſtes coram Domino exercituum?

NON impudentiſſimi modò, ſed ſuperbiſſimi ſermones à Vate Dei nomine referuntur, quibus impij illi homines diuinam prouidentiam, & humanarum rerum curam, miſericordiam & iuſtitiam non ſolùm negare, ſed apertè oppugnare atque euertere contenderent: ob eamque rem inualuiſſe aduerſum ſe iſtorum ſermones dicebat Deus, quòd multo quàm antè inſolentiores & improbiores iactarentur. anteà enim omnem prouidentiæ vim & efficientiam vna iudiciorum ratione excepta Deo tribuebant: nunc verò omnia negant, omnia detrahunt, diuinoſque honores apertè diſſuadent: idque cum maxima bonorum & piorum hominum offenſione & commotione faciunt. Continet autem oratio hæc omnia ferè religionis capita, quæ petere atque euertere molitur. Religionis autem prima & ſumma capita duo ſunt, fides & obedientia. Accedentem enim ad Deum, primùm oportet credere, quòd eſt, & quòd diligentibus ſe remunerator eſt. hac fide imbutum animum diuinum cultum & pietatis officia omnia ſuſcipere etiam oportet, ſicut ſcriptum eſt: Ambula coram me & eſto perfectus, &c. Poſteriora verò religionis capita duo etiam ſunt, præmiorum pro rectè factis firma ſpes, aut pœnarum pro vitiis & peccatis certiſſima expectatio, ſicut ſcriptum eſt: Nónne ſi bene egeris, recipies? ſi autem malum, ſtatim in foribus peccatum eſt? Gen. 4. Omnia autem capita hæc firmiſſimæ religionis arces iſtorum oratione oppugnabantur. primùm enim illud iactatum eſt, *Vanus eſt, qui ſeruit Deo.*] Fruſtra operam oleumque impendit, qui Deum colit, inquiunt: quo ſermone & fides omnis de Deo, & de hominum erga Deum ratione & obſeruantia impugnatur. aſſeritur enim diuinam naturã longè à rebus hominum ſepoſitam, nihil cum hominibus cõmune habere, nihil humanarum rerum aut indigere, aut expetere, nihil mortalium cultu affici aut iuuari, ſuperuacaneumq. hominibus & ineptum eſſe, iis rebus ſtudium operamq. impendere, quæ ad illum, cui impendantur, minimè pertineant, ſicut & ille de eadem re dicebat: Porro ſi iuſtè egeris, quid Iob 35. donabis ei? aut quid de manu tua accipiet? homini, qui tui ſimilis eſt, nocebit impietas tua, & filium hominis adiuuabit iuſtitia tua, &c. Hoc itaque ſermone aſſerebant diuinum cultum vanum & ſuperuacaneum ex parte ipſius culti Dei eſſe; vtpote ad eum non pertinentem. deinde etiam idem ex parte colentis aſtruebant, cui nihil commodi ex ea re accidere contenderent. [*Et quod emolumentum, quia cuſtodiuimus præcepta eius?*] Primùm honeſtas, deinde & vtilitas omnis negatur: aut enim ipſius Dei cauſa, quia bonus eſt, quia omni cultu ac pietate digniſſimus colendus eſt; ſed tamen ad eum non pertinet humanum quicquam, imò vana ſunt, quæ ipſi à mortalibus tribuuntur: quæ verò vana ſunt, honeſta eſſe non poſſunt. Igitur ſi non propter Deum colendus Deus ſit, quæritur, an propter homines ipſos fuerit colendus; quòd quanquam ille nulla noſtra re indiget, nobis tamen exorati, vt proſit, colendo, vel ſaltem, vt ne auerſis à ſe noceat, abſtinendo & continendo poſſit. [*Sed quod emolumentum, quia cuſtodiuimus præcepta eius? & quia ambulauimus triſtes coram Domino exercituum.*] Agendarum rerum vtilitas altera ex duabus rationibus, vel vtraque ſimul definitur, vt bene & feliciter, vel vt non malè & infeliciter eueniat. Pietatis autem ſtudium poſt fidem duplici cura conſumitur; altera beneficentiæ & agendarum rerum; cauendarum verò & continentiæ altera, priori quidem præmia magna & diuina; poſteriori verò ſecuritas propoſita eſt. Vtramque autem iſti labefactare atque euertere nitebantur, tum nullum benefactis præmium, tum nullam etiam maleficiis apud Deum pœnam conſtare aſſerentes. [*Et quia ambulauimus triſtes coram Domino exercituum.*] Ambulare triſtem, ſiue, vt Hebraicè eſt, obſcurum & humilem, idem ſignificat, quod apud Latinos humiliter, patienter, modeſteque agere. eſtque propria illorum deſcriptio, qui vel propter inopiam & imbecillitatem, vel magis propter pietatem diuinumque timorem, neque quenquam lædunt, neque læſi etiam ſeſe violenter vlciſcuntur, ſed omnia potius pati, quàm ſuperbè quicquam agere malunt, iniuriarumque ſuarum priuatam cauſam Deo potius vltori vindicandam, committunt, quã

Rom. 12. ipſi ſuſcipiant, illud certiſſimè credentes quod ſcriptum eſt: Mihi vindicta, & ego retri-
Cant. buã eis in tempore,&c. huius ſententiæ illud apud Iob eſt: Mœrens incedebam ſine furo-
Iob 39. re, conſurgens in tuba clamabam. & apud Pſaltem: Quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus? [*coram Domino exercituum,*] Deo vltore, vt aliàs expoſuimus. Itaque religionis & pietatis obſeruantiam neq; Deo gratã, neque hominib. vtilem eſſe dicebant, vt quæ neque cultores bearet ſuos, neq. etiã iniuriis accipiendis defenderet, neque acceptis conſolaretur aut vlciſceretur. Vtriuſque autẽ requiſitæ rei exemplum in ſeipſis illi ſtatuebant, ſeq. proprio periculo obſeruaſſe aiebant, nihil videlicet ſibi in vtroque genere religionis obſeruantiam profuiſſe, quaſi ſeipſos iuſtos, innocentes & pios prædicantes: atque hoc modo & exiſtimationi gloriæque ſuæ conſulebant, & diuinæ prouidentiæ ac religioni vehementius detrahebãt; neque enim alios iuſtos & pios proferunt, quibus pietas nihil profuerit, quoniam id refelli facilè poſſe videbant ab iis, qui audirent, dicentibus, nec ſibi, nec ipſis exploratum eſſe, an illi, quos appellarent, pietatem & innocentiam purè ſanctéque coluerint. nemo enim homo alterius conſcientiæ certus teſtis eſſe poteſt; ſuæ verò vnuſquiſque certiſſimus eſt. hi de aliis in pietatis & religionis cultæ rationibus nihil affirmant; ſe verò ipſos ſui teſtes, quãquam mentiti, probabilius tamen ſtatuere, quàm alios appellare poſſe arbitrantur. [*Quia cuſtodiuimus & ambulauimus.*] O ſtultiſſimã hominũ improbitatem, ô humanam argutiã peſtiferã! ô impiiſſimã audaciam: quæ eò vſque procedat, vt non ſolùm propriis exemplis, falsò productis, diuinas rationes neget, ſed alienis etiam tentare atque euertere moliatur. hoc eſt, inualere ſermones hominum contra Deum religionis fidem & pietatis obſeruantiam à ſe primũ, deinde & à cæteris hominibus negligi & violari, imò labefactari & euerti conari. hoc eſt, bellum cælo inferre, Deumque è ſede maieſtatis ſuæ deturbare, tentare: id autem quia cæteris hominibus audaciſſimũ & terribiliſſimũ iudicatur, ſibi, ij qui auſi fuerint, cùm vtiliſſimũ, tum glorioſiſſimũ facinus fore ducunt. vt ille impius de quodam huiuſmodi impietatis audaciſſimo duce prædicabat:

Lucre. lib. 1.

Humana ante oculos fœdè cùm vita iaceret
In terris depreſſa graui ſub religione,
Quæ caput è cæli regionibus oſtendebat,
Horribili ſuper aſpectu mortalibus inſtans.
Primum Graius homo mortaleis tollere contrà
Eſt oculos auſus primusq; obſiſtere contrà.

quanquã non ille primus huius temeritatis & improbitatis dux fuerit. namque ante Epicurũ plurimi etiam apud Iſraëlitas, nedum apud gentes eius impietatis profeſſores extiterunt. Itaque & miſericordia & iuſtitia diuina, atq. omnis Dei erga homines ratio ab iſtis ſuorum ipſorum, falsò quidẽ, ſed tamen aſtuto teſtimonio & exẽplo negata & oppugnata eſt: eadẽ autẽ res alterius contrariæ partis cõparatione ab iſtis affirmatur. aſſeritur enim non modò pietatem inutilem, ſed impietatẽ contrà atq. ſcelus vtiliſſima hominibus eſſe.

Ergo nunc beatos dicimus arrogantes: ſiquidem ædificati ſunt facientes impietatem.

IMPROBORVM hominum proſperitatibus Dei prouidentiam apud homines redargui: idque eſſe perpetuum impiorum argumentum, iam aliàs oſtendimus. Igitur idem nunc ab iſtis vſurpatum eſt, quo non modò pietatis ratio eleuetur, ſed impietas etiam anteponatur. dixerant autem pietatis exercitationem ſuperuacaneam inutilemque eſſe, nunc impietatis vſum & ſtudium honeſtum atque vtile eſſe addunt, quòd illis neque gloriam, neque commoda hominibus comparari ſuo exemplo ſtatuerent: his verò vtrumque præſtari affirment: idque aliorum exemplo, quorum ſcelera & inſolenter ſuperbeque geſtæ res, quòd publicè conſtiterint, negari non poſſent. nam de factis aliorum apertum teſtimonium eſſe poteſt, præſertim de facinoribus, quæ ex ſuperbia, ambitione atque audacia proficiſcuntur, quæ vt notentur, ipſi etiam, qui admiſerunt, volunt, ſicut ille dixit:

Iuuen. ſat. 1.

Aude aliquid breuibus gyaris & carcere dignum,
Si vis eſſe aliquis. Probitas laudatur & alget.

Ita iſti ſe pietatis & officij cultura ſibi tantum peperiſſe aiunt commodi, vt intelligerent impietatis partes ad vitæ vſum, commoda & ſplendorem potiores eſſe, quando illius cultores miſeros ſuo periculo; huius verò felices aliorum exemplo probarent. ita, vt ſuæ ſortis pœnitentia, aliorum verò inuidia duci cogerentur. [*Ergo nũc beatos dicimus.* Hebraicè, *Et nunc nos, &c.*] Nunc tandẽ inquiunt, nos qui officium, modeſtiã, temperantiam innocentiamq. coluimus, id ſolùm nobis præſtitiſſe affirmamus, vt alterius partis ſectatores ſapientes felicesq, eſſe, non ſine inuidia, dicamus. nobis namq. humilitas & triſtitia illa nihil, præter miſeriam & ignobilitatem, obſcuritatẽ & contemptionẽ attulit: ſuperbis verò & arrogantib. ſua illa vitæ ratio gloriam imprimis, ſplendorem, amplitudinẽ, dignitatemq. afferre conſpicitur; vtpote qui iniuriam omnem à ſe propulſantes, aliis facere cùm impunè, tum glorioſè poſſunt: quando illuſtres homines ij dicũtur, qui potentia, viribus, audacia, atque

inſolentia aliis formidabiles admirabileſque ſunt. hos mundus laudat, hos celebrat, hos frequenter commemorat; innocentes verò, modeſtos, pios & manſuetos ignauiæ atque inertiæ nomine reprehendit: atque iis ipſis, quamuis exiguis rebus, quas poſſidere cognouit, indignos ob id ipſum arbitratur, quòd contentos eſſe intelligat. Hos itaque ſolùm ſapere & optimè viuere dicimus, qui ſuperbiſſimè inſolentiſſimeque agunt, quantũ ad nominis celebritatem, vitæ ſecuritatẽ, ſplendorem atque vſum, quantum ad cõmoda ſpectat, cum iis commodiſſimè agi videmus, qui impiiſſimè & iniuſtiſſimè viuunt. [*Et ædificati ſunt facientes impietatem.*] non modò inquiunt, rem familiarem iniuria, dolo & fraude conſeruari & tueri, ſed comparari etiam atque amplificari videmus: ita vt qui nihil omnino aut habuerãt, aut bonis artibus ſibi pepererant, poſtquam malis rationibus agere cœperint, & pecuniã innumerabilẽ corraſerint, & ex nihili hominib. tanti euaſerint, vt omniũ aliorũ dignitatẽ exęquẽt. hoc eſt ædificare Hebraicè in loco, quod apud Latinos familiã, & familiarem atque domeſticam rem patrimoniumq́. conſtituere: vt, Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. [*Facientes impietatem.*] Impietas & impius, ſolẽnia in iure & in foro verba ſunt apud Hebræos. nam qui cauſam tuetur iniuſtam, ſiue reus, ſiue actor fuerit, RASSAGH; ipſa verò iniqua & iniuſta cauſa RESSAGH vocatur. vbi enim nos legimus, Et dixit Moſes ei, qui faciebat iniuriam, Quare percutis fratrem tuum? Hebraicè eſt, Et dixit le RASSAGH. & in Iudicialibus inſtitutis: Inſontem & iuſtum non occides: ſubiungitur autem, quia auerſor impium. denique in hoc genere nomen impius iuſto opponitur: vt, Abſit à te, vt rem hanc facias & occidas iuſtum cum impio, fiatque iuſtus ſicut impius. non eſt hoc tuum, qui iudicas omnem terrã, &c. Itaque iniuria, fraude, dolo, furto, rapina, alea non modo patrimonia cõſeruata, ſed comparata ampliſſimeque conſtituta fuiſſe aſſeuerant: *Et ædificati ſunt facientes impietatem.*] Pſalm. 126. " Exod. 2. " Exod. 23. " Gen. 18. "

Criminibus debent hortos, prætoria, menſas, Argentum vetus, &c.

&, vt Pſaltes aiebat: Ecce ipſi peccatores & abundantes in ſeculo obtinuerunt diuitias. Atque huiuſmodi quidem ſcelera non ſolùm hominum iniuria, ſed numinis etiam contemptione ſtudioſè ab hominibus ſuſcepta & impunè perpetrata, commodo potius quàm fraudi ſuis auctoribus fuiſſe, impij iſti addunt: ita vt commodius & melius cum audacibus & ſceleratis atque impiis, quàm cum piis & innocentibus agi contendant. alij namque obſcuri & ignauia ſepulti iacent; alij verò ab hominibus formidati, à numine minimè repreſſi, opulenti, potentes, clari, ſummique euadunt. huiuſmodi eius quæ ſubiungitur, orationis ſententia eſt: *Et tentauerunt Deum, & ſalui facti ſunt.*] Non modò vexationem direptionemque hominum, ſed numinis etiam contemptionem, atque conſulto & ſummo impietatis ſtudio ſuſcepta ſcelera inulta ac libera multis fuiſſe aiunt, ita vt ex tanta importunitate & audacia peccandi ſecuritas, & cupiditatũ licentia magis obtenta & aucta, quàm pœna vlla ſuſcepta videatur. Fuêre enim nonnulli, qui grauiſſima & neſaria ſcelera diuini iudicij tentandi cauſa admiſerint, cùm apud Hebræos, tum apud gentes etiam: qui quoniam Dei patientia impræſentiarum abuſi, appetitis rebus frui aliquandiu ſpectati ſunt, cauſam omnem aduerſus Dei prouidentiam & iudicium obtinuiſſe, ſtultis & piis audacibuſque hominibus viſi ſunt. nam & Nabuchodonoſor ſupellectilem omnem ſacram è templo cum numinis contemptione diripuiſſe dicitur. & Pompeius Magnus ſecũdi etiam templi temporibus idem etiam auſus eſt. Præterea & Roboam religionem Dei veram omnem apud Iſraëlitas euertit & perturbauit: idq́. ea tempeſtate qua moliretur, impunè viſus eſt tuliſſe. Rapſace etiam neque ſibi, neque principi ſuo vllum tantùm deorum numen exiſtimatum fuiſſe iactabat, quòd non fuiſſent cum felici euentu periclitati. Phalarim præterea aiunt Deorum ſimulachra cum ſumma non tam deorum ipſorum (qui re ipſa nulli erant) quàm religionum omnium contemptione & contumelia (quod neſario ſceleri etiam Gentibus aſcribebatur) expoliaſſe. Huiuſmodi verò exempla ab iſtis hoc loco indicantur, eorum, quorum audacia & furor Dei etiam iudicium periclitatus impunitate ali magis, quàm vltione reprimi putaretur. Quoniam verò non ex ſua tantùm gente, ſed ex aliis etiam nationibus exempla ab iſtis indicabantur, conſulto nomen Dei commune ELOHIM, quod gubernatores, præſides atque iudices ſignificat, appellabatur: quo nomine Deum gentibus omnibus notum & cultum eſſe, iam aliàs edocti ſumus. Hunc igitur Deum, quiſquis in cælo terras & humanum genus regere putaretur, impunè tentatum fuiſſe iſti dicebant. [*Et ſalui facti ſunt*, Hebraicè, *Et euaſerunt.*] liberi & impuniti, cùm ſumma ſcelera diuini iudicij tentandi animo atque ſtudio perpetrarint: quæ tamen Deum ſe vel hominum rerum, vel ſuę etiam dignitatis vindicem opportunè probaturum prętermittere non oportuiſſet. Hæ iſtorum importuniſſimæ pariter & acutiſſimæ ſententiæ argumentaque ſunt, quæ humanæ tantùm ſapientiæ artificio & præſenti ſenſu expenſa

Pſalm. " Iſa. 36.

nonnihil firmitudinis & roboris habere videantur ad imperitorum hominum animos de prouidentiæ ſententia deducendos, adeò vt hæc res his tantùm modis tractata piis etiam viris negotium moleſtiamque exhibeat cogitandi, quemadmodum vel hæc argumenta labefactari, vel imperitis & infirmioribus hominibus conſuli atque ſatisfieri in hac cauſa
Pſal.72. poſſit, ſicut ſcriptum eſt: Si dicebam, Narrabo ſic: ecce nationem filiorum tuorum repro-
" baui. rurſus verò: Exiſtimabam, vt cognoſcerem hoc: labor eſt ante me. atque hoc eſt quod
" ex huiuſmodi impiorum diſputatione euenire Vates noſter ait.

Tunc locuti ſunt timentes Dominum, vnuſquiſque cum proximo ſuo.

SI ex communi verbi Latini Loquor, ſignificatione locus hic ſit explicandus, facilis cognitu totius orationis fuerit ſententia: cuius argumentum eiuſmodi eſt: Pios homines hāc impiorum de prouidentia diſputationem audientes inter ſe egiſſe & deliberaſſe, quemadmodum his argumentis reſpondentes ſatisfacere vulgo imperitorum aut infirmiorum hominum poſſent: vel ſeſe mutuo exhortatos fuiſſe, ne videlicet ob huiuſmodi argumenta & ſermones animum deſponderent, atque à pietate ad ſcelera deſciſcerent, quando vnus Dei timor in animis conceptus, abundè ſatis ſibi eſſe poſſet ad virtutis ſtudium colendum religionemq́. retinendam, etiā ſi nihil ad reſpondendū atque aliorum argumenta euertendum ſuppeteret, vnam diuinam legem & traditam à maioribus diſciplinam ſibi ad religionis cuſtodiam ſufficere, quibus Deum humanarum rerum gubernatorē & iudicem edocti crederent. neque ab hac fidei ſtatione vllis rationibus, vllis argumentationibus, quamuis præſentibus exemplis, petiti & oppugnati decedere deberent. Hæc quidē huius loci ſatis idonea, atq. ad argumentū ipſum accōmodata expoſitio videretur, ſi nobis ex coniectura diuinantibus, quid ipſi ſentiremus, ac non magis quid verba indicarent, exponere conſiliū fuiſſet. Sed quoniam illud ſemper interpretando cauimus, ne quid viuentis & ſapientis Dei ſermonibus ingenioſè adderemus, quod verborum ipſorum notatione minus contineretur, aliam non minus commodam, ac magis fortaſſe ex verborum ſimplici ratione petitam expoſitionem afferemus, probandæ tamen vtriuſuis arbitrium integrum lectori relinquentes: quandoquidem nihil ex alterutra, neque de pietatis, neque de rerum & ſapien-
דבר tiæ rationibus derogatur. [*Tunc locuti ſunt.*] Omnis omnino ſententiæ ratio in verbo DABAR Hebraico poſita eſt: quod vt Latinè loqui, frequentiſſimè redditur; ſic etiam excidere, perdere, vaſtare, non infrequenter ab Interprete noſtro vertitur. vtramque enim ſignificationem ſortitum eſt: vtram verò ſequi conueniat, locus ipſe, & ſententiæ ratio indicare apertè ſolet. In hac ſignificatione vſurpatur verbum, vbi noſtra verſio Latina legit,
2.Par.22. " Neque erat vltrà ſpes aliqua de ſtirpe, quis regnaret, Ezechiæ. & apud Pſaltem: Deus, qui
Pſalm.17. das vindictam mihi, & ſubdis populos ſub me: Et ſubiecit populos nobis. & in illo aper-
Pſalm.46. tiſſimè vbi Latina verſio habet, Tunc loquetur ad eos in ira ſua. quid enim ſignificet ver-
" bum, *loqui ad eos*, poſteriori hemiſtichio exponitur: Et in furore ſuo conturbabit eos. Ex hac
" autem ſignificatione DEBER, nomen eſt, quod peſtilentiam & internecionem, & MIDBAR, quod ſolitudinem deſertumque vertimus. Atque hoc loco verbum paſſiuè vſurpatum eſt. [*Tunc locuti ſunt timentes Dominum vnuſquiſque cum proximo ſuo. Tunc vaſtati ſunt timentes Dominum.*] Eſt autē illa loci huius ſententia cum præcedentibus connectenda: quòd poſtquam eouſq. quorundam hominum audacia proceſſerit, vt Deus etiam ipſe tētatus impunè ſit, plurimum detrimenti pietas acceperit, piis hominibus multis partim à ſuis vicinis & ſociis oppreſſis & vexatis, partim perturbatis, ita vt timentes Dominum exciſi ſint. [*vnuſquiſq cum proximo ſuo*, ſiue, vt Hebraicè eſt, *ad proximum ſuum.*] vt piis hominibus aliorum hominum ſocietas, cùm ob ſuam ipſorum perniciem, tum ob impium exemplum nō tuta fuiſſe oſtenderetur atque hoc modo aperta & ſimplex loci huius ſententia ſine vlla adiectione conſtiterit. Hanc verò cauſam natura ſua grauiſſimam, plurimum ad humanæ vitæ inſtitutionem momenti ac ponderis habētem, non ſolùm ſibi ſuſceptā & iudicandam, ſed ſuū etiam de ea re conſilium vt ſibi certiſſimū, ita & piis hominibus apertiſſimum & teſtatiſſimum eſſe Deus voluit, quamobrem per Vates exponendum & docendū curauit; non modò piorum & impiorum hominum facta, ſed dicta omnia ſibi nota obſeruataque eſſe: atq. huiuſmodi impios aduerſus prouidentiam iudiciumque ſuum ſermones, cum ingenti auctorum ſuorum pernicie, & piorum & conſtantium hominum fructu fore demum redarguēdos.

Et attendit Dominus, & audiuit: & ſcriptus eſt liber monumenti coram eo timentibus Dominum, & cogitantibus nomen eius.

SERMONES illos, quibus diuina prouidentia oppugnabatur, non negligenter, ſed attentiſſimè auditos à Deo, atq. de ea re ſtatim commodiſſimè in gratiam atque vtilitatem piorum

pioum prouiſum fuiſſe Vates docet: ita vt quid reſpondendū de cætero, quid ſperandum exſpectandumque piis fuerit, apertum iam atque teſtatum, omnibuſque deinceps manifeſtum ſit. [*Et attendit Dominus & exaudiuit.*] quod illi non curari & neſciri à Deo arbitrabantur, attentè tamen obſeruatum auditumque eſt. habet verbum *attendit*, adiunctam curam, & diligentiam ex Hebraico verbo KASSAB: vt, Intende voci orationis meæ, rex meus & Deus meus, &c. Aperiantur quæſo oculi tui, & aures tuæ intentæ ſint ad orationem, quæ fit in loco iſto. eſt autem propriè auribus accommodatum verbum. Non ergo leuiter curari res hominum à Deo putandum fuerit, à quo vel ſermones ipſi tam attētè, & diligenter audiuntur, atque prouidetur ſtatim, quemadmodum piis & bonis viris cōſultum eſſe, & omnibus etiam aliis fieri ſatis poſſit. [*Et ſcriptus eſt liber monumenti coram eo.*] Hæc oratio non pertinet tantùm ad rerum & perſonarum rationes omnes, quæ præſentes, apertæ atque exploratæ Deo ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Et in libro tuo omnes ſcribentur, &c. quantum ad curam & conſilium diuinum, quo prouiſum eſt, quemadmodū piis diuina de hac re ſententia & ratio certa atque nota & animum adderet, & fidem ſpemque firmaret. Quamobrem librum coram ipſo Deo eodemque dictante, propriamque ſententiam ſuis verbis certiſſimis aperiente ſcriptum, eundemque à ſe recitatum Vates ait. namque libri nomine in ſacris epiſtola etiam & tabula publicè figenda, & denique quicquid ſcribitur, ſignificatur. [*monumenti, Hebraicè, recordationis.*] non tam vt Deus ipſe recordetur qui neq. obliuione capi poteſt, neque admonitione opus habet, quàm homines ipſi, quibus voluntatem ſententiamque ſuam certam, teſtatam, conſtantemque eſſe vult. id autem commodius fit libro ſcripto quod diutius durat, quàm ſermone ſolùm ſemel pronuntiato, quod excidere ex auditorum mentibus plerunque ſolet: deinde & ſcripto ſemper eadem cum verbis ſententia conſtat, ex pronuntiato non eadem ſemper ab auditoribus reddi ſolet. Quamobrem quod certiſſimum & conſtantiſſimum, atque ab aſtuta aut maligna interpretatione tutum & vindicatum fore Deus voluit, id ſcribendum curauit, vt de eodem hoc argumento, eodem planè conſilio, eadem ſententia; atque iiſdem fere verbis, apertius tamen, Habbakuq agere iuſſus eſt: Et reſpondit mihi Dominus, & dixit, Scribe viſum, & explana eum ſuper tabulas, vt percurrat, qui legerit eum. quia adhuc viſus procul, & apparebit in finem, & non mentietur. ſi moram fecerit, exſpecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo. iuſtus autem in fide ſua viuet. Iuſtis igitur & piis, quibus diuinum verbum graue, ſanctum, maximæq. auctoritatis eſt, hoc monumentū, quod legant, quod intueantur, quod exſpectent, ſcribi atque proponi curatum eſt. [*Timentibus Dominum & cogitantibus nomen eius.*] iis, inquam, qui ſanctiſſimum illius nomen, quod miſericordiam, conſtantiam omnemque perfectionem ſignificat & promittit, in omni cauſa, conſilio, conſultatione, in omni denique vita cogitant. neque ab eo cogitando vllis, quamuis difficillimis, rebus & argumentis petiti, deſiſtunt. iis enim Deus ipſe præſens animum tandem & ſpem conſilio ſuo aperiendo atque ſtatuendo confirmat, ſicut de eodem argumento ſcriptum eſt: Quàm bonus Iſraël Deus iis qui recto ſunt corde. Iam igitur certum de hac re conſilium diuinamque ſententiam, quam Vates noſter ſibi dictatam atque exceptam ſcribere eſt iuſſus, legamus.

Pſal. 5. 2. Par. 6. " — Habbak. 2.

Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die, qua ego facio, in peculium: & parcam eis, ſicut parcit vir filio ſuo ſeruienti ſibi.

PVBLICVM proborum & improborum hominum delectum euāgelij tempore apud Iudæos aliaſque etiam gentes habendum hoc in loco Deus ſignificauit. quo in iudicio quantum altera pars alteri præſtiterit, ipſo euentu manifeſtè erat oſtendendū: ita, vt ij, qui in fide & officio permanſiſſent, in diuinam familiam adoptati, & maximis commodis, & illuſtri dignitate fruerentur, ſicut ſcriptū eſt: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, iis, qui credunt in nomine eius, &c. cæteri verò, qui vel diuinis verbis credere, vel præceptis parēre noluiſſent, iuſtiſſimo Dei iudicio reiecti grauiſſimas impietatis atq. improbitatis pœnas, tum in hac vita ignominioſè expulſi, tū in futura vehementer cruciādi darent. atq. de piis & timentibus Dominum & cogitantibus nomē eius illud decretum eſt à potente Domino exercituum, vltore & vindice. [*Et erunt mihi.*] Et coniunctio illationis vim obtinet hoc in loco, atq. initiū orationi ſententiæq. dat, vt apud Latinos, *ergo*, aut *igitur*, apud Græcos, *οὖν*, apud Arabes, PHE. Sunt autē plurima in ſacris libris huius officij exempla, vt: Et factum eſt poſt mortem Moyſi, &c. Quàm verò chari, quàm dilecti, quamq. omni tutela, omnib. dignitatis ornamentis præcipuè affecti futuri eſſent ij, qui per euangeliū Deo erant deligēdi, peculij nomine ſignificatū eſt: quod vt propriū atq. propria induſtria paratū, & amari vehementius, & cuſtodiri diligētius ab iis, qui poſſidet,

Ioan. 1. " — Ioſue. 1.

ſolet. Eſt autem Hebraicum nomen ZZEGVLA, dignius etiam & liberalius, quàm Latinorum peculium. hoc enim proprium ſeruorum lucrum plerũque eſt: illud verò liberorum, chariſſima & ſelectiſſima diuitiarum pars, quæ vel natura ſua, vel opere præſtantiſſima ſit, vt aurum, gemmæ, vaſa, &c. quare & nomen in regiis etiam rationibus vſurpatur:
Eccle.2. vt, Coaceruaui mihi argentum & aurũ, & ZZEGVLA regum & prouinciarum. Huiuſmodi autem rerum chariſſimarum & pretioſiſſimarum loco ſibi habendos eos, qui nomen ſuum cogitauerint, Deus pollicetur. Habet autem Hebraica oratio certam quandam ſignificationem, ſi ad verbum reddatur. [*Et erunt mihi, ait Dominus exercituum in die, qua ego faciam peculium.*] Euangelij tempus diem peculij ſibi faciendi, & delectus habendi Deus vocat, ſicut
Luc.12. ſcriptũ eſt: Separationem veni facere, &c. Ex hoc enim erunt tres in domo vna diuiſi, pater in filium, & filius in patrem ſuum, &c. &, Nolite timere puſillus grex: quia cõplacuit patri veſtro dare vobis regnum. In illa igitur die hos ſibi aſſcribendos recipit, vt impleatur
Exod.19. in eis id quod in figura olim ſcriptum fuerat: Si ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea eſt enim omnis terra: Et vos eritis mihi in regnum ſacerdotale & gens ſancta. [*Et parcam eis.*] Cura conſilioque proſpecturum ſe illis fore ait, vt quàm optimè & quàm honeſtiſſimè ſit. eſt enim eiuſmodi ſignificatio verbi *hhamal*, pro quo Latinè reddidimus, *parcere*: vt, Pepercit rex Miphibo-
2.Sam.21. ſeth filio Ionathæ filij Saul, propter iuſiurandum, quod fuerat inter Dauid & inter Ionathan filium Saul. quanta verò cura, benignitate atque commoditate proſpecturus eſſet piis, Deus ipſe declarauit: *Sicut parcit vir filio ſuo ſeruienti ſibi.*] quem tum vt filium amat, tum verò ob præſtitam erga ſe pietatem plurimum diligit. Illud autem ex ea re euenturum eſſe oſtenditur, vt vtriuſque partis hominũ delectus atque diſcrimen non ſolùm ſit, ſed apertè etiam cognoſcatur.

Et conuertemini, & videbitis, quid ſit inter iuſtum & impium; & inter ſeruientem Deo & non ſeruientem ei.

Ex euentuum notatione cognoſcendum eſſe ait, magnum inter pietatem atque impietatem, magnum etiam inter virtutem & negligentiam atque ignauiam diſcrimen non modò re ipſa eſſe, ſed Dei iudicio conſtitui: idque adeò apertum fore, vt vel aliud agentes
Phil.2. commoueat atque moneat, ad cognoſcendumque excitet, ſicut ſcriptum eſt: In medio nationis prauæ & peruerſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo: eſt autem iuſti & impij ea, quam ſuperius annotauimus, differentia hoc loco obſeruanda; ſeruientis verò & non ſeruientis Deo in religionis cura diſcrimen eſt, alterius quidem partis erga homines, erga Deum alterius officium definitur. At verò eam, quam expoſuerit rem, vt certam decretamque diuinitus, atque iam iam certo conſtituto ad explicandum die paratam ab hominibus exſpectare oportêre, indicando atque aſſeuerando Vates docet: idque ſequenti capite exponitur.

CAPVT QVARTVM.

ECCE enim dies veniet ſuccenſa quaſi caminus: & erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem ſtipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum: quæ non derelinquet eis radicem & germen.

ADMIRANDAM atque maximam Chriſtiani euangelij virtutem & efficientiam hoc loco à ſe indicatam exſpectandam Deus proponebat: cuius varia pro pietatis ac fidei, vel pro impietatis ac incredulitatis diuerſa ratione in hominibus euenta ſpectanda eſſent. Chriſti etenim virtus per euangelium annuntiata, credentes atque pios dictoque obedientes homines à peccatis vitiiſque purgatos, diuino ſpiritu immiſſo ſanat, atque in nouam vitam & ſanctitatem recreat; rurſus verò incredulos & inobedientes ob ſuam ipſorum culpã non tã præſentia, quàm ſubtractione abalienationeque ſui in ſuo ipſorum peccato relictos & improbatos damnat & perdit, ſicut ſcriptũ eſt: Ego lux in mun-
Ioan.12. dum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. & ſi quis audierit verba
Ioan.7. mea, & non cuſtodierit ea, ego non iudico eum, &c. & iterum: Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini, &c. Hæc igitur euangelij aliis feliciſſima, aliis verò, hoc eſt, incredulis & inobedientibus duriſſima tempora diem ſuccenſam quaſi caminum vocat Vates, quæ ſuperbos & impietatem facientes omnes vt ſtipulam inflammet, ita vt non relinquatur eis aut radix aut germen. eſt enim vltima & extrema impietatis linea euangelium aut contempſiſſe aut abieciſſe: quo crimine quicunque tenentur, ipſi ſibi iudicium,
Ioan.12. damnationẽ atque exitiũ moliti ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Non veni iudicare mundum, ſed

vt ſaluificem mundum. Qui ſpernit me & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum: ſermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die. Atque de vtraque hac euangelij efficientia multa à nobis in hoc opere indicata, & plurima in ſacris libris ſcripta ſunt,
vt illud: Non erubeſco euangelium: virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo Rom. 1.
primum & Græco. Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt: «
Iuſtus autem ex fide viuit. Reuelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem & «
iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent, &c. Appellatur «
autem omne hoc noui teſtamenti tempus dies; id verò, quod vlterius fuerat, nox dicitur, tum ob nouam, & ſapientiæ, & diuinæ virtutis illatam orbi lucem, tum ob manifeſtatam rationem multarum rerum, quæ antè obſcuræ fuerant: atque ita ſæpiſſimè in ſacris libris legimus: Nox præceſſit, dies autem appropinquauit, & ſicut in die, honeſtè ambulemus. Quoniam verò diem eum, qui ſecundum naturam eſt, ſol efficit, aſtrorum omnium nobiliſſimum & efficaciſſimum; cuius ea virtus cernitur, vt quæ craſſiora aſperioraque in liquidarum natura rerum ſunt, exurat, & duriora etiam magiſque concreta reddat, vt ſal; quæ verò molliores & tenuiores ſortita ſunt partes, emolliat & purget, atque omnino perficiat, vt ceram: ſic & hunc nouum euanglij diem à Chriſto iuſtitiæ ſole illuſtriſſimo efficiendum eſſe Vates canebant: cuius maxima & ignea vis cùm ad impios & incredulos improboſque homines in peccato ſuo relictos exurendos & reiiciendos, tum verò ad pios & credentes atque dicto audientes emolliendos, ſanandos, puriſſimos, candidiſſimoſque reddendos efficientiſſima virtus eſſet.

Et orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius: & egrediemini. & ſalietis ſicut vituli de armento, & calcabitis impios, cùm fuerint cinis ſub planta pedum veſtrorum in die, qua ego facio, dicit Dominus exercituum.

DISPAREM piorum & impiorum condicionem euangelij efficacitate & re ipſa fore & publicè ſpectandam eſſe vaticinio primum & apoſtolicis etiam teſtimoniis ita eueniſſe edocti ſumus; horum quidem duriſſimam, illorum verò optimam & illuſtriſſimã: ij enim ob incredulitatem & improbitatem, improbati atque in tenebras exteriores reiecti ſunt: illi verò ob præſtitam euangelio fidem & obedietiam ab antiqua labe & propriis ſordibus atque infirmitatibus & morbis vitiiſque expurgati & ſanati, iuſti, ſancti & immaculati,
deinque Dei viuentis filij effecti ſunt. Videte qualem charitatẽ dederit nobis Deus, vt filij 1. Ioan. 3.
Dei nominemur, & ſimus: idque non per imputationem, ſed re ipſa atque effectu certo »
& manifeſto per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, quẽ effudit ſu- «
per nos abunde, iuſtificati gratia ipſius hæredes ſimus ſecundũ ſpẽ vitæ æternæ. ſic Ioan- «
nes, ſic Paulus, ſic omnes alij apoſtoli de hac re teſtantur. Hæc ergo vis, hæc efficientia Tit. 3.
ſolis iuſtitiæ eſt. de quo ſic etiam Zacharias canebat: Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, «
in quibus viſitauit nos oriens ex alto, Illuminare iis, qui in tenebris & in vmbra mortis Luc. 1.
ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Sol igitur iuſtitiæ iuſtificans eos, qui «
illum credendo obediendoque admitterent. [*Et ſanitas in pennis ſuis.* Hebraicè, *Et ſanans in alis* Heb. 1.
ſuis.] qui cùm ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verba virtu- «
tis ſuæ, purgationem peccatorum facit, &c. Vt autem ſoli ob celeritatem curſus alæ & pennæ eleganter affinguntur: ſic huius iuſtitiæ ſolis Chriſti in conficiendo vis & celeritas maximè alarum nomine deſcribitur. de vtroque enim ſole, altero quidem in figura, altero verò re & efficientia ſcriptum eſt: Exultauit vt gigas ad currendam viam: à ſummo
cælo egreſſio eius: Et occurſus eius vſque ad ſummum eius: nec eſt, qui ſe abſcõdat à calo- Pſalm.
re eius. At verò vt in volucri alæ non accidentis, ſed naturæ partes ſunt, nam quatenus vo- «
lucris eſt, alas habet; & ſi nõ habet, volucris propriè dici non poteſt, quanquam animal dici «
poſſit, neq. volucrũ naturã ab aliarũ animantiũ generibus diſtinguere cõmodius nobis datur: quàm alarũ indicio (veræ namque huiuſmodi rerũ differentiæ hominibus incognitæ ferè ſunt) ob eã rẽ Deus huic à ſe deſcripto ſoli alas addidit, partes ipſi naturæ ita proprias, vt ſeparari ab ea ne cogitãdo quidẽ ſine totius rei ſolutione poſſent. Qua deſcriptione duplex natura & diuina & humana, quibus Chriſtus conſtans mundo apparuit, accõmodata ad humanum captum imagine ſignificatur. Vtriuſque naturæ coniunctio, quam vnionem theologi dicunt, ſimilitudinib. magis inueſtigari, quàm re ipſa percipi & cognoſci à mortalibus poteſt. Atque ob eam cauſam non tam ex philoſophiæ rationibus tenuiſſimis, quàm ex facilibus rerũ ſimilitudinibus hæc myſteria dicenda à ſacris auctoribus peti ſolent, vt rerum ipſarum magnitudo auguſtior eſſe cognoſcatur, quã vt illa humana cogitatione percipi poſſit. Itaq. nobis conſiliũ ſẽper erit, huiuſmodi maximarũ imagines rerũ orationis & verborũ ſignificatione indicare poti⁹, quàm ex audaci aliqua ingenij oſtẽtatione explicare.

Igitur Chriſti vtramque ſimul naturam, tum diuinam ſua virtute, tum humanã ex diuinæ ſibi coniunctæ vi, quæ communicatio à theologis dicitur, ſanitatis cum corporũ, tum verò animorum præcipuè effectricẽ fore Malachias promittebat, quo carmine mirandum illud & planè diuinum ſacramentum ſignificatum eſt, communicationis corporis & ſanguinis Chriſti, quod in ſacroſancta illa & myſteriis refertiſſima cœna eſt inſtitutum, vbi arcanis & mirificis rationibus vtramque ſuam naturam ſuis largitus communicauit, cuius communicationis rationes admirari ſemper, explicare autem modò, nec integrũ, nec opportunũ nobis eſt, donec ab ipſo eodem ad tantarũ expoſitionẽ rerũ Spiritus ſancti nobis addatur & afferatur commoditas. Chriſtus igitur vtraque natura largienda & communicanda, ita ſuis ſanitatem effecturus eſſe dictus eſt, vt ex priori imbecillitate atque infirmitate liberatis & cõfirmatis vitam felicẽ ac beatam lætiſſimamq. degere, nec non ex omni externarũ difficultatũ timore & ſuſpitione liberis victoribus triũphare cõtingeret. [*Et ſalietis ſicut vituli de armẽto.* Hebraicè, *ſicut vituli saginarij.*] Solẽt enim ſaginati vituli præ nimia ſanitate & optimo membrorũ & totius corporis habitu magis etiam, quàm cætera armenta exultare & geſtire, atque hac ſimilitudine ſanitas iuſtorum & vera ac propria animorũ lætitiæ cauſa indicatur. cæterarũ verò rerum, quæ ante hunc felicẽ ſtatũ terribiles hominibus videntur, contemptionẽ conſequuturã illis etiã ſignificauit: huiuſmodi res ſunt humana potentia, ſapientia, fraus, dolus, minæ, crudelitas, & cæteræ, quibus mundus aduerſus pios, probos, modeſtos, innocentes, vel humiles & imbecilles valere putatur: quæ tamen omnes ab iis, quos ſol ille iuſtitiæ ſanauerit, deſpiciendæ, conculcãdæ ac proterẽdæ dicuntur. [*Et calcabitis impios cùm fuerint cinis,*] euanglij virtute & efficientia deiecti, exuſti, atque in nihilum

Luc. 10. redacti, ſicut ſcriptum eſt: Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. & alibi: Ego dabo vobis os

Luc. 21. & ſapientiã, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri, &c. [*In die qua ego facio, dicit Dominus exercituum.* Hebraicè *in die quam ego facio.*] Nouum tẽpus atque admirandum nouãdis rebus oportunum ſignificat, quod ad communem naturæ conſuetudinẽ referri nõ poſſit; ſed magno miraculo à Deo excitatum. itaque propriũ Dei opus dicendum. illa etenim admirabilis iuſtificatio & ſanctificatio, quanquam non ſine fide & obediẽtia hominibus contingat, Deo tamen ipſi auctori, nõ autẽ humanæ alicui ſecundũ naturam virtuti accepta eſt referenda, ſicut ſcriptũ eſt: Gratia ſaluati eſtis per fidem: & hoc non ex vobis. donũ enim Dei eſt. Igitur vt omnis illa ſalutis & ſanctitatis atq. regenerandorũ hominũ ratio auctore Deo conſtare intelligeretur, dictũ eſt, *In die quã ego facio.*] die Domini exercituum, maximi & potentiſſimi, qua credentes ſalui; qui verò nõ crederẽt, dãnati euaderent: cuius diei felicem ſibi aduentũ antiqui patres cogitantes, atq. iis, qui compotes futuri eſſent, gratulabundi canebant: Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Quoniã verò ab huius Vatis tempeſtate vſq. ad Chriſti tẽpus hoc loco indicatum, & vatibus & vaticiniis nouis carendũ Iudæis fuerat, quidnam illis porrò agendum ſit, vt tum veræ diſciplinæ, tum pietatis & officij ratio integra conſtet, Deus admonet.

Mementote legis Moſis ſerui mei, quam mandaui ei in Horeb ad omnem Iſraẽl præcepta & iudicia.

VNVM diuinæ legis aſſiduum ſtudiũ pijs hominib. interim ſatis fore oſtenditur, dum illud omni orbi annuntiandũ euangeliũ aduentaret: quippe in lege illa, quidquid ab hominib. de Deo, de ſua ipſorum natura, de pietate, de officio, de bonorum & malorum finibus cognoſci percipiq. quidquid agi etiã rectè poteſt, continetur, ita vt ad hominũ eruditionẽ nihil in illo libro deſideretur, quanquã à perfectione illa vitæ, & humanæ naturæ dignitate, quæ per euangeliũ conciliatur, longè legis abſit ratio. Nihil enim ad perfectũ adduxit lex: erudire illa quidẽ primaq. ſapientiæ rudimenta, eaque maxima, & quæ animalis homo capere poſſet, docere potuit; perficere autẽ hominẽ, & ex homine filiũ Dei reddere non potuit. hoc enim euangelij Chriſti propriũ eſt. Prius enim, quã veniret fides, ſub lege

Gal. 3. cuſtodiebamur cõcluſi in eã fidẽ, quę reuelãda erat. itaq. lex pedagogus noſter fuit in Chriſto, &c. Quamobrẽ lex iuſtificationum via appellata eſt. Legẽ pone mihi Domine viam

Pſal. 118. iuſtificationum tuarum, & exquirã eam ſemper. eius enim diligens ſtudium multas atque egregias ad iuſtitiam Dei commoditates habet; vtpote quo fidei ac ſpei officio, & honeſtarum actionum diſciplina cuſtodiatur: ſine quibus rebus & exercitationibus haberi illud ſummum Dei donum non poteſt, ſicut ſcriptum eſt: Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionẽ. Huius igitur legis ſtudium & ad omnem vitæ partem vtilis cura Iudęis commendabatur à Deo, interim ſuſcipienda & ſuſtinẽda, quoad euangelij omnia perfecturi tempus extaret, cuius initio Helias index atq. nuntius venturus prædicebatur. Appellãt autem legem Moſis ſerui ſui, non quo humanam humanoque

conſilio inuentam ſignificaret(eſt enim lex ſancta & ſpiritualis, atque Deo auctore planè
edita:id quod ab ipſo ſtatim declaratur, *quam mandaui ei in Horeb ad omnem Iſraël*) ſed vt ab illa
altera lege diſtingueret, quæ gratiæ tempore per Chriſtum in credentium cordibus erit
inſcribenda.ex miniſtrorum itaque comparatione vtriuſq. legis ratio oſtenditur.illa enim
Moſi non in corde ſcripta, neque ea virtute auctoritateque tradita eſt, vt inſcribere
ipſe in aliorum cordibus poſſet,ſed mandata ipſi accipienda & ad omnem Iſraël referen-
da;hæc verò altera Chriſto vt proprio filio,per quem omnia facta eſſent, vt auctori atque
legiſlatori integra conſtituta erat, quam is non modò ferret, ſed ſpiritus ſancti virtute in
ſuorum mentibus conſtabiliret. itaque quanquam vtraque diuina & ſancta, altera tamen
tum miniſtri dignitate,tum virtute atque efficientia multo,quàm altera,præſtantior,atque
etiam communicatione ſui dignior futura eſſe canebatur,vt illa ad omnem Iſraël, hæc ad
omnes fines terræ pertineret.quæ verò in illa continerentur,hæc fuere: *Præcepta & iudicia.*]
Præceptorum nomine,quidquid ad ſingulorum mores componendos, atque etiam quid-
quid ad priuatas cuiuſque ordinis rationes inſtituendas pertinet, definitur, ex Hebraica
voce HHVKIM,ſtatutũ Latinè, Hiſpanè *fuero* dicitur.Iudicia eadẽ, quæ Latinis iura ſunt, חק
quæ vel à priuatis inter ſe religioſè coli, vel à iudicibus & magiſtratibus dici ac defendi o-
porteat:atq.in vtroque genere non ſolùm vitæ priuatè ac publicè inſtituendæ rationes,ſed
magna etiam ſapientiæ & diuinarum atque humanarum rerum cognitionis argumenta,
vel apertè tractata,vel arcanè ſignificata ſunt.quamobrem vtriuſque partis ſtudium inte-
rim à Deo commendatur,dum lucifer ille orietur,qui omnia eſſet illuſtraturus. ad hunc
etiam modum Chriſtus diuinorum librorum teſtimonia de ſe cauſaque ſua cognoſcere
Iudæis ſuadebat.Scrutamini ſcripturas,quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere;& Ioan. 5
illæ ſunt,quæ teſtimonium perhibent de me.ſi enim crederetis Moſi,crederetis forſitan & «
mihi;de me enim ille ſcripſit, &c. Huic itaque ſtudio intentos Iudæos tempus illud iam «
propediem aduentaturum exſpectare iubebat Deus,atque eius ſigna certis à ſe nominatis
indiciis diligenter obſeruare.neque enim tanta res tacitè aut obſcurè peragenda erat, ſed
legato prius miſſo,qui præſentem orbis ſalutem annunciaret,ad eamq́ue accipiendam ho-
minum animos præparandos curaret.

*Ecce ego mittam vobis Heliam prophetam,antequam veniat dies Domini magnus & horribilis: & con-
uertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum : ne fortè veniam, & percutiam terram
anathemate.*

EVANGELII,hoc eſt, boni & ſalutaris nuntij initia, vt illuſtria omnibus apertaque
eſſent,ab Heliæ legatione facienda eſſe, Deus apud hunc Vatem manifeſtè, & apud alios
etiam certa ſignificatione prædixit.cuius legati quanta auctoritas, quales partes, quæ mu-
nera,quod officij genus,quanta etiam in agendo dignitas futura eſſet,vel vno Heliȩ nomi-
ne & exemplo ſignificatum eſt.etenim vt Helias turbulentiſſimis Iſraëliticarum rerũ tem-
poribus,maxima & diuina planè auctoritate præditus,religionis violatæ & pietatis prodi-
tæ cauſam aduerſus populos & reges grauiſſimè & conſtantiſſimè egit, diuinasq́ue partes
per omnem vitam defendit:ſic eodem exemplo prophetam quendã exciturum eſſe Deus
per vates prædixerat, qui abalienatum à vera & integra pietate populum, ad fidem offi-
ciumq́ue reuocaret,atque diuinis accipiendis beneficiis aptum habilemq́ue redderet. Hũc
autem propter auctoritatis,officij & actionum ſimilitudinem Heliam alterum appellauit
Deus.atque his rebus nominibusq́ue cunctis Ioannis Zachariæ filij cognomento Baptiſtæ
ratio omnis deſcripta & ſignificata,atque à cæleſti demum interprete explicata eſt. Et ipſe
præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Heliæ: vt conuertat corda patrum in filios. Spiri-
tum & virtutem Heliæ repræſentaturum,atq.ex ea re nomen etiam Heliæ ſibi comparatu-
rũ eſſe Ioannẽ Dei nuntius Gabriel docebat. nomina enim à Deo ex officij rationibus indi
ſolent: vt,Qui numerat multitudinẽ ſtellarum,& omnibus eis nomina vocat, &c. eundem Pſal.146.
verò prophetam atque prophetarum omnium maximum fore vates dixerant ,atque ita «
eſſe Chriſtus conteſtatus eſt: Et tu puer propheta altiſſimi vocaberis:præibis enim antè fa- Luc.1.
ciem Domini parare vias eius.Prophetam altiſſimi appellauit pater,quem Deus ipſe ange- «
lum ſuum aliàs appellauerat,quemq́ue pluſquam prophetam exiſtimandum eſſe Chriſtus
confirmauit, addito elogio, neminem inter natos mulierum maiorem illo prophetam
eſſe.nullus enim præter vnum Ioannem propheta fuit, quem venturum alij vates nomi-
natim prædicerent.nullus præter hunc vnum, qui quod futurum vaticinatus eſſet,præſens
adeſſe teſtaretur atque indicaret. Appropinquauit, inquit, regnum cælorum. Et altera die
ſtabat Ioannes, & diſcipuli eius duo, & reſpiciens Ieſum ambulantem, dicit, Ecce agnus
Dei, &c. huius autem prophetæ munus officiumq́. illud fore decretum fuerat: *Et conuer-*

corda patrum ad filios, & corda filiorum ad patres eorum.] Pœnitentiæ hominibus prædicandæ ac perſuadendæ munus publicum & illuſtre Ioanni committendum hæc oratio ſignificat. id verò ex Hebraicis verbis apertum eſt. enim HESSIB, Latinè ad verbum redditur, *conuertere fecit*, atque ex eodem verbo THESSVBAH nomen oritur, quod Latinè pœnitentiam vertimus. Id itaque ab illo propheta curandum erat, vt omnium ætatum atque ordinum homines ad veram pœnitentiam, atque ad optimam ſalutis cogitationem conuerterentur. ob eamque rem ſignificanter dictum eſt *corda*. pœnitentiæ namque veræ & probatæ ratio ex corde præcipuè proficiſcitur, cuius argumenta & ſigna certiſſima vitæ in melius mutatione ſpectantur. eos autem pœnitentiæ fructus Ioannes in ſuis illis celeberrimis
Math. 3. ad populum & principes concionibus exigebat: Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ,
» &c. [*Corda patrum in filios*, Hebraicè, *ſuper filios*, & *filiorum ſuper patres*.] Qua ſermonis forma omnis ætas, omnis gradus ordoque hominum ſignificatur, ita vt eadem auctoritate & grauitate, eodemque muneris officio, & apud maiores, & apud minores functurus eſſe Ioan-
Deut. 22. nes diceretur. Huiuſmodi loquendi figura in illo præcepto eſt, Non tenebis matrem ſu-
Pſal. 49. » per filios, ſed abire patieris captos tenens filios, &c. & illud: Congregate illi ſanctos eius, qui
» ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia, &c. hanc autem huius loci interpretationem
» Gabriel etiam angelus me docuit: Et conuertet corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum, parare Domino plebem perfectam. [*Antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*.] Domini diem piis & legitimè præparatis magnum, impiis verò & incre-
Math. 3. dulis horribilem dicit, de quo ipſe Ioannes aiebat: Cuius ventilabrum in manu eius, & per-
» mundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum: paleas autem combu-
» ret igni inextinguibili. atque diem hunc magnum & horribilem non iudicij extremi, ſed Meſſiæ aduenientis tempus antiqui ſcribæ ſapienter interpretabantur: idque à Chriſto &
Math. 17. probatum & confirmatum eſt. Quid ergo dicunt ſcribæ, quòd Heliam oportet primum
» venire? at ille reſpondens ait eis, Helias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia: dico au-
» tem vobis, quia Helias iam venit, & non cognouerunt eum, ſed fecerunt in eum quæcun-
» que voluerunt: ſic & filius hominis paſſurus eſt. tunc intellexerunt diſcipuli, quòd de Ioanne Baptiſta dixiſſet eis. Atque hæc quidem orationis huius pars ad Dei iudicium, per euangelium in ſingulos homines, pro cuiuſque vel fide atque obſequio, vel rurſus incredulitate ac vitio exercendum pertinuit; illa verò ad publicum iudicium in gentem regionemque ipſam Iudæorum edendum ſpectat: [*Ne forte veniam & percutiam terram anathemate*.] Seueriſſimam illam & iuſtiſſimam animaduerſionem & pœnam, quæ in Iudæorum gentem cùm ob quamplurima alia ſcelera, tum ob Chriſtum Chriſtique euangelium repulſum conſtituta eſt, per hunc vatem prædicens Deus, vitare & cauere monebat, qui nolit quenquam perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti magis optarit. Quamobrem ipſe miſericordiam ſuam ſemper propoſitam æquiſſimis conditionibus vltro polliceri conſueuit, vel aliàs ſe iudicem integerrimum profiteri, vt bonorum & malorum propoſitis finibus, vtrum ſibi expetendum fugiendúmue ſit, homines ipſi prouideant optentque; ſemper tamen Deus ipſe ſuam illis voluntatem exponit, quodque conſultiſſimum optimum-
Deut. 30. que ſit, & ſe illis vltro cupere, & vt frui liceat, proponere, atque, vt petatur, ſuadere. Teſtes,
» inquit, inuoco hodie cælum & terram, quòd propoſuerim vobis vitam & bonum, bene-
» dictionem & maledictionem. elige ergo vitam, vt tu viuas & ſemen tuum, & diligas Do-
» minum Deum tuum, atque obedias voci eius, & illi adhæreas: ipſe enim eſt vita tua, & longitudo dierum tuorum, &c. Hunc igitur ſuum planè diuinum paternumque morem, Deus tum ſæpe aliàs, tum etiam hoc in loco ſeruat antiquumque obtinet; cumque iam oſtenderit, quantum bonum, quanta felicitas exſpectanda ſit iis, qui pietatem atque officium obſeruare ac ſanctè colere ſtuduerint, cæteros etiam ab impietate & vitio propoſitis cùm priuatè, tum publicis luendis pœnis deterret: docetque non ſolùm fore, vt ſinguli, qui euangelio credere & obedire noluerint, reprobentur & puniantur, ſed vt omnis etiam Iudæa gens illa, fame, peſtilentia & bello affecta, tandem diſiecta atque diſſipata, patrio ſolo cedere & perpetuò exulare cogeretur. atque hoc modo diuini iudicij, quod multis nominibus affirmatum, multis argumentis fruſtra impiis oſtenſum, publicè tamen ſentire & confiteri neceſſarium fuerat: id quod hodie etiam ab illa gente grauiſſimis miſeriis preſſa agnoſcitur & ploratur. Ferire terram anathemate, eſt, deſertam, incultam vaſtamque reddere. qualis Iudæa regio à Titi Veſpaſiani filij temporibus ad hæc vſque tempora perſeuerat, adeò horrida atque vaſta, vt cum illo antiquæ felicitatis ſplendore collata, deſerta & inhoſpita teſqua dici profectò poſſit, vt & Gregorius Nazianzenus, & complures alij docti & pij viri, qui viſentes obſeruauêre, teſtari ſunt, & hodie omnes, qui viderint, teſtantur. hunc miſerrimum Ieroſolymæ principis vrbis, & totius regionis Iudææ ſtatum

Chriſtus præuidens deplorabat: Qui videns ciuitatem, fleuit ſuper eam dicens: Quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua ea, quę ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis: quia venient dies in te, &c. Hanc etiam rem Ioannes Baptiſta ſignificans Phariſæis aliiſque ex Iudæis vitare ſuadebat: Genimina viperarum, quis docuit vos fugere à ventura ira? Omnem itaque Chriſtiani euangelij rationem, atque eos, qui vel excipientibus, vel reiicientibus, cùm priuatè, cum publicè exſpectandi eſſent euentus breui quidem & arcano, ſed certiſſimo ſermone Vates indicauit. quæ nos diuino beneficio, ex vtriuſque teſtamenti ſacris arcaniſque lectionibus, in Chriſtianorum vſum, & ſanctæ matris noſtræ eccleſiæ gratiam, ad Dei immortalis gloriam, hactenus interpretati ſumus.

Luc. 19.
Matth. 3.

Antuerpiæ Brabantinorum 3. Non. Ianuar. CIↃ. IↃ. LXIX.

IN MALACHIÆ VATIS FINEM HYMNVS EX VOTO.

ODE SAPPHICA.

NOSTRA *ſi magno ſuperûm parenti &*
Mentibus puris procul vſque inani
Fabula Vatis meditantis olim
Grata fuit vox:
Ore nunc culto magis & canoro
Dicere, & blanda fide perſonare
Poſcimus, qualem Ieſides ſolebat
Tendere flauus.
Ille ſeu molli pecori minantem
Vrſum & audaces lacerans leones,
Signa virtutis puer & futuri
Roboris edit:
Impij vel ſi & populis tremendi
Goliæ ſternens oneroſa terræ
Membra pertuſô capite & cruentis
Exuit armis:
Aut per abrupti nemeroſa montis
Saxa periurum ſocerum, truceſq;
Dum minas vltor potuit domare,
Flectere mauult:
Quidquid aut duro metuit pericl0,
Aut graui perfert iuuenis labore,
Vnicum cæli canit vſque numen
Præſidiúmque.
Vel fide extremos ſuperante caſus
Gratus auctorem memorat ſalutis,
Et noua & priſcæ monumenta laudis
Perſonat ore.

Quo feræ durum poſuère cantu
Robur, & tutas ſociis latébras,
Cedit Hermonus Leo, & ipſe cuſtos
Excubat antris.
Quin & vndanti fluuio quietas
Peruehit lymphas, lacubusq; magnis
Nomen æterni recinens tonantis
Narrat Iarden.
An'ne mirandum? rabioſa quando,
Quæ ſolet ſæuos furiare reges,
Vmbra Satánæ fugit imperante
Carmine victa.
Ergo nos tanti ſtudium ſecuti
Vatis, æterno meditamur vſque
Numini caſtis numeris probandas
Dicere laudes:
Non vt immenſum decus & nitentem
Boghzidis laurum tenues putemur
Perſequi: at fas ſit petiiſſe amandas
Arboris vmbras.
Fas ſit exemplis Ieſidis perenni
Carmine excelſi coluiſſe regis
Nomen, & clara memorare voce
Dona ſuperna.
Fas & attentos populos docere,
Vt Deus noſtrum ſtudium benignè
Fouerit: mentemq; animumq; auentem
Profore multis:
Quamlibet duris maris & viarum
Caſibus rerumq; agitatus vndis
Curiæ denſæ mediisq; ferrer
Aeſtubus ardens.
Vt tamen norint genus & piorum,
Orbis & cunctus quibus ille poſsit
Viribus magnas tenui miniſtro
Vertere moles:
Qui mei partem ſpeciemq; voti in
Exitum duxit bonus, & precanti
Annuit præſens duodena vatum ex-
ponere dicta,
Magna queis quondam dederat ſuarum
Signa virtutum & ceciniſſe laudum,
Quaq; mens mundum regat, atque certis
Temperet horis.
Quid ſit humanum genus, & quis olim
Finxerit fœdis vitiis remotum;

Vnde

Vnde conceptus labor & vagantis
Semina mortis.
Rurſus vt caſus miſerata noſtros
Mens patris rebus penitus reciſis,
Pignus æternæ melius ſalutis
Annuit vltro.
Aurea & ſecli meminere quando
Tempora hi noſtri, quibus ô precati
Vocibus tantam propius petebant
Cernere lucem:
Vt per occultos veniens receſſus
Spiritus mentes hominum beatas
Formet, & magni ſobolem vocari
Numinis addat.
Quæ patres, & quæ cupiere clari
Principes, noſtræ vt meliora duci
Inuidi, at læti tamen audiêre
Munera ſortis.
Atque ne tanti monumenta doni
Negligens culpa, aut ſcelus auocaret,
Hoſtis aut nobis ſtudio maligno &
Fraude perirent:
Multa præſenti monuêre Vates
Voce, quæ ſenſus hominum profundos
Excitent, pulſo & releuent veterno
Languida corda.
Nunc quod iis magna ceciniſſe linguæ
Flumine, & verbis ſolidè diſertis
Eſt datum nobis leuiore reddi
Contigit arte.
Poſſit vt ſimplex populus piusq;
Limen inſueti penetrare dicti;
Quæ tamen noſtros ſuperent labores
Poſcere Chriſtum.
Ergo nos grato ſoluiſſe cantu
Debitas laudes decuit benigno
Numini certa & bene nuncupati
Munera voti.
Nam potens imo ſolet is iacentem
Pauperem fundo retuliſſe in auras,
Regio & lætas decorare frontes
Prouidus auro.
Exuli ac tardo pecorum magiſtro
Cum ſene & poſſe, & metuenda præbet
Dicere, vt cedant malè pertinacis
Sceptra tyranni.

830

Credit arcani veneranda præſens
Conſilî paruis gregibus proborum
Dona, quæ celet tumidis potentum
Mentibus idem.
Principem cœli liquidi tenentem
Regna, te auctorem memoramus vnum,
Quidquid in magnis ſapienter olim
Poſſumus auſis.
Quidquid aut plauſus meruit probandos,
Tu bonus præſtas, tibiq́ auctor eſto:
Eſto ſed noſtrum poſuiſſe gratæ
Munera mentis.
Tu modò addictum facilis poëtam
Audiens præſtes meliore ſemper
Debitum tantis meritis honorem
Dicere verſu.
Otium quòd ſi maneat quietum,
Sæpe quod votis cupidus rogabam,
Meq́ ſi vulgo procul inſolenti ex-
ſpectat agellus:
Qualis in celſis nebulis propinqua
Rupe (vbi ſanctas tibi lætus aras,
Virgini & ſummæ poſui ſacellum)
Contigit olim.
Qui locus te (nam fateor) docente
Multa in arcanis penetrare libris,
Et dabat puro ſonuiſſe primam
Gutture linguam:
Tum meæ ſi quid ſupereſt agendum
Temporis vitæ, ſtatuo perennem
Et tibi laudem, & populis tuorum im-
pendere curam.

FINIS.

1-6-2